ILLYRICI
SACRI
TOMUS PRIMUS.
ECCLESIA SALONITANA
Ab ejus exordio uſque ad Sæculum quartum Æræ Chriſtianæ,

AUCTORE
DANIELE FARLATO
PRESBYTERO SOCIETATIS JESU.



BIBLIOTHEQUE S. J.

VENETIIS, MDCCLL
APUD SEBASTIANUM COLETI:
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google



Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI DOMINO NOSTRO BENEDICTO XIV. PONTIFICI MAXIMO.

D. F.

Ecclesia Salonitana, jamdiu subter antiquissimæ illius urbis ruinas sepulta, nunc vero in hisce meis scriptis quodammodo rediviva, nihil prius sibi faciendum putavit, quam ut se ad pedes Tuos abjiceret, BEATISSIME PATER, pie ac suppliciter Sedem Apostolicam venerata, quam peculiari quadam ratione Procreatricem suam & Parentem agnoscit. Nam Christianæ Religionis apud Salonam conditæ primordia refert accepta Beato Petro Principi Apostolorum, & Christi in terris Vicario, qui, cum Romæ, Deo auctore atque auspice, æternam sibi suisque successoribus sedem posuisset, inde Domnium Discipulum suum ab se in opus Evangelii segregatum Salonam misit, ut in hac urbe totius Dalmatiæ primaria novam Christo fundaret Ecclesiam. Ab ista ergo sanctissima

Digitized by Google

Sede, in qua Deus Eccleſiæ ſuæ principatum conſtituit, unde nihil, niſi purum incorruptumque dimanare poteſt, ſalutarem Chriſti doctrinam, & normam ſinceræ in Deum fidei, & pie caſteque vivendi præcepta, & Pontificiam dignitatem cum acceperit Salonitana Eccleſia, prætermittere non debuit, quin ſimul e tenebris lucem aſpexit, ſtatim ſe ante optimam Parentem venerabunda ſiſteret, eique juſtum ac debitum antiquæ ſuæ adverſus illam pietatis, obſervantiæ, religionis officium perſolveret. Meminit præterea, quantum ſibi ad decus & præſidium Pontifices Romani contulerint, quam multis honoribus & privilegiis auxerint, quam honorificis decretis eximiiſque beneficiis ornaverint; quorum quidem perpetua, &, quamdiu civitas illa præſtantiſſima ſtetit, numquam intermiſſa munificentia eo dignitatis, & amplitudinis hanc Eccleſiam provexit, ut cum nobiliſſimis quibuſque priorum ſæculorum Eccleſiis haud immerito conferri poſſit. Patere igitur, SANCTISSIME PATER, ut quod Petro primo Chriſti Vicario, quod hujus antiquis ſucceſſoribus debet, hoc Tibi, in eorum loçum Dei optimi maximi providentia ſubſtituto, reddat Salonitana Eccleſia, quæ tum originis ſuæ Apoſtolicæ, tum Deceſſorum Tuorum commendatione confidit ſe apud Te gratioſam fore; nec porro dubitat, quin veterum Pontificum erga ſe ſtudium ſingulare, ac benevolentiam egregiam æmulari velis, quorum omnia præclara exempla Tibi imitanda eſſe ſtatuiſti. Eſt vero, cur immortaliter gaudeat, cur ſibi magnopere gratuletur, cur ſe felicem ac beatam prædicet, quod nunc primum ab oblivione & ſilentio Latinis litteris vindicata, quaſique ab ſuo interitu renaſcens, prodeat in publicum Te Pontifice Maximo, Te Patrono, Te Auſpice, cujus inſcripto ſibi nomine illuſtretur vel maxime, cujuſque in fidem & clientelam ſe conferat. Quis enim vel noſtra, vel Patrum noſtrorum memoria, ſolium Pontificale conſcendit rerum omnium divinarum ſcientia inſtructior, & virtutum omnium laude cumulatior, a quo majus ſibi vel ornamentum, vel præſidium adſciſcere potuerit? Dediſti enimvero, quam humana omnia præ doctrina & virtute contemneres, jam ab adoleſcentia documenta maxima; qui ortus cum eſſes ſtirpe antiquiſſima & nobiliſſima, atque illuſtribus & glorioſis Majorum Tuorum exemplis excitatus, ſed multo magis præclaræ indoli tuæ, tuoque nixus ingenio, magna quædam & alta ſpectare cœpiſſes; Romam profectus eam vivendi rationem inſtituiſti, quæ, cæteris omnibus poſthabitis, cum eximia morum integritate diſciplinarum omnium præſertim ſacrarum ſtudia perpetuo conjunxit; & magno incœpto adhibens diligentiam, aſſiduitatem, conſtantiam maximarum rerum effectrices, nihil otio & ſocordiæ tribuens, vix aliquid de litteraria occupatione, animi relaxandi cauſa, umquam remittens, tantam civilis & Pontificii juris, totiuſque antiquitatis & eruditionis Eccleſiaſticæ ſcientiam adeptus es, quantam declarant doctiſſima illa ingenii tui monumenta, non ad exigui commendationem temporis, ſed ad memoriam & admirationem omnium ſempiternam, typis impreſſa. Itaque in Urbe iſta Domina terrarum, Arce imperii Chriſtiani, quæ ſub Tuo olim imperio beata futura erat, theatrum nactus ampliſſimum, in quo Tua virtus & ſapientia ſpectari, latiuſque ad communem utilitatem diffundi poſſet, graviſſimis magiſtratibus & muneribus obeundis, difficillimis de re Hagiologica, & diſciplina Eccleſiaſtica controverſiis enodandis, de rebus ſummis

Digitized by Google

mis & maximis ſententia in ſacris conventibus graviter doctèque dicenda, omnibus denique ingenii Tui ac ſapientiæ opibus in publica commoda conferendis, viam Tibi muniebas ad ſupremum Eccleſiæ Principatum, eique recte adminiſtrando omnium doctrinarum ac virtutum præſidia parabas; alio Tu quidem ſpectans, ſed vel ignarus providentiſſimo inſervieus conſilio optimi ac præpotentis Dei, qui Te ab omni æternitate Hierarcham Chriſtiani orbis deſignaverat; idemque, ut ſummo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ faſtigio Te propius admoveret, divino inſtinctu afflatuque Benedictum XIII. Pontificem maximum impulit, ut nihil tale ambientem, ac ne cogitantem quidem, in auguſtiſſimum Cardinalium Collegium cooptaret; cum ille quidem, hoc unum ſtatueret ac judicaret, tantam in omni virtute & eruditione præſtantiam in excelſo & illuſtri loco, unde omnibus luceret, ac prodeſſet, collocari oportere; Deus vero hanc illi mentem idcirco potiſſimum injecerit, ut, licet futurorum improvidus, ſucceſſorem ſibi divinitus deſtinatum ſuo Te ſuffragio deligeret. Atqui ad Pontificatum maximum gerendum, Eccleſiamque univerſam regendam, ut non a doctrina ſolum, ſed etiam ab experientia inſtructior accederes, non ſine peculiari Numinis providentia factum eſt, ut in Epiſcopi ac deinde Archiepiſcopi officio fungendo, & in duabus Eccleſiis Anconitana & Bononienſi adminiſtrandis Te prius exerceres, quam Princeps omnium Antiſtitum fieres, totiuſque Eccleſiæ procurationem ſuſciperes; neque enim unius tantum Eccleſiæ regimine eum probari oportebat, cui Deus omnium Eccleſiarum ſollicitudinem & curam decreverat. Mitto jam dicere, quem & qualem te præbueris in varia illa & multiplici & laborioſa utriuſque Eccleſiæ adminiſtratione, ne aures Tuæ, quamquam veriſſimis, & omnium ſermone celebratiſſimis, inuſitatis tamen, & longe multumque ſupra vulgaria exempla poſitis laudibus, offendantur: nihil a me de Tuis rebus in illo duplici Epiſcopatu præclariſſime geſtis audies, nihil de incenſo illo perpetuoque ad omnia religionis ac pietatis opera ſtudio, nihil de ſollicita Chriſtianæ inſtitutionis cura, nihil de profuſa in egenos ac miſeros benignitate, nihil denique de ſanctiſſimis decretis, ſaluberrimiſque inſtitutis ad diſciplinam Eccleſiaſticam vel ſanciendam, vel reſtituendam, atque ad plebis Chriſtianæ mores corrigendos, & Chriſtiana pietate informandos, quæ pluribus tomis comprehenſa & typis edita patent, in promptuque ſunt omnibus. Hinc Paſtores animarum addiſcant oportet, quemadmodum greges ſibi concreditos a pravis noxiiſque paſcuis arceant, Evangelii pabulo ſalutari nutriant, & ad beatam immortalemque vitam deducant; hinc Divina myſteria rite tractandi, rectèque diſtribuendi ratio traditur; hinc plurima ſuppetunt, & præſtantiſſima cujuſque generis documenta plena Sapientiæ, plena Sanctitatis, e puriſſimis fontibus Patrum & Conciliorum hauſta, quibus Præpoſiti Eccleſiarum, Clerus & Populus Chriſtianus, ad Dei ac Divinum cultum, ad præcepta legis divinæ, ad Eccleſiæ inſtituta rituſque, ad ſuum quique munus & officium pleniſſime erudiri poſſunt. Hæc & alia plura prætereantur, ex quibus liceret intelligi, quam immemor tui totus eſſes in aliena utilitate & ſalute procuranda, quam nulla in re, ut prodeſſes aliis, tibi ipſe parceres, ut omnia omnibus factus omnes Chriſto lucrifacere ſtuderes, ut non valetudinis, non æſtus, non frigoris ratione habita, quocumque commiſſi tibi gregis commoda vocarent, promptiſſi-

me

Digitized by Google

me advolares; patiatur me hanc tantam laudum Tuarum jacturam facere ſuperior Tua vita, in quam ſi quis ſubtilius inquirere inſtituat, horam nullam ab officio, a religione, a beneficentia vacuam reperiet. Sed facere non poſſum, quin illius diei meminerim, cujus recordatione adhuc mirifice gaudet exultatque Orbis univerſus, quin tempus illud in memoriam revocem, quod Deus ante omnia ſæcula tam fauſtum ac ſalutarem nobis eſſe voluit, quod quantum terroris injecit improbis, tantumdem lætitiæ bonis omnibus attulit: tempus illud dico, diem illum commemoro, cum Tu nihil minus cogitans, aut potius nihil magis metuens, tam ſubita, tam repentina totius ſacroſancti Collegii conſenſione Pontifex renunciatus es; ut ſi cui forte adhuc dubium fuerat, hominumne conſilio, an divino numine Romani Pontifices eligerentur, ea tota dubitatio poſtremis comitiis ſublata eſſe videatur. Non enim fumoſæ majorum imagines, non officioſæ Principum commendationes, non magnifici apparatus cultuſque vitæ anteactæ cum elegantia & copia aditum tibi ad ſummum Pontificatum aperuerunt; ſed cum comitia Pontificalia in magna ſtudiorum ac judiciorum varietate aliquot menſes extracta fuiſſent, diſcrepantia inter ſe Patrum ſuffragia, ut in Te unum omnia conſpirarent, ſummus ille Dominator atque arbiter humanarum voluntatum inſperata concordia planeque admirabili conjunxit, quod certe mortalium nemo præſtare potuiſſet; Deus, inquam, qui Te tanto muneri aptiſſimum noverat, Deus ipſe mentibus animiſque Cardinalium omnium illapſus Te in iſta celſiſſima & Cœlo proxima honoris ac dignitatis ſede collocavit. Hic vero a me nullus expectet, dum evolvam atque explicem immenſum illum virtutum omnium apparatum, quem una Tecum in hunc editiſſimum locum extuliſti; quæ quidem quanto ſublimius a terra eminent, tanto latius vim ſuam propagant, toto terrarum orbe luce ac beneficentia diffuſa. Nihil eſt, quod metuas, ne laudibus Tuis perſequendis longius progrediar, cum mihi potius verendum ſit, ne ſi quid ultra coner, rerum magnitudini ſuccumbam, & plus ſuſcepiſſe me ſentiam, quam quantum ingenii mei imbecillitas ſuſtinere valeat. Relinquamus ſane poſteris ingentem hanc ſegetem, in qua ſine ulla modeſtiæ Tuæ offenſione, & majori cum laude libere fidenterque verſari poterunt. Suſpicient illi certe, & ſummis laudibus efferent intaminatam illam morum ac vitæ integritatem ab omni humana cupiditate alienam; admirabuntur compoſitam illam in tanta dignitate facilemque naturam; obſtupeſcent, cum audierint, vel legerint tot ac tantos labores ſine intermiſſione ſuſceptos, mentem animumque maximis pariter minimiſque rebus intentum, nullum ferme reficiendis viribus curandæque valetudini ſpatium datum, dies noctesque ſtudiis, commentationibus, aſſiduis religionis pietatiſque officiis propemodum continuatos; & quoties in eorum animis Benedicti XIV. imago, ejuſque virtutum effigies obverſabitur, toties intueri ſibi videbuntur verum quoddam ac germanum ſummi Sacerdotii exemplum, cum ſanctiſſimis quibuſque Eccleſiæ primævæ Pontificibus comparandum. Una omnes voce prædicabunt, quantum Tibi debeat Roma, quantum Orbis univerſus, cum ob alias cauſas graviſſimas & maximas, tum etiam ob hanc non in poſtremis numerandam, quod cum teſtudo ſacroſanctæ Vaticanæ Baſilicæ, opus illud egregium & mirabile, vel in tanta, quæ nunc viſitur, Romanæ urbis magnificentia in primis conſpiciendam, jampridem vitium facere & rimas

agere

Digitized by Google

agere cœpiſſet, ipſique Baſilicæ, cui ſuperimpoſita eſt, fœdam ruinam minitaretur; ne tot annorum labor, tot Pontificum impenſæ momento temporis ad nihilum reciderent, omni ope atque opere tanto malo atque periculo Tibi occurrendum eſſe cenſuiſti, tantique Operis perpetuitati ratione omni proſpiciendum, adſcitis vocatiſque in conſultationem peritiſſimis quibuſque rei Mathematicæ & Architectonicæ Magiſtris; inter quos mihi commemorandus eſt Joannes Polenus Marchio *Matheſeos & Philoſophiæ experimentalis Profeſſor* in hoc celeberrimo Artium & Diſciplinarum omnium Patavino Gymnaſio, vir ingenio perſpicaci, acerrimo limatoque judicio, doctrina plane excellenti, moribus integerrimis & politiſſimis, quem hic a me honoris cauſa nominatum fuiſſe gratum tibi perque jucundum fore nullus dubito; is quippe Pontificiis litteris Romam accerſitus, in rem præſentem cum veniſſet, peracute vidit ac ſapienter ſtatuit, quid opis potiſſimum ac remedii adhibendum eſſet, ne moles illa corrueret; ad eam continendam a lapſu, firmandam, fulciendam idonea, & valida præſidia ſuggeſſit; ac denique teſtudinis Vaticanæ, reique totius Hiſtoriam Tuo juſſu, docte oppido ac laborioſe compoſitam, elegantiſſimis tabulis ac litteris expreſſam ſub Tuo nomine Tuiſque auſpiciis evulgavit. Glorientur igitur, per me licet, Deceſſores Tui, quod Pyramides & columnas, & inſanas moles ac magnificas ad decorandam urbem excitaverint, conſtruxerint, ornaverint; hæc inter cæteras laus Tua erit eximia prorſus & ſingularis omnium litteris ac ſermonibus celebranda, quod pulcherrimum totius Urbis atque Orbis monumentum, quod partem multo nobiliſſimam ſanctiſſimæ illius Baſilicæ, ad quam ex omnibus terrarum partibus voti ac religionis cauſa frequentiſſime concurritur, quod penſile illud architecturæ & humanæ artis miraculum ſartum tectum & incolume nobis totique poſteritati ſervaveris. Nec vero deerunt, qui cum totam Pontificum Romanorum ſeriem cogitatione animoque percurrerint, illud præcipua admiratione dignum animadvertant, neminem unum fuiſſe, niſi forte aliquis excipere velit Gregorium illum cognomine quidem Magnum, at doctrina & ſanctitate, rerum geſtarum & ſcriptarum gloria revera maximum, neminem, inquam, reperient, qui plura doctrinæ ſacræ monumenta plurimis lectiſſimiſque eruditionis & antiquitatis Eccleſiaſticæ copiis atque opibus referta poſteris reliquerit. Ut cætera præteream, vel quatuor illa ingentis æque pretii, ac molis volumina, quæ de *Canonizatione Sanctorum* inſcribuntur, ejuſmodi ſunt, nihil ut in eo genere uberius & accuratius, nihil ut perfectum magis abſolutumque excogitari queat. Nam totam, quam vaſta eſt & immenſa, hujus præſtantiſſimi ac difficillimi argumenti materiam complexus, remque omnem alte & a principio repetens, atque ad hæc uſque tempora perducens, omnia ſuperiorum ætatum, Pontificum, Canonum, Scriptorum, quæ huc pertinent, exempla, ſententias, auctoritates, teſtimonia collegiſti; quæ obſcura erant, præclaris commentationibus illuſtraſti; quæ dubitationem afferebant, luculentis acutiſque rationibus confirmaſti; quæ confuſa, & per varios libros codicesque diſperſa ſine lege vagabantur, ea ratione & diſtributione digerens, & recte diſtinguens, ſuo quæque loco ſtatuiſti, nihil omnino, quod in hanc rem eſſet, intactum, involutum, inexplanatum prætermittens: ut ſi quando graviſſima illa deliberatio inciderit, utrum aliquem, qui ex hac vita pie ſanecteque deceſſerit, omnibus ſanctimoniæ notis, & mira-

miraculis insignem, Divorum in numerum referri oporteat, non multi codices, non multi Auctores pervolutandi sint & consulendi; sed in hisce Tuis doctissimis Disceptationibus invenient posteri, quemadmodum quamlibet de hac re controversiam vel implicatissimam, & prope inexplicabilem, facili negotio expedire ac dirimere valeant. Tu quippe unus fuisti, qui omnia, quæ in hujusmodi quæstionem venire possunt, diligentissime & copiosissime pertractaveris, omnemque in partem versaveris, & plane ac funditus exhauseris: unus proinde in hac universa Hagiologica disquisitione Magister atque Auctor, sine ulla exceptione, idoneus, optimus, locupletissimus, in cujus verba sapientissimus quisque tuto atque impune juraverit; idque ab omnibus ratum habeatur necesse est, quod a Te in hisce controversiis judicatum vident, & quærentibus, quare ita sit, satis fuerit respondere; *Ipse dixit*: tantum enim, cum agitur de *Canonizatione Sanctorum*, Tibi uni & tribui & deferri æquum est, ut etiam sine luculentissimis illis Tuis rationibus & argumentis, Tua valere debeat auctoritas. Cum ergo in omni genere virtutum & rerum laudabilium, quæ in hunc altissimum statum cadere possunt, tantus sis atque talis, ut merito dubitari queat, plusne accipias a Pontificia dignitate, an eidem afferas splendoris & gloriæ; nemini mirum debet videri, si Ecclesia Salonitana, cum Te in Sede Apostolica, quem supplex adit, & loco parentis pie casteque colit, Te, inquam, Pontificem veneretur, undique perfectum expletumque omnibus suis numeris & partibus, tantopere exultet, ac gestiat offerre se Tibi, atque dicare, Tuamque se in clientelam tradere, & tanto Patrono, talique Auspice incredibiliter glorietur: nam quidquid Tuis subest Auspiciis, & Tuo inscribitur nomini, Tuæ auctoritatis præsidio a censoribus vel iniquis vel parum æquis defenditur, Tuæque amplitudinis clarissima luce perfunditur. Quod si aliæ præterea causæ afferri possunt, cur Tibi præcipue, PATER BEATISSIME, & jure quam optimo primus Illyrici sacri Tomus debeatur, illa certe vel justissima est, quod tanta sunt, & tam singularia Tua in universam Societatem nostram promerita, ut nemo nostrum sit, quin pro Tua ista egregia erga nos voluntate, aliquid gratiæ, si quo modo fieri queat, referre cupiat; quamquam nemo item sit, qui non intelligat multo plura & majora per Te nobis collata esse beneficia, quam ut iis vel minima ex parte satisfieri possit; ut, cum plus etiam contenderimus, quam possumus, semper tamen longe minus, quam debemus, nos facturos esse arbitremur. Nam ex eo tempore præsertim, quo suscepisti munus ac regimen Episcopale, nullam de nobis benemerendi occasionem, nullum erga nos parentis amantissimi officium, nihil denique prætermisisti, quin Societatem nostram, quibuscumque posses rebus, perquam studiose ornares atque defenderes. Illud certe vel maximum fuit Tuæ in nos propensæ voluntatis argumentum, quod semper e nostris hominibus delegeris, quos in partem Tibi demandatæ procurationis Ecclesiasticæ vocares, eosdemque socios & consortes glorioſi laboris, & pulcherrimarum rerum gerendarum administros adsciscerés: quam ob causam tantum Tibi debet Societas nostra, quantum homines hominibus debere vix fas esse arbitror. Nihil siquidem sive ad nostri Ordinis commendationem præclarius, sive ad nomen rationemque Instituti nostri retinendam magis necessarium ab Rectoribus Ecclesiarum præstari potest, quam si nos assiduis laboribus exerceant, nostraque opera, quantula-

cum-

cumque ſit, ad procurandam animarum ſalutem, & divinum cultum amplificandum uti velint. Huc enim totius ſumma Inſtituti noſtri, huc noſtra ſtudia, huc demum omnes conatus noſtri unice ſpectant: quidquid autem in nobis fuerit vel induſtriæ, vel potius bonæ voluntatis, id omne ceſſet ac langueat neceſſe eſt, niſi qui Eccleſiis præſunt, noſtras vires exiguas ad præclarum opus applicent admoveantque, non ſecus atque inferiores orbes ab omni motu quieſcant oportet, niſi eos altiſſimus ille omnia cingens & coercens Cœli complexus perpetuo ciere & circumagere pergat. Nec vero ſolum noſtros homines participes & adjutores conſiliorum & laborum Tuorum eſſe, eiſdemque ſempet in Eccleſiaſtica Tua ditione latiſſimum campum patere voluiſti, in quo operoſa illa & vehemens, qua flagrare debent, in Deum & proximos charitas excurrere exercerique poſſet; ſed etiam ut oſtenderes, quam Tibi probaretur Inſtitutum noſtrum, hujus conditori ac Parenti ſanctiſſimo monumentum inſigne idemque magnificentiſſimum Bononiæ, in Patria Tua, in urbe celeberrima totiuſque Æmiliæ principe, civium Tuorum Archiepiſcopus dum eſſes, proprio ære ſumptuque poſuiſti: quippe in æde Metropolitana, loco in primis conſpicuo & illuſtri, aram Sancto Ignatio Fundatori Societatis Jeſu e ſelectis & pretioſiſſimis marmoribus, opere cultuque magnifico, a fundamentis excitaſti, Tuæ erga illum religionis, erga nos benevolentiæ perenne apud poſteros argumentum futurum. Quibus quidem rebus illud effeciſti, ut non modo ad res difficiles & magnas gerendas ſtudia Noſtrorum incenderes, induſtriam acueres, conatus promoveres; ſed etiam ut e beneficentiſſimo Tuo de nobis judicio eodemque graviſſimo, Societati noſtræ ad laudem & commendationem vel plurimum accederet. Is quippe Tu es, qui ut largiſſime conferas beneficia, non prodigis tamen; cum ante quam conferas, quid & quantum cuique tribui debeat, diligenter expendas, nec prius quemquam ornes, quam probes; ut qui benignitate Tua fruitur, idem illuſtre judicii Tui teſtimonium habeat, quod ſibi apud omnes & æquos & iniquos honori ſit ac præſidio. Hactenus quæ ante initum Pontificarum Maximum large in nos effuſeque contuliſti. Nunc autem eo loci evectus, unde altius aſcendere nequis, pergis porro nihilo ſecius, quam antea, Ordinem noſtrum miro patrocinio & benevolentia complecti; neque tanta dignitate alienum putas, ex altiſſimo Pontificiæ Majeſtatis ſolio nos omnium infimos benigne reſpicere; neque Eccleſiæ adminiſtratio tam late patens, tam varie diffuſa, tot rebus graviſſimis implicita impedimento eſt, quominus in tanta curarum & negotiorum mole ad noſtram Societatem ornandam tuendamque, curæ & cogitationis Tuæ partem aliquam derives; plurimis enim maximiſque rebus ſæpe jam declaraſti, quam Tibi cordi eſſet ſalus & incolumitas exigui hujus Manipuli, Apoſtolicæ Sedi peculiari ſacramento addicti, quem Deus poſtremis hiſce temporibus ad cætera & veterana militantis Eccleſiæ robora, tamquam auxiliares quaſdam copiolas adjunxit. Ut alia multa omittam, in hanc rem teſtimonio ſunt illuſtria Diplomata, quibus voluiſti & noſtris commodis utilitatique proſpicere, & ſimul amovere, ſi quid nobis, ſtudiiſque & laboribus noſtris in ſalutem proximorum collatis obſtaret. Cum vero intelligeres, quanti nobis ſit, quam ſit præcipua noſtrarum partium cura ætatis puerilis pietate ac litteris imbuendæ, & quantum hæc momenti afferat ad vitam Chriſtiano homine dignam

Digitized by Google

gnam conformandam, ut nobis ad hanc inſtitutionem ſane pulcherrimam utiliſſimamque ſtimulos adderes, conatuſque noſtros adjuvares, juventutis in noſtram diſciplinam traditæ pios cœtus & Mariana ſodalitia plurimis & maximis Indulgentiarum muneribus cumulaſti; ampliſſimo in eam rem condito decreto, quo nihil honorificentius Societati noſtræ eſſe aut fingi poteſt. Eodem pertinet, quod multum etiam Pontificiæ largitatis contuliſti ad ornandum S. Aloyſium Gonzagam, præſtantiſſimum illud innocentiæ illibataeque caſtitatis exemplar, ejuſque cultum augendum; ut videlicet omnium adoleſcentum, eorum præcipue, qui apud nos litteris operam navant, pietatem ac religionem erga hunc ſanctiſſimum juventutis bonarum artium ſtudiis deditæ Patronum ac Præſidem vehementius inflammares, iique perpetuo ante oculos haberent, unde virtutum omnium, quæ illam ætatem maxime ornant, exempla ſumerent, & in cujus fide ac patrocinio ſe ac ſua ſtudia committerent. Sed hæc & alia plurima, quæ ſciens prudenſque prætereo, Scriptores hiſtoriarum noſtrarum monumentis ſuis commendabunt æternitati. Vel ex iis tamen, quæ breviter attigi, ſatis ſuperque intelligi poteſt, tot ac tanta eſſe Tua in nos beneficia, quæ nulla umquam vetuſtas obruere, nulla umquam oblivio delere valeat. Jure igitur meritoque, tum communis officii ratione adductus, tum meo quodam inſtinctu, & ſingulari animi mei propenſione impulſus, primos lucubrationum mearum fœtus Tibi Pontifex Optime Maxime dico ſacroque; id abs Te orans atque obſecrans, ut eadem benignitate, qua noſtros homines ſoles, hoc quantulumcumque munus accipere velis, & primam Eccleſiæ Salonitanæ partem ſub Pontificiæ Majeſtatis Tuæ præſidio tutelaque prodiiſſe patiaris, ut eadem & teſtis ſit Tuæ erga Ordinem noſtrum benevolentiæ non vulgaris, & pignus noſtræ erga Tuum nomen obſervantiæ ſempiternæ. Quod reliquum eſt, Deus ſummus & immortalis Te incolumen, ſoſpitem, beatum, Sacerdotio ac regno florentem, ad majorem ſui nominis gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ incrementum quam diutiſſime tueatur.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
PACIFICUM BIZZAM,
ARCHIEPISCOPUM SPALATENSEM
Ac Primatem Dalmatiæ, & Chrobatiæ.

Historia Illyrici Sacri jamdiu a multis expetita, cum Tibi plurimum debeat, PACIFICE BIZZA Archiepiscope, & Primas ampliſſime, tum vero ſibi maximopere gratulatur, quod nunc demum, Te videlicet ad regimen antiquiſſimæ, ac nobiliſſimæ totius Illyrici eccleſiæ paucis ante annis aſſumpto, in publicum prodire incipiat. Divino enim quodam conſilio factum fuiſſe dixerim, ut aliæ ex aliis moræ interceſſerint, quo minus pars ejus aliqua perfici divulgarique antea poſſet, quam Tibi delata eſſent gubernacula Eccleſiæ olim Salonitanæ, nunc Spalatenſis; ut ſcilicet epocham hujus hiſtoriæ in lucem edi cœptæ inſignorem facerent initia auſpicatiſſima tui Pontificatus. Quantum vero ſtudii operæque ad Hiſtoriam Illyricam apparandam ipſe contuleris, domeſticos teſtes habeo codices bene multos, tua manu deſcriptos, in quos lectiſſimam rerum Illyricarum ſupellectilem congeſſiſti, nullis neque itineribus, neque laboribus, aliiſve incommodis parcens, ut regionibus illis ſemel atque iterum obeundis, publicis privatiſque tabulariis accurate perſcrutandis, monumentis omnibus, quæ in rem noſtram eſſe viderentur, ſumma cum fide ac diligentia exſcribendis, quam plurimam poſſes materiam, & copiam nobis colligeres, adornares, inſtrueres. Quamobrem hæc hiſtoria, cum ortus ſuos & progreſſus Tibi potiſſimum acceptos ferat, nihil habuit antiquius, quam ut Te principio ac ſtatim, veluti parentem alterum, & auctorem agnoſceret, tuaque erga ſe ſingularia beneficia, tuamque operam & multam & laborioſam, ſibi ſtudioſe impenſam, aperte ac palam prædicaret. Nec vero dubitat, quin Tibi pergratum perque jucundum futurum ſit hoc qualecumque officium juſtum & debitum, cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe meritorum; idque ab tua ſingulari humanitate etiam atque etiam poſtulat, ut ſe, tamquam tuorum laborum, ac vigiliarum exoptatum fœtum in tuam fidem recipere velis; & quam dignam eſſe olim putaveras, cui partem non exiguam tuæ vitæ privatæ ſejunctæque a muneribus publicis impenderes, eamdem nunc ex illo editiſſimo faſtigio dignitatis, & auctoritatis eccleſiaſticæ, quo non hominum favor, ſed tua Te virtus evexit, perbenigne reſpicias; neque indignam exiſtimes, ad cujus decus, ac præſidium, tuam gratiam ac benevolentiam impertiaris. Cum ergo hujus hiſtoriæ partem maximam Tibi vindices, & hoc quodcumque eſt operis, tuum verius, quam meum dici, & haberi debeat, ejuſdem a me ſuſcepti atque elaborati rationem Tibi reddendam eſſe arbitror; & quid ipſe præſtiterim, quem ſecutus ſim ordinem ac methodum, quam credibilia exiſtimem quæ ſcripſi, plane ac dilucide explicabo. Patere igitur, ut quæ cæteri ſcriptores ſolent ad Lectorem in exordio ſuorum operum præfari, de his tecum præloquar, omnemque Tibi aperiam conſiliorum ac ſtudiorum meorum rationem; quam omnibus probatum iri confido, ſi tua eam approbatione ſapientiſſima & graviſſima dignam eſſe cenſueris. Sed quoniam de multis edoceri Lectores oportet, quæ Tibi non ſunt ignota, quippe quorum particeps ipſe atque adjutor fuiſti, facturum me operæ pretium exiſtimavi, ſi rem omnem a principio ordirer, & quæcumque ad cognoſcendum vel neceſſaria, vel non inutilia fore videntur, diligenter atque ordine exponerem.

Philippus Riceputus primus Auctor ſcribendæ Hiſtoriæ Sacræ Illyricæ.

P. Philippus Riceputus Presbyter noſtræ Societatis, cum Apoſtolicarum Miſſionum cauſa verſaretur in Dalmatia, primus hanc cogitationem curamque præclaram ſuſcepit Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Illyricæ conſcribendæ. Itaque quidquid temporis a concionibus, catechiſmis, cæteriſque injunctæ ſibi procurationis evangelicæ partibus obeundis, vacuum nanciſci poterat, id omne ad excutienda Dalmatiæ archiva, & quæcumque ad rem pertinere videbantur, colligenda diligentiſſime contulit. Poſt aliquot annos, quos in earum gentium ſalutem ſedulo utiliterque inſumpſit, in Italiam cum rediiſſet, rerumque

Digitized by Google

que Illyricarum copiam ac materiem haud sane contemnendam secum asportasset, statim animum appulit ad hanc Historiam concinendam, quam litteris Italicis mandare, & omnem uno alterove volumine complecti decreverat. Sed ubi suum consilium edendæ hujus Historiæ summa omnium approbatione excipi, mirificeque ab omnibus litteratis ac principibus viris laudari sensit, majus quiddam & operosius, quam quod mente atque animo conceperat, meditari, ac moliri cœpit; & quos sibi ipse suoque argumento terminos sane exiguos circumdederat, longe lateque proferendos censuit; sic prorsus, ut res Illyricas a primordio evolvere, ab ultimaque antiquitate repetere, & quidquid ex aliarum gentium historiis ad suam quoquo modo referri ac spectare videretur, accurate pervestigare, in remque suam convertere constituerit, ne quid ad perfectam totius rei Illyricæ intelligentiam desiderari posset. Multi præterea & graves auctores illi fuere, ut ad scribendam Historiam Illyricam, Latina mallet, quam Italica uti locutione; errare enim ajebant, & rem studio magis linguæ patriæ, quam veritate ipsa metiri, si qui existimant majorem Historiæ fructum ex nostratibus hisce litteris recentioribus atque Etruscis percipi, quam ex veteribus illis ac Latinis. Etenim Etrusca lingua Italiæ fere terminis circumscribitur, at Latina per omnes propemodum gentes ac nationes latissime vagatur, ut Romanus ille sermo etiam amplioribus, quam Romanum olim imperium, finibus terminetur. His sapientissimorum hominum judiciis, communique approbatione fretus, ac vehementer excitatus, aliam quamdam cogitatione informavit, multoque ampliissimam ideam ac speciem Illyricæ Historiæ, rerum omnium, temporum, & locorum genera complexam, quæ vel ad Illyricum pertinent, vel implicita sunt, & cohærent cum rebus Illyricis; eamque breviter ac perspicue descriptam, suasque in partes tributam, anno hujus sæculi vigesimo, Patavii typis Cominianis mandavit sub hoc titulo: *Prospectus Illyrici sacri*. Ut Phidiæ signum simul aspectum, & probatum est, sic Prospectus Illyrici Sacri, statim ut in lucem prodiit, summam omnium commendationem, applausumque communem sibi conciliavit. Sed in primis Clemens XI. Pont. Max., qui cum cæteris liberalibus artibus, divinisque disciplinis, quas apprime callebat, ecclesiasticæ antiquitatis singulare studium, eximiamque scientiam conjunxerat, hoc opusculum ejusque Auctorem perhumaniter excepit, & non modo ejus consilium, universamque Illyricæ Historiæ scribendæ rationem, quam in eo libello exposuerat, judicio suo gravissimo, & maximo comprobavit; sed etiam ad conficiendum grande illud, quod moliebatur, ac spissum sane opus & operosum, omnem ei suam auctoritatem, gratiam, & favorem prolixe detulit. Nec promissa factis liberaliora fuerunt. Nam primum quidem aditum illi promptum, ac liberum patefieri jussit ad Vaticanam, cæterasque illustriores urbis Bibliothecas, nullumque tempus præfinitum esse voluit, ut spatii quantum opus esset ad codices omnes inspiciundos, & monumenta omnia perscrutanda, cum facultate exscribendi quidquid in rem suam esset, suo commodo atque arbitratu haberet. Deinde illi magnopere auctor fuit, ut regressus in Dalmatiam Archiva omnia sacra, & profana, publica & privata diligentius exploraret, id quod antea, occupationibus Apostolicis distentus, cursim ac festinanter fecerat, & succisivis operis, ut ajunt, intentiusque investigaret, evolveretque omnes codices Dalmaticos; & quæ priorem investigationem subterfugerant, accurate, ac per otium sibi describeret. Neque illum viatico solum sane copioso, sed etiam litteris commendatitiis tum suis, tum quorumdam Cardinalium, ac Procerum Romanæ Curiæ ad Episcopos, & Viros primarios Dalmatiæ instructum dimisit; ut prompta illi esset facultas, & expedita, & gratiosa adeundi, & perlustrandi quælibet vel abditissima tabularia; neve ulla seu mora, seu difficultas accessum eidem retardaret, aut obstrueret.

Ejus consilium ab omnibus approbatum

maxime vero a Clemente XI.

qui favore mirifice, eximiaque liberalitate historiam Illyricam prosequitur.

Hic vero Te iterum appellem oportet, Præsul amplissime, qui omnibus tuis studiis curisque privatis posthabitis, ut publicæ utilitati, & qua incensus eras, patriæ tuæ illustrandæ cupiditati servires, nullis deterreri passus es neque laboribus, neque incommodis, quo minus Te illi Dalmaticæ hujus lustrationis comitem ac socium adjungeres. Meministi vero, quam vobis laboriosa ac difficilis, quam utilis, & fructuosa Illyrico Sacro hæc peragratio fuerit; sed nimirum Pontificiis mandatis obsequendi, reique Illyricæ augendæ studio ferventi, atque alacri nihil difficile atque arduum esse poterat. Itaque longum iter, nec paucis difficultatibus atque incommodis obseptum aggressi, non modo Dalmatiam, & Chrobatiam omnem lustrando peragrastis, sed finitimas quoque regiones Istriam, Carnioliam, & Carniam vobis obeundas esse censuistis. Ubique mirificis omnium studiis, propensis ac benevolis animis excepti estis; viam vobis, quocumque adeundum esset, æque facilem atque honorificam gratia & commendatione Pontificia muniente. Omnes vobis Bibliothecæ, omnia patuerunt tabularia privata, & publica, forulos omnes scrutandi, autographa inspiciundi, codices evolvendi, & quidquid libuit-

P. Philippus repetit Dalmatiam.

Dalmatiæ, & finitimarum regionum Archiva perlustrat.

libuisset transcribendi copia facta est ampliſſima, nulliſque limitibus circumſcripta. Nemo ſeu principum, ſeu privatorum hominum erat, quin veſtris præclaris conatibus faveret; & quidquid reconditi ſcripti aut monumenti vel in Chartophylaciis Civitatum, & Eccleſiarum, vel in domeſticis ſcriniis habebant, prompte vobis liberaliterque communicarunt. Nihil veſtræ induſtriæ ſolertique inveſtigationi impervium, nihil abditum, nihil inacceſſum fuit. Hujus Dalmaticæ expeditionis optimo ſucceſſu læti, onuſtique ſpoliis, atque opibus archivorum Dalmatiæ, in Italiam redeuntes Romam cogitabatis, cum vobis de morte Clementis XI. allatum eſt, cujus gratia, & favore ſpes propemodum tota Hiſtoriæ Illyricæ nitebatur. Is nuncius plane inopinatus vehementer (quod neceſſe fuit) perculit P. Philippum, qui talem ſibi Patronum ademptum, tantum ſuis ſtudiis decus ac præſidium ereptum maxime doluit. Haud tamen Romam repetendi conſilium abjiciendum cenſuit, ut tum Præpoſito Generali totius Societatis, tum illis poteſtiſſimum ſummis, ac principibus Viris e Cardinalium collegio, & Curia Romana, qui ſuperiori anno Hiſtoriæ Illyricæ operam ſuam, ſuumque patrocinium profeſſi fuerant, conquiſitionis Dalmaticæ, fructuſque uberrimi inde percepti rationem redderet. Anno igitur 1721. Romam rediit, cum de creando ſucceſſore Clementis XI. Comitia Pontificia haberentur; eamdemque Cardinalium, ac Præſulum omnium, quam antea expertus fuerat, erga ſe & ſua ſtudia voluntatem reperit, eumdemque Litteratorum hominum ſenſum offendit, quem diſcedens reliquerat. Nec difficilis illi fuit acceſſus ad Innocentium XIII., per eos dies Clementi ſublectum, qui hominem benigne complexus, non ſolum præclara illius conſilia, & acta mirum in modum probavit, ſed etiam ad ea impenſe adjuvanda, & promovenda, nihilo minus gratiæ, & benignitatis Pontificiæ ab ſe, quam a Deceſſore ſuo, ſperare juſſit. Fuit ſane, fuit iſta felicitas Hiſtoriæ Illyricæ, ut ab omnibus Chriſti Vicariis, quos venerabunda, & ſupplex adiit, favorem ſibi & clientelam conciliaret. Nam qui poſt Clementem, & Innocentium, eccleſiæ deinceps præfuerunt, in eorum egregia ſenſa ſuccedere viſi ſunt, quibus in ipſam humanarum divinarumque rerum poteſtatem Dei Optimi Maximi providentia ſucceſſerunt: horum ſiquidem omnium una vox & ſententia fuit, eum rei Chriſtianæ, & litterariæ plurimum lucis utilitatiſque allaturum, qui res Illyricas, cum nimia vetuſtate perobſcuras, tum nullis propemodum litteris illuſtratas, ab oblivione ac tenebris vindicaret.

Copioſaque rerum Illyricarum ſupellectili collecta,

Romam reverſitur.

Præclara de Hiſtoria Illyrici Sacri judicia Pontificum Romanorum,

Sed nihil honorificentius, nihil optabilius Hiſtoriæ Illyricæ fuit, quam probari commendarique a Benedicto XIV., qui ſingulari quodam intelligendi, & judicandi acumine præditus cum ſit, & totius antiquitatis doctrinæque eccleſiaſticæ copiis affluens, ac virtutum omnium, quæ in Pontificem optimum maximum cadere poſſunt, omni laude ac genere cumulatus, nobis unus inſtar omnium eſſe debet. Is vero non ſemel tantum, ſed iterum, ac ſæpius ſuæ erga Illyricum Sacrum egregiæ voluntatis, atque judicii ſui firmum & grave teſtimonium dedit. Nam P. Philippum Roma Venetias redeuntem diligenter commendavit Legato ſedis Apoſtolicæ apud Rempublicam Venetam, ut eidem ad Martyrologium Illyricum in illa urbe typis edendum, operam, favorem, auctoritatem impenderet, juberetque typographum omni diligentia curaque in ejus Operis editionem incumbere. Deinde poſtquam P. Philippus e vivis exceſſit, ne quid detrimenti res Illyrica ex ejus interitu caperet, Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu etiam atque etiam monere inſtitit, ut ſubſtituendos curaret viros gnavos, atque idoneos, qui præclara illius cogitata, & cœpta perſequi, & abſolvere poſſent. Verum hæc Hiſtoria quam cordi ſit curæque Sanctiſſimo huic & Sapientiſſimo Pontifici, Tu es optimus teſtis, Præſul ornatiſſime, qui Romæ cum eſſes, facilique aditu ad clementiſſimum Principem admiſſus, ſæpe cum eo ageres de negotiis rebuſque graviſſimis eccleſiæ Dalmatiæ, ſatis intelligere potuiſti, quam propenſo ille animo erga Hiſtoriam Illyricam affectus eſſet; quippe qui libenter de illa ſermones tecum conferre ſolitus erat, illamque quamprimum in publicum emitti valde ſe cupere oſtendebat. Quamobrem cum Tu Metropolitica, & Primatiali dignitate auctus, donatuſque Pallio Pontificali, Roma Spalatum profecturus eſſes, id Tibi, non in poſtremis Pontificiis mandatis, injunctum fuit, ut Patavium ex itinere digreſſus, inquireres atque inſpiceres, ecqua in ſpe, quove in ſtatu eſſet Hiſtoria Illyrici Sacri; & quidquid de hac re compertum habuiſſes, per litteras ad Pontificem referres. Nunquam mihi venit in mentem illius diei, quo die Collegium Patavinum Societatis noſtræ adire anno ſuperiori dignatus es, verbiſque amiciſſimis exponere, quanti eſſet apud tantum & talem Pontificem res Illyrica, quantoque opere noſtris ille ſtudiis faveret, quin immortaliter mihi gaudeam, Hiſtoriæque Illyricæ gratuler, quod in hanc ſummus totius Eccleſiæ Hierarcha, in tanta curarum & negotiorum mole, aliquid curæ, & cogitationis ſuæ derivare non alienum a Majeſtate Pontificia duxerit. Ac Tu quidem optime Præſul, mirifice lætus progreſſu Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Salonitanæ,

præſertim Benedicti XIV. Pont. Max.

Digitized by Google

de illa, quod Sanctiſſimo Patri reſcriberes, plane cognitum perſpectumque habuiſti; ego vero cum tuis cohortationibus, tum maxime juſſibus pontificiis vehementer incenſus, omnem mihi contentionem adhibendam putavi, ut inſtituto opere properando, mea adverſus Chriſti Vicarium obſervantia ſumma, obſequium debitum, parendique ſtudioſa, & fervida voluntas conſtaret. Sed illuc, unde paulliſper digreſſi ſumus, redeamus.

Cum itaque P. Philippus Dalmatiça peragratione perfunctus, ut diximus, Romam ſe retuliſſet, biennium in urbe tranſegit, & Pontificis Maximi gratia fretus, Mecænatum, & Amicorum benevolentia nixus, nullas fere Bibliothecas, nulla propemodum Chartophylacia prætermiſit, quæ non ſedulo luſtraret, vel cum ſemel jam luſtraſſet, non iterum ac ſæpius adiret; chirographos pene innumerabiles, alioſque reconditos libros diligenter excuſſit, & undique ſegetem ac materiam rerum antiquarum, ac monumentorum, quæ vel ad Illyricum ipſum, vel ad ejus hiſtoriam illuſtrandam pertinerent, plane ingentem ſibi comparavit. Nec vero aut omnem, aut præcipuam curam ſuam, induſtriamque in evolvendis ſcrutandiſque Mſt. codicibus conſumpſit; ſed nihilo ſegnius ad ſcriptores typis editos, veteres & juniores, nocturna, ut ajunt, diurnaque manu verſandos incubuit. Accurate ſtudioſeque pervolutavit Annales omnium gentium ſive civiles, ſive eccleſiaſticos; Martyrologia, & Acta Martyrum aliorumque Divorum; Chronica, & Menologia plurium Ordinum religioſorum; Collectiones Conciliorum, Epiſtolas Romanorum Pontificum, corpus juris Pontificii, ac Cæſarei, Bibliothecam Byzantinam, itemque Bibliothecam Sanctorum Patrum: his adde Hiſtoricos Græcos, Latinoſque, Geographos, Chronologos, Genealogos, qui vel ante, vel poſt Chriſtum floruerunt; ac nullum denique ſcriptorum genus eſt, unde aliquid in rem ſuam decerpere poſſet, quod non perveſtigaverit, ac perlegerit. Tenebatur enim inſatiabili quadam cupiditate omnia rimandi, & viſendi, quæ ſibi ad ſuam hiſtoriam componendam uſui fore viderentur; & ſi quid manuſcripti aut impreſſi operis extare inaudiiſſet, ex quo res Illyrica aliquid lucis, & incrementi capere poſſe ſuſpicaretur, ut ejus inſpiciundi exſcribendique copia ſibi fieret, omni ope atque opera enitebatur; neque ulla opuſcula, ulloſve ſcriptores, quamvis exiguæ molis, ignotique nominis negligendos putabat, modo ſpes aliqua eſſet fore, ut indidem ad ſuam librariam ſupellectilem acceſſio aliqua fieret. Ut paucis omnia complectar, non antea, quam vivere deſiit, ab inveſtigandis, & perſcrutandis Bibliothecarum, & Archivorum loculis, a pervolutandis & expilandis cujuſque generis ſcriptoribus, ab rebus opibuſque litterariis undique conquirendis, & colligendis mentem ac manum abduxit. Neque enim inſtitutæ conquiſitionis curam atque induſtriam vel Romanæ urbis, vel Dalmatiæ, & regionum adjacentium finibus circumſcripſit, ſed per omnes propemodum Italiæ civitates circumtulit, atque adeo trans alpes extendit. Quater Romam adiit; atque itus redituſque hujuſmodi fuit, ut quaſcumque urbes ex tranſitu obiret, in iis tamdiu ſubſiſteret, quoad exploratis, delibatiſque ſeu publicis, ſeu privatis tabulariis, & bibliothecis, nihil ſibi videretur intactum reliquiſſe, unde res Illyrica illuſtrari, & augeri potuiſſet. Romæ cum eſſet, Neapolim uſque ſe contulit, ex eaque urbe, optimorum codicum refertiſſima, haud pauca collegit ſepoſuitque ad uſum Hiſtoriæ Illyricæ.

Solertia, & ſedulitas P. Philippi in cogenda materia adornandaque hiſtoria Illyrica.

Roma Patavium ſe contulit.

Poſt biennium Romanæ commorationis, cum cœlum Romanum ejus valetudini incommodum eſſe cœpiſſet, Patavium regredi coactus eſt: qua in urbe omnium diſciplinarum & virorum doctiſſimorum domicilio, cum ſedem ſuorum ſtudiorum collocaſſet, non modo Patavinas locupletiſſimas bibliothecas quam ſæpiſſime adire, & bonam diei partem in optimis ſcriptoribus compilandis inſumere; ſed etiam Venetias identidem excurrere conſuevit, atque adeo longius progredi in civitates, ac regiones finitimas, & quæ jam plus vice ſimplici luſtraverat, Chartophylacia, ac librorum conclavia repetere, pluteos omnes diligentius rimari, multa hinc atque illinc corrogare, ac per ſe vel per amanuenſes tranſcribere; neque unquam domum redibat, quin plurima doctrinæ & eruditionis ſpolia referret, quæ probatis ex autographis, & ſcriptoribus detraxerat. Ita enim ſtatuerat, nihil propemodum eſſe in omni litterarum genere, vel calamo, vel typis editum, quod liceret hiſtorico ignorari, & Hiſtoriæ Illyricæ ſeu ſacræ, ſeu profanæ utilitatem aliquam non afferret. E tranſalpinis porro regionibus, aliiſque Italiæ civitatibus, quas obire, & peragrare non potuit, vicaria epiſtolarum opera uſus, ab amicis ſibi tranſmittenda curavit vetera monumentorum exempla, eaque omnia, quæ in rem ſuam facere putarentur. Ita factum eſt, ut non ſolum Italia propemodum univerſa, ſed etiam Germania, Hungaria, & Gallia aliquid de ſuis opibus litterariis ad Collectionem Illyricam contribuerint. Quid plura? Eo crevit rerum undique congeſtarum, & codicum deſcriptorum ſeges, & copia, ut inde extiterit Bibliotheca Illyrica, e manuſcriptis voluminibus amplius tercentis conflata. Rerum autem materia ſuccreſcente; cum mens

Aucto-

Digitized by Google

Auctoris notionibus totius propemodum antiquitatis imbuta, & multiplicium idearum fecunda, primos quasi fœtus indignata, novos subinde alios ex aliis conceptus ederet, latiusque in dies explicaret; Historia Illyrica magis magisque dilatari cœpit, ac demum prope in immensum excrescens, jus suum per omnes ætates, per omnes fere gentes, ac regiones, præsertim Europeas, longe lateque porrexit.

Nam primum quidem Pater Philippus, pro exquisita illa, quam sibi comparaverat, scientia veteris recentioriſque historiæ omnium temporum ac gentium, perspicue viderat magnam, præsertim in re geographica, connexionem, & affinitatem intercedere sæculis anterioribus cum his, quæ post Christum natum evoluta sunt; res vero sacras, & ecclesiasticas cum civilibus & profanis ita colligatas, & implicitas esse, ut sine harum cognitione perfectam illarum intelligentiam nemo assequi valeat, & neutræ seorsum ab alteris dilucide explicari, ac penitus cognosci queant. Præterea animo, & cogitatione complexus omne antiquum Illyricum, cujus nomine ac finibus pars Europæ satis magna olim continebatur, illud etiam clare perspexit aliquid loci in historia Illyrica non solum finitimis, sed etiam longinquis regionibus tribui oportere, tum ob gentium migrationes ultro citroque factas, tum alias ob causas, & maxime propter nam sive nominum topographicorum, sive morum & linguæ, sive legum atque institutorum, sive omnium denique sacrarum & civilium rerum communionem, quæ Illyrico cum regionibus illis fere perpetua fuit. Decrevit ergo cum ecclesiastica civilem quoque Historiam Illyrici conjungere, quatuor ipsis tomis sic distinctam, ut duobus quidem prioribus, inde usque a Noeticis temporibus initio ducto, quidquid ante Christum natum, alteris vero duobus, quidquid a Virginis partu ad hæc usque tempora pertinet ad rem Illyricam, Chronologicam, Geographicam, Genealogicam, Militarem, Politicam, breviter atque ordine comprehenderetur, una cum rebus exterarum gentium, quibus rei cujuscumque commercium aliquod cum Illyrico fuerit. Hos Isagogicos vocavit, quod veluti viam munirent, quasique manu ducerent ad plenam absolutamque intelligentiam Historiæ sacræ Illyricæ. Quatuor hisce Tomis duos alios itidem Isagogicos præponendos censuit, videlicet Martyrologium Illyricum, & libros quinque in Acta S. Petri Urseoli Ducis Venetiarum, ac deinde Monachi Benedictini Cuxanensis, quibus veterem, & oblitteratam Chorographiam Dalmaticam restituere atque illustrare constituerat. Historiæ vero Ecclesiasticæ duodecim ipsos tomos destinabat, quos quadripartito sic divisit, ut quatuor priores exhiberent Acta Sanctorum totius Illyrici, quorum nomina brevi elogio ornata in Martyrologio Illyrico descripserat: hos vero exciperent quinque alii, quibus Ecclesiarum, & Pontificum omnium Illyricorum historiæ continerentur. His duos adjecit de Conciliis, Legationibus, Litterisque Apostolicis; itemque postremum de Cœnobiis Illyricis utriusque sexus, quod Monasticum appellavit. Adumbrationem quamdam, ac specimen totius operis hoc loco subjiciendum lectorum oculis censeo, descriptum e secundo Prospectu Illyrici sacri, quem Romæ eruditorum hominum censuræ ac judicio suppositit anno fere altero & vigesimo, postquam primum Prospectum ejusdem Illyrici Sacri typis Cominianis impressum Patavii in lucem ediderat.

Illyrici Sacri specimen Isagogicum. Tomus primus. Martyrologium Illyricum cum Prolegomenis, & Appendicibus præviam totius majoris Operis Epitomen continentibus.

Illyrici Sacri Tomus secundus Isagogicus. Oblitterata Illyricarum Dalmatiarum Chorographia restituta, & illustrata libris quinque in Acta S. Petri Urseoli Regis Dalmatiarum, postea Ducis Venetiarum, postremo Monachi Cuxanensis. Collimant omnia ad Illyrici Martyrologii elucidationem, & Operis majoris præparationem.

Illyrici Sacri Tomus tertius Isagogicus ad Illyrici Martyrologii elucidationem, & majoris Operis præparationem. Illyrici Secularis ante Christum natum Historia, Pars prima. De Aboriginibus Illyricis, & circumillyricis Hyperboreis.

Illyrici Sacri Tomus quartus Isagogicus ad Illyrici Martyrologii elucidationem, & majoris Operis præparationem. Illyrici secularis ante Christum natum Historia. Pars secunda. De Aboriginibus Illyricis, & Circumillyricis Meridionalibus, nec non de Pelasgis, Liburnis, Siculis, & Celtis, qui Aboriginum Themata, & imperium everterunt.

Illyrici Sacri Tomus quintus Isagogicus ad Illyrici Martyrologii elucidationem, & majoris Operis præparationem. Illyrici secularis post Christum natum Historia. Pars prima. De Romanis, Græcis, Sarmatis, & Dacis, qui alii post alios Christiani Illyrici partes obtinuerunt, & plura sæcula cum imperio incoluerunt.

Illyrici Sacri Tomus sextus Isagogicus ad Illyrici Martyrologii elucidationem, & majoris Operis præparationem. Illyrici secularis post Christum natum Historia. Pars secunda. De Ve-

 netis,

netis, Hungaris, Nemaniis, Ottbomanis & Alemannis, qui alii poſt alios Chriſtiani Illyrici partes obtinuerunt, & per plura ſecula cum imperio incoluerunt.

Illyrici Sacri Tomus ſeptimus. Sanctuarium, continens Auctaria, & Commentaria in Martyrologium Illyricum. Pars prima. Sancti Dalmatiæ infra mare primæ, ac tertiæ, quæ ſunt Provinciæ Spalatenſis, & Ragußenſis, alias Salonitanæ, & Epitauritanæ.

Illyrici Sacri Tomus octavus. Sanctuarium, continens Auctaria, & Commentaria in Martyrologium Illyricum. Pars ſecunda. Sancti Dalmatiæ infra mare quartæ, ideſt Provinciæ Jadrenſis, item aliarum partium Illyricarum, & Patriarchatus Aquilejenſis, alias Dalmatiæ ſupra mare.

Illyrici Sacri Tomus nonus. Sanctuarium, continens Auctaria, & Commentaria in Martyrologium Illyricum. Pars tertia. Sancti Dalmatiæ infra mare ſecundæ, alias Provinciæ Dioeletanæ, aliarumque Illyrici Mæſiaci Provinciarum, adjectis nonnullis Sanctis ex Thracia, & Macedonia.

Illyrici Sacri Tomus decimus. Sanctuarium, continens Auctaria, & Commentaria in Martyrologium Illyricum. Pars quarta. Sancti Exarchatus Pannonici, ſeu Sirmienſis, & Exarchatus Dacici, ſeu Zarmizegetbuſienſis, qui nunc in Hungarico comprehenduntur.

Illyrici Sacri Tomus XI. *Hierarchia deſcribens eccleſiarum Illyrici Univerſalis ſyſtema primitivum, ac perpetuas variationes ab ætate Apoſtolica, uſque ad hodiernam.*

Illyrici Sacri Tomus XII. *Pontificale complectens Elogia, & memorias ſingulares Pontificum Illyricorum. Pars prima. Pontifices Exarchatus Spalatenſis, alias Salonitani, ſeu Dalmatiæ infra mare.*

Illyrici Sacri Tomus XIII. *Pontificale complectens memorias, & Elogia ſingulorum Pontificum Illyricorum. Pars ſecunda. Pontifices Exarchatus Aquilejenſis, alias Dalmatiæ ſupra mare.*

Illyrici Sacri Tomus XIV. *Pontificale complectens memorias & Elogia ſingulorum Pontificum Illyricorum. Pars tertia. Pontifices Dalmatiæ ſecundæ infra mare, ac reliquarum Provinciarum Illyrici Mæſiaci, item Exarchatus Pechienſis.*

Illyrici Sacri Tomus XV. *Pontificale complectens memorias, & Elogia ſingulorum Pontificum Illyricorum. Pars quarta. Pontifices Exarchatus Pannonici, & Dacici, ſeu Sirmienſis, & Zarmizegetbuſienſis, qui nunc ſub Hungarico comprehenduntur.*

Illyrici Sacri Tomus XVI. *Synodicum complectens Acta Conciliorum omnigenorum Illyrici Univerſalis. Pars prima. Concilia, Legationes, & Litteræ Apoſtolicæ uſque ad annum milleſimum.*

Illyrici Sacri Tomus XVII. *Synodicum complectens Acta Conciliorum omnigenorum Illyrici Univerſalis. Pars ſecunda. Concilia, Legationes, & Litteræ Apoſtolicæ ab anno milleſimo.*

Illyrici Sacri Tomus XVIII. *& ultimus. Monaſticum complectens memorias Cœnobiorum, & Cœnobitarum Illyricarum ætatum, & Provinciarum omnium.*

Idea nova Hiſtoriæ Illyricæ.

Hanc quaſi novam ideam Hiſtoriæ Illyricæ propemodum immenſam, atque infinitam animo ſibi effinxerat P. Philippus, eamque intexuit Proſpectui ſecundo Illyrici ſacri, qui priorem varietate rerum tractandarum, & copiâ longe multumque ſuperat, quemque una cum Martyrologio Illyrico typis ſubjicere conſtituerat: omnino is unus erat, qui concipere poſſet, cogitatione informare, animo complecti tantæ molis hiſtoriam; reque ipſa efficere potuiſſet, ſi præclaris ejus cogitatis, cœptiſque ingentibus vita reſpondiſſet. Erat illi acre ingenium ac fervidum, ſubtili præditum acumine ad excogitandum, incredibili ad inveſtigandum ſagacitate, ſingulari ſolertia ad evolvendas rerum ac verborum origines, & componenda ea, quæ inter ſe longe diſjuncta, & aliquo modo contraria viderentur, mira denique fœcunditate ad multiplices ſuſcepti operis ideas, alias ex aliis progignendas; erat illi memoria rerum fere omnium, quas legendo, & audiendo perceperat, apprime tenax; & quamvis multa, quæ commentatione, & meditatione conceperat, ſcriptis conſignaret, multo tamen plura animo altius infixa retinebat, quam ut ſuperingeſtis aliarum ſuper alias rerum notionibus aboleri poſſent; erat vero illi ſcientia tanta hiſtoriæ omnigeneris veteris, recentiſque, quantam eum aſſecutum eſſe oportuit, qui multas urbes regioneſque inveſtigando, percunctando, addiſcendo luſtravit, ac nullum propemodum genus ſcriptorum prætermiſit, quin ſæpenumero evolverit, ac perlegerit. Valetudine erat, ut in exiguo, & exili corpore, ſatis firma & vegeta, cui quamvis non parceret, nihil tamen incommodi vel detrimenti aſſidua lectio, meditatio, & ſcriptio, afferre videbatur. Incredibile autem dictu eſt, quantam & conſtantiam, & ſedulitatem maximarum rerum effectrices magno incepto adhibuerit, cui totum ſe uſque adeo tradiderat, ut præter id temporis, quod vel religioſæ vitæ officia, vel opera ſaluti proximorum impenſa, vel corpuſculi curandi neceſſitas requirebant, omne reliquum tempus ad legendum, aut ſcribendum conferret. Ex quo enim ad hanc

P. Philippi ingenium ſingulare.

Memoria tenax.

Doctrina multiplex & varia.

Valetudo firma.

Sedulitas aſſidua.

Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoriam conficiendam animum appulerat, nihil aliud cogitare, aut moliri, nec diurnas ſolum, ſed etiam horas nocturnas ſomno ereptas hiſce ſtudiis tribuere, nullam ſibi ab illis vacationem indulgere, nec partem ullam capere quietis ſolebat; omnique otio ſibi & oblectatione ſive ad reficiendas corporis vires, ſive ad relaxandam mentis contentionem, ſic prorſus interdixerat, ut nihil umquam de ſua litteraria exercitatione remitteret.

Quamvis autem egregiis a natura præſidiis adjumentiſque inſtructus eſſet, hiſque aſſiduam ipſe operam & ſedulitatem omnem induſtriamque adjunxerit, nonnulla tamen obſtabant, quo minus præclare cœpta ad exitum optatum perduceret, ejuſque conatibus reſponderet eventus. Nam primum quidem incredibilis magnitudo atque difficultas concepti operis vaſte per omnes ætates, ac regiones propemodum immenſas diffuſi, & ingens illa, ac diſſipata rerum omnigenarum copia, quam ſibi congeſſerat, ac digeri redigique in ordinem, & ſuis locis apte diſtribui oportebat, plurium & annorum laborem, & adjutorum operam poſtulabat. Tantum vero aberat, ut vel immenſitas operis, vel congeries & coacervatio rerum prope infinitarum hominem deterreret, ut potius fines Illyricæ Hiſtoriæ, cum latius fuiſſet contrahere, latius quotidie explicaret: & cum ab rerum inquiſitione ceſſandum aliquando eſſet, & inventis jam collectiſque utendum, nullum ille inquirendi, uberioriſque materiæ comparandæ finem faciebat. Hoc quippe eſt virorum magno animo ingenioque præſtantium, ut immenſa quædam, & inſatiabilis, quæ natura illis ineſt, inveſtigandi ſciendique cupiditas expleri nequeat, ut nihil tam difficile ſit atque arduum, quod ab ſe præſtari poſſe non confidant; & ingentia illa, quæ ſuſcipiunt, opera non imbecillitate virium humanarum, vitæque hujus brevitate, ſed animi ſui magnitudine, ingeniique excellentia metiuntur; id quod licet intueri, cum in aliis ſummis viris, tum potiſſimum in Heriberto Roſweydo, qui multo plura mente atque animo conceperat, typiſque committere conſtituerat, quam ut homo unus, quamvis maxime induſtrius, ac laborioſus, ingenioque præditus, & doctrina eximia, cuique ad extremam ſenectutem vita ſuppeteret, perficere valeret. Hiſtoriam de vitis Sanctorum omnis ætatis, ſexus, nationis litteris mandare decreverat. Summa hujus hiſtoriæ in ſuas partes diſtributæ, ipſiuſmet Roſweydi verbis expreſſa, extat apud Joannem Bollandum, quam huic loco libet attexere, ut ex ingenio atque opere Roſweydano ſpecimen capias ingenii operiſque Riceputiani; ita enim inter ſe ſunt ſimilia in argumento non valde diſſimili, ut qui alterutrum probe norit, utrumque noverit.

Quæ impedimento fuerunt ad conficiendam Illyricam Hiſtoriam. 1. rei magnitudo, ac difficultas.

Magnorum virorum eſt magna meditari, ac moliri.

Hiſtoriæ totius adumbratio eccliſta. Tomi 16. de vitis Sanctorum. 1. de vita Chriſti & Feſtis ejus, 2. de vita B. Mariæ, & Feſtis ejus. 3. de Sanctorum Feſtis diebus publice ſolemnibus, 4. caterique ad 15. de Sanctis menſe Januario, Februario &c. 16. Martyrologia variorum, Tomi 2. Illuſtrationum in vitas Sanctorum, quorum primus eſt Annotationum, qui conſtat ex octo libris. 1. de Auctoribus vitarum Sanctorum. 2. de tormentis SS. 3. de Imaginibus SS. 4. de Ritibus Eccleſiæ, quorum hic mentio eſt. 5. de Ritibus profanis, quorum hic mentio. 6. de tempore ſeu Chronologia. 7. de Locis ſeu Chorographia. 8. de Verbis obſcuris ordine alphabetico. Et ſi quæ alia explicatu digna occurrent, vel explicanda monebit Lector. Secundus eſt indicum. 1. Index nominum Sanctorum ordine alphabetico. 2. Index & Tabulæ omnium Sanctorum cum annotatione patriæ, ſtatus, laureolæ, temporis, loci, Auctoris vitæ. 3. Index per ſtatus Sanctorum, ut Religioſus, Virgo, Vidua, conjux &c. 4. Index per Officia SS., Apoſtolus, Epiſcopus &c. 5. Index topologicus, ſeu Index SS. per provincias Italiæ, Franciæ &c. 6. Index locorum, ubi coluntur Sancti tamquam Patroni. 7. Index nominum SS, pro curationibus certorum morborum. 8. Index eorum Sanctorum, qui Patroni certorum opificiorum. 9. Index nominum propriorum hominum, locorum, urbium. 10. Index Sacræ Scripturæ, quæ in vitis explicatur. 11. Index controverſiarum. 12. Index catechiſticus. 13. Index rerum & verborum ordine alphabetico. Et ſi quæ alia notatu digna ſe offerent, vel notanda ſuggeres Lector. Modus tractandi hic iſte. 1. conquirere undique vitas ab aliis editas, ut Aloyſio, Surio &c. 2. eaſdem vitas cum Mſſ. & veteribus libris conferre cauſa duplici: prima quod ſæpe primus & germanus ſtylus, quia rudis, in politiorem ab editoribus mutatus ..... 3. Vitas nondum editas undequaque conquirere, & aliis ita, ut dixi, recognitis interſerere. 4. Vitas omnes tam editas, quam ineditas illuſtrare, obſcura explicare, pugnantia conciliare, & alia præſtare, quæ duobus libris præcedentibus illuſtrationum promittuntur. Hæc ille ſcripto edidit anno 1607.

In præfat. Gen. in vit. SS. cap. 1. §. VI.

Hactenus Roſweydus. *Hæc ut legit Cardinalis Bellarminus* (inquit Bollandus) *quæſivit qua ætate is eſſet, qui iſta promitteret. Ubi didicit jam annos fere 40. habere, ſciſcitatus eſt, an ei eſſet exploratum ſe ad 200. annos eſſe victurum. Neque enim, inquit, minori ſpatio temporis, ab homine uno res tanta perfici pro dignitate poteſt. Ut erat tamen magno animo*

Roſwey-

Digitized by Google

Roſweydus, etſi tantum aberat ab abſolutione operis, ut fundamenta, quæ cogitarat, vix omnino poſuiſſe videretur, dixit tamen non diu antequam de vita decederet, jam 60. natus annos, poſſe ſe ſingulis menſibus menſem, ſive tomum unum recenſere ac vulgare. Pollicebatur autem ſe, ipſo menſe Octobri, quo ineunte deceſſit, opus illud aggreſſurum.

Sed quod mirari ſatis non queo, ipſemet Joannes Bollandus haud ſatis ſibi cavit ab eadem reprehenſione, & cenſura, quam Roſweydum apud Bellarminum ſubjiſſe ſcripſit. Quamvis enim alieno edoctus exemplo, & ſibi, & vitæ ſuæ, ſuiſque conatibus diffidere profiteatur, nihilo tamen pauciora, quam Roſweydus, immo plura etiam de ſe ipſo pollicetur. Nam primum ne dubitare quidem viſus eſt, quin magnum illud atque immenſum opus de Actis Sanctorum, ad quod conficiendum Roſweydo fuerat ſuffectus, a ſe perfici atque abſolvi poſſet. Hoc autem perfecto alia atque alia ſuſcipere ac moliri decreverat, quorum Catalogum ipſemet confecit, & Præfationi Generali in Vitas Sanctorum, Januario menſi præfixa, cap. 2. §. 6. inſeruit anno 1643., cum menſem Januarium evulgavit. Sed ipſum audire præſtat ea, quæ cogitaverat, animoque agitabat, Lectoribus promentem.

Ita ego affectus animo, gnarus vitam brevem eſſe, & incertam, cogito, ſi Deus annuerit, hoc perfecto de vitis Sanctorum Opere, vitas omnes, quas Græce ſcriptas reperero, edere Græco-latine, partim a me verſas, quæ nec dum latine extant, partim ab aliis ſumptas, qui jam antea apte verterint, partim recognitas, quas nunc belleniſmo fœdatas merito querimur viri quidam eruditi. Hoc conſilium meum ſupra expoſui, cum de Metaphraſte agerem. Meditor deinde volumine uno Chronologiam Sanctorum omnem complecti, ut, quoad licebit certas conſequi notas, quæ ab orbe condito ad hanc uſque ætatem geſta ſunt a Sanctis, quam fieri poteſt accuratiſſime, ſuis omnia temporibus conſignem. Altero vero volumine Topographiam Sanctorum deſcribam, locaque omnia, quæ ii adiiſſe memorantur, recenſebo & exponam. Tertium volumen Onomaſticon erit, continebitque vocum, & phraſeon, quæ toto hoc opere occurrerint ſolutæ, barbaræ, peregrinæ, obſcuræ, explanationem. Dein aliquot voluminibus variorum Martyrologia, præſertim vetera, e Mſſ. codicum fide repræſentabo, & fortaſſe notis illuſtrabo. Belgicum quoque luculentius, quam ſit hactenus ullum editum. Tomo uno alterove morales præceptiones, & exempla colligam, niſi quod malim, in hoc me alius ſua induſtria, & diligentia ſublevet. Fortaſſis de ſcriptoribus a me lectis, aut hoc opere citatis, commentarium conficiam. Epiſcopatuum item orbis totius, Epiſcoporumque accuratum texere Indicem licebit, ac Monaſteriorum, vel quorum in hoc opere mentio ſit, vel de quibus alit ſparſim ſcripſerunt Auctores. Cogitavi eorum etiam res geſtas conſcribere, qui ab anno M. D., vel certe ex quo Europam involvere fœdiſſimarum hæreſum turbines, Lutbero auctore, cœperunt, pro Catholicæ Religionis defenſione ab hæreticis, aliiſque fidei orthodoxæ hoſtibus ſunt trucidati, etſi nondum ſint Eccleſiæ judicio vindicati. Denique ſanctitate illuſtrium hominum colligere vitas ſtatui, quorum nec dum ab Eccleſia conſecrata eſt populorum veneration memoria. Hiſce abſolutis, ecquid erit reliquum temporis, quod ab æternitatis conficiendis negotiis demi queat? ſi quid erit, aſcetica doctrina, ut a Sanctis tradita hoc in opere, vel reipſa exercita excultaque, oblectabo animum meum ſeneſcens: & ut aliis vel ſic proſim, omnia ad certa capita, & præcepta revocabo.

Joannes Bollandus cum hæc ſcriberet, emiſitque in publicum, ætatis annum agebat fere ſeptimum & quadrageſimum. An non vero in illum optime quadrabat, quod antea de Roſweydo ſciſcitatus fuerat Bellarminus, num ei eſſet exploratum ſe ad 200. annos eſſe victurum? Nihilo enim brevius temporis ſpatium, immo longe prolixius requirebant quæ Bollandus, quam quæ Roſweydus, moliebatur, ut perfici pro dignitate poſſent. Et vero eventus docuit, quam ſuæ illum ſpes, & ampliſſima cogitata fefellerint; nam poſt Januarium, & Februarium abſolutos, Martio menſi vix manum admoverat, cum mors omnem conſiliorum ejus rationem evertit, egregioſque conatus abrupit. Tantum igitur aberat a perfectione omnium illorum, quæ mente, ac voluntate deſignaverat, ut ingentis illius operis de Actis Sanctorum, quod primarium erat ac præcipuum, totumque ab ſe confici poſſe ſine ulla dubitatione ſperabat, duos quidem priores menſes abſolverit, tertii autem menſis vix fundamenta jecerit: ac ſi ultra centeſimum annum ad hanc uſque diem ei licuiſſet vitam perducere, adhuc ab hujus ejuſdem operis abſolutione longiſſime abeſſet. Adeo verum eſt, nihil eſſe tam magnum ac laborioſum, tam arduum ac difficile, quod ſummi Viri magno animo, excelſoque ingenio præditi, aut ſuſcipere vereantur, aut ab ſe fieri poſſe diffidant.

Hiſtoria Illyrica cum Opere Roſweydano & Bollandiano de Actis SS. confertur.

Jam vero ſi quæ Roſweydus, & Bollandus de vitis Sanctorum, & Philippus Riceputus de rebus Illyricis ſe ſcripturos atque edituros pollicebantur, ea inter ſe conferri libeat, haud facile ſtatues, hiccine, an illi plura & majora ſuſceperint, profeſſique fuerint: immenſam utrobique ſylvam rerum digerendarum videas; opus utrumque magnum

omnino

Digitized by Google

omnino atque arduum, cui perficiendo vix esset multorum hominum, & multarum ætatum labor assiduus, solersque industria nusquam alio distracta, nullisque aliis implicita studiis, aut occupationibus distenta. Quare si quid peccavit P. Philippus, propterea quod confisus animi sui magni elatique alacritate, majus quiddam susceperit, quam quantum vires humanæ sustinere, vitæque mortalis brevitas præstare valeat; quidquid peccati hoc est, commune illi fuit cum summis, & excellentibus viris; ac certe id genus peccati est, quod æquis ac prudentibus rerum hujuscemodi æstimatoribus, laudabile etiam, non modo excusatione dignum videri possit: nam laus illi tribuenda, quod tam multa, & præclara conatus fuerit; venia danda, quod ob summam rei magnitudinem, ac difficultatem, perficere nequiverit. Cæterum si eos intra terminos, quibus historiam Illyricam circumscripserat, cum priorem Prospectum Illyrici Sacri evulgavit, se suaque studia coercere voluisset, modumque aliquem suis inquisitionibus definiens, ad copiam illam rerum, ac monumentorum uberem sane ac multiplicem, quam sibi jam comparaverat, digerendam, explicandam, illustrandam totum se contulisset, nullus dubito, quin meditatum opus conficere, aut certe aliquam ejus partem absolvere potuisset. Sed dum ille inquirendi nullum finem facit, dum rebus undecumque colligendis & aliis super alias coacervandis Historiam Illyricam dilatare quotidie pergit, illud necessario accidit, quod ne eveniret, timebant plerique, ut morte præreptus nihil perfectum absolutumque reliquerit.

Altera causa, quæ moram intulit, & impedimentum Historiæ Illyricæ, hæc fuit, quod Auctor illius, cum eam quatuor in partes, ac Tomos duodeviginti distribuisset, ita secum ipse statuerat nullam ejus partem, sive Tomum confici & absolvi antea posse, quam reliquarum partium, sive Tomorum materia parata esset ac digesta; & res propemodum singulæ, suis quæque momentis perpensæ, & aliæ cum aliis collatæ, diligens examen, & acre judicium subjissent. Tanta enim est, ut ille ajebat, series rerum omnium sive ad historiam, sive ad Geographiam, sive ad Chronologiam spectantium, & sic inter se sunt pleraque connexa & apta, ut de prioribus nihil statui queat, quin eodem tempore posteriora bene cognita sint, suisque ponderibus examinata, sic prorsus, ut hæc illis esse consentanea, & omnia inter se congruere videantur; negabat enim alia separatim ab aliis recte percipi ac stabiliri posse; alioquin futurum, ut quæ prius scripta atque edita fuissent, eadem identidem aut retractari, aut corrigi oporteret; nam sæpe numero accidere, ut alia aliis, & posteriora prioribus lucem majorem afferant, cogantque accuratius, quæ calamo jam exciderant, exponi ac dilucidius explicari, vel etiam rejici omnino, ac reprobari. Quapropter necesse omnino esse, antequam singula promas, ac de singulis sententiam feras, omnia sub uno quasi aspectu ponere, sedulo expendere, conferre inter se, ac diligenter providere, quid cuique vel consentiat, vel repugnet. Has ille aliasque hujusmodi reddebat instituti sui consiliique rationes, quas in quodam Codice manuscripto, quod inscripsit *Excerpta e secundo Prospectu Illyrici Sacri*, ad hunc modum exposuit: *sunt enim res nostræ propter propinquitatem, & cognationem fere perpetuam, ita simul implicitæ, & colligatæ, ut vix aliquot ex iis, licet incredibilis sit multitudo, ac varietas, nanciscaris valeas, quæ sine prævia, & sæpius repetita reliquarum contemplatione intelligi quoquo modo possint, nedum intime, ut instituti nostri ratio postulat, perspici, planeque explicari .... Multa quidem tentavimus, ut eam tum privato nostro judicio, tum publicæ fidei tutiora redderemus, & certiora; sed irrito semper conatu, donec tandem post longa experimenta didicerimus necesse esse, ut a sententiis ferendis, & evulgandis religiose abstineremus, donec universæ historiæ nostræ corpus ad normam aliarum perfectiorum, & probatiorum historiarum elaboratum omnino confeciissemus, ac probe percepissemus amplissima mentis exercitatione monumentorum omnium, & rerum quarumcumque eidem historiæ inserendarum arcana sublimia, profunda, inamodabilia quæcumque.*

Altera causa, quæ impedimento fuit Historiæ Illyricæ.

Ut hæc omnia scite, accurateque a nobis peracta essent, haud dubie præsensimus tum tandem posse a nobis tuta lance dijudicari inter falsas, & veras, spurias & genuinas tabulas, expendendo nimirum solerter atque perspicue, utrum bene an male hujusmodi corpori solido probatoque apparentur, & decernendo quæ probari vel improbari, quæ corrigi, vel ad examen revocari oporteret. Præterea si homines nimium faciles, aut rerum nostrarum ignari suis nos opportunis, & importunis excitamentis in illorum morem adduxissent, qui primitivos ingenii fœtus nulla habita posterorum ratione, simul ac eos quomodocumque coaluisse sentiunt, alacriter erectique in lucem emittunt, in illam nos quoque aliquando deveniissemus molestissimam tum scribentibus, tum legentibus necessitatem plura hic atque illic demendi, supplendi, immutandi; & quod deterius est, ansam iis præbuissemus, qui fortasse postremis hujus Operis voluminibus superarunt, graviter conquerendi, quod sæpius accidere solet, prima volumina nimia fuisse, secunda vero jejuna; suprema denique prope inania. Ubi vero omnia & singula bene provisa,

recte

recte disposita, & apte diligenterque præparata essent, nullo negotio opus universum, ejusque partes confici posse existimabat, *ea facilitate* (ajebat ille) *ac celeritate, qua mirari solemus in navalibus promptuariis, tum cum fabri lignarii, ferrariique indiculo quodam duce, ex variis loculis transtra, rostra, malorum antennas, vela, aliaque ejus rationis fexcenta depromunt, & navigium dicto citius ex iisdem conficiunt, illud omnino, quod ex pluribus jam pridem ibi paratis, magister operum magis eligat atque indigitet.*

Vereor equidem, ut hoc, quod sibi faciendum ante censebat, quam ullam historiæ Illyricæ partem ederet, perinde facile factu futurum fuisset, atque ille cogitabat; fac enim omnia, & propemodum singula, quæ ad rem Illyricam pertinent sive historicam, sive Chronologicam, sive geographicam, quanta maxima potuerit diligentia curaque examinasset, & alia cum aliis conferendo apte composuisset, vix aut ne vix quidem fieri poterat, quin post primos Tomos in lucem emissos multa deinceps occurrerent, quæ pleniorem notitiam affecutus, & quos antea non viderat, codices tabulasque adeptus, partim scripta nollet, partim clarius, & uberius exposita vellet, quæ quidem in posterioribus Tomis aut emendari, aut copiosius illustrari debuissent. Infinita propemodum mentis perspicacia præditum esse oporteat, qui in tanta rerum sylva copiaque, & multis tenebris circumfusa, ita providere omnia, & præcavere valeat, ut nihil offendat, nusquam incurrat, nihil sibi vel invito excidat, quod postea retractari, atque ad incudem revocari debeat: nimirum adversus errata, aut minus recte scripta nunquam satis cauta est mortalitas, & ut quodque in quoque genere minime mendosum est, ita pro conditione humani ingenii numquam satis acuti ad omnia pervidenda, vel experrecti ad omnes errores vitandos, emendatissimum haberi, dicique potest. At ille, ut erat magno animo alacrique, cum nihil humile, nihil vulgare cogitaret, nolebat primos ingenii atque industriæ suæ fœtus antea proferre, quam perfecti essent, expletique omnibus suis numeris, & partibus; nec satis intelligere videbatur magnorum operum eam esse naturam, ut non statim atque in lucem edi incipiunt, matura sint ac perfecta, sed paullatim adolescere solent, & meliora fieri, ac demum maturitatem quamdam suam & perfectionem assequi. Ad res vero omnes, ex quibus constat historia Illyrica, tam multas, & multigeneres, tam varie diffusas, ac dispersas, sub examen revocandas, inter se componendas, & suis momentis ponderandas, quod ille facere constituerat, laborem ac tempus prope infinitum requirl nemo non videt. Ita dum majora, quam pro angustis, & incertis vitæ humanæ spatiis molitur, dum lente ac fastidiose examinare omnia, & probare instituit, ejus cœpta, & conatus mors inopportuna occupavit. Peccabat ille nimia quadam diligentia, & præpropera summum, quod esset omnique ex parte perfectum, statim assequendi cupiditate: id quod in discrimen idem, eamdemque incerti exitus aleam propemodum adduxerat Joannem Bollandum, qui priorem tomum de Actis Sanctorum non antea typis committere decreverat, quam vitas omnes, quas ipse & Rosweydus collegerant, in disquisitionem vocasset, crisique diligentissimæ subjecisset; quamquam non ea certe inter vitas Sanctorum esset affinitas, & connexio, qua conjunctæ sunt inter se colligatæque partes omnes Historiæ Illyricæ. Etenim, ut ille ajebat, *unius mensis vitas emittere, cæteris nondum accurate perpensis, non erat id quidem perinde, aut facile mihi, aut universo operi conveniens; nam cum vita una alteri afferat lucem, longe illud suis omnibus partibus aptius fuisset, si omnes antea examinare vitas licuisset. Quid quod unica sæpe animadversione possint plurium illustrari Acta Sanctorum; quo vero loco ea debeant potissimum collocari, id principio commode perspici nequeat? Futura enim fortasse non pauca, quæ postea pleniorem uberioremque assecutus cognitionem, nolim fuisse vulgata. Denique nihil hoc videri aliud, nisi attolli ad fastigium partem ædificii anteriorem, cum cæterarum vix posita sint fundamenta.* Ego vero non dubito, quin Bollandus prius vivendi, quam immensam illarum vitarum congeriem evolvendi, recognoscendi, & examinandi finem feciset, & pro certo haberi posse existimo futurum fuisse, ut magni illius operis, quod jamdiu parturiebat, ne primum quidem tomum in lucem ederet; nisi morem gessisset suasionibus, & admonitionibus amicorum, qui ut hominem a proposito susceptoque consilio avocarent, cum rationes alias afferebant multas & graves, tum illud potissimum eidem inculcabant, si ex iis, quæ typis mandasset, aliquid emendandum, vel illustrandum, demendum, vel addendum postea videretur, non defuturam opportunitatem quamdiu vita suppeditaret.

Magna opera paullatim perfici & meliora fieri.

Tertius obex historiæ Illyricæ injectus.

Huc adde tertium quemdam obicem, qui cursum historiæ Illyricæ retardabat; eratque veluti necessitas quædam ab iis, quas antea conceperat, sententiis & opinionibus sæpe decisendi, totiusque interdum rationis immutandæ, quam in aliqua hujus operis parte exponenda inierat. Cum enim in rebus perantiquis, & ob eam causam incertis, omnique litterarum luce destitutis versaretur, neque scriptores aut monumenta suppeterent,

Digitized by Google

rent, unde certa illarum, & clara notitia depromi posset, ad eas quoquomodo probandas, & illustrandas, necesse habuit conjecturas adhibere, supra quas systemata quædam sua, ut vocabat, sive geographica, sive historica exstruebat. Sed in rebus, quæ continentur conjectura, & sunt opinabiles, potest non solum aliud mihi, ac tibi, sed mihi aliud alias videri. Hinc sæpe accidebat, ut illæ eædem conjecturæ, quas primum satis idoneas esse censebat, quibus suas opiniones, ac sententias fulciret, postea minus firmæ eidem ipsi viderentur, quam ut systematis superimpositi molem sustinere possent; ex quo & sententiarum atque opinionum variatio, & novi systematis procudendi necessitas oriebatur: id quod celeri hujus operis progressioni quantum obfuerit, facile quivis intelligere potest.

Quantum impedimentum objectum historiæ Illyricæ.

Sed fortasse nullum aliunde majus impedimentum objectum est historiæ Illyricæ, quam ab crebris expostulationibus, & querelis multorum eam efflagitantium, & a nimia quadam, auctori injecta, ejus celeriter conficiendæ cura, sollicitudine, festinatione. Etenim cum hæc historia magnam hominibus sui expectationem commovisset, nihil illis longius videbatur, quam dum partem ejus saltem aliquam absolutam aliquando viderent. Ergo e domesticis juxta externisque nunquam defuerunt, qui vel amice admonendo, vel etiam asperius, quam liberius, objurgando, hominem sollicitarent, urgerent, & currenti, ut ajunt, stimulos admoverent. Erant præterea, qui eum arguerent majus ac difficilius, quam pro sua facultate & ingenio, opus suscepisse, aut non serio rem agere, & aliena credulitate abuti, aut certe desperare ab se perfici posse, quæ meditatus esset, ac pollicitus fuerat. Nihilo mitior aut lenior fuit olim querela de Rosweydo, & Bollando; neutri enim deerant sui monitores, multi & assidui, & sæpe importuni, & interdum etiam molesti, qui eos, ut suscepti operis partem aliquam deproperarent edere, non amicis solum hortationibus, sed etiam objurgationibus, ac propemodum conviciis urgebant. De Rosweydo hæc scripta apud Bollandum in Præfat. cap. 1. §. 6. reperies. *Non defuere, qui hæc inculcarent domestici externique monitores, quorum quidam vix convicio temperabant, aut desperare eum dictitantes perfici posse, quæ esset meditatus, aut nimis viribus vitaque confidere.* De se vero ipsemet Bollandus: *verum iste urgebar multorum vocibus, ac prope conviciis, ut cedendum fuerit... quem creditarum ajebant, id me serio meditari, si mihi prodeat?* Fateor sane P. Philippum causam aliquam hujusmodi querimoniis, & expostulationibus, occasionemque præbuisse, quippe cum iterum, ac sæpius certum aliquod temporis spatium præfinierit, intra quod primum Historiæ Illyricæ tomum ab se confectum, editumque iri spondebat, in seque receperat. Id vero cum promitteret, non ille quidem alios fallere, aut cuiquam imponere volebat, quod cum ab ejus ingenuitate, & candore, tum ab religiosæ vitæ instituto longe aberat; sed sua ipse & spe, & opinione fallebatur. Nam, ut sæpe diximus, inerat illi mira quædam alacritas animi & vigor mentis, & vis ac præstantia ingenii, cui omnia facilia, expedita, in promptuque fore videbantur, præsertim si laboris litterarii, in quo ille valebat plurimum, assiduitatem, & contentionem magis magisque augere statuisset. At cum operi manum admoverat, plane & perspicue videbat, contra quam existimaverat, rem habere multum difficultatis, ac negotii, & longe plus, quam putabat, studii ac temporis requirere; præsertim cum in quosdam incideret historiæ suæ difficiles nodos, quos ut expediret, multorum librorum lectione, & multa commentatione, ac meditatione sibi opus esse intelligebat. Hinc factum est, ut stare promissis, suamque fidem liberare nequiverit. Heribertus Rosweydus, cum annos natus fere quadraginta Historiæ Hagiologicæ tomos omnino sexdecim editurum se promisit, haud sane dubitabat, quin omnes ab se perfici possent, dum illi tamdiu vivere licuisset, quamdiu naturaliter extendi solet cursus vitæ humanæ, neque intra primam abruptus, neque ultra extremam senectutem productus; nunquam vero ei venisset in mentem vereri, ne viginti anni antea elaberentur, quam ipse priorem concepti operis tomum absolveret. An vero ille aliquod tempus sibi præstituerit, quod in primum tomum conficiendum insumeret, mihi non liquet; certe quidem anno, quam edendorum ab se operum Catalogum evulgaverat, circiter secundo & vigesimo, primus tomus adhuc erat in hominum expectatione, ac desiderio, quod ingentibus pollicitationibus excitare potuit, explere non potuit. Annum ætatis sexagesimum attigerat Christianæ Epochæ 1629. qui ei vivendi pariter scribendique finem attulit, cum professus est, ait Bollandus, *posse se annis singulis mensem, sive tomum unum recensere ac vulgare.* Utrum huic promisso satis esset facturus, si vita ei suppeditavisset, incertum est; illud satis constat Joannem Bollandum, cui post decessum Rosweydi illa provincia tradita est anno 1629. ad recognoscendas, ordinandas, & dilucidandas Sanctorum vitas, quas paraverat Rosweydus, annos ipsos sexdecim conferre

Neque Riceputus, neque Rosweydus, quæ promiserant, præstare potuerunt.

ferre debuisse, antequam mensem Januarium in publicum emitteret anno 1645. ex quo conjecturam fieri velim, an quæ promiserat, præstare potuisset Rosweydus; præsertim cum successori *nihil ordinatum ac dilucidatum reliquerit*, teste ipsomet Bollando, qui ubi *animadvertit in quantam esset sylvam ingressus, quam densam, quam opacam*, prope absuit, ut eum cœpti pœniteret. Omnino commune hoc est summis & eximiis Viris, ut nimia quadam confidentia peccent, quæ in præstantia quadam, & magnitudine animi facillime innascitur, & iisdem fere omnes, ut virtutibus præditi sunt, sic vitiis quibusdam virtutum affinibus laborant; ac nemo fere est, qui excelso acrique ingenio confisus magna moliatur ac spondeat, quin idem postea ipsa sentiat majus quiddam esse, quod suscepit, ac professus fuit, quam spe, & cogitatione sibi ipse confinxerat; cogaturque longius, quam sibi definierat, tempus operi faciundo prorogare: id quod fateantur omnes necesse est, qui in hoc litterario pulvere desudant, experientia edocti, quo propius ad rem conceptam, & meditatam exsequendam accedunt, intentiusque incumbunt, eo majorem quotidie & rerum segetem sibi succrescere, & difficultatem conficiendi operis augeri; sic prorsus, ut ea, quæ confidentius, quam cautius, polliciti fuerant, ad præstitutum diem exsolvere nequeant.

Vitia virtutibus affinia sunt magnis viris communia.

Jam vero, ut id, quod supra dicebam, plane ac dilucide ostendam, nihil magis Historiæ Illyricæ officere, & obstare potuit, quam quod ad eam celerius absolvendam incitamento fore videbatur. Cum enim & Præsidum auctoritas, & amicorum hortationes, & multorum rem promissam, opportune, & importune reposcentium molestæ querimoniæ hominem acrius in dies impellerent, urgerent, fatigarent; ille omnium voluntati, communique desiderio satisfaciendi mire cupidus, nullam viam, rationemque accelerandi operis intentatam relinquebat, alia ex aliis meditans atque excogitans, quibus facilior sibi, & expeditior ejus confectio, & absolutio redderetur. Sed quo plura, quæ ad hanc rem videbantur idonea, invenerat, quo sollicitius, & laboriosius in eam curam & cogitationem incumbebat, eo minus, ut sæpe solet accidere, proficiebat, eoque longius res protrahebatur. Nimirum nihil tam obest hisce studiis, quæ animum quietum, ab omnique perturbatione vacuum, & mentem tranquillam, non alieno impulsu, præsertim acri vehementique, sed sua sponte incitatam desiderant, quam nimia sollicitudo, celeritas, festinatio; & sane gravius est ac difficilius historicum opus, quam ut nimium urgeri, ac properari debeat; præclareque ajebat Tullius, *historiam nec institui posse nisi præparato otio, nec exiguo tempore absolvi*. Ut ergo assiduis flagitatoribus æquis, iniquisque satisfaceret, omni mente, cogitatione, curaque versabat se in omnes partes, modo hanc, modo illam, quæ minus difficultatis habere videretur, rei conficiendæ methodum rationemque arripiens: sæpe illa, quam tractabat, & in qua jamdiu versabatur, materia dimissa, quod multi temporis indigeret ac laboris, ad alia, quæ nimirum expeditu facilia fore sperabat, studium omne, stylumque vertebat; nunc ab Actis Pontificum ad vitas Divorum illustrandas mentem operamque avocabat; nunc Ecclesiarum peculiarium historia seposita, Prolegomenon conficiendorum curam suscipiebat; nunc rebus sacris, & Ecclesiasticis omissis, ad res civiles ac profanas tractandas se referebat; alias geographicis, alias genealogicis, alias chronologicis studiis operam dabat; nec raro constitutam, jamque initam rationem ordinis, & disponendarum rerum immutandam censuit: postremo animum adjecerat ad contexendam Epitomam aliquam, ac summam Historiæ Illyricæ, ubi rerum quædam præcipua capita comprehenderentur, quæ deinde pluribus Tomis accuratius persequeretur, suisque animadversionibus, & commentariis latius explicaret. Hanc autem materiæ, quam habebat in manibus, sæpius variandæ, & modo huc, modo illuc transiliendi causam nolim attribuas hominis levitati, atque incostantiæ, sed ad quamdam necessitatem referas velim, cui parere cogebatur, impositam ab illis, quorum hortationibus, & querimoniis sic urgebatur, ut, cum videret nec Præsidibus probare se diligentiam suam posse, nec amicis fidem, nec vero suis objurgatoribus sive infensis, sive benevolis satisfacere, nisi quamprimum partem aliquam instituti operis proferret, hoc efficere omni ope, operaque conniteretur. Quare ut quæque pars historiæ Illyricæ facillime, ac celerrime confici expedirique posse videbatur, ita illam potissimum arripiebat, omissa ea, in qua jamdudum elaboraverat, dilataque in aliud tempus, propterea quod impeditior esset ac laboriosior, quam ut brevi absolvi perducique ad exitum posset. Sed quamcumque ad partem se applicuisset, in alias atque alias, contra quam putaverat, difficultates incurrebat, in quibus cum hæreret, atque impediretur, nullamque rei susceptæ expediendæ rationem inveniret, plane ac perspicue animadvertebat ibi operæ ac temporis plurimum sibi insumendum esse, ubi omnia prompta, & parata, sibique ad explicandum expeditissima fore existimaverat:

Historia animum tranquillum,

De Invent. Otium, ac tempus non exiguum desiderat.

Operis accelerandi multæ rationes vicæque frustra initæ, quæ ipsius operis confectionem retardarunt.

ex

ex quo fiebat, ut sæpe ad id redire, unde fuerat digressus, remque intermissam repetere cogeretur. Si autem illi quodam liberiore, magisque vacuo a molestis interpellatoribus otio frui, quod res historica maxime postulat, & suo arbitratu, atque commodo rem suam agere licuisset, haud sane dubito, quin ea, quæ inchoaverat, constantius persequi instituisset, & si non omnia, multa certe ab eo perfecta videremus. Sed dum ad arbitrium, & voluntatem aliorum sua studia exigere ac referre cogitur, & communi expectationi, importunisque quorumdam studiis, ac postulationibus obsequendi causa, multa quotidie alia ex aliis meditatur, excogitat, molitur, non tam suo, quam alieno rei litterariæ, atque ecclesiasticæ tempore exstinctus, triste nobis Historiæ Illyricæ desiderium reliquit. Verum quæ Deus ipse vitæ necisque Dominus rectissime constituit, in iis acquiescere oportet; neque aut illius vicem, aut nostram jacturam gravius ferre debemus, quam religio, & recta ratio supremo illi rerum omnium moderatori subjecta postulat. Id potius cogitemus velim nihil eum illo acerbius, & incommodius actum esse, quam cum aliis non paucis, summis ac magnis viris, quorum præclara consilia, & cœpta mors sæpe intervertit. Idem olim accidit Rosweydo, quem quidem, cum ad apparandum ingens illud de Vitis Sanctorum Opus annos amplius viginti contulisset, in ipsa cura, & meditatione prioris Tomi edendi, mors intempestiva vix sexagesima annos natum oppressit. Cæterum altero alter hoc felicior fuit, quod Rosweydus quidem concepti diuque elaborati Operis nihil aliud reliquit, nisi rerum ab se collectarum immensam quamdam congeriem, sed confusam & indigestam, teste Joanne Bollando, qui in ejus hagiologica studia, laboresque litterarios successit: *postea*, inquit, *ubi animadverti in quantam essem sylvam, quam densam, quam opacam ingressus, quam nihil ordinatum, ac dilucidatum ab Rosweydo esset, prope me cœpti pœnituit*. Contra vero Philippus Riceputus Martyrologium Illyricum pene confectum, & absolutum reliquit, quod ne statim post ejus obitum typis traderetur, graves justæque causæ obstiterunt; atque illa præsertim, quod nullas eidem notas animadversionesque apposuisset, quas viri docti atque eruditi necessarias putabant, sive ad ea illustranda, quæ obscuriora sunt, quam ut sine aliqua explicatione intelligi queant, sive ad reddendam rationem, cur vel Martyres aliquos Divosque, nec sane paucos, qui alio pertinere vulgo creduntur, Illyrico adscripserit; vel quare quibusdam, qui ab omnibus antiquis, ac novis Martyrologiis absunt, titulum Sancti, locumque inter cœlites attribuerit. Quocirca hoc Martyrologium iis, quas dixi, notis destitutum, non videbatur ejusmodi esse, ut pro dignitate Auctoris atque Operis in publicum prodire posset. Acta etiam Sancti Petri Ursеoli magna ex parte digesserat, & illustraverat; hisque adjunxerat Commentarios de Baptismo Constantini Magni; sed neutrum opus absolvit; utrique non pauca deerant, & quæ in utrumque argumentum scripserat, adhuc extremam Auctoris manum expectabant, & desiderabant. Hos duos Tomos, quos vocabat Isagogicos, quod viam quodammodo ad Historiam Illyricam munirent, atque ad cognitionem intelligentiamque rerum Illyricarum quasi manu ducerent, universæ Historiæ præponendos, & primos omnium evulgandos esse decreverat.

Quod Patre Philippo accidit, ut ante vita excederet, quam quidquam in lucem ederet, idem aliis summis viris contigit.

Martyrologium Illyricum pene confectum P. Philippus reliquit.

Item Acta S. Petri Ursеoli, & Commentarios de Baptismo Constantini, sed neutrum opus absolutum,

Rerum vero omnigenarum, quæ quoquo modo ad Illyricum pertinent, vel referuntur, quantam maximam, undecumque potuit, copiam ac segetem ex editis vel ineditis scriptoribus collegit, ut nulla propemodum sit Provincia, vel Ecclesia Illyrica, ad cujus Historiam describendam aliquid materiæ non congesserit, ac seposuerit. Illyrica Bibliotheca manuscripta, quam moriens reliquit, ex voluminibus partim majoris, partim minoris formæ, amplius trecentenis constat. In his aliquæ continentur lucubrationes vel ab ipso, vel ab ejus studiorum adjutore ac socio elaboratæ, videlicet Apparatus, Synopses, Annales, Prolegomena, Paradigmata, Commentarii, aliaque ejusdem generis, sed omnia inchoata, atque rudia, quæ multa litura, & correctione indigent, ut aliquem usum afferre possint ad Historiam Illyricam conficiendam. Illud permoleste accidit, quod manuscriptorum librorum indices nullos reliquerit, quorum admonitu, ex varia illa disparsaque rerum congerie, quas in eos codices retulit, si quid necessitas postulet, depromi aut inveniri queat. Nam quos initio confecerat indices sane locupletissimos, ii nulli nobis usui esse possunt; tum quia multos ex his atque illis voluminibus quaterniones detractos alio atque alio transtulit, tum quia ob causam nescio quam immutavit notas arithmeticas, tergo librorum adscriptas, quibus notæ arithmeticæ veterum indicum respondebant; hinc nobis imposita est necessitas novos indices conficiendi, cum primum per tempus licuerit, ut ex Illyrica Bibliotheca usum aliquem, commodumque capere valeamus. Sed bene habet, quod illam veluti sylvam, & materiam rerum Illyricarum non omnino permixtam, & confusam, sed aliquo modo distinctam, & in suas partes distributam scriptis mandavit; sacra seorsim a profanis descripsit; quæ pertinent ad ecclesiam unamquamque, ea fere propriis, sejunctisque libris consignavit; præterea

& Bibliothecam Illyricam e libris Mss. terre trecentis conflatam,

Ordo ac distributio rerum, quas continet Illyrica Mss. Bibliotheca

* * *

tergo

tergo cujuſque codicis adſcripſit ſumma capita rerum, quæ in eo continentur; quamvis ob paginas bene multas hinc atque illinc exemptas, ut dixi, alioque translatas, ſæpe fruſtra quæſieris, quæ ibidem inquirenda eſſe admonet inſcriptio. Ad hæc: Monumenta omnia tam edita, quam inedita eccleſiarum Illyricarum plures in partes diviſit, & ſua cuique eccleſiæ alia ſeparatim ab aliis attribuit, ac totidem fere voluminibus diſtinxit, quot ſunt Provinciæ eccleſiaſticæ Illyrici. Acta itidem martyrum, ac Divorum Illyricorum, pleraque ex Hagiographis Antuerpienſibus, nonnulla etiam ex aliis ſcriptoribus, vel codicibus Mſſ. deſumpta, ab aliis monumentis rebuſque Illyricis ſecrevit, & ſingula in ſingulos anni dies diſtribuit. Hinc intelligi, & expendi licet, quantum Philippo Riceputo debeat hiſtoria Illyrica; longe plus certi, quam Heriberto Roſweydo debent Acta Sanctorum Antuerpienſia; hic enim quamvis vitarum copiam ſane ingentem coacervaverit, nihil tamen *ordinatum ab eo, nihil dilucidatum fuiſſe*, teſtatur Joannes Bollandus; ille vero præterquamquod duos Tomos propemodum abſolverat, qui eſſent quaſi Prodromi Hiſtoriæ Illyricæ, ſive ejuſdem Præluſiones quædam Iſagogicæ, immenſam illam rerum ac monumentorum ſupellectilem, quam ſtudio, ac labore multorum annorum comparaverat, ſatis apte compoſitam, ordine aliquo, & ratione diſtributam, certiſque partibus diſtinctam reliquit. Quapropter P. Philippus Riceputus, quamvis nihil perfecte planeque abſolverit, nihil in lucem ediderit; tamen quia magni, & ardui operis hujus ideam, ac ſpeciem ille animo ac mente concepit, ille diuturna meditatione informavit, ille veluti primis lineamentis adumbravit, ille demum quantam maximam potuit, vim rerum omnigenarum ad illud opus perficiendum congeſſit, idcirco parens conditorque hiſtoriæ Illyricæ jure ac merito & dici, & haberi debet. Verum de hoc clariſſimo viro, immortali memoria digno, de illius eruditione atque ingenio, de ſtudiis ac laboribus propemodum infinitis hujus hiſtoriæ cauſa ſuſceptis, plura, & copioſius differendi opportunitas & occaſio ſe dabit, cum ejus Martyrologium Illyricum, vel Acta S. Petri Urſeoli prælo ſubjiciemus.

P. Philippus Auctor, & Parens Hiſtoriæ Illyricæ.

Jam vero minime oportebat, quæ P. Philippus præclare cœperat, & ingenti ac diuturno labore, aſſiduaque perquiſitione collegerat, ea blattarum ac tinearum in epulas ſepoſita relinqui, & morte illius ſpem omnem hiſtoriæ Illyricæ intercidi. Id porro ne accideret, quærendus fuit, qui ejus ſtudia, & conatus exciperet, atque ab eo inchoata perſequeretur. Hæc provincia mihi delata cum eſſet, ego equidem meæ tenuitatis conſcius, nec ignarus, cui viro ſuccederem, & quanta eſſet hujus hiſtoriæ expectatio, verebar, ne tanti operis molem majore animo, quam conſilio ſubiiſſe exiſtimarer; ſed cum in hiſce ſtudiis annos fere viginti verſatus operam meam qualemcumque Patri Philippo, inutilem fortaſſe, aſſiduam quidem certe præbuerim, nullus mihi tergiverſandi locus relinqui, nulla injuncti laboris ſubeundi ſatis juſta excuſatio eſſe videbatur. Itaque impoſitum onus, parendi magis alacritate, quam perficiendi facultate ſuſcepi. Nunc quid mihi propoſitum ſit, quorſum mea conſilia ſpectent, meique conatus, diligenter exponam. Certum mihi ac deliberatum eſt, egregia P. Riceputi cogitata, & cœpta pro modulo ingenii mei, quod ſentio quam ſit exiguum, ac pro viribus exſequi, & quoad ejus fieri licuerit, hunc hiſtoriæ Illyricæ veluti Anteſignanum, ac Ducem, ipſius veſtigiis perſequi, quæ ſuis in ſcriptis impreſſa, & ſatis conſpicua reliquit. Verum ille diligenti veterum librorum lectione, & multa commentatione ac meditatione, quædam excogiverat atque invenerat, nova prorſus & inaudita, quæ *arcana geographica, & hiſtorica* vocitare conſueverat, atque ad hiſtoriæ, & geographiæ antiquæ tenebras diſcutiendas plurimum lucis afferre poſſe exiſtimabat. Hæc autem cum viris eruditis probari nequeant ſine appoſitione vel exemplorum, & auctoritatum, vel rationum & conjecturarum, in ejus ſcriptis nondum inveni, quemadmodum ea vel ſibi ipſe perſuaſerit, vel aliis perſuaſum iri confideret; quippe ille multa ſolerter ab ſe acuteque meditata, atque inventa, non tam ſcriptis mandabat, quam mente fideli, ac tenaci cuſtodia retinebat, ut ſupra diximus; nec dubito, quin horum omnium rationem, & explicationem in animo atque memoria diſtributam, comprehenſamque habuerit; atque indidem expromptus fuiſſet vim, & copiam ad ea probanda, & illuſtranda ſatis idoneam argumentorum, auctoritatum, & exemplorum, quæ in ſuis codicibus vel leviter perſtrinxit, vel ne indicavit quidem. Horum autem pleraque, cum mihi ignota ſint, aut non ſatis perſpecta, nec tantum mihi ſit acumen ingenii, ut quæ ille ſubtiliter ſecum ipſe ingenioſeque commentatus fuerat, inquirere, & aſſequi valeam, vereor ſane, ut omnes illas notiones ſive hiſtoricas, ſive geographicas, arcanas, & abſtruſas, evolvere, probare, & illuſtrare poſſim, quæ quidem hujus operis pretium augerent, & commendationem non vulgarem eidem apud Lectores conciliarent.

Ad confiendam hiſtor. Illyricam P. Philippo ſucceſſor datus,

Quamquam ejus veſtigiis inſiſtere ſtuerit,

Præterea illud mihi permiſſum velim, ut ab ea, quam ipſe fecerat, Illyrici ſacri partitione

tione discedere liceat. Quadripartita fuit divisio illius; primum ut vellet res gestas describere Antistitum Illyricorum; deinde Acta Conciliorum, & Legationum Apostolicarum, quæ ad Illyricum spectant; tum vitas martyrum, ac Divorum, qui Ecclesiam Illyricam illustrarunt; postremo Monasticum Illyricum, seu historiam cœnobiorum utriusque sexus, quæ in provinciis atque urbibus Illyricis condita ingentes rei Christianæ utilitates attulerunt. Hac partitione, quam in primo prospectu Illyrici Sacri exposuit, retinuitque in secundo, sed ordinem immutavit, eminus prospicienti nihil aptius videtur esse, nihil distinctius, nihil commodius. Sed qui eamdem propius consideret, ac manum operi admoveat, singularum partium exsequendarum rationem haud ita facilem, & expeditam esse, clare perspiciat. Nam partes singulæ ita sunt inter se implicitæ, & aliæ cum aliis nexu quodam serieque rerum cohærent, ut tractatione distrahi, & separatim explicari plane perfecteque nequeant. Ac primum quidem, cum haud pauci sint ex Episcopis Illyricis, qui numerum Divorum obtinent, hos si conjicere velis tum in primam, tum in tertiam partem Historiæ Illyricæ, eorumdem dignitatem a sanctitate, regimen Ecclesiarum a summa illa virtute expletaque omnibus suis numeris, & partibus disjungas necesse est; præterquamquod de iisdem semel atque iterum agi, & multa, quæ in priori parte exposita fuerint, in tertia denuo retractari oportebit. Deinde ad plenam absolutamque explicationem eorum, quæ quisque in Pontificatu laudabiliter gessit, maxime pertinent tum concilia, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam, sive sanciendam, sive restituendam convocavit, tum legationes de rebus gravissimis, quas vel ad sedem Apostolicam misit, vel hinc ad se missas excepit. Adde, quod conciliorum, & legationum neque causas evolvi, neque tempora distingui, neque utilitates ex utrisque perceptæ intelligi queant, nisi quos in annos singulorum Antistitum Pontificatus inciderint, & quinam fuerit cujusque Ecclesiæ sub unoquoque Episcopo status, quæ rerum publicarum conversiones, quæ Cleri, populique depravatio, accurate diligenterque exponatur. Eodem pertinet, quod & Episcopi ad condenda Cœnobia, idoneisque vectigalibus instruenda, suam auctoritatem operamque contulerint; & Cœnobia Episcopis ad munera Apostolica obeunda, remque Christianam augendam, egregios administros, atque Evangelii præcones suppeditaverint: præterea plerique eximia sanctitate viri e Cœnobiis prodierunt, qui Ecclesias illas suis virtutibus, exemplis, miraculis illustrarunt. Hinc apparet historias Hagiologicam, Pontificalem, synodicam, monasticam adeo inter se permixtas esse, ut nulla ex his ab aliis disjungi, ac separari possit. Ad hæc: cum plurium Episcoporum acta interciderint, vel exilia sint & pauca, quæ aut scriptis, aut fama, & auditione de illorum gestis accepimus, Pontificalem illorum historiam nudam atque inanem relinquas oportet, nisi ad eam locupletandam, ornandamque vel e Conciliis, vel e Cœnobiis, vel e Divorum fastis rerum copiam & materiam sumpseris. Ex his intelligi potest, quanta sit conjunctio serieque rerum Pontificalium, & synodalium, hagiologicarum, & monasticarum, ut alia ex alia, & omnes inter se aptæ colligatæque videantur; quas quidem si partium distinctione secreveris, alterutrum sequi necesse est, ut vel historia cujusque partis a cæteris sejunctæ manca sit quodammodo, & imperfecta, vel in singulis partibus describendis eadem iterum ac sæpius, non sine fastidio lectorum, & supervacaneo voluminum incremento, retractari debeant.

Tamen quadripartitam divisionem Illyrici Sacri retinendam non censuit.

Propterea, quod quatuor illæ partes inter se cohærent, ut aliæ seorsum ab aliis, tractari, & explicari nequeant.

Quare cum nobis id propositum sit, ut omnium ecclesiarum Illyricarum, & singillatim uniuscujusque historiam scribamus, quæ potissimum constat ex Actis Pontificum, & rebus synodicis, Hagiologicis, ac cœnobiticis, eam more atque instituto majorum, eo prorsus ordine, quem series successioque Episcopalis postulat, ordinandam ac digerendam censemus; & cum Episcopi primarium sibi locum vindicent, propterea quia principes sunt rectoresque ecclesiarum, singulis ecclesiæ cujusque Episcopis omnia subjiciemus, sive synodica, sive Hagiologica, sive Cœnobitica, quæ ad singulorum Pontificatum referuntur. Ita fiet, ut quæ ad historiam cujusque Episcopatus & ecclesiæ pertinent, ea simul omnia continuatione rerum ac temporum conjuncta lectores percurrere queant; nec vero necesse habebunt hac illac per varios historiæ Illyricæ tomos circumcursare, vel ut assequantur plenam perfectamque notitiam rerum omnium, quæ ad ecclesias singulas spectant, vel ut synodica cum Pontificalibus, Hagiologica cum cœnobiticis, aut hæc cum illis conferant. Et vero ipsemet P. Philippus, post editum primum prospectum Illyrici Sacri, cum perviderat quadripartitam illam divisionem & scribentibus, & legentibus historiam Illyricam, æque perincommodam fore, constituerat quatuor illa, quæ partitione disjunxerat, simul quidem conjuncta & continuata, sed temporum ordinibus distincta, suisque locis apte intertexta in ejus ecclesiæ, ad quam quæque spectabant, historiam conferre atque congerere; id quod Baronius, cæterique sive annalium,

Ratio scribendæ ordinandæque Historiæ Illyricæ.

Quam ipsemet P. Philippus aliquando probavit.

Digitized by Google

lium, sive historiarum ecclesiasticarum Scriptores facere consueverunt. Sed postea, cum secundum prospectum Illyrici sacri evulgavit, mutato nescio quam ob causam consilio, pristinam historiæ Illyricæ quadrifariam dividundæ rationem adamavit. Si quibus autem divisio illa quadripartita placeat, his aliquo modo satisfieri poterit; quippe quadruplicem summam sive epitomen prope confectam habeo, ubi res præcipuæ, quæ ad Episcopos, ad concilia, & legationes, litterasque Apostolicas referuntur, aliæ seorsum ab aliis, breviter atque ordine comprehenduntur. Hanc, si operæ pretium esse videbitur, & a multis expeti animadvertero, desiderari non patiar, libris locisque historiæ Illyricæ adnotatis, unde, si cui libitum fuerit, rerum earum pleniorem notitiam haurire liceat. Integra vero Acta martyrum, & vitæ Sanctorum, si quis hæc sejuncta ab Episcopis, conciliis, & cœnobiis habere cupiat, ex absoluto perfectoque totius Historiæ Illyricæ corpore avelli, ubi tempus & occasio aderit, atque in duo vel plura volumina separatim conferri poterunt.

P. Philippus cum pro suo ingenio acri & perspicaci consideraret, quanta esset historiæ ecclesiasticæ cum civili affinitas, decreverat universi profani Illyrici historiam in quatuor tomos digerere, quibus res Illyricas tum Geographicas & Chronologicas, tum Historicas & Genealogicas, sive priorum ante Christum, sive posteriorum ætatum, complecteretur. Hanc historiam, si Deus annuerit, si vita & vires suppeditabunt, si quam ab historia ecclesiastica vacationem nobis permittere, hujusque intermissionem aliquam facere licebit, contexemus ex illa rerum copia, quam nobis ille adornavit, sane multiplicem atque uberrimam, ex antiquis & junioribus Scriptoribus decerptam; præsertim cum ad hanc rem quatuor tabulas Illyrici profani satis belle descriptas reliquerit, quas Geographicas, Chronologicas, Historicas rite appellaveris; quippe cum summam quamdam & Synopsim totius Geographiæ, Chronologiæ, Historiæque Illyricæ profanæ, lineis & coloribus adumbratam intuentium oculis subjiciant. In unam itemque alteram hujusmodi tabulam Commentarios quosdam jam confecimus, in quibus partem haud exiguam Illyricæ ante Christum Historiæ, servatis notatisque temporibus, & constitutis regionum limitibus alias latioribus, alias contractioribus, accurate persecuti sumus. Tabulas itidem quatuor Illyrici Ecclesiastici descripsit, quæ quidem eo pertinent, ut omnes omnium ætatum Illyricæ Ecclesiæ, sive Exarchales, sive Metropoliticæ, sive Episcopales, sive jamdudum extinctæ, sive etiamnum superstites, ratione & distributione locorum ac temporum, sub uno aspectu ponantur. Ad eas explicandas & illustrandas tomum undecimum Illyrici Sacri destinabat, qui inscribitur *Hierarchia Illyrica*. Has etiam tabulas, si otium & facultas erit, edendas curabimus, nostris in eas Commentariis adjectis, ex quibus totius Ecclesiæ, & Hierarchiæ Illyricæ veteris pariter hodiernæque constitutio, forma, descriptio summatim cognosci, & percipi possit. Mihi enim summopere providendum est, ne omnino intercidant, & frustra fuerint præclara inventa, & refertissima optimis rebus collectanea hujus viri præstantissimi, quem in Historia Illyrica scribenda, quoad res ipsa siverit, & mea facultas progredi potuerit, magistrum, ac ducem sequi, ejusque vestigiis constanter insistere, ut paullo ante sum professus, omnino decrevi. Nunc restat, ut de me ac meorum studiorum ratione, quæ mihi sunt dicenda, subjiciam.

Historia profana Illyrica a nobis edenda, si per otium licebit,

Cum suis tabulis Geographicis & Chronologicis,

Itemque Historia generalis Hierarchica totius Illyrici cum suis itidem tabulis,

Cum igitur mihi demandata esset cura Historiæ Illyricæ conficiendæ, nihil prius faciendum putaveram, quam ut Martyrologium Illyricum diligenter recognoscerem, rerum ac verborum indices inchoatos absolverem, & si quid præterea deesset, eidem adjicerem, ac demum illud typographis prælo subjiciendum traderem; ut quando Auctor illius inopportuna morte præreptus nullum aliud reliquerat completum perfectumque, hoc saltem ejus ingenii, doctrinæ, eruditionis monumentum jamdiu promissum, statim ab ejus decessu evulgaretur. Sed ob eas, quas dixi, aliasque causas nihilo leviores, visum est iis, a quorum auctoritate mutuque studiorum meorum rationes pendent, ab hujus Martyrologii editione superfederi. Quare cum mihi jamdudum in manibus esset Historia Ecclesiæ Salonitanæ, quam intra unius alteriusve anni spatium perfici posse arbitrabar, in eam mihi omni cogitatione operaque incumbendum censui. Sed numquam mihi visum est verius, quam me ipsa mea docente experientia, Tullianum illud, historiam nec exiguo tempore absolvi, nec institui ac peragi posse, nisi præparato otio, cui nihil sit impedimento ad rem exsequendam, nec subsidia necessaria desint. Ac mihi quidem otio isto præclaro, litterisque peramico ad historiam scribendam uti fruique, neque per valetudinem, neque per alias occupationes licuit. Nam valetudo, cum per se ipsa tenuis sit atque imbecilla, tum per hosce annos morbis identidem, alias gravioribus, alias levioribus, sæpe lentis curatuque difficilibus tentata est;

Consilium edendæ Historiæ sacræ Salonitanæ,

Quæ ne celerius confici posset,

eſt; ac præſertim toto hyberno tempore rheumatiſmis moleſtis ſane atque obſtinatis obnoxia fuit, qui non dies ſolum, ſed integras hebdomadas, interdum etiam menſes, ab omni litteraria exercitatione mentem abducere, calamumque abſtinere cogebant. Cum autem inſtituti noſtri ea ſit ratio, idque nobis potiſſimum præſcribat, ut, quidquid ſtudii poſſumus atque induſtriæ, in utilitatem ac ſalutem proximorum conferamus, nemo non videt profeſſionem, fidem, operamque noſtram omnibus promptam, & expoſitam eſſe debere, & quam variis, gravibus, aſſiduiſque occupationibus domi foriſque eamdem diſtineri oporteat; ac mihi quidem affirmare licet, horam diurnam fere nullam aut vacuam aut tutam ab interpellatoribus eſſe, quibus aut conſitentibus aures præbere, aut de officiis Chriſtiani hominis, & caſte pieque vivendi ratione conſulentibus reſponſa reddere neceſſe eſt: quam vero moleſtum ſit atque incommodum identidem interrumpere litterarium opus, vel cum maxime fervet, ab eoque ad alia omnia animum abducere, intellectu quam explicatu facilius eſt. Quamvis autem eniterer, atque contenderem, ut, quod ille ajebat, nulla dies ſine linea mihi præteriret; tamen ſtatis quibuſdam anni temporibus, quæ ſanctiſſimis maximiſque Chriſtianæ religionis myſteriis conſecravit eccleſia, cum totos ac ſolidos dies opera proximis impenſa ſibi vindicat, ab omni re litteraria omnino vacare ac feriari oportet, ut de illa ne cogitandi quidem ſpatium relinquatur. Quare ſive ob incommodam valetudinem, ſive propter officia collata in proximos, aliaſve occupationes, quas hic commemorare nihil attinet, ſæpius neceſſe habui hæc ſtudia intermittere, quibus quantum adjumenti præbet aſſiduitas nuſquam alio diſtracta, tantumdem detrimenti affert intermiſſio; cum longe difficilius ſit interrupta contexere, quam abſolvere inſtituta.

obſtitit valetudo incommoda Auctoris.

Itemque aliæ occupationes.

Nec ſolum intercceptum nobis eſt ac diminutum ob eas cauſas, quas modo expoſui, otium illud litterarium, quod maxime deſiderat hiſtoria; ſed hæc præterea illis ſubſidiis caruit, quibus potiſſimum hæc ſtudia adjuvari, celeriuſque ad exitum perduci potuiſſent. Hiſtoriam eccleſiaſticam veterum temporum ſcribenti quam ſit neceſſaria multiplex & varia Scriptorum ac librorum copia, nemo ignorare poteſt, niſi qui rem hiſtoricam & eccleſiaſticam funditus ignorat. At Bibliotheca domeſtica eſt admodum inops cum ab antiquis, tum ab junioribus Scriptoribus. Libraria ſupellex, quam nobis Pater Philippus reliquit, locuples illa quidem eſt, ac rerum multarum referta; ſed cum indices deſint neceſſarii ad ea, quæ opus eſſent perquirenda, in codicibus Mſſ. amplius tercentis interjecta & diſperſa, fere nihil ex ea, aut parum commodi percipere potuimus. Quare neceſſe fuit & bibliothecas extraneas adire, in eiſque bonas horas conſumere, & alienis uti ac precariis libris, quos interdum neque per otium legi, neque ultra præſtitutum diem, ſalva fide, retineri licebat; utrumque autem nec ſine noſtro incommodo, ac diſpendio temporis fieri poterat, & celeritatem hiſtoriæ perſequendæ retardabat. Cum autem in me unum tota hujus operis moles incumberet, nemo unus fuit, qui aliquam ſubſidiariam opem ferret, manumque adjutricem porrigeret, aut vel obolum nobis in unum Amanuenſem impenderet. Nec vero Præſidibus noſtris aut facultas deerat, aut voluntas Adjutoris ad hæc ſtudia mihi tribuendi; ſed defuit, qui ſumptus in hujus alimenta ſuppeditaret: æquum autem non erat majori ſociorum numero Collegium Patavinum prægravari, quippe iis alendis, qui neceſſarii ſunt aptique ad munera Societatis obeunda, annui proventus vix ſufficiunt; præſertim cum pretia rerum, quæ ad victum cultumque pertinent, hiſce temporibus præter modum excreverint. Multum quidem nobis de labore ac difficultate hujus operis ademerat P. Philippus, cujus collectanea ad condendam eccleſiæ Salonitanæ hiſtoriam ſepoſita haud mediocri adjumento fuerunt. Sed quæ ab illo parata fuerant, denuo recognoſci, diligenter expendi, atque ad trutinam revocari, accurate cum Auctoribus ac locis, unde fuerant deſumpta, conferri, ac præterea ſane multa, quæ deerant, ſedulo perquiri, colligique debebant. Quare & multi erant pervolutandi Scriptores, & multa monumenta excutienda, & multorum opiniones inter ſe diſſidentes ad criticæ leges exigendæ, ac ſuis quæque momentis ponderandæ. Nihilo ſegnius in eo laborandum fuit, ut ſacra cum profanis, facta factis conciliari, reſque geſtas & ſuis regionibus adſcribi, & ſuis temporibus illigari poſſent. Neque enim ille omnia ſingillatim examinare potuerat, neque omnes controverſias dirimere, neque de ſingulis extremam ferre ſententiam. Ex earum vero rerum copia, quas ille congeſſerat, vel ſummatim perſtrinxerat, aliqua majus quoddam lumen requirebant, quo conſpicua, & probabilia fierent; aliis deerat vel temporum ordo, vel apta partium diſtributio; haud pauca reſecari, pleraque rationibus, & auctoritatibus communiri, omnia illuſtrari, expoliri, latiniſque litteris mandari oportebat. Quæ omnia ſolus ipſe præſtare cum debuerim, ne unius quidem librarii manu ad mea vel aliena exſcribenda adjutus,

Deſiderant etiam præſidia ad ejus celerem confectionem neceſſaria.

Prima hæc pars hiſt. Salonit. adeo tum perducti ut poſſet, multum laboris attemporis opus fuit.

Digitized by Google

ſutus, rem longius protrahi, & multo plus, quam putabam, laboris ac temporis impendi neceſſe fuit: nec vero ſperandum eſt fore, ut in poſterum operis hujus progreſſio facilior ſit, aut expeditior, niſi vel amoveantur impedimenta, quibus retardari, vel certe adhibeantur ſubſidia, quibus hiſtoriæ Illyricæ curſus acceleràri poſſit. Jam vero in hac prima parte hujus operis, quid potiſſimum elaboraverim, & quam hiſtoriæ Salonitanæ eccleſiaſticæ trium priorum ſæculorum ſcribendæ rationem inierim, unde ad ejus origines, proximaſque originibus ætates perſequendas & explicandas, rerum copiam & materiem accerſierim, nunc mihi declarandum eſſe exiſtimo.

Ac primum quidem ne quis ad hiſtoriam hujus ſingularis eccleſiæ legendam rudis accedat, ignaruſque rerum univerſalium, quæ ad Illyricum & Dalmatiam, eccleſiamque Illyricam & Dalmaticam pertinent, huic Prolegomenis quibuſdam præparandam quodammodo viam ac muniendam eſſe putavimus, quibus generales quædam ſacræ & profanæ notiones Illyrici & Dalmatiæ continentur: ab univerſis enim & communibus perceptis & cognitis, ad ſingularia & propria percipienda & cognoſcenda rite fit atque ex ordine progreſſio. Hæc Prolegomena tripartito diviſa ſubſunt hiſce titulis: I. *De Illyrico.* II. *De Dalmatia.* III. *De Illyrica & Dalmatica Eccleſia, tum de Salona & Eccleſia Salonitana.* Pars prima, itemque altera complectitur profanam quamdam hiſtoriam rerum omnium Illyrici & Dalmatiæ, breviter atque ordine deſcriptam, earum præſertim, quæ Chriſtianam epocham antecedunt. Itaque nominis ac generis tum Illyrici, tum Dalmatici origines ac primordia evolvimus; populos vel indigenas, vel aliunde profectos, a quibus Illyrica & Dalmatica regio habitata fuit, percenſemus; regna vel reſpublicas ab illis conditas; eorum bella inter ſe, vel cum extraneis nationibus geſta, victorias relatas, aut clades acceptas; urbium, ac locorum vocabula & poſitiones; Illyrici & Dalmatiæ diviſiones ſeu civiles, ſeu Geographicas; finium propagationes & contractiones, aliaque ejuſdem generis haud brevius, quam accuratius deſcribimus; illud etiam conſtituendum eſt, quot nunc, quaſve provincias contineant Illyricum & Dalmatia, quibuſve terminis jus ſinum nomenque circumſcribant, ac definiant. Ad hiſtoriam Illyrici profani conſcribendam materiæ, quod ſatis eſſet, ab antiquis Scriptoribus comparaverat P. Philippus; ex hac autem ſylva rerum & Scriptorum illos, quos ſupra dicebam, Commentarios in duas priores Illyrici tabulas contexui, eoſque porro perſequar, ſi vita & facultas ſuppeditabit: hi enim totius Illyrici profani hiſtoriam complexi, erunt quidam veluti apparatus ad hiſtoriam Illyrici ſacri. Ex illis autem Commentariis decerpſi, congeſſique in primam & ſecundam partem horum Prolegomenon res maxime memorabiles, ſuis locis ſuiſque temporibus diſtinctas, quarum deſcriptione Epitoma quædam & ſumma hiſtoriæ profanæ Illyricæ ac Dalmaticæ continetur. Ut ea, quæ in hiſce Prolegomenis diſperſe ac diffuſe multis locis ſunt dicenda, ſub uno aſpectu ſubjiciantur, tabulas quatuor Geographicas æneis typis inciſas lectoribus exhibeo. Prima ad Illyricum pertinet, in qua intuentium oculis ſubeſt tripartita circumſcriptio Illyrici, *Proprii* videlicet, ſeu *Primigenii*, *Univerſalis*, & *Hodierni*. Illyricum proprium voco regionem illam, in qua primo ortum, ex eaque propagatum eſt nomen genuſque Illyricum. Illyrici univerſalis vocabulo intelligi volo, quidquid regionum ac gentium fuit aliquando juris ac nominis Illyrici. Illyricum hodiernum eſt complexio quædam provinciarum, quæ hodieque nomen Illyricum retinent. Ut clare perſpicere valeas, quatenus extendatur ſive Proprium, ſive Univerſale, ſive Hodiernum Illyricum, ſuis quodque ac diverſis lineis circumſcribitur. Præterea apponendas curavimus notas temporis, quo quæque provincia vel ad jus nomenque Illyricum acceſſerit, vel ab eo divulſa fuerit; quæ omnia, ut diſtinctius explicari, & cognoſci queant, ubi tempus & occaſio dabitur, quatuor illas tabulas, quas P. Philippus confecit, cum noſtris in eas Commentariis proferemus, quibus totius Illyrici profani deſcriptio, & hiſtoria comprehenditur. Reliquæ tres tabulæ expreſſa referunt totidem quaſi ſyſtemata Dalmatiæ, diligenter deſcripta, & pro temporum diverſitate variata & diſtincta; primum Dalmatiæ Romanæ Imperio Romanorum ſubjectæ; ſecundum Dalmatiæ Slavonicæ poſt adventum Slavorum; tertium denique Dalmatiæ Venetæ, atque hodiernę: Venetam appello, propterea quod nunc pars maxima Dalmatiæ ad Venetorum ditionem ſpectat. Sed tabulam ſecundam Dalmatiæ Slavonicę reſervandam duximus tomo ſecundo Illyrici ſacri, ad quem Slavorum in Dalmatiam adventus pertinet.

Prolegomena ad Hiſt. Eccl. Salonit. trifariam diviſa. Pars prima, & ſecunda.

Tabulæ quatuor Geographicæ ad Hiſt. profanam Illyr. & Dalmat.

Pars tertia Prolegomenon bipartita eſt, & duabus ſectionibus diſtincta. Caput primum itemque alterum prioris ſectionis evolvit explicatque origines Eccleſię Illyricę & Dalmaticę, quas uſque a temporibus Apoſtolicis repetendas, atque ad Apoſtolos conditores, ſive ad eorum Diſcipulos referendas eſſe contendimus; in utroque Apoſtoli & Apoſtolici Viri percenſentur, qui populis illis primam Evangelii lucem attulerunt,

Tertia pars Prolegomenon. Eccleſ. Illyr. origines Apoſtolicæ.

Digitized by Google

runt, ecclesiasque illas fundarunt. Sectio secunda tribus capitibus constat. Primum sibi vindicat Descriptio Urbis Salonitanæ; alterum inquirit, utrum ecclesia Salonitana inde usque ab ætate Apostolica jus nomenque Metropoliticum adepta fuerit, ubi multa disserimus & copiose de variis gradibus Hierarchiæ Pontificalis, & veterum ecclesiarum Patriarchalium, Exarchalium, Metropoliticarum, & Episcopalium distinctione; quæ quidem neque ab hujus loci argumento aliena sunt, neque illis, quibus libri non sunt ad manus, unde rerum hujuscemodi notitiam hauriant, inutilia aut injucunda fore speramus. In tertium caput varios Salonensium Episcoporum Catalogos conjecimus, cum nostris in eos animadversionibus, quibus, si quid illis desit, suppleri, si quid ordinis vel temporum perturbatione peccatum sit, corrigi, si quid obscurum est aut confusum, illustrari & explicari possit. Hic etiam nobis oblata est occasio nonnulla breviter strictimque attingendi de antiquis Diptychis, unde veterum Pontificum Catalogi emanarunt. Nec vero committendum putavimus, ut tertiæ huic parti nostrorum Prolegomenon sua deesset tabula Chorographica, in qua ecclesiæ ac Metropolis Salonitanæ fines alias prolatos, alias contractos, veteres pariter, hodiernosque describimus.

Jus Metropoliticum Eccl. Salonit.

Catalogi Episc. Salonit.

Historiæ ecclesiasticæ Salonitanæ formam quamdam rudi penicillo, ac levibus lineamentis adumbraverat P. Philippus, eamque expoliendam ac perficiendam mihi tradiderat. Nominibus fere omnium Antistitum Salonitanorum aliquid materiæ, in qua nobis elaborandum esset, apposuit; & scriptis suis quædam veluti rerum semina injecerat, quibus evolvendis & explicandis Pontificatus cujusque historia augeri & dilatari posset. Præterea Pontificum aliquot ac Divorum Acta ipsemet Italico, vel etiam Latino sermone, licet cursim, ac succisivis operis, & quoquo poterat stylo, describere cœperat; nonnulla etiam majori ex parte digesserat, quibus tamen multa vel addi, vel detrahi, & omnia sub acumen criseos ac styli revocari oportebat. Hic vero lectores prænomendos censeo, ut ne talem expectent a me, aut sibi cogitatione fingant, historiam ecclesiæ Salonitanæ priorum sæculorum, quales solent esse vel mediæ ætatis, vel nostrorum temporum historiæ, quibus rerum copia multa & varia suppeditat, nec desunt Scriptores & monumenta, unde res certas atque exploratas transcribere queas. De rebus ecclesiasticis Salonitanis usque ad sæculum fere quintum nihil memoriæ aut litteris clare distincteque proditum invenitur, præter Acta S. Domnii primi Episcopi Salonitani, S. Donati Confessoris, & S. Anastasii martyris Salonitani, itemque nomina Episcoporum Salonæ; & hæc ipsa nomina, nisi Catalogi Pontificales nobis conservassent, vetustas aut calamitas temporum, & incuria hominum, ut cætera pleraque, perpetua oblivione obruisset. Nam si quæ in Commentariis ejus ecclesiæ, aliisque publicis privatisque erant monumentis, vel igne abolevit persecutio Diocletiani, qui Christianæ religioni pariter sacrisque codicibus bellum crudele ac sacrilegum indixerat; vel irruptionibus barbaricis, & fuga incolarum dispersa sunt, alioque translata; vel denique urbe eversa, incensisque tabulariis pleraque interiere. Quare nobis alterutrum necesse fuit facere, aut tercentos ipsos annos Episcopatum S. Domnii proxime consecutos, Episcoporum nominibus propemodum solis, nudisque & vacuis percensendis transilire, aut rerum copia aliunde, & e communibus quibusdam locis mutuare, ad vastam illam, immanemque trium sæculorum lacunam explendam. Equidem nulla lege adstrictos esse historicos video, ut quod domi deest ad seriem institutæ historiæ continuandæ, foris assumere nequeant, modo communia propriis sic apte intexant, ut illa in sedem quodammodo suam venire, non in alienum locum temere irruisse videantur. Ex historicis sacris & profanis haud paucos proferre possem, qui ad domesticam vel inopiam sublevandam, vel copiam augendam, extranea adsciscere, atque in rem suam convertere minime dubitarunt. Unus nobis instar omnium est Cæsar Cardinalis Baronius, qui primo Annalium tomo, præter institutum historicum, præterque rationem illorum temporum, in quibus tunc versabatur, multa de sanctissimis religionis nostræ dogmatis, & mysteriis docte copioseque disseruit contra hæreticos posteriorum ætatum, qui eadem per summam insaniam, atque impietatem oppugnare aggressi sunt; nec vero contra leges historiæ sapientissimus ille Vir facere se arbitrabatur, propterea quod filum narrationis historicæ hisce ad prælianda prælia Domini digressionibus identidem interrumperet. Et sane ex illo priore tomo si ademeris, quidquid vel ad catholicam religionem propugnandam, vel ad ritus ecclesiasticos illustrandos, vel ad profanam historiam & Chronologiam dilucidandam variis locis Baronius intexuit, eidem tomo ex tribus vel quatuor partibus plus una fortasse detraxeris. Quod si cæteris historicis impune licuit multa extrinsecus accersere, quibus historias suas augerent ornarentque, quis mihi jure succenseat, si ego, non quidem domesticæ supellectilis augendæ cupiditate, sed rerum Illyricarum inopia compulsus, idem mihi faciendum

Historia veterum Salonit. rerum inopia.

Quam ditandi oportuit rebus aliunde adscitis.

Exemplo nobilium Scriptorum.

Digitized by Google

faciendum putaverim. Neque enim ad normam & regulam cæterarum exigi velim historiam ecclesiæ Salonitanæ veterum temporum; quæ cum nequeat esse perspicua & dilucida expositio seriesque rerum gestarum, quippe quarum certam distinctamque notitiam nimia vetustas nobis invidit, atque præripuit, nihil aliud esse potest nisi complexio quædam rerum partim universalium, partim singularium, & ratiocinationum conjecturalium, e quibus rerum ac temporum illorum obscura aliqua & probabilis cognitio elici possit. Itaque post Acta S. Domnii primi Salonarum Antistitis a nobis descripta, & pluribus notis, variisque Dissertationibus illustrata, ad persequendam continuandamque historiam Pontificalem hujus ecclesiæ, aliud fere nihil suppetebat, nisi Catalogi Episcoporum Salonensium, in quibus tota series Episcopalis usque ad quintum sæculum solis eorum nominibus contexitur. Horum itaque Episcoporum Acta cum omnino intercidérint, rebus aliunde quæsitis suppleri oportuit, quæ quidem cum rebus nostratibus permixtæ, & suis locis ac temporibus apte congruenterque dispositæ & continuatæ, veluti in historiæ unius corpus coalescerent. Ex tribus igitur locis communibus quæcumque in rem nostram accommodari posse videbantur, ita decerpsi digessique, & rebus Illyricis intexui, ut omnia aliquo modo connexa inter se & cohærentia justum quoddam historiæ corpus efficerent; si tamen hæc dicenda sit potius historia, quam commentationes quædam de rebus ecclesiasticis Salonitanis,

Ratio scribendæ & locupletandæ hist. Salonit. priorum temporum.

Materia ex triplici communi loco desumpta.

1. Ex hist. ecclesiastica universali.

Ac primus quidem locus, ex quo in usum nostrum multa deprompsimus, fuit historia universalis Ecclesiæ & Imperii, a primo ad quartum sæculum deducta; nam quæ per annos tercentos in multiplici rei Christianæ varietate motuque gesta sunt, maxime illustria, & memorabilia, in epitomen quamdam Chronologicam redegimus, & quæ cujusque Episcopi Salonitani temporibus respondebant, ea cujusque nomini subjecimus, ex eisque conjectando collegimus, quid quisque præclare ac laudabiliter gesserit. Scitum est enim ex universalibus & communibus de singularibus & propriis conjecturam facere, atque ex universæ ecclesiæ statu licet conjicere, quo loco essent res ecclesiæ Salonitanæ, prosperæne fuerint, an calamitosæ, tranquillæ, an perturbatæ, quidve pro temporum diversitate vel incrementi, vel detrimenti ceperint. Inde etiam dignosci potest, quale fuerit cujusque Episcopi regimen, quam varium & multiplex, quam difficile & laboriosum, quam multis sollicitudinibus & periculis implicitum, & quantam singuli diligentiam, vigilantiam, contentionem adhibuerint, sive ut lætis pacatisque temporibus ad rem Christianam amplificandam bene uterentur, sive ut ingruentibus persecutionum tempestatibus, gregem sibi commissum defenderent, eique præsidio essent ac solatio. Nec vero absimile est haud paucos ex illis fuisse, qui tamquam boni Pastores animam suam pro suis ovibus ponerent, ac martyrii decus laborum suorum præmium adipiscerentur; præsertim cum acerbissimis illis temporibus ad cædem primi omnium designari solerent Episcopi, quibus sublatis Christianam religionem funditus eversum iri vulgo existimabant. Multa igitur de rebus vel secundis vel adversis totius ecclesiæ, de Romanis Pontificibus, de Imperatoribus præsertim oriundis ex Illyrico, religioni nostræ aut propitiis, aut infestis, de acerbitate persecutionum, de controversiis & hæresibus per ea tempora subortis, aliaque ejusdem generis breviter perstrinximus, quæ communia cum essent, rebus tamen atque statibus ecclesiæ Salonitanæ, ejusque Antistitum sic illigavimus, ut propria quodammodo, & nostra fierent. Huic ecclesiæ ab anno alterius sæculi quadragesimo quinto usque ad septuagesimum tertii sæculi annum, octo ipsos Episcopos præfuisse invenio, quorum primus Honorius sive Honophrius, postremus fuit Maximus secundus hoc nomine. Horum Episcoporum historiam, cum nihil aliunde suppeteret, ex rebus communibus conficere necesse fuit, decerptis ex historia universali, atque iis in singulos accommodatis ac distributis, quæ ad cujusque tempora pertinebant, ne videlicet annos centum fere ac viginti rerum omnium inanes, & omnino vacuos relinquere cogeremur.

2. Ex hierarchia, disciplina, re critica, & chronologica ecclesiastica,

Alter locus, unde aliquid derivari potuit, transferrique in historiam Salonitanam rerum domesticarum inopia laborantem, continet quædam explicatu cognituque dignissima, quæ ad hierarchiam, disciplinam, remque criticam, & chronologicam ecclesiasticam spectant. Ex his autem haud sane multa, nec temere quidem ac sine delectu, sed ratione & consilio, prout res & occasio se dabat, historiæ Salonitanæ sic intexuimus, ut in eum locum, quem illis tribuimus, non violenter intrusa, sed quam aptissime cadere viderentur. Veluti in tertia parte Prolegomenon, ubi inquirendum fuit, an ecclesia Salonitana inde usque ab sua origine jus titulumque Metropoliticum adepta fuerit, visus est nobis locus idoneus, in quo de institutione Apostolica Metropoleon, de tribus antiquissimis Patriarchis primariis, quibus postea Hierosolymitanus & Constanti-

nopo-

Digitized by Google

nopolitanus accesserunt, & alii deinceps; de tribus itidem Exarchis, de Primatibus & Vicariis Apostolicis, ac de aliis id genus, quæ attinent ad hierarchiam ecclesiasticam, opportune disputaremus. Proxime post S. Domnium ecclesiam Salonitanam administrarunt Cajanus & Symphorianus, quos tradunt ex Ordine Diaconorum electos fuisse promotosque ad Episcopatum; hinc autem oblata nobis est, non longe accersita, occasio differendi de cæteris infra Episcopalem Ordinibus ecclesiasticis, ac præsertim de Diaconis, qui ferme septeni ex Apostolica institutione in singulis ecclesiis constitui solebant, itemque de Archidiaconis, qui secundum Episcopos primarium auctoritatis locum obtinebant, non illi quidem Ordine & charactere, sed potestate & curatione ecclesiastica Presbyteris antelati, horum autem, & Diaconorum, quibus Archidiaconi præerant, munera & officia nominatim persequimur. Neque ab eo, in quo versamur, argumento visum est alienum esse, addere aliquid de Comitiis Episcopalibus, veterique consuetudine eligendi Episcopos, quos e collegio Diaconorum majores nostri sæpe assumere consueverant, Clero populoque suffragia ferentibus, vel certe assentientibus atque approbantibus. S. Domnius, ut in ejus Actis scriptum est, S. Clementem Salonis perhonorifice excepit, ab eoque ex illis Episcopis, quos socios adjutoresque Evangelicæ peragrationis sibi adjunxerat, duos postulavit, quorum opera ac ministerio ad Cajanum & Symphorianum Pontificali charactere initiandos uteretur; locus is nos admonet, ut investigemus, quem in animum inciderit profectio in Dalmatiam S. Clementis, adveneritne Salonas, antequam susciperet, an vero postquam ultro deposuerat regimen ecclesiæ universalis: id quod constitui ac stabiliri nequit, nisi de Clementis Pontificatu Romano, ejusque abdicatione, ac de annis, quibus vel hanc, vel illum illigari oportet, variæ diversæque Auctorum sententiæ exponantur, & quæ verisimilior videtur, ea cæteris præferatur. Videamus præterea necesse est, his duobus Episcopis, quid negotii demus, interea dum S. Domnius vixit, cuique eos muneri velimus esse præpositos, maxime quod antiqui Canones plenissime vetabant plus uno Episcopo in singulis esse civitatibus. Restat igitur, ut fuerint Episcopi adjutores, quos B. Domnius ideirco Pontificia consecratione impertiit, ut sibi ad exsequenda Episcopi munera vicariam operam navarent; id vero non repugnare, sed consentaneum esse legibus institutisque antiquis ecclesiasticis, ut ostenderem, hinc mihi necessitas imposita fuit pauca dicendi de Vicariis Episcoporum, ac præsertim Romanorum Pontificum, quos aliqui Chorepiscopos perperam vocant, eosque & charactere Episcopali insignitos fuisse constat, & jure quodam donatos, ut Clero populoque non dissentientibus in Pontificatum succederent. Ab Cajano, & Symphoriano ad duos alios his proximos Episcopos Salonitanos Hesychium primum, itemque secundum progredimur. Suspicio est alterutrius, vel utriusque Acta, quæ olim fortasse obtabant, compilasse, in suumque transtulisse Hesychium Episcopum Carteræ, larvatos illos Historicos, sive Chronologos, quorum ea consensio inter se & conspiratio fuisse videtur, ut furta & prædas undecumque facerent, convectarentque ad Fastos Divorum Hispaniensium locupletandos, & infarciendos. Hæc suspicio, quam non omnino inanem aut de nihilo esse ibidem ostendimus, satis amplum nobis aperuit campum, in quo excurrere Historia nostra exspatiarique posset; siquidem illorum opera omnia, quæ sub ementitis nominibus prodierunt, fingillatim percensenda fuerunt, fraudes & fallaciæ commonstrandæ, prava & dolosa consilia detegenda, & gravissimæ censuræ referendæ, quas iisdem prudentissimi quippe ac sapientissimi viri, maxime Hispani, inflixerunt. De his autem hoc loco lectores accurate edocere debuimus, ut intelligant quibuscum res nobis futura sit, cum iterum ac sæpius continget, ut istis plagiariis, rerum nostrarum repetundarum causa, litem & actionem intendamus, id quod statim facere aggredimur in Venantio successore alterius Hesychii, quem nobis surreptum, e Salonitano Toletanum Episcopum fecerunt. Hæc & alia ejusdem generis, e promptuariis eruditionis doctrinæque ecclesiasticæ desumpta, variis hujus historiæ locis pro re nata attexuimus; non ea sane, ut vides, longissime adscita, nec quasi per vim, & collo obtorto in historiam Illyricam abducta, sed petita e propinquo, quæ quodammodo sponte sua se offerre, suasque nobis opes ad rerum nostrarum inopiam sublevandam contribuere videntur. Non deerunt fortasse, qui existiment molestam etiam, non modo supervacaneam esse commemorationem rerum hujuscemodi, quas multi & nobiles Auctores docte copioseque pluribus libris explicarunt; hisque onerari verius, quam ornari historiam Illyricam putabunt. Quibus nos ita responsum volumus, non si hæc doctis atque eruditis viris necessaria non sunt, continuo inutilia erunt, & injucunda plerisque aliis, qui antiquitatis ecclesiasticæ cognoscendæ studio tenentur, neque in promptu est illis copia librorum, unde illius notitiam sibi adsciscant. Nimis profecto contrahere, in angustumque con-

Unde a nobis desumpta sit materia ad ornanda Acta Cajani, & Symphor. Epis. Salon.

Et utriusque Hesychii.

De falsis Chronologis sive Historicis Hispaniensibus.

Digitized by Google

concludere videretur induſtriam Scriptorum, remque litterariam, ſi quis nihil ſcribi proferrique in medium vellet, quod ab aliis jam occupatum fuerit, quod non ſit omnibus novum, inauditum, & incognitum; ex quo fieret, ut ingentia volumina in paucas pagellas redigi facile poſſent. Doctis & ſemidoctis ſcribimus, his quidem, ut habeant, unde doctiores fiant, illis vero, ut habeant, de quibus judicent ac ſententiam ferant. Cæterum uſurpare mihi liceat præclarum illud C. Lucilii, qui apud M. Tullium dicebat ea, quæ ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque a doctiſſimis legi velle, quod alteri nihil, alteri plus fortaſſe, quam ipſe, intelligerent.

§. Ex Actis martyrum interpolatis.

Tertius denique locus, ubi latere aliquid viſum eſt, quod jure ſuo videretur poſſe repetere hiſtoria Salonitana, ſunt Acta quorumdam martyrum ac Divorum, quæ opinione omnium corrupta & interpolata cum ſint, & cum illis, quorum nomina præferunt, aut omnino diſcrepent, aut certe omni ex parte non cohæreant, ex quibuſdam indiciis obortа mihi eſt ſuſpicio illuc irrepſiſſe, & rebus aliis implicitum atque involutum deliteſcere aliquid ex hiſtoriis noſtrorum Antiſtitum vel martyrum, quarum jacturam deploramus: idque eo veriſimilius eſt, quod, ut ſupra diximus, & aliis locis paullo diligentius explicandum erit, cum Dalmatia & crebris barbarorum irruptionibus expoſita fuerit, & variarum gentium dominatum ſubierit, magna facta ſit veterum codicum diſperſio atque diſtractio; eos quippe vel incolæ, hoſtibus ingruentibus, alio atque alio fuga dilapſi ſecum abſtulerunt, vel qui rerum in Dalmatia potiebantur, compilatis tabulariis, antequam novis Dominis ſupervenientibus excedere cogerentur, in alias atque alias regiones aſportarunt. Hos autem codices quidam nacti cum eſſent, aut rerum & nominum ſimilitudine decepti, aut mala fide & dolo multa indidem ſumpſerunt, quibus Divorum ſuorum hiſtorias augerent, atque ornarent. Sed hæc alias, nunc quod inſtat. Cum itaque in illis, quæ modo dicebam, Actis martyrum viſus mihi eſſem videre indicia, & veſtigia neſcio quæ rerum atque Epiſcoporum noſtratum, his admonitus in eam ſpem veni, ut ſi paullo acrius cogitationem curamque veſtigandi intenderem, quod quærebam, ſi minus argumentis & rationibus, attamen probabili conjectura aſſequi poſſem. Res erat aleæ & periculi plena, exituſque admodum incerti, quam timide ac dubitanter aggreſſus, conjectando & ratiocinando eo perduxi, ut me ſuſcepti conatus non prorſus pœniteat. Cæterum ne hiſce indagationibus conjecturalibus nimio plus indulgere videar, parce admodum illis utendum cenſui; nec plures ſunt, quam tres aut quatuor Salonitani Epiſcopi, ad quos pertinere quædam, referrique poſſe exiſtimamus, quæ in hiſtoriis aliorum Divorum adventitia eſſe, & ex alienis Actis invecta, maleque cum his cohærere viderentur. Nec vero omnia, quæ in hiſtoriis hujuſmodi ſcripta ſunt, promiſcue & ſine delectu, quaſi jure noſtro repoſcimus, & tamquam propria Epiſcopis noſtris vindicamus; ſed regulis quibuſdam conſtitutis, quibus noſtra ab alienis ſeçerni queant, ea quidem, quæ ab iis non abhorrent, quorum nomine hiſtoriæ illæ inſcribuntur, prorſus intacta relinquimus, quæ vero aptius cum noſtris congruunt, ea tantum repetimus, & quibus videntur eſſe adempta, reſtituimus. Sed quoniam hæc ſatis intelligi nequeunt ſine alicujus exempli appoſitione, quam breviſſime potero exponam, quæ a nobis repetendi ex Actis S. Georgii Palæſtini martyris Acta Georgii Salonitani Epiſcopi, ac vindicandi ratio viaque tentatur; hinc enim aliarum hujuſmodi noſtrarum indagationum ſpecimen capias velim. Primum igitur illud nobis conſtituendum fuit, duos imperante Diocletiano, & iiſdem fere temporibus fuiſſe Georgios, alterum Epiſcopum Salonitanum, alterum martyrem Palæſtinum: quo conſtituto ac declarato, hiſtorias omnes partim aliquo modo varias, partim omnino inter ſe contrarias, Græcas Latinaſque accurate percenſemus, quæ de vita & martyrio S. Georgii Palæſtini extant, hujuſque nomini ſubjiciuntur; nam is unus doctis pariter indoctiſque notus eſt, & Græcorum ac Latinorum litteris celebratus; noſter vero non ſolum in vulgus plane ignotus eſt, ſed ne ipſis quidem viris eruditis cognitus; hujus autem notitiam quærere & inveſtigare ſi alibi coneris, quam in catalogis Pontificiis eccleſiæ Salonitanæ, fruſtra labores. Ex his omnibus porro hiſtoriis Georgianis nulla eſt, quæ germana omnino ac ſincera haberi dicique poſſit, & nulli doctorum hominum cenſuræ ſit obnoxia. In has ergo ſtudioſe ac diligenter inquirere, atque alias cum aliis conferre inſtituimus; & cum Petro Epiſcopo Equilino in iiſdem manifeſto comperimus quadruplicem diſcrepantiam, locorum ſcilicet, temporum, rerum, ac perſonarum, quam ipſi fuſe accurateque explicamus, breviſſime autem Equilinus hiſce verbis expreſſit: *In ejus martyrio multa diverſitas invenitur tam ex parte loci, quam ex parte modi, tam ex parte temporis, quam ex parte judicis.* Hinc autem fit, ut omnia illa, quæ in hiſtoriis Georgianis narrantur, in unum eumdemque martyrem Paleſtinum convenire nequeant; ac proin-

In quibus viſum eſt aliquid latere de rebus Illyricis hagiologicis.

In Actis S. Georgii Palæſtini contineri quædam videntur ad Georgium Salonit. Epiſcopum ſpectantia.

proinde ſi vera ſunt, in duos Georgios ejuſdem quidem ætatis, ſed paucorum annorum intervallo disjunctos, diſtribui debent, & ſua cuique aptari. Illis vero temporibus nullum alium Georgium extitiſſe comperimus, in quem aptius accommodari poſſint ea, quæ Georgio Palæſtino vel ſuperfluunt, vel repugnant, niſi quem nobis Catalogi noſtri exhibent, æqualem ætati atque Imperio Diocletiani. Quare in hiſce hiſtoriis permixta fuerint cum neceſſe ſit Acta Georgii utriuſque, illud conatus ſum, quoad ejus fieri potuit, efficere, ut altera ab alteris ſecernerem, ac pro diverſitate locorum ac temporum, rerum ac perſonarum, quædam Palæſtino, quædam Georgio Salonitano attribuerem. Hac autem Actorum ſecretione facta, & duplici Georgii diſtinctione adhibita, omnis ex hiſtoria Georgiana & diſcrepantia tollitur & confuſio. Cum vero Palæſtinus Græcis, quam Latinis, Salonitanus Latinis notior eſſet, quam Græcis, ſic ſtatuo, in Græcis quidem exemplaribus illum magis, quam hunc eminere; contra vero in Latinis plura eſſe, quæ ad noſtrum, quam quæ ad Palæſtinum pertineant. Singula hic perſequi, pluraque in hanc ſententiam ſcribere ſuperſedeo, cum lucubrationem illam noſtram legere & expendere liceat. Arduum ſane opus fuit, & operoſum, in quo plurimum ſtudii, temporis, ac laboris conſumere neceſſe fuit, nec breviter ac paucis expediri potuit; an vero operæ pretium fecerim, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam, dicere auſim. Non autem ſumpſi hoc mihi, ut rem ita eſſe lectoribus perſuadere non opinione ſolum, ſed etiam ad veritatem plane voluerim. Res enim hæc tota conjecturis nititur, ex quibus opinabile quidem aliquid elicere, nihil tamen, quod certum ſit, concludere queas. Quod vero ſimile nobis videbatur, id ut ſequeremur, quantum cogniti ſtudio & induſtria potuimus, operam dedimus; quam prope autem ad veritatem, ſeu veriſimilitudinem acceſſimus, aliorum ſit judicium; id quidem certe conati ſumus, tentavimuſque, quatenus indagando, conjectando, ratiocinando progredi poſſemus, & hoc quodcumque eſt operis ac laboris, conatum quemdam rite dixeris, quemadmodum Daniel Papebrochius ſuos illos Commentarios, doctos oppido & laborioſos, in Catalogum Pontificum Romanorum, *Conatum Chronico Hiſtoricum* appellavit; cum enim Hiſtoriam & Chronologiam Pontificalem multis difficultatibus impeditam, ac tenebris involutam, certis argumentis & auctoritatibus plane ac dilucidé, omninoque ad veritatem explicare ſe poſſe diffideret, id unum ſibi ſumpſerat, ut eamdem prudentibus conjecturis ac rationibus adhibitis quoquo modo expedire, atque in ordines temporum digerere conaretur. Quid enim prohibet, quo minus hiſtorici cæterique Scriptores aliquando vel ingenii, vel induſtriæ ſuæ quoſdam quaſi conatus exſerant, audeantque in loco aliquid, experiundo ac tentando, ſi quo modo poſſint rebus obſcuris & incertis, aut etiam incredibilibus, ſive lucem aliquam afferre, ſive probabilitatem quamdam conciliare. Huc nimirum illa pertinent, quæ quia ſunt admirabilia, contraque opinionem omnium, Paradoxa appellantur, quæ quidem quamvis nova ſint & inaudita, & parum etiam credibilia, libenter tamen ſi apte ſciteque, ac probabiliter expoſita fuerint, & audiuntur, & leguntur, & legentium vel audientium animos non modo ſua novitate oblectant, ſed etiam probabilitate quadam percellunt, ex iiſque aſſenſionem aliquam eliciunt. Ex illo autem noſtro conatu, quamquam nihil de Georgio Salonitano Epiſcopo ne probabile quidem ac veriſimile, nedum certi aliquid, effici poſſet; in eo tamen, licet ab noſtro inſtituto alienum fuerit, nos elaboraſſe non pœnitet, ut noſtris illis Commentationibus illuſtriora fierent Acta magni illius martyris Palæſtini, ab illiſque rebus ſecernerentur, quæ cum illo minus congruere videantur; dabuntque nobis veniam, opinor, Lectores, vel potius gratiam aliquam habebunt, quod ſi non Salonitani, attamen Palæſtini Georgii plenam, & ſinceram, ſecretamque ab rebus alio pertinentibus, notitiam e noſtris lucubrationibus aſſequi poſſint; quibus itidem alia non pauca intexere neceſſe fuit ad rem propoſitam ſive probandam, ſive illuſtrandam, quæ ad cognoſcendum neque ſupervacanea, neque ingrata illis fore ſperamus. Quæ hujus noſtri conatus vel excuſandi, vel ab illis cenſuris, quibus obnoxius eſſe poſſet, vindicandi cauſa hoc loco dicta ſunt, eadem referas velim ad duos alios Salonitanos ante Georgium Epiſcopos, Agapitum & Joannem, quorum itidem Acta ex hiſtoria S. Agapiti Prænestini, & S. Venantii Camertini martyris repetere conati ſumus.

Ratio ſecernendi & vindicandi, quæ ad noſtrum Georgium prius accommodantur.

Atque ex illis tribus communibus locis, qui modo ſunt expoſiti, quemadmodum hiſtoria Salonitana, ubi rerum ſuarum egeſtate laborat, auctior fieri potuerit, & locupletior, ſatis ſuperque declaravimus. Nunc illud mihi venit in mentem vereri, ne quis nobis vitio vertat, quod in conjecturis adhibendis nimii fuerimus, iiſque licentius, quam deceat hiſtoricos, abuti videamur. Neminem eſſe arbitror, qui neſciat res Chriſtianas trium priorum ſæculorum, eas præſertim, quæ ad eccleſias ſingulares attinent, partim vetuſtate nimia nobis obſcuras eſſe, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernantur,

Hæc Georgiana lucubratio, in qua nihil certum affirmamus, conatus quidam dici poteſt adeo emplum conatus Papebrochiani.

Ex quo eſſi nihil certum aut probabile effici, attamen aliqua percipi poteſt.

Hiſtorico licet conjecturis uti, ubi certa & explorata deſunt,

par-

partim posteritatis notitiæ præreptas fuisse, seu quod nullis fuerint litteris traditæ, sive quod vetera monumenta, quibus commissæ fuerant, ob varios rerum humanarum casus interierint. Ex quo factum est, ut plurima sint prorsus incognita, multa incerta, pauca admodum, quæ paullo diligentius memoriæ prodita, & litteris custodita ad nostram ætatem, nostramque cognitionem pervenerint. Quare qui de antiquissimis illis ecclesiasticis rebus scribunt, iis nihil est conjecturis familiarius, nihil usitatius; e conjecturis siquidem, commentando & ratiocinando eliciunt, unde suppleant, quid illorum temporum historiæ deest, rebus obscuris aliquam lucem impertiant, incertis ac dubiis nonnullam fidem afferant, & nodos sæpe difficillimos sive historicos, sive chronologicos, sive geographicos ratione quadam probabili dissolvunt. Conjecturis frequentissime utuntur Cæsar Cardinalis Baronius, Hagiographi Antuerpienses, Pagius, Tillemontius, aliique in ecclesiastica historia præclari ac nobiles; non quod ex illis certi quidpiam concludi posse existiment, sed quod satius esse censeant res antiquas quoquo modo evolvere & explicare, quam omnino involutas & implicatas relinquere. Non enim est necesse, historicus comperta semper & explorata proferat: ex incertis, sint modo verisimilia, ratiocinando narrationes suas conficit, non illas quidem ad firmam fidem faciendam, sed ad imbecillam quamdam assensionem obtinendam idoneas. Nimio plus exigit ab historicis, qui nihil ab illis afferri velit, quod indubitatis auctoritatibus & monumentis probari nequeat: sunt enim pleraque adeo implicata & obscura, ut prudentiæ historicæ sit, non ea demonstrando explicare velle, sed conjectando suadere, non patentius illustrare, sed utcumque expedire: quo in rerum genere, si quis ad eas explanandas conjecturis scite prudenterque usus fuerit, falli nimirum identidem poterit, reprehendi sine injuria non poterit. Joannes Lucius, qui gravissime omnium & doctissime de rebus Dalmaticis scripsit, quemque propterea excellentiæ & honoris causa *Historicum Dalmatam* plerumque appellamus, in suis libris *De Regno Dalmatiæ & Croatiæ*, plurimum loci conjecturis tribuendum putavit, non solum in primo libro, ubi res Illyricas perantiquas, & perobscuras a primordio evolvere ac dilucidare conatur, sed etiam in reliquis, ubi res posteriorum ætatum, quam diligentissime potuit, persecutus est; quippe, ut ille ait cap. 1. lib. 1. *quæ post Imperii declinationem in Dalmatia evenerunt, apud plures Auctores adeo confusa reperiuntur, ut vix aliquid certi vel distincti percipi queat*. Cum igitur pleraque, præsertim antiquiora, paulloque longius a temporibus nostris disjuncta, conjecturis niterentur, sapienter cauteque statuerat suos libros inscribere atque appellare *Indagationes*; propterea quia nihil aliud propositum sibi esse voluerat, nisi ut indagando & investigando id, quod vero similius esset, quæreret, suisque Commentationibus illustraret. Certe ab illis amovendum censuit titulum historiæ, quod historia, cum sit rerum gestarum expositio, majus quoddam opus esse videatur, quam ut multarum rerum conjecturalium & opinabilium coacervatio nomen historiæ pro dignitate sustinere possit. Quæ quidem ratio apud nos etiam valere debuisset, nostroque huic operi historiæ titulum detrahere; sed non est necesse vim hujus vocabuli ad vivum resecare, & quoniam homines ut expectant, sic vulgo nominant *Historiam Illyricam*, hæc retineat sane nomen illud, quod eidem, quamvis minus apte conveniat, accommodavit tamen aptavitque jamdudum communis expectatio & appellatio. Cæterum hoc quodcumque est operis, ut voles, per me licet, appellaveris sive historiam Illyricam, sive, ut supra dixi, Commentarios de rebus Illyricis.

Idque probatur exemplo nobilium Historicorum,

Cum ergo res antiquissimæ ecclesiæ Salonitanæ in occulto lateant, neque suppetant monumenta, unde certa & perspicua illarum notitia depromi queat, ad conjecturas confugimus, easque nobis subsidio comparavimus, ut tria illa priora ejusdem ecclesiæ sæcula ab silentio ac tenebris, in quibus magna ex parte delitescebant, quacumque tandem ratione vindicaremus. Nec video sane, cur in obscura nocte versanti, ac tetris tenebris & caligine circumfuso optabilius sit omni prorsus luce destitui, quam tenue illud, si forte oblatum sit, & incertum lumen arripere, quod conjecturæ, & rationes conjecturales afferunt. Conjecturarum autem ea est natura & varietas, ut aliæ magis, aliæ minus ad fidem faciendam videantur idoneæ; interdum singulæ leves per se ipsæ sunt atque infirmæ, at simul conjunctæ, si non ad vincendum, certe ad suadendum, vim non mediocrem obtinent; quæ in varias partes duci possunt, nonnumquam etiam in contrarias, iis nihil incertius est, aut imbecillius; quæ aliquibus nullius ponderis esse videntur, apud alios haud parvi momenti esse putantur, & cum res conjecturis penditur, potest non solum aliud mihi ac tibi, sed mihi ipsi alias aliud videri, ut ajebat Tullius, & iidem alias aliud de iisdem rebus & sentiunt & judicant. Hoc certe commodi & utilitatis e conjecturis percipitur, quod sæpe aliorum studia commoveant, quibus acutius est ingenium,

Conjecturarum natura & varietas.

ac præsertim Historici Dalmatæ.

genium, uberior doctrina, & major copia librorum; illoſque excitant ac ſtimulant, ut rem accuratius & penitius inveſtigent, longiuſque inveſtigando progrediantur; eoque interdum diligentiori inquiſitione ac meditatione adhibita perveniunt, ut quæ antea ex obſcuris indiciis opinione attingi tantummodo poterant, ea ipſi certa & clara cognitione aſſequantur. Cujuſmodi autem ſint noſtræ conjecturæ, aptæne ad efficiendum aliquid & ſuadendum, an prorſus ineptæ, judicare non auſim; eas lectorum judicio libentius ſubjecerim. Quocirca moneo jam nunc, prædico, ante denuncio, me nihil in medium eſſe allaturum, cui plus fidei adhiberi velim, quam quantum vel merentur rationes ſeu conjecturæ, quibus res quæque nititur, vel prudens lector tribuendum eſſe cenſuerit: id quod in progreſſu operis identidem, ac ſæpius fortaſſe, quam ſit neceſſe, edico profiteorque in hæc aut ſimilia verba: *recte, ſecuſne conjecerim, aliorum velim eſſe judicium;* nunc autem id præmoneri, & præcaveri oportuit, ne quis exiſtimet meis me conjecturis & opinationibus plus nimio fidere, ac tenacius iiſdem adhæreſcere, quam ut ab illis divelli, & in contrariam partem abduci patiar. In rebus antiquis, longeque ab ætate noſtra remotis, quæ omni litterarum luce carent, ſæpe verſari cum debeam, opinatoris potius, quam hiſtorici partes agere cogor; nec ultra id, quod veriſimile occurrerit, progredi valeo; ac ſæpiſſime quidem rem omnem in incerto relinquens, meamque ab utraque parte aſſenſionem cohibens, eam lectori dijudicandam permitto; ſi vero quid meæ ſententiæ ſit exponam, id, ut potero, explicabo, *non tamen quaſi Pythius Apollo, certa ut ſint & fixa quæ dixero: ſed ut hominem decet unus e multis, probabilia conjectura ſequens: ultra enim, quo progrediar, quam ut veriſimilia videam, non habeo.*

Iremque ob utilitatem.

Auctoris ingenua profeſſio.

M. Cic. lib. 2. Tuſc.

Hæc ratio ac methodus deſcribendæ hiſtoriæ Salonitanæ eccleſiaſticæ priorum trium ſæculorum, viris doctis atque eruditis & viſa, & expenſa, & probata fuit. Hujus quippe formam atque ideam breviter expoſitam, & in ſuas partes, & partium capita digeſtam P. Philippus prudentum ac litteratorum hominum judicio, cenſuræque olim commiſerat. Singulis autem Epiſcopis ſubjecerat capita ſumma rerum fere earumdem, quas partim ex hiſtoria univerſali, doctrinaque eccleſiaſtica decerptas, partim ex aliorum Divorum Actis, vel aliunde conjecturalibus ratiocinationibus deductas, ipſe quidem breviſſimis titulis comprehenderat, nos vero fuſe copioſeque expoſuimus. Quæ omnia cum ſapientiſſimi viri approbaverint, ac laudaverint, a propoſita methodo ac ratione haud mihi diſcedendum putavi, ratus communis publicæque approbationis prædes ac ſponſores habere eos ipſos, qui de illa tam gratia & præclara judicia feciſſent. Uno omnino volumine omnem eccleſiæ Salonitanæ hiſtoriam complecti decreveram, ſed ex iis, quæ P. Philippus paraverat, quæque ipſe collegi, ſeges & copia uſque adeo excrevit, ut ea, quæ ad ejuſdem eccleſiæ tria prima ſecula explicanda & illuſtranda congeſſimus, juſti voluminis materiam ſatis uberem ſuppeditarent; præſertim cum Prolegomena fere dimidiam hujus Tomi partem occupaverint, quæ ſane non debuerant, nec poterant prætermitti. His addere conſtitueramus, hiſtoriæque Pontificali interjicere hiſtoriam Diocletiani, & Divorum ex familia & cognatione ejuſdem Imperatoris, quæ partim ad finem tertii, partim ad initium quarti ſæculi pertinet; hæc enim hiſtoria tota noſtra eſt, quippe cum Diocletianus, itemque martyres Divique ejus conſanguinei ex Dalmatia, atque adeo Salonis oriundi fuerint. Quæ nos cauſæ impulerint ad hiſtoriam hujus Imperatoris fuſe accurateque ſcribendam, eas in Præfatione ad eamdem hiſtoriam declarabimus. Exiſtent autem variis hujus hiſtoriæ locis, itemque in Actis martyrum ac Divorum, quibus cum Diocletiano neceſſitudo & ſanguinis communio interceſſit, multæ & graves controverſiæ hiſtoricæ & chronologicæ de imperio & perſecutione Diocletiani, de illius Collegis Auguſtis vel Cæſaribus, de illius uxoribus, ac præſertim S. Serena Imperatrice, de S. Artemia ejuſdem filia, de nuptiis S. Suſannæ, non Maximiano Galerio, ut vulgo creditum eſt, ſed Maximiano Herculeo decretis, aliæque ejuſdem generis plures; in quibus pertractandis, ac dirimendis, omni ope & opera enitemur, ut antiquitatem ac traditionem eccleſiaſticam ſartam tectam retineamus. Verum hiſtoriam Diocletianeam cum Actis martyrum ac Divorum e ſtirpe Diocletiani, ne ſeries Epiſcopalis interrumperetur, neve hoc volumen plus nimio creſceret, rejicere coacti ſumus ad calcem integræ compleæque hiſtoriæ Salonitanæ Pontificiæ, cujus primam partem hoc Tomo comprehenſam non ultra initia quarti ſæculi, & Imperium Conſtantini Magni, pacemque univerſalis eccleſiæ ab eo conſtitutam perduximus.

Ratio hujus hiſtoriæ ſcribendæ viris doctis probata.

Hiſt. Salonit. Pontificali addenda eſt hiſtoria Diocletiani itemque Divorum ex ejus proſapia.

Fateor equidem ſatius fuiſſe tercentos illos priores annos eccleſiæ Salonitanæ, rerum inopes, atque ob defectum tabularum mire obſcuros, breviter curſimque attingere, quam in illis tamdiu immorari, rebus ad eos illuſtrandos & locupletandos extrinſecus, & undecumque adſcitis, & tanti fortaſſe non erat tribus hiſce ſeculis integrum tomum

Ratioreddi-tur, cur primus Tomus hiſt. Salonit. non ultra

**** tri-

tribuere, in quem universa hujus ecclesiæ historia facile includi posset, si ea resecentur, quæ foris & aliunde assumpsimus. Verum si quid in hoc peccatum est, id non tam consilio & voluntati, quam tempori ac necessitati, cui serviendum fuit, adscribas velim. Etenim cum totius historiæ Illyricæ moles mihi uni imposita fuisset, illud mihi ab iis, quorum auctoritate atque imperio totius vitæ nostræ rationes, nostraque studia diriguntur, impense mandatum fuit, ut quam celerrime possem, aliquid hujus operis jamdiu promissi & expectati absolverem, typisque committerem, ne videlicet diutius communis expectatio frustraretur. Ex ea rerum sylva & copia, quæ parata & congesta fuerat ad hunc primum tomum ea ratione, quam exposui, & methodo conficiendum, multa quidem jam diligenter elucubrata erant, neque aliud, nisi manum extremam desiderabant; cætera vero, in promptu cum esset, unde sumerentur, brevi tempore ac facili negotio componi, in ordinem redigi, expendi, expoliri, ac perfici posse videbantur. Si autem his prætermissis & rejectis, quæ vel jam elaborata fuerant, ac propemodum absoluta, vel certe ad digerendum & expediendum non admodum difficilia fore sperabam, me ad posteriores ætates explicandas & illustrandas contulissem, in hanc rem plurimum negotii ac temporis insumi opus fuisset; quippe cum nihil confecti, aut præparati, aut præmeditati haberem, multi mihi erant pervolutandi ac perlegendi sive codices Mss. sive Auctores typis editi; res plurimæ hac illac dispersæ ac dissipatæ colligendæ, & suis quæque locis statuendæ; temporum ordines explicandi; regionum fines posterioribus temporibus constituti investigandi, ac describendi; monumenta obsoletis verbis, barbarisque locutionibus involuta interpretanda; per eas infra sæculum nonum ætates incedendum, quibus rerum omnium ignoratio, tamquam nox quædam, offusa exiguum veri falsique discrimen reliquit, quod vix oculatissimi internoscere queant. Hoc autem cum nimis longum, ac prope infinitum esset, necessitate quadam coactus tum obsequendi majorum præceptis, tum satisfaciendi publicæ expectationi, decrevi opus inchoatum absolvere, atque in apertum proferre, qualecumque tandem futurum esset, sive aliqua reprehensione, sive approbatione dignum; malujque illud in discrimen aliquod, incertique exitus aleam committere, quam me officio meo communique desiderio deesse, ratus omnibus benignis juxta severisque censoribus meum, si non opus, certe obsequium probatum iri: nam ut præclare ajebat Sidonius lib. 9. Epist. 16. *quoties liber quispiam scribi cito jubetur, non tantum honorem sperat auctor a merito, quantum ab obsequio.* Cæterum si rebus extraneis in hunc primum tomum inferendis nimius fuisse videor, iisdemque in explicandis longior fortasse, quam oportebat, diligenter operam dabo, ut pressius deinde ac brevius, relictis alienis, res nostras expediam, nihilque vel superfluum redundet, vel necessarium prætermittatur in cæteris voluminibus, quæ deinceps sequentur, in quibus vel numquam a proposito argumento digrediar, vel si qua digrediendi necessitas fuerit, modice hoc faciam, aut etiam intra modum; certumque mihi ac deliberatum est non ultra attingere externa in posterum, nisi qua Illyricis rebus cohærent.

ætia priora sæcula progreditur.

Pressius deinceps ac brevius res Illyricæ expedientur.

De Chronologia, sive ratione computandi annos a nobis adhibita, haud multa sunt, quæ hic subjiciam. Quemadmodum historia rerum præteritarum est narratio, sic Chronologia est rerum earumdem certis ex indiciis ad sua tempora temporumque partes accommodatio; quare huic illa materiem copiamque suppeditat, hæc illi vicissim formam, ac velut regulam adhibet. Vetus consuetudo hæc est, jam usque ab antiquissimis ducta temporibus, ut qui res gestas ordine chronologico persequi velit, quædam statuat sibi ac designet initia temporum, memorabili aliquo eventu illustria, certisque notis insignita, unde annorum deinceps consequentium numerum, rerumque scribendarum seriem sic deducat, ut singulas res singulis annis, & suas cuique affigat, quæ quidem capita sive initia temporum alii, nomine a Græcis accepto, *Epochas* vocant, alii *Æras* appellant vocabulo priscis Latinis incognito, ab Hispanis invento, apud quos, ut docet L. Andreas Resendius in epistola ad Joannem Vasæum, Æra nihil aliud significat, nisi notam numeri, & cum ad tempora dinumeranda transfertur, annorum computationem. Hanc huic vocabulo notionem subjiciunt apud eumdem Resendium Nonius Marcellus, Lucilius, & Faustus Regiensis, quibus adde Idacium in Chronico. Neque audiendos censeo, qui hujus vocis originem repetere jubent vel ab ære, quod Augustus, descripto terrarum orbe, ut penderetur Reipublicæ, edixit & sanxit; vel ab ære collatitio, quod Hispania in triumphum D. Calvini contribuere jussa est; nam ab æris contributione æram appellari Latinitas non patitur, ut præclare Petavius lib. 10. cap. 70. de Doct. Temp. animadvertit. Non defuerunt qui ex his notis A. ER. A. idest *Annus erat Augusti*, sublata interpunctione, conjunctis, hoc nomen *Æra* conflatum esse putaverint.

Chronologia quid sit.

Æra & Epocha, quid significent.

Unde æra appellata.

Tres potissimum æras, ut plures alias omittam, sive Epochas ante Christum maxime

ximè illuſtres, & Græcis juxta Latiniſque litteris celebratas invenio; quarum prima inde uſque ab exordio Mundi deducitur, altera ab Olympiade prima per Iphitum inſtaurata, tertia demum ab Roma condita. Multæ itidem æræ, ſive Epochæ poſt Chriſtum natum inventæ ſunt; ſed una illa inter omnes eminet, quam ſæculo ſexto excogitavit Dionyſius cognomento Exiguus is, qui primus Canones in unum volumen collegit, eique præfixit epiſtolam ad Stephanum Salonitanum Epiſcopum, cujus hortatu potiſſimum id operis laboriſque ſuſceperat. Hujus ille initium affigere voluit anno natali Chriſti, aut certe anno illi, qui paucis interjectis diebus, Chriſti ortum proxime conſequitur, ab Kalendis Januariis, ad normam anni Juliani, uſque ad diem extremum Decembris perductus. Hæc æra, quam alii vulgarem, alii communem, alii Chriſtianam vocant, reliquis antiquatis, ſummo Chriſtianorum præſertim Occidentalium conſenſu recepta eſt, hodieque in communi uſu, atque in omnium litteris ac ſermone verſatur. Et quamvis de anno illo, quo reipſa natus eſt Chriſtus, aliqua ſit inter eruditos Chronologos diſſenſio, Latini tamen omnes in hanc æram conſentiunt, & ab hac omnes eodem modo annos Chriſti computant, ut hic ipſe, quo hæc ſcribimus, numeretur annus Chriſti *1749.*, ab qualicumque Epocha & anno Chriſti initium hos annos numerandi duxeris, ſive primus æræ iſtius annus revera congruat cum anno natalitio Chriſti, aut cum eo, qui proxime ſequitur, ſive ab illo aliquot annorum intervallo diſtet: alii enim anno uno, alii biennio, alii quadriennio, alii quinquennio, alii ſex ipſis annis ante initium æræ vulgaris Chriſti ortum conſtituendum eſſe exiſtimant. Quæ quidem de numero annorum, quo natalis annus Chriſti æram Chriſtianam antecedit, inter Auctores controverſia nihil obſtat, quo minus recte procedat numerus annorum hujus æræ, cujus initium omnium ſententia affixum eſt anno Juliano 46., a quo hic annus, in quo verſamur, eſt apud omnes 1749. Itaque caput illud annorum Chriſti, quam æram vulgarem nuncupant, velut limes certus & cardo Chronologiæ eſt, communiſque terminus, in quem Chronologorum omnium ratiocinia, ſic tamquam ab viarum divortiis & ambagibus in idem compitum deducta confluunt.

Tres ante Chriſtum Epochæ illuſtriores.

Poſt Chriſtum æra Chriſtiana ab Dionyſio inventa ſexto ſæculo, vulgaris dicta, & ab omnibus recepta.

De anno Chriſti natalitio variæ opiniones.

Hanc Epocham vulgari uſu ac vetuſtate tritam, receptamque ab omnibus, adhibendam nobis eſſe cenſuimus, non ſolum ad poſteriores, ſed etiam ad ſuperiores ante Chriſtum annos enumerandos: utrinque enim latiſſime patet, omneſque omnino mundi ætates pervagatur; nam infra adventum Chriſti deorſum verſum ad noſtra uſque tempora procurrit; ſupra vero eumdem adventum quodammodo retrograditur, & temporum ante Chriſtum perpetuo incremento augeſcens, ſurſum verſus quaſi quibuſdam annorum gradibus aſcendit uſque ad initium orbis conditi; in quo tamen initio conſtituendo tam multæ ſunt doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes ſententiæ, ut opiniones plus nonaginta de hac re diſſidentes inveniantur; neque uno aut altero ſæculo, ſed annis amplius mille principes in hoc genere ſcriptores inter ſe differunt. Igitur hanc unam Epocham, ſive æram vulgarem cæteris omnibus præferendam, nobiſque perpetuo uſurpandam eſſe duximus, quod nota ſit, atque apud omnes pervulgata, quod definitum habeat certumque annos numerandi initium, ideſt annum Julianum 46., quod abhinc multis ſæculis communi uſu in aluerit, multarumque ætatum poſſeſſione gaudeat, quod denique ad explicandos temporum ordines ſive ante, ſive poſt Chriſtum evolutos perquam appoſita videatur. Si quando vero vel ab urbe condita, vel ab ſerie Chronologica Imperatorum, Pontificum, ac præſertim Conſulum, vel aliunde annorum computandorum rationem adſciſcimus, eam cum æra vulgari ita componimus, ut ſingulis hujus annis ſinguli aliarum Epocharum anni reſpondeant. Ne quis autem contentionis, quam veritatis cupidior, verbi controverſiam nobis obtrudat, antea monemus ac prædicimus hiſce Chronologicis formulis: *Anno æræ Chriſtianæ . . . .* vel *anno a partu Virginis . . .* vel *anno ante, aut poſt Chriſtum natum . . .*, eamdem omnino ſententiam rationemque per nos ſubjici, quæ his verbis, cum annum æræ vulgaris ſive communis dicimus, ſubjecta eſt. Sunt enim, quibus religio videtur eſſe, hanc æram aliter, quam vulgarem ſeu communem appellare, nos vero in has verborum anguſtias compelli nolumus; parvi enim refert, quibus quidque vocabulis exprimas, modo de reipſa conveniat, & loquendi formulis uſu receptis utare. Omnes omnium ordinum homines æram vulgarem adoptarunt, eamque ſive ſcripto, ſive familiari ſermone uſurpant; & quamvis plerique, ac fere omnes eruditi negent æram vulgarem cum vera Chriſti nati Epocha congruere, his tamen nulla religio eſt, quo minus ad deſignandos æræ vulgaris annos promiſcue utantur hiſce formulis: *Anno Chriſti . . . Anno poſt Chriſtum natum . . . . Anno a partu Virginis . . .* &c. quæ ut veræ ſint, tacite adjicias oportet: *juxta com-*

Æra vulgaris a nobis adhibenda, annis ante & poſt Chriſtum numerandis apta.

Æra vulgaris varie appellata,

reipſa non congruit cum vera Chriſti naſcentis Epocha.

Digitized by Google

putationem æræ vulgaris. Quo fit, ut ex uſu communi, penes quem arbitrium atque norma loquendi eſt, idem illæ formulæ valeant, atque hæc: *Anno æræ vulgaris* . . . eumdemque omnino annum ſignificent. Itaque habeantur licet pro Synonymis hæ voces *æra vulgaris*, & *æra Chriſti*, ſive *Chriſtiana*, ideſt a Chriſtianis adhibita; & nemo eum reprehenſione dignum exiſtimat, qui hunc annum, in quo verſamur, *ab Incarnatione Dominica*, ſive ab adventu Chriſti 1749. numeraverit, quamvis vera Chriſti naſcentis Epocha aliquot annis antecedat initium æræ vulgaris, cujus nunc annus agitur 1749. Hæc temporum ab ortu Chriſti e præſcripto æræ vulgaris computandorum ratio, hæ loquendi formulæ paullulum quidem a veritate diſcrepant, cum tamen plurium ſæculorum uſu jam invaluerint, eas docti & prudentes viri tutius eſſe exiſtimant retineri, quam corrigi; inveteratis quippe malis majori fere incommodo, quam utilitate remedium adhibetur. Fac enim aliquis ab ipſo anno Chriſti natalitio novam annos numerandi rationem, vetere & communi ſublata, in hominum mores & conſuetudinem induceret, næ ille magnam perturbationem afferret tum hominum commercio, & actis publicis privatiſque, tum ſuperiorum temporum hiſtoriæ, quæ minus perſpicua fieret, temporum ordinibus immutatis, & variarum Epocharum quadam nube lectoribus offuſa; cum enim incertus ſit annus ille ortu Chriſti inſignitus, ab hoc alii plures, alii pauciores annos dinumerarent. Demus igitur aliquid communi conſuetudini quamvis a veritate aberranti, latius tamen propagatæ, quam ut aboleri ſine aliquo incommodo poſſit, ne major inde rerum ac temporum perturbatio exiſtat, unde rectus ordo, & fixa diſponendorum temporum ratio quæritur.

Communis loquendi uſus, quamvis minus ad veritatem exactus, retinendus tamen.

Æra vulgaris ante Chriſtum ad normam Petavianæ Chronologiæ, poſt Chriſtum ad normam Baronianæ Chronologiæ nobis exigenda.

Cum igitur ad ſuperiora ante Chriſtum ſecula in ordinem redigenda æram ab Chriſto retrogradam mihi adhibendam eſſe conſtituerim, rerum ac temporum illorum ſeriem fere omnem contexui ad normam Chronologiæ Petavianæ, quam præſtantiſſimus ille Chronologus libro XIII. de Doctrina temporum conſtituit & uſurpavit. In rebus vero poſt Chriſtum geſtis explicandis digerendiſque in annos æræ vulgaris, Baronium præclariſſimum Annalium eccleſiaſticorum conditorem, & parentem potiſſimum ſequor. Sed cum de annis aliquorum Pontificum & Imperatorum Romanorum Scriptores inter ſe diſſentiant, & in illis ſupputandis ac definiendis Baronium aliquando erraſſe apertiſſime oſtenderint, neque mihi Baronianæ Chronologiæ veſtigiis ſemper inſiſtendum putavi, & ſæpe, ubi eſt de uno alterove, aut pluribus annis inter Scriptores controverſia, Epochis Baronianis aliorum Epochas ſubjunxi, ut quem quiſque maluerit, rerum geſtarum ordinem ſeriemque deligat, & ſequatur. Cum nullæ ſuppetunt notæ, nullaque indicia, unde elici queat definirique annus, quo cum Regum, Imperatorum, Pontificum initia atque obitus, & illuſtria facta certo colligari poſſint, hæc annis illis, qui nobis probabiliores videntur, interpoſito *circiter*, adverbio temporis incerti, ſubjicimus. Si qua vero nobis via ſe aperiat, ſi qui ex antiquis Scriptoribus ſe præbeant duces ad inveſtiganda rerum præteritarum tempora, diligentiam curamque adhibere non omittimus, ut quoad licet, annum illum, quo quidque actum eſt, quibuſdam notis ac veſtigiis aſſequamur.

Chronologia veteris hiſtoriæ ſæpe incerta.

Cæterum quæ ad rationem Chronologicam veteris hiſtoriæ attinent, cum plerumque incerta ſint, & opinabilia, ea non tam aurificis ſtatera, quam populari quadam trutina examinari oportet; ac nihil ferme intereſt in deſcriptione rerum ac temporum, quæ ab noſtra ætate longiſſime diſtant, certo noſſe ac definire, pauciſne annis ſerius, an citius id, de quo agitur, contigerit; modo conſtet factum illud, quemcumque tandem in annum conferatur, intra certos, & fixos unius biennii, aut triennii terminos includi debere. Neque vero utilitate illa, quam ex accurata temporum notatione percipimus, propterea caret hiſtoria, quod ſuum cuique rei annum attribuere atque affigere nequeas. Nam ſi mihi tempora & geſta recte atque ordine ſic diſtribuas, nihil ut confuſum, aut præpoſterum ſit, exiſtet continuatio quædam ſerieſque rerum, omnia inter ſe ſucceſſione ætatum connectens, in qua totius hiſtoriæ ordo, & perſpicuitas maxime conſiſtit. Interdum etiam, cum nullis ex indiciis res præteritæ, de quibus eſt ſermo, ad ſua tempora, temporumque partes accommodari queant, nec annorum ſingulorum exacta ratio inſtitui poſſit, integris potius ac ſolidis, quam fractis numeris & imminutis juſta per intervalla, rerum memorabilium tempora notanda duximus, quo & memoriæ imbecillitati, & temporum veritati quam maxime ſerviremus.

Ars Critica Hiſtorico neceſſaria quid ſit.

Ad ſcribendam hiſtoriam negant viri Sapientes quemquam idoneum eſſe, quin egregie inſtructus ſit præceptis inſtitutiſque Artis Criticæ, quæ nihil aliud eſt, niſi ratio quædam recte judicandi, vera ſcilicet & falſa diſcernendi; eique quaſi materia, quam tractat, & in qua verſatur, ſubjectum eſt quidquid ampliſſimis reipublicæ litterariæ finibus continetur. Etſi autem hujuſmodi ſtudium veri falſique dijudicandi, quod mutuato a

Græcis

Græcis nomine, Critice dicitur, per omnia litterarum ac disciplinarum genera late fusum, ubique locum habet; attamen historicam provinciam jure quodam præcipuo tenet, eamque in primis moderatur. Quæ quidem ars, sive scientia, cum ipsa per se optima sit, magnoque in litteris usui, aliqua tamen invidia laborat, quod qui se Criticos profitentur, in judiciis ferendis severiores interdum, quam æquiores se præbeant, omnemque hujus facultatis laudem in judicandi fastidio ponant, ut nihil omnino recipiendum, & approbandum putent, quod non certissimis monumentis traditum ad nos devenerit; quo fit, ut pias Majorum traditiones, multasque Divorum historias multorum consensu probatas vel in dubium vocent, vel in contemptum adducant; & justissima est prudentum virorum querela de Criticis hujusmodi, per quos plura detrimenta historiæ sacræ, quam adjumenta importata esse existimant. Sæpe nobis dicendum erit de nimia istorum sive severitate, sive confidentia; quippe omnem legitimæ censuræ modum & potestatem prætergressi, plus nimio in rerum veterum memoriam, præsertim sacrarum, sibi arrogant, sibique licere arbitrantur. Jure sane viri graves & cordati præcipiunt in omni re videndum esse quatenus; etsi autem suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum; atqui si necesse est in alteram peccare partem, ex iis, quæ bona fide a majoribus vel scripta sunt, vel tradita, omnia probari posteris, quam multa reprobrari maluerim. Non est, mihi crede, res historica ad vivum resecanda, aut exigenda ad regulam illarum disciplinarum, quæ certa & numquam fallente scientia continentur; sed vel conjectura & probabili ratiocinatione, vel humana fide nititur, quæ & falli & fallere potest; eamque si quis nimis exigue & exiliter ad calculos revocare velit, hunc ego superstitioli potius, quam accurati diligentisque Scriptoris nomine dignum putaverim. Primum itaque fateor, atque etiam profiteor, & præ me fero maximi apud me ponderis esse, quidquid majores nostri boni & prudentes viri litteris ac memoriæ mandarunt; tantumque abest, ut auctoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogem, ut quæ illi tradunt ac docent, ab Criticorum quorumdam oppugnationibus vindicare omni ope operaque contendam. Plurimi etiam mihi est auctoritas præsertim consentiens recentiorum scriptorum, qui de rebus antiquis graviter docteque scripserunt; & si quando ab unius alteriusve nobilis probatique scriptoris sententia, majori vel rationum vel auctoritatum momento in contrariam propellente, dissentire cogar, non committam, ut mea erga illum, vel in dissentiendo, reverentia desideretur. Et quamquam illis potissimum Auctoribus summam fidem habendam putem, qui suæ ætatis sueque provinciæ monumenta scriptis consignarunt, aut certe non longe aberant ab illis temporibus locisque, quorum historiam scribunt, & vel interfuere ipsimet rebus gerendis, vel ab iis, qui aderant, viderantque, acceperunt; tamen quia paucos ex his proferre possum, nihil est, cur scriptores ætatum longe inferiorum testes ad fidem faciendam adhiberi nequeant, maxime si cum vitæ integritate morumque probitate prudentiam quamdam in rebus deligendis, momentoque suo ponderandis conjunxerint; quippe cum nulla in eos sive levitatis, sive mendacii suspicio cadat. Nec vero omnino negligendos censeo Scriptores, quorum vel auctoritas exigua est, vel fides ambigua, aut propemodum nulla, si quid præsidii ex illis nanciscì possum ad id confirmandum, cui conjecturæ vel rationes aliunde adscitæ suffragantur, & nulla gravior ratio, vel major auctoritas officit. Nam isti etiam identidem lumen aliquod præferunt ad veritatem si minus assequendam, certe investigandam; & interdum quidem fallacissimi vera dicunt, quemadmodum veracissimi aliquando falsa. De antiquis monumentis, Actisque Martyrum ac Divorum, haud multa superesse, quæ primigenia sint, ac germana, omninoque sincera, nemo ignorat. Hæc ubi desint, non video, cur in horum locum subjici nequeant alia id genus monumenta ætatis notæque inferioris, quamvis neque interpolationibus, neque mendis careant; quibus sane æquius ac rutius est correctionem aliquam, notis appositis, adhibere, quam fidem omnem & auctoritatem derogare. Neque enim usque eo difficiles ac morosi sumus, ut si quid in hujusmodi scriptis vel varietate nominum & locorum, vel perturbatione temporum, vel ignoratione veteris historiæ peccatum est, omnia statim abjudicanda, & rejicienda esse existimemus; quod illi faciunt, qui cum omnia & singula lente ac fastidiose probent, ubi aliqua reperiunt, quæ a veritate discrepant, quidquid ibidem narratur, id totum improbant, aut in suspicionem vocant; in quo, ne quid gravius dicam, iis similia facere videntur, qui nummos omnes sibi oblatos repudiarent, quod adulterinos aliquot cum illis permixtos, falsaque nota signatos invenerint. Quin immo illas etiam Divorum historias, in quibus tanta labes facta est, ut omnium judicio reprobentur, non omnino respuendas esse arbitramur; ex his siquidem, si ad eas corrigendas

Critici severiores plus detrimenti, quam adjumenti Historiæ Sacræ attulerunt.

Regulæ quædam criticæ, & variæ Auctorum classes.

Scriptoribus deterioris notæque & quibus in rebus fides haberi possit.

Acta & monumenta interpolata & mendosa non rejicienda, sed corrigenda.

explicandaſque diligentem curam operamque contuleris, aliqua elici poteſt ſeu veritas hiſtorica, ſeu cognitio veruſtatis ; nam & Virgilium dicere ſolitum fuiſſe accepimus, e aurum ex Ennii ſterquilinio colligere . Ut paucis multa complectar, ad rem Criticam quod attinet, ego ſic exiſtimo, in rebus veſtigandis, & veritate porquirenda, haud magis incuriam, quam nimiam curioſitatem vitari debere; & quo ad ejus fieri poteſt, neutram in partem declinandum cenſeo, optimique Critici officio ſatis eum facere ſtatuo & judico, qui tum ab temeritate in aſſentiendo longe abſit, tum moroſitatem quamdam inutilem in probando odioſamque defugiat . Quæ rationi , & veritati conſentanea videntur, quæ inſignes quaſdam veri notas præferferunt , quæ apta ſunt & idonea ad eliciendum prudentiſſimi cujuſque aſſenſum, his contenti eſſe debemus ; nam & veritatis inveſtigandæ modus ſtatuendus eſt, quem ſi quis prætergredi conetur, nuſquam inveniet, ubi conſiſtat, nullum dubitandi, & inquirendi finem faciet; nolle autem in iis acquieſcere, quæ prudentum judicio credibilia ſunt, aut ſuperbiſſimi ingenii eſt , aut faſtidii delicatiſſimi. Non enim, ut paullo ante dicebam , res hiſtoricæ aurificis ſtatera , ſed vulgaris cujuſdam prudentiæ trutina expendi debent ; & inique eum facere dixerim , qui tantam in hiſtoriis antiquis evidentiam requirat, quanta ineſt aliis rebus , quæ aut oculis percipi, aut certa ratione & ſcientia comprehendi poſſunt . Habet ſane hiſtoria ſuam quamdam evidentiam, non illam quidem, ut ſcholæ appellant, metaphyſicam, aut phyſicam, cui falſitas ſubeſſe nullo modo poteſt; ſed moralem, ideſt tam perſpicuis illuſtribuſque veritatis notis inſignitam, ut non imbecillam, ſed firmam ex hominum animis aſſenſionem exprimat , cui diſſentiri ſtultitiæ ſit argumentum vel certiſſimum . Verum neceſſe non eſt, Hiſtoricus certa ſemper afferat, omninoque perſpecta & explorata, quæ nemo, niſi admodum impudens, in controverſiam revocare poſſit. Nam quemadmodum alia multa diſciplinarum genera, ſic etiam Hiſtoria e rebus partim certis, partim opinabilibus conſtat; opinabilium autem varii ſunt gradus, & alii propius , alii longius a vero , aut a veriſimilitudine abſunt . Vim autem ſtudiumque Criticæ facultatis non in eo ſitum eſſe cenſeo, ut nihil prorſus aut ſcribi, aut credi debeat, quod non omnino certum ſit, nullique dubitationi obnoxium; ſed boni moderatique Critici has partes eſſe præcipuas contendo, ut certa ab incertis diſcernat, varios opinabilium gradus ſcite diſtinguat, unde ſumpſerit quæ profert, quomodo ſciat, a quibus acceperit, libere atque ingenue exponat; neque majorem fidem rebus, & auctoritatem adjungat, quam rationes, ſeu conjecturæ, quibus nituntur, vel codices & auctores, unde ſunt depromptæ, merentur. Hæc ego, quantum pro mea imbecillitate aſſequi poteram, præſtare ſum conatus; an vero aliquid, & quatenus, quod volebam, effecerim, aliorum eſto judicium. Atque tum de univerſa hujus Hiſtoriæ ſcribendæ ratione, tum de ſingulis rebus judices eſſe optamus Lectores noſtros benevolos ac ſapientes, a quibus doceri, redargui, refelliique facile patiemur; quin etiam gratiam illis & agemus, & habebimus, ſi quæ in hoc Opere animadverterint reprehenſione digna, ut erunt ſane plurima, de iis nos ſincere ac perhumaniter admoneant, quo diligentius in poſterum ab ejuſmodi erroribus, de quibus admoniti fuerimus, nobis cavere, & quos admiſimus, corrigere poſſimus. Illud vero prudentes ac benigni Lectores, inter hæc noſtra legenda, ſecum ipſi reputent velim, nihil ſimul inchoatum & perfectum eſſe, nec poſteriora ſolum conſilia, ſed etiam opera prodire meliora; qui proinde jure quidem ac merito reliquas hujus Hiſtoriæ partes & rerum Illyricarum copia auctiores, & accuratius perfectiuſque elaboratas expectare a nobis, aut potius exigere poterunt; præſertim ſi nos amice & fideliter edoceant, quid in hac priori parte vel corrigi, vel addi, vel detrahi oportuiſſet, ſi faciles in venia danda erratis, noſtriſque ſtudiis ac laboribus probandis ſe præbeant, ſi optimæ erga nos conatuſque noſtros voluntatis ſignificatione ad cœpta ſtrenue perſequenda animos addant, ſi demum codices & monumenta, quæ in rem noſtram fore cognoverint, cæteraſque ejuſmodi litterarias opes, publicis vel domeſticis archivis & bibliothecis abditas, prompte nobis liberaliterque communicent.

Vitanda tum temeritas, tum moroſitas in aſſentiendo.

Hiſtoria veriſimilitudine rerum ſæpe contenta eſt.

Partes æqui & moderati Critici.

Auctor omnia ſua judicio Lectorum ſubjicit, a quibus doceri, & corrigi cupit.

Quid Auctor a Spalatenſibus ac Dalmatis petat,

Ad extremum Dalmatas & Spalatenſes oro quæſoque, ut ſi quid in rebus lociſque Dalmaticis deſcribendis a me peccatum eſt, id mihi incuriæ ac negligentiæ tribuere nolint. Quod vel in libris editis, vel in ſchedis manuſcriptis inveni, id ego fideliter exſcripſi. Fateor equidem in ſcribendo, interdum mihi ſcrupulos aliquos injectos, & dubitationes ſubortas eſſe; verum neque regiones illas per me ipſe adire ac luſtrare potui, neque habui, quem conſulerem, rerum & locorum, de quibus dubitabam, ſcientem ac peritum . Itaque neceſſe fuit per litteras Spalatum confugere ad viros topographiæ reique Dalmaticæ gnaros ac prudentes, a quibus per litteras itidem de iis edocerer, quæ mihi ignota erant, aut non ſatis perſpecta. Sed aliquando accidit, ut vel epiſtolæ

Digitized by Google

ſtolæ ultro citrove miſſæ, propter longinquitatem, & propter incertos exitus itineris maritimi intercidirent; vel reſponſa perplexa, ut fit, ac minus perſpicua redderentur, quæ non omnem ex animo dubitationem, omneſque ſcrupulos exellerent. Quapropter quorum notitiam ne probabilem quidem aſſequi poteram, ea prætermittere ſatius eſſe duxi, quam exponere me periculo, ne forte in errorem aliquem, juſtamque reprehenſionem incurrerem; quædam timide ſcripſi, dubitans plerumque, & ſchedulis libriſque diffidens; cætera vero, quæ videbantur ſatis mihi eſſe comperta, fidenter ſane ac ſine dubitatione expoſui. Illud me ſolatur ac recreat, quod ſi forte aliquid a veritate alienum imprudenti & invito excideris, errate corrigendi locus, in altero, quod proxime ſequetur, Hiſtoriæ Salonitanæ volumine, opportuniſſimus ſe mihi præbebit.

Habes optime ac ſapientiſſime Præſul, de P. Philippo Riceputo auctore ac parente Illyrici ſacri, de illius magno & laborioſo incœpto, de ingenio & doctrina, ſolertia atque induſtria, totoque apparatu litterario, quæ lectoribus hujuſmodi rerum ignaris declaranda, Tibi vero in memoriam redigenda eſſe cenſebam; habes itidem totam conſiliorum ac ſtudiorum meorum rationem, ac meam qualemcumque operam ac diligentiam in hac prima hiſtoriæ Salonitanæ parte adhibitam, quam ſi probabis, ſimul facies, ut majori alacritate ſtudioque cætera perſequar, quæ ad res antiquiſſimæ illius ac nobiliſſimæ eccleſiæ, cui Tu nunc præſides, explicandas & illuſtrandas pertinent. Cur autem, quæ in principio hujus operis præfari oportuit, ad Te potiſſimum ſcripſerim, præterquamquod ipſamet argumenti ratio, & cauſæ aliæ, quas initio expoſui, id a me poſtulabant, Tute ipſe intelligere poſſes, niſi obſtaret, quo minus intelligeres, tua iſta animi moderatio, tanto magis excellens & admiratione digna, quanto hæc rarius cum eximia virtute & doctrina conjungitur. Sed quod Teipſum latet, effugere minime potuit ſummam illam perſpicaciam & providentiam, in omnes Chriſtianæ reipublicæ partes, omneſque Apoſtolicæ ſollicitudinis adminiſtros intentam Benedicti XIV. Pontificis Max. qui cum ita ſtatuiſſet tantam virtutem ac ſapientiam, tam eximium divini cultus proferendi, æterneque hominum ſaluis procurandæ ſtudium, tantam denique rei eccleſiaſticæ gerendæ ſcientiam atque induſtriam haud diutius oportere exiguis eccleſiæ Arbenſis finibus circumſcribi; Te unum delegit ex multis, cæteroquin maxime idoneis ad regimen quamlibet difficile & varie diffuſum cujuslibet provinciæ ac Metropolis eccleſiaſticæ, quem in iſto faſtigio eccleſiæ Dalmaticæ collocaret, ut ipſe quidem oſtenderet quanti Te faceret, & quantum Tuæ fidei, ac virtute confideret, Tu vero campum ampliſſimum nactus, in quo excurrere tua Paſtoralis ſollicitudo, & flagrans ad omnia religionis & charitatis opera ſtudium, cognoſcique poſſet, e Spalatenſi Metropoli jus Primatiale, poteſtatemque Metropoliticam per omnes eccleſias Dalmatiæ ſuperioris longe lateque protenderes. Quod ſi hæc ratio, quæ me in primis impulit, ut Præfationem hanc meam tuo nomine inſcriberem, non ſatis arridet modeſtiæ tuæ, eam ſane nunc miſſam faciamus; alias enim de Te, tuiſque præclaris geſtis ſcribendi occaſio aderit, non illa quidem a me quæſita, ſed ultro ſe offerens, cui, vel Te invito, deſervire atque obſequi cogar, niſi meo inſtituto ac muneri deeſſe voluero. Interea ſic habeto, hanc Tui appellandi, ac Teçum præloquendi occaſionem mihi amplectendam fuiſſe, ut Tibi de me, ſtudiiſque meis, ac de univerſa hiſtoria Illyrica egregie merito, hoc qualecumque grati animi officium perſolverem, ac meam erga Te voluntatem tuorum meritorum memorem publice profiterer.

Digitized by Google

CONSPECTUS
HUJUS VOLUMINIS.

PARS I. PROLEGOMENON,

De Illyrico.

Caput I. *De Pelasgis conditoribus Gentis Illyricæ.* pag. 1.
§. 1. *De origine nominis, & generis Illyrici.* ibid.
§. 2. *Fines Illyrici primigenii & proprii.* 3
§. 3. *Prima Illyrici propagatio. Hylli regnum, interitus, successores.* 4
Caput II. *Liburni expulsis Græcis Illyricum occupant.* 6
§. 1. *De genere Liburnorum, eorumque in Illyricum adventu.* ibid.
§. 2. *Liburni dominatum maris Adriatici obtinent, societatem imperii maritimi cum Etruscis jungunt.* 8
§. 3. *Liburnorum opes maritimæ ac terrestres a summa florentique fortuna paullatim desciscunt.* 9
Caput III. *De Celtarum in Illyricum, Siculorum in Adriaticum mare adventu.* 10
§. 1. *Celtæ Liburnis subactis vel expulsis regiones finitimas Illyrico, ipsumque Illyricum occupant.* ibid.
§. 2. *Siculi maris Adriatici imperium Tuscis ac Liburnis ademptum ad se pertrahunt; eorum fœdera & bella cum Illyricis Celtis, & coloniæ in Illyricum deductæ.* 13
§. 3. *Dionysius senior Adriatici maris imperium sibi vindicat.* 15
§. 4. *De Regibus, ac rebus terra marique gestis Illyriorum. Bardyles Rex Illyriorum.* 17
§. 5. *De Clito, & Glaucia Illyriorum Regibus.* 19
§. 6. *De Agrone, Pineo, Pleurato II. Regibus Illyriorum.* 22
§. 7. *De Gentio postremo Illyriorum Rege, & regni Illyrici interitu.* 32
§. 8. *Regiones Illyrico adjectæ sub imperio Regum Celtarum.* 37
Caput IV. *Romani paullatim Illyrios subigunt, ac totum denique Illyricum adepti multis provinciis augent, ejus finibus ad Septemtrionem & Orientem latissime propagatis.* 40
§. 1. *Primum bellum Illyricum.* ibid.
§. 2. *Secundum bellum Illyricum.* 43
§. 3. *Appendix de primo & secundo bello a Romanis contra Istros suscepto.* 45
§. 4. *Tertium bellum Illyricum.* 47
§. 5. *Quartum bellum Illyricum, & primum Dalmaticum.* 50
§. 6. *Quintum bellum Illyricum & secundum Dalmaticum; sextum & septimum Illyricum; octavum, & nonum Illyricum, itemque tertium & quartum Dalmaticum.* 52
§. 7. *Bellum decimum Illyricum & quintum Dalmaticum.* 54
§. 8. *De reliquis Romanorum bellis Illyricis.* 58
Caput V. *De Illyrico sub Romanis aucto, diminuto, diviso.* 64
§. 1. *Romani multis a Septemtrione, Oriente, ac Meridie provinciis Illyricum auxerunt.* ibid.
§. 2. *Regiones avulsæ ab Illyrico. Illyricum diminutum,* 71
§. 3. *Descriptio Illyrici hodierni.* 79
§. 4. *De variis Illyrici divisionibus,* 80

PARS II. PROLEGOMENON,

De Dalmatia.

Caput I. *De Dalmatia antiqua.* 87
§. 1. *Origo, & initium nominis Dalmatici. Fines Dalmatiæ primigeniæ.* ibid.
§. 2. *Divisio tripartita Illyrici Regii, Liberi, Tyrannici ab Scbymno tradita, ad exordium nominis Dalmatici referenda est.* 88
§. 3. *Cur Dalmatia dicta sit ab aliis prima pars Græciæ, ab aliis Regio Italiæ.* 90
Caput II. *De populis Dalmatiæ antiquæ ante nomen Dalmaticum exortum.* 94
§. 1. *De Nestis ac Maniis.* ibid.
§. 2. *De Autariatis,* 95
§. 3. *De Ardiæis.* 97
Caput III. *De multiplici propagatione nominis ac generis Dalmatici.* 100
§. 1. *Propagatio prima, Res Dalmaticæ ab exordio Dalmatici nominis usque ad initia æræ Christianæ,* ibid.
§. 2. *Propagatio secunda nominis ac finium Dalmatiæ.* 106
§. 3. *De Magistratibus Romanis Dalmatiæ præpositis.* 109
§. 4. *Propagatio tertia nominis Dalmatici usque ad Dravum & Danubium.* 115
§. 5. *Propagatio quarta Germanica nominis Dalmatici in Germaniam invecti.* 118
§. 6. *Fines Dalmatiæ hodiernæ.* 120
Caput IV. *De multiplici divisione Dalmatiæ.* 121
§. 1. *Triplex divisio Dalmatiæ sub Imperatoribus Romanorum.* ibid.
§. 2. *Divisiones Dalmatiæ sub dominatu Slavorum.* 122
§. 3. *De bipartita divisione Dalmatiæ ad mare, & supra mare, sive Dalmatiæ Illyricæ, & Italicæ.* 127
§. 4. *Divisiones Dalmatiæ hodiernæ.* 132
Caput V. *Descriptio Dalmatiæ hodiernæ.* 134
§. 1. *De Montibus Dalmatiæ.* ibid.
§. 2. *De fluviis & lacubus Dalmatiæ.* 136
§. 3. *De ora & urbibus maritimis Dalmatiæ.* 141
§. 4. *De regionibus & urbibus Mediterraneis Dalmatiæ.* 151
§. 5. *De populis Mediterraneis ac Maritimis Dalmatiæ hodiernæ.* 161
Caput VI. *De cœlo, solo, incolis Dalmatiæ.* 165
§. 1. *De natura cœli solique Dalmatici.* ibid.
§. 2. *De indole & moribus Dalmatarum.* 167
§. 3. *De re militari, belliciisque laudibus Dalmatarum.* 169
§. 4. *De præstanti Dalmatarum ingenio, & studiis optimarum artium.* 179
§. 5. *De pietate, ac religione Dalmatarum.* 181
Caput VII. *De insulis Illyrici maritimi, sive Dalmatiæ hodiernæ.* 186
§. 1. *De insulis Japydicis,* 188

§. 2.

Digitized by Google

§. 1. *De insulis Liburnicis.* 193
§. 3. *De insulis Dalmaticis.* 195
§. 4. *De mari Adriatico, ejusque variis nominibus, & Dominis.* 201

PARS III. PROLEGOMENON.

De Illyrica & Dalmatica Ecclesia, tum de Salona & Ecclesia Salonitana.

Sectio I. De Illyrica & Dalmatica Ecclesia. 234

Caput I. *De originibus Apostolicis ecclesiæ Illyricæ & Dalmaticæ.* 234
§. 1. *An D. Petrus Illyricum & Dalmatiam adierit.* 235
§. 2. *An D. Paulus in Illyrico Christi Evangelium divulgaverit.* 243
§. 3. *An alii ex Apostolis ad conversionem salutemque Illyriorum aliquid operæ contulerint.* 248
Caput II. *De discipulis sive Christi, sive Apostolorum, qui apud Illyrios rem Christianam amplificarunt.* 255
§. 1. *De Apostolatu Illyrico Clementis, Lucæ, Apollinaris.* 256
§. 2. *De aliis e Christi vel Apostolorum disciplina cultoribus Evangelicis Illyrici.* 260
§. 3. *De SS. Tito & Herme Apostolis & Episcopis Dalmatiæ.* 266
§. 4. *De S. Domnio discipulo S. Petri Apostolo Dalmatiæ, & primo Salonarum Episcopo.* 270

Sectio II. De urbe Salona, & Salonitana Ecclesia.

Caput I. *De Salona.* 272
§. 1. *Salonæ origo, & nomen,* ibid.
§. 2. *Situs & descriptio Salonæ,* 275
§. 3. *Salona quinquies obsessa, ter capta.* 278
§. 4. *Salona eximie a Romanis culta & ornata.* 284
Caput II. *Quem gradum in Hierarchia Pontificali S. Domnius, & ecclesia Salonitana obtinuerit. De Hierarchia ecclesiastica Episcoporum, & ecclesiarum ordinibus quatuor distincta.* 289
§. 1. *De tribus Patriarchis,* 290
§. 2. *De tribus Exarchis.* 292
§. 3. *De Metropolitis, & Episcopis.* 295
§. 4. *De vocabulis Hierarchiæ Pontificalis.* 297
§. 5. *Ecclesia Salonitana videtur ab initio fuisse Metropolis, & S. Domnius ejusdem primus Episcopus jure ac potestate Metropolitica præditus.* 299
Caput III. *De Catalogis Episcoporum ecclesiæ Salonitanæ.* 312
§. 1. *De Diptychis ecclesiæ Salonitanæ.* ibid.
§. 2. *De variis Catalogis Episcoporum ecclesiæ Salonitanæ.* 317
§. 3. *De Catalogo primo Salonitano,* 319
§. 4. *De Catalogo secundo Acutheano.* 323
§. 5. *De Catalogo tertio Ponzoniano.* 327
§. 6. *De Catalogo quarto Romano.* 329
§. 7. *De fragmentis quibusdam Catalogi Pontificalis Salonitani.* 343
§. 8. *De Chronico Pontificali Salonitano, & Spalatensi,* 345

ECCLESIA SALONITANA

SS. Titus & Hermes Dalmatiæ Apostoli, & Præcursores S. Domnii Episcopi Salonitani primi.

De S. Tito.

Præfatio. 354
Caput I. *De S. Tito Apostolo Dalmatiæ & Episcopo Cretensi testimonia & elogia.* 355
§. 1. *Ex Martyrologiis,* ibid.
§. 2. *Ex 2. D. Pauli Epistola ad Corinthios, itemque ex Epistola ad Galatas.* 356
§. 3. *Ex Ecclesiasticis Scriptoribus antiquis, ac junioribus.* 357
Caput II. *De Apostolatu Dalmatico B. Titi testimonia veterum.* 358
§. 1. *Ex Epist. 2. D. Pauli ad Timotheum,* ibid.
§. 2. *Alia veterum in eamdem sententiam testimonia.* 359
§. 3. *Testimonia recentiorum Scriptorum de Dalmatico Titi Apostolatu,* 360
Caput III. *Alia S. Titi Dalmatiæ Apostoli, & Præcursoris S. Domnii.* 362
§. 1. *Ex Menæis, & Menologio Græcorum.* ibid.
§. 2. *Ex Oratione S. Andreæ Cretensis de laudibus B. Titi.* 364
§. 3. *Ex Petro de Natalibus Ep. Equilino.* 365
Caput IV. *Animadversiones in Acta, & Elogia S. Titi.* 366
§. 1. *De patria ac genere S. Titi,* ibid.
§. 2. *Titi ad Christum conversio.* ibid.
§. 3. *Utrum Titus fuerit e numero LXXII. Discipulorum.* 368
§. 4. *De officio interpretis, quo functus est Titus.* ibid.
§. 5. *B. Titus multo ante creatus est Episcopus, quam in Dalmatiam proficisceretur.* ibid.
Caput V. *Quid tituli, ac potestatis B. Titus in Dalmatia gesserit.* 370
§. 1. *B. Titum jure meritoque appellari primum Dalmatiæ Apostolum.* ibid.
§. 2. *An Episcopi a Paullo delegati officio functus sit S. Titus apud Dalmatas.* 373
§. 3. *Titus Episcopi Regionarii Dalmatiæ munus ac nomen sustinuit.* ibid.
§. 4. *Neque Episcopus Salonæ, neque Archiepiscopus, sive Metropolita Dalmatiæ appellari potest.* 374
Caput VI. *De Episcopatu Dalmatico S. Titi disquisitio Chronologica,* 375
§. 1. *Quo Christi, quove ætatis suæ anno Titus suscepit expeditionem Dalmaticam.* ibid.
§. 2. *Quamdiu Titus gessit, quove anno procurationem Dalmaticam deposuit.* 376
Caput VII. *De Epistola prima & secunda Pauli ad Corinthios epistola disquisitio Chronologica.* 379
§. 1. *Paullus cum utriusque litteris Titum semel atque iterum ad Corinthios legavit, & unus fere annus inter epistolam utramque interfuit.* ibid.
§. 2. *Prima ad Corinthios epistola scripta esse nequit ante annum 54. Christi.* 380
§. 3. *Prima ad Corinthios epistola data est exeunte anno 54.* 381
§. 4. *Secunda ad Corinthios epistola ex Macedonia scripta an. 55.* 382
Appendix de anno datæ ad Galatas epistolæ. 383
Caput VIII. *De secunda ad Timotheum epistola disquisitio Chronologica.* 384

§. 1.

Digitized by Google

§. 1. *Secunda ad Timotheum epistola e primis vinculis scripta argumentum primum & secundum.* ibid.
§. 2. *Alia in eamdem sententiam argumenta.* 385
Caput IX. *De epistola Pauli ad Titum disquisitio Chronologica.* 386
§. 1. *Hanc epistolam datam esse post prima Pauli vincula.* ibid.
§. 2. *Cur Paulus Titum ad se per litteras accersierit.* 387
Caput X. *De obitu & cultu S. Titi.* ibid.
§. 1. *Mors, sepulchrum, reliquiæ, dies festi.* ibid.
§. 2. *Præclara Titi Paræneſis ad Cretenſes ex Oratione S. Andreæ Cretenſis.* 388
§. 3. *Præſentiſſimum adverſus Chriſtianæ religionis hoſtes B. Titi patrocinium ex Oratione eadem S. Andreæ Cretenſis.* 389
§. 4. *Deprecatio S. Andreæ Cretenſis ad B. Titum pro incolumitate gregis ſibi concrediti.* 390
Chronotaxis Actorum B. Titi. 391
Appendix de S. Herme altero Dalmatiæ Epiſcopo, & S. Domnii Præcurſore. 392

S. Domnius primus Salonitanus Epiſcopus. 404

Præfatio. ibid.
Caput I. *De S. Domnio Ep. Salonit. teſtimonia.*
§. 1. *Ex Martyrologiis.* 412
§. 2. *Ex Scriptoribus antiquis, & junioribus.* ibid.
§. 3. *Nota.* 413
Caput II. *Vita & Paſſio S. Domnii ex Codice Georgiano Hiſtoriæ Salonit. Majoris.* 414
§. 1. *Acta S. Domnii.* ibid.
§. 2. *Nota.* 415
§. 3. *Ejuſdem B. Domnii vitæ epitome per Thomam Archidiaconum.* 416
Caput III. *Secunda B. Domnii vita auctore Heſychio Ep. Salonit.* ibid.
§. 1. *Acta S. Domnii.* ibid.
§. 2. *Nota.* 417
Caput IV. *Tertia vita S. Domnii auctore Adamo Pariſienſi.*
§. 1. *Acta S. Domnii.* 418
§. 2. *Nota.* 419
Caput V. *Quarta B. Domnii vita auctore incerto.*
§. 1. *Acta S. Domnii.* 420
§. 2. *Nota.* 422
Caput VI. *Vita quinta S. Domnii ex antiquiſſimo pergameno.*
§. 1. *Acta S. Domnii.* 424
§. 2. *Notæ.* 425
Caput VII. *Sexta vita S. Domnii auctore Luca Gaudentio.*
§. 1. *Acta S. Domnii.* 426
§. 2. *Notæ.* ibid.
Caput VIII. *Animadverſiones Onomaſticæ in Acta S. Domnii.* ibid.
§. 1. *De varia ac multiplici ratione ſcribendi pronunciandique nominis Domnii.* 427
§. 2. *Quæ ſit antiquior hujus nominis forma, quaſique primigenia.* ibid.
§. 3. *Quæ ſit uſitatior ejuſdem nominis forma, nobiſque adhibenda.* 428
§. 4. *De aliquibus SS. Viris B. Domnii cognominibus, ac præſertim de B. Domnio Juliacenſi, a quo noſter diſtinguendus.* 429
Caput IX. *Animadverſiones Chronologicæ in Acta S. Domnii.*
§. 1. *Annus & menſis natalis S. Domnii.* 432
§. 2. *Annus S. Domnii baptiſmo & converſione inſignis.* ibid.
§. 3. *Epocha Pontificatus initi.* 434
§. 4. *Actorum Pontificalium Chronotaxis,* 438
§. 5. *Tempus martyrii.* 439
Caput X. *De Salonitana ade Virginis Deiparæ titulo per S. Domnium conſecrata.* 442
§. 1. *Ante conditum S. Mariæ templum privatis ædibus ad rem divinam Salonitanos uſos fuiſſe.* ibid.
§. 2. *Ædem S. Mariæ in publico & propatulo loco poſitam fuiſſe.* 443
§. 3. *Publicorum templorum uſum jam uſque a primæ eccleſiæ temporibus repetendum eſſe.* ibid.
§. 4. *Titulus S. Mariæ Salonitano templo impoſitus propugnatur & illuſtratur.* 446
§. 5. *De magnitudine atque ornatu templi Salonitani.* 448
§. 6. *De ſepulchro S. Domnii in ade S. Mariæ.* ibid.
§. 7. *Templi Salonitani everſio, ac reſtitutio.* 449
§. 8. *Poſt tyrannorum interitum Salonitani novam Baſilicam condunt, edis cathedralis titulo in eam translato.* 450
§. 9. *Huic templo nomen Baſilicæ jure congruit,* 451
§. 10. *Operoſa hujus Baſilicæ moles perfici non potuit ante finem quarti ſæculi.* 452
§. 11. *De titulo novæ Baſilicæ impoſito.* 453
§. 12. *De ſacello SS. Domnii & Anaſtaſii ſepulturæ deſtinato.* 454
§. 13. *Situs & deſcriptio ſacelli in eo loco exſtructi, unde ſublata ſunt & Spalatum advecta corpora SS. Domnii & Anaſtaſii.* 455
Caput XI. *De numero ſociorum S. Domnii.* 457
§. 1. *De ſociis martyrii.* 458
§. 2. *De ſociis ſepulchri Salonitani.* 461
§. 3. *De ſociis cultus Lateranenſis.* ibid.
§. 4. *Utrum Dalmatius adjungendus ſit ſociis S. Domnii.* 463
§. 5. *De Septimio ſocio ſortaſſis ac Diacono S. Domnii, & Victorico,* 464
Caput XII. *De prima tranſlatione S. Domnii.* 465
§. 1. *Ubinam corpus S. Domnii ab ejus martyrio uſque ad primam tranſlationem ſitum fuerit, ſive unde Salonam tranſlatum ſit,* ibid.
§. 2. *Teſtimonia ex Actis S. Domnii, unde primæ tranſlationis tempus & annus dignoſci poteſt.* 466
Caput XIII. *De ſecunda & tertia tranſlatione S. Domnii.* 467
§. 1. *Cur & quando facta ſit ſecunda & tertia tranſlatio.* ibid.
§. 2. *Annus & dies tertiæ tranſlationis, itemque locus, unde corpus S. Domnii revectum eſt Salonas ex Martyrol. Caudiacenſi per conjecturam elicitur.* 469
Caput XIV. *De quarta tranſlatione S. Domnii.* 471
§. 1. *Hiſtoria prima tranſlationis quartæ S. Domnii poſt everſam Salonam Spalatum tranſvecti. Ex Hiſt. Salon. cap. 12.* ibid.
§. 2. *Altera ejuſdem tranſlationis hiſtoria, Auctore incerto.* ibid.
§. 3. *Hiſtoria ejuſdem tranſlationis tertia Auctore Luca Gaudentio.* 474
Caput XV. *Corpus S. Domnii nunquam e Dalmatia vel Romam, vel alio advectum fuiſſe.* 475
§. 1. *Auctores pro Romana S. Domnii tranſlatione,* 476
§. 2. *Auctores & argumenta pro Spalatenſi ſepulchro S. Domnii.* 478
Caput XVI. *De templo magnifico, quod Diocletianus Jovi dedicavit, deinde Joannes Ravennas primus Spalatenſis Antiſtes Deo in honorem Deiparæ Virginis & S. Domnii conſecravit,* in

Digitized by Google

in eoque corpora SS. Domnii & Anaſtaſii depoſuit. 488
§. 1. *Deſcriptio prima Baſilicæ Spalatenſis Deiparæ in cœlum aſſumptæ, & B. Domnio conſecratæ. Ex Codice Ms.* ibid.
§. 2. *Deſcriptio ſecunda ex opere Italico Ms. Petri Nicolini Spalatenſis.* 489
§. 3. *Deſcriptio tertia ex libro Sponii de ratione ſuorum itinerum.* ibid.
§. 4. *Deſcriptio Turris S. Domnii.* 491
§. 5. *De area S. Domnii, & ſepulchri inſcriptione,* ibid.
§. 6. *De altari & epitaphio S. Domnii.* 493
Caput XVII. *Sacri ac ſolemnes dies, quibus olim ſtatis anni temporibus eccleſiaſtico ritu colebatur, hodieque colitur S. Domnius, Salonæ, Romæ, Spalati, atque in univerſa Dalmatia.* 495
§. 1. *Primus dies B. Domnio ſacer, idemque omnium celeberrimus affixus ad Nonas Majas,* ibid.
§. 2. *Formula ſolemnis juramenti, in quam olim jurabant eccleſiæ Spalatenſis ſuffraganei acturos ſingulis annis limina S. Domnii anniverſario feſtoque ejus die recurrente.* 497
§. 3. *Alter dies S. Domnio ſacer* III. *Idus Aprilis.* 498
§. 4. *Tertius dies feſtus S. Domnii, qui eſt undetrigeſimus menſis Julii.* 501
§. 5. *Tres hymni perantiqui de laudibus S. Domnii,* 502
§. 6. *Pro feſto S. Domnii ratio eccleſiaſtici officii, & nunc antiquati. Ex Cod. Ms. Archiepiſc. Spalat.*
§. 7. *Ratio officii eccleſiaſtici hodierni pro eccleſia & diœceſi Spalatenſi.* 504
Caput XVIII. *De templo & cultu S. Domnii in inſulis Diomedæis.* 507
§. 1. *Cultus S. Domnii per B. Joannem a Fulgineo in Diomedæas inſulas allatus eſſe videtur,* ibid.
§. 2. *Inſulæ Diomedææ antiquæ S. Domnii religione inſignes a viris ſanctiſſimis cultæ & nobilitatæ.* ibid.
§. 3. *Pœnæ graviſſimæ Piratis Almiſſanis divinitus inflictæ ob templum S. Domnii in Diomedæis inſulis direptum.* 508
§. 4. *Turcarum incurſiones ab inſulis Diomedæis Deiparæ Virginis & S. Domnii præſidio divinitus arcentur.* 509
§. 5. *Deſcriptio inſulæ Diomedææ, cui nomen a S. Domnio.* ibid.
Synopſis Chronologica S. Domnii. ibid.
Appendix de quibuſdam eximiis planeque admirandis beneficiis per S. Domnium in multos mortales divinitus collati. 511

Cajanus, & Symphorianus II. & III. Epiſcopi Salonitani.

Caput I. *De Diaconatu Cajani & Symphoriani.* 516
§. 1. *De triplici gradu Hierarchiæ eccleſiaſticæ,* ibid.
§. 2. *Cajanum & Symphorianum Diaconos fuiſſe, antequam fierent Epiſcopi.* 517
§. 3. *Cajanum inter Diaconos Salonitanos primum, ſive Archidiaconum fuiſſe.* 521
Caput II. *De conſecratione Epiſcopali Cajani & Symphoriani.* 523
§. 1. *Adventus S. Clementis in Dalmatiam.* ibid.
§. 2. *Cajanum & Symphorianum ex ordine Diaconorum ad Epiſcopatum evectos eſſe.* 526
§. 3. *Quid tituli & muneris Epiſcopalis habuerint Cajanus, & Symphorianus ante ſuſceptum Pontificatum Salonitanum.* 529
Caput III. *De Pontificatu Salonitano Cajani, & Symphoriani.* 532
§. 1. *De utriuſque ad eccleſiam Salonitanam regendam electione.* ibid.
§. 2. *Acta Epiſcopalia Cajani, & Symphoriani, martyrium utriuſque, anni Pontificatus.* 535
Caput IV. *De cultu Cajani & Symphoriani.* 538
§. 1. *Nomen utriuſque in Diptychis eccleſiæ Salonitanæ adſcriptum eſſe.* ibid.
§. 2. *De variis formulis Martyrologicis, in quibus Cajani, vel Symphoriani nomen inſcriptum eſt.* 540
Synopſis Chronologica. 544

De Heſychio I. & Heſychio II. Epp. Salonitanis.

Caput I. *De Chronicis Hiſpanienſibus.* 547
§. 1. *De primariis falſo dictis Auctoribus hiſtoriæ ſeu Chronici Hiſpanienſis.* 548
§. 2. *De reliquis Pſeudo-Chronologis Hiſpanienſibus.* 549
§. 3. *De Chronicis, & Chronologis Hiſpanienſibus Doctorum virorum judicia.* 552
Caput II. *De Actis, & martyrio, reliquiis & cultu utriuſque Heſychii Salonitani.* 554
§. 1. *Quædam Heſychio ex Actis Heſychii Salonitani accommodata videri.* ibid.
§. 2. *Acta utriuſque Heſychii Salonitani Epiſcopi partim ex hiſtoria univerſali illorum temporum, partim e monumentis Salonitanis.* 559
§. 3. *De reliquiis & cultu utriuſque Heſychii Salonitani.* 560
Synopſis Chronologica. 561

S. Venantius ſextus Ep. Salonitanus. 562

Caput I. *De vita & martyrio S. Venantii Ep. Salonitani.* 563
§. 1. *De Venantio Ep. Toletano excerpta ex Hiſpanis Scriptoribus.* ibid.
§. 2. *Quæ Venantio Tolet. ab Hiſpanis tribuuntur, neque in eum convenire, & alteri Venantio aut Iſtriæ, aut Dalmatiæ Epiſcopo reſtitui oportere. Auctorum teſtimonia.* 564
§. 3. *Animadverſiones in proximum & ſuperiorem Catalogum.* ibid.
§. 4. *Acta & martyrium S. Venantii partim ex Hiſpanienſibus Scriptoribus, partim ex hiſtoria eccleſiaſtica illorum temporum.* 567
§. 5. *Acta S. Venantii Epiſcopi (ut falſo ajunt) Toletani & martyris.* 570
Caput II. *De translatione Romana S. Venantii Epiſc. Mart. Salonitani.* 571
§. 1. *Auctorum teſtimonia.* ibid.
§. 2. *De Auctore translationis.* 572
§. 3. *De cauſa translationis.* ibid.
§. 4. *De Martino Abbate.* 573
§. 5. *De tempore translationis.* ibid.
§. 6. *De numero ſociorum S. Venantii.* ibid.
§. 7. *Unde Venantii & ſociorum corpora Romam translata ſint.* 574
Caput III. *De Sacello Lateranenſi martyrum Dalmaticorum reliquiis inſigni.* 575
§. 1. *Deſcriptio prima ex Cæſare Cardin. Raſpono.*
§. 2. *Deſcriptio 2. ex Joanne Campino.* 576
§. 3. *Deſcriptio 3. ex Oldoino.* 577
Caput IV. *Animadverſiones in deſcriptiones ſacelli Late-*

Lateranenſis Venantiani. 577
§. 1. *De variis titulis huic ſacello pro temporum varietate impoſitis.* ibid.
§. 2. *De imaginibus Divorum intra abſidem pictis.* 579
§. 3. *Cur olim ſiniſtra pra dextera honorificentior haberetur, ex Petro de Marca.* 580
§. 4. *De Divis infra abſidem pictis,* 581
§. 5. *De Monogrammatis,* 583
§. 6. *De Symbolis;* 584
§. 7. *De inſcriptione.* 586
Caput V. *De cultu & reliquiis S. Venantii; ejuſque ſociorum Lateranenſium.* 587
§. 1. *De feſto S. Venantii die.* ibid.
§. 2. *De feſto die ſociorum Lateranenſium.* 588
§. 3. *De veteri ſepulchro S. Venantii in Dalmatia.* ibid.
§. 4. *Reliquiæ S. Venantii & ſociorum auctoritate Alexandri VII, comprobantur.* 589
§. 5. *De reliquiis S. Venantii Bononiæ in æde S. Joannis in Monte.* ibid.
§. 6. *De reliquiis S. Venantii Pragam allatis, & depoſitis in æde Metropolitana S. Viti.* ibid.
Synopſis Chronologica. 590

Honophrius vel Honorius I. Maximus I. Paſchaſius, Cæſarius, Juſtinus I. Juſtinianus, Antoninus, & Maximus II. Epp. Salonitani. 590

§. 1. *De re Chriſtiana ab anno Chriſti 155. ad 194. Honophrio, Maximo, & Paſchaſio Epp. Salonitanis.* ibid.
§. 2. *De re Chriſtiana ab an. 194. ad an. 237. Cæſario & Juſtino Epp. Salonitanis.* 593
§. 3. *De re Chriſtiana ab an. Ch. 237. ad an. circiter 270. Juſtiniano, Antonino, Maximo II. Salonit. Epp.* 599
Synopſis Chronologica. 603

Agapitus ſive Amabilis XV. Salonæ Epiſcopus, & de S. Anaſtaſio Corniculario. 607

Caput I. *De Pontificatu, ætate, martyrio Agapiti Ep. Salonit. ac de S. Anaſtaſio Corniculario.* 608
§. 1. *Teſtimonia ex Diptychis & Salonitana eccleſiæ tabulis.* ibid.
§. 2. *Teſtimonia ex antiquis & recentioribus martyrologis, ſive Hagiologis,* ibid.
§. 3. *Conſectaria quædam ex allatis teſtimoniis.* 610
Caput II. *Acta Agapiti Salonitani Antiſtitis ex Actis S. Venantii Camertis repetenda eſſe.* 616
§. 1. *Acta S. Venantii Camertis apocrypha, & ſuppoſititia eſſe auctore Papebrochio, non diſſentientibus Baronio & Henſchenio.* ibid.
§. 2. *Pars I. Actorum S. Venantii Camertis uſque ad numerum 9. deſumpta eſt ex Actis S. Agapiti pueri ac martyris Præneſtini, auctore Papebrochio,* 617
Caput III. *Prior pars Actorum S. Venantii conflata videtur ex Actis utriuſque Agapiti tum Salonitani, tum Præneſtini. Ex poſteriori autem parte nonnulla pertinere ad Agapitum Salonitanum.* 618
§. 1. *Acta S. Agapiti Præneſtini mendoſa eſſe ac depravata.* ibid.
§. 2. *Duos Aureliano Imp. Agapitos fuiſſe, Præneſtinum & Salonitanum,* 620
§. 3. *In Actis Agapiti Præneſtini contineri quædam ad Saloniſtanum ſpectantia. Ratio ſecernendi, quæ ad alterutrum pertinent.* 621
§. 4. *Ex parte poſtrema Actorum S. Venantii eſſe aliqua, quæ haud inepte ad Salonitanum Agapitum accommodari poſſint.* 622
Caput IV. *De reſtituendis Actis Agapiti Salonitani alio translatis.* 623
§. 1. *Acta Agapiti Salonitani primum amiſſa, deinde alio atque alio detorta.* ibid.
§. 2. *Conſilium & ratio reſtituendi Acta Agapiti Salonitani.* 625
Caput V. *Per errorem inſcriptum VI. Acta reſtituta Agapiti Salonitani.* 627
Caput VI. *Per errorem inſcriptum VII. De cultu Agapiti Salonit. Ep. & S. Anaſtaſii Corniculatii.* 631
§. 1. *De cultu Agapiti Salon. Ep.* ibid.
§. 2. *De cultu S. Anaſtaſii Corniculatii.* 632

Joannes I. Epiſcopus Salonit. XVI. 633

Caput I. *Ex Actis reſtitutis Agapiti Salonitani Ep. duo paragraphi ad Joannem pertinentes.* 634
Caput II. *De Perſecutione Aureliani, ac triplici ejuſdem in Illyricum adventu.* ibid.
§. 1. *De Aureliani Imp. initio, atque interitu, ejuſque prima apud Illyrios commoratione,* 635.
§. 2. *Secunda Aureliani Illyrica profectio, & commoratio, itemque expeditio Syriaca.* 636
§. 3. *Tertius Aureliani in Illyricum adventus. Martyrium Agapiti Salonitani Epiſcopi. Joannis in ejus locum ſucceſſio. Perſecutio eccleſiæ univerſæ indicta,* 637
Caput III. Et §. 1. *De rebus ſingulari commemoratione dignis tum eccleſiæ Salonitanæ, tum Illyrici univerſi ab initio uſque ad exitum Joannis Salonit. Ep.* 640
§. 2. *De Perſecutione Numeriani nomine inſcripta.* 643.
Synopſis Chronologica complectens Acta Agapiti, & Joannis Epiſcoporum Salon. 646

Georgius Salonitanus Epiſc. XVII. 647

Caput I. *De utriuſque Georgii Paleſtini, & Salonitani diſtinctione.* 648
§. 1. *Georgii Salonit. Ep. veritas & diſtinctio colligitur ex tabulis Salonitanis.* 649
§. 2. *Idem confirmat traditio, ac religio Dalmatarum.* ibid.
§. 3. *Idem ex Martyrologiis conjicitur.* 650
Caput II. *De confuſione Actorum utriuſque Georgii, & variis Georgianæ hiſtoriæ exemplaribus.* 651.
§. 1. *Quibus cauſis, temporibus, auctoribuſque adſcribenda ſit confuſio Actorum utriuſque Georgii.* ibid.
§. 2. *De Græcis exemplaribus hiſtoriæ Georgianæ permixtæ.* 653
§. 3. *De Latinis exemplaribus hiſtoriæ Georgianæ permixtæ.* 655
Caput III. *Quadruplex diſcrepantia hiſtoriæ Georgianæ permixtionem Actarum utriuſque Georgii probat, & alia ab aliis ſecernendi rationem docet.* 658
§. 1. *De locorum diſcrepantia,* ibid.
§. 2. *De multiplici loco martyrii Georgiani.* 660
§. 3. *De multiplici ſepulchro Georgiano.* 664
§. 4. *De temporum diſcrepantia.* 665
§. 5. *De diſcrepantia martyrii Georgiani.* 667
§. 6.

Digitized by Google

§. 6. *De judicibus Georgiano martyrio præpositis inter se diversis.* 668
Caput IV. *Refelluntur argumenta, quibus Acta S. Georgii impugnantur.* 670
§. 1. *Rejiciuntur argumenta ex ipsis Actis deprompta.* 671
§. 2. *Satisfit argumentis petitis ex decreto Gelasiano.* 672
§. 3. *Refutatur argumentum ex Nicæna Synodo falso prolatum.* ibid.
§. 4. *Aliis aliunde ductis argumentis respondetur.* 673.
§. 5. *De Actis S. Georgii testimonia illustrium virorum.* 674
Caput V. *De Actis S. Georgii Salonitani Ep.* ibid.
§. 1. *Jacobus de Voragine ab injuriosis quorumdam censuris vindicatur.* 675
§. 2. *Quam ob causam potius ex Aurea Legenda, quam aliunde Acta Georgii Salonitani desumpserimus.* 676
§. 3. *Acta Georgii Salonitani Ep. & M. ex Jacobo de Voragine.* 677
§. 4. *Nota in Acta Georgii Salonit.* 678
Caput VI. *De pugna Georgii cum Dracone, & præclara ex eo relata victoria.* 679
§. 1. *De hac historia quæ sint doctorum hominum sententiæ.* ibid.
§. 2. *Hac de re quæ sit nostra sententia.* ibid.
§. 3. *Georgianum cum Dracone prælium, relatamque victoriam verisimilius ad Salonitanum, quam ad Palæstinum Georgium referri.* 682
§. 4. *Descriptio pugnæ & victoriæ Georgianæ ex Jacobo de Voragine.* 683
§. 5. *Interpretationes variæ miraculi Georgiani.* 684.
§. 6. *Interpretatio nostra miraculi Georgiani explicatur.* 686
Caput VII. *De cultu Georgiano.* 688
§. 1. *De festo ac natali die Georgiano.* 689
§. 2. *De templis Georgianis in Dalmatia.* 691
§. 3. *De reliquiis Georgianis.* 692
Appendix de sociis martyrii Georgiani. 695
Synopsis Chronologica. 698

Theodorus, Joannes II. Frontinianus, Joannes III. & Petrus Episcopi Salonitani. Item de SS. Donato Confessore, & Anastasio Martyre Salonit. 700

Caput I. *De Theodoro Ep. Salon. XVIII.* ibid.
§. 1. *An Theodorus Salonit. Ep. unus ex illis sit, qui sub Theodori nomine coluntur.* ibid.
§. 2. *De Pontificatu & martyrio Theodori.* 702
§. 3. *De cultu, translatione, & inventione Theodori.* 703
Caput II. *De Joanne II. Frontiniano I. Episcopis Salonitanis.* 706
§. 1. *De Joanne II. & Salonarum Ep. XIX.* ibid.
§. 2. *De Frontiniano I. Ep. Salon. XX.* 707
Caput III. *De Joanne III. Salon. Ep. & de S. Donato Confessore Salonitano.* §. 1. 708
§. 2. *Donatus Aquilejensis certamine cum Ethnicis ac Judæis inito, complures eorum convertit. A Maximiano comprehendi jussus in Dalmatiam fugit.* ibid.
§. 3. *Donati præclara Christi confessio coram Diocletiano. Macarii & Theodori Cubiculariorum Augustalium ad Christum conversio.* 711.
§. 4. *Donatus & socii a flammis ac bestiis intacti quamplurimos ad Christum adjungunt. Eorum in Ægyptum fuga, ac martyrium.* 712
§. 5. *Vita, & martyrium S. Donati Confessoris Salonit. & mors Joannis III. Salonit. Ep.* 713
Caput IV. *De Petro I. Salonæ Ep.* §. 1. 715
§. 2. *De Pontificatu Petri usque ad an. octavum sæculi quarti.* 716
De S. Anastasio sive Aquilejensi & Martyre Salonitano. 717
Caput V. *De S. Anastasio Fullone testimonia & elogia.* 719
§. 1. *Ex Martyrologiis.* ibid.
§. 2. *Ex Hagiologis, aliisque Scriptoribus.* ibid.
Caput VI. *De Vita & Martyrio S. Anastasii.* 720
§. 1. *Prima vita S. Anastasii, auctore, ut videtur, Hesychio Salon. Ep.* ibid.
§. 2. *Secunda vita S. Anastasii e Slavonico in Latinum conversa.* 721
§. 3. *Tertia vita S. Anastasii ex Codice Ms. claris. Viri Apostoli Zeni.* 723
§. 4. *Epitome historiæ ac vitæ Anastasianæ ex scribus lectionibus insertis Breviario Spalat.* 724.
§. 5. *Elogia S. Anastasii.* 725
Caput VII. *Animadversiones in Acta & Elogia S. Anastasii.* 726
§. 1. *Utrum Anastasius ille, quem Græci colunt, idem sit atque Anastasius Fullo.* ibid.
§. 2. *De anno martyrii S. Anastasii.* 730
§. 3. *Unde orti profectique Nautæ illi, qui Astri dicuntur in Actis S. Anastasii.* 732
Caput VIII. *De Translationibus S. Anastasii.* 734
§. 1. *De prima translatione ex agro ad urbem Salonitanam.* ibid.
§. 2. *De secunda Spalatensi translatione S. Anastasii.* 236
§. 3. *De capite S. Anastasii Spalatum transvecto.* 737.
§. 4. *De altari & sepulchro Spalatensi S. Anastasii.* 739
Caput IX. *De cultu S. Anastasii Fullonis.* 741
§. 1. *Utrum Romæ aliquid cultus eidem adhibeatur.* ibid.
§. 2. *Utrum Capuæ, aut Beneventi colatur S. Anastasius Fullo.* ibid.
§. 3. *An Thessalonicæ cultus S. Anastasii aliquando viguerit.* 742
§. 4. *De cultu Aquilejensi S. Anastasii Fullonis.* ibid.
§. 5. *De antiquo S. Anastasii cultu apud Thariensis.* 743
§. 6. *De cultu S. Anastasii Salonitano & Spalatensi.* ibid.
§. 7. *De Natali S. Anastasii die.* 744
§. 8. *De anniversario translationis die.* ibid.
Caput X. *De reliquis Actis Petri Episcopi usque ad ejus obitum, & annum Christi 316.* 744
Synopsis Chronologica Historiæ Salonitanæ ab anno Christi 296. ad an. 316. 746

Digitized by Google

MAXIMILIANUS GONZAGA

In Provincia Veneta Præpositus Provincialis.

CUM librum, cui titulus: Illyrici Sacri Tomus primus Ecclesia Salonitana, *&c. a P. Daniele Farlati Societatis nostræ Presbytero latine conscriptum aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate ad id nobis tradita a R. P. N. Francisco Retz Præposito Generali facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus.*

Datum Bononiæ die 7. Januarii 1749.

Maximilianus Gonzaga.

L. ✠ S.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbazione del P. Frà Lorenzo Filippi Inquisitor General del S. Officio di Padoa nel Libro intitolato *Illyrici Sacri Tomus Primus. Ecclesia Salonitana ab ejus exordio usque ad seculum quartum Æræ Christianæ, Auctore Daniele Farlato Presbytero Societatis Jesu;* non v' esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à Sebastian Coletti Stampator di Venezia, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. li 30. Marzo 1749.

(Barbon Morosini Cav. Proc. Ref.
(Marco Foscarini Cav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a Carte 2. al Num. 13.

Michiel Angelo Marino Seg.

28. Giugno 1749.

Registrato nel Magistrato Eccel. contro la Bestemmia,

Lauro Bartolini Seg.

PROTESTATIO AUCTORIS

CUM Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII. *die* 13. *Martii anno* 1625. in S. Congregatione S.R., & Universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. *Julii anno* 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu martyrii fama celebres e vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta, continentes sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus, sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata: idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolute, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes auctorem: huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi observantia, & reverentia, qua par est, insistendo profiteor, me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, iis tantummodo exemplis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

NOTI-

Digitized by Google

NOTITIA FIGURARUM

Edocens Bibliopegum, ubi locandæ ſint æneæ tabulæ.

TAbula Illyrici univerſalis, & hodierni. pag. 1

Dalmatia ſub Imperio Romanorum. 100

Dalmatia Veneta, ſive hodierna. 134

Topographia urbis, & agri Salonitani auctore Jo: Baptiſta Camozzino. 276

Topographia altera urbis & agri Salonitani auctore Jo: Georgio Calergo. 277

Salona. 278

Deſcriptio Geographica antiquorum, & recentiorum Epiſcopatuum Provinciæ ac Metropolis Salonitanæ, poſtea Spalatenſis. 299

Proſpectus ædis Metropolitanæ Spalatenſis. 490

Proſpectus ſacelli S. Joannis e regione ædis Metropolitanæ Spalatenſis. 490

Turris S. Domnii. 491

Tab. I. Inſcriptio ſepulchralis circa operculum arcæ exterioris Sancti Domnii inſculpta. 493

Tab. II. Inſcriptio inſculpta in operculo medio arcæ interioris S. Domnii.

Tab. III. Inſcriptio recens inciſa in marmore, quo pars anterior arcæ S. Domnii circumveſtita eſt. 493

Tab. IV. Inſcriptio inciſa in tabula lapidea affixa parieti a cornu Epiſtolæ altaris S. Domnii.

Altare & ſepulchrum S. Domnii. 493

Tab. V. Proſpectus interior Abſidis ſacelli Venantiani Lateranenſis. 579

Tab. VI. Proſpectus inferior Abſidis ſacelli Venantiani Lateranenſis. 581

Altare & ſepulchrum S. Anaſtaſii. 739

DILU-

Digitized by Google

DILUCIDATIO SUBSEQUENTIS TABULÆ ILLYRICI UNIVERSALIS.

ILLYRICUM

PRimigenium seu Proprium, conditum anno ante Christum 1236. Vide Prolegom. pag. 3. col. 1.

DALMATIA

Adjecta an. ante Ch. 1230. Vide Proleg. p. 4. col. 2.

EPIRUS NOVA

Adjecta an. ante Ch. 500. Vid. Proleg. p. 37. col. 2.
Detracta an. ante Ch. 78. Vid. Proleg. p. 73. col. 1.
Restituta an. post Ch. 325. corrig. numerus tabulæ. Vide Proleg. pag. 73. col. 1.

LIBURNIA

Adjecta an. ante Ch. 240. Vide Proleg. p. 38. col. 2.

JAPYDIA Maritima

Adjecta an. ante Ch. 240. Vide Proleg. p. 38. col. 2.

ISTRIA

Adjecta an. ante Ch. 240. Vide Proleg. p. 38. col. 2.
Detracta an. ante Ch. 29. Vide Proleg. p. 73. col. 1.

CARNIA

Adjecta an. ante Ch. 240. Vid. Proleg. p. 38. col. 2.
Detracta an. ante Ch. 29. Vid. Proleg. p. 73. col. 1.

PANNONIA Meridiana

Adjecta an. ante Ch. 29. corrig. numerus tabulæ. Vide Proleg. pag. 61. col. 2.

JAPYDIA Transalpina

Adjecta an. ante Ch. 15. Vide Proleg. p. 66. col. 1.
Detracta an. post Ch. 535. Vid. Proleg. p. 73. col. 1.

RHÆTIA

Adjecta an. ante Ch. 15. Vide Proleg. p. 66. col. 1.
Detracta an. post Ch. 325. Vide Proleg. p. 73. col. 1.

NORICUM

Adject. an. ante Ch. 15. Vide Proleg. p. 66. col. 1.
Detract. post an. Ch. 500. Vide Proleg. p. 73. col. 1.

PANNONIA Aquilonaris

Adjecta an. Ch. 8. Vide Proleg. pag. 66. col. 2.
Detracta an. Ch. 535. Vide Proleg. pag. 79. col. 1.

PANNONIA Media sive SAVIA

Adjecta an. Ch. 8. Vide Proleg. pag. 66. col. 2.

MÆSIA Superior

Adjecta an. Ch. 12. Vide Proleg. pag. 67. col. 1.

MÆSIA Inferior

Adjecta an. Ch. 12. Vide Proleg. pag. 67. col. 1.
Detracta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 69. col. 2.
Restituta an. Ch. 535. Vide Proleg. pag. 75. col. 1, & pag. 76. col. 2.

SCYTHIA PONTICA

Adjecta an. Ch. 12. Vide Proleg. pag. 67. col. 1.
Detracta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 69. col. 2, & pag. 73. col. 1.

THRACIA

Adjecta an. Ch. 71. Vide Proleg. pag. 67. col. 2.
Detracta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 69. col. 2, & pag. 73. col. 1.

DACIA TRAJANI

Adjecta an. Ch. 103. Vide Proleg. pag. 68. col. 1.
Detracta an. Ch. 274. Vide Proleg. pag. 68. col. 1.

DACIA AURELIANI

Adjecta an. Ch. 274. Vide Proleg. pag. 68. col. 2.

DARDANIA

Adjecta an. Ch. 274. Vide Proleg. pag. 68. col. 2.

MACEDONIA

Adjecta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 70. col. 1.
Detracta an. Ch. 535. Vide Proleg. pag. 74. col. 1, & pag. 78. col. 1.

PRÆVALIS

Adjecta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 70. col. 1.

THESSALIA

Adjecta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 70. col. 1.
Detracta an. Ch. 535. Vide Proleg. pag. 78. col. 1.

EPIRUS VETUS

Adjecta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 70. col. 1.
Detracta an. Ch. 535. Vide Proleg. pag. 78. col. 1.

ACHAJA

Adjecta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 70. col. 1.
Detracta an. Ch. 535. Vide Proleg. pag. 78. col. 1.

CRETA

Adjecta an. Ch. 325. Vide Proleg. pag. 70. col. 1.
Detracta an. Ch. 535. Vide Proleg. pag. 78. col. 1.

PRO-


Digitized by Google

gnoſcere, quam quid veri ſit diſcernere queas: ve-

Phœnicum, ſive Amorrhæorum lingua, qua Cad-

Digitized by Google

SALIS et HODIERNI.



PRO-

Digitized by Google

PROLEGOMENA HISTORICA, GEOGRAPHICA, CHRONOLOGICA

Ad hiſtoriam Illyrici ſacri, atque Eccleſiæ Salonitanæ.

PARS PRIMA PROLEGOMENON DE ILLYRICO.

CAPUT PRIMUM.

De Pelaſgis conditoribus Gentis Illyricæ.

§. I.

De Origine nominis, & generis Illyrici.

Illyrici nomen multiplex & varia.

ANtequam de Dalmatia & Eccleſia Salonitana ſcribere aggrediar, de univerſo Illyrico, cujus pars præcipua, multoque nobiliſſima ſemper habita fuit Dalmatia, pauca quædam & ſummatim præfari neceſſe eſt, quę in Apparatu ad Hiſtoriam Illyrici ſacri, copioſius & accuratius explicabuntur. Hęc regio a Latinis pariter Græciſque *Illyricum* appellari ſolet; ſed Græci haud raro etiam *Illyridem* vocant; quam appellationis formam interdum Latini adoptarunt, veluti Pomponius Mela lib. 1. cap. 3. *Hadriaticum latus Illyris occupat. Illyriam* Græce apud Stephanum, Latine apud Propertium lib. 1. Eleg. VIII. invenies. *An tibi ſum gelida vilior Illyria?* Hujus regionis incolas ut Latini, ſic Græci *Illyrios* dicunt; *Illyres* etiam a Græcis nominatos auctor eſt Euſtathius in notis ad Periegetam. Cæterum ut vocari poſſint etiam Illyrici, nunc uſus obtinuit, penes quem norma eſt, atque arbitrium loquendi. Quæ ad Illyrios pertinent, ſive derivato ab hac gente vocabulo ſignantur, *Illyrica* dicuntur, veluti *Ora Illyrica*, & *exercitus Illyrici* apud Tacitum. *Illyricanos* etiam, & *Illyricianos* Prætores & exercitus denominatos fuiſſe veteres nummi & inſcriptiones docent, idque Valerianus confirmat in epiſtola ad Zoſimionem, quam Pollio cap. XIV. in Claudio deſcripſit: *Claudium Illyricianæ gentis virum, tribunum Martiæ quintæ legioni fortiſſimæ dedimus.* Extat nummus Decii apud Mediobarbam pag. 353. in quo inciſum eſt: GENIUS EXERC. ILLURICIANI S. C. nam *Illuricum*, Latina littera in locum Græcæ ſubſtituta, raro quidem, ſed interdum tamen ſcriptum invenitur.

Originem nominis ac generis Illyrici alii aliunde repetunt;

Illyrici generis conditorem alii alium proferunt; quod fere accidere ſolet, cum de originibus vocabulorum ac gentium quæſtio inſtituitur. Nulla fere natio eſt, quæ non præbeat materiam diſputandi, unde nomen genuſque traxerit; & de hiſce populorum originibus qui ſcribunt, tanta ſunt in varietate, & diſſenſione conſtituti, tam multa fabuloſa immiſcent, ut facilius quę ſunt perſpicue falſa dignoſcere, quam quid veri ſit diſcernere queas: ve-

luti in hac quæſtione de primordiis Illyricæ gentis non una eſt omnium ſententia, ſed plures feruntur, & variæ opiniones. Appianus Alexandrinus in Illyr. refert Polyphemi Cyclopis ex Galatea conjuge tres fuiſſe liberos, qui ab Sicilia digreſſi longe lateque imperitarunt, Celtam, a quo Celtas, Galatum, a quo Gallos, Illyrium denique, a quo Illyrios ortos ac denominatos eſſe ex vulgi opinione tradit. Sed vel ipſe Appianus fatetur hæc fabuloſis, quam hiſtoricis narrationibus propiora eſſe; & ſibi quidem idcirco hæc maxime probari, quod maxime improbabilia videantur ea, quæ cæteri de Illyriorum origine ſcripſerunt. *Atque hæc*, inquit, *inter plurima fabularum, quæ hoc loco referri ſolent, mihi maxime probantur.* Cæterum hæc falſitatis argui poſſunt vel ex iis, quæ de Cyclopibus & Polyphemo a Poetis traduntur. Nam ſi Homerum Odyſſ. IX. audimus, tantum abeſt, ut Polyphemi Cyclopis filii extra Siciliam nomen genuſque propagaverint, ut ne uſus quidem navigiorum ullus apud eos fuerit, quibus e Sicilia in alienas oras tranſirent; nauticæ maritimæque artis omnino expertes erant, naviumque ædificandarum architectos nullos habebant; nulla illis imperii proferendi cupido, nulla inter illos publici juris communio vitæque ſocietas, nulla reipublicæ adminiſtrandæ ſcientia; alii per montes ac ſylvas diſperſi, alii in ſpeluncis abditi, ſuas quiſque res curabant, juſque privatim ac leges ſuis quiſque liberis, & uxoribus reddebant. Hæc de Cyclopibus ab Homero commemorata haud ſane conſentiunt cum iis, quæ Appianus ex fabulis, de filiis Polyphemi longe lateque imperantibus ſcripſit.

Appianus ab Illyrio Polyphemi filio.

eujus ſententia refellitur;

Stephanus Byzantius auctor eſt Illyricum & Illyrios dici ἀπὸ Ἰλλυρίου τοῦ Κάδμου παιδὸς *ab Illyrio Cadmi filio*. Idem confirmat Euſtathius in ſuis ad Dionyſium animadverſionibus: Δεξιστερὰ δὲ ἡ χώρα Ἰλλυρίς γὰρ, ἣν καλοῦμεν ἀπὸ Ἰλλυρίου τοῦ Κάδμου: *ad dexteram autem eſt terra Illyris, ſic appellata ab Illyrio Cadmi filio*. Utrique ad hanc ſententiam amplectendam auctor videtur fuiſſe Apollodorus, qui lib. 3. a Cadmo rege Illyriorum Illyrium procreatum ſcripſit: καὶ Βασιλεύει Κάδμος Ἰλλυρίων, ᾧ παῖς Ἰλλύριος ἀνομασμένος γίνεται: *& Illyriis imperat Cadmus, & Illyrius filius illi naſcitur*. Verum hujuſmodi opinio ab Samuele Bochar-to refellitur, propterea quod vocabulum Illyrii a Phœnicum, ſive Amorrhæorum lingua, qua Cad-

Stephanus ab Illyrio Cadmi filio;

Digitized by Google

mæi utebantur, longe abhorreat, & nullum neque in moribus instituisque Illyriorum, neque in eorumdem lingua sive primæva, sive hodierna & vulgari vestigium originis Phœniciæ, unde Cadmus ortum traxerat, interpreti liceat; quod argumento est eos aliunde cum lingua, & moribus, nomen, & originem duxisse. Neque vero in hujus sententiæ patrocinium trahi potest Apollodorus, qui Cadmi filium Illyrii nomine donavit: nam solent Scriptores vocabula ætatum posteriorum usu recepta ad superiores ætates referre, & Cadmi filium veteres denominarunt Illyrium ab ea regione, in qua regno potitus est; non quod ea regio tum fuerit dicta Illyrium, sed quod postea, cum illi scriberetur, ei vocabulo subesset. Cujus rei exemplum satis illustre nobis suppeditat laudatus Apollodori locus, ubi dicitur Cadmus imperasse Illyriis ante Illyrium filium, idest antequam illi populi appellarentur Illyrii, cum, si vera est Stephani & Eustathii sententia, ab Illyrio Cadmi filio primum denominari cœperint Illyrii. Fateor equidem Cadmi filium proxime post parentem apud Enchelios, dictos postea Illyrios, regnum obtinuisse; sed ejus nomen scriptores posterioris ævi cum ignorarent, ab ea regione, in qua natus est, vel regnavit, appellandum putarunt, quæ tum, cum ipsi vivebant, Illyris vocabatur. Huc accedit, quod cum jam inde ab antiquissimis temporibus regio illa, ubi ortum est nomen Illyricum, habita sit pars Græciæ, atque adeo prima Græcia dicta, longe videtur verisimilius Illyrios primigenios a Pelasgis, sive Græcis, quam a Phœnicibus, vel aliunde nomen & genus traxisse; ex quo fit, ut neque illorum sententia videatur probabilis, qui gentis Illyricæ primordia, vel ab Asianis, vel a Gallis, vel a Sarmatis repetenda esse existimant.

Cujus itidem opinio improbatur.

Cum igitur aliorum hac de re opiniones non satis nobis arrideant, restat, ut quid nostræ sententiæ sit, quam potero, brevissime exponam. Nec ego nunc ipse aliquid afferam certum exploratumque, de quo dubitari non possit; in rebus quippe antiquis, & perobscuris versanti facilius est falsa refellere, quam quid veri certique sit constituere. Satis me officio meo fecisse arbitror, si id potissimum sequar, quod in hac re mihi verisimilius videatur. Ego igitur sic existimo vero propius esse, Illyrios primigenios ab Hyllo Pelasgo Herculis Pelasgi filio, Hyllinisque & ortos & denominatos fuisse. Sed nolim putes omnia fabulosa esse & commentitia, quæ veteres Historici de Hercule, ejusque illustribus factis tradiderunt. Virum olim fuisse, cui nomen erat Hercules, eximiæ cujusdam virtutis ac fortitudinis, qui multis & gravissimis periculis adeundis, & rebus præclare ac fortiter gerendis, orbem peragraverit, multaque hominum generi beneficia contulerit, nemo inficiari potest, nisi qui omnem antiquis historicis fidem adimere velit. Multa quidem Herculi affinxit antiquitas, quæ nec verisimilia sunt, & fidem omnem excedunt. Sed hæc referas oportet ad mores, communemque consuetudinem temporis illius, quod Varro fabulosum vocat; cum Scriptores id licentiæ sibi sumebant, ut veterum heroum facta prodigialibus & commentitiis rebus ornarent, augerentque. Cæterum vel sub his fabularum involucris aliqua veritas latet, ex quibus vera & historica Herculis facinora, explicatione satis idonea adhibita, elicuit Palæphatus lib. 1. aliique viri doctissimi. Inter multos itaque filios, quos Hercules ex variis uxoribus suscepit, duos fuisse tradunt, quibus Hylli nomen fuit; alterum ex Dejanira, alterum ex Melita filia Nausithoi regis Phæaciæ genuit. Gronovius præclare animadvertit Herculem

Ab Hyllo Herculis filio orti & denominati Illyrii.

Hylli vocabulo, nescio quamob causam, mirifice delectatum fuisse, qui e suis liberis duos & fortasse plures Hyllos appellare voluerit. *Placuit* (inquit tom. 1.) *hoc nomen Herculi, unde id creditur non uni indidisse filio. Jam olim conspectus fuit, & annotatus singularis locus Apollonii Rhodii ex lib. 4. etiam citatus a Stephano Byzantio, unde memoraret Hyllum e Melita; sed non omisit nominare quoque alterum ex Dejanira genitum, ut faciunt alii auctores, quod constat: ne his quidem Hyllis contenti, prodiderunt nomine eodem alios. Nec nobis placet repetere ab illis dicta.* Hyllum Herculis & Melitæ filium in ea regione, in qua exortum est nomen Illyricum, principatum obtinuisse, & populos ab eo & propagatos & denominatos esse Hyllinos auctores sunt vetusti in primis ac nobiles Apollonius, Scylax, Schymnus, Festus Avienus, aliique, quibus juniores fere omnes consentiunt, qui de rebus illorum temporum & locorum scripsere. Nunc vero quemadmodum is principatus Hyllo obvenerit, ex antiquis scriptoribus per conjecturas eliciendum est,

Hercules post Hispaniensem Gallicamque expeditiones in Italiam venit, susceptusque est ab Evandro, anno ante Christum 1238. juxta Chronologiam Petavianam, annis ferme quinque & quinquaginta, antequam Æneas in Italiam appelleret. Ab Evandro digressus, cum utramque maris Adriatici oram pedestri, ut solebat, itinere circumiisset, in eam regionem advenit, quæ multis post sæculis pars Macedoniæ fuit, deinde Epirus nova dicta est, nunc Albania dicitur. Id docent Diodorus Siculus, & Appianus Alexandrinus. *Hercules*, inquit Diodorus, *Adriaticum sinum circumvectus, in Epirum primo transiit, unde in regionem proximam montes Acroceraunios transgressus se contulit.* Sed Appianus lib. 2. Bell. civ. prætermissa Gallica Italicaque peragratione, Hispaniensi expeditioni proxime adjunxit Herculis in hanc regionem adventum. *Ex Erythia*, inquit, *rediens*. Erythiæ vocabulo Gaditanam insulam, quæ ab occasu extremæ Hispaniæ adjacet, Appianus appellat, secutus exemplum Pherecidis & Isocratis, quorum primus apud Strabonem Erythiam, alter in Archidamo Erythream eandem insulam nominavit. Hinc ajunt Geryonis boves ab Hercule abductos, hic delubrum Herculi positum; & duas turres in media insula Herculei testes adventus indigenæ ostentant, quas turres sive columnas Herculeas vulgo appellant.

Hercules post peregratos Hispaniensem, Gallicam, Italiam,

Cum igitur Hercules anno ante vulgarem æram circiter 1237. in Epirum novam advenit, tum rerum ibidem potiebatur Dyrrhachus ex Cadmi prosapia, Epidamni nepos, regnique sedem in urbe ab avo condita, & denominata Epidamno habebat. Huic duo fratres erant, qui dominandi cupidine stimulante popularem seditionem conflaverant, ut fratre expulso regni potirentur. Peropportune adventus Herculis accidit Dyrrhacho, in magnum vitæ regnique discrimen adducto, qui hominem tamquam e cælo delapsum excepit, ejusque opem adversus fratres imploravit, pollicitus eidem regni partem, si res e sententia succederet. Neque abnuit Hercules, natus ad comprimendos tyrannos, & miseros calamitososque homines sublevandos; qui suas copias, suorum itinerum ac laborum comites, in aciem eduxit, manus cum hostibus conseruit, & Dyrrhachum victis pulsisque fratribus in aviti regni possessione firmavit. Quare Dyrrhachus & promissi memor, & beneficii remunerandi cupidus, haud exiguam regni partem a sua ditione avulsam Herculi donavit. Quæ omnia paucis Appianus complectitur: *Huic Dyrrhacho*, inquit, *cum bel-*

in Epirum novam advenit,

Dyrrhacho auxilium tulit,

lo

Digitized by Google

lo peteretur a ſuis fratribus, Hercules ex Erythria revertens opem tulit, pactus telluris partem mercedis nomine; inde Dyrrhachini eum, ut agri participem, conditorem ſuum perhibent; non quod Dyrrhachum abnegent, ſed ut ambitioſe originem ſuam ad Deum potius referant. Sed quamvis Appianus regionem illam non deſignet, quam Hercules a Dyrrhacho mercedis loco accepit, vix dubitari poteſt, quin pars illa fuerit regni Dyrrhachini, quæ ab occaſu Drilonem inter Naronemque continebatur, nam Cadmum, cujus regnum jure hæreditario ad Dyrrhachum pervenerat, apud Encheleos ibidem regnaſſe & Veteres omnes affirmant, & Cadmea monumenta illic olim poſita teſtantur. Cum autem in iiſdem fermè locis Hyllum, Herculis ex Melita filium, Hyllinis imperaſſe tradant Scriptores ſupra laudati, conſentaneum eſt eumdem hanc regionem paterna virtute partam ab ipſo parente donatam obtinuiſſe. Porro Hyllus, ut docet Apollonius, gravi admodum ſeveraque diſciplina apud Nauſithoum in Phæacia, ſive in inſula Corcyra educabatur. Is itaque, ut regni ſibi a patre traditi poſſeſſionem adiret, abeundi veniam ab avo impetravit, qui nepotem rebus omnibus neceſſariis inſtruxit, eique poteſtatem fecit, ut quantum ipſe vellet, numerum hominum e Corcyra exciret, quos ſecum in eam expeditionem adduceret. *Profectus eſt autem*, ait Apollonius, *ad mare Saturnium* (ideſt Adriaticum) *collecto ejuſdem terræ populo Phæacum; ſimul enim Rex ei inſtructum reddidit iter, heros Nauſithous, atque ille quidem abiit.*

Ab eoque regni partem donatur.

Quam Hercules Hyllo filio donavit.

Hyllus igitur ab avo bona cum gratia dimiſſus, coloniam ſane frequentem Phæacum anno ante Chriſtum circiter 1236. advexit in eam regionem, quam Hercules a Dyrrhacho, ipſe ab Hercule paternæ hæreditatis loco acceperat, ibique tum regni ſui, tum Illyrici primigenii ac proprie dicti fundamenta poſuit. Huc Hyllus cum appuliſſet, agris ac ſedibus inter Phæaces, quos ſecum deduxerat, diſtributis, univerſam regionem Hyllam, ſive Hylleidem, & advenas pariter indigenaſque, ne ſub eodem jure ſolum, ſed etiam nomine eſſent, Hyllinos appellavit. Hinc vero nominis ac generis Illyrici ducta eſſe primordia exiſtimamus. Nam ſi quid probabilis argumenti deſumi poteſt ex etymologia, quæ verborum originem inquirit, haud ſane decipere videatur, qui vocabulum Illyrici ab Hyllinis derivatum putaverit. Vix apud Scriptores aliam nationem inveneris, quæ plures, quam gens & regio Hyllinorum, unius ejuſdemque nominis variationes ſubierit. Nam gens eadem *Hylli*, *Hyllini*, *Hyllei*, *Hylleides*, *Hyelles*, *Hylleici*, *Hyllici* dicti ſunt, uno & eodem vocabulo in alium atque alium definendi modum detorto. Quin igitur ex Hyllinis in Illyrios etiam fieri potuit commutatio? Alterius cum altero vocabulo quædam veluti cognatio & ſimilitudo intercedit, quæ indicio eſt communem eſſe utrique ab Hyllo nomine primitivo originem; neque propius *Hyllini* ab *Hyllo*, quam *Illyrii* ab *Hyllinis* abeſſe videntur; idque hoc verisimilius mihi fit, quod aliorum veterum ac recentiorum nominum derivatio, licet longius petita a priſcis obſoletiſque vocabulis, vulgo tamen probatur ac recipitur. Sexcenta ſunt, quæ proferre poſſem, ſi ab rebus gravioribus otium eſſet, exempla nobilium ſcriptorum, qui nominum originem multo longius deducunt, ſic prorſus, ut inter primitiva ac derivata vocabula vix aliquam affinitatem ſive ſimilitudinem dignoſcas; veluti, cum de primævis poſt diluvium gentium parentibus, & conditoribus diſputant, ab *Thira Thraces*, a *Madai Medos*, ab *Javan Jones*, a *Thogor-*

Hyllus regni a patre accepti poſſeſſionem adit.

Ab Hyllo Hyllini, ab Hyllinis Illyrici.

ma Thygrammanos & nomen & genus traxiſſe docent. Huc accedit, quod cum univerſalis Illyrici vocabulo provinciæ quamplurimæ contineantur, deſignari quidem poteſt tempus aliquod, cum unaquæque nomen Illyricum acceperit, quo antea carebat; verum ex quo Illyricum nomen audiri cœpit, nullum certum ac definitum tempus inveneris, quo hæc regio inter Naronem & Drilonem, vel dicta non fuerit Illyrica, vel quo primum ad Illyrici jam ante exiſtentis jus ditionemque acceſſerit: ex quo effici poſſe videtur Hyllinos non adſcriptitios, ſed primigenios Illyrios habendos eſſe. Hyllus, Hyllinique erant generis Pelaſgici, ſive Græci; nam Hercules Hylli parens Thebis in media Græcia ortus ex antiquiſſima Regum Argivorum & Mycenæorum ſtirpe paternum pariter genus, maternumque ducebat; & Phæaces illi, quos Hyllo Nauſithous ſocios dedit, oriundi erant e Pelaſgis gente Arcadica vetuſtiſſima, quæ jamdudum e patriis finibus effuſa, & Europam Aſiamque inundans, maria, inſulas, littora, & immenſa terrarum ſpatia occupaverat, ut tradunt Herodotus, Strabo, Halicarnaſſenſis, Pauſanias, & alii plures. Nunc vero audiendus eſt Raphael Levacovichius Archiepiſcopus Achridanus rerum Illyricarum diligentiſſimus inveſtigator, qui in Prodromo Geographico Mſ. ad hiſtoriam Illyricam, nobis ad hanc ſententiam amplectendam ducem ſe atque auctorem præbuit: *Hylleis populus Illyricus ab Hyllo Herculis Alcæi & Melitæ Ægei fluminis filiæ genito ab initio dicebatur; ſed mutatis deinceps Scripturæ & locutionis elementis, Hyllenus primum, deinde Illinicus, & poſtremo Illyricus vocari cœpit. Ipſe pariter Hyllus Illyricorum conditor ſub nomine Illynici, & Illyrici reperitur. Dicitur autem Hyllus Melitæ, & Hyllus minor, ut ab altero Hyllo fratre ſuo majori natu, & Dejaniræ filio fecernatur.*

Illyrii primigenii ac proprii inter Naronem & Drilonem.

§. II.

Fines Illyrici primigenii ac proprii.

Fines Illyrici primigenii ac proprii.

NUnc reſtat, ut Hyllinici regni, ſive Illyrici primigenii poſitionem fineſque deſcribamus. Cum *Illyricum primigenium* dicimus, eam regionem intelligi volumus, in qua primum exortum eſt nomen Illyricum, & ex qua in alias deinceps atque alias regiones propagatum. Si ergo ab Hyllo Hyllinique repetenda eſt origo nominis Illyrici, hujus primordia in ea regione conſtitui oportet, quam Dyrrhachus Herculi, Hercules Hyllo filio ſuo donavit; quæ quidem regio mari Saturnio, ut vocat Apollonius, ſive Adriatico adjacebat inter Naronem ac Drilonem, proxime ab Oriente conjuncta cum regno Dyrrhachienſi, quippe cum eam Dyrrhachus ab ſuo regno divulſerat. Atque Hyllus quidem regni finibus ultra Naronem productis, quidquid terrarum ac gentium uſque ad Titium protenditur, bello occupavit, ad ſuamque ditionem adjunxit, ut infra dicemus. Sed hæc fuit veluti quædam, eaque prima propagatio Illynici ſive Illyrici nominis ex ea regione, in qua ortum fuerat, illuc prolati. Ab hac porro, quam diximus, regione ducendum eſſe exordium nominis ac generis Illyrici illud vel maxime argumento eſt, quod nemo ſeu veterum ſive juniorum Scriptorum eam ab Illyrico excluſerit, vel non Illyricum appellarent; cum e cæteris provinciis, quarum deinde acceſſio facta eſt ad Illyricum, alii alias Illyrico vocabulo exemerint; ex quo clare perſpicitur in hac regione non adventitium eſſe, ſed innatum fuiſſe nomen Illyricum, quod ipſa non aliunde aſſumpſit, ſed ab ſe ortum aliis regionibus communicavit.

Digitized by Google

Schymnus Chius non modo Liburnos, sed etiam finitimos populos, qui acceptum ab Hyllo nomen cum communi Illyriorum appellatione retinuerant, ab Illyrico sejunxit, non item vero hanc regionem Naroni & Driloni interjectam, quam Illyridem vocat, cujus tamen fines ab ortu pariter occasuque ultra fluvium utrumque produxit; nam post descriptos Bullinos Hyllinosque fere usque ad Nestum amnem, hinc ait Illyridem incipere: *Porrecta deinceps Illyris*. Dionysius Alexandrinus in Periegesi cum iisdem, atque Schymnus, termipis Illyricum circumscribat, Illyrici vocabulo eamdem atque ille regionem subjecit, Liburnis, Bullinis, Hyllinisque seclusis.

Flexilis hinc pontus convertens vergit ad ortus,
Atque Liburnorum terras, hyllisque ferpces,
Bulimeon pariter perstringens littora currit,
Et venit Illyrias late porrectus ad arces,
Quas tollunt montes, excelsa Ceraunia summos.

At Lucius Florus lib. 4. c. 14. non solum Pannonios, Liburnos, cæteraisque gentes Illyrici nomine comprehensas, sed Dalmatas ipsos, quorum primæ sedes inter Nestum & Naronem fuerant, nominatim distinxit ab Illyriis, quos proinde iisdem omnino terminis definiyit, Narone scilicet & Drilone, quibus nos Illyricum primigenium circumscripsimus; quamvis idem Florus aliis in locis nomen Illyricum latius extendit, nec solum Illyrios primigenios, sed etiam Dalmatas & Liburnos eidem subjecit.

Illyricum primigenium idem atque Illyricum proprium.

Præterea, quod nos Illyricum primigenium appellamus, idem est, atque Illyricum proprium, ut alii vocant. Pomponius Mela lib. 2. cap. 2. & Plinius lib. 3. cap. 22. *proprie dictos Illyrios* Naroni, & Driloni fluminibus interjiciunt, quamvis ibidem alios etiam populos cum illis conjungunt, qui præter commune Illyriorum vocabulum, suum quoque & peculiare nomen habuere. Quare Historicus Dalmata de Regno Dalm. lib. 1. cap. 3. Melæ ac Plinii auctoritatem secutus: *Illyricum ergo proprium*, inquit, *inter Naronem & Drinum* (seu potius Drilonem) *situm fuit*. Infra vero: *Quæ regio intra Naronem & Drinum . . . . Illyrium proprium ab eorum*, id est Romanorum, *scriptoribus dicta fuit ad differentiam tam Orientalis partis antiqui Illyrici ultra Drinum, quæ in Macedoniæ nomen transivit, quam Occidentalis citra Naronem, cujus pars antiquæ Dalmatiæ adscribebatur, pars vero reliqua a Romanis addita, nomina antiqua Liburniæ & Istriæ servabat*. Itaque Illyricum proprium idem est, quod primigenium, quæ utraque appellatio idem valet, declaratque, unde nomen genusque Illyricum exortum sit, & in alias atque alias regiones paulatim prolatum. Ad eumdem plane modum Italia propria dicta est, quæ initio intra Rubiconem sese continuit, deinde universam Galliam Cisalpinam suo nomine complectens, fines suos usque ad Alpes porrexit. Sic Græcia propria haud latius, quam Attica regio patuit, sed ex his angustiis educi cum cœpisset, universam Græciam, idest Achajam, Peloponnesum, Macedoniam, Thessaliam, Epirum utramque, & extremam Italiæ partem, cum Insulis Ægei & Jonii Maris in suam potestatem redegit. Huc adde Asiam minorem, quæ cum proprie dicta sit Asia, nomen suum omnibus illis propemodum immensis regionibus impertiit, ex quibus una quatuor Orbis partium, eademque amplissima conflatur. Nec desunt alia id generis exempla: sæpe enim nomen unius provinciæ, cum ab initio finibus admodum exiguis contineretur, vel inde coloniis alio missis, vel gentibus extraneis subactis, vel denique Principum arbitrio, longe lateque propagatum est.

§. III.

Prima Illyrici propagatio. Hylli regnum; Interitus, Successores.

Illyrici prima propagatio usque ad Titium flumen.

HYllus haud contentus ea terrarum portione, quam a patre acceperat, ad regni fines amplificandos animum adjecit, easque finitimis ab Occidente populis in potestatem redactis usque ad Titium amnem Liburniæ terminum propagavit. Nam ab Narone ad Titium Hylli ditionem productam fuisse intelligi potest ex antiquis Geographis Scylace, Schymno, & Dionysio Alexandrino, qui proximos a Liburnis Hyllinos, & Bullinos ab Hyllo denominatos, eoque deductos constituunt. Idem suadet Hyllis peninsula ab eodem Hyllo nomen mutuata, cujus positionem plerique prope a Liburnia statuunt; idem denique confirmant bella, quæ, ut tradit Apollonius, cum Mentoribus populis Liburniæ, ut Plinius docet, Hyllus gessit. Hæc itaque prima est propagatio generis ac nominis Illyrici ab Narone ad Titium, sive ad eam usque regionem prolati, quæ postea ab Liburnis advenis Liburniæ nomen accepit. Hujus regionis ad Illyricum accessionem antiquissimam fuisse, testimonio esse potest Scylax Chariandensis, unus omnium, qui extant, Geographorum antiquissimus, quippe cum quatuor fere ante Christum sæculis floruerit. Is autem Liburnis proxime adjungit Illyrios: *Post Liburnos*, inquit, *gens est Illyriorum*. Ac cæteri deinceps Scriptores fere omnes hunc terrarum tractum ab Narone ad Titium porrectum, qui deinde Dalmatia proprie dicta est, Illyrico attribuunt, præter paucos illos, qui cum Dalmatas ab Illyrico secludant, Illyriorum vocabulo ad Illyrios primigenios seu proprios significandos utuntur.

Duæ urbes ab Hyllo conditæ, Heraclea, & Hyllenis.

Duas civitates in primis memoratu dignas Hyllus in ea regione, quam vel a parente acceperat, vel bello sibi adeptus fuerat, condidisse fertur; alteram parentis nomine Heracleam appellavit; alteram ab se Hylleidem, sive Hyllenidem dici jussit. De prima meminit Scylax: *In his*, inquit, *oppidum Græcum est nomine Heraclea*; sed ubi posita fuerit, non liquet. De postrema mentio est apud Apollonium lib. 4. ex quo præterea hujus urbis positio dignosci potest. Is quippe cum Argonautarum in patriam reditum post Colchicam expeditionem describeret, tradit illos appulisse ad regionem Hyllorum, *ubi*, inquit, *frequentes eminebant insulæ difficilem navigantibus viam per medium reddentes*. Ac deinde subjecit Argonautas Hyllinis, a quibus perbenigne accepti habitique fuerant, grati animi ergo donasse alterum ex tripodibus, quos Jason a Phœbo acceperat; hunc vero tripoda ex admonitu Oraculi alte in terram defossum fuisse, *circa urbem inclytam Hyllenida, ut inconspicuus semper omnibus esset*. Itaque urbs Hylleis, sive Hyllenis eo loci condita fuerat, quo Argonautæ appulerant, & unde initium ducit longa illa insularum series, quæ fere usque ad Epidaurum porrectæ Illyrico littori objacent. Atque hic locus congruit cum positione urbis Salonitanæ. Nam Hyllis peninsula, sive Promontorium Diomedis, duobus amnibus interjectum Titio, qui Liburnos ab Hyllinis sive Illyriis sejungit, & Jadro, qui Salonam præterfluit, nullis omnino insulis circumtegitur, si unam excipias, quæ portum Mirariæ a meridie præcludens, duo sane angusta, alterum ab ortu, alterum ab occasu efficit ostia, quibus naves illuc subeant. Ex eo autem promontorio, atque e portu Salonitano in altum provectis, & prora in

Hyllenidis positio.

Orien-

Digitized by Google

Orientem obversa navigantibus, frequentes a læva insulæ, brevi Euripo eas interfluente, occurrunt, quæ omnem oræ maritimæ prospectum nautis vectoribusque adimunt. Vix igitur dubitari potest, quin Hyllus vel ibidem loci, ubi Salonæ vestigia visuntur, vel certe non procul inde Hylleidem urbem ædificaverit; & fortassis quæ postea dicta est Salona, eadem antea Hylleis, vel Hyllenis vocabatur, vel etiam Hyllena, & Silena. Nicephorus Callixtus ex antiquo aliquo Onomastico Salonam Hyllæ vocabulo donavit.

Hyllus jure ac titulo regali præsuit.

Hyllum regali jure ac titulo Hyllinis sive Illyriis præfuisse Apollonius docet; idemque confirmat gemma perantiqua apud Fulvium, Caninium, & Gronovium, in qua & nomen Hylli litteris græcis incisum est, & regium diadema ejus capiti impositum. Cum Hyllus annos fere decem regnum obtinuisset apud Illyrios primigenios, quorum fines, ut supra diximus, a Narone usque ad Titium amnem propagaverat, prælio cum Mentoribus finitimis populis commisso in acie interiit anno ante Christum circiter 1225. Apollonius quippe auctor est Hyllum extinctum jam fuisse tum, cum Argonautæ post expeditionem Colchicam per mare Adriaticum in Græciam revertebantur: *Heros autem, quando ipsis visus reditus fecurus, tum prodeuntes in terra retinacula alligarunt Hyllorum. . . . Nec tamen amplius viventem ibi invenerunt regem Hyllum, quem formosa Melita peperit Herculi . . . ipsum autem occiderant Mentores agrestibus dimicantem pro bobus.* Argonautarum in Colchum profectio cum Petavio conjici potest in annum, qui ante Christianam Epocham numeratur 1226; eorum autem in patriam reversio inciderit necesse est in annum proxime insequentem, cum Hyllum jam extinctum Argonautæ invenerunt. Obierit itaque vel superiori, vel hoc ipso anno 1225. antequam illuc Argonautæ redeuntes e Colchide appellerent; neque enim vitam ac regnum Hylli in pauciores annos contrahi necesse est, quam laudatus Apollonii locus postulat. Utrum autem filios ex se reliquerit, qui parenti in regnum succederent, an vero sine liberis decesserit, non satis certum habemus. Verisimile tamen est ex Hylli progenie fuisse Clinicum illum, quem Varro circa tempora Trojana regnum in Illyriis obtinuisse affirmat: nam si ratio nominis ad aliquam conjecturam faciendam pertinet, Clinicus haud longe abest ab Illynico, cujus vocabuli originem ad Hyllum referendam esse censet Raphael Levacovichius, qui docet ab Hyllo primum Hylleños, deinde Hyllenicos, postea Illynicos, tandem Illyricos dictos esse ac derivatos. Quod conjectura suadet, idem ratio temporum confirmat. Nam Hyllus regnavit annis circiter quadraginta ante Trojanum excidium, cujus tempore Clinicum Illyriis imperasse Varro scripsit. Unde autem Clinicus nomen traxit, indidem genus quoque videtur duxisse. Præterea cum dubitari non possit de regno Illyrico Clinici, si fides habenda sit Varroni, quid causæ est, cur putemus hoc regnum vi potius atque armis ab Clinico partum, quam jure hæreditario ad eum esse devolutum?

Hylli interitus.

Clinicus ejusdem successor.

Illud autem non satis liquet, utrum Clinicus proxime ab Hyllo rerum potitus fuerit, an vero aliquis alius incomperti nominis Hyllo & Clinico interjectus, Illyriis cum regio titulo ac jure præfuerit. Qui proxime post Hyllum tenuit regnum Illyriorum, is Argonautas Colchica expeditione perfunctos, delatosque in mare Adriaticum comiter excepit, iisdemque & commeatum large suppeditavit, & viros navigationis Adriaticæ peritos præbuit, quorum ductu, quod reliquum erat itineris maritimi, sine ullo errore periculove conficerent. Hoc docet Apollonius. Clinicus vero, qui videtur ante bellum Trojanum Illyrici regni administrationem suscepisse, duas & septuaginta naves instruxit, quas Græcis contra Trojanos subsidio misit. Hoc ex antiquis monumentis deprompsit Micha Madius in hist. cap. 15. ac testatum reliquit hisce verbis: *Dicitur per historias & Chronicas antiquas ipsam civitatem* Salonæ (quæ tum Hyllenis fortasse vocabatur) *tempore sui status dedisse ad destructionem Trojanorum contra regem Priamum in subsidium Græcorum galeas armatas LXXII.* Illud vero sine ulla dubitatione ad Clinicum pertinet, quod Varro tradidit apud Valerium Probum de Idomeneo Cretensium rege, qui ejectus a suis ad Illyrios confugit. Is igitur, Varrone teste, post Trojam eversam, ad cujus expugnationem ipse quoque milites & arma contulerat, e Creta per seditionem popularem expulsus, cum ingenti popularium suorum manu ad Clinicum Illyriorum regem se contulit, ab eoque viris & copiis auctus in Italiam trajecit, & regnum in Salentinis obtinuit: *Idomeneus e Creta oppido Lyctio pulsus per seditionem, cum grandi manu ad regem Clinicum venit in Illyricum. Ab eo item accepta manu, cum Locrensibus plerisque profugis in mari conjunctis, amicitiaque per similem causam sociatis Locros appulit, vacuata eo metu urbe; ibique possedit aliquot oppida, & condidit, in queis Uria, & Castrum Minervæ nobilissimum. In tres partes divisa copia, in populos duodecim. Salentini dicti, quod in Salo amicitiam fecerint.* Hæc Varro apud Valerium Probum ad eclog. 1. Virg.

qui Argonautas, & Idomeneum excepit.

Post Clinicum Daunius Rex Illyricl.

Post Clinicum Daunius, a quo Daunia Italica nomen accepit, Illyrici regni potitus est, ut videtur colligi posse ex Festo: *Daunia*, inquit, *a Dauno Illyricæ gentis claro, qui eam, propter domesticam seditionem patria excedens, occupavit.* Sed Festus neque familiam commemorat, unde prodiit Daunus Illyricus, neque urbem, ex qua profugus in Italiam venit, neque causam illius domesticæ seditionis, qua compulsus fugam sibi e solo patrio, exiliumque conscivit. Ac mihi haud dubium videtur, quin Daunus, si, ut Festus tradit, genere Illyrius erat, ex Illyrico, quod tum Titio & Drilone fluminibus definiebatur, in Italiam advenerit. Nec fortassis longe a veritate aberraverit, qui existimet Daunum ex regia Hylli stirpe procreatum, eumdemque Clinici filium ac successorem fuisse, Hyllinæ ortum, in urbe Hyllinici sive Illyrici regni principe ac metropoli, unde fugam arripuit, atque in Italiam se transtulit. Fugæ vero causam præbuit Liburnorum in eas regiones adventus, ad quos cum plerique Illyriorum defecissent, a suis seu proditus, seu desertus, regno, patriaque excessit. Atque hæc Illyriorum defectio fuit illa *domestica seditio*, quæ, Festo auctore, Daunum impulit, ut ex Illyrico in Italiam profugeret. Italica Dauni profectio referri potest ad annum ante æram vulgarem 1183. anno proximo post Trojanam cladem: quam Petavius anno ante Christum 1184. illigavit; ex quo fit, ut si Daunus post Clinicum apud Illyrios regnavit, breve admodum ejus regnum fuerit. Ita Dauno cum Hyllinis, qui in fide & officio manserant, in Italiam profecto, regnum Illyricum, ab Hyllo fundatum, intra annos circiter quinquaginta, quam florere cœperat, ab Græcis ad Liburnos pervenit, ut mox dicemus. Nam Hyllus Hyllinique ab Græcia orinndi erant; quippe Hercules Hylli parens ex nobilissima Argivorum ac Mycenæorum regum stirpe Thebis in Bœotia natus esse dicitur; & Phæaces, quorum coloniam Hyllus deduxit, erant ex genere Græcorum

qui in Italiam profectus est, & cur.

Digitized by Google

rum. Quapropter Schymnus Hyllorum originem a Græcis repetendam tradit: *Sed oppida illic* XV. *colere asserunt Hyllos originis quidem Græcanicæ, quorum auctor Hyllus gnatus Herculis fuit.*

Diomedis Illyrica peregrinatio.

Antequam ab Illyriis Græcis ad Illyrios Liburnos transeam, non est mihi prætercundus Diomedes, qui cum in Italia, tum in Illyrico, multa sui nominis adventusque præclara vestigia reliquit. Is in matrimonio habuit Ægialiam filiam Adrasti regis Argivorum, cui etiam in regnum jure dotali successit, Ætoliamque imperio suo adjunxit. Argis cum habitus est conventus totius Græciæ celeberrimus, in quo de Trojana expeditione suscipienda deliberatum est, ipse quoque huic concilio interfuit; idemque & gravissimus auctor ad bellum decernendum, & fortissimus adjutor ad conficiendum fuit; in eo quippe ejus opera tanti fuisse fertur, ut rei bene gestæ laudem præcipuam sibi vindicaverit. Trojano bello perfunctum nihilo mitior, quam cæteros Græcorum Duces Trojanorum victores, fortuna excepit. Nam Argis Ægialiæ conjugis adulteræ instigatione atque opera repulsus; Ætoliæque aditu civium conspiratione prohibitus, regno & patria caruit. Itaque cum vagus & exul erraret, atque undique exclusus, e Græcia secessit, & cum sociis in Adriaticum mare delatus universum Illyricum circumivit. Ex Adriatica navigatione appulisse Diomedem ad littus Hyllinorum argumento est cognomen eo loci inditum, ubi sinuoso ambitu littus curvatur, atque instar cujusdam promontorii in mare prominet, appellaturque a Plinio *Promontorium Diomedis*, quam Hyllim peninsulam alii vocant. Deinde Mentores Istrosque prætervectus ad Euganeos pervenit. Multa illic Diomedei adventus monumenta Strabo lib. 5. commemorat, templum Diomedis nomine consecratum in ipso intimo Adriatici sinus recessu apud Timavum, ritum Junonis Argivæ Dianæque Ætolicæ colendæ ab Diomede Euganeis traditum, & duos lucos alterum Junoni, alterum Dianæ dedicatos; & præterea apud Venetos id moris receptum fuisse scribit, ad tanti hospitis colendam celebrandamque memoriam, ut Diomedi solemni ritu ac cæremonia equum candidum statis temporibus immolarent.

Diomedis promontorium in ora Illyrica.

Templum apud Timavum.

Ab Euganeis digressus præter oram Italiæ in Dauniam cum venisset, acre & magnum bellum gerebat cum Messapiis Daunus haud multo ante ex Illyrico profectus, ejus regionis Princeps & conditor, cui Diomedes cum sociis egregiam ad hostes debellandos operam navavit. Daunus ob rem bene gestam Diomedi, loco præmii, filiam nuptum dedit, ac propterea Plinius lib. 3. cap. 11. vocat Daunum socerum Diomedis; & insuper eam Apuliæ Dauniæ partem concessit, quam campos Diomedeos appellavit antiquitas, ubi Diomedes, ut docet Strabo lib. 5. tres nobilissimas urbes ædificavit, Sypuntum, Salapiam, & Argos, sive Argyrohippium, quæ civitas postea dicta est Argyrippa, ac demum Arpi. Præterea ad suam ditionem adjecit duas sive tres e regione Gargani promontorii insulas, quæ ab antiquis Scriptoribus Diomedeæ vocantur. Sunt, qui Spinam quoque a Pelasgis Thessalis olim ad ostia Padi conditam; itemque alias Italicæ oræ urbes in potestate Diomedis fuisse affirment. Nec magis terrestribus, quam maritimis copiis valuit, nam, ut Historicus Dalmata præclare animadvertit, post Pelasgos maris Adriatici dominatum obtinuit, idque ex Strabone intelligi posse existimat. *Post Pelasgos*, inquit cap. 1. *Diomedem eidem mari dominatum esse ex Strabone apparet*. Tum in eam sententiam hæc Strabonis lib. 5. verba subjecit: *In ipso autem intimo sinus Adriatici Timavum est, Diomedis templum memorabile; habet enim portum, & elegantem lucum, & fontes septem potabilis aquæ, statim in mare alto, & lato excidentis amne.* Infra vero idem Strabo: *Diomedem circa illud mare ditionem tenuisse testantur Insulæ Diomedeæ, & quæ de Daunis & Argo Hippio referunt.* Huc adde insulas atque urbes, quas in utroque littore Diomedes vel condidit, vel refecit, vel suo nomine impertivit, quod argumento est Italicam fere totam, huic vero obversam oram aliqua ex parte ad Diomedis ditionem pertinuisse: cujus autem imperio suberat utraque ora maritima, huic & maris interjecti dominatus adjudicandus esse videtur. Ac Diomedes res Pelasgorum, seu Græcorum in Italia jampridem collabi cœptas, ut ait Dionysius Halicarnasseus, non modo sustinuit, ne funditus interirent, sed etiam prope jacentes erexit, atque ad statum fere pristinum revocavit. Præterea cum in utraque ora insulas urbesque maritimas cum maris imperio possideret, Liburnos cohibuit, eorumque incitatos ad summum potentiæ fortunæque fastigium cursus paulisper retardavit. Sed haud multis post annis defuncto Diomede, vel ex Italia abeunte, Liburni hoc quasi obice seu repagulo remoto, tum Illyricum omne ab Drilone ad Titium, cæterasque ab ortu & occasu finitimas regiones, tum partem aliquam Italicæ oræ, una cum maris dominio adepti, imperium suum longe lateque propagarunt.

Damno ob rem sibi contra Messapios.

urbes ab eo conditæ.

Maris Adriatici imperium tenuit.

CAPUT II.

Liburni expulsis Græcis Illyricum occupant.

§. I.

De genere Liburnorum, eorumque in Illyricum adventu.

Liburnos gentem fuisse Asiaticam solus quidem C. Julius Solinus Polyhistor cap. 2. affirmat; sed cum nemo veterum hujus gentis originem memoriæ ac litteris prodiderit, & nihil argumenti ad ejus sententiam labefactandam afferri queat, is vel unus censendus est idoneus, cui hac in re fidem haberi impune possit: nisi forte de Liburno nescio quo ex Attica oriundo credere libet Stephano, seu potius ei, quem Stephani Epitomatorem vocant, *qui*, ut ait Historicus Dalmata, *Græcorum more omnium nationum origines fabulis involventium, sibique tribuentium, a quodam Attici generis viro Liburnos dictos asserit.* Itaque unus Solinus paucis explicat, unde Liburnorum genus repeti oporteat: *Italicus discursus per Liburnos, quæ gens Asiatica est, procedit in Dalmatiæ pedem.* Gens itaque Liburna ex Asia in Europam effusa, quam late non solum in Italia atque Illyrico, sed etiam in Gallia aliisque regionibus sedes occupaverit, nomina sunt argumento, quæ natio Liburnorum plurimis in locis veluti quædam antiqui sui dominatus vestigia reliquit. Ut nunc omittam, quæ ad oram insulasque Illyricas pertinent, rerum in multis Italiæ partibus potitos esse Liburnos declarant cum mons Apuliæ, quem Polybius lib. 3. Liburnum vocat, tum Liburna Italiæ civitas, cujus meminit Zosimus apud Ortelium, tum Liburni in Piceno apud Prætutianum agrum a Plinio constituti, tum denique Liburnus, seu Ligurnus, Etruriæ portus, idemque oppidum opulentissimum, ac celeberrimum, quod Pisis millia passuum fere tredecim distat. Adde huc mare inferum, quod M. T. Cicero Liburnum vocavit apud Ortelium & Ferrarium. In Gallia quoque extant Liburnici nominis ac dominatus monumenta: id quod testa-

Liburni gens Asiatica, longe lateque per Europam diffusa.

tur

tur apud Baudrandum Liburnia civitas Aquitaniæ in agro Burdegalensi.

Liburni post Trojam captam in Illyricum atque Italiam effusi.

At mihi quidem videtur imperium nomenque Liburnorum in Illyrico, Italia, aliisque regionibus non antea florere ac celebrari cœpisse, quam Troja capta anno juxta Petavium ante æram vulgarem 1184. Primores Trojanorum, fœderatique Asiæ Principes in Europam colonias deduxerent. Nam quamdiu rerum potiti sunt Pelasgi, qui multis ante sæculis ex Arcadia primum in finitimas, tum in longinquas regiones alii ex aliis profecti, universam propemodum Italiam in suam potestatem redegerant, ne vocabulum quidem Liburnorum videtur apud Italos, Illyriosve auditum fuisse. Neque enim si Apollonius, in descriptione itineris Argonautici insulas illas, quæ Hyllinis Bullinisque objacent, appellavit Liburnides, idcirco sequitur id vocabulum ad ætatem illam Argonautarum referendum esse: mos est quippe scriptorum, ut in antiquis locis rebusque describendis, recentiora potius, & suis temporibus usitata, quam vetera & obsoleta nomina adhibeant: ex quo fit, ut Liburnicum nomen congruat quidem cum ætate Apollonii, non autem sit necesse illud repetere inde usque a temporibus Pelasgicis, quæ a Trojanam cladem antecedunt. Jam vero pervelim scire, unde repente extiterit tanta Liburnorum multitudo, tam late fusa, tam multis ac disjunctis locis disseminata, quæ nomen suum ac genus in alias atque alias Europæ partes invexit. Haud sane arbitror verisimilius aliunde, quam ab Asianis, Trojanaque calamitate initia Liburnicæ hujus propagationis repeti posse. Nam & tempus Trojani excidii, & consecuta deinde gentis Asiaticæ per Europam dispersio apprime congruit cum exordio Liburnici nominis atque imperii. Siquidem post Trojam excisam, & gentium a Græcis devictarum ex Asia migrationem, seu fugam, audiri cœpit in Europa & celebrari nomen Liburnicum; res vero Liburna subactis paullatim Pelasgis, cum auctior in dies fieret ac robustior, eo demum crevit, ut post interitum Diomedis, quo uno maxime inclinatæ ac propelabentes Pelasgorum opes nitebantur, multa in Italia, omnia in Illyrico Pelasgorum loca una cum maris Adriatici imperio in Liburnorum potestatem concesserint. Itaque ex Asiaticis populis, qui societate cum Trojanis contra Græcos inita, pro Trojæ Asiæque imperio decertarunt, post urbem incensam, alii in Mæsiam & Epirum, alii in Italiam, alii in Galliam, alii alio migrarunt. Hanc propemodum immensam Asianæ gentis post Trojæ excidium dispersionem confirmat Strabo, qui lib. 1. inter Conditores urbium, fundatoresque Coloniarum annumerat *Æneam, Antenorem & Henetos, atque in universum eos, qui a bello Trojano per totum Orbem terrarum dispersi, vagatique sunt*. Haud equidem dixerim Asiaticos omnes, qui ex Trojana clade ac dispersione in Europam delati sunt, Liburnos appellatos fuisse; at certe qui sedes adepti sunt in Illyrico, totaque illa regione maritima, quæ inter Arsiam ac Drilonem interjacet, quique ea loca occuparunt sive apud Gallos, sive apud Italos, in quibus Liburnici nominis ac dominatus vestigia adhuc extare supra ostendimus, Liburni nominati fuerint necesse est. Unde autem his gentibus Asianis id vocabuli obvenerit, tum explicandum erit, cum in Apparatu ad universam historiam Illyricam de Liburnorum ætate sermonem instituemus.

Liburni occupant Illyricum,

Jam vero ad rem nostram quod attinet, Liburni post Trojanum excidium ex Asia profugi non modo Illyricum, quod tum angustis satis finibus continebatur Titium inter Drilonemque, expulso Græcorum dominatu, in suam potestatem redegerunt; sed ultra Titium in Occasum progressi nomen suum imperiumque usque ad Arsiam propagarunt. Nam in ea regione, quæ ab Arsia ad Titium usque protenditur, Liburnos rerum potitos fuisse, nomen Liburniæ, quod hæc eadem regio apud omnes veteres pariter, juniores que Scriptores constantissime retinuit, evidentius, opinor, demonstrat, quam ut in dubium revocari possit. Ab Titio autem usque ad Drilonem quidquid erat Illyrici antiqui sub jus potestatemque Liburnorum concessisse, idem nomen Liburnicum ibidem impressum, & insulis quoque ipsoque mari communicatum declarat. Nam primum universam regionem, quæ ab Arsia usque ad Drilonem porrigitur, antequam Dalmatiæ nomen subiret, Liburniam appellatam fuisse auctor est Thomas Archidiaconus hist. Salon. cap. 1. *Dicta est Dalmatia etiam alio nomine Liburnia*; nec vero aliunde id vocabuli, quam ab Liburnis antiquissimis Dominis accepisse potuit. Deinde insulas fere omnes oræ Illyricæ obversas antiquitus nominatas fuisse Liburnicas & Liburnides Apollonius, Strabo, aliique veteres docent. Omnino ad quadraginta insulas eo vocabulo appellatas esse Strabo affirmat, inter quas Issam & Pityusam, id est Phariam Apollonius, Ladostam Stephanus enumerat; hisque adde Corcyram & Melitam, aliasque ejusdem maritimi tractus insulas littori Dalmatico objectas. Insulæ enim, quæ objacent Liburniæ inter Arsiam & Titium contractæ, paucioces sunt, quam quadraginta insularum Liburnicarum numerum a Strabone definitum complere possint, nisi reliquæ addantur, quæ deinceps sequuntur. Cum autem a Liburnis hæ insulæ & habitatæ & denominatæ fuerint, haud videtur dubitari posse, quin etiam ora maritima, ad quam eædem insulæ pertinent, Liburnorum potestati ac vocabulo subesset. Demum cognomen Liburnici, quod inde usque ab antiquissimis temporibus Mare Adriaticum recepit, magno sane argumento est Liburnos & maris, & insularum, & totius oræ maritimæ dominatum adeptos fuisse; nec videtur verisimile ab Liburnis universum illud mare cognominatum esse, si nomen imperiumque Liburnorum iis tantummodo terminis fuisset circumscriptum, quibus coerceatur pars illa exigua oræ maritimæ, quæ Arsia & Titio fluminibus definitur, & Liburnia propria nominatur. Et certe Virgilius Æneid. 1. non in has angustias concludere voluit rem ditionemque Liburnicam, cum non unum, sed plura regna Liburnis attribuit; *Regna*, inquit, *Liburnorum*. Quare Florus, & Jornandes, quamvis videantur Liburnos inter Arsiam Titiumque compellere, tamen illis totum littus Adriatici Italiæ obversum adscribunt, & *Illyriorum* scilicet maritimorum, ac *Liburnorum* vocabula pro synonymis habent: *Illyrici*, inquit Florus lib. 5. cap. 5. *seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arsiam Titiumque flumen, longissime per totum Adriatici maris littus effusi*. Eadem, & eisdem verbis descripta apud Jornandem de Succes. Regn. invenies. Quid quod Strabo ad imperium Liburnorum, ultra ostia maris Adriatici productum, adjunxit Phæaciam insulam, quæ etiam Scheria dicta est, & post exactos Liburnos ab novis incolis Corcyræ nomen accepit. Nam anno ante Christum circiter 735. ut narrat Strabo l. 6. Chersicrates ab Archia Corinthio cum parte copiarum in eam insulam trajicere jussus, Liburnos possessores ejecit, & Corinthiorum coloniam illuc invexit: *Cum Archias in Siciliam navigaret, Chersicratem ex Heraclidarum genere procreatum, cum parte exercitus reli-*

A Liburnis regionis, & insulis Illyrici nomen impositum.

Mare Adriaticum dictum Liburnicum.

Phæacia ab Liburnis occupata.

reliquit ad deducendas Corcyram accolas (sic enim nunc appellatur, quæ prius Scheria dicta est.) Is igitur expulsis Liburnis locum habitantibus, insulam habitatorum frequentia refersit. Hanc Liburnorum expulsionem Philippus Cluverius conjecit in secundum Olympiadis XI. annum, qui cum anno ante Epocham Christianam 735. fere congruit. Sed hæc fusius, & distinctius in libris de Liburnorum ætate, in quibus agendum erit etiam de Liburnis Colchis, qui ante bellum Trojanum ab Æeta Rege Colchorum jussi cum essent Argonautas insequi, ab eisque Medeam filiam vi atque armis repetere, Absyrto Duce per insidias cæso, ipsi ab Argonautis fusi dispersique partim confugerunt in Istriam, & Polam, aliasque urbes ædificarunt; partim ad insulas Flanatici sinus se receperunt, quas Absyrti ibidem cæsi nomine Absyrtides appellarunt; partim longius fuga delati vel apud Enchelios inter Naronem, vel ad Ceraunios montes consederunt; nam spei votique irritos pudor ac timor deterruit, ne in patriam redirent, neve seipsos, vel popularium suorum irrisioni, vel Regis crudelitati objicerent. Hæc Apollonius & Callimachus apud Strabonem. Ex eodem Colchorum genere fuisse arbitror Liburnos illos alia via ad Medeam recuperandam missos, qui Phæaciam sive Schæriam insulam ante adventum Chersicratis obtinebant. Hi siquidem Colchi in eam insulam ab Alcinoo, qui tum rerum ibidem potiebatur, perhumaniter recepti, & agris ac domiciliis donati, ut tradit Apollonius, tum propaganda sobole, tum re familiari augenda, eo creverant, ut numero & viribus vel pares essent indigenis, vel etiam superiores viderentur. Ad eorum opes fortunasque amplificandas magnum adjumentum attulit ingens illa Asianorum multitudo, quæ post captam Trojam non solum totam maris Adriatici oram ab Arsia ad Drilonem, sed etiam Epirum occupavit, Heleno Priami filio, post interitum Pyrrhi, regnum ibidem adepto. Colchos enim seu Liburnos Phæaces cum navis advenis celeriter, ut fieri solet, Asiani generis & sanguinis communio, morum ac linguarum similitudo conjunxit, & commercio, affinitatibus, rerumque omnium societate copulavit. Cum igitur tum suis, tum amicorum opibus, atque armis plurimum valerent, haud difficile illis fuit, ejusdem insulæ dominatum occupare, Regibus vel extinctis, vel expulsis, & reliquas etiam insulas ad suum imperium adjungere, incolis novos dominos subire coactis, quibus neque animorum neque virium satis erat ad resistendum. Ex utroque autem genere Liburnorum, qui ante, quive post Trojanum excidium eas, quas recensui, regiones insederunt, imperium Liburnicum conflatum fuisse existimo. Sed hæc, ut dixi, diligentius & copiosius in libris de Liburnorum ætate.

Colchi Liburni in Istria & Illyrico.

Ex in Phæaciam recepti ex potiuntur.

§. II.

Liburni Dominatum maris Adriatici obtinent, societatem imperii maritimi cum Etruscis jungunt.

Florent in Illyrico, & in Italia Liburni, ac maris imperium obtinent.

ITaque Liburni cum ex Asia post Trojam anno ante Christum 1184. eversam in hæc loca venissent, paullatim in tantas opes creverunt, præsertim post interitum Diomedis, ut omnes insulas, totumque Adriaticum suæ ditioni subjecerint. Nam a Pelasgis ac Diomede ejusdem maris dominium ad Liburnos perveniſſe auctor est Historicus Dalmata lib. 1. cap. 1. idque confirmari potest auctoritate tum Strabonis, qui Corcyram, ut diximus, tum Appiani, qui Dyrrhachium, tum Plinii, qui partem Italicæ oræ maritimæ Liburnis attribuit. Appianus lib. 2. bel. civil. Dyrrhachii urbem regionemque circumjectam primum a Phrygibus, tum a Taulantiis, deinde a Liburnis habitatam ac possessam fuisse tradit. Plinius vero lib. 3. cap. 13. & 14. hæc scripsit. *Item Castrum novum, flumen Batinum, Truentum cum amne, quod solum Liburnorum in Italia reliquum est. . . . Jungitur his sexta regio, Umbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit Togata Galliæ cognomine, Siculi & Liburni plurima ejus tractus tenuere, in primis Palmensem, Prætutianum, Adrianumque agrum. Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli.* Qui ergo insulas & urbes maritimas, & oram Illyricam totam, Italicæ vero partem haud exiguam in sua potestate habebant, ad eorum etiam jus imperiumque mare quoque utrique oræ interjectum pertinuerit, necesse est. Quantum autem maritimis copiis valerent Liburni, argumento sunt naves Liburnicæ Græcis & Latinis litteris celebratæ. Nihil illis agilius, nihil celerius; quo fiebat, ut summa dexteritate, vel ex mediis hostium classibus elaberentur, seque in tutum reciperent, fugientes vero hostium naves mira velocitate assequerentur, suamque in potestatem redigerent. A Liburnis autem earum architectis atque inventoribus dictæ sunt Liburnicæ, quibus illi ad jus Adriaticæ navigationis, maritimique commercii retinendum utebantur.

Etruscorum opes & potentia.

Sed cum res Liburnicæ terra marique florerent, Etrusci gens virtute, fortuna, ac divitiis præpollens, qui ad eam diem cis Apenninum longe lateque imperaverant, maris etiam Tyrrheni dominium nacti, quippe inde usque ab adventu Æneæ tanta opibus erat Etruria, Livio teste, ut jam non terras solum, sed etiam mare per totam Italiæ longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum fama nominis sui implesset, Etrusci inquam Apenninum transgressi, omnia trans Padum loca, excepto Venetorum angulo, coloniis illuc missis, usque ad Alpes tenuere. Adriam urbem inter Athesim & Padum prope a mari condiderunt, loco peropportuno ad maritimum commercium exercendum. Urbi adjectus est portus egregius & capacissimus navium, siccatæ circa urbem paludes, quas efficiebant aquæ stagnantes e Pado, cæterisque fluminibus; fossæ ad mare productæ, quibus veluti alveis diffluentes aquæ coercerentur; quæ omnia Plinius lib. 3. cap. 6. paucis descripsit. *Omnia, ea flumina, fossasque, primi a Sagis fecere Tusci: egesto amnis impetu per transversum in Atrianorum paludes, quæ septem maria appellantur, nobili portu oppidi Tuscorum Atriæ, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Exinde Tusci, qui ad eam diem infero mari dominabantur, in superum quoque jus imperiumque extendere cœperunt, præsertim post Spinam & Ravennam, aliasque urbes mediterraneas ac maritimas Pelasgis Thessalis ademptas. Tuscos Apenninum transcendisse, antequam Roma conderetur, atque inter duo maria latitudinem Italiæ obtinuisse auctor est Livius: *Tuscorum*, inquit Decad. 1. lib. 5. *ante Romanum imperium late terra marique opes patuere supero mari inferoque, quibus Italia insulæ modo cingitur.* Hanc imperii Etrusci trans Apenninum propagationem, Adriæque urbis ædificationem, cum Livius nullo certo tempore definierit, ego equidem referendam censeo ad tempus illud, cum res Pelasgorum in Italia a summa & excitata fortuna ad inclinatam, ac prope jacentem jamdudum desciviſſent; nam pleraſque Pelasgorum urbes easdemque opulentissimas Tusci, sive Tyrrheni ad suam ditionem adjecerunt, id quod docet Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Derelictas a Pelasgis urbes occu-*

Digitized by Google

aetate eversa cum alii multi, ut quique erant finitimi; tum maxime Tyrrheni plurimas atque optimas. Idem vero Dionysius paullo ante docuerat Pelasgorum opes debilitari, ac deteriores fieri coepisse altera ante Trojanum bellum ætate; Pelasgi tamen, quamvis copiis ac viribus diminuti, tamen post Trojanam calamitatem satis diu imperarunt, præsertim cum Diomedes in Italia nomen imperiumque Pelasgorum in antiquum statum restituere conatus, ne funditus corrueret, per aliquot annos egregie sustinuit; at post discessum, sive interitum Diomedis Pelasgorum opes, Tuscis ac Liburnis in eorum exitium conspirantibus, magis magisque in dies collapsæ sunt, sic prorsus, ut Pelasgi ad miram paucitatem redigerentur. *Tempus autem, quo res Pelasgorum coeperunt deficere*, inquit Dionysius, *incidit in alteram ætatem ante bellum Trojanum; duraverunt tamen ultra ejus belli tempora, donec contracta essent in gentem minimam*. Cum igitur res Pelasgica de statu suo usque eo declinasset, deterioti loco ut esse non posset, tum videntur Tusci finibus imperii trans Apenninum latissime prolatis Adriam urbem condidisse; quorum vim Pelasgi finitimi, qui Spinam urbem incolebant, & viribus ac numero longe impares cum sustinere non possent, eamdem deserere, alioque demigrare coacti sunt, ut scripsit Dionysius Halicarnasseus. Tum omnis impetus ab Etruscis conversus in Pelasgos Thessalos Ravennæ conditores ac dominos, qui bello gerendo cum pares hostibus non essent, propinquos Umbros auxilio accitos in civitatem receperunt. Sed cum ne externis quidem aucti copiis ac viribus hostes propulsare possent, Ravenna Umbris relicta, ipsi in Græciam, unde Majores sui venerant, remigrarunt. Id eradit Strabo lib. 5. *Fertur etiam Ravenna a Thessalis fuisse condita; qui cum Tyrrhenorum injurias ferre non possent, ultro in urbem admissis Umbrorum quibusdam, qui eam etiamnum tenent, domum reverterunt*. Hæc autem accidisse arbitror uno aut altero sæculo post bellum Trojanum, & Liburnorum adventum, Diomedisque interitum, quo tempore contractæ admodum erant, adductæque in angustum res Pelasgorum.

Adria ab Etruscis condita.

Pelasgi Italia excedere coacti.

Jam vero Tuscos, Pelasgis expulsis, maris Adriatici dominatum obtinuisse convenit inter omnes; at Tusci ademerintne Liburnis imperium maris, an vero juris quæstusque maritimi societatem cum Liburnis coierint, id in controversia est. Historicus Dalmata primum quidem censuit jus Adriaticæ navigationis ad Tuscos devolutum esse ab Liburnis, quos illi totius maris possessione depulerint; & plenum antea integrumque ejusdem maris dominium penes Liburnos fuisse tradit annos circiter quadringentos ab obitu Diomedis usque ad Chersicratis adventum, qui Corcyram Liburnis Colchis ademit; deinde autem translatum esse ad Tuscos, ab hisque annos retentum ferme trecentos usque ad Dionysium seniorem, qui anno ante Christum 406. Syracusis tyrannidem occupavit. Quod autem idem Historicus opinatur, præter oram Italicam, aliquid etiam orę Illyricæ cum urbe Jadera insulisque Liburnicis, Tuscos adeptos fuisse, sine quibus maris imperium neque obtinere, neque tueri potuissent, nullo modo prorsus assentior, cum Etrusci imperii trans Adriaticum prolati ne tenue quidem indicium apud Veteres invenire liceat. Quare multo verisimilius arbitror id, quod deinde idem Auctor videtur magis probare, videlicet, Tuscos in societatem commercii dominatusque maritimi a Liburnis adscitos esse, ut sibi auxilio essent adversus Umbros, qui ora Italica, nimirum Prætutiano, Palmensi, Hadrianoque agro Liburnos exegerant. Etrusci vero injurias sociis Liburnis illatas ulciscentes indidem Umbros expulerunt. Id docet Plinius lib. 3. cap. 13. *Liburni plurima ejus tractus tenuere, in primis Palmensem, Prætutianum, Hadrianumque agrum; Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli*. Nunc audiendus est Historicus Dalmata lib. 1. cap. 5. *Si in antiquioribus rebus conjecturis uti fas est, sicuti Liburnos ab Umbris Italia pulsos memorat Plinius, hosque ab Etruscis; ita si quis Liburnas contra expulsores Umbros Tuscis auxiliatos*, (sive potius Liburnos ab Tuscis ad Umbros ulciscendos adjutos fuisse) *asseveret, forsan incongrue conjecturasse non videretur; Atrienses vero* (id est Etruscos) *ab amicis Liburnis in mare deductos, imitatione Pelasgorum, occupatis Padi ostiis, aptatisque paludibus, ut Plinius loco citato refert, & opportunitate situs, processisse temporum, navigationem totius sinus ad se traxisse. . . . . ac deinde Atrienses & Liburnos communem navigationem continuasse usque ad Dionysii tempora*.

Tusci dominationem maris Adriatici aut post Liburnos, aut cum Liburnis adepti.

Regio illa inter Titium ac Drilonem, quæ Illyricum dicebatur, sub Liburnorum imperium ditionemque cum cecidisset, Liburnia quidem ab novis incolis dominisque appellata est, cum hoc tamen vocabulo & nomen Illyricum retinuit; quin ipsi Liburni ab novis sedibus, quas occupaverant, jam tum videntur vocari incepisse Illyrii, eo quo factum est, ut interdum apud veteres Liburni & Illyrii ad unam eamdemque gentem significandam usurpentur, & duæ illæ voces pro Synonymis habeantur. Cetcrum sub Liburnis nullam sive amplificationem, sive diminutionem Illyrici factam esse existimo, quod usque ad Celtarum imperium eosdem terminos habuit, Titium ab Occasu, Naronem ab Oriente, quibus ante sub Hyllo Hylliniisque definiebatur. Nam cetera ultra Titium regio, Liburnia, non Illyricum appellari tum cœpit.

Liburni dicti etiam Illyrii.

§. III.

Liburnorum opes maritimæ, ac terrestres a summa florentique fortuna paullatim desciscunt.

Liburnorum opes & potentia.

PORro Liburni, cum in suam potestatem redegissent omnem oram maritimam Italiæ obversam cum insulis adjacentibus, & pars etiam littoris Italici, itemque Corcyra ad eorum ditionem accessisset, insula peropportuno loco sita ad tuendum maris imperium, & veluti quodam vallum & propugnaculum Adriatici ostia externis classibus intercludens, liberam nacti maris Adriatici navigationem, portubus navalibusque in utraque ora construendis, convehendis ultro citroque ac mutandis mercibus, vectigalibus exigendis, aliisque proventibus, qui e terra marique suppeditari solent, in tantas opes crevere, ut nulla finitimarum nationum illis par bello esset, aut de maris imperio contendere cum illis posset, præsertim cum fœdus junxissent, ut verisimile est, cum cæteris Asianis, qui post Trojam amissam in proximas regiones venerant, nimirum Venetis, quos Antenor, & Epiroticis colonis, quos Helenus deduxerat. Aliquid sane detrimenti rei Liburnicæ attulit amissio Italicæ orę, quam Umbri Liburnis eripuerant, sed hujusmodi jacturam farsit societas inita cum Tuscis potentissima gente, reique navalis scientissima, qui Palmensem, Prætutianum, Hadrianum, orę maritimę tractus Liburnis ademptos recuperarunt, & præterea Umbrorum oppida omnino ad trecenta, ut

ait

ait Plinius l. 3. c. 14. aut vi, aut deditione ceperunt, Cæterum idem Plinius auctor eſt Liburnos in ſua poteſtate retinuiſſe Truentum Piceni maritimi oppidum, in quo Plinii ætate nominis & imperii Liburnici veſtigia adhuc extabant. *Truentum*, inquit, *cum amne, quod ſolum Liburnorum in Italia reliquum eſt*. Exinde admiſſis Etruſcis in commercii maritimi, & navigationis Adriaticæ communionem, æquo ac pari jure cum illis plenum integrumque maris dominium per multas ætates retinuerunt. Sed qua publici regiminis forma, regiane, an populari, uterentur Liburni, quid rerum terra mariq; præclare cum ſociis Atrienſibus ſive Tuſcis geſſerint, cum ab antiquis memoriæ proditum non ſit, ut cætera vetuſtate incomperta, hoc quoque nobis ignotum eſt. *Reliqua ergo*, inquit Dalmata hiſtoricus l. 1. c. 4. *quæ de Pelaſgis ac Diomede fabulis involuta referunt Græci, Liburnorumque & Atrienſium rebus (quorum ditionis memoriam quamvis Liburniæ & Adriatici vocabula huc uſque ſervent, tamen apud Auctores nulla eorum geſta reperiuntur) ad ea deveniendum eſt &c.*

Liburnorum opes neciſæ à Corinthiis, Celtis, ac Siculis

Tres potiſſimum gentes fuiſſe comperio, a quibus Liburnorum opes validæ in primis florenteſque primum acciſæ ſunt & diminutæ, ac demum prorſus everſæ, & in anguſtiſſimos fines conjectæ; Corinthios videlicet, Celtas, & Siculos. De imperio Liburnico prima diminutio facta eſt, cum Liburni Schæriam ſive Corcyram inſulam amiſerunt. Cherſicrates quippe patria Corinthius ex familia Regum Bacchiadarum, anno ante Chriſtum 735. ut ſupra diximus, claſſe inſtructa in eam inſulam cum appuliſſet, Liburnos primo impetu fudit, iisdemque diſcedere, atque in oram proximam ad ſocias ac fœderatas urbes ſe recipere coactis, illuc Corinthiorum coloniam deduxit. Apollonius in deſcriptione itineris Argonautici locum etiam deſignat, unde novi advenerint, & quo veteres coloni profugerint. Illos quippe profectos tradit ex Ephyra Corinthiaci agri oppido; hos vero in ulteriorem inſulam migraſſe, cujus nomen ac poſitionem tacitus prætermittit; ea tamen videtur fuiſſe inſula *Saſon*, in ipſis faucibus Adriatici poſita, quæ olim itidem Liburnos Colchos receperat ex Abſyrti claſſe & comitatu diſtractos, ut ex eodem Apollonio colligitur. Ex ea autem inſula conabantur trajicere in oram adverſam, quæ ab Occaſu ſubjacet montibus Ceraunïis. Itaque illius inſulæ anguſtiis excluſi partim apud Abantes, ideſt Amantios Ceraunïorum accolas, itemque apud Oricum Amantiæ urbem, partim ad Neſtæos Ceraunïis itidem proximos confugerant; quæ omnia paucis verſiculis Apollonius complectitur.

ibique in inſula
Diu ſane Phæaces inter viros habitabant (Liburni Colchi),
Donec Bacchiadæ genere ex Ephyra exiſtentes (Cherſicrate Duce)
Viri ad habitandum venerunt aliquandiu poſt; illi autem
In ulteriorem inſulam (Saſonem) *migrarunt; illinc vero Ceraunios tentabant*
Abantum montes, Neſtæoſque, nec non Oricum adire.
Verum hæc quidem multo poſt tempore facta ſunt. (ideſt annis ferme quingentis poſt expeditionem Argonauticam.)

Sed Liburnis longe major illata calamitas ab Celtis, quorum pars Priſco Tarquinio Romæ regnante, anno ante Chriſtum circiter 600. in Italiam tranſgreſſa, fuſis acie Tuſcis, apud Inſubres conſederunt; pars vero in Illyricum totamque fere ab Arſia ad Drilonem oram maritimam incubuit, ſubactis vel expulſis indidem Liburnis, atque in Inſulas ſe recipere coactis. Sed neque amiſſio inſulæ Corcyrenſis, neque irruptio Celtarum maris imperium Liburnis omnino ademit; & cum adhuc ipſi quidem inſulas, Tuſci vero oram Italicam maritimam in ſua poteſtate retinerent, utroſque communi, ut antea, ſocialique jure in Adriatico dominatos fuiſſe libera immunique navigatione exiſtimo.

Siculi maris domi, nium occupant.

Verum anno ante vulgarem Epocham 406. cum Dionyſius ſenior Syracuſis tyrannidem occupaſſet, Siculorum coloniis in oram Italicam invectis, inſulis aliquot Liburnicis, atque Iſſa præſertim potitus, ingenti claſſe comparata, totius Adriaticæ navigationis imperium ſibi vindicavit. Neque illi admodum difficile fuit maris dominatum vel Tuſcis, vel Liburnis eripere; horum ſiquidem opes vireſque Galli jampridem, ora maritima adempta, admodum debilitaverant; illos vero poſtea iidem Galli Senones ora Italica expulſos, magnis cladibus affecerant, Celtici imperii finibus ab Uſente flumine uſque ad Athefim propagatis. Ita opes Liburnicæ partim ad Celtas, partim ad Siculos devolutæ; exinde nomen Liburnicum inter Tedanium ac Titium contractum eſt, eique regioni Liburnicæ nomen perpetuo manſit; Liburni vero ſub imperio Celtarum ſemper aliquem maris uſum tenuere, & interdum etiam pro Romanis adverſus Celtas depugnarunt.

CAPUT III.

De Celtarum in Illyricum, Siculorum in Adriaticum mare adventu.

I.

Celtæ Liburnis ſubactis vel expulſis regiones finitimas Illyrico, ipſumque Illyricum occupant.

Celtæ in Italiam tranſgreſſi, tum Senones.

LA Tarquinio Priſco Romæ regnante, qui Anco Martio ſucceſſit anno ante Chriſtum 614. & regnum obtinuit annos octo & triginta, ingens Celtarum ſeu Gallorum multitudo in Italiam effuſa Duce Belloveſo, primum omnia inter Padum atque Alpes occupavit, deinde Pado ratibus trajecto, Etruſcis atque Umbris expulſis, longe, lateque Celticum nomen imperiumque propagavit; intra tamen Apenninum annos fere ducentos ſeſe continuit. Quos e Gallia populos ad expeditionem Italicam Belloveſus duxit, vel exemplo ſuo excitavit, eos nominatim commemorat Titus Livius, videlicet Bituriges, Arvernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, deinde Cenomanos, Libuos, Salluvios, Bojos, Lingones. Non omnes quidem eodem tempore, ſed alii ex aliis in Italiam migrarunt. Ac primi quidem Celtarum, inter quos Hedui, cum in Italiam tranſcendiſſent, fuſis acie Tuſcis, haud procul Ticino flumine Mediolano urbe condita, agrum Inſubrium occuparunt. Alia ſubinde manus Cenomanorum Elitovio duce veſtigia priorum ſecuta, ubi nunc Brixia, & Verona urbes ſunt, conſedere. Poſt hos Salluvii circa Ticinum, deinde Boii Lingoneſque tranſgreſſi loca Pado & Apennino interjecta tenuere. Horum vero omnium Italicam profectionem cum ætate ac regno Tarquinii Priſci copulandam cenſeo. Nam Senones recentiſſimi advenarum, qui ab Uſente flumine uſque ad Atheſim, pulſis Etruſcis, oram Italicam incoluerunt; ac deinde cum Apen-

ninum

Digitized by Google

sionem transcendissent, & Clusium Etruscorum oppidum obsiderent, a Q. Fabio legato Populi Romani irritati, in Romanos arma verterunt, haud paucis post Tarquinium ætatibus in Italiam transierunt, ut infra dicemus.

Pars Celtarum in Illyrico,

Porro ex illis sane plurimis Celtarum copiis, quos e Gallia Bellovesus eduxit, pars haud exigua in Illyricum incubuit; & Liburnis vel ad insulas compulsis, vel jus imperiumque Celticum subire coactis, quidquid antea fuerat ditionis Liburnicæ, id fere totum, insulis exceptis, in suam potestatem redegit. De adventu in Illyricum Gallorum, ac sedibus & domiciliis in hac regione collocatis hæc tradit Pompejus Trogus apud Justinum lib. 24. *Namque Galli abundanti multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quæ & urbem Romam captam incendit, & portio Illyricos sinus, ducibus avibus, (nam augurandi studio Galli præter cæteros callent) per strages Barbarorum penetravit, & in Pannonia consedit.* Celtarum in Illyricum adventus Pausaniæ lib. 1. c. 3. testimonio confirmari potest: *Hi contractis undecumque copiis, ad Jonium mare conversi omnes Illyricos populos, & quidquid gentium ad Macedonicum usque nomen patet, quin & ipsos Macedonas oppressere.* Nemo autem est, quin sciat Adriaticum ab antiquis etiam Jonii vocabulo appellatum esse. Illud in controversiam vocari potest, primumne in Italiam, inde autem in sinus Illyricos penetraverint; an vero prius in Illyricum advenerint, quam in Italiam transirent. Mihi summopere placet sententia illorum, qui arcte tenent, accurateque defendunt Celtas non ex Italia in Illyricum, sed ex Illyrico in Italiam progressos fuisse. Id vero videtur posse colligi ex verbis Pompej Trogi, qui ait Gallos viam sibi aperuisse in sinus Illyricos *per strages Barbarorum*. Si Celtæ ex Italia profecti fuissent in Illyricum, Pompejus non opinor appellasset *Barbaros* populos illos, nimirum Etruscos aut Venetos, per quos illi ex Italia iter habuerint necesse est in Illyricos sinus, sive oram maritimam Illyrici, quæ, cum Trogus scribebat, ab Arsia ad Drilonem usque protendebatur. Non enim populos Italicos, sed extraneos, longeque ab Italia disjunctos, & potissimum Septemtrionales, vocare Barbaros Latini Scriptores solebant; quod sane vocabulum optime quadrat in eas nationes Danubio & Alpibus interjectas, quibuscum acriter dimicandum fuit Celtis, ut sibi transitum in Illyricum Italiamque *per earum strages* patefacerent. Itaque Ludovicus Schonlebius hujus sententiæ patronus præcipuus argumentis & rationibus minime contemnendis conatur ostendere Celtas Duce Bellovesso per Tauriscos, quos Livius vocat Taurinos, & per Alpes Julias, sive ut habet Livius, *saltusque Juliæ Alpis* in Illyricum, inde in Italiam venisse. Quæ in hanc sententiam docte copioseque Schonlebius scripsit, huc transferre haud pigeat: *Scio*, inquit, *contra vulgatas editiones, existimare Cluverium narrationem Livii corrigendam, & legendum pro* saltus Juliæ Alpis, inviæ Alpis, *vel plane*, Taurino saltu invias Alpes transcenderunt. *Verum nulla hic opus puto correctione. Nam & Taurinos, seu quod idem hoc loco sonat, Tauriscos ostendere possumus in antiqua Carniolia, ut patet ex Apparatu; deinde saltus Juliæ Alpis nobis sunt notissimi, itaut si aliæ Alpes saltuosæ non sunt, certe nostræ saltu & sylva horrida sunt consitæ, ut nihil dubitare oporteat Bellovesum cum fratre usque ad Hercinium saltum progressum, deinde in Pannonias digressum, & in Japydiam nostram delatum saltus Juliæ Alpis penetrasse, indeque velut omnium facillimo Alpium transitu superato ad Insubres pervenisse, ac Mediolanum condidisse. Quo & illa spectat observatio, quod vero simile sit, nonnullas Bellovesi copias resedisse in via, & alias etiam terras occupasse, a quibus deinde in hodierna Austria Carnunti a Carnutibus, quin etiam forte Carni ipsi, & Senienses ac Senosetxenses nostri a Senonibus nomina desumpserunt: qui cum remoti ab aliis Alpibus, vicini vero Juliis Alpibus sint, merito conjecturare possumus, Gallorum in Italiam transitum primum, de quo Livius scripsit, accidisse per nostram Japydiam veterem, & Sylvam Pirinam, sive saltum Juliæ Alpis: præsertim cum sequentia deinceps temporum monumenta Gallos seu Celtas (ita nunc promiscue appellati sunt) accolas maris Adriatici, & proximæ Japydiæ passim exhibeant. Mixti ergo nunc Japydibus nostris Celtæ habitare cœperunt, & idioma Germanicum miscere Græco, uti ex observatione Lazii, & multarum vocum consonantia liquet: Credibile est hanc gentem sensim adeo auctam & dilatatam, ut antiquas Japydum familias extingueret, servata tamen Provinciæ nuncupatione. Occurrit hic ad firmandam modo allatam opinionem, quod per saltum Taurinum Livius intellexerit saltum Tauriscum, seu Tauriscorum, quos certum est sedisse in nostris montanis contiguos, imo conterraneos Japydibus, id quod apud Stephani Epitomatorem reperio:* Tauriſci gens circa Alpes, dicuntur etiam Taurini, ut Polybius habet lib. 3. Eratosthenes Teuriscos appellat. *Alibi tamen Livius per Taurinos, ut ex contextu apparet, alios populos intellexit. Facit huc etiam locus Pompeji Trogi apud Justinum, qui de primo Gallorum in Italiam transitu hæc habet:* Galli abundanti multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, & portio in Illyricos sinus ducibus avibus (nam augurandi studio Galli præter cæteros callent) per strages Barbarorum penetravit, & in Pannonia consedit, gens aspera, audax, bellicosa, Alpium invicta juga, & frigore intractabilia loca transcendit: ibi domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. *Non ergo totus exercitus Alpes transiit, sed pars finus Illyricos, haud dubie nostræ Japydiæ, pars Pannoniam occupavit. Nec est, quod quempiam offendat vocabulum Juliæ Alpis, quasi hunc transitum in Italiam aperuerit Julius Cæsar, qui post multa secula vixit. Livius, qui scribebat post ætatem Julii, hoc nomine veluti suo tempore notissimo usus est, cum antea Alpes istue communi vocabulo Alpium, vel Ocræ montis, vel Carusadii nuncuparentur, per quas dudum ante Julium transitum fuisse etiam Romanis cognitum plura deinceps afferenda ostendent. Sic etiam idem Livius per anticipationem nominavit Germanos, cum de Gallorum primo in Italiam transitu ageret, quod tamen nomen teste Tacito circa tempora inchoati Romani imperii enatum est.* Hactenus Ludovicus Schonlebius. Quacumque tamen iter fecerint Galli, & sive Italia ab Illyrico, sive Illyricum ab Italia primas Celtarum colonias acceperit, illud pro certo habeamus licet, quod Pompejus Trogus scripsit, nimirum ex illis ingentibus peditum equitatusque copiis, quas Bellovesus in eam, quæ sibi sorte obvenerat, Italicam expeditionem eduxit, partem haud exiguam penetrasse in sinus Illyricos; quo quidem vocabulo nihil aliud intelligi potest, nisi ora maris Adriatici Italiæ obversa. Sed cum regio illa inter montes ac mare minus

Iter Gallorum in Illyricum, inde vero in Italiæ.

nus late pateret, quam ut tantam advenarum multitudinem capere posset, quod ex illis abundabat, ultra montes in proximam sese Pannoniam transfudit, ut idem Trogus testatur. At Senones quidem Gallos inter Arsiam & Titium in ea regione, quæ nomen ab Liburnis acceptum adhuc retinet, consedisse argumento est Senia civitas Liburniæ peraptiqua, quæ vel ipso nomine declarat originem suam repetendam esse a Senonibus, a quibus duæ itidem urbes ejusdem nominis in Italia & conditas, & denominatas ferunt, alteram in ora adversa ac propemodum e regione Seniæ Liburnicæ, quam Senam Gallicam, & Senogalliam etiamnum vocant, alteram in Etruria, quæ Sena Julia dicta est ab Julia Colonia, illuc ab Augusto Cæsare deducta, & apud Plinium & Tacitum Senensis Colonia dicitur. Ludovicus Schonlebius existimat multis annis ante in Liburnia Seniam a Senonibus ædificatam esse, quam ab iisdem in Umbria maritima Sena Gallica conderetur, atque in hanc ab illa Senonum Coloniam deductam fuisse. Et vero si Bellovesus cum aliis Galliæ populis Senones etiam eodem tempore ad profectionem Italicam excivit, quid est, quod pariter non eodem tempore in Italiam advenerint, sed post alias ex aliis Gallorum in Italiam expeditiones, in Umbriam transierint? Nam post Bellovesum Elitovius Cenomanos invexit, quos deinde Salluvii, tum Boii Lingonesque subsecuti sunt, Galliæ itidem populi, sed diversi ab illis, quos Livius a Bellovesо deductos fuisse commemorat. Demum Senones venerunt, quos Polybius lib. 2. *Extremos omnium Gallorum*, Livius *recentissimos advenarum* vocant; ex quo facile intelligi potest haud sane multis annis, antequam Clusinos oppugnatum irent, anno ante Christum 391. eos in Italiam advenisse, præsertim cum Legati ad Senones missi, qui Senatus populique Romani nomine cum illis de pace agerent, illosque ab oppugnando Clusio averterent, Gallos novam gentem appellent; & ipsimet Galli novum sibi accidisse nomen Romanorum profiteantur, id quod Livius Dec. 1. lib. 5. docet. Igitur ab adventu Bellovesi fortasse amplius centum anni intercesserant, cum Senones oram Italicam ab Usente flumine usque ad Athesim occuparunt. Hoc autem annorum intervallo, quod a Gallico Bellovesi ac Senonum discessu effluxit, ubinam terrarum Senones consederint, antequam in Italiam transirent, cum nemo Veterum tradat; quid est, quod dubitemus illos e Bellovesi comitatu distractos in Liburnia consedisse, eosque ex ea fuisse *portione Gallorum*, quæ, ut ait Pompejus Trogus, *Illyricos sinus per strages Barbarorum penetravit*? In Liburnia autem permixti cum indigenis, postquam in eam multitudinem crevissent, ut regio illa tanto hominum numero capiendo alendoque non esset, sui generis colonias inde ad oram Italicam incolendam emiserunt. Philippus Cluverius Ital. lib. 2. cap. 5. censet Gallos Senones in Umbriam maritimam, sive oram Italicam, in qua Senogalliam condiderunt, non migrasse ante annum urbis conditæ 359. qui est ante Christianam Epocham 395. idest annis amplius ducentis post Bellovesum, quadriennio antequam Apenninum transcenderent, & Clusinis bellum inferrent. Id sane mihi non fit verisimile; nam plures annos in Umbria contriverint, oportet, quoad crescente in immensum sobole, regionis ejus, quam primo adventu ceperant, angustiis exclusos necessitas propagandorum finium trans Apenninum compulit ad quærendas novas sedes, ut ipsimet apud Livium suo ad Legatos Romanos responso declarant, profitentes se quidem pacem *non aspernari, si Gallis egentibus agro, quem latius possident, quam colant Clusini*, partem finium concedant. Præterea Polybius lib. 2. auctor est, post adventum in Italiam Senonum, *qui juxta Adriaticum mare postremi omnium Gallorum incoluerunt*, haud breve tempus interjectum esse, antequam Clusium Romamque inde adirent. *Interjectis*, inquit, *temporibus cum bellum adversus populum Romanum gererent, superatos Romanos prælio, ac turpiter in fugam conversos persecuti, triduo post initam pugnam, Roma præter Capitolium potiti sunt*. Ego igitur sic existimo annos circiter centum & quinquaginta in Liburnia, antequam in Italiam trajicerent, & fere septuaginta in Umbria maritima consedisse, priusquam Apenninum transgressi Clusium oppugnarent. Itaque anno ante Christum circiter 450. ex Liburnia in Umbriam maritimam migrarunt, cum ante annos 150. idest anno ante vulgarem Epocham fere 600. in Illyricum Bellovesо Duce venissent.

Nec vero solum Japydiam maritimam, quæ postea pars fuit Liburniæ inter Arsiam & Tedanium, sed etiam Japydiam subalpinam & transalpinam ab Gallis Senonibus occupatam fuisse indicio est *Senosetza* oppidum pervetus Japydiæ mediterraneæ, cujus meminit Schonlebius in Appar. cap. 3. §. 72. nomen quidem eidem impositum, a quibus conditum fuerit, satis declarat. Cum autem Celtæ ac Japydes connubiis & affinitatibus junctis in populi unius corpus coaluissent, propterea Strabo lib. 4. habita ratione ætatis suæ, cum Japydia Illyrici vocabulo suberat, vocat Japydes *permixtam Illyriis & Celtis gentem*. At vero Dionysius Halicarnassensis antiquissima tempora respiciens, cum nondum Japydia Illyrici finibus contineretur, Japydes appellavit *nationem Celticam prope Illyricum*.

Carnia itidem cum mediterranea, tum maritima Celtarum colonias excepit; nam Carnos a Gallis oriundos esse docet apud Schonlebium Tabula Fastorum triumphalium ex antiquæ Romæ ruderibus effossa, in qua inscriptum est: *De Galleis Karneis*. Inter eos Galliæ populos, qui Bellovesо in expeditionem Italicam nomen dederunt, Livius annumerat Carnutes; an vero hi ad Italiam usque pervenerint, non satis constat, cum hujus gentis nullum in Italia vestigium supersit. In Pannonia superiori substitisse, agrosque ac domicilia nactos esse fidem haud dubiam facit Carnutum, seu Carnuntum, civitas olim celeberrima & opulentissima ad ripam Danubii fere ex adverso Muri confluentis, quæ nomen a Carnuto Lugdunensis Galliæ oppido per Carnutes Celtas illatum accepit. Atque hos fuisse arbitror ex illa *portione* Gallorum, quos Pompejus Trogus in Pannonia sedes collocasse scripsit. Carnos autem propagatos esse ac denominatos ab Gallis Carnutibus Schonlebius putat, idque vocabuli similitudo confirmat; Carnis enim cum Carnutibus quædam nominis licet diminuti affinitas intercedit. Pars igitur Carnutum e Pannonia digrediens primum se intra Alpes continuit, deinde ab Alpibus usque ad oram maritimam inter Tilaventum & Timavum, vel etiam Formionem sedes suas, nomenque Carnorum propagavit. Et sane Carnos gentem Gallicam fuisse intelligi potest tum ex Livio, qui Decad. 4. lib. 10. Aquilejam Coloniam Latinam deductam esse ait *in agro Gallorum*; tum ex Pomponio Mela, qui lib. 2. cap. 3. Illyrico Tergestum usque producto, cætera Gallicis Italicisque gentibus Adriatici accolis attribuit. *Per Gallicas gentes intelligit Carnos*, ait Schonlebius in Appar. cap. 1. §. 8. *quia reipsa ab illis originem trahebant, & ut notat Cluverius, lingua Celtica utebantur*.

Cum

Senones inter Arsiam & Titium sedes habuit.

Senia Illyrico antiquior Senia Italica.

Senones Illyrici in Italiam transgressi

Japydum genus ex Illyriis & Celtis

Carni gens Celtica ab Carnutibus Celtis oriunda.

Carnutes primum in Pannonia, deinde cis Alpes inter Tilaventum & Timavum.

Digitized by Google

Celtæ in Iſtria.

Cum autem Celtæ in Carniam, Japydiam, & Liburniam effuſi, Iſtriam circumcolerent, vix credibile eſt ſe iis regionibus continuiſſe, quin Iſtriam quoque interjectam invaderent, in ſuamque ditionem redigerent; præſertim cum Livius Dec. 5. lib. 1. bellum Iſtricum deſcribens, eoſdem modo Iſtros, modo Gallos appellare videatur, & Carmelum, quem Ælianus eumdem eſſe atque Æpulonem Iſtrorum Regem cenſet, Regulum Gallorum vocet. Vel certe, ſi in eo bello, quod Romani adverſus Iſtros geſſere, Carmelum ab Æpulone, & Iſtros a Gallis diſtingui oporteat, neceſſe eſt Gallos finitimos ſive Carnos ſive Japydes in belli ſocietatem contra Romanos ab Iſtris adſcitos fuiſſe: id autem indicio eſſe poteſt, inter quos erat communio armorum, inter eos Celtici ſanguinis originiſque communionem fuiſſe.

Celtæ Illyricum ab Titio uſque ad Drilonem occupârunt.

Nec vero Celtas hiſce regionibus, quas modo nominavi, contentos fuiſſe arbitror; ſed vix dubium eſſe poteſt, quin totum Illyricum, quod tum Titio ac Drilone fluminibus definitum erat, in ſuam poteſtatem redegerint. Nam Belloveſus e Gallia eduxit omnino ad *tercenta hominum millia*, ut docet Pompejus Trogus, quas Livius ingentes peditum equitumque copias appellat. Eos autem idem Trogus veluti pro rata portione bifariam diſtribuens, partem Italiæ adſcripſit, partem non exiguam, ſed propemodum alteri æqualem, Illyrico, & Pannoniæ aſſignavit, quæ ſane multo numeroſior videtur fuiſſe, quam ut ad eam alendam Carnia, Japydia, Iſtria, Liburnia, regiones plerumque montoſæ ac ſteriles, vel Pannonia ipſa, frugum quod ſatis eſſet, ſuppeditare poſſent; præſertim ſi novis advenis veteres indigenæ addantur, ex quibus multos fuiſſe veriſimile eſt, qui Celtarum imperium ſubire, quam patria carere, maluerint. Adde, quod ſi primi Celtarum in Italiam Duce Belloveſo tranſgreſſi Inſubrium agro ſeſe tenuere, quod Livius tradit, e tercentis illis hominum millibus vix tertia pars tranſiiſſe in Italiam videtur; ex quo fit, ut reliqua omnis multitudo in Illyrico, regionibusque Illyrico circumjectis conſederit. Præterea cum Juſtinus ſcribit Gallos penetraſſe in ſinus Illyricos, ſatis declarat fere omnes ab illis oræ Illyricæ ſinus occupatos fuiſſe: Quod ſi etiam velis Celtas ſub primum adventum in iis, quas dixi, regionibus Illyrico finitimis ſubſtitiſſe, dubitari tamen non poteſt, quin ſobole in dies ſuccreſcente, cum abundans multitudo illis, quas primum ceperat, ſedibus agriſque neque ali, neque contineri poſſet, paullatim ſeſe in Illyricum effuderint, & alia atque alia appetendo loca, genus nomenque Celticum ab Titio ad Drilonem uſque propagaverint; antequam hominum numero magis magiſque aucto, ut erat ea gens mirum in modum fœtifica, prægravante turba exonerate regiones ad eam diem occupatas coacti in Umbriam colonias emitterent.

Celtæ & Liburni in unam gentem coaliti, dictique Illyrii.

Cum igitur jam omnia, quæ antea juris ditioniſque Liburnicæ fuerant, inter Mare Alpeſque a Celtis tenerentur, Liburni, ut diximus, partim ad inſulas tranſmigrarunt, partim quibus patriæ, quam libertatis retinendæ cupiditas potior fuit, in Celtarum fidem ac poteſtatem ſe tradiderunt; utrique vero connubiis initis ſanguinem & genus miſcere, juris ac legum communione inter ſe jungi cum cœpiſſent, brevi in unam gentem coaluere. Quemadmodum autem qui Japydiam, Iſtriam, Liburniamque inter Arſiam & Titium occuparunt, avito nomine poſthabito, adſciverunt ſibi nomina earum gentium, quas ſibi ſubegerant, dictique ſunt deinde Iſtri, Japydes, Liburni; ſic etiam qui ſedes adepti ſunt in Illyrico ab Titio ad Drilonem porrectas, Celtarum vocabulo paullatim exſoleſcente, ab ea regione, in quam venerant, vocari cœperunt Illyrii, ſic prorſus, ut quamvis ab Celtis oriundi eſſent, tamen apud Veteres ab aliis Celticæ originis populis Illyriorum nomine diſtinguerentur. In hoc terrarum oræque maritimæ tractu inter Titium ac Drilonem fundatum eſt a Celtis Regnum Illyricum clarum in primis ac nobile, cujus caput & ſedes regia fuit Scodra, civitas perantiqua & frequentiſſima, ac plures habuit Reges generis Celtici, quorum bellica facta, reſque præclare geſtas, infra paragrapho tertio, breviter & ſummatim collectas perſequemur. Porro ſub Celtarum imperio Illyricum utrinque auctum eſt; & ab Oriente ultra Drilonem uſque ad montes Ceraunios, ab occaſu trans Titium uſque in Venetos ejuſdem fines propagati ſunt. Illyrios Celtas, cum antequam immigrarent in Illyricum, gens eſſet mediterranea, & navalis ſcientiæ rudis, initio quidem maris uſu abſtinuiſſe, & quibus inde percipi ſolent proventibus caruiſſe arbitror; ſed paullatim a Liburnis, quibuſcum permixti mare accolebant, rem maritimam edocti, ipſi cum Liburnis navigationi operam dare cœperunt; verum quominus libero immunique Adriaticæ navigationis uſu ſtatim potirentur, impedimento fuere primum Tuſci, qui oram Italicam, & Liburni, qui inſulas obtinebant; deinde Siculi, qui ſub utroque Dionyſio, maris dominium Tuſcis ac Liburnis ereptum ſibi vindicarunt.

§. II.

Siculi maris Adriatici imperium Tuſcis ac Liburnis ademptum, ad ſe pertrahunt; eorum fœdera, & bella cum Illyriis Celtis, & Coloniæ in Illyricum deductæ.

Siculi ſub Dionyſio ſeniore maris Adriatici dominatu adepti.

ANnus erat ante Virginis partum 406. cum Dionyſius Syracuſis in Sicilia tyrannidem occupavit; quippe initia Dionyſianæ tyrannidis ad annum tertium Olympiadis 93. Athenis Archonte Callia referunt Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 7. itemque Diodorus Siculus lib. 13. qui quidem annus cum eo congruit, qui ante Chriſtianam epocham ſextus & quadringenteſimus numeratur. Dionyſius itaque poſt victos Carthaginienſes, pacatoſque hoſtes domeſticos, ubi ſenſit ſe in firma ſtabilique regni poſſeſſione conſtitiſſe, eo curas cogitationeſque convertit, ut coloniis in Adriaticum immittendis, urbibus in utraque ora condendis vel capiendis, maris imperium ſibi adſciſceret. *Sub id tempus in Sicilia Dionyſius Tyrannus*, ait Diodorus Siculus lib. 15. *urbibus ad mare Adriaticum Syracuſiorum condendis animum intendit. Hoc idem moliebatur, quod Jonium, uti vocatur, ſinum ſuæ poteſtatis facere in animo haberet, ut tutam ſibi ad Epirum navigationem aperiret, urbeſque ad manum haberet, quo navibus ſuis appellere commode poſſet.* Nec multum illi, ut cogitata perficeret, laborandum fuit, cum ejus conatibus neque Tuſci, neque Liburni, qui antea maritimis copiis plurimum poliebant, obſiſtere jam poſſent. Tuſcos quippe multos ante annos Galli Senones ora Italica maritima expulerant. Res autem Liburnicæ, ex quo iidem Galli Liburnos oram Italiæ obverſam incolentes vel in ſuam fidem ac poteſtatem acceperant, vel ad inſulas ſe recipere coegerant, jampridem feneſcere, ac deteriores fieri cœperant; partim contractione imperii, partim diminutione portorii ac vectigalium. Primum igitur in Græcos,

sub quorum potestatem pars Italiæ ad meridiem extrema jamdudum concesserat, a quibus & magna Græcia dicta est, arma convertit. Hoc tradit Pompejus Trogus apud Justinum lib. 20. *Prima illi militia adversus Græcos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit; quibus devictis, finitimos quosque aggreditur, omnesque Græci nominis Italicæ possidentes, hostes sibi destinat.* Brevissime Polybius lib. 1. *At Dionysius senior superatis ad Elorum omnem Græcis Italicis, Rhegium obsidebat.* Verum Diodorus Siculus Italicam Dionysii expeditionem, urbes captas, resque præclare gestas pluribus libro XIV. persequitur; idque refert ad annum quartum Olympiadis 97. qui congruit cum anno ante Christum 389. in annum vero proximum Rhegii obsidionem, atque in alterum Olympiadis 98. annum Rheginorum deditionem conjecit. In urbes vero captas Siculorum, ac præsertim Syracusiorum colonias induxit. Per idem tempus Galli Senones, qui Umbriam & Picenum exactis Etruscis occupaverant, cum sibi ab Dionysio metuerent, legatos ad eum de pace ac societate ineunda miserunt, quorum ille postulatis libenter indulsit. Sed Dionysium gerentem bellum, ait Justinus lib. 20. *legati Gallorum, qui ante menses Romam incenderant* (Roma capta est anno 3. Olymp. 97. idest ante Christum 390.) *societatem amicitiamque petentes adeunt; gentem suam inter ejus hostes positam esse, magnoque usui ei futuram vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in prælium hostibus affirmant. Grata legatio Dionysio fuit. Ita pacta societate, & auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro restaurat.*

Dionysius Italica expeditione perfunctus, intentusque in omnem occasionem tum adipiscendi maritimi dominii, tum viam sibi per Epirum in Græciam aperiundi, fœdere sibi contra Molossos gentem Epiroticam jungendos censuit Illyrios Celtas, qui cum Macedonibus tum bellum gerebant, & jam ditionem suam ab Drilone ad Ceraunios usque montes extenderant. Itaque opera interposita Alcetæ Molossi, qui Epiro profugus Syracusis exulabat, Illyrios in societatem belli Epirotici adscivit, eisdemque & copias auxiliares, & Græci operis armaturas submisit. Illyrii irruptione in Epirum facta, ut Alcetam in regnum avitum restituerent, primum agros depopulantur, deinde prælio cum Molossis commisso hostium decem millia & quingentos cædunt; sed cum Lacedæmonii Molossis auxilio venissent, Illyriorum impetum, victoriamque retardarunt. Hæc Diodorus. Interea dum hæc geruntur, Parii, qui Paron Ægæi maris insulam incolebant, oraculi cujusdam admonitu, coloniam in sinum Adriaticum emittunt. Hos ut Dionysius sibi conciliaret, neve sibi adriaticam navigationem infestam redderent, tum ad insulam illam, quæ ab novis advenis Phariæ nomen accepit, Liburnis antiquis incolis eripiendam, tum ad urbem in ea condendam suis copiis egregie adjuvit. Permagni si quidem Dionysio intererat eam insulam, ejusque habitatores amicos ac fœderatos habere; præsertim cum ipse per eadem tempora Issam insulam occupasset, mari haud ita lato interjecto a Pharia disjunctam, eoque Syracusiorum coloniam deductam, & urbem ibidem conditam firmissimis præsidiis munivisset. Sed de hac insula paullo post. Præterea alteram Syracusiorum coloniam paucis ante annis apud ostia Drilonis in littore constituerat, urbemque Lissum ædificaverat, partem agri oppido condendo concedentibus Illyriis, quibuscum postea Dionysius contra Molossos fœdus fecit, ut modo dictum est. Itaque Diodorus post narratam expeditionem Epiroticam, hæc libro XV. subjecit: *Inter hæc rerum eventa, Parii quodam oraculo excitati, colonia in sinum Adriaticum deducta, insulam, quæ Phari nomen habet, adjuvante illos Dionysio, in illo condunt. Is enim annis non multis ante, missa eodem Colonia, urbem Lissum ædificaverat.*

Verum nova Græcorum Phariensis colonia amicitiam & societatem, quæ Dionysio erat cum Illyriis, diremit. Nam cum Liburni, quos Diodorus Barbaros vocat, finitimarum insularum incolæ haud æquo animo ferrent novos advenas; ab eisque sibi & posteris suis metuerent, ad eos expellendos auxilia accersunt ab Illyriis, qui decem millibus militum raptim contractis, eisque in lembos impositis, ex adversa continente, cum ad Phariam trajecissent, Græcos de improviso adorti primo impetu cædunt, & in urbem compulsos oppugnant. De Græcorum cæde ac periculo cum ad Dionysium allatum esset, jussit quem Lissi Prætorem constituerat, classe instructa Phariensibus subsidio proficisci adversus Illyrios, quorum navigia partim depressa, partim in hostium potestatem venere. Ex Illyriis duo millia capta, quinque millia interfecta. Hanc Illyriorum cladem Diodorus lib. 15. illigavit anno primo Olympiadis 99. qui est ante Christum 384. *Eleis autem*, inquit Diodorus, XCIX. *Olympias agebatur, qua Dicon Syracusanus in stadio palmam obtinuit; cum Parii, qui Pharum insulam jam insederant, loco quodam egregie munito Barbaris antiquis insulæ possessoribus, nullo a se detrimento affectis, ad inhabitandum concesso, urbem suam ad mare conditam muro & propugnaculis confirmarunt. At cum ille Græcorum adventus vicinis Barbaris perquam molestus esset, Illyrii ex adversa continente ab ipsis acciti, myoparonibus non paucis in Pharum plusquam CCXX. transmisere; dumque Græcos infestis armis peterent, non exiguam horum cædem perpetrarunt. At qui Lissi Præturam a Dionysio commendatam habebat, numerosa triremium classe navigia Illyriorum adortus partem demergit, partem in suam potestatem redigit, Barbarorum supra quinquies mille interfectis, & bis mille captis.* An vero iterum Dionysius Illyrios sibi novo fœdere conciliaverit, nobis incompertum est. At Venetos, qui sinum maris circumcolebant, amicitia & societate junctos fuisse cum Dionysio, intelligi potest ex Strabone, qui libro V. tradit, Dionysium inde usque ab terris Venetorum pullos equinos optimi generis sibi advehendos curasse, quos ad militiam pugnamque equestrem institueret. *Dionysius quoque Tyrannus Siciliæ inde equorum ad certamina educandorum armenta instituit, ut etiam apud Græcos pullorum Venetorum fama innotuerit, eoque nomine Veneti longo tempore claruerint.* Ex quo arguitur in potestatem Dionysii fuisse navigationem liberam ac tutam repugnante nemine ab ostio usque ad intimum sinum Ad Iatici, ut inde armenta equorum in Siciliam navibus exportaret, ac propterea totius maris dominium a Liburnis & Tuscis ad eum fuisse devolutum.

Haud multis annis antequam Parii ea insula potirentur, quæ dominatum pariter nomenque Pariorum subiit, & Pharia deinde appellata est, Dionysius Issam insulam Liburnis eripuerat, eoque Syracusiorum coloniam invectam, urbemque ibidem conditam validis propugnaculis sepserat, & firmissimis præsidiis classibusque munierat; quæ urbs atque insula cum modico interfluo Euripo a Pharia distet in meridiem, facile fuit Dionysio Pariis ex propinquo copias & auxilia ad illam insulam occupandam submittere: nam Parii, ut ait

Dio-

Dionysius Siculorum coloniis præest.

Et cum Celtis Illyriis.

Illyrii vincunt Molossos.

Parii ad urbem in Adriatico condendam Dionysium opem attulit.

Illyrii navem Græcorum cōs Ioniam oppugnantes a Prætore Dionysii repressi, vix aliquot supersunt.

Veneti ad Dionysio societate juncti.

Issenses Syracusiorum colonia.

Digitized by Google

Diodorus, *adjuvante illos Dionyſio*, illic coloniam urbemque condiderant. Quare Schymnus Chius in Iſſa ait *contineri Syracuſiorum coloniam*. Scylax autem Iſſam pariter Phariamque inſulas & oppida Græcorum vocat, propterea quod Syracuſii Iſſenſes coloni oriundi erant e Græcis, quorum frequentiſſimas colonias ante Dionyſium alias ex aliis Sicilia excepit, quæ cum Græcorum referta eſſet, Græce loquebatur, atque ad Græcorum mores & inſtituta deſciverat; quamvis ætate Dionyſii lingua Græca apud Siculos negligi, ac deſuetudine exſoleſcere, uſuque populari refloreſcere vetuſtior Siculorum ſermo Opicus atque Phœnicius cœperat; qua de re Plato æqualis Dionyſio conqueritur in epiſtola ad propinquos Dionis: *Si quod abſit, id fiat, quod eventurum verisimile eſt, univerſa Sicilia in Græcæ linguæ oblivionem lapſura videtur, ad Phœnicum vel Opicorum devoluta poteſtatem ac dominationem.* Quod de Liſſo altera urbe & Colonia Syracuſiorum ſcripſit Diodorus, id Hiſtoricus Dalmata referendum cenſet ad inſulam Iſſam; & Diodorum, vel librarios vocabuli ſimilitudine deceptos, in locum *Iſſæ* ſeu *Liſſæ*, *Liſſum* ſubrogaſſe. Sed cum nullus ſit codex Diodori ſive manuſcriptus, ſive editus, quin Liſſum habeat, & præterea Liſſo Illyricæ continentis oppido nec poſitio adverſetur, & urbis deſcriptio a Diodoro facta conveniat, nihil eſt, cur veterem lectionem loco moveri, & pro Liſſo Iſſam reſtitui oporteat. Quamvis autem coloniam & urbem ab Dionyſio in ea inſula impoſitam eſſe nemo veterum tradiderit, cum tamen hæc eſſet colonia Syracuſiorum, dubitari non poteſt, quin ejuſdem coloniæ deductio attribuenda ſit Dionyſio Syracuſiorum tyranno, cui id deliberatum fuiſſe conſtat, ut ſuis præſidiis, urbibus, & coloniis mare Adriaticum obtineret.

Liſſus; & Iſſa duæ coloniæ Syracuſiorum ab Dionyſio conditæ.

Poſtquam Præfectus Liſſi, & claſſis Dionyſianæ Illyrios illos, qui ad Græcam Pariorum coloniam evertendam venerant, partim cecidit, partim vivos cepit, partim ad fugam compulit, Syracuſii Iſſenſes coloni, eladem Illyriorum ſuam occaſionem rati, jubente Dionyſio, ut credibile eſt, in continentem Illyricam transvecti, partem oræ maritimæ inter oſtia Titii ac Tiluri pulſis Illyriis occupant, ibique duas urbes condunt Tragurium & Epetium. Nam Tragurii quidem conditores fuiſſe Iſſenſes docet Strabo lib. VII. cum Tragurium appellat *Ἰσσέων χτίσμα*, opus Iſſeorum; & cum Polybius affirmat Tragurium & Epetium pertinuiſſe ad ditionem Iſſeorum, quos ipſe in Excerpt. Legat. n. 124. Liſſios vocat, videtur utriuſque oppidi ut vetus poſſeſſio, ſic etiam ædificatio Iſſenſibus adjudicanda. Et quamvis urbis utriuſque conditæ epocha ex antiquis Scriptoribus elici nequeat, tamen ad Dionyſii tempora, & Syracuſios Iſſenſes conditores revocandam eſſe exiſtimo. Idem ante nos cenſuit Hiſtoricus Dalmata in illis libris Italicis, quos inſcripſit: Monumenta hiſtorica Tragurii, cujus ut me non pœnitet opinionem ſequi, ita non piget ejus verba ex lib. 1. cap. 2. latine converſa huic loco intexere. „ Strabo auctor „ eſt Tragurium ab Iſſeis conditum fuiſſe, ſed „ quo tempore fuerit conditum, neque ipſe, ne- „ que alii Scriptores memoriæ prodiderunt. Unus „ eſt Polybius, qui in fragmentis Legationum „ ſcripſit Epetium & Tragurium urbes Iſſeorum „ fuiſſe tum, cum Romani primum bellum Dal- „ matis intulere: quod argumento eſt utramque „ urbem antea fundatam fuiſſe; & quamvis de re- „ bus vetuſtiſſimis divinare velle, res ſit plena „ periculi; tamen ſi quid conjecturæ probabilis „ ex antiquis Scriptoribus erui poſſit, id præter- „ mitti non debet. Ex Diodoro Siculo hæc habemus, Dionyſium ſeniorem Tyrannum Siciliæ poſt ſinum Adriaticum occuparum, claſſem habuiſſe apud Liſſum, quæ mari præſidio erat; itemque auxilium præbuiſſe Pariis ad coloniam conſtituendam in ea inſula, quæ a novis incolis Phariæ nomen accepit: nec multo poſt decem Illyriorum millia in Phariam trajeciſſe, ut coloniam illam everterent; verum a Præfecto claſſis Dionyſianæ magna ex parte captos fuiſſe & interfectos. Jam vero congregatio tot navigiorum, quibus ad decem millia hominum capi poſſent, conflata fuerit oportet in aliqua parte continentis oræ, ubi portus eſſet admodum capax, & unde facilis egreſſus, commoduſque in Phariam inſulam trajectus eſſet: quæ omnia cum in eum ſitum mirifice quadret, ubi nunc Tragurium eſt, ſuſpicari poſſumus huc convenisſe navigia illa, itemque in littora proxima inſulæ Buæ, quæ tum erat vel omnino deſerta, vel a paucis paſtoribus culta. Illud quoque veriſimile eſt, a Præfecto ejuſdem claſſis Dionyſianæ, qui cum eſſet Dominus maris, in ſua poteſtate habebat Buam inſulam, quæ propius, quam cæteræ, a continenti aberat, eratque incurſionibus magis expoſita, poſt devictos Illyrios, occupatam fuiſſe proximam peninſulam, & iſthmo vel communito, vel exciſo, ibidem ab eodem conditum eſse ſibi ſuiſque tutum receptum ac perfugium, non ſolum ut hoſtium navibus in eum locum coeundi facultatem adimeret, ſed etiam ut liberum ſibi commercium eſſet cum Bullinis, ab eiſque commeatus acciperet, quibus ea regio abundat, ſuis pariter inſulis rebuſque neceſſarios. Eamdem ob cauſam haud abſurde dici poteſt, tum ab Iſſeis, aut certe non multo poſt, ædificatum eſse Epetium prope illum maris ſinum, in quem haud ita procul ab urbe Spalatenſi ille fluvius illabitur, de cujus antiquo nomine cum nihil memoriæ ſit proditum, a moletrinis denominatur, quas defluentium aquarum impetu circumagit, & ſlavonico vocabulo *Zarnouniza* appellatur. Hinc etiam conjectari licet Tragurium conſtructum eſse, regnante Dionyſio ſeniore, ideſt vertente centeſima Olympiade, ſive anno ante Chriſtum natum tercenteſimo circiter & octogeſimo. Qua propter nulla eſt hodie in univerſa ora Dalmatica civitas, cujus ſit vetuſtior certiorque memoria; quamvis inficiabitur nemo, ſitum Jadrenſis urbis multo ante, ideſt jam inde a Liburnorum ætate, & imperio, habitari colique cœpiſse. Cæterum ante Julium Cæſarem nemo fuit, qui Jadrenſis urbis mentionem fecerit; id quod monui cap. 4. lib. 1. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ; niſi forte alio nomine ab antiquis Scriptoribus appellata fuerit. Hæc ferme habui, de ſitu & origine Tragurii, quæ conjectando ſcriberem.

Syracuſii coloni Iſſenſes, partem oræ Illyricæ occupant, Tragurii & Epetium ædificant Dionyſii ſenioris ætate.

§. III.

Dionyſius ſenior Adriatici maris imperium ſibi vindicat.

Quæ hactenus ſcripſimus, eo pertinent, ut oſtendant Dionyſium ſeniorem Tuſcis ac Liburnis in Adriatici maris dominationem ſucceſſiſſe; nam nihil video, cur jus integrum navigationis Adriaticæ uſurpare, & plena & libera ultro citroque & ab oſtio ad ſinum uſque intimum commeandi facultate uti non poſſet. Liſſum urbem munitiſſi-

Dionyſius dominus maris Adriatici.

Digitized by Google

mam cum egregio portu generis omnis navigiorum capaciſſimo, Navalique rebus omnibus ad naves ædificandas inſtructo, in ora Illyrica apud Drilonis oſtia condiderat; de qua urbe Diodorus hæc ſcripſit: *Is enim annis non multis ante, miſſa eodem* (ideſt in Adriaticum) *colonia, urbem Liſſum ædificaverat. Cujus urbis occaſione adjutus, dum a cæteris negotiis vacat, Dionyſius navalia pro CC. triremibus exſtruxit, & tantæ magnitudinis murum opere circumdedit, ut omnes Græcorum urbes ejus ambitu ſuperarentur. Gymnaſia inſuper magnifica juxta Anapum fluvium eduxit, Deumque fana, & alia, quæ ad amplificationem & gloriam hujus urbis conducerent, elaboravit.* In hujus urbis portu ingens claſſis ad cuſtodiam maris excubabat, quæ brevi trajectu ad ejuſdem fauces deferri, & aditum omnem intercludere hoſtibus poſſet. Hinc Prætor Liſſenſis numeroſam triremium claſſem eduxit, qua Pariis ſubſidio profectus cum eſſet, decem millia Illyriorum Græcam illam coloniam oppugnantium vel cæſa, vel capta, vel demerſa disjecit. Extremam infra Picenum Italiæ oram in ſuam poteſtatem Dionyſius redegerat, ſuis in ea præſidiis & coloniis impoſitis. Ab Gallis Senonibus, qui Picenum, & Umbriam adepti, uſque ad flumen Atheſim mare accolebant, itemque a Venetis fœdere ſibi & amicitia junctis nihil erat, quod timeret. Ad hæc Iſſam inſulam, itemque in Illyrica continente duas urbes munitiſſimas Epetium, ac Tragurium in poteſtate habebat; & cum plura navalia ab Dionyſio in mari Adriatico exſtructa fuiſſe Diodorus tradat, vix dubitari poteſt, quin etiam apud Iſſam, & alterutrum continentis oppidum claſſem habuerit. Adde, quod urbs & colonia Pharia, ad quam condendam tuendamque navales copias Pariis ſubmiſerat, aut Dionyſio parebat, aut certe vectigal penſitabat; nec vero abſimile eſt alias quoque inſulas, Liburnis, qui eas poſſidebant, vel expulſis, vel in poteſtatem redactis, ſub imperium ditionemque Dionyſii ſe tradidiſſe. Oram quidem maritimam, Italiæ ex adverſo objectam, Illyrii Celtæ obtinebant; verum enimvero fac, Illyrii, poſt diremptum fœdus, quod contra Epirotas cum Dionyſio fecerant, nunquam cum eo in amicitiam ac ſocietatem redierint; ſed cum hi ea tempeſtate nondum rem maritimam perfecte planeque callerent, neque navalibus copiis abundarent, minoribus tantum navigiis, ſcilicet myoparonibus ac lembis ad commercium, reſque exportandas, vel invehendas utebantur; quibus Adriaticam navigationem, ac dominatum infeſtum quidem Dionyſio reddere, ſed omnino eripere non poterant. Quæ cum ita ſint, nemo fuerit, opinor, quin & maris imperium, & jus Adriaticæ navigationis, cum portoriis ac vectigalibus quæſtubuſque omnibus, qui ex maritima dominatione percipi ſolent, Dionyſio adjudicandum cenſeat. Porro Dionyſius quoad vixit, dominium maris Adriatici retinuit, eoque egregie uſus eſt ad opes copiaſque augendas, & ad bella cum Carthaginienſibus, cæteriſque hoſtibus gerenda; illud autem moriens anno primo Olympiadis 103. ante Chriſtum 368. cum regnaſſet annos octo & triginta, Dionyſio filio ſuo reliquit, qui parenti æque in maris imperium atque in tyrannidem ſucceſſit.

Liſſus urbs & portus, & in hoc claſſis ad mari præſidium.

Ora Italica extrema in poteſtatem Dionyſii.

Dionyſius junior imperante, Illyrii rei maritimæ ſcientiam paullo majorem adepti, & navalibus copiis magis aucti inſtructique infeſtiorem, quam antea, navigationem Adriaticam piraticis lembis ac navigiis habere cœperunt; id quod Dionyſium impulit, ut duas urbes validis propugnaculis ac præſidiis firmatas conderet, quæ Jonium mare, quo vocabulo Veteres etiam Adriaticum appellabant, navigantibus tutum ab Illyriis piratis, quos Diodorus barbaros vocat, ac paratum perfugium præberent. *In Apulia*, inquit Diodorus lib. XVI. *duas condidit urbes, quo tutum per Jonium mare navigantibus tranſitum præſtaret. Nam barbari maris accolæ magno navium prædatoriarum numero divagantes, ſinum Adriaticum mercatoribus infeſtum reddebant.* Idem Diodorus auctor eſt Dionyſium juniorem claſſem in Adriatico habuiſſe, ad tuendam ſcilicet retinendamque ejuſdem maris poſſeſſionem. Huic claſſi præerat Philiſtus, cum Dio fretus non tam ſuis copiis, quam odio Tyranni, Siculos & Syracuſios ad ſpem libertatis erexit, totiuſque ejus partis Siciliæ potitus eſt, quæ ſub Dionyſii poteſtate fuerat, itemque urbem ceperat Syracuſiorum, præter arcem & inſulam oppido adjunctam, abſente ſcilicet Dionyſio, & apud Cauloniam in Italia diverſante; qui ſtatim juſſit Philiſtum ex Adria claſſem deducere, & quam celerrime poſſet Syracuſas contendere; quo Dionyſius ipſe pervenit. *Sub id vero tempus ad Cauloniam Italiæ morabatur Dionyſius. Philiſtum igitur exercitus Ducem, circa Adriam tunc verſantem, cum claſſe accerſit; utque recto Syracuſas curſum petat, injungit. Cumque ad eumdem locum citato itinere properaret, Dionyſius ſeptimo die poſt reditum Dionis Syracuſas pervenit.* Res deinde utrinque geſtas, & varios præliorum eventus, fortuna ſe modo in hanc, modo in alteram partem inclinante, Diodorus fuſe accurateque lib. XVI. perſequitur. Extincto autem Dione, Dionyſius iterum Syracuſis potitur. Timoleon autem Corinthius, cum hoſtes Dionyſii opem a Corinthiis petiiſſent, Ducemque, quo in bello uterentur, poſtulaſſent, a Syracuſiis, quibus auxilio erat miſſus, inveteratam ſervitutem, ac Dionyſium tota Sicilia depulit; quippe Dionyſio auctor fuit, ut arce Syracuſiis dedita, quam adhuc in ſua poteſtate retinebat, regni inique parti recuperandi conatu deſiſteret; eumque data fide publica, & nave oneraria, in qua ſuas facultates imponeret, Corinthum deportandum curavit; inde in Peloponneſum Dionyſius receſſit, ubi privatam in vitam ſe abdidit. *Timoleon Dionyſio jam ad ſummam trepidationem redacto perſuaſit tandem, ut arcis deditionem faceret, & abdicato principatu, in Peloponneſum, ſub tuti diſceſſus fide, cum ſuis facultatibus abiret.* Hæc Diodorus ibid. qui præterea quantæ fuerint Dionyſii copiæ opeſque maritimæ, his verbis declarat: *Qui CCCC. prius triremes habuerat, non multo poſt in nave oneraria, eaque non magna, Corinthum deportatur, & mirificum mutatæ inſigniter conditionis ſpeculum exhibuit.* Utriuſque Dionyſii tyrannidem annorum 50. ſpatio circumſcripſit Theopompus Chius apud Diodorum, qui Philippi Macedonis geſta, quibus res Siculas intexuit, tribus libris complexus cum fuerit, *exorſus a Dionyſii ſenioris dominatu L. annorum tempus recenſens, in exilio Dionyſii junioris deſinit.* Ac totidem annis Dionyſios Adriatico potitos fuiſſe Hiſtoricus Dalmata l. 1. c. 1. exiſtimat. Sed cum initium Dionyſii ſenioris Halicarnaſſenſis ac Diodorus in annum tertium Olympiadis 93. conjiciant, junioris autem exilium Diodorus illigaverit cum anno ſecundo Olympiadis 109. utriuſque tyrannidi quatuor ipſos annos ſupra ſexaginta attribui oportet. Cum vero Dionyſius ſenior aliquot annos, ut diximus, poſt occupatam tyrannidem, in Adriatico dominari cœperit, utriuſque Dionyſii dominatio maritima annis fere quinquaginta definiri poteſt. Itaque annus ſecundus Olympiadis 109.

Illyrii Dionyſio juniore imperante copiis & navibus maritimis ſe geſſerunt.

Dionyſius Syracuſis ac tota Sicilia expulſus.

qui

qui eſt ante Chriſtum 345. ut tyrannidi, ſic etiam Siculorum Adriatico imperio finem attulit. Ab Siculorum autem claſſibus ac præſidiis Adriaticum mare cum eſſet deſtitutum, ejuſdem maris poſſeſſionem quaſi vacuam & caducam Iſſenſes Syracuſii, & Illyrii oræ continentis accolæ occuparunt; id quod paullo poſt dicetur. Nunc ad Celtas Illyrios regrediamur.

§. IV.

De Regibus ac rebus terra marique geſtis Illyriorum. Bardyles Rex Illyriorum.

PArs ea Celtarum, quæ regionem inter Titium ac Driſonem Tarquinio Romæ regnante anno ante Chriſtum circiter ſexcenteſimo inſederat, & Celtarum vocabulo paullatim obſoleſcente, ab ipſamet, in quam venerat, regione Illyriorum nomen ſibi adſciverat, Regnum Illyricum ibidem fundavit, cujus primordia utrum a primo eorumdem adventu repetenda ſint, an vero in ætates poſteriores rejicienda, non ſatis conſtat. Series Regum Illyriorum, quos antiqui Scriptores commemorant, initium ducit a Bardyle, cujus regnum cum ætate Philippi Macedonis cohæret, qui pater fuit Alexandri Magni, & ſeculo quarto ante Chriſtianam Epocham regnum in Macedonibus obtinuit. Ante Bardylem, quem alii Bardyleum vocant, multa & præclara, digna litteris ac memoria Illyrios feciſſe veteres hiſtorici narrant, ac præſertim bella cum Macedonibus ab Illyriis aſſidue geſta, & relatas victorias deſcribunt. Primum ab Illyriis illatum Macedonibus bellum, poſt interitum Philippi ſenioris, qui moriens anno ante Chriſtum circiter 598. Æropum filium adhuc impuberem regni hæredem reliquerat, ſcriptis tradit Juſtinus lib. VII. ac primum quidem Illyrios victores, deinde victos fuiſſe ſcribit: *Sed Macedonibus aſſidua certamina cum Thracibus & Illyriis fuere; quorum armis veluti quotidiano exercitio indurati, gloria bellicæ laudis finitimos terrebant. Igitur Illyrii infantiam Regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediuntur; qui prælio pulſi, rege ſuo in cunis prolato, & pone aciem poſito, acrius certamen repetivere, tamquam ideo victi fuiſſent antea, quod bellantibus ſibi Regis ſui auſpicia defuiſſent; futuri vel propterea victores, quod ex ſuperſtitione animum vincendi ceperant; ſimul & miſeratio eos infantis tenebat, quem, ſi victi forent, captivum de lege facturi videbantur. Conſerto itaque prælio, magna cæde Illyrios fudere, oſtenderuntque hoſtibus ſuis, primo bello Regem Macedonibus, non virtutem defuiſſe.* Quæ deinceps per annos amplius ducentos ſeu pace, ſeu bello Illyrii geſſerunt, nemo litteris ac memoriæ prodidit. Cæterum multa & gravia bella identidem cum Macedonibus vario marte Illyrios geſſiſſe, quoad tandem Macedones ſibi vectigales fecerunt, nemo, opinor, inficiari poteſt. Ne vero dubites, quin per eos annos Illyrii ab Driſone uſque ad Ceraunios montes imperii ac nominis Illyrici fines propagaverint, regione interjecta Macedonibus, vel Epirotis adempta. Cum enim anno quarto Olympiadis 98. ideſt, ante Chriſtum 385. ab Dionyſio in ſocietatem belli Epirotici contra Moloſſos, ut ſupra diximus, acciti fuerint, Moloſſis Epiri populis finitimi eſſent, oportet, ut ex propinquo in Epirum irruptionem facerent. Et quamvis alio bello, ſcilicet adverſus Macedones diſtinerentur, tantas tamen copias habebant, ut militibus auxiliaribus ab Dionyſio non amplius bis mille, & quingentis armaturis operis Græcanici acceptis, utrique bello per idem tempus gerendo eſſent. Ac primum quidem agros Moloſſorum depopulati ſunt, prædis abactis hominum pecorumque; deinde commiſſo prælio hoſtes decem mille & quingentos interfecerunt; ſed Lacedæmonii, Moloſſis auxilio cum veniſſent, eorum impetum ac ferocitatem repreſſerunt, & a perſequenda victoria retardarunt. Rem narrat Diodorus lib. XV. *Quamobrem etiam cum Illyriis Alcetæ Molotti opera, qui exul Syracuſis tum morabatur, ſociale fœdus icerat. Cumque Illyrii tum temporis bello diſtinerentur, CIↃ. CIↃ. auxiliares, & IↃ. armaturas Græcas illis miſit. Qui armis inter militum fortiſſimos diviſis, auxiliares ſuis ordinibus immiſcent; magnoque collecto exercitu ad reducendum in regnum Alcetam, in Epirum irruptionem faciunt; & dum nemo ſe illis opponit, agros depopulantur. Poſt Molottis contra eos in aciem progreſſis acre prælium committitur, in quo ſuperiores Illyrii Molottorum ſupra CCIↃↃ. & IↃ. trucidant. Qua clade Epirotis illata, Lacedæmonii de hoc certiores facti, auxilia Molottis tranſmittunt, quibus immanem Barbarorum ferociam compreſſerunt.* Neque per ea tempora Illyrios caruiſſe omnino copiis maritimis ex eo intelligi poteſt, quod uno alterove anno poſt Epiroticam expeditionem, cum Græcæ Phariorum coloniæ evertendæ conſilium cepiſſent, tot navigia ſeu myoparones haberent, quibus ad decem millia hominum in eam inſulam tranſveherent, qui in terram egreſſi urbem coloniamque illam oppugnarent. Huc revoca, quæ ſuperiori paragrapho ex Diodoro deſcripſimus.

Annus erat ante vulgarem Epocham 386. cum regnum obtinebat in Macedonibus Amyntas junior, quocum ab Illyriis bello tam acri obſtinatoque pugnatum eſt, ut illum tandem regno expulerint; & viribus atque copiis deſtitutum in tantam regni recuperandi deſperationem adduxerint, ut ſpe omni abjecta, agrorum quod ſibi reliquum fecerat ea calamitas, Olynthiis donaverit. Haud multis tamen poſt annis in avitam regni poſſeſſionem reſtitutus cum eſſet, traditoſque agros nec prece nec pretio ab Olynthiis impetrare poſſet, vi atque armis repetere inſtitit, adjutus a Lacedæmoniis, quos ſibi fœdere ſociali devinxit. Hinc magnum ac diuturnum inter Amyntam & Olynthios bellum exarſit, quod diligenter accurateque deſcriptum apud Diodorum lib. XV. invenies. *In Macedonia poſtquam Amyntas ab Illyriis victus, ſpe regni amplius defendendi abjecta, Olynthiorum populo magnum vicini agri tractum, ceu nunquam imperium recuperaturus, donaviſſet, Olynthiorum civitas reditus ex agro donato aliquamdiu perceperat: tandem Rex inſtauratis viribus, in priſtinam regni poſſeſſionem reverſus, donatum illud repetebat; ſed Olynthii reddituros ſe negabant. Eam ob cauſam Amyntas tum ipſe exercitum collegit, tum Lacedæmoniis ad ſocietatem pertractis, auctor eſt, ut Prætorem cum manu haud invalida contra Olynthios mittant &c.* Hoc bellum illatum Olynthiis Diodorus conjunxit cum anno ſecundo Olympiadis 99. qui eſt ante Chriſtum 383. ex quo fit, ut bellum Macedonicum ab Illyriis proſpere geſtum triennio aut quadriennio anteceſſerit bellum Olynthiacum. Utrumque bellum Juſtinus breviſſime attigit lib. 7. *Cum Illyriis deinde & Olynthiis gravia bella geſſit.* Idem Diodorus lib. XVI. tradit, Amyntam bello fractum ab Illyriis annuum vectigal victoribus pendere coactum eſſe, & Philippum filium natu minimum obſidem dare. Sed Philippum ab Alexandro fratre Illyriis obſidem datum fuiſſe pacis redimendæ cauſa ſcripſit Juſtinus.

Illyriorum regna cum Moloſſis.

Bardyles Rex Illyriorum.

Illyriorum bella cum Macedonibus.

Regnum Illyricum ultra Driſonem uſque ad Ceraunios montes prolatum.

Illyrii Amyntam regno expellunt.

Reges Macedones vectigales Illyriis.

Digitized by Google

Amyntas anno quarto Olympiadis 102. ideſt ante Chriſtum 369. e vivis exemptus, tres filios ex Eurydice reliquit, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri Magni parentem; his alii quartum adjiciunt Ptolemæum cognomento Aloritem, alia uxore genitum. Amyntæ in regnum Alexander ſucceſſit, qui cum periculoſum, & grave bellum Macedoniæ ab Illyriis ingrueret, ſatius duxit pacem ab hoſtibus redimere ingenti pecunia, & inſuper Philippo fratre obſide dato, & apud Thebanos in cuſtodiam tradito. Is Thebis liberali cuſtodia ſeptus cum Epaminonda aliquot annos vixit, ejuſque diſciplina tantum profecit, quantum res ab eo geſtæ poſtea declararunt. *Alexander inter prima initia regni*, ait Juſtinus, *bellum ab Illyriis pacta mercede & Philippo fratre obſide dato redemit*. Sed Alexander vel Eurydicis matris, ut Juſtinus, vel Ptolemæi fratris ex alia matre, ut Diodorus docet, inſidiis interfectus eſt, poſtquam regnum uno, aut altero anno tenuiſſet. Exinde Ptolemæus regnum ſcelere partum triennio poſt, ipſe quoque Perdiccæ fratris dolo ſublatus amiſit. Perdiccas regni potitus cum jugum ab Illyriis impoſitum excutere, ſeque vectigalis annui perſolvendi onere probroque eximere conatur, pugna cum illis conſerta, quatuor Macedonum millibus amiſſis, caſtriſque exutus in acie occubuit, poſtquam quinque vel ſex annos imperaſſet. Hunc tamen Juſtinus Eurydicis matris itidem dolo interemptum ſcripſit. Cum res Macedonicæ eo loci eſſent, vix ut in deterius prolabi poſſe viderentur, Macedonibus autem neque animi, neque vires ad cladem ulciſcendam ſuppeterent; Philippus fratrum minimus natu, Thebana cuſtodia elapſus, regnum capeſſit, omnique opera & contentione ad rem Macedonicam reſtituendam incubuit. *Poſt obitum Amyntæ*, ait Diodorus lib. xvi. *Alexander filiorum ætate maximus in regno ſucceſſit; ſed eo per dolum interempto, regnum arripuit Ptolemæus Alorites* (quem Trogus ſilentio præteriit). *Hunc ſimili fraude Perdiccas vita ſimul & regno privavit. Verum poſtquam is ingenti prælio ab Illyriis ſuperatus, in ipſo neceſſitatis momento, ideſt ubi maxime Rege opus erat, cecidiſſet, Philippus frater e cuſtodia elapſus, regnum male affectum ſuſcepit. In acie enim ſupra IV. millia Macedonum occubuerant. Qui ſuperfuerant, Illyriorum vires tantopere expaveſcebant, ut ad perſequendum bellum nihil animi haberent reliqui*. Et initio hujus libri XVI. de Philippo hæc Diodorus ſcripſit: *Is equidem viginti quatuor annos Macedonum rex fuit, & minimis ab initio adjumentis uſus, regnum ſuum omnium in Europa maximum effecit; & quam Illyriorum jugo ſervili preſſam acceperat Macedoniam, gentium & civitatum multarum & potentiſſimarum dominam reddidit*.

Alexander rex Macedonum Philippum fratrem obſidem Illyriis tradit.

Victoria Illyriorum de Macedonibus relata.

Philippus Macedonū Rex Athenienſes, & Pæones vicit.

Philippus regnare cœpit anno primo Olympiadis 105. cui reſpondet annus ante Chriſtianam æram 360. cum regnum apud Illyrios obtinebat Bardyles, primus Illyriorum e gente Celtica Regum, cujus nomen ac memoria veterum litteris cuſtodita ad nos perveneriť. Porro Philippus nihil habuit antiquius, quam ut maculam prioribus bellis Illyricis ſuſceptam, inuſtamque nomini Macedonico, deleret, atque tributo Illyrico Macedoniam eximeret, urbeſque ab Illyriis captas recuperaret. Sed cum multi undique hoſtes ingruerent, non antea Illyriis bellum intulit, quam cum illis debellatum eſſet. Primum itaque victis ad Methonem Athenienſibus, cum urbe Amphipoli, quam illis ademerat, pacem reddidit. *Primum illi cum Athenienſibus certamen fuit, quibus per inſidias victis, metu belli gravioris, cum interficere omnes poſſet, incolumes ſine pretio dimiſit*. Juſtinus lib. VII. Tum in Pæones arma convertit, eiſque acie victis, illorum regionem ad regnum Macedoniæ adjunxit. *Bello itaque Athenienſium liberatus, cum Agim Pæonum Regem fato conceſſiſſe audivit, commodam ſibi Pæones invadendi occaſionem præbitam exiſtimavit. Armata igitur manu terram illorum ingreſſus, Barbaros acie vicit, gentemque deinceps parere Macedonibus coegit*. Diodorus Lib. XVI. Erant Pæones Macedoniæ a Septemtrione finitimi, quos etiam Pelagones vocari tradidit Strabo, quoſque diſtingui oportet a Pannoniis, quos a Græcis Pæones ſæpe appellari nemo ignorare poteſt.

Philippus Athenienſi & Pæonico bello feliciter perfunctus, exercitum in fines Illyriorum duxit anno ſecundo Olympiadis 105. ideſt anno ante Chriſtum 359. Hanc Illyricam expeditionem, pugnam cum Illyriis, & Philippi victoriam luculente deſcripſit Diodorus lib. 16. his verbis: *Reſtabant tamen hoſtes Illyrii, quos debellandi magno ſtudio tenebatur. Advocata igitur concione, cum appoſita militem oratione ad bellum inſtigaſſet, copias in Illyriorum fines duxit, non minus* CCIↃↃ *pedites, &* ↃↃↃ. *equites ſub vexillis habens. Bardylis autem Rex Illyriorum, hoſtium adventu cognito, primum legatos ad Philippum de pace redintegranda miſit his pactis, ut quæ tunc in poteſtate oppida haberent, uterque ſub ditione retineret. Ad quod Philippus, ſe pacis quidem cupidum eſſe, ſed eam non prius admiſſurum, quam cunctis Macedonici regni urbibus deceſſerint Illyrii, reſpondit. Legatis itaque infecto negotio reverſis, Bardylis victoriis ante partis, ſuorumque virtute confiſus, valida cum manu hoſtibus occurrit, decem millia peditum exquiſitæ virtutis, &* ↃↃↃ. *equites in armis habens. Cumque proximi eſſent inter ſe exercitus, ſubito ingenti cum vociferatione prælium capeſſitur. In dextro cornu Philippus cum robore Macedonum eximio verſans, circumagi juſſit equites, ut ex obliquo in hoſtes impreſſionem facerent; ipſe a fronte irruens, certamen validiſſimum commiſit. Illyrii contra quadratam aciem inſtruunt, & fortiter in diſcrimen pugnæ cum hoſte deſcendunt. Diuque anceps propter eximiam utriuſque exercitus fortitudinem erat prælium. Cadebant multi, longeque plures vulnerabantur. Et modo hac modo illac momentum pugnæ vergebat, prout viciſſim a dimicantium virtute pondus accepit. Tandem cum equitatus tum a latere, tum a tergo premeret, & Philippus cum fortiſſimis ſuorum heroice decertaret, vulgus Illyriorum in fugam ſe præcipitare cogitur. Ad longum inde ſpatium Macedones inſequuntur; plurimiſque in fuga trucidatis, Philippus tandem ſuis receptui ſignum dedit, excitatoque tropæo, defunctos in acie ſepultura coheneſtavit. Tum Illyrii miſſa legatione, ubi cunctis Macedonici nominis urbibus exceſſere, pacem impetrarunt; cum plus* ↃↃↃ CIↃ CIↃ. *iſto in conflictu de ipſis occubuiſſent*. Itaque Illyrii Reges amiſſis, quas ceperant, Macedonicis urbibus, ditionis ſuæ fines, quos in Macedoniam protulerant, ab ortu ad Lychnitem paludem contrahere coacti ſunt; nam quidquid terrarum ultra Lychnitem Orientem verſus, poſſidebant, id omne in jus poteſtatemque Philippi conceſſit. *Poſtquam Illyriis magno prælio devictis*, ait Diodorus, *omnes ad Lychnitidem uſque paludem habitantes imperio ſubdiderat, pacem cum illis gloriosam paſſus in Macedoniam regreditur*. Reliqua regio ad mare vergens inter Drilonem & Ceraunios manſit in poteſtate Illyriorum.

Bellum Illyriis infertur.

Victoria Macedonum.

Illyrici regni fines contracti.

Illyrii iterum victi, & vectigales Macedonum facti.

Ab hoc primo bello Macedonico anni tres interceſſerant, cum Bardyles ſimul cupidus ulciſcendæ cla-

Digitized by Google

cladis a Philippo acceptæ, simul invidens Philippo partas opes & victorias, ac tantam imperii molem in propinquo magis in dies crescentem, quam sibi ac posteris suis tutum foret; imo cum duobus Regibus Pæoniæ ac Thraciæ sociali fœdere bellum illi inferre decrevit. Ea res non latuit Philippum, qui contractis celeriter copiis, Illyrios de improviso adortus, Bardylem in ipso belli apparandi conatu oppressit, eosdemque cum ipso Rege vectigales sibi, & imperio suo obnoxios fecit, tributo imposito. Is erat annus primus Olympiadis 106. qui fuit ante Christum 356. *Interim*, ait Diodorus libro citato, *in Macedonia tres simul Reges, Thracum utique, Pæonumque, & Illyriorum contra Philippum conspirant. Hi Macedonibus finitimi, cum vires Philippi in dies magis ac magis crescentes lividis oculis intuerentur, nec tamen jampridem ab eo viribus, pares ad rebellandum vires supperetent; hoc modo victoriam de ipso relaturos se confidebant, si junctis copiis bellum inferrent. Verum hos, dum copias adhuc cogunt, nec ullos dum ordines instructos habent, subito adventu oppressos & perculsos, in jura Macedonici regni concedere Philippus coegit.* Hanc de Illyriis victoriam censeo illam esse, cujus meminit Plutarchus in vita Alexandri, qui hoc bellum Parmenioni gerendum a Philippo datum esse, & tres eodem die lætissimos nuncios ad Philippum venisse scripsit: *Philippus eodem die tres nuncios accepit, fusos a Parmenione ingenti pugna Illyrios, alterum Olympiis se equi pernicitate vicisse, tertium natum esse Alexandrum.*

Philippus Illyricum vastat.

Anno primo Olympiadis 109. ante Christum 344. quamvis Illyrii adeo superioribus cladibus fracti essent, ac debilitati, ut ne movere se quidem contra Macedones possent, nedum aliquid illis infestum moliri; tamen Philippus ab intestino in hanc gentem odio, quod cum regno, veluti cujusdam hæreditatis loco, a patre acceperat, in eorum fines cum exercitu ingressus, agros pervastat, urbes expilat, opulentamque inde prædam in Macedoniam revexit; quod Diodorus his verbis tradit: *In Macedonia interim Philippus, odii Illyriorum, quod quasi hereditarium a patre acceperat, & controversiæ, quam pertinaciter fovebat, stimulis instigatus, cum valida terras illorum exercitu invadit, agrosque populatus, multis urbium expugnatis, cum ingenti præda in Macedoniam sese refert.* Exinde res Illyriorum quietæ pacatæque fuerunt, nullamque illis molestiam Philippus, quoad vixit, intulisse legitur. Is potro Olympiadi uxori nuncio remisso, Cleopatram duxit; id quod Alexander Philippi ex Olympiade filius, iniquo animo ferens, matrem quidem in Epirum conferre se jussit ad Alexandrum ejus fratrem, suamque avunculum, quem Philippus mortuo Arymba Molossorum Rege, hujusque filio Æacida Pyrrhi patre exclusso, Epirotis regem dederat; ipse vero Alexander apud Illyrios se recepit. Eum tamen oratione Demarati placatum, sibique reconciliatum Philippus in Macedoniam per nuncios paullo post revocavit. Hæc ex Justino, & Plutarcho in Vit. Pyrrhi & Alexand. Philippus autem cum regnasset annos viginti quatuor, atque ad bellum Persicum Græci exercitus Imperator creatus esset, in ipsa celebritate ludorum, quos Ægis in Macedonia peragebat, a Pausania sui corporis satellite, incertum an Olympiadis conjugis & Alexandri filii consilio, de improviso confoditur, ineunte Olympiade 111. anno ante Christum 336.

Mors Philippi.

§. V.

De Clito, & Glaucia Illyriorum Regibus.

Alexander Philippi filius Rex Macedonum. Clitus & Glaucias Reges Illyriorum.

CUm Alexander Philippi filius ob rerum gestarum excellentiam Magni cognomen assecutus imperare cœpit, duos Illyriorum reges fuisse apud Arrianum comperio, Clitum Bardylis sive Bardylei filium, & Glauciam, quos ego aut fratres, aut certe consanguineos fuisse arbitror; & Bardylis extincti regnum Illyricum bifariam divisum partim uni, partim alteri obvenisse: ita enim inter eos convenerit oportet, ut Clitus quidem intra Drilonem fines suæ ditionis coerceret, Glaucias inter Drilonem & montes Acroceraunios Taulantiis imperaret; hunc enim Regem Taulantiorum Arrianus vocat. Postquam Alexander in frequentissimo Græcorum conventu apud Corinthum habito, se in locum patris subrogandum, totiusque exercitus Græci Imperatorem adversus Persas decernendum curavit, nunciatum est ei Triballos, Illyrios, Thracas, aliosque populos, quos Trogus Pompejus apud Justinum enumerat, ad defectionem spectare. Et Clitus quidem Rex Illyriorum imperio Macedonum se subducere, atque Illyrios e tributo, quod pendebant Macedonibus, in antiquam libertatem eximere decreverat; in hujusque consilii & conatus societatem pellexerat Glauciam, qui Taulantiis populis itidem Illyriis præerat. Quare Alexander antea cum his sibi debellandum censuit, quam in Asiam cum exercitu trajiceret. *Ineunte autem vere*, ait Arrianus, *statuit per Thraciam, in Triballos, & Illyrios exturere, quos novis rebus studere acceperat; & quia finitimi erant, neque satis adhuc domiti, minime negligendos putabat, cum aeo longinquam atque remotam a domo expeditionem susciperet.* Itaque non solum Thracibus cæterisque populis, qui ab Imperio Macedonum defeciverant, sed etiam aliis barbaris nationibus cis Danubium utraque, vel bello subactis, vel in deditionem acceptis, in Illyrios arma vertit. *Inde in Agrianos & Pæonas movit, ubi nuncium ei allatum est Clitum Bardylei filium ab eo defeciisse, Glauciamque Taulantiorum regem se eidem conjunxisse.* Arrianus. Clitus siquidem cum exercitu Illyrico in Macedoniam irruperat, & Pellion urbem adortus in suam potestatem redegerat, firmissimisque præsidiis munierat, quem Glaucias paullo post subsecutus suas cum illo copias conjunxit. Alexander cum utroque semel atque iterum acie conflixit; atque ad eos vincendos haud minus artem scientiamque militarem, qua plurimum polleba, quam vim impetumque adhibuit. Hostes cæsi, castris exuti, in fugam versi, totaque Macedonia excedere coacti sunt. Hæc Arrianus. Nec vero id bellum Alexandro aut facile, aut incruentum fuit; nam hujus belli magnitudo ac difficultas tanta erat, ut Græciam universam in summam expectationem adduxerit; sic prorsus, ut, cum fama de interitu Alexandri apud Græcos falso percrebuisset, huic fidem facile conciliaverit, quæ tum erat de ferocissima illa gente, eoque bello periculosissimo communis & pervulgata opinio: nec porro defuerunt, qui ea fama impulsi, Græcorum civitates ad res novas moliendas, jugumque Græcis ab Alexandro impositum depellendum solicitarent; id quod Arrianus tradit. Præterea in alterutro cum Illyriis conflictu duplex vulnus Alexandro, alterum in capite, alterum in collo inflictum fuisse ipsemet Alexander testatur apud Plutarchum, qui eum cum fortuna colloquentem induxit, gloriantem-

ab Alexandro deficiunt Illyrii, Triballi, Thraces.

Clitus & Glaucias victi.

De Fort. aut Virt. Alex. lib. 1.

temque ſe quidquid laudis imperiique adeptus fuerat, id omne non fortunæ, ſed ſuæ virtuti, ſuiſque vulneribus acceptum ſibi referendum eſſe: *Apage te a me fortuna, deſine quæſo mea obtrectari virtuti; noli mihi convulſam adimere gloriam ..... nempe illi fortunati erant, Ochi, Ariaxerſa, quos in lucem ſtatim atque editos in Cyri ſolio ſtatuiſti. At meum quidem corpus non pauciſſima veſtigia fert obluctantis fortunæ, non a me ſtantis. Jam primum in Illyriis caput mihi ſaxum, piſtillum vero collum contudit.* Hoc bellum Illyricum ab Alexandro geſtum conferri poteſt in annum ſecundum Olympiadis CXI. 335. ante Chriſti adventum, ejuſque accuratam narrationem videſis apud Arrianum lib. I. quam pauciſſimis verbis Diodorus lib. XVII. exſecutus eſt. *Alexander vero compoſitis Græciæ motibus, arma in Thraciam expedit, gentesque multas ibi tumultuantes perterrefaciens, ad imperata facienda cogit. Tunc & Pæoniam, Illyridemque, & conterminas hiſce terras invadit, & incolarum plurimis, qui a fide Regis deſciverant, ſubactis, Barbaros illis finitimos imperio ſuo adjungit.*

Illyrios deinde cum metus, tum virium & copiarum diminutio in fide atque officio continuit; & milites ab Alexandro imperatos ad Perſicam expeditionem ipſi quoque ſuppeditarunt. Nam ex Odryſis, Triballis, & Illyriis quinque millia militum, teſte Diodoro, Alexander conſcripſit. Is poſt Athenienſes cæteroſque Græcos, qui vel deſciverant, vel ad defectionem ſpectabant, ad officium & fidem revocatos, Thebanos vero, qui pertinacius in ſententia manebant, penitus profligatos, eorumque urbem funditus everſam, in Aſiam per Helleſpontum tranſportavit exercitum, anno tertio Olympiadis CXI. ante Chriſtum 334.

Illyriis copias ad expeditionem Perſicam ſuppeditant.

Cum Alexander longe terrarum abeſſet, belloque Perſico diſtineretur, Græcia ferme omnis, in occaſionem recuperandæ libertatis intenta, & Lacedæmoniorum exemplum ſecuta, ad arma concurrerat; quam Antipater Præfectus Alexandri pacavit, poſtquam Lacedæmonios ingenti clade perculiſſet. De rebus Illyricis per eos annos, quos Alexander in Oriente victoriis magis, quam paſſibus peragrando inſumpſit, nihil memoriæ proditum eſt. Anno primo Olympiadis 114. ante Chriſtum 324. Alexander poſt imperium a Perſis ad Macedonas traductum, poſt Ægyptum captam & Alexandriam conditam, denique poſt Indos ſubjugatos, Babylonem reverſus, ibi omnium fere nationum, ſeu pacem ab ſe petentium, ſeu relatas victorias ſibi gratulantium legationes excepit; nec vero Illyrii paſſi ſunt legatos ſuos deſiderari: *Ex Europa*, inquit Diodorus lib. XVII. *Græcorum civitates, & Macedones, tum Illyrii, & plerique Adriæ accolæ, Thracumque gentes, & his finitimi Galatæ, quorum gens tunc primum innoteſcere Græcis cæpit, hi omnes legatos miſerunt.* At Diodorus quidem cum ab Illyriis diſtinxit accolas Adriæ, quorum pleroſque ait ſuos ad Alexandrum Legatos miſiſſe, horum nomine Celtas illos intelligi voluit, qui Illyriis finitimi, inter Titium & Arſiam vel Timavum, mare accolebant, quippe nondum imperium, nomenque Illyricum ſubierant.

Illyrii cum aliis gentibus ad Alexandrum legatos mittunt, Perſicam victoriam gratulatum.

Eodem anno Alexander, cum duodecim annos imperaſſet, Babylone exceſſit e vita; qui cum ſucceſſorem deſignare noluiſſet, eo mortuo, totidem pene Reges emerſere, quot erant Præfecti ac Duces; ſumma tamen rerum initio penes Perdiccam fuit, cui moriens Alexander annulum tradiderat. Tum Satrapiæ Præfecturæque omnes in Principes diſtributæ: Ptolemæo Lagi filio Ægyptus, Eumeni Paphlagonia & Cappadocia, Antigono Pamphylia, Lycia, & Phrygia, Caſſandro Caria, Meleagro Lydia, Leonnato Phrygia minor, Lyſimacho Thracia, Antipatro Macedonia, aliæ aliis obtigerunt; quos deinde latius imperandi cupido in mutuam perniciem armavit. Interim Græci, ubi de interitu Alexandri allatum eſt, ubique tumultuati ſunt, imprimis Athenienſes, qui Softhene Duce univerſam Græciam ad ſpem libertatis excitarunt. Quare inter hos & Antipatrum grave bellum exarſit. Nec dubium eſt, quin Illyrii Græcorum auctoritatem & exemplum ſecuti, jugo Macedonum excuſo, ſe in libertatem vindicaverint; nam auctor eſt Diodorus in eamdem ſocietatem, quam Græci adverſus Macedonas coierant, nomen dediſſe etiam Illyrios, non omnes quidem, ſed illos, ut cenſeo, qui inter Drilonem & montes Acroceraunios Glauciæ imperio ſuberant; nam reliquos, quibus Clitus præerat, cum longius a Græcia & Macedonia abeſſent, recuperata libertate contentos, eo bello implicari noluiſſe veriſimile eſt. *Pars etiam Illyriorum & Thracum exigua*, ait Diodorus, *odio Macedonum, in ſocietatis pactum venit.* Antipatrum Macedonum Ducem acie victum, Lamiam in urbem Theſſaliæ cum ſe recepiſſet, Græci obſederunt, unde Lamiaco bello nomen impoſitum eſt, quod anno proximo ab Alexandri obitu cœptum eſt; anno vero inſequenti, qui fuit tertius Olympiadis 114. ante Chriſtum 322. Græci navali prælio ſemel atque iterum victi ſunt, tertioque pugna terreſtri ad Cranonem in Theſſalia. Interim cum in Oriente Perdiccas ad ſeſe transferre omnia cupiens, opprimendorum Ducum initium a Ptolemæo facere inſtituiſſet, multiplex bellum conflatum eſt, quod & Duces ſucceſſoreſque Alexandri in varias partes diſtraxit, & Antipatri cogitationes copiaſque ab Græcis perſequendis alio abduxit, præſertim cum jam Athenienſes ad Cranonem re male geſta ab Antipatro tum pacis conditiones, tum præſidium Macedonum in Munychiam arcem, portumque Athenarum recepiſſent.

Illyrii jugum Macedonum excutiunt.

Græci ſæpe victi ab Antipatro.

Poſt obitum Antipatri Caſſander hujus filius primum Athenis per deditionem potitus, deinde Macedoniam adeptus cum eſſet, Epirum quoque ad ſuam ditionem adjunxit anno primo Olympiadis 116. ante Chriſtum 316. Epirotæ ſiquidem expulſo Æacida Arimbæ filio, qui paternum regnum recuperavit, poſtquam Alexander frater Olympiadis in Italiam ſeceſſit, Caſſandro ſe dederunt, ut tradit Diodorus. Hinc inter Caſſandrum & Glauciam Illyriorum regem diſſidii ac belli cauſa exorta. Glaucias quippe Pyrrhum Æacidæ filium admodum puerum ab amicis paternis fuga ſubductum in ſuam fidem tutelamque acceperat, atque in ſpem regni Epirotici recuperandi educabat. Eum porro cum in ſuam poteſtatem tradi vellet Caſſander, idque facta ſponſione ducentorum talentorum a Glaucia poſtularet, huic fides & pueri charitas, quam pecunia & amicitia Caſſandri, potior fuit. Rem narrat Plutarchus in vita Pyrrhi: *Sic ſervati, & inſequentium manibus elapſi, in Illyricum ad Glauciam regem ejus gentis pervenerunt; hunc ubi domi cum uxore ſedentem reperiſſent, puerum in medio ad terram depoſuerunt. At Glaucias, quod Caſſandrum Æacidæ inimicum meminiſſet, aliquamdiu hæſitavit. Interim Pyrrhus ſponte ſua prorepens, veſtem ejus apprehendit, eamque tenens ad genua ſe regis erexit, ut riſum primo, inde miſerationem moverit, ſupplicis inſtar cum lacrymis deprecans. . . . Proinde Pyrrhum ſtatim uxori tradidit, interque ſuos liberos educari juſſit; & paullo poſt hoſtibus eum expoſcentibus, Caſſandro etiam ducenta talenta offerenti non dedidit.* Hanc arbitror fuiſſe cauſam ejus

Cauſa belli inter Caſſandrum Antipatri filium & Glauciam Regem Illyriorum.

Alexandri interitus.

belli,

Digitized by Google

belli, quod Glauciæ ab Caſſandro illatum Diodorus commemorat, illigatque anno tertio Olympiadis 116. qui ante Chriſtum 314. numeratur. Sed poſt victum Eumenem, eumdemque in vinculis jugulatum a cuſtodibus, ut Cornelius Nepos & Plutarchus docent, cum Antigonus opibus ac potentia auctus, una cum Demetrio filio, cui cognomen fuit Poliorcetæ, bellum Caſſandro intuliſſet, hunc ab Illyrico in Græciam cum exercitu avocavit. Itaque hoſtis longe formidoloſior, ac bellum multo gravius & periculoſius Caſſandrum impulit, ut cum Glaucia non pacem modo, ſed fœdus etiam faceret: id quod Diodorus lib. 19. neque belli, neque fœderis cauſam explicans, breviter ſtrictimque attigit: *Hinc ſubito in Adriam curſu provectus* (Caſſander) *Apolloniam primo incurſu capit; & progreſſus ad Illyriam, Hebro flumine tranſmiſſo, ſigna cum Glaucia Illyriorum rege confert; & pugna ſuperior fœdus cum eo facit ea conditione, ut in ſocios Caſſandri arma ſumere Glauciæ non liceret. Epidamniorum quoque urbem ſibi devincit, & collocato inibi præſidio in Macedoniam ſe recipit.*

Caſſander fœdus cum Glaucia facit.

Interea Glaucias Pyrrhum apud ſe diligenti amantique cuſtodia ſeptum educavit; & cum annum ætatis duodecimum ageret, in Epirum cum exercitu reduxit, paternumque in regnum reſtituit. Is vero quinquennio poſt, cum regnum pace præſidiiſque ſatis firmatum eſſe crederet, ad Glauciam in Illyricum ſe contulit, ut ejus filii nuptiis intereſſet. At Moloſſi ex abſentia Regis occaſionem nacti, regiis amicis ac Præfectis depulſis, ærario direpto, Pyrrhum a reditu prohibent, qui regno exutus confugit ad Demetrium Poliorcetem Antigoni filium, cui ſoror ejus Deidamia nupſerat, ſub eoque prima rei militaris tyrocinia poſuit; atque in celebri illa pugna, qua victus eſt ad Ipſum in Phrygia cum Antigono patre Demetrius, egregia belliçæ virtutis ſpecimina dedit. Hæc Plutarchus, qui tradit Moloſſos poſt Æacidam itemque Pyrrhum exactos, non Caſſandrum, ſed filios Neoptolemi in regnum revocaſſe. Diodorus autem docet poſt Æacidæ interitum, Alcetam ejus fratrem, facta cum Caſſandro compoſitione, regnaſſe; eumque, poſt regnum admodum breve, ob tyrannidem cum filiis interfectum. Pyrrhus deinde Ptolemæi Lagidæ & uxoris ejus Berenices affinitate & opibus adjutus regnum recuperavit, cujus initium Vellejus lib. 1. affixit ad eum annum, quo Conſules erant Q. Fabius V. & P. Decius Mus IV. eſtque annus ſecundus Olympiadis 121. ante Chriſtianam Epocham 295. Haud multo poſt ab Alexandro Caſſandri filio evocatus in Macedoniam, partem ejus ſibi vindicavit; unde pulſus a Demetrio Poliorceta ſororis ſuæ marito, ſub quo antea ſtipendia fecerat, annos fere tres partim per ſe ſuiſque copiis, partim junctis cum Lyſimacho, Ptolemæo, ac Seleuco viribus bellum geſſit, cujus præmium occupata ſeptem haud amplius menſibus Macedonia fuit, eam anno ante Chriſtum 289. adeptus. Poſt aliquot annos a Tarentinis accitus in Italiam venit, cum Romanis primum proſpere, iterum dubio eventu pugnavit. Per eoſdem annos in Siciliam cum trajeciſſet, cum Carthaginienſibus bellum geſſit. Demum Sicilia Italiaque excedere coactus anno ante Chriſtum 274. in Epirum revertit, cum ſex ipſos annos in Italica Siculaque expeditione conſumpſiſſet. Inde Macedoniam populari cœpit, ac victo Antigono Demetrii filio, rurſum ea regione potitus eſt. Interea Cleonymus Spartanus ægre ferens Arium fratrem ſibi in regni ſucceſſione prælatum eſſe, Pyrrhum excivit in Laconiam, qui oblatam imperii propagandi occaſionem cupide arripuit. Demum ab Ariſtea, cui magnæ erant contentiones cum Ariſtippo, ad opem ferendam Argos accerſitus, fortiter cum hoſtibus dimicans, tegula in eum e tecto dejecta oppreſſus occubuit anno 1. Olympiadis 127. ante Chriſtum 272. Hæc apud Plutarchum, Diodorum, Juſtinum de Pyrrho leguntur, in quo mira fortunæ varietas, ſed major virtus enituit. Tres uxores habuit, inter quas Bircennam Bardylis Illyriorum regis filiam, ex qua genuit Helenum, qui parenti in regnum Epiroticum ſucceſſit.

Pyrrhi res geſtæ in Macedonia, Italia, Sicilia.

Pyrrhi interitus.

Ad Glauciam regem Taulantiorum revertor. Is paullo poſt fœdus cum Caſſandro initum, Apolloniam obſedit, quod hæc civitas fortaſſe Caſſandri præſidio expulſo in priſtinam libertatem ſe vindicaſſet. Sed Acrotatus Spartanus Cleomenis filius, Dux adverſus Agathoclem ab Agrigentinis adſcitus, cum in Siciliam trajiceret, *in Adriam tempeſtate ejectus*, ut ſcribit Diodorus lib. 19. *ad terras Apolloniatarum appulit. Ibi cum urbem a Glaucia Illyriorum rege obſeſſam offendiſſet, obſidionem ſolvit, Rege ad fœdus cum Apolloniatis percutiendum inducto.* Epidamnii quoque a Caſſandro defecerant, qui milites ſuos ac Duces ad urbem utramque recipiendam miſit. Hi porro utriuſque urbis per deditionem potiti, Apolloniæ quidem priſtinam libertatem reſtituunt, Epidamnum vero ſeu Dyrrhachium Glauciæ Illyriorum regi tradunt. Hæc Diodorus refert ad annum 1. Olympiadis 117. ante Chriſtum 312. ex quo intelligi poteſt, duas illas urbes antea liberas, & Glauciæ imperio exemptas fuiſſe. Libertatem Apolloniæ redditam improbaſſe videtur Caſſander, qui poſt pacem cum Alceta Rege Epirotarum factam, *aſſumptâ copiarum parte*, inquit Diodorus, *in Adriam movit, obſeſſurus Apolloniates, quod præſidio illius ejecto cum Illyriis ſe conjunxerant. At nequaquam terrori animos ſubmittunt oppidani; ſed ab aliis ſocietate armorum devinctis auxilia cum accerſiſſent, ante mœnia hoſti aciem opponunt. Pugnaque ad longum tempus conſerta, Apolloniatæ numero militum ſuperiores ad fugam hoſtes adigunt. Caſſander itaque multis ſuorum amiſſis, quod a copiis reliquis non ſatis inſtructus eſſet, & hybernam appetere tempeſtatem videret, in Macedoniam ſe recipit.* Ita Apolloniatæ ſuam libertatem retinuerunt auxiliantibus Illyriis; qui cum Glaucia rege, a fœdere ante biennium icto cum Caſſandro, defecerint neceſſe eſt. Poſt hæc nihil de Regibus rebuſque Illyriorum uſque ad Agronem Pleurati filium apud Scriptores memoriæ proditum invenio; reſque Illyricas annorum circiter ſeptuaginta ingens lacuna abſorbuit.

Glaucias Rex Illyriorum Apolloniam obſidet irrito conatu, & fœdus cum Apolloniatibus jcit.

Epidamnum recipit.

Tria tamen reſtant memoratu digna, quæ ad hiſtoriam Illyricam horum temporum pertinent. Primum eſt, quod Poliænus Stratagem. l. 8. cap. 58. tradit de quadam Regina Illyriorum, cui Cæriæ nomen fuit, quæque vel Bardylis, vel Cliti uxor, vel etiam Glauciæ ſecunda conjux eſſe potuit; nam Glauciæ conjugem fuiſſe, cui nomen erat Beroæ, ſcripſit Juſtinus. Hæc bellicis artibus inſtructa cum eſſet, copias duxiſſe, & cum Cynane Philippi filia & Alexandri Magni ſorore pugnaſſe, & ab hac in prælio victa atque interfecta eſſe dicitur. *Cynane Philippi filia bellica negotia tractabat, exercituſque ducebat, & cum hoſtibus manum conſerebat. Cum Illyriis ſigna conferens, Cæriam eorum reginam in collum inflicto vulnere proſtravit, multoſque Illyriorum fugientes interfecit.* Hoc prælium ad ſuperiores annos, regnumque Philippi referendum cenſeo. Illud etiam Illyricis faſtis inſcribi oportet, conjungique cum anno fere ſigeſimo tertii

Cæria Regina Illyriorum ab Cynane Philippi filia Philippi in prælio cæſa.

tii ante Chriſtum ſæculi, quod refert Pauſanias in Phocic. de duplici Gallorum, ſive Celtarum expeditione. Primo enim Cambaule Duce in Thraciam uſque penetrarunt, cujus populatione & præda inde parta contenti domum redierunt. Secundo diviſus trifariam copiis, alii Thraciam iterum, duce Cerethrio, Pannoniam alii ductu Brenni & Acichorii abierunt, reliquos in Macedoniam & Illyricum Bolgius traduxit. Huic reſiſtere auſi Macedones ingentem cladem acceperunt, occiſo Ptolemæo Cerauno, qui tum in Macedonia rerum potiebatur. Auctor eſt Polybius lib. 2. Reges quatuor Ptolemæum Lagidam, Lyſimachum, Seleucum, & Ptolemæum Ceraunum intra quadriennium 124. Olympiadis extinctos eſſe. Quare Cerauni cædes recte conferri poteſt in annum quartum hujus Olympiadis, quocum apte congruit annus ante Chriſtum 281. Ludovicus Schonlebius par. 2. Annal. Carniol. docet, Gallos illos, qui per hoſce annos in Thraciam, Pannoniam, Macedoniam & Illyricum effuſi, has regiones incurſarunt, genere Senones fuiſſe ex eorum progenie, qui ante annos fere trecentos e Gallia Belloveſo duce profecti in Iſtria, Japydia, & Liburnia conſederant; ſuamque ſententiam tum Pauſaniæ ac veterum auctoritate, tum argumentis ſane idoneis confirmat. Ex his regionibus emigrandi Senonibus cauſam neceſſitatemque attulit, ut idem Schonlebius opinatur, clades a Romanis ante biennium illata Senonibus Italicis, qui oræ maritimæ, quam ab Uſente flumine uſque ad Atheſim incolebant, poſſeſſione depulſi ad Senones populares ſuos, unde olim diſceſſerant, in Japydiam ac Liburniam redierunt. Multitudo advenarum profugorum, quæ cum antiquis incolis utraque illa regione contineri, alique non poterat, Gallos impulit, ut terras illas exonerandi prægravante turba conſilium caperent. Itaque diviſis agminibus alii Thraciam, alii Pannoniam, alii Illyricum & Macedoniam petierunt. Tertium denique, quod itidem ad rem Illyricam pertinet, celebre in primis eſt, & veterum fere omnium ſcriptis commendatum. Ex illo agmine Gallorum, qui biennio ante in Pannoniam irruperant, ex Japydia Liburniaque imperatoribus Brenno & Acichorio profecti, pars digreſſa iiſdem Ducibus in Macedoniam incubuit, quam cum pervaſtaſſet, in Græciam penitus illata, Delphos acceſſit, urbis illius potiundi, & templi Delphici opulentiſſimi diripiendi cupidine ſtimulante. In hanc expeditionem ex Illyriis etiam populos aliquot, ac nominatim Autariatas nomina dediſſe Appianus tradit. Is exercitus, quem Brennus ducebat, conſtaſſe dicitur peditum millibus centum & quinquaginta, equitum viginti millibus & quingentis, quem partim Galli Senones, partim aliæ gentes collectitiæ, ſive Gallicæ, ſive Illyricæ conflaverant. Delphos cum undique arctiſſime obſeſſos tenerent, ac vehementiſſime oppugnarent, repentino terræ motu, rupiſque abſciſſæ ruina plerique opprimuntur, cæteri fulgetris, aliiſque portentis abſterriti fugam capeſſunt, ac Brennus ipſe paullo poſt ex vulneribus moritur. Ea Gallorum calamitas notatur a Pauſania Archonte Anaxicrate, hoc eſt anno 2. Olympiadis 125. ante Chriſtum 279.

Duplex expeditio Gallorum ex Liburnia, & Japydia.

Expeditio Delphica.

Inter hæc Glaucias Rex Taulantiorum diem obiit. Huic liberos fuiſſe tradit Plutarchus. Hi vero utrum in regnum parenti ſucceſſerint, & quamdiu regnaverint, incompertum eſt. Hanc Illyrici partem, quæ ab Drilone ad Ceraunios montes porrigitur, adjunctam reliquo Illyrico fuiſſe in ditione ac poteſtate Agronis Regis Illyriorum, qui anno ante Chriſtum circiter 240. rerum potiebatur, Appianus docet. Eodem illo, quod ſupra dixi, ſeptuaginta annorum intervallo, Clitus deceſſit, qui regnum intra Drilonem apud Illyrios obtinebat. Huic ſubrogatus eſt Pleuratus primus hoc nomine, de quo nihil aliud litteris proditum eſt, niſi filium ei fuiſſe Agronem, qui paternum regnum adeptus ejus fines utrinque in Occaſum & Orientem produxit, & omnium, qui ante ipſum apud Illyrios regnarunt, potentiſſimus fuit.

Glaucia, & Clitus obitus: regnat Pleuratus.

§. VI.

De Agrone, Pineo, Pleurato II. Regibus Illyriorum.

PLeurato igitur rebus humanis exempto, Agron ejuſdem filius ſubrogatus anno ante Chriſtum circiter 240. avitum paternumque regnum Taulantiorum acceſſione auctum accepit, ipſeque finitimis ab Occidente populis ſibi adjunctis amplificavit, & utrinque imperii fines uſque eo protulit, ut ex omnibus, qui ante Agronem aut poſtea regnarunt, nemo unus fuerit, qui cum illo vel urbium ac populorum numero, vel copiis terreſtribus & maritimis conferri poſſit. *Agron Illyriorum rex filius Pleurati*, ait Polybius lib. 2. *copiis terreſtribus & navalibus omnes priores Illyriorum reges longe anteibat*. Regnum Illyricum Clito imperante, ut diximus, in duo regna diviſum fuiſſe accepimus: quæ pars citra Drilonem in Occaſum vergebat, eam Clitus ſibi retinuerat; pars autem reliqua ab Drilone uſque ad montes Acroceraunios inter Meridiem & Solem orientem ſpectans, quam Taulantii potiſſimum incolebant, Glauciæ dominatum ſubierat: ſed poſt Glauciam extinctum utraque pars iterum ſub Agrone in unum regnum coaluit. Et Glaucias quidem liberos habuerat, qui in regnum paternum hæreditario jure ſuccederent, nam Pyrrhus, ut Plutarchus in Vita Pyrrhi ſcripſit, *ad nuptias unius de filiis Glauciæ, inter quos educatus fuerat, peregre eſt profectus*. Sed Glauciæ filiis vel mors immatura vitam ac regnum præripuit, etenim poſt Glauciam, qui regnum in Taulantiis obtinuerit, neminem apud Scriptores invenio; vel ſi parenti ſuperſtites fuerunt, regnum eorum admodum breve fuerit oportet; quippe Appianus tradit in ea regione Agronem dominatum eſſe, & Epidamni etiam, quam urbem, cum libera eſſet, milites Caſſandri, ut ait Diodorus, Glauciæ tradiderant, potitum fuiſſe. *Agron*, inquit Appianus, *partis Illyrici Rex fuit, quæ ad Jonii maris pertinet ſinum, quem Pyrrhus Epirotarum Rex, & qui deinceps Pyrrho ſucceſſerunt, habuere. Is Agron rurſus & Epiri partem aliquam, & Corcyram præterea, & Epidamnum, Pharumque bello capta præſidiis tenuit*. Hinc intelligi poteſt fines Illyrici regni ultra montes Acroceraunios in ipſam Epirum ſub Agrone, vel ante hunc Regem propagatos fuiſſe, cum ejus regno Appianus partem aliquam Epiri adjudicet.

Agrō Rex Illyrior.

Taulantiis & Epidamno potitus cum aliqua Epiri parte.

Ex magnitudine copiarum & imperii, quam Polybius Agroni attribuit, facile exiſtimari poteſt ejuſdem regnum longius ultra Titium in Occidentem propagatum fuiſſe, non ſolum Liburnis & Japydibus, ſed etiam Iſtris & Carnis in jus nomenque Illyricum aut vi, aut deditione compulſis. Megiſerus in Annal. Carinth. lib. 2. & Manzolius in deſcript. Iſtriæ Teutam viduam Agronis, qui poſt obitum conjugis adminiſtrationem ſuſcepit Illyrici regni, vocant Reginam Iſtriæ, quod hæc regio ad imperium Agronis pertineret. Nec vero diſ-

Regni fines uſque in Carnos produxit.

Digitized by Google

Agronis copiæ navales, & maritimus dominatus.

diſsentit Hiſtoricus Dalmata, qui lib. 1. cap. 3. *tempore Regis Agronis & Teutæ Illyrici ex parte Occidentali uſque ad Carnos dilatationem* factam eſse cenſet. Ex navalibus autem copiis, quibus tum abundabant Illyrii, ut Polybius docet, maritimam illorum potentiam conjicias velim; idque confirmat claſſis ex centum ipſis navigiis conflata, quam Rex Agron contra Ætolos Mydioniis ſubſidio miſit. Cum autem in ſua poteſtate haberet omnem oram maritimam ab Carnis uſque ad Epirum (præter brevem ejuſdem tractum, quem obtinebant Iſſei) & urbes omnes mari appoſitas portuſque & navalia ad ædificandas ornandaſque claſses; præterea insulam Phariam bello cepiſſet, ut docet Appianus, cæteraſque fere omnes, ut veriſimile eſt, quæ littori Illyrico objacent; nemo, opinor, negaverit, quin liberam immunemque ab omni portorio ac tributo Adriaticam navigationem obtineret; præſertim poſtquam Epirotici regni parte aliqua potitus, Epirotas omni poſſeſſione ſinus Jonii ſive Adriatici dejecerat, *quem Pyrrhus*, ut ait Appianus, *& qui deinceps Pyrrho ſucceſſerant, habuere*: niſi forte Appianus intelligi velit non Pyrrhum Æacidæ filium, de quo ſupra, ſed Pyrrhum ſeniorem filium Achillis, quem regni Epirotici conditorem fuiſſe perhibent. Ne plenum perfectumque totius maris dominatum ſibi uni vindicaret, obſtabant Iſſei oriundi ex illis Syracuſiis, quorum coloniam Dionyſius ſenior e Sicilia miſſam in Iſſa inſula collocaverat, & urbem ibidem arcemque conditam firmiſſimis propugnaculis ac præſidiis munierat. Hi vero cum ſcientia rei navalis, tum maritimis copiis plurimum pollebant; & cum partem continentis inter Titium & Tilurum ad ſuam ditionem adjunxiſſent, duas ibidem munitiſſimas urbes ab ſe conſtructas Tragurium & Epetium poſſidebant. Itaque Agron, & quæ Agroni in regni adminiſtrationem ſucceſſit Teuta ejuſdem conjux, aſſidue cum Iſſenſibus bellum gerebant, ut illis in poteſtatem redactis omnem oram dominatumque maritimum interverterent, ad ſeque transferrent. Nec vero ſi Polybius centum illa navigia, ex quibus conſtabat claſſis Agronis ad ſubſidium Mydioniis ferendum inſtructa, lembos vocavit, continuo putes eo vocabulo intelligi oportere naviculas quaſdam exiguæ formæ ac magnitudinis, quæ nulli eſſe poſſent uſui in prœliis maritimis: nam ſatis ample & capaces fuerint neceſſe eſt, cum præter remiges cæteramque nauticam turbam in ſingulas centeni homines diſtribui, & imponi potuerint, his quippe navigiis decem millia hominum in Græciam tranſportari Agron juſſerat. Præterea hujuſmodi lembos, quibus Illyrii uti ſolebant, omni bellico inſtrumento ad pugnas navales inſtructos fuiſſe, ex eo intelligi poteſt, quod Romani poſt primum Illyricum bellum pacem Illyriis dederint ſub ea conditione, ne plus duobus lembis, iiſque inermibus, ultra Liſſum enavigarent. Huc accedit, quod non omnes lembi ejuſdem eſſent modi ac magnitudinis, ſed alii fluviatiles, alii maritimi, alii paucioribus, alii pluribus remigibus indigentes, alii ad piraticam faciendam, alii ad certamen maritimum ineundum idonei; & Livius quidem lembis formæ moliſque mediocris eos annumerat, qui ſexdecim remis agerentur, quorum tamen uſum aliquem eſſe poſſe in acie navali non diffitetur. Ego vero ſic exiſtimo Polybium communi lemborum nomine complecti voluiſſe cujuſque generis navigia, ex quibus claſſes maritimæ confici ſolent; idcirco autem id vocabuli uſurpaſſe, quod cum claſſis Illyrica potiſſimum conſtaret navibus Liburnicis, quibus ad hoſtes ſive inſequendos, ſive declinandos nihil eſt velocius, his quædam cum lembis affinitas eſſet ac ſimilitudo, quorum itidem velocitas ad curſum maritimum laudatur.

Cum Iſſeis pro maris imperio decertavit.

Lembi Illyrici navalibus prœliis apti.

Illyrii invenerunt navium Liburnas dictas.

Sed quoniam huc ſermo incidit, eſtque apud Veteres admodum celebre navium Liburnarum genus, de his ut panca dicam, admonet me tum claſſis hæc Illyrica, quam contra Ætolos Agron inſtrui pararique juſſit, tum expeditiones maritimæ Illyriorum, apud quos id genus navium & inventum & uſitatum fuit, tum denique neceſſaria navium hujuſmodi mentio iterum ac ſæpius deinceps facienda. Sed quoniam Guidus Pancirolus earum deſcriptionem ex antiquis Scriptoribus ſumptam intexuit præfationi, quam de rebus bellicis inſcripſit, & ſuis in Notitiam utriuſque imperii commentariis adjecit, ſi eamdem huc tranſtulerim, ſatis me Lectoribus feciſſe arbitror, quos tamen præmonitos volo, ne Zoſimum audiendum putent, qui navium Liburnarum originem & appellationem a Liburna neſcio qua Italica civitate repetendam cenſuit; niſi forte Liburniam Illyricam cum Stephano & Conſtantino Porphyrogenito Italiæ adſcripſerit, propterea quia hæc regio, totaque Dalmatia cum Illyrico Occidentali ad Præfecturam Prætorianam Italiæ pertinebat. Cæterum Appianus, aliique omnes, veteres pariter junioreſque hiſtorici docent, hujuſmodi naves denominatas eſse ab Liburnis Illyriis earum inventoribus & architectis; quarum quidem uſum non ſolum, qui proprie dicti ſunt Liburni, ſed cæteri quoque Illyrici maris accolæ ſibi adſciverunt. Præter Ardiæos, inquit Appianus de Bellis Illyricis, *Liburni navibus plurimum valuiſſe memorantur, alia Illyriorum natio, agendis pradis ex Jonio, atque inſulis famoſa, quæ citis eam in rem navigiis, & inſigni levitate præſtantibus uti ſolebat; eoque factum eſt, ut Romani etiam nunc celeres & expeditas biremes Liburnicas appellent.* Nunc vero quæ Pancirolus e Zoſimo potiſſimum & Vegetio de hiſce navibus ſcripſit, Appiano ſubjiciam: *Poſtremo adjicit velociſſimum Liburnarum genus, quas navibus decem prævalere affirmat Zoſimus; Liburnas, inquit, vocant, ab oppido quodam in Italia ſito nominatas, ubi primum ad eam formam facte fuerunt. Videntur autem non minus veloces eſſe, quam quæ quinquaginta remis aguntur; ſed multum a triremibus ſuperari, quæ longo jam tempore conſiti deſierunt. Hæc ille. Ha prœliis aptiores viſæ, quod bello Actiaco victoriam Auguſto dederint. Vegetius, Auguſto, inquit, dimicante Actiaco bello, cum Liburnarum auxilio præcipue victus eſſet Antonius, experimento tanti certaminis patuit Liburnorum naves cæteris aptiores. Ergo ſimilitudine & nomine uſurpato, earumdem inſtar, claſſem Romani Principes texuerunt. Liburnia vamque Dalmatiæ pars eſt, Andecrinæ (Jadertinæ) ſubjacens civitati, cujus exemplo nunc naves bellicæ fabricantur, & appellantur Liburnæ. Earum vero magnitudinem infra deſcribit; minimæ, inquit, remorum habent ſingulas ordines, majores binos; idoneæ menſuræ ternos vel quaternos, interdum quinos ſortiuntur ordinum gradus. Nec hoc cuiquam enorme videatur, cum in Actiaco bello longe majora referantur concurriſſe navigia, ut ſenorum etiam, & ultra ordinum fuerint.* Neſcio autem, unde Hiſtorico Dalmatæ in mentem venerit, ut fere omnem rei maritimæ uſum ſcientiamque Illyriis adimeret, cum, ſi fides habenda ſit Appiano, non ſolum *Liburni Illyriorum natio navibus plurimum valuerint*, ſed etiam *Ardiæi*, qui oram Illyricam accolebant, *mari imprimis validi eſſent*. Id ipſum vero con-

confirmant naves Liburnæ, quibus Illyrii utebantur, cum forma, tum magnitudine prælii maritimis aptissimæ, quibus potissimum Actiacam victoriam acceptam retulit Augustus, quarumque ad exemplar Romani naves sibi ædificandas esse censuerunt. Hactenus de copiis Illyriorum navalibus ac terrestribus sub imperio Agronis. Nunc ad ipsum Agronem revertamur.

Agron priores hiog.

Agron in matrimonium habuit Triteutam, ex qua genuit Pineum regni hæredem. Triteutæ propter offensiones nescio quas interpositas nuncio remisso, Teutam alteram uxorem duxit, ex qua cum nullos liberos suscepisset, moriens eidem & filii tutelam, & regni administrationem commisit. Demetrius Rex Macedonum Antigoni Gonatæ filius, qui parenti successit anno ante Christum 242. Agronem ingenti pecuniarum summa pellectum impulit, ut auxilia ferret Mydoniis, quos acerrimo bello Ætoli premebant, eorumque urbe obsessa, ac vehementissime oppugnata, in extremum libertatis, patriæque amittendæ discrimen adduxerant. Itaque Agron eam, quam supra diximus, centum lemborum classem instruxit, in eamque decem millia Illyriorum imposuit, qui in Græciam transvecti cum essent, exscensione in terram e navibus facta, Ætolos primo impetu disjectos in fugam avertunt, quos Mydonii ex urbe erumpentes insequuntur, cæduntque ad satietatem. Illyrii parta tam insigni incruentaque victoria, & gloria pariter hostiumque spoliis onusti ad Agronem redeunt; qui eo successu mirifice lætus, & opulentissima cujusque generis præda potitus, totum se voluptatibus & commessationibus tradidit; & vino epulisque intemperantius indulgens morbum lethalem contraxit, quo paucis post diebus extinctus est. Rem totam ex Polybio lib. 2. cognoscere lectoribus gratius jucundiusque fore arbitror. *Agron Illyriorum rex, filius Pleurati copiis & terrestribus & navalibus omnes priores Illyrici Reges longe antebat. Hic Demetrio Philippi patri pecunias largienti recoperat, se Mydoniis, quos Ætoli obsederant, opem laturum; nam Ætoli, quod impetrare ab Mydoniis non poterant, ut Reipublicæ suæ se adjungerent, vi eos expugnare aggressi. Itaque ex universa gente Ætolorum coacto exercitu, positis circa urbem illorum castris, sine intermissione ulla omni conatu machinis etiam adhibitis oppugnationem urgebant. Interea loci adveniunt nocte ad Mydoniam lembi centum, in quibus erant Illyriorum decem millia. Hi ut ad portum appulerunt, illucescente jam die, aciem more suo instruunt, & per cohortes divisi, ad Ætolorum castra ire pergunt. Illyrii primo statim impetu, quod & numero superabant, & conferti pugnabant, velites statione proturbant, equites bis adjunctos ad gravem armaturam se recipere coguntur: deinde ex superiore loco positam in campo aciem invadentes, facile in fugam eos vertunt. Trucidarunt multos, plures vivos ceperunt; armis & impedimentis omnibus sunt potiti. Ita Illyrii, peracto quod mandatum a Rege fuerat, supellectili, ceteraque omni præda lembis imposita, confestim naves solvunt, & patriam suam repetunt. Rex Agron, postea quam lembi rediissent, eique omnia Duces narrassent, quæ in pugna acciderant, incredibili exultans gaudio, quod Ætolos gentem ferocissimam vicissent, ebrietati, & id genus liberalioribus epulis indulgens in pleuritim incidit, quæ post dies paucos ipsum sustulit. Regnum Teuta uxor suscepit.*

Agron Mydoniis auxilia mittit eos ex Ætolis

Et parta victoria moritur;

Hanc Illyricam expeditionem victoriamq; conjungi posse censeo cum anno ante Christum 232, quo quidem anno mortuus est Demetrius Rex Macedoniæ, relicto filio impubere Philippo, cui tutor datus est Antigonus ejusdem patruelis; anno vero eodem, vel insequenti Agron e vita discessit. Sed Agrone adhuc regnante, eoque jubente Issæos ab Illyriis vexari, & injuriis affici cœptos esse, quamvis Polybius non referat, Dion tamen, itemque Appianus affirmant. Cum Agron a Venetis usque ad Epirum imperii fines protulisset, ac totam propemodum oram maritimam cum plerisque insulis possideret, uni obstabant Issenses, quominus totius etiam maris dominatu, insulisque omnibus, totoque Illyrico potiretur. Eo igitur cogitationes omnes viresque intendere decreverat, ut Issam insulam, & quidquid ad ditionem Issensium pertinebat, in suam potestatem redigeret. Quo circa Illyrii crebris in eam insulam incursionibus faciendis, agris depopulandis, Issensium navibus diripiendis, numquam illos ab incommodo & periculo, metuque vacuos esse ac tutos sinebant. Cum ergo Illyrii a maleficiis inferendis non desisterent, Issenses numero, & viribus impares, rebusque suis diffidentes, ad Romanos auxilii petendi causa confugiunt. Nam Issenses post interitum utriusque Dionysii ita se in libertatem exemerant, ut tamen non omnino discesserint ab societate & amicitia Siculorum, unde oriundi erant, profectique missu Dionysii senioris ad eam insulam occupandam, fuisque præsidiis obtinendam; & eorum, qui deinceps in Sicilia regnarunt, vel tributarii & vectigales erant, vel certe socii, atque amici. Cum autem Romani anno ante Christum 264. trajectis in Siciliam copiis, ut Mamertinis adversus Hieronem Regem auxilio essent, Pœnos expulissent, & Hieroni acie victo pacem dedissent, tota illa insula se ad fidem amicitiamque Populi Romani adjunxit. Siculorum auctoritate & exemplo Issei etiam se in societatem clientelamque populi Romani contulerant. Nec vero Romanis officium, quod bonos socios & amicos decet, ab Issensibus defuit. Anno enim quarto primi belli Punici, qui fuit ante Christum 261. cum Romani primum rem nauticam attigerunt, & classem adornarunt, in ea naves rostratas Liburnicas fuisse auctor est Eutropius; quas quidem credibile est eisdem ab Issensibus socils auxilio missas esse; neque enim Romani aliunde hujusmodi naves comparare poterant, quibus nihil ad eam diem seu belli seu commercii cum Illyriis aut Liburnis fuerat, nequidem naves ullas ab Romanis in mare superum immissas fuisse constat. His vero navibus potissimum anno insequenti maritimo prælio cum Pœnis decertarunt Consule ac Duce Duillio, egregiamque ac primam navalem victoriam retulerunt. *Quinto anno belli Punici*, ait Eutropius lib. 2. *quod contra Afros gerebatur, primum Romani C. Duillio & Cn. Cornelio Asina Coss. in mari dimicaverunt paratis navibus rostratis, quas Liburnas vocant. . . . Duillius commisso prælio Carthaginiensium Ducem vicit*, XXXI. *naves cepit*, XIV. *demersit*, VII. *millia hominum cepit*, III. *millia occidit; neque ulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra, jam etiam mari plurimum possent.*

Issenses Romanis contra Agronem auxilium petunt.

Issenses ergo freti atque confisi amicitia ac societate, quam multis ante annis cum Senatu Populoque Romano unxerant, Romam legatos miserunt, qui opem adversus Illyrios & Agronem postularent. Romani oblatam de sociis bene merendi occasionem haud prætermittendam putarunt, & legatos decreverunt, qui Agroni denunciarent, ut omnem deinjuriam ab rebus fortunisque Issensium abstineret. Interea temporis Agron demoritur, anno ante Christum 232. & cum Pineus unicus

Illyrii vexant Issenses, qui eos

cus ejus ex priore conjuge filius nondum maturus imperio esset, Teuta privigni tutelam cum regni administratione suscepit. Hæc autem, ut erat fœmina superba atque imperiosa, non solum Isseos divexare non destitit, sed præterea suis Illyriis, ac præsertim Ardiæis piraticæ exercendæ potestatem fecit, & classem instrui jussit, qua Illyrii in Peloponnesum delati primum Eleos, tum Messenios invadunt, eorumque agros depopulati ingenti præda potiuntur; postea in Epirum irruptione facta, Phœnicem urbem opulentissimam obsident, capiunt, diripiunt, Gallorum proditione, quos Epirotæ ad præsidium urbis mercede conduxerant. Ad hæc terrestres copias contraxerat, quinque millibus Illyriorum conscriptis, quibus ducem præfecerat Scherdilaidam, jusseratque per Antigoniæ fauces in Epirum irrumpere. Quare Epirotæ exercitum in duas partes distrahere coacti, alii contra Scherdilaidam missi, qui eum regionis aditu ingressuque prohiberent; alii prope Phœnicem remanere jussi cum essent, hos Illyrii ex urbe erumpentes de improviso adorti magna clade afficiunt. Ætoli & Achæi Epirotis auxilio cum venissent, Illyrii, qui Phœnicem occupaverant, veriti, ne auctis hostium copiis opprimerentur, cum exercitu Scherdilaidæ, qui superatis angustiis Antigoniæ in Epirum perruperat, se conjungunt. Sed cum ineundi prælii mira cupiditate flagrarent, ab Teuta revocantur ad turbas domesticas sedandas; quippe pars Illyriorum ad Dardanos defecerat. Itaque pactis induciis cum Epirotis, qui deinde cum Acarnanibus per legatos ad Teutam missos fœdus cum ea societatemque inierunt, domum opulentissimis hostium spoliis, & cujusvis generis præda onusti revertuntur. Hæc Polybius, qui Peloponnesiacam & Epiroticam Illyriorum expeditionem cum anno ante Christum 230. colligandam his verbis lib. 2. descripsit. *Regnum Teuta uxor suscepit, fide amicorum in rerum administratione utens. Hæc more ingenii muliebris, cum nihil nisi præteritam victoriam ob oculos haberet, de externis nihil quidquam cogitaret, suis primum concessit, ut singuli quoscumque haberent obvios inter navigandum, depraedarentur: deinde parata classe exercitum priore non minorem emittit, facta Ducibus potestate, ut pro hostibus populos omnes haberent. Prima expeditio in Eleorum & Messeniorum fines suscepta est, perpetuis Illyriorum incursionibus obnoxios: quoniam enim in longum ora illa porrecta jacet, longeque inde in mediterranea urbes sunt submotæ, penes quas est imperium: & parva nimis, & ad breve tempus subsidia erant, quæ urbs illæ Eleis ac Messeniis adversus Illyriorum excensiones submittebant, ut facile his esset sine metu istas regiones incursare ac devastare: tunc vero ad Phœnicen Epiri oppidum usque provecti, paratæ annonæ gratia in portum applicant: ubi colloquio super proditionem urbis cum Gallis habito, qui Epirotarum ære merebant, & Phœnice circiter octingenti degebant; cum eam ad rem operam suam Galli pollicerentur, mox expositis copiis oppidum, & omnia, quæ in eo erant, capiunt, Gallis intra muros conatus ipsorum adjuvantibus. Hoc accepto nuncio Epirotæ extemplo ad ferendam opem omnes accurrunt; . . . . deinde certiores facti adventare Scherdilaidam cum quinque Illyriorum millibus itinere terrestri per fauces ad Antigoniam; parte exercitus sui ad custodiendam Antigoniam missa, ipsi interea negligentius agere, commeatibus, quos large regio subministrabat, perfrui, stationes ac vigilias contemptim obire. Illyrii de copiarum divisione moniti, & eorum negligentia, noctu profecti, munitum locum occupant; & per reliquum noctis ibi subsistunt. Prima luce utrique ante urbem instructa acie certamen ineunt. Victis Epirotis multi eorum desiderati sunt, plures capti; reliqui versus Atintanes fugam capessunt. Tam adversam experti fortunam Epirotæ, omnique salutis spe amissa, legatos ad Ætolos & Achæorum gentes mittunt, auxilium petentes, qui non multo post Helicranum veniunt. Eo & Illyrii, qui Phœnicen occupaverant, una cum Scherdilaida se conferunt, nec longe a copiis auxiliaribus metantur castra, cupientes initio dimicare; sed difficultas locorum impediebat. Simul allatæ sunt a Regina litteræ, quibus domum quantocius redire, quod pars Illyriorum ad Dardanos defecisset, imperabat. Ita Epirum populati inducias cum Epirotis faciunt, per quas quidquid liberorum hominum in potestate habebant, cum ipsa urbe, pretio accepto, eis restituunt; postquam mancipia, & supellectilem omnem lembis suis imposuissent, cæteris navigantibus, Scherdilaidas per Antigoniæ fauces pedibus remeavit. Magnum ea res maritimis Græcorum urbibus terrorem attulit; nam qui cernerent munitissimam & potentissimam Epiri urbem ita præter omnium opinionem in captivitatem incidisse, sibi quique metuebant, non jam ut antea de agrorum copiis solliciti, verum de propria sua & urbium suarum salute. Epirotæ hoc periculo mirabiliter liberati, tantum ab eo abfuerunt, ut vel calamitatis suæ auctores ultum irent, vel iis, qui auxilio fuerant, gratiam referrent, ut contra legatione ad Teutam missa societatem cum Illyriis & ipsi & Acarnanes inirent; neque ab eo tempore postea destiterunt, horum partem amplexi, Achæis & Ætolis adversari.*

Illyriorum expeditiones contra Græcos & Epirotas, & victoriæ.

Illyriis in fidem receptis, qui ab imperio desciverant, compositisque domesticis tumultibus, Teuta cum alias suopte ingenio ferox, tum propter recentes victorias spe atque animo inflata, postquam ex hostili longinqua præda, equis, armis, pecunia regnum locupletasset, proximam insulam Issensium, ut ad suam ditionem adjiceret, omni ope operaque sibi enitendum censuit. Itaque parata classe, conscriptoque exercitu, jussit Duces suos urbem illorum obsidere; neque ab ejusdem oppugnatione antea desistere, quam aut per vim capta, aut ad deditionem compulsa, in Illyriorum potestatem veniret. Inter hæc Illyrii, piraticis lembis mare infestum reddere cœperant mercatoribus Italis, qui de injuriis damnisque sibi per Illyrios illatis Romam expostulatum venerunt. Itaque Senatus cum horum, tum Issensium querimoniis permotus legatos, quos ad Agronem decreverat, Illyricam profectionem maturare jussit. Erant hi Cajus & Lucius Coruncani, quibus se adjunxerat Cleemporus legatus Issæorum. In Illyricum ubi appulissent, & Agronem, contra quam putaverant, mortuum reperissent, Teutam conveniunt, eique nomine Senatus Populique Romani denunciant, ut suas copias ab obsidione Issensium abducat, neve imposterum committat, ut de injuriis Illyricorum piratarum mercatores Italici conquesti possent. Ibi vero impotens mulier stomacho & iracundia exarsit; res enim secundæ tantos illi spiritus, tantamque arrogantiam attulerant, ut non solum Romanorum postulata contempserit, sed violato jure gentium, ne ab ipsis quidem legatis vim abstinuerit. Hæc prima offensionum ac discordiarum semina, unde alia ex aliis bella numquam pullulare desierunt, quoad totum Illyricum sub populi Romani imperium ditionemque cecidit; hinc primum Romanos inter Illyriosque bellum exortum; tum primo classis Romana Adriaticum

Illyrii Issam obsident.

Legatio Romanorum ad Teutam.

ricum trajecit. Hæc Polybius, Dion, Appianus, quorum verba cum capite proximo deſcribenda ſint, nunc referre ſupersedeo.

Illyrii Corcyram obſident, & navali victoria adepti per deditionem capiunt.

Teuta vero ignara quantam ſibi ac regno calamitatem Romanis lacesſendis arceſſiviſſet, tantum abfuit, ut pro illatis injuriis ſatisfaciendum cenſeret, ut acrius etiam Iſſenſium oppugnationem urgeri jusſerit, & majorem, quam antea, claſſem ornaverit, quam in Græciam tranſmitteret. Itaque vere jam appetente anno ante Chriſtum 329. Illyrii claſſe egregie inſtructa ornataque cum ex Illyrico ſolviſſent, alii ad Corcyram inſulam, alii Dyrrhachium appulerunt, ut Corcyrenſes & Dyrrhachinos vi atque armis in deditionem Illyriorum redire cogerent; utrique enim ab Teuta defecerint oportet, cum antea ſub imperio Agronis eos fuiſſe Appianus affirmet. Et Corcyrenſes quidem cum ſe arcta obſidione premi, neque ad eam diutius ſuſtinendam ſatis virium & copiarum ſibi eſſe cernerent, ab Ætolis & Achæis auxilium petunt. Sed Achæos ſubſidio Corcyrenſibus venientes Illyrii, quibus Acarnanes ex fœdere ſeptem cataphractas naves ſubmiſerant, navali prælio victos in fugam vertunt. Quare Corcyræi animis debilitati, ſpeque omni deſtituta, Illyriis ſe dedunt, qui præſidio impoſito urbem tuendam tradunt Demetrio, cui ab inſula Pharia ejus patria Phario cognomen fuit. Rem totam fuſius, & accuratius expoſuit Polybius, quam Dion & Applanus ſummatim narrant. *At Regina*, inquit Polybius lib. 2. *adveniente vere, longe plures, quam antea lembos in Græciam mittit. Eorum pars Corcyram navigat, alii Dyrrhachienſem portum petunt; & dum ſe aquæ & commeatus gratia eo proficiſci ſimulant, conſilium capiendæ urbis ineunt. Dyrrhachienſes ſecuri, & nihil prorſus ſuſpicantes, intrare urbem inermes permittunt, aquæ & commeatus gratia venire eos rati. At illi ubi ſeſe in urbem admiſſos cernunt, nudatis, quos in aquariis urceis abſconditos geſtaverant, gladiis cuſtodes portæ obtruncant, porta potiuntur; hinc ex compoſito irruentibus a littore reliquis, magnam mœnium partem occupant. Cives etſi tali ac repentino caſu nonnihil perterriti fuere, acriter tamen ac forti animo propugnantes diu reſtiterunt; tandemque Illyrii excedere coacti. Ita qui per negligentiam in periculo fuerant & urbem ac patrios lares amittendi, per fortitudinem nihil mali perpeſſi, prudentius in poſterum rebus ſuis conſuluere. Duces Illyriorum ſolutis extemplo navibus in altum profecti, & cum iis, quos navigare Corcyram diximus, conjuncti, omnes ſimul maturato itinere obſidere urbem aggrediuntur. Corcyrenſes inſperato malo circumventi, nec ſuis freti viribus, legatos ad Achæos atque Ætolos mittunt: præterea ex Apollonia & Dyrrhachio petunt ſubſidia, rogantque, ne expelli ſe per ſcelus natali ſolo a Barbaris patiantur. Ii caſum Corcyrenſium miſerati, decem Achæorum cataphractas naves muniunt, ac paucis interjectis diebus Corcyram navigant, ſperantes ſeſe primo adventu obſidionem Barbarorum ſoluturos. At Illyrii ſeptem cataphractis navibus ab Acarnanibus, cum quibus ſocietatem inierant, acceptis, Achæis obviam proceſſerunt; nec longe ab inſulis, quas Paxes appellant, eos nacti ineunt prælium. Acarnanes, & naves Achæorum, quæ adverſus eos pugnabant, æquales erant in certamine, atque integræ in congreſſibus permanebant, præterquam quod viri ex illis pugnantes vulnerabantur. Illyrii vero quaternis ſimul lembis connexis naves hoſtium implicabant, & undique circumdatas impediebant. Hinc in eas cum impetu proſilientes facile ob multitudinem ſuperabant. Per hunc modum quatuor Achæorum quadriremes ab Illyriis captæ, quinqueremis una ſubmerſa cum omnibus, qui intus erant: inter quos fuit Marcus Caryneus, vir maximæ apud Achæos auctoritatis, & quamdiu vixit, omni officio erga patriam functus. Verum qui contra Acarnanes pugnabant, ſimul ac Illyriorum victoriam proſpexere, freti celeritate navium, verterunt terga, & omiſſo prælio domum incolumes remigrarunt. Illyriorum multitudo hac victoria elata, facilius atque audacius ſolito urbem obſidebat. Corcyrenſes jam omni ſpe deſtituti, tolerata aliquamdiu obſidione, ad extremum Illyriis ſe dederunt, præſidiumque eorum, & ducem præſidii Demetrium Pharium intra urbem accepere. His rebus geſtis, Illyriorum Duces iterato Dyrrhachium reverſi urbem obſedere.*

Claſſis Romana contra Illyrios Corcyræ, & Pharia per prælii ſignum potitur.

Interea Romani ſuas & ſociorum injurias bello terra marique perſequi decreverant. Cn. Fulvius Centumalus Conſ. anno ante Chriſtum 229. cum claſſe ducentarum navium in Corcyram inſulam trajecit; nec multo poſt alter Conſul L. Poſthumius Albinus viginti millia peditum, & duo millia equitum cum in naves impoſuiſſet, Brunduſio ſolvit. Vix Fulvius claſſem Corcyræ admoverat, cum in urbem atque arcem magna civium voluntate admiſſus eſt, utramque prodente Demetrio Phario; cum enim ſibi a Teuta timeret, apud quam in ſuſpicionem crimenque vocatus fuerat, ad Romanos ſibi tranſeundum eſſe cenſuit. Is præterea Phariam patriam ſuam, cujus Præfecturam a Teuta acceperat, Romanis, Appiano auctore, itidem per proditionem tradidit. Sub eam Corcyrenſium deditionem Poſthumius advenit. Uterque Conſulum copiis conjunctis Corcyra cum ſolviſſent, in Illyricum trajiciunt. Et Apollonia in deditionem accepta, cum Dyrrhachium contenderent, Illyrii adventu Romanorum cognito, relicta urbis obſidione, fugam capeſſunt. Deinde belli totius moles in Ardiæos gentem Illyricam terra marique imprimis validam incubuit. His perdomitis Legati a Parthinis & Atintanis populis item Illyricis ad Conſules miſſi, qui ſe ſuaque omnia in fidem Romanorum committerent. Tum demum ad Iſſam inſulam, cujus potiſſimum cauſa hoc bellum Romani ſuſceperant, traductus eſt exercitus, qui cum oram illam præterveheretur, aliquot Illyriorum oppida aut vi cepit, aut ad deditionem compulit. Vix Romani ad inſulam propius acceſſerant, cum Illyrii caſtris ad urbem poſitis excedunt, feſtinanteſque in naves ad fugam paratas inſiliunt, properantque quam poſſunt citiſſime in oram adverſam trajicere, amiſſis viginti lembis, qui cum omni præda commeatuque in hoſtium poteſtatem venerunt. Teuta his malis fracta, & graviorum impendentium metu conſternata, Rhizonem in urbem munitiſſimam remotam a mari ſe recepit. Conſules re Illyrica bene geſta, ut Demetrio Phario, qui Teuta incolumi ad Romanos defecerat, gratiam referrent, ſua eum patria, ideſt inſula & urbe Pharia, & Illyrici regni parte non exigua donarunt. Inde cum exercitu Dyrrhachium reverſi, Fulvius quidem pleraſque terreſtres & navales copias Romam revexit, Poſthumius vero retentis quadraginta navibus, & novo ex captis vel deditis urbibus delectu habito, apud Dyrrhachium ſtativa poſuit, ut Illyrios in officio & metu contineret. Anno proximo, qui fuit ante Chriſtum 228 vere ineunte Legati ab Teuta de pace poſtulanda Romam veniunt. Pax ita convenit, ut Teuta certos intra fines regnaret, atque annuum vectigal Romanis perſolveret; neve ultra Liſsum amplius duos lembos, eoſque ab armis omnique bellico inſtrumento

Romani Apolloniam capiunt, Dyrrhachium, & Iſſam obſidione liberant.

Teuta pace cum Romanis pacit imperatque

to vacuos atque nudos emitteret. Hæc omnia ex Polybio, Dione, & Appiano, ex quibus hujus belli descriptionem conferemus in proximum caput, ubi de bellis Illyricis Romanorum.

Illyricum quadripartito divisum.

Tum vero quadrifariam divisum est Illyricum, & partim Teutæ relictum, partim Demetrio traditum, partim vero in potestatem Romanorum, partim incolumi & salva libertate in eorumdem amicitiam concessit. Igitur Romani ut Corcyrenses, sic etiam Apolloniates, auctore Appiano, immunes ac liberos esse jusserunt; quibus addas licet Dyrrhachinos, & multò magis Issenses, pro quorum tuenda libertate Romani potissimum id belli susceperant. Hi omnes in fœdus societatemque Romanorum adscripti. Parthini & Atintani, Illyrici populi inter Drilonem ac montes Ceraunios, hi mediterranei, illi maritimi, qui rebus Illyricis jam fractis ac debilitatis ultro se Romanis dederunt, haud dubium est, quin sub Romanorum imperio manserint cum altis locis, quæ Consules ceperant, quorum nullum nominat Polybius præter Nutriam ignotæ positionis oppidum, quo in oppugnando, *non solum multos milites*, ait Polybius, *sed etiam Tribunorum aliquos & quæstorem ipsum amiserunt*. Quæ verò pars Illyrici Teutæ, quæve Demetrio obtigerit, mihi compertum non est. Historicus Dalmata existimat præter insulam Phariam, Demetrio partem illam Illyrici attributam esse, quæ Driloni & Ceraunïis montibus interjacet; id quod mihi sane non sit verisimile. Nam præterquam quod Parthini & Atintani ad Romanos pertinebant, & Dyrrhachium & Apolloniam ejus regionis urbes præcipuas ac nobilissimas alieno dominatu exemptas ac liberas esse Romani decreverant; Demetrius quoque ea lege tenebatur, ut ex Polybio colligitur, qua cautum erat, ne Illyrii ultra Lissum oppidum ad Drilonis ostia situm, *pluribus quam duobus lembis, iisque inermibus navigarent*, ut idem Polybius docet; quam quidem legem cum Demetrius violasset, alterum in se ab Romanis bellum concitavit. Si autem Demetrius ultra Lissum usque ad Ceraunios regnum ab Romanis concessum obtinuerat, non erat consentaneum hanc illi legem imponere, qua vetaretur e suis portubus emittere tot lembos armatos, quot necessarios esse duceret ad maritimam oram suæ ditionis Lisso & Ceraunïis interjectam tuendam, & hostium navigia arcenda, si qua forte vel illuc accederent, vel illac præterirent. Itaque ut Teutam, sic Demetrium intra Drilonem regnare jussum fuisse censeo; ac præter Phariam, quæ urbes, quæve gentes Illyricæ Demetrio traditæ sint, cum nemo Veterum commemoret, hoc quoque inter cætera vetustate incomperta in incerto relinquamus licet. Teuta vero, si Dionem in fragm. audimus, regno spoliata est, totoque Illyrico excessit: *tota*, inquit, *formidine percussa regno cessit*. Polybius non regnum illi quidem omnino ademptum, sed finibus admodum exiguis circumscriptum fuisse affirmat; siquidem tradit pacem Teutæ sub hac etiam conditione datam esse, *ut paucissimis quibusdam locis exceptis omni Illyrico excederet*. Appianus autem videtur in ea opinione fuisse, ut prope integrum regnum Agronis Pineo hujus filio, ac propterea etiam Teutæ, cujus in tutela erat, relictum esse putaverit. *Pineus autem cæterum Agronis imperium retineret, atque amicus Romanis esset, si se ab superioribus injuriis abstineret*. Ego vero sic existimo Teutæ ac Pineo citra Titium relictos esse Carnos, Istros, Japydes, ac Liburnos, quos sub imperio Agronis fuisse diximus, & aliquas præterea urbes ultra Titium; idcirco autem a Polybio dicitur, regnum Illyricum Teutæ contractum esse, & paucis locis definitum, quod is exemplo aliorum Scriptorum Istros, Japydes, & Liburnos ab Illyriis distinxit; ex quo fit, ut regio cætera inter Titium & Drilonem magna ex parte sub imperium Demetrii concesserit præter oppida quædam, præsertim maritima, quæ Romani in sua potestate retinuerunt.

Quæ pars Illyrici Teutæ, ac Pineo relicta.

Quæ pars Illyrici Demetrio obtigerit.

Haud multis seu mensibus, sive annis post pacem cum Romanis compositam, Teuta diem obiit. Demetrius vero, ut Dion scripsit, Triteutam priorem Agronis conjugem, & Pinei matrem in matrimonium duxit, simulque Pinei tutelam suscepit. Ac primum quidem Romanorum amicitiam diligenter coluit, curavitque sedulo, ne aut fœderis leges ab illis præscriptas violaret, aut beneficiis, quæ ab illis acceperat, se ingratum præberet. Sed cum neque diteſcere ex piraticis maritimisque excursionibus, quibus illi interdictum fuerat, neque prædas agere posset e propinquis populis, quibus fœdere illo cautum erat, opum augendarum, ditionisque amplificandæ cupiditatem alio vertit. Antigonus cognomento Δώσων, hoc est *Largiturus*, quod plura promitteret, quem largiretur, qui pro Philippo Demetrii filio impubere regnum Macedoniæ curabat jam inde ab anno ante Christum 232. adversus Cleomenem regem Lacedæmoniorum belli societatem cum Achæis, Epirotis, Phocensibus, Bœotiis, Arcadibus, ac Thessalis coierat anno ante Christum 223. Huic fœderi, unde aliquid commodi se percipere posse sperabat, Demetrius Pharius adscribi voluit, & mille, ut Polybius tradit, sexcentosque Illyrios ad bellum Cleomenicum duxit. Pugnatum est anno ante Christianam epocham 222. apud Selasiam Laconiæ urbem, constitutis in acie prima Illyriis, qui signo dato, ut idem Polybius refert, initium certaminis facerent. Cleomenes victus, & fuga elapsus e prælio ad Ptolemæum Evergetem transfretavit in Ægyptum, vacuam propugnatoribus Antigono relinquens Spartam, urbem principem Lacedæmonum, quam ille adiens libertatem ei ac pristina jura restituit. Ita finis impositus est bello Cleomenico, cum ingens multitudo Illyriorum, quos vel Parthinos, vel Atintanes Demetrii imperio exemptos, & Macedonibus finitimos fuisse arbitror, populabunda in Macedoniam effusa undique hominum pecudumque prædas abigere cœpit. Id cum nunciatum esset Antigono, quam celerrime potuit, in Macedoniam contendit, *ubi cum vagantes offendissent Illyrios*, ut Polybius scripsit, *instructis utrinque aciebus, eos adortus post longum certamen superavit. Verum tantis inter pugnandum clamoribus usus est, ut profluvio sanguinis paucos post dies interierit*. Exinde Philippus Demetrii filius, & Antigoni Gonatæ nepos in Macedonia regnavit.

Teuta moritur. Demetrius inter Illyrios.

Cum Antigono adversus Cleomenem fœdus icit.

Demetrius Pharius ab expeditione Cleomenica reversus, latius regnandi cupidine stimulante, res novas moliri cœpit, & quam superioribus annis Teutæ fidem fregerat, eamdem haud diutius, quam metus eum in officio continuit, cum Romanis servavit. Etenim cum Romani bello Celtico circa Padum distinerentur, quod triennium tenuit, graviorque iisdem belli moles ab Hannibale & Carthaginiensibus immineret, nihil sibi ab illis metuendum ratus, & præterea fretus amicitia ac potentia Macedonum, quos suis ad bellum Cleomenicum collatis auxiliis juvisset, latius imperandi libidini jura omnia posthabuit. Primum igitur maritimis latrociniis navigationem infestam habere cœpit, Istris quoque in piraticam societatem

Demetrius contra leges fœderis Romanos mare infestat, & socias Romanorum urbes capit.

Digitized by Google

adſcitis, & quinquaginta lembis armatis ultra Liſſum provectus, contra quam inter Romanos & Illyrios convenerat, Græcorum oras inſulaſque depopulando, in Ægæum mare, Cycladaſque ipſas hoſtiliter incurſionem fecit; deinde ditionis Romanæ agros vaſtavit, urbes etiam aliquot in poteſtatem redegit, demum Atintanibus auctor fuit, ut ab imperio populi Romani deſciſcerent. De Iſtrorum latrociniis, Demetriique defectione Romam cum eſſet allatum, primum quidem Iſtros

Iſtri perdomiti.

comprimendos eſſe Romani cenſuerunt. Immiſſis itaque contra illos navalibus copiis facili negotio devicti ſunt, eorum piraticis lembis partim captis, partim demerſis. *Iſtri prædones Romanarum navium perdomiti*. Auctor Epitomes Livianæ xx. *Iſtris bellum illatum eſt, quia latrocinati naves Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant, perdomitique ſunt omnes*. Eutropius lib. 3. qui expeditionem Iſtricam refert ad Conſulatum M. Minutii & P. Cornelii, quocum cohæret annus ante Chriſtum 221. Iſtros autem auctore Demetrio ad diripiendas onerarias Romanorum impulſos fuiſſe Appianus docet. Deinde cum ſecundum bellum Punicum jam inſtaret, ne aliis bellis implicari, vireſque diſtrahere cogerentur, Romani cum Demetrio lenius, quam aſperius agendum putabant, eumque gravi admonitione & reprehenſione adhibita, ad fidem atque officium revocari poſſe cenſuerunt; *qui cum minime pareret*, ait Dion, *ſed ſocios populi Romani infeſtare non deſineret, contra eum copias duxerunt*. Ita ſecundum adverſus Illyrios bellum Romanum Demetrii temeritate ac perfidia contractum eſt.

Secundum bellum Illyricum contra Demetrium.

L. Æmilius Conſul anno ante Chriſtum 219. cum exercitu in Illyricum trajecit, & Dimalum urbem Demetrii munitiſſimam adortus, ſeptimo, quam oppugnare cœperat, die expugnavit. Ea potitus cum eſſet, ex omnibus Illyrici gentibus atque urbibus Legati veniam pacemque orantes ad Conſulem venerunt, qui in amicitiam gratiamque populi Romani illis receptis, in eas leges ſingulis pacem dedit, quæ cujuſque vel meritum, vel culpam decebant. Tum in naves impoſitum exercitum ad Phariam inſulam traduxit, quo ſe receperat Demetrius, urbemque illam commeatu ac præſidio diligentiſſime munierat. Nocte intempeſta ad littus devium ſecretumque ab hominum frequentia oculiſque claſſem applicuit; ibi partem militum in terram expoſuit, quos abdere ſe in ſylvam urbi proximam juſſit, & ſigno dato impetum in hoſtes facere. Ipſe autem cum reliquis navibus copiiſque, omni prærupto obſtaculo, luce palam portum invehitur: quod conſpicati cum eſſent Illyrii, confertis agminibus ex urbe erumpunt, ut Romanos exſcenſu prohibeant; ibi atrox certamen exoritur. Buccinarum ſonitu, & pugnantium clamoribus admoniti, qui ſe in ſylvam condiderant, univerſi proſiliunt, & collem medium urbem inter portumque, natura munitiſſimum cum occupaſſent, Illyriis in urbem reditum intercludunt, coſque ex edito loco omni telorum genere inceſſentes, ab conatu Romanos littore arcendi univerſos contra ſe avertunt, & collem jam ſubeuntes inſtructa acie aggrediuntur. Ex quo factum eſt, ut reliquas copias, quæ ad littus acceſſerant, Conſul nemine prohibente in terram educeret; hæ autem Illyrios impetum eorum, qui collem occupaverant, a fronte vix ægreque ſuſtinentes, a tergo invadunt. Ita Illyrii, cum utrinque premerentur, quamvis diu acriterque repugnaſſent, ad internecionem cæſi, paucis e prælio elapſis, quibus vel fuga in loca invia ac deſerta, vel regreſſus in urbem patuit.

Illyrii victi; Demetrius fuga elapſus; Pharia everſa.

Demetrius autem ad mare celeri & clandeſtina fuga delatus, unumque nactus ex illis lembis, quos, ſi quid adverſi accideret, tribus in locis paratos ſtare juſſerat, perfugio ſibi futuros, in Macedoniam ad Philippum regem ſe contulit. Hæc Polybius. Appianus autem falſo tradit Demetrium a Romanis, navigio quo vehebatur intercepto, captum atque occiſum eſſe; quippe cum idem Polybius, & Livius etiam docuerint Demetrium apud Philippum reliquam vitam tranſegiſſe, eique cum ad Meſſenios oppugnandos operam navaſſe, tum auctorem fuiſſe fœderis cum Hannibale ineundi, bellique Romanis inferendi. L. Æmilius Phariam urbem patriam & Toparchiam Demetrii adeptus cum eſſet, funditus evertit. Victo Demetrio Illyrii omnes in deditionem venerunt. Romani autem Pinei vicem miſerantes, qui nihil deliquerat, & eorum, quæ Teuta & Demetrius contra jus faſque commiſerant, neque particeps fuerat, neque per ætatem eſſe poterat, eidem pro ſuis Illyriis ſupplicanti morem gerere tum rationi, tum Romanæ clementiæ conſentaneum eſſe duxerunt; quapropter ex illis locis, quæ ceperant, præſidiis deductis, paternum regnum eidem reddiderunt, interpoſita annui tributi pactione, & illa parte Illyrici excepta, quæ inter Drilonem & Ceraunios partim manſit in fide ac poteſtate Romanorum, partim quam jampridem adepta fuerat, libertatem retinuit. In hac igitur regione Illyrici ad Orientem extrema Romani primum dominari cœperunt, quippe primo & altero bello Illyrico gentes urbeſque hujus regionis vel ad imperium adjunxerant, vel in amicitiam ac ſocietatem receperant. Ex his autem Lingum urbem & Parthinos populos poſt bellum ſecundum Macedonicum dederunt Pleurato filio Scerdileti, qui eodem bello contra Philippum Romano fœderi adſcribi voluerat, ut infra dicemus. Hæc erat Romana illa Illyrica provincia, quam ab Gentio poſtremo Illyriorum rege infeſtam excurſionibus & latrociniis redditam fuiſſe ſcribit Appianus.

Regnum Illyricum Pineo reſtitutum.

Rebus Illyricis ſedatis & compoſitis L. Æmilius cum exercitu Romam rediit, affecta jam æſtate, ac de Illyriis triumphavit; cum jam Hannibal in Hiſpania Saguntum urbem Romanorum ſociam obſideret, quam ſeptimo obſidionis menſe in ſuam poteſtatem redegit. Pax deinde ſatis firma ac diuturna Illyriis cum Romanis interceſſit, & quoad Pineus, & proxime poſt Pineum Pleuratus regnavit, quibus antiquior cura fuit pacis, quam belli artibus rempublicam tueri & augere; Illyrii pacati quietique nullam cauſam Romanis præbuere, cur ab ſe ſocialis juris aut fœderis violati pœnas repoſcerent. Quinimo pars Illyriorum primo atque altero bello Macedonico ab Romanis contra Philippum ſtetiſſe traditur; quamvis eidem Philippo cum Achæis & Meſſeniis aliiſque Græciæ populis bellum ſociale contra Ætolos gerenti, quod fere triennium tenuit ab anno 219. ad annum 217. ante Chriſtianam epocham, auxilia ab Illyriis non defuerint. Philippus ſiquidem, ut auctor eſt Polybius lib. 4. & 5. ab Scherdilaida Illyriorum Duce triginta lembos mercede conduxerat, pollicitus eidem annua vicena talenta. At Scherdilaidas non amplius quindecim miſit, cauſatus neſcio quos Illyricos tumultus per id temporis exortos, quibus ſe prohiberi ſcripſit, quo minus plura navigia, pluresve copias domo emitteret, ne provinciam oramque maritimam præſidiis nudaret neceſſariis ad motus domeſticos comprimendos, frænumque ſeditioſis hominibus injiciendum. *Dum hæc curat, inque his occupatur Philippus, lembi quindecim a Scherdilaida miſſi veniunt, plures enim ne poſſet mittere impediverunt ortæ in Illyrico turbæ inter*

Pax inter Illyrios & Romanos diuturna.

Illyrii Philippo contra Ætolos auxilia mittunt.

Digitized by Google

ter Dynaſtas certorum locorum in ea regione ſitorum, mutuo ſibi inſidias ſtruentium. Ex his Polybii verbis colligi poteſt, ut ſuperioribus ætatibus in Græcia, ſic tum in Illyrico, præter Pineum alios fuiſſe Regulos, ſive unius civitatis & paucorum oppidorum Dynaſtas, qui inter ſe de finibus decertabant, inter quos Scherdilaidam annumerare oportet, quem Livius Scerdiletum appellat, & eum ejuſque filium Pleuratum Reges ſeu Regulos vocat. Is autem Scherdilaidas eſt ille ipſe, quem Teuta cum exercitu per fauces Antigoniæ in Epirum irrumpere juſſerat, ut Epirotis eodem tempore non mari ſolum, ſed etiam terra bellum inferret. Illyrios in exercitu Philippi fuiſſe, & egregie adverſus Ætolos rem geſſiſſe auctor eſt idem Polybius, & in prælio apud Acheloum amnem, Stratumque urbem commiſſo, cum vario & ancipiti marte diu pugnatum eſſet, tandem Illyriorum militum opera ac virtute effectum eſt, ut victis Ætolis, & in fugam averſis, Macedones victoriam adepti fuerint. *Diu varia victoria fuit, ad extremum Illyrii a Philippo in ſubſidium mercenariorum miſſi, Ætoli victi paſſim fugere.* Sed deinde Scherdilaidas in Philippum, quod pactam pecuniam non ſolviſſet pro navibus & militibus acceptis, arma converſit, multaſque ejuſdem urbes cepit ac diripuit, & primo Macedonico bello Romanis contra Philippum fidelem operam navavit.

Scherdilaidas & Pleuratus Reguli Illyriorum.

Illyrii Macedones in fugam averſum.

Cum ſecundum Punicum bellum maxime ferveret, ejusque jam tertius annus decurreret, qui fuit ante Chriſtum 219. Romani, quos licet duplici maximeque inſigni clade ad Ticinum ac Thraſymenum graviter perculſos, nullius uſquam terrarum rei cura, ne longinqua quidem effugiebat, uno fere anno ante tertiam Cannenſem calamitatem, Legatos ad Philippum Macedoniæ regem miſerunt ad depoſcendum Demetrium Pharium, qui bello victus biennio ante ad eum ſe receperat. Sed nihil ab Rege impetratum eſt, quippe ad Hannibalem jam ſpectabat, quocum jungendi adverſus Romanos fœderis vehemens auctor erat, aſſiduuſque hortator idem ipſe Demetrius. Per idem tempus ab Romanis Legati ad Pineum Illyrici regem venerunt, qui annuum ſtipendium, cujus dies exierat, ab eo exigerent, aut ſi diem proferre vellent, obſides acciperent. Hæc Livius Dec. 4. lib. 2. De Pineo Rege Illyriorum nihil deinceps memoriæ proditum eſt; eumque paucis poſt annis diem ſuum obiiſſe arbitror; quippe cum in eo fœdere, quod quinquennio poſt Ætoli cum Romanis contra Philippum fecerant, adſcriptum apud Livium inveniam Pleuratum Regem Illyriorum, quem non alterum illium ejuſdem nominis filium Scerdileti, ſed Pinei aut filium, aut fratrem, ejuſdemque ſucceſſorem fuiſſe exiſtimo. Interea Demetrius nullam intermittebat occaſionem Philippi hortandi, urgendique, ut Romanis belli Carthaginienſis mole propemodum oppreſſis, præſertim poſt duas clades ad Ticinum & Thraſymenum acceptas, bellum inferret, ſpe oblata Italiæ potiundæ; non quod magni ejus intereſſet Philippi imperium augeri, ſed quia incredibili adverſus Romanos odio, & ditionis amiſſæ recuperandæ ſtudio flagrabat. Nec vero a conſiliis Demetrii abhorrebat Philippus; ſed antequam Romanos aperto bello aggrederetur, urbes Macedoniæ ab Scherdilaida vi atque armis repetendas, itemque aliquam Illyrici partem præſertim maritimam occupandam cenſebat, unde copias in Italiam trajiceret. Itaq; pace jam facta cum Ætolis, Scherdilaidæ bellum intulit, nec ſolum Macedonicas urbes recepit, ſed etiam aliquot ex urbibus Illyricis inter Driloneм & montes Acroceraunios in ſuam poteſtatem redegit. Hæc Polybius lib. 5. *Philippus Rex, inquit, cum poſt factam pacem ſoluta claſſe in Macedoniam navigaret, Scherdilaida in itinere obvians, qui ſub prætextu debitæ ſibi pecuniæ, cujus rei gratia naves regias in Leucade, ut ſupra diximus, ceperat, tunc Pelagoniæ oppidum nomine Piſſeum in prædam verterat, & complures Daſſaretidis civitates, Antipatriam, Chryſondionem, Gertonem, præterea etiam non parvam Macedoniæ partem ſibi, partim ſollicitationibus, partim viribus adſciverat, extemplo copias in terram expoſuit, omni ſtudio ad prædictas civitates recuperandas intentus; omnino autem bellum adverſus Scherdilaidam gerere decrevit: permeceſſarium exiſtimans Illyricum ſuæ ditioni ſubjicere, cum ad alias res gerendas, tum maxime ad tranſfretationem in Italiam. Demetrius enim adeo Regis animum ad hanc ſpem & expeditionem dies noctesque inflammabat, ut etiam dormiens vidiſſe ſe diceret Philippum hæc omnia molientem; quod non tam Philippi gratia faciebat, quam odio Romanorum, & quod per eum modum recuperaturum ſe loca ſperabat, quibus circa Pharum ſpoliatus fuerat. Philippus itaque admotis copiis prædictas omnes civitates occupavit; in Daſſaretide enim cepit Creonium & Geronteм; circa Lychnidiam paludem Enchelanas, Ceracem, Batonem, Baos, in ditione vero Caleecinorum Bantiam, & apud Piſſantinos Orgyſum; quibus peractis copias in hyberna dimiſit.*

Urbes Illyriorum a Philippo captæ.

Legati Romanorum ad Philippum Macedoniæ, & ad Pineum Illyrici Regem.

Cum igitur Philippus omni cogitatione curaque intentus eſſet in expeditionem Illyricam, ut ſibi viam ad Italiam munire, centum lembos ad ſimilitudinem & exemplar navium Liburnicarum ædificari, omnique bellico inſtrumento ornari juſſit, quibus primum ad oram maritimam Illyrici occupandam, deinde, ſi res & opportunitas poſceret, ad copias in Italiam transferendas uteretur. Anno itaque ante Chriſtum 216. Illyricum verſus claſſe invectus, Romanorum vano metu repreſſus ab incœpto deſtitit; neque enim ejus conſilium & apparatus fugerat Scherdilaidam, qui ab Romanis cum auxilium petiiſſet, decem naves ex claſſe ad Lilybæi promontorii totiuſque Siciliæ præſidium inſtructa impetraverat. Has Rhegio Apolloniam Scherdilaidæ ſubſidio miſſas jam adventare, earumque numerum multo, quam re ipſa erat, majorem eſſe cum nunciaretur Philippo, is veritus, ne cum integra Romanorum claſſe confligere cogeretur, re infecta, in Græciam cum ſuis lembis redire feſtinavit. *Philippus ratus ob id claſſem non longe abeſſe, ſubito terrore correptus, collectis anchoris inhibere remos, ac convertere iter juſſit, trepideque & nullo ſervato ordine retrocedens, poſtridie Cephaleniam appulit. . . . Accidit autem omnem eum timorem eſſe falſum. Etenim Scherdilaidas cum audiviſſet Philippum per hyemem magnam multitudinem lemborum ædificaſſe, adventum ejus per mare veritus, auxilium Romanorum per legatos imploravit. Romani decem naves ex claſſe, quæ Lilybæi erat, miſere; hæ juxta Rheginm tranſeuntes viſæ fuerant, quarum timore niſi fruſtra correptus Rex fuiſſet, & iis facile potiri poterat, & peropportunum ad res Illyricas tempus habere.* Polybius lib. V.

Philippus timori meo deterritus ab invadendo Illyrico.

Fama de clade Cannenſi, qua cæſa dicuntur ad quadraginta millia Romanorum, in Græciam cum perlata eſſet, Philippum impulit, ut quod jamdiu volvebat animo, id tandem perficere decreverit; poſteaquam enim tertia jam pugna, tertia victoria ab Hannibale & Pœnis erat, ad fortunam inclinavit, legatoſque ad Hannibalem in Campaniam miſit, qui fœdus cum eo, & amicitiam jun-

Philippus cum Hannibale fœdus facit.

Pineus moritur.

Digitized by Google

gerent. Ad Illyricum quod attinet, in has ferme leges inter Pœnum Ducem legatosque Macedonum fœdus ictum Polybius lib. 7. tradit; *Si pax cum hostibus fieret, neque in potestate Romani habeant Corcyræos, neque Apolloniates, neque Dyrrhachinos, neque Pharum, neque Dimalen, & Parthinos, neque Atintaniam. Reddunto iidem Demetrio Pharios omnes illius propinquos & necessarios, qui intra Romanorum ditionem fuerint.* At legati eadem navi, qua legati ab Hannibale ad Regem missi, in Macedoniam redeuntes, cum in classem Romanorum incidissent, capti sunt omnes, conjectique in vincula. Quod Philippus ubi rescivit, ignarus de iis, quæ cum Hannibale legatis suis convenissent, quæque legati ejus ad se allaturi essent, aliam legationem cum iisdem mandatis decrevit. Et secundi quidem legati prospere tulerant, ac retulerant mandata; sed ætas ejus anni, qui fuit ante Christum 216. prius se circumegit, quam movere ac moliri quidquam Rex posset.

M. Valerius Prætor contra Philippum ducere classem jussus.

Romani cernentes, quanta vix tolerantibus Punicum bellum Macedonici belli moles instaret, in id omni ope operaque enitendum sibi censebant, ut bello ultro Macedonibus inferendo averterent ab Italia hostem. Itaque jubent M. Valerium Lævinum Prætorem proficisci Tarentum ad classem, quam & numero navium augendam, & omni bellico instrumento, commeatuque diligenter instruendam curaverant: ea classe primo quoque tempore in Macedoniam transmitteret, daretque operam, ut Philippum in regno contineret.

Oricum recipit, & hostes fudit.

Anno ante Christum 214. sub initium veris Philippus classe Epirum prætervectus, ad Oricum primam Illyrici urbem clam nocte exercitum admovit, eamque sitam in plano, neque mœnibus, neque viris, neque armis validam primo impetu oppressit. Inde ad obsidendam Apolloniam exercitum duxit. Hæc M. Valerio nunciata cum essent, nihil moræ interposuit, quin statim cum classe instructa paratæque in Illyricum trajecerit; quam ubi ad littus Orico proximum applicuit, urbem haud magno certamine recepit. Deinde mille delectorum militum navibus longis cum Præfecto Apolloniam misit; qui expositis in terram militibus, deductisque ad urbem, castra hostium neglecta, atque aperta silentio noctis intravit; inde tantus terror pavorque omnes incessit, ut nemo fuerit qui arma caperet, aut castris pellere hostem conaretur; & Rex ipse vix somno excitatus prope seminudus ad flumen haud longe ab urbe, naveisque perfugit, quo & alia turba effusa est. Paullo minus tria millia militum aut capta, aut occisa, castra direpta, urbs obsidione liberata. Quæ cum Oricum essent nunciata, M. Valerius classem extemplo ad ostium fluminis duxit, ne navibus capessere fugam Rex posset. Itaque Philippus subductis, aut incensis navibus, terra Macedoniam repetens exercitum reduxit magna ex parte inermem spoliatumque. M. autem Valerius classem apud Oricum in hyberna duxit. Hæc Livius Decad. 3. lib. 4.

Philippus Lissum & Acrolissum capit.

Haud vero Philippus ob rem Illyricam parum prospere gestam animo despondit; sed tempus, quod ab expeditionibus militaribus vacuum dabant hyberna, ad comparationem novi exercitus contulit; & quando se a navalibus copiis minus paratum esse videbat, quam ut mari confligere cum Romanis posset, terra sibi aliquid tentandum aggrediendumque censuit. Quocirca vere jam appetente anno ante Christum 213. exercitum superatis montium angustiis in Illyricum traduxit, & Lissum, urbem natura ac loco munitam, & validis propugnaculis septam terra marique oppugnare instituit. Lissum enim, itemque Acrolissum, arcem urbi superimpositam plane inexpugnabilem si cepisset, sperabat fore, ut cæteris ejusdem regionis oppidis nullo negotio potiretur. Neque suus illum conatus, aut spes fefellit; cum enim non tam vi & oppugnatione, quam arte & militari quodam stratagemate urbem arcemque in potestatem redegisset, gentes urbesque finitimæ ultro in deditionem venerunt. Lissanam expeditionem Polybius ad hunc modum lib. 8. describit. *Cum Philippus jampridem Lissum, & Acrolissum animo agitaret, eaque loca in potestatem suam redigere studeret, exercitum eo deducere instituit: confecto autem bidui itinere, ac superatis faucibus, propter fluvium Arsdaxanum non procul ab urbe consedit: ibi cum Lissi ambitum animadvertisset, & qua mare, qua continentem spectat, egregie tum natura loci, tum arte munitum; Acrolissum quoque ei adjacentem, partim quia mire in altum est sublatum, partim ob reliquam munitionem, ejusmodi præseferre speciem, ut posse illa loca abs se per vim capi nemo sperare homo deberet; omnem penitus de hac occupanda spem abjiciens de urbe capienda non omnem plane spem posuit. Observaverat Rex intervallum medium inter Lissum & prominentem montis radicem, ubi est Acrolissum, apte situm esse ad moliendam urbis oppugnationem. Igitur levi prælio eo loci instituto, vafro quodam consilio, eoque admodum opportuno uti statuit. Unum Macedonibus ad quiescendum cum concessisset diem, atque interim, uti res, atque tempus monebat, eos esset cohortatus, inter sylvosas convalles versus mediterraneam regionem, supra illud, de quo jam diximus, spatium, ante primum diluculum majorem, ac meliorem suorum expeditorum partem occultat, ipse insequenti die ab altera urbis parte cetratos, & quod supererat expeditorum secundum littus ducere: postquam urbis circuitum esset emensus, & ad dictum antea locum jam perveniisset, nemo dubitabat, quin ab illa parte ad urbem adoriendam esset ascensurus; & quoniam notus erat omnibus Philippi adventus, ex universo circumcirca Illyrico magna hominum multitudo Lissum convenerat. Acrolisso enim tuendo parvam oppido manum, satis natura munitum locum esse rati, delegaverant.*

Statim igitur ad primum appropinquantium Macedonum conspectum, qui in urbe erant, qua numero, qua situ locorum munitissimorum freti, extra muros eruperunt. Rex cetratos in plano locis opportunis locat: levem armaturam ad colles progredi, & pugnam cum hoste acriter capessere jubet, quibus imperata facientibus equo Marte aliquamdiu pugnatur. Sed mox regii partim locorum iniquitati, partim multitudini hostium cedentes terga vertunt: ubi vero ad cæteros isti se recepissent, oppidani præ contemptu pergere ulterius, ac tandem descendere in campos ausi, cum cetratis manum conserunt. Præsidiarii Acrolisso impositi, cognito Philippum sensim, cessimque per intervalla substistendo suas cohortes reducere, universa pugna cedere illum arbitrantes, naturaque loci confisi per imprudentiam avocari se a statione patiuntur. Deinde Acrolissum paulatim deserunt, & quasi versis in fugam hostibus, præda esset aliqua futura, per devios calles ad plana, & campestria loca magno impetu deveniunt: tum vero qui in insidiis ad partem Mediterraneam fuerant dispositi, nemine animadvertente, coorti Acrolissum strenue, ac fortiter invadunt; simul cetrati repente in hostem versi, prælium cum illis ineunt: omnibus novitate hujus casus perturbatis, qui Lisso egressi fuerant, cum huc illuc dissipati pedem referrent, in urbem ad extremum se recipiebant: iis vero, qui

Acro-

Atrolisso exturant, viam ad creditum, qui ex insidiis excitati fuerant, præclusérunt. Ita factum est, ut arx quidem, quod sperare nemo foret ausus, statim sine periculo caperetur; Lissus vero postridie ejus diei: idque magnis certaminibus prius editis; postquam aperta ac terribiles a Macedonibus impressiones essent factæ. Philippus igitur velut miraculo dictis jam locis potitus, hoc uno facinore adjo vicinos omnes sibi reddidit obnoxios, ut plerique in Illyrico ultro urbes suas fidei illius permitterent; semel enim per vim expugnatis illis propugnaculis, nulla amplius munitio violentiæ Philippi par futura, neque si quis sciili opponeret, ullus ad salutem receptus superfuturus vulgo omnibus videbatur.

Foederel Romanorum contra Philippum.

Interea M. Valerius Lævinus classe ex hybernis educta Græciam circumiit, tentandis per secreta colloquia Principum animis, ut quam posset plurimos cum Romanis adversus Philippum fœdere conjungeret. Ætolos, quibus maxime Philippum & Macedones graves accolas esse haud ignorabat, facile in suam sententiam, & voluntatem perpulit. Igitur inscriptæ conditiones, quibus in amicitiam societatemque populi Romani venirent. Huic autem fœderi iisdem legibus adscribi, præter Attalum Regem Asiæ, Eleos, & Lacedæmonios, *Pleuratus & Scerdiletus* voluerunt, quos *Illyriorum* Reges Livius Decad. 3. lib. 6. appellat. Hunc autem Pleuratum, cujus hic meminit Livius, alium fuisse diversumque oportet a Pleurato juniore, quem idem Livius alio loco vocat filium *Scerdileti*. Nam si Pleuratus is, de quo nunc agimus, filius esset Scerdileti, non utique committeret Livius, ut eum priore loco ante patrem nominaret; nec vero utrumque Regem Illyriorum dixisset, quippe patre vivo & regnante, neque consuetudo, neque leges sinunt regem esse haberique filium, quem regni potiri ante obitum parentis omnia jura vetant. Itaque Pleuratus, qui primo bello Macedonico fœdus cum Romanis contra Philippum fecerat, ille fuerit necesse est, qui post Pineum apud Illyrios regnum obtinuit, quod fere integrum Romani, post victum exactumque Demetrium, eidem Pineo restituerant, ut supra diximus, & ab Drilone usque ad Carnos protendebatur. Scerdiletum vero Regulum potius, quam Regem dixerim, sive Dynastam, qui ultra citraque Drilonem oppida aliquot possidebat; ex illis videlicet Regulis, quorum meminit Polybius, quosque Pleurato supremo Illyriorum Regi jure fiduciario obnoxios fuisse arbitror. Utrum vero is Pleuratus, ex quo natus est Gentius Rex postremus Illyriorum, filius fuerit, an vero frater Pinei, non satis liquet. Fratrem fuisse magis verisimile est; cum enim Pineus ante septem annos adhuc esset impubes sub tutela Demetrii, nec multis post annis obierit; aut sine liberis decesserit, aut nullos reliquerit necesse est, qui maturi essent imperio. Ætolicum fœdus referendum censeo ad finem hujus anni, qui ante Christum 213. numeratur; nam sub ea pacta & conventa, cum Ætoli extemplo bellum adversus Philippum movissent, huic Pellæ jam hybernanti Ætolorum defectio allata est, ut tradit ibidem Livius. Itaque Philippus, cum primo vere anni insequentis exercitum deducere in Græciam decrevisset, Illyrios antea debellandos, finitimasque ejus urbes, quas nondum ad suum imperium adjunxerat, capiendas, suisque præsidiis firmandas censuit, ne quid ab ea parte periculi Macedoniæ ingrueret. Quapropter expeditionem subitam in Oricinorum atque Apolloniatum fines fecit, egressosque Apolloniatas cum magno terrore ac pavore compulit intra muros. Cæterum vastatis proximis Illyriis, nihil memorabile præterea gessit; atque in Pelagoniam iter vertens Dardanorum urbem sitam in Macedonia cepit, ne Dardanis transitum ad Macedoniam vastandam præberet. Hæc Livius, qui reliquas Philippi excursiones in alia atque alia loca ad populos sibi contra Romanos fœdere jungendos persequitur. Ex Illyriis Trallos, alii legunt Triballos, in exercitu Philippi fuisse, eosque cum Ætolis haud prospere pugnasse commemorat Livius Dec. 3. lib. 7. qui scilicet vel in Philippi ditione erant, vel ad ejus societatem se adjunxerant. Cæterum fere tota hujus belli moles deinde in Graciam & Macedoniam incubuit, quietis interea pacatisque Illyriis; nisi quod Eropus quidam, fortasse Præfectus copiarum Scerdileti, Lychnidum urbem, & quosdam vicos Dassaretiorum Philippo ademptos cepit. Neque eo bello, quod annos fere decem tenuit, quidquam singulare memoriaque dignum sive a Pleurato, sive a Scerdileto gestum invenio; nisi forte aliquas incursiones in Macedoniam fecerint; nam, ut Livius tradit, cum suis utrumque copiis Macedoniæ imminere Philippo nunciatum fuit.

Philippus Illyriorum multa loca vastat.

Pacem cum Philippo Macedoniæ Rege primum Ætoli,

Anno ante Christum 204. cum Romani bello Punico distenti per biennium res in Græcia ferme neglexissent, Philippus Ætolos ab Romanis desertos, cui uni fidebant auxilio, quibus voluit conditionibus ad pacem petendam & paciscendam subegit. Sed pace vix dum facta P. Sempronius cum decem millibus peditum, & mille equitibus, & triginta quinque rostratis navibus ad opem ferendam sociis in Illyricum trajecit. Dyrrhachium classem cum applicuisset, ubi intellexit Ætolos injussu Senatus populique Romani, contra quam fœderis leges vetabant, cum Philippo pacem fecisse, copias deduci jussit ad obsidendum Dimalum oppidum, & loco egregie munitum, & vallo moenibusque validissimis cinctum, quod regiis præsidiis tenebatur. Adventus Romanorum Parthinos, & propinquas alias gentes ad spem rerum novandarum excitavit. Ea cum audisset Philippus, ne qui motus major in finitimis gentibus populisque oriretur, magnis itineribus Apolloniam contendit, quo Sempronius se receperat, agros urbi circumjectos vastavit, & ad ipsam urbem admotis copiis, potestatem pugnæ Sempronio fecit. Cæterum cum Romanis quoque, sicut cum Ætolis, cupiebat pacem, si posset; sin minus, inducias facere, præsertim cum pacis faciendæ auctores eidem essent legati Epirotarum, quos diuturni belli tædebat. Cum itaque per nuncios ultro citroque missos locus & dies colloquii inter Philippum & Sempronium dictus esset, convenissetque uterque, P. Sempronius conditiones pacis dixit, ut Parthini & Dimalum, & Bargulum, & Eugenium tria oppida Romanorum essent. Romano fœderi præter Attalum regem, aliosque Græciæ populos, adscriptus est Pleuratus; Scerdileti autem cum nulla facta sit mentio, verisimile est eum jam vita functum fuisse, cui filius Pleuratus junior in principatum successit. Exinde res in Illyrico quietæ fuerunt & pacatæ; cum Pleuratus major regnum Illyricum inter Drilonem & Carnos obineret, Pleuratus autem minor in ea Illyrici parte dominaretur, quam jure hæreditario ab Scerdileto parente acceperat.

deinde etiam Romani faciunt Livius Dec. 3. l. 9.

Bello secundo Punico jam confecto, alterum Macedonicum successit cum eodem Philippo Rege P. Sulpitio Galba, & M. Aurelio Cotta Coss. anno ante Christum 200. paucis post pacem Carthaginiensibus datam mensibus; seu potius renovatum est; quippe quod tredecim fere ante annis cum esset cœptum, triennio prius depositum erat, interruptumque. Ad id Romanos perpulere cum veteres in-

Alterum Philippi cum Romanis bellum.

Pinei inter Pleuratum, non filium Scerdileti, sed Pinei successor.

injuriæ Philippi, tum recentium ſociorum querelæ, præſertim Athenienſium, qui ab Rege pervaſtati ab Romanis opem petierant. Hoc bellum gerendum Senatus dedit Sulpitio Conſuli, qui autumno ferme exacto cum in Epirum appuliſſet, Apolloniam terreſtres copias, navales Corcyram in hyberna deduxit; poſtquam Philippus multa Græciæ oppida jam ceperat, inter quæ Abydum, cui præſidio impoſito in regnum rediit. In hoc itidem bello Trallos populos Illyricos ſub Philippo ſtipendia feciſſe Livius Dec. 4. lib. 1. tradit. Eorum regio apud Stephanum Trallia dicta, & pars Illyriæ nuncupata eſt. Eam Macedoniæ finitimam fuiſſe arbitror, & ab Regibus Macedonum ad regnum Macedonicum adjectam. Ab Trallis Illyricis fortaſſe oriundi erant, in Thraciamque migraverant Tralles illi, quos Plutarchus in Ageſilao Thraciæ adſcripſit. Sulpitius Conſul per C. Claudium Præfectum & per L. Aprutium legatum rem Macedonicam proſpere geſſit. Cum inter Apolloniam & Dyrrhachium ad Apſum flumen haberet caſtra, Liv. Dec. 4. lib. 1. Reguli ac Principes accolæ ad eum venerunt auxilia pollicentes, inter quos erat Pleuratus Scerdileti filius, & Illyriorum Dynaſta, cui reſpondit Conſul ejus opera, cum exercitum in Macedoniam induceret, ſe uſurum. Pleuratus major Rex Illyrici huic bello implicari noluit; nam neque inter eos, qui apud Conſulem in hanc expeditionem nomina dederunt, vel quibus poſt bellum confectum in formula pacis nominatim cautum eſt, Pleurati hujus mentionem factam, neque ab eo quidquam contra Philippum auxilii operæque collatum invenio. Iſſei Romanis operam & auxilia præbent. Ab Iſſeis tamen ſociis populi Romani navales copias ad bellum Macedonicum ſuppeditatas eſſe auctor eſt Livius Dec. 4. lib. 1. quippe Iſſeorum xx. lembi ad Praſias, qui continentis Atticæ locus eſt, claſſi Romanæ adjuncti ſunt, miſſique ad populandos Caryſtiorum agros; unde cum rediiſſent, ad inſulas, urbes, oraſque maritimas Philippi incurſandas diripiendaſque cum cætera claſſe velis in altum datis, penitus in Ægæum provecti ſunt.

Itaque cum P. Sulpitius exercitum moviſſet, iterque per Daſſaretiorum fines facere inſtituiſſet, Pleuratus cum Dardanis, qui ſe ibidem fœderi Romano adſcribi voluerant, in Macedoniam irrupit per anguſtias Pelagoniæ, ad quas quidem obſidendas Philippus filium Perſea puerum admodum, datis ex amicorum numero, qui ætatem ejus regerent, cum parte copiarum miſerat; ſed ubi Romanum exercitum adventare intellexit, revocato filio præſidioque, quod in Pelagoniæ faucibus erat, ut iis copiis ſuas augeret, Pleurato Dardaniſque iter in Macedoniam patefecit. Interea Philippus duplici prælio equeſtri victus, cum fama & auditione accepiſſet Pleuratum Dardanoſque ingentibus copiis profectos domo jam in Macedoniam tranſcendiſſe, ad regnum tuendum ſe referre coactus eſt. Præter hanc Macedonicam incurſionem nihil aliud a Pleurato geſtum eſſe comperio in hoc ſecundo bello Macedonico, quod demum quarto anno, poſtquam cœptum, ſive inſtauratum fuerat, ante Chriſtum 197. a T. Quinctio Flaminio confectum eſt, victo debellatoque ad Cynoſcephas in Theſſalia Philippo. Hoc prælium diligentiſſime deſcripſit Polybius lib. 17. in quo refert cæſa octo millia Macedonum, capta quinque millia. Anno inſequenti decem Legati ab Roma venerunt, qui Philippo pacem petenti pacis conditiones legeſque perſcriberent; quarum caput erat, ut omnes Græcorum Pax cum Philippo. civitates, quæ in Europa, quæque in Aſia eſſent, libertatem ac ſuas leges haberent; & quæ earum ſub ditione Philippi fuiſſent, præſidia ex his Philippus deduceret. Nec vero Pleurato præmium defuit ob ſuam operam in eo bello Romanis collatam. Lingus & Parthini Pleurato dati. Ei quippe *Lingus & Parthini* dati ſunt; Illyriorum utramque gentem fuiſſe Livius tradit, quam Philippus ſub poteſtatem redegerat. Parthini infra Dyrrhachium ad meridiem mare accolebant, a Partho, cujus meminit Stephanus, primario gentis oppido nomen mutuati. His finitimi erant Daſſaretii populi Mediterranei, quos Plinius a tergo Parthinorum collocavit. Lingus civitas erat & regio, cujus præter Livium nemo veterum mentionem fecit, quamque idem Livius Dec. 4. lib. 2. videtur inter Daſſaretios & Macedoniam locaſſe, cum ſcripſit T. Quinctium Conſulem, qui prope Aoum amnem caſtra habebat, conſuluiſſe; *utrum recto itinere per caſtra hoſtium viam facere conaretur, an ne tentata re tanti laboris ac periculi, per Daſſaretios potius Lingumque tuto circuitu Macedoniam intraret*. Idem Livius paullo poſt *montem Lingen* commemorat, quem ad Septemtrionem extremum montium Epiroticorum fuiſſe cenſeo; eum quippe annumerat inter montes Epiri, *interjectos Macedoniæ Theſſaliæque; latus, quod vergit in Theſſaliam, Oriens ſpectat; Septemtrio a Macedonia objicitur*. Ab hoc monte, cui proxime ſuberat, Lingus civitas & regio nomen accepit. Cave porro, ne Lingum confundas cum Lynco urbe Macedonica, a quo populi Lynceſtæ. Cum enim Livius Lingum Illyrico adſcripſerit, Lynceſtas in quartam Macedoniæ regionem conjecit. Ita Pleuratus ad paternam Scerdileti hæreditariam ditionem duos populos Romanorum beneficio adjecit.

§. VII.

De Gentio poſtremo Illyriorum Rege, & regni Illyrici interitu.

POſt bellum ſecundum Macedonicum haud multum temporis interceſſerat, cum Pleuratus alter, idemque ſupremus Rex Illyriorum, e vita decedens regni hæredem ac ſucceſſorem Gentium filium reliquit. Is patre Pleurato & matre Eurydica genitus, fratres duos Platorem utroque parente, Caravantium matre eadem, ſed non eodem patre natum habuit. Huic propter ignobilitatem paternam minus ſuſpecto nihil erat, cur vitam adimeret, quin ad bellum contra Romanos gerendum ejus opera uſus eſt. At Platorem occidit, & duos amicos ejus Ettritum & Epicadum impigros viros, quo tutius regnaret. Platore interfecto gravis deinde, dempto fratris metu, popularibus eſſe cœpit, & violentiam inſitam ingenio intemperantia viri accendebat. Hæc ex Livio Dec. v. lib. 4. Gentius itaque regnum paternum adeptus cum eſſet, malis initiis ortus, triſtes progreſſus, pejores exitus habuit principatus. Nam anno ante Chriſtum circiter 180. magna pars Illyriorum ab Rege deſcivit, ſive quia hic avare ſuperbeque imperabat; ſive quia illos regii dominatus tædebat. *Hic populus*, ait Polybius in fragm. n. 124. *quamdiu vixit Pleuratus, ei paruit, poſt obitum vero illius, cum in regno Gentius ſucceſſiſſet, ab illo defecerunt Dalmatæ*. Tum primum Dalmatiæ & Dalmaticum nomen exortum eſt. Illyrii ſiquidem inter Naronem Neſtumque, cum ſe in libertatem vindicaſſent, ab Delminio, ſive Dalminio urbe mediterranea, quam novæ Reipublicæ, totiuſque gentis caput ac metropolim eſſe voluerunt, nomen mutuati, quo ab cæteris Illyriis diſtinguerentur, Delmitanos ſe appellarunt; unde litteris pauſſulum immutatis Dalmatiæ & Dalmatarum

Pleurato in regnum Illyricum ſucceſſit Gentius.

Illyriorum pars a Gentio defecit.

Initium nominis Dalmatici.

voca-

vocabulum defluxit, quod deinde invaluit, hodieque retinetur. Nec dubium videtur esse, quin cæteri quoque Illyrii Occidentales, ab Nesto sive Tiluro usque ad Arsiam, per idem tempus ab Gentio defecerint. Nam Istri, qui ab Arsia initium ducebant, gens itidem Illyrica, ut eos Appianus vocat, jampridem Regum Illyriorum dominatu exempti, suos sibi proprioſque Regulos adsciverant. Porro Dalmatæ, cum initio Naronem inter Nestumque se continuissent, deinde fines imperii usque ad Titium amnem propagarunt; totaque illa regio ab Narone ad Titium porrecta Dalmatiæ nomen subiit; cætera autem regio, quam Titius ab Ortu, Arsia ab Occidente definiunt, antiquum Liburniæ nomen retinuit, vel resumpsit, eoque cum ab Dalmatis, tum a cæteris Illyriis distingui cœpit. Hinc duæ extiterunt Respublicæ, altera Dalmatarum, altera Liburnorum, quæ per annos circiter ducentos suam libertatem retinuerunt, antequam vel ultro Romanis se dederint, vel victæ debellatæque sub imperium ditionemque populi Romani ceciderint. Istria vero Regum Illyriorum dominatu excusso proprium deinceps Regulum habuit, sed paullo post in Romanorum ditionem concessit; itidemque Carnia, incertum quo tempore, quave ratione, ad Romanum imperium adjuncta est. Itaque post Dalmatiam & Liburniam ab Gentio divulsas, hujus regnum intra fines sane angustos compulsum est; & ab Occasu Narone, ab Oriente Drilone fluminibus definitum; nisi quod Gentius ultra Drilonem Lissum urbem & natura, & situ, & firmissimis præsidiis ac propugnaculis munitam in sua potestate retinebat. Ad hæc tempora censeo accommodari posse tripartitam illam divisionem Illyrici *Regii*, *Tyrannici*, *Liberi*, traditam a Schymno, qui secluſa Liburnia Illyricum usque ad montes Acroceraunios produxit. Pars illa, quæ nullius dominationi parens suis utebatur legibus ac magistratibus, erat Dalmatia. Reliquæ duæ partes, altera ab Narone ad Drilonem Gentio; alterius inter Drilonem & Montes Acroceraunios portio quædam Pleurato parebat: utra Tyrannico Regioque imperio subesset, non satis liquet. Quæ hic breviter strictimque attigimus, paullo copiosius diligentiusque explicabimus infra in parte 2. prolegom. cap. 1. §. 2. ubi de origine nominis Dalmatici.

Respublicæ Dalmatarum & Liburnorum.

At Gentius Illyrici regni parte maxima propter ejus gentis a se defectionem amissa, commodorum & vectigalium, quod sibi ex ea jactura decesserat, maritimis prædis & quæstubus farciendum censuit. Itaque desciscens ab instituto patris Pleurati avique Pinei, qui se Romanis bonos amicos & socios fideles præbuerant, Romanorum amicitiam, datamque illis fidem rapiendi prædandique cupiditati posthabuit, & lembos haud paucos instruxit, qui oram Italicam depopularentur; & multis civibus Romanis ac Sociis Latini nominis injurias fieri in suo regno aut jussit, aut certe non vetuit. L. Duronius Prætor Romanus misit, qui eum admonerent, ut cœptis absisteret; sed legatis ne conveniendi quidem Regis potestas facta est. Quare cum ab eodem Prætore de hisce rebus apud Senatum accusatus esset, conatus est se purgare Senatui per suos Legatos, qui fidem facerent tum Regem forte ægrum in ultimis partibus fuisse regni, cum ejus conveniendi causa Legati a Prætore venissent; simulque ejus nomine peterent a Senatu, ne crederent confictis criminibus, quæ inimici detulerant. Jussus est C. Claudius Prætor de hac re cognoscere, atque ad Senatum referre, neque antea Gentio Regi legatisve ejus responsum reddi placuit. Hæc Livius, qui legationem Gentii Romam sui purgandi causa missam refert ad Consulatum A. Posthumii Albini & Calphurnii Pisonis, quocum congruit annus ante Christum 180.

Gentius Romanis infidus mare infestat;

accusatus apud Senatum,

Nihilo segnius per eadem tempora piraticæ operam dabant Istri, infestamque reddebant navigationem Adriaticam; & cum sæpe Tarentini Brundusinique apud Senatum questi essent, maritimos agros expositos transmarinarum navium latrociniis, & depopulatos esse, primum M. Claudio Cons. deinde L. Duronio Prætori negotium fuerat datum annis superioribus, ut Istros comprimerent, arcerentque ab ora Italica. Istria, quæ regni Illyrici pars erat extrema ad Occasum, postquam a Regibus Illyriorum desciverat, alium sibi Regem delegerat, quem alii Carmelum, alii Æpulonem fuisse dicunt; utrumque nominat Livius, nec satis perspicue explicat, duosne velit intelligi, an unum eumdemque Regulum Istrorum, qui Carmelus, idemque Æpulo appellaretur. Propius vero est Carmelum quidem Regem seu Ducem Gallorum fuisse, qui collecto exercitu Istris, cum esset finitimus, subsidio venerat, Æpulonem vero iisdem Istris regali jure præfuisse. Anno itaque ante Christum 178. bellum Istricum ex auctoritate Senatus gerendum suscepit A. Manlius Consul, qui ab Aquileja profectus ad lacum Timavi, quinque fere millia passuum a mari, posuit castra; cum per idem tempus adversus cæteros Illyrios Duumviri navales creati essent, qui oram maritimam ab Tarento usque ad Aquilejam tuerentur. Istri adjunctis copiis Gallorum, quos Carmelus adduxerat, in castra Romanorum impetum faciunt, & a militibus improvisa illa incursione perterritis, atque ad mare fugientibus, vacua relicta capiunt ac diripiunt. Sed cum Romani ex illo pavore se recepissent, revocatique essent ad castra recuperanda, demendamque illam ignominiam, hostes vino & somno gravatos adoriuntur, cædunt ad satietatem, amissa castra recipiunt. Anno insequenti C. Claudio Consuli Istria decreta est. Is duabus legionibus novis in provinciam adductis, vetere exercitu cum suis Ducibus dimisso, oppidum Nesattium, quo se Principes Istrorum, & Regulus ipse Æpulo receperat, circumsessum vineis oppugnare instituit; aversoque in alium alveum amne præterfluente menia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Istris præbebat, propugnatores in eam desperationem adduxit, ut gladios in cædem conjugum ac liberorum verterent, ne hi in hostium potestatem venirent. Inter eam stragem ac tumultum Romani murum transgressi oppidum intrarunt; quod ubi ex pavido clamore fugientium Æpulo intellexit, trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur; cæteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida Mutila & Faveria vi expugnata ac deleta. Istria tota trium oppidorum excidio, & morte Regis pacata est, omnesque undique populi obsidibus datis in ditionem venerunt; & Claudio, cum ad Urbem rediisset, postquam in Senatu de rebus in Istria Liguribusque prospere gestis disseruisset, triumphus est ei decretus. Ex Livio Dec. v. lib. 1. Ita hæc pars Illyrici in fidem potestatemque populi Romani concessit, cum alia pars Illyrici magis ad Occasum vergens, ideſt Carnia maritima, jampridem subiisset imperium Romanorum, a quibus Colonia Latina Aquilejam deducta fuerat, cum antea Gallos recentes advenas expulissent, qui Alpes transgressi haud procul inde locum oppido condendo ceperant. Nunc ad Gentium revertamur.

Istri piratæ oram Italiæ depopulantur.

Bellum Istricum; Istrique victi, & Istria Romanis dedita.

Cum tertium Macedonicum bellum, auctore Perseo Philippi filio, jam immineret, Gentium quo-

Ibi Gentio querela ad Senatum delata. Liv. Dec. 5. Libr.

quoque Illyriorum regem ſuſpectum Iſſenſes Legati fecerunt, ſimul queſti fines ſuos ſecundo ab eo vaſtatos eſſe, ſimul nunciantes uno animo Macedonum atque Illyriorum Reges communique conſilio parare Romanis bellum, & ſpecie legatorum Illyrios ſpeculatores Romæ eſſe, ut quid ageretur, ad Perſeum referrent. Illyrii vocati in Senatum, cum legatos ſe eſſe miſſos ab Rege dicerent ad purganda crimina, ſi qua de Rege Iſſenſes detuliſſent, ſine reſponſo curia, atque urbe, juſſi ſunt excedere. Cæterum Gentius fecerat potius, cur ſuſpectus eſſet Romanis, quam ſatis ſtatuerat, utram partem ſequeretur; impetuque magis, quam conſilio iis aut illis ſe adjuncturus videbatur.

Appius Legatus Romanor. ad Gentiū.

Anno ante Chriſtum 171. cum ab urbe Roma Legati in Græciam veniſſent, ut circumeuntes Græcorum oppida regionesque, populos ad fœdus cum Romanis contra Perſea regem jungendum ſollicitarent, L. Decimius miſſus eſt ad Gentium, ut eum, ſi aliquem reſpectum amicitiæ habere cerneret, tentaret, aut etiam ad belli ſocietatem pelliceret. Sed quid reſponſi ad Senatum Decimius retulerit, Livius non memorat. Interea Gentius tres & quinquaginta lembos militibus, omnique bellico apparatu inſtruxerat, eo fortaſſe conſilio, ut illos ad eam partem adjungeret, quo ſe fortuna inclinaret. Hos apud Dyrrhachium cum duodecim Iſſeorum lembis Lucretius frater C. Lucretii Prætoris nactus, ſimulans ſe credere eos in uſum Romanorum comparatos eſſe, in Cephalæniam abduxit. Hoc autem anno denunciatum eſt Perſeo bellum, quocum P. Licinius Conſul duplici prælio equeſtri, primo adverſo, altero proſpero conflixit. Sub hanc pugnam victoriamque equeſtrem, legatus in Illyricum a Conſule miſſus opulenta duo oppida vi atque armis coegit in deditionem, omniaque iis ſua conceſſit, ut opinione clementiæ eos, qui Carnuntem munitam urbem incolebant, alliceret. Poſtquam nec ut dederent ſe, compelleret, nec capere obſidendo poterat, ne duabus oppugnationibus nequicquam fatigatus miles eſſet, quas prius intactas urbes reliquerat, militibus diripiendas dedit. Duo illa oppida cum ad Perſei regnum haud dubie pertinerent, nondum enim Romanis cum Gentio juſta belli cauſa interceſſerat, ſita fuiſſe arbitror in ea Illyrici parte mediterranea, quæ inter Drilonem & Acroceraunios montes confinis erat Macedoniæ; ſed eorum nomen cum Livius ſilentio prætereat, certa poſitio deſignari non poteſt. Cave autem Carnuntem, cujus hoc loco meminit Livius, cum Carnunto, ſive ut Ptolemæus vocat, Carnunte perantiquo ac celebri Pannoniæ oppido confundas, ſecutus Schonlebium, qui ex illis duabus civitatibus immenſo terrarum ſpatio disjunctis unam conflavit, eamque Pannoniæ attribuit. Neque enim veriſimile eſt, ut Conſul a Macedonia locisque finitimis, in quibus bellum gerebatur, Romanoque exercitu, tam longe ſuum Legatum abduci cum parte copiarum voluerit; præterquamquod nihil tum rei ſeu belli Romanis erat cum Pannoniis, ad quos neque pertinebat Macedonicum bellum, ac ne fama quidem ejuſdem belli fortaſſe pervenerat. Adde, quod Pannonia nondum ad jus nomenque Illyricum acceſſerat, cujus finibus Carnuntem Livius incluſit; neque ante Auguſtum arma vexillaque Romana viſa ſunt Pannoniis, cum jam ab Occaſu Galliam & Hiſpaniam, a Meridie Africam, ab Oriente Græciam Aſiamque victoriis peragraſſent. Carnuntem itaque Livianum in eadem regione Illyrica conſtitutum fuiſſe arbitror, in qua poſita erant duo illa oppida anonyma opulentiſſima, quæ Romani ad deditionem perpulerant.

Bellum inſigne ab Perſeo, Liv. lib. 42.

Carnuntes oppidum Illyricum diverſum a Carnunto oppido Pannoniæ.

Quamvis autem nuſquam alibi, quam in Macedonia bellum eſſet, Senatus tamen ſuſpectum ob eas, quas dixi, cauſas Gentium Illyriorum regem cum haberet, octo naves ornatas a Brunduſio cenſuit mittendas ad C. Furium legatum Iſſam, qui cum præſidio duarum Iſſenſium navium Inſulæ præerat, & duo millia militum in eas naves imponi juſſit. Eodem anno, qui belli Macedonici ſecundus, ante Chriſtum 170. erat, C. Hoſtilius Conſul Ap. Claudium in eam Illyrici partem, quæ Driloni & montibus Acroceraunis interjacet, cum quatuor millibus peditum miſit, ut accolas Illyrioi tutaretur; qui non contentus iis, quas adduxerat, copiis, auxilia ab ſociis corrogando ad ſeptem millia hominum vario genere armavit, peragrataque omni ea regione ad Lychnidum in Daſſaretiis conſedit. Nihil tamen hoſtile ſive C. Furius, ſive Ap. Claudius contra Gentium ſuſpectum quidem, ſed nondum alterutri parti aperte addictum geſſit. Verum Appius in Macedoniam tranſgreſſus ad Uſcanam copias cum admoviſſet, falſis ac fraudolentis oppidanorum pollicitationibus illectus, hoſtium duabus ſimul portis erumpentium improviſo impetu oppreſſus cum toto exercitu in fugam vertitur. Itaque fugientes plures quam pugnantes interempti ſunt; & magna copiarum parte amiſſa ad Lychnidum protinus reliquias cladis reduxit. Cæterum Uſcanam deinde ſeu vi, ſeu deditione in poteſtatem Romanorum veniſſe ex Livio haud dubie colligitur, quippe qui eam urbem & Romano præſidio munitam, & a Perſeo oppugnatam captamque anno inſequenti, memoriæ prodidit.

Copiæ a Romanis in Illyricū adductæ.

Appius, cæſus & fugatus.

Ab initio hujus belli Macedonici tertius jam annus inierat, ante Chriſtum 169. cum Gentius partim fraude, partim ſpe regni amplificandi, promiſſiſque ingentibus pellectus, demum ſocia cum Perſeo arma avidius, quam cautius conjunxit; quo quidem fœdere ſibi pariter regnoque extremum exitium conſcivit. Perſeus ratus, ſi domuiſſet finitimos ac proximos Illyriorum, Gentium quoque Regem jamdiu dubium in ſocietatem pellici poſſe, & ab ea parte Romanis aditum in Macedoniam intercluſum iri, hyeme ſumma cum decem millibus peditum præter duo millia levium armatorum, & quingentis equitibus profectus Stuberam venit. Inde frumento complurium dierum ſumpto, juſſoque apparatu oppugnandarum urbium ſequi, primum ad recuperandam Uſcanam urbem in Peneſtis maximam, quam cum delecta juventute Illyriorum Romanum præſidium tenebat, exercitum duxit. Miſſi, qui tentarent oppidanorum animos, cum nihil pacati retuliſſent, oppugnare eſt adortus; & cum ſine intermiſſione interdiu noctuque omni tormentorum genere mœnia quatere inſiſteret, ſuſtinuerunt tamen aliquot dies eam tempeſtatem propugnatores urbis. Sed adverſus vim pares non erant, neque intus ſatis frumenti aliarumve rerum ad obſidionem diutius tolerandam ſuppetebat. Itaque cum ſpei nihil ad reſiſtendum eſſet, deditio facta eſt. Exinde alia ejuſdem regionis caſtella aut vi capta, aut voluntate dedita in poteſtatem redegit. Poſtremo ad Oæneum, qua tranſitus eſt in Labeates, ubi Gentius regnabat, oppidum mœnibus validum, hinc amne Artato præterfluente, hinc monte prærupto difficilique aditu cinctum, caſtra poſuit; quod nocturno diurnoque labore vehementiſſime oppugnatum, tandem cum per vim cepiſſet, Stuberam victorem exercitum reduxit. Inde ad Gentium legatos miſit, inter quos erat Pleuratus ille, cui poſt ſecundum bellum Macedonicum Romani Lingum & Parthinos donaverant. Is regno expulſus ſive ab ipſis Romanis, quod

Gentius cum Perſeo fœdus jungit, & Romanis aperte bellum infert.

Res Perſei proſperæ in Illyrico.

Legationes Perſei ad Gentium.

Digitized by Google

quod Perſeo ſtuderet, ſive a ſuis, quod avare crudeliterque imperaret, apud Perſeum exulabat: Pleurato autem conſanguinitas fortaſſis cum Gentio Illyriorum rege interceſſerat; idque conjici poteſt ex ipſo ejus nomine, quo & parentem & tristavum Gentii appellatum invenio. Nomen autem gentile, ac duabus familiis Regum Illyriorum commune, argumento eſt utramque familiam ab uno olim, eodemque ſtipite prognatam fuiſſe, ac deinde alteram ab altera ſejunctam eſſe. Huic igitur Perſeus eam legationem potiſſimum decreverat, quod quæ illi erat cum Gentio ſanguinis communio, magni momenti ad regis animum, quo volebat, impellendum eſſe poſſe videretur. Pleurato autem ac cæteris legatis mandavit, ut exponerent æſtatis ejus hyemiſque acta ſua adverſus Romanos: adjicerent recentia in Illyrico hyberne expeditionis opera: hortarentur Gentium ad ſocietatem ſecum & cum Macedonibus jungendam. Hi tranſgreſſi jugum Scordi montis in Labeates pervenerant: cumque Scodram urbem regiam, regnique Illyrici arcem adiiſſent, Rege non invento, qui tum forte Liſſi erat, illuc acciti ſunt, benigneque auditi mandata regia expoſuerunt; quibus Gentius hoc reſponſi dedit, voluntatem ſibi non deeſſe ad bellandum cum Romanis, cæterum ad conandum id, quod velit, pecuniam maxime deeſſe. Hęc Stuberam Perſeo cum retuliſſent, extemplo iidem Legati addito Glaucia ex numero cuſtodum corporis regii remittuntur, ſine mentione pecuniæ, qua una Gentius impelli ad bellum poterat. Sed iidem haud multo poſt re infecta ab Gentio eadem referentes redierunt. Interea L. Cælius Legatus Romanus præerat Illyrico, qui nihil movere auſus, cum iis locis Rex eſſet, poſt profectionem demum Perſei, conatus in Peneſtis Uſcanam recipere, a præſidio Macedonum cum multis vulneribus repulſus, Lychnidum copias reduxit. Deinde cum ab cæteris urbibus, quæ in amicitia & fide permanſerant, tum a Parthinis, qui expulſo Pleurato in ditionem Romanorum redierant, obſides dari juſſit. Perſeus vero alios atque alios ad Gentium legatos mittendo eum tentare non antea deſtitit, quam pecunia pacta, & fraude adjecta, ad ſuam voluntatem perduxit.

Milites Romani ab Uſcana repulſi.

Nam Perſeus, poſtquam intraſſe Macedoniam Romanos, & adeſſe diſcrimen ultimum belli animadvertit, nihil moræ interponendum cenſuit, quin omni modo Gentium ad hujus belli ſocietatem pertraheret, cum appareret, quantum in eo præſidii eſſet, nec tamen ab homine impetrare poſſet, ut ſine præſenti pecunia id bellum ſuſciperet. Cum igitur jam per Hippiam legatum trecenta argenti talenta pactus eſſet, itaut obſides ultro citroque darentur, Pantaucum miſit ad rem perficiendam, qui jusjurandum a Rege & obſides accepit. Miſſus eſt a Gentio itidem Legatus nomine Olympio, qui jusjurandum itidem a Perſeo obſidesque exigeret, cui duos alios adjecit, qui promiſſam pecuniam acciperent, ac deinde cum legatis Perſei Rhodum trajicerent. Venientibus Illyriis Perſeus ex caſtris cum omni equitatu profectus ad Dium occurrit. Ibi ea, quæ convenerunt, circumfuſo agmine equitum expoſita, & obſides in conſpectu omnium dati acceptique. At cum ad ſolvendam ex pacto pecuniam ventum eſt, ibi fraus ac dolus Perſei intervenit. Nam cum Peliæ in urbe ampliſſima Macedoniæ, ex ærario regio trecenta talenta miſſis a Gentio numeraſſet, ſignare eos pecuniam paſſus eſt, quam Perſeus deinde ad Gentium per ſuos deferendam curaret. Inde decem talenta ad Pantaucum miſſa, eaque præſentia dari Gentio juſſit; reliquam pecuniam ſignatam Illyriorum ſigno portantibus ſuis præcepit parvis itineribus veherent; & cum ad finem Macedoniæ ventum eſſet, ſubſiſterent ibi, ac nuncios ab ſe opperirentur. Gentius exigua parte pecuniæ accepta, cum aſſidue a Pantaneo ad lacesſendos hoſtili facto Romanos ſtimularetur, M. Perpennam & L. Petilium legatos, qui tum forte ad eum venerant, in cuſtodiam conjecit. Hoc audito Perſeus, ratus Gentium in eam neceſſitatem belli cum Romanis ſe induxiſſe, unde jam expediri non poſſet, protinus miſit ad revocandos, quibus pecuniam Gentio afferendam tradiderat. Ita Gentius partim cupiditate, partim fraude Perſei ſe bello Macedonico implicuit, quod ei libertatem ac regnum ademit.

Perſeus eandem perpulit Gentium ad fœdus contra Romanos. *Liv. Dec. v. lib. 4.*

Legatorum juriſque communis violatio Gentium Romanis, qui eum antea ſuſpectum habuerant, hoſtem apertum declaravit. Itaque anno ante Chriſtum 168. cum L. Æmilio Conſuli Macedonia bellumque Macedonicum obvenisſet, L. Anicio bellum adverſus Gentium cum Prætura Illyrici decretum eſt, quem Senatus juſſit in provinciam Illyricam Appio Claudio ſuccedere. Interea Gentius gnaviter impigreque ad bellum cum Romanis gerendum ſe comparabat; ad quindecim millia armatorum conſcripſit, Liſſum omnes copias contraxit; lembos octoginta inſtruxit, quos deinde miſit ad Dyrrhachinorum & Apolloniatium agros populandos. Inde Caravantium fratrem ad Caſios gentem Illyricam vi aut terrore ſubigendos cum mille peditibus & quinquaginta equitibus proficiſci juſſit, quem quidem Durnium oppidum advenientem benigne excepit, Caravantis vero altera Caſiorum civitas excluſit; ipſe vero ad Baſſaniam urbem quinque millia ab Liſſo duxit exercitum; eam ſocii Romanorum incolebant, qui permiſſos nuncios prius tentati obſidionem pati, quam dedere ſe maluerunt. Jam veris principium erat, Aniciuſque Prætor cum terreſtribus & navalibus copiis in provinciam venerat; qui Apolloniæ cum ſubſtitiſſet, præmiſit ad Appium litteras, ut cum exercitu, & copiis auxiliaribus Apolloniatium, & Dyrrhachinorum, itemque Bulionorum, quos Iſſenſes ſubſidio miſerant, ſe ad Genuſum amnem opperiretur, inter Apſum flumen & Apolloniam, ubi tum caſtra habebat. Triduo poſt illuc ſe contulit; & exercitum ab Appio, ſociorumque ſubſidiarias copias cum accepiſſet, iis duo millia peditum, & ducentos equites ex delecta Parthinorum juventute adjunxit. Nihil ſibi prius faciendum cenſebat, quam ut Baſſanitas ſolveret obſidione; ſed fama lemborum vaſtantium oram maritimam id conſilium, decretamque jam expeditionem avertit. Itaque Anicius primum mari cum hoſtibus proſpere conflixit. Claſſe Gentiana diſjecta, navigiis partim captis, partim fugatis, partim demerſis vel incenſis, ab agris Dyrrhachinorum & Apolloniatium direptionem ac vaſtitatem depulit, totamque illam oram maritimam ab omni metu periculoque tutam præſtitit. Nihilo ſegnius rem terra, minuſve feliciter geſſit. Itaque copiis ultra Drilonem traductis, brevi totum regnum in poteſtatem redegit. Nam cum aliquot urbes vi cepiſſet, reliquæ omnes ultro ſe libenterque dediderunt, adjuvante inclinationem animorum clementia in omnes & juſtitia Prætoris Romani. Ad Scodram tandem ventum eſt; id quod caput belli fuerat, non eo ſolum, quod Gentius eam ſibi ceperat velut regni totius arcem, ſed etiam quod erat Labeatium gentis longe munitiſſima & difficilis aditu. Illuc Gentius cum validiſſimo præſidio, principibuſque Illyriorum confugerat. Itaque

Copiæ terreſtres & navales Gentii.

Dolus Perſei.

Anicius mari rem proſpere geſſit.

Digitized by Google

Scodram obſidet, & Gentius, urbe tradita, ſe quoque cum uxore & liberis Anicio dedit.

que inſtructo exercitu ad mœnia ſuccedit. Illyrii oppugnationem haud expectandam rati, urbe erumpentes prælium loco æquo, majore animo commiſerunt, quam ſuſtinuerunt. Cæſi repulſique tantum intulerunt terrorem, ut oratores extemplo ad Prætorem mitteret Gentius, per quos inducias peteret. Trium dierum induciæ datæ; quæ cum exiiſſent, Rex fruſtratus ſpe auxilii, quod a Caravantio fratre brevi allatum iri falſo rumore acceperat, præmiſſis nunciis, ut ſibi conveniendi Prætoris poteſtas fieret, copia ejuſdem adeundi facta, in caſtra venit, & ſemet ſuamque ſtultitiam cum incuſaſſet, poſtremo ad preces & lacrymas effuſus, genubus Prætoris accidens, in poteſtatem ſe atque urbem dedit. Anicius Scodra recepta Petilium, Perpennamque legatos vinculis exemit, quibus ſplendore ſuo reſtituto, Perpennam protinus mittit ad comprehendendos amicos cognatoſque Regis, qui Medeonem Labeatium gentis urbem profectus Etlevam uxorem Gentii cum filiis duobus Scerdileto Pleuratoque, & Caravantium fratrem Scodram in caſtra adduxit. Anicius bellum Illyricum intra triginta dies confecit, quod nuncio victoriæ Perpenna Romam miſſo, prius perpetratum, quam cœptum, in urbe auditum eſt. Nec multis poſt diebus Romam perduci juſſit Gentium Regem ipſum cum conjuge ac liberis, & fratre, aliiſque principibus Illyriorum.

Perſeus victus Romanis ſe tradidit.

Eodem anno ante Chriſtianam epocham 168. bellatum eſt cum Perſeo, qui a P. Æmilio Conſule magno prælio victus, in quo Macedonum ad viginti millia cæſa, ad undecim millia capta traduntur, cum apud Samothraces ſe recepiſſet, relictus a ſuis ad Romanos tranſeuntibus, ſeſe filiumque Philippum Cn. Octavio Prætori tradidit; & ad Conſulem in caſtra perductus, inde Romam, in vinculis miſsus eſt. Inſignis ea victoria, regnique Macedonici occaſus, fuit lunari defectione, quam pridie ejus diei, quo certatum eſt, accidiſſe ferunt. Ut autem Paullus Æmilius, & Cn. Octavius de Perſeo & Macedonibus, ſic L. Anicius de Gentio & Illyriis Romæ triumpharunt. Ante currum Anicii Gentius rex cum conjuge & liberis, & Caravantius frater Regis, & aliquot Nobiles Illyrii ducti. De præda militibus in ſingulos quadragenos quinos denarios, duplex Centurioni, triplex equiti, ſociis nominis latini quantum civibus, & ſociis navalibus quantum militibus Anicius dedit. Reliquum ex Illyrico prædæ lembi centum & viginti erant, qui partim Corcyræis, partim Apolloniatibus, partim Dyrrhachinis tributi ſunt. Rex Gentius cum liberis & conjuge & fratre Spoletum in cuſtodiam traditus; cæteri captivi in carcerem conjecti; recuſantibuſque cuſtodiam Spoletinis, Iguvium traductus eſt. Ita demum Perſeo & Gentio victis, Macedonicum pariter atque Illyricum regnum extinctum eſt, redactumque in formam provinciæ. Hæc Livius Dec. 5. lib. 5.

Anicius Illyrios dat, aliis libertatem, aliis immunitatem.

Antequam Anicius ex Illyrico diſcederet, Scodræ conventum habuit, evocatis ex tota provincia principibus, ibique ex Senatusconſulto, ac de ſententia Legatorum, qui ad res Illyricas cum Prætore componendas ex urbe venerant, generatim quidem Illyriis omnibus libertatem, nominatim vero aliquibus immunitatem inſuper dedit. Quippe immunes fore declaravit primum Iſſenſes, quod antea ſocii cum eſſent, in amicitia populi Romani cum fide permanſerint, ſuiſque Romanos in eo bello auxiliis juverint; deinde Taulantios, Piruſtas, Rhizonitas, Olciniatas, quod incolumi Gentio ad Romanos defeciſſent; Daorſeos ſive Daorizos, quod relicto Caravantio cum armis ad Romanos tranſiiſſent; at Scodrenſibus, ceteriſque Illyriis vectigal impoſuit dimidium ejus, quod Regi pendebant. Hoc autem intereſt inter eos, quos Prætor liberos, quoſve immunes eſſe juſſit, quod hi quidem omni onere ac dominatione exempti pro ſociis & amicis populi Romani haberentur; illi vero ita liberi eſſent, ut ſuis quidem legibus uterentur, ſuos conventus agerent, ſuos Magiſtratus crearent, ſuis præſidiis ſuas urbes tuerentur; ſed annuum tributum Romanis perſolverent, & Romano Prætori ad omnia præſto eſſent, ejuſque imperata facerent. Nam etiam Macedonibus libertatem fere in eamdem formulam fuiſſe conceſſam invenio, quos quidem uti & Illyrios liberos, ſed non immunes, quin redactos eſſe conſtat ſub imperium populi Romani, & ex utriſque duas conflatas provincias, alteram Illyricam, alteram Macedonicam. Cæterum ea formula, quam pro tribunali L. Anicius pronunciavit, quaque Illyrios vel immunes, vel liberos fore declaravit, mendoſa apud Livium Dec. v. l. 5. videtur. Nam immunitate idcirco Iſſenſes donati eſſe dicuntur, quod a Gentio defecerint, cum hos Gentio non ſubditos, ſed inimicos fuiſſe, ex iis, quæ antea ſcripſit Livius, appareat; quapropter iiſdem non datam, ſed potius, qua prius fruebantur, immunitatem confirmatam eſſe dixerim, propterea quod in fide & amicitia populi Romani permanſerant. Idem animadvertit Hiſtoricus Dalmata lib. 1. cap. 1. & paullo aliter ac nos fecimus, mendum illud corrigendum cenſuit: *Iſſenſes vero*, inquit, *qui primi inter liberos & immunes a Livio numerantur, ſicuti ex præcedentibus verbis Gentio non fuiſſe ſubditos, imo inimicos patetſita Livium eoſdem cum cæteris Illyriis, quibus tunc, quod incolumi Gentio ad Romanos defeciſſent, libertas & immunitas conceſſa fuit, Iſſenſes perperam nominaſſe conſtat: & iis, qui a Gentio defecerant, libertatem & immunitatem, qua Iſſenſes populi Romani ſocii fruebantur, conceſſam ſcribere debuiſſe*. De Taulantiis etiam dubitari poteſt, ſubjectine, an exempti eſſent imperio Gentii. Si hos cum aliquibus inter Drilonem ac Dyrrhachium locandos cenſeas, cum ab Liſſo urbe Gentiana prope abfuerint neceſſe ſit, eos in ditione Gentii fuiſſe facile conceſſerim. At ſi Taulantii, quod vero propius eſt, idque a pleriſque Geographis traditur, oram maritimam incolebant inter Dyrrhachium & Apolloniam, ut credam illos Gentiani regni finibus incluſos fuiſſe, adduci non poſſum; præſertim cum Dyrrhachium Liſſo & Taulantiis interjacens ad regnum Gentii non pertineret. Nec facile dixerim, cur *Piruſtas Daſſaretiorum* vocaverit, cum Piruſtæ citra Drilonem poſiti longe abeſſent a Daſſaretiis. Inter populos tributi lege Romanis addictos cum Scodrenſibus annumerat Daſſarenſes, & Selepitanos. De Selepitanis Illyricis cum præter Livium nemo mentionem fecerit, eorum ſedes ignoro. Daſſarenſes haud diverſos a Daſſaretiis eſſe arbitror, quos alii Daſſaritas vocant. Hos vero cur Anicius tributo ſubjecerit, non intelligo; cum Lychnidus hujus gentis caput ac civitas primaria contra Perſeum a Romanis conſtantiſſime ſteterit. Cum autem Anicius, ut ait Livius, in tres partes Illyricum diviſerit, *unam*, inquit, *eam fecit, quæ ſupra dicta eſt*. Sed quænam hæc prima pars eſſet, ex iis, quæ ſupra dixit, vix aut ne vix quidem intelligi poteſt; niſi forte ex illis populis, qui in ea formula nominantur, quique non includuntur neque in ſecunda, neque in tertia parte, compoſita fuerit, nimirum ex Iſſenſibus, Taulantiis, Daſſaretiis, Piruſtis, Daorſeis, Selepitanis; ſed hæ gentes lon-

Medea quædam formula Liviana corrigenda.


Taulantii an Gentio ſubjecti?

Anicius Illyrios in tres regiones diviſit.

Digitized by Google

longius inter se distabant, quam ut in unam Illyrici partem apte coalescere possent. Reliquas duas partes ita descripsit, ut explicatione non indigeant. In alteram siquidem Labeatas omnes, quorum civitas princeps erat Scodra, in tertiam Agravonitas, & Rhizonitas, & Olciniatas accolasque eorum conjecit. Sed ipsam Livianam formulam ac partitionem hic subjiciendam censeo, ut Lectores per se ipsi dispiciant, quænam utrique sive correctio, sive interpretatio adhiberi possit: *Ibi* (Scodræ Anicius) *pro tribunali pronunciavit de sententia concilii, Senatum populumque Romanum Illyrios esse liberos jubere, præsidia ex omnibus oppidis, arcibus & castellis sese deducturum: non solum liberos, sed etiam immunes fore Issenses, & Taulantios, Dassaretiorum Pirustas, Rhizonitas, Olciniatas, quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent; Daorsеis quoque immunitatem dare, quod relicto Caravantio cum armis ad Romanos transissent. Scodrensibus, & Dassarensibus, & Selepitanis, cæterisque Illyriis vectigal dimidium ejus, quod regi pendissent, imponere. Inde in tres partes Illyricum divisit; unam eam fecit, quæ supra dicta est, alteram Labeatas omnes, tertiam Agravonitas, & Rhizonitas & Olciniatas, accolasque eorum.* Itaque Romani cum jam antea partem Occidentalem Illyrici, Carniam videlicet, Istriamque in potestatem redegissent, ut capite proximo explicabimus; itemque primo, atque altero bello Illyrico extremam ad Meridiem Illyrici partem aut ad imperium, aut ad societatem sibi adjunxissent, quæ ab Drilone usque ad montes Acroceraunios protenditur; hoc demum tertio bello Illyrico potiti sunt totius Illyrici primigenii, sive proprii, Naronem inter Drilonemque interjecti, quod tres in partes divisum cum esset, in unam Romanam provinciam deinde coaluit, propagatis ab Occasu finibus usque ad Titium, idque ab Romanis simpliciter Illyricum vocari solebat tempore civilis illius belli, quod anno ante Christum 49. inter Cæsarem & Pompejum exarsit. Verum Romanorum ditione atque imperio tum exemptæ fuerunt urbes gentesque illæ, quibus in formula paullo ante descripta nominatim cavetur, iisdemque immunitas etiam, non libertas solum donatur. Quod autem supererat Illyrici intermedii cum insulis adjacentibus, id fere omne ad Liburnos ac Dalmatas pertinebat, qui se jampridem ex dominatu Gentii in libertatem exemerant. Hi siquidem cum se a bello Macedonico abstinuissent, neque aut Romanos, aut Perseum juvissent, nihil a Romanis victoribus seu detrimenti, seu beneficii acceperunt. Restat, ut hic Lectorum oculis subjiciam stemma genealogicum Regum Illyricorum ex genere Celtico.

Reges Illyrici.



§. VIII.

Regiones Illyrico adjectæ sub imperio Regum Celtarum.

SUb Pelasgis nomen Illyricum intra illos fines se continuit, Titium scilicet ac Drilonem, quibus definiebatur regnum Hylli, quem gentis Illyricæ conditorem ac parentem fuisse diximus. Nihilo ampliores terminos habuit sub imperio Liburnorum, qui Pelasgis expulsis, cum occupassent Illyricum, & regiones Illyrico utrinque ab Ortu & Occasu finitimas, genus quidem regnumque Liburnicum longe lateque propagarunt; sed nomini ac finibus Illyrici nihil ab illis seu detractum, sive adjunctum fuit. Itaque generis, ac nominis Illyrici incrementum atque amplificationem Celtis adscribendam censeo, qui Liburnis vel ad fugam compulsis, vel jus imperiumque Celticum subire coactis, postquam in antiquo Illyrico Titium inter ac Drilonem regnum condidissent, vocabuli ac regni Illyrici fines primum usque ad Epirotas, deinde usque ad Venetos protulerunt.

Regio inter Drilonem & Acroceraunios Illyrico per Celtas adjuncta.

Primum itaque ad jus ditionemque Illyrici accessit regio illa, quæ ab Drilone ad montes Acroceraunios porrecta ab Oriente paullulum deflectens vergit ad Meridiem. Hanc vel Epirotis vel Macedonibus ademptam, quibuscum Illyrii Celtæ assidue bellum gerebant, illi, qui ante Bardylem apud Illyrios regnarunt, Illyrico adjecerunt. Nam Scriptores omnes, qui describunt antiquum Illyricum, antequam in Romanorum potestatem concederet, veluti Scylax, Schymnus, Dionysius Alexandrinus, Strabo, Pomponius Mela, ejusdem fines usque ad montes Acroceraunios producunt. *Post Liburnos gens est Illyriorum, quæ oram maritimam accolunt ad Chaoniam usque, quæ juxta Corcyram Alcinoi insulam est.* Scylax. *Porrecta deinceps Illyris quamplurimas coercet gentes.*

Schymnus, qui deinde perſequitur deſcriptionem Illyrici, eique Lychnitim lacum, cæteraſque urbes Driloni & Ceraunijs interjectas attribuit. *Poſt vero immenſum tractum ducens Illyricam circum terram volvitur uſque ad jugum, monteſque excelſos, quos Ceraunios vocant.* Dionyſius Afer. *Quemadmodum autem oram Illyrici deſcribentes, uſque ad Ceraunios montes progreſſi ſumus ..... Tota hæc via Egnatia vocatur, prima pars ad Candaviam Illyrici montem per urbem Lychnidum, & Pylonem, qui locus in via diſtinguit a Macedonia Illyricum.* Strabo. *Deinde Ceraunii montes, ab iis flexus in Adriam. Hoc mare magno receſſu littorum acceptum, & vaſte quidem in latitudinem patens, qua penetrat tamen vaſtius Illyricis uſque Tergeſtum, cætera Gallicis Italiciſque gentibus cingitur. Parthini & Daſſaretæ prima ejus tenent, ſequentia Taulantii &c.* Mela. Vide caput 3. §. 4. Hujus regionis urbes maritimæ Veterum litteris celebratæ fuerunt Epidamnus ſive Dyrrhachium, Apollonia, Aulon hodie Vallona, Bullis ſeu Byllis, Amantia, Oricum. Ex his autem Dyrrhachium, & Apollonia, quamvis interdum fuerint ſub imperio Regum Illyricorum, tamen civitates erant per ſe liberæ, & antiquam libertatem, ſi quando amiſiſſent, recuperare omni ope operaque conabantur. Oram maritimam populi duo celebriores accolebant; Taulantii, quos aliqui inter Liſſum & Dyrrhachium, plerique inter Dyrrhachium & Apolloniam collocant; Parthini infra Taulantios ad Meridiem, quos alii ſupra Taulantios ad Septemtrionem conſtituunt; alteros alteris finitimos fuiſſe conſtat. In mediterraneis Beſſania a Liſſo quinque paſſuum millibus diſtans in meridiem; Parthus civitas haud procul a mari & Dyrrhachio diſtans, unde Parthini appellati; longius a mari populi Albani, eorumque urbs Albanopolis; Æſtræi, Æſtræum oppidum; Daſſaretæ, quorum primaria civitas Lychnidus ad lacum cognominem appoſita; inter hunc & mare Scampis oppidum, cujus Ptolemæus & Stephanus meminerunt. Sequuntur meridiem verſus Eordæi, ſive Eordetæ; Elymæi, quorum urbs Elymæa, regio Elymiotis; Oreſtæ, & Celetrum Oreſtidis regionis caput; demum Atintanes, & Antigonia civitas, unde per anguſtas fauces montium Acroceraunicrum tranſitus erat in Epirum. Sunt, qui Atintanes longius a mari ſummovent, rejiciuntque ad radices montium, qui hanc Illyrici partem, Epirumque a Theſſalia diſcriminant. In hanc quoque regionem Livius videtur conjicere Cavios populos, itemque oppida illorum Caravantem & Durnium. Cæterum quam certi ſunt fines, quibus hanc partem Illyrici Drilo a Septemtrione, mare ab Occaſu, montes Acroceraunii a Meridie circumſcribunt, tam varius eſt, incertuſque limes, quo definitur ab regione Orientis, & disjungitur a Macedonia, quem alii contrahunt, alii latius extendunt. Sunt qui Eordeos atque Elymæos Macedoniæ, ſunt qui Illyrico attribuunt. Livius produxit Illyricum uſque ad Borum montem, cui partem quartam Macedoniæ ſubjecit, inde longe lateque in Meridiem porrectam; & Peneſtas ejuſdem montis ab Occaſu accolas cum Uſcana & Oæneo Peneſtarum oppidis Illyrico adſcripſit: Peneſtas quippe gentem Illyricam vocat. Ab hac ſiquidem parte fines Illyrici ſæpe variatos reor propter aſſidua Illyriorum cum Macedonibus bella; & dilatatos cum vincerent, contractos cum vincerentur Illyrii, fuiſſe oportet. Hanc regionem intrfluunt quinque amnes memoratu digni, Panyaſus, Apſus, Genuſus, æquali fere ſpatio disjuncti, qui Dyrrhachium inter & Apolloniam; Aous ſive Acus, qui haud procul Apollonia, & Calydnus, qui ad meridiem infra Amantiam in mare delabuntur. Eandem regionem interſecat via Egnatia Geographorum tabulis ac litteris celeberrima. Huic ex deſcriptione Strabonis duplex caput ſive initium fuit, alterum apud Dyrrhachium, alterum apud Apolloniam pro duplici ex Italia trajectu vel Brunduſio Dyrrhachium, vel Hidrunte Apolloniam. Hæc igitur bipartita in ortum progrediens poſt quadrageſimum tertium a Dyrrhachio, undequinquageſimum milliare ab urbe Apollonia, in unum coibat ad montes Illyricos Candaviæ, & per Lychnidum Daſſaretiorum, per Heracleam Lynceſtarum urbes, per Edeſſam, Pellam, Theſſalonicam Macedoniæ, per Amphipolim, Philippos, & reliqua deinceps Thraciæ oppida ad Hebrum flumen ducebat: Romanorum opus haud dubie, Romano more, ut viæ per Italiam, lapidibus ſtratum ac munitum, milliaribus diſtinctum, & longiſſimo quingentorum & viginti quinque milliarium tractu ad Hebrum uſque perductum. Hæc autem, quam deſcripſimus, pars Illyrici ad ortum & meridiem extrema, cum poſt victum Perſeum, ſublatoſque Reges Illyrici ac Macedonię in Romanorum poteſtatem veniſſet, Illyrico vocabulo paullatim obſoleſcente, pars Macedoniæ haberi & vocari cœpit; ſic prorſus, ut cum bellum civile inter Cęſarem ac Pompejum ferveret, non alio niſi Macedoniæ vocabulo appellaretur: *Dyrrhachium quondam in Parthinis Illyriis ſita*, inquit Dio Caſſius lib. 41. *jam vero etiam tunc* (ideſt civilis belli temporibus) *Macedoniæ annumerata. A Liſſo Macedoniæ provincia*, ait Plinius. Quocirca M. Tullius ſcripſit, Ligarium *in Macedoniam ad caſtra Pompei veniſſe*, quæ quidem ad Dyrrhachium poſita erant. Huc adde Appianum, alioſque ejuſdem belli civilis ſcriptores, qui hanc regionem Driloni fluvio & montibus Acroceraunijs interjectam Macedoniæ vocabulo ſubjiciunt. Hæc ſane ad regnum nomenque Illyricum adjuncta fuerat, ut diximus, ſub imperio Regum Illyricorum generis Celtici, qui ante Bardylem regnarunt, quique Illyrici fines in ortum ac meridiem produxerunt uſque ad montes Acroceraunios.

Anno ante Chriſtum circiter 240. Agron Pleurati filius rerum apud Illyrios potiebatur, qui cum terreſtribus copiis & maritimis plurimum polleret, non ſolum eam partem Illyrici finitimam Macedoniæ inter Drilonem & montes Acroceraunios, modo deſcriptam obtinebat, in qua Glaucias alter Illyriorum Rex olim dominabatur; ſed etiam nomen fineſque Illyrici regni ultra Titium uſque in Carnos propagavit; niſi forte ab hac parte ditionem ſuam in occaſum populis Liburniæ propriæ ſubigendis extendere cœperint vel Pleuratus parens, vel Clitus avus Agronis. Tum itaque ad Illyricum acceſſit Liburnia, Japydia, Iſtria, & Carnia ſi non omnis, certe pars Carnorum haud exigua; quæ quidem regiones exinde ad Illyricum pertinere, & Illyrici vocabulo appellari cœperunt. *Tempore Regis Agronis, & Teutæ*, ait Hiſtoricus Dalmata l. 1. c. 3. *quando Romani prima vice transfretarunt, Illyrici ex Occidentali parte uſque ad Carnos dilatatio facta eſt.* Cum autem Schymnus, Dionyſius Alexandrinus ſive Afer, Iſtros, Japydes, Liburnos, & Carnos ab Illyrico ſecludunt, ad ſuperiores ante Agronem ætates reſpexiſſe videntur, cum ſcilicet Illyricum ab Titio flumine initium ducebat. Sed Strabo, Pomponius Mela, Plinius, Ptolemæus, Appianus, alique fere omnes Geographi, & Scriptores antiqui Japydes & Liburnos inter populos Illyricos annumerant. Neque ulla controverſia eſſe poteſt, quin Illyrici finibus Iſtria quoque contine-

Hujus regionis urbes & populi, & hujusque.

Hæc regio poſtquam Romanorum imperium ſubiit, Macedonia appellari cœpit.

Sub Agronis imperio Liburnia, Japydia, Iſtria, Carnia ad Illyricum accedit.

Hujusdem regionis flumina, & via Egnatia.

Digitized by Google

neretur: *Doculmus*, inquit Strabo lib. 7. *in Italiæ deſcriptione primos in Illyrici ora maritima eſſe Iſtros conterminos Italiæ & Carnis*. Appianus lib. Illyr. Strabonem ſequitur: *Demetrius Iſtros Illyriorum nationem aliam ſibi vindicavit*. Ab neutro diſſentit Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. *Tergeſte intimo in ſinu Adriæ ſitum finit Illyricum*. An vero Carni aliqua ſaltem ex parte ad jus nomenque Illyricum pertinuerint, aliqua dubitatio eſſe poteſt, cum Strabo, & Mela Carnos Italiæ adſcribant. Sed omnem dubitationem eximit Appianus, qui ſi non omnem Carniam, ejus certe partem conterminam Iſtriæ, finibus Illyrici incluſit, cum *Codropolim* vocat *oppidum Illyricorum*, quod Octavius Cæſar & Antonius Romanum orbem inter ſe partientes, ditionis utriuſque limitem eſſe voluerunt. *Cæſar*, inquit, *& Antonius Romanum imperium inter ſe denuo partiti ſunt, fecerunteque terminum utriuſque ditionis Codropolim oppidum Illyricum, quod videbatur ſitum in intimo ſinu Adriatico*. His Appiani verbis hanc notam appoſuit Hiſtoricus Dalmata lib. 1. cap. 2. *Codropolim vero in Carnis fuiſſe hodiernum nomen loci Fori Julii, Codropio dicti, in ipſius ſinus intimo exiſtentis demonſtrat*. Neque aſſentior Ortelio ac Ferrario, qui Codropolim, cujus meminit Appianus, in extremam Illyrici ad Ortum regionem, ipſumque fere oſtium maris Adriatici rejiciunt; id quod minime cohæret cum Appiano Codropolim ſtatuente in intimo ſinu Adriatico, ideſt in ea regione, quæ ſita eſt ad receſſum intimum maris Adriatici. Cum enim Scriptores ſinum Adriaticum vocant intimum, non univerſum mare Adriaticum, neque ejus oſtium extremaſque fauces, quibus influit in Jonium, ſed ejus veluti caput atque initium intelligi volunt, quod Carni Veneticique circumcolunt; & *ſinus intimus* propterea dicitur, quia illic ora circumiens ſinuoſo interioriſque ambitu mare coercet, & duobus quaſi brachiis complectitur. Itaque ſi Appianum audimus, Carnia quoque, aut certe pars haud exigua Carnorum, in quibus eſt oppidum Codropolis, uſque ad imperium Auguſti, ad nomen ditionemque Illyrici pertinebat. Cum autem veluti quædam Illyrici appendicula eſſet, idcirco eam neque Strabo, neque Mela populis ac regionibus Illyricis annumerant. Plinius vero & Ptolemæus non modo Carniam, ſed Iſtriam quoque ab Illyrico ſejungunt, poſtquam videlicet Auguſtus provinciam utramque avulſam ab Illyrico in decimam Italiæ regionem conjecerat. Cæterum in Carnos Illyrici fines produxit etiam Herodianus lib. 8. cap. 1. cum urbem Aquilejam vocat quaſi terminum Illyriæ; itemque Baſilius Magnus, cum ſuæ ad Valerianum Epiſcopum Aquilejenſem epiſtolæ hanc inſcriptionem præpoſuit: *Valeriano Epiſcopo Illyriorum*, ſive ut in aliis Codicibus, *Illyrici*. Uterque vero dimenſionem Illyrici exegit ad normam veteris Geographiæ, quæ vigebat, antequam Auguſtus novam Romani orbis deſcriptionem, & Provinciarum diviſionem inveheret.

Parte Carniæ Illyrici finibus comprehenſa.

Codropolis oppidum Carnorum in Illyrico.

Herodotus pater Hiſtoriæ, & veterrimus Hiſtoricorum, qui annis quadringentis ante Chriſtum vixit, Venetos etiam videtur Illyrico adſcribere: *Hac lege*, inquit lib. 2. *& Venetos Illyriorum audio per ſingulos pagos uti*; non quod Veneti originе eſſent Illyrii, cum eorum genus alii quidem ex Gallia, & ab Oceano, plerique vero ex Aſia, & a Paphlagonia arceſſant; nemo autem ab Illyriis repetendum eſſe dixerit; ſed quia Illyrii ſuum nomen in Venetos uſque protulerunt. Quocirca ſi Veneti jam inde ab ætate Herodoti haberi ſolebant, dicique Illyrii, neceſſe eſt multis ætatibus ante regnum Agronis nomine ac finibus Illyrici *Illyricum Sacrum*.

Illyrici fines in Venetiam prolati ab Herodoto.

non Venetos ſolum, ſed multo magis Carnos, Iſtros, Japydes, ac Liburnos, qui propius aberant ab Illyriis primigeniis, comprehenſos fuiſſe: ex quo fieret, ut Agron regni quidem ſui fines in Occaſum ad Carnos uſque propagaverit, fines vero Illyrici non item; quippe cum ante annos amplius ducentos, cum Herodotus ſcribebat, regiones illæ, quamvis Illyricorum Regum imperio exemptæ, Illyrici tamen vocabulo ſubeſſent. Bernardus Juſtinianus in Hiſt. Ven. cap. 4. cum nemo Venetos Illyrios dixerit præter Herodotum, quem Servius fortaſſe ſecutus, poſtea ſcripſit Venetos ab Heneto Illyriorum rege dictos, haud dubitat Herodotum erroris arguere, cui tamen veniam dandam cenſet, quod deceptus fuerit propinquitate Illyriorum, a quibus haud ita magno terrarum ſpatio interjecto Veneti diſtabant: *Herodotus*, inquit, *ab antiquitate pater hiſtoriæ appellatus libro ſecundo, ubi de moribus Babyloniorum in nuptiis adjungendis narrat, ſe audiviſſe eamdem de nuptiis legem Venetis apud Illyrios in uſu tum fuiſſe. Quæ quidem provinciæ tametſi aliquantiſper locis disjungerentur, earum tamen propinquitas facile dat errori veniam. Inde fortaſſis Servius quoque Grammaticus Venetos voluit ab Heneto Illyriorum rege dictos. Sed in hac rerum antiquitate licet unicuique, quod magis libet, opinari*. Cæterum ſive regni tantum, ſive etiam nominis Illyrici fines Agron primus in Carnos uſque propagaverit, illud pro certo conſtitui poſſe arbitror, Agrone imperante, æque nomen ac regnum Illyricum ab Carnis uſque ad Epirotas inter mare Alpeſque longiſſime productum fuiſſe, & complexum Carniam, Iſtriam, Liburniam, & Illyricum proprium una cum duplici regione eidem Illyrico proprio utrinque adjecta, altera ad Occaſum inter Titium & Naronem, altera ad Orientem inter Drilonem & montes Acroceraunios interjecta. His adde inſulas fere omnes Illyricæ oræ adjacentes præter Iſſam, & fortaſſis unam alteramve Iſſæ proximam. Iſſenſes quippe, quamvis & ipſi communi Illyriorum vocabulo ſubeſſe cœpiſſent, Regum tamen Illyricorum imperio exempti, ſuis legibus, ſuiſque Magiſtratibus utebantur in Romanorum amicitiam ac ſocietatem adſcripti, & aliquid etiam oræ continentis poſſidebant, cum duabus munitiſſimis urbibus Epetio ac Tragurio. Illyricum autem univerſum ea tempeſtate his fere limitibus continebatur. Qua in Aquilonem ſpectabat, Juliis Alpibus, Albiis, Bæbiis, Ardiiſque montibus a Pannonia disjungebatur; qua vergebat ad Orientem mons Scardus Illyrios ſeparabat a Dardanis; infra quos ad Meridiem ſita cum eſſet Macedonia, ab hac parte fines alias contraxit, alias latius in Ortum Solis porrexit. A Meridie autem montibus Acroceraunis, quorum interjectu ab Epiro ſejunctum erat, & Mari ſupero; ab Occaſu demum Tillavento vel Liquentia Carnorum fluminibus terminabatur. Hic erat Illyrici ſtatus, hæc circumſcriptio, hi fines, cum Romani primum claſſe Superum mare transfretarunt, & bello Illyrios aggredi, parteſque Illyrici alias ex aliis primum ad amicitiam & ſocietatem adjungere, ac deinde in poteſtatem redigere cœperunt. Id porro Romanis debent Illyrii, quod multarum provinciarum acceſſione fines Illyrici latiſſime propagaverint. Nam quidquid gentium ac terrarum ſive ad Septemtrionem, ſive ad Orientem in Europa armis cepiſſent, id fere totum ad jus nomenque Illyricum adjungere ſolebant, exceptis Macedonia & Græcia, quæ demum ipſæ etiam æræ Chriſtianæ ſæculo quarto nomen Illyrici ſubjerunt, intraque fines Illyrici univerſalis migrarunt.

Fines & regiones Illyrici ſub regno Agronis.

Romani ampliſcatores nominis Illyrici.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Romani paullatim Illyrios ſubigunt, ac totum denique Illyricum adepti multis Provinciis augent, ejus finibus ad Septemtrionem & Orientem latiſſime propagatis.

Romani poſt primum bellum Punicum claſſe Superum mare tranſjicere incipiunt.

POpulus Romanus, quinto poſt urbem conditam ſæculo labente, domita jam ſubactaque tota propemodum intra Apenninum Italia, ut Mamertinis contra Hieronem & Carthaginienſes auxilium ferret, in Siciliam tranſmiſerat, gradum inde facturus ad Imperium Orbis terrarum; & rem nauticam attingere aggreſſus, non terra ſolum, ſed mari etiam quantum poſſet, inſigne documentum dederat. Penis navali prælio devictis, iiſdemque tandem anno proximi ſæculi 12, ante Chriſtum 242, altera maritima pugna debellatis, & ad pacem petendam compulſis, Siciliam inſulaſque omnes, quæ Italiam inter atque Africam interjacent, ad Imperium adjunxerat, & Sardiniam præterea itemque Corſicam. Igitur Punico primo bello jampridem perfunctus, anno Urbis 525., Olympiadis 137. quarto, ante Chriſtianam Epocham 229., ſupero mari claſſes tranſmittere, & Orientem verſus arma victricia convertere, atque imperii fines propagare cœpit. Prima igitur in Orientem Romanorum

Prima in Orientem expeditio contra Illyrios.

expeditio adverſus Illyrios fuit, antequam in Macedoniam & Græciam ſigna atque arma inferrent. Verum & pluribus bellis anniſque opus fuit ad gentes Illyricas prorſus edomandas, pacataque poſſeſſione obtinendas; nec ſolum Hiſpania, Africa & Gallia, ſed etiam Macedonia, Græcia & Aſia ſub populi Romani imperium ditionemque ceciderant, priuſquam cum Illyriis omnino debellatum eſſet. Facturum me operæ pretium arbitror, ſi bella omnia, quæ Romani cum Illyriis geſſerunt, antea Lectoribus ſubjecerim, quam provincias ac regiones percenſeam, quibus Romani Illyricum ſuo imperio adjunctum auxerunt. Hæc autem bella hunc in locum iiſdem verbis transferenda cenſui, quibus deſcripta ſunt a Polybio, Dione, Appiano, aliiſque antiquis hiſtoricis; quibus, ſicubi opus fuerit ad eos inter ſe conciliandos, explicandoſque, notas quam breviſſimas adjiciam.

§. I.

Primum Bellum Illyricum.

Agron & Teuta primo Illyrico bello cauſam præbuerunt.

PRimo bello Illyrico cauſam præbuit tum Agron, cujus aut juſſu, aut permiſſu, Illyrii piraticam facere, naves Italicas deprædari, & Iſſenſes ſocios populi Romani excurſionibus & latrociniis vexare terra marique inſtituerant; tum Teuta ejus conjux, quæ poſt obitum Mariti cum tutela Pinei privigni ſui adminiſtrationem regni ſuſceperat: Mulier & ſuopte ingenio ferox, & maxime propter recentes victorias, quas de Epirotis Græciſque retulerat, ſpe atque animo elata: quæ nihil ſibi non licere putabat; & undecumque prædandi occaſio oblata eſſet, gentes omnes hoſtium loco haberi juſſerat; eoque audaciæ ac dementiæ proceſſerat, ut alterum ex legatis populi Romani, per quos admonita fuerat, ut cœptis abſiſteret, ſeque ab infeſtandis Sociis Romanorum cohiberet, contra jus faſque interfecerit, quod coram ſe liberius, quam ejus arrogantia pati poſſet, locutus foiſſet. Ad hæc, maritimas terreſtreſque copias ad Iſſam urbem obſidendam miſerat. Quapropter Romani ſuas ac ſociorum injurias bello perſequi decreverunt. Tum primum Romana claſſis Adriaticum trajecit, anno ante Chriſtum 229. Hujus belli initia, progreſſiones, exituſque Polybius accuratiſſime omnium perſequitur.

Deſcriptio primi belli Illyrici ex Polybio lib. 2.

Cæterum Illyrii, jam ante ſoliti eos, qui ex Italia navigabant, injuriis afficere, quo tempore (a) *Phœnice morabantur, plures ſimul e claſſe diſcedentes mercatorum Italicorum alios deprædati ſunt, alios trucidarunt, nec paucos cepere viros, & ſecum abduxerunt. Romani, qui ſemper hactenus* (b) *delatas ad ſe querimonias de Illyriis erant aſpernati, tunc cum plures ſimul ea gratia in Senatum veniſſent, Legatos in Illyricum decernunt Cajum, & Lucium Coruncanos, ut de iis, quæ diximus, accurate cognoſcerent. Teuta reverſis ex Epiro lembis, copiam atque multitudinem advectæ ex Epiro ſupellectilis demirata, (longe enim felicitate cæteras Epiri urbes anteibat Phœnice) ad laceſſendos injuriis Græcos duplo animoſior eſt reddita.*

Illyrii Adriaticam navigationem Italis ſubtrahunt, ſed clientes.

a

b

Verum quia domi res turbatæ erant, nihil tunc movit; cito autem negotio tranſacto eorum Illyriorum, qui rebellaverant, Iſſam (c), *quæ ſola parere ipſi recuſabat, obſidione cinctam tenebat. Eodem tempore Romanorum Legati advenerunt, qui cum ad colloquium eſſent admiſſi, de ſuis injuriis expoſtularunt. Teuta* (d) *quamdiu verba facientes audiebat, ingentem animi ferociam, & ſuperbiam præ ſe ferre; poſtea vero quam dicendi finem feciſſent, ita infit: Curæ ſibi futurum, ne qua Romano populo ab Illyriis publice injuria fiat: cæterum ut impediat, quominus privatim quam poteſt quiſque utilitatem e mari capiat, hoc vero Regibus in more nequaquam eſſe. Tulit indigne hæc illius verba junior legatorum, & apud Reginam libertate uſus, conveniente illa quidem, ſed cui omnino tunc locus non erat: At Romanis, inquit, o Teuta, mos hic eſt pulcherrimus, ut privatim factas injurias publice perſequantur, & injuriam paſſis opem feramus. Operam igitur Deo volente dabimus, ut cupide ac cito regia inſtituta emendare te cogamus.*

Teuta Iſſam obſidet.

c

d

Libertatem hujus dicti ita iracunde, qui mos eſt mulierum, atque impotenter accepit Teuta, ut ſpreto gentium jure mitteret, qui profectos legatos inſequerentur, & liberioris dicti auctorem necarent. Quod ut Romam eſt perlatum, tanto fœminæ hujus ſcelere irritati ad belli apparatum illico ſe converterunt. Teuta veris initio lembos a ſe refectos majore quam antea numero in Græciam redire juſſit. Horum alii Corcyram trajiciunt, quidam ad Dyrrhachii portum applicant.

Claſſis Illyrica in Græciam miſſa.

Deinde narrat Polybius Illyriorum expeditiones, reſque geſtas contra Dyrrhachinos & Corcyrenſes, quas ſupra deſcripſimus cap. 3. §. 6. Utraque autem civitas, cum eſſet in ditione Agronis, teſte Appiano, ab ejus imperio defecerat.

Circa idem tempus C. Fulvius (e) *Conſul cum ducentarum navium claſſe, itemque A. Poſtumius Conſul alter cum terreſtribus copiis Roma proficiſcuntur. Cajo erat animus ante omnia Corcyram petere, quod prius ſe illuc perventurum ſperaret, quam exitum obſidio haberet* (f). *Ac licet ſerum jam auxilium erat, ad inſulam tamen acceſſit, cum ut propius omnia cognoſceret, quæ ibi facta erant, tum ut vera, an falſa eſſent, quæ de Demetrio nunciabantur, diſceret. Demetrius enim nonnullis apud Teutam ipſum criminantibus, metuens ab illa ſibi, ad Romanos miſerat, qui nunciarent, & urbem ſe, & quæcumque alia in poteſtate haberet, ipſis traditurum. Corcyrenſes Romanorum adventu læti, præſidium Illyriorum conſentiente Demetrio eis tradunt: deinde etiam de communi cunctorum ſententia, Romanorum hortatu, fidei ipſorum ſe omnes dedunt;*

e

C. Fulvius Conſul Corcyra potitur.

f

hanc

Digitized by Google

hanc solam vati superesse rationem, qua tuti in posterum ab Illyriorum immanitate forent. Romani, Corcyrensibus in amicitiam receptis, Apolloniam classe petunt, ducem ad peragenda reliqua Demetrium habentes.

Apollonia sibi sedem Romanis consiliabus.

Interea hæc & Postumius terrestres copias Brundusio trajecit, pedites ad viginti millia, equitum duo millia. Statim ut exercitus utrique ad Apolloniam accessit, Apolloniatis Romanos in urbem recipientibus, & se illis permittentibus, e vestigio Consules, quod dicerentur Dyrrhachium obsideri, iterum portu solvunt. Illyrii (g) *ubi adventare Romanos sensere, obsidione soluta effusam fugam capessunt; bisque in fidem receptis ad* (h) *ulteriora Illyrici pregrediuntur, subactis obiter* (i) *Ardiæis. Adfuere mox plures legationes aliorum populorum, & in his etiam Parthinorum* (k), *nec non Atintanum: qui omnes cum se fidei Romanorum permitterent, sunt in amicitiam suscepti. Ita ventum est ad Issam* (l), *quæ etiam urbs ab Illyriis oppugnabatur. Adventu Romanorum solutum est obsidium; Issei* (m) *in fidem recepti. Sed & per vim, dum oram illam prætervehuntur, ex Illyricanis oppidis quædam Consules expugnarunt; in his Nutriam* (n), *ad quam non solum multos milites, sed etiam Tribunorum aliquos, & Quæstorem ipsum amiserunt. Capti sunt Lembi viginti, præda onusti redeuntes eorum, qui Issam obsidebant. Pharii* (o) *quidem in Demetrii gratiam immunes omni damno remanserunt: alii omnes varie dissipati Arbonem* (p) *confugerunt. Teuta cum oppido paucis Rhizonem* (q) *evasit. Id nomen est oppiduli, egregie muniti procul a mari, ad ipsum Rhizonem fluvium siti.*

g

h

i

k

l

m

Issa obsidione exempta.

n

o

p

q

Pars Illyrici Demetrio tradita.

Post hæc Romani plerosque Illyrici populos Demetrio (r) *subjiciunt; magnoque illi dominatu tradito, utrumque exercitum Dyrrhachium reducunt. Romam inde C. Fulvius cum majore parte navalium terrestriumque copiarum est reversus. Postumius cum quadraginta navibus longis est relictus; & novo exercitu, quem e circumjacentibus oppidis conscripsit, ut ad omnes Ardiæorum, & aliorum, qui fidei Romanæ se permiserant, motus, si quid ingrueret, paratum esset subsidium.*

r

Teuta pacem orat impetratque a Romanis sub certis conditionibus.

Sub initium (s) *veris Teuta legatis ad Romanos missis, pacem hisce conditionibus cum illis sancit:* Ut tributa, quæ ipsi imperarentur, quotannis penderet: Illyrico toto, præter (t) pauca admodum loca, excederet; & (*quod præcipuum erat, maximeque ad Græcos pertinebat*) ne ultra Lissum pluribus quam duobus lembis, iisque inermibus, liceret ei navigare. *His rebus gestis Postumius legatos ad Ætolos, ac Achæorum gentem misit; qui causas primum belli, & trajectionis Romanorum in illas partes eis exposuerunt: deinde quæ gesta erant, commemorarunt; fœderis etiam cum Illyriis initi tabulis in conspectu illorum perlectis. Mox ea, qua par erat, comitate habiti ab utroque populo, Corcyram revertuntur. Qui quidem non mediocri metu, pace cum Illyriis facta, Græcos tum liberarunt: quippe ea tempestate, non horum, aut illorum, sed in universum omnium hostes erant Illyrii. Prima* (u) *igitur Romanorum cum exercitu in Illyricum, & partes illas Europæ trajectio; primum item cum Græciæ populis per legationem commercium ejusmodi fuit, easque causas habuit.*

s

t

u

Ex Dione in Fragm. n. 12.

Romani Legati ad Agronem missi.

Cum Romani Isseis, qui ipsis (x) *adhæserant, viciſſim rem gratam alacri mox animo facere vellent, utiis opem ferrent, quorum egregia in se studia fuissent; ac* (aa) *Sardianos eo nomine, quod navigantes e portu Brundusino maleficiis infestarent, ulciſci vicerentur, misere Legatos ad Agronem de-*

x

aa

precatum pro Isseis, & cum eo, qui nullainjuria provocatus ipsos laederet, expostulatum. Agronem Legati non amplius superstitem reperere, quod relicto filio puero, cui nomen Pinnes erat, diem obisset. At uxor ejus Teuta, quæ noverca (bb) *Pinnis erat, jam Sardianis imperabat, nec pro ferocia quidquam moderati respondebat; sed ut mulier, quæ præter insitam a natura temeritatem, etiam a potestate, quam obtinebat, diffluerat, e Legatis* (cc) *alios vinxit, alios occidit, quod liberius locuti essent. At nunc hæc quidem fecit, & animos inde, quasi quæ vires suas exprompte crudelitate demonstrasset, sumpsit; sed paullo post fœminei generis imbecillitatem redarguit, quod celeri* (dd) *momento præ judicii tenuitate prolabitur in iram, nec minori celeritate præ formidine sibi metuit.*

bb

a Teuta violati.

cc

dd

Cum primum enim bellum contra se decretum a Romanis accepit, timore correpta, trepidavit; ac tum Romanos, quos adhuc habebat, reddituram se promisit; tum de iis, qui fuerunt interfecti, sic se purgavit, ut a latronibus occisos diceret. Itaque cum Romani expeditionem suam inhiberent, & cædis auctores sibi dedi poscerent, rursus eos contempsit, quod pericula necdum adessent, ac neque se dedituram illarum aliquem dixit, & exercitum in Issam insulam misit. Post ubi Consules adesse sensit, iterum sibi metuit, ac remisit animos, & ad parendum eis in omnibus rebus paratam semet ostendit. Non tamen ad modestiam penitus revocata fuit; nam ubi Consules ad (ee) *Corcyram transmisissent, resumpsit animum, & a Romanis desciscens, adversus Epidamnum copias misit.*

ee

Romanis autem civitates illas liberantibus, ejusque navigia cum pecuniis intercipientibus, rursum dicto audiens futura videbatur. Sed quod iidem mare trajicientes, propter collem (ff) *Atyrium damnum accepissent, rem distulit; eos, quod hyems jam adpetiisset, discessuros, concepta spe quadam, arbitrata. Verum ubi sensit Albinum* * *loco se non movere, ac Demetrium ob stoliditatem, & amentiam Teutæ, populique Romani metum transiisse ad hostes, alios que nonnullos persuasisse, uti transfugerent, tota formidine percussa, Regno* (gg) *cessit.*

ff

* L. Postumius Albinus.

gg

Ex Appiano in lib. Illyr.

Agron (hh) *partis Illyrici rex fuit, quæ ad Jonii* (ii) *maris pertinet sinum, quem Pyrrhus* (kk) *Epirotarum Rex, & qui deinceps Pyrrho successerunt, habuere. Is Agron rursus & Epiri partem aliquam, & Corcyram præterea, & Epidamnum, Pharumque* (ll) *bello capta præsidiis tenuit; cum autem cætero quoque Jonio immineret, Insula quædam, cui nomen* (mm) *Essos, ad Romanos confugit. Hi legatos una cum Essiis miserunt, qui cognoscerent eorum adversus Agronem objecta, & in hos adhuc navigantes impetu facto quidam Illyrici lembi legatum Essiorum* (nn) *Cleemporum, & Romanorum Coruncanum interficiunt; reliqui fuga evaserunt: hac de causa cum Romani Illyrios terra marique bello aggressi essent, Agron infante filio superstite, cui Pinne nomen fuit, diem suum obiit, regno eidem relicto sub novercæ tutela. Demetrius autem Phari Præfectus, eam insulam itemque Corcyram* (utraque enim in ditione *Agronis* fuerat) *Romanis illuc appellentibus prodidit, qui pellectis in suam amicitiam Epidamnensibus, ad illos, Essiosque ab Illyriorum obsidione liberandos advenerant; nec frustra, namque Illyrii non solum omissa statim obsidione domum quisque suam reversi sunt, sed pars eorum, qui* (oo) *Atintani vocantur; ad populum Romanum transiere. Interea uxor Agronis misit Romam legatos cum captivis ac transfugis, veniam oratum eorum, quæ nequaquam suo, sed ma-*

hh

ii kk

ll

mm

nn

Demetrii proditio.

oo

viti sub imperio commissa fuerant; responsum acce-
pere Legati Corcyram, Pharum, Issam, Epida-
pp *mnum; & ex Illyriis (pp) Atintanos in populi*
qq *Romani (qq) ditione jam esse: Pinnes autem cate-*
rr *rum (rr) Agronis imperium retineret licet, ac amicus Romanis esset, si se ab superioribus injuriis abstineret, daretque operam, ut Illyrici lembi non amplius duo, & hi quidem inermes, ultra (ss) Esson ne navigarent; nec mora ulla in muliere fuit, quin acciperet omnia: & hæc prima inter populum Romanum atque Illyrios irritamenta, fœderaque fuere. Secundum ea Romani Corcyram (tt) & Apolloniam libertate donaverunt; ac ne Demetrio quidem proditionis merces defuit.*

Teuta pacem & tributum filio Agronis a Romanis impetrat.

ss Conditiones pacis.

tt

NOTÆ.

a Urbs opulentissima Epiri, quam Illyrii in suam potestatem redegerant.

b Ab Issensibus potissimum Sociis populi Romani, quorum agros jampridem Illyrii depopulari cœperant, delatæ fuerunt hujusmodi querimoniæ.

c Coloniam atque urbem in Issa insula inde usque ab ætate Dionysii Senioris Siculi condiderunt; Issenses autem sub initium primi belli Punici, cum Romani Siciliam obtinuissent, se in amicitiam, societatemque populi Romani contulerunt.

d Teuta vidua erat Agronis Regis Illyriorum, ad quem hæc Legatio decreta fuerat; sed is paullo ante diem obierat, Teutæ conjugi & Pinei filii tutela, & regni administratione commissa.

e C. Fulvius Centumalus, & Postumius Albinus Consulatum gesserunt anno ante Christum 229.

f Cum ad Corcyram Consul accessit, jam urbe per deditionem Demetrius Pharius Dux Illyriorum potitus fuerat; seu potius eam receperat, & sub potestate Regum Illyriorum, a quibus desciverat, redegerat.

g Ita Romani tres munitissimas urbes adepti sunt, Corcyram in sinu Jonio, & Apolloniam ac Dyrrhachium.

h Ultra ostia Drilonis in Illyricum proprium.

i Mendum irrepsisse Historicus Dalmata censet, & non *obiter*, sed *pariter*, vel simul legendum. Neque enim facili negotio Ardiæi subigi poterant; quippe gens Illyrica fuit numero, copiis, atque opibus præpollens. Vid. cap. 2. §. 4. Part. 2. Proleg.

k Parthini & Atintanes gentes Illyricæ inter Drilonem & Acroceraunios; illi ad Septemtrionem, hi magis ad Meridiem vergentes.

l Issa, de qua supra, Insula & Colonia Syracusiorum, e regione propemodum Hyllis Peninsulæ, seu Promontorii Diomedæi, ab ora continenti longius, quam cæteræ, in altum exporrecta.

m Issei non ita in fidem recepti, ut subditi essent Romanis, sed ut essent amici ac socii, uti antea fuerant, & liberi immunesque.

n Hujus urbis maritimæ positio non satis certa.

o Pharia insula Græcorum Colonia, ab Issa modico Euripo interfluo disjuncta, & littori propior.

p Hæc urbs aliter Narbona & Narona ad fluvium cognominem sita.

q Civitas erat ad caput Sinus Rhizonici.

r Inter populos Illyrici, quos Romani Demetrio subjecerunt, potissimum annumerandi sunt Pharii cum urbe & insula Pharia patria ejusdem Demetrii, quam ipse Romanis prodiderat, teste Appiano. Partem reliquam Illyrici, qua Romani Demetrium donaverant, intra Drilonem fuisse arbitror ab regno Teutæ avulsam; nisi forte addiderint etiam Dimalum urbem mediterraneam in Parthinis, quam secundo bello Illyrico Demetrius obtinebat, vel a Romanis dono datam, vel per injuriam Romanis ademptam.

s Annus erat ante Christum 228. Q. Fabio Maximo II. & Sp. Carvilio Maximo II. Coss.

t Verum Appianus præter paucas urbes, quas nominatim commemorat, cæterum Agronis imperium Pineo ejus filio relictum affirmat.

u Ita Populus Romanus hac prima expeditione Illyrica egregie perfunctus ex Illyrico gradum fecit ad imperium Orientis; populis Græciæ primum amicitia sibi jungendis, deinde in suam potestatem redigendis.

x Sub initium primi belli Punici post Siciliam captam, Issei ad fidem amicitiamque populi Romani accesserant, iisdemque subsidio miserant naves Liburnas, quibus usi potissimum, primum maritimum prælium Romani inierant, primamque navalem victoriam reportarant, Eutropio teste.

aa Iidem sunt ac Ardiæi, de quibus supra.

bb Pinnes quippe filius erat Triteutæ ex Agrone, qui huic nuncio remisso Teutam in matrimonium duxerat.

cc E duobus Legatis alterum quidem interfectum Polybius tradidit; de altero autem in vincula conjecto nihil scripsit.

dd Has vicissitudines muliebris ingenii, modo ob metum resipiscentis, modo cum metus animo excesserat, ad pristinam contumaciam redeuntis, præter Dionem, neque Polybius, neque Appianus commemorant.

ee Si Corcyra, ut Polybius & Appianus docent, erat in ditione Agronis Teutæque, non satis intelligo, cur Romanæ classis ad eam insulam appulsus Teutæ metum adimeret, animosque adderet ad cepta persequenda.

ff Hunc collem Baudrandus in Illyrico quidem locavit, sed ignotam sibi esse ejus positionem fatetur.

gg Immo vero a Romanis pacem, & aliquot oppida interposita tributi pactione, aliisque conditionibus impetravit, ut Polybius docet; quin Appianus tradit, quod vero propius est, Pineo Agronis filio regnum paternum relictum præter aliquas urbes, quas Romani vel Demetrio donaverant, vel in suam amicitiam, aut ditionem acceperant.

hh Agron quidem obtinebat quidquid ea tempestate nomine ac finibus Illyrici continebatur, sed Appianus eidem partem tantummodo Illyrici idcirco attribuit, quod Illyricum ætate Appiani prolatis in Septemtrionem atque Orientem finibus, longe plurimas regiones complecteretur.

ii Communi Jonii vocabulo mare utrumque Adriaticum pariter Jonium que proprie dictum, Appianus more veterum subjecit.

kk Pyrrho filio Æacidæ Epirotarum Regi dominationem Sinus Jonii sive Adriatici Historicus Dalmata ex auctoritate Appiani attribuit. Sed hujus dominatus vestigium nullum apud veteres invenio. Fortasse Appianus Pyrrhum Achillis filium, & Regni Epirotici conditorem intelligi voluit, in ejusque potestatem Sinum Adriaticum fuisse scripsit. Is Pyrrhum Æacidæ multis etatibus antecessit.

ll Græci ex Paro insula Maris Ægei in hanc insulam Illyricam, Dionysio seniore adjuvante, coloniam invexerant, urbemque ibidem condiderant, quæ usque ad Agronis imperium libertatem suam retinuit. Epidamnus itidem & Corcyra erant civitates liberæ, quas Agron bello ceperat.

mm Quam alii Issam, Appianus Esson vocat. Issei autem, cum Romanorum socii essent, ad eos auxilii petendi causa confugerunt.

nn Legatis Romanis Appianus Legatum Issiorum sive Issensium adjecit, quem Polybius & Dion silentio prætereunt.

oo Po-

Digitized by Google

oo Populi Illyrici mediterranei, qui ferme extremi gentium Illyricarum ad Meridiem erant.

pp Idcirco in Illyriis numerat ſpeciatim Atintanos, quia hi pertinebant ad Regnum Illyricum Agronis. Corcyrenſes vero, Epidamnenſes & Pharii, quamvis non genere, attamen nomine Illyrii eſſent, erant populi per ſe liberi, quos Agron paucis ante annis ſub poteſtatem redegerat. Iſſenſes vero nuſquam Regibus Illyriorum paruerant.

qq Erant quidem Iſſenſes, tamquam ſocii, in fide & clientela Romanorum; in ditione ac poteſtate non item. Nec dubium eſt, quin Romani poſt primum bellum Illyricum ſuam illis libertatem omni onere & vectigali exemptam ſervarint; quippe cum ejus inſulæ tuendæ gratia bellum adverſus Illyrios ſuſcepiſſent. Epidamnus autem & Pharus ſponte Romanis dederant, qui Epidamnum quidem in ſua poteſtate retinuerunt, Pharum vero Demetrio donarunt,

rr Itaque ſi Atintanos, Epidamnum, Apolloniam, Corcyram, Pharum, & aliquot præterea urbes excipias Demetrio traditas, quidquid Illyrici fuerat imperio Agronis, id omne Pineus ejus filius Romanorum conceſſu retinuit.

ſſ Hiſtoricus Dalmata recte animadvertit *errorem in Appiani textum Græcum irrepſiſſe; nam ubi Liſſum ponendum erat*, (cum Polybio) *Eſſum repetitum eſt, indeque adnavigationem ad Eſſum vetitam Interpres ſcripſit: non enim adnavigatio ad Eſſum vetita fuit Illyriis, ſed præternavigatio ultra Liſſum in continenti ſitum, quod ad Græcos pertinebat, ut Polybius refert, & alio loco repetit*; lib. 1. de Regn. Dal. & Croat. cap. 1.

tt Corcyram & Apolloniam Agron ad regnum ſuum adjunxerat; altera per proditionem Demetrii, altera per deditionem voluntariam in poteſtatem Romanorum venerat. Romani utramque libertate donarunt,

§. II.

Secundum bellum Illyricum.

Demetrius a Romanis deficit.

A Primo bello Illyrico abſoluto, confectoque, vix novem anni interceſſerant, cum Demetrius Pharius, qui ob Corcyram Pharumque inſulas Romanis proditas, tum ipſa Pharo, tum aliis Illyricis urbibus donatus fuerat; & poſt obitum Teutæ pro Pineo Agronis filio adhuc impubere regnum Illyricum adminiſtrabat, confiſus opibus ac ſocietate Philippi Regis Macedonum ab Romanis defecit, eorumque arma iterum in Illyrios, atque in ſui exitium conſcivit. Cum enim Romanos & Gallico circa Padum bello diſtentos, & ſecundi Punici expectatione ſollicitos videret, nihil ab illis ſibi metuendum ratus, piraticis lembis mare infeſtum habebat, & Iſtris in ſpem, ſocietatemque maritimæ prædæ adſcitis, Romanorum ſocios, urbeſque vaſtabat, & contra id, quod in formula pacis, quam Romani Illyriis dederant, diſerte additum erat, cum navigiis quinquaginta ultra Liſſum prædatorias excurſiones facere inſtituerat; ad hæc: Atintanis, Illyricis inter Drilonem ac montes Acroceraunios populis, auctor fuerat, ut a Romanis deſciſcerent. Hinc alterum contra Illyrios bellum a Romanis ſuſceptum. Nam poſt Iſtros prædones perdomitos, quamvis ſecundum bellum Punicum ingrueret, Hannibalque, traductis in Hiſpaniam copiis, jam Saguntum urbem Romanorum Sociam vehementiſſime oppugnaret; tamen Senatus Populuſque Romanus Illyriis Demetrioque bellum inferre decrevit. Igitur anno primo Olympiadis 140., ante Chriſtum 219. navales terreſtreſque copias M. Æmilius Paullus Conſul in Illyricum vere appetente traduxit; eodemque anno, urbibus, quæ ab Demetrio ſtabant, aut vi captis, aut ſponte ſe dedentibus, Pharia ejus patria exciſa, & Demetrio in Macedoniam fugere coacto, bellum ſecundum Illyricum feliciter confecit. Ab Illyriis autem, & Pineo, defectionis culpam in Demetrium conferentibus, omne jus belli abſtinuit; & receptis in ditionem vel amicitiam Romanorum urbibus, quas Demetrius ab Romanis abduxerat, cæterum regnum Illyricum integrum Pineo permiſit.

M. Æmil. Conſ. ſecundum bellum Illyricum proſpere geſſit & confecit.

Deſcriptio ſecundi belli Illyrici
Ex Polybio lib. 3.

Demetrius Pharius oblitus beneficiorum, quæ Romani in ipſum contulerant, cum jam ante contemnere eos cœpiſſet, quando formidabiles ipſis imminere (a) Gallos videbat; tunc quoque propter metum a Carthaginienſibus impendentem, eoſdem flocci faciens, ſpe ſua omni locata in Regia Macedonum, quod bello (b) Cleomenico ſocia arma cum Antigono junxerat; hic inquam urbes Romanæ ditionis in Illyrico vaſtare, & in ſuam poteſtatem redigere erat aggreſſus; & ultra Liſſum contra leges pacis quinquaginta lembis navigans, multas e Cycladibus inſulas incurſaverat. Quæ cum animadverteſſent Romani, & Regiam Macedonum florere intelligerent, res ſuas (c) in provinciis ad ortum Italiæ ſitis collocandas ſibi eſſe in tuto exiſtimarunt. Hannibalis enim moliones antevertere ſe poſſe ſperabant, & facile effingere, ut Illyriis errorem emendare coactis, Demetrio ſuccenſerent, & ingratum ejus animum ac temeritatem caſtigarent. Sed fruſtra fuerunt: nam ipſos (d) Hannibal antevertit, & Saguntinorum urbem exſcidit; quo factum eſt, ut bellum non in Hiſpania, ſed pro mœnibus urbis, totaque Italia gerendum ipſis fuerit. Cæterum Romani id conſilium quod diximus ſecuti, vere ineunte anni primi (e) Olympiadis centeſimæ quadrageſimæ, L. Æmilium ad res in Illyrico gerendas cum exercitu mittunt. (Hic Polybius digreditur ad Hiſpanienſem Hannibalis profectionem, & Saguntinæ urbis expugnationem.)

a

b Urbes Illyricas Romanorum vaſtat.

c

d

e L. Æmilius contra Demetrium cum exercitu mittitur in Illyricum.

Circa idem tempus Demetrius ſimul ac de conſiliis Romanorum reſcivit, extemplo idoneum præſidium cum omnibus, quæ poſtulat uſus, Dimalum (f) mittit: in cæteris urbibus, occiſis, qui contrariæ factionis erant, illarum gubernacula amicis ſuis tradit. Ipſe ex omni ſubditorum numero fortiſſimos ſeligit ad ſex millia, eoſque Phari collocat. Romanus Conſul ubi in Illyricum legiones perduxit, cognita hoſtium confidentia, tum propter Dimali munitionem, & copiam commeatuum, tum etiam quod nunquam fuiſſe capta urbs illa crederetur, ut hoſtes perterrefaceret, hanc omnium primam adoriri conſtituit: ratus id quod evenit, ſi & caperetur, facile reliquas percuſſas timore in poteſtatem Romanorum venturas; hortatuſque milites & admotis machinis Dimalum obſidet. Capta eſt urbs die ſeptimo; eaque res hoſtium animos confeſtim ita confregit, ut ex omnibus mox urbibus advenirent, qui in Romanorum fidem ſe permitterent, dederentque. Conſul convenientes quibuſque leges dicere, eoſque in fidem recipere: deinde Pharum verſus ad ipſum Demetrium cum claſſe navigare. Quia autem acceperat urbem eſſe admodum munitam, magnumque virorum fortium numerum eo conveniſſe; ad hæc commeatibus, & reliquis belli apparatibus abundare, ne difficilis ac diuturna ejus obſidio ſibi foret verebatur. Hæc metuens Æmilius, hujuſmodi ſtratagemate in ipſo adventus ſui articulo eſt uſus. Noctu cum omnibus copiis in inſulam appulſus, majorem exercitus partem in terram exponit, & locis cavis ac ſylvis occultat; ipſe cum

f

Conſul Dimalum capit.

vigin-

piginti navibus palam ubi illuxiſſet, proximum urbi portum petit. Demetrius eas naves conſpicatus, numerumque illarum aſpernatus, ex urbe ad portum cum ſuorum manu venit, ne egredi navibus hoſtis poſſet, impediturus. Ubi ſemel concurrerunt acies, atroci commiſſo prælio, plures ſubinde ex urbe ſuppetias veniebant, donec tandem omnes ad certamen exierunt. Interea Romani, qui noctu expoſiti fuerant, per ignota loca facto itinere appropinquant; collam deinde egregie munitum, qui inter urbem ac portum medius, occupant, & illos, qui ad pugnandum cum hoſte exierant, ab urbe excludunt. Ea re cognita Demetrius, omiſſo certamine cum egredientibus in terram, congregatis omnibus ſuis, eoſque hortatus, collatis ſignis cum iis, qui collem obtinebant, acie dimicare conſtituit.

Prælio conſerto Illyrii in fugam cõverſi, & Demetrius in Macedoniam ad Philippũ confugit.

Romani animadverſo Illyrios acie ordinata acrem in ſe facere impetum, terribili ipſi quoque audacia in eorum cohortes irruunt. Simul uno tempore cæteri e navibus egreſſi terga hoſtium cædebant; deinde omni ex parte illos adorti, tumultu & perturbatione magna Illyrios implerunt. Itaque cum & a fronte & a tergo laboraret acies, fugam tandem capeſſere Demetrii exercitus eſt coactus. Pars in urbem fugit; plures aviis itineribus per inſulam diſſipati ſunt. Demetrius ad lembos ſuos ſe recepit, quos deſertis quibuſdam locis ſtantes ad anchoras habebat, in omnem eventum paratos. His conſcenſis, noctuque profectus ad Regem Philippum præter omnium opinionem eſt delatus, egitque apud eum reliquam Vitæ ſuæ partem. (Hic Polybius res Demetrii apud Philippum geſtas paucis complectitur, eumque multis poſt annis pugna cum Meſſeniis commiſſa, in acie cæſum ait.) *Romanus Conſul Pharum repentino incurſu ſtatim invadit, eamque mox captam diruit: deinde Illyrico univerſo in poteſtatem redacto, rebuſque omnibus ex animi ſententia compoſitis, affecta jam æſtate triumphum egit magnificum: neque ſolertiæ dumtaxat, verum etiam fortitudinis laudem ex Provincia reportavit.*

Ex Dione in Fragm.

Demetrius uxorem duxit Triſcenam viduam Agronis.

Demetrius Pharius inſolentia elatus, cum ob tutelam Pinei, tum ob conjugium Triſcenæ Pinei matris, quam poſt obitum Teutæ duxerat, gravis erat incolis omnibus, & finitimorum etiam agros vaſtabat. Cum autem fretus (g) *amicitia populi Romani, ea ſcelera agere videretur;* (h) *Æmilius Paullus & M. Livius Coſs. hac re intellecta,* (i) *eum accerſiverunt. Qui cum minime pareret, ſed ſocios populi Romani vaſtare non deſineret,* (k) *Iſſam contra cum copias duxerunt.*

g

h

i

k

Ex Appiano in lib. Illyric.

Demetrius fraudis gur.

Cæterum fides, quam Demetrius Agronis filio fefellerat, merito erat ſuſpecta; nec ille multum diſſulit ingenio ſuo uti. Cum enim Romanis bello, quod per triennium adverſus Celtas, eos maxime, qui ripas Eridani colunt, geſſere, occupatis, nequaquam ad ſe perſequendum ſatis ſpatii videret eſſe, ad infeſtandum latrociniis mare ſe contulit, adjunctis eam in rem Iſtris (l), *Illyrica item gente; Atintaniſque* (m) *auctor fuit deſciſcendi a Romanis. Hi autem, uti primum a Celticis rebus* (n) *otium fuit, piratas quidem ſtatim claſſe comparata intercepere, dilata in* (o) *ſequentem annum contra Demetrium, ejuſque defectionis ſocios expeditione. Porro Demetrium ad partes Philippi Macedonum Regis tranſgreſſum, ejuſque ope reverſum in patriam, & Claſſe reparata novas agentem ex Jonio prædas interemere* (p), *Pharumque ejus patriam cum eo ſentientem funditus delevere. Cæterum Illyrii Pinnæ preſibus iterum enixe pro iis nitentis* (q) *conceſſi ſunt. Et ſecunda quidem Romanorum cum Illyriis contentio, ejuſque exitus, & compoſitio hujuſmodi maxime fuit.*

l

m

n

o

Victus a Romanis qui Pharũ everterunt.

p

Et Pinęo regnum Illyricum reſtituunt.

q

NOTÆ.

a Anno ante Chriſtum 225. Inſubres & Boii, ob ereptum Senonibus Gallis, lege Agraria ab Flaminio Trib. Pl. lata, agrum Picenum, accitis Transalpinis Gallis Gęſatis, bellum Romanis ſane formidoloſum intulerunt; quod triennium tenuit. Victi ſæpius Galli; ac tum primum Romani trans Padum copias duxerunt, Inſubreſque domuerunt.

b Hoc bellum adverſus Cleomenem Regem Lacedæmoniorum, Antigono auctore ac Duce, qui pro Philippo Demetrii Gonatæ filio impubere Regnum Macedoniæ adminiſtrabat, inita ſocietate conflarunt Macedones, Achæi, Epirotæ, Phocenſes, Bæoti, Arcades & Theſſali anno ante Chriſtum 223., quibus Demetrius Pharius cum Illyricis copiis ſe adjunxit. Annus proximus, Cleomene victo, finem huic bello attulit.

c Romani ea tempeſtate *in provinciis ad ortum Italiæ ſitis*, Corcyram ſolum, Iſſamque inſulam, & aliquas Illyrici inter Drilonem & Montes Acroceraunios urbes, genteſque ſocias vel veſtigales habebant.

d Anno ante Chriſtum 220. Hannibal traductis in Hiſpaniam copiis, & Olcadum gentem aggreſſus, Althæam urbem opulentam in primis expugnavit; anno proximo Saguntum urbem Romanorum Sociam tota vi adortus, poſt ſeptem menſes in poteſtatem redegit. Hinc initia ſecundi belli Punici.

e Annus primus Olympiadis 140. congruit cum anno ante Chriſtum 220., cui Polybius illigavit bellum ſecundum Illyricum; ſed cum idem Polybius hoc bellum a L. Æmilio Conſule geſtum affirmet, cujus conſulatus, in quo Collegam habuit M. Livium Salinatorem, in annum proximum incidit; idcirco bellum illud in annum ſecundum ejuſdem Olympiadis, qui fuit ante Chriſtum undevigeſimus ſupra ducenteſimum, rejici oportet.

f Hoc oppidum erat mediterraneum, videturque ab Livio (Dec. 3. lib. 9.) apud Parthinos collocari; quod ſortaſſis Demetrius Romanis ademerat.

g Demetrius Romanis quidem ſe amicum eſſe ſimulabat; cæterum Philippo Macedonum Regi ſtudebat.

h Hi anno ſecundo Olympiadis 140., ante Chriſtum 219. Conſulatum geſſere.

i Veriſimile eſt a Romanis Demetrium antea admonitum, ut a maleficiis abſiſteret, quam bello peteretur; id quod Polybius ſuboſcure ſignificavit, cum ſcripſit: Romanos ſperaſſe, facile ſe poſſe efficere, *ut Illyriis errorem emendare coactis, Demetrio ſuccenſerent, & ingratum ejus animum caſtigarent.*

k Iſſenſes erant Romanorum ſocii, apud quos Conſul claſſem applicuit; inde vero progreſſus eſt ad Dimalum obſidendum.

l Anno ante Chriſtum 221. Iſtri prædones navium Italicarum perdomiti ſunt, ut mox dicemus.

m Bello primo Illyrico Atintani populi mediterranei inter Drilonem & Montes Acroceraunios, in Romanorum fidem ſe dederant.

n Anno ante Chriſtum 222. bellum Celticum victis Inſubribus compoſitum fuit; & anno proximo Iſtri compreſſi.

o Hic annus poſt Iſtricam expeditionem Conſules habuit L. Viturium Philonem, & C. Lutatium. In hunc quidem annum deſignata fuerat *expeditio contra Demetrium, ejuſque defectionis ſocios*; ſed aliquo impedimento interpoſito dilata eſt in annum inſequentem M. Livio Salinatore, & L. Æmilio Paullo Coſs. Is fuit annus ante Chriſtum 219.

p De-

p Demetrius neque captus neque interemptus fuit a Romanis; sed in Macedoniam ad Philippum Regem confugit, & post aliquot annos in prælio cum Messeniis commisso interiit, ut Polybius & Livius docent.

q Itaque Pineus filius Agronis, Romanorum concessu, regnum paternum retinuit, quod ab Carnis usque ad Drilonem protendebatur, interposita annui tributi pactione.

§. III.

APPENDIX

De Primo & secundo bello a Romanis contra Istros suscepto.

Primum bellum Istricum.

CUm Istria, ut diximus, ad Illyricum olim pertinuerit, duo bella Istrica, veluti quædam bellorum Illyricorum additamenta, huic loco intexenda censuimus, quibus intermedium fuit bellum secundum Illyricum, quod modo descripsimus. Demetrius Romanis lacessendis non solum sibi perniciem conscivit, sed Istris etiam, quos in societatem latrocinii maritimi partemque vocaverat, grave periculum ac damnum creavit. Romani quippe, antequam acceptas ab Demetrio injurias bello persequerentur, Istros ab latrociniis prædisque maritimis cohibendos censuerant. Itaque classe in Istros immissa, & piraticis lembis, partim captis, partim depressis, eorumdem vires navales sic prorsus attriverunt, ut per multos annos a mari, Italicisque navigiis, injuriam omnem abstinere cogerentur. Hoc bellum Istricum antiqui scriptores breviter ac summatim attingunt: *Istri subacti sunt*. Auctor Epitomes Livianæ. *Romani autem usi primum a Celticis rebus otium fuit, piratas quidem classe comparata intercepere, dilata in annum sequentem contra Demetrium, ejusque defectionis socios expeditione*. Appian. lib. Illyr. *M. Minutio, P. Cornelio Coss. Istris bellum illatum est, quia latrocinati naves Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant, perdomitique sunt omnes*. Eutropius lib. 3. qui hoc bellum Istricum ad Consulatum M. Minutii, & P. Cornelii cum referat, conjunxit cum anno ante Christum 221. in hunc quippe annum Consulatus ille inciderat. Quamvis autem Eutropius Istros *omnes perdomitos* esse affirmet, nolim tamen putes tum Istriam ad Romani Imperii provincias adjunctam fuisse; vectigal Istris ab Romanis impositum facile crediderim; sed non dubito, quin Romani post Demetrium devictum eumdem cum cætero Illyrico usque ad Drilonem Pineo Regi Illyriorum restituerint. At pars illa Carnorum, quæ itidem ad Illyricum pertinebat, qua ratione, quove tempore in potestatem Romanorum venerit, nemo veterum, quod ego sciam, litteris tradidit. Ante secundum bellum Istricum in fide ac potestate Romanorum fuisse, satis aperte Livius declarat, cum docet ab Senatu eam curam susceptam esse, ut ab ea regione Gallos Transalpinos arceret, qui transgressi in Venetiam Sp. Postumio Albino, & Q. Marcio Philippo Coss. idest anno ante Christum 186. sine populatione, aut bello, non procul Aquileja locum oppido condendo ceperunt. Nam primum Legatos de ea re questum trans alpes ad Gallos misit, quibus responsum est neque profectos ex auctoritate gentis ejus, (Liv. Dec. IV. lib. 9.) nec quid in Italia facerent, se scire; deinde autem anno ante Christum 183. M. Claudium Marcellum Consulem ad novum Gallorum oppidum legiones admovere jussit; sed adventi Consuli cum se Galli dedissent, receptis armis rebusque omnibus, quas secum attulerant, jubente Senatu, non agro solum & urbe, sed etiam tota Italia excesserunt. Regionem illam ab Gallis occupatam Livius Venetiam vocat, propterea quod Veneti fines suos usque ad Timavum produ-ctos habebant, antequam Carni oriundi, ut diximus, e Gallis Carnutibus, genus ac nomen e Montanis & subalpinis, quas primum insederant, regionibus, in planitiem ad mare usque propagassent. Hinc bipartita Carniæ divisio, & pars mediterranea sive Alpina, pars Cisalpina sive maritima dicta est, quæ antea pars erat Venetiæ. Cæterum paullo post ipsemet Livius agrum Gallorum, idest Carnicum, appellat eum, in quem Aquileja colonia latina deducta est, Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphilo Coss. anno ante Christum 181.

Cur Carnia dicta Venetia.

Istri perdomiti.

A primo Istrico bello annus erat fere trigesimus septimus, cum Istri ad ingenium redierunt. Quare alterum contra Istros bellum Senatus decrevit, quod sæpe interruptum, tandem anno septimo confectum est, & Istria in formam Provinciæ redacta. Hujus belli initium revocari oportet ad Consulatum Q. Fabii Labeonis, & M. Claudii Marcelli, qui consules fuerunt anno ante Christum 183. cum Istri adhuc Illyriorum Regibus subessent. Titus Livius Belli secundi Istrici priores annos nulla re memorabili gesta insignes brevissime attigit; sed extrema prælia, victoriamque Romanorum diligenter exposuit.

Bellum Istricum secundum.

Itaque anno ante Christum 183. *M. Claudius Marcellus Cos. Gallis ex provincia exactis, Istricum bellum moliri capit, litteris ad Senatum missis, ut sibi in Istriam traducere legiones liceret. Id Senatui placuit*, Liv. Dec. IV. lib. 9. Sed paullo post hæc subjicit: *M. Marcellus ex Istria revocatus exercitu dimisso Romam comitiorum causa rediit*. Nihil itaque in Istris memorabile ab eo gestum.

Anno ante Christum 181. P. Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphilo Coss. L. Duronio Prætori, cui Apulia obvenerat, *& Istri adjecti, quod Tarentini Brundusinique nunciabant maritimos agros infestos transmarinarum navium latrociniis esse*. Hæc Livius Dec. IV. lib. X. Hoc anno idem Livius tradit bellum cum Istris fuisse, *prohibentibus Coloniam Aquilejam deduci*. Istros tamen ex ea regione abmotos, eorumque conatus repressos fuisse illud argumento est, quod hoc ipso anno Triumviri ad id creati coloniam illam deduxerint.

Istri castra Romanorum capiunt ac diripiunt.

Annum quartum quintumque Istrici belli silentio præterit Livius, quod neutrum res ulla præclare gesta litteris ac memoria dignum fecerit. Anno autem sexto ejusdem belli, ante Christum 178. A. Manlius Cos. ab Aquileja contra Istros profectus ad lacum Timavi castra movet. Istri, fugatis subito incursu Romanis præsidiis, in castra quoque impetum faciunt; ea a militibus trepidantibus atque ad mare fugientibus vacua relicta capiunt ac diripiunt. Consul revocatis militibus amissa castra, oppressis ibi hostibus vino ac somno gravatis, recepit. Quæ Livius fuse accurateque ad hunc modum describit Dec. V. lib. 1. *Consilium de Istrico bello cum haberet Consul, alii gerendum extemplo, antequam contrahere copias hostes possent; alii consulendum prius Senatum censebant. Vicit sententia, quæ diem non proferebat. Profectus ab Aquileja Consul castra ad lacum Timavi posuit. Imminet mari is lacus. Eodem decem navibus C. Furius Duumvir navalis venit. Adversus Illyriorum* (a) *classem creati duumviri navales erant, qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam velut cardinem haberent; inde L. Cornelius dextra littora usque*

a Duumviri navales adversus Illyriorum classem creati.

Digitized by Google

que ad Tarentum, C. Furius læva usque ad Aquilejam tueretur. Ea naves ad proximum portum in Istriæ fines, cum onerariis, & magno commeatu missæ; secutusque cum Legionibus Consul, quinque fere millia a mari posuit castra. In portu emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra supportabantur; & quo id tutius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatæ sunt: in Istriamque suum præsidium stativum repentina cohors Placentina opposita inter mare & castra; & ut idem aquatoribus ad fluvium esset præsidium, M. Æbutius Trib. militum secundæ legionis duos manipulos militum adjicere jussus est. T. & C. Ælii Tribuni militum legionem tertiam, quæ pabulatores & lignatores tueretur, via, quæ Aquilejam fert, duxerunt. Ab eadem regione mille ferme passuum castra erant Gallorum. Carmelus (b) *pro Regulo erat tribus, aut amplius millibus armatorum. Istri, ut primum ad lacum Timavi castra sunt Romana mota, ipsi post collem occulto loco consederunt: & inde obliquis itineribus agmen sequebantur, in omnem occasionem intenti; nec quidquam eos, quæ terra marique agerentur, fallebat. Postquam stationes invalidas esse pro castris, eorum turba inermis frequens inter castra & mare mercantium, sine ullo terrestri aut maritimo munimento viderunt; duo simul præsidia Placentinæ cohortis, & manipulorum secundæ legionis aggrediuntur. Nebula matutina texerat inceptum; qua dilabente ad primum tenorem solis, perlucens jam aliquid, incerta tamen, ut solet, lux speciem omnium multiplicem intuenti reddens, tum quoque frustrata Romanos, multo majorem iis quam erat hostium aciem ostendit: qua territi utrinsque stationis milites, ingenti tumultu cum in castra confugissent, haud paullo ibi plus, quam quod secum ipsi attulerant, terroris fecerunt. Nam neque dicere quid fugissent, nec percontantibus reddere responsum poterant: & clamor in portis, ut ubi nulla esset statio, quæ sustineret impetum, audiebatur: & concursatio in obscura incidentium aliorum in alios, incertum fecerat, an hostis intra vallum esset. Una vox audiebatur ad mare vocantium. Id forte temere ab uno exclamatum, totis passim personabat castris. Itaque primo nelut jussi id facere, pauci armati, major pars inermes ad mare decurrunt: dein plures, postremo prope omnes, & ipse Consul, cum frustra revocare fugientes conatus, nec imperio, nec auctoritate, nec precibus ad extremum valuisset; unus remansit M. Licinius Strabo Tribunus militum tertiæ legionis; cum tribus signis ab Legione sua relictus. Hunc, in vacua castra impetu facto, Istri, cum alius armatus iis nemo obviam isset, in prætorio instruentem atque adhortantem suos, oppressérunt. Prælium atrocius quam pro paucitate resistentium fuit: nec ante finitum est, quam Tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt. Prætorio dejecto, direptis quæ ibi fuerunt, ad quæstorium forum, quintanamque hostes pervenerunt. Ibi cum omnium rerum paratam expositamque copiam, & stratos lectos in quæstorio invenissent, Regulus* (c) *accubans epulari capit; mox idem cæteri omnes armorum hostiumque obliti faciunt, & ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant. Nequaquam eadem est tum rei forma apud Romanos; terra, mari trepidatur; nautici tabernacula detendunt, commeatumque in littore expositum in naves rapiunt; milites in scapbas & mare territi ruunt; nautæ metu ne compleantur navigia, alii turba obsistunt, alii ab littore naves in altum expellunt: inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus & cæde invicem militum nautarumque oritur; donec jussu Consulis procul a terra classis submota est. Secernere inde inermes ab armatis cæpit. Vix MCC. ex tanta multitudine, qui arma haberent, perpauci equites, qui equos secum eduxissent, inventi sunt: cætera deformis turba, velut lixarum calonumque, præda vere futura, si belli hostes meminissent. Tunc demum nuncius ad tertiam legionem revocandam, & Gallorum præsidium opprimendum venit: & simul ex omnibus locis ad castra recipienda, demendamque ignominiam rediri cæptum est. Tribuni militum tertiæ Legionis pabulum lignaque projicere jubent; centurionibus imperant, ut graviores ætate milites binos in ea jumenta, ex quibus onera dejecta erant, imponant: equites ut singulos e juvenibus pedites secum in equos tollant: egregiam gloriam legionis fore, si castra metu secundanorum amissa, sua virtute recipiant: & recipi facile posse, si in præda occupati barbari subito opprimantur; sicut ceperint, posse capi. Summa militum alacritate adhortatio audita est. Ferunt citati signa, nec signiferos armati morantur; priores tamen Consul, copiæque, quæ a mari reducebantur, ad vallum accesserunt. L. Atius Tribunus primus secundæ legionis non hortabatur modo milites, sed docebat etiam; si victores Istri, quibus armis cepissent castra, iisdem capta retinere in animo haberent, primum exutum castris hostem ad mare persecuturos fuisse; deinde stationes certe pro vallo habituros: vino somnoque verisimile est mersos jacere. Sub hæc A. Bæculonium signiferum suum, notæ fortitudinis virum, inferre signum jussit. Ille, si unum se sequerentur, quo celerius fieret, facturum dixit; connixusque cum trans vallum signum conjecisset, primus omnium portam intravit. Et parte alia T. & C. Ælii Tribuni militum tertiæ legionis cum equitatu adveniunt; confestim & quos binos oneraria in jumenta imposuerant secuti, & Consul cum toto agmine. At Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerunt fugæ: aliis somno mors continuata est, integraque sua omnia Romani, præterquam quod vini cibique absumptum erat, receperunt. Ægri quoque milites, qui in castris relicti fuerant, postquam intra vallum suos senserunt, armis arreptis, cædem ingentem fecerunt. Ante omnes insignis opera fuit C. Popilii equitis; Sabello cognomen erat: is pede saucio relictus, longe plurimos hostium occidit. Ad octo millia Istrorum cæsa sunt, captus nemo, quia ira & indignatio immemores præda fecit. Rex tamen Istrorum temulentus ex convivio raptim a suis in equum impositus fugit. Ex victoribus CCXXXVIII. milites perierunt; plures in matutina fuga, quam in recipiendis castris.*

Carmelus Regulus. b

Castra Romanorum ab Istris capta & direpta. c

Romani castra recuperant.

Deinde narrat Livius ingentem Romæ tumultum excitatum fuisse propter fallos rumores de Manliano exercitu ab Istris deleto; sed paullo post allatis de ejusdem exercitus incolumitate litteris M. Junii Consulis ex Liguria in Galliam transgressi, sedatum esse; & delectus extra ordinem non in urbe solum, sed tota Italia indictos, fuisse omissos. Tum ad res alias digreditur, quæ ad bellum Istricum non pertinent.

Anno ante Christum 177. C. Claudius Pulcher, & Tib. Sempronius Gracchus consules creati sunt, sortirique provincias jussi. Sempronio Sardinia, Claudio Istria obvenit. C. Claudius Consul, metu ne provincia Istria propter res gestas a Procoss. M. Junio, & A. Manlio sibi adimatur, propter celeritatem inauspicato ab urbe profectus, eo pervenit: ob hanc temeritatem & inconsulte ibi acta adversus Procoss. ludibrio ab exercitu habetur: reversusque Romam ad capienda auspicia, denuo in Istriam abit, excisis tribus oppidis provinciam

ad

ad imperium adjunxit. T. Liv. Dec. v. lib. 1.

Illri in Romanos impetum faciunt, cæduntur, & fugantur.

Dum hæc Romæ geruntur, M. Junius, & A. Manlius Procoss. qui priore anno Consules fuerant, cum Aquileiæ hibernassent, principio veris (d) in fines Istrorum exercitum introduxerunt; ubi cum effuse popularentur, dolor magis & indignatio diripi res suas cernentes Istros, quam certa spes satis sibi virium adversus duos exercitus excivit, concursu ex omnibus populis juventutis facto, repentinus & tumultuarius exercitus acrius primo impetu, quam perseverantius pugnavit. Ad quatuor millia eorum in acie cæsa, ceteri omisso bello in civitates passim diffugerunt. Inde Legatos primum ad pacem petendam in castra Romana, deinde obsides imperatos miserunt. Hæc cum Romæ cognita litteris Proconsulum essent, C. Claudius Consul veritus, ne forte ea res provinciam exercitumque sibi adimeret, non potis nuncupatis, non paludatis lictoribus, uno omnium certiore facto collega, nocte profectus præceps in provinciam abiit: ubi inconsultius, quam venerat, se gessit. Nam cum concione advocata, fugam e castris A. Manlii adversis auribus militum, quippequi primi ipsi fugissent, jactasset; ingessisset probra M. Junio, quod se dedecoris socium collegæ feciſſet, ad extremum utrumque decedere provincia jussit. Quod cum milites Consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent, cum is more majorum secundum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab urbe esset; furere ira, vocatum, qui pro quæstore Manlii erat, catenas poposcit, vinctos se Junium Manliumque minitans Romam missurum. Abeo quoque spretum Consulis imperium est, & circumfusus exercitus favens Imperatorum causæ, & Consuli infestus, animos ad non parendum addebat. Postremo fatigatus Consul, & contumeliis singulorum, & multitudinis (nam insuper irridebant) ludibriis, nave eadem, qua venerat, Aquilejam rediit. Inde Collegæ scripsit, ut militum novorum ei parti, quæ scripta in Istriam provinciam esset, ediceret, Aquilejam ut convenirent; ne quid se Romæ teneret, quominus potis nuncupatis paludatus ab urbe exiret. Hæc Collegæ obsequenter facta, brevisque dies ad conveniendum edicta est. Claudius prope consecutus est litteras suas. Concione adveniens de Manlio & Junio habita, non ultra triduum moratus Romæ, paludatis lictoribus, votisque in Capitolio nuncupatis, in provinciam

e *æque amplius præcipiti celeritate abit. Paucis (e) ante diebus Junius Manliusque oppidum Nesattium (f), quo se principes Istrorum, & Regulus ipse*

f *Æpulo receperat, summa vi oppugnant. Eo Claudius duabus legionibus novis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse oppidum circumsedit, & vineis oppugnare intendit; amnemque præterfluentem mœnia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Istris præbebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo avertit. Ea res barbaros miraculo terruit abscissa aqua, & ne tum quidem memores pacis, in eadem conjugum ac liberorum versi, etiam ut spectaculo hostibus tam fœdum facinus esset, palam in muris trucidatos præcipitabant. Inter simul comploratione feminarum, puerorumque simul nefandam cædem, milites transgressi murum, oppidum intrarunt. Cujus capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit Rex, trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur; cæteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida Mutila (g)*

g *& Faveria (h) vi capta ac deleta. Præda, ut in gente inopi, spe major fuit, & omnis militibus concessa est. Quinque millia capitum DCXXXII. sub corona venierunt. Auctores belli virgis cæsi, & securi percussi: Istria tota trium oppidorum excidio, & morte Regis pacata est (i): omnesque undique populi (k) obsidibus datis in ditionem venerunt.* i k

C. Claud. ut Conf. Nesattii in potestatem redigit.

Regulus sibi mortem conscivit.

Istria tota in ditionem Romanorum venit.

NOTÆ.

a L. Duronius Prætor biennio ante, ideſt anno ante Chriſtum 180. ad Senatum retulerat maritimam navigationem, oramque Italicam ab Gentio Rege Illyriorum, piraticis navigiis infeſtam reddi; biennio poſt eodem tempore, quo cum Iſtris bellum erat, adverſus Illyriorum claſſem creati duumviri navales. Liv. Dec. IV. lib. x.

b Sunt qui Carmelum, & Æpulonem, cujus poſtea meminit Livius, eumdem eſſe putent. Sed alterum ab altero diſtingui oportet. Carmelus Gallorum, Æpulo Iſtrorum Reguli erant. Illi autem Galli in Japydia mediterranea, Iſtriam ad Septemtrionem accolebant, fœduſque adverſus Romanos cum Iſtris fecerant. Porro Iſtri, cum antea Regum Illyricorum imperio ſubeſſent, anno ante Chriſtum 180. cum cæteris Illyriis citra Naronem, ab Gentio poſtremo Illyriorum Rege defecerant, ſibique Regem ſive Regulum crearant, cui nomen erat Æpuloni.

c Gallorumne, an Iſtrorum is Regulus eſſet, non ſatis ex Livio intelligi poteſt: illud quoque incertum eſt, ſoline Iſtri, an cum Gallis, Romanorum caſtra adorti adeptique fuerint; quamvis enim infra ſcribat revocatos milites ad præſidium Gallorum opprimendum, & caſtra recipienda; tamen pro caſtris recuperandis pugnatum cum Iſtris ait, horumque ad octo millia cæſa eſſe: de Gallorum autem ſeu pugna, ſeu cæde nihil commemorat.

d Is erat annus proximus a caſtris receptis, ante Chriſtum 177.

e Cum ſupra Livius ſcripſerit Legatos ab Iſtris ad pacem petendam in caſtra Romana, deinde obſides veniſſe, hic vero Neſattium Iſtrorum oppidum ab Junio Manlioque oppugnatum ſcribat, aliquid novæ offenſionis intervenerit oportet, quod pacis conſilia conditioneſque diſjecerit.

f Plinius poſt Polam ad Orientem locat Neſactium, quod oppidum ipſe Neſactium, alii Neſartum, alii Neſartium vocant.

g Mutilam mari, poſt Promontorium Polaticum, Cluverius appoſuit.

h Faveriam idem Cluverius ad fluvium Arſiam collocavit.

i Iſtria ad imperium populi Romani adjuncta eſt, anno ante Chriſtum 177. cum antea Regibus Illyriorum, deinde propriis Regulis ſubeſſet.

k Ideſt omnes Iſtriæ gentes; Carni ſiquidem ab Occaſu Iſtris finitimi jam erant in ditione Romanorum; & aliqui etiam fortaſſe ex Japydibus, qui cum Gallis permixti ab Septemtrione & Oriente Iſtriam proxime circumcolebant, tum in deditionem venerunt.

§. IV.

Tertium bellum Illyricum.

De Gentio Rege Illyriorum querelæ ad Senatum delatæ. Liv. Dec. 4. lib. x.

DE Gentio Pleurati filio Illyriorum Rege, cum aliunde, tum ab Iſſenſibus ſociis populi Romani, querelæ ad Senatum ſæpius delatæ fuerant; nam L. Duronius Prætor, qui ex Illyrico cum decem navibus Brunduſium redierat, Romam cum veniſſet, inter exponendas res, quas ibi geſſiſſet, haud dubie in Gentium præcipue latrocinii omnis maritimi cauſam averterat; ex regnoque ejus omnes naves eſſe dixerat, quæ ſuperi maris oram depopulatæ eſſent; quibus de rebus ſe Legatos miſiſſe, nec conveniendi Regis po-

Dec. v. li. 1.

Digitized by Google

potestatem factam. Venerant itidem ab Issensibus Legati simul questi, fines suos ab Gentio vastari, simul eum in suspicionem vocantes societatis initæ cum Perseo, quem hostili infensoque in Romanos animo esse, cum multa ejus scelera ac flagitia, tum belli apparatus declarabant. Cæterum Gentius, fervente jam Romanos inter ac Macedonas bello, adhuc incertus animi hærebat, utri se parti addiceret. Eum tandem Legationes & promissa Persei, fraudes insuper dolique perpulere, ut ex occulto, apertum se hostem Romanorum profiteretur; id quod illi pariter Regnoque Illyrico extremum exitium attulit. Quod cum Romæ nunciatum esset, bellum adversus Gentium & Illyrios gerendum Senatus dedit L. Anicio Prætori, anno ante Christum 168. Is vere appetente copias in Illyricum trajecit, & intra triginta dies, capto Gentio cum conjuge, liberis & consanguineis, Regnoque Illyrico in potestatem redacto, bellum celerrime ac feliciter confecit; quod prius perpetratum, quam cœptum, Romæ auditum est. De hoc bello, quæ Polybius, Livius, Appianus scripsere, nunc subjicienda sunt.

Bellum contra Gentium a Senatu decretum.

Perseus & Gentius Legatis ultro citroque missis fœdus adversus Romanos ineunt.

Ex Polyb. in Excerpt. Leg. n. 76. 77. 86.

Perseus legatos ad Gentium Regem, Pleuratum (a) *Illyrium exulantem apud se, & Adæum* (b) *Macedonem Bereæum misit, quibus mandavit, ut exponerent, quæ bello egisset adversus Romanos Dardanosque: adjicerent præsentis expeditionis in Epiro & Illyrico opera, hortaturque Gentium ad amicitiam, ac societatem secum & cum Macedonibus jungendam. Hi transgressi jugum Scordi montis per Illyrici quas vocant solitudines (eam terram non multis ante annis de industria Macedones populando a cultoribus vacuam fecerant, quo transitus difficiles Dardanis in Illyricum redderent) per ea inquam loca cum ingenti vexatione Adæus & Pleuratus Scodram pervenerunt. Qui cognito Lissi Gentium morari, ad illum miserunt; ac mox ab illo acciti, ut eo ventum, mandata exponunt. Gentius videbatur quidem non esse alienus ab amicitia cum Perseo contrahenda: verum ne statim legatorum postulatis adnueret, hoc prætextu est usus, quod a rebus bello necessariis esset imparatus, quodque sine pecunia bellum adversus Romanos suscipere non posset. Hoc accepto responso Adæus ad Perseum redit. Stuberam Rex tunc venerat, & prædam ac spolia ibi vendebat, suosque milites reficiebat, Pleurati reditum expectans; qui ut est reversus, postquam intellexit Perseus, quæ responderat Gentius, extemplo Adæum remittit, addito Glaucia ex numero custodum corporis, & quodam Illyrio, quod linguæ Illyricæ is esset peritus, cum iisdem mandatis; quasi parum perspicue declarasset Gentius, qua sibi re esset opus; & quo pacto flecti posset, ut postulatis eorum adnueret. Iis iter aggressis ipse cum exercitu Ancyram petit* (c). *Legat. LXXVI.*

a b Legatio Persei ad Gentium

c

Sub ia tempus (d) *qui ad Gentium missi fuerant, redierunt; cum neque fecissent quidquam amplius quam antea; neque amplius quidquam renunciarent, quam antea, manente Gentio in eadem voluntate. Gentius enim vero paratus erat consilia sua omnia cum Perseo consociare, sed pecunia sibi opus esse dicebat: quam rem Perseus contemptim audiens,* (e) *Hippiam iterum mittit, ad fœdus firmandum, nulla ejus mentione facta, in quo uno totius negotii cardo vertebatur, cum tamen unica illa esset ratio, qua posset benevolum Gentium sibi reddere..... Illa tempestate* (f) *si pecunias largiri Perseus voluisset, & publice civitatibus, & privatim Regibus, atque iis, qui publica negotia tractabant, non dicam ea, qua poterat, magnificentia impensas subministrando, sed modica tantum liberalitate utendo, evenisset, ut omnes Græciæ populi, omnesque vel certe quamplurimi Reges voluntates suas nudarent; de quo non arbitror quemquam prudentum fore mecum disputaturum. Legat. LXXVII.*

d e f

Averkia Persei.

Perseus impetrat a Gentio pecunia specie tanquam dem Gentium perpulit ad fœdus jungendum contra Romanos.

Cum ante hyemem rediissent Hippias, quem societatis jungendæ causa Perses ad Gentium miserat, atque is renunciasset paratum Regem esse bellum adversus Romanos suscipere, si trecenta sibi talenta numerarentur, & de summa re idonea ratione sibi caveretur. His Rex auditis, necessariam sibi esse judicans Gentii societatem, Pantauchum ex fidissimis amicis delectum datis mandatis misit, qui primum quidem pecuniam daturum pactus, jusjurandum super societate præstaret, atque exigeret; deinde ut obsides statim mitteret, prout Pantaucho videretur, & ab eo acciperet, quos Gentius in fœderis formula nominatim indicasset. Adhæc ut de transvectione illorum trecentorum talentorum cum Gentio constitueret. Pantauchus statim profectus, ubi Medeonem Labeatidis venit, obvium ibi nactus Gentium, facile adolescenti persuasit, ut spes omnes suas cum Perseo conjungeret, ictoque fœdere societatis & conscripto..... Pantauchus ad fodiendum Regis latus mansit, qui juvenem assidue moneret, urgeretque, ne in bello apparando cessaret; sed compararet se, quo posset loca, urbes, socios hosti præcipere. Maxime autem illum hortabatur, ut ad navale bellum necessaria pararet; nam cum Romani ab ea parte penitus essent imparati, ipsum in Epiri ora, & Illyrici nullo labore quidquid destinasset, & per se, & per alios, quos eo mitteret, esse effecturum. Gentius igitur hujusmodi sermonibus perpulsus terra mariquæ necessaria bello comparabat (g). *Legat. LXXXV.*

g

Expeditio L. Anicii Prætoris adversus Illyriorum Regem Gentium, qui victus veniens in deditionem, cum uxore, liberis & propinquis Romam mittitur. Ex Livio Dec. V. lib. IV.

Jam veris principium erat, novique Duces in provinciam venerant: Cos. Æmilius (h) *in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui bellandum adversus Gentium. Patre Pleurato rege Illyriorum, & matre Eurydica genitus, fratres duos, Platorem utroque parente, Caravantium matre eadem natum habuit. Hoc propter ignobilitatem paternam minus suspecto, Platorem occidit, & duos amicos ejus Ettritum & Epicadum, impigros viros, quo tutius regnaret. Fama fuit Honuni Dardanorum principis filiam Etutam pactam fratri cum invidisse, tamquam his nuptiis adjungenti sibi Dardanorum gentem; & similius id vero fecit ducta ea Virgo. Platore interfecto gravis deinde, dempto fratris metu, popularibus esse cœpit, & violentiam insitam ingenio, intemperantia vini accendebat. Cæterum, sicut ante dictum est, ad Romanum incitatus bellum, Lissum omnes copias contraxit: quindecim millia armatorum fuerunt. Inde fratre in Caviorum* (k) *gentem vi aut terrore subigendam cum mille peditibus, & quinquaginta equitibus misso, ipse ad Bassaniam* (l) *urbem, quinque millia ab Lisso ducit. Socii erant Romanorum: itaque per missos nuncios prius tentati, obsidionem pati, quam dedere sese maluerunt. Caravantium in Caviis Durnium oppidum advenientem benigne accepit, Caravanis altera urbs exclusit; & cum agros eorum effuse vastaret, aliquot palati milites agrestium concursu interfecti sunt. Jam & Ap. Claudius, assumptis ad eum exercitum, quem habebat, Bulianorum*

h

Copiæ militares Gentii

k

l

Gentius Bassaniam obsidet. Caravantius Durnii excepit, Caravantem exclusit.

Digitized by Google

m rum (m), & *Apolloniatium*, & *Dyrrhachinorum auxiliis, profectus ex hibernis, circa Genusſum*
n (n) *amnem caſtra habebat, audito ſedere inter Perſea & Gentium, & Legatorum violatorum injuria accenſus, bellum haud dubie adverſus eum geſturus. Anicius Prætor eo tempore, Apollonia auditis, quæ in Illyrico gererentur, præmiſſiſque ad Appium litteris, ut ſe ad Genuſſum opperiretur; triduo & ipſe in caſtra venit; & ad ea, quæ habebat auxilia, aſſumptis Parthinorum (o) juventutis duobus millibus peditum, & equitibus CC.; peditibus Epicadus, equitibus Agaliſus præerat: parabat ducere in Illyricum, maxime ut Baſſanitas ſolveret obſidione: tenuit impetum ejus fama lemborum vaſtantium maritimam oram. Lxxx. erant lembi, auctore Pantaucho, miſſi a Gentio ad Dyrrhachinorum & Apolloniatium agros populandos. Tum claſſis ad ..... (deſunt haud pauca, ſi quidem perſequebatur hic res geſtas ab Anicio Prætore adverſus Gentium, maxime eas, quas mari proſpere geſſerat: deſideratur etiam initium earum rerum, quas terra feliciter geſſit; ſtatim autem ſubjicit deditionem urbium) .... tradiderunt ſe: deinceps & urbes regionis ejus idem faciebant, adjuvante inclinationem animorum clementia in omnes & juſtitia Prætoris Romani. Ad Scodram* (p) *inde ventum eſt; id quod belli caput fuerat, non eo ſolum quod Gentius eam ſibi ceperat, velut regni totius arcem, ſed etiam quod Labeatium gentis munitiſſima longe eſt, & difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Cluſula latere urbis, quod in Orientem patet præterfluens, Barbana ab Regione Occidentis, ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi fluminis, quod ortum ex monte Scodro, multis & aliis auctum aquis, mari Adriatico infertur. Mons Scodrus* (q) *longe altiſſimus regionis ejus ab Oriente Dardaniam ſubjectam habet, a Meridie Macedoniam, ab Occaſu Illyricum. Quamquam munitum ſitu naturali oppidum erat, genſque id tota Illyriorum, & Rex ipſe tuebatur; tamen Prætor Romanus, quia prima ſucceſſerant proſpere, fortunam ſuis rei principia ſecuturam eſſe ratus, & repentinum paliturum terrorem, inſtructo exercitu ad mœnia ſuccedit. Quod ſi clauſis portis manu portarumque turres diſpoſitis armatis defendiſſent, vano cum inceptu meniibus pepulſſent Romanos. Nunc porta egreſſi prælium loco æquo majore animo commiſerunt, quam ſuſtinuerunt. Pulſi enim, & fuga conglobati, cum ducenti amplius in ipſis faucibus portæ cecidiſſent, tantum intulerunt terroris, ut oratores extemplo ad prætorem mitterent Gentius Tauticum & Belium principes gentis, per quos induciis peteret, ut deliberare de ſtatu rerum ſuarum poſſet.*

Triduo in hoc dato, cum caſtra Romana quinquies ferme paſſus ab urbe abeſſent, navem conſcendit, & flumine Barbana navigat in lacum Labeatum, velut ſecretum locum petens ad conſultandum; ſed, ut apparuit, falſa ſpe excitus, Caravantium fratrem multis millibus armatorum aliis ex ea regione, in quam miſſus erat, adventare. Qui poſtquam evanuit rumor, tertio poſt die navem eandem ſecundo amni Scodram demiſit; præmiſſiſque nunciis, ut ſibi appellandi Prætoris poteſtas fieret, copia facta in caſtra venit. Sin principium orationis ab accuſatione ſultitiæ orſus ſua, poſtremo ad preces, lachrymaſque effuſus, genibus Prætoris accidens, in poteſtatem ſeſe dedit. Primo bonum animum habere juſſus, ad cenam etiam invitatus, in urbem ad ſuos rediit, & cum Prætore eo die honorifice eſt epulatus. Deinde in cuſtodiam C. Caſſio Tribuno militum traditus, vix gladiatorio accepto decem talentis ab Rege (r) *Rex, ut in eam formam* r
recideret.

Anicius Scodra recepta nihil prius quam requiſitos Petilium Perpennamque Legatos ad ſe duci juſſit, quibus ſplendore ſuo reſtituto, Perpennam extemplo mittit ad comprehendendos amicos, cognatoſque regis; qui Medeonem Labeatium gentis urbem profectus, Etlevam uxorem cum filiis duobus Scerdileto, Pleuratoque, & Caravantium fratrem Scodram in caſtra adduxit. Anicius bello Illyrico intra triginta dies perfecto, nuncium victoriæ Perpennam Romam miſit; & poſt dies paucos Gentium Regem ipſum cum parente, conjuge, ac liberis, ac fratre, aliiſque principibus Illyriorum: hoc unum bellum prius perpetratum, quam captum, Romæ auditum eſt.

L. Anicius ex Illyrico profectus in Epirum, provinciam, redactis in poteſtatem oppidis, pacat; reverſuſque in Illyricum, de ſententia Legatorum, quos ad id Senatus miſerat, dat libertatem Illyriis, tributo aliis impoſito, immunitate aliis conceſſa. Ex T. Livio Dec. 5. lib. 5.

Dum hæc ibi, alia in Macedonia, alia Romæ geruntur, interim in Illyrico L. Anicius rege Gentio, ſicut ante dictum eſt, in poteſtatem redacto, Scodra, quæ regia fuerat, præſidio impoſito Gabinium præfecit, Rhizoni (ſ) *& Olcinio urbibus opportunis C. Licinium. Præpoſitis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum eſt profectus. Ubi prima Phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obviam effuſa. Hic præſidio impoſito in Moloſſidem* (t) *tranſgreſſus, cujus oppidis præter Paſſaronem & Tegnonem, & Phylacen, & Horreum receptis, primum ad Paſſaronem ducit. Antinous & Theodotus principes ejus civitatis erant, inſignes & favore Perſei, & odio adverſus Romanos, iidem univerſæ genti auctores deſciſcendi ab Romanis. Hi conſcientia privata noxæ, quia ipſis nulla ſpes veniæ erat, ut communi ruina patriæ opprimerentur, clauſerunt portas, multitudinem, ut mortem ſervituti præponerent, hortantes. Nemo adverſus prepotentes viros hiſcere audebat. Tandem Theodotus quidam nobilis & ipſe adoleſcens, cum major a Romanis metus timorem a principibus ſuis veciſſet: Quæ vos rabies, inquit, agitat? qui duorum hominum noxæ civitatis acceſſionem facitis? Equidem pro patria qui lethum opperiſſent, ſæpe fando audivi: qui patriam pro ſe pevire æquum cenſerent, hi primi inventi ſunt. Quin aperimus portas, & imperium accipimus, quod orbis terrarum accepit? Hæc dicentem cum multitudo ſequeretur, Antinous & Theodotus in primum ſtationem hoſtium irruperunt, atque ibi offerentes ſe ipſi vulneribus interfecti, urbs dedita eſt Romanis. Simili pertinacia Cephalonis principis clauſum Tegmonem, ipſo interfecto, per deditionem recepit. Nec Phylace, nec Horreum oppugnationem tulerunt. Pacata Epiro, diviſiſque in hiberna copiis per opportunas urbes, regreſſus ipſe in Illyricum. Scodræ, quo quinque legati* (u) *ab Roma venerant, evocatis ex tota provincia principibus, conventum habuit. Ibi pro tribunali pronunciavit de ſententia concilii,* (x) *S. P. Q. R. Illyrios eſſe liberos jubere, præſidia ex omnibus oppidis, arcibus, & caſtellis ſeſe deducturum: non ſolum liberos, ſed etiam immunes fore iſſenſes, & Taulantios, Daſſaretiorum Piruſtas, Rhizonitas, Olciniatas, quod incolumi Gentio ad Romanos defeciſſent. Daorſeis quoque immunitatem dare, quod relicto Caravantio cum armis ad Romanos tranſiſſent. Scodrenſibus & Daſſarenſibus, & Selepitanis, cæteriſque Illyriis vectigal dimidium ejus, quod Regi pendiſſent, imponere. Inde in tres partes Illyricum divi-*

o Anicius Prætor rem mari proſpere geſſit.

p Scodra belli caput, & arx Regni Illyrici.

q

Genius ad Anicii in caſtra venit.

cum uxore & filiis & fratre Romam mittit.

Pellatur Romanis dedit.

t

Anicius in Epirum profectus urbes Epiri recipit.

u

x Anicius Scodram reverſus. Exdecreto S. P. Q. R. alios Illyrios liberos, alios etiam immunes eſſe jubet.

diviſit; unam eam fecit, quæ ſupra dicta eſt, alteram Labeatas omnes, tertiam Agravonitas, & Rhizonitas, & Olciniatas, accolaſque eorum. Hac formula dicta in Illyrico, ipſe in Epiri Paſſaronem in hiberna rediit.

Deſcriptio tertii Belli Illyrici
Ex Appiano lib. Illyr.

Qua tempeſtate Populus Romanus bellum gerebat adverſus Macedonas, & Regem Perſen, qui Philippo ſucceſſerat; Gentius reliqui Illyrici Rex, pecunia invitatus ſocia cum Perſe arma conjunxit, atque in Illyricum (aa) *Romanam Provinciam impetum fecit, Legatoſque ad ſe ab Senatu miſſos conjecit in vincula, exploratores illos, non legatos eſſe criminatus. Ad eam perſequendam injuriam Anicius Romanus Prætor adveniens, nonnullos Gentii lembos mari cepit, mox terra congreſſus acie ſuperatum, fugatumque in arce* (bb) *quadam obſedit, indeque ſupplicem, ſeſe Romanis dedere juſſit. Ille tridui ſpatio ad deliberandum impetrato, coguitaque gentis univerſæ ad Romanos tranſitione, quæ per eos dies facta eſt, aditum ad Prætorem infimis precibus exoravit, delatuſque, & genibus excipientis advolutus, degeneri admodum precum genere uſus eſt. Anicius trepidantem benigne conſolatus, cœnæ etiam adhibuit: cæterum digreſſum e triclinio comprehendi a lictoribus, & in vincula conjici juſſit. Mox una cum filiis triumphandum Romam duxit: & cum Gentio quidem intra viginti* (cc) *dies debellatum eſt; ſeptuaginta autem Civitates* (dd), *quæ illi paruerunt, confecto Macedonico bello, Æmilius Paullus, ſecretis a Senatu mandatis acceptis, cum rediret in Italiam, de induſtria pertranſivit; metuentibuſque ita demum eorum, quæ commiſerant, pollicitus veniam eſt, ſi quidquid auri argentique habebant, ederent, conferrentque; nec abnuentibus ipſis, miſit in unamquamque civitatem partem copiarum, eadem omnibus Ducibus conſtituta die, qua ad auroram quiſque eorum oppidanis per præconem ediceret intra tres horas pecuniam omnem in forum deferendam, eamque delatam, & reliqua etiam omnia diriperent. Sic a Paullo una hora ſeptuaginta ſpoliatæ ſunt urbes.*

aa

bb Gentius ab Anicio mari terraque vincitur.

Romanis ſe dedit, & ab Anicio

cc

dd

Romam duci juſſus.

NOTÆ.

a Is Pleuratus fuit filius Scherdilaidæ vel Scerdileti, cui ob præclaram operam ſuperiori bello Macedonico Romanis navatam, Lingus & Parthini dati fuerant, ut Livius tradit. Sed vel a Romanis ob defectionem ad Perſeum, vel a ſuis ob tyrannidem expulſus, tum apud Perſeum exulabat.

b Hunc Aputeum vocat Titus Livius Dec. 5. lib. 3.

c Hæc omnia ex Polybio Livius ſumpſit, ac totidem fere verbis in latinum tranſtulit. *ibid.*

d Hæc Livius breviter: *Ab Gentio eodem adferentes redierunt*. Dec. 5. lib. 3.

e Hujus quoque legationis meminit Livius Dec. 5 l. 4

f De avaritia Perſei plura Livius Dec. 5. lib. 4.

g Multa præterea adjecit Livius, de Olympione Gentii Legato, qui jusjurandum a Perſeo, obſideſque acciperet, tum de fraude Perſei in perſolvenda pacta pecunia, tum denique de legatis Romanis Pantaucho ſtimulante violatis; quæ a nobis expoſita ſunt cap. 3. §. 7.

h L. Æmilius Paullus II. & C. Licinius Craſſus Conſulatum geſſere anno ante Chriſtum 168.

k Cavii gens Illyrica ut videtur mediterranea inter Drilonem & Acroceraunios.

l Baſſania urbs Illyrica mediterranea in Parthinis.

m Buliani Illyrici populi, iidem fortaſſis ac Bullini, qui cum prope Tragurium oppidum ditionis Iſſenſium ſedes haberent, inter Socios populi Romani cum Iſſenſibus annumerandi ſunt.

n Fluvius Illyricus inter Dyrrhachium & Apolloniam, longo tamen utrinque ſpatio disjunctus.

o Populi Illyrii, ſupra Taulantios.

p Civitas ac ſedes Regum Illyricorum apud Labeates populos Illyricos, poſita ferme ad paludis Labeatidis oſtium, unde Barbana fluvius egreditur.

q Series & continuatio montium ab Ardiis montibus ad montes Hæmi producta.

r Ab rege Perſeo, a quo deceptus fuerat.

ſ Rhizon ad ſinum Rhizonicum, & Olcinium ad mare, urbes Illyrici proprii.

t Moloſſis regio Epiri, quam Moloſſi gentes Epiroticæ incolebant.

u Poſt Gentium & Perſeum victos captoſque, miſſi ſunt ab Senatu Legati, quorum alii cum Anicio communicatis conſiliis res Illyricas, alii cum Paullo Æmilio Conſule, res Macedonicas componerent.

x Hanc formulam libertatis vel immunitatis Illyriis conceſſæ, itemque tripartitam illam, quam Anicius fecit, Illyrici diviſionem explicavimus cap. 3. §. 7.

aa Illyrica Romanorum provincia inter Drilonem, & montes Acroceraunios erat; nam in regione citra Drilonem, quæ dicta eſt Illyricum proprium, Gentius rerum potiebatur.

bb Hæc erat Scodra, Livio teſte.

cc Livius intra triginta dies bellum Illyricum confectum tradit.

dd Livius quidem civitatum 70. direptionem commemorat; ſed eas partim Epiro, partim Illyrico attribuit. Dec. 5. lib. 5.

§. V.

Quartum Bellum Illyricum, & Primum Dalmaticum.

QUæ pars Illyriorum inter Naronem & Neſtum anno ante Chriſtum 180. ab Gentio defecerat, cum formam liberæ omniquæ alieno dominatu reipublicæ adſciviſſet, ab Delminio, urbe mediterranea & montana, quæ totius gentis caput ac Metropolis conſtituta eſt, nomen Dalmatarum ſibi adoptavit. Principio quidem jus ſuum nomenque inter duos illos amnes, quos dixi, viginti urbes nacta, continuit; ſed brevi opibus aucta copiiſque gentes ad Occaſum finitimas, quæ itidem ab Rege Illyriorum deſciverant, ad ſuum imperium nomenque adjunxit, Dalmatiæ finibus uſque ad Titium propagatis. Exinde gentes omnes Illyricæ ab Titio ad Naronem uſque, montes inter ac mare interjectæ, ut non ſolum ſub eodem jure, ſed etiam nomine continerentur, Dalmatæ vocari cœptæ ſunt. Hos porro ſeu prædandi, ſive imperii amplificandi cupiditas impulit, ut crebris excurſionibus vaſtarent agros Tragurienſium & Epetinorum, ipſiſque urbibus Epetio & Tragurio, quæ ad ditionem Iſſenſium pertinebant, vaſtitatem atque exitium minitarentur. Neque injurias populationeſque abſtinebant a Daorſiis, qui Naronem accolebant, ſociis Populi Romani, quibus poſt tertium bellum Illyricum non libertas ſolum, ſed immunitas etiam data fuerat, quod relicto Caravantio, fratre Gentii Regis Illyriorum, ad Romanorum caſtra ſe tranſtuliſſent. Quare iterum ac ſæpius ab utriſque populis Legati ad Senatum venerant, queſti agros ſuos pagoſque perpetuis Dalmatarum incurſionibus expoſitos eſſe; & multas indidem hominum pecudumque prædas quotidie abigi, ſata uri, tecta incendi, ipſaſque urbes magno in diſcrimine verſari, niſi Dalmatarum audaciæ

Dalmatæ unde dicti.

Socios Romanorum infeſtant.

Roma-

Romani frenum injicerent. Assiduis Sociorum querelis tandem permotus Senatus C. Fannium in Dalmatiam legavit, qui Dalmatas doceret, Issenses & Daorsios in fide & clientela populi Romani esse; coerceret proinde, ne illis lacessendis, infestandisque Romanorum in se indignationem atque arma conficerent. At legatio quidem auribus animisque aversis audita; Legatus vero neque hospitio receptus, & non sine aliqua injuria dimissus est. Quare primum adversus Dalmatas bellum decretum est, quod C. Marcius Figulus iterum Consul, traducto in Dalmatiam exercitu, gessit anno ante Christum 156. Ac primum quidem parum prospere, postea feliciter cum hostibus pugnavit; & cum multa eorum oppida cepit, tum vero Delminium ipsum totius gentis caput, urbem natura & loco egregie munitam, mœnibus insuper altissimis septam omni telorum genere adortus in potestatem redegit. Post Delminium captum, pax ita convenit, ut Dalmatæ libertatem quidem retinerent, sed vectigal Romanis penderent, sociosque populi Romani nulla in posterum injuria afficerent. Ex Polybio & Appiano.

Dalmatis bello potiuntur, & vectigales reddantur.

Descriptio quarti belli Illyrici & primi Dalmatici.

Belli causæ ex Polybio in excerpt. Legat. n. 124.

Posteaquam Lissi (a) *& Daorsii* (b) *sæpius communi consensu Legatos Romam misissent, quibus significabant Lissii Dalmatas & agros & urbes suæ ditionis infestare: hæ autem sunt Epetium & Tragurium; similique modo etiam Daorsii de iisdem querebantur; Senatus legatum misit C. Fannium ad res Illyricas visendas, & maxime Dalmatarum. Hic populus, quamdiu Pleuratus vixit, ei paruit; post obitum vero illius, cum in regno Gentius successisset, ab illo defecerant Dalmatæ, & bella cum finitimis gentibus gerebant, vicinosque populos imperio suo* (c) *subjiciebant: ita ut eorum nonnulli tributa ipsis penderent; tributum autem erat pecus & frumentum; atque hæc legationis Fannii causa fuit.* Deinde numero 125. *Cum ex Illyrico reversus C. Fannius renunciasset Senatui tantum ab eo abesse Dalmatas, ut satisfacere iis, quos continuis injuriis lacessiverant, ullo modo vellent, ut ne aures quidem sibi præbere sustinuissent; quod dicerent nihil sibi esse commune cum Romanis. Addebat Fannius neque hospitii factam sibi copiam, neque aliud quidquam eorum, quæ necessaria sunt, fuisse præbitum: equos quin etiam sibi per vim ademptos esse, quos habebat ex alia urbe; sed & manus sibi inferre eos voluisse, nisi tempori cedens, cum magno silentio eorum finibus excessisset. His diligenter a Senatu auditis, etsi offendebantur contumaci, & savo Dalmatarum ingenio, magis tamen eo movebantur, quod multas ob causas opportunum rebantur esse tempus belli cum gente illa gerendi. Nam Romani, ex quo Demetrium Pharium ejecerant, penitus illam partem* (d) *Illyrici, quæ ad Adriaticum mare inclinat, neglexerant: accedit, quod Italicos homines longa pace torpere omnino nolebant; agebatur autem duodecimus jam annus* (e) *a bello cum Perseo, & Macedonibus gesto. Itaque bello adversus istos suscepto, qua renovare in suis, ut ita dicam, spiritum illum militarem, & alacritatem pugnandi cupiebant, qua terrorem Illyriis injicere, ut imperata facere posthac cogerentur. Propter has causas Dalmatæ bellum indixerunt; ipsi tamen apud exteros hanc afferebant causam, quod contumeliam legatis suis factam bello persequendam judicassent.*

Causa belli Dalmatici illati ab Romanis.

Ex Appiano lib. Illyric.

Dalmatæ alia item Illyriorum natio, in Illyrios populi Romani socios (f) *incursionem cum fecissent, legatosque ea de causa Roma venientes non recepissent, bello petiit hunc primo adventu Marcius Figulus* (g) *Cons. duabus hanc primo adventu mœnibus castris, castra præsidio in plana pepulere, non intermisso ad flumen Naronam recepta; Figulus domum reversos bello aggredi constituit, improvisum hostibus impetum suum fecerum nequidquam sperans; offenditque populares excipiendi sui causa undique ex civitatibus confluxisse: nec tamen eo minus in suscepto consilio perseveravit, inque urbem Delminium* (h), *(unde Dalmatarum, mox Dalmatarum cognomen profectum est) fugatos barbaros se recipere coegit. Cum autem neque oppugnatione quidquam efficere posse animadverteret, adversus oppidum egregie munitum, & operum, machinarumque labor, propter altitudinem mœnium inutilis futurus videbatur, animum adjecit ad alias urbes, ob concursum in Delminium infrequentes aggrediendas: quibus in potestatem redactis, deinde reversus ad Delminium, sudes bicubitales pice & sulphure stupaque circumdatas in oppidum catapultis jaculari cepit; quæ ipso impetu succensæ, & facum instar ardentium volitantes, quæcumque attigissent, inflammabant; plurimaque novo illo teli genere apud obsessos exusta corruptaque sunt. Usque juris finis* (i) *belli contra Dalmatas a Figulo gesti.*

g M. Figulus Consul adversus Dalmatas missus.

h

Urbes aliquot Dalmatis adimit.

Delminium aggreditur.

i

NOTÆ.

a 2 b Lissi & Daorsii apud Senatum querentur agros suos a Dalmatis infestos esse.

a In Codice Græco per Fulvium Ursinum edito legitur Νισσαῖον; sed idem Fulvius in Notis Λισσαῖον legendum admonet, vocabulo derivato ab urbe Lisso, quam Stephanus, Polybius, Livius, exterique omnes apud Illyrios constituunt; utrumque inepte. Nam qui Polybium attentius legat, clare perspiciet Lissios intelligi non posse, qui cum ad Drilonis ostia Lissum urbem incolerent, ad eos neque Tragurium, neque Epetium, unde longissimo oræ maritimæ tractu disjuncti erant, ullo modo pertinebant; quarum quidem urbium ab Dalmatarum incursionibus tuendarum causa, hoc bellum Romani susceperunt. Nissii vero quid hominum seu populorum fuerint, clam mæ, clam omnes habet; nemo enim seu veterum seu recentiorum Nissios inter populos Illyricos annumerat. Si vero Νισσαῖον quidem retinendum censeas, sed ι in ε convertendum, & alterum σ eximendum, sic ut id vocabulum νησ ῶτ νῆσον derivatum Insulares populos significet, præterquam quod Græci νησ ῶτ νῆσον, non νησ ῶτ, sed νησιώτας vocant incolas insularum, nomen a se confictum commune est omnibus, qui in insulis habitant. Quare priorem litteram græcam N in eum codicem ob librariorum inscitiam irrepsisse arbitror, qua adempta, restitui oportet Λσσαῖον, sive Λσσαίων Issiorum, sive Issæorum. Issæi autem, quos etiam Issenses vocant, & lembos Issaicos Livius dixit, erant populi Illyrici oriundi ab Syracusiis illis, quorum coloniam Dionysius senior in Issam Illyricam insulam deduxerat. Horum autem urbes & coloniæ fuerunt Epetium & Tragurium, quarum agros cum assidue incursarent Dalmatæ, Romani Issensium sociorum querelis & precibus adducti, Dalmatas bello persequendos coercendosque censuerunt.

b Daorsios, quos Livius Daorseos, Strabo & Plinius Daorizos, Ptolemæus Daursios vocant, prope ab Narone flumine Strabo collocat. Hos Romani immunitate donatos in amicitiam ac societatem receperant, quod, relicto Caravantio Gentii Regis Illyriorum fratre, cum armis ad Romanos transissent.

c Principio enim Dalmatæ inter Naronem Nestumque se continuerant; deinde vero Nestum transgressi usque ad Titium Liburniamque imperium propagarunt; & cum viginti urbes ab initio possiderent,

derent, ſexaginta ſive urbes, ſive oppida ad ſuam ditionem adjeciſſe auctor eſt Vatinius in Epiſtola ad Marcum Tullium; ex quibus nimirum civitatibus, populiſque in poteſtatem redactis, annua illa tributa exigebant, quæ Polybius commemorat.

d Hæc pars Illyrici, quam poſt victum Demetrium Romani neque copiis neque armis attigerant, erat ipſa Dalmatia, quæ cum in bello Romanorum adverſus Gentium neutrius partis fuiſſet, ex eo bello nihil ſeu detrimenti, ſeu commodi acceperat. Hæc vero a Narone in Occaſum mari Adriatico adjacebat primum contracta inter Neſtum, deinde uſque ad Titium producta. Illyricum vero Romanæ ditionis Gentio ademptum ab Narone in Orientem uſque ad Drilonem protendebatur, conſtabatque ex regionibus, atque urbibus, quarum alias Romani ſub juriſdictionem ſuam ac poteſtatem ſubjunxerunt, alias libertate donatas ſibi vectigales fecerunt, alias denique immunes omnique onere exemptas in ſuam fidem atque amicitiam receperunt.

e Debellatum fuerat cum Perſeo & Gentio anno ante Chriſtum 168. Detrahe annos duodecim, relinquitur annus ante Chriſtum 156. quo M. Figulus Conſul cum Dalmatis bellum geſſit.

f Iſſenſes & Daorſios.

g C. Marcius Figulus ſecundum Conſulatum geſſit cum L. Cornelio Lentulo anno ante Chriſtum 156.

h Delminium urbs erat mediterranea, cujus poſitio alio loco inveſtiganda erit.

i Appianus neque captum Delminium, neque pacem Dalmatis redditam, neque conditiones commemorat, in quas pax convenerit. Haud dubium eſt, quin Dalmatæ acriter obſeſſi vehementerque oppugnati commeatu, ceteriſque rebus ad ſuſtinendam obſidionem neceſſariis, exuſtis corruptiſque, urbis deditione pacem a Romanis impetraverint. Pacem vero iiſdem in has leges datam fuiſſe arbitror, ut a ſociis populi Romani omnem injuriam in poſterum abſtinerent, ut certum ſingulis annis vectigal perſolverent, ut Delminio cæteriſque amiſſis oppidis ac civitatibus receptis, fideles ſe obſequenteſque ſocios Romanis præberent. Nam & ſuperiori bello Illyrico eaſdem ferme conditiones devictis Illyriis ab Romanis impoſitas fuiſſe comperio. Hujus belli Synopſin confecit auctor Epitomes Livianæ Dec. 5. lib. 7. *C. Marcius Conſul adverſum Dalmatas parum proſpere primum, poſtea feliciter pugnavit; cum quibus bello confligendi cauſa fuit, quod Illyricos populi Romani ſocios vaſtaverant.*

§. VI.

Quintum Bellum Illyricum & ſecundum Dalmaticum; ſextum & ſeptimum Illyricum; octavum & nonum Illyricum, idemque tertium & quartum Dalmaticum.

Quintum Illyricum, & ſecundum Dalmaticum bellum.

ANno ante Chriſtum 138. P. Cornelius Scipio Naſica Conſ. quintum Illyricum & ſecundum bellum Dalmaticum geſſit. Hujus belli cauſa nemo veterum exprompſit, quam in Dalmatas iterum finitimis Illyriis populi Romani ſociis infeſtos conferendam cenſeo. Huic bello finem attulit everſio Delminii, quam urbem Naſica mœnibus ac propugnaculis diſjectis, ædificiis publicis privatiſque dirutis vel incenſis, in oppidum exiguum redegit. *Delminium magna urbs* (inquit Strabo lib. 7.) *unde nomen genti. Eam urbem Naſica exiguam fecit.* Auctor Epitomes Livianæ Dec. 5. lib. 5. *Eamdemque gentem* (ſcilicet Dalmaticam) *Cornelius Naſica Conſul domuit.* Aurelius Victor de viris illuſtrib. n. 44.: *P. Scipio Naſica Coſ. Delminium urbem Delmatarum expugnavit.* Nec plura de hoc bello apud antiquos ſcripta invenies. Pacem iiſdem conditionibus Naſica cum Dalmatis fecit, quibus eos proximo ſuperiori bello Marcius Figulus aſtrinxerat. Haud multo poſt Dalmatæ, Delminio magna ex parte exciſo, arcem ac ſedem gentis reique publicæ Dalmaticæ Salonam tranſtulerunt, urbem perantiquam, non longe ab littore poſitam, portu egregio inſtructam, quem mare introrſum influens efficit, mœnibus ac propugnaculis ſeptam, quam aliis præterea operibus, firmiſſimiſque præſidiis munierunt.

Delminio exciſo ſedes Imperii Dalmatici Salonã tranſlata.

Poſtquam Scipio Naſica Dalmatas iterum ſubegerat, tertius annus interceſſerat, qui ante Chriſtianam epocham numeratur 135. cum Ser. Fulvius Flaccus Conſul ſextum Illyricum bellum ex auctoritate Senatus populique Romani gerendum ſuſcepit adverſus Ardiæos & Palarios, qui, tranſgreſſi in Illyricum provinciam populi Romani, prædas indidem abigebant, agros ferro ignique vaſtabant.

Ardiæos (a) *& Palarios* (b), inquit Appianus lib. Illyr., *cum Illyricum Romanam provinciam* (c) *invaſiſſent, Populus Romanus, aliis diſtractus* (d) *curis, legatione miſſa ab injuriis deterrere conatus eſt; cumque nihil profeciſſet, vi ſibi agendum conſtituit, exercitu decem millium peditum, & equitum ſexcentorum eum in uſum conſcripto; cujus conſilii certiores Ardiæi facti, cum ad bellum ſatis parati non eſſent, confeſtim Legatos Romam mittunt veniam oratum. Senatus damnorum æſtimationem, quibus indigne oppreſſos affeciſſent, exſolvere illos juſſit; & adverſus negligentes parere Senatui, Fulvius Flaccus* (e) *cum exercitu miſſus. Sed bellum non ultra excurſionem proceſſit; neque enim finem illi imponere* (f) *potuerunt.*

a b c d Ardiæi & Palarii Romanam Provinciã depopulati.

e f

NOTÆ.

a Gens Illyrica antiquiſſima, terra olim marique præpotens, & longiſſime per Illyricum fuſa, de qua plura dicturi ſumus cap. 2. §. 4. Part. 2. Ex Ardiæis potiſſimum coaluerat reſpublica Dalmatarum, qui antiquo vocabulo poſthabito ab Delminio deinde ſe appellari voluerunt; ſed ex iis aliqui priſcum nomen retinuerunt, qui prope Naronem ſedes habebant, quoſque in Provinciam Romanam Illyricam invaſiſſe Appianus tradit. Hos Polybius & Strabo *Ardiæos* & *Sardiæos*, Dion *Sardianos*, Plinius, Ptolemæus, Auctor Epitomes Livianæ *Vardeos* ſeu *Vardæos* vocant.

b De Palariis populis Illyricis qui meminerit, præter Appianum invenio neminem; eos veriſimile eſt habitaſſe prope a finibus Romanæ Provinciæ, in quam populabundi identidem excurrere ſolebant.

c Provincia Illyrica Romanorum ab Narone uſque ad montes Acroceraunios tum protendebatur. Nam quas gentes urbeſque Illyricas ultra citraque Drilonem Romani poſt tertium bellum Illyricum, extinctoſque Reges Illyricos, vel libertate, vel etiam immunitate donaverant, eas paullatim fere omnes in deditionem imperii atque in provinciæ formam redegerant, Romanoſque ad eas regendas Magiſtratus mittebant, Prætorem ſcilicet, qui jus diceret, & Quæſtorem, qui vectigalia procuraret. Cum igitur Senatus Fulvio Flacco Conſuli gerendum dedit bellum ſextum Illyricum adverſus Ardiæos & Palarios, tum Provincia Romana Illyrica ex Illyrico primigenio, & poſtrema illa parte Illyrici, quæ inter Drilonem & Acroceraunios vergit, conſtabat. Sed hæc pars Illyrici ad meridiem extrema, proximo ante Chriſtum ſæculo divulſa ab Illyrico, provinciaque Romana

Digitized by Google

mana Illyrica, in jus nomenque Macedonicum migravit, ut infra dicemus.

d Per eos annos Romanis bellum fuit cum Lusitanis, cum Numantinis, & cum Scordiscis; horum postremos in Macedoniam effusos, cum regionem illam fede vastassent, M. Cosconius Prætor hoc eodem anno perdomuit, quo Fulvius Flaccus Ardiæis & Palariis bellum intulit. Auctor Epit. Livianæ lib. 56.

e Ser. Fulvius Flaccus consulatum gessit cum Q. Calphurnio Pisone anno ante Christum 135.

f Sed Auctor Epitomes Livianæ scripsit huic bello finem impositum esse a Consule Fulvio Flacco, & cum Ardiæis debellatum fuisse. *Fulvius Flaccus Consul Vardæos in Illyrico subegit*. Nec dubium est, quin etiam Palarii eamdem, atque Ardiæi, belli fortunam conditionemque subierint. Ac tum evenisse arbitror id, quod de Ardiæis narravit Strabo lib. 7. qui eos ab Romanis ex ora maritima in loca subalpina compulsos fuisse ait, exindeque agris colendis tolerare vitam necesse habuisse. *Sed hos a mari in mediterranea abegerunt Romani, coegeruntque agriculturæ vacare. Est autem regio ea sterilis atque aspera, neque agricolis conveniens. Itaque ea gens tantum funditus non periit.*

Bellum septimum Illyricum contra Japydes.

Bellum septimum Illyricum Romani gessere cum Japydibus, qui ad eam diem ab armis Romanis intacti fuerant. Hi populi Carniam Istriamque a Septemtrione circumcolebant, sedesque suas inter Arsiam & Tedanium in Meridiem usque ad mare protulerant. Quæ causa Romanos impulerit, ut bellum huic genti inferrent, hanc cum Appianus reticeat, verisimile est ipsos Japydes præbuisse, cum vel Carniam Istriamque Provincias populi Romani depopularentur, vel Adriaticam navigationem piraticis excursionibus infestam redderent. C. Sempronius Tuditanus Consul anno ante Christum 129. in Japydiam cum exercitu missus primo rem male gessit, deinde C. Junio Bruto, qui Lusitaniam subegerat, auxilium ferente, bellum Japydicum prospere confecit.

Sempronius Consul primo male, deinde prospere cum Japydibus pugnavit.

Adversus Japodas, quibus intra Alpes sedes est (a), *Sempronius Tuditanus & Tanusius Tiberius gessere bellum; verique simile est eos ad imperata faciendo compulsos*: hæc Appianus, quæ paullo distinctius exposuit Auctor Epitomes Livianę Dec. 6. lib. 3x. *C. Sempronius* (b) *Consul contra Japydas primo non male gessit; mox victoria eladem acceptam emendavit, virtute C. Junii Bruti, ejus qui Lusitaniam subegerat.*

a

b

NOTÆ.

a Japydes alii erant alpini, alii maritimi. Japydiam describpturi sumus Parte secunda Proleg.

b C. Sempronius Tuditanus cum M. Aquilio Consul fuit anno ante Christum 129.

Bellum oct. Illyr. vere. Dalmaticum.

Bellum octavum Illyricum & tertium Dalmaticum Appianus, nonum Illyricum & quartum Dalmaticum Eutropius brevissime describunt. *Secutis temporibus, Cæcilius Metellus* (a) *Consulatum adeptus, nihil delinquentibus Dalmatis, una triumphandi libidine, bellum* (b) *inferre decrevit, a quibus amice susceptus, apud Salonas eorum urbem transegit hyemem, & Romam reversus triumphavit.* Appian. lib. de Illyr.

a

b

c *Marco* (c) *Æmilio Lepido, Q. Catulo Coss. cum Sylla rempublicam composuisset, bella nova exarserunt, unum in Hispania, aliud in Pamphilia & Cilicia, tertium in Macedonia, quartum* (d) *in Dalmatia.... Ad Illyricum missus est Cn. Coscenius Proconsul. Multam partem* (e) *Dalmatiæ subegit. Salonas* (f) *cepit, & composito bello Romam post biennium rediit.* Eutropius lib. 6.

Nonum Illyric. quarti Dalmaticum.

d

e f

NOTÆ.

a L. Cæcilius Metellus cum Q. Mucio Scævola Consulatum gessit anno ante Christum 117.

b Hoc bello Dalmatas Salonæ obsessos fuisse tradit Auctor Epitomes Livianæ: *L. Cæcilius Metellus Dalmatas obsedit*. Dec. 7. lib. 2. Dalmatæ, ut in re inopinata improvisoque hostium adventu, tum a militibus, tum a commeatu, cæterisque rebus ad sustinendam obsidionem necessariis imparati erant. Itaque vix Consul copiis admotis urbem circumsederat, cum Legatos ad eum de pace miserunt, polliciti se quidquid imperasset facturos; & patefactis januis Consulem amice ac perhonorifice acceperunt; qui cum apud eos hyemasset, Romam reversus de Dalmatis triumphavit, & Dalmatici cognomen sibi adscivit. Cæterum Salonam in ditione Dalmatarum reliquit; vel si præsidium urbi imposuit, Dalmatæ, post discessum Consulis, militibus Romanis expulsis, urbem in suam potestatem redegerunt; id quod ex bello quarto Dalmatico intelligi potest.

c Horum Consulatus cohæret cum anno ante Christianam Epocham octavo & septuagesimo.

d Huic & superiori Dalmatico bello, aliud bellum, a cæteris prætermissum, interjecit Eutropius, non proprium illud quidem Dalmatarum, sed commune Dardanis, Scordiscis, & Mœsis, *quos*, inquit, *Sylla partim vicit, alios in fidem accepit*. Huic autem quarto bello causam præbuisse videntur Dalmatæ, qui vel defecerunt a Romanis, quorum in potestatem eos Sylla redegerat; vel Illyricam Romanorum Provinciam populabundi invaserunt; vel agros vastabant Tragurii & Epetii, quæ urbes cum ad Issenses pertinerent, in fide & clientela populi Romani erant. Censuit Senatus Salonam Dalmatis omnino adimendam esse, neque aliter Dalmatas in officio contineri, aut Romanam Provinciam, urbesque amicas & Socias ab eorum incursionibus tutas pacatasque præstari posse. Itaque Cn. Cosconio Proconsuli quartum bellum Dalmaticum gerendum Senatus dedit. Is intra biennium Salona, aliisque Dalmatiæ urbibus captis, bellum prospere confecit.

e Quam partem Dalmatiæ Cn. Coscionius ceperit, non explicat Eutroptus; maritimam fuisse arbitror, parte alia mediterranea & montana Dalmatis relicta.

f Salonam deinde Senatus in sua potestate retinendam censuit, firmissimo præsidio impositio, & Colonia etiam civium Romanorum illuc deducta, ut quodam quasi fræno injecto, Dalmatas in officio contineret. Tunc vero Romana Illyrica Provincia, quæ ad eam diem intra Naronem se continuerat, longissime in Occasum suos fines usque ad Titium Liburniamque produxit, urbes fere omnes, quæ ad mare vergebant, oraſque complexa, Dalmatis in mediterranea & alpina loca compulsis. Sed quantum Provinciæ Illyricæ Romanæ terrarum atque oppidorum ab Occidente accessit, tantumdem aut paullo plus eidem ab Ortu & Meridie detractum est. Per ea siquidem tempora partem illam veteris Illyrici, quæ Drilonem inter montesque Acroceraunios interjecta est, ab Illyrico & Provincia Romana Illyrica avulsam fuisse arbitror, adjectamque Macedoniæ; exinde enim, antiquato Illyrici vocabulo, Macedonia appellari cepit; nam qui deinceps de bellis rebusque Romanis scripserunt, hanc postremam Illyrici partem ad Meridiem non Illyrico, sed Macedoniæ contribuunt; vocabulo autem provinciæ Illyricæ Romanæ eum gentium ac regionum tractum subjiciunt, qui ab Titio in Drilonem usque producitur. Quare ex

Digitized by Google

Illyrico proprio inter Naronem ac Drilonem, atque ex Dalmatia præſertim maritima (nam mediterraneam & montanam fere omnem Dalmatæ in ſua poteſtate retinuerunt) una conflata eſt Romana Provincia ſub communi vocabulo Illyrici, quod Drilo fluvius ab Oriente, Titius vero ab Occaſu terminabat, ſejungebatque a Liburnia, quæ poſt annos aliquot ipſa quoque in jus ditionemque Romanorum conceſſit, ut infra dicetur. Cæterum poſt bellum quartum Dalmaticum exiſtimo Liburnos, cum Romanos ſibi finitimos mallent ſocios, quam hoſtes habere, ut ſibi ſuiſque rebus conſulerent, in clientelam amicitiamque populi Romani ſe contuliſſe: argumento eſt, quod in eo civili bello, quod inter Cæſarem ac Pompejum exarſit, Jadertinis, qui contra Cæſarem a Senatu & Pompejo conſtantiſſime ſteterunt, id ſummæ laudi Aulus Hirtius (de bello Alexandrino) tribuat, quod eorum *ſemper ſingulare in rempublicam conſtiterit officium*: ex quo intelligi poteſt Liburnos, quorum caput ac primaria civitas erat Jadera, non recentes, ſed veteres reipublicæ ſocios & amicos fuiſſe; hujuſque ſocietatis & amicitiæ primordia ſaltem a quarto bello Dalmatico repeti oportere. Si enim Jadertinorum ac Liburnorum *ſemper* ſingulare in rempublicam conſtiterat officium, non paucorum, ſed plurium annorum perpetuis officiis in rempublicam collatis, ſuum erga illam ſtudium eximium, propenſamque voluntatem Romanis probaverint neceſſe eſt. Nullum autem bellum a Romanis ante hæc tempora cum Liburnis geſtum comperio; tempus vero illud, quo Romani Liburniam quoque per deditionem adepti fuerint, eamque ad Romanam Illyricam provinciam adjunxerint, paullo poſt ex Appiano deſignandum erit. Itidem poſt Salonam, magnamque Dalmatiæ partem per Cn. Coſconium Proconſulem ſubactam, univerſum Illyricum Romanæ ditionis in duos conventus diviſum fuiſſe arbitror, Naronianum, ad quem Illyrii proprie dicti, & Salonitanum, ad quem Dalmatæ pertinebant, ut hi quidem Salonam, illi vero Naronam juris petundi cauſa convenirent. Naronianum quippe conventum ad hæc tempora referendum eſſe auctor eſt Terentius Varro, qui anno poſt bellum quartum Dalmaticum decimo, ante Chriſtum octavo & ſexageſimo florebat: is quippe apud Plinium lib. 3 cap. 22. tradit ætate ſua ad illum conventum, ſeu Naronam, civitates LXXXIX. ventitaſſe. Tertius deinde adjectus eſt conventus Scardonitanus, cum ſcilicet Liburnia ad Romanorum imperium acceſſit. Sed de hac primum bipartita, tum tripartita Illyrici diviſione, triplicique Conventu, iterum ac ſæpius mentio erit nobis facienda.

§. VII.

Bellum decimum Illyricum & quintum Dalmaticum.

C. Julii Cæſaris opes, potentia, magiſtratus.

Res geſtæ.

Sæculo fere dimidio vergente ante Chriſtianam epocham, C. Julius Cæſar jam Romæ florebat gratia, opibus, honoribus, & rerum geſtarum gloria, ad quem deinde rerum omnium poteſtas & arbitrium pervenit. Is anno ante Chriſtum 59. Conſulatum adeptus, Illyricum & Galliam ciſalpinam in triennium ab Senatu obtinuerat; itemque Galliam tranſalpinam in quinquennium: poſtea vero in alterum triennium eædem provinciæ illi prorogatæ ſunt. Quo intervallo Galliam omnem ulteriorem, quæ a ſaltu Pyrenæo, Alpibus, Rheno Rhodanoque fluminibus continetur, in provinciæ formam redegit, eique certum in annos ſingulos ſtipendium impoſuit; primus etiam Romanorum Germanos transrhenanos, ponte ſuper Rhenum injecto, laceſſivit; Britannos quoque adiit, quo nullus antea penetrarat. Anno autem ante Chriſtum 54, cum in Italiam rediiſſet, eique nunciatum eſſet Illyricæ Provinciæ fines a Piruſtis Illyrica gente vaſtari, poſt peractos citerioris Galliæ conventus, in Illyricum proficiſci maturavit. Sed vix copiis in Provinciam traductis, & militum delectu civitatibus Illyricis imperato, bellum Piruſtis ultionemque denunciaverat, cum hi Legatos ad Cæſarem mittunt pacem veniamque oratum. Ita hoc bellum Illyricum ſimul oſtenſum & compoſitum fuit. Quare hoc ne annumerandum quidem cenſeo inter bella Illyrica.

Lucio Domitio (a) *& Appio Claudio Coſſ. diſcedens ab hibernis Cæſar in Italiam, ut quotannis facere conſueverat, legatis imperat, quos legionibus præfecerat, uti quamplurimas poſſent, hyeme naves ædificandas, vetereſque reficiendas curarent. . . . Ipſe conventibus Galliæ citerioris peractis, in Illyricum* (b) *proficiſcitur, quod a Piruſtis* (c) *finitimam* (d) *partem provinciæ incurſionibus vaſtari audiebat. Eo cum veniſſet, civitatibus milites imperat, certumque in locum convenire jubet. Quæ re nunciata, Piruſtæ legatos ad eum mittunt, qui doceant, nihil earum rerum, publico factum conſilio, ſeſeque paratos eſſe demonſtrant, omnibus rationibus de injuriis ſatisfacere. Accepta oratione eorum, Cæſar obſides imperat, eoſque ad certam diem adduci jubet: niſi ita fecerint, ſeſe bello civitatem* (e) *perſecuturum demonſtrat. Iis ad diem adductis, ut imperaverat, arbitros inter civitates dat, qui litem æſtiment, pœnamque conſtituant.* Cæſar. in Com. de bello Gallico lib. v.

a Cæſar de more Italiæ Conventus peragit; ac deinde in Illyricum proficiſcitur, bellum Piruſtis illaturus, qui metu perterriti imperata faciunt.

b

c

d

e

NOTÆ.

a L. Domitius Ænobarbus, Appius Claudius Pulcher Conſulatum geſſerunt anno ante Chriſtum 54.

b Cæſar, ait Svetonius in Cæſ. cap. 22. *initio quidem Galliam Ciſalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatinia accepit, mox per Senatum Comatam quoque*, ideſt Tranſalpinam, teſte Plinio lib. 4. cap. 17. *Gallia omnis*, Plinius ait, *Comata una nomine appellata, in tria populorum genera dividitur, amnibus maxime diſtincta*. Utriuſque porro Galliæ, ſimulque Illyrici adminiſtratio deinde Cæſari prorogata fuit.

c Piruſtas Ptolemæus lib. 11. cap. 17. penultimam Illyrici gentem Macedoniam verſus prope Drilonem conſtituit. Erant igitur Piruſtæ ad Orientem Illyrico & Macedoniæ interjecti, gens Alpina extra Romanam ditionem.

d Pars finitima provinciæ Romanæ Illyricæ, quam Piruſtæ incurſabant, ad Septemtrionem ſpectabat Orientemque intra Drilonem.

e Civitatem Piruſtarum, quæ gentis caput erat. Plures civitates nominat Ptolemæus incerto quidem poſitionis; ex his ſunt quædam, quæ probabiliter conjungi poſſent cum regione Piruſtarum, veluti Thermidava, Siparuntum, Epicaria, Erminacium. Sed quænam ex iis, an nulla earum ad Piruſtas pertineat ſtatuere non auſim.

Bellum vero decimum Illyricum, & quintum Dalmaticum C. Julius Cæſar per ſuos Duces haud ſatis proſpere geſſit anno ante Chriſtum circiter altero & quinquageſimo, cum jam bellum civile imminceret, quod biennio poſt exortum inter Cæſarem & Pompejum, Romanos in duas partes diſtraxit, extremumque libertati reique publicæ Romanæ exitium attulit. Cauſam huic decimo bello Dal-

Bellum X. Illyricum, quintum Dalmaticum.

Digitized by Google

Dalmatæ tribuunt, qui, cum Cæſar in Gallia transalpina longe terrarum abeſſet, ditionis ampliſicandæ cupidi, Liburnos finitimos ſocioſque Romanorum adoriri conſtituunt. Nec oſtenderunt bellum, priuſquam inciderunt. Igitur primo belli impetu Liburnis imparatis, ac nihil tale metuentibus, arcem Promonam eripiunt, Liburnis æque ac Dalmatis ad fines tuendos mirifice opportunam. Erat quippe inter confinia utriuſque populi, urbs alpina adituque difficilis, inter Titium & Tilurum amnes, qui e locis inter ſe propinquis oriuntur, ſed propius a Tilluri, quam Titii fontibus aberat; cujus poſitionem non longe a fontibus Tilluri fuiſſe, nomen montis, qui hodieque *Promina* dicitur, prope quem Tilurus exoritur, ſatis declarat. Tum Dalmatiæ fines etiam ab regione montana propagati ſunt uſque ad Titium, cum jamdudum infra montes in planitie eumdem amnem Titium attingerent, & Liburnicæ alpinæ ditionis quod reliquum fuerat inter Titium ac Tilurum, in jus nomenque Dalmatiæ conceſſit.

Dalmatæ Liburnis Promonā adimunt.

Sed paullo poſt cum Cæſar in Italiam, ut quotannis facere conſuerat, e Gallia rediiſſet, nec longe ab Illyrico abeſſet, Liburni ad eum legatos miſerunt, qui Liburniam univerſam cum omnibus urbibus oppidiſque in populi Romani ditionem ac poteſtatem traderent, ſimulque adverſus Dalmatas opem a Cæſare auxiliumque implorarent. Tum provincia Illyrica Romanorum Liburniæ acceſſione amplificata eſt, atque Japydia maritima, quam bello Japydico, Iſtriaque omni, quam bello Iſtrico Romani ſubegerant, adjectis, Illyricum Romanum fines ſuos ab Drilone uſque in Carnos propagavit, exceptis regionibus mediterraneis ac montanis inter Naronem & Carnos, quas partim Dalmatæ, partim Japydes alpini in ſua poteſtate retinebant. Nec multo poſt Jadera princeps Liburniæ civitas Romanorum coloniam excepit, quam illuc ante imperium Auguſti deductam fuiſſe Hiſtoricus Dalmata ex antiqua inſcriptione, quæ in marmorea tabula extat Jaderæ affixa ad portam Epiſcopi Nonæ; & Auguſtum Jadertinæ Coloniæ non conditorem, ſed reſtitutorem fuiſſe declarat. Per idem fere tempus ſecutos eſſe exemplum Liburnorum Iſſenſes arbitror, qui ut ſe ab injuriis Dalmatarum tutiores præſtarent, ſub imperium Romanorum ſuas urbes Iſſam, Epetium, Tragurium, ſuaque omnia ultro Romanis dederunt. Atque Iſſam quidem oppidum nobiliſſimum earum regionum vocat Aulus Hirtius; illudque ferventi jam bello civili M. Octavius a Cæſaris amicitia avertit, ſed deinde Vatinius, poſt M. Octavium navali prælio victum, in fidem poteſtatemque Cæſaris revocavit. In hanc autem inſulam, urbemque cognominem ab Romanis coloniam deductam fuiſſe auctor eſt Plinius, cum Iſſam appellat *oppidum civium Romanorum*.

Liburnis in poteſtatem Romanorum venit.

Iſſam Iſſa cum Epetio & Tragurio.

Cæſar igitur, ad quem Liburni improviſa illa hoſtium irruptione conſternati, trepidique rerum ſuarum per legatos auxilii petendi cauſa confugerant, idque ut obtinerent, ſe in ejus & Romanorum fidem voluntaria deditione tradiderant, primum quidem miſit, qui Dalmatis denunciaret, ut Promonam Liburnis reſtituerent, ab eorumque finibus copias deducerent; deinde cum Dalmatæ imperata facere abnuerent, juſſit copias in Dalmatiam traduci, quæ Dalmatas urbe, quam occupaverant, totaque Liburnia expellerent. Sed contra quam opinabatur, omnem ſuum exercitum a Dalmatis deletum & conciſum paullo poſt intellexit. Ultione tamen in aliud tempus dilata, bello Dalmatico ſuperſedendum conſuit; alio enim illum aliæ curæ cogitationeſque evocabant. Jamenim, quæ Cæſari cum Pompejo erant, acres acerbæque diſcordiæ eo proceſſerant, ut ad bellum civile ſpectarent, quod demum anno ante Chriſtum 49. coortum, magna utrinque contentione geri cœpit. Anno inſequenti poſt Pompejum in campis Pharſalicis victum, Cæſar per litteras juſſit Gabinium in Illyricum proficiſci cum legionibus tyronum, conjunctiſque copiis cum Q. Cornificio, qui erat Cæſaris Quæſtor ac pro prætore; & ſi quod periculum provinciæ a Pompejanis immineret, avertere ac depellere. Dalmatæ ob recenti memoria eorum, quæ in Cæſarem peccaverant, meriti, ne Cæſaris victoria in ſuam perniciem verteretur, copias Gabinianas adorti amplius duo millia militum cædunt, tribunos quatuor, Centuriones duo de quadraginta. Gabinius cum reliquis copiis fuga elapſus Salonam ſe recepit, ibique partim ægritudine ob rem male geſtam, partim morbo oppreſſus, interiit. Ac ne tum quidem Cæſar ad ulciſcendos Dalmatas ſpatium habuit, intentus cum eſſet ad profligandas delendaſque Pompejanarum partium reliquias. Anno ante Chriſtum 45. bellis omnibus civilibus confectis, cum Romam reverſus triumphaſſet, ad expeditionem Geticam ac Parthicam adornandam curas omnes cogitationeſque convertit. Ubi fama percrebuit Cæſarem maximos adverſus Getas & Parthos comparaſſe exercitus, tum vero Dalmatæ ſibi ſuiſque rebus timere cœperunt, metuentes, ne copiis per Illyricum traducendis acceptas injurias ulciſcerentur. Quare Cæſaris tranſitum anteverſendum rati, per legatos Romam miſſos veniam orant, ſuam illi amicitiam ſtudiumque pollicentur. Atque illorum quidem poſtulatis annuit Cæſar, ſed qui multa & gravia contra ſe peccaſſent, eos amicitia ſua dignos non cenſuit. Juſſit igitur Vatinium pacis conditiones illis ferre, veſtigali impoſito, & obſidibus acceptis. Nunc audiendus eſt Appianus in Illyr.

Copiæ Cæſarianæ iterum a Dalmatis cæſæ.

Dalmatæ miſſas a Cæſare copias cædunt.

Dalmatæ veniam a Cæſare orant, & impetrant.

Quo (a) *autem tempore Cæſar apud Celtas cum imperio erat, Dalmatæ cæterique benigniori fortuna utentes* (b) *Illyrii, Liburnis, quæ item Illyriorum gens eſt, Promonam* (c) *urbem abſtulere. Liburni in populi Romani* (d) *fidem concedentes Cæſaris in propinquo agentis opem implorarunt. Cæſar miſit, qui Promonam tenentibus denunciarent, ut oppidum Liburnis redderent; cumque ii contemnere imperium viderentur, validam armatorum manum ſubmiſit, qui omnes ab Illyriis cæſi ſunt. Neque Cæſar ulcus eſt: non enim* (e) *Pompejanæ diſcordiæ implicito ſatis in eam rem otii fuit. Erumpente autem in bellum diſcordia, Cæſar cum copiis, quas habebat, hyeme a Brundiſio* (f) *Jonium tranſmiſit; reliquum autem exercitus partem Antonius ad Cæſarem in* (g) *Macedoniam duxit, ipſe quoque Jonio ſinu ſumma hyeme tranſmiſſo; cohortes autem peditum quindecim, & tria millia equitum Gabinius per Illyrios eidem* (h) *adduxit, ora* (i) *Jonii circuitu peragrata. Illyrii reputantes ea, quæ non multo ante in Cæſarem commiſiſſent, cum ejus victoriam exitio ſibi futurum prævidereut, impetu* (k) *facto univerſum Gabinii exercitum (excepto Duce, pauciſque præterea fuga elapſis) concidernnt, magnamque ex tantis ſpoliis, & cætero ad bellum apparatu, copiam obtinuere. Cæſar* (l) *gerendis rebus adverſus Pompejum, Pompejoque ſublato, reliquiis ejus partium, quæ multa & varia ſupererant, profligandis diſtentus erat; ſed cum omnibus conſiciis, Romam reverſus, expeditionem adverſus Getas & Parthos* (m) *ſuſcepit, Illyrii metuentes, ne ſe in itinere poſitos aggrederetur, legatos* (n) *Romam mittunt, qui præteritorum veniam poſcerent, ſeque in amicitiam*

Liburni Cæſaris opem imploraut.

a
b
c
d
e
f
g
h
i
k
l
m
n

Copiæ Gabinianæ a Dalmatis cæſæ.

Digitized by Google

tiam ejus; ſocietatemque darent; Illyriorum gentem veluti bello inclytam verbis extollentes: ille quamquam inſtitutam adverſus Parthos profectionem feſtinaret, tamen pro dignitate populi Romani illis reſpondit, minime ſe amicorum loco habiturum eos, qui talia perpetraſſent; veniam autem daturum, ſi ſe tributo ſubjicerent, obſideſque dare vellent; Dalmatis utrumque pollicentibus, (o) *Atinium multis cum pedeſtribus & equeſtribus copiis ad eos mittit, qui levia quædam tributa imponeret, obſideſque* (p) *reciperet.*

Dalmatis venia datur, & tributum impoſitum.

o

p

N O T Æ.

a Cæſari Gallia tranſalpina primum in annos quinque decreta fuit, tum in aliud triennium prorogata eſt. Itaque octo ipſos annos ſummo cum imperio Galliam obtinuit.

b Veriſimile eſt cum Dalmatis alios quoque Illyrios alpinos inter Naronem & Drilonem, qui ad Romanam provinciam non pertinebant, coiviſſe ſocietatem belli contra Liburnos gerendi.

c *Promonam*, ait Hiſtoricus Dalmata, *intra Titium & Tilurum non longe ab hujus fontibus fuiſſe, ſitus nomenque montis Promina dicti demonſtrat.*

d Ante hoc tempus Liburni erant ſui juris, ſocique Romanorum, a quibus nullum bellum ſuperioribus annis illatum Liburnis reperies. Non itaque, ut pleræque aliæ gentes vi ac bello coactæ, ſed ſponte in fidem ditionemque populi Romani venerunt.

e Ex hiſce diſcordiis coortum eſt bellum civile anno ante Chriſtum 49. Pompejanis id agentibus, ut expleto tempore provincia Cæſar, exercituque decederet; Cæſarianis porro viciſſim, idem ut Pompejus faceret, annitentibus, cum Senatus Kalendis Januarii hujus anni decreviſſet, ut ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret. Quare ad proximum, vel ſuperiorem annum referenda eſt Dalmatarum in Liburniam irruptio, & Liburnorum ad Cæſarem legatio.

f Jonii vocabulo Appianus, veterum more, Adriaticum mare ſubjecit. Brunduſio enim in oram adverſam trajicientibus intra oſtium Adriatici navigandum eſt. Hanc ſuam trajectionem Cæſar ipſe deſcripſit lib. 3. de Bel. Civ. *Cæſar ut Brunduſium venit concionatus apud milites etc. Pridie Nonas Januar. naves ſolvit, impoſitis, ut ſupra demonſtratum eſt, legionibus VII. Poſtridie terram attigit Cerauniorum, ſaxa inter & alia loca periculoſa quietam nactus ſtationem: & portus omnes timens, quos teneri ab adverſariis arbitrabatur, ad eum locum, qui appellatur Palaſte, omnibus navibus ad unam incolumibus, milites expoſuit.*

g Macedoniæ nomine Appianus deſignat partem illam antiqui Illyrici inter Drilonem & montes Acroceraunios, quæ ab Illyrico avulſa jus nomenque Macedonicum ſubierat. Illuc enim prima belli civilis tempeſtas incubuit, Cæſarianis & Pompejanis legionibus in eamdem regionem convenientibus; illic Cæſar copias Antonianas expectabat; litteras enim miserat Brunduſium ad ſuos, ut nacti idoneum ventum, ne occaſionem navigandi dimitterent, & ad Oricum, ſive ad littora Apolloniatium curſum dirigerent. Idem Cæſar lib. 3. de Bel. civ. ſcripſit naves, quas ad ſe cum exercitu ducebant M. Antonius, & Fuſius Calenus, Apolloniam & Dyrrhachium prætervectas appuliſſe ad portum Nymphæum ultra Liſſum millia paſſuum tria. Itaque Appianus cum dixit, *reliqui exercitus partem ab Antonio ad Cæſarem ductam eſſe in Macedoniam*, huic vocabulo eam regionem ſubjecit, quæ antea pertinebat ad Illyricum, tum vero pars Macedoniæ haberi ac vocari ſolebat. Cæterum cum Cæſar in libris de bello Civili Macedoniam commemorat, fere ſemper propriam interioremque Macedoniam hoc nomine intelligit. Reliqui autem Scriptores vel Cæſari æquales, vel hujus ætati ſuppares, veluti Cicero, Dio Caſſius, Plinius, & alii hanc regionem, quæ olim juris fuit ac nominis Illyrici, attribuunt Macedoniæ.

h Cæſar poſt fuſos cæſoſque Pompejanos in Pharſalicis campis anno ante Chriſtum 48. imperavit Gabinio, quemadmodum refert A. Hirtius, ut cum ſuis copiis in Illyricum proficiſci maturaret ad depellendum, ſi quod forte periculum provinciæ a Pompejanis immineret; ſin autem ea ſine Gabinianis copiis tuta eſſe poſſet, exercitum in Macedoniam transferret; non vero juſſit Gabinium copias illas ad ſe in Macedoniam adduci, inde quippe poſt Pharſalicum prælium ipſe jam diſceſſerat, vel prope erat, ut diſcederet Pompejum perſecuturus, quaſcumque in partes ex fuga ſe recepiſſet, ne rurſus copias comparare alias, & bellum renovare poſſet.

i Haud dubium, quin hoc loco Appianus Adriaticum Jonii vocabulo appellet.

k Cladem Gabinianam paullo aliter & longe accuratius & diſtinctius deſcripſit A. Hirtius lib. de bello Alexandrino; quæ deſcriptio, cum ad quintum Dalmaticum bellum pertineat, hic ſubjicienda eſſe mihi videtur. *Cum diverſiſſima parte orbis terrarum Cn. Pompejum victor Cæſar ſequeretur, complureſque adverſarios in Illyricum, propter Macedoniæ propinquitatem, ſe reliquiis ex fuga collectis contuliſſe audiret, litteras ad Gabinium mittit, uti cum legionibus tyronum, quæ nuper erant conſcriptæ, proficiſceretur in Illyricum, conjunctiſque copiis cum Q. Cornificio, ſi quod periculum provinciæ inferretur, depelleret: ſin ea non magnis copiis tuta eſſe poſſet, in Macedoniam legiones adduceret; omnem enim illam partem regionemque, vivo Cn. Pompejo, bellum inſtauraturam eſſe credebat. Gabinius, ut in Illyricum venit, hyberno tempore anni, ac difficili, ſive copioſiorem provinciam exiſtimans, ſive multum fortunæ victoris Cæſaris tribuens, ſive virtute & ſcientia ſua confiſus, quam ſæpe in bellis periclitatus, magnas res & ſecundas ductu ausuque ſuo geſſerat, neque provinciæ facultatibus ſublevabatur, quæ partim erat exinanita, partim infidelis; neque navibus, intercluſo mari tempeſtatibus, commeatus ſupportari poterat; magniſque difficultatibus coactus, non ut volebat, ſed ut neceſſe erat, bellum gerebat. Ita, cum duriſſimis tempeſtatibus propter inopiam caſtella aut oppida expugnare cogeretur, crebra incommoda accipiebat: adeoque eſt a Barbaris contemptus, ut Salonam ſe recipiens in oppidum maritimum, quod cives Romani fortiſſimi, fideliſſimique incolebant, in agmine dimicare ſit coactus. Quo prælio duobus millibus militum amplius amiſſis, Centurionibus XXXIIX. Tribunis IV. cum reliquis copiis Salonam ſe recepit; ſummaque ibi difficultate omnium preſſus, paucis menſibus morbo interiit. Cujus & infelicitas vivi, & ſubita mors in magnam ſpem Octavium adduxit provinciæ potiundæ: quem tamen diutius in rebus ſecundis, & fortuna, quæ plurimum in bellis poteſt, diligentiaque Cornificii, & virtus Vatinii verſari paſſa non eſt.*

l Cæſar anno poſt victum Pompejum, & juſſu Ptolemæi occiſum proximo, ante Chriſtum 47. bellum Alexandrinum longe periculoſiſſimum geſſit; victis Alexandrinis, Cleopatræ, quæ fratri ſuo nupſerat, regnum tradidit. Sub anni exitum Romam veniens Conſules ſuffecit Q. Fuſium Calenum,

Digitized by Google

ſum, & P. Vatinium. Anno ante Chriſtum 46. Cæſar in Africa bellum cum Scipione, Catone, & Juba feliciter adminiſtravit. Romam reverſus quatuor diebus triumphum egit de Gallis, Ægypto, Pharnace, & Juba. Anno ante Chriſtum 45. bellum in Hiſpania cum Pompeii liberis geſſit, quos & penitus vicit. Ita bellis omnibus civilibus confectis Romam rediens triumphavit. Exinde Imperatoris titulum ei decretus, Conſulatus in decem annos, Dictatura perpetua.

m Ideſt apparabat, neque enim Parthicam expeditionem aut conficere, aut ſuſcipere potuit; namque in ipſo apparatu ac meditatione Getici ac Parthici belli mors oppreſſit, a Bruto, Caſſio, cæteriſque conjuratis interfectum.

n Dalmatarum ad Cæſarem legatio conjungi debet cum anno ante Chriſtum 45. poſtquam Cæſar bellis omnibus civilibus perfunctus, Dictator perpetuus novo more appellatus eſt a Senatu.

o Atinius haud dubie ille ipſe eſt, quem alii Vatinium vocant, qui poſt cladem Gabinianam a Q. Cornificio per litteras in Illyricum Brundiſio accitum, multa præclare in ea provincia contra M. Octavium pro Cæſare geſſit; deinde vero a Cæſare iterum miſſus eſt in Illyricum, ut Dalmatis leges pacis cum tributo imponeret, & obſides imperaret.

p Ita huic bello quinto Dalmatico finis impoſitus eſt apud Appianum. Sed idem bellum diutius protractum eſſe, vel renovatum perſpicue intelligi poteſt ex duabus Vatinii ad M. Tullium epiſtolis, quas infra ſubjiciemus. Nam Vatinius antequam copias in Dalmatiam trajiceret, Dalmatæ oblatas pacis conditiones reſpuerint oportet, quippe cum bellum Dalmaticum continuari neceſſe fuerit. Cujus quidem rei hanc cauſam afferri poſſe arbitror, quod illi ſuam quidem amicitiam Cæſari per legatos detulerint, ut refert Appianus; non item vero aut tributum aut obſides daturos ſe promiſerint. Id legati injuſſu Dalmatarum arbitratu ſuo polliciti erant. Quare ſimul atque de tributo & obſidibus dandis legati ad ſuos retulerant, Dalmatæ ira & furore exarſerant, arreptiſque armis jus ſuum immunitatemque tueri decreverant. Quare Vatinio, ut Dalmatas ſubigeret, bello cum illis & difficili & periculoſo confligendum fuit; id quod ex Vatinii & Ciceronis litteris ultro citroque miſſis apparet.

Ex lib. v. Epiſtol. Famil.

P. Vatinius Imperator M. Ciceroni ſuo S. D.

Si Vales bene eſt, ego quidem valeo. De Dionyſio
a (a) *tuo adhuc nihil extrico; & eo minus, quod me*
b *frigus* (b) *Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hic refrigeravit; ſed tamen non deſiſtam, quin illum aliquando eruam; ſed tamen omnia mihi dura imperas. . . . Cæſar adhuc mihi injuriam facit; de meis*
c (c) *ſupplicationibus, & rebus geſtis Dalmaticis adhuc non refert; quaſi vero non juſtiſſimi triumphi in Dalmatia res geſſerim; nam ſi hoc expectandum fuit, dum totum bellum conficiam, viginti oppida ſunt Dal-*
d *matiæ* (d) *antiqua; quæ ipſi ſibi aſciverunt, amplius*
e f (e) *ſexaginta: hæc niſi omnia expugno, ſi mihi* (f) *ſupplicationes non decernuntur, longe alia conditione ego ſum, ac cæteri Imperatores.*

Vatinius Ciceroni S.

g *Ego poſt* (g) *ſupplicationes mihi decretas in Dal-*
h *matiam profectus* (h) *ſum: ſex oppida oppugnando* (i)
i *cepi; unum hoc quod erat maximum, quater a me jam captum: quatuor enim turres, & quatuor muros cepi, & arcem eorum totam; ex qua me nives, frigora, imbres deturbarunt: indigneque, mi Cicero,*
k *oppidum captum, & bellum jam confectum* (k) *reliquere ſum coactus. Quare te rogo, ſi opus erit, ad Cæſarem meum cauſam agas, neque tibi in omnes partes defendendum putes, hoc exiſtimans neminem te tui amantiorem habere. Vale. De* (l) *Marone s*
l *M. Cicero P. Vatinio Imp. S.*

Grata tibi eſſe officia mea non miror; cognovi enim te gratiſſimum omnium; idque numquam deſiſti prædicare; nec enim tu mihi gratiam modo habuiſti, verum etiam cumulatiſſime retuliſti; quamobrem reliquis tuis rebus omnibus pari me ſtudio erga te, & eadem voluntate cognoſces . . . . De Dionyſio, ſi me amas, confice: quamcumque ei fidem dederis, præſtabo; ſi vero improbus fuerit, duces eum captivum in triumpho. Dalmatis Dii male faciant, qui tibi moleſti ſunt, ſed ut (m) *ſcribis, brevi capientur, & illuſtrabunt res geſtas tuas; ſemper enim habiti ſunt bellicoſi. Vale.*
m

NOTÆ.

a Is erat Ciceronis ſervus transfuga, qui cum ſe apud Illyrios recepiſſet, Vatinius Ciceroni promiſerat, ſe nihil curæ operæque prætermiſſurum, ut terra marique conquiſitum, ſuo illum Domino recuperaret. De quo idem Vatinius in alia priore ad Tullium epiſtola: *Dicitur mihi ſervus tuus quidam noſter fugitivus cum Vardæis eſſe, de quo tu mihi nihil mandaſti; ego tamen terra marique ut conquireretur præmandavi; & profecto tibi illum reperiam, niſi in Dalmatiam confugerit; & inde tamen aliquando eruam.*

b Dalmatia montana, quam Dalmatæ incolebant, regio perfrigida eſt. Vatinius autem, cum in Dalmatiam æſtivis menſibus profectus eſſet, ut ex priore epiſtola, quæ huc non pertinet, ad III. Id. Quinctil. data apparet, bellum in hyemem uſque protraxit; illudque frigus intolerabile ex alpinis locis copias deducere, & apud Naronam caſtra ponere coegerat, qua in regione quamvis ad mare propius vergente, vix tamen vim frigoris hyemiſque Dalmaticæ ſuſtinere poterat. Hanc ſiquidem epiſtolam, uti priorem, & eam, quæ proxime conſequitur, e caſtris apud Naronam dedit.

c Supplicationes jam Vatinio decretæ fuerant ante Dalmaticam illius profectionem, ut in proxima ſua epiſtola ipſemet Vatinius affirmat. Duplex itaque genus ſupplicationum fuit; primum pro felici ſucceſſu eventuque rerum peragendarum; præſertim cum grave aliquod & periculoſum bellum ſuſcipiendum eſſet, tum ſupplicatio indicti, & per urbem haberi ſolebat, adirique Deorum immortalium templa, ut bene ac feliciter eveniret, quod bellum populus Romanus juſſiſſet. Alterum erat genus ſupplicationum ob res proſpere geſtas, quæ decerni fierique ſolebant, non ſolum ut Diis gratiæ agerentur, ſed etiam ut ei debitus honos haberetur, qui bellum præclare adminiſtraſſet. De ſupplicationibus poſterioris generis quod Cæſar ad Senatum non referat, hic Vatinius queritur, quaſi non eas res in Dalmatia geſſiſſet, quibus triumphum etiam, non ſupplicationes ſolum, promeritus eſſet.

d Antiqua & primigenia Dalmatia Narone & Tilluro fluminibus definiebatur, in qua viginti oppida Dalmatæ jam inde ab initio Dalmatici nominis obtinuerunt.

e Dalmatæ Tilurum tranſgreſſi nomen fineſque Dalmatiæ uſque ad Titium propagarunt, oppidis ſexaginta ad ſuam ditionem adjunctis, in quibus fuit Promona Liburnis erepta. Strabo paullo poſterior ætate, qui ſub initium æræ Chriſtianæ floruit, *oppida memoratu digna* ad quinquaginta Dalmatis attribuit.

f Eas videlicet ſupplicationes, quibus & Diis gratiarum actiones, & mihi debiti honores tribuantur.

g Bel-

g Bellum Dalmaticum difficile ac plenum aleæ periculique habitum fuerit oportet, cum id ut prosperos ac lætos exitus haberet, Senatus censuerit supplicationes indicendas, Deosque circa omnia pulvinaria obsecrandos.

h Vatinius copias in Dalmaticam expeditionem eduxit æstate jam inita anni ante Christum 45.

i Hisce oppidis non sine ingenti labore ac periculo oppugnandis æstatem, Autumnum, & partem hyemis Vatinius extraxit.

k Nives, frigora, imbres Vatinium coegerunt ex oppido capto præsidia detrahere, copias in hiberna deducere, & bellum, quod pene jam confecerat, interrumpere.

l Apud Naronam in regione minus frigida ac nivosa hibernabat.

m Cum Vatinius suis ad Ciceronem litteris scripsisset, eo rem ab se deductam fuisse, ut jam debellatum foret cum Dalmatis, nisi cœptis prosequendis hyems summa impedimentum attulisset; Cicero illum bono animo esse jubet, atque ad spem excitat plenæ perfectæque victoriæ brevi consequendæ; quæ quidem quo erit difficilior, hoc magis nomen resque gestas Vatinii illustrabit. Quamquam vero neque Vatinius, neque Appianus hujus belli exitum declarent, tamen cum Appianus scripserit Dalmatas post interitum Cæsaris rursus contra Vatinium arma sumpsisse, neque stetisse conditionibus, quas Vatinius tulisset; id argumento est eisdem obsides tributumque pollicentibus, veniam ac pacem datam fuisse, antequam Cæsar interficeretur. Nam haud multo post anno ante Christum 44. Idibus Martiis, cum Cæsar a Bruto, Cassio, cæterisque conjuratis in Curia apud Cn. Pompeii theatrum vulneribus confectus interiisset, Dalmatæ Cæsaris metu levati neque obsides tradere, neque tributum persolvere voluerunt. Vi cogendos Vatinius censuit; sed Dalmatæ ejus copiis magna ex parte cæsis, Vatinium in fugam conjiciunt, qui ægre se hostium manibus ereptum cum reliquo exercitu Dyrrhachium recepit. Tum Senatus Bruto, ei, qui Cæsarem interfecerat, Macedoniam & Illyricum una cum Vatinii exercitu decrevit. Sed ille civilibus bellis implicitus, quæ statim ab interitu Cæsaris pullularunt, vix cogitandi aliquid contra Dalmatas, nedum gerendi, spatium habuit. Hunc exitum habuit bellum Illyricum decimum, Dalmaticum quintum; & Promonam urbem Liburnorum, quæ huic bello causam præbuerat, resque suas cæteras incolumes Dalmatæ ab Romanis otium nacti retinuerunt. *Ast ubi Cæsar interiit*, inquit Appianus, *rem Romanam, quæ illius ductu maxime valida floremque fuisset, eo sublato, interituram rati, neque Atinii dicto amplius audientes esse, neque tributa conferre, neque obsides tradere sustinuerunt. Vim autem parante in eos Atinio, quinque cohortes eorumque Ducem Bebium ordinis Senatorii cæciderunt: Atinius autem cum reliquis Epidamnum se recepit. Hunc exercitum Senatus, itemque Macedoniam, & quidquid apud Illyricum in populi Romani ditione erat, M. Bruto ei, qui Cæsarem interfecerat, quomodo Syriam Cassio ejusdem cædis participi, concessit. Sed hi quoque bello adversus Antonium, & alterum Cæsarem, cui Augusto cognomen fuit, distenti, nihil quidquam adversus Illyrios gerendi spatium habuerunt.*

Post interitum Cæsaris Dalmatæ rursus rebellant.

Exercitus Vatinii cæsus.

§. VIII.

De reliquis Romanorum bellis Illyricis.

Octavius Cæsar, Accia sororis C. Julii Cæsaris filia genitus, testamento ejusdem Cæsaris adoptatus, & more Romano C. Julius Cæsar Octavianus dictus, ac deinde cognomen Augusti adeptus, varia bella cum Illyriis partim per se, partim per suos Duces gessit. Appianus in Illyr. nominatim recenset populos vel Illyricos, vel Illyriis finitimos, & juri ac nomini Illyrico deinde adscriptos, quos Cæsar Octavianus sive post Triumviratum initum cum M. Antonio, & M. Lepido, sive postquam unus omnium rerum potitus est, appellatusque Augustus, multiplici bello vicit, ac Romano imperio adjunxit, & cum non semel rebellassent, iterum ac sæpius in deditionem potestatemque populi Romani redegit: *Oxyeos* (a), *Parthenetas* (b), *Bathiates* (c), *Taulantios* (d), *Cambeos* (e), *Cinambros* (f), *Merromenos* (g), *atque Pyrisseos* (h), *omni adhibita ope superavit; sed majus illi negotium fuit in recipiendis, & ad tributa, quæ intermiserant, pendenda rursus adigendis Docleatibus* (i), *Carnis* k, *Interfrurinis* (l), *Narisiis* (m), *Glidentionibus atque Fauriscis* (n), *quibus victis, finitimi metu territi, Ippasini* (o) *scilicet & Bessi* (p), *se illi tradiderunt; deficientes vero Melitenses* (q), *& Corcyræos, qui insulas incolunt, propterea quod mare latrociniis infestum habebant, funditus delevit, interfectis puberibus, cæteris sub corona venumdatis. Liburnos* (r) *mari itidem infestos navibus multare satis habuit.*

Octavianus Augustus plures Illyricas gentes bello rursus subegit.

a b c d c f g h i k l m n o p q r

NOTÆ.

a Oxyeos in veteri Epiro locat Antoninus in itiner. maritimo.

b Iidem fortasse ac Parthini Illyrici non longe ab Dyrrhachiensibus.

c Illyrii apud Ortelium, sed positionis incertæ.

d Illyrii infra Dyrrhachium ad meridiem.

e Illyrii ignotæ positionis.

f Illyricæ gentes, de quarum sedibus non constat.

g Hos quoque Illyriis adjungas licet; fortasse sunt Melcomani, quos Plinius ad tertium Illyrici conventum Naronianum adscripsit.

h Fortasse sunt Pirustæ, quos Ptolemæus post Docleates commemorat, & cum Scirtonibus prope a Macedonia constituit; vel Pyræi, quos Mela post Phæaces, Plinius post Taulantios locat.

i Illyrici populi inter Naronem & Drilonem.

k Carni inter Istros & Venetos; sed rectius intelligi possunt Carni transalpini, nunc Carniolæ.

l Gentes Illyricæ, sed positionis incognitæ.

m Sunt Narestæ & Glanditiones Pliniani, qui ad tertium Naronæ conventum pertinebant.

n Taurisci ad Noricum pertinent, una cum cæteris Noricis ad Illyricum adjuncti.

o Ippasini Taurisco finitimi.

p An & Bessi finitimi Tauriscis? sed Bessi populi Thraciæ longissime ab Tauriscis Noricis absunt; nisi forte pro Tauriscis legendi sint *Tauristæ* Strabonis lib. 7. qui eos circa Thraciam & Mæsiam locat.

q Melite, & Corcyra Melæna, insulæ Dalmaticæ a peninsula Onæi sive Stagni, modico interfluo Euripo, ad meridiem disjunctæ.

r Liburni inter Titium & Tedanium fluvios; sed deinde Liburnia ab Titio usque ad Arsiam fines protulit, Japydia maritima intermedia nomen Liburniæ subeunte.

Hos populos Octavius Cæsar alios aliis temporibus subegit. Dio Cassius lib. 49. Salassis, qui alpes Cottias incolebant, Tauriscis & Japydibus bellum illatum esse tradit, Sex. Pompejo & L. Cornificio Coss. ideſt anno ante Christum 35. *Et aliis*, inquit, *ad alios populos subigendos missis, Japydas ipse* (Cæsar) *bello petiit*. Sed Appianus duplex bellum Japydicum commemorat, quod Cæsar per se ipse gessit, alterum cum Inalpinis, alterum cum Ja-

Salassi, Taurisci, Japydibus bellum ab Augusto illatum.

Digitized by Google

Japydibus transalpinis. Primum contra Japydes transalpinos bellum Appianus breviter descripsit: *Et Japodes quoque, qui intra Alpes habitant, Moentini, & Avendeatæ, ipsi advenienti se ultro tradidere; Arupini, qui & multitudine juventutis, & virtute bellica cæteris Japodibus præstant, ex vicis in urbes se receperunt; illo appropinquante se in sylvis abdidere. Cæsar urbi captæ ignem subjici non est passus, quod se Barbaros deditures sperabat; seque deditiis ultro quoque incolere permisit.* Japydia maritima inter Tedantum & Arsiam jampridem in ditionem Romanorum concesserat, ut supra diximus, & Liburniæ nomen subierat. Hoc bello Japydia inalpina in deditionem venit. Hanc tres populi incolebant a tribus primariis cujusque civitatibus appellati, Moentini a Monætio, Avendeatæ ab urbe, quam alii Avendonem, alii Vendum vocant, Arupini ab Arupio sive Arypio. Alpes vero, quas Japydes insidebant, communi montis Albii vocabulo fuberant. Alterum longe difficilius cum Japydibus transalpinis bellum gessit, quod cum Dione referendum est ad eum, quem diximus, Consulatum Sex. Pompeii & L. Cornificii, qui congruit cum anno 35. ante Christianam epocham; quo quidem tempore in Pannonios etiam arma convertit, quos Appianus, & plerique Græcorum Pæones vocant; distinguendos ab illis Pæonibus, qui citra Hæmum montem Macedoniam a Septemtrione attingunt; & urbe Siscia ad deditionem compulsa, eam Pannoniæ partem Imperio adjunxit, quæ Japydiæ ab Oriente finitima est, & Savo flumini montibusque Illyricis interjacet. Iisdem Consulibus Pompejo & Cornificio, bellum susceptum est adversus Salassos, & eos etiam, quos Appianus Desios vocat, suntque fortasse Desitiates populi Illyrici, quos Plinius Daorizis & Docleatibus interjecit. His Appianus adjungit Segestanos ac Dalmatas. Sed bellum Dalmaticum cum Dione in annum proximum rejici oportet. Segestani vero erant populi Pannonii dicti ab urbe & insula Segesta, quam Colapis gemino alveo apud Siscium in Savum influens efficit. *Maxime autem inter omnes molestia illum affecerunt Salassi & Japodes transalpini*, ait Appianus; *item Segestani, Dalmatæ, Dessii, Pyrusque longe a Salassis positi, qui summitates Alpium incolunt.* Deinde Appianus paucis describit bellum contra Salassos gestum, quod plures annos tenuit, & a Valerio Messala Corvino confectum Dio Cassius & Appianus tradunt.

Bellum Japydicum duplex.

Jam vero secundum bellum transalpinum Japydicum brevissime Dio Cassius, fuse accurateque Appianus describunt. Dio autem lib. 49. ante descriptionem secundi, meminit etiam primi belli Japydici: *Japydes ipsi bello petiti; quorum eos, qui citra montes procul a mari habitabant, non omnino difficulter subegit; qui vero montes & ultra illos incolebant, eos non sine maximo labore perdomuit.* Hi (quos Appianus transalpinos vocat) *Metulo maxima sua urbe occupata, Romanos oppugnantes multoties repulerunt, machinas multas combusserunt, Cæsarem ipsum e ligneo quodam turri murum conscendere conatum graviter saucierunt; tandem cum nihilominus propositum urgeret, copiasque alias evocaret, simulantes se pacem facturos, præsidii in arcem accessum nocte interfecerunt, ædes sunt incenderunt, seipsos ac quidam etiam uxores & liberos simul occiderunt; itaut nihil prædæ inde ad Cæsarem redierit, cum capivi etiam paullo post necem sibi ipsis consciverint.* Hæc breviter Dio, quæ copiosius & distinctius exposuit Appianus, cujus descriptionem huc transferre operæ pretium non duximus. Causam hujus belli Appianus in ipsos Japydes confert, qui *facto*, inquit, *in Aquilejam impetu, ac Tergestina volumina direpta, excivere Cæsarem, qui &c.* Hæc autem est totius narrationis apud Appianum conclusio: *Metulo capta & reliquis Japodibus nulla mora fuit dedendi se Cæsari; ac ex transalpini quidem Japodes tunc primum populi Romani ditioni additi sunt, ex quorum numero Possenos, qui recedente Cæsare obsequium exuerant, immissis M. Elvius recepit, & defectionis quidem auctores supplicio affecit, reliquos sub corona vendidit.* Cum autem secundum bellum Japydicum congruat cum anno ante Christum 35. primum biennio ante confectum fuisse arbitror.

Descriptio Pannoniæ Cissavanæ.

Cæsar bello Japydico perfunctus in Pæones sive Pannonios arma convertit, qui regionem incolebant inter Savum montesque Illyricos, ab Occasu Japydibus, ab Oriente Dardanis finitimam. *Sabuosa est omnis Pæonum regio*, inquit Appianus; *interque Japodas ac Dardanos in longum protensa; nullæ in ea urbes erant, sed vicatim, aut dispersis per agros domiciliis habitabatur, nullum universa gens in commune regimen, nulli magistratus, separatisque per cognationes atque familias consiliis agebant.* Duas tamen perinsignes urbes in hac regione fuisse constat; sed cum ab his neque jura, neque leges peterent cæteri Pannonii hujus tractus, liberi solutique, nec dominationi cujusquam obnoxii, idcirco eos Appianus vicatim, ac dispersis per agros domiciliis habitare scripsit. Altera fuit Segesta in ea insula, quam Colapis, in Savum bipartito alveo influens, efficit; altera Siscia, cujus mœnia Colapis a Septemtrione præterfluebat, modico spatio inter se disjunctæ. Hanc Dio Cassius, illam Appianus ab Octavio Cæsare captam commemorant. *Inde perrexit in agrum Segestanum, qui & ipse Pannum est ad Savum flavium; cujus in ripa urbs egregie munita sita est, patetque latissime in amplo fossæ fluminisque complexu; eaque maxime de causa expetebatur a Cæsare, qui illud oppidum destinaverat sedem belli, quod meditabatur adversus Bastarnas, ac Dacos habitantes ultra Istrum, qui per eas regiones adhuc Danubii nomen retinet, paullo inferius Ister futurus. In flumine Savo naves fabricari jusserat, quibus frumentum in Danubium, quem Savus influit, devehere parabat; quæ res non habenti in potestate Segestam admodum difficilis erat futura . . . . Itaque Segestani omnia acerrimæ oppugnationis mala perpessi, trigesima tandem die pervim capti sunt.* Hæc Appianus. Dio autem obsidionem deditionemque Sisciæ describit. *Enimvero Cæsar in Pannonios profectus primum a rapinis se continuit, quamvis ii pagos in campestribus sitos deseruerant; sed cum ad Siscium accederet, eumque læsissent, ira correptus agrum eorum ussit, prædasque quas potuit maximas egit. Cum urbi appropinquasset, incolæ a primoribus persuasi statim ei se dediderunt, & obsides præbuerunt; postea autem cum portas aperuissent, in obsidione habiti sunt, cum & muris validis, & duobus navigabilibus fluviis confiderent. Colops enim ipsa mœnia alluens in Savum defluit . . . . tandem audito quosdam sociorum suorum insidiis exceptos periisse, animis collapsi dedizionem fecerunt. Ita his ipso potestatem Cæsaris recepit, reliqua etiam Pannonia pacis conditionibus accepit.* Cæterum quæ Appianus de Segesta, Dio de Siscia obsessis oppugnatisque scribunt, adeo inter se congruunt, ac similia sunt, ut de una eademque urbe loqui utrique videatur; & hoc fere tantum interest, quod Appianus Segestam, Dio Siscium vocat.

Segesta civitas a Cesare expugnata.

Siscia in deditionem venit.

Secundi belli Japydici descriptio.

Anno ante Christum 34. M. Antonio II. & L. Scribonio Libone Cos. Cæsar post subactos Panno-

Bellum in Dalmatas versum, quibus Promona, & aliæ urbes ceppit.

nones omnem belli vim atque impetum in Dalmatas effudit, qui jam inde ab decem annis Romanam Illyricam provinciam impune vexabant, & nondum illatæ Gabinio cladis, & fidei C. Cæsari violatæ pœnas dederant. Præterea Naronem transgressi, aliquot Romanæ ditionis populis oppidisque in potestatem redactis, fines suos usque ad Taulantios protulerant: eo quippe tempore Dalmatas finitimos fuisse Taulantiis Appianus docet. Itaque Octavius Cæsar belli Dalmatici initium fecit ab obsidione Promonæ urbis, quam Dalmatæ Liburnis jamdudum ereptam firmissimis præsidiis munierant; eaque potitus cum esset, alias præterea minimeque vulgares urbes in deditionem redegit. Verum Comitia Consularia cum instarent, Romam reversus secundum Consulatum adeptus est cum L. Volcatio Tullo, quem cum Triumvirali potestate conjunxit; tertius quippe annus erat, ex quo alterum triumviratus quinquennium inierat. Sub ea comitia anno ante Christum 33. in Dalmatiam regressus longe alios, ac reliquerat, Dalmatarum animos offendit. Nam & suis rebus diffisi, & reditu Cæsaris perterriti, cum pacem mallent vel iniquis conditionibus obtinere, quam periculosissimo bello vel quæ retinebant tueri, vel quæ amiserant recuperare, ultro se suaque omnia in fidem atque potestatem Cæsaris permittunt, septingentos pueros obsides tradunt, signa Gabinio erepta restituunt, imperatum vectigal ab se solutum iri pollicentur. Quæ omnia Appianus diligenter copioseque exposuit.

Cæsari Dalmatæ plerique se dedunt.

Quamobrem copias suas Cæsar in Dalmatas convertit, gentem item Illyriorum (a) Taulantiis finitimam, quæ post (b) cæsas quinque Gabinii cohortes, earumque signa ablata, erectis eo successu animis (c) decimum jam annum in armis, otii (d) impatientes agebant. Adversus irrumpentem Cæsarem firmavere sese, junctis (e) in mutua auxilia fœderibus; erant quippe delecta juventutis amplius millia duodecim, fortissima bello manus, cui Ducem imposuerant Versum nomine. Ille (f) Promonam Liburnorum oppidum rursus (g) occupatam communivit, quamvis abunde munitum ingenio loci, quippe montanus est; ipsumque tumuli, insigni undique asperitate, instar ferræ, circumjacent. Major itaque eorum pars urbem insedit, in collibus vero Versus præsidia disposuit, omnesque ex alto Romanos despectabant. Cæsar propalam omnes muro circumdare instituit, clam vero fortissimum quemque misit, qui indagarent rationem, qua ad celsissimum ex tumulis, quos diximus, eniti possent. Et hi quidem arboribus tecti excubias noctu invadunt, & adhuc somno consopitas obruncant, remque Cæsari nondum liquido mane significant. Ille autem ad tentandam urbem cum majore exercitus parte proficiscitur, & ad tumulum captum alios super alios misit, qui inde ad ulteriores colles occupandos processerunt. Continuo igitur terror ac trepidatio barbaros invadit, postquam se omni ex parte circumventos esse intelligunt. Maximus autem eorum, qui in tumulis erant, metus fuit propter aquæ penuriam, ne scilicet aditu ad eam prohiberentur, ac Promonam confugiunt. Cæsar oppidum, duosque colles, qui etiamnum ab hostibus tenebantur, per quadraginta stadia muro sepsit, ac interim Teutimum cum alia Dalmatarum manu auxilio obsessis venientem fudit, perque montes insecutus fugientem, in ejus conspectu Promonam cepit, nondum enim ex parte muri, quam instituerat, munitione perfecta. Cum enim cives eruptionem tentassent, repulsique acriter essent, Romani milites fugientibus immixti oppidanis, portas irruperunt. Tertia fere pars populi ferro absumpta est; reliqui in arcem se recepere, & quarta nocte rursus egressi sunt, non ausa impetum eorum sustinere coborte, quæ ad obsidendam portam erat relicta. Verum Cæsar hostem quidem non admodum exultare eo successu passus est; cohortis autem, quæ prælium recusaverat, decimum (h) quemque sorte ductos morte affecit, ductores vero ordinum, supra decimum, duos; reliquos autem illa æstate loco frumenti hordeo pavit. In hunc maxime modum Promona capitur; quod Teutimus cum vidisset, in plura agmina suas divisit copias, alloisque alio se recipere permisit; quo factum est, ut Romani diu illos prosequi minime possent, quod propter viarum imprudentiam, & confusa fuga hostium vestigia, multas in partes se distrahere non admodum tutum existimabant. Illi urbem (i) Synodium in principio Sylvæ positam trajiciunt, in qua olim Gabinii copias obsederant Dalmatæ circa vallem profundam & oblongam, & inter duos montes mediam, quo in loco Cæsari pariter insidias collocaverant. Cæterum ille Synodium igne succendit, & per montium superiora circummisso exercitu, qui ab utraque parte cum eo procederet, iter per vallem instituit, Sylvas undique præcidens, urbesque capiens, & quæcumque obvia in itinere fierent, corrumpens. (k) Setonia autem urbe obsessa, Barbarorum manus ingens subsidio advenerat, quos Cæsar obviam fusus ingressu prohibuit. Eo in prælio lapidis (l) ictu genu sinistrum multos dies decubuit; & ubi primum convaluit, Romam revertit, (m) Consulatum cum Volcatio Tullo collega gesturus, ad reliqua belli patranda (n) Statilio Tauro relicto. Cæterum solemnibus magistratus Cal. Januar. initis, ipsoque magistratu Antonio Pæto tradito, ad Dalmatas recurrit adhuc (o) triumviratum constituendæ reipublicæ gerens; duo etenim anni deerant alteri quinquennio hujus imperii explendo, quod pridem in id tempus post expletum quinquennium sibi ipsi una cum collegis prorogaverat, populusque confirmaverat. Dalmatæ igitur fame fatigati, externo commeatu intercluso, venienti Cæsari sponte obviam facti supplici-

Synodium igne succensum.

ter se dedunt, obsides tradunt pueros numero ad septingentos, quos Cæsar petierat. Ad hunc, signa Romana, quæ Gabinio abstulerant, & tributum, quod a D. Julii temporibus pendere intermiserant, reddituros polliciti, obsequentes populo Romano in posterum fuere. Ea signa Cæsar in porticu, quæ Octaviana dicitur, appendi jussit. Deditis Dalmatis (p) *Derbani adventanti Cæsari supplices obviam prodiere veniam orantes; obsides tradidere, ac intermissa tributa exsolvere polliciti sunt. Horum autem illi, ad quos Cæsar pervenit, super fœdus obsides etiam dederunt; quos autem propter difficultatem itineris adire non potuit, neque obsides dederunt, neque fœdus inire curaverunt. Videntur tamen hi quoque postea subacti fuisse. Sic Cæsar universum* (q) *Illyriorum nomen, qui vel a populi Romani obsequio defecerant, vel suis adhuc legibus ac libertate utebantur, sub imperium accepit; quamobrem triumphus illi de gente illa ab Senatu decretus est, quem egit postea una cum cæteris, ob res contra Antonium gestas sibi decretis.*

Dalmatæ se dedunt.

Promona ab Augusto capta.

NOTÆ.

a Si Dalmatæ finitimi erant Taulantiis, fines suos post quintum bellum Dalmaticum ultra Naronem in Romana provincia, Drilonemque propagaverint necesse est; nisi forte Appianus respexerit ad Dalmatiam sui temporis, quæ ab Arsia usque ad Drilonem ex Augusti descriptione fines suos utrinque ab Occasu & Oriente produxerat, Japydiam maritimam, Liburniam, Dalmatiam propriam, itemque proprium Illyricum nomine suo complectens.

b Anno

b Anno 48. ante Christum Dalmatæ post prælium Pharsalicum Gabiniano exercitu cæso Romana signa abstulerant.

c Horum fere decem annorum initium non a clade Gabiniana, sed ab interitu Julii Cæsaris repeti oportet, idest ab anno ante Christum 44. Dalmatæ quippe, cum post Cæsarem extinctum, resumptis armis, Gabinium in fugam conjecissent, decem ipsos annos vacuos a metu, atque ab Romanis multiplici bello civili distentis otiosos habuerunt.

d Cum enim Romani intestinis bellis inter se dimicarent, Dalmatæ hanc amplificandi imperii occasionem nacti Illyricam Romanorum provinciam impune vastabant.

e Dalmatas arbitror fœdus fecisse cum Pannonibus finitimis, quos a fide populi Rom. per idem tempus defeciſſe auctor est Dio Cassius: *Pannoniorum recens subactorum, & cum eis Dalmatarum rebellio exorta est; & Pannonios quidem Geminus, quamvis Siscia ab eis ejectus, tamen prœliis aliquot superatos recepit.*

f Oppidum in arduo præruptoque monte, quem hodieque vulgo appellant *Prominam*.

g Hinc intelligi potest inter leges pacis, quam Vatinius Dalmatis dederat, id nominatim perscriptum fuisse, ut Liburnis Promonam restituerent. Sed post interitum Cæsaris Dalmatæ cum ad ingenium rediissent, vel iterum eamdem urbem Liburnis eripuerant, vel quæ Vatinio promiserant, non præstiterant.

h Idem fere tradit Dio Cassius: *Ex militibus propter delictum quibusdam hordeum pro tritico datum est, & alii, qui ordines deseruerant, decimus quisque forte ad pœnam delectus.*

i Urbs est montana Dalmatiæ, cujus positionem ignoro.

k Alii legunt *Setoviam*. Wolphangus Lazius legendum censet *Petoviam* urbem Pannoniæ superioris ad Dravum. Sed longius a Dalmatia distat, quam ut credibile sit ad illam usque regionem per id temporis copias ab Cæsare traductas fuisse. Verisimilius itaque est Setoniam urbem Dalmaticam fuisse, montanis in locis arduisque positam.

l Etiam Dio Cassius scripsit bello Dalmatico Cæsarem vulneratum esse; idemque Svetonius confirmat.

m C. Cæsar Octavius secundum Consulatum gessit cum L. Volcatio Tullo anno ante Christum 33.

n Dio Cassius itidem commemorat Statilium Taurum, cui Cæsar Romam abiens bellum Dalmaticum gerendum dedit; sed Cæsaris reditum in Dalmatiam idem Cassius silentio prætermisit.

o Anno ante Christum 43. v. Kal. Dec. Cæsar, Antonius, & Lepidus, Triumviri Reipublicæ constituendæ in quinquennium facti sunt. Anno ante Christum 38. in exitum vergente primum Triumviratus quinquennium absolverant, & eodem tempore Cæsar cum collegis alterum quinquennium iniit, cui explendo non duo, ut Appianus ait, sed unus tantum annus deerat, cum iterum Consul creatus est cum L. Volcatio Tullo anno ante Christum 33.

p Populi Illyrici Dalmatis finitimi, quorum regio nobis ignota.

q Quo tempore Octavius Cæsar Dalmatas subjugavit, Illyriorum vocabulo subserant Carni, Istri, Liburni, Dalmatæ, Illyrii proprie dicti, itemque quidquid Pannoniæ Romani ad suum imperium adjunxerant, ut capite proximo explicandum erit.

Multa deinceps bella cum Illyriis ac præsertim Dalmatis Cæsar per Tiberium privignum gessit: nam *Dalmatia vigesies & ducenties rebellis*, ait Vellejus lib. 2. tandem Tiberii opera ac virtute *ad certam confessionem pacata est imperii*. Post victoriam Actiacam anno ante Christum altero & trigesimo partam, & civilia bella prorsus extincta, Cæsar deinde cognominatus Octavianus rerum omnium potitus, Augustique nomen ex Senatus populique Romani auctoritate adeptus, cogitationem omnem curamque potissimum convertit ad subigendos populos septemtrionales, qui jampridem Romanorum armis appeti, domarique cum cœpissent, iterum ac sæpius ab Imperio desciverant. *Hic finis armorum civilium*, ait Florus lib. 4. cap. 12. *reliqua adversus exteras gentes, quæ districtio circa mala sua imperio, diversis orbis oris emicabant. Nova quippe pax: nec dum assuetæ fœnis servitutis tumidæ gentium inflataque cervices, ab imposito nuper jugo resiliebant. Ad Septemtrionem conversa ferme plaga feracius agebat: Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatæ, Mysii, Thraces & Daci, Sarmatæ atque Germani.*

Dalmatia sæpissime rebellis.

Anno ante Christum 29. Cæsar Octavianus Augustus tres triumphos egit, Dalmaticum, Actiacum, Ægyptium; de imperio deponendo cum Agrippa & Mecœnate deliberat; illo suadente, hoc vero deterrente: cum hujus sequi consilium statuisset, ad Senatum nihilominus de imperio abdicando retulit, atque hac arte perfecit, ut imperii retinendi auctor sibi hortatorque fieret ipsemet Senatus & Populus. Itaque anno proximo ad leges condendas Senatumque ordinandum cogitationes curasque convertit. Provincias Orbis Romani bifariam divisas partim sibi retinuit, partim Senatui populoque Romano regendas tradidit ex Dione. Italiam in undecim regiones distribuit. Istriam & Carniam Illyrico ademptas in decimam Italiæ regionem conjecit. Tum propagatis usque ad Arsiam finibus Italiæ, terminum occidentalem Illyrici Arsiam amnem constituit, quo nunc etiam Illyricum ab Italia dirimitur. Præterea Dalmatiæ provinciam in Septemtrionem usque ad Savum produxit.

Dalmatiæ tumultus facile compressus.

Anno ante Christum 16. L. Domitio Ænobarbo & P. Cornelio Scipione Cos. in Dalmatia turbatum esse auctor est Dio Cassius lib. 54. sed quidquid tumultus fuit, perfacili & nullo negotio compressum est: *qui in Dalmatia & Hispania tumultus extiterant, parvo negotio sunt sedati.* Per idem tempus Pannonios itidem, ac Noricos, in Istriam incursiones cum fecissent, P. Silius ea regione excedere coactos compressit, ut Dio ibidem docet. Anno autem insequenti, Rhætos inter Noricum & Galliam sitos, Galliam, itemque fines Italiæ populatos, Drusus ac Tiberius domuerunt. Anno ante Christum 12. M. Vipsanius Agrippa Augusti gener, Julia ejus filia in matrimonium ducta, Pannonios imperii Romani pertæsos ac tumultuantes suo adventu ab rebus novandis deterruit; sed flammam illius seditionis potius repressit, quam extinxit; nam eo abeunte, & paullo post in Campania mortuo, iterum res Pannonicæ ad rebellionem spectare cœperunt. Huic bello gerendo Augustus Tiberium Claudii Neronis filium & suum privignum præfecit, cui Juliam filiam viduam Agrippæ uxorem dederat. *Pannonios*, inquit Dio, *Tiberius usus egregia Scordiscorum, qui Pannoniorum fines attingebant; eodemque belli apparatu utebantur, opera multis illatis cladibus domuit, arma adegit, juniorum plerosque in alias regiones adducendos vendidit.*

Pannonii a Tiberio victi.

Sed vix e Pannonia Tiberius exercitum deduxerat, cum Pannonii rursus contra Romanos arma

Rursus ab Romanis deficiunt Dalmatæ

Illyricum Sacrum.

In rebellionis fecisse adductis, & rursus in deditionem accepti.

dasium, Dalmatis in belli societatem & adjumentum, ut ampliorem gloriæ segetem ac materiem Tiberio præberent. Igitur anno ante Christum undecimo Q. Ælio Tuberone, Paulo Fabio Max. Coss. utrosque populos multis prœliis attritos in deditionem accepit. *Tiberius autem Dalmatas rebellantes ac Pannonios, qui per ejus ac majoris partis copiarum absentiam res novas moliti fuerant, utrisque simul bello illato, ac modo hac, modo illac transferendo, in suam potestatem redegit; quas ob res gestas iidem ei, qui Druso, honores sunt tributi; & exinde Dalmatia, ut quæ arma semper & per se, & ob propinquitatem Pannoniæ requireret, Augusti custodiæ commissa est.* Dio Cassius. Bellis domesticis juxta externisque compositis, & pace terra marique parta, propius nihil est factum, quam ut Jani templum claudgretur; *verum id ne fieret*, inquit Dio, *Daci obstitere, qui istrum frigore concretum transgressi ex Pannonia prædas abstulerant. Dalmatæ quoque propter exactum tributum rebellionem fecere. Hos motus Tiberius ex Gallia, in quam cum Augusto profectus fuerat, evocatus pacavit.*

Nova Pannoniorum & Dalmatarum defectio.

Anno sexto post initium æræ communis, M. Æmilio Lepido, L. Arruntio Nepote Coss. Tiberius adversus Germanos exercitum duxit. Hinc nova defectionis occasio Pannoniis & Dalmatis oblata, quibus pecuniam & milites ad expeditionem Germanicam imperaverat. Ea res nimium quantum utriusque populi animos exacerbavit; nec solum imperata facere audacter negant, sed etiam se Romanorum imperio eximendi occasione hinc arrepta, ingentes ubique tumultus concitant: *Pax Germanis, cum tamen fidem violassent, cur mox redderetur, res Dalmaticæ & Pannonicæ majoribus motibus concitata, celerisque correctionis indigentes in causa fuerunt. Dalmatæ tributa molestæ ferentes, cum superiori tempore vel inviti se continuissent, postquam Tiberius secundam in Germanos expeditionem fecit; ac cum eo magna parte exercitus abduxit, ipsisque Dalmatis milite imperato, ad bellum Germanicum Valerius Messalinus Dalmatiæ ac Pannoniæ tum Præfectus abiit: cum eam ob rem ipsi convenissent, juventutemque suam florentem conspexissent, cunctatione abrupta, primo pauci quidem rebellavere, Batone quodam Dysidiato eos maxime concitante; Romanosque obviam profectos ibi fuderunt: inde reliqui quoque Dalmatæ defecerunt; ac Breuci Pannonica gens,* (Superioris Pannoniæ apud Savum ex Plinio) *alio sibi quodam Batone duce sumpto, ad Sirmium, quod Romanorum tenebatur præsidio, accesserunt.* Dio Cassius lib. 55.

Bellum ex Pannoniis & Dalmatiis conflatum longe gravissimum.

Hoc bellum Illyricum & Dalmaticum, quod quadriennio tenuit, postremum quidem fuit, sed secundum Punica, longe omnium externorum bellorum gravissimum; nam ex universa Pannonia & Dalmatia amplius octingenta millia hominum sub signa convenerant; neque dubium erat, quin magna ex parte hujus belli vis atque tempestas in Italiam eruptura esset. Quare ubi de Illyrica defectione fama percrebuit, omnis Italia cohorruit; & constans erat omnium opinio decem intra dies, ni caveretur, posse hostem in conspectum urbis venire. Habiti itaque delectus, revocati undique omnes veterani, viri feminæque ex censu libertinum militem dare coactæ. Hæc Vellejus Paterculus, qui lib. 2. verbis gravissimis belli hujus magnitudinem & periculum exaggerat. *Universa Pannonia, insolens longæ pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia, omnibus tractus ejus gentibus in societatem adductis, ex constituto arma corripuit. . . . . cujus immensæ multitudinis parentis acerrimis ac peritissimis Ducibus, pars petere Italiam decreverat, junctam sibi Nauporti ac Tergestis confinio; pars in Macedoniam eruperat; pars suis sedibus præsidio esse destinaverat. . . . . tantus etiam hujus belli metus fuit, ut stabilem illum & firmatum tantorum bellorum experientia Cæsaris Augusti animum quateret atque terreret.*

Primus annus belli Dalmat. & Pannon.

Brevi itaque Duce altero Batone in Pannoniam inferiorem effusi cum essent, parum abfuit, quin Sirmium urbem ad Savum opulentissimam caperent. Sed A. Cæcina Præses Mysiæ contractis celeriter copiis, Sirmium advolat, urbem obsidione liberat, & conjectos in fugam hostes persecutus, prælio ad Dravum commisso superavit. *Sirmium ne caperent*, ait Dio, *Cæcina Severus propinquæ Mysiæ Præses, rebellione illorum intellecta, celeriter eos ad Dravum flumen consecutus, prælio vicit.* Sed Vellejus hanc pugnam longe aliter narrat, ingentemque cladem Cæcinæ a barbaris illatam tradit, quam tamen legiones ipsæ ductoribus ordinum magna ex parte cæsis destitutæ, hostibus reddiderunt, egregiam ex insperato victoriam adeptę; nisi forte aliud Vellejus, aliud Dio prælium commemorant. *At ea pars*, inquit Vellejus, *quæ obviam se effuderat exercitui, quem A. Cæcina & Sylvanus Plautius consulares ex transmarinis adducebant provinciis, circumfusa quinque legionibus nostris, auxiliaribusque, & equitatu regio (quippe magnam Thracum manum, junctus prædictis Ducibus Rhaemetalces Thraciæ rex, in adjutorium ejus belli secum trahebat) pene exitiabilem omnibus cladem intulit. Fugata regiorum equestris acies, fugatæ alæ, conversæ cohortes sunt; apud signa quoque legionum trepidatum; sed Romana virtus militibus, plus eo tempore vindicatum gloriæ, quam ducibus, reliquit: qui multum amore imperatoris sui crepantes, ante in hostem inciderunt, quam per exploratores, ubi hostis esset, cognoscerent. Jam igitur in dubiis rebus semetipsæ legiones adhortatæ, jugulatis ab hoste quibusdam Tribunis militum, interempto præfecto castrorum, præfectisque cohortium, non incruentis Centurionibus, qui etiam primi ordinis cecidere, invasere hostes: nec sustinuisse contenti, perrupta eorum acie, ex insperato victoriam vindicaverunt.*

Romanæ legiones cum Pannoniis pugnant, & victoriam referunt.

Interea alter Bato genere Dalmata copias populabundus magis, quam justi more belli, Salonam duxit, ut oppidum illud maritimum, quod cives Romani fortissimi fidelissimique incolebant, de improviso adortus, in potestatem redigeret. Sed ab emisso in eum lapide graviter saucius, longiusque ab urbe discedere coactus, copias bifariam divisas, partim apud se retinuit, partim oram maritimam populatum dimisit, qui ultra Drilonem progressi, atque in Macedoniam effusi, omnia ferro & igni Apolloniam usque vastarunt. Hi cum in Romanos incidissent, semel atque iterum congressi, primo prælio victi, altero victores excedunt. At Tiberius veritus, ne Dalmatæ & Pannonii in Italiam irrumperent, Valerium Messalinum præmisit cum aliquot legionibus, qui cum Batone rem male gessit; tum ipse subsecutus e Germania in Illyricum traduxit exercitum. Rhæmetalces, sive Rhymetalces Rex Thraciæ Romanis auxilio venerat, quem A. Cæcina Severus adversus Batonem Dalmatam misit, qui suorum insidiis circumventus in Pannoniam secedens, & cum altero Batone Breucorum duce conjunctis copiis Almum montem Pannoniæ inferioris prope Sirmium occupaverat, quocum Rhæmetalces prospere pugnavit. Tiberius exercitu in Pannoniam traducto, Siscian cum Valerio Messalino se receperat, quam urbem validis operibus, firmissimisque præsidiis munitam belli & armorum sedem constituit; cum hostes interea assi-

Bato alter repulsus ab urbe Salona.

Rhæmetalces cum Batone rem prospere gessit.

duis

duis excurſionibus vaſtarent agros ſociorum populi Romani, quos rurſum in Macedoniam invadentes, Rhymetalces, fraterque ejus Raſcupolis fuſos cæſoſque repulerunt. Hæc ferme in Dalmatia & Pannonia anno primo hujus belli geſta narrantur a Dione, quocum de pugna Meſſalini cum Batone commiſſa diſcrepat Vellejus Paterculus; hic enim Meſſalino, ille Batoni victoriam adjudicat. *Bato eorum adventu cognito*, ait Dio lib. 55. *etſi nondum ex vulnere convaluerat, tamen obviam Meſſalino profectus, collatis ſignis ſuperior diſceſſit.* Contra Vellejus: *Felix eventu, forte conatu, prima ætate belli, Meſſalini opus memoriæ mandandum eſt: qui vir animo etiam, quam gente nobilior, digniſſimus qui & patrem Corvinum habuiſſet, & cognomen ſuum Cottæ fratri relinqueret, præpoſitus Illyrico, ſubita rebellione, cum ſemiplena legione viceſima, circumdatus hoſtili exercitu, amplius viginti millia hoſtium fudit, fugavitque; & ab id ornamentis triumphalibus honoratus eſt.*

Secundus annus belli Dalmat. & Pannon.

Anno Illyrici belli ſecundo, æræ vulgaris ſeptimo, Q. Cæcilio Metello Cretico, L. Licinio Nerva Coſſ. cum in Illyrico nec ſatis proſpere, & ſegnius quam oportuerat, Romana res procederet, Auguſtus ſubvereri cœpit, ne Tiberius de induſtria bellum protraheret, ut cunctando ſuum negotium ageret, retineretque quam poſſet diutiſſime in ſua poteſtate exercitum. Itaque Tiberius, cum hyemaret apud Siſciam, ab Auguſto revocatur, in ejuſque locum ſubſtitutus eſt Germanicus Cæſar, filius Druſi fratris Tiberii, qui ex novo militum delectu copias in Illyricum duxit, quibus Tiberianum exercitum augeret. Sed cum Mazæos gentem Dalmaticam multis damnis affectam ſubegiſſet, & Pannoniam depopulatus eſſet; nulla re memorabili geſta, totam æſtatem levibus prælíis extraxit. Hæc ex Dione, qui addit præterea *Batones obſervato tempore, quo ex Myſia Severus accederet, improviſo adortos eſſe caſtra ad Volcæas paludes ponentem; & eos, qui extra vallum erant, intra illud compuliſſe: ſed excipientibus ſuos iis, qui intus erant, utrumque Batonem victum eſſe, & in fugam cum ſuis copiis averſum.*

Uterque Bato in fugam compulſus.

Annus tertius.

Anno belli Illyrici tertio, æræ vulgaris octavo, M. Furio Camillo, Sex. Nonio Quinctiliano Coſſ. Dalmatæ ac Pannonii fame magis ac peſtilentia, quam armis domiti, primum urbe validiſſima, quam Germanicus obſidebat, relicta, deinde arce, in quam ſe hoſtes receperant, Romanis dedita, pacem ac veniam petunt impetrantque, cum ipſemet Bato dux Dalmatarum ſupplex veniſſet ad Tiberium, qui per eos dies in Illyricum redierat. *Cum Bato, qui concitatis ad rebellionem Dalmatis, multum incommodi Romanis exhibuerat, tandem ad colloquium de pace cum Tiberio congreſſus, poſtridie ad eum in tribunali ſedentem acceſſiſſet, percontatus eſt Tiberius, cur tantum temporis rebellare Romanis ſtatuiſſent; vos, reſpondit Bato, in culpa eſtis ipſi, qui ad veſtros greges cuſtodiendos, non canes paſtoreſve, ſed lupos mittitis. Ita Dalmatia partim bello, partim pacificatione ad Romanos rediit.* Dio. Cæterum neque omnes Dalmatæ, neque omnes Pannonii tum in deditionem venerunt; quinimmo pars eorum, quæ jugum Romanorum pacemque detrectaverat, cæteros quoque compulit, ut a fide imperioque deſciſcerent. Nam ipſemet Bato Dalmata, poſtquam Batonem alterum Regem Breucorum ex inſidiis captum interfecerat, infeſto exercitu in Dalmatiam regreſſus, provinciam Romanam vaſtavit. *Sub idem tempus*, inquit Dio, *Bato Breucus, qui prodito Pinna mercedis loco regnum Breucorum acceperat, captus ab altero Batone, occiſuſque eſt. Suſpectum enim ille fidem ſubditorum habens, circum caſtella profectus, obſides poſtulabat; eumque alter re cognita, inſidiis interceptum, prælioque ſuperatum, in arcem quamdam compulit; traditumque ab iis, qui arcem tenebant, in caſtra adduxit, & damnatum mori coegit. Quo facto, cum iterum permulti Pannonii rebellaſſent, Sylvanus in eos exercitu ducto, Breucis victis, reliquorum nonnullos abſque prælio recepit. Igitur Bato in Pannonia nihil ſpei reliquum videns, præſidiis aditus ea in Dalmatiam pertinentes munivit, Dalmatiamque vaſtavit. Sic reliqui etiam Pannonii, cum ager eorum a Sylvano maleficiis infeſtaretur, pacis conditiones acceperunt; niſi quod latrocinia quædam, ut quæ in hujuſmodi tumultu diu jam exercitata eſſent, ſuperfuere, (res nunquam non, præſertim apud iſtos populos uſitata) ipſa etiam deinde exciſa.* Ita demum Pannonia fere omnis conſtanti ac ſtabili fide Romanis adhæſit, cum Dalmatia adhuc repugnaret, obfirmaſſetque animos ad reſiſtendum; id quod Vellejus tradit: *Omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petiit.*

Hoſtes pacem petunt impetrantque.

Ruſſus Pannonii & Dalmatæ a Romanis deficiunt.

Pannonia demum pacata.

Anno itaque quarto & poſtremo belli Illyrici, nono æræ vulgaris, Q. Sulpitio Camerino, & C. Poppæo Sabino Coſs. Tiberius e Dalmatia Romam vere appetente redierat, Germanicus vero Rhætinum urbem Dalmatiæ obſidebat, quam ab hoſtibus relictam clam facibus ſubjectis Romani ingreſſi cum cepiſſent, magna ex parte ab igne perierunt. Deinde Seretium oppidum validiſſimum expugnavit, atque alia ex aliis Dalmatiæ loca in poteſtatem redegit. Tiberius in Dalmatiam reverſus exercitum trifariam diviſit, partim Sylvano, partim M. Lepido tradidit, qui variis prælíis cum hoſte commiſſis rem proſpere geſſerunt. Ipſe cum Germanico reliquas copias duxit contra Batonem, quem quacumque diſcurreret perſecutus, cum nuſquam conſiſtere ſineret, Anderium compulit, eoque in oppido obſeſſum oppugnare inſtituit. *Erat vero Anderium*, inquit Dio lib. 56. *ad ipſas Salonas, in munita apprime ac inacceſſa rupe ædificatum profundis convallibus, & in quibus eſſent torrentes, cinctum:* (hodie Cliſſam vocant) *eoque mortales omnia, quæ uſui eſſent, partim jam ante comportarant, partim per montes, quos obtinebant, eo congerebant; inſidiis etiam poſitis Romanas frumenti commeatu intercludebant, ita ut Tiberius, cum eos in obſidione habere videretur, ipſe obſeſſi mala tulerit. Cum maxime conſilii dubius eſſet, quia obſidio inanis, & periculoſa, diſcedere autem inde dedecus videbatur, tumultus militum tanto cum clamore coortus eſt, ut hoſtes, qui ſub arce ſtativa habebant, perculſi terrore inde receſſerint. His partim iratus, partim lætus, convocatum exercitum Tiberius, verbis qua increpans, qua laudans, neque fiducia auctus eſt, neque caſtra removit, eoque in loco quietus remanſit; donec Bato, deſperato ſe rem tenere poſſe, cum reliqua omnia fere in poteſtatem hoſtium veniſſent, eſſentque ſuæ, quam adverſæ partis, copiæ minores, pacem per internuncios petiit; & cum non perſuaderet ſuis, ut idem facerent, eos deſeruit; neque illi poſtea, quamvis a multis accitus, auxilium tulit. At Tiberius reliquis, qui caſtellum defendebant, jam inde contemptis ratus poſſe eos ſine ſanguine ſuperare, loci etiam naturam nihil amplius moratus erigere aciem in ſublime aggreſſus eſt. Quia vero nulla planities ſuberat, neque hoſtes ad pugnam deſcendebant, ipſe in conſpicuo loco pro tribunali ſedit, ut inſpicere, quæ agerentur, poſſet; quo alacrius milites pugnam cierent, ac ubi id res poſceret, ſubveniret: quam ad rem partem exercitus, quem copioſiſſimum habebat, ſecum reti-*

Annus quartus belli Dalmatici.

Bato Anderii obſeſſus.

pacem per internuncios petiit.

retinuerat: ceteri denso agmine per obliquum primo ascendentes, postquam ipsius montis natura, qui præceps, atque inæqualiter multis convallibus abruptus erat, invicem ipsi depulsi sunt, aliique aliis maturius, aut tardius in superiora evaserunt. Quod ubi videre Dalmatæ, acie super ipsius prærupta montis ante castellum instructa, multa saxa in eos fundis dejecerunt, multa devolverunt; alii etiam rotas & plaustra tota plena lapidum, arcasque rotundas more ejus regionis factas & saxis refertas dimiserunt: quæ multo simul omnia delata impetu, magis adhuc Romanos dissipaverunt, & conturbarunt, cum aliorum interim sagittis ac pilis multi eorum sternerentur. Ardere ibi certamen inter pugnantes, his evadere in altum, & occupare sublimia nitentibus, illis arcere eos ac præcipites agere conantibus: nec itidem segnis esse concertatio eorum, qui de muro spectabant pugnam, eorumque, qui Tiberio aderant, utrisque suos adhortantibus, strenuos confirmantibus, cedentes increpantibus, confertimque clamore alii alios superare, deos pro suorum propugnatorum salute comprecari, libertatemque ex eo prælio alteri, alteri pacem poscere. Verum ibi quidem Romani, quibus non contra hostium ordines tantum, sed loci etiam natura erat contendendum, incassum omne periculum subiissent, nisi recentibus eos summissis idemtidem subsidiis a fuga Tiberius continuisset; ac diversa ex parte missis, qui in sublime per ambages subirent, aliis militibus, hostibus terrorem injecisset: ita fusi, ne in castellum quidem cum se recipere possent, abjectis expeditioris fugæ causa armis, in montes palati sunt; eosque Romani in omnes partes insecuti (debellandi enim summa cupiditate tenebantur, neque volebant iterum coeuntes hostes denuo ipsis posse molestiam exhibere) plerosque per latentes sylvas repertos, instar ferarum trucidavere. Deditione postea etiam, qui in castello erant, recepti sunt; iisque Tiberius omnia, quæ conventa erant, præstitit; Germanico contra eos, qui adhuc in armis erant, profecto; quos perfugæ (eorum autem magnus erat apud ipsos numerus) pacem componere non patiebantur. Arduban castellum cepit Germanicus, non id quidem suis copiis, quibus hostem longe excellebat, munitissimum nempe, ac flumine rapido radices ejus alluente totum fere circumdatum; sed perfugis cum ejus loci habitatoribus, qui pacem expetebant, contentio primum, inde conflictus inciderat; perfugas etiam mulieribus, quæ Arduba erant, adjuvantibus, quæ libertatis contra virorum cupidæ sententiam, quidvis potius, quam servitutem pati statuerant. Ea dimicatione inferiores facti perfugæ cesserunt, ac quidam eorum effugerunt: mulieres arreptis liberis aliæ in ignem, aliæ in flumen se præcipites dedere. Germanico Arduba sic potito, vicina deditionem fecerunt; isque his rebus actis ad Tiberium rediit. Reliqua subegit Postumius (quem virum Consularem & Præpositum Dalmatiæ vocat Vellejus.) Sub idem tempus Bato misso ad Tiberium Sceva filio, si impunitas daretur, traditurum se suosque ei pollicitus est; fideque accepta, noctu in castra venit, adductusque postridie ad Tiberium pro tribunali sedentem, nullum suum periculum deprecatus, caputque etiam tamquam abscindendum protendens, multa pro reliquis verba purgandis habuit; iterumque a Tiberio ut antea interrogatus, qua de causa rebellassent, bellumque tamdiu protulissent, eadem quæ prius respondit: Romanos causam ejus esse, qui ad suos greges custodiendos non canes, neque pastores, sed lupos mitterent. Hoc modo bellum id iterum confectum est, quod Romanis magna hominum, maxima pecuniæ jactura stetit; multis ad id nutritis legionibus, præda minima capta. Hactenus Dio.

Anderi deditio.

Arduba oppidum a Germanico captum.

Bato ad Tiberium in castra veniens pacem orat, & obtinet.

Ita demum anno quarto, quam bellari cœptum est, Christi vero, sive æræ communis nono, debellatum est cum Dalmatis, qui suis malis edocti, totoque cladibus attriti in officio deinde ac fide populi Romani manserunt. Hoc bellum Illyricum postremumque Dalmaticum difficillimum *gravissimumque omnium externorum bellorum post Punica* Svetonius in Tiberio vocat, *idque per xv. legiones, paresque auxiliorum copiam* a Tiberio gestum, *in magnis omnium rerum difficultatibus, summaque frugum inopia*. Neque a Svetonio dissentit Vellejus: *Illa æstas*, inquit, *maximi belli consummavit effectus: quippe Daorisii & Desitiates Dalmatæ, situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia, & præcipue angustiis saltuum pene inexpugnabiles, non jam ductu, sed manibus atque armis ipsius Cæsaris tum demum pacati sunt, cum pene funditus eversi forent*. Hujus autem belli confecti, subactæque & pacatæ Dalmatiæ gloriam non solum Vellejus, sed etiam Svetonius uni potissimum Tiberio adscribit: *Ac perseverantiæ grande pretium tulit, toto Illyrico, quod inter Italiam, regnum Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomito, & in deditionem redacto*. His adde Eutropium, qui inter provincias, quas Augustus ad Romanum imperium adjunxit, annumerat *Dalmatiam sæpe ante victam, sed penitus tunc* (per Tiberium scilicet) *subactam, itemque Pannoniam*. Augustum, Senatum, populumque Romanum Illyrici belli successu lætum ingenti mœrore perculit clades Variana in Germania accepta, in qua Quinctilius Varus cum tribus legionibus ab Arminio Germanorum duce circumventus & oppressus est, qui eam ob causam sibi ipse necem consivit. Quam ob rem Tiberius decretum sibi de Dalmatia & Pannonia triumphum in aliud tempus distulit; quem triennio post, victo Arminio, pacataque Germania, insigni apparatu & magnificentia egit.

Dalmatia pacata.

Clades Variana.

Hæc fere sunt bella, quæ populus Romanus cum Illyriis per annos propemodum trecentos gessit, antequam totius Illyrici pacatam, stabilemque possessionem adipisci posset. Nunc vero quam multæ regionum accessiones ad jus nomenque Illyricum per Romanos factæ fuerint, declarare oportet.

CAPUT V.

De Illyrico sub Romanis aucto, diminuto, diviso.

§. I.

Romani multis a Septentrione, Oriente, ac Meridie provinciis Illyricum auxerunt.

PRincipio nomen Illyricum finibus sane exiguis, ut sæpe diximus, Naronem inter Drilonemque fluvios sese continuit; quæ regio *Illyricum proprium* dicta est, ubi genus nomenque Illyriorum ab Hyllo conditore, Hyllinisque Pelasgis initium duxit; sed brevi ex illis angustiis eductum, alia atque alia loca appetendo, fines suos in Occasum usque ad Titium flumen propagavit. Post exactos Pelasgos Liburni universam oram maritimam occuparunt; sed dum imperium Liburnicum incolume stetit, nulla videtur facta esse Illyrici nominis sive diminutio, sive amplificatio. At Celtæ rerum potiti, cum se Illyrios, nomine avito posthabito, appellari voluissent, fines Illyrici in

Fines Illyrici sub Pelasgis, Liburnis, & Celtis.

Orien-

Digitized by Google

Orientem ac Meridiem usque ad Epirum, sive ad montes Acrocerunios, in Oceanum vero usque ad Venetos protulerunt. Hæc erat Illyrici longitudo; latitudo autem inter montes ac mare, cum primo Romani, Adriaticum classe transvecti, primum adversus Illyrios bellum, secundo tertio ante Christianam epocham susceperunt. Sed Romani plura jam bella cum Illyriis gesserunt, & multæ ætates intercesserunt, antequam de Illyrico amplificando cogitarent; ac tum primum eam cogitationem suscepisse videntur, cum post Gentium postremum Illyriorum regem devictum, ejusque regnum in formam provinciæ redactum, finitimis ad Orientem ac Septemtrionem gentibus arma inferre cœperunt; quas cum subjugassent, ad jus nomenque Illyricum adjungi passus est. Quatenus Romani Illyricum extenderint, quasve regiones in ejusdem fines inclusserint, Appianus Alexandrinus, qui altero post Christum sæculo floruit, satis perspicue declarat; cum enim initio ejus libri, quem inscripsit *Illyricum*, dixisset eos ab Græcis haberi, *dici quos Illyrios, qui supra Macedoniam ac Thraciam a Chaonibus, atque Thesprotis porrectas ad flumen Istrum terras incolunt*. Interjecta deinde rerum aliarum narratione, demum hæc subjecit: *Romani vero non hos duntaxat, sed Paones præterea, & Rhætos, Noricosque, & Mysios Europæ colentes, aliosque his finitimos, qui per Istrum descendentibus a dextra occurrunt, distinguunt a Græcis, non secus ac ipsi Græci, eosque propriis nominibus singillatim appellant: cæterum communi vocabulo omnes Illyrios arbitrantur; nec satis comminisci possum, quo initio ducti potissimum in hanc opinionem devenerint, in qua hodie cum maxime perseverant: quippe tributum harum nationum inter fontes Istri & mare Ponticum sitarum, tamquam unum exigunt, & Illyricum tributum vocant*. Idem Appianus in extremo illo libro eosdem populos Illyrico adscripsit: *Reliqui populi, qui a Romanis Illyrii putantur, sunt ante Paones quidem Rhæti, Norici que, post Paones vero Mysii ad Euxinum usque Pontum*. Liburnos autem & Dalmatas, Illyriosque proprie dictos Appianus propterea non commemorat, quia hi populi ante adventum in has regiones Romanorum erant & vocabantur Illyrii; quibus Romani potiti cum essent, adjecerunt, & juris nominisque Illyrici communione junxerunt eas nationes, quas Appianus nominatim recensuit.

Itaque Romanum Illyricum ex Appiani descriptione in longitudinem a fontibus ad ostia Danubii porrigitur; latitudo ejus varia est: qua maxime patet, Danubium inter ac Mare Adriaticum extenditur. Ab Occasu attingit fines Helvetiorum & Allobrogum, a quibus Adulæ montis, & Rheni fluminis interjectu disjungitur. Spectat a Septemtrione Germanos & Dacos, Danubio interfluo diremptos; ab Oriente Euxino Ponto alluitur; a Meridie Alpibus Rhæticis, Noricis, Juliis, mari Adriatico, & jugis continuis montis Hæmi dirimitur, quibus ab Italia & Macedonia & Thracia separatur. Iidem ferme regionibus Illyricum Strabo lib. 2. circumscripsit, qui sub initium ætæ vulgaris uno amplius sæculo ante Appianum scripsit. *Iher ab Occasu Ortum versus in Euxinum tabens mare, ad lævam relinquit Germaniam totam a Rheno orsam, Geticumque totum tractum, & Tirigetas, Bastarnas, Sauromatas usque ad Tanaim amnem & paludem Mæotidem: ad dextram vero universam Thraciam, Illyridem ac Macedoniam, & ipsam reliquam Græciam*. Itaque quidquid Danubius, ab Occasu Orientem versus decurrens, ad dexteram proxime præterlabitur, id omne Illyricum est, videlicet, Rhætia, Noricum, Pannonia, & Mysia: unde Macedonia & Thracia, & reliqua Græcia, quas itidem ad dexteram reliquit, longe absunt a ripa Danubii, unde interjecta Mysia disjunguntur; quemadmodum Tirigetæ, Bastarnæ, & Sauromatæ, quos ad lævam relinquit, Getico, seu Dacico tractu intermedio longe ab Istro in Septemtrionem distant. Idem Strabo lib. 7. Istro & Alpibus Germaniæ & Italiæ eam partem Illyrici interjecit, quæ ad Occasum vergit, ejusque initium ducit a lacu Brigantino, e quo etiam incipit Vindelicia, seu Rhætia secunda. *Primum igitur Illyrica exponamus, quæ & Istrum & Alpes attingunt, sita in medio Italiæ & Germaniæ, incipientia a lacu, qui est apud Vindelicos*. Præterea libro quarto Breunos & Genaunos Rhætiæ primæ seu propriæ populos Illyrico attribuit: *Vindelici autem, & Norici montana exteriora tenent, magna ex parte cum Breunis, & Genaunis, qui jam ad Illyrios pertinent*. C. Svetonius inter Strabonis & Appiani ætates intermedius ab neutro dissentit, nisi quod Noricum ab Illyrico videtur excludere: *Ac perseverantiæ grande pretium tulit, toto Illyrico, quod inter Italiam, regnum Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomito*. Herodianus apud Pancirolum omnia inter Italiam & magnam ultra Danubium Germaniam Illyrico attribuit, cum tradit *Illyricas gentes solas discrimen facere inter Italiam & Germaniam*.

Quærent fortasse aliqui, cur Romani tot nationes, ac tanto locorum intervallo disjunctas cum Illyriis conjunxerint; cujus quidem rei cum causam quærerem, quam ignotam sibi esse Appianus fatetur, causas reperiebam potissimum duas, quæ si non certæ omnino, attamen probabiles videri possunt; unam, quod fere omnes illæ regiones tenerentur a Celtis, qui jam inde ab antiquissimis temporibus e Gallia effusi, paullatim ea loca occupaverant; cum autem idem esset omnibus genus, iidem mores, eadem lingua, Romanis visum est, sub uno omnes eodemque jure ac nomine copulare, unamque gentem ac nationem efficere; ut quos origo & patria communis ab initio conjunxerat, discessus autem ab solo natali in alias atque alias regiones distraxerat, eos civile quoddam societatis vinculum inter se iterum colligaret. Ubi vero tot gentes ejusdem generis ac sanguinis, nominis etiam & legum jurisque communione in populi unius corpus coaluissent, existimabant fore, ut firmius manerent in amicitia, fideque populi Romani, & alii aliis præsidio essent, ac denique Romanum imperium ea tot populorum conjunctione muniretur tamquam validissimo quoddam aggere objecto adversus incursiones Barbarorum, qui Danubium identidem transgressi provincias Romanas ferro & igne vastabant, & populabundi eo interdum progressi sunt, ut e propinquo ipsimet Italiæ imminerent. Altera causa hæc fuit, quod, cum primi omnium transmarinarum ab Oriente gentium Illyrii in potestatem Romanorum venire cœpissent, a quibus regiones cæteras ad Septemtrionem Orientemque subjugandi initium Romani fecerunt, ex eo fiebat, ut quidquid terrarum præsertim Aquilonarium occupabant, statim Illyrico adjungerent, quod erat in illis partibus veluti arx sedesque Romanorum, unde in proximas deinceps remotasque regiones imperium propagarunt. Eodem pertinet, quod Illyricum non ita lato interjecto mari aberat ab Italia; hinc facilis atque expedita ultro citroque navigatio, Romanis peropportuna ac necessaria sive ad revocandos, sive

Descriptio Illyrici Romani ex Appiano.

ex Strabone;

ex Svetonio & Herodiano.

Cur Romani tot regiones Illyrico adjunxerint.

Illyrii fere omnes a Celtis oriundi.

ſive ad tranſmittendos exercitus, quibus ad longinquas in Septemtrionem, Orientemque expeditiones utebantur. Quanti autem Romanorum intereſſet ſive ad dignitatem, ſive ad propagationem imperii, Illyricum adipiſci, Romaniſque præſidiis obtinere, illud argumento eſt, quod hanc provinciam ſingulari quodam cognomine ornari, & *Quirinalem* dici voluerint, teſte Wolphango Lazio de Bell. Celt. lib. 7. pag. 177. *Illud ipſum Illyricum*, inquit, *in Inſcriptione quadam reperio Quirinale Romanis nuncupatum fuiſſe . . . . . Huic poſtea Illyrico Romani ſenſim proximas adjecere provincias*. Proximas autem? imo vero etiam longiſſime disjunctas. Etenim ut præclare docent Hiſtoricus Dalmata, & Raphael Levacovitius, Illyricum pariter imperiumque Romanum, iiſdem ferme incrementis auctum eſt, & fines utriuſque ab regione Orientis & Septemtrionis æque longe lateque prolati; ſic prorſus, ut quidquid terrarum ac gentium ad Ortum, Boreamque Romani ſibi acquirebant, id totum Illyrico attribuerent, ſupremis Illyricis Magiſtratibus ſubjicerent, ex Illyricæque gentis vocabulo nominarent. Aliam longe pulchriorem cauſam attulit Pancirolus in Comment. ad Notit. utr. Imp. ſub init. eamque repetendam eſſe cenſuit ab antiquitate & celebritate, ac ſplendore nominis Illyrici. *Cæterum nemo mirabitur Pannoniam ſive Noricum Illyrico adſcribi, qui cogitabit Illyriorum, qui & poſtea Dalmatæ dicti ſunt, nobilitatem, vetuſtatemque. Nam ab interiori inſigniorique populo etiam extremas ad Danubium vergentes nationes libuit antiquis Illyriorum vocabulo generatim complecti. Quam rationem ſecutus Julius Cæſar ſcribit Rhenum flumen, Sequanos, Mediomatricos, & Treviros præterlabi, clariſſimorum populorum fines tam late extendens. Ergo provinciæ Illyrico accenſebantur propter primævam originem, quam poſteriori tempore gubernationis cauſa facta diviſio conſecuta eſt.*

Illyricum Quirinale.

Nunc vero breviter deſcribendæ ſunt provinciæ in Aquilonem & Orientem obverſæ, quibus nomen genuſque Illyricum Romani auxerunt. Tiberius Cæſar Rhætiam, Vindelicos, Noricos, Pannoniamque ut Romano Imperio, ſic Illyrico adjecit; quamvis enim Druſus aliique Duces Romanorum ad has gentes ſubigendas multum operis laboriſque contulerint, earum tamen plane devictarum gloriam uni Tiberio Velleius adſcripſit. Ex Vindelicis & Rhætis an. ante Chriſtum 15. domitis una conflata eſt Romana provincia, & communi Rhætiæ vocabulo ſubjecta, Rheno & lacu Brigantino ab Occidente, Danubio a Septemtrione, Æno fluvio ab Oriente, Alpibus Rhæticis a Meridie circumſcripta. Bifariam diviſa eſt, quæ pars in Aquilonem ſpectat, Danubioque adjacet, eam Vindelici; quæ vero ad Meridiem vergit Alpium interjectu ab Inſubribus & Venetis disjuncta, eam Rhæti proprie dicti incolebant: hæc deinde dicta etiam eſt Rhætia prima; illa vero, quæ & Vindelicia vocari poteſt, Rhætia ſecunda.

Tiberius Rhætos, Vindelicos, Noricos, Pannones Illyrico adjecit.

Deſcriptio Rhætiæ.

Noricum dupliex eſt; alterum Ripenſe appellatum a ripa Danubii, quo ad Septemtrionem alluitur; alterum Mediterraneum, quod a Meridie Alpes Noricæ definiunt. Utrumque autem ab Occaſu quidem Æno fluvio, qui Rhætos Noricoſque interfluit, ab Oriente autem Cetiis montibus terminatur, qui ab Danubio ad Savum continuis jugis porrecti Noricum Pannoniamque diſcriminant. Tiberius ut Rhætos, ſic Noricos anno ante Chriſtum 15. Imperio pariter, & Illyrico adjunxit. Per hoſce annos Japydia tranſalpina jampridem ab Auguſto ſubacta inter Nauportum & Colapim flu-

Norici.

vios, ſub vocabulo aut Norici aut Dalmatiæ tranſalpinæ ad Illyricum accеſſit. Nam cum regioni utrique finitima eſſet, antiquo nomine poſthabito, vel Norici, vel Dalmatiæ finibus ac nomine comprehendi cœpit.

Pannoniam Danubio & Dalmatiæ, Norico & Myſiæ interjecit Dio Caſſius lib. 49. *Pannonii Pannonia ad Iſtrum habitant Dalmatis vicini, a Norico uſque Myſiam Europeam*. Idem confirmat Jornandes de rebus Get. cap. 5. ſed magis diluculde planoque ſuis hanc regionem terminis circumſcripſit: *Pannonia in longa porrecta planitie, habet ab Oriente Mæſiam ſuperiorem, a Meridie Dalmatiam, ab Occaſu Noricum, a Septemtrione Danubium*. Itaque Pannonia ab Septemtrione obvecta eſt Germaniæ magnæ, Danubio interfluo, regionem utramque dirimente; ab Oriente ſpectat primum Jazyges Metanaſtas intermedio ejuſdem Danubii alveo in Meridiem detorto, deinde Mæſos, qui ab Savo in Danubium confluente finitimi ducunt; a Meridie vergit ad Dalmatas, quos Bebii & Ardii montes a Pannonia olim disjungebant; qua demum Occaſum reſpicit, a Noricis Cetii montis interjectu diſcriminatur. Univerſa Pannonia bipartita fuit; quæ pars in Occidentem ſpectabat, *Superior*; quæ vero ad Solem orientem vergebat, *Inferior* Pannonia vocabatur. Utramque ſejungebat Arabo amnis in Danubium influens, curſu a Meridie in Septemtrionem deflexo, ac linea quadam ab Arabone in Meridiem directa, & Dravum Savumque interſecans uſque ad montes Bebios producta. Sed cum Pannonia ad Illyricum accеſſit, jam diminuta fuerat parte illa Meridionali, quæ Savo & Alpibus Dalmaticis interjacens Dalmatiæ nomen ſubierat. Præterea Pannonia omnis antiqua tripartito etiam dividi poteſt; & pars prima, quam mons Cetius ab Occaſu, Danubius a Septemtrione & Oriente, Dravus a Meridie circumſcribunt, Aquilonaris dici; pars altera Dravo ac Savo interjacens, Media vocari; tertia vero, quæ citra Savum ad montes uſque Illyricos longius, quam latius porrigitur, Auſtralis cognominari debet. Cæterum Pannonia Auguſto imperante ſuos a Meridie fines contraxit, & regionis intermediæ, quod Savum inter monteſque Illyricos continetur, ex ejuſdem Auguſti deſcriptione, Dalmatia occupavit, ut parte 2. Prolegomenon declarabimus; tum vero Danubius a Septemtrione, Savus a Meridie Pannoniam definivit; quæ quidem Pannonia poſterioribus ætatibus quadrifariam diviſa eſt, & ſuperior, inferiorque duabus aucta provinciis, non illis quidem extrinſecus adjunctis, ſed diſtinctione nominis, finium, & Magiſtratuum diſcretis. Nam regio Dravo & Savo fluminibus interjecta, Pannonia modo Savia, modo Ripariensis, modo etiam Interamnia dicta eſt. Tertio autem ſæculo in exitum vergente Galerius Pannoniæ ſuperiori, & inferioriſqua Danubio adjacent, planitiem ſatis amplam detraxit, qua ſylvis ingentibus obſeptâ, qua aquis ex lacu Peiſone, ſeu Perſone ſtagnantibus obductam, ac propterea non inutilem modo, ſed etiam accolis incommodam & inſalubrem; eamdemque poſtea exciſis nemoribus, paludibuſque ſiccatis, Peiſone lacu in Danubium immiſſo, culturæ aptam reddidit, vicis oppidiſque frequentavit, & in provinciæ formam redegit, quam uxoris nomine appellavit Valeriam. *Agrum ſatis Reipublicæ commodantem*, ait Aurelius Victor, *cæſis immanibus ſylvis, atque emiſſo in Danubium lacu Perſone, apud Pannonios fecit*. Ita quatuor extiterunt Pannoniæ, Superior ſeu Prima, Inferior ſeu ſecunda, Valeria, & Savia: Valeriæ Dux Li-

mi-

Digitized by Google

dus annus, fuvit Corrector præpositus erat, cui quinta & secunda Pannoniæ procuratio Consulari, non Præsidi mandari soleret. Pannoniam omnem primus subactam Tiberius ad Imperium & Illyricum adjunxit octavo Christi anno.

Mœsos cum Illyrico Tiberius conjunxit.

Præter provincias illas septemtrionales, quas modo diximus, ad nominis Illyrici incrementum ab regione Orientis accessit Mœsia, quam cum Illyrico Tiberius, ut mihi videtur verisimile, conjunxit. Græci Mysiam vocant, Latini fere semper Mœsiam. Sed Romani, ante Tiberium post Illyrios proprios & Macedones devictos, sæpius arma cum Mœsia contulerant. Nam proximo ante Christum sæculum jam inito L. Cornelius Sulla, ut auctor est Eutropius lib. 5. eodem tempore, quo Mithridates cum eo de pace agere cœpit, *Dardanos, Scordiscos Mœsia populas, & Mœsos ipsos cum Dalmatis partim vicit, alios in fidem accepit*. C. Scribonius Curio, ut docet idem Eutropius lib. 6 *post Consulatum*, quem gessit cum Ca. Octavio anno ante Christum 76. *Dardanos vicit, & usque ad Danubium penetravit, triumphumque meruit, & intra triennium bello finem dedit*. Idem confirmat Sex. Rufus in Brev. *Dardanos & Mœsos Curio Proconsul subegit, & primus Romanorum Ducum ad Danubium usque pervenit*. Deinde M. Lucullus, teste Appiano in lib. de Illyr. *Mysios cum exercitu adortus, frater L. Luculli, qui cum Mithridate bellavit, ad flumen usque* (Danubium) *excursione intenta*. L. Lucullus secundissimis prœliis terra marique factis, Mithridatem in Pontum primo, indeque in Armeniam ad Tigranem fugere coegit, anno ante Christum 71. anno autem ante Christum 66. bellum Mithridaticum, itemque exercitum, lege a Manilio Trib. Pl. lata, jussus est Cn. Pompejo tradere. Sed Mœsiæ penitus devictæ, & tributo suppositæ gloriam uni Tiberio attribuit Appianus. *Nec præterea quidquam a Populo Rom. sub vetere Republica adversus Mysios gestum comperi, neque quod tributa pendere adacti sint, ne ab Augusto quidem. Cæterum a Tiberio, qui post Augustum rerum potitus est, domitos constat*. Mœsię tributo subjectæ, adjunctæque Illyrico, cum incerta sint tempora, adscribi potest annus Christi 12. cum Tiberius auctor hujus accessionis Illyricę de Pannoniis Dalmatisque triumphavit, & ab Augusto in consortium imperii adscitus est, commune cum Augusto in provincias & exercitus imperium ex decreto S. P. Q. R. adeptus: id quod Vellejus & Svetonius tradunt. Per idem tempus Illyrico itidem accessit Scythia Pontica pars extrema Mœsię inferioris. Mœsię fines, populos, & flumina breviter Plinius lib. 3. cap. 26. descripsit: *Pannoniæ jungitur provincia, quæ Mœsia appellatur, ad Pontum usque cum Danubio decurrens. Incipit a Confluente* (Savi) *supra dicto. In ea Dardani, Celegeri, Triballi, Timachi, Mœsi* (proprie dicti), *Thraces*, (e proxima ad Meridiem Thracia huc profecti) *Pontoque conterminii Scythæ*, (quibus adde Scordiscos). *Flumina clara, a Dardanis Margis, Pingas &c.* Itaque Mœsia initio ducto a Confluentibus Savi & Danubii, Pannoniam ab Occasu attingit, a Septemtrionibus Danubius Mœsiam præterluit, atque ab Dacia vetere disjungit; ab Oriente alluitur Ponto Euxino, in quem Ister pluribus ostiis effunditur; ab Austro mons Hęmus longissimo tractu, iisque Scordus & Ardius montes a Thracibus, Macedonibus, ac Dalmatis Mœsos disterminant. Ciabrus fluvius ex Hęmo in Danubium decurrens Mœsiam intersecat, & bipartito dividit. Pars a Pannonibus usque ad Ciabrum amnem porrecta, Mœsia superior, & deinde etiam prima; pars a Ciabro ad Pontum usque Euxinum producta Mœsia inferior, quę postea etiam secunda dicta est. Mœsiæ superioris partem, quę ad Meridiem vergit, Dardani incolebant, e Dardanis Trojanis oriundi, unde regio Dardanię nomen accepit. Inter Dardanos ab Ortu, Dalmatasque ab Occasu interjecti erant Scordisci, per quos a Dardanis iter erat, ut Livius lib. 11. docet, ad mare Adriaticum, Italiamque. Scordisci autem gens erat Celtica, quę ex iis, quas initio ceperat, sedibus effusa, atque huc & illuc vagata, aliquot præterea loca cum in Pannonia, tum in Thracia occupavit. Mœsię inferioris partem ad Ortum extremam tenebant Scythę huc translati e Scythia parva ultra Danubium inter Boryslhenem & Tauricam Chersonesum, unde hęc regio, quam Danubius cursu in Septemtrionem reflexo, ac deinde ostiis in ortum obversis, & Pontus Euxinus, & mons Hęmus circumscribunt, Scythia Pontica vocata est, cum antea Pontus diceretur, nulla re magis, quam Ovidii exilio insignis.

Descriptio Mœsiæ, ejusque populorum.

Descriptio Thraciæ.

Præter has regiones, quas in Illyricum Strabo, Appianus, Svetonius, aliique includunt; nomini Illyrico subjiciamus licet Thraciam quoque, itemque Daciam antiquam ultra Danubium, quam Trajanus ad imperium Romanum adjunxit. Hujus rei auctor est Valerianus Imperator, qui anno Christi 254. rerum potitus est, in epistola ad Ablavium Murenam Præfectum Prætorio apud Trebellium Pollionem in vita Claud. cum enim in his literis Claudium, qui post Gallienum Valeriani filium imperavit, factum esse dicat Ducem totius Illyrici, inter provincias ejusdem administrationi commissa nominatim Thracias, itemque Dacos exercitus annumerat: *Desine autem conqueri, quod adhuc Claudius est Tribunus, nec exercitus Ducis loco accipit: unde etiam Senatum & populum conqueri jactabas: Dux factus est, & Dux totius Illyrici, habet in potestate Thracias, Mœsos, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus*. Ad quem Valeriani locum Guido Pancirolus Comment. in Notit. part. 1. cap. 33. hanc notam apposuit: *Tempore vero Claudii II. ut in eo Pollio scribit, Illyricum Thracias, Mysos, Dalmatas, Pannonios, Dacos continebat*. Cum Thracibus sæpe pugnatum est a Romanis, & Republica incolumi, & post conditam Monarchiam; sed Thraciam Regum suorum imperio exemptam, Vespasianus in formam provinciæ redegit, ut Eutropius lib. 7. testatur. *Item Thraciam, Ciliciam, Thraciam, & Comagenem, quæ sub regibus amicis erant, in provinciarum formam redegit*. Itaque Vespasianus, qui Thraciam in numerum provinciarum Romanarum retulit, idem etiam, ut verisimile est, ad nomen ditionemque Illyrici adjecit anno Christi 71. Thraciam; qua Occasum aspicit, Strymon fluvius a Macedonia; qua in Septemtrionem obversa est, mons Hęmus a Mœsia discriminat; ab Ortu Ponto Euxino, Bosphoro Thracio, Hellesponto, & Propontide; a Meridie mari Ægeo circumluitur. Sunt ex antiquis Geographis, velut Scylax, Mela, Plinius, qui oram extremam Thraciæ ad Euxinum sitam, in Aquilonem ultra Hæmum montem usque ad ostia Danubii producunt, ejusque tractus urbes Istropolim, Tomos, Calatim Thraciæ attribuunt, quas historici in Scythiam cisdanubianam sive Pontum regionem ultimam Mœsiæ inferioris conjiciunt. At vero Ptolemæus Thraciam ab hac parte intra Hæmum contraxit, ejusque terminum Septemtrionalem constituit ad Mesembriam urbem, ab radicibus Hæmi, Panysо amne interfluo, paullulum disjunctam. Sed cum mons Hæmus natura ipsa constitutus esse videatur, tamquam limes fi-

xus

tus ac ſtabilis, qui regionem utramque diſtermi-net, nihil cauſæ eſt, cur fines extremæ hujus oræ Thraeicæ vel ultra Hæmum ad Danubium uſque proferri, vel citra Hæmum contrahi debeant. Sunt etiam, qui terminos occidentales Thraciæ ab Strymone fluvio ad Neſtum amnem retrahant, propterea quod Philippus rex Macedonum hanc regionem Thracibus adēmptam eum regno Macedoniæ conjunxit, eamdemque vocant Macedoniam adjectam. Sed Scylax, Plinius, & Stephanus Macedoniæ Thraciæque confinia ad Strymonem ſtatuunt. Cum Thraciam univerſam mons Rhodope ab Occaſu in Orientem uſque ad Euxinum longiſſime productus interſecet, primum hæc regio bifariam diviſa eſt, ut docet Baudrandus; pars altera ad Septemtrionem converſa, *Thracia trans Rhodopen*, altera in Meridiem vergens, *Thracia cis Rhodopen* appellata fuit: deinde quadrifariam; prima eſt Thracia proprie dicta ad Occaſum, ſecunda Hæmimontus ad Boream, tertia Rhodope ad Meridiem, quarta Europa ad Orientem, in qua poſtrema, ut verbis utar Sexti Rufi, *ſecunda arces Romani orbis ſunt conſtitutæ, Conſtantinopolis*, quæ habita dictaque eſt altera Roma. Idem Sextus Rufus duas præterea provincias Thraciæ attribuit, Scythiam Ponticam a Mæſia inferiori avulſam, itemque Mæſiam inferiorem.

Trajanus Daciam ultra Danubium imperio Rom. & Illyrico adjunxit.

Trajanus primo poſt Chriſtum ſæculo exeunte rerum ſummam adeptus trans Danubium ut imperii Romani, ſic Illyrici fines propagavit. Pontem lapideum ingenti ſubſtructione, & mirabili opere artificioque perfectum Danubio injecit, qua exercitum traduceret. Decebalo rege Dacorum victo Romanis provinciis addidit Daciam, præſidiis eidem & coloniis Romanorum impoſitis, anno Chriſti 103. *Daciam*, ait Eutropius lib. 8. *Decebalo victo ſubegit, provincia trans Danubium facta in his agris, quas nunc Taiphali tenent, & Victophali, & Thervingi habent. Ea provincia decies centena millia paſſuum in circuitu tenuit . . . . . ex toto orbe Romanorum infinitas eo copias hominum tranſtulit ad agros & urbes colendas.* Nec vero dubitaſi poteſt, quin Trajanus Daciam in jus nomenque Illyricum tranſtulerit, more atque inſtituto majorum, qui fere omnes ad Boream & Ortum regiones bello partas Illyrico attribuere, Illyriciſque Magiſtratibus ſubjicere ſolebant. Id vero confirmat epiſtola Valeriani ad Ablavium paullo ante laudata, in qua ſub Duce ſeu Præfecto totius Illyrici nominatim Daci cum Thracibus, Pannoniis, Mæſis, ac Dalmatis recenſentur; idcirco etiam Trajanus Daciam cum Mæſia provincia Illyrici ponte conjunxit. Porro Dacia longe patebat lateque ab Septemtrione in Meridiem inter Carpates montes & Danubium; ab Occaſu in Ortum inter Danubii curſum a Borea in Auſtrum reflexum, ac Thyram fluvium, qui oriens ex montibus Carpatibus ſupra oſtia Danubii in Pontum Euxinum infertur. Hæc regio continebat tres illas provincias, quas hodie Tranſylvaniam, Moldaviam, Valachiam appellamus. Sed tertio poſt Chriſtum ſæculo vergente, Dacia ob Gallieni ſocordiam in perpetuum amiſſa, Romanum imperium pariterque Illyricum fines ſuos citra Danubium contraxit. *Gallienus diu placidus & quietus*, inquit Eutropius lib. 9. *mox in omnem laſciviam diſſolutus, tenendæ reipublicæ habenas probroſa ignavia & deſperatione laxavit: Alemanni vaſtatis Galliis in Italiam penetraverunt. Dacia, quæ a Trajano ultra Danubium adjecta fuerat, amiſſa eſt.* Aliquas tamen urbes regionesque adhuc Romani ſuis coloniis ac præſidiis obtinebant, cum Aurelianus imperare cœpit anno poſt Chriſtum circiter 270. Is cum prō ſua prudentia animadverteret, neque Romanos cives inter Barbaros tuto commorari, neque regionem illam ab hoſtium incurſionibus defendi, pacateque obtineri poſſe, ſatius eſſe duxit Barbaris eam relinquere, quam inutili labore ac diſpendio recuperare. Itaque ex oppidis illis Romana præſidia deduxit, & colonias Romanorum, illuc a Trajano invectas, citra Danubium tranſtulit, quibus inter Mæſiam utramque collocatis attribuit agrorum terrarumque, quod ſatis eſſet ad eos alendos continendoſque, & juſtæ magnitudinis provinciam æquaret, quæ ex intermediis urbibus agriſque partim ſuperiori, partim inferiori Mæſiæ detractis coaluit. Huic vero provinciæ ab Danubio uſque ad Macedoniæ fines inter Mæſiam utramque productæ nomen *Daciæ* impoſuit; & Dacia Aureliani, *nova*, Ciſdanubiana, ac denique Romana cognominata eſt; ut non ſolum loco, ſed etiam nomine diſtingueretur ab altera, quæ Dacia *Trajani*, *antiqua*, *tranſdanubiana*, & *Barbara* vocari conſuevit. Eamdem poſtea bifariam diviſit; quæ pars Danubii ripis ad Septemtrionem adjacet, eam Ripenſem; quæ vero in Meridiem vergit, procurritque uſque ad montem Hęmum, eam Mediterraneam Daciam appellavit. Hęc tradunt Eutropius, Vopiſcus, Jornandes, & alii plures: *Provinciam Daciam, quam Trajanus ultra Danubium fecerat, intermiſit, vaſtato omni Illyrico & Mæſia, deſperans eam poſſe retineri: abductoſque Romanos ex urbibus & agris Daciæ, in media Mæſia collocavit, appellavitque eam Daciam, quæ nunc duas Mæſias dividit, & eſt in dextera Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in læva.* Eutropius lib. 9. *Cum vaſtatum Illyricum ac Mæſiam deperditam videret, provinciam trans Danubium Daciam a Trajano conſtitutam, ſublato exercitu & provincialibus, reliquit, deſperans eam poſſe retineri; abductoſque ex ea populos in Mæſia collocavit, appellavitque ſuam Daciam, quæ nunc duas Mæſias dividit.* Vopiſcus in Aurel. Jornandes autem de Succeſ. Reg. & Temp. addit ab eodem Aureliano Dardaniam ſitam infra Mæſiam ſuperiorem a Meridie provinciam factam eſſe, quæ ab Oriente novæ Daciæ Mediterraneæ finitima erat, in Occaſum & Meridiem uſque ad Scardum Hæmumque montes porrecta. *Sed Gallienus Daces, dum regnaret, amiſit. Aurelianuſque Imperator, evocatis exinde legionibus, eos in Mæſia collocavit, ibique aliquam partem Daciam mediterrancam, Daciamque Ripenſem conſtituit, & Dardaniam junxit.* Præterea Aurelianus pontem Trajani Danubio impoſitum interſcindi juſſit, ut omnem ad novam provinciam aditum Barbaris intercluderet. Ita Illyricum regiones illas ultra Danubium ſane ampliſſimas anno centeſimo & fere ſeptuageſimo, poſtquam receperat, ob Gallieni ignaviam amiſit. Hanc tamen jacturam Aurelianus non terrarum acceſſione, ſed provinciarum numero ſarſit; & Illyricum contractis a Septemtrione citra Danubium finibus, pro una provincia deperdita, tribus auctum eſt Dacia mediterranea, Dacia Ripenſi, & Dardania an. 274.

Dacia nova citra Danubium ejuſque diviſio.

Hactenus de provinciis cum Illyrico a Septemtrione & Oriente conjunctis; nunc de finibus Illyrici ad Meridiem propagatis, quibus Macedonia, & Græcia univerſa acceſſit. Conſtantinus Conſtantis filius, is, qui magnitudine rerum geſtarum Magni cognomen invenit, poſt omnes Chriſtiani nominis hoſtes ac tyrannos extinctos, cum rerum omnium potitus eſſet, anno Chriſti 325. Romani imperii ſede ex Italia in Thraciam, Roma Conſtantinopolim translata, quatuor Præfectos Prætorio inſtituit, cum duo ad eam diem fuiſſent, Romano-

Præfecti Prætorio quatuor a Conſtantino inſtituti.

Digitized by Google

manoque orbe quadrifariam diviſo, ſuam cuique partem adminiſtrandam tradidit. Unum Orienti, alterum Illyrico, tertium Italiæ & Africæ, quartum denique Galliis, Hiſpaniis, & Britannię præfecit. *Cum eſſent duo Præfecti Prætorio*, ait Zoſimus lib. 2. *qui hoc officium communiter gerebant: nec palatini tantum ordines eorum cura poteſtateque gubernabantur, ſed etiam ii, quibus urbis erat commiſſa cuſtodia, & quotquot in omnibus limitibus erant collocati. Hic enim Præfectorum Prætorio magiſtratus, qui poſt Imperatorem ſecundus exiſtimabatur, annonas erogabat, & contra militarem diſciplinam admiſſa convenientibus pœnis corrigebat. Conſtantinus autem hunc magiſtratum in quatuor imperia diſcerpſit*. Deinde Zoſimus nominatim enumerat regiones, quas cuique Prætorianæ Præfecturæ ſubjecit. Præfecto autem Prætorio Illyrici attributos fuiſſe tradit *Macedones, Theſſalos, atque Cretenſes, ac Græciam & circumjacentes inſulas, Epirum utramque, Illyricos, Dacos, Triballos, & Pannonios ad Valeriam uſque & Mœſiam ſuperiorem*. Quos Zoſimus *Illyricos* vocat, ii ſunt Liburni, Dalmatæ, & Illyrii proprie dicti; hi ſiquidem peculiari quodam jure id nomen ſibi vindicabant; quippe qui & primi omnium, & inde uſque ab antiquiſſimis temporibus dicti habitique ſunt Illyrii; quos propterea Zoſimus nominatim diſtinguendos cenſuit ab reliquis populis, qui adſcriptitii potius, quam veri germanique Illyrii appellari poſſunt. Cæterum quos Zoſimus Illyricos, alii Dalmatas vocant; eos enim Cæſar Octavianus Auguſtus, ut poſtea dicam, eidem magiſtratui eidemque provinciæ attributos, quam Dalmatiam nominavit, communi Dalmatarum vocabulo ſubjecerat. Hinc factum eſt, ut ſæpe apud veteres Scriptores Illyricum & Dalmatia, Illyrii & Dalmatæ pro Synonymis habeantur. Duplicem Epirum Zoſimus Præfecto Illyrici attribuit, quam alii cognomine etiam diſtinguunt, & alteram veterem, alteram novam Epirum appellant. Vetus Epirus Chaones, Theſprotos, & Moloſſos complexa ab Acroceraunïis montibus uſque ad ſinum Ambracium in Meridiem excurrebat, quam ſolam apud Geographos Scriptoreſque quarto ſæculo antiquiores Epirum vocatam invenies. Quæ autem olim pars Illyrici extrema ad Orientem & Meridiem erat, inter Drilonem & Acroceraunios, quamque in jus nomenque Macedoniæ migraſſe diximus, a finitima ad Auſtrum regione vocabulum mutuata, vel exeunte tertio, vel ineunte quarto ſæculo, Epirus nova appellari cœpit. *Dacorum* nomine *Dardanos* etiam Zoſimus intelligi voluit. Daciæ ſiquidem novæ mediterraneæ ad Occaſum conjuncta erat Dardania, quam ab ea diſtinguunt cæteri Scriptores, & unam ex Illyricis provinciis fuiſſe dicunt. Triballos autem Danubii accolas ultra Ciabrum inferiori Mœſiæ olim adſcriptos ab Dacis diſtinguit, cum cæteroquin Daciæ novæ Ripenſis nomine ac finibus continerentur; quos propterea alii Scriptores ſub Daciæ vocabulo comprehenſos Illyrico attribuunt. Cum Zoſimus Præfecturam Prætorianam Illyrici *uſque ad Valeriam* primæ & ſecundæ Pannoniæ apud Danubium interjectam, & *Mœſiam ſuperiorem* extendit, non ille quidem has duas provincias excluſit, ſed eas quaſi terminos deſignavit, extremaſque propemodum Illyrici regiones eſſe declaravit. Nam Valeria extrema fuit ad Septentrionem Illyrici provincia, & Danubius, qua illam ab Ortu alluit, eam ſejunxit ab Jazigibus Metanaſtis ſimul cum antiqua Dacia, ad quam pertinebant, ab Illyrico jamdudum avulſis. Mœſia vero ſuperior, quam excipiebat Dacia Ripenſis, ſin minus provincia Illyrici extrema dici, certe in partes Illyrici ab Oriente extremas rejici poterat. Cæterum nemo, opinor, negaverit deſcriptionem Illyrici ab Zoſimo confuſius, quam oportebat, & parum dilucide traditam eſſe; cui tamen perſpicuitas & ordo adjungi poteſt ex aliis Scriptoribus, qui provincias Illyricas accuratius & diſtinctius percenſent. Quidnam eſſe autem cauſæ putem, cur Zoſimus neque Rhætiam, neque Noricum Præfecturæ Prætorianæ Illyricæ ſubjecerit? Ac Noricum quidem tum Ripenſe, tum mediterraneum Illyrico attribuunt Auctores fere omnes, ſive qui paullo ante Zoſimum floruerunt, ſive hujus ætati æquales aut ſuppares, aut certe non multo inferiores, veluti Sextus Rufus, Auctor Notitiæ Dignit. utriuſque imperii, & Jornandes. Quare mihi dubium eſſe non poteſt, quin Zoſimus imprudens Noricum præterierit, quod jam inde ab ætate Tiberii ad Illyricum acceſſerat, neque ante ſextum ſæculum ab Illyrico ſejunctum, injuſ poteſtatemque nominis Germanici conceſſit. Rhætiam vero utramque tum Zoſimus, tum cæteri Scriptores quarti quintique ſæculi ab Illyrico ſecludunt, quippe quæ vel ſub initium quarti ſæculi, Conſtantino imperante, vel non multis ante annis Italiæ contributa fuerat; & Auctor Notitiæ Rhætiam primam, itemque ſecundam inter ſeptem & decem provincias annumerat, quas *ſub diſpoſitione viri illuſtris Præfecti Prætorio Italiæ* conſtituit, & utramque Vicario Italiæ ſubjecit, ſub quo tres Præſides erant, unus Alpibus Cottiis, alter Rhętię primę, tertius Rhętię ſecundę præpoſitus.

Illud vero ſingulari animadverſione dignum eſt, quod neque Zoſimus, neque cæteri Scriptores illorum temporum, in numerum Illyricarum provinciarum retulit aut Mœſiam inferiorem, quam Tiberius, aut Thraciam, quam Veſpaſianus Illyrici nominis ac juris eſſe decreverant. Utramque enim Conſtantinus ab Illyrico divulſerat, & Præfecto Prætorio Orientis attribuerat. Cum enim in Thraciam imperii Romani arcem ac ſedem transtuliſſet, eamque Conſtantinopoli collocaſſet in urbe ampliſſima, ab ſe condita verius, quam reſtituta, & præclaris magnificiſque ædificiis exornata, quam novam & alteram Romam vocari juſſit; urbem rerum dominam & caput imperii univerſi cum tota Thracia, non cuilibet ex quatuor Præfectis, ſed omnium ſummo ac primario committendam cenſuit, quippe Præfectus Prætorio Orientis & dignitate, & numero diœceſeon ac provinciarum cæteris longe præſtabat; huic enim Auctor Notitiæ ſupra laudatæ, poſt diviſionem imperii Orientalis & Occidentalis, quinque ipſas diœceſes, provincias autem omnino ad quadraginta & octo adſcripſit; cum Præfectus Illyrici duas diœceſes, provincias duodecim, Præfectus Italiæ tres diœceſes, provincias triginta, Præfectus Galliarum diœceſes itidem tres, & provincias unde triginta obtineret. Præterea idem Conſtantinus Thraciam ipſam, in qua civitas erat totius imperii princeps, duabus provinciis Illyrico exemptis auxit, Mœſia inferiore, & Scythia Pontica. Ita ſex extiterunt diœceſes Thraciæ uni Vicario commendatæ, cujus ſumma erat, ſecundum Præfectum Prætorio, vel dignitas, vel poteſtas, eique ſuberant duo Conſulares, quorum alter Europam, alter Thraciam proprie dictam regebat, & quatuor Præſides Hęmimontis, Rhodopis, Mœſię ſecundę, & Scythiæ adminiſtrationi præpoſiti.

Sex igitur provincias, e quibus Thracia omnis tum conſtabat, Conſtantinus Illyrico ademit, ſed eidem plus etiam, quam quantum detraxerat, & commu-

Illyrii præcipue dicti, inde ac Dalmatæ.

Deſcriptio utriuſque Epiri.

Noricum licet a Zoſimo præterm iſſum adhuc pertinebat ad Illyricum, non item Rhætia.

Mœſiam inferiorem & Thraciam Conſtantinus ab Illyrico divulſit.

Septem vero novis provinciis Illyricum auxit.

Digitized by Google

cumulatiore mensura reddidit; nam pro sex provinciis, quas Inde avulserat, septem alias, easque longe florentissimas Illyrico adjecit, quas Sex. Rufus distincte ac nominatim enumerat, videlicet *Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Epiros duas, Prævalim, & Cretam.*

Descriptio Macedoniæ, Thessaliæ, & Achajæ.

Macedoniam ad Septemtrionem mons Hæmus a Dardanis Dacisque disterminat; qua spectat in Solem Orientem, primum Strymone fluvio a Thracibus disjungitur, deinde Ægæo mari terminatur; qua vergit in Meridiem, imminet Thessaliæ, ab Occasu autem Prevali novaque Epiro terminatur. Thessalia Macedoniæ adhæret a Septemtrione, Achajam attingit a Meridie, Epirum veterem aspicit ab Occidente, mari Ægæo alluitur ab Oriente. Quam Rufus Achajam, Zosimus Græciam vocat. Utroque autem vocabulo tam Rufus, quam Zosimus complectuntur quidquid terrarum olim amplissimo Græciæ proprio nomine continebatur citra ultraque Isthmum Corinthiacum. Itaque Achaja, sive Græcia ab regione Aquilonari proxima est Thessaliæ, unde Pindo, Oeteoque montibus, & sinu Maliaco dirimitur, triplicique mari, Jonio ad Occidentem, Mediterraneo ad Meridiem, Ægæo ad Orientem circumluitur. Isthmo Corinthiaco bifariam secatur, & quæ pars ultra Isthmum in Meridiem vergit, dicta est Peloponnesus.

Descriptio totius Epiri, Prævalis, Cretæ.

Epirus universa hisce terminis circumscribitur. Ad Boream initium ducit a Drilone fluvio, sive a confiniis Illyrici proprii; ab Ortu Macedoniam & Thessaliam attingit; a Meridie itemque ab Occasu Jonium mare, & Adriaticum oram Epiroticam circumfluit. Epirus est omnis divisa inde usque ab imperio Constantini in partes duas, quarum una, quæ olim juris Illyrici fuerat, ad Borealem, altera spectat ad plagam meridianam; hæc vetus, illa nova Epirus vocitatur. Prevalis pars est Dalmatiæ, sive Illyrici proprii ad Meridiem extrema, finibus admodum exiguis circumscripta, cujus nomen Antiquis ignotum ætas Constantini, vel paullo superior in Geographiam invexit. Hanc Scardus mons a Septemtrione, Barbana fluvius ab Occasu, sinus Illyricus vulgo dictus a Meridie, Drilo fluvius ab Oriente definiunt. Hujus provinciæ accessione nihil terrarum accrevit Illyrico; sed portio illa extrema, Illyrico proprio seu Dalmatiæ adempta, in provinciæ unius corpus per se ipsa coaluit. Creta demum a Peloponneso in Ortum & Meridiem pelago interfluo disjungitur, undique Mediterraneo mari circumfusa, idest Ægæo ad Septemtrionem, & Libyco ad Meridiem; utrumque Creticum mare dici solet. De qua Plinius lib. 4. cap. 12. *Creta altero latere ad Austrum, altero ad Septemtrionem versa inter Ortum Occasumque porrigitur, centum urbium fama clara.* Hisce porro septem provinciis, qua vergunt ad mare, circumjacentes insulas, veluti Corcyram, Cephaleniam, Zacynthum, aliasque minores, quæ oram Epiri, Achajæ, Macedoniæ proxime circumstant, itemque omnes Ægæi maris insulas Constantinus Illyrico juri ac nomini adscripsit, ut Zosimus tradit, & Magistratibus Illyricis mandavit. Hunc vero fere omnem terrarum mariſque tractum in septem provincias distributum, Scriptores illorum temporum alias Græciæ, alias Achajæ, alias Macedoniæ vocabulo subjiciunt.

Provinciæ Illyrici omnes septemdecim.

Omnes itaque provinciæ, quas Constantinus Illyrico vel reliquit, vel adjecit, omnino septemdecim enumerantur a Sexto Rufo in Brev. qui annis circiter triginta post Constantinum florebat. *Provincias habet Illyricus septem & decem: Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mæsiam, Daciarum duas: & in diœcesi Macedoniæ sunt septem: Macedonia, Thessalia, Achaja, Epiri duæ, Prævalis, & Creta.* Jornandes longe posterior ætate, & fere duorum sæculorum intervallo ab Rufo disjunctus unam adjecit, videlicet Dardaniam, quæ fortasse post Constantinum jus nomenque provinciæ adepta, Illyricarum provinciarum numerum auxit. Sed duplex Valeria, quam nemo plus una fuisse tradidit, quæque omnino abest ab Notitia Dignit. utriusque imperii, & unica Epirus, quam fere omnes bifariam dividunt, unde in ejus scripta irrepserit, librariine, an auctoris errore, haud facile dixerim. *Illyricus autem cuncta*, ait Jornandes de Succeſſ. Reg. ac temp. lib. 1. *per partes quidem & membra devincta, ad unum tamen corpus aptata est; quæ habet intra se provincias decem & octo; hæ sunt: Norici duæ, duæ Pannoniæ, duæ Valeriæ, Scavia* (idest Savia), *Dalmatia, Mæsia superior, Dardania, Daciæ duæ, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epirus, Prævalis, Creta.* Regiones has omnes uni Præfecto Prætoriano Illyrici Constantinus subjecit; qui eas per suos Vicarios cæterosque Magistratus inferiores gubernabat. Sirmium frequentissima olim & nobilissima Pannoniæ secundæ civitas cum caput totius Illyrici, tum Præfecti Prætorio sedes erat. An vero Constantinus quemadmodum instituit, sic etiam diviserit Præfecturas Prætorianas in diœceses, diœceses autem in provincias, non satis constat. Cum enim diœceseon mentio post Constantinum apud Scriptores antiquos facta reperiatur, earum origo atque institutio videtur rejicienda esse ad Imperatores posteriorum temporum; cæterum nisi ad Constantinum Imperatorem referri potest, certe ab ejus ætate admodum recens fuerit oportet, quippe cum diœcesim Macedonicam commemoret Sex. Rufus, Constantini temporibus fere suppar; & in secunda Synodo Oecumenica Constantinopolitana, quæ habita est anno Christi 381. canone 2. cum cautum fuerit, ne majorum diœceseon Episcopi extra terminos cuique præscriptos suam curationem & potestatem proferrent, id sane argumento est jamdudum institutas fuisse diœceses politicas, & usurpari cœptum nomen diœceseon, quod deinde etiam Ecclesia recepit ad designandam majorum Episcoporum amplissimam jurisdictionem. Verum institutio ac distributio diœceseon videtur attribuenda ipsimet Constantino; id quod communis, & pervulgata opinio confirmat. Diœceseos autem vocabulo antiquitus subjici solebat complexio quædam multarum provinciarum, quæ quidem ita erant conjunctæ, ut quamvis suos quæque ac minores Præsides haberent, omnes tamen uni eidemque majori Magistratui subessent, qui ferme Vicarius Præfecti Prætorio dicebatur. Ut enim ex multis civitatibus una provincia, sic e multis provinciis una diœcesis, & e duabus, vel pluribus diœcesibus una Præfectura Prætoriana constabat.

Sirmium caput Illyrici, & sedes Præfecti Illyrici.

Diœceses quid, & a quo institutæ.

Notitia Digit. utr. imperii quando descripta.

Notitia dignitatum utriusque Imperii, quam temporibus extremis Theodosii junioris, qui diem suum obiit anno Christi 450. conscriptam fuisse existimat, idque argumentis sane ad persuadendum appositis probat Guidus Pancirolus, universum Romanum orbem in quatuor Præfecturas Prætorianas ab Constantino invectas distributum, Præfecturas autem in diœceses, & diœceses in provincias, suis quasque subjectas magistratibus, divisas exhibet. Hunc provinciarum & magistratuum catalogum post divisionem imperii Orientalis & Occidentalis, quæ Arcadio & Honorio sub finem quarti sæculi potissimum attribui solet, composi-

tum

rum esse declarat vel ipse titulus huic opusculo præfixus: *Notitia dignitatum omnium tam civilium, quam militarium in partibus Orientis & Occidentis.* Videndum, ut imperium Orientis & Occidentis distinguat? quæ quidem distinctio magis elucet in ipsa descriptione provinciarum & magistratuum, quæ bifariam divisa est. Pars prima imperii Orientalis, pars altera imperii Occidentalis diœceses & provincias, & singulos singulis præpositos magistratus percenset. Ex hac igitur Notitia dignosci potest, quænam fuerit sæculo quinto totius Illyrici forma, amplitudo, & divisio.

Cum imperium Romanum omne in duas tributum est partes, Orientalem, & Occidentalem, & huic duæ, illique totidem Præfecturæ Prætorianæ adscriptæ sunt; facta est quoque bipartita divisio Illyrici, quod partim cum imperio Orientis, partim cum imperio Occidentis conjunctum est; huic sex, illi undecim Illyricæ provinciæ adnexæ. Primum de Orientali, tum de Occidentali Illyrico. Imperium Orientis septem diœcesibus constebat, quarum quinque, videlicet *Oriens*, *Ægyptus*, *Asiana*, *Pontica*, *Thracia* ad Præfectum Prætorio Orientis, duæ autem reliquæ *Macedonia*, & *Dacia* ad Præfectum Prætorio Illyrici pertinebant. Itaque cum imperium Orientis duabus Præfecturis Prætorianis subesset, ex his altera sibi vindicabat solidum atque integrum Illyricum Orientale, unde etiam nomen sumpserat, quo ab altera Præfectura distingueretur. Hujus Præfecturæ, & diœcesis utriusque descriptionem ex ipsa Notitia depromptam hic subjicio.

Imperii Orientalis duæ diœceses Illyricæ.

Sub Dispositione Virorum Illustrium Præfectorum (a) *Prætorio per Illyricum diœceses infra scripta.*

b *Macedonia* (b) *& Dacia.*

c *Provinciæ Macedoniæ VI.* (c)

d e (d) *Achaja*, (e) *Macedonia*, *Creta*, *Thessalia* (f), *Epirus vetus*, *Epirus nova*, f *& pars Macedoniæ salutaris.*

Provinciæ Daciæ V.

g *Dacia* (g) *Mediterranea*, *Dacia Ripensis*, *Mæsia prima*, *Dardania*, *Prævalitana*, *& pars Macedoniæ salutaris.*

NOTÆ.

a Auctor Notitiæ hunc Magistratum cum nominat, utitur plurali numero, non quod plures eodem tempore fuerint Præfecti Prætorio Illyrici; sed quia aliis post alios is magistratus committi, & alii aliis subrogari solebant; quæ loquendi ratio sane communis est, usuque vulgari admodum trita; veluti cum dicimus *Imperatores Orientis* in sua potestate habuisse provincias sexaginta, totidem enim illis Notitia attribuit. Prætorianæ autem Præfecturæ administratio certone, an nullo annorum numero definita esset, mihi non liquet.

b Utrumque vocabulum multo latius patet, quam vel Macedonia propria, vel Dacia propria, & alterum sex, alterum quinque provincias complectitur. Duo erant Vicarii subjecti quidem Præfecto Prætorio Illyrici Orientalis, sed eidem vel dignitate vel potestate proximi; alter Macedonicæ, alter Daciæ diœcesi præerat; uterque per inferiores magistratus provincias sibi creditas regebat; uterque in Notitia titulo *Spectabilis* ornatur. Præfectus Prætorio Illyrici, Thessalonicæ, in urbe totius Macedoniæ amplissima; Vicarius secundæ diœcesis, Sardicæ itidem, in urbe totius Daciæ facile principi sedem obtinebat. Vicarius autem primæ diœcesis, seu Macedoniæ, Thessalonicæ una cum Præfecto, an in alia ejusdem diœcesis provincia & urbe jus diceret, ac domicilium haberet, mihi non est compertum.

c Sex. Rufus diœcesi Macedoniæ septem provincias attribuit, Prævali adjecta, quam ætas posterior inde avulsam in diœcesim Daciæam conjecit.

d Hujus fines supra descripsimus. Sub vocabulo Achajæ subjiciuntur regiones omnes citra ultraque Isthmum Corinthiacum. Merito itaque primum locum sibi vindicat, quippe cum cæteris omnibus hujus diœcesis provinciis & ambitus magnitudine, & numero urbium, gentium, ac regionum antecelleret. Cum igitur inter dignitates imperii Orientalis duæ solum Proconsulares essent, duoque Proconsules *titulo Spectabilium* insignes, alteri Asia, alteri Achaja demandari solebat.

e Post imperium Constantini Macedoniæ propriæ pars in Occasum obversa detracta est, dictæque Macedoniæ salutaris, cognomine ducto a salubritate aquarum, quæ indidem passim scaturiunt, totamque regionem irrigant. Hæc vero bifariam divisa fuit, & pars altera vergens ad Meridiem finitima Epiro novæ sub Vicario Macedoniæ, altera spectans in Septentrionem Prævalitanæ itidem conterminæ sub Vicario Daciæ adjuncta est. Cæterum utraque pars Macedoniæ salutaris videtur interdum coaluisse in unam provinciam tum a Macedonia, tum ab Epiro nova ac Prævali distinctam; quippe cum eidem Notitia singularem magistratum assignet, qui *Præsidis Clarissimi* nomen gerebat. Macedoniæ autem & Cretæ duo præerant *Consulares*, clarissimi itidem honoris causa appellati.

f g Thessalia, & utraque Epirus tribus *Præsidibus clarissimis*, suo quæque, suberant. Daciam Mediterraneam unus *Consularis Clarissimus*, quatuor reliquas hujus diœcesis provincias totidem *Præsides* item *Clarissimi* gubernabant. Sed Daciæ Ripensi, & Mæsiæ primæ duo præterea *Duces Spectabiles* præfici solebant, qui rei militari administrandæ, finibusque imperii tuendis præesse jubebantur. Erant enim hæ duæ provinciæ ad ripam Danubii, qui limes erat Imperii, Barbarorum excursionibus expositæ; quemadmodum eamdem ob causam Mæsiæ secundæ & Scythiæ diœceses Thraciæ Duces suos habebant, per quos Barbari transitu Danubii prohiberentur.

Illyricum Occidentale, quod sub imperio Constantini cum Illyrico Orientali conjunctum unam conflaverat Præfecturam Prætorianam Illyricam, ab hoc postea divulsum, in jus potestatemque concessit Præfecti Prætorio Italiæ, & in unam diœcesim coaluit, quæ cum Italica, Africanaque diœcesibus ad Præfecturam Prætorianam Italiæ pertinebat. Cæterum inde usque a quarto sæculo, Valentiniano & Valente imperantibus, pars Illyrici vergens ad Occasum potestatem ditionemque subierat Præfecti Prætorio Italiæ, ut Ammianus Marcellinus lib. 26. tradit: *Valentinianus Mediolanum, Valens Constantinopolim discessit; & Orientem quidem regebat potestate Præfecti Salustius, Italiam vero cum Africa & Illyrico Mamertinus.* Ita Præfectura Illyrica, cui totum Illyricum Constantinus subesse voluerat, annis haud ita multis post obitum Constantini, bipartito discerpta fuit; & pars altera jussum nomenque retinuit; altera vero inde avulsa ad Præfecturam Italicam accessit. An vero iterum sub imperium ditionemque Præfecti Illyrici subjuncta fuerit ante Theodosium juniorem, sub quo conscripta fuit *Notitia* dignitatum utriusque Imperii, neque negare, neque affirmare ausim.

Hoc

Hoc certe Notitia docet quinto ſeculo vergente Illyricum Occidentale partem ſecundam fuiſſe Præfecturæ Italicæ, quæ ex diœceſibus omnino tribus conſtabat, Italia, Illyrico, & Africa. Suus cuique præerat Vicarius, quem honoris cauſa titulo *Spectabilis* affici ſolebat; Vicario autem cuilibet totidem ſuberant magiſtratus minores, quot provincias diœceſis unaquæque complectebatur.

Sub Diſpoſitione Viri Illuſtris Præfecti Prætorio Italiæ diœceſes infraſcriptæ.

Italia, Illyricum, Africa.

Provinciæ Illyrici ſex. (a)

[a] *Pannonia* (b) *ſecunda*, (c) *Savia*, (d) *Dalmatiarum*, *Pannonia prima*, *Norici Mediterranei*, *Norici Ripenſis*.

a Sex. Rufus Pannoniæ utrique Valeriam adjecit, quæ ſeptima eſſet diœceſeos Illyricæ provincia; quin imo Jornandes duabus Pannoniis duas itidem Valerias ſubjunxit. Cum autem Valeria abſit a catalogo provinciarum Illyricarum, quas Notitia nominatim enumerat, pars Valeriæ ad Occaſum cum Pannonia prima, ſive ſuperiori, pars altera ad Orientem converſa cum Pannonia ſecunda, ſive inferiori, conjuncta fuerit neceſſe eſt. Neque enim illis aſſentior, qui exiſtimant per ea tempora Valeriam cum Imperii, tum Illyrici ditione exemptam ſub poteſtatem Barbarorum cecidiſſe; nam Valeriam adhuc juris fuiſſe imperii Romani, Illyricique, cum Theodoſius junior rerum potiebatur, illud eſt argumento, quod Auctor Notitiæ *ſub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis* provinciam Valeriam conſtituat. Cum enim ejus pars Aquilonaris ad ripam Danubii, limiteſque Imperii exporrecta eſſet, ad eam tuendam, Barbaroſque arcendos, Ducem cum præſidiis eidem imponi oportuit. Quare Valeria in iis, quæ ad jus militare pertinent, ſuo & proprio Duci ſuberat; in iis vero, quæ ad jus ac regimen civile referuntur, partim Pannoniæ primæ, partim Pannoniæ ſecundæ magiſtratibus ſubjacebat.

b Pannonia utraque primum Proconſularis fuit: Pannonias quippe Severus is, qui poſtea Auguſtus fuit, proconſulari imperio rexit, ut ſcribit Spartianus; deinde ſecunda in ordinem Conſularium redacta eſt; eique ſub Conſtantio Africanus, mox Elpidius jure ac titulo conſulari præfuit. Elpidio autem, imperante Juliano, ſuffectus eſt in regimen conſulare Sex. Aurelius Victor, cui Magiſtratu abeunti Fortunatum ſubrogavit Valentinianus Imperator. Ex Ammiano Marcellino lib. 17. Pannonia autem ſecunda jus nomenque provinciæ conſularis ſub Theodoſio juniore retinebat, & *Viro Clariſſimo conſulari* gubernanda tradebatur. At Pannonia prima quinto ſæculo, item Noricum utrumque earum provinciarum numerum obtinebant, quarum procuratio *Præſidibus Clariſſimis* committi ſolebat. Metropolis Pannoniæ primæ erat Sabaria, civitas olim frequens ac nobilis, in qua ærarium ex pecunia vectigali totius provinciæ ſub *Præpoſito Theſaurorum Sabarienſium* aſſervabatur.

c Hanc provinciam inter Dravum & Savum qui regebat, is *Vir Clariſſimus Corrector* appellatus eſt; ejus ſedes affixa erat Siſciæ, in urbe ad Savum totius regionis primaria. Hic duo præterea magiſtratus adjuncti, *Præpoſitus theſaurorum Siſcianorum*, *& Procurator monetæ Siſcianæ*: alter pecuniæ exigendæ, atque in publicos ſumptus erogandæ, alter pecuniæ Siſcianæ cudendæ ac ſignandæ præerat.

d Dalmatias ſæpe apud Antiquos dictas invenies ad declarandam hujus provinciæ ex multis regionibus conflatæ magnitudinem. Nam Japydiam, Liburniam, Dalmatiam propriam, & Illyricum proprium inter Alpes ac mare; ultra vero Alpes quidquid antea juris fuerat nominiſque Pannonici uſque ad Savum, Cæſar Octavianus Auguſtus ſub vocabulo Dalmatiæ conjunxit, ut poſtea dicetur. Huic provinciæ qui præerat, nomen *Præſidis*, titulum *Perfectiſſimi* gerebat.

In hac diœceſi Illyrica prætor Ducem Valeriæ duo alii duces ad tuendos imperii Romani limites idoneo militum numero conſtitui ſolebant; quorum alter Saviæ & Pannoniæ ſecundæ, alter Pannoniæ primæ contra Barbarorum incurſiones præſidio eſſet. Nam etiam Savia Danubio adjacens ab Oriente expoſita erat hoſtibus Romanorum, ideſt Dacis ſive Jazygibus Metanaſtis. Hi duces cognominati erant *Limitanei* a limitibus imperii tuendis. Hæc omnia ex Notitia Dignitatum utriuſque imperii.

Quæ hactenus ſcripſimus, eo potiſſimum pertinent, ut intelligi poſſit, quemadmodum nomen Illyrici ab exiguis ductum initiis paullatim dilatari cœperit, & alias atque alias regiones appetendo, in eam demum magnitudinem creverit, ut ab Occaſu uſque ad Rhenum, a Septemtrione ad Danubium, ultraque etiam ad ipſos montes Carpates, ab Oriente ad Pontum Euxinum, a Meridie ad mare Mediterraneum ſuos fines propagaverit. Facturum autem me operæ pretium arbitror, ſi quæ de incrementis nominis Illyrici, adjectiſque eidem regionibus diſperſe & diffuſe multis locis dicta ſunt, rerumque aliarum narrationibus permixta, breviter atque ordine in unum locum contraxerim, & omnium ſimul collectorum epitomem quamdam ſub uno aſpectu ſubjecerim. Primum igitur Pelaſgi parentes conditoreſque Illyricæ gentis, Illyrico primigenio ac proprio, Drilonem inter Naronemque incluſo, addiderunt regionem illam, quæ ab Narone in Occaſum uſque ad Titium porrigitur. Poſt exactos Pelaſgos, Liburni rerum potiti cum eſſent, nomen quidem genuſque Liburnicum longe lateque propagarunt; an vero aliquid ad Illyrici nominis incrementum addiderint, mihi ſane incompertum eſt. Sub imperio Regum Celtarum utrinque auctum eſt Illyricum; ab Ortu & Meridie uſque ad montes Acroceraunios jus ſuum ditionemque protulit; ab Occaſu eidem acceſſit Liburnia, Japydia, Iſtria, Carnia. Ac Celtæ quidem regni Illyrici fines in ipſam Macedoniam extenderant; ſed Philippus parens Alexandri Magni quidquid terrarum per Illyrios detractum fuerat, regno Macedonum reſtituit, Illyriis decedere, intraque priſtinos terminos ſe recipere coactis. At cum Romani Illyricum, ſtabili ac firma poſſeſſione adepti hinc ſibi ad regiones ulteriores viam aditumque aperuiſſent, imperium Romanum pariter atq; Illyricum iiſdem fere gradibus in Septemtrionem atque Orientem protendi cœpit; Romanique Imperatores quidquid terrarum in illis partibus ad Aquilonem Soliſque ortum vergentibus imperio acquirebant, id omne ad nomen juſque Illyricum adjungere ſolebant. Itaque Tiberius Rhætos, Noricos, Pannonios, & Mæſios; Veſpaſianus Thraces; Trajanus Dacos ultra Danubium Illyrico adſcripſit. Quarto autem ſæculo jam inito Conſtantinus Magnus Illyrico adjecit nobiliſſimas, florentiſſimaſque ad Meridiem provincias, quæ jamdudum juris erant, imperiique Romani, Macedoniam, Theſſaliam, Epirum utramque, Græciam univerſam, & Cretam, inſulaſque omnes, quæ hiſce regionibus proxime circumjacent. Hæc Illyrici

Quas regiones Pelaſgi, quas Celtæ, quas Romani addiderint Illyrico.

Digitized by Google

rici nominis longe lateque diffusi propagatio; nunc vero breviter declarare oportet, quemadmodum res Illyrica detractione provinciarum imminui contrahique cœperit, ac demum in eas compulsa fuerit regiones, quibus Illyricum hodiernum definitur. Porro Illyricum, ut paullatim accessione crevit, sic paullatim decessione provinciarum decrevit; & quemadmodum Illyrici nominis incrementa notatione temporum distinximus, ita in explicandis ejusdem diminutionibus, temporum gradus, quoad ejus fieri potest, distingui servarique oportebit.

§. II.

Regiones avulsæ ab Illyrico. Illyricum diminutum.

Ab Illyrico disjunctæ Epirus nova, Istria & Carnia, cum Dacia antiqua.

PRimum igitur regio illa, quæ Driloni & montibus Acrocerauniis interjacet, cum in Romanorum potestatem veniisset, sæculo proximo ante Christianam epocham, idest anno circiter 78. Illyrico adempta in jus nomenque Macedoniæ migravit. Verum hanc eamdem regionem sub vocabulo Epiri novæ cum Illyrico iterum Constantinus Magnus conjunxit. Cæsar Octavianus Augustus cum Italiam in undecim regiones distribuit, Istriam Carniamque ab Illyrico divulsam in decimam Italiæ regionem conjecit an. ante Chr. 29. Illyricum hac duplici detractione utrinque imminutum, qua vergit ad mare, fines suos ab Occasu intra flumen Arsiam, ab Ortu & Meridie intra Drilonem contraxit. Daciam veterem trans Danubium, quam Trajanus Imperio & Illyrico adjecerat, Illyricum amisit, cum eam Aurelianus, detractis indidem Romanorum præsidiis & coloniis, tertii sæculi in exitum vergentis anno 74. potestati Barbarorum permisit. Tum vero Illyricum pro una amissa duplicem novam Daciam citra Danubium Ripensem, & Mediterraneam recepit; sed Dacia nova, cum ex intermediis Mesiæ Illyricæ spatiis Illyrico accreverit, ad fines Illyricos nullam attulit terrarum accessionem.

Data utraque Rhætia, Thracia, & Mysia inferior.

De possessione Rhætiarum decessit Illyricum vel ante imperium Constantini, vel ipsomet imperante, & jubente Constantino, qui quatuor Præfectis Prætorio creatis, & suas cuique provincias attribuit, & novam Romani orbis descriptionem ac formam invexit. Per ea siquidem tempora cum Alpibus Cottiis utraque Rhætia Italiæ conjuncta est, Italicosque magistratus ac leges subire jussa. Etenim neque Rufus, neque Zosimus, neque alii horum ætati suppares Illyricis provinciis Rhætiam annumerant. Thraciam cum Mæsia inferiori ab Illyrico divulsit Constantinus Magnus, eamque Præfecto urbis Constantinopolitanæ proxime subjectam ad Præfecturam Prætorianam Orientis omnium supremam anno 325. adscripsit.

Noricum disjunctum ab Illyrico a Gothis.

Noricum utrumque, ut Imperio, sic Illyrico Occidentali primum a Gothis ineunte sexto sæculo, deinde a Francis ademptum fuisse existimo. Procopius inter populos Theodorico Gothorum regi subjectos etiam Noricos annumerat. Quemadmodum autem Norici ab Gothis ad Francos transierint, paucis expediam. Intra finem quinti sæculi Chlodoveus Alemannis subactis, Francici regni fines ultra Rhenum longe lateque protulerat, Theodoricum Chlodovei filium, qui parenti in regnum successit, anno undecimo sexti sæculi leges dedisse non solum *Alemannis*, sed etiam *Bajuvariis* ex Historia Francorum docet Marcus Hansizius in Germ. sac. tom. 1. cap. 17. qui præterea tradit Bajuvarios, idest Bojos, inde usque ab imperio Augusti ex Bojohæmo a Marcomannis expulsos, per ea tempora incoluisse Vindelicium, seu Rhætiam secundam Norico finitimam, ex quo efficitur Bojos in ditione fuisse ac potestate Theodorici regis Francorum; neque enim leges nisi subjectis gentibus ac provinciis imponi possunt. Haud vero difficile fuit Theodorico, aut ejus filio Theodeberto e proxima Rhætia in Noricum arma copiasque victrices inferre, eamque provinciam ad suum imperium adjungere, præsertim post interitum Theodorici Gothorum regis, qui cum Francos ingenti clade affecisset, amplius triginta millibus in acie cæsis, ut Cassiodorus & Jornandes tradunt, Galliamque Narbonensem, Procopio in lib. 1. Goth. teste, eisdem eripuisset, unus omnino erat, cujus virtute ac fortuna progressiones victoriæque Francorum retardari possent. Eo igitur sublato res Gothorum fluere, deterioresque in dies fieri cœperant, Justiniano Orientis Augusto in earum eversionem totis viribus incumbente. Itaque nisi antea Theodoricus Chlodovei filius Noricum in suam potestatem redegerat, certe Theodebertus Theodorici filius, Gothis bello Italico distentis, quod cum Justiniano gerebant, tum Noricum eripuit, cum eisdem, auctore Procopio lib. 4. Goth. cap. 24. Alpes Cottias, Liguriæ, Venetiæque partem ademit: *Paullo ante* (idest anno 547.) *Francorum rex Theodebertus morbo obierat, cum sibi nullo negotio tributaria fecisset nonnulla Liguriæ loca, Alpes Cottias, egrique Veneti partem maximam. Etenim Franci arrepta occasione belli, quo Romani Gothique erant impliciti, opportunitate, sine discrimine ditionem suam iis locis auxerant, de quibus illi pugnabant.* Noricos jam inde ab ætate Justiniani Francorum imperio obnoxios fuisse confirmat epistola illa, quam ex Synodo Istriensi anno 591. ad Mauritium Imperatorem dederunt Episcopi provinciæ Aquilejensis; in extrema autem epistola de Archiepiscopis Galliarum sibi finitimis graviter queruntur; quippe eos imminere ajunt in omnem occasionem invadendi in Ecclesias metropolis Aquilejensis, & earum Episcopos consecrandi jus potestatemque intervertere, sibique vindicare conari: tres Ecclesias jampridem ab ea distraxisse, videlicet *Tiburniensem*, *Beconensem*, *Augustanam* (quarum prima sine controversia ad Noricum pertinebat; de reliquis duabus ambigunt eruditi) & alias porro distracturos fuisse, nisi Justinianus Imperator eorum conatibus obstitisset. Justinianus enim, ut hunc locum interpretatur Joannes Georgius ab Eckart in Comment. de Rebus Franciæ Orient. l. 5. §. 36. Francis possessionem Vindeliciæ & Norici sub ea conditione firmam esse jussit, & ratam habuit, ut ne ultra Rhætiam Noricumque ditionem protenderent; cum enim, ut Procopio auctore supra diximus, Franci in Venetiam usque imperium protulissent, periculum erat, ne ipsas quoque Venetiæ Ecclesias Metropolitæ Aquilejensi subjectas Archiepiscopi Gallorum invaderent; ex quo magna distractio, totiusque Aquilejensis provinciæ dissolutio sequeretur, necesse fuisset: id quod sibi tunc metuendum esse ajebant Aquilejenses Episcopi, nisi Mauritius opem ferret; *Galliarum Archiepiscopi vicini sunt*, inquiunt; *si quem de nostris defungi contigerit, ad ipsorum fine dubio ordinationem occurrent; & sic dissolvetur Metropolitana Aquilejensis Ecclesia sub vestro imperio constituta*: *quod ante annos jam fieri cœperat, & in tribus Ecclesiis nostri Concilii, idest Beconensi, Tiburniensi, & Augustana Galliarum Episcopi constituerunt Sacerdotes; & nisi ejusdem tunc divæ memoriæ Justiniani principis jussione*

Et translatum ad ditionem Francorum.

commotio partium noſtrarum remota fuiſſet, pro noſtris iniquitatibus pene omnes eccleſias ad Aquilejenſium ſynodum pertinentes, Galliarum Sacerdotes pervaſerant. Archiepiſcopi Galliarum neque tres illas eccleſias Noricas occupaſſent, neque in alias longius disjunctas jus ſuum ditionemque proferre conati eſſent, opinor, niſi tum Franci Noricum in ſua poteſtate habuiſſent, juſque uſurpatum Epiſcopi illi regum ſuorum auctoritate atque armis tueri potuiſſent. Itaque Noricum ſeculo quinto exeunte divulſum ab Illyrico, primum quidem Gotthorum, deinde ſæculo inſequenti Francorum dominatum ſubivit. Quapropter in nova illa Illyrici deſcriptione, quam Juſtinianus conſtituit, ſuoque diplomate ſancivit anno Chriſti 535. Beliſario viro clariſſimo Conſule, ut mox dicemus, ab Illyricis provinciis Noricum abeſt: Juſtinianus quippe, ut Georgius ab Eckart haud acutius, quam ſapientius conjecit, Francis Noricum Gothis ereptum ita permiſit, ut neque civilem, neque eccleſiaſticam juriſdictionem extra fines ſibi præſcriptos extenderent. Utrumque autem Noricum poſt aliquot ætates in jus nomenque Germaniæ migravit; & nunc Ripenſe quidem partim Bavariæ, partim Auſtriæ finibus continetur; mediterraneum vero Styriam fere totam & Carinthiam cum parte Tyrolis itemque Carniolæ complectitur.

Dioeceſeos Macedonicæ ſejunctæ ab Illyrico detractionem ad Juſtinianum referendam cenſeo, qui anno Chriſti 527. imperium obtinuit. Erat is oriundus ex Dardania, natus in oppidulo hujus provinciæ, quod Procopius Taureſium, Agathias Bederianam, Nicephorus Achridon vocant. *Apud Dardanos Europæos, qui poſt Epidamniorum terminos habitant, caſtello, cui nomen Bederiana, vicinum erat Taureſium, ubi natus eſt Orbis reparator Juſtinianus Auguſtus.* Procopius lib. 4. de ædif. Juſtin. *Patria Juſtiniano Illyrica, civitas Bederiana vetuſto nomine dicta, deinde prima Juſtiniana nominata.* Agathias lib. 5. *Patriæ ſuæ Achrido præcipuum honorem habuit Juſtinianus. . . . Achridum urbs in excelſo tumulo eſt conſtructa prope lacum Lychnedum: antiquitus Daſſarites vocatus.* Nicephorus lib. 17. Et cum Procopio quidem facile Agathiam conciliaveris; hic enim Bederianam urbem vocat patriam Juſtiniani, propterea quod locus, in quo natus eſt, in agro ejus urbis eſſet, ad ejuſdemque urbis juriſdictionem pertineret; ille vero locum ipſum ſuburbanum, in quo Juſtinianus genitus eſt, nominatim deſignavit, cui ſcilicet nomen fuit Taureſio, eratque is τὸ χωρίον, ut Procopius vocat, ſeu vicus intra fines agri Bederianæ circumjecti, idemque ab urbe proximus. At longius a Procopio diſcrepare videtur Nicephorus, qui patriam Juſtiniani, cum ſtatuerit in urbe Achrido prope lacum Lychnedum, e Dardania in Epirum novam tranſtulit. Sed cum Dardania finitima eſſet Epiro, & fortaſſis ætate Procopii Scardum montem transgreſſa in ipſam Epirum novam fines ſuos, nomenque protulerat, idcirco Procopius patriam Juſtiniani Dardanis adſcripſit. Cæterum idem Procopius tria loca inter ſe proxima diſtinxit, Taureſium natale ipſum Juſtiniani ſolum, urbem prope ab Taureſio magnificentiſſime conditam, quę dicta eſt Juſtiniana prima, ac denique Bederianam, quam ipſemet Juſtinianus reædificavit a fundamentis, & firmiſſimis mœnibus ſepſit, ac propugnaculis communivit. Cum vero tria hęc loca modico intervallo disjuncta ſint, ſolum illud angustis finibus circumſcriptum, in quo continentur, merito dici poteſt ſolum natale Juſtiniani, & unumquodque illorum locorum Juſtiniani patria communiter ac promiſcue appellari. Urbem illam, quam Procopius inter Bederianam & Taureſium locat, quæque dicta fuit ab ejus conditore Juſtiniana prima, non ſolum Nicephorus, ſed omnes fere poſteriorum ętatum ſcriptores Achridon, ſive Achridam nominant, ejuſque poſitio ab Nicephoro deſcripta ſatis declarat eſſe vel ipſam illam urbem, vel exſtructam in eodem ſolo urbis illius, quam propter lacum cognominem ſitam Livius Dec. 3. lib. 7. *Lychnidum Daſſaretiorum*, & Stephanus *Lychnidum Illyridis* oppidum vocant, eratque ante Juſtinianum civitas Epiſcopalis. Porro Juſtinianus patriæ ſuæ augendæ, ornandæque mire cupidus, primo locum ipſum, in quo natus fuerat, ideſt Taureſium, *mœnibus quadratis circumdedit*, ait Procopius, *ſinguliſque angulis turri impoſita, effecit, ut Tetrapyrgia, ſeu Quadriturrita reipſa eſſet ac diceretur.* Deinde huic oppido urbem ampliſſimam a fundamentis exſtructam adjecit fere ibidem loci, ubi erat Lychnidus civitas pervetus ad lacum cognominem ſita; quæ quidem nova urbs pulchritudine tectorum ac frequentia, opibus ac divitiis, civium & incolarum numero cum præcipuis imperii Romani civitatibus haud immerito conferri poterat. Atque hanc ſuo nomine appellari voluit Juſtinianam primam. De hac Procopius: *Juxta eumdem locum* (Taureſium) *urbem condidit nobiliſſimam, ac Juſtinianam primam latino vocabulo appellavit, nutricationis mercedem altrici ſolvens. Quamquam Romanos decebat communi ſtudio præſtare iſtud officium, cum regio illa communem omnium ſervatorem aluerit. Exſtructo ibidem aquæductu benigna aquarum perennitate civitatem inſtruxit, aliaque permulta urbis conditori glorioſa & præclara admodum fecit. Nec promptum eſt Deo dicatas ædes enumerare, nec noſtræ facultatis deſcribere, magiſtratuum domos, porticuum amplitudinem, platearum decus, fontes, compita, balneas, rerum fora venalium. Ut paucis abſolvam, urbs eſt magna, frequens, rebus omnibus beata, ac jure metropolis univerſæ provinciæ; adtantam quippe dignitatem evecta eſt. Præterea ſedes eſt Archiepiſcopi Illyriorum, cæteris civitatibus ipſi, utpote omnium maxime concedentibus, adeout honorem Principi & gloriam referat. Nam illa quidem ſeſe jactat alumno Imperatore; hic vero, grata vice, urbe condita gloriatur.* Poſtremo Juſtinianus cogitationem utramque convertit ad ornandam muniendamque urbem Bederianam, cujus in agro vicoque ſuburbano ipſe in lucem editus fuerat. *Ad hæc*, inquit Procopius, *caſtellum Bederianam reædificavit a fundamento, ac multo melius communivit.* Ita quidquid Juſtinianus tribus hiſce locis ſive condendis, ſive ornandis amplificandiſque fecit, decrevitque, id omne ad patriæ ſuæ ſolique natalis gloriam & amplitudinem augendam referebat.

Jam vero poſt Juſtinianam primam conditam ornatamque, quando eam totius imperii caput conſtituere non poterat, certe quod proximum fuit, egregie præſtitit, ut ampliſſimis quibuſque privilegiis, honorumque titulis atque inſignibus eamdem angeret. Itaque ab urbe Theſſalonica, quæ fuerat Macedonicę diœceſeos, ac totius Orientalis Illyrici civitas primaria ac metropolis, tum Præfecturam Prætorianam Illyricam, tum Primatum Eccleſiaſticum, & quidquid juris dignitatiſque ſeu civilis, ſeu hierarchicæ ex clade Sirmienſi Theſſalonicæ accreverat, ad Juſtinianam primam tranſtulit. Sirmio quidem urbe Pannoniæ inferioris nobiliſſima ac totius Illyrici Occidentalis metropoli, per Attilam everſa anno Chriſti circiter 441. ſumma urbis & eccleſiæ Sirmienſis dignitas ac pote-

Dioceſim Macedonicam Illyrico detraxit Juſtinianus.

De patria Juſtiniani diſſidentes Scriptores conciliantur.

Juſtinianus patriæ ſuæ augendæ ornandæque ſtudioſus.

Præfecturam Illyricam, & Primatum Eccleſiaſticum tranſtulit ad Juſtinianam primam ex variis Illyricis provinciis.

poteſtas tum politica, tum eccleſiaſtica Theſſalonicam migravit; & Præfectus Prætorio Illyrici Orientalis, qui Theſſalonicæ ſedem habebat, in jus poteſtatemque fere omnem ſucceſſit Vicarii Sirmienſis, cui ſuberat diœceſis Illyrici Occidentalis ad Præfecturam Prætorianam Italicam adnexa; Sirmienſis autem Sacerdotii Exarchalis dignitas & auctoritas ad Epiſcopum & Primatem Theſſalonicenſem devoluta eſt. Ita Illyricum fere omne, quod Conſtantinus integrum ſolidumque uni Præfecto Prætoriano Sirmienſi ſubjecerat, Arcadius vero & Honorius in duas Præfecturas diſtraxerant, Theodoſio juniore, ac Valentiniano III. imperantibus poſt calamitatem Sirmienſem ſub uno iterum Præfecto in unum coaluit. *Cum in antiquis temporibus*, ait Juſtinianus Conſtitut. Novella XI. *Firmii præfectura fuerit conſtituta, ibique omne fuerit Illyrici faſtigium tam in civilibus, quam epiſcopalibus cauſis; poſtea autem Attilanis temporibus eiſdem locis devaſtatis Apennius Præfectus Prætorio de Firmitana civitate in Theſſalonicam profugus venerat, tunc ipſam Præfecturam Sacerdotalis honor ſecutus eſt; & Theſſalonicenſis eccleſia non ſua auctoritate, ſed ſub umbra Præfecturæ meruit aliquam prærogativam.* Firmum in locum Sirmii etiam apud Jornandem, alioſque Scriptores librariorum inſcitia, vel incogitantia invexit. Si Juſtinianus illa tempora antiqua deſignare voluit, quæ imperium Arcadii & Honorii anteceſſerant, haud equidem negaverim Præfecturam Prætorianam totius Illyrici auctore Conſtantino inſtitutam, Sirmio affixam fuiſſe; at poſtquam Illyricum bifariam diviſum eſt, parſque illius Occidentalis Præfecto Prætorio Italiæ attributa, non Præfecti Prætoriani, ſed Vicarii diœceſeos Illyricæ ſedes urbi Sirmienſi affixa fuit. Quare Apennius ille, qui cum apud Sirmium ſedem haberet, poſt cladem Attilanam, ſe recepit Theſſalonicam, non Præfectus Prætorio, ſed hujus Vicarius fuerit, oportet. Præterea Juſtinianus, ne injuriam Theſſalonicæ irrogare videatur, tum priſtinam ejus dignitatem elevat, tum profitetur nihil ei ſe auferre, quod eidem ex everſione ruinaque urbis Sirmienſis non accreverit. Cæterum ante Sirmium exciſum ſumma dignitas erat & amplitudo Theſſalonicæ, quippe cum Metropolis eſſet ac faſtigium totius Illyrici Orientalis, quod ex duabus diœceſibus, & undecim provinciis conſtabat; nec ſolum Theſſalonicæ, quas indepta fuerat provincias e diœceſi Illyrica Sirmienſi, ſed integram præterea Dacicam diœceſim, & partem aliquam Macedonicæ diœceſeos detraxit. Has itaque provincias partim e Sirmienſi diœceſi, partim e Præfectura Prætoriana Theſſalonicenſi avulſas ad Juſtinianam primam revocavit, Pannoniam, Saviam, & Dalmatiam, Daciam, Mœſiam, Epirum novam, Prævalitanam, & partem Macedoniæ; in eamdemque urbem ſummi Magiſtratus, Præfectique Illyrici ſedem tranſtulit. In has vero provincias non civilem ſolum, ſed etiam eccleſiaſticum Illyrici dominatum Theſſalonicæ ademptum Juſtinianæ primæ adjudicavit; quippe cum hujus civitatis Epiſcopum, non modo Metropolitani, ſed etiam, ut ipſe vocat, Archiepiſcopi, ideſt Primatis, ſediſque Apoſtolicæ Vicarii jure ac titulo donandum curaverit per Vigilium Pontificem maximum, ſine cujus auctoritate nova illa juris eccleſiaſtici deſcriptio, & translatio neque fieri, neque rata eſſe poterat. *Juſtinianam primam*, inquit Pancirolus Com. in Not. *mirifice exornatam auxit, forma quadrangulari, ac mœnibus exſtructis munitiſſimis turribus in angulis cingens; & eam Præfecti Illyrici ſedem eſſe voluit, ut Illyricum Sacrum, ait Procopius; eidem Archiepiſcopum dedit Primatem Epiſcoporum Daciæ &c.*

Sed ex ipſa illa Novella Conſtitutione XI. Beliſario V. C. Conſule, ideſt anno Chriſti 535. data *ad A. Catellinum virum beatiſſimum Archiepiſcopum primæ Juſtinianæ* nonnulla hic deſcribenda ſunt, quæ ſubjectis notis explicari illuſtrarique oportet. Proœmium eſt hujuſmodi: *Multis & variis modis noſtram patriam augere cupientes, in qua primo Deus præſtitit nobis ad hunc mundum, quem ipſe condidit, venire, & circa Sacerdotalem cenſuram eam volumus maximis incrementis ampliare, ut primæ* (a) *Juſtinianæ patriæ noſtræ pro tempore ſacroſanctus Antiſtes, non ſolum Metropolitanus,* (b) *ſed etiam Archiepiſcopus fiat, & cæteræ* (c) *provinciæ ſub ejus ſint auctoritate, ideſt, tam* (d) *ipſa mediterranea Dacia, quam Dacia Ripenſis, necnon* (e) *Myſia ſecunda, Dardania, & Prævalitana provincia, & ſecunda* (f) *Macedonia, & pars etiam ſecundæ* (g) *Pannoniæ, quæ in Bacenſi eſt civitate. Cum enim in antiquis temporibus*, & cætera, quæ ſequuntur, quæque paullo ante deſcripſimus.

a b c d e f g

NOTÆ.

a *Primam Juſtinianam* vocat, ut eam diſtinguat ab cæteris urbibus, quas vel condidit, vel magnificentius reſtituit. Nam Conſtantiam urbem in inſula Cypro, patriam conjugis ſuæ Theodoræ Auguſtæ, *Juſtinianam novam* appellari juſſit, eamque ampliſſimis privilegiis ornavit; Ulpianam perantiquam Dardaniæ urbem magnificentiori opere cultuque reſtituit, refectis mœnibus ſemirutis, ac vetuſtate exeſis, eamque *Juſtinianam ſecundam* dici voluit. Ad hæc Carthaginem in Africa, & Chalcedonem in Bithynia ſuo nomine impertiit.

Plures Juſtinianæ a Juſtiniano conditæ, vel reſtitutæ.

b *Metropolitanus*, ſeu *Metropolita* & *Archiepiſcopus* vulgo idem ſignificant, eumdemque hierarchiæ eccleſiaſticæ gradum tenent. Sed Juſtinianus alterum ab altero vocabulum diſtinxit; & Archiepiſcopi nomine eum intelligi voluit, qui pluribus Metropolitis præeſſet, coſdemque dignitate ac poteſtate antecederet. Is plerumque vocari ſolebat *Primas, Exarchus, & Patriarcha*; cui etiam Romani Pontifices ſuas partes delegare in illis provinciis, quas habebant in ſua poteſtate, & nomen Vicarii legatique ſedis Apoſtolicæ impertiri conſueverunt. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis Orig. lib. 7. cap. 12. eamdem prorſus, quam Juſtinianus, notionem Archiepiſcopi vocabulo ſubjecit: *Archiepiſcopus græce dicitur ſummus Epiſcoporum. Tenet enim vicem Apoſtolicam, & præſidet tam Metropolitanis, quam Epiſcopis cæteris. Metropolitani autem ſingulis provinciis præeminent.* Cæterum Archiepiſcopo Juſtinianæ primæ nomen Patriarchæ attribuunt Curopalates, & Barlaamus; idemque inter Patriarchas ſuum nomen ſubſcripſit actis Synodi Trullanæ, ut Cardinalis Perronius docet; niſi forte illa ſubſcriptio referenda ſit ad Archiepiſcopum novæ Juſtinianopoleos ab ipſomet Juſtiniano conditæ in inſula Cypro, quæ civitas antea dicta fuit Conſtantia.

c In catalogum earum provinciarum, quas ſub imperio civili & eccleſiaſtico primæ Juſtinianæ ſubjunxit, neque Noricum, neque Pannoniam ſuperiorem ſeu primam, neque Valeriam, neque Dalmatiam annumerat, quæ cæteroquin ad diœceſim Illyrici Occidentalis, cujus caput erat Sirmium, pertinebant. Ac Noricum quidem Gotthi, ut diximus, & Franci ab Illyrico avulſerant, quod poſtea Germaniæ provinciis adſcribi cœpit. Pannonia autem prima, & Valeria longius aberant a Juſtiniana prima, quam ut populis ad hanc urbem facilis eſſet, juris petundi cauſa, commoduſque

Cur provinciæ aliquæ Illyrici Occid. non fuerint nominatæ in Novel. Juſt. aut non attributæ Præfecto Juſtinianæ primæ.

Digitized by Google

acceſſus; propinquitas enim locorum, & quæ hanc conſequitur, Metropolis adeundæ facilitas Juſtinianum impulit, ut eas, quæ propiores eſſent, provincias quodam quaſi nexu civili & eccleſiaſtico cum Juſtiniana prima copularet: *neceſſarium duximus ipſam glorioſiſſimam Prefecturam, que in Pannonia erat, in noſtra felicisſima patria collocare; cum nihil quidem magni diſtat a Dacia Mediterranea ſecunda Pannonia. Et quia homines ſemper bellicis ſudoribus inherentes non erat utile Reipublice ad primam Macedoniam poſt tot ſpatia, tantaſque difficultates venire, ideo neceſſarium nobis viſum eſt, ipſam Prefecturam ad ſuperiores partes trahere, ut juxta eam provincie conſtitute facilius ſentiant illius medicinam.* Atque id cauſæ arbitror, cur Juſtinianus non univerſam Pannoniam, quam vocat ſecundam, ſed ſolum ejus partem, quæ in meridiem vergebat, & propius aberat a Dardania, novæ Metropoleos imperio ſubjecerit; cum pars altera ad Danubium in Septemtrionem obverſa haud modico interjecto ſpatio diſtaret ab Dardania. Partem vero illam Pannoniæ ſecundæ ſive inferioris, quam Juſtinianus ad diæceſim ab ſe conditam adjunxit, Saviam ipſam fuiſſe arbitror, Dravo & Savo fluminibus interjectam, quæ nominatim cum non ſit expreſſa, haud dubie ſub eo vocabulo Pannoniæ ſecundæ comprehenditur. Nam Pannonia Savia, cum in ea ſitum eſſet Sirmium, præcipua quadam ratione ſuberat Præfecto ſeu Vicario Sirmienſi, cujus pleraque jura, quemadmodum refert Juſtinianus, poſt Sirmium exciſum Theſſalonicam devoluta, ipſe ad Præfectum Prætorio Juſtinianæ primæ revocavit; multo autem magis Saviam a Sirmienſi ad Theſſalonicenſem Præfectum antea translatam, metropolis ac diæceſeos Juſtinianopolitanæ finibus incluſit. Deinde id, quod volumus, effici, aut certe conjici poſſe videtur ex urbe illa, quam Juſtinianus commemorat in hac parte ſitam Pannoniæ ſecundæ: *& pars etiam Pannonie ſecunde, que in Bacenſi eſt civitate.* Bacenſis civitatis qui meminerit, præter Juſtinianum nullus eſt inter Scriptores veteres, ſive juniores. Mihi admodum veriſimile fit urbem Bacenſem eſſe illam ipſam Baſſianenſem, ſive Baſſianam urbem, quam Ptolemæus inter Sirmium & Murſam locat in hac Pannonia Savia, quam ab Septemtrione Dravus, ab Ortu Danubius, a Meridie Savus circumfluunt. Hæc autem diſtinguenda eſt ab altera Baſſiana, quam Auctor Itinerarii Antoniani inter Sabariam & Murſellam ultra Dravum in Pannoniam ſuperiorem conjecit. Marcus Hanziſius Germ. Sac. tom. 1. part. 1. cap. 12. itidem in Pannonia Savia conſtituit Bacenſem civitatem: *Quod ſi conſtaret, quenam ſit civitas illa Bacenſis, tum facile ſtatueretur de parte illa Pannonie, de qua Juſtinianus loquitur: forte Baſſianenſis eſt, aut alia Pannoniæ Saviæ civitas. Diſerte enim Juſtinianus eam ait nihil magni diſtare a Dacia Mediterranea. Perſeverat hodie nomen Epiſcopatus Bathienſis prope confluentem Dravi & Danubii, nec longe inde ad ripam orientalem Danubii oppidum Bacz.* Itaque pars illa Pannoniæ ſecundæ ad Saviam pertinebat, quam Juſtinianus cum ſua diæceſi Juſtinianopolitana conjunxit. Quamvis autem tota Pannonia Savia inter Dravum & Savum in jus ditionemque Præfecti & Archiepiſcopi Juſtinianopolitani migraverit, huic tamen Juſtinianus idcirco partem tantummodo Pannonie ſecundæ, ideſt inferioris, ſe attribuere ait, quia ejus altera pars erat ultra Dravum, in Septemtrionem uſque ad Danubium producta, quam neque Prefecto, neque Archiepiſcopo ſeu Primati Juſtinianopolitano ſubjecit. Cæterum Pannonia Savia non ſolum partem ſecundæ, ſive inferioris, ſed etiam partem primæ, ſive ſuperioris Pannoniæ cis Dravum complectebatur. Præterea cum ab nova diæceſi Noricum utrumque, Pannoniam primam, ſive ſuperiorem ultra Dravum, Valeriam, partemque Aquilonarem ſecundæ Pannoniæ ſecluſerit, ſi Saviam quoque ademit, ex ditione Vicarii Sirmienſis propemodum nihil Juſtinianæ primæ adjecit, præter Dalmatiam, de qua nullam itidem mentionem factam invenio in undecima illa Novella conſtitutione. Dalmatia autem in iis, quæ ad jus regimenque politicum ſpectant, nullus dubito, quin fuerit ſubjecta Præfecto Prætoriano Juſtinianæ primæ; ſed ab juriſdictione Archiepiſcopi ſeu Primatis Juſtinianopolitani immunem omnino, atque exemptam fuiſſe arbitror. Primates, ſive Exarchi Patriarchatus Occidentis erant itidem Vicarii ſedis Apoſtolicæ. Cum enim provinciæ, quibus ii præerant, ab urbe longe terrarum abeſſent, Pontifex Romanus ſuas illis vices, ſuamque auctoritatem impertiri ſolebat ad quaslibet controverſias dirimendas, ſublato jure appellandi ad ſummum Pontificem, ad quem ob diſtantiam locorum difficilis fuiſſet acceſſus: excipiebantur tamen *Majores Cauſæ*, ut Canones vocant, de quibus ad ſedem Romanam referri oportebat. Porro cum ab Italia proxime abeſſet Dalmatia, & hinc haud ita longo difficilique ſeu terreſtri, ſeu maritimo itinere Roma adiri poſſet, nihil cauſæ erat, cur Pontifices Romani eccleſias Dalmatiæ ab ſua primatiali juriſdictione eximerent, ſuiſque Vicariis Apoſtolicis apud Illyrios conſtitutis ſubjicerent. Quapropter Dalmaticas eccleſias, eorumque Epiſcopos neque antea Sirmienſi, neque poſtea Theſſalonicenſi, ſive Juſtinianopolitano Primatibus, ſediſque Apoſtolicæ Vicariis obnoxios fuiſſe arbitror; ſed eiſdem ſemper non oecumenica ſolum, ſed etiam patriarchali & primatiali poteſtate ſummum totius eccleſiæ hierarcham præfuiſſe cenſeo; & quamvis prioribus ſeculis Spalatenſis Antiſtes honoris cauſa titulum Primatis obtinuerit, huic tamen titulo aut fere nulla ſubeſt poteſtas Metropolitica major; aut ſi qua ſubjecta eſt, limitibus admodum exiguis circumſcribitur. Hinc afferri poteſt ratio, cur provinciis Juſtinianæ primæ Dalmatia non adjiciatur. In ea ſiquidem Novella non ad Præfectum, ſed ad Archiepiſcopum urbis data, Juſtinianus non tam civiles, quam eccleſiaſticas provincias nominatim percenſuit, quas ex auctoritate ſedis Apoſtolicæ in ditionem poteſtatemque tranſtulerat Archiepiſcopi, ſive Primatis Juſtinianæ primæ: in his autem, cum Dalmatia locum nullum obtineret, eam a Juſtiniano commemorari non oportebat.

d Mælia ſuperior, ſeu prima deſideratur, quæ cum interjecta eſſet Pannoniæ ſecundæ, ſive Savię, & Daciæ Ripenſi, haud dubie ex decreto Juſtiniani ad jus ditionemque acceſſerat Juſtinianæ primæ; ſed propterea fortaſſis ſilentio prætermiſſa eſt, quod tum hæc regio fortaſſe cum Dacia Ripenſi, vel Mediterranea unam ſolummodo provinciam eccleſiaſticam componeret.

e Myſiam ſecundam, quam Conſtantinus ab Illyrico divulſerat, Juſtinianus provinciis & eccleſiis Illyricis reſtituit, cum illam Archiepiſcopo & Præfecto Juſtinianopolitano ſubjecit. Hæc deinde inter provincias Illyricas ſemper locum retinuit, hodieque retinet. Nunc Bulgaria dicitur, vocabulo a Bulgaris accepto, qui octavo ſæculo, qua tempeſtate, ut dixit Gregoras, Iconomachorum impietas pios Chriſti divorumque cultores

exa-

Eadem Novella XI.

Pannonia ſecunda eadem ac Savia.

In qua eſt civitas Bacenſis.

Cur Dalmatia non eſt nomi nata?

Myſia ſuperior.

Myſia inferior.

Digitized by Google

exagitabat, in Macedoniam, atque Illyricum effusi, Justinianam primam occuparunt, quæ tum primum fortassis Bulgarico sermone Ochrida, sive Achrida vocari cœpit; ibique regni sui, ac Sacerdotii sedem primariam collocarunt. Exinde Justiniana prima appellata est Metropolis Bulgariæ, qua quidem appellatione afficitur apud Gregoram, & Codinum. *Tum locustarum more, aut fulminis instar*, ait Nicephorus Gregoras lib. 2. *Macedoniam cum ulteriore Illyria occupant oblatis ibi commodis contenti; ac regia sedes eorum deinceps urbs ea esse cœpit, quam Justinianus Imperator Archiepiscopatus honore, primæque, ut diximus, Justinianæ nomine ornavit. Post appellationem gentis illic vulgata, locus ipse Bulgariæ dictus est, & Bulgariæ quoque Metropolis prima Justiniana.* Nec dubitari potest, quin Bulgari sæculo proximo, idest nono, quod a Nicolao I. Pontifice Maximo petierant, impetraverint, ut scilicet Episcopo gentis suæ eamdem potestatem, eademque honoris insignia, quibus antea præditus fuerat Episcopus Justinianopolitanus, una cum Primatis sive etiam Patriarchæ nomine conferret. Id sine ulla dubitatione affirmat Ludovicus Thomassinus part. 1. lib. 1. c. 23. *Ad Bulgarorum tandem Patriarcham redeo, cui Nicolaus I. concessit, ut splendido hoc nomine abuteretur pompa majore, quam re & potestate, cum non alii, quam Patriarchæ veteres parem nomini auctoritatem consecuti unquam sint. Metropolis Bulgarorum illa ipsa erat Justiniana prima, in quam Justinianus Imperator congesserat quanta maxima potuerat auctoritatis ornamenta; præ cæteris autem vices Apostolicæ sedis, idest Exarchatum, sive Primatiam.* Sæculo undecimo ineunte Bulgaros multis prœliis attritos & fractos universa Macedonia, & Justiniana sive Achrida ejecit Basilius Imperator, cui propterea cognomen fuit Bulgaroctono. His regionibus expulsos in Mœsiam inferiorem ultra Istrum idem Basilius transtulit; & Mœsia inferior citra Danubium, quæ nomen Bulgariæ jampridem a Bulgaris acceptum retinuit, hodieque retinet, in jus rediit potestatemque Imperatorum Orientis, qui hanc provinciam per suos Duces iterum administrare cœperunt: *Interfecto autem tempore*, ait Gregoras, *Basilius Imperator, cognomento Bulgaroctonus, hos post multa prœlia penitus attrivit & subegit; ac eos, qui superfuerant, inde exterminatos in Mysiam inferiorem ad Istrum transtulit.* Bulgaris autem discedentibus, alioque translatis, Achrida dignitatem suam retinuit, suumque Primatum ecclesiasticum, & uti antea, dicta est post ejus gentis discessum *Metropolis Bulgarorum*; id quod Gregoras his verbis significare voluit: *Nomen tamen, velut aliud quoddam eorum monumentum in Archiepiscopatu hæsit*: & sæculo duodecimo, Isacio Angelo imperante, cum Bulgari, recuperata Bulgaria citra Danubium, regno Bulgarico ibidem restituto, Ternobii sedem principatus & Sacerdotii Bulgarici collocassent, Episcopus Ternobiensis fuberat Archiepiscopo Achridano. At sæculo decimotertio ineunte, Innocentius III. Romanus Pontifex, ut Bulgarorum postulatis morem gereret, eosque arctius cum Latinis tum Constantinopoli rerum potientibus conjungeret, Episcopum Ternobiensem jurisdictione Achridani Exarchi exemptum, Patriarchæ, seu Primatis titulo, insignibus, ac potestate donavit. *Tunc Ternobii Episcopus liberam jurisdictionem in perpetuum impetrat* (ab Innocentio III. cujus rei testes sunt litteræ hujus Pontificis ad Archiepiscopum Trinovien sem) *cum ad id usque tempus primæ Justinianæ Archiepiscopo propter veterem illius gentis cognationem parvisset.* Nicephorus Gregoras lib. 2. Nec vero si Mœsia inferior, seu cisdanubiana Bulgaria ab Illyricæ Achridanæ metropoleos ditione tum ecclesiastica, cum civili sejuncta fuit, idcirco necesse est, desierit pars esse Illyrici, quo cum illam Justinianus iterum colligaverat, ut paullo post dicemus.

Bulgari Justinianam primam capiunt, quæ deinde Metropolis Bulgarorum dicta.

Respons. ad Consult. Bulg. 72. 73.

Bulgari tota Macedonia expulsi, uteraque Danubium transiati.

Bulgariam citra Danubium recuperat, & Episcopo suo Ternobiensi Patriarchæ titulum impetrant.

f In historia Gelasiana concilii Nicæni subscriptum invenio *Alexandrum Thessalonicæ Episcopum per eos, qui sub ipso censentur, Ecclesiis in Macedonia prima & secunda, cum iis, quæ in Græcia & Europa tota, in utraque Scythia, & omnibus denique in Illyrico, Thessalia, & Achaja.* Habes hic distinctionem, & bipartitam divisionem *Macedoniæ primæ & secundæ* indicatam a Justiniano, quam vix apud Geographos reperies. Sed Macedoniæ secundæ quæ pars Macedoniæ subjici debeat, subscriptio illa non declarat. Hierocles Grammaticus, qui scripsit ante decimum sæculum, in suo Synecdemo secundam a prima Macedoniam distinxit, & huic secundæ octo ipsas urbes attribuit *Stolos, Argos, Eustrajon, Pelagoniam, Bargalam, Celendum, Harmoniam, Zaparam*, ex quibus situs dignosci potest, & circumscriptio Macedoniæ secundæ. Has enim urbes Guillelmus de l'Isle locavit in ea Macedoniæ parte, quæ a Meridie Thessaliam, ab Oriente Epirum veterem attingit. Ego vero adduci nequeo, ut credam, partem hanc Macedoniæ ab Thessalonicensi Præfectura & Metropoli per Justinianum avulsam esse, attributamque Præfecto & Archiepiscopo Justinianæ primæ. Cum enim hæc portio Macedoniæ nec ita longe absit a Thessalonica urbe totius Macedoniæ principe, & Macedoniæ propriæ vocabulo ac finibus contineatur, non est verisimile, ut eam Justinianus ab jurisdictione Præfecti & Primatis Thessalonicensis detraxerit, præsertim cum post Præfecturam Prætorianam Illyricam Thessalonicæ ademptam, hujus urbis Episcopus per annos amplius ducentos jus retinuerit nomenque Primatis, & partes atque officia Vicarii Apostolicæ sedis obierit, atque in sua potestate primatiali habuerit Thessaliam, Achajam, & veterem Epirum. Non erat autem consentaneum ei, cui ecclesiastica jurisdictio in regiones extra Macedoniam longius disjunctas relicta fuit, subtrahere proximam Macedoniæ regionem, veteri Epiro & Thessalonicensi provinciæ interjectam, hujusque detractione amplissimam illam, quæ adhuc a Primate Thessalonicensi retenta fuit, diœcesim interrumpere. Ad hæc: Justinianus cum potestatem ditionemque imminuit Exarchi, seu Primatis Thessalonicensis, ut eam Justinianæ primæ patriæ suæ tribueret, videri volebat nullam ab se injuriam fieri ecclesiæ & urbi Thessalonicensi, perinde quasi huic nihil detraheret, quod hæc sibi veluti usurpatione quadam ex clade Sirmiensi non adsciverit. *Cum enim*, inquit, *antiquis temporibus Firmi præfectura fuerit constituta, ibique omne fuerit Illyrici fastigium, tam in civilibus, quam in episcopalibus causis; postea autem Attila is temporibus, eisdem locis devastatis, Apennius Præfectus Prætorio de Firmitana civitate in Thessalonicam profugus venerat, tum ipsam Præfecturam & Sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus non sua auctoritate, sed sub umbra Præfecturæ meruit aliquam prærogativam.* Nulla autem excusatione, sive dissimulatione ejus facti invidiam subterfugere potuisset Justinianus, nullamque æquitatis speciem causamque prætexere, ne de provinciis sibi ademptis conqueri posset ecclesia Thessalonicensis, si huic non modo Dacicam diœcesim extra fines Ma-

Duplex Macedonia prima & secunda.

Secunda a Hierocle descripta.

non videtur eadem illa, quam Justinianus a Thessalonicen. Primatu divulsit.

cedoniæ ſitam, ſed etiam Macedoniæ ipſius partem, & proximam quidem provinciæ Theſſalonicenſi abſtuliſſet. Quare vix, aut ne vix quidem dubitari poteſt, quin *Macedoniæ ſecundæ* vocabulo aliud Juſtinianus, aliud Hierocles intelligi voluerint. Et Hierocles ſane, ſæculis fere tribus poſterior, Macedoniam ſecundam in ea, quam diximus, regione conſtituit, quæ tum fortaſſis ex communi uſu loquendi eo vocabulo deſignari ſolebat. Verum longe alia videtur fuiſſe ſuperioribus ſæculis ejuſdem vocabuli ſignificatio; & niſi me mea fallit conjectura, cum Juſtinianus *Macedoniam ſecundam* nominavit, tum hiſce duobus verbis ſuberat Epirus nova; nam hæc olim vocata eſt Macedonia, & *Secunda* rite appellari potuit, propterea quod hæc regio, cum antea pertineret ad Illyricum, a Romanis conjuncta eſt cum provincia Macedonica, & nomen Macedoniæ ſubire juſſa: quam ob cauſam antiqui Scriptores hanc Macedoniam adſcriptitiam a prima ideſt primigenia & propria Macedonia, appoſito vocabulo *ſecundæ*, diſtinguendam putarunt. Quæ autem ratio prohibet regionem illam, quam Hierocles vocat Macedoniam ſecundam, in ipſa media intimaque Theſſalonicenſis Exarchi ditione poſitam ab urbe & eccleſia Theſſalonicenſi ſejungere, eadem jubet novam Epirum cum Primate & Præfecto Juſtinianopolitano conjungere; nam cum Juſtiniana prima ſita eſſet in extrema Dardania, vel potius in ipſa Epiro nova, ut ſupra diximus, hanc etiam provinciam neceſſe eſt Juſtinianus adjunxerit ad diœceſim Juſtinianopolitanam; niſi forte exiſtimemus novæ hujus Exarchiæ fines ab Occaſu adeo contractos fuiſſe, ut vix ab hac parte agelli ſub urbe paulum eſſet, quo Præfectus & Archiepiſcopus Juſtinianæ primæ jus ſuum ac dominatum proferre poſſent.

Sed diverſa, ideſt Epirus nova.

Macedonia, Achaja, Theſſalia, Epirus vetus, & Creta per Juſtinianum ab Illyrico ablatæ.

g Hæc videtur eſſe Pannonia Savia, ut ſupra diximus, quæ poſtea ab Slavis, quorum in poteſtatem conceſſit, dicta eſt, hodieque dicitur *Slavonia*.

Cum igitur Juſtinianus Theſſalonicæ Metropoli Illyrici Orientalis diœceſim Dacicam univerſam, & Macedoniæ partem Orientalem ideſt Epirum novam ademit, tranſtulitque cum Præfectura Prætoriana Illyrica ad Juſtinianam primam, tum Macedonia, Achaja, Theſſalia, Epirus vetus, & Creta, quas Conſtantinus Illyrico attribuerat, partes Illyrici eſſe deſierunt, exemptæque ex ditione & poteſtate ſupremi magiſtratus Illyrici tum politici, cum eccleſiaſtici, proprios deinceps habuere Præſides & Præfectos, per quos regerentur; neque in poſterum ſive in publicis tabulis, ſive apud Hiſtoricos & Geographos inter provincias Illyricas annumeratæ ſunt, & ſi quis forte poſteriorum Scriptorum aliquas ex illis Illyrico vocabulo ſubjecit, is ad ſuperiora tempora, deſcriptionemque antiquam provinciarum reſpexiſſe dicendus eſt. Porro Epiſcopus Theſſalonicenſis jus nomenque Primatis, & partes atque officia Vicarii & Legati Apoſtolici retinuit, atque in ſexta œcumenica Synodo habita anno Chriſti 680. proximus poſt Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum Patriarchas, ejuſdem Actis ſuum nomen ſubſcripſit: *Joannes miſericordia Dei Epiſcopus Theſſalonicenſis civitatis, & Apoſtolicæ ſedis Romæ Vicarius & Legatus definiens ſubſcripſi*. Poſt amiſſam diœceſim Dacicam Illyricam, & præterea Macedoniam ſecundam, ideſt Epirum novam, cæteris omnibus eccleſiis & Epiſcopis Macedoniæ, Theſſaliæ, Epiri veteris, & Achajæ jure ac nomine Primatis præfuit uſque ad ſeculum octavum, imperiumque Leonis Iſauri, qui cum Divis, ſacriſque eorum imaginibus bellum impium gerens, provincias omnes, quæ ſive in Oriente, ſive in Occidente ad imperium Conſtantinopolitanum pertinebant, ut a fide catholica divelleret, a Romano Patriarchatu avulſit, attribuitque Patriarchæ Conſtantinopolitano. Tum Exarchum Theſſalonicenſem in ordinem Metropolitarum coegit, relicta ei ſola Macedonia, in qua jus uſurparet, partesque ageret Metropolitæ. Vide Thomaſſinum Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 18.

Ergo poſt Præfecturam Illyricam e Macedonia in Dardaniam una cum diœceſi Dacica translatam, Juſtiniana prima totius Illyrici principatum civilem, & magna etiam ex parte eccleſiaſticum adepta, caput eſſe cœpit & faſtigium Illyrici, eademque ſedes tum Præfecti, tum Primatis, penes quos ſecundum Imperatorem & Pontificem maximum, eumdemque Patriarcham Occidentis, ſumma erat auctoritas ac poteſtas in provincias & eccleſias Illyricas. Ac Præfecto quidem has provincias per inferiores Magiſtratus regendas Juſtinianus tradiderat, *Daciam mediterraneam, Daciam ripenſem, Meſiam utramque, Dardaniam, Prevalitanam, Macedoniam ſecundam, & partem Pannoniæ ſecundæ*, ideſt ex noſtra interpretatione, *Epirum novam*, & *Pannoniam Saviam*, quibus addas licet Dalmatiam, quamvis in Novella Juſtinianea, ob quam dixi cauſam, nominatim expreſſa non fuerit. Harum vero provinciarum eccleſiæ Exarcho ſive Primati Juſtinianopolitano ſuberant, exceptis Dalmaticis eccleſiis, quibus non longe ab Italia & urbe diſjunctis neque facultas, neque opportunitas deerat Romani Pontificis adeundi, vel cum Metropolitæ ordinandi eſſent, vel ſi quæ graviores cauſæ inciderent, quæ Primatis auctoritatem ſententiamque requirerent. Jura porro ac privilegia Archiepiſcopo Juſtinianopolitano collata in eadem ſæpius laudata Novella recenſentur: *Et ideo tua Beatitudo, & omnes prefatæ primæ Juſtinianæ ſacroſanctæ Antiſtites Archiepiſcopi habeant prerogativam, & omnem licentiam, ſuam auctoritatem eis impertiri, & eos ordinare, & in omnibus ſupraſcriptis provinciis primam habere dignitatem, ſummum Sacerdotium, ſummum faſtigium; a tua Sede crearentur, & ſolum Archiepiſcopum habeant, nulla communione ad eum Theſſalonicenſi Epiſcopo ſervanda &c. Quando autem tuæ recordationis ſedis gubernatorem ab hac luce decedere contigerit, pro tempore Archiepiſcopum ejus a venerabili ſuo concilio Metropolitanorum ordinari ſancimus*. Idem Juſtinianus Novella 131. affirmat Archiepiſcopum Juſtinianæ primæ privilegiis illis ſupra deſcriptis cum munere ac dignitate Vicarii Apoſtolici præditum eſſe, & locum obtinere ſedis Apoſtolicæ in provinciis ſibi concreditis, ex auctoritate Vigilii Romani Pontificis: *Ipſum vero a proprio ordinari concilio, & in ſubjectis ſibi provinciis locum obtinere ſedis Apoſtolicæ Romæ ſecundum ea, quæ definita ſunt a ſanctiſſimo Papa Vigilio*: ſiquidem quæ ipſe de ſumma & primatiali Archiepiſcopi Juſtinianopolitani in eccleſias juriſdictione ſtatuerat, poſtea decreto & auctoritate Vigilii Pontificis maximi ſancienda & confirmanda curavit. Extat epiſtola S. Gregorii Magni ad Joannem primæ Juſtinianæ Epiſcopum, qua illi gratulatur de ſuſcepto Pontificatu, pallium mittit, Apoſtolicæ ſedis vicariam poteſtatem delegat; eumdem de munere atque officio paſtorali diligenter edocet, hortaturque, ut ad curam gregis ſibi commiſſi ſedulo incumbat: *Pallium*, inquit lib. 4. Ep. 8. *ex more tranſmiſimus, & vices vos Apoſtolicæ ſedis agere iterata innovatione decernimus*. Sæculo nono, ut ſupra diximus, Epiſcopus

Juſtiniana prima caput totius Illyrici civilis & eccleſiaſtici.

Jura ac privilegia Archiepiſcopi Juſtinianopolitani.

Digitized by Google

pus Bulgarorum jus titulumque Primatis ex auctoritate Nicolai I. adeptus occupavit ſedem Exarchalem Juſtinianæ primæ, quæ deinde vocari cœpit Achrida, & Metropolis Bulgarorum. Sub initium ſæculi undecimi Bulgari Macedonia & Dardania expulſi, cum in Mæſiam ſecundam migraſſent, ſeculo autem decimo tertio ineunte, Epiſcopo ſuo Ternobienſi jus Primatis, ac titulum Patriarchæ ab Innocentio III. impetraſſent, Primas Juſtinianopolitanus, ſive Achridanus Mæſiam ſecundam amiſit, quæ Bulgariæ nomen ab novis incolis acceperat. Demum ætatibus poſterioribus, ſedis Apoſtolicæ Vicarius eſſe deſiit, & cum earum, quas obtinebat eccleſiaſticas provincias, aliæ ex aliis ab ejus juriſdictione deſciſcerent, demum in ordinem Metropolitarum coactus eſt, quem locum in eccleſiaſtica hierarchia hodieque obtinet.

qui amiſſo Primatis nomine in ordinem Metropolitanorum hodie redactus eſt.

Quo tempore Macedonia & Achaja Præfecturæ Illyricæ ex decreto Juſtiniani ſubductæ, jus nomenque Illyricum amiſerunt, Pannonia itidem prima ultra Dravum, & Valeria cum parte Aquilonari Pannoniæ ſecundæ, ab Illyrico ſejunctæ inter provincias Illyricas annumerari deſierunt. Has quippe Juſtinianus, cum non incluſit intra fines Præfecturæ Illyricæ ad primam Juſtinianopolim translatæ, ab Illyrico ſecluſas eſſe in poſterum voluit. Ut enim juris civilis, ſic Illyrici novam quamdam deſcriptionem Juſtinianus conſtituit; & quemadmodum legibus antiquis, quas in corpus volumenque juris ab ſe conditi non recepit, auctoritatem vimque omnem abrogaſſe viſus eſt; ſic provinciis illis Illyrici vocabulo antea comprehenſis, quas novæ Metropoleos Illyrici ſupremo imperio non ſubjecit, jus nomenque Illyricum ademiſſe dicendus eſt. Præterquam quod longius aberant a Juſtiniana prima, quam ut ex illis facilis acceſſus, atque expeditus eſſet ad Præfectum, & Primatem Juſtinianopolitanum. Porro Pannonia prima inter Danubium & Dravum ſæculis poſterioribus bifariam diviſa eſt; pars ad Occaſum vergens Germaniæ adſcripta, nunc Auſtriæ ac Styriæ Orientalis finibus ac nomine continetur; pars reliqua in Orientem converſa, cum Valeria, itemque cum parte Aquilonari Pannoniæ inferioris in jus nomenque Hungariæ migravit. Hujus vero regionis Eccleſiæ fere omnes Illyrica hierarchia exemptæ Metropolitæ Strigonienſis ditionem ac poteſtatem undecimo ſæculo ineunte ſubierunt.

Pannonia prima & Valeria per Juſtinianum ab Illyrico ſejunctæ.

§. III.

Deſcriptio Illyrici hodierni.

Juſtinianæi Illyrici deſcriptio etiamnum ſervanda.

QUos igitur terminos Juſtinianus Illyrico circumdedit, iiſdem hodiernum Illyricum definiendum eſſe arbitror; & quas ille provincias Præfecturæ Juſtinianopolitanæ Illyricæ adſcripſit, eaſdem nunc etiam juris eſſe ac nominis Illyrici exiſtimo. Scio equidem poſt Juſtinianum in his provinciis, cum frequentibus externarum gentium excurſionibus expoſitæ eſſent, & plurimis bellis diſcerptæ, & in alios atque alios populorum ac principum dominatus diſtractæ fuerint, multiplices rerum civilium & eccleſiaſticarum converſiones factas eſſe. Sed quamvis in tanta rerum varietate motuque per annos amplius mille has regiones verſatas fuiſſe non ignoro, nihil tamen vel provinciis, quas Illyrico attribuit, vel finibus, quos Illyrico Juſtinianus conſtituit, ſive addendum, ſive detrahendum cenſeo. Sunt, qui Mæſiam & Daciam utramque cum Dardania, quæ nunc regiones partim ad Serviam, partim ad Bulgariam pertinent; ſunt, qui etiam Pannoniam Saviam ſive Slavonicam Dravo & Savo interjectam ab Illyrico hodierno ſecludunt; plerique autem eidem adimunt non modo Epirum novam, ſed etiam quidquid terrarum ac gentium inter Savum monteſque Illyricos interjacet, Chrobatiæque, & Bolinæ vocabulis ſubeſt; omninoque putent Illyricum omne ad eos limites revocandum eſſe, intra quos continebatur haud multo ante, quam Romana Monarchia per Auguſtum conderetur, detractis tamen Iſtria & Carnia, quas idem Auguſtus jure, & nomine Italico donavit. Quare iſti nunc iiſdem regionibus Illyricum circumſcribendum cenſent, quibus Liburnia & Dalmatia continetur. Miror autem, quid cauſæ ſit, nec ſatis intelligo, cur in tantas anguſtias Illyricum hodiernum compulſerint. Nam cur ſic opinentur, ſi hanc rationem ſubjiciant, quod inde uſque ab ætate Heraclii Slavi Illyricum ferme omne ab Romano imperio divulſum in ſuam poteſtatem ſuumque nomen redegerint, adimant etiam Illyrico oportet non Liburniam modo, ſed etiam Dalmatiam propemodum totam præter oram maritimam, & aliquas inſulas, quæ in fide manſerunt ac ditione Romani Orientalis imperii. Nam ſeptimo ſæculo Chrobati, & Serbli, gentes Slavonicæ, longe lateque in regiones citra Danubium effuſi, Dalmatiam ferme omnem, cum Abares Salonæ everſores indidem expuliſſent, Heraclii Imperatoris permiſſu occuparunt, ſuiſque & Regulis & legibus ſubjecerunt; id quod narrat Conſtantinus Porphyrogenitus, ſimulque deſcribit Dynaſtias, in quas Dalmatiam diviſerunt, & quæ cuique vocabula impoſuerint, ea ſingillatim percenſet. Tum enimvero, exceptis urbibus maritimis, inſuliſque aliquot, Dalmatia omnis mediterranea & montana, itemque Liburnia bifariam diviſa eſt, & quæ in Occaſum vergens Chrobatis obtigerat, Chrobatia appellata eſt; quæ vero ſpectat in Solem orientem, dominatum Serblorum pariter Serbliæque nomen accepit. Serbli porro in Orientem ultra Dalmatiam, & in Septemtrionem uſque ad Danubium finibus prolatis quidquid terrarum Meſia antiqua ſuperior obtinebat, ad ſuum nomen, ſuamque ditionem adjunxere. Non igitur ſi Chrobatæ, ſi Serbli, adde etiam ſi Bulgari ſuas leges, ſuos magiſtratus, ſua vocabula in provincias Illyricas invexerunt, ſequitur illico eas ab Illyrico hodierno ſecludendas eſſe; niſi vero eamdem ob cauſam ex jure, ac nomine Illyrico vel ipſam Dalmatiam & Liburniam magna ex parte detrahendam cenſeas.

Refelluntur ii, qui hodiernum Illyricum Dalmatiæ & Liburniæ finibus circumſcribunt.

Si vero a poſſeſſione illarum regionum, quæ Liburniæ ac Dalmatiæ tum a Septemtrione, tum ab Oriente circumjacent, Illyricum idcirco depellunt, quod jamdudum in illis regionibus nomen Illyrici exſoleverit, ſic prorſus, ut nemo eas ſive in litteris, ſive in familiari ſermone Illyrico nomine impertiat, videant porro, ne ipſam quoque Dalmatiam, Liburniamque, ut ſibi conſtent, Illyrici vocabulo eximere cogantur. Fateor equidem, ex quo nova ab Slavis & Bulgaris invecta nomina audiri cœperunt, & litteris celebrari, & communi uſu magis in dies magiſque invaleſcere, propemodum deſiiſſe provincias illas vocari Illyricas; neque aliis fere, quam vernaculis earum gentium vocabulis appellari jam ab illo tempore ſolere, cum a Chrobatis, Bolinenſibus, Serblis, Raſciis, & Bulgaris habitari cœperunt. Hinc factum eſt, ut plerique Geographi hujus & ſuperiorum ætatum, ablegato Illyrici nomine, quas dixi regiones, vocabulis Chrobatiæ ſive Croatiæ, Bolinæ, Serviæ, Raſciæ, & Bulgariæ in ſuis tabulis notent ac diſtinguant.

Argumentum ſecundum diluitur.

Digitized by Google

guant. Verum enimvero eodem fere tempore, ut apud cæteras finitimas gentes, ſic apud Dalmatas nomen Illyricum obliterari, ac deſuetudine exſoleſcere cœpit; pauci enim ſcriptores vel Geographi ſeptimo vel octavo ſæculo poſteriores inveniuntur, qui regionem illam Arſiæ & Driloni fluminibus interjectam Illyrici vocabulo ſubjiciant, quive hac noſtra, & proxima, & ſuperiori ætate aliud eidem, quam Dalmatiæ nomen attribuant, niſi quod in ejus partem ab ortu Solis extremam Albaniæ appellatio irrepſerit. Nomen Illyrici multis ab hinc ſæculis antiquatum eſt, illudque Geographia recentior e tabulis pariter ſcriptiſque propemodum omnibus expunxit, niſi cum forte adhibendum ſit ad res deſcribendas, & loca deſignanda, quæ ad hiſtoriam & Geographiam antiquorum temporum pertinent: nunc una Dalmatia in ore omnium, vulgarique in ſermone verſatur; una hæc publicis privatiſque litteris celebrari ſolet; contra vero Illyrici & Illyriorum nomen in vulgus fere ignotum eſt, rejectumque a communi conſuetudine loquendi; & niſi eſſet veterum ſcriptis ac monumentis cuſtoditum, jampridem vetuſtate obrutum, memoria omni interciciſſet. Qui vero in rebus lociſque poſteriorum temporum explicandis nomen Illyricum uſurpant, eos in numero illorum ponendos arbitror, qui non ut conſuetudini, vel neceſſitati, ſed ut eruditioni, ac doctrinæ ſerviant, antiquis & obſoletis, quam iis, quæ nunc ſunt in uſu & honore, vocabulis abuti malunt. Hæc cum ita ſint, ſi nolunt haberi dicique Illyricas regiones illas, quas vocabulo Illyrici ſubduxit uſus poſteriorum ætatum, penes quem ut rerum, ſic locorum appellandorum poteſtas eſt atque arbitrium, ne a ſe ipſi diſſideant, negent etiam oportet Dalmatiam Illyrici hodierni finibus contineri. Reſtat igitur, ut nihil loci uſquam gentium relinquant, in quo nunc Illyricum collocari poſſit. Vereor equidem, ne iſti magis jure quodam ſuo & arbitratu, quam certa ratione aliqua & auctoritate, quas ſæpius dixi, regiones Illyrico detrahant; nulla enim proferre poſſunt ſive Principum edicta, ſive Geographorum decreta, in quibus diſerte perſcripti ſint fines illi, quos ipſi Illyrico hodierno aſſingunt. Ego vero ſatius eſſe arbitror deſcriptionem Illyrici, quam Juſtinianus Imperator ſuo decreto ſancivit, ſartam tectam ſervare, quam ejuſdem Illyrici terminos vel ad arbitrium meum, vel ad normam juniorum Scriptorum revocare; præſertim cum poſt Juſtinianum nulla lex Geographorum, nulla Regum aut Magiſtratuum auctoritas certa & expreſſa interceſſerit, quæ aliquid de finibus Illyrici per Juſtinianum ſtatutis immutaverit. Nec vero ſi provinciæ, quas idem Imperator ſub poteſtate ſupremi Præfecti Illyrici ſubjunxit, nova ab novis incolis illata & peculiaria nomina ſubierint, continuo amiſerint neceſſe eſt jus ſubeundi commune vocabulum Illyrici, quo illas inter ſe Juſtinianus colligavit. Quæ igitur fuerat Juſtinianæi, eadem Illyrici hodierni retineatur, ac firma ſtabiliſque permaneat dimenſio, & circumſcriptio; & provincias eaſdem Juſtinianeo & hodierno Illyrico attribuamus licet, nimirum præter Dalmatiam omnem maritimam *Prævalim*, quæ pars eſt poſtrema Dalmatiæ ad Orientem, *Macedoniam ſecundam*, ideſt *Epirum novam*, quæ nunc *Albania* dicitur; *Dalmatiam tranſalpinam* inter montes Dalmaticos & fluvium Savum, quæ poſtea dicta eſt *Chrobatia* & *Boſina*; *partem Pannoniæ ſecundæ*, ſive Pannoniam *Saviam*, quæ nunc *Sclavonia* vocatur; *Dardaniam*, quæ hodie *Raſcia* appellatur. Ac tribus quidem poſt Juſtinianum ſeculis quidquid terrarum Bulgari tenebant, videlicet Dardaniam, Epirum novam, & Meſiam ipſam inferiorem, quam Juſtinianus Illyrico juri ac nomini reſtituerat, Joannes VIII. Pontifex Max. inter provincias Illyricas annumerat in ſua ad Epiſcopos & clericos Græcos epiſtola: *Miramur vos*, inquit, *falcem miſiſſe in Illyrici provincias, quas nunc Bulgarorum natio retinet, ingredientes*. Gregoras vero longe ætate inferior, & plurium ſæculorum intervallo ab ætate Juſtiniani disjunctus, regionem ultra Macedoniam in occaſum obverſam, videlicet Epirum novam, ſive Dardaniam, in qua ſita erat Juſtiniana prima, Illyriam vocat; *Bulgari locuſtarum more, aut fulminis inſtar, Macedoniam cum ulteriore Illyria occupant, oblatis ibi ſedibus contenti; ac regia ſedes eorum urbs ea eſſe cœpit, quam Juſtinianus Imperator Archiepiſcopatus honore, primæque, ut diximus, Juſtinianæ nomine ornavit*. Ex quo apparet, Conſtitutionem illam Novellam Juſtiniani, nulla temporum diuturnitate, aut rerum converſione antiquatam fuiſſe, & poſt multa ſæcula adhuc ſuam illi conſtitiſſe auctoritatem; ac ſemper deinde provincias illas habitas eſſe, dictaſque Illyricas, quas Juſtinianus Illyrico olim adſcripſerat.

Illyrici nomen ſupridè obſoleviſſe.

Provincia Illyrici hodierni.

§. IV.

De variis Illyrici diviſionibus.

AC primum dividi poteſt Illyricum in partes tres, non illas quidem omnino diſtinctas, ſed ita colligatas inter ſe, atque implicitas, ut ſecunda tertiam, prima utramque contingat. Triplex enim ſpectari ac diſtingui poteſt Illyricum, *Univerſale*, *Peculiare*, & *Proprium*. Illyricum univerſale complectitur quidquid uſquam Illyrici juris ac nominis fuit; ſic prorſus, ut ſub hac duplici voce *Illyrici univerſalis* ſubjicias oporteat Illyricum proprium, Dalmatiam, Liburniam, Japydiam, Iſtriam, Carniam, Rhætiam utramque, Noricum Ripenſe ac Mediterraneum, Pannoniam omnem ſuperiorem atque inferiorem, Daciam Trajani trans Danubium, citraque Danubium Daciam Aureliani, duplicem Mæſiam, Thraciam, Dardaniam, & præterea Macedoniam, Achajamque, & quidquid duobus hiſce ampliſſimis vocabulis continetur, nimirum Theſſaliam cum utraque Epiro, Græciam omnem cis ultraque iſthmum Corinthiacum cum Creta, & inſulis Epiro, Achajæ, & Macedoniæ circumjectis, & reliquis fere omnibus inſulis maris Ægæi. Oſtendimus quippe has provincias, quamvis non eodem omnes tempore, tamen omnes aliis alias temporibus Illyrici vocabulo comprehenſas fuiſſe. Itaque *Illyricum univerſale*, qua in Occidentem vergit, partim amne Liquentia, Adriatico mari Jonioque ab Italia, partim Rheno fluvio & lacu Brigantino a Gallia disjungitur; qua in Septemtrionem ſpectat, primum Danubio a Germania magna, deinde montibus Carpathiis a Sarmatia ſeparatur; ab Oriente autem Ponto Euxino, Propontide, Helleſponto, & Aſiatica ora definitur; demum qua in Meridiem longiſſime protenditur, Mediterraneum mare attingit; qua vero ex Auſtrali in Aquilonarem plagam recedit, deflectitque in Occaſum, immanet Italiæ, a qua interjectu Alpium dirimitur. Hæc eſt Illyrici univerſalis longiſſime latiſſimeque exporrecti dimenſio & circumſcriptio.

Prima diviſio Illyrici, Univerſalis, Peculiaris, & Proprii.

Deſcriptio Illyrici univerſalis.

Illyricum peculiare cum dicimus, eas regiones intelligi volumus, quæ jus nomenque Illyrici, cum inde uſque ab antiquiſſimis temporibus adeptæ fuerint, neque unquam amiſerunt, & nunc etiam

Deſcriptio Illyrici peculiaris, ejuſque diviſio.

apud

apud Dionem retinent; sunt autem *Illyricum proprium*, *Dalmatia*, *Liburnia*, *Japydiorum insularumque Illyrico objectarum*, quæ quidem nunc uni omnes Dalmatiæ vocabulo subsunt. Ex his terris regionibus constabat Romanum Illyricum, quod post devictum Genetium, Dalmatas, & Japydes maritimos subjectos, Liburnos in deditionem acceptos, in formam provinciæ Romani redegerant, quam cum Gallia Cisalpina anno ante Christum 59. Senatus Julio Cæsari decrevit, & post hujus interitum M. Bruto simul cum Macedonia mandavit. Ex quarum Illyrici quoque & Carni ad Illyricum pertinerent, antequam eos Augustus in decimam Italiæ regionem conjiceret, ultimaque fortasse cum Illyriis Romanam provinciam componerent, eos tamen Romani ab Illyriis suo ac proprio vocabulo distinguere solebant. Hoc est Illyricum illud, quod Romanidas in partes diviserunt, & alterum *superius*, alterum *inferius* Illyricum appellarunt; id quod declarat lapis antiquus e ruderibus Epidauri effossus, cui hæc incisa erat inscriptio, apud Gruterum p. 396.

P. Cornelio Dolabellæ
Cos. VII. Viro Epulon.
Sodali Titiensi
Leg. ProPr. Divi Augusti
Civitates Superioris
Provinciæ Illyrici.

Pars Illyrici vergens ad Orientem dicta est *Illyricum superius*, ut docet locus in quo inventa est hæc inscriptio; ex quo fit, ut altera pars in Occasum declinans vocata fuerit *Illyricum inferius*; id quod Historicus Dalmata de Regn. Dalm. lib. 1. cap. 3. ex hoc & altero lapide apud Jadram reperto præclare conjecit: *Ex quibus inscriptionibus, quam vis nemo Auctorum id referat, argui potest superiorem Illyrici provinciam Illyricum proprium simul cum Dalmatia comprehendisse, inferiorem verò Liburniam cum Japydia*. Hæ regiones ante Romanorum adventum jam inde ab ætate & imperio Celtarum Illyrici nomine regnoque continebantur, quas nemo unquam ab Illyrico sive antiquo, sive hodierno plane aperteque abjudicare ausus est, ne illi quidem, qui fines hodierni Illyrici vel arctissime contrahunt. Jure igitur Illyricum ex illis, quas recensui, regionibus constans, cum antiquissimum sit, nullaque unquam detractione imminutum, *Peculiaris* cognomine, quando aliud aptius non suppetit, signandum, ac distinguendum esse duximus; quippe cum cæteræ provinciæ, quibus deinde auctum est Illyricum, vel posterioribus sæculis ad nomen Illyricum accesserint, vel ab eo divulsæ fuerint. Ergo Illyricum peculiare Arsia flumine ab Istria, montibus Albio, Bebio, Ardio & Scordo a veteri Pannonia, Drilone fluvio ab Epiro nova, mari Adriatico ab Italia disjungitur.

Descriptio Illyrici proprii.

Illyricum *proprium* regio est inter Naronem ac Drilonem, in qua Hyllo Herculis filio & Pelasgis Hyllinis auctoribus ortum esse diximus, & ex qua in alias atque alias regiones latissime propagatum fuit nomen Illyricum. Ex antiquis Scriptoribus, qui nominatim Illyrios proprie dictos, sive Illyricum proprium commemorent, nullum invenio præter Plinium, & Pomponium Melam; hic inter Phæaces & Pyræos, ille inter Grabæos & Taulantios constituunt Illyrios proprie dictos. *Parthini & Bassaretæ prima ejus tenent, sequentia paulatim* (sive ut alii legendum putant, *sequentia Taulantii*) *Enchelеæ, Thæaces, deinde sunt, quos proprie Illyrios vocant. Tum Pyræi* &c. Pomp. Mela lib. 2. cap. 3. *Eo namque tractu* (inter Naronem & Drilonem) *Labeatæ, Enderodini, Sassei, Grabæi, proprieque dicti Illyrii, & Taulantii, & Pyræi*. Plinius lib. 3. cap. 26. Cæterum neuter in populis illis percensendis, quibus Illyrii proprii interjecti sunt, ordinem eumdem geographicum servat, in quem eos redigere conabimur part. 2. Prologem. Uterque autem Illyrios proprie dictos in eam regionem conjecit, quæ Naroni & Drilони interjacet; sed Plinius, præter Illyrios proprie dictos, in eo tractu alios etiam populos locat, quibus nimirum & commune cum Illyriis propriis, & peculiare, suum videlicet cuique nomen fuerat. Taulantios vero ibidem perperam a Plinio collocatos esse Historicus Dalmata existimat, quos inde cæteri Geographi summovent, ultraque Drilonem infra Dyrrhachium ad Meridiem rejiciunt, nisi forte Taulantii fines suos interdum supra Dyrrhachium, Drilonem transgressi, in Illyrium proprium extenderint. Porro juniores Scriptores Melæ & Plinii exemplum & auctoritatem secuti Illyricum proprie dictum inter Naronem Drilonemque constituunt, veluti Harduinus apud Cellarium & Martinierum, Historicus Dalmata, & alii plures. *Illyricum ergo proprium*, inquit Historicus Dalm. de Reg. lib. 1. c. 3. *inter Naronem & Drinum* (rectius Drilonem) *situm fuit*. Nec solum auctoritas, sed etiam ratio ipsa postulat, ut ex omnibus provinciis Illyricis hæc una potissimum haberi dicique debeat *Illyricum proprium*. Hic enim non adventitium fuit, sed innatum nomen Illyrici; non huc aliunde invectum, sed hinc veluti ab natali solo primum in finitimas, tum in remotas maximeque longinquas regiones prolatum est: & cum e cæteris regionibus, quæ olim ampliſſimo Illyrici nomine continebantur, alias alii ab Illyrico sejungant, neminem unum invenies, qui hanc regionem Illyrici vocabulo subduxerit. Est consuetudo Geographorum vetus sane & pervulgata, ut uni eidemque vocabulo duplicem notionem subjiciant, quarum altera latissime patet, altera exiguis finibus circumscripta est; idem quippe nomen Geographicum vim suam & significationem modo in plures provincias extendit, modo intra limites unius provinciæ coercet; sic prorsus, ut cum commune sit pluribus, ejus tamen proprietas unius regionis angustiis definiatur, cui peculiari quadam ratione convenit, propterea quod in ea ortum fuerit, & ex ea in alias atque alias provincias pervaserit. Quidquid terrarum ac gentium citra Alpes supero inferoque mari circumluitur, Italiæ commune vocabulo subest; verum pars illa ad meridiem extrema, quæ ab Rubicone in mare usque Mediterraneum procurrit, singulari quodam jure nomen Italiæ sibi vindicat, & cum apud antiquos, tum apud juniores Geographos *Italia propria* appellatur. Hujusmodi exempla plura sunt, & notiora, quam ut vel omnia possint, vel necesse sit commemorare. Vide in hanc rem, quæ scripsimus cap. 1. §. 1. Historicus Dalmata aliam præterea causam attulit, cur hæc regio habita sit dictaque Illyricum proprium: *Quæ regio*, inquit lib. 1. cap. 3. *sicut apud antiquos ex fabula Cadmi cæteris Illyricis celebrior fuit, ita eadem ex Regum sede peculiaris vel proprii Illyrici nomen simul cum regno servavit, Illyricique nomine a Romanis in provinciam ordinata fuit, ac Illyricum proprium ab eorum Scriptoribus dicta, ad differentiam tam Orientalis partis antiqui Illyrici ultra Drinum, quæ in Macedonum nomen transibat, quam Occidentalis citra Naronem, cujus pars antiquæ Dalmatiæ adscribebatur; pars vero reliqua a Romanis addita antiqua Liburniæ & Istriæ nomina servabat: donec Dalmatæ Augustum fatigantes Illyrici citra Drinum nomen sibi vindicarunt;*

Cur dictum Illyricum proprium.

Au-

Augustoque ipso Istriam ab Illyrico avellente, Illyricum intra Drinum & Arsiam restrictum in Dalmatiam & Liburniam dividi cœpit: ex quo tempore Illyrici proprii nomen obsolevisse conjici potest. Itaque Illyricum proprium ab Occidente Naro, a Septemtrione mons Scadrus sive Scardus, ab Ortu Drilo, a Meridie Adriaticum mare definiebant: Illyricum proprium idem esse, quod Illyricum primigenium, diximus cap. 1. §. 2.

Veteres in describendis finibus Illyrici sæpe differunt.

Hæc tripartita divisio Illyrici *Universalis, Peculiaris*, ac *Proprii* nobis esse debet veluti norma quædam & regula ad quam exigi revocarique oportet varias Illyrici descriptiones traditas ab antiquis Auctoribus, qui ejusdem fines alias contrahunt, alias amplificant, & eidem modo plures, modo pauciores provincias attribuunt. Sunt, qui existimant, Veteres, cum describunt fines Illyrici, idcirco tanta esse in varietate ac discrepantia constitutos, quod alii ad alia tempora respexerint, quibus Illyricum aut latius patebat, aut terminis angustioribus includebatur; quæ quidem ratio veteres interpretandi explicandique mihi admodum placet, ac sæpe nobis usui esse potest; sed vereor, ut semper eadem adhiberi queat; neque enim solum alii aliter, sed etiam iidem, cum in iisdem temporibus rebusque versantur, non eodem modo semper Illyricum circumscribunt; ex quo fit, ut variæ ac multiplices Illyrici circumscriptiones, quæ apud antiquos reperiuntur, alias ad *Proprium*, alias ad *Peculiare*, alias ad *Universale* Illyricum referri debeant. Dionysius Afer *Illyridem propriam* videtur definire, cum ab illa Dalmatiam distinguit. *Ad dextram partem protenditur Illyris alma: Post hanc Dalmatia populorum martia tellus.* Sed paullo post eamdem Illyridem a Dalmatia distinctam usque ad montes Acroceraunios produxit. Itidem Schymnus Chius cum Illyrico proprio oram illam maritimam conjunxit, quæ ultra Drilonem in Meridiem usque ad eosdem montes Acroceraunios porrigitur. L. Florus lib. 4. cap. 12. Illyrios proprie dictos haud dubie designare voluit, cum eos veluti a Dalmatis diversos nominavit: *Ad Septemtrionem conversa plaga ferocius agebat, Norici,* ILLYRII, *Pannonii,* DALMATÆ, *Mysii.* Idem Florus paullo post Illyriorum nomine Japydes impertiit, ut colligitur ex adjecta descriptione tum Japydiæ regionis montosæ, & torrentibus vallibusque intercisæ, tum belli Japydici, quod per se Augustus gessit, qui ex acie vulneribus acceptis discessit, ut Florus pariter atque Appianus docent: *Illyrii quoque* (idest Japydes) *sub Alpibus agunt.* Svetonius etiam, cum in Augusto Pannoniam & Dalmatiam ab Illyrico sejunxit, visus est suis Illyricum proprium terminis circumscripsisse: *Domuit autem partim ductu suo, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni: item Vindeliciam* &c. Eutropius etiam lib. 3. Illyrici proprii meminit, cum illud non solum a Pannonia, sed etiam a Dalmatia seorsim enumerat inter provincias, quas ad Romanum imperium adjunxit Augustus: *Romano adjecit imperio Ægyptum, Cantabriam,* DALMATIAM, *Pannoniam, Aquitaniam,* ILLYRICUM, *Rhætiam* &c.

Alii describunt Illyricum proprium.

Alii peculiare.

Illyricum peculiare nemo planius, nemo distinctius designavit, quam Plinius lib. 3. c. 21. 22. qui etiam Illyrios proprie dictos inter Naronem & Drilonem locavit. Illyrici enim descriptionem orsus est ab Arsia flumine, *cui gens Illyrica Liburnorum jungitur;* eamque perduxit usque Lissum ad urbem Drilonis fluvio appositam; *A Lisso* enim *Macedonia provincia.* Deinde cap. 26. Illyrici, inquit, longitudo a *flumine Arsia ad flumen Drinium*, sive Drilonem. Illyrico *Peculiari* Scylax Chariandensis adjecit ultra Drilonem oram maritimam, quæ postea dicta est Epirus nova, sed Liburniam detraxit. *Post Liburnos gens est Illyriorum.* Livius Dec. 1. lib. 10. primum Illyrico *peculiari* Liburnos ademit, cum Cheronæum medio sinu Adriatico classe subvectum, ne ad oram dextram appelleret, deterritum fuisse scribit ab accolis ejusdem oræ, quos nominatim distinguens ex ordine collocat *Illyrios, Liburnos, Istros*; deinde Illyrico peculiari Liburnos restituit, cum Dec. 5. lib. 3. Aquilejensium legatos in Senatum induxit, querentes coloniam suam infirmam, nec dum satis munitam inter infestas nationes *Istrorum & Illyriorum*; ubi post Istros statim Illyrios subjecit, quorum nomine etiam Liburnos complectitur. Idem vero Livius Dec. 5. lib. 4. Illyrici proprii positionem designavit his verbis: *Pacata Epiro, divisisque in hiberna copiis per opportunas urbes, regressus ipse in Illyricum, Scodræ, quo quinque Legati ab Roma venerant* &c. & paullo post ejusdem Illyrici tres partes factas esse ait ab Anicio Prætore. Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. Illyricum *peculiare* utrinque auxit, Istria ab Occasu, Epiro nova ab Oriente adjectis. *Tergestum intimo in sinu Adriæ situm finit Illyricum . . . . . Parthini & Dassaretæ populi novæ Epiri prima ejus tenent.* Ptolemæus autem, non secus ac Plinius, & iisdem, quibus nos circumscripsimus, terminis Illyricum peculiare definivit. Ab Istriæ finibus ejusdem initium ducit: *Post Istriam Italiæ, reliqua Liburniæ, quæ in Illyride est;* nec vero illud ultra Drilonem produxit. Ptolemæus autem æque ac Plinius, Illyricum cum a Pannoniis montium interjectu sejungant, eosdem a Septemtrione fines Illyrico peculiari constituunt, quos ipsi supra descripsimus. Zosimus Illyricum peculiare haud obscure significavit, cum præter alios Illyrici populos Præfecturæ Illyricæ nominatim *Illyrias*, idest, *Dalmatas* ac *Liburnos* subjecit.

Illyricum *Universale* integrum, expletumque omnibus suis numeris & partibus nemo Veterum suis scriptis expressit, propterea quod provincias, ex quibus constat, non omnes eodem tempore Illyricum complexu suo continuit, sed alias aliis temporibus vel recepit, vel amisit. Strabo, & Appianus præter Illyricum proprium, itemque Dalmatiam, Liburniam, & Japydiam, Illyrico universali adscribunt Rhætiam, Noricum, Pannoniam, & Mæsiam; Strabo neque Daciam antiquam, neque Thraciam memorat; nondum enim, cum ille vivebat, hæ regiones ad nomen Illyricum accesserant: Thraciam Vespasianus, Daciam veterem Trajanus Illyrico adjecit; sed cur Appianus utramque præterierit, quid causæ esse dicam, nisi quod Veteres in percensendis sive Illyrici, sive aliarum regionum provinciis, non adeo accuratos se diligentesque præbuere, ut nulla eorum animadversionem, sedulitatemque subterfugerit. Eamdemque ob causam, ut censeo, Svetonius Noricos ab Illyrico seclusit; Dacos itidem ac Thraces inter Illyrios annumerare omisit, quippe nondum ad Illyricum pertinebant; & Valerianus ætate posterior Daciam pariter Thraciamque in epistola ad Ablavium Illyrico primus adscripsit. Sextus Rufus & Jornandes, itemque Auctor Notitiæ Illyricum universale sui temporis describunt; ex eo fit, ut Rhætiam, Thraciam, Daciam veterem, Mæsiam inferiorem prætermiserint, quippe regiones illæ juris nominisque Illyrici possessione jamdudum decesserant; contra vero cum Illyrico Macedoniam & Achajam conjungunt, quæ jus nomen-

Alii Illyricum universale, non integrum tamen describunt.

Digitized by Google

antiquo Illyrico eruptæ erant essent, sub imperio Constantini, adhuc retinebant. Utpiamis omnia complectar, plenè integrique Illyrici *universalis* describendi non à singulis, sed ab omnibus simul Auctoribus proferenda est, & conferenda ea omnibus illis provinciis, quas modo plures, modo pauciores antiqui Scriptores, & alii quidem alias, vel pro temporum diversitate, vel pro sua quisque intelligentia, Illyrico attribuunt. Sed numero autem ac varietate provinciarum, quas Illyrico sive addunt, sive detrahunt, intelligi potest alias *Proprium*, alias *Peculiare*, alias vero *Universale* Illyricum, si non totum, saltem ex parte, ab illis designari.

Secunda Illyrici divisio.

Secunda Illyrici divisio in duas partes distributa est; aliud siquidem est Occidentale, aliud Orientale Illyricum. Hæc bipartita divisio Illyrici quodammodo implicita est cum celebertima illa Imperii Occidentalis & Orientalis divisione, atque ita cohæret, ut sine hac vix illa explicari, intelligique possit. Post interitum Romanæ Reipublicæ, ex quo ad unum Augustum totius imperii summa pervenit, per annos fere trecentos nulla facta est sive Imperii, sive Illyrici partitio. Quamvis enim alicubi post Christum sæculo M. Antoninus Aurelius L. Ælium Verum imperii participem fecerit, ac tum primum duo coperint esse Augusti, nullam tamen divisionem subiit sive Imperium, sive Illyricum; quippe qui pari propemodum potestate, concordibus animis, & communibus consiliis rem publicam universam administraverint. Tenuit deinceps consuetudo, non illa quidem ab omnibus, ab aliquibus tamen usurpata Imperatoribus, ut vel fratres, vel filios, vel etiam extraneos in societatem adsciscerent imperii, non provinciis distributis, sed communicatis inter se Augustalibus titulis atque insignibus, cum semper tamen, ut Guidus Pancirolus animadvertit, apud Majorem, qui alterum ad Imperium evexerat, summa esset auctoritas, & suprema rerum gerendarum potestas. A majorum exemplo aliquantulum desciverunt Carus, Numerianus, & Carinus, qui ex tacito quodam pacto & convento imperium inter se partiti, suas quisque provincias habuit, quibus jus suum dominatumque circumscriberet. Sed cum eorum imperium breve admodum fuerit, ea divisione paucis post mensibus sublata, iterum summa totius integrique imperii ad unum rediit. Imperii Orientalis atque Occidentalis divisionem quamdam ac speciem adumbravit Diocletianus, cum eam Romani orbis partem, quæ in Occasum vergebat, Maximiniano Herculeo, quem collegam assumpserat, regendam tradidit; sibi vero, suaque in potestate retinuit partem alteram, quæ in Solem orientem spectabat. Hæc autem bipartita divisio, postquam uterque imperium deposuit, rata & firma permansit, cum Herculeo Constantius, Diocletiano Galerius successit, hic, quæ ad Dioclesiani, ille, quæ ad Herculei regimen pertinebant, provincias cum suo quisque Cæsare, sive Reipublicæ gerendæ administro atque adjutore partitus, regendas suscepit. Imperii partibus ad hunc modum distributis, Illyricum tamen divisionis omnis expers totum atque integrum in Diocletiani primum, deinde in Galerii potestatem concessit. Alias paulo post ex aliis vicissitudines ac divisiones subiit Romanum imperium, & cum multas in partes discerptum veteres, quam divisum esset, uno eodemque tempore fex omnino fuerunt, qui vel Cæsareum, vel Augustale imperium ac nomen in iis, quæ cuique obtigerant, provinciis gerebant, Herculius resumpto principatu, quo invitus cesserat, Constantinus Constantii filius, Galerius, Maximinus, Licinius, Maximianus. In ea vero tam varia ac multiplici Romanæ rei distractione, Illyricum ab omni prope modum divisione intactum unis semper paruit. Licinius, postquam Constantinum insidiis atque injustis lacessivisset, ab eoque primum ad Cibalim Pannoniæ oppidum, deinde in Thracia apud Campum Mardiensem duplici pugna victus esset, Illyricum omne præter Mœsiam inferiorem ac Thraciam Constantino cessit. Quæ hic summatim attigimus, in historia Diocletiani copiosius, ac distinctius exponentur. Tandem Licinio iterum ac sæpius fœdifrago, & ter tribus præliis victo atque in ordinem redacto, ac demum, quod novis rebus studeret, Thessalonicæ interfici jusso, totum denuo in unum coaluit Imperium sub Constantino Magno, qui rerum omnium potitus orbem Romanum universum in quatuor, ut diximus, Præfecturas distribuit, quarum altera ex Illyrico integro solidoque constabat, cui detraxerat quidem Constantinus Mœsiam inferiorem ac Thraciam, sed Macedoniam, Thessaliam, Græciam cum Creta, Epiro utraque, & insulis circumjectis addiderat.

Divisio Imperii Orient. & Occident. adumbrata sub Diocletiano.

Illyrici indivisa natura.

Post Constantinum Imperium trifariam divisum intacto Illyrico.

Constantino rebus humanis exempto, Imperium quidem trifariam dilectum est, Illyrico intacto, atque indiviso. Tres quippe ejus filii Romanum orbem inter se partiti cum essent, Constantinus natu maximus Galliam, Hispaniam ac Britanniam, Constantius Thraciam, Asiam, Ægyptum & Orientem obtinuit; Constans vero natu minimus inter hos medius regnavit, Africam, Italiam cum integro Constantiniano Illyrico sortitus. Verum Constantino post triennium per insidias necato, & Constante, cum imperasset annos fere tredecim, Magnentii Comitis fraude interfecto, rursus Romanum imperium ad unum Constantium cum Illyrico toto revolvitur. Constantio Julianus, huic Jovianus in possessionem integram totius imperii atque Illyrici successit, nisi quod Illyricum, Juliano vel Joviano Imperante, amissa propria, ad Præfecturam Prætorianam Italiæ Africæque translatum fuisse ex Ammiano Marcellino lib. 26. intelligi potest, qui Mamertinum per id temporis Præfectum Prætorio Italiæ, Illyrici, Africæ fuisse scripsit, cum Valentinianus Joviano succesit.

Imperium bipartito divisum inter Valentinianum & Valentem; Illyricumque integrum obtigit Valentiniano.

Post Jovianum imperii rursus facta est bipartita divisio. Valentinianus quippe rerum potitus cum sibi Occidentem retinuisset, Valentem in Imperii societatem adscitum Orienti præposuit; tum vero primum Orientis Occidentisque vocabulis Romanum imperium distingui cœpit. Guidus Pancirolus Comment. in Notit. cap. 2. auctor est eodem tempore eamdem divisionem subiisse Illyricum, cujus quidem pars vergens ad Occasum in fide mansit ac potestate Præfecti Prætorio Italiæ, suus vero parti alteri in Orientem obversæ ac proprius Præfectus restitutus est; idque colligi posse existimat ex rescriptis Valentiniani ad Potentium, itemque ad Fabianum Præfectos Prætorio *Italiæ & Illyrici*, idemque confirmat citatis aliis legibus Codicis Theodosiani. Verum diviso inter Valentinianum & Valentem imperio, nullam Illyrici divisionem factam esse censeo, si quidem Zosimo fides habenda est. Is quippe lib. 3. cap. 3. tradit Valentinianum fratri Thraciam cum Oriente assignasse, sibi vero Occidentem cum Illyrico reservasse; ac deinde cap. 16. narrat Valentinianum ex Africa in Mœsiam superiorem trajecisse, ut ab ea provincia Barbarorum incursiones averteret. Igitur Mœsia superior, quæ tum sine controversia ad Illyricum pertinebat, & quod consequens est, totum Illyricum, si Dacian

ciam Mœſiæ utrique interjectam adjicias, Valentiniani imperio ſuberat. Idem confirmat Nicephorus Callixtus, qui intra fines Illyrici regnaſſe Valentem docet, cum ait: Valentinianum fratri Valenti, *aliquas civitates Occidentales ad Illyricum uſque conceſſiſſe*, videlicet civitates Mœſiæ inferioris, quæ ad Occaſum attingebant Daciam provinciam Illyrici, quaſque Conſtantinus cum univerſa Mœſia inferiori ab Illyrico divulſerat. Neque eſt, quod objicias Palatium, ſeu Curiam Sirmienſem, quam inter ſe Valentinianus & Valens diviſerant, ut monet Ammianus Marcellinus lib. 26. *Et poſt hæc cum ambo fratres Sirmium introiſſent, diviſo Palatio, ut potiori decuerat, Valentinianus Mediolanum, Conſtantinopolim Valens diſceſſit*. Hinc ſcilicet confici poſſe videtur Sirmii in urbe fere media totius Illyrici, conſtitutos fuiſſe utriuſque imperii limites. Verum cum ea civitas æque propemodum Conſtantinopoli ac Mediolano abeſſet, opportuniſſimam ſe utrique Imperatori præbebat, quorum alter Conſtantinopoli, alter Mediolani regiam ſuam ac ſedem collocaverat. Hæc igitur civitas, quamvis cum univerſo Illyrico ad Valentiniani ditionem pertineret, erat tamen veluti communis quædam arx utriuſq; imperii, quo vel legatos mitterent, vel per ſe ipſi Imperatores ad mutuum congreſſum colloquiumque accederent, & comitiis illic habendis præeſſent, & de rebus publicis in commune conſulerent. Quamvis enim & duo eſſent principes, & in duas partes tributæ eſſent Romani orbis provinciæ, uterque tamen conſociatis animis & conſiliis rempublicam univerſam ſic regebant, quaſi unum foret imperium, & unus idemque eſſet Imperator. Nam ſive leges condendæ, ſive bella indicenda, ſive fœdera ineunda, ſive aliud quidpiam gerendum, quod paullo gravioris momenti eſſet, neuter per ſe quidquam, niſi altero conſulto, & ſententiam rogato decernebat. Itaque Illyricum integrum, nullaque ſui parte diminutum Valentinianus in ſua poteſtate retinuit, ejuſque plenam adminiſtrationem Præfecto Prætoriano Italiæ reliquit, vel mandavit, ad quem paucis ante annis Jovianus, vel Julianus eamdem revocaverat. Hæc forma & deſcriptio Imperii atque Illyrici retenta eſt ſub Gratiano & Valentiniano juniore, quibus extinctis totius Imperii ſumma cum Illyrico univerſo ad unum Theodoſium pervenit.

Quæ hactenus de multiplici ac varia Romanæ Monarchiæ diviſione expoſuimus, eo pertinent, ut oſtendant, ſæpe quidem ſuperioribus ætatibus adumbratione quadam deſignatam, numquam vero perfecte abſolutam, firmeque conſtitutam fuiſſe celeberrimam illam diviſionem Imperii *Orientalis & Occidentalis*; Illyricum autem fere ſemper omnis diviſionis expers fuiſſe, & plenum ac ſolidum, cum duo vel plures rerum potiebantur, alterutri eorum paruiſſe. Antiquas illas diviſiones ad tempus factas eſſe vel illud argumento eſt, quod alterutro Auguſtorum defuncto, vel variatæ fuerint, vel penitus exſoleverint; & quamvis ſub Valentiniano & Valente vocabula *Orientis* & *Occidentis* in uſu eſſe cœperint ad imperium utriuſque diſtinguendum, tamen qui ante obitum Theodoſii plane diſerteque meminerit *Orientalis*, atque *Occidentalis* Imperii, niſi me fallit memoria, neminem reperies. Itaque hujus diviſionis rudimentum aliquod, & quædam quaſi adumbratio repeti poteſt a ſuperioribus ſæculis, atque Auguſtis, ſed ejuſdem perfectio atque abſolutio ſtabilis ac firma revocanda eſt ad filios Theodoſii Magni Arcadium & Honorium. Hi ſiquidem anno Chriſti 395. diviſum a patre acceperunt Imperium: Occidentale Honorio, Orientale Arcadio obvenit. Inter Imperium utriuſque limites in Europa conſtituti ſunt mons Scardus, & linea e Scardo monte ad confluentes Savi ac Danubii perducta, itemque Danubius. Exinde & vulgo uſurpari, & litteris celebrari vocabula cœperunt Imperii *Orientalis* & *Occidentalis*, paſſimque adhiberi ad Imperium utrumque diſtinguendum. Ex eo tempore nihil illis vocabulis notius, nihil celebrius, nihil uſitatius. Hæc diviſio apud poſteros valuit, tamdiu conſervata ac retenta ab Auguſtis, qui deinceps ſimul imperarunt, quamdiu utrumque imperium ſtetit; neque antea aboleri potuit, quam Barbaris undique ingruentibus, Imperium Occidentis variis conceſſum cladibus rueret, atque cum Auguſtulo extinctum anno 476. funditus interiret. Hanc bipartitam diviſionem Imperii Orientalis & Occidentalis huic eidem epochæ alligavit Guidus Pancirolus Comment. in Notit. lib. 1. cap. 1. qui præterea & provincias Occidentalis imperii percenſuit, & fines utrique tum in Europa tum in Africa interpoſitos deſcripſit. *Theodoſius Magnus rerum potitus Arcadio Orientem, Honorio Occidentem, ideſt Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Britanniamque, & Africam dedit; ac fines Meridiem verſus ad Berenicem ultimam civitatem Cyrenaicæ ſive Libyæ Superioris, quæ Pentapolis a numero quinque urbium dicebatur, ſunt poſiti: inde Africa minor ſeu Tripolitana a Syrtibus & a Boreo promontorio Occidentalis imperii initium fuit. Ad Septemtrionem vero Princeps Orientis Macedoniam cum Myſia prima & ſecunda uſque ad Scardum montem ſeu Drilonem (ideſt Drinum) fluvium & Danubium tenuit. Ultra Pannoniam & Dalmatiam omnia ad Occidentale Imperium ſpectabant, quemadmodum ex Notitia et Procopio deprehenditur, qui Honorio Imperante Occidentale imperium a Gadibus Meridiem verſus uſque ad fines Africanæ Tripoleos itineris dierum* xc. *fuiſſe ſcribit, ab altera Herculis columna, ſecundum Europæ littus uſque ad ſinum Jonium dierum* LXXV. *Orientis vero imperium a finibus Cyrenes uſque ad Epidamnum ſeu Dyrrhachium navigantis iter* CXXII. *dierum fuiſſe, & Byzantio ad Iſtri oſtia dierum* XXII *E Chalcedone in Phaſim fluvium dierum* XII. *addito itinere Dyrrhachio Conſtantinopolim uſque totum Orientale imperium ambitum dierum* 347. *habuiſſe memorat*. Imperium tamen vel diviſum uterque Auguſtus æquo propemodum, ac pari jure, communique conſilio, quaſi unum idemque eſſet Imperium, adminiſtrabant; ſic prorſus, ut militum etiam delectus alter ex alterius provinciis haberet, eoſque ſuis legionibus adſcriberet, ut declarat Notitia Dignitatum civilium ac militarium Imperii utriuſque: *Communi tamen conſenſu*, ait Pancirolus ibidem, *uterque Princeps res imperii ſemper adminiſtravit, leges conjunctim promulgavit, arma conjunxit, ac ſimul Conſules creavit, quorum alter Romæ, alter Conſtantinopoli reſidebat, ut duo dimidia conjuncta viderentur imperia*.

Diviſio & fines utriuſque Imperii.

Diviſio firma ac ſtabilis Orientalis & Occidentalis Imperii Arcadio & Honorio tribuenda.

Diviſionem imperii Orientalis & Occidentalis conſecuta eſt diviſio Illyrici Orientalis & Occidentalis, quod ad hanc diem ferme intactum, integrumque. Primum ſuam habuerat ac propriam Præfecturam Prætorianam, quam Conſtantinus inſtituit, deinde in poteſtatem ditionemque Præfecti Prætorio Italiæ conceſſerat. Tum Illyricum omnes retinebat, quas eidem Conſtantinus attribuerat, provincias, nimirum ſeptem & decem e Sexto Rufo deſcriptas, ſcilicet, *Noricorum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mœſiam, Daciarum duas, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, Epiri duas, Prævalim, & Cretam*. Hæ autem bifariam diſtributæ cum eſſent, aliis quidem Imperio

Cum diviſione Imperii conexa diviſio Illyrici Orientalis & Occidentalis.

Digitized by Google

perio & Illyrico Occidentali adſcripeas in ſua poſſeſtate retinuit Præfectus Prætorio Italiæ; aliis vero in jus Imperii & Illyrici Orientalis migrare juſſis, ſuus reſtitutus eſt & peculiaris Præfectus Prætorio Illyrici. Harum provinciarum bipartita deſcriptio, quæ tum facta eſt, eadem fuerit opinor, quam exhibet Notitia, quamvis hæc ſit annis propemodum ſexaginta poſterior; niſi quod hinc abeſt Valeria, quam Sex. Rufus commemorat; ſed additur ibidem Dardania, quæ apud Sex. Rufum deſideratur; præterea ex Macedonia Sex. Rufi pars vergens in Occaſum detracta ſub vocabulo Macedoniæ Salutaris partim ad Epirum novam, partim ad Prævalim acceſſit. Tres denique diœceſes Illyrici cum eſſent, una attributa eſt Imperio Illyricoque Occidentali, complexa ſex ipſas provincias, Pannoniam utramque, Noricum utrumque, Saviam, & Dalmatiam; Dalmatiæ autem vocabulo ſuberat Japydia, Liburnia, Dalmatia propria, Illyricum proprium, & omnis illa regio Dalmaticis montibus & Savo interjecta, quam Pannoniæ veteri detractam Auguſtus cum Dalmatia conjunxerat. Hujus autem diœceſis adminiſtratio Præfecto Prætorio Italiæ & Africæ commiſſa, qui per ſuum Vicarium Sirmii conſtitutum eam regebat. Duæ reliquæ diœceſes pertinebant ad Imperium & Illyricum Orientale, ſuberantque Præfecto Prætorio Illyrici, qui ſuum cuique Vicarium præfecerat. Altera erat diœceſis Macedonica, quam ſex provinciæ conficiebant, Achaja, Macedonia, Creta, Theſſalia, Epirus vetus, & Epirus nova cum parte Macedoniæ ſalutaris; altera erat Dacica, quæ conſtabat ex quinque provinciis, Dacia utraque, Mæſia prima, Dardania, & Prævalitana cum parte Macedoniæ ſalutaris. Iidem fere limites, qui Imperium utrumque, etiam Illyricum utrumque ſejungebant; nimirum Danubius a Septemtrione in Meridiem verſus detorquens, linea ab Confluentibus Savi ac Danubii ad montem Scardum perducta, ac mons ipſe Scardus; niſi quod ut Imperium, ſic Illyricum Orientale ultra Scardum in Occaſum finibus paullum prolatis, Prævalitanam provinciam ſibi vindicabant. Pancirolus etiam in Notit. lib. 1. cap. 23. uni eidemque tempori annexuit Imperii pariter atque Illyrici in Orientale & Occidentale diviſi partitionem: *Diviſo inter poſteriores Principes imperio duplex factum eſt Illyricum, Orientale, quod Macedoniam & Daciam in* XI. *provincias diviſas continebat, & Occidentale, quod Italiæ Præfecto attributum Dalmatiam, duas Pannonias, Noricum Ripenſe & Mediterraneum, Saviamque complectebatur.*

Illyrici diœceſibus una Occidentali, duæ Orientali Illyrico attribuuntur.

Nihilo brevior aut diuturnior fuit Illyrici, quam Imperii Orientalis & Occidentalis diviſio. Nam ſeculo quinto immenſa Barbarorum colluvies æque in Imperium atque in Illyricum Occidentale incubuit; Gothi enim, Alani, Vandali, Hunni, aliique, ex ultima barbaria effuſæ nationes, utriuſque provincias fæde vaſtarunt; ac demum Auguſtulo poſtremo Imperatorum Occidentalium extincto anno Chriſti 476. omnia ſub imperium ditionemque barbarorum ceciderunt. Hic erat rerum ſtatus multo deterrimus, hæc facies plane miſeranda tam Imperii, quam Illyrici Occidentalis, cum Juſtinianus ſingulari Dei beneficio natus ad hæc tempora in Oriente imperare cœpit anno Chriſti 527. ingenti vel felicitatis vel ſapientiæ fama. Is Vandalis Africam, Gothis Italiam & Dalmatiam eripuit, itemque Pannoniam magna ex parte, barbaris ejectis, recuperavit. Tum Occidentale imperium, quamvis Gallica & Hiſpanienſi diœceſibus diſſitum cum Orientali, diviſione omni ſublata, ſub Juſtiniano conjunctum eſt; Illyricum itidem Occidentale, amiſſo quidem Norico, itemque omni inter Danubium Dravumque Pannonia; Orientale autem, detracta fere omni diœceſi Macedonica, in unius diœceſeos corpus coaluit ſubauctis Præfecto Illyrico, cujus ſedem Juſtinianus Theſſalonica tranſtulit Juſtinianopolim, quam ipſe urbem magnificentiſſime condiderat, & Juſtinianam primam appellari juſſerat. *Cum vero Juſtinianus*, ait Pancirolus cap. 23. *Sclavis in Illyrico devictis, utramque Daciam & Pannoniam recuperaſſet, patriam ſuam Metropolim totius regionis fecit, ac Juſtinianam primam ad alterius, quam prope exſtruxit, differentiam appellavit, nunc Acreda dictam, ac mirifice ornatam auxit, forma quadrangulari mœnibus extructis, munitiſſimiſque turribus in angulis cingens; & eam Præfecti Illyrici ſedem eſſe voluit, ut ait Procopius.* Huc pertinent, quæ ſuperiori paragrapho diximus, quæque diligentius, & copioſius expoſituri ſumus, cum ventum erit ad ſextum ſeculum hiſtoriæ ſacræ Illyricæ. Ita celebris illa diviſio Imperii Illyricique Orientalis & Occidentalis anno quidem Chriſti 476. ſublata fuerat, cum pars altera occupata eſſet a Barbaris, & Imperium Occidentis pariter cum Auguſtulo extinctum; ſed Imperium, itemque Illyricum Occidentale magna ex parte ab Juſtiniano recuperatum cum eſſet, anno ferme centeſimo & trigeſimo, quam ab Oriente divulſum fuerat, rurſus cum Imperio & Illyrico Orientali ſub uno Imperatore, & ſub uno magiſtratu coaluit.

Imperium & Illyricum Occidentale a Barbaris vaſtatum ac diſcerptum,

a Juſtiniano magna ex parte recuperatum,

cum Imperio & Illyrico Orientali in unum coaluit.

Tertia eſt diviſio Illyrici maritimi, & Mediterranei, quæ cum ſit per ſe facilis intellectu, haud multa explicatione indiget. Illyricum maritimum ab Iſtria uſque ad Montes Acroceraunios in longitudinem porrigitur; latitudo ejus inter Montes ab Occaſu in Ortum continentibus jugis productos & mare Adriaticum patet, continetque nunc Liburniam, Dalmatiam, & Epirum novam ſive Albaniam, & omnes præterea inſulas, quæ Illyricis littoribus objacent; ſed cum Macedonia & Achaja ex decreto inſtitutoque Conſtantini ad Illyricum pertinebant, tum maria omnino quatuor Illyricum maritimum circumfluebant, ab Occaſu Adriaticum & Jonium, a Meridie Mediterraneum, ab Oriente Ægæum: antequam vero idem Conſtantinus ab Illyrico Thraciam & Mæſiam inferiorem cum Scythia Pontica disjungeret, Helleſponto, Propontide, & Ponto Euxino alluebatur. Illyricum Mediterraneum complectitur, quidquid juris eſt ac nominis Illyrici ultra montes, quos ſupra diximus, quique olim Albius, Bebius, Ardius ſive Adrius, & Scardus appellari ſolebant. Olim quidem ab Occaſu, Septemtrione, & Oriente ampliſſime patebat, ut conſtat ex deſcriptione ſupra tradita Illyrici univerſalis; nunc iiſdem terminis continetur, quibus Illyrici hodierni regiones Mediterraneas nunc definiemus.

Tertia diviſio Illyrici maritimi & Mediterranei.

Quarta demum, eademque poſtrema Illyrici diviſio itidem eſt bipartita. Aliud eſt Illyricum antiquum, aliud Illyricum modernum. Illyricum antiquum pro varietate temporum varios fines habuit, primum admodum anguſtos, deinde quaquaverſum longe lateque prolatos. Nam ſub Pelaſgis Hyllinis Illyrici nominis ac generis conditoribus, Illyricum intra Titium ac Drilonem fines ſuos continuit. Liburniam, Japydiam, Iſtriam, Carniamque ab Occaſu Celtæ addiderunt, & ultra Drilonem uſque ad montes Acroceraunios ditionem Illyricam propagarunt. At Illyricum poſtquam in poteſtatem Romanorum Imperatorum venit, tum vero jus ſuum ac nomen latiſſime pro-

Quarta diviſio Illyrici antiqui & hodierni.

Fines Illyrici antiqui.

Digitized by Google

prætitles; nam pro Curia æquestribus amissa, juſtitiæ Augusti stellis adscriptis, occupit utramque Rhætiam, Noricum Mediterraneum ac Ripense, Pannoniam omnem superiorem & inferiorem, Mœsiam itidem superiorem & inferiorem, Dardaniam, Thraciam, & ultra Danubium Daciam ipsam Trajani, quam usque ad imperium Aureliani retinuit. Eidem vero Constantinus Magnus Thracia & Mœsia inferiore detractis, amplissimam diœcesim Macedonicam adjecit, quæ sex ipsas florentissimas provincias cum insulis circumjectis comprehendebat.

Descriptio Illyrici hodierni, & fines.

Illyricum hodiernum, quod est argumentum suscepti operis, & quasi materia, quam potissimum tractet, & in qua versetur Historia Illyrici sacri, iisdem regionibus circumscribendum censemus, ut supra diximus, quibus illud definivit Justinianeus, cum Præfecturam Illyricam Prætorianam Thessalonicæ ademptam ad Justinianam primam revocavit. Complectitur autem Japydiam, Liburniam, Dalmatiam, Illyricum proprium, Prævalim, quas omnes uno Dalmatiæ vocabulo nunc vulgus appellat; Epirum novam, quæ nunc Albania; Dardaniam, quæ nunc Rascia; Mœsiam ac Dacias utrasque, quæ nunc partim Servia, partim Bulgaria; Pannoniam veterem Australem inter Savum & Montes Illyricos, quæ nunc Bosina & Croatia; ac demum Pannoniam Saviam, sive Interamniam, quæ nunc Slavonia dicitur. Spectat a Septemtrione Hungaros antiquæ & Aquilonaris Pannoniæ incolas, a quibus Dravo, itemque Dacos veteres, nunc Transylvanos, Walachos, Moldavos, a quibus Danubio dirimitur. A Meridie vergit ad Thraces ac Macedonas montis Hæmi interjectu disjunctos, itemque a Meridie terminatur montibus Acroceraunii, Epirum veterem secludentibus; ab Occasu & Meridie oram superiorem Italicam habet, quam mare Adriaticum disjungit. Qua spectat in Septemtrionem, ab Occidente linea quædam a confluentibus Mari ac Dravi ad Confluentes Savi & Colapis primum deducta, inde vero magis magisque in Occasum detorta, & per Albios montes usque ad ostium fluminis Arsiæ protracta definitur, & ab Styria, Carinthia, Carniolia recentioris Germaniæ provinciis, itemque ab Istria discriminatur. Demum alterius lineæ a Danubio ad montem Hæmum pertingentis interductu, Illyricum hodiernum ex parte Orientis ab Scythia Pontica, sive Tomitana separatur.

PARS

PARS SECUNDA
PROLEGOMENON.
DE DALMATIA.

CAPUT PRIMUM.

De Dalmatia antiqua.

§. I.

Origo & initium nominis Dalmatici. Fines Dalmatiæ Primigeniæ.

Ab Delminio, five Dalmatio, Delmatia, & Dalmatia dicta eſt in antiquis inſcriptionibus.

DAlmatiam Illyrici maritimi regionem a Delminio urbe totius gentis primaria denominatam fuiſſe inter omnes convenit; ſed cum urbis, tum ex ea derivatum gentis ac regionis vocabulum, variatione litterarum interpoſita, alii aliter ſcribunt. Quod Strabo *Dalminium* vel *Dalmium*, Ptolemæus, Appianus, & alii *Delminium* vocant; unde in nummis & marmoribus antiquis latinis multo ſæpius *Delmatiam*, quam Dalmatiam inſcriptam invenies. Joannes Harduinus duos nummos exhibet, alterum Auguſti, alterum Hadriani; in hoc MET. DELM. *Metallum Delmaticum*; ferax enim provincia metalli fuit; in illo: ADVENT. AUG. DELMATIAE, *Adventus Auguſti Delmatiæ*. Extat apud Gruterum vetus Inſcriptio, quæ idem confirmat.

Fragmenta Faſt. Conſul. pag. 298. n. 3.

L. CÆCILIUS L. F. A. N. METELUS. ANN. IↃCX.
DELMATIC. PROCOS. DE DELMATEIS.
III. NOV.

Idem Gruterus pag. 129. n. 8. ex antiquis monumentis deſcripſit NAT. DELM. natione Delmata; & pag. 574. n. 5. IN. DELMATIA; quam quidem inſcriptionem ad Domitiani ætatem putat referendam eſſe. Cæterum non deſunt exempla Romanarum Inſcriptionum, in quibus vocalis *A* priorem ſyllabam hujus vocabuli ſibi vindicat. Duo attulit Gruterus; primum pag. 402. num. 6. LEG. AUG. PR. PR. DALMATIE. alterum ex Cippo Jaderenſi pag. 568. num. 3.

D. M.
L. VETURIUS. FLORUS
VETERANUS. SCRIBA
NA. DALMATA
VIX. ANN. LV.

Apud Græcos & Latinos ſcriptores plerumque Dalmatia, & Dalmatæ,

Dalmatiam & *Dalmatas* paſſim invenies apud Græcos ſive Geographos, ſive Hiſtoricos, quamvis Polybius interdum *Delmatas* pro *Dalmatis* dicere maluerit; cæteri vero *Dalmatiam Delmatiæ*, & *Dalmatas Delmatis* præferunt, veluti Dionyſius Afer, ſive Alexandrinus in Periegeſi, Strabo, Ptolemæus, Dio Caſſius, Agathemerus, Procopius, & alii plures. Neque a Græcis diſſentiunt Latini Scriptores M. Tullius, Vatinius in Epiſtola ad M. Tullium, Ovidius, Plinius, Florus, Antoninus, Claudianus, & alii fere omnes priori hujus nominis Syllabæ vocalem *a*, quam *e*, libentius interjiciunt; niſi forte in eorum aliquas vulgatas editiones mendum irrepſerit. At vero Caſſiodorus in Orthographia docet ſcribi dicique oportere *Del-*

matiam, quamquam ipſe pro *Delminio* ſcripſit *Dalmanam*, unde ait huic provinciæ ac nationi nomen inditum eſſe. Stephanus quamvis urbem illam, ex qua genti nomen obvenit, pro varietate codicum alias Dalmium, aut Delmium, alias Delminon, aut Delminium appellavit, ab ea tamen populos *Dalmienſes*, ſeu *Dalmatas* conſtanter vocandos cenſuit, *e* littera perpetuo ablegata. Appianus ab Delminio eoſdem populos initio quidem *Dalmateas*, poſtea vero Dalmatas denominatos fuiſſe tradit. Sunt qui civitatem Dalmatiæ principem nunc *Dalmum*, nunc *Damnam*, nunc *Damnium* vocent, *a* littera ſemper interpoſita; ſed cum plerique Scriptores eamdem urbem *Delminii* vocabulo afficiant, recta derivandi nominis ratio poſtularet, ut *Delmatia* potius, quam *Dalmatia* diceretur; id quod præclare animadvertit Velius Longus de Orthograph. p. 328. *Placet etiam, ut Delmatiam, non Dalmatiam pronuncienus, quoniam a Delminio maxima civitate tractum nomen exiſtimetur*. Verum enimvero, quando jamdudum communis uſus invaluit, penes quem jus eſſe & normam loquendi omnes conſentiunt, ut appellatio poſterior priori præferatur, nobis perpetuo conſtanterque hanc regionem appellandam eſſe Dalmatiam cenſemus.

Delminii varie appellatum, ab Delminio recte Delmatiæ, ſed uſus Dalmatiæ approbat.

Ergo Delminium, urbs olim præpotens ac nobilis, natura, & ſitu, mœnibus ac turribus egregie munita, in Mediterraneis atque in alpinis locis condita, haud longe aberat a fluvio Narone, quem vulgo nunc appellant Narentam. Hanc ejus urbis poſitionem fuiſſe ex Appiano primum Dalmaticum bellum deſcribente cognoſci facile poteſt. Cum enim M. Figulus Conſul, cui Senatus bellum contra Dalmatas gerendum dederat, urbem gentis caput aggredi conſtituiſſet; docet Appianus eum ab Dalmatis e ſuperioribus locis depulſum, non intermiſſa fuga uſque ad Naronem in planitiem deveniſſe. *Hunc primo adventu metantem caſtra, caſo præſidio, in plana perpulere, non intermiſſo ad fluvium uſque Naronem receptu*. Huic ſententiæ adſtipulatur Chriſtophorus Cellarius Geogr. antiq. lib. II. c. 7. qui ex numeris Ptolemaicis Delminium in alpinis ad Septentrionem locis collocandum cenſet. *De ſitu nihil certi conſtat; ex Ptolemæi autem numeris & poſitione inter Andetrium & Naronam in Septentrione ponendum eſſe Delminium admonemur*. Sed Thomas Archidiaconus planeac perſpicue docet Delminium urbem, quam ipſe Delmin vocat, in excelſis & montoſis locis poſitam fuiſſe, cum regionem ipſam, quæ circa urbem eſt, & ab ea denominabatur Delmina, in ſuperioribus Dalmatiæ partibus conſtituerit: *Eſt*, inquit cap. 1. *regio quædam in ſuperioribus partibus, quæ dicitur Delmina, ubi antiqua mœnia oſtenduntur, ibique fuiſſe Delmis civitas memoratur*. Quare eo ferme loci Delminium conſtituendum puto, ubi nunc extat Dumnus, oppidum neque infrequens, neque ignobile

Poſitio Delminiſ in locis Mediterraneis, ubi nunc extat Dumnus.

Digitized by Google

in ea regione aspera & montosa, quæ intra duos fluvios Tilurum & Naronem attollitur; & iisdem propemodum vestigiis stare arbitror, quæ fuerunt olim antiqui Delminii ab Romanis funditus eversi. Merito igitur diligentissimus Investigator topographiæ Dalmaticæ apud Ferrarium docet nunc Dumnum esse, quod antiquitus vocabatur, Delminium. Quocirca minime audiendos censeo, qui Delminium in ora maritima apud ostia Tiluri statuunt, neque a Dalmisio, sive a Dalmisso distinguunt; quod oppidum mari adjacet, & Almissam hodie vocant, a Plinio Piguntiam, a Ptolemæo Peguntium appellatum ferunt. Neque illis assentior, qui in suis Tabulis Delminium ab Narone in Orientem longissime disjungunt, transferuntque ultra montem Scardum, prope ab Drino, qui ex eodem monte oritur, & obverso in Septemtrionem cursu, Bosniam a Serbia dirimens in Savum illabitur. Sunt etiam, qui Dimalum Illyriorum oppidum, quod ab Æmilio Consule captum scripsit Polybius, idem esse putant, atque Delminium; sed alterum ab altero distingui oportere docet rerum Dalmaticarum scientissimus scriptor, qui positionem Dimali fatetur sibi, & junioribus Geographis esse incompertam; & longe ab Dalmatia ultra Naronem id oppidum ego summovendum esse existimo.

Delminii ab hodierna Almissa, & ab antiquo Dimalo distinguntur.

Delminii civitas pervetusta, munita, & magna.

Delminii conditi neque tempus, neque auctorem proferre possumus; sed urbem perantiquam fuisse vel ex eo intelligi potest, quod primo Dalmatico bello, inde usque ab anno ante Christum 156. florebat copiis opibusque, eratque ejus regionis facile princeps, altissimis ac validissimis mœnibus sepia, nec solum natura & loco, sed etiam firmissimis præsidiis munita; qua in oppugnanda multum operæ ac laboris consumpsit M. Figulus Consul, novo catapultarum ac telorum genere excogitato, quibus ad faces in urbem ejaculandas uteretur; neque antea ejusdem oppugnationem sibi tentandam censuit, quam pleraque illius gentis oppida in suam potestatem redegisset, ut Appianus docet. Hanc urbem, *unde genti nomen est*, *Magnam* vocat Strabo; & quod reliquum tantæ urbis vel clades & vastatio bellica, vel nimia vetustas fecit, *magnæ urbis tenue vestigium* appellat P. Brietius in suis Parallelis.

Initia nominis & populi Dalmatici.

Quo autem tempore Dalmatæ nominari cœperint, ab urbe Delminio vocabulum nacti, si minus certo, attamen probabiliter conjectura assequi possumus. Auctor est Polybius Dalmatas, cum antea in ditione essent ac potestate Regum Illyrici, defecisse ab Gentio postremo Illyriorum Rege, seque in libertatem vindicasse; Gentius autem principatum in Illyriis obtinebat anno ante Christum circiter 185., cui post annos ferme septemdecim Anicius Prætor regnum ac libertatem ademit. Itaque hæ gentes, quæ præter commune Illyriorum nomen, aliis atque aliis vocabulis distingui solebant, post exactos Reges Illyricos, ut in populi unius liberi corpus, non modo legum, sed etiam hominis communione coalescerent, ab urbe Delminio totius gentis primaria, Dalmatas se appellari voluerunt. Ex antiquis Historicis, seu Geographis neminem invenio, qui Dalmatas nominaverit ante Polybium, qui uno fere sæculo ante Christum floruit; is vero, cum primum, & alterum, itemque tertium bellum persecutus est, quod Romani cum Illyriis gesserunt, ab Dalmatiæ, & Dalmatarum vocabulo semper abstinuit; eoque tum primum uti cœpit, cum descripsit quartum bellum Illyricum, quod anno post devictum Gentium, regnumque Illyricum extinctum duodecimo Romani Dalmatis intulerunt; itemque Appianus Polybium secutus non ante idem bellum, quartum quidem Illyricum, primum vero Dalmaticum, Dalmatiæ, & Dalmatarum vocabula usurpavit, id autem argumento videtur esse hos populos non ante Dalmatas vocari cœpisse, quam regio dominatu excusso, novis descriptis legibus, noviisque magistratibus creatis, rempublicam nullius dominationi obnoxiam condiderint, cujus caput Delminium esset, unde ejus regionis cæteræ urbes gentesque jura ac leges acciperent. Initia autem libertatis ac reipublicæ Dalmaticæ referri possunt ad annum ante vulgarem Epocham 180, qui fuit duodecimus ante interitum regni Illyrici, quartus & vigesimus ante primum bellum Dalmaticum.

Respublica Dalmatarum condita anno ante Christum 180.

Ac primum quidem Respublica nomenque Dalmaticum inter Naronem ab Oriente, & Nestum seu Tilurum ab Occasu sese continuit; a Septemtrione autem Pannoniis montibus, a meridie mari Adriatico definiebatur. Hi sunt fines, hæc est circumscriptio Dalmatiæ propriæ, seu primigeniæ. Ac Naro quidem fluvius Dalmatas sejungebat ab Illyriis propriis, quos Gentius in sua fide ac potestate retinebat; Tilurus autem eosdem ab aliis populis Illyricis separabat, qui pariter per idem tempus cum Liburnis Istrisque iisdem Illyricis ab Gentio desciverint oportet. Illyrii vero inter Tilurum ac Titium, Dalmatis ac Liburnis interjecti, a Dalmatis Tilurum transgressis paulatim subigi cum cœpissent, transiissentque tandem in jus nomenque Dalmaticum, ex his atque illis, una & communis Respublica est conflata, finibus ab Narone usque ad Titium productis, terra marique præpotens, qua cum sæpe Romani decertarunt; neque ante Augustum debellari omnino potuit, redigique in ditionem populi Romani. *Hic populus* (ideſt Dalmatarum) ait Polybius in fragm. n. 124. *quamdiu vixit Pleuratus, ei paruit: post obitum vero illius, cum in regno Gentius successisset, ab illo defecerunt, & bella cum finitimis gerebant, vicinosque populos* (ideſt Illyrios ultra Tilurum usque ad Titium & Liburniam) *imperio suo subjiciebant.* Vatinius Prætor, qui quartum bellum Dalmaticum gessit; in suis ad M. Tullium litteris *Dalmatia antiqua*, antequam scilicet ultra Nestum seu Tilurum fines suos ac nomen proferret, urbes ipsas viginti attribuit; auctam deinde ait oppidis amplius sexaginta, quæ Dalmatæ finitimis Tilurum inter ac Titium populis adjecerant. *Viginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua, quæ ipsi sibi adsciverunt, amplius sexaginta.* Sed de hac prima Dalmatici nominis atque imperii propagatione iterum dicetur capite tertio.

Fines Dalmatiæ primigeniæ inter Naronem & Tilurum.

Ex Illyriis, qui a Gentio defecerunt, Dalmatæ a Delminio urbe eorum primaria appellati.

Usque ad Titium prolati.

§. II.

Divisio tripartita Illyrici Regii, Liberi, Tyrannici ab Schymno tradita, ad exordium nominis Dalmatici referenda est.

SChymnus Chius is, qui fere uno ante Christum Sæculo oras maritimas jussu Nicomedis Regis Bithyniæ lustravit, & versibus Græcis descripsit, primum bifariam divisit Illyricum in mediterraneum & maritimum; deinde trifariam in Regium, Tyrannicum, & Liberum. Prior divisio cum ipsa per sese intelligi possit, explicatione non indiget; posterior autem cum antiqua sit, & ob eam causam subobscura, aliquam veteris Chronologiæ & historiæ lucem desiderat; eam Schymnus tribus hisce versiculis exposuit.

Tripartita divisio Illyrici a Schymno tradita.

Pars

Digitized by Google

Pars obtemperat Regiæ Potentiæ;
Pars alia servit unius libidini;
Pars legibus vivit suis . . . .

Hæc tripartita divisio Illyrici Regii, Tyrannici, Liberi cum ætate Schymni congruere nequit; nam uno fere sæculo ante partum Virginis, cum Schymnus hæc scribebat, nulla pars Illyrici, cujus descriptionem litteris ille tradidit, imperio ac potestati regiæ sive tyrannicæ suberat. Sublato enim Gentio postremo Illyriorum Rege, quo cum Regnum Illyricum corruit anno ante Christum 168, quidquid Illyrici inter Drilonem & Naronem Gentius obtinebat, Romani in suam ditionem, & provinciæ formam redegerant; reliquum vero Illyricum a Narone usque ad Titium amnem productum, quam Gentio regnante adeptum fuerat libertatem, adhuc eam retinebat, cum Schymnus hæc scripsit. Liburnia quoque per id tempus sui juris erat; Istria vero annis fere septuaginta ante Schymnum, Æpulone Regulo Istrorum devicto, qui ne vivus caperetur, ferro pectus sibi trajecit, in Romanorum potestatem concesserat; sed neutra hæc regio pars est hujus tripartitæ divisionis; quippe utramque, Istriam scilicet ac Liburniam, Schymnus ab Illyrico sejunxit. In ea vero Illyrici regione, quæ Drilonі fluvio & montibus Acroceraunіis interjacet, quidquid urbium aut oppidorum vel Gentius habuerat, vel Perseus ad Regnum Macedonicum adjunxerat, id omne post Regem utrumque devictum anno ante Christum 168, sub populi Romani imperium ditionemque ceciderat. Nullum igitur in toto Illyrico seu regalis, seu tyrannici dominatus vestigium erat, cum Schymnus e tribus Illyrici partibus alteram *regiæ potentiæ*, alteram *unius libidini* subjecit. Itaque tripartitam illam Illyricarum regionum distributionem, non ad Schymni tempora, sed ad superiores ætates revocandam esse arbitror; nam quæ scripsit de ora maritima Illyrica, ipsemet testatur se sumpsisse ex antiquioribus scriptoribus, quorum aliquos nominatim laudat veluti Eratosthenem ac Timæum; alios autem silentio præteriit, apud quos invenerat Illyrios olim partim tyrannide oppressos miserrimam servitutem servisse, partim justo moderatoque imperio obnoxios fuisse, partim regali dominatione exemptos, suis legibus vixisse. Id ante nos animadverterat egregius rerum Dalmaticarum Scriptor, qui hanc tripartitam divisionem primo bello Illyrico subjiciendam censuit, cum Romani victores tres Illyrici partes fecerunt, ut ipse existimasse videtur, quarum una relicta est Pineo Agronis filio, altera Demetrio Pharіo, tertia Scherdilaidæ Illyriorum duci tradita. Sed unde acceperit Scherdilaidam Illyrici parte donatum fuisse plane ignoro; nam neque Polybius, neque Dion, neque Appianus, qui primum cum Illyriis bellum ab Romanis gestum describunt, id commemorant; mihi quidem sane non sit verisimile; præsertim cum Scherdilaidas, ut primum contra Epirotas duxit exercitum Teutæ, quę Pinei tutelam cum regni administratione susceperat, sic postea contra Romanos eidem operam in eo bello navasse videtur. Deinde ut verum sit, quod hic Auctor tradit, tres quidem invenio per ea tempora apud Illyrios regni potitos, sed quinam ex his gentes illas crudeli servitute oppressas teneret, quæve pars Illyrici tum libera esset, suisque legibus viveret, non invenio. Nam regio extrema Illyrici ad Meridiem inter Drilonem & montes Acroceraunios fere omnis Romanorum imperium subierat, una excepta Apollonia, quam Romani, teste Appiano, liberam esse jusserunt. Sed cum reliqua partitionis ratio postulet, ut pars parti proportione aliqua respondeat, non est verisimile, ut Schymnus unam omnino civitatem, quæ sua libertate utebatur, tertiam e tribus Illyrici partibus esse voluerit. Reliquum vero Illyricum ab Drilone usque ad Carnos, præter aliquot urbes, quæ Romanorum concessu cum insula Pharia in potestatem Demetrii venerant, ad regnum Illyricum Pinei pertinebant, quod antea Agronis ditione atque imperio continebatur. Romani siquidem Pineo Agronis filio eam paterni regni partem ademerant, sueque ditioni adjunxerant, quæ Drilonі & montibus Acroceraunіis interjacet; cæterum autem Agronis imperium in Occasum vergens, exceptis oppidis Demetrio traditis, Pineo intactum reliquerant, ut docet Appianus. Hinc etiam deme, si velis, portionem aliquam, qua Romani Scherdilaidam impertierint; tres quidem habes partes Illyrici totidem Regibus subjectas, sed nullam, quæ aut libera esset, aut tyrannica servitute premeretur. Itaque cum post primum Illyricum bellum, nihil loci Illyriis liberis relictum sit, neque designari possit, quæ regio Illyrici tum *serviret unius libidini*, jugumque tyrannicum subierit, cum temporibus illis nequit cohærere tripartita divisio Illyrici Regii, Tyrannici, & Liberi.

Ego vero sic existimo, tum tres Illyrici partes factas esse, quas Schymnus commemoravit, cum pars Illyridos citra Naronem, Dalmatiæ vocabulo assumpto, ab Gentio postremo Illyriorum Rege defecit, anno ante Christum 180. & quam tum adepta est libertatem, usque ad imperium Octaviani Augusti retinuit, eaque paucis post annis ultra Nestum usque ad Titium & Liburniam Dalmatici nominis & imperii fines propagavit. Per idem tempus Liburnia quoque, regia dominatione excussa, se in libertatem vindicaverat. Sed hæc regio, ut diximus, ad eam, quam Schymnus fecit, triplicis Illyrici partitionem non pertinet, quippe cum is Auctor Liburnos ab Illyrico secluserit. Dalmatia igitur, inter Naronem & Titium porrecta, est tertia illa pars Illyrici, quam Schymnus *legibus suis vivere* ait; hoc est, de communi sententia suas sibi leges condebat, quarum descriptione totius juris publici privatique ratio ac disciplina continetur, & suos sibi Magistratus creabat, qui cæteris præessent, remque publicam administrarent.

Quæ vero pars Illyrici *serviebat unius libidini*, ejusque intolerandam tyrannidem vi ac metu coercita perferebat, eam fuisse arbitror inter Naronem & Drilonem, quæ sub ditione & imperio Gentii manserat. Nam illa causa videtur fuisse, quæ Illyrios impulit, ut ab Gentio descisceret, quod is crudeliter avareque imperaret, acerbissimis exactionibus urbes ac populos opprimeret, omnia denique pro potestate ageret, atque ad suum arbitrium libidinemque revocaret. Hujus mores immanes ac feros Livius Dec. 5. l. 4. descripsit; nam neque ab amicis, neque a fratre ipso manus abstinuit, quo tutius regnaret. Illis vero sublatis, gravis deinde, dempto fratris metu, popularibus esse cœperat, & violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat.

Tertia demum pars Illyridos, quæ justi moderatique Principis imperio suberat, & *obtemperabat regiæ potentiæ*, ultra Drilonem in Solem orientem ac Meridiem introrsus a mari vergebat. In ea siquidem regnum obtinebat Pleuratus Scerdileti filius inde usque ab anno ante Christum 197. post confectum bellum secundum Macedonicum. Romani enim hanc partem Illyrici Philippo Macedonum Regi ademptam Pleurato donaverant, quod

ætate Schymni; non congruit cum

sed ad superiores ætates revocanda est.

nequit cohærere cum proximis post primum bellum Illyricum temporibus.

Divisio Illyrici Regii, Tyrannici, Liberi cum ætate Schymni congruit.

Illyricum Liberum.

Illyricum tyrannicum.

Gentii tyrannidis descriptio.

Illyricum regium.

Pleuratus Scerdileti filius re-

is contra Philippum a Romanis ſtetiſſet; in eoque bello ejus opera haud parvi fuiſſet. Id tradit Livius Dec. 4. l. 3. *Pleurato Lingus, & Parthini dati; Illyriorum utraque gens ſub ditione Philippi fuerat.* Idem vero Livius, cum bellum Macedonicum fauſtis initiis geri jam cœptum eſſet, inter alios Regulos ac Principes Macedoniæ accolas, quos ultra Romanis auxilia pollicentes Sulpitius Conſul in ejus belli ſocietatem accepit, Pleuratum Scerdileti filium annumerat. Is vero conjunctis Illyricis copiis cum exercitu Dardanorum, primus in Macedoniam aditum bello patefecit: *Hac ſatis felici expeditione bello commiſſo, Reguli ac Principes accolæ Macedonum in caſtra Romana veniunt, Pleuratus Scerdileti filius, & Amander &c. Pollicentibus auxilia reſpondit Conſul Dardanorum & Pleurati opera, cum exercitum in Macedoniam induceret, ſe uſurum . . . . Fama erat Pleuratum Dardanoſque ingentibus copiis profectos domo, in Macedoniam tranſcendiſſe.* Itaque Pleuratus ob ſuam operam prompte oblatam, egregieque præſtitam Romanis, remunerationis ergo ab iiſdem Parthinos, & Lynceſtas ab regno Philippi divulſos accepit, quos ille ad paternam & hæreditariam Scerdileti ditionem adjunxit. Nam Pleuratus ante bellum Macedonicum aliquem in Illyriis principatum obtinebat; quippe Livius & Pleuratum Reguli nomine, & Scerdiletum ejus parentem regali titulo affecit. Adde, quod idem Scerdiletus, quem Polybius l. 3. Scherdilaidam vocat, rogatus a Philippo Macedonum Rege, auxiliares copias eidem contra Ætolos auxilio miſit, quas ex Illyriis ſuo imperio ſubjectis contraxerat. Parthini, ſeu Partheni, gens Illyrica, a Partho, quam Partheniam alii vocant, urbe gentis primaria denominati, ab Septemtrione Taulantiis, ab Occaſu Macedoniæ finitimi, prope ab Dyrrachio regionem a mari remotam incolebant, ut Polybius apud Ferrarium docet; quamvis Pomponius Mela l. 2. c. 1. eos cum Daſſaretis infra Taulantios ad Meridiem conſtituere videatur. *Parthini, & Daſſaretæ prima ejus tenent, ſequentia Taulantii.* Plinius lib. 3. cap. 22. a Parthinis Parthenos diſtinxit; atque hos quidem in Illyricum proprium rejecit, locavitque proximos Cereis haud procul Epidauro, illos vero cum Daſſaretiis Macedoniæ attribuit; nam ut alibi diximus, hæc poſtrema ad meridiem pars Illyrici in jus nomenque Macedoniæ tranſiit. *A Liſſo*, inquit cap. 23. *Macedonia Provincia, gentes Parthini, & a tergo eorum Daſſaretæ.* Parthenos, & Parthinos unam eamdemque gentem Illyricam fuiſſe arbitror, ſed locis diſtinctam; & vel ex hac extrema regione Illyrici in Illyricum proprium, vel huc Parthinorum coloniam illinc emiſſam fuiſſe. Sed Parthini, quos Romani Philippo ademerant, dederantque Pleurato, in ea parte Illyrici ſedes habebant, quæ ultra Drilonem uſque ad montes Acroceraunios producta nomen Macedoniæ ſubiit, ac poſtea dicta eſt Epirus nova. Parthenos autem incolas Illyrici proprii Gentius vi tyrannica oppreſſos imperio coercebat. Lynceſtas a Romanis in ditionem poteſtatemque Pleurati traditos, populos mediterraneos alii Illyrico, alii Macedoniæ adſcribunt; propterea quod hæc pars Illyrici ab regione Orientis, varios pro temporum varietate terminos habuit. Cum enim antiqui Reges Illyriorum multa & gravia bella cum Macedonibus geſſerint, hinc factum eſt, ut juris ac nominis Illyrici fines, alias contraherent cum vincerentur, alias in ipſam Macedoniam extenderent, cum victores eſſent. Titus Livius, qui Dec. 4. lib. 3. Lynceſtas a Lingo urbe principe, quam alii Lynchum vocant, nomen adeptos, gentem Illyricam eſſe dixerat, eoſdem deinde Dec. 5. lib. 5. in quartam Macedoniæ regionem conjecit. Idem Livius Daſſaretiis, qui lacum Lychnidum circumcolebant, Lynceſtas ab Ortu finitimos appoſuit, cum Dec. 4. lib. 2. ait T. Quinctium Conſulem id conſilii cepiſſe, ut per *Daſſeritios Lingumque tuto circuitu Macedoniam intraret*. Pleuratus igitur paternam ditionem, Parthinis & Lynceſtis Illyricis populis auctam regali imperio regebat; illam ſcilicet partem Illyridis, quæ, ut ait Schymnus, *obtemperabat Regiæ potentiæ*. Huic Pleurato cognatio aliqua interceſſerat cum Gentio, idque conjici poteſt ex ipſo ejus nomine, quo & parentem & tritavum Gentii appellatum invenio. Nomen autem veluti gentile, ac duabus familiis commune, argumento eſt utramque familiam ab uno olim eodemque ſtipite propagatam fuiſſe, ac deinde alteram ab altera ſejunctam eſſe.

Ac nulla quidem videtur eſſe controverſia, quin Dalmatæ fuerint ea pars Illyriorum, quos liberos, immuneſque ſuis legibus regi Schymnus tradidit. Duos itidem conſtat per id tempus apud Illyrios imperaſſe, Gentium ac Pleuratum, quorum alter Illyrios proprie dictos, alter Lynceſtas & Parthinos in ſua ditione ac poteſtate habuit; verum dubitari fortaſſe poſſet, uter horum crudele in ſuos violentumque imperium exerceret. Si quis Pleurato mallet, quam Gentio, nomen dominatumque tyrannicum adſcribere, huic opinioni præſidium aliquod ex eo adſciſcere poſſet, quod Pleuratus paullo ante, quam tertium bellum Romani cum Macedonibus ſuſciperent, regno extorris apud Perſeum exulaſſe legatur, idemque a Perſeo legatus ad Gentium veniſſe, ut eum ad belli ſocietatem cum Perſeo jungendam perliceret. Hujus autem exilii cauſa conjici poteſt in ipſum Pleuratum, quem Parthini ac Lynceſtæ, cum acerbe atque avare imperaret, conſpiratione in eum conflata, regno expulerint, ſeque ipſi ad fidem & ſocietatem populi Romani retulerint. Nam Livius, qui Dec. 5. lib. 5. bellum cum Perſeo geſtum deſcribit, Parthinos inter Socios Romanorum annumerat.

Hæc cum ita ſe habeant, ut paucis omnia complectar, tripartita illa diviſio Illyrici *Regii, Tyrannici, ac Liberi* a Schymno tradita, videtur conjungenda eſſe cum initio nominis Dalmatici, & cum primordiis Reipublicæ illius, quam Dalmatæ regio dominatu excuſſo condiderunt anno ante Chriſtum 180., annis fere centum, antequam Schymnus oræ maritimæ deſcriptionem ederet, eamque ad Nicomedem Bithyniæ Regem mitteret. Sed cum non deſint, qui Schymnum paullo antiquiorem faciant, ipſumque altero ante conditam Salutem ſæculo floruiſſe cenſeant, horum ſi vera eſſet opinio, dici poſſet res ſui temporis ſcripſiſſe, cum Illyridem trifariam diviſit, ac partem Regiæ potentiæ obnoxiam, partem vi ac libidine tyrannica oppreſſam, partem alienæ dominationi exemptam ſuiſque utentem legibus fuiſſe docuit.

Thracum in Parthinis & Lingo obtinebat.

Pleurato Parthini & Lynceſtæ a Romanis dati.

Regio Parthinorum.

Parthini a Partheniis apud Plinium diſtincti.

Lynceſtarum regio.

Illyricum Liberum apud Dalmatas.

Gentiuſque in Pleuratæ imperio tyrannico uterentur, dubium poſſit.

§. III.

Cur Dalmatia dicta ſit ab aliis prima pars Græciæ; ab aliis Regio Italiæ.

QUi Dalmatiam Græciæ vocabulo donaverit, Græciſque provinciis adjunxerit, antiquiorem Iſidoro Hiſpalenſi neminem invenio, cujus ætas in ſeptimum æræ vulgaris ſæculum incidit, obitus in annum ejuſdem ſeculi fere ſextum & trigeſimum. Is Origin. lib. 14. cap. 4. *Sunt*, inquit,

Dalmatia prima pars Græciæ Iſidoro auctore;

Digitized by Google

inquit, *provincia Græciæ septem, quarum prima ab Occidente Dalmatia*, &c. Iſidorum hujuſce appellationis auctorem laudat Thomas Archidiaconus Hiſt. Salon. cap. 1. *Dalmatia ſecundum Iſidorum eſt prima pars Græciæ*. Andreas Dandulus ad an. 1085. hiſtoricorum auctoritate & conſenſu factum eſſe ait, ut Dalmatia habita & dicta ſit prima Græcarum provinciarum: *quia ſecundum Hiſtoriographos Dalmatia prima Provincia Græciæ eſt*. Idem antea ad an. 874. inter Provincias Græciæ primam eſſe Dalmatiam ſcripſerat: *Eſt autem Dalmatia prima Provinciarum Græciæ, quæ habet ab Oriente Macedoniam, ab Occaſu Iſtriam, a Meridie mare Adriaticum, & Inſulas Liburnicas, a Septemtrione Pannoniam* &c. Flavius Blondus lib. 2. haud diſcrepat a Dandulo: *Siquidem vetuſti nominis Dalmatia Græciæ regio prima, ab Oriente Macedoniam, ab Occaſu Iſtriam, a Meridie Pelagus Adriaticum, a Septemtrione Pannoniam habuit*. Ac mihi quidem videtur hujus appellationis cauſa multo altius, & inde uſque a principio Illyrici nominis repeti poſſe, & Dalmatia multis ante Chriſtum ſæculis nominata eſſe, vel nominari potuiſſe pars Græciæ, atque inter Provincias Græcas annumerari; ſiquidem hæc regio plurimas e Græcia colonias excepit. Primam invexit Hyllus Herculis filius auctor & conditor nominis ac generis Illyrici. Is enim & oriundus erat e Græcia, & e Phæacia ſive Corcyra Græcorum inſula colonos illuc deduxit, qui cum initio ab ſuo Duce ac Rege dicti eſſent Hylli, & Hyllini, & Illynici, poſtea appellati ſunt Illyrici. Horum enim originem ad Græcos referendam eſſe auctor eſt Schymnus, quamvis ex aſſidua cum barbaris finitimis conſuetudine ab Græcorum moribus, atque inſtitutis aliquantulum deſciverint, & barbariem quamdam contraxerint.

Sed oppida illic quindecim colere aſſerunt
Hyllos originis quidem Græcanicæ,
Quorum auctor Hyllus gnatus Herculis fuit.
Malo propinquorum tamen contagio
Feruntur evaſiſſe Barbari,
Ut aſſerunt Timæus & Eratoſthenes.

Nec vero dubites, quin Diomedes, qui Trojano bello perfunctus, & claſſe in Adriaticum mare invectus, cum aliqua Illyrici maritimi loca cepit, tum in adverſa Italiæ ora multas civitates condidit, vel reſtituit, e copiis Græcorum, quas ſecum advexerat, partim apud Illyrios reliquerit, iiſque inſulas urbeſque, quibus potitus fuerat, habitandas ac tuendas tradiderit, partim vero in Italiam deduxerit. Nam Diomedem ad hæc littora appuliſſe, & in utraque ora Illyrica & Italica dominatum eſſe, monumenta utrobique ab eo relicta teſtantur, ut alibi diximus, veluti Promontorium Diomedis, quod inter Neſtum ac Titium prominet, & ſinuoſo ambitu in mare protenditur, Templum Diomedis nomine conſecratum in ipſo intimo maris Adriatici receſſu prope ab oſtiis Timavi, ritus Junonis Argivæ, Dianæque Ætolicæ colendæ ab Diomede invectus atque Euganeis traditus, item duo luci antiqua religione inſignes, alter Junoni, alter Dianæ conſecratus, aliaque ejuſmodi, quæ Strabo lib. 5. commemorat. In Italiam autem Diomedem veniſſe poſt peragratam oram Illyricam teſtes ſunt campi Diomedæi in Daunia, ubi Sipontum, Salapia, Argos hyppium, quas urbes ab Diomede ædificatas ferunt, & inſulæ Diomedeæ, quæ Gargani Promontorio ab Septemtrione objacent.

Poſt Diomedem gens Liburnica, deinde Celtica in Illyricum incubuit; quibus in ea regione dominatum adeptis, quidquid erat græci generis vel extinctum eſt, vel in earum gentium ditionem moreſque migravit. Sed nomen genuſque Græcorum apud Illyrios refloreſcere cepit Dionyſio ſeniore imperante, qui tyrannidem Syracuſis occupavit anno ante Chriſtum 406. Is oræ utriuſque, & navigationis Adriaticæ potiundæ cupidus, utramque oram atque inſulas colonis e Sicilia emiſſis frequentavit. Hos autem genere Græcos fuiſſe ſatis liquido conſtat; nuſquam enim crebrius & frequentius, quam e Græcia in Siciliam migratum eſt; & quidquid nominis ac celebritatis adepti ſunt Siculi, quidquid terra marique ad conſtituendum augendumque imperium præclare geſſerunt, id totum Græciæ, & acceptis indidem Ducibus & copiis debent. Hinc factum eſt, ut Sicilia univerſa, Græcorum referta cum eſſet, ab Græcis inſtituta ac leges adſciverit, & Græca lingua uteretur; cujus rei auctor graviſſimus eſt Plato, qui Dionyſiorum ætati æqualis fuit, & in Epiſtola ad Propinquos Dionis conqueritur linguam Græcam paullatim apud Siculos vetuſtate ac deſuetudine exſoleſcere: *Si quod abſit, id fiat, quod eventurum veriſimile eſt, univerſa Sicilia in Græcæ linguæ oblivionem lapſura videtur*. Primus omnium, ut tradit Thucydides, Græcos in Siciliam deduxit Theocles Athenienſis, qui hanc Inſulam, ut ait Strabo lib. 6. raris tum incolis oppidiſve habitatam, opimam vero in primis ac fertilem, & rebus omnibus ad victum cultumque neceſſariis affluentem e propinquo contemplatus, Chalcidenſes ex Eubœa, & Dorienſes ex Achaja uberioris latioriſque agri ſpe illectos facile perpulit, ut illuc ſe ductore coloniam emitterent. Ergo veluti aperta per Theoclem e Græcia in Siciliam via, ſignataque Chalcidenſium & Dorienſium veſtigiis, multæ deinceps ex omnibus Græciæ provinciis migrationes factæ, & indigenis in loca mediterranea compulſis, omnique ora maritima advenarum coloniis oppleta, Græcia in Sicilia dominari, ac potentiſſimis & maximis urbibus florere cepit. Itaque vetuſtiſſimæ ac celeberrimæ Siculorum civitates, Naxus, Megara, Syracuſæ, Meſſana, & plures aliæ ad Græcos conditores ſua primordia referunt.

Ergo Dionyſius Liſſum urbem munitiſſimam in Illyrico ad Drilonis oſtia condidit; Iſſam inſulam Liburnis ademit; utroque Syracuſiorum, qui e Græcia oriundi erant, coloniam induxit. Sub idem fere tempus Parii originis itidem Græcanicæ inde uſque a Paro Ægei maris inſula profecti, delatique in Adriaticum ſinum, opem ferente Dionyſio, occuparunt alteram inſulam Illyricam, quæ ab Iſſa non ita lato interjecto mari in Orientem diſtabat, atque ab advenis Phariæ nomen accepit. Nec multis poſt annis Syracuſii Iſſenſes jubente Dionyſio in continentem Illyricam tranſvecti, partem oræ maritimæ inter oſtia Titii ac Tiluri, pulſis Illyriis, ad ſuam ditionem adjunxerunt, ibique duabus civitatibus ædificatis Tragurio & Epetio, nomen genuſque Græcorum, linguam, mores, inſtituta late propagarunt. Ita Græcia multo ante in Illyrico dominari cœperat, quam gens & reſpublica Dalmatica oriretur, eaque regio nomen Dalmatiæ ſubiret. Quare vetuſtiſſimi Geographorum Scylax Chariandienſis, & Schymnus Chius multas in Illyrico ſeu Dalmatia urbes inſulaſque commemorant, quas Græcorum fuiſſe teſtantur, veluti Heracleam, Pharum, Iſſam, Corcyram Melænam, quibus adde Epetium & Tragurium urbes ab Græcis Syracuſiis conditas, inſulaſque Proteradem, Cratiam, Olyntham, & alias, quas ſub Græcorum poteſtate fuiſſe vel ipſa vocabula declarant.

quem ſequuntur Archidiaconus, Dandulus, & Blondus.

Dalmatia antiquitus Græcia dicta.

Hyllus Græcos illuc invexit.

Diomedes Illyricus.

e Sicilia in Dalmatiæ Græcorum coloniæ deductæ ab Dionyſio Seniore.

Sicilia Græcis referta.

Chalcidenſes & Dorienſes Græci in Siciliam advecti.

Liſſum, & Iſſam Græcas e Syracuſiis coloniæ ſequentes, & Phariam Parii.

Iſſenſes Syracuſii conditores Epetii & Tragurii.

Satis

Extrema pars Illyrici ultra Drilonem ab Græcis habitata.

Satis vero constat extremam ad Meridiem Illyrici partem jam usque ab antiquissimis temporibus ante nomen Dalmaticum exortum cultam esse a Græcis, & habitatam frequentissime; nemo enim ignorat Epidamnum, Apolloniam, Oricum, ut cæteras prætermittam, urbes fuisse coloniasque Græcorum vetustissimas. Quocirca Christophorus Cellarius admodum scite distinxit Illyridem Græcam a Barbara. Quidquid Illyrici est citra Drilonem fluvium vergens in Occasum, id Barbaris attribuit; quidquid vero ultra Drilonem, urbemque Lissum in Meridiem usque ad Epirum porrigitur, Græcis pariter Illyriisque adscripsit: *Illyricum*, inquit lib. 2. c. 13. *perlustravimus, antequam in Italiam veniremus; restant gentes quædam Illyricæ Græcis colonis permixtæ, quorum consociatione barbariem exuerunt, Græcis & ipsæ deinceps adnumeratæ. Utique ergo discernenda est Illyris barbara, quæ in Lisso desinit, ab Illyride Græca, quæ ab illa urbe ad Epiri fines juxta tergum maris Adriatici, & intus aliquantum procurrit.* Hæc regio cum post primum bellum Illyricum magna ex parte in potestatem Romanorum venisset, diremptoque fere omni cum Illyriis commercio, ad mores atque instituta Græcorum, quibus referta erat, paullatim desciverat; ut jure meritoque Cellarius eam *Illyridem Græcam* appellandam censuerit. Sed postquam Romani reliquum fere omne Illyricum subegerant, Dalmatis exceptis, qui se suamque libertatem arduis & alpinis locis diu ac graviter tuentes, postremi omnium Illyriorum ab Augusto in deditionem Imperii redacti sunt; tum vero gens utraque Illyrica, Græca & barbara, ut Cellarii vocabulis utar, morum ac legum communione, publicis privatisque necessitudinibus jungi inter se, miscerique, & coalescere in populi unius corpus iterum cœpit. Ita enim natura & vulgari consuetudine comparatum est, ut gentes præsertim finitimæ, quæ sub eodem jure & imperio sunt, facile inter se ad civilem communitatem, rerum fere omnium commercio, conjungi & consociari solcant: hinc etiam factum esse arbitror, ut alteri cum alteris se se connubiis & affinitatibus devincirent, & familiarum migrationes ultro citroque fierent. Verisimilius autem est Illyrios ab Græcis natione cultissima, legumque suarum tenacissima recte vivendi agendique disciplinam accepisse, quam Græcos in mores & consuetudines Illyriorum degeneasse. Brevi itaque Illyricum omne citra Drilonem, quod post Liburnos ab Julio Cæsare in deditionem acceptos, & Dalmatas ab Augusto & Tiberio subactos, Dalmatiæ nomen subiit, hodieque retinet, ab Græcis frequentari, Græcorum moribus assuescere, & Græce etiam loqui cœpit; quo factum est, ut antiquitus Illyricum sive Dalmatia veluti pars quædam Græciæ & dici & haberi soleret. Quemadmodum pars ultima Italiæ, quæ vergit ad Meridiem, quod Græcis urbibus, & colonis plena esset, quod Græcorum studiis atque institutis floreret, quod Græca lingua uteretur, ab antiquis appellata est magna Græcia; sic etiam Dalmatia, cum jam inde a principio Illyrici nominis colonos Græcanici generis excipere consuesset, quorum aliis insulæ, aliis ora maritima receptum præbuit; ac deinde sub Imperio Romanorum conjuncta cum Illyride Græca, hinc sibi & affinitates hospitiique necessitudines conciliaverit, & novos incolas adjunxerit, & Græcorum linguam moresque adsciverit, merito tum pars Græciæ haberi, tum Græciæ vocabulo donari potuit. Cur autem dicta sit pars seu regio prima Græciæ, ratio in promptu est; cum enim quidquid infra Drilonem Adriatico, Jonio, & Ægeo mari circumluitur, amplissimo Græciæ vocabulo contineretur, quod Græcorum natio per omnes illas regiones longe lateque diffusa esset, Dalmatia inter Arsiam, & Drilonem porrecta, si quidem annumeranda est inter Græcas provincias, prima pars a Septemtrione, seu prima Regio Græciæ fuerit oportet, eratque profectis ab Italia primus quasi aditus vestibulumque Græciæ; qua in regione quodammodo expressam Græciæ quamdam effigiem ex incolarum lingua Græca quamvis extranea, & moribus institutisque Græcorum licet adventitiis perspicere licebat.

Illyris Græca & barbara sub imperio Romanorum conjuncta,

& utraque Græcis moribus atque institutis exculta.

Ita Italia ad Meridiem extrema Magna Græcia,

Dicta Illyris Græca.

Cæterum si quis nimis alte longeque a nobis accersiri causam existimet, cur Dalmatia dicta sit Regio prima Græciæ, eam retrahat, per me licet, ad sæculum sextum, imperante Justiniano, qui expulsis Gothis Italiam & Illyricum recepit, ac regionem utramque Imperio Orientis adjunxit, cum ante Gothorum adventum ad Imperium occidentale pertineret. Quamvis autem Italia haud multis post annis sub jugum ceciderit in potestatem Langobardorum, Dalmatia tamen in fide mansit ac ditione Imperatorum Orientis; & licet sæculo septimo Slavi Dalmatiam mediterraneam, permissu Heraclii, occupaverint, & sæculo nono Carolus Magnus aliquam ejusdem partem sibi vindicaverit; maritimam tamen Dalmatiam fere omnem iidem Imperatores in sua potestate retinuerunt usque ad sæculum undecimum; quo tempore, cum res Orientis jampridem domesticis seditionibus, externisque bellis afflictæ collabi diminuique cepissent, Dalmatiæ possessione, quam tueri non poterant, decedere coacti sunt. Jam vero Imperium Orientale idem esse atque Imperium Græcum, & Imperatores Orientis dictos esse Imperatores Græcorum nemo ignorat; quippe cum quidquid gentium, præter Italos, in Europa Asiaque iidem Imperatores obtinebant, id propemodum omne Græcanicæ originis erat, neque alia nisi Græca lingua utebatur. Itaque idem est Dalmatiam primam esse Regionem Græciæ, ac primam esse Provinciam Imperii Græci, cum ob eam, quam dixi causam, quodcumque regionum Imperio Orientis suberat, id rite appellari posset Græcia; præsertim postquam Italia omni, præter Romam & Ravennam, amissa, translataque ad Imperium Langobardorum, nihil ferme, quod Græcum non esset, sub ditione ac potestate Orientallum Imperatorum permanserit. Cum autem ex majori parte unamquamque rem appellari spectarique deceat, jure sane meritoque Dalmatia, quæ ad universi Imperii Græci circumscriptionem exiguæ partis instar obtinebat, dicta est Regio Græciæ, idest una ex provinciis Imperii Græci; & prima quidem provinciarum Græciæ, cum post Italiam amissam, hinc initium duceret imperium Græcorum. Hanc ferme rationem reddidit Andreas Dandulus, cur Dalmatia nomen Græciæ ab Historicis acceperit; ait enim idcirco hanc regionem pertinuisse ad Imperatores Constantinopolitanos, quia *secundum Historiographos Dalmatia prima provincia Græciæ est*, idest provincia prima imperii Græci. Ita fit, ut Dalmatia regio & pars Græciæ primum appellari cœperit sexto sæculo, cum adjuncta est ad Imperium Græcorum, haud multis annis ante Isidorum Hispalensem Episcopum, qui primus invenitur, a quo Dalmatia vocata sit *prima pars Græciæ*.

Dalmatia conjuncta cum Imperio Orientis,

quod Imperium Græcorum dici soleat.

Hinc Dalmatia dicta prima regio Græciæ, idest prima provincia Imperii Græci.

At quidnam causæ esse putemus, cur Dalmatia, quam aliqui partem Græciæ fecerunt, eadem ab

aliis

Dicta est Græcia.

aliis adscripta fuerit Provinciis Italiæ? Stephanus Byzantius bonus in primis Auctor, qui de Urbibus libellum scripsit sæculo sexto vergente, Dalmatiam jure ac nomine Italico donavit: *Dalmatia*, inquit, *Italiæ est regio*; idem confirmat Constantinus Porphyrogenitus: *Cæterum Dalmatia Italiæ regio est*. Cæsar Octavianus Augustus, cum Istriam divulsam ab Illyrico in Venetiam, decimam Italiæ regionem, transtulit, Italiæ terminos usque ad Arsiam protulerat; sed neminem invenio, qui prius Arsiam Istriamque nomen ac fines Italiæ propagaverit. Quid igitur est, quod Stephanus & Constantinus Dalmatiam inter regiones Italiæ annumerent? Cujus quidem rei cum causam quærerem, hanc mihi fere probabilem reperiisse videor, quod hic subjicio. Constantinus Magnus, cum quatuor Præfectos Prætorio instituit, ut tradit Zosimus, uni eorum omnis & omnino integri Illyrici administrationem commiserat; sed post Constantinum bifariam cum esset divisum Illyricum, ea pars Illyrici, quæ ad Solem occidentem spectat, & sex Provincias complectitur, duas Pannonias, Saviam, Noricum utrumque & Dalmatiam, attributa est Præfecto Prætorio Italiæ. En igitur causam, cur laudati Scriptores Dalmatiam in numerum regionum Italicarum retulerint. Verum, inquies, si Dalmatia propterea dicta & habita fuit Regio Italiæ, quod Præfecti Prætorio Italiæ jurisdictione & potestate contineretur, nihil causæ est, cur Pannoniam, & Noricum, & Saviam Italicis regionibus adscribi non liceat, cum has Provincias una cum Dalmatia Italicæ Præfecturæ adnexas fuisse constet. Fateor equidem, si quid valet nostra sive conjectura, sive ratiocinatio, hæc inter se consentanea esse, neque si Dalmatiam Italiæ adjunxeris, cæteras Illyrici Occidentalis provincias ab Italia disjungi posse. Ego vero nullus dubito, quin Scriptores illi, cum Dalmatiam vocant regionem Italiæ, alias quoque Illyricas Occidentales provincias Italiæ attribuant. Id ut plane ac perspicue intelligi possit, illud animadvertas velim, quod capite tertio fusius & diligentius explicari oportebit, moris fuisse Græcorum sexti sæculi, ut Dalmatiæ vocabulo fere universum Illyricum Occidentale subjicerent; & præclare admodum sciteque docuit Constantinus Porphyrogenitus Dalmatiam temporibus illis usque ad Danubium fuisse prolatam, id est propemodum omnes Illyrici Occidentalis provincias uno Dalmatiæ nomine comprehensas esse. Sed hæc alias, nunc quod instat. Cum ergo Stephanus & Constantinus Dalmatiam Italiæ regionem esse affirmant, ad eam regulam & normam loquendi, quæ sexto sæculo apud Græcos usurpari solebat, vim exigunt notionemque hujus vocabuli, neque illis Dalmatiam terminis circumscribunt, quibus vel antiqua, vel hodierna Dalmatia definitur; sed longe lateque proferunt, & fere totum Illyricum Occidentale Dalmatiæ nomine intelligi volunt. Itaque Dalmatia & Illyricum Occidentale apud illos Scriptores pro Synonymis habentur; & cum dicunt Dalmatiam esse regionem Italiæ, idem est, ac si dicerent Illyricum Occidentale regionem Italicam esse, quippe cum pars esset Præfecturæ Italicæ, sive una e tribus diœcesibus, quæ ad Præfectum Prætorio Italiæ pertinebant. Illud hic opportune admonendum censeo, quod Stephanus & Constantinus cum Dalmatiam, id est Illyricum Occidentale regionem Italiæ nominant, res duas temporibus disjunctas simul conjungunt. Nam Illyricum Occidentale, cum intra finem sæculi quarti adjunctum fuit sub potestate Præfecti Prætorio Italiæ, qui has Illyricas provincias per suum Vicarium Sirmii constitutum administrabat, nondum Dalmatiæ communis vocabulum apud Græcos Scriptores inbierat; quippe tum primo Dalmatiæ nomen ac fines propagari, extendique paullatim per universum Occidentale Illyricum, excepto Norico, cœperunt, cum Justinianus sexto sæculo, expulsis barbaris, illud recuperavit, atque iterum cum Imperio Romano conjunxit. Græci siquidem & Byzantini Scriptores quidquid Illyrici ereptum hostibus sub fidem ditionemque Imperatorum redibat, posthabito Illyrici nomine, Dalmatiæ vocabulo impertiebant, quod deinde paullo explicatius declarandum erit. Ita factum est, ut Dalmatia suos fines usque ad Danubium protenderet. Contra vero cum Illyricum Occidentale Dalmatiæ nomini subesse cœpit, tum neque ad Italiam, neque ad Præfecturam Italicam pertinebat; quippe amissis redactisque in servitutem Vandalicam, & Gothicam Italia, Africa, & Illyrico, sublata est Præfectura Prætoriana Italiæ, cui tres illæ Diœceses attributæ fuerant; cum autem Illyricum Gothis Justinianus ademit, Illyricum non restituit Italiæ; sed Præfectura suprema Illyrici ad Justinianam primam translata, quod barbarica clades & provinciarum distractio reliquum fecerant Illyrici sive Orientalis, sive Occidentalis, id omne ad jus auctoritatemque Præfecti Justinianæ primæ revocavit. Cum ergo duo illi sæpe laudati Scriptores ajunt Italiæ regionem esse Dalmatiam, ac Dalmatiæ vocabulo Illyricum Occidentale fere totum comprehendunt, Norico excepto, quod Gothis ademptum, disjunctumque ab Illyrico, in jus ditionemque Francorum concesserat, tum respiciunt ad superiora tempora, cum provinciæ Occidentalis Illyrici pars erant Italiæ, seu Præfecturæ Italicæ; tum ad consuetudinem loquendi posterioribus ætatibus receptam se accommodant, cum Illyricum Occidentale apud Græcos Dalmatiæ nomen subierat: perinde autem est, quasi dicerent Dalmatiam, id est Illyricum Occidentale jure haberi dicique posse regionem Italiæ, quippe olim ad Italiam, sive ad Præfecturam Italicam spectabat. Geographi enim pariterque historici provincias atque urbes illis interdum vocabulis licet obsoletis & antiquatis allocere solent, quæ olim in eas competebant; id siquidem non injucundam cognitionem vetustatis affert, & quænam fuerit antiqua earum descriptio sive naturalis, sive civilis, declarat. Dalmatia ergo, id est complexio illarum Provinciarum, ex quibus constabat Illyricum Occidentale, idcirco dicta est Regio Italiæ, quod olim pars esset, seu diœcesis Præfecturæ Italicæ. Quamvis autem Africa eidem Præfecturæ subesset, quia tamen latissimo interjecto mari longe aberat ab Italia, tertiamque orbis partem ab Europa Italiaque distinctam conficiebat, nemo illam Italiæ regionibus adscripsit; contra vero diœcesis Illyrica ut Præfecto Italiæ parebat, sic etiam finitima erat, & contigua Italiæ.

Quod si Pannoniæ & Savia ab Italia longiori intervallo disjungi videantur, quam ut debeant aut possint Italiæ regionibus includi, per me contrahas licet intra fines Dalmatiæ hodiernæ jus nomenque Italicum, cui Dalmatiam Stephanus, & Constantinus subjiciunt; sic prorsus, ut secluso reliquo Occidentali Illyrico, unius Dalmatiæ inter Arsiam & Drilonem contractæ appellationem regionis Italicæ propriam fecerint. Alia subjici potest ratio neque improbabilis, neque longe petita, cur hæc Dalmatia nominata sit Regio Italiæ. Sæpe accidere solet, ut regiones finitimæ, sive ob mutua utriusque gentis commercia, sive ob colonias ultro citroque missas & acceptas, vocabula Chorogra-

Dalmatia Italiæ regio

propterea dicta est, quod subesset Præfecto Prætorio Italiæ.

Illyricum Occidentale P. P. Italiæ subjectum est sæculo 4.

receptum de Barbaris sæculo 6. Dalmatiæ communi vocabulo appellari cœpit.

& Præfecto Justinianæ primæ attributa.

Geographi antiquis vocabulis aliquando uti solent.

Alia causa, cur Dalmatia vocata sit Regio Italiæ.

Digitized by Google

graphica inter se communicent, & alterutra in ditionem alterius suum nomen inferat; nec vero hujusmodi rei desunt nobis exempla domestica. Nam ex Istria in Dalmatiam nomen Istricum invasit, & Dalmatia suo nomine decimam Italiæ regionem impertiit. Videsis caput quartum, ubi hæc planius & distinctius explicantur. Quemadmodum ergo Dalmatia nomen Dalmaticum communicavit cum ea parte Italiæ, quæ sibi contigua erat, sic ab eadem ipsa quoque nomen Italicum recipere potuit; quo fit, ut quæ fuit alterius cum altera gente vicinitas, usus, consuetudo, sermonis, rerumque aliarum commercium in Italiam quidem Dalmatiæ, in Dalmatiam vero Italiæ nomen invexerit; ac propterea Dalmatia appellata est *Regio Italiæ*.

CAPUT II.

De Populis Dalmatiæ antiquæ ante nomen Dalmaticum exortum.

Fines Dalmatiæ antiquæ.

IN ea Illyrici regione, quam Nestus ab Occasu, Naro ab Oriente definiunt, & quæ alterius ante Christum sæculi anno fere octogesimo Dalmatia nominata est, quatuor imprimis nationes vetustissimæ originis habitasse comperio, Nestos, Manios, Autariatas, Ardiæos, ut prætermittam Hyllinos Pelasgos gentis Illyricæ conditores, itemque Liburnos, ac Celtas, de quibus parte prima satis multa diximus. Illi vero populi, quos modo percensui, vel antiquitate, vel nominis fama ac celebritate, secundum Hyllinos, Liburnos ac Celtas, cæteris Illyriis facile antecellunt, qui Dalmatiam antiquam ac primigeniam incoluere, antequam Dalmatarum nomen & respublica vigere cepisset. De singulis pauca subjiciam, quæ cognitione ac litteris digna esse videbuntur.

§. I.

De Nestis ac Manis:

Nesti ac Manii inter Nestum ac Naronem.

SCylax Caryandensis omnium, qui extant, Geographorum antiquissimus, cujus ætas annis amplius quadringentis & quinquaginta æram vulgarem anteceſſit, Nestos & Manios inter duos fluvios, quibus Dalmatia antiqua terminatur, Nestum & Naronem locavit. Sed populi utriusque sedes ac fines, minus accurate, quam oportuerat, perspicueque distinxit; nec ea distinctio addisci potest ex aliis antiquis Geographis, cum nemo, præter Scylacem, vel Nestos, vel Manios nominaverit. Verum idem Scylax, cum Sinum eumdem, quem littus arcuatum inter ostia Nesti, & Naronis efficit, modo Nestum, modo Manium appellaverit, satis declarat Nestos & Manios Sinum illum ab utrisque denominatum accoluisse; & cum ab Occasu in Ortum progrediens describat oram maritimam, Nestosque Maniis anteponat, oram illam, qua vergebat ad Occidentem, Nestis, qua in Solem orientem spectabat, Maniis attribuere videtur; præsertim cum regionem Bullinorum usque ad Nestum sinum extenderit: *enavigatur*, inquit, *Bullinorum regio die longiori uno usque ad Nestum Sinum*; & Bullinis finitimos statuat Nestos, quorum vocabulo regionem ultra Nestum, sive Tilurum amnem subjecit. Hujus oræ, quam Nesti incolebant, itemque insularum adjacentium descriptionem, per Lucam Holstenium e Græco in Latinum conversam, huic loco attexere libet.

NESTI.

Descriptio regionis Nestanæ.

Post Nestum (flumen) *deinde sinuosa navigatio est, vocatur autem totus hic Sinus Manius, qui uno die præternavigatur. Sunt autem in hoc loco insulæ Proteras, Cratia, Olyntha II. stadiorum intervallo, aut paullo majori a se invicem dissitæ juxta Pharum & Issam; hic enim nova Pharus jacet Græca insula, atque Issa insula, & hæc Græca oppida. Antequam vero ad Naronem perveneris, ampla regio in mare provenit, atque insula littori vicina nomine Melita, tum alia huic vicina, quæ Corcyra nigra vocatur; altero autem promontorio juxta Naronem fluvium excurrit; distat a Melita stadiis* XX. *a continenti autem terra stadiis* VIII.

Sinus Manius idem & ac Sinus Nestus.

Post ostium Nesti fluminis ora maritima introrsum recedens, ambituque circumflexo, atque ad Naronis ostia producto, Sinum illum efficit, quem Scylax Manium vocat, sed paullo ante Nestum etiam appellaverat. Nam hunc esse sinum Manium argumento sunt insulæ, quas idem Scylax ad eumdem Sinum apposuit, *Cratia*, quæ nunc Bractia, itemque *Pharia*, quæ nunc Liesina dicitur; nam Proteras, quæ nunc Girona, Olyntha, quæ nunc Solenta, & Issa longius in Meridiem distans, quas ibidem loci posuit Scylax, citra eum Sinum vergunt ad Occidentem. Hunc itaque sinum partim Nesti, partim Manii circumcolebant. Satis constat hæc loca olim habitata fuisse ab Hyllinis, qui cum initio se remisissent intra fines Illyrici primigenii, deinde Naronem transgressi nomen genusque Illyricum usque ad Titium propagarunt. Ex uno autem Hyllinorum sive Illyriorum genere multa sunt gentium ac populorum facta divortia, qui retento communi Illyriorum vocabulo, aliis atque aliis nominibus se appellari, atque inter se distingui voluerunt. Ita *Hyllini* hujus Sinus accolæ, qui jampridem cum aliis ejusdem generis populis, variatione aliqua litterarum *Illyrii* vocari cœperunt, incertum quo tempore, quamve ob causam partim Nesti, partim Manii denominati sunt; nisi forte utriusque gentis originem non ad Illyrios primigenios, sed ad Liburnos, vel Celtas referri placeat.

Hyllini sive Illyrici variis vocabulis inter se distincti.

De Reg. Dal. & Croat. lib. 1. cap. IV.

Jure queritur eruditissimus Dalmatiæ Scriptor Scylacem, ut in aliis locis bene multis, sic etiam in hoc loco librariorum insciti aut mutilatum, aut vitiatum esse, eumque, si quomodo fieri possit, restituere & corrigere conatur. Ac mihi in eo potissimum error videtur esse, quod cum unum tantum extet, duo ibidem Promontoria in altum procurrere dicantur, alterum quidem citra, alterum ultra Naronem: *antequam ad Naronem fluvium perveneris, ampla regio in mare provenit*. Atqui tantum abest, ut ex ora maritima inter Nestum & Naronem *ampla regio* in mare prominear, ut potius ora ipsa paullulum recedat, coarcteturque, & duobus quasi brachiis, altero ad Nesti, altero ad Naronis ostia modice exporrectis, mare complectatur, & sinum quemdam efficiat. Alterum vero Promontorium, quod Scylax juxta, seu potius ultra Naronem locat, est Peninsula Onæi sive Stagni, quæ non longe ab ostiis Naronis continenti annexa, tractu satis longo, Occasum versus in mare procurrit; huic vero primum Melita insula propius ab littore, deinde longius pars Corcyræ Melenę a Meridie objacent, modico interfluo Euripo. Stephanus Byzantius, quamvis Nestos populos nusquam nominet, urbem tamen, & fluvium commemorat, cui nomen erat *Nesto*, itemque regionem Nestin appellatam: *Nestus urbs, & fluvius Illyriæ; Gentile Nestius, ut Artemidorus Geograph. lib. 2. & Nestis regio*. Proxima autem Nesto fluvio, quem alii Tilurum vocant, & civitas & regio cogno-

Non duo; sed unum tantum Promontorium ultra Naronem, quod nunc Peninsula Stagni dicitur.

Nestus civitas & fluvius; Nestis regio.

Digitized by Google

gnominis fuerit necesse est; quo fit, ut Nestis populi ab Ocasu finitimi essent Manitis, & Scylax recte atque ordine Nestos Manitis præposuerit.

Porro idem Scylax, quamvis Nestorum fines usque ad Naronem proferre, hujusque amnis interjectu Nestos a Manitis disjungere videatur, tamen ex ejus verbis ac descriptione satis perspici potest, ab eo Manios cum Nestis intra Naronem collocatos esse. Nam oræ maritimæ descriptionem persequens, hæc loca Manitis attribuit.

MANII.

Post Nestos vero Naron fluvius est, aditu satis ampio; nam & navigium illum subeunt ad Emporium usque LXXX. stadiis sursum a mari distante. Hi autem genere Illyrii sunt, nomine Manii. Lacus autem introrsum juxta Emporium illud magnus est, usque ad Autariatas Illyricam gentem pertingens, in quo lacu insula est cxx. stadiorum cultu admodum, & fertilis. Ex hoc lacu Naro amnis profluit.

Manios regio.

Manii apud lacum, unde Naro profluit.

Laeus ille, unde Naro profluens primum directe fertur Orientem versus, deinde sinuo in Meridiem reflexo ad mare decurrit, itemque Emporium, quod idem lacus alluit, fuit extra Naronem, & Dalmatiæ antiquæ ac primigeniæ finibus continebatur. Hic autem habitasse ait Illyrios, qui cognominati sunt Manii: *Hi autem Illyrii sunt nomine Manii.* Præterea Scylax Sinum illum, qui oram Dalmaticam inter Nestum Naronemque efficit, flectens, & insulæ e regione obversas fluit, Manium appellat; ex quo efficitur, ejus oræ finisque accolas fuisse Manios, quippe cum nomen vel huic sinui dederint, vel ab eo ipsi acceperint. Itaque Manios terrestribus fuisse extra Naronem intra eos finium angulos Dalmatiæ & Sinus Manius, & descriptio ipsiusmet regionis declarat. Cæterum haud negaverim Manios longius in Orientem ultraque Naronem sedes ac domicilia continuasse, quippe Scylax regionem illam describens, quam Maniorum vocabulo subjecit, eam usque ad Rhizonitas populos Illyrici proprii produxit, quibus Encheles ab Ortu conterminos fecit. Itaque Scylax Nestos, & Manios Nesto & Naroni fluminibus interjecit; hos quidem ad Orientem, illos vero ad Solem occidentem conversos. Quo autem tempore potissimum hæ duæ gentes floruerint, incompertum est; neque satis constat, utrum adhuc florerent, cum Scylax Dario Hystaspis filio, cujus jussu missuque oras maritimas lustravit, suum Periplum inscripsit; an vero idem Scylax ad superiores ætates referendus sit, cum gentis utriusque nomen clarum in primis erat, ac nobile, multorumque sermone ac litteris celebrabatur. Sed de his satis; pluta deinceps & illustriora de Autariatis & Ardiæis, a quibus hæc regio, antequam Dalmatiæ nomen subiret, habitata fuit, vel post Nestos & Manios iisdem expulsos, vel cum ipsis Nestis & Maniis, qui avito nomine exfolescente, in jus nomenque Autariatarum, vel Ardiæorum migraverint, de quibus post ætatem Scylacis multi & nobiles Auctores multa & præclara scripsere, cum de Nestis, & Maniis ne verbum quidem fecerint.

Inmque in ora maritima citra Naronem ultraque.

§. II.

De Autariatis.

HOs populos Scylax, Strabo, & plerique Autariatas, Appianus Autaricos, alii Autarios, & Autarienses vocant. Autariatas ante Ardiæos longe lateque in Illyrico dominatos fuisse, hosque illis expulsis successisse in possessionem oræ maritimæ, constat atque Appianus docuit, rerum Illyricarum scriptor cæteris accuratissimus lib. 1. de Bell. c. 3. exhibuit: *Autariatis*, inquit, *finitimi fuerunt Ardiæi, antequam ab Appiano relata de his narratio maritimis, ab Ardiæis expulsis.* Errantis casum postea vulgatus Interpres Appiani, qui quamdam hujus Auctoris locum male vertendo pessime depravavit. Quæ enim de Ardiæis scripserat Appianus, Interpres a Græco in Latinum ad hunc modum transtulit. *Ardiæi cum maris finitimi optima quæque Autariorum loca citra litus invasissent, eos expulere.* Itaque ex Appiani verbis in lib. qui Illyrius inscribitur, si recte interpretari velis, alia omnino, prorsusque contraria sententia elicitur: ὁ δ' ἐκβὰς τῶν Αὐταριατῶν τὰ βέλτιστα τῶν παρὰ θάλατταν χωρίων, τὰ μεσόγαια τῶν Ἀρδιαίων ἔσχεν, καὶ ἐς τοῦτο πολλὰ βλάψας ἀλλήλους, τὰ μὲν ἐκβιασάμενοι κρείσσονες ἔσχον, τὰ δὲ ἐκβιασθέντες ἐκράτησαν. *Haud dissimili ratione & Ardiæi, qui maritimis opibus maxime pollebant, ab Autareis, qui terrestribus copiis valebant plurimum, postquam multis damnis eos affecissent, tamen eversi sunt.* Non itaque Ardiæi oram maritimam ademerant Autariatis, quæ sane Latini Interpretis explanatio verbis illis perperam adhibita, sed Autariatæ Ardiæos, sæpe multas clades ab his acceptas, tandem superarunt. Causam bellorum, quæ utramque gentem diu multumque exercuerunt, Strabo exposuit; colonie certe, & assidue inter se dimicasse ait pro adipiscenda vel retinenda possessione integra quarumdam salinarum, ex quibus, contra quam inter illos convenerat, utilitatem omnem quæstumque percipere; atque ad se pertrahere utrique contendebant: *Autariatis quondam contra Ardiæos bellum perpetuum fuit de sale, qui in confinio conflabatur, ex aqua verno tempore ex quadam convalle defluente hausta, & per quinque dies reposita. Pactum erat, ut salina ex æquis fruerentur vicibus; pactis postpositis, bellis decernebant.* Hujusmodi contentionum quinam exitus fuerit, & utri eorum plenam perfectamque victoriam reportaverint, scriptum non invenio apud Strabonem; sed Appianus diserte affirmat Ardiæos, cum plurimas gravissimasque calamitates hostibus intulissent, tamen victos demum ab Autariatis, ac debellatos fuisse.

Non Autariata ab Ardiæis expulsi.

Appiani genuina interpretatio corrigitur.

Ardiæi ab Autariatis expulsi.

Ego itaque sic existimo, Autariatas & Ardiæos iisdem plane antiquissimis temporibus inter omnes Illyricas gentes potentia atque opibus plurimum valuisse, ita prorsus, ut hi quidem maritimis, illi vero terrestribus copiis præstarent. Hinc perpetua inter illos bella, aliæ ex aliis; quæ inter finitimos populos facillime exardescunt, sive ob cupiditatem ditionis amplificandæ, sive quod proximorum gloriæ florentique fortunæ potissimum invideri solent. Neque antea ab hujusmodi bellis cessatum fuit, quam victi tandem Ardiæi Autariatis victoribus succubuissent. Sed cum post multas ætates ab Ardiæis & navigationem Adriaticam, & insulas urbesque Socias populi Romani infestas fuisse apud Scriptores inveniam, id quod Romanorum arma contra Illyrios excivit, necesse est vires opesque Ardiæorum, quas Autariatæ commiserant, iterum floruisse haud multis annis, antequam nomen exortum esset, ac Respublica Dalmatarum instituta. Itaque Ardiæi quamvis fracti, & numero ac viribus diminuti, oram tamen maritimam, quam antea possidebant, vel ejus aliquam partem recipere oportet. Eo loci cum essent res Ardiæorum, diu multumque illis connitendum fuit omni opera atque industria, ut sese iterum paullatim erigerent, atque in pristinum statum restituerent. Cum Scylax annis ante Christum circiter quinquaginta supra quadringentos oram Adriatici maris descripsit, obscuri ignotique nominis Ardiæos fuisse, illud indi-

Ardiæi victi post aliquot ætates interjectas iterum dominari cœperunt.

indicio eſt, quod Ardiæos inter ejuſdem maris accolas non recenſuerit; videnturque tum ab re familiari publicaque inopes, permixti cum aliis Illyriis oram maritimam incoluiſſe, egregue admodum potuiſſe gentis reliquias tueri ac propagare in poſteriores ætates. Quare Strabonem & Appianum ad veruſtiſſima ante Scylacem tempora ſpectaſſe arbitror, cum bella inter Autariatas & Ardiæos geſta commemorant, & uno alterove ſæculo ante debellatum fuiſſe cum Ardiæis, quam Scylax ſuum Periplum conficeret. Priuſquam vero de Ardiæis, earumque rebus in integrum reſtituris ſcribere aggrediar, a quibus propius abſunt initia nominis Dalmatici, res Autariatarum breviter perſequar, ac paucis expediam; quippe cum horum opes, atque imperium, ante annos fere ducentos, quam regio ab ipſis habitata vocari inciperet Dalmatia, funditus interierint.

In eamdem Illyrici regionem inter Neſtum & Naronem Autariatas Scylax concludit, quam Neſtis & Maniis attribuit, eoſque longe a mari diſjunctos ſub ipſis ferme Alpium radicibus apud Lacum illum locavit, unde ait Naronem profluere: *Lacus autem introrſum juxta Emporium illud magnus eſt, uſque ad Autariatas Illyricam gentem pertingens.* Nec vero ſi Autariatas Scylax in extremum veluti angulum hujus regionis conjecit, idcirco hiſce finibus ſane anguſtis eorum ſedes circumſcripſit; nam ait quidem lacum illum *uſque ad Autariatas pertingere*, ſed nullos huic genti terminos circumdedit. Conſtat autem Autarios ultra montes citraque, longe ac late fuſos immenſum loci propemodum obtinuiſſe. Hæc gens cum antiquiſſima eſſet, tum copiis opibuſque inter cæteros Illyrios plurimum præſtabat, & ſuos fines præſertim ad Septemtrionem latiſſime protulerat. *Autariatæ*, inquit Strabo, *maxima fuit & optima Illyriorum gens.* Nam ab Oriente & Septemtrione fines ſuæ ditionis ultra Scardum Montem in Mæſiam inferiorem uſque ad Danubium propagaverat, Triballis domitis, atque in poteſtatem redactis: *Sed Autariatæ*, ait Strabo, *cum Triballos domuiſſent, qui ab Agrianibus*, (quos Stephanus inter Rhodopen, & Montem Hæmum in Thracia locat) *uſque ad Iſtrum xv. dierum itineris ſpatium occupabant, ſuper alios etiam Thraces & Illyrios ſeſe extulerunt.* Citra Montes ab Occaſu & Meridie confines erant Ardiæis, cæteriſque populis mare accolentibus; nam ex antiquis Scriptoribus neminem invenio, qui Autariorum ſedes uſque ad mare Adriaticum protulerit, vel eos rem maritimam attigiſſe ſcripſerit. Appianus autem, cum eos terra vel plurimum valuiſſe doceat, inter gentes Illyricas Mediterraneas videtur annumeraſſe. Præterea Strabo ditionem Autariatarum ultra Drilonem uſque ad Daſſaretios in Meridiem produxit, quamvis eam aliis atque aliis interjectis gentibus interruptam fuiſſe ſignificet, cum multos populos Autariatis finitimos eſſe, eoſque contingere affirmet; *Attingit autem* (Drilo fluvius) *Macedonicas & Pannonicas gentes verſus Meridiem; ſicut & Autariatæ & Daſſaretii, aliique populi aliis partibus ſe & Autariatas contingunt.* In Occaſum itidem uſque ad Titium amnem Liburnoſque jus gentemque Autariatarum ſe porrexiſſe intelligi licet ex Plinio, qui cum veteriſſimis vocabulis uti ſoleat, poſt Scardonam, quam Titius præterfluit, antiquam *Tariotarum* regionem conſtituit. *Liburniæ finis, & initium Dalmatiæ Scardona, in amne eo XII. M. P. a mari; dein Tariotarum antiqua regio.* Tariotas autem eos eſſe, quos Appianus Autarios, ceteri Autariatas vocant, & affinitas, quæ inter hæc vocabula eſt, ac ſimilitudo declarat, & colligi poteſt ex Manuſcripto Pliniano Codice membranaceo Bibliothecæ Vaticanæ n. 1951. ubi legitur: *Aut ariatarum antiqua regio.* Huic Vaticanæ lectioni ſcriptor Dalmata præſtantiſſimus li. 2. cap. 2. de Regn. hanc notam appoſuit. *Hæ duæ dictiones, Aut ariatarum, ex Scriptoris incuria diſjunctæ pro nomine proprio Autariatarum accipiendæ ſunt, ut ex primo elemento A majuſculo dictionis Aut dignoſcitur; & conjunctæ pro antiquiſſima gente Illyrica, & regione Autariatarum ſumendæ, quarum Strabo, & plures alii Auctores mentionem faciunt.*

Regio Autariatarum

ampliſſimæ cis ultraque montes

Fines Autariatarum.

Tariotæ Plinio idem atq; Autariatæ.

Quamdiu autem, quibuſve potiſſimum temporibus Autariatæ hunc ampliſſimum rerum ſuarum ſtatum obtinuerint, ex antiquis Scriptoribus dignoſci haud facile poteſt. Quo circa ſi ad res antiquas incertique temporis inveſtigandas, redigendaſque in aliquem ordinem Chronologicum conjecturis uti liceat, mihi quidem videntur Autariatæ in ſummo rerum ſuarum faſtigio jam tum conſtitiſſe, cum Scylax vivebat, qui quamvis oras tantum populoſque maritimos, juſſu Darii Regis Perſarum, Juſtrandos ac deſcribendos ſuſcepiſſet, aliquos tamen e populis Mediterraneis maxime nobiles celebreſque nominavit, inter quos Autariatas etiam ſingulari commemoratione dignos cenſuit. Certe ante Scylacem debellatum fuiſſe cum Ardiæis neceſſe eſt. Si enim Ardiæi nondum victi ac profligati fuiſſent ab Autariatis, cum Scylax ſcribebat, hunc minime commiſſurum fuiſſe arbitror, ut Ardiæos ne nominaret quidem, cum cæteroquin eorum nomen celeberrimum idemque notiſſimum eſſe oportuerit, quippe qui, antequam ab Autariatis ſubacti ſuiſque rebus florentiſſimis everſis ad ſummam inopiam, & paucitatem redigerentur, cum terra, tum præſertim mari plurimum pollebant, ut Appianus docet, ac bella cum Autariatis geſta, cladeſque iiſdem illatæ declarant. Per eadem ante Scylacem tempora Triballos ab Autariatis domitos fuiſſe exiſtimo, & finibus in Mæſiam inferiorem uſque ad Danubium prolatis, eos in tantas opes vireſque creviſſe, ut cuilibet finitimarum nationum & numero & potentia præſtarent; ut jure meritoque ſcripſerit Strabo, *Autariatas maximam fuiſſe, & optimam Illyriorum gentem, ſeque ſupra alios etiam Thracas, & Illyrios extuliſſe.* Nihilo magis compertum eſt, quamdiu res Autariatarum floruerint; illud tamen ſatis conſtat eos & numero & viribus valde diminutos fuiſſe, ut poſtea dicam, cum Alexander Magnus rerum potiebatur, cujus initia referri ſolent ad eum annum, qui eſt ante Virginis partum 336. Itaque optimum illum ac florentiſſimum rerum ſuarum ſtatum adeptos eſſe Autariatas exiſtimo annis amplius centum ante Scylacem, eumdemque annos itidem centum poſt ætatem Scylacis retinuiſſe. Quoniam quidem experientia docemur, fere naturales eſſe converſiones quaſdam rerum publicarum, quæ ubi ad culmen potentiæ atque amplitudinis pervenerint, in eo nequeant diutius conſiſtere ac permanere; quarti ante Chriſtum ſæculi pars fere dimidia elapſa jam erat, cum res Autariatarum decreſcere, atque in dies fieri deteriores cœperunt. Duos populos fuiſſe comperio, qui potiſſimum vires Autariatarum attriverint, eoſque ex ingentibus terrarum ſpatiis in exiguos ſane fines compulerint, Scordiſcos nimirum & Romanos: *Sunt autem*, ait Strabo, *potentia ſua exuti prius a Scordiſcis, deinde a Romanis.* Anno igitur circiter 350. ante Chriſtum a Scordiſcis, quos alii Gallos, alii vocant Illyrios, alii in Pannonia inferiore, alii in Mæſia ſuperiore ad Montem Scadrum, ſive Scardum locant, laceſſiri armis

Res populi Autariatarum quando, & quamdiu floruerint.

quarto ante Chriſtum ſæculo dimidio cœpta.

Digitized by Google

armis ac tentari Autariatæ cum cepissent, atrox ac pertinax bellum inter gentem utramque exarsit, quod, nisi alterius populi exitio propemodum extremo, restingui non potuit. Ergo post multas clades ultro citroque illatas & acceptas, tandem Autariatę devicti sunt, & iis, quos Triballis ademerant, regionibus prope universis expulsi, resque suas in angustum adducere coacti, usque adeo a pristina potentia florentique fortuna declinarunt, ut post annos fere 15. inter omnes nationes Illyricas, quæ semper habitæ sunt bellicosissimæ, nulla esset Autariatis debilior, minusque valens ad resistendum in acie, primosque hostium impetus sustinendos, quemadmodum docet Arrianus mox laudandus. Diu tamen multumque inter Autariatas & Scordiscos æquo Marte pugnatum esse scripsit Polyænus Stratag. lib. 7. c. 49. neque aliter Autariatas, nisi militari quadam arte & astutia debellari potuisse. *Galli* (idest Scordisci) *expeditionem adversus Autariatas susceperunt; cum diu bellum duceretur, Celtæ cibaria, & vinum herbis venenatis inficiunt; & ipsi nollu velitis castris fugam capessunt. Autariatæ credentes eos metu profugisse castra invadunt, & vino cibariisque largiter fruuntur; statimque immoderato ventris profluvio prolabuntur. Celtæ supervenerunt, & prostratos occiderunt.* Arrianus cum cæteris Illyriis, qui Alexandrum Magnum e Danubio revertentem post subactos Getas repellere, atque a suis finibus avertere conati sunt, Autariatas recenset; hosque ait facili negotio ab Agrianis fusos & fugatos esse, quod tum ea gens sive ob insciti am rei militaris, sive ob paucitatem copiarum, inter Illyrios vel minimum bello valeret; ex quo conjicias velim jam inde ab anno ante Christum circiter 335. cum Alexander Getica expeditione perfunctus in Græciam redibat, Autariatas a summa illa & excitata fortuna, quam olim rebus fortiter gerendis, & finibus imperii amplificandis nacti fuerant, ad inclinatam ac prope jacentem delapsos fuisse, sic prorsus, ut de pristina potentia, & gloria vix aliquid retinerent: cæterum eosdem haud multis post annis, mercede conductos in castris Lysimachi militasse Diodorus lib. 20. & Polyænus lib. 4. c. 11. tradunt.

Autariatæ a Scordiscis devicti, & prorsus subacti.

ab Agrianis facile repulsi.

Sed anno ante Christum 279. alia intervenit calamitas, quæ gentem eamdem omnino afflixit ac perdidit, magnaque ex parte solum vertere coegit. Auctor est Appianus Autarios ad Delphicam expeditionem socios se Gallis adjunxisse, qui Brenno Duce, pervastata Macedonia, illatique penitus in Græciam ad Parnassum castra posuerunt, quo potiundi Delphici templi ac spoliandi causa perruperant. Sed terræ motu, fulgetris, aliisque portentis absterriti, ac variis affecti calamitatibus, alii alio pœnarum genere sacrilegi conatus pœnas dederunt. Et Autarios quidem domum reversos vis immensa ranarum repente suborta excepit; quarum putrescentium graveolentia lacus, & paludes, regionemque omnem cum infecissent, veneficis indidem emissis vaporibus Cœlo corrupto, atrox pestilentia subsecuta est, quæ Autariis soli vertendi necessitatem attulit. Sed lues illa membris eorum ac medullis adeo penitus inhæserat, ut quacumque incederent, eamdem secum afferrent, & obvios quosque afflatu pestilenti afficerent. Quare undique ab omnibus exclusi, accessuque prohibiti, cum viam multorum dierum incerti & errabundi peragrassent, atque in desertissimam planeque incultam atque inhospitam solitudinem pervenissent, quæ prope aberat a Bastarnis in Sarmatia Europea, ibi tandem stabili certaque sede finiendi erroris, oppidum & domicilia condiderunt: *Fama est*, inquit Appianus in lib. Illyr. *Autarios Apollinis indignatione in extremam decidisse cladem; quippe eosdem, Celtasque, quos Cimbros vocant, ad Delphos posuisse castra, statimque omnes dispersos confugisse, multa ante cœptam pugnam pluvia in eos, cum procellis fulguribusque desœviente. His vero, qui ad propria rediissent, infinitam ranarum vim suborlam, quæ putrescentes flumina corruperint. Vapore deinde ex terra exhalante, pestem Illyriorum ac corruptionem insecutam esse, quæ potissimum Autarios invasit; donec profugi a patria, ac pestem deferentes, cum nemo ob timorem suscipere auderet, 23. dierum progressi iter, ad tellurem palustrem, atque inhospitam venere; & juxta Bastarnarum gentem condidere urbem.* Rem totam brevius, & paullo aliter narrat Diodorus lib. 3. *Qui Autariatæ nominabantur, horum ranæ in nubibus ortæ, & profusitatis delapsæ guttis patriam deserere, & in locum, ubi nunc sedes habent, profugere compulerunt.*

Autarii Socii Gallorum ad Delphicæ expeditionem, remote gallo domum redeunt.

ob pestilentiam solum vertere coacti,

diu errabundi in Sarmatica solitudine tandem consistunt.

Porro ex ea gente olim potentissima lateque fusa, deinde ad miram paucitatem redacta, & in angustos fines concluſa, qui tot cladibus, ac dira illa pestilentia superstites in patria remanserant, antiquæ magnitudinis ac potentiæ vix tenue aliquod vestigium retinuerant, & aliis Illyriis permixti cum essent, eorum nomen ac memoria sic prorsus exsolevit, ut qui bella deinceps ab Romanis cum Illyriis gesta describunt, Autariatarum nusquam meminerint. Quid est igitur, quod Strabo hujus gentis victæ profligatæque gloriam Romanis ascribat? vix enim ejusdem gentis reliquiæ supererant, cum prima Romanorum classis Adriaticum trajecit, primumque Illyriis bellum Romani intulerunt. Nimirum Strabo, cum scripsit Autariatas a Romanis subactos, *& potentia sua exutos fuisse*, hoc vocabulo jampridem antiquato intelligi voluit vetustissimos illos Dalmatiæ incolas, qui olim Autariatarum nomine appellabantur; sed ad paucos redacti cum essent, ut neque nomen, neque res suas tueri per se ipsi possent, una cum cæteris Illyriis, qui a Gentio defecerant, in unam sub eodem jure ac nomine rempublicam Dalmaticam coaluerant. Id ante nos animadvertit Scriptor egregius rerum Dalmaticarum lib. 1. de Reg. c. 3. *Autariatæ tandem a Romanis non proprio, sed Dalmatarum nomine subacti fuerunt, quamvis Strabo antiquis Scriptorum nominibus usus Autariatas tandem a Romanis oppressos scribat.*

Autariatæ proprio amisso, in nomen Dalmatarum migrarunt.

una cum Dalmatis victi a Romanis.

§. III.

De Ardiæis.

ARdiæi, gens Illyrica terra olim marique præpotens, ante nomen exortum, conditamque Rempublicam Dalmatarum, sedes habuere inter Nestum & Naronem, qui Dalmatiam primigeniam ab Occasu, & ab regione Orientis definiunt, Strabone teste, qui Ardiæos contra insulam Pharon habitasse tradit in ora maritima: *Ardiæis vicina est Pharos.* Quos Strabo Ardiæos, & littera una præposita Sardiæos etiam vocat, eos Dion *Sardianos*, Plinius & Ptolemæus *Vardæos*, item *Sardiates & Sardiotas*, Polybius vero alias *Ardiæos*, alias communi vocabulo *Illyrios* appellant. His quippe diversis nominibus unam & eamdem gentem subjiciendam esse docent Ortelius, Ferrarius, Martinierus, & alii plerique. Eosdem vero, quos antiquitas vocabat Ardiæos, a posteris dictos esse Veraïos auctor est Strabo, quod quidem vocabulum nunquam apud cæteros Scriptores usurpatum invenio.

Ardiæi gens prepotens, varie appellati.

Digitized by Google

Ardiæos & Autariatas duos olim potentiſſimos Illyrici populos, antiquiſſimis & iiſdem plane temporibus nominis celebritate, ac rerum geſtarum gloria floruiſſe diximus. Itaque perpetuis inter ſe bellis certabant, ſive quod alteri ab alteris ſibi timerent, ſive quod alteri alteris imperii magnitudine excellere cuperent. Victos ad extremum Ardiæos, ac plane profligatos fuiſſe teſtatur Appianus. Quos autem ea clades & calamitas reliquos fecerat, ii ad ſummam paucitatem redacti, opibus ac viribus exhauſti, afflicti & abjecti per multas ætates jacuerunt, ſic prorſus, ut nihil rerum gerere neque terra, neque mari, quo plurimum valebant, & vix nomen ſuum utcumque tueri, ac genus conſervare immixti cum cæteris Illyriis potuerint. Certe aut obſcuri, aut nullius nominis eos fuiſſe oportet, cum Scylax quinto ante Chriſtum ſæculo illas oras ac gentes luſtrabat, quippe cum Ardiæi vel Scylacis inveſtigationem quamvis accuratam ſubterfugerint, vel huic Scriptori haud ſatis digni viſi fuerint, quorum aliquam mentionem faceret. Quarto ante Chriſtum ſæculo ineunte Ardiæos ex illa miſera jacentique fortuna, ad quam deſciverant, paullatim emergere, lembos ſuos reficere, & rebus queſtibuſque maritimis jamdiu intermiſſis operam dare cœpiſſe exiſtimo; & cum ex illis populis, qui oram Illyricam obtinebant, Ardiæos potiſſimum copiis navalibus egregie inſtructos fuiſſe memoriæ proditum ſit, ex hac gente in primis fuiſſe arbitror decem illa Illyriorum millia, quæ ex adverſa continenti in Pharon inſulam trajecerant, ut coloniam urbemque Græcorum ibidem haud multo ante conditam everterent. Sed Dionyſius Senior Tyrannus Syracuſarum maris Adriatici dominatu potitus juſſit Prætorem ſuum, quem Liſſi conſtituerat, Phariis opem ferre. Is vero cum ingenti triremium claſſe navigia Illyriorum adortus partim depreſſit, partim capta Liſſum abduxit, amplius quinque millibus hoſtium interfectis. Rem narrat Diodorus Siculus, refertque ad annum tertium Olympiadis 98., qui congruit cum anno ante Chriſtum 386. Exinde latius in dies nomen ſuum ac ditionem propagarunt, præſertim poſt res Autariorum a Scordiſcis fractas everſaſque; & recuperatis, quas amiſerant, regionibus, ſuiſque rebus in integrum reſtitutis, proximo ſæculo magna ex parte evoluto, ideſt anno ante Chriſtum 239. terreſtribus maritimiſque copiis adeo pollebant, ut primo Illyriorum cum Romanis bello, cui cauſam ipſi præbuerant, Italicis mercatoribus ac navigiis diripiendis, & Romanorum ſociis ac fœderatis vexandis, magni eorum opera fuerit, Romaniſque haud parum negotii faceſſiverint. Hunc igitur rerum ſuarum ſtatum iterum adepti Ardiæi cum eſſent, his regionibus ac finibus ſedes eorum circumſcriptas invenio.

Ardiæi victi ab Autariatis.

reflorescere cœpere & ante Ch. ſæculo.

Strabo, qui lib. 7. Ardiæos in ora maritima contra Pharon inſulam locavit, eorumdem ditionem in Ortum ac Meridiem uſque ad ſinum Rhizonicum produxit; eos quippe cum accolis ejuſdem ſinus conjunxit, Pleræis intermediis, qui Oncum ſive Stagni peninſulam incolebant, prætermiſſis, quod hi fortaſſis retento proprio vocabulo, communem Ardiæorum nomen ſubjiſſent. *Quidquid autem regionis ab intimo Adriæ ſinu, uſque ad Sardiæos & Rhizonicum ſinum protenditur, montoſum eſt, interpoſitum mari & Pannonibus.* Quid quod idem Strabo longius etiam fines Ardiæorum ultra Drilonem protraxit; nam inter Beſſos ab Oriente & Ardiæos ab Occaſu medios locat Hybrianes, & Daſſaretios. *Inter hos* (Beſſos) *& Ardiæos Daſſaretii ſunt & Hybrianes, aliæque obſcuræ gentes.* Daſſaretii autem trans Drilonem, lacum Lychnitim circumcolebant, quibus contermini cum eſſent ab Occidente Ardiæi, hos quoque neceſſe eſt trans idem flumen oram maritimam accoluiſſe: id quod cum Dione in fragm. admodum congruit, qui ait Sardianos ideſt Ardiæos Italis e portu Brundiſino ſolventibus infeſtam navigationem feciſſe; Brundiſium enim e regione ſpectat oram illam maritimam inter Drilonem ac montes Acroceraunios porrectam, ex qua facile Ardiæi velociſſimis, quibus utebantur lembis, excurrere, & Brundiſinas onerarias intercipere potuerant. Nec dubium mihi videtur eſſe, quin Ardiæi ultra Neſtum in Occaſum uſque ad Titium, quo terminatur Liburnia, fines ſuos protulerint; indicio ſunt nomina, quæ vel ab Ardiæis acceperant, vel Ardiæis dederant & mons, cui hæc regio ſubeſt, dictus Adrius ſive Ardius, & amnis, qui eamdem regionem interfluit, Jader ſive Jadrus & Ardius appellatus, & ipſamet regio, quam Strabo Ardiam vocat. Ab Septemtrione Ardiæos intra montes, quibus Illyricum maritimum definitur, nomen ſedeſque continuiſſe intelligi poteſt e Strabone, qui Alpium interjectu Pannonios a Dalmatis & Ardiæis ſejunxit: *Hæ ſunt Pannonum montanæ planities, verſus Meridiem ad Dalmatas uſque & Ardiæos pertinentes.* Idem lib. 7. inter Pannoniam ab Aquilone, & mare Adriaticum a Meridie Ardiam ſive Regionem Ardiæorum locavit; *Ad Adriam vero tota pene eſt Ardia; ac media Pannonia ipſa quoque ſublimis tota;* qua impediri ait proſpectum ex jugo montis Hæmi in Adriaticum mare, contra quam docuerat Polybius, quem idcirco falſitatis arguit. Quamvis autem Strabo ſedes Ardiæorum trans fluvium Drilonem in Meridiem produxerit, eas tamen ultra montes in Dardaniam, vel Macedoniam intrudere non auſim. Quanta olim Ardiæi & rerum geſtarum gloria, & nominis celebritate floruerint, illud in primis argumento eſt, quod communi gentis vocabulo & Mons Ardius, & regio Ardia, & civitas Ardia totius gentis caput, appellata eſt. Ardiæ urbis mentio fit apud Stephanum, ſed poſitio ignota eſt. Quidquid ergo terrarum mari & montibus interpoſitum eſt a Titio uſque ad Drilonem, oramque præterea maritimam ultra Drilonem Strabo Ardiæis attribuit, ideſt fere totum Illyricum, quod ante Agronem Regem Illyriorum, qui anno ante Chriſtum 240. regnare cœpit, ab Occaſu Titio flumine, ab Ortu & Meridie montibus Acroceraunis concludebatur. Hinc factum eſt, ut apud Polybium & alios ſcriptores vocabula Illyriorum & Ardiæorum pro Synonymis habeantur; eoſdemque populos modo Ardiæos, modo Illyrios vocant. Haud tamen negaverim alias atque alias gentes Illyricas cum Ardiæis permixtas, & ſuis quaſque ac propriis nominibus diſtinctas, eumdem terrarum tractum incoluiſſe. Quamquam vero Ardiæi uſque ad Drilonem ultraque nomen ſuum ac genus propagaſſent, regionem tamen, quæ ab illis Ardia cognominata eſt, *totaque pene*, ut ait Strabo, *fuerat ad mare*, Titius & Naro definiebant; nam continuatio illa ſerieſque montium, cui ab regione ſubjecta nomen eſt Ardii, a Bebiis alpibus incipiens, definenſque in Scardum montem, tantumdem fere ſpatii in longitudinem ab Occaſu in Orientem porrigitur. Hæc igitur fuit Ardia proprie dicta, hic orta erat gens Ardiæorum, hinc alia atque alia loca appetendo, primum in Illyricum proprium, deinde trans Drilonem, ſobole in dies ſuccreſcente, colonias emiſerat.

& uſque ad Titium in Occaſum.

Ardiæi inter montes & mare.

Loca ab Ardiæis denominata.

Illyrii & Ardiæi ſæpe dem populi appellati.

Fines Ardiæorum ultra Drilonem prolati.

Porro

Ardiæi subjecti Regibus Illyriorum, quibus vectigal, & navales copias præbebant.

Porro Ardiæi, quamvis suis ducibus & copiis rem gererent terra marique, tamen subjecti erant Regibus Illyriorum, eisque & in bellis stipendia faciebant, & in pace vectigalia pensitabant, & jus legesque ab iisdem petebant. Nam quidquid gentium ac terrarum ab Titio flumine usque ad montes Acroceraunios Illyrici vocabulo suberat, id omne inde usque ab adventu Celtarum in jus potestatemque concesserat Regum Illyricorum; & præterea Ardiæos inter Naronem ac Titium interjectos iisdem Regibus obnoxios fuisse, horum ab Gentio postremo Rege Illyriorum defectio declarat. Nec dubium esse potest, quin Agron Pleurati filius in sua potestate habuerit Ardiæos, qui copiis terrestribus ac maritimis, ut Polybius docet, omnes ante se Illyricos Reges superabat, & regni finibus ultra Titium prolatis, ad paternam ditionem Liburnos, Istros, & Carnos adjunxerat. Teuta vero uxor Agronis post obitum mariti *Sardianis*, ideſt Ardiæis, imperabat Dione teste, iisque ad maria infestanda navesque Italicas deprædandas utebatur. E navigiis Ardiæorum constata potissimum fuerat classis illa, quam Agron Mygdoniis auxilio misit contra Ætolos; itemque altera, quam Teuta trajicere jussit ad oram Epiri depopulandam, ac Phœnicem urbem Epiri opulentissimam oppugnandam, qua capta ingens omnis generis præda ad Illyrios pervenit. De utraque maritima expeditione scripsit Polybius lib. 4. qui ait potestatem a Teuta factam esse Illyriis, ideſt Ardiæis, ut populos cujusque generis hostium loco ducerent, ac diriperent, & quascumque possent naves sive Græcas, sive Italicas interciperent expilarentque: *suis primum concessit, ut singuli quoscumque haberent obvios inter navigandum deprædarentur; deinde parata classe, exercitum priore non minorem emisit; facta ducibus potestate, ut pro hostibus populos omnes haberent*. Hinc infesta Græcis pariter Italisque Jonica, & Adriatica navigatio reddita est; & navigiis e Brundisino, ut scripsit Dio, aliove Italiæ portu solventibus certa pernicies ab Sardianis, ideſt Ardiæis parata, & mercatoribus ex Italia quamplurimis, ut Polybius testatur, in piraticos Ardiæorum lembos cum incidissent, aut vita, aut merces ademptæ. Transvectos etiam mare Ardiæos, atque Italiæ oram sæpius depopulasse haud obscure significat Plinius lib. 3. c. 22. cum Vardæos vocat Populatores Italiæ: *populatoresque quondam Italiæ Vardæi*; ideſt Ardiæi.

Ab Ardiæis maritima navigatio infesta, itaque ora Italica.

Issenses Socii Romanorum ab Ardiæis obsessi.

Nec vero a Sociis, fœderatisque Romanorum populis & urbibus vim atque injuriam abstinuere. Issa quippe insula ac civitas, olim Syracusiorum colonia, quæ jamdudum in fidem ac societatem populi Romani se contulerat, ab Ardiæis obsessa, & vehementissime oppugnata, prope erat, ut vi aut deditione caperetur. Issenses in summum rerum suarum discrimen adducti cum essent, Legatos Romam miserunt auxilia postulatum: huic Legationi vim addebant crebræ assiduæque Italicarum gentium querelæ de damnis sibi per Illyrios piratas ac præsertim Ardiæos illatis expostulantium. Quare Senatus populusque Romanus cum per Legatos animum Teutæ mulieris superbæ atque imperiosæ, spe metuque interposito, nequidquam tentasset, ut Illyrios ab obsidione Issensium averteret, eosque a piraticis excursionibus contineret, sociorum injurias terra marique ulcisci decrevit. Itaque anno ante Christum 229. L. Postumius Albinus, & Fulvius Centumalus Cos. cum terrestribus & maritimis copiis in Illyricum trajiciunt, & primo adventu Corcyra, quam Teuta suis præsidiis obtinebat, Demetrio Præfecto urbem prodente, in deditionem accepta, Apollonia, & Dyrrhachio Illyriorum obsidione exemptis, totius belli moles in Ardiæos incubuit; quibus victis & subactis, tantus terror Parthinos, Atintanas, aliasque gentes Illyricas incessit, ut statim, per Legatos se suaque omnia in fidem ac clientelam Romanorum traderent: *Subactis Ardiæis*, inquit Polybius, *adfuere plures Legationes populorum, in his Parthinorum, & Atintanum, qui cum omnes se fidei Romanorum permitterent, sunt in amicitiam recepti*. Ex quo Polybii loco quantæ fuerint opes, & quam celebre nomen Ardiæorum conjici posse existimat Historicus Dalmata de Reg. l. 1. c. 3. hac in eum animadversione apposita: *Quod autem Ardiæi principale nomen inter Illyrici Regni populos haberent, argumentum sumi potest ex dictis Polybii verbis; nam Parthini, quamvis Dyrrhachio proxime, & Atintanes supra, eosdem & Apolloniates existentes, Romanis ad ea loca delatis, rebus Ardiæorum integris, se movere ausi non sunt; sed his debellatis, quamquam Romani ab eorum finibus jam recessissent, tamen eis se dediderunt, ut evenire solet, quando præcipua alicujus Provinciæ regio & loca tutiora capta sunt, ut cæteri saluti suæ consulant. Itaque tunc temporis Ardiæorum regio præcipua Illyrici fuit, de qua Strabo pluribus in locis mentionem fecit*. Post victos Ardiæos ventum est ad Issam, cujus gratia potissimum id belli adversus Illyrios Romani susceperant. Eo simul atque appulit classis Romana, urbis insulæque obsidio soluta est; cum Illyrii se in fugam dedissent, amissis viginti lembis præda onustis, qui in potestatem hostium venerunt. Pax deinde ita convenit, ut Teuta & Illyrii annuum vectigal Romanis penderent, neve pluribus, quam duobus lembis, iisque inermibus, ultra Lissum enavigarent. Totum fere Illyricum inter Drilonem & montes Acroceraunios præter Lissum cum Ardiæis in hac Illyrici parte jamdudum sedes ac domicilia nactis, in ditionem vel amicitiam receptum est; cæteri Ardiæi & Illyrii ab Drilone usque ad Titium traditi sunt relictique Pineo Agronis filio: *Pinnes autem*, inquit Appianus, *cæterum Agronis imperium retineret licet, atque amicus Romanis esset, si se ab superioribus injuriis abstineret, daretque operam, ut Illyrii lembi non amplius duo, & hi quidem inermes ultra Lissum ne navigarent . . . & ne Demetrio quidem proditionis merces defuit*, quem Romani insula Pharia, unde oriundus erat, & Pharii cognomen acceperat, aliisque Illyricis oppidis donarunt.

Issa obsidione liberata.

Pax inter Romanos & Illyrios.

Haud multis annis interjectis Ardiæi, quos communi totius gentis vocabulo Illyrios appellant scriptores, ad ingenium redierunt, & nihilo segnius, quam antea, piraticam in Adriatico facere instituerunt, Demetrio Pharo instigante, qui post obitum Teutæ, Triteutam priorem Agronis conjugem in matrimonium duxerat, & Pinei Triteutæ ex Agrone filii nondum imperio maturi tutelam susceperat, ejusque regnum administrabat. Is ergo, & beneficiorum immemor, quæ a Romanis acceperat, & Philippi Macedonum Regis amicitia fretus, conditiones omnes legesque, in quas convenerat pax inter Romanos & Illyrios paucis ante annis composita, per summam temeritatem violavit. Utrumque mare Adriaticum & Jonium prædatoriis lembis infestum reddidit, Parthinos & Atintanas, qui se Romanis tradiderant, ad defectionem compulit, agros vastavit, urbesque cepit, quæ ad Romanam ditionem pertinebant. Hinc secundum a Romanis contra Illyrios bellum susceptum,

Ardiæi impulsu Demetrii Pharii iterum mare infestant.

Bellum secundum Illyricum, & Demetrius victus.

ptum, quod Æmilius Conſul anno ante Chriſtum 219. feliciter geſſit; & Demetrio victo coactoque in Macedoniam ad Philippum Regem confugere, tum Phariam inſulam, tum Dimalum, cæteraſque urbes, quas beneficentia populi Romani poſſidebat, itemque Regni Illyrici adminiſtrationem ademit. Cæterum Pineo ætas impubis, ac rebus gerendis nondum idonea ſaluti fuit; ob eamque cauſam & Illyriis, Pineo deprecante, venia data, & huic avitum regnum integrum & incolume relictum eſt, interpoſita tributi annui pactione. Quare Ardiæi cum reliquis Illyriis intra Drilonem in fide ac ditione manſere Illyriorum Regum; cæteros autem trans idem flumen Ardiæos Romani in ſua poteſtate retinuerunt.

Ardiæis venia data.

Quamdiu Pineus, &, qui proximus ab eo fuit, Pleuratus regnum Illyricum obtinuerunt, res apud Illyrios pacatæ fuerunt tranquillæque; ſiquidem Regis utriuſque æquitas ac prudentia Ardiæos in officio continuit, ne maleficiis mari terrave inferendis, Romanorum contra ſe indignationem atque arma concitaret. Annus erat ante Chriſtianam Epocham fere 180., regnabatque in Illyrico Gentius Pleurato parenti ſuffectus, cum quidquid erat generis ac nominis Ardiæi ab Narone ad Titium uſque cum cæteris ejuſdem regionis Illyricis gentibus ab Rege defecit. Hi autem bifariam diviſi, ſuam utrique rempubliçam nova legum ac magiſtratuum deſcriptione condiderunt. Sed qui agros urbeſque Naronem inter Neſtumque incolebant, poſthabito antiquo Ardiæorum nomine, ab Delminio totius regionis civitate primaria Dalmatæ deinceps appellari voluerunt. Hi autem non multis poſt annis Neſtum tranſgreſſi, ditionis fines paullatim extendere cum cœpiſſent, tamdem reliquos omnes Ardiæos uſque ad Titium in ſuam poteſtatem redigunt, captis eorum oppidis omnino ad ſexaginta, ut Vatinius in ſua ad M. Tullium epiſtola ſcripſit. (epiſt. famil. lib. 5. ep. 10.) Ex duabus igitur una conflata eſt Reſpublica; & ne ſub eodem jure ſolum, ſed etiam nomine omnes eſſent, utrique Ardiæi ultra Neſtum citraque appellati ſunt Dalmatæ, & omnis regio Naroni ac Titio interjecta Dalmatiæ nomen ſibi aſciſcit. In eo bello, quod Romani cum Gentio Illyriorum Rege poſtremo geſſerunt anno ante Chriſtum 168, Dalmatas ſive Ardiæos neutrius partis fuiſſe oportet; cum inter gentes Illyricas, quas poſt devictum Gentium, & regnum Illyricum extinctum, L. Anicius Prætor ex decreto Senatus vel populi Romani ſtipendiarias, vel immunes eſſe juſſit, neque Dalmatæ, neque Ardiæi nominantur. Porro cum Dalmatarum atque Dalmatiæ vocabulum magis magiſque in dies omnium Sermone ac litteris uſurpari cœpiſſet, nomen Ardiæorum ſenſim exſolevit, contractumque eſt in exiguos ſane fines haud longe ab Illyrico proprio, quos Appianus Ardiæos, Floſus, Plinius, Ptolemæus Vardæos vocant. Hi autem cum Palariis, gente itidem Illyrica, in Romanam Provinciam excurſione identidem facta, ultra citraque Drilonem agros vaſtare, tecta urere, prædas inde hominum pecudumque convehere cœperant: id quod Ardiæorum nomini extremum exitium attulit. Nam anno ante Chriſtum 135. Fulvius Flaccus Conſul ab Senatu cum exercitu in Illyricum miſſus eos partim vi, partim metu in deditionem imperii redegit, ut ait Auctor Epiſt. Liv. lib. 56. *Fulvius Flaccus Conſul Vardæos in Illyrico ſubegit*. Ac tum eveniſſe arbitror, quod de Ardiæis narravit Strabo, eos videlicet a Romanis ora maritima abſcedere juſſos, translatoſque in loca alpina, & armis, omnique militari inſtrumento exutos, agriculturæ operam dare coactos eſſe; cum autem ager ille admodum eſſet ſterilis, ut in regione aſpera & montoſa, atque ex eo vix percipi poſſet quamvis multa cultura, & magno labore quæſitum, quod tenuem in victum cultumque ſufficeret, brevi ad ſummam inopiam & paucitatem redacti ſunt, ac tantum non omnino interierunt. *Sed hos*, inquit Strabo lib. 7. *a mari in mediterranea Romani abegerunt, coegerunt que agriculturæ vacare. Eſt autem regio ea ſterilis atque aſpera, neque agricolis conveniens. Itaque ea gens tantum non funditus periit*. Primo æræ Chriſtianæ ſæculo adhuc nomen retinebant apud Geographos illorum temporum, adſcriptique erant ad Naronam coloniam, tertium gentium Illyricarum Conventum, in decurias non amplius viginti diſtributi, ut Plinius lib. 3. cap. 22. docet: *Populatores quondam Italiæ Vardei non amplius quam 20. decuriis*. Qui veterem Geographiam in Tabulis æneis inciſam nobis tradunt, veluti Cellarius, Ardiæos ſeu Vardeos ad radices Montis Ardii ultra Naronem finibus admodum anguſtis circumſcribunt, infra quos ſcilicet hanc gentem Romani compulerant.

Nomen Ardiæorum exſolevit.

Qui id nomen retinuerant, victi a Romanis; & in loca montoſa compulſi,

& ad ſummam paucitatem redacti.

Hæc ferme habui, quæ ſcriberem de populis illis multo vetuſtiſſimis, qui ante gentem Dalmaticam conditam, inter Neſtum & Naronem, Dalmatiam primigeniam tenuerant, quæque ex antiquis ſcriptoribus colligere licuit. Hi vero cum in earum gentium rebus, vocabulis, locis, ac finibus deſcribendis plerumque ſint breves, & ob eam cauſam interdum ſubobſcuri, nec ſemper inter ſe conveniant; neceſſe fuit nonnulla per conjecturas aut ſuppleri, aut explicari, aut connecti, & alia cum aliis conciliari; quæ quidem omnia ex iis, quæ de bellis Illyricis parte ſuperiori deſcripſimus, aliquanto plus lucis accipiunt. Itaque regionem, quæ poſtea dicta eſt Dalmatia, antea obtinuerunt Neſti & Manii, Autariatæ & Ardiæi, quorum poſtremi cum primi omnium ſe Dalmatas appellaverint, Rempublicam egregiam condiderunt, quæ jus ſuum ac libertatem retinuit uſque ad Imperium Cæſaris Octaviani Auguſti.

CAPUT III.

De multiplici propagatione Nominis ac generis Dalmatici.


§. I.


Propagatio prima. Res Dalmaticæ ab exordio Dalmatici nominis uſque ad initia æræ Chriſtianæ.

ERgo Dalmatæ antea dicti Ardiæi regio dominatu depulſo, ut diximus cap. 1. §. 1. & libertatem adepti anno ante Chriſtum fere centeſimo & octogeſimo, nihil prius ſibi faciendum putarunt, quam ut deſcriptione legum ac Magiſtratuum ſuam Rempublicam conſtituerent, ordinarentque; neque antea vi & armis, quam optimis inſtitutis, cæteriſque pacis artibus augendam illam ac ſtabiliendam cenſuerunt. Nihilo ſegnius in eo laboratum eſt, ut civitates atque arces vel novas exſtruerent, vel antiquas reficerent, belliciſque operibus ac præſidiis communirent, quibus res ſuas partamque libertatem tueri poſſent. Vatinius in ſuis ad M. Tullium litteris Dalmatiæ antiquæ ideſt primigeniæ, quam Tilurus ſeu Neſtus ab Occaſu, Naro ab Oriente terminabant, oppida omnino ad viginti attribuit, quorum princeps erat & totius gentis caput Delminium, urbs natura

Dalmatæ libertatem adepti, rempubli. cam ordinant.

Digitized by Google


Vindelicia
seu
Rhetia 2.ª
Rhetia Propria
seu 1.ª
Alpes Rheticæ, Norica,
Venetia
Sinus
Superior
Dacia
Pars
Dalm
sub
Imper
Romano
Taulantii
Pars
Parthini
Macedoniæ
deinde
Epirus Nova
Apolonia
Scampor



Digitized by Google

tura & loco munita, altiſſimis mœnibus, ac firmiſſimis propugnaculis ſepta; unde & regionem Dalmatiam, & populos Dalmatas appellatos ferunt. Ab hujus reipubliçæ exordio anni circiter viginti interceſſerant, cum res Dalmatica adeo erat valida, ut cuilibet finitimarum gentium bello par eſſe videretur. Itaque imperii amplificandi cupido Dalmatas inceſſit; & Neſtum tranſgreſſi populos illos, qui ab Gentio poſtremo Illyriorum Rege itidem defecerant, paullatim ſubigere, ac ſibi vectigales facere inſtiterunt. Id tradit Polybius: *Dalmatarum hic populus, quamdiu vixit Pleuratus, ei paruit: poſt obitum vero illius, cum in Regno Gentius ſucceſſiſſet, ab illo defecerant Dalmatæ, & bella cum finitimis gerebant, vicinoſque populos imperio ſuo ſubjiciebant; ita ut eorum nonnulli tributa ipſis penderent, tributum autem erat pecus, frumentum* &c. Brevi ergo tota illa regio, quæ Neſto ac Titio interjacet, in jus ditionemque Dalmatarum conceſſit, imperii Dalmatici finibus uſque ad Liburnos propagatis. Hanc regionem per ea tempora Dalmatas adeptos eſſe ſatis declarat bellum ab iiſdem haud multis poſt annis illatum Epetinis & Tragurienſibus, qui ejuſdem regionis oram maritimam incolebant. Hiſce bellis, quæ Dalmatæ cum populis ſibi ab Occaſu finitimis geſſerunt, rem Dalmaticam amplius ſexaginta oppidorum acceſſione auctam fuiſſe teſtatur Vatinius in Epiſtola modo laudata: *viginti oppida ſunt Dalmatiç antiqua* (inter Tilurum & Naronem); *quæ ipſi ſibi aſciverunt, amplius ſexaginta;* ab Neſto ſive Tiluro uſque ad Titium; in his autem & Salonam numerandam eſſe cenſeo; qua ex urbe in agros proximos Epetinorum & Tragurienſium excurrere, ac prædas inde hominum pecudumque abigere ſolebant. Hæc fuit prima imperii ac nominis Dalmatici propagatio; & Vatinius præclare admodum ſciteque *Dalmatiam antiquam*, ideſt primigeniam diſtinxit a Dalmatia adjuncta, velutique adſcriptitia; huic ſiquidem ſexaginta, illi vero haud amplius viginti oppida attribuit. Hanc ferme explanationem Vatinianæ epiſtolæ adhibuit Scriptor non indiligens rerum Dalmaticarum lib. 1. cap. 1. *Ex qua Vatinii epiſtola diſtingui poſſe videntur ea*, (quæ in Polybii fragmento obſcura habentur)... *& Delmitanos cives libertate conſecuta, viginti oppidis ſubactis, ex urbe domina Dalmatiæ nomen indidiſſe cenſendum eſt, quæ Dalmatiæ antiquæ Vatinius vocat, ac inter Naronem & Tilurum flumina ac montes Pannonios fuiſſe apparet; deinde Tiluro tranſmiſſo, ſexaginta alia oppida ſibi adſciſcendo, uſque ad mare Dalmaticum nomen protuliſſe, ſimulque Salonæ ſitu occupato, Tragurium & Epetium proximas Iſſenſium civitates infeſtando cauſam primi Dalmatici belli præbuiſſe; & ſicut Salonam inter ſexaginta Dalmatarum recentiora oppida numerandam ex eo colligitur, quod ſecundo & tertio bello Dalmatico ejus mentio ſit; ita Naronam quarti belli tempore nondum Dalmatiæ finibus incluſam diſerte docet epiſtola ipſius Vatinii Naronæ ſcripta, & alia præcedens clarius.* Utraque autem gens Illyrica, Neſti ſeu Tiluri fluminis interjectu antea disjuncta, legum ac rerum communium nexu conſociata in unius populi ac reipublicæ corpus coaluit; atque ut ſub eodem etiam nomine, non jure ſolum omnes eſſent, utrique appellati ſunt Dalmatæ. Ita Dalmatia ſuum nomen ac fines uſque ad Titium protulit; quam quidem a Septemtrione montes Pannonii, a Meridie mare, ab Occaſu Liburni, ab Oriente Illyrii proprii ac primigenii circumſcribebant. Interea dum Dalmatæ omni contentione operaque ad fines imperii propagan-

Fines uſque ad Titium propagat.

Polyb. in fragm. n. 124.

Prima propagatio nominis Dalmatici uſque ad Titium prolati.

dos incumbunt, Romani bellum gerebant cum Gentio Illyriorum, ac Perſeo Macedonum Regibus. His devictis, captis, regnoque exutis, Macedonia pariter & Illyricum proprium provinciæ formam ſubiit, atque ad Romanorum imperium acceſſit. Cum vero Anicius Prætor is, qui Gentium Scodræ obſeſſum, ſe atque urbem dedere coegerat, Provinciam Illyricam ordinaret, treſque in partes Illyrios omnes deſcriberet, in eaque decreti formula, quam de ſententia conſilii S. P. Q. R. pronunciavit, ex Illyriçis populis alios tributarios, alios immunes eſſe juberet, pro eo ac quiſque meritus fuerat, de Dalmatis ne verbum quidem fecit: quod ſane argumento eſt Dalmatas rerum ſuarum augendarum cura diſtentos, nullam ejus belli partem attigiſſe; nihilque ab eis operæ militaris ſive Gentio, ſive Romanis præſtitum eſſe, ob quam vel pœna, vel præmio digni haberentur.

Dalmatæ igitur ad ſuum imperium adjunxerant quidquid terrarum ab Neſto ad Titium uſque protenditur; ſed perinique animo ferebant, quod duæ urbes maritimæ Epetium & Tragurium, quæ ad Iſſenſes Inſulanos pertinebant, cum agris utrique circumjectis ſuam ditionem interciderent; quam ut, depulſo omni extraneo dominatu, continuarent, totamque oram maritimam ſub jus redigerent, Epetinos & Tragurienſes, omnia circa eas urbes populando urendoque, & quantum poſſent plurimum damni ac terroris inferendo, ad deditionem compellere conabantur. Nec vero ab Romana Illyrica provincia injuriam abſtinebant; & ultra Naronem excurſionibus identidem factis agros vicoſque Daorſorum igni ac ferro vaſtaverant, multamque inde prædam domum retulerant. Hinc cauſa & occaſio primi belli Dalmatici ſuſcipiendi Romanis præbita. Nam tum ab Iſſenſibus, qui jam uſque a primo bello Punico ſe ad fidem amicitiamque populi Romani adjunxerant, tum ab Daorſeis, quibus Romani poſt tertium Illyricum bellum immunitatem dederant, Legati Romam venerunt, opem & auxilium poſtulantes adverſus Dalmatas, a quibus ſuos agros, ſuæque ditionis vicos atque oppida aſſidue populari ac diripi querebantur. Senatus e ſua dignitate & e republica duxit ſociorum cauſam ac patrocinium ſuſcipere. Itaque C. Fannium miſit, qui res Illyricas viſeret, ac Dalmatis denunciaret, ut pro damnis illatis ſatisfacerent, neve ullam impoſterum ſociis & amicis populi Romani moleſtiam faceſſerent. Tantum abfuit, ut Dalmatæ imperata facerent, ut Legatum ipſum neque hoſpitio receperint, neque ſine aliqua contumelia dimiſerint. Quare Romani & Legati ſui & Sociorum ſuorum injurias ulciſci ac bello perſequi decreverunt. Hæc fuſius ac diſtinctius parte prima deſcripſimus ex Polybio in fragm. n. 24. qui cauſas quidem hujus belli explicavit, ſed bellum ipſum, ejuſque exitum deſcribere omiſit; utrumque refert Appianus; ſed cum hæc a nobis jam expoſita fuerint parte prima cap. 4. de Bellis Illyricis, hic breviter eadem ſtrictimque attingere ſatis eſſe arbitror. Hoc bellum, quod fuit primum Dalmaticum Senatus gerendum dedit M. Figulo Conſuli II., cujus ſecundus Conſulatus cum anno ante Chriſtum 156. cohæret. Hunc arduo in loco Delminii oppugnandi cauſa cum caſtra poſuiſſet, Dalmatæ adorti, cæſo præſidio in planitiem depulſum uſque ad Naronem non intermiſſo perſequendi impetu fugarunt. Cum itaque civitas illa & mœnibus, & turribus, & loci natura munitior eſſet ac validior, quam ut brevi tempore ac ſine ingenti labore ac periculo aut vi ex-

Dalmatæ infeſtant Epetium & Tragurium urbes Iſſenſium.

Itemque Daorſeos ditioni Romanæ.

Legati ab Iſſenſibus & Daorſeis Romæ apud Senatum queruntur de iniuriis Dalmatarum.

Bellum primum Dalmaticum.

Digitized by Google

M. Figulus aliquot Dalmatarum oppida cepit, Delminii obſidet.

pugnari, aut ad deditionem perpelli poſſet; protinus ad cætera ejus gentis oppida alia ex aliis oppugnanda copias duxit, quibus in ſubigendis minimum laboris ac periculi militem aditurum ſperabat. His in poteſtatem redactis, tum vero Delminium adoriri conſtituit; quam urbem cum omni telorum genere inceſſeret, ac præſertim ſudibus bicubitalibus, pice ac ſulphure circumlitis, admotoque igni ſuccenſis introrſum ejaculandis, omnia exureret atque corrumperet, perquam fede vaſtavit. An vero Delminium aut vi, aut deditione ceperit, qualve in leges pacem Dalmatis dederit, Appianus non commemorat; ſed urbis obſidione & oppugnatione breviter deſcripta, huic bello finem impoſitum eſſe ait. Sed cum Dalmatæ poſt primum bellum Dalmaticum res ſuas ac libertatem retinuerint, & ſæpius deinceps cum Romanis pro patria pro aris

Pax Dalmatis data.

ac focis dimicaverint, nemini dubium eſſe poteſt, quin Romani veniam ac pacem Dalmatis impertierint; atque ut ego quidem cenſeo ſub his conditionibus, ut Dalmatæ civitates quidem, quas amiſerant, reciperent, quas poſſidebant, retinerent, ſed nequid damni aut moleſtiæ ſociis Romanorum inferrent, & annuum tributum Romanis perſolverent. Nam in eaſdem fere conditiones ante Gentium devictum, Romanos inter Illyrioſque pax ſemel atque iterum convenerat, Delminium urbem totius gentis primariam Dalmatis relictam fuiſſe, eamque ædificiis ac mœnibus refectis, noviſque munitionibus ad veteres adjunctis, in antiquum atque adeo in ampliorem ſtatum reſtitutam eſſe, ſatis perſpicue intelligi poteſt e Strabone, qui magnę illius urbis captę ac propemodum everſæ gloriam non M. Figulo, ſed P. Cornelio Scipioni Naſicæ adſcripſit.

A primo bello Dalmatico anni duodeviginti interceſſerant, cum Dalmatæ ſive laceſſendis vexandiſque populi Romani Sociis, & provinciam Romanam Illyricam devaſtando, ſive tributum impoſitum detrectando, Romanorum arma iterum in ſuam perniciem conciverunt. Alterum igitur cum Dalmatis bellum ex auctoritate Senatus feliciter geſſit P. Scipio Naſica Conſul anno ante Chriſtum 138., qui cum plurimis graviſſimiſque cladibus Dalmatas affeciſſet, tum vero Delminium urbem illam magnam, ut vocat Strabo, vi cepit, captam militibus diripiendam tradidit, & mœnibus ac propugnaculis, aliiſque publicis & privatis ædificiis everſis, majori ex parte demolitus eſt, in anguſtumque ſpatium redegit. *Eamdem gentem*, ut ſcripſit Auctor Epitomes Livianæ lib. 47. *Cornelius Conſul domuit*. Strabo autem lib. 3. Delminium ab Scipione captum & ferme diſtutum fuiſſe memorię prodidit: *Delminium magna urbs, unde genti nomen; eam urbem Naſica exiguam redegit*. Pace facta in eaſdem leges, quibus Dalmatas Romani poſt primum bellum obſtrinxerant, ſua Dalmatis & libertas & Reſpublica incolumis manſit. Tum Dalmatę Delminio mœnibus nudato, tectis, ędificiiſque diminuto, arcem ac ſedem imperii e locis mediterraneis ad oram maritimam tranſtulerunt, & Salonę colloçarunt; quæ çivitas firmiſſimis propugnaculis ac mœnibus ſepta & numero tectorum, & incolarum frequentia brevi in eam amplitudinem, tantaſque opes crevit, ut Dalmatiæ totius principatum pro dignitate gerere ac ſuſtinere poſſet. Nec vero ei aſſentior, qui lib. 1. cap. 8. de Reg. ſcripſit: *Delminio primo bello Dalmatico exuſto, in locum ejus Salonam ſucceſſiſſe, cum ſecundo tantum bello Salonæ mentio reperiatur*. Nam poſt primum bellum a M. Figulo confectum, Delminium a Dalmatis reſtauratum eſſe, atque in priſtinam formam atque amplitudinem reſtitutum ſatis declarant, quæ Strabo ſcripſit de magna illa urbe per P. Naſicam mœnibus ſpoliata, diminutaque ædificiis, ac tantum non funditus everſa. Sed cum ſcriptor ille Dalmaticus bellum a Publio Scipione Naſica cum Dalmatis geſtum imprudens prętierierit, in eo autem bello, quod Cæcilius Metellus Conſul Dalmatis intulit, quodque ipſe ſecundum Dalmaticum vocat, cum tertium fuerit, Salonam ab Romanis obſeſſam apud Appianum invenerit; idcirco putavit poſt primum bellum, imperii Dalmatici ſedem Delminio Salonam fuiſſe translatam. Itaque ad id, quod ſcripſit Strabo, magis apte congruenterque dicitur Salona in locum Delminii ſubſtituta fuiſſe, tum cum Naſica urbem illam excifis mœnibus ac propugnaculis, & quamplurimis ædibus aut dirutis aut incenſis ex ingenti, quod occupabat, ſpatio, in exiguum ſane gyrum coegit, anno duodevigeſimo poſtquam M. Figulus primum cum Dalmatis bellum confecerat.

Secundum bellum Dalmaticum.

Delminii everſum.

Dalmatę poſt ab Romanis impetrata imperii ſedę tradidere Salonam.

Hac belli utriuſque alea ſane periculoſa perfuncti, multiſque cladibus affecti cum eſſent Dalmatæ, ad reſarcienda plurima & graviſſima, quę acceperant, damna, reſque ſuas in integrum reſtituendas, augendaſque bonis & honeſtis rationibus cogitationem omnem curamque verterunt. Quapropter per annos fere ſexaginta nihil ſeu negotii ſeu moleſtiæ Romanis aut eorum Sociis per Dalmatas exhibitum invenio. Cæterum quamvis Dalmatæ ſuas res agerent, neminem laceſſerent, nullis nocerent; ne ſic tamen tranquillis ac pacatis eſſe licuit. L. Cæcilius Metellus anno ante Chriſtum 117. Conſulatum iniit cum Q. Mucio Scęvola. Is, dum Romana res, ab hoſtibus externis otium nacta, nullam ſibi bellicæ laudis adipiſcendæ occaſionem præbebat, ut gloriæ ſegetem alicunde ac triumphi materiem quæreret, Dalmatas innoxios atque immerentes ultro armis petere decrevit. Itaque exercitum conſcripſit, claſſem adornavit, cum omnique obſidendarum urbium apparatu in Dalmatiam trajecit. Ad Salonitanam oram cum appuliſſet, nemine prohibente in portum invectus, & exſcenſu in terram facto Salonam terra marique obſidere aggreditur. Sed vix copias ad urbem admovet, cum Dalmatæ, ſeu quod tum a militibus, tum a cæteris rebus ad ſuſtinendam obſidionem neceſſariis imparati eſſent, ſeu quod nollent ſe rurſus, ſuaſque res in diſcrimen committere, januas ultro patefaciunt, & obviam effuſi Conſulem perhonorifice excipiunt, in urbem deducunt, liberaliſſime tractant; & cum apud Salonam hibernare ſtatuiſſet, tam Conſuli, quam militibus omnia, quæ ad victum & militarem commeatum pertinent, large benigneque ſuppeditant. Ita Metellus Salona incolumi intactaque diſceſſit, ac Romam reverſus, perinde quaſi bellum magnæ molis, ingentiſque periculi geſſiſſet, de Dalmatis triumphavit, atque adeo ſi Superis placet, Dalmatici cognomen aſſumpſit. Hæc breviter Appianus: *Secutis temporibus Cæcilius Metellus Conſulatum adeptus, nihil delinquentibus Dalmatis, una triumphandi libidine, bellum inferre decrevit, a quibus amice ſuſceptus, apud Salonas eorum urbem tranſegit hyemem, & Romam reverſus triumphavit*.

Metellus nullo facto ſed injuria Dalmatis bellum recentium inſtituit.

Dalmatis amice exceptus, Salonę incolumi, Romam revertitur, & de Dalmatis triumphat.

Cum Romani duobus graviſſimis bellis conflictarentur, Mithridatico, ac civili ex Mariana factione exorto, neſcio quid in Dalmatia & proximis

L. Sylla a Dalmatis profligat bellum gestis.

Salonam Cn. Cosconius obsedit,

Dalmatarum fines ab Meridie contracti.

stis regionibus turbatum esse reperio. Nam L. Sylla, cui Senatus bellum Mithridaticum mandaverat, recuperata Græcia, cæterisque provinciis, quas occupaverat Mithridates, hujusque exercitu ad internecionem cæso, interea dum de pace agi cœptum erat, Dalmatas socialj contra Romanos fœdere cum finitimis populis conjunctos vicit anno ante Christum 84. eademque pacis conditiones accipere coegit, quibus eos Romani post primum & alterum bellum Dalmaticum adstrinxerant. Id ex Eutropio lib. 5. intelligi potest: *Omnes*, inquit, *Mithridatis copiæ extinctæ sunt . . . . Hac re audita Mithridates cum Sylla de pace agere cœpit. Interim eo tempore Sylla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas, & Mæsos partim vicit, alios in fidem accepit.* Anno autem proximo pace cum Mithridate facta, ita ut is Asia, Bithynia, & Cappadocia cederet, Sylla in Italiam reversus civile bellum, Marianis partibus profligatis, intra biennium confecit. Annus erat ante Christianam Epocham 78. M. Æmilio, & Q. Luctatio Catulo Coss. cum Senatus ad comprimendos Dalmatas rursus Illyricæ Provinciæ sociisque Romanorum infestos in Dalmatiam cum exercitu trajicere jussit Cn. Cosconium Proconsulem. Is Salonam terra marique obsessam, vehementerque oppugnatam, demum in potestatem redegit; ac Dalmatis clade multiplici affectis, eaque Dalmatiæ parte, quæ vergit ad mare, iisdem adempta, huic bello intra duos annos finem imposuit. Hæc Eutropius: *Ad Illyrium missus est Cn. Cosconius Proconsul; multam partem Dalmatiæ subegit, Salonas cepit, & composito bello, Romam post biennium rediit.* Senatus minime censuit Salonam Dalmatis restituendam, quæ cum proxime Tragurio & Epetio Issensis Sociorum urbibus immineret, opportunissimam se Dalmatis præbebat ad decursiones in agros utriusque urbis faciendas, eosque vastandos ac diripiendos. Itaque tum Salonam, tum cæteras maritimas civitates hostibus ereptas in sua potestate retinuit. Dalmatæ autem in loca mediterranea, & subalpina compulsi fines Imperii, paullulum quidem a Meridie oraque maritima contractos, salvos tamen nullaque ex parte diminutos inter Naronem & Titium ab Ortu in Occasum retinuerunt. At provinciæ Romanæ Illyricæ fines secus mare in Occidentem usque ad Titium ac Liburniam producti sunt, adjecta Salona, cæterisque civitatibus maritimis, quas Romani Dalmatis ademerant. Verum eadem Romana provincia, itemque Illyricum, per hæc tempora insigni detractione diminutum fuisse arbitror. Nam pars extrema Illyrici vergens ad Meridiem inter Drilonem ac Montes Acroceraunios ab Illyrico avulsa, vocabulo & finibus Macedoniæ contineri cœpit, qua quidem urbium ac terrarum accessione aucta cum esset Macedonica Romanorum provincia, fines suos usque ad mare protulit. Quare Scriptores fere omnes, qui intra finem proximi hujus ante Christum sæculi, aut prioribus ejus Christianæ sæculis floruerunt, veluti M. Tullius, Plinius, Dio Cassius, & alii plures hanc regionem Illyrico nomini exemptam Macedoniæ attribuunt, ut parte prima demonstratum est. At Cæsar idem in Commentariis de Bello civili eandem regionem ut ab Illyrico secludit, sic a Macedonia distinguit, propterea quod Macedoniæ vocabulo veterem tantum propriamque Macedoniam, non vero hanc paucis ante annis adjectam & adscriptitiam subjecit. Itaque Provincia Romana Illyrica, præter Illyricum proprium duobus fluviis Naroni, & Drilonj conclusum, extendi cœpit in Occasum, complectique oram maritimam ad Titium usque porrectam, cui deinde Liburnia quoque accessit; seclusis locis atque urbibus Mediterraneis & alpinis, quas inter Naronem ac Titium Dalmatæ obtinebant. His regionibus ac finibus Provinciam Illyricam circumscribit Cæsar in suis Commentariis, cum Illyricum nominat, quam provinciam Senatus, cum utraque Gallia, eidem administrandam tradiderat. Provinciam Illyricam Romani, post captam Salonam, in duos Conventus partiti sunt, Naronianum, ad quem Illyrii proprie dicti, & Salonitanum, ad quem urbes populique maritimi Dalmatiæ pertinebant; nisi forte paullo antiquior fuerit Naronianus; quippe cum Varronis ætate, qui anno ante Christum 60. florebat, jam celeberrimus esset, multoque frequentissimus, nam idem Varro apud Plinium LXXXIX. *civitates eo ventitasse*, auctor est. Conventus autem Salonitani per hæc ferme tempora constituti mentio est apud Cæsarem lib. 3. de bello civili, ubi scriptum est, *Conventum Salonarum* neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi a Cæsaris amicitia abduci potuisse. Prioris Conventu Narona, alterius Salona caput erant; duæ urbes temporibus illis totius Illyrici facile principes. Salonam iisdem fere temporibus deducta est Colonia civium Romanorum; idque cum veteres inscriptiones, tum Aulus Hirtius in libro de Bello Alexandrino *declarant*, quod anno ante Christum 47. gestum est; quo quidem tempore Salonam, ut Hirtius tradit, cives Romani fortissimi, fidelissimique incolebant. Sed de Conventu & Colonia Salonitana, cum de Salona speciatim agemus, diligentius dicemus, & copiosius.

Provincia Illyrica in Occasum usque ad Titium prolata, & in duos Conventus divisa.

Naro & Salona urbes primariæ, & sui quæq; Conventus caput. Salonitana Colonia

Proximo ante Christum sæculo fere dimidio jam Romæ florebat gratia, opibus, honoribus, & rerum gestarum gloria C. Julius Cæsar, ad quem deinde totius Imperii summa pervenit. Huic Senatus anno ante Christum 59. Illyricum & Galliam Cisalpinam in triennium, Transalpinam vero in quinquennium decrevit, easdemque provincias quadriennio post in alterum triennium prorogavit; quas novem annis administravit, ut auctor est Suetonius in Julio cap. 10. Quo temporis intervallo Galliam fere omnem transalpinam domuit, atque in provinciæ formam redegit. Quamvis autem totius Gallici belli ac regiminis moles in eum incumberet, consueverat tamen quotannis, ut ipse testatur lib. 5. de bell. Gal. cap. 1. ab hibernis in Italiam discedere; & temporis, quod satis esset, curæque in peragendos Illyrici ac citerioris Galliæ conventus impendere. Porro cum Cæsar trans alpes abesset in Gallia, Dalmatæ, quos ab infestanda Romana Provincia, & Romanorum sociis lacessendis, tum leges pacis sæpe cum Romanis redintegratæ, tum superiorum temporum incommoda ab illis accepta deterrebant, arma in Liburnos finitimos convertunt, quibus nullum ad eam diem fœdus, nulla societas cum Romanis intercessisse legitur. Nec ostenderunt bellum prius, quam intulerunt; nam Liburnis imparatis, ac nihil tale metuentibus, Promonam urbem munitissimam eripiunt, utrique genti ad suos fines tuendos mirifice opportunam. Erat Promona in ipso Liburniæ Dalmatiæque confinio, ex arduo præruptoque loco imminens, cujus positionem declarat mons prærultus etiamnum veteri vocabulo appellatus Promina, qui ab fontibus Titii haud longe in Orientem distat. Liburni neque copiis, neque viribus ad recuperandam urbem bellumque gerendum, Dalmatis pares erant. Commodum per eos dies Cæsar ab ulteriore Gallia, ut singulis annis facere solebat, in Italiam venerat, nec longe ab Illyrico aberat. Itaque Liburni Legatos miserunt, qui se suasque urbes

C. Julio Cæsare Illyricum & Gallia utraque decreta.

Dalmatæ bellum Liburnis inferunt, Promonamq; eidem eripiunt.

in

in Romanorum poteſtatem traderent, ſub ea conditione, ut Cæſar adverſus Dalmatas auxilia ſibi copiaſque ſubmitteret: *Quo autem tempore Cæſar apud Celtas cum imperio erat*, inquit Appianus, *Dalmatæ cæteriquc beniguiori fortuna utentes Illyrii Liburnis, quæ item Illyriorum gens eſt, Promonam urbem abſtulere. Liburni in populi Romani fidem concedentes, Cæſaris in propinquo agentis opem imploraruut*. Hinc habes, quo tempore, quam ob cauſam, quave ratione Liburnia in jus ditionemque populi Romani conceſſerit. Nam ex antiquis ſcriptoribus neminem invenies, qui ante hæc tempora Liburnos vel a Romanis ſubactos, vel iis bellis implicitos fuiſſe commemoret, quæ Romani aut cum Illyriis, aut cum Iſtris geſſerunt. Unus eſt Appianus, qui tempus indicet, cauſamque explicet Liburniæ Romanis deditæ. Nec vero ullus eſt, qui ſocietatis amicitiæve Liburnorum antiquitus cum Romanis initæ mentionem faciat. Eutropius quidem ſcripſit naves Liburnas primo bello Punico, primoque navali conflictu præclaram Romanis operam navaſſe; ſed eas Romanis ſubſidio miſſas non a Liburnis dixerim, ſed ab Iſſenſibus antiquiſſimis Romanorum Sociis, qui eo genere navium itidem, ut cæteri omnes Illyrii, ſive ad piraticam faciendam, ſive ad prælia maritima conſerenda, ſive ad exportandas invehendaſque merces utebantur. Suſpicari tamen licet de veteri aliqua Liburnos inter Romanoſque amicitia ex iis, quæ Aulus Hirtius lib. de bel. Alexand. ſcripſit de Jadertinis Liburniæ populis, *quorum ſemper in rempublicam conſtitiſſe* ait *ſingulare officium*. Huic adverbio, cum *ſemper* dixit, ſubjecta ea notio eſt, ut intelligi voluerit Jadertinos ſuam Romanis egregiam voluntatem & temporis diuturnitate, & officiorum in eos collatorum præſtantia probaſſe; ac propterea Liburnos jam inde antiquitus cum Romanis amicitiam coluiſſe. Sed utcumque ſeu vetus ſeu nulla fuerit antea cum Romanis Liburnorum conjunctio aut ſocietas, illud ex Appiano ſatis conſtat, Liburnos hoc primum tempore, ideſt tribus, vel quatuor annis ante bellum civile, ſub Imperium populi Romani ſe ultro contuliſſe. Tum Romana Illyrica provincia aucta acceſſione Liburniæ, ad quam Japydia maritima pertinebat, fines ſuos in Occaſum uſque ad Arſiam propagavit, & præter Dalmatas, quidquid tum erat generis ac nominis Illyrici uſque ad Venetos in poteſtate Romanorum fuit; nam Iſtria & Carnia, extremæ ad Occaſum Illyrici regiones, jam pridem ad jus ditionemque Reipublicæ Romanæ acceſſerant. Tertius deinde adiectus eſt Provinciæ Illyricæ Conventus Scardonitanus denominatus ab Scardona Liburniæ oppido frequenti ſane ac nobili, ad quem Japydes & Liburnos Plinius adſcripſit. Nec multis poſt annis Jadera Romanam coloniam excepit. Eodem ante Chriſtum proximo ſæculo Iſſenſes inſulani, cum ad eam diem ſocii fuiſſent Romanorum, cum Epetio & Tragurio, quo tutiores eſſent ab incurſionibus Dalmatarum, ultro ſe Romanis tradiderunt. Nam Plinius, qui primo æræ Chriſtianæ ſæculo floruit, Iſſam & Tragurium Romanis civibus coloniis attribuit.

Liburni ad Cæſarem confugiunt, ſeque in fidem Romanorum tradunt.

Provincia Illyrica Romanorum aucta acceſſione Liburniæ.

Tertius Illyrici Conventus Scardonitanus.

Iſſenſes ſe Romanis tradunt.

Cæſar Liburnis in ſuam populique Romani deditionem acceptis, protinus ad Dalmatas miſit, qui eos edoceret Liburnos jam eſſe ſub imperio clientelaque Romanorum, denunciaretque ut Promonam illis ereptam reſtituerent, caverentque impoſterum, ne quid damni moleſtiæve Liburnis inferrent. Hujuſmodi juſſa cum Dalmatæ contemnerent etiam, non ſolum abnuerent; Cæſar nulla interpoſita mora, Duces militeſque ex eo, quem habebat, exercitu ſelectos in Dalmatiam proficiſci juſſit, qui Dalmatas vi atque armis imperata facere cogerent. Sed longe alium quam ſperabat, expeditio hæc Dalmatica exitum habuit, nam Dalmatæ, Cæſarianas copias adorti, omnes ad unum milites cæciderunt. Mirum quam illius cladis nuncius vel dolore vel iracundia Cæſaris animum perculerit; ultionem tamen in aliud tempus differendam cenſuit, propterea quia diſcordiæ inteſtinæ, quæ jampridem illi cum Pompejo interceſſerant, cum jam ad bellum civile ſpectarent, Cæſaris cogitationes curaſque alio avocabant. *Cæſar*, ait Appianus, *miſit, qui Promonam tenentibus denunciaret, ut oppidum Liburnis redderent; cumque ii contemnere imperium viderentur, validam armatorum manum ſubmiſit, qui omnes ab Illyriis conciſi ſunt, neque Cæſar ultus eſt: non enim Pompejanæ diſcordiæ implicito ſatis in eam rem otii fuit; erumpente autem in bellum diſcordia, Cæſar cum copiis, quas habebat, hyeme a Brundusio Jonium transmiſit &c.* Hæc autem acta chronologice ad hunc modum diſtribui, & in ſuos quæque annos revocari poſſunt. Anno ante Chriſtum 52. Dalmatæ Promona Liburnis adempta potiuntur; anno proximo conſecuta eſt Legatio ad Cæſarem, ac deditio Liburnorum; demum 50. ante Chriſtum anno Dalmatæ & Cæſaris mandata reſpuunt, & Cæſarianas copias cædunt.

Legati Cæſaris a Dalmatis contempti; Cæſarianæ copiæ cæſæ.

Annus erat ante Chriſtianam epocham 49. C. Claudio Marcello, & L. Cornelio Lentulo Coſſ. cum bellum civile Pompejum inter ac Cæſarem coortum eſt, quod Romanam Rempublicam in duas factiones diſtraxit. Cæſar cum ſatis intelligeret, quantum rei ſuæ intereſſet Illyricum in ſua poteſtate habere, Q. Cornificium quæſtorem ſuum propretorem cum duabus legionibus illuc miſit, qui magnam illius provinciæ partem in Cæſaris fide atque obſequio, prudentia ac diligentia ſua, ut ait Hirtius, & ſumma cum laude retinuit. Cæterum Iadertinos, & Liburnos, ut videtur, a Pompejo, Salonitanos cæteroſque Illyrios a Cæſare ſtetiſſe Hirtius tradit. Iſſam Inſulam, & urbem nobiliſſimam ejus regionis, cum antea fidem ſuam Cæſari obligaſſet, M. Octavius Dux Pompejanus ab Cæſaris amicitia avertit. Dalmatas vero, cum ſui juris eſſent liberique, neutrius partis fuiſſe invenio; quamquam ab Cæſare, quam a Pompejo alieniores ſe præbuiſſe videantur: quippe identidem cum vaſtarent, & exinanirent agros, unde aliquid commeatus ad copias Cæſarianas alendas ſuppeditari poſſet, coactus eſt Cornificius in eos arma vertere, qui caſtella complura locis editis poſita, quorum opportunitas caſtellanos impellebat ad decurſiones faciendas, expugnavit, ut docet Hirtius lib. de bello Alexand. qui eam regionem Cæſari infidelem atque infeſtam fuiſſe affirmat. Præterea auctor eſt Cæſar lib. 3. de bell. civ. a M. Octavio non modo Iſſam Inſulam ab ſua amicitia abductam, ſed Dalmatas etiam contra ſe concitatos; idemque confirmat Aulus Hirtius, qui ſcripſit M. Octavium poſt Pompejum prælio Pharſalico victum, fœdera cum barbaris ideſt Dalmatis percuſſiſſe, compluribuſque locis Cæſarianorum militum oppugnaſſe præſidia partim claſſe per ſe, partim pedeſtribus copiis per barbaros, quorum animos ſponte ſua erga Cæſarem male affectos vehementius incenderat.

In bello civili inter Cæſarem & Pompejum, Illyrii & Salonitani Cæſaris partes ſequuntur: Dalmatæ neutrius partis, Cæſari tamen infeſti.

Anno ante Chriſtum 48. C. Julio Cæſare II. & P. Servilio Coſſ. Cæſar ad Pharſaliam cum hoſte conflixit. Pompejus cæſo amiſſoque exercitu in Ægyptum ex fuga profectus, Ptolemæi Regis, ad quem confugiebat, juſſu necatur. At Cæſar cum complures adverſarios in Illyricum, reliquiis ex

fuga

fuga collectis, se contendisse audiret, litteras Erundinium ad Gabinium mittit, uti cum legionibus tyronum, quas paulo ante conscripta fuerant, trajiceret in Illyricum, coniunctisque copiis cum Q. Cornificio, & quod periculum propulsare a Pompejanis interpretur, depelleret, arceretque; qui ea non magnis copiis tutari posset, ut Macedoniam ad se legiones adduceret. Hæc Hirtius. Itaque Gabinius, ut dicit Appianus, ora Jonii, idest Adriatici, circuitu peragrata, ne in hostium classem incurreret, peditum equitumque copias navibus impositas in Illyricum traduxit. Dalmatæ cum sibi a Cæsare victore metuerent, eumque exercitum contra se comparatum adduci existimarent, Gabinianas copias adorti ingenti clade afficiunt. Exercitu ferme ad internecionem deleto, duobus millibus amplius militum cæsis, tribunis quatuor, centurionibus duodequadraginta, ut Hirtius tradit, cæteris dejectis, & in fugam aversis, Gabinius cum paucis Salonam se recepit; suntmaque ibi difficultate rerum omnium pressus, intra paucos menses morbo periit. Quæ Hirtius paulo aliter & fusius narrat, eadem fere Appianus scripsit: *Cohortes autem peditum quindecim, & tria millia equitum Gabinius per Illyricum eadem adduxit, ora Jonii circuitu peragrata. Illyrii repugnantes ea, quæ non multo ante in Cæsarem commiserant, cum ejus victoriam exitio sibi futuram providerent, impetu facto universum Gabinii exercitum, (exscripto Duce, paucisque præterea fuga elapsis) conciderunt, magnamque ex tantis spoliis, & cæteri ad bellum apparatus copiam obtinuere.* Cæsari persequendis profligandisque Pompejanis impigre isto haud tantum otii erat, ut acceptas a Dalmatis injurias ulcisci posset.

Dalmatæ Gabiniani copias adorti.

Gabinius Salonam se recipit, ibique moritur.

Cæsar tum rebus Ægyptiacis, regno illo Cleopatræ Ptolemæi sorori tradito, tum Asiaticis compositis, bellisque omnibus civilibus in Africa & Hispania confectis, Romam rediens triumphavit anno ante Christum 45. Exinde Imperatoris titulus ei decretus, Consulatus in decem annos & Dictatura perpetua. Dum in apparandam expeditionem contra Getas & Parthos omni cogitatione curaque incumbit, Legati ab Dalmatis veniunt, qui ab Cæsare veniam eorum, quæ adversus illum admiserant, pacemque orarent; verebantur enim, ne Cæsar, exercitu per Illyricum in Orientem traducto, obvios se in itinere aggrederetur, pœnasque reposceret. Legatorum oratio confidentior fuit atque arrogantior, quam pro more supplicum & reorum conditione. De militari enim virtute, bellicisque laudibus gentis Dalmaticæ plura, & insolentius, prædicabant jactabantque, quam tempus & causa posceret; nec venisse videbantur, ut veniam ab eo peterent, sed potius ut suam ei amicitiam ac societatem gloriabundi offerrent. At Cæsari, quamvis tanta impudentia atque arrogantia iracundiam & stomachum moverit, in præsentia tamen visum est dissimulatione uti, ne quid more neque impedimenti se a Parthico bello suscipiendo retardaret. Paucis itaque, & pro sua ac Reipublicæ dignitate respondit, ita veniam Dalmatis ab se impertitum iri pacemque, si obsides darent, annuoque tributo se ipsi subjicerent. Acceptis, quæ ferebantur, pacis conditionibus, utrumque polliciti sunt Legati; & Cæsar Vatinium, cum exercitu in Dalmatiam misit, qui promissa ab Dalmatis exigeret, aut vi & armis præstare cogeret. Hæc ferme Appianus, qui generali Illyriorum vocabulo potissimum Dalmatas designavit; sed communi maluit, quam proprium gentis nomen adhibere, propterea quod supra scripserat non Dalmatas solum, sed alios etiam Illyrici generis populos contra Liburnos conspirasse. Rem totam ex Appiano accipe; *Cæsar gerendis rebus adversus Pompejum, Pompejoque subacto, reliquias ejus partium, quæ multæ & variæ supererant, profligandis distentus erat; sed cum omnibus confectis Romam reversus, expeditionem adversus Getas & Parthos suscepit, metuentes Illyrii, ne se in itinere positos aggrederetur, Legatos Romam misserunt, qui præteritorum veniam postularent, seque in amicitiam ejus societatemque darent, Illyriorum genteni veluti bello inclitam excellentes: ille quamquam injustum adversus Parthos expeditionem festinaret, tamen pro dignitate Populi Romani illis respondit, minime amicorum loco habiturum eum, qui talia perpetrassent, veniam autem daturum, si se tributo subjicere, obsidesque dare vellent; Dalmatis utrumque pollicentibus, Attium multis cum pedestribus, & equestribus copiis adeo misit, qui levia quædam tributa imponeret, obsidesque reciperet.* Sed Vatinium jussum esse cum justo exercitu in Dalmatiam proficisci, non ut Dalmatis subesis, quas Legati acceperant, conditionibus veniam ac pacem daret, sed ut bellum illis inferret, ex litteris Vatinii ad M. Tullium facile perspicue intelligi potest. Quare quod de tributo & obsidibus legati promiserant, id neque ratum habuerint Dalmatæ, & omnia Legatorum acta rescideris oporteat. Quæ cum Cæsari nuncianta essent, jussus est Vatinius copias trajicere, ut vi atque armis Dalmatarum audaciam compesceret. Nam antequam Vatinius Roma discederet, bellum decretum fuisse contra Dalmatas tertio ejusdem Vatinii ad M. Tullium epistola declarat: *Ego*, inquit, *post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum, sex oppida vi oppugnando cepi; unum hoc, quod erat maximum, quarto a me jam captum &c.* In superiore autem epistola idem Vatinius graviter queritur de Cæsare, quod de suis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc ad Senatum non referat, quasi vero non justissimi triumphi in Dalmatia non gessisset: *nam si hoc*, inquit, *expectandum sit, dum totum bellum conficiam; viginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua; quæ ipsi sibi asciverunt, amplius sexaginta; hæc nisi omnia expugno, mihi supplicationes non decernentur; longe alia conditione ego sum, ac cæteri Imperatores.* Quid est, oro, quod Vatinius in hac epistola postulet, ut sibi ob rem Dalmaticam bene gestam supplicationes decernantur; cum in posteriore affirmet sibi ante suum ex urbe discessum, supplicationes jam decretas fuisse? quæ duo inter se contraria ut conciliens Interpretes, alii alias explicationes adhibent, quas omnes Ubertinus Crescentinus improbat; verum ipse, ut mihi videtur, nihilo probabiliorem affert. Duo genera supplicationum distingui oportet; alterum Imperatoribus decerni solebat post hostes devictos, remque feliciter & e sententia gestam; cujusmodi supplicatio prærogativa quædam triumphi existimari solebat, Tullio teste: *Quod si triumphi prærogativam putas supplicationem, & idcirco casum potius, quam te laudari mavis: neque supplicationem sequitur semper triumphus.* Id genus supplicatio decreta fuit Cn. Pompejo, Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello, quæ decem ipsos dies tenuit; itemque C. Cæsari post bellum Gallicum prospere gestum, quindecim dierum spatio producta, quod ante id tempus acciderat nulli. Alterum supplicationis genus indici solebat pro felici militarium expeditionum præsertim difficilium successu, ut eo res prospera ac læta evenisse. Hujusmodi fuit supplicatio, de qua Livius lib. xxxi. cap. 8. *Ab hac ratione in suffragium missi, uti rogarent, bellum jussis-*

Legatio Dalmatarum ad Cæsarem.

Dalmatæ tributum & obsides dare abnegant.

Vatinius cum exercitu in Dalmatiam missus.

Ep. famil. xv.

Duplex genus supplicationum, Cic. de Provinc. Consul. Cæs. de Bel. Gall. lib. 2.

Dalmatis obsides imperati, & tributum impositum.

Digitized by Google

jusserunt . Supplicatio inde a Consulibus in triduum ex Scto , indicta est , obsecratique per omnia pulvinaria Dii , quod bellum cum Philippo populus jussisset , id bene atque feliciter eveniret . Porro Vatinius in tertia illa epistola hanc secundi generis supplicationem commemorat , quam ante Dalmaticam profectionem sibi , ideſt sui causa , ut bellum sibi mandatum bene ac feliciter eveniret , decretam fuisse affirmat ; in epistola autem superiore id a M. Tullio postulat , ut causam suam diligenter apud Cæsarem agat ; & quando jam justissimi triumphi in Dalmatia res gesserat , curet omnino , ut Cæsar de supplicationibus prioris generis sibi decernendis ad Senatum referat . Huc revoca , quæ scripsimus Parte prima de bellis Illyricis , ubi utrasque litteras P. Vatinii descripsimus , nostrisque animadversionibus illustravimus . Hinc duo animadvertas velim ; primum antea Dalmatis bellum indictum esse , quam Vatinius ex urbe discederet ; deinde ejus generis bellum fuisse , quod plurimum habebat difficultatis , & periculi ; utrumque ex eo perspici licet , quod Senatus populusque cum bellum Dalmaticum jussisset , antequam geri inciperet , ut prospere succederet , supplicationes habendas , Deosque obsecrandos esse censuerit . Res ab se præclare in Dalmatia gestas , & oppida Dalmatis adempta Vatinius in suis litteris commemorat ; quem vero exitum habuerit expeditio illa Dalmatica , non declarat . Sed Dalmatas multis præliis attritos , cladibusque affectos , tandem perpulsos fuisse , ut conditiones pacis acciperent , obsides darent , annuum tributum pollicerentur , satis aperte significat defectio Dalmatarum post Cæsaris interitum consecuta , quam Appianus describit .

Dalmatæ a Vatinio victi , & pace donati ,

Anno igitur ante Christum 44. Cæsar a Bruto & Cassio , cæteriſque conjuratis in Curia apud Cn. Pompei theatrum vulneribus confectus Idibus Martiis interiit . Tum vero Dalmatæ rem Romanam , quæ Cæsaris virtute ac fortuna niti videbatur , eo extincto collapsuram rati , neque promissis stare , neque imperata facere voluerunt , & Vatinium , qui nondum e provincia discesserat , repentino impetu adorti , ejus copiis cæsis fusisque in fugam conjiciunt , qui ægre ex hostium manibus elapsus Epidamnum confugit . Tum Senatus Marco Bruto ei , qui Cæsarem interfecerat , exercitum Vatinii , Provinciam utramque Illyrici & Macedoniæ mandavit . Sed ille civilibus bellis implicitus , quæ statim ab interitu Cæsaris repullularunt , ne cogitandi quidem aliquid contra Dalmatas , nedum gerendi spatium habuit . *Ast ubi Cæsar interiit* , ait Appianus , *rem Romanam , quæ illius ductu maxime valida florensque fuisset , eo sublato interituram rati , neque Atinii dicto amplius audientes , neque tributa conferre , neque obsides tradere sustinuerunt ; vim autem parante in eos Atinio , quinque cohortes , eorumque Ducem Bebium ordinis Senatorii cæciderunt : Atinius autem cum reliquis Epidamnum se recepit : hunc exercitum Senatus , itemque Macedoniam , & quidquid apud Illyricum in Populi Romani ditione erat M. Bruto Cæsaris interfectori , ut Syriam Cassio ejusdem cædis participi concessit ; sed hi quoque bello adversus Antonium , & alterum Cæsarem , cui Augusto cognomen fuit , distenti , nihil quidquam adversus Illyrios gerendi spatium habuerunt .*

Post interitum Cæsaris ipse rum ab Imperio desciscunt ,

M. Bruto Cæsaris interfectori Illyricum decretum & exercitus Vatinii ,

a quo nihil est gestum contra Dalmatas.

Quæ de rebus belliſque Dalmatarum post fines Dalmatiæ usque ad Titium propagatos per annos fere centum & quinquaginta gestis hactenus scripsimus , eadem a nobis copiose diligenterque expolita fuerunt Parte 1. Prolegomenon cap. 4. de Bellis Illyricis §. 5. & seqq. Sed hoc loco iterum describere necesse habui , ut peculiaribus quibusdam animadversionibus interpositis , quas , cum huc spectent potissimum , ibi prætermisimus , continuationem quamdam seriemque historiæ Dalmaticæ contexerem . Multa deinceps bella C. Octavianus Cæsar Augustus partim per se , partim per suos duces , præsertim Germanicum ac Tiberium cum Dalmatis gessit , Gabinianam cladem ultus est , Promonam aliasque urbes recepit , Romana signa Gabinio erepta recuperavit , hostesque partim armis , partim metu perpulit , ut obsides darent , ac tributum penderent ; Dalmaticis spoliis ac manubiis in urbem allatis Porticum & Bibliothecam Octavianam exornavit . Sed antequam Dalmatia penitus attrita esset , subactaque , diu multumque ut Augusto , sic potissimum Tiberio laborandum fuit . Hæc gens veluti nata ad bellicam Romanorum virtutem exercendam , quoties spes alicunde affulsit recuperandæ libertatis , toties ab Imperio defecit , & arma corripuit : Incredibile dictu est , quod tradit Vellejus lib. II. *Dalmatiam vicies & ducenties rebellasse , priusquam ad certam confessionem pacata esset Imperii* . Cum Romani ad Occasum & Orientem , ad Septemtrionem & Meridiem Imperii fines latissime propagassent , tum demum Dalmatia , postrema omnium citra Savum provinciarum , constanti ac stabili fide ad Romanum Imperium accessit . *Augustus* , inquit Eutropius , lib. VII. *Romano adjecit Imperio Dalmatiam sæpe ante victam , sed tunc penitus subactam* , cum videlicet post victam Pannoniam , Duce Tiberio cum Dalmatis , nono æræ Christianæ anno , sic debellatum est , ut deinde in officio ac fide Populi Romani constanter perpetueque manserint . Hæc omnia , cum de bellis Illyricis aguremus , distincte & accurate observatis notatisque temporibus persecuti sumus ; quibus quod hoc loco adjiciam , nihil est peculiari animadversione dignum , aut necessarium ad res Dalmaticas illorum temporum cognoscendas .

Bella Dalmatiæ Cæsare Octaviano.

Debellatum tandem est cum Dalmatis anno Christi 9.

§. II.

Propagatio secunda Nominis ac finium Dalmatiæ .

DAlmatia se intra Titium & Naronem , usque ad postrema ante Christum tempora , suumque nomen continuerat ; cum Cæsar Octavianus Augustus rerum potitus ejus fines , ac nomen trans utrumque fluvium in Oceasum & Orientem , ultraque montes in Septemtrionem longe ac late protulit . Anno ante Christum 29. cum anno superiori Antonium commisso apud Actium navali prælio profligasset , Cæsar tres egit triumphos , Dalmaticum , Actiacum , & Ægyptiacum , & bellis omnibus civilibus penitus extinctis , pace terra marique parta Janum clausit . Postquam autem M. Lepido & M. Antonio cæsis , sublatoque Triumviratu , ad se unum rerum omnium summam revocasset , de Imperio deponendo cum Agrippa & Mecænate deliberavit , illo suadente , hoc deterrente . Hujus consilium sequi cum statuisset , ad Senatum tamen de abdicando imperio retulit , quo quidem facto ita omnium animos sibi conciliavit , ut retinendi imperii auctor ei fieret summo consensu Senatus pariter Populusque Romanus . Itaque cum antea Octavius diceretur , auctus imperio nomen auxit , vocarique cepit Octavianus ; & Augustus a Senatu primus appellatus Augusto mensi , qui antea sextilis dicebatur , nomen dedit . Exinde quidquid temporis vacuum a bellis , atque otiosum ab hostibus nactus fuerat , ad componendam rem publicam , Magistra-

Cæsar Octavius de Dalmatis triumphat.

Octavianus & Augustus appellatur.

Digitized by Google

gistratus ordinandos, provincias describendas contulit. Igitur anno circiter ante Christum 28. Italiam omnem in regiones omnino undecim divisit, suo quamque vocabulo, suisque terminis circumscriptas; ut Plinius docet. Carniam Istriamque ab Illyrico avulsas conjunxit cum Venetia decima Italiæ Regione, nam utraque antea ad Illyricum pertinebat; quippe Codropolin, quod Carnorum oppidum est, Illyricum vocat Appianus, cum, *M. Lepido sublato*, scribit, *Cæsarem & Antonium inter se totum imperium denuo partitos fuisse, & fecisse terminum utriusque ditionis Codropolim oppidum Illyricum*. Ex quo conficitur, Carniam antea Illyrici finibus comprehensam fuisse, quam Augustus rerum omnium potiretur. Cum autem Plinius amnem Formionem, quem alii terminum Occidentalem, sive Istriæ ab Occidente initium constituunt, alii vero in ipsam Istriam includunt, appellavit *antiquum auctæ Italiæ terminum*, videtur significare Carniam jam inde antiquitus, ac proinde aliquot retatibus ante Augustum Italiæ attributam fuisse. Quod sane ita intelligi volim, nulla quidem auctoritate publica, aut Geographorum communi consensu ante Imperium Augusti, sed populari quadam loquendi metiendique regiones consuetudine paullatim usurpari cepta, factum esse, ut nomen Italiæ in proximam Carniam invaderet, ac fines suos usque ad Formionem proferret. Cæterum si Codropolis oppidum Carnicum, Appiano teste, Illyricum erat, cum facta est imperii partitio inter Cæsarem & Antonium; Carnia tum primum Illyrico exempta Italiæ accessit ex juris publici formula, & auctoritate ac decreto Principis, cum Augustus imperium solus obtinuit. Ut vero nullus est, quin doceat Istriam olim Illyricis regionibus annumeratam fuisse, sic omnes affirmant Istriam ab Augusto adscriptam esse Italiæ, hujus finibus usque ad Polam urbem, ut Strabo, sive usque ad fluvium Arsiam prolatis, ut Plinius tradit. *Docuimus*, ait Strabo lib. 7. *in Italiæ descriptione primos in Illyrici ora maritima esse Istros conterminos Italiæ & Carnis, Principesque nostros* (Augustum & Tiberium) *hodie Italiæ fines ad Polam usque Istriæ urbem protulisse*. Plinius vero lib. 3. cap. 9. *Nunc finis Italiæ fluvius Arsia*.

Carniam & Istriam ab Illyrico divulsas Italiæ adscribit.

Jam vero Augustus universas orbis Romani provincias bifariam divisit. Quæ pacatæ & tranquillæ videbantur esse, neque ita multis præsidiis sive ad motus intestinos comprimendos, sive ad hostes externos repellendos indigere, eas Senatui populoque administrandas tradidit: reliquas vero sub sua potestate habere voluit, quæ cum ad seditiones identidem spectarent, & hostium finitimorum aggressionibus expositæ essent, sine armis & copiis neque defendi, neque in officio ac fide contineri possent. Quo facto videri volebat sibi labores, vigilias, pericula reservare, ut Senatus quieti & incolumitati consuleret, reapse tamen id spectabat, ut arma & exercitus Senatui adimeret, ad seque transferret. Hoc omnino in ea provinciarum divisione Augusto propositum fuisse Dio Cassius lib. 53. acute pervidit: *Potentiores Provincias*, inquit, *ut fallaces & periculosas, & vel hostes accolas habentes, vel per se magna & nova moliri valentes sibi retinuit. Id faciebat sub hac specie, ut Senatus optimis imperii partibus tuto perfrueretur, ipse laboribus & periculis objectus esset: at revera sub hoc prætextu inermis & imbellis esset; & ipse solus arma & milites haberet*. Eadem fere ante Dionem Strabo lib. 17. scripserat; nisi quod quas Dio Senatui commissas dixit, suo populo traditas fuisse provincias Strabo docuerat: *Sibi quidem quæcunque militum præsidio essent tenenda, quales sunt regiones barbaræ, & gentibus nondum subactis finitimæ; steriles quidem, & cultui agre parentes, quæ ve incolæ cæterarum rerum penuria impulsi, & copia munitionum freti jugum detractarent. Populo autem reliqua, quæ pacata & sine armis sub imperio facile retinerentur*. Idem Augustus quibus suas provincias mandabat, eos Proprætores esse dicique voluit, provinciis autem Senatui seu populo relictis Proconsules præfici jussit; ex quo factum est, ut hi quidem Proconsulares, illæ vero Prætoriæ & Augustales provinciæ dicerentur. Proconsulare imperium annuo spatio circumscripsit, Prætorium nulla temporis circumscriptione definivit; id quod ex Svetonio in Aug. cap. 47. intelligi potest: *Provincias validiores, & quas annuis magistratu in imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit: cæteras Proconsulibus sortito permisit*. Sunt qui tripartitam Provinciarum divisionem ab Augusto factam fuisse censent, ut aliæ Proconsulares, aliæ Prætoriæ, aliæ Præsidiales essent; & priores quidem Senatui, alteras populo commissas esse, postremas vero Augustum sibi per suos Præsides seu Legatos administrandas retinuisse. Sed perplacet mihi bipartita illa divisio ab Dione tradita, quam Strabo & Svetonius confirmant. Idem Dio provincias Senatui potestati permissas nominatim percensct, *Africam, Numidiam, Asiam, & cum Epiro Græciam, Dalmatiam, Macedoniam, Siciliam, Cretam, Africam Cyrenaicam, Bithyniam cum Ponto finitima, Sardiniam, atque Hispaniam Baticam*; Hispaniæ quod reliquum erat sibi Cæsar Augustus retinuit, Galliam omnem transalpinam, Germaniam utramque; item Cœlesyriam, Phœniciam, Ciliciam, Cyprum, & Ægyptum.

Callidum Augusti consilium in ea divisione provinciarum.

Itaque provinciam Dalmatiæ & Senatui obnoxiam, & Proconsularem esse Augustus jussit. Nunc autem videndum est, quatenus Dalmatiæ fines extenderit, quasve regiones provinciæ Dalmaticæ vocabulo subjecerit. Primum ergo jus nomenque Dalmaticum trans alpes usque ad Savum protulit. Id adeo colligi facile est e Strabone, qui Augusto æqualis, aut suppar cum fuerit, tum antiquum ante Augustum, tum ab ætate recentes Dalmatiæ ad Septemtrionem fines descripsit. Nam cum Pannoniam ab Danubio usque ad Dalmatiam & Ardiæos in Meridiem produxit, montesque ipsos, qui a Septemtrione in Dalmatiam imminent, Pannoniæ attribuit, veteres Dalmatiæ terminos eis alpes contraxit: *Pertingit Pannonia etiam usque ad Dalmatiam, & Ardiæos versus Meridiem si proficiscatur . . . . quæ supra hanc* (deest oram Illyricam) *sita est regio, montosa est frigida ac nivalis, maxime quæ ad Septemtrionem vergit, ita ut vites raræ sint in editis & planis locis. Hæ sunt Pannonum montanæ planities versus Meridiem ad Dalmatiam usque & Ardiæos pertinentes, versus Septemtrionem ad Istrum desinentes*. Idem vero Strabo cum Dalmatiam Ardii montis interjectu bifariam divisit, & partem alteram vergere ad mare, alteram in oppositam Aquilonarem plagam spectare ait, fines recentiores Dalmatiæ ex Augusti descriptione trans alpes in Pannoniam prolatos designavit, eosque usque ad Savum exporrexit. *Porro mons, cui nomen Ardium, Dalmatiam medium secat; ut altera ejus pars ad mare spectet, altera in diversum*. Itaque Pannonia, jubente Augusto, fines suos a Meridie citra Savum contraxit; & hæc Pannoniæ regio Australis, quæ post adventum

Provincia Dalmatiæ fines usque ad Savum protulit.

Fines Septemtrionales Dalmatiæ nostri & post Augustum a Strabone descripti.

tum Slavorum partim Chrobatiæ, partim Bosniæ nomen adscivit, in jus nomenque Dalmaticum migravit. Hanc Dalmatiæ trans alpes prolationem ante nos animadvertit, retulitque ad imperium Augusti egregius rerum Illyricarum investigator lib. 1. cap. 3. atque hujus Pannonicæ ad Dalmatiam accessionis testes citat Tabulas Ptolemaicas: *Ante Strabonis tempora montes, ex quibus prospectus in Adriaticum, ipsasque montanas planities Pannones possederunt; sed tempore Strabonis ex parte ab eisdem recesserant. Nam Ardiæum montem Dalmatiam ita secare scripsit Strabo, ut altera ejus pars ad mare spectet, altera in diversum, quod de monte ab Ardiæis denominato, & Pannonibus olim finitimo intelligi debet: ex tabulis enim Ptolemæi clare perspicitur, Pannones a Dalmatis recessisse, ad Savum, Dalmatiamque Savum usque dilatatam fuisse, quod ultimo bello, tempore Augusti, evenisse conjectari potest, &c.*

Finis Dalmatiæ in Oriente productus usque ad Drilonem, in Occasum usque ad Arsiam.

Sed nihilo latius in Septemtrionem, quam longius ab Occasu in Orientem Augustus Dalmatiam produxit, eique quidquid inter Arsiam ac Titium Japydiæ & Liburniæ vocabulo suberat, itemque Illyricum proprium ab Narone ad Drilonem usque porrectum adjecit. Ita ex Japydia, Liburnia, Dalmatia, Illyrico proprio, itemque Pannonia Australi citra Savum una conflata est Romana provincia, sub uno Dalmatiæ nomine, quo Augustus omnes illas regiones comprehendi jussit. Nam Dio Cassius cum omnes Romanas provincias enumerat, quas Augustus vel sibi retinuit, vel Senatui tradidit, neque Liburniam, neque Japydiam, neque Illyricum nominat, quin immo neque Pannoniam eis Savum memorat, quam ipsemet Augustus, Japydibus transalpinis perdomitis, ad imperium adjunxerat: id autem argumento est has omnes regiones neque fuisse a provincia Dalmatiæ distinctas, & in jus nomenque Dalmaticum e prescriptione Augusti redactas fuisse. At enim Dio neque reliquam Pannoniam ultra Savum, neque Mœsiam inter provincias Romanas annumeravit. Quid ergo? an utramque propterea censeas jure donatam fuisse & nomine Dalmatici? Minime vero; nam idcirco neutram in eum numerum retulit Dio, quod Pannones quidem ultra Savum, aliquot post annis, Tiberius armis appetere cœpit, & victos iterum ac sæpius, tandem sub Romanorum redegit potestatem; cum Mœsiis vero primum quidem L. Cornelius Sylla, Eutropio teste, deinde M. Lucullus, Appiano auctore, prospere pugnaverant; sed hujus gentis penitus devictæ, tributoque suppositæ gloriam uni Tiberio jam imperanti idem Appianus attribuit. *Mysios Marcus Lucullus cum exercitu adorsus est, frater Lucii Luculli, qui cum Mithridate bellavit, ad flumen usque excursione intenta, quo loci quatuor Græcæ urbes sitæ sunt Mysiæ confines . . . Nec præterea quidquam a populo Romano sub vetere Republica adversus Mysios gestum comperi, neque quod tributa pendere adacti sint, ne ab Augusto quidem; cæterum a Tiberio, qui post Augustum rerum potitus est, domitos constat.* In extremo de Illyriis libro hæc adjecit: *Nunc vero quando hi populi, idest Mysii, a Romanis pars Illyrici censentur, hic autem de Illyriis loqui mihi propositum est, ad operis integritatem pertinere putavi, si commemorarem & a Lucullo missu populi Romani impetum in Mysios factum esse, & eosdem prævalentibus deinde Cæsarum opibus a Tiberio subactos.* Cum itaque Dio provincias omnes imperii Romani recenseat, in his vero Dalmatiam quidem numeret, Japydiam autem, Liburniam, Illyricum proprium, & Pannoniam Australem usquam nominet; quamvis ad ditionem Romanorum pertinerent; hinc sane id quod volumus efficitur & colligitur, nimirum quatuor illas regiones ab Augusto intra fines Dalmatiæ conclusas esse, & sub communi Dalmatiæ vocabulo, in provinciæ unius corpus coaluisse. Si quis autem miretur in eum provinciarum Catalogum, quem Dio contexuit, nullam relatam esse Italiæ partem; is sciat oportet nullam in Italia provinciam fuisse temporibus illis, cum Augustus regnabat, omnesque populi Romani provincias extra Italiam institutas esse: id quod declarat ipsum provinciæ nomen, cujus vim ac notionem explicat Donatus in Terent. Phorm. *Acquisitę bello longe ab Italia regiones dictæ sunt provinciæ a porro vel procul & vincendo.* Quocirca veteres ut jus Latii atque Italicum ab jure provinciali, sic Italiam a provinciis distinguere solebant, veluti l. 1. ff. de Colleg. & corp. *Quod non tantum in urbe, sed in Italia, & in provinciis locum habere Divus quoque Severus rescripsit;* & leg. 2. Cod. de excusatione, Italicarum rerum administratio Provincialium rerum administrationi opponitur; itemque apud Plinium juniorem in Epistolis prædia Italica prædiis provincialibus. Fateor equidem Galliam Cisalpinam aliquando appellatam esse provinciam; sed cum nondum Italiæ pars esset, idest ante Augustum, & prius quam Italia Apenninum transgressa suum nomen ac fines usque ad Alpes porrexerat. Quocirca Augustus ipse Italiam non in provincias, sed in Regiones divisit, quæ tribus aut quatuor post sæculis provinciæ nomen ac formam subire tandem cœperunt, quemadmodum colligi potest ex Notitia Dignit. utriusque Imper., in qua Vicario urbis provincias aliquot attributas reperies. Cum igitur Augusto imperante nulla fuerit in Italia provincia, nihil causæ fuit, cur Dio Italiam Romanis provinciis intexeret, cum earum Catalogum confecit.

Augusto regnante nulla in Italia adhuc provincia.

Ap. Gothofr. de Off. dom. Aug. c. 6. Jus italicum & provinciale, rectè Italicum & provinciale lectè distingui solebant.

Dalmatiæ provincia ex Japydia, Liburnia, Dalmatia, Illyrico proprio & Pannonia citra Sav.

Italia non in provincias sed in regiones ab Augusto divisa.

Cæterum quid & quantum terrarum Augustus Dalmatiæ adscripserit, clare perspicias ex Catalogo omnium Illyricarum Provinciarum, quem Sextus Ruffus descripsit. Is enim, cum Japydia, Liburnia, & Illyrico proprio prætermissis, quæ sane ad Illyricum pertinebant, unam nominet Dalmatiam, aperte significat tres illas regiones Dalmatiæ finibus & vocabulo comprehensas esse; & præterea cum Dalmatiam Saviæ, & Mœsiæ interjiciat, jus nomenque Dalmatiæ ab Septemtrione usque ad Saviam Savo Dravoque fluminibus interjectam, ab Oriente usque Mœsiam Illyrico proprio finitimam porrexit. Idem confirmat Notitia dignitatum utriusque imperii, quæ cum inter provincias Illyrici Occidentalis Dalmatiam annumeret, nullam vero neque Japydiæ, neque Liburniæ, neque Illyrici proprii, neque Pannoniæ citra Savum mentionem faciat, satis declarat unam ex omnibus hisce regionibus provinciam Dalmaticam constare. Nec vero dubitari potest, quin hanc Dalmatiæ longe lateque propagatæ descriptionem inde usque ab Augusto repeti oporteat, quam sine ulla finium variatione Imperatores posteriorum ætatum retinuerunt; neque memoriæ proditum est quidquam de finibus, quos Augustus Dalmatiæ circumdedit, detractum fuisse ante adventum Slavorum, quorum ingens multitudo in eas regiones septimo post Christum sæculo incubuit. Jure igitur Vegetius Liburniam esse unam ex partibus Dalmatiæ affirmat: *Liburnia namque Dalmatiæ pars est, Jadertinę subjacens civitati.* Exinde vero tum Japydiæ, tum Liburniæ vocabulum paulatim exsolescere cœpit, ac demum regio utraque amisso

Cur Dio enumeraverit provincias Romanas neque Pannoniæ ultra Savum, neque Mœsiæ nominet.

Mysii a Tiberio subacti.

Liburnia pars Dalmatiæ apud Vegetium.

amisso proprio vocabulo in jus nomenque Dalmaticum penitus commigravit, quamvis apud Scriptores mediæ ætatis Liburnia nomen suum aliquando retineat. Ergo Augustus quidquid tum erat generis ac nominis Illyrici in unam provinciam conjecit, jussitque Dalmatiam appellari. Nec vero si tota hæc regio Augusto jubente vocabulum Dalmatiæ suscepit, continuo nomen Illyrici amisit, quod etiam Istria & Carnia, quamvis in Italicam regionem translatæ, aliquamdiu apud Scriptores retinuerunt; sed exinde Illyrici & Dalmatiæ vocabula pro Synonymis haberi cœperunt; & provincia eadem promiscue & communiter appellata est modo Illyricum, modo Dalmatia; id docet Plinius lib. 30. cap. 15. *Quæ pars ad mare Adriaticum spectat, appellatur Dalmatia & Illyricum*; quippe nomen Illyrici huic regioni, in qua ortum fuerat, altius ac tenacius inhæserat, quam ut ulla rerum civilium conversione, vel temporum diuturnitate umquam deleri posset: & cum Illyricum varios deinceps fines habuerit, provinciarum additione, aut detractione alias auctum, alias contractum; semper tamen Dalmatia fuit, hodieque habetur ac dicitur pars primaria, eademque nobilissima totius Illyrici.

Eadem provincia alias Illyricum, alias Dalmatia dicta.

Nunc vero describendi sunt fines, quibus Augustus Dalmatiam ab se amplificatam circumscripsit. Dalmatiam ergo citra montes qua ad Occasum vergit, Arsia fluvius ab Italia; qua in Solem Orientem spectat, Drilo amnis a Macedonia sive Epiro nova, nunc Albania, disjungit; a Meridie autem insulas omnes, quæ Dalmatico littori objacent, complexa, mari Adriatico definitur; quam quidem finium circumscriptionem Dalmatia etiamnum retinet. Dalmatiam vero ultra montes a Septemtrione Savus præterfluit; ab Occidente Colapis fluvius claudit; qui aquarum divortio Segestficam insulam complexus, duplici ostio in Savum infertur; ab regione Orientis Drinus amnis determinat, qui ab jugo montis Scardi exoriens deflexoque in Occasum cursu Savo illabitur; nisi forte Dalmatiam ex hac parte protendi libeat usque ad confluentes Savi & Danubii, linea indidem perducta ad fontes ejusdem Drini, quæ Dalmatiam transalpinam a Mæsia sejungeret. Multa deinde & gravia bella adversus Dalmatas, cum iterum ac sæpius ab imperio defecerint, gessere Germanicus & Tiberius, quæ huc referri oportet ex parte 1. Prolegomenon, ubi ea satis accurate descripsimus. Crebræ autem Dalmatarum defectiones Augustum impulerunt, ut Dalmatiam e Proconsularibus in Prætorias Provincias relatam, ademptamque Senatui, ad suam potestatem atque administrationem revocaret.

Fines Dalmatiæ ex Augusti descriptione.

§. III.

De Magistratibus Romanis Dalmatiæ præpositis.

POpulus Romanus regna, sive regiones, quas procul, sive extra Italiam vicisset, Imperioque subjungeret, provincias nominare consueverat. *Provinciæ appellantur*, inquit Festus, *quod populus Romanus eas provicit*, hoc est, *ante vicit*. Quamquam prima Syllaba hujus vocabuli, si recte interpretari velis, non tam *ante*, quam *procul* seu longe significat; quare multo aptius ad vim hujus vocis notionemque declarandam Donatus in Terentium verbum ex verbo explicat: *Acquisitæ bello longe ab Italia regiones provinciæ dictæ sunt a porro sive procul, & vincendo*. Tum autem regiones dicebantur in formam provinciæ redigi, cum eas Romani & tributo imposito, & legibus ab se conditis, & Magistratibus ex urbe missis subjiciebant. Sicilia primo bello Punico, post annum quingentesimum ab urbe condita, qui fuit ante Christum 254., prima omnium provincia est appellata: & *prima omnium*, inquit Tullius Verrin. 2. *docuit Majores nostros, quam præclarum esset exteris gentibus imperare*. Principio provinciæ omnes erant Prætoriæ, quod Prætoribus earum administratio tradi soleret. Hujus magistratus originem atque initium refert Livius lib. 8. c. 1. ad annum urbis conditæ 398. Furiumque Camillum, qui primus Præturam gessit: *Annus hic erit insignis novis duobus Magistratibus, Prætura, & curuli Ædilitate. Hos sibi Patricii quæsivere honores, pro concesso Plebi altero consulatu. Plebes consulatum L. Sextio, cujus lege partus erat, dedit. Patres Præturam Sp. Furio, M. filio Camillo* &c. Prætura instituendæ aliam causam subjecit Pomponius Jurisconsultus de Orig. juris: *Cum Consules avocarentur bellis finitimis, neque esset in civitate, qui jus redderet posset, factum est, ut Prætor quoque crearetur, qui urbanus appellatus est, quod in urbe jus dicebat. Post aliquot deinde annos non sufficiente eo Prætore, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus est alius Prætor, qui peregrinus appellatus est ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus dicebat*. Prolatis extra Italiam finibus imperii, cum provinciæ institui cœpissent, qui ad illas regendas mitterentur, eos Prætoris titulo ac potestate donari placuit. Itaque quot provinciæ in ditionem venerant, totidem Prætores creari solebant, qui provincias sortiri jubebantur, & in eam quemque ad jus dicendum proficisci, quæ cuique sorte obtigisset. Capta Africa, quam P. Scipio Æmilianus diruta Carthagine in formam provinciæ redegit anno urbis conditæ 608., ante Christum 146., eum ad eam diem Prætores tantum Provinciarum regimini præficerentur, iis visum est adjungi Proconsules, & eos, qui priore anno Consules fuissent, altero proximo in provincias mitti, quibus jure ac potestate consulari præessent. Tam Proconsuli, quam Prætori Quæstor subjungi solebat, qui vectigalia procuraret, pecuniamque ex his confectam in ærarium publicum referret. Duplex exinde provinciarum genus extitit, aliæ Consulares, aliæ Prætoriæ; ut Proconsules Prætoribus, sic Consulares Prætoriis provinciis dignitate antecedebant. Cæterum haud raro accidit, ut e Prætoriis Consulares provinciæ fierent. Proconsulare pariter, Prætoriumque imperium unius anni spatio definiebatur; id quod lege Sempronia sancitum erat; sed sæpe, alias aliis de causis, vel Senatusconsulto, vel plebiscito in alterum & plures etiam annos prorogare solebat. Cajus Cæsar legem tulit, ne prætoriæ plus quam annum, ne Consulares plus quam biennium obtinerentur; *qua lege*, inquit Tullius in Philipp. *nulla melior, & utilior, & optima in Republica sæpe flagitata*. Sed Cæsare occiso, M. Antonius Consul legem ferri a Tribunis plebis passus est, ut Consularium Provinciarum administratio in sexennium protraheretur: id quod Tullius objecit M. Antonio, qui Actorum Cæsaris vindicem se ac defensorem profitebatur. *Hac lege sublata videturne vobis Cæsaris acta servari?* & alio loco: *Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Cæsaris: ille biennii, isti sexennii*.

Sicilia prima omnium provinciarum.

Provinciæ Prætoriæ.

Prætoribus tradita administratio provinciarum.

deinde etiam Proconsulibus; hinc aliæ Consulares, aliæ Prætoriæ Provinciæ.

Cæsar Octavianus Augustus rerum potitus, imperii quidem formam immutavit; veterem tamen divisionem Provinciarum Consularium, & Prætoria-

Provinciæ etymologia.

Digitized by Google

toriarum retinuit. Nam provincias omnes bipartito distribuit, quemadmodum supra diximus: pacatas & longe ab hostibus remotas Senatui populoque concessit; suspectas vero & finitimorum hostium incursionibus expositas in sua potestate esse, suisque præsidiis teneri voluit; has quippe si populo tradidisset, exercitus etiam ad eas tuendas populo traderet necesse fuerat, quem inermem esse permagni ejus intererat, ne armis ac militibus ad eam, quam adeptus erat, rerum omnium dominationem labefactandam & evertendam abuteretur. Senatorias & populares provincias per Proconsules administrari jussit, qui quamvis Consules numquam fuissent, quia tamen & insignibus consularibus ornati, & Consulari potestate præditi essent, eos Proconsules nominavit, eorumque imperium annuum esse decrevit.

Proconsules annuum in provincia imperium.

Quos autem provinciis Augustalibus sive Cæsareis, quas sibi retinuit, regendis præesse jussit, eos Proprætores vocavit, quod Prætorum officio fungerentur, & Prætorum insignia usurparent; dicique sunt etiam Legati, & postea Præsides; horum vero imperium nullo definito temporis spatio circumscripsit, sed integrum sibi esse voluit illud vel contrahere vel prorogare. Itaque iis, quas dixi, variationibus adhibitis, retenta est sub Augusto, quæ Republica florente instituta fuerat, divisio bipartita Provinciarum, ex quibus aliæ Consulares, aliæ Prætoriæ dicebantur; quamvis subinde contigit, ut earumdem, ordo & nomen, forma & descriptio variaretur. Regiones seu provincias Italicas qui administrarent, eos Correctores appellari placuit, cujus quidem magistratus, & vocabuli originem atque initium alii ad ipsum Augustum referunt, alii ad Imperatores posteriorum ætatum revocant.

Prætorum imperium nullo spatio definitur.

Correctores regionibus Italiæ præpositi.

Dalmatiam Augustus in numerum retulerat Provinciarum Consularium, eamque Senatui per Proconsulem regendam tradiderat; sed cum Dalmatæ ob libertatem recuperandam sumptis armis identidem ab imperio deficerent, brevi intellexit populos illos sine validis copiis & præsidiis in fide atque officio contineri non posse. Itaque Dalmatiam e Consularibus in Prætorias Provincias transtulit, atque ad jus suum regimenque avocavit. Ne quid vero de auctoritate sibi tradita, numeroque suarum Provinciarum diminutum esse conqueri posset Senatus ac populus, eidem pro Dalmatia adempta, Galliam Narbonensem & Cyprum attribuit, quemadmodum Dio Cassius lib. 53. docet. Imperantibus Augusto ac deinde Tiberio, P. Cornelium Dolabellam cum jure ac titulo Proprætoris Dalmatiæ præfuisse testantur duo Lapides, alter e ruderibus veteris Epidauri effossus, alter apud Jaderam inventus. Primus id monumenti positum esse declarat P. Cornelio Dolabellæ LEG. PROP. D. AUG. ET TIB. CÆS. AUG. idest Legato Proprætori Divi Augusti, & Tiberii Cæsaris. Alter Jadrensis, post obitum Augusti incisus est inscriptusque *Tiberio Cæsare D. Augusti Filio Imperante, & P. Cornelio Dolabella Legato Proprætore*. Ante P. Cornelium Dolabellam anno ære vulgaris nono, Dalmatiam administrabat Postumius Legatus Augusti ac Proprætor, quem Dio Cassius communi vocabulo appellat Præpositum Dalmatiæ; eumque post Andetrium, & Ardubam urbes Dalmatarum captas, belli Dalmatici reliquias persecutum fuisse tradit.

Dalmatia primum Consularis, deinde Prætoria.

Cornelius Dolabella Propretor Dalmatiæ.

Ratio autem Provinciarum administrandarum hæc erat temporibus illis. Nulla tum erat constituta civitas, quæ cæterarum caput esset ac Metropolis, & sedes fixa Prætoris, totaque in provincia dominaretur. Singulæ provinciæ in binas, aut ternas, pluresve Diœceses dividi solebant, quas vocabant Conventus. Diœcesis autem erat regio certis limitibus circumscripta ex agris, villis, oppidis constans, in qua civitas una designabatur neque Prætori Provinciam perlustranti devia, adituque difficilis, & populis ejus regionis ad conveniendum commoda & opportuna. In hanc siquidem & Prætor juris dicundi gratia, & incolæ cujusque regionis, rei publicæ vel privatæ causa se conferre consueverant; & quod e tota Diœcesi unum in locum gentes illæ convenirent, idcirco Diœceses dictæ sunt Conventus, qui ex ea urbe, ad quam concursus ille, congregatioque populorum fieri solebat, adscito cognomine distinguebantur. De Asiaticis Diœcesibus, quas Romani fecerant, sublatis confusisque antiquis regionum finibus, Strabo mentionem fecit lib. 13. *Phrygiæ, inquit, & Lydiæ, & Cariæ, & Mysiæ loca ægre distingui possunt, quod inter se cocant. Ad eorum vero confusionem non parum attulere Romani, qui non ex gentibus ea diviserunt, sed alio modo Diœceses descripserunt, in quibus fora agunt, & jus dicunt*. M. Tullius lib. ep. 13. ep. 67. P. Servilio, tres Diœceses Asiaticas attributas fuisse testatur provinciæ Cilicienſi, quam ipsemet ex decreto Senatus regendam susceperat. Quas alii Diœceses vocant, eos Conventus passim appellat Plinius; *traditque universam Hispaniam in septem fuisse divisam Conventus, Carthaginiensem, Tarragonensem, Cæsaraugustanum, Clunienſem, Asturum, Lucensem, Bracarum*. Prætores igitur, sive Proconsules hanc ferme rationem provinciæ sibi concreditæ administrandæ tenebant. Nulli civitati oppidove affixi cum essent, provinciam omnem peragrabant; & cum ad urbem cujusque Diœcesis primariam perveniissent, eo concilium indici, convocarique ex omnibus locis ejusdem regionis jubebant, quos adesse necessitas sive utilitas publica vel privata postulabat. Ibi Prætor conventum agere, idest jus dicere, controversias cognoscere ac dirimere, res publicas ordinare, quæ bono communi prodessent, statuere ac decernere, quæ obessent, providere & cavere, gentis & oppidi cujusque magistratibus creandis præesse, pecuniam ex agris cæterisque rebus vectigalibus confectam recipere, omnia denique perficere, & componere solebat, quæ ad statum optimum totius Diœceseos pertinerent. Uno peracto conventu, ad alios deinceps agendos progrediebatur; eaque potissimum ratione universam provinciam lustrabat regebatque. Hanc maxime ob causam vias ab Augusto magnifice stratas ac munitas fuisse docuit Hieronymus Surita ad Itiner. Anton. ut facile videlicet Magistratibus, atque expeditum iter præberent, accessumque ad illas urbes, in quibus hujusmodi Conventus celebrari oportebat. *Neque, ait, Italiam modo, sed & universas Romani Imperii provincias eo decore atque ornamento idem Princeps Augustus affecit, ut Præsides, & qui pro Consulibus eo munere fungerentur, facilius Provinciarum urbes atque Conventus obirent*. Idem confirmat Andreas Schottus Præf. ad Anton. qui existimat illud ipsum, quod sub Antonini nomine circumfertur, Itinerarium non solum ad militares expeditiones conficiendas, sed etiam in gratiam commodumque Magistratuum Provincialium esse descriptum. *Ducibus vero militibusque, ac Proconsulibus, & Prætoribus in provinciam proficiscentibus compositum Itinerarium Antonini apparet, ne aberrarent a via, in insidiasque per devia incidrent*.

Provincia in Conventus divisæ, qui diœceses dicebantur.

Conventuum agendorum ratio.

Viæ ab Augusto munitæ commodo Magistratuum & Conventus obeundi.

Ergo

Tres Conventus Dalmatiæ, Scardonitanus, Salonitanus, Naronitanus.

Ergo Romani cum totius Dalmatiæ inter Arsiam & Drilonem tres partes fecissent, totidem in ea Conventus instituerant, totidemque urbes jusserunt esse veluti capita regionum, ubi concilia fierent, Prætorque tamdiu consisteret, quamdiu rerum publicarum privatarumque necessitas postularet; primæ regionis Scardonam, secundæ Salonam, tertiæ Naronam, quibus ex urbibus suum cuique Conventui cognomen obvenit; primusque dictus est Scardonitanus, secundus Salonitanus, tertius Naronianus. Quas vero Dalmaticas gentes in singulos conventus descripserint, eos ex Plinio enumeratos habes capite proximo §. 1. Sed cum Augustus nomen finesque Dalmatiæ ultra montes usque ad Savum propagaverit; exstitit hoc loco quæstio subdifficilis, num etiam Dalmatæ transalpini ad tres illos Conventus pertinerent, & Prætoris Dalmatici jurisdictione continerentur. Ac Plinius quidem ex inalpinis populos sane plures tribus illis Conventibus adscripsit; sed nullam e transalpinis gentibus nominavit, cui triplicis illius Conventus adeundi jus esset; quinimmo videtur Plinius ex antiqua finium descriptione ante Augustum recepta, Dalmatiæ Pannoniæque continia montes ipsos intermedios constituisse. Ego igitur sic existimo Dalmatiam ex Augusti decreto usque ad Savum prolatam bipartito divisam fuisse; & qua citra montes vergit ad mare, in tres illos conventus descriptam uni paruisse Propretori, cui nulla fuerit trans alpes jurisdictio; qua vero ultra montes in Septemtrionem spectat, mandatam esse alteri Prætori, & suis itidem propriisque Conventibus distinctam, quorum unum fuisse arbitror Siscianum, vel Segestanum, in alterutra ex duabus illis urbibus inter se haud ita lato intervallo disjunctis, positisque ad ripam citeriorem Savi, quarum altera Siscia, altera Segesta vocabatur; nisi forte hæc pars Dalmatiæ transalpinæ Proconsulis sive Prætoris Pannoniæ administrationem postea subierit; neque enim præter morem erat illorum temporum, & inferiorum ætatum, ut plures provinciæ seu regiones uni Præfecto regendæ traderentur. Certe Valerius Messalinus sub Augusto Pannoniæ citra Savum & Dalmatiæ Præfecturam gessit; itemque sæculo quinto, qui Pannoniæ Saviæ sive Ripariensi inter Savum & Dravum cum jure ac titulo Correctoris præerat, idem ultra Savum in Meridiem suam jurisdictionem extendebat; quippe cum Saviæ Metropolis esset Siscia civitas amplissima imposita ripæ Australi ejusdem fluminis, ut docet Guidus Pancirolus: *Savia*, inquit, *Correctorem habuit, cujus sub Constantio Rectorem fuisse Africanum Marcellinus lib. 15. scribit, sed Correctorem intelligit. Hujus Metropolis erat Siscia, ubi provinciæ thesaurus reponebatur, cui præerat Præpositus thesaurorum Siscianorum Saviæ nuncupatus. Hic etiam Procurator monetæ Siscianæ* &c. Itaque Dalmatiam Cisalpinam seu maritimam in tres illos conventus divisam unus Proprætor, sive Legatus Augustalis regebat; Dalmatia vero transalpina, & mediterranea, vel suum habebat, cui obtemperaret, propriumque Magistratum, vel ad jus ditionemque Præfecti proximæ Pannoniæ Saviæ pertinebat.

Provincia Dalmatia bifariam divisa, ac duobus Prætoribus commendata.

Prætores Dalmatiæ nonnulli referuntur.

Ex Prætoribus Dalmatiæ, quos ætas posterior Præsides appellavit, paucos proferre possumus, quorum nomen ac memoriam veterum scripta nobis conservarunt. Valerius Messalinus Præturam Dalmatiæ simul & Pannoniæ citra Savum, quem Augustus Dalmatiæ adjunxerat, gessit anno sexto post Christum natum, M. Æmilio Lepido, & C. Arruntio Nepote Coss., ut apud Dionem scriptum invenio. Biennio post Dalmatiam regebat Q. Julius Postumus vir Consularis, quem Dalmatiæ Præpositum vocat Vellejus Paterculus, quippe ob res bello Dalmatico postremo præclare gestas, *ornamenta meruit triumphalia*, ut idem Vellejus testatur; ejusdemque Dalmaticam præfecturam Dio Cassius produxit usque ad Consulatum P. Sulpitii Camerini, & C. Poppæi Sabini, idest ad nonum annum æræ Christianæ. Anno post Christum natum circiter duodecimo, provinciam Dalmatiæ administrabat P. Cornelius Dolabella *Legatus & Proprætor D. Augusti, & Tiberii Cæsaris Augusti*; eo quippe anno Tiberius ab Augusto in societatem Imperii, Senatu populoque postulante, adscitus vocari cepit *Augustus*: id docet lapis Epidaurius supra laudatus. Huic provincia Dalmatica prorogata est post obitum Augusti, usque ad annum duodevigesimum epochæ vulgaris, quem Tiberius Augustus Consul III. Tribuniciæ potestatis xx. numerabat; nam hoc anno adhuc rei Dalmaticæ præerat, *Tiberio Cæs. D. Augusti filio Augusto Imper. Pont. Max. Trib. Potest. xx. Cons. III. P. Cornelius Dolabella Legatus Proprætor*; in cum quippe annum incidit an. xx. Trib. Potestatis & Consulatus tertius Tiberii: id confirmat alter lapis Jadrensis, cujus itidem mentio paullo ante facta est. Claudio imperante, Dalmatiæ præfuit Furius Camillus Scribonius, quem Dio Cassius lib. 60. Præfectum Dalmatiæ, Svetonius in Claud. magis apte congruenterque ad id, quod gerebat muneris, Legatum Dalmatiæ vocant, eumque ad defectionem animos militum sollicitasse, conatumque adversus Claudium seditionem militarem conflare affirmant. Vitellio & Vespasiano civili bello inter se de imperio decertantibus, Poppæus Silvanus Consularis, quem Cornelius Tacitus cum sex millibus militum Dalmatarum ex recenti delectu, partes Vespasianis secutum esse scripsit, erat Legatus Dalmatiæ: *Titus Flavianus Pannoniam*, ait Tacitus, *Poppæus Silvanus Dalmatiam tenebant, divites senes*. Intra finem primi sæculi Macer nescio quis apud Martialem Dalmatiæ Præturam obtinuit, ad quem idem Poeta Epigramma 78. lib. 10. scripsit: *Ibis littoreas Macer Salonas* &c. Sunt qui tradant Dalmatiam aliquando commendatam fuisse Proconsuli Macedoniæ, idque ex Ulpiano, qui sæculo tertio ineunte floruit, conjici posse existimant, cum is scripserit se ab Herennio Modestino Proconsule de Dalmatia consultum in l. si quis uxori. 52. §. si quis asinum. ff. de Furt. sed, ut præclare animadvertit Guidus Pancirolus de Notit. part. 2. cap. 64. *illa dictio Proconsule in Florentina lectione deest*. Secundo sæculo in exitum vergente Didius Julianus, qui post Pertinacem an. 193. bimestris Imperator fuit, *Dalmatiam regendam accepit*, ait Spartianus, *eamque a confinibus hostibus vindicavit*.

Sub initium tertii sæculi, primum Apronianus parens Dionis Historici, deinde post aliquot annos ipsemet Aproniani filius Dio Cassius Coccejus Præsides Dalmatiæ fuerunt; id quod Dio ipse scriptum reliquit. Deinceps autem, quibus Dalmatiæ Præfectura mandata est, eos Præsides dictos invenio. Siquidem qui Augustalibus Provinciis præficiebantur, alias Prætores, alias Proprætores, alias Legati, alias etiam Præsides vocari solebant. Præses igitur erat Dalmatiæ anno Christi circiter 282. Constantius Chlorus parens Constantini Magni, quem Carus Imperii successorem animo designaverat, depulso coactoque in ordinem Carino filio, qui in omnem effusus libidinem ac sævitiam, provincias a patre

acceptas ſuis flagitijs ac ſceleribus polluerat. Id tradit Vopiſcus in Carino: *ſtatuerat denique* (Carus) *Conſtantium, qui poſtea Cæſar eſt factus, tunc autem Præſidatum Dalmatiæ adminiſtrabat, in locum ejus*, ideſt Carini, *ſubrogare, quod nemo tunc vir melior videbatur*. Demum ſæculo quarto ineunte, & Diocletiano imperante, eodemque Chriſtianos acerbiſſime perſequente, Tarquinius Præſes Dalmatiæ nominatur in Actis S. Felicis Martyris.

Cum antea duo fuerint genera Provinciarum, ut diximus, & aliæ Conſulares ſive Proconſulares, aliæ Prætoriæ, ſive Proprætoriæ vocarentur, eaſdem poſteritas diviſit tripartito, quemadmodum docet Notitia dignitatum Imperii utriuſque, quam compoſitam ferunt Theodoſio juniore imperante, qui anno æræ vulgaris 450. Imperio pariter ac vita deceſſit. In ea porro tres itidem Provinciarum, ut Magiſtratuum, ordines deſcripti ſunt. Aliquas appellarunt majores, quaſdam medias, reliquas minores. Magiſtratus *majores*, quos *majoribus* præficiebant provinciis, erant Proconſules. *Medii*, qui *medias* regebant, *Conſularium & Correctorum* titulo ornabantur. Minores, quibus minorum adminiſtratio tradi ſolebat, Præſides appellabant. Juſtinianus in §. illud Authent. de appellat. *Veneranda*, inquit, *vetuſtatis auctoritas, ita magiſtratus digeſſit, ut alii majores, alii medii, alii minores eſſent*. Triplicis hujus magiſtratus, ideſt Præſidum, Conſularium aut Correctorum, & Proconſulum mentionem fecit Zeno A. ad Sebaſtianum PP. *in l. 1. in princ. C. ut omnes jud. tam civiles, quam milit. Nemo*, inquit, *ex Præſidibus Clariſſimis, vel Conſularibus aut Correctoribus, vel qui adminiſtrationis majoris inſulas meruerunt, ideſt viri Spectabiles, Proconſules, aut Præfectus Auguſtalis, aut Comes Orientis audeat excedere locis, quos rexiſſe noſcitur, antequam quinquaginta dierum conſtitutus numerus finiatur*. Huc adjicere libet, quæ Guidus Pancirolus de triplici Provinciarum & Magiſtratuum ordine ſcripſit in ſuis Commentariis ad Notitiam Dignit. Imperii utriuſque: *Majoribus Provinciis majores Magiſtratus ideſt Spectabiles, quales ſunt Proconſules. Proconſulares Provinciæ antea undecim fuere*, (quas ſcilicet Auguſtus Senatui populove tradiderat) *poſtea ad tres redactæ ſunt, Aſiam, Achajam, Africam, quæ amiſſa, priores duæ tantum Proconſulares permanſerunt. Zeno enim utrumque Proconſulem Imperii nominat, cum hi duo ſoli tum reperirentur. Sed Africa a Barbaris recepta, ejus Proconſulem Juſtinianus renovavit. Idem Cappadociam, Armeniam primam & Paleſtinam Proconſulares fecit Nov. 30. 31. quas in numero majorum eſſe voluit, ſicut & illas, quibus Comites, Prætores, & Moderatores dedit, qui jus etiam in milites habebant Edicto 4. de Præſide Phœnicię, & Libani, & Novel. 26. erantque Spectabiles. Mediæ vero erant Provinciæ Conſulares, non Conſulum aut Proconſulum, ſed in quas Senatores cum Conſularibus ornamentis mittebantur. Minoris enim ſunt adminiſtrationis, quam Proconſulares. Mediis Provinciis & Correctores imperabant, qui Conſularibus in hoc inferiores erant, quod ornamentis Conſularibus non utebantur, ſed militibus imperantes, enſem & chlamydem geſtabant, quibus Proconſules carebant. Minores Provinciæ a Præſidibus regebantur, qui proprie ordinarii vocantur. Ita hos Præſides interpretatur Juſtinianus Novel. 103. Paleſtinam, inquit, quondam Proconſul tenuit, ſed eo amiſſo, ad magiſtratum, quem vocant ordinarium, devenit, ideſt ad Præſidem. Ordinario enim jure is Provincias regere dicitur l. ultim. Cod. de mo. Mulct. Sed & Conſulares erant ordinarii. Idem A. Juſtinianus Novel. 31. §. penult. loquens de quarta Armenia: confeſtim, ait, in forma ordinariorum Magiſtratuum, Conſularis a nobis facta. Itaque Provinciarum Magiſtratus aut Proconſules erant, aut Conſulares, vel Correctores, aut Præſides: plura enim Notitiæ tempore nomina non inveniuntur.*

Tres ordines Provinciarum & Magiſtratuum ſæculo quinto.

Præſides minoribus, Conſulares medii, Proconſulares majoribus Provinciis præerant.

cap. 38.

Jam vero Dalmatiam Notitia ſæpius laudata in ordinem refert numerumque Provinciarum minorum; & Magiſtratum huic adminiſtrandæ propoſitum, *Præſidem* appellat. Temporibus illis, cum ſcripta eſt Notitia, ratio regendarum Provinciarum alia erat, atque olim fuerat ante conditam Romanam Monarchiam, & primo æræ Chriſtianæ ſæculo; jamdudum enim Conventus illi, quos diximus, fieri deſierant, quibus luſtrandis peragendiſque Magiſtratus concreditus ſibi Provincias, ſuam quiſque, adminiſtrabant; quippe nulli cuipiam loco addicti affixique cum eſſent, Diœceſes omnes peragrabant; & in urbibus oppidiſve ad id conſtitutis tribunal erigere, unde jus redderent provincialibus illuc adeuntibus, ac tamdiu in ſingulis conſiſtere ſolebant, quoad ſuo ſatis feciſſent officio, reique publicæ & privatæ neceſſitas, utilitaſve poſtularet. Jam enim in ſingulis Provinciis conſtituta erat civitas, in qua Magiſtratus Provincialis ſedem fixam ac ſtabilem haberet, ex qua in omnes provinciæ partes curam, cogitationemque protenderet, ad quam denique rerum omnium provincialium ſummam revocaret, quæ quidem civitas caput ac Metropolis totius provinciæ dicebatur. Quo autem modo factum ſit, & quibus temporibus, quaſve ob cauſas acciderit, ut vetus illa provinciarum deſcriptio, earumque regendarum formula paullatim antiquari, & Metropoles inſtitui ceperint, Benedictus Bacchinius de Orig. eccl. Hierarch. part. 1. conjectura & ratiocinatione ſane probabili declarat. *Verum*, inquit, *procedente tempore, & Auguſtorum potentia omnia ad libitum moderante, ſuadentibus etiam rerum vicibus, Conventuum prærogativa paullatim evanuit, cujus rei propterea rara apparent veſtigia in Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus poſt Plinii ætatem ſubſecutis. Id ex eo primum factum reor, quod, ut in ſuperioribus viſum eſt, Imperatores Proprætoribus ſuis, qui in Provincias mittebantur, concederent, ut ultra annum, & quantum ſibi placuiſſet, imperium prorogarent; ex diuturniori ſiquidem mora Prætorum in provincia eveniſſe exiſtimo, ut locus, in quo diutius morabantur, præcipuam in Provincia prærogativam acquireret, & paullatim inter Provinciæ Diœceſes emineret, ſtrictoque, ut ajunt, ſenſu Metropolis nomine vocaretur; quod tamen non niſi ſerius factum eſt. Id etiam inde effectum arbitror, quod Proprætores armati bellum potius, quam pacem præferrent, quare principem provinciæ urbem cuſtodirent, & in ea, tamquam in circumpoſita regionis arce reſiderent. At in Provinciis de novo ſubactis, nullam Conventuum rationem habitam exiſtimo, quod Imperatorum eſſent, non Senatus; in hujus enim Provinciis diutius veterem Reipublicæ formam ſervatam res ipſa ſuadet. Porro annale Proconſulum imperium (ſi Tiberii ætatem excipias, qui diutius, quam præcedentes, & ſubſecuti Auguſti fecerint, Rectoribus Provinciarum jus prorogavit,) uſque ad Severi ætatem perduraſſe probant, quæ Peſcennius Niger ex Spartiano ad Commodum ſcripſit: tantæ auctoritatis Peſcennius fuit, (inquit Spartianus) ut ad Marcum primum, deinde ad Commodum ſcriberet, cum videret Provincias facili adminiſtrationum mutatione ſubverti: primum ut nulli ante quinquennium ſuccederetur Provinciæ Præſi-*

Dalmatia inter minores Provincias, quæ a Præſidibus regebantur.

Poſt aliquot ætatis ſæculum metropoleos officium.

di,

di, vel Legato, vel Proconſuli, quod prius deponerent poteſtatem, quam ſcirent adminiſtrare. Antoninus etiam Pius, tradente Capitolino, ea conſtantia fuit, ut ſeptenis, & novenis annis in Provinciis bonos Præſides detineret. At Ariſtides, qui Marci Aurelii Antonini, & Commodi ævo floruit, in oratione ad Civitates Aſiaticas, miſſos quotannis ex lege Prætores ait. Severo imperante, quæ Commodo ſuggeſta fuerant, obtinuiſſe idem Spartianus tradit. Quare crediderim ab eo tempore Conventuum Provincialium formam in deſuetudinem abiiſſe paullatim, & tandem ad unam Urbem, ubi Proconſul reſidere conſueverat, omne jus redactum, quæ Tacito regnante Curia dicerentur. Sic de ejus electione litteras ſcriptas tradit Vopiſcus ad Curiam Carthaginienſem, ad Curiam Trevirorum. Antoninus Philoſophus, Julio Capitolino narrante, Provincias ex Proconſularibus Conſulares, aut ex Conſularibus Proconſulares, aut Prætorias pro belli neceſſitate fecit. Hactenus Bacchinus.

Poſt Commodum forma Conventuum Provincialium deſuetudine antiquari cœpta.

Cum itaque forma & deſcriptio Provinciarum immutata eſt, atque in locum Conventuum Provincialium ſubſtitutæ Metropoles, haud mihi dubium videtur eſſe, quin Salona, quæ vel civium numero ac frequentia, vel ambitus magnitudine, vel maritimo commercio, & opibus ac divitiis, una inter omnes Dalmatiæ civitates facile eminebat, dignitatem nomenque Metropolis adepta fuerit, dignaque habita, in qua ſupremus totius Provinciæ Magiſtratus domicilium ac ſedem collocaret, ut alio loco paullo diligentius explicandum erit. Dalmatia igitur e ſuperiori Provinciarum ſive Proconſularium ſive Conſularium gradu dejecta, ſæculo quinto, cum Notitia Dignit. confecta eſt, infimum inter Provincias locum obtinebat; ejuſque regimini præfici ſolebat Magiſtratus infimi ordinis, quem *Præſidem* appellabant. Huic verbo, cum Præſidem dicimus, ſubjecta ea notio eſt, quæ latiſſime patet, omneſque omnino, qui cum imperio ſunt, & provinciis, rebuſque publicis præſunt, vi ſua ac ſignificatione complectitur; ut præclare docet Macer l. 1. ff. de offic. præſid. *Præſidis nomen*, inquit, *generale eſt, eoque & proconſules, & Legati Cæſaris, & omnes provincias regentes, licet ſenatores ſint, Præſides appellantur.* Verum nomen Præſidis, ſi exigere velis ad præſcriptum formulamque juris civilis, ac publici, quod vigebat quinto ſæculo, ex ampliſſima illa ſignificatione deceſſit, & cæteris Præfectis ademptum proprie in eo magiſtratu, qui præeſſent minoribus provinciis, remanſit. Quemadmodum Provinciarum Præpoſiti, aliive publicorum munerum curatores honorariis quibuſdam titulis affici ſolebant, & Proconſules *Spectabiles* vocari; ſic etiam Conſulares, & Præſides Provinciarum *Clariſſimos* in Notitia ſemper appellatos videas; at Præſidem Dalmatiæ Perfectiſſimum cognominatum invenies, quo itidem titulo alii duo Præſides cohonestantur Arabiæ & Iſauriæ. Quippe gradus dignitatum quinque potiſſimum titulis diſtinguebantur. Qui ſummos magiſtratus obtinebant, *Illuſtres* dicebantur, veluti Conſules, Præfecti Prætorio, Magiſtri militum, & officiorum, Quæſtores, Præpoſitus Sacri Cubiculi, Comites Largitionum, & rerum privatarum, & domeſticarum, quos eodem fere ordine Notitia & jura percenſent; qui ſummis proximos adepti fuerant, *Spectabiles* vocabantur, veluti Proconſules, Comes Orientis, Præfectus Auguſtalis, Vicarii Diœceſeon, Comites rei militaris, Duces Provinciarum. His, qui dignitate proxime accedebant, *Clariſſimorum* titulo donabantur, veluti Conſulares, Correctores, & Præſides Provinciarum, aliique ejuſdem ordinis & gradus. Infra Clariſſimos poſiti qui eſſent, hos vocabant *Perfectiſſimos*, veluti Præſides Dalmatiæ, Arabiæ, & Iſauriæ, itemque Rationales, alioſque ejuſdem inferioris notæ ac magiſtratus. Locum infimum in adminiſtratione rerum publicarum tenebant *Egregii*, quos Notitia quidem prætermiſit, ſed jura ſæpe commemorant. Perfectiſſimi inter Clariſſimos & Egregios interjecti, dignitate infra ſenatores erant, ſed equitibus præſtabant.

Salona Metropolis Dalmatiæ.

Præſides Perfectiſſimi Clariſſimi, at Præſes Dalmatiæ Perfectiſſimus.

Varii variorum dignitatum gradus.

De Præſide Perfectiſſimo Dalmatiæ quę ſcripſit Pancirolus part. 2. Com. in Notit. Imp. Occid. cap. 64. huc transferre operæ pretium eſſe duxi: *Dalmatiæ certum eſt Præſidem imperaſſe, non Clariſſimum, ut alii, ſed Perfectiſſimum: neque enim ex Senatoribus, ſed ex inferioribus eligebatur, aut Equitibus, quos dignitate Perfectiſſimi anteibant, ut & Conſtantinus ad Verrinum Præfectum urbis ſignificat in l. 1. C. T. de his, qui veniam æt. impetr. Senatores,* inquit, *qui veniam ætatis impetrant, apud P. V. officium de ſuis moribus & honeſtate perdoceant, Perfectiſſimi apud Vicariam Præfecturam, Equites Romani apud Præfectum Vigilum, quæ verba in Codice Juſtiniani in l. 2. C. de his, qui veni. æta. impetr. ſunt immutata. Itaque poſiti ſunt Perfectiſſimi ſupra Equites, qui non primum, ſed ſecundum poſt Clariſſimos locum habebant, & in Jure a Perfectiſſimis ſeparatis tractatibus diſtinguuntur, tit. l. de perfectiſſimatus dignitate, & poſt eos locantur.*

Idem Pancirolus Inſignia, quibus ornari diſtinguique ſolebant Perfectiſſimi, in Tabula picta, Notitiæque inſerta variis coloribus expreſſa diligenter interpretatur; *Inſignia Magiſtratus Perfectiſſimi ſunt duo Principes in ſummo auratæ pilæ, in unum uterum deſinentes, ut ſupra in Correctore Apuliæ, & Præſide Cappadociæ expoſui; Item abacus rubro tapeto inſtratus, qui librum viridi corio tectum regit; infra eſt forma oppidi cum hac Inſcriptione: PROVINCIA DALMATIA. In manuſcriptis, dorſo libri inſunt hæ notæ: L. F. LG. P. PRUM. JUSSU DD. quas ita ſum interpretatus: Liber felix legendus Præſidibus Provinciarum Juſſu Dominorum. In Madruciano littera G eſt minuſcula.* Ibid.

Præſidis Dalmatiæ inſignia, & adminiſtri.

Nunc vero ex Notitia locus ille deſcribendus eſt, qui pertinet ad Virum Perfectiſſimum Præſidem Dalmatiæ, percenſetque omnes, quos ille Provincialis regiminis Adminiſtros habebat.

Sub juriſdictione Viri Perfectiſſimi
Præſidis Dalmatiæ
Provincia Dalmatia.

Officium a *autem habet hoc modo.*	a
Principem b *de eodem officio,*	b
Cornicularium. c	c
Tabularios duos. d	d
Commentarienſem. e	e
Adjutorem. f	f
Ab actis. g	g
Subadjuvam h.	h
Exceptores i, *& cæteros cohortalinos,* k *quibus non licet ad aliam tranſire militiam ſine annotatione clementiæ principalis.*	i k

Notæ, & Explicationes Officiorum.

a Officium erat veluti familia Præſidis conſtans ex illis, quos Præſides cæterique Præfecti Provinciales in Provinciam ducebant, quibuſque ad varia Provincialis regiminis munia obeunda utebantur. Hinc Miniſtri Magiſtratuum dicti *Officiales* apud Apulejum: *Sed juſſit Poteſtas Officialem ſuum*

Quid ſit Officium.

magna severitudine coerceri. Nunc etiam eosdem vulgo appellant Officiales.

Princeps dictus est primus Ministrorum.

b Is præerat ceteris Administris, quos Præsides habebant, & quæ cuique agenda essent, præcipiebat. *Princeps ipse est caput officii*, ait Svidas, *qui omnibus imperat, & quid agendum sit, ubique disponit*. Vegetius lib. 2. cap. 8. idem confirmat, & paullo distinctius explicat. *Ab hoc Princeps in officio nomen habuit, quia ipse omnia, quæ ab Officialibus agenda erant, ordinabat; illi enim sine ipso nihil exsequebantur: nullus in carcerem detrudi, nullus advocatus introduci, ipso inscio potest*.

Cornicularii multiplex officium.

c Cornicularii cum multa essent munera, tum illud præcipuum, ut jussa, sententias, & decreta Præsidis in codicem referret, ac promulgaret. Hunc inter Primates officii tam Notitia, quam jura collocant. Valentinianus in dict. l. 2. & in l. fin. C. de Offic. diversi judic. *Sciant*, inquit, *principes cornicularii, & primates officiorum ternas libras auri e suis facultatibus eruendas, si honoratis Viris secretarii in judicium ingressus non patuerit*. Quod pro insigni Cornu uteretur, vel quod ex eo silentium concioni indiceret, cum edicta promulganda essent, dictus est Cornicularius.

Tabularii rationibus supputandis præerant.

d Tabularii rationibus supputandis præerant eorum, quæ in publicum ærarium conferebantur, veluti vectigalium, & tributorum. Apud Ulpianum idem est computator ac Tabularius: *Ego*, inquit, *etiam adversus Tabularium puto actiones dandas, qui in computatione fefellit*. Bini in singulis Provinciis tabularii esse consueverunt, dicti etiam Numerarii; quorum alter largitionum ratiocinia, alter ad arcam fiscalem pertinentia tractabant. l. duos. C. de susceptoribus & arcar. l. 2. & 4. C. de Numerar.

Commentariensis carceribus præpositus, ejusque munera.

e Huic id negotii datum erat, ut curam susciperet, custodiamque publicorum carcerum. Id tradit Valentinianus l. ad Commentariens. C. de custodia reor. *Ad Commentariensem*, inquit, *receptarum personarum custodia, observatioque pertineat*. Carceri inclusis Commentariensis, si inopes erant, duas aut tres diurnas libellas in victum suppeditabat ex annona, qua pauperes alebantur. Leg. judices, 9. C. de Episcop. audient. libella vero est *argenteus nummus fere assem æquans, & decimam denarii*, ut docet Varro lib. 5. de Lingua Latina. Tricesimo quoque die de numero eorum, qui sibi in custodiam traditi fuerant, de varietate delictorum, de ordine, ætate, vita & moribus vinctorum ad Præsidem referebat, ne rei diutius, quam æquitas postularet, in vinculis detinerentur. Idem etiam reos & comprehendere, & torquere, & ad tribunal perducere, eorumque tum quæstionibus interesse, tum responsa in commentarios referre jubebatur, ex quo potissimum dictus est Commentariensis. Id ex Actis Martyrum intelligi potest.

Præter Adjutorem cujusque officii is, unus erat Adjutor communis cæteris omnibus ministris.

f Cum adjutor Commentariensi proxime subjiciatur, ei nihil aliud muneris tributum fuisse censent, nisi, ut Commentariensi vicariam operam præberet, hujusque partes ageret. Haud equidem negaverim suum & proprium Commentariensi adjutorem datum fuisse, qui ejusdem vel absentis, vel quamcumque ob causam præpediti vicibus fungeretur. Hunc scilicet spectat C. de Custod. reor. l. ad Commentariensem. *Si Commentariensis necessitate aliqua procul ab officio egerit, adjutor ejus pari cura advigilabit*. Quinimmo singulos Præsidis administros, quos Notitia percenset, habuisse arbitror, per quos adjuvari, suumque munus exsequi possent. Sed quem Notitia hic *Adjutorem* vocat, interque Officiales Præsidis annumerat, eum nullius proprium, sed communem omnibus fuisse existimo; ut si quando vel absentia, vel morbo, vel multiplici occupatione impedirentur, quominus fungi possent officio suo, Adjutor omnibus ad omnia præsto esset, ac singulorum vices ac munus præstaret; quippe in Notitia non inferiores minimi, sed capita solum totius officii nominantur. Nec vero Adjutor ubique post Commentariensem, sed interdum post Cornicularium, & alias alio loco ponitur.

Actuarius sive ab Actis.

g Qui Acta coram Præside vel judice, idest donationes, venditiones, testamenta, aliosque hujus generis contractus litteris mandabat, is Actuarius, sive Ab actis dicebatur. Hæc enim omnia, ut rata essent ac firma, coram judice agenda erant, vel saltem legenda; Constantinopoli quidem apud Magistrum census *l. testamenta C. de testam. l. in hac. & l. secundum*, *C. de donat.* in provinciis autem apud earum Præsides, vel Magistratus municipales: *dict. l. nulli C. de episc. & cleric. l. donatio, dict. l. in hac, & l. ultim. C. de adopt.* & alibi in jure.

Subadjuva, idest Adjutor Adjutoris.

h Cum multa sæpe & varia aliorum Ministrorum vel absentium, vel morbo laborantium munia in Adjutorem incumberent, & unus omnibus obeundis non esset, qui huic opem ferret, laborisque in partem veniret, vocabatur subadjuva, quasi adjutoris adjutor. Huic verbo hanc notionem subjecit Synesius Epist. 145. *Harpocration quidam est ex Heracliani Satellitibus, ordinem habens, ut Adjutori opituletur; nam dictio Subadjuva hoc interpretari creditur*.

Exceptores.

i Qui Acta judicialia in causis appellationum exciperent, describerent, conservarent, & cum res causa cognoscenda erat, coram Præsidibus, aut Præfectis recitarent, hos nominabant Exceptores, quibus quantum pro impensa in scribendis edendisque actis opera solvendum sit, præscribit Anastasius *l. in Sacris Scriniis 12. §. modum insuper Sportularum. C. de proxim. Sacro Scrin. lib. 12. Jubemus pro editione Actorum exceptoribus dimidiam solidi partem dari*.

Cohortales.

k Cohortales seu cohortalini dicti sunt omnes, qui ad Præsidis cohortem pertinebant, estque nomen generale, quo universus Comitatus, seu familia Præsidis Prætoriive comprehendi solebat. Cohors enim non solum de militibus dicitur, sed etiam refertur ad ministros comites, & satellites, quos secum in Provinciam Præsides ducebant, ut sibi ad omnia præsto essent, quasique latus cingerent. Hinc Cohors Prætoria. Cum igitur Notitia aliquos Administros Provincialis officii singillatim nominaverit, his ceteros generatim adjecit, unoque communi vocabulo cohortalinos appellavit, quos leges vetabant injussu Imperatorum ad aliam transire militiam, idest vel in cohortem alterius magistratus se transferre, vel ad aliud officium promoveri.

Apparitores & Viatores cohortalinorum vocabulo comprehensi.

Verum inter cæteros Cohortalinos annumerari posse arbitror Apparitores, seu Viatores, quos Notitia hoc universali nomine complectitur. Horum autem munus erat, assidue Magistratibus adesse, eorum mandata excipere, & alia per seipsos curare, alia ad illos, quibus indici jubebantur, deferre; reos, testes, accusatores citare, & quorum nomen delatum esset, quibusve lis aliqua intenta, eos ex edicto Præsidis in jus vocare. De Administris Præsidum, aliorumque Magistratuum, qui plura & uberiora cupiat, Pancirolum adeat, omnia eorum munera & officia fuse accurateque persequentem Parte 1. Commentarii in Notitiam Dignit. Imper. Orient.

Qua tempestate Attila Hunnorum Rex ferro & igni vastabat Provincias Orbis Romani, Macrinum,

Digitized by Google

quem quendam præfuiſſe non ſolum Dalmatiæ, ſed etiam Pannoniæ, Macedoniæ, Pamphyliæ, & Phrygiæ, traditum eſt in Chronico Veneto Laurentii de Monachis: neque alium invenio Præſidem Dalmatiæ, de quo, ante interitum Imperii Occidentalis, memoriæ ac litteris proditum fuerit. Poſt extinctum imperium Occidentis anno 476. Dalmatia occupata cum eſſet a Gothis, ad hanc Provinciam regendam tum Roma, tum Conſtantinopoli Præſides miſſi deſierunt. Poſt Gothos per Juſtinianum exactos ſexto ſæculo ex parte dimidia iam elapſo, Dalmatia, cum in jus ditionemque imperii rediiſſet, iterum regimen ſubiit Magiſtratuum Romanorum, quos Imperatores Conſtantinopolitani deſignabant. Quemadmodum autem, poſt receptam a Vandalis Africam, ſuum illi, per quem adminiſtraretur, Proconſulem reſtituit, ſic etiam Dalmatiam Gothis ademptam ab eodem Juſtiniano ex infimo ad ſupremum Provinciarum Proconſularium ordinem evectam fuiſſe exiſtimo; nam quibus deinceps decreta fuit Provincia Dalmatica, eos titulo & inſignibus Proconſularibus præditos fuiſſe ornatoſque declarant epiſtolæ S. Gregorii Papæ ad *Marcellum Proconſulem* Dalmatiæ.

Lib. 1.

Dalmatia Gothis erepta Proconſul præfici cœpit.

Poſtquam vero Heraclius Imperator ſæculo ſeptimo Dalmatiam Chrobatis Serbliſque habitandam tradidit, qui Conſtantinopoli mittebatur ad regendas urbes maritimas, quas idem imperator in fide ac poteſtate imperii retinuerat, eum Conſtantinus Porphyrogenitus Prætorem appellat, eique annuum vectigal Slavi pendere ſolebant. Sub initia ſæculi noni ob ſocordiam Michaelis Amorienſis cognomento Balbi Dalmatia fere omnis cum Slavis ab imperio defecit, ſeque in libertatem vindicavit; ceterum intra finem ejuſdem ſæculi, imperante Baſilio Macedone, iterum cum Slavis pleriſque ſe ad priſtinam erga imperatores fidem obſequiumque retulit. Sed cum ab aliis Slavis præſertim Narentanis aſſidue vexarentur Dalmatæ, idem Baſilius, ad quem legatos opem imploratum miſerant, quando illos ab hoſtium injuriis tueri non poterat, auctor iiſdem fuit, ut vectigal annuum, quod debebant Imperatori, Slavis penderent, quo ab eorum vexatione ſe ipſos redimerent; ſe autem tributo aliquo vel exiguo contentum fore, quod Prætori Romano ſingulis annis ſolverent, id quod eo pertinebat, ut ejuſmodi ſolutione vectigales ſe & obnoxios Imperatoribus Græcorum eſſe profiterentur. *Dum quotidie*, ait Porphyrogenitus, *a Paganis captivi abducerentur, & exterminarentur, inſulas deſeruerunt, continentem colere volentes; verum a Chrobatis prohibebantur, cum nondum illis tributa penderent; nam quæ hodie Slavis pendunt, tunc Prætori exhibebant. Sed cum vitam tolerare non poſſent, ad Baſilium illum præclarum Imperatorem acceſſerunt, eumque res a nobis commemoratas edocuerunt. Is itaque imperator auctor fuit, ut ea omnia, quæ Prætori ſolvebant, Slavis darent pacis cauſa, & Prætori exiguum aliquid penderent, ad oſtendendam duntaxat Romanis Imperatoribus, & ipſorum Prætori debitam ſubjectionem ac ſervitutem.* Demum Dalmatia deſtituta claſſibus ac præſidiis Græcorum Imperatorum, qui bellis externis domeſticiſque conflictabantur, & Slavorum ac Saracenorum injuriis expoſita cum eſſet, in aliorum fidem clientelamque ſe contulit, quorum virtute atque copiis navalibus ac terreſtribus tuta eſſe poſſet, alioſque ſibi Dominos adſcivit, a quibus deinceps jura, leges, Rectores, ac Præfectos accepit.

Poſt Dalmatiam mediterraneam a Slavis occupatam,

Prætores Conſtantinopoli ad maritimam regendam Dalmatiæ miſſi.

§. IV.

Propagatio tertia nominis Dalmatici uſque ad Dravum & Danubium.

DAlmatia inde uſque ab initio Romanæ Monarchiæ longe lateque in Septemtrionem, Ortum, & Occaſum prolata, cum multas regiones gentesque complexu ſuo ac nomine contineret, ejus magnitudinem ut declararent Scriptores antiqui, Dalmatiam, perinde quaſi non una, ſed multiplex eſſet, numero plurali ſæpiſſime donarunt; & quemadmodum nos Athenas, Venetias, Pariſios dicimus, id quod pertinet ad ſignificandum earum urbium dignitatem atque amplitudinem; ſic illi Dalmatias appellare conſueverant. Auctor Itinerarii, cui nomen Antonini Auguſti vulgo præfigitur, item Auctor notitiæ Dignit. utriuſque Imper. nomen hujus Provinciæ numero multitudinis ſubjiciunt; & Caſſiodorus numquam fere ejuſdem vocabulum uſurpat, quin illud plurali numero efferat. *Forum Principis Dalmatiarum*, Lib. 7. epiſt. 24. *Univerſ. Rom. per Italiam, & Dalmatias conſtitutis*, lib. 8. Epiſt. 4. *De partibus Dalmatiarum*, Epiſt. 12. *Dalmatiarum, atque Suaviæ provincias*, lib. 9. Epiſt. 8. Conſuetudo hæc multo antiquiſſima *Dalmatias* ſcribendi vocandique in ſæcula longe poſteriora manavit, & in Curiam Romanam recepta, adhiberi ſolebat in Diplomatis Pontificiis. Extat reſcriptum Alexandri II. ad *Creſimirum Regem* Dalmatiarum c. ſi quis, amodo diſt. 81. Porro ut Pannonias, ſic Dalmatias ob eam cauſam appellatas exiſtimo, quod ſicut Pannoniæ e pluribus provinciis, ſic Dalmatiarum provincia e pluribus antea inter ſe diſtinctis regionibus Japydia, Liburnia, Illyrico proprio, Pannonia auſtrali conſtaret, & cis ultraque montes ingentia terrarum ſpatia ſuo nomine, ſuiſque finibus complecteretur. Cum enim pluralis numerus ad multitudinem deſignandam inſtitutus fuerit; hoc ſibi utendum eſſe cenſuerunt Scriptores, ut complexum multarum regionum ſignificarent, quas Auguſtus ſub jure ac nomine Dalmatiæ comprehendi juſſerat. Illa etiam ratio reddi poteſt, cur Dalmatia apud veteres numerum pluralem ſubierit, quod nimirum hæc regio plures eſſet in partes diviſa, quemadmodum Pannonia, Mœſia, Rhætia, bipartitæ fuerant, & in binas ſingulæ provincias diſtributæ, ac proinde apud Scriptores Pannonias, & Mœſias, & Rhætias ſæpe appellatas invenies. Verum de multiplici Dalmatiarum diviſione capite proximo, nunc quæ ſunt hujus loci perſequamur.

Dalmatia plurali nomine Dalmatiæ dicta.

Hanc finium prolationem, quam Auguſtus deſcripſerat, uſque ad Slavorum adventum, & ſeptimum ęrę Chriſtianę ſęculum Dalmatia retinuit. Quinto ſęculo ineunte, in Occidente ſub Honorio, ac deinde Valentiniano, domeſtici pariter externique motus aſſidui, ac fędiſſima Romani facies imperii fuit: nam & Tyranni variis in locis exorti rem Romanam dilacerarunt, & Gotthi, Alani, Vandali, Svevi, Hunni, omniſque propemodum barbaries inde uſque ab ultimo Septemtrione in Illyricum, Italiam, Galliam, Hiſpaniam & Africam effuſa, Occidentis provincias late vaſtare, & ſub jugum barbaricum redigere cęperunt. Eodem ſęculo longius provecto immenſa Barbarorum colluvies cum in Italiam, tum in Illyricum, atque Dalmatiam incubuit. Quamvis autem Dalmatia barbaricis excurſionibus ſępe obnoxia fuerit, ac tandem coacta ſubire imperium Herulorum, ac deinde Gotthorum, qui rerum in Italia potiti fuerant;

Barbari in Occidentale Imperium effuſi.

Digitized by Google

Neserum tamen finium amplitudini

rant, neque regionum ſuarum poſſeſſione deceſſit, neque fines ſuos ulla ex parte contraxit. Siquidem poſt Imperium Occidentale una cum Auguſtulo extinctum anno Chriſti 476. ac poſtea Theodorico regnum in Italia obtinente, cui aliquam Dalmatiæ partem adjecerat, Dalmatia eamdem formam & circumſcriptionem, quam ſub Auguſto adepta fuerat, ſine ulla finium diminutione retinuit. Id adeo cognoſci licet ex Epiſtolis Caſſiodori, qui cum Majorum more & exemplo Dalmatias pro Dalmatia ſcripſit, plane ſignificavit nihilominus terrarum ætate ſua nomine Dalmatiarum contineri, quam quantum eidem Veteres tribuere ſolebant; & cum *Dalmatiarum atque Suaviæ Provincias* nominat, nulla intermedia regione vel provincia commemorata, aperte opinor declarat temporibus illis adhuc Dalmatiam fuiſſe conterminam Saviæ, quam Dravus a Septemtrione, & Savus a Meridie definiebat, niſi quod fortaſſe aliquæ urbes ad ripam citeriorem Savi, veluti Siſcia, ad Saviam pertinebant. In eo enim temporum motu, tantaque rerum Occidentalium converſione nihil de antiquis provinciarum limitibus ac nominibus immutatum fuiſſe Viri eruditi fere omnes conſentiunt. Poſtquam vero, imperante Juſtiniano, res Gotthorum in Italia diminui ſexto ſæculo, ac deteriores indies fieri cęperunt, tantum abeſt, ut Dalmatia jus ſuum ac nomen contraxerit, ut potius per ea tempora longius in Septemtrionem uſque ad Dravum ac Danubium protenderit. Atque hæc eſt tertia propagatio nominis Dalmatici, cum Dalmatia Savum ac Dravum tranſgreſſa Pannoniam fere totam ſub poteſtatem notionemque ſui nominis redegit.

& poſt Gothos ſuperatos nomen ſuum uſque ad Danubium propagavit.

Procopius auctor ſexti ſæculi fines Dalmatiæ adeo nulla ex parte diminuit, ut illos amplificet, ultraque Savum prolatos ad Dravum uſque videatur extendere; quippe inter urbes Dalmatiæ Sirmium & Singidonem annumerat. Sirmium autem in Savia ſive Interamnia, quæ Dravo & Savo interjacet, poſitum eſſe nemo ignorat; Singidonem vero in eadem regione locatum fuiſſe auctor eſt Theophylactus Simocatta lib. 7. c. 11. *Gepides*, ait Procopius lib. 1. bell. Got. *Sirmium urbem, & alias Dalmatiæ civitates majorem in partem occupantes tenebant, quas Imperator proxime a Gotthis receperat*. Cum ait præter Sirmium *alias* Dalmatiæ urbes ab Gepidibus teneri, ſatis indicat Sirmium civitatem eſſe ejuſdem provinciæ, ideſt Dalmatiæ, ad quam pertinebant urbes ceteræ, quas Gepides occupaverant. Præterea nuſquam memoriæ proditum invenio Gepidas per ea tempora in Dalmatia citra Savum Sedes urbeſque obtinuiſſe; quo fit, ut quas Dalmatiæ urbes Gepidibus attribuit Procopius, eæ fuerint in Dalmatia ultra Savum, nimirum in Pannonia Savia, quæ in jus nomenque Dalmaticum migraverat. Idem confirmant Gepides ipſi apud eumdem Procopium lib. 3. de bel. Gotth. in Oratione contra Langobardos apud Imperatorem habita; *Prædones iſti Sirmium oppidum, & cætera Dalmatiæ loca belli vobis cauſam fore prætendunt*. Singidonem quoque Pannoniæ Saviæ urbem intra fines Dalmatiæ includere videtur Procopius, cum hæc ſcripſit: *Heruli præterea alia Dalmatiæ loca permiſſu Imperatoris, & circa Singidonem urbem habebant*; quibus ex verbis intelligi poteſt loca illa Dalmatiæ, quæ Imperator Herulis habitanda tribuerat, vel circa Singidonem fuiſſe, vel certe poſita in eadem ultra Savum regione, in qua Singidonem locant Aurelius Victor in Joviniano, Jornandes, Simocatta, nec longe ab Sirmio in Septemtrionem Lazius ſtatuendam exiſtimat.

Procopius fines Dalmatiæ uſque ad Dravum protulit.

Gepides urbes Dalmatiæ inter Savum & Dravum adepti.

Eodem pertinet, quod Auctor Hiſtoriæ Miſcellæ, inter civitates Dalmatiæ, quarum ad quadraginta Chajanus diripuit anno 17. Mauricii Imperatoris, qui eſt Chriſti 599. recenſuit Belicham, quam quidem urbem juniores Geographi in Savia fere media conſtituunt; *Anno 17. Mauritii, coacervatis virtutibus, Chajanus in Dalmatiam properat, & cum veniſſet Belicham, 40. civitates circa eam depopulatus eſt*. Si ergo ad Dalmatiam pertinebant urbes inter Savum & Dravum, nihil cauſæ afferri poteſt, quominus tota illa regio, quæ dicta eſt Savia ſive Interamnia, ad jus nomenque Dalmaticum pertinuerit; quo fit, ut ſexto ſæculo Dravus, qui erat Saviæ, idem etiam eſſet terminus Dalmatiæ.

Quid quod Conſtantinus Porphyrogenitus, qui ſæculo decimo ineunte librum de Adminiſtratione Imperii ſcripſit, cap. 30. auctor eſt Dalmatiam antiquis temporibus, ideſt ante annos fere trecentos, aut quadringentos, fines habuiſſe in Septemtrionem eatenus productos, ut Pannoniam complexa univerſam, ab Adriatico mari uſque ad Danubium latitudine pertingeret. *Antiquitus Dalmatia incipiebat a confiniis Dyrrachii ſive Antibaris, & ad Iſtriæ confinia pertingebat: ad latitudinem vero ad Danubium flumen ſe extendebat, eratque omnis ille finitimus tractus ſub Romanorum poteſtate, & præſtantiſſimum Thema omnium Occidentalium*.

Dalmatiæ prolata ultra Dravum uſque ad Danubium.

Sed quonam auctore, quave ratione hanc finium ſuorum amplificationem adepta fuerit Dalmatia, cum id ab antiquis tacitum ſit, haud facile eſt ad inveſtigandum & cognoſcendum. Mihi ſummopere placet conjectura Dalmatæ Scriptoris, quem rerum Illyricarum inveſtigatorem laudare poſſum diligentiſſimum. Quæ ille in hanc rem acute conjecit, & præclare excogitavit, luculentius explicare, & noſtris commentationibus illuſtrare conabimur. Poſtquam Illyricum Occidentale una cum Imperio Occidentis ſub Barbarorum tyrannidem poteſtatemque ceciderat, nomen utriuſque apud Græcos & Byzantinos Scriptores exſoleſcere paullatim cepit, ac tandem utriuſque vocabuli uſurpandi deſuetudine ſic prorſus oblitteratum eſt, ut vix aut ne vix quidem ſive Imperii, ſive Illyrici Occidentalis mentio in eorum ſcriptis fieri ſoleret; quamvis hujus provinciæ, amiſſa communi Illyrici appellatione, proprium & ſuum quæque nomen, ſuoſque fines antiquos retinuerint. Exinde cum Illyricum ſimpliciter dicunt, nihil aliud intelligi volunt, niſi Illyricum Orientale, quod in poteſtate Imperatorum Orientalium permanſerat, nomenque Illyrici apud Græcos retinebat. Juſtinianus anno Chriſti 527. rerum potitus cum eſſet, poſt pacem cum Perſis factam, & ſeditiones domeſticas ſedatas, nihil habuit antiquius, quam ut imperium pariter atque Illyricum Occidentale, barbaris expulſis, recuperaret. Itaque Africam de Vandalis recepit anno 534., & lætus rei Africanæ ſucceſſu Gotthis bellum intulit, quod cum annos ipſos duodeviginti tenuiſſet, ei tandem Regni Gotthici interitu finem attulit. Nec poſt Africam, Italiam, & provincias omnes Illyrici Occidentalis, excepto Norico, quod jampridem ab Gotthis ad Francos tranſierat, Gotthis ereptas, aut imperium Occidentale ante annos circiter ſeptuaginta extinctum revixit, quippe totum, præter Hiſpaniam & Galliam, ſecluſa omni diviſione, cum imperio Orientis ſub uno eodemque Imperatore in unum coaluit, nomen Illyrici Occidentalis jamdiu obſoletum apud Scriptores Græcos in uſum revocari, reſtituique in integrum cepit. Nam quemadmodum olim Romani, cum Illyricum omne in ſuam poteſtatem redegiſſent, quod

Cauſa & ratio Dalmatiæ uſque ad Danubium dilatatæ.

Græci poſt Occidentem amiſſum Illyrici vocabulo Orientale tantum Illyricum ſubjiciunt.

tum

finit angulus sine terminicis Alpes Arsia & Drilone fluminibus continebatur, quidquid terrarum ultrave ac gentium sive ab Septemtrione, sive ab Oriente ad Romanum imperium adjungerant, id totum attribuebant Illyrico, juris nominisque Illyrici finibus latissime propagatis; sic etiam Graeci post recuperatam Dalmatiam, (haec siquidem primo anno belli Gothici recepta est, ut docet Procopius lib. 1.) caeteras Illyrici Occidentalis provincias, quas Justinianus Barbaris adimit, vetusti Pannoniam, Valeriam, Saviam, non Illyrici vocabulo jamdudum antiquato restituendas, sed Dalmatiae adscribendas existimarunt; cum enim haec regio, quae prima omnium Gothico dominatu exempta sub potestatem redierat; caeteris Illyrici Occidentalis provinciis vel amplitudine finium, vel celebritate nominis facile praestaret, digna visa est, quae in locum vocabuli Illyrici regionum illarum possessione multis ante annis dejecti, succederet, suique nominis significatione late diffusa, omnes, praeter Noricum, Occidentalis Illyrici provincias complecteretur; ita prorsus, ut hae, retento proprio, quemadmodum olim Illyrici, sic deinde Dalmatiae commune nomen subirent. Adeo autem Scriptores illi nullum aliud, nisi Orientale, agnoscebant, aut nominabant Illyricum, ut ab communione Illyrici nominis secluderent quidquid antea ad Illyricum Occidentale pertinebat. Hinc factum est, ut Dalmatiam caeteraque regiones Dalmatiae, ut diximus, attributas diligenter accurateque ab Illyrico distinguerent. Procopius quidem Sirmium & Saviam a finibus Illyrici sejunxit, cum scripsit, Justiniano ad Sirmium *cum Gepidibus bellum gerente, urbem Gratianam in finibus Illyrici sitam, ab Gothis hostilem in modum vexatam fuisse*. Gratianum sive Gratiana, civitas fuit Maesiae superioris, ut docet Notitia. Maesia autem Superior prima erat ab Occasu Illyrici Orientalis provincia, Saviae finitima, cujus in confiniis Gratianum oppidum situm fuerat. Procopius igitur Maesiae finibus ab Occidente concludit Illyricum, ac proinde Saviam ab Illyrico disclusit. Menander in fragmentis Dalmatiam ab Illyrico secrevit, ubi ait Duces & exercitus bifariam distractos, & jussu Tiberii Imperatoris alios per Illyricum, idest Maesiam, alios per Dalmatiam profectos ad subsidium ferendum urbi Sirmiensi, quae ab Avaribus acri obsidione premebatur: *Itaque exercituum Praefectos, Duces, & turmarum Ductores, hos per Illyricum, alios per Dalmatiam mittit, ut praesidium inferrent, urbemque, quoad fieri posset, defenderent*. Denique Constantinus Porphyrogenitus, quo scribente Dalmatia fines suos intra montes jampridem contraxerat, veterem Graecorum morem retinuit segregandi ab Illyrico provincias omnes, quae pertinebant ad Illyricum Occidentale; Dalmatiam quippe & Pannoniam ab Illyrico disjunxit. *At e Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars secessit, & Illyricum tenuit, atque Pannoniam, habebantque etiam ipsi Principem supremum, qui ad Chrobatia tantum Principem, amicitiae ergo, legationem mittebat*. E Chrobatis igitur, qui Dalmatiam occupaverant, duplex Chrobatarum secessio facta est, altera ad Orientem, altera ad Septemtrionem; hi quidem migrarunt in Pannoniam Saviam, quae ab novis incolis, genere Slavis, Slavoniae nomen accepit; illi vero profecti sunt in Illyricum, idest in Maesiam superiorem, & ab Serblis ejusdem nationis & linguae populis in agrorum societatem admissi sedes ac domicilia collocarunt in Maesia, quae tum dicta est, hodieque dicitur Serblia. Quare Porphyrogenitus neque Dalmatiam, neque Pannoniam inter provincias Illyricas annumerat, propterea quod ex exemplo atque instituto veterum Graecorum, nomen Illyricum iisdem, quibus Illyricum Orientale continetur, regionibus definiendum censuit. Quae hactenus dicta sunt, ut in pauca conferamus, tribus hisce pronunciatis omnia complectamur licet. Primum est hujusmodi; Graecos & Byzantinos Scriptores post amissum Imperium & Illyricum Occidentis, sublata omni distinctione Illyrici Occidentalis & Orientalis, huic verbo, cum Illyricum simpliciter dicunt, nihil aliud subjici velle, nisi Illyricum Orientale: huic alterum est consequens, eosdem solitos fuisse provincias omnes Occidentalis Illyrici ab Illyrico distinguere ac secludere; tertium denique, quod hujus loci caput est, ab iisdem Auctoribus Graecis, cum regiones Illyrici Occidentalis, excepto Norico, in ditionem imperii redissent, non eas quidem Illyrico restitutas, sed Dalmatiae vocabulo subjectas fuisse. Ita factum est, ut Dalmatia in suam potestatem Pannonias omnes redigeret, atque jus suum ac nomen usque ad Danubium proferret: quae tertia est propagatio Nominis Dalmatici ad Graecos auctores, ejusdemque nominis amplificatores referenda. Haec nos paullo fusius & distinctius commentati fumus, quae summatim ac breviter expositi historicus Dalmata, cujus supra mentionem fecimus: *Barbaris Occidentale imperium occupantibus, si quid Illyrici Occidentalis recuperabatur, id ut plurimum Dalmatiae adscribebatur*: quod Procopii, & aliorum Graecorum testimonio confirmat. Deinde haec subdit lib. 1. cap. 6. *Dalmatia ergo apud Byzantinos Scriptores pro Illyrico Occidentali sumenda est, quod apud eumdem Constantinum Porphyrogenitum clare perspicitur, qui Dalmatiam pro universo Illyrico Occidentali, praeter Noricos, antiquitus sumptam testatur*. His ad extremum hanc praeclaram animadversionem apposuit: *Ita per temporum successiones, dilatantur, contrahuntur, & mutantur fines Provinciarum, ut exinde diversitas nominum apud Scriptores confusionem pariat, nisi tempora distinguantur. Hinc ortum habuere tot aequivocationes de Dalmatia & Illyrico apud plerosque Auctores*.

Nec vero, si Dalmatiam & Pannoniam Illyrici vocabulo exemerint Graeci ac Byzantini Scriptores; idcirco provinciae illae jus nomenque Illyricum omnino, aut in perpetuum amiserint, existimes; quod quidem utraque regio apud Latinos retinuit, praesertim Dalmatia hodierna, quae, cum praeter Liburniam & Dalmatiam propriam, Illyricum primigenium contineat, semper habita fuit, habeturque etiammum pars primaria Illyrici; & nunc nemo unus est, quin eam Illyrici hodierni, quamvis contracti diminutique, & finibus includat, & nomine impertiat. Praeterea Justinianus non modo Dalmatiam, sed etiam Pannoniam non omnem illam quidem, sed Saviam Dravo Savoque interjectam Illyrico restituit, cum Praefecturam Illyricam Thessalonicae ademptam transtulit ad Justinianam primam; & Praefecti Illyrici jurisdictione usque ad Dravum prolata, Dalmatiam itemque Saviam conjunxit cum reliquis provinciis Orientalis Illyrici, unde Macedoniam divulsit, omnesque Praefecto Illyrici subjecit, & Illyrici ab se definiti terminis concluſit; ut a nobis Parte prima Prolegomenon demonstratum est. Non defuerunt sane, qui post Justinianum Dalmatiam & Pannoniam ab Illyrico, veterum Graecorum more, secluderent; sed horum auctoritas tanti non est,

receptas provincias Illyrici Occidentalis, non Illyrici, sed Dalmatiae vocabulo imperantes.

Dalmatia regiones ab Illyrico distinguit.

lib. de Admin. 30.

Dalmatia apud Graecos idem atque Illyricum Occidentale.

Dalmatia & Pannonia, quamvis Graeci Scriptores utramque ab Illyrico secluserint, non propterea Illyrici partes esse desierunt.

Digitized by Google

eſt, ut multo pluris non debeat nobis eſſe publica auctoritas Principum, quos definiendarum regionum, & regendorum finium arbitros eſſe nemo ignorat.

§. V.

Propagatio quarta Germanica Nominis Dalmatici in Germaniam invecti.

NOn defuere Scriptores antiqui ac nobiles, qui nomen ac genus Dalmaticum in mediam intimamque Germaniam invexerint: quippe in ea Germaniæ regione, quam Albis ab Occaſu, Odera, olim Viader, ab Oriente præterfluunt, & Luſatia ab Septemtrione, Bohemia a Meridie claudunt, Dalmatas & Dalmatiam locarunt. Auctor Chronici Fuldenſis apud Schonlebium Annal. Carn. part. 3. Dalmatiam Germaniæ adſcribit, ejuſque poſitionem declarat, cum Ludovici Regis Germaniæ victoriam anno 856. de illis Dalmatis relatam breviter commemorat, *Menſe Auguſto Ludovicus Rex collecto exercitu per Sorabos iter faciens, ducibuſque eorum ſibi conjunctis, Dalmatas prælio ſuperat, acceptiſque obſidibus tributarios facit. Inde per Bohemanos tranſiens, nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem accepit.* Sorabos olim dictos fuiſſe, quos nunc Miſnenſes vocant, rerum Germanicarum Scriptores conſentiunt. Sorabi ſeu Miſnenſes infra Saxoniam a Meridie poſiti Albim accolebant ab regione Orientis. Itaque per fines Soraborum Ludovicus exercitum in Dalmatiam traduxit, & cum Dalmatis victis tributum obſideſque imperaſſet, inde itineribus ad Meridiem converſis in Bohemiam venit. Hujus expeditionis atque itineris ratio nequit convenire in Dalmatiam noſtram Illyricam, quam ab Dalmatis illis immenſa terrarum ſpatia disjungunt. In eodem Chronico Dalmatas Sorabiæ & Bohemiæ finitimos invenio; quippe in eo ſcriptum eſt, *Dalmatas, Bohemos, Sorabas*, proſperis Northmannorum ſucceſſibus ad ſpem recuperandæ libertatis erectos fuiſſe. Idem confirmant duo Mſſ. Codices Auſpergenſis, & Labacenſis, quos citat Ludovicus Schonlebius paullo ante laudatus. In priore hæc leguntur: *Henricus Cæſar Dalmatiam ſubjugatam Romano imperio tributariam fecit*; in altero: *Cæſar Henricus Auceps Dalmatas debellat, & ſibi tributarios facit. Slavi & Vindi, qui defecerant, per Legatos ſe iterum ſubmittunt. Hungari viſa Dalmatarum fortuna, viceverſa invadunt Moraviam, Bohemiam & Saxoniam, rapinis, cædibus, incendiis omnia profanantes, quos Henricus cum ſuis accurrens diſſipat, & partim cædit, partim in fugam vertit.* E regionibus, quæ ab Henrico poſt devictos Dalmatas vel in deditionem receptæ, vel depulſis Hungaris pacatæ commemorantur in ſecundo codice, facile intelligi poteſt, de quibus Dalmatis uterque codex loquantur; nam de Illyricis Dalmatis ne ſuſpicari quidem licet, quippe qui ab illis regionibus longe gentium aberant. Præterea nuſquam litteris ac memoriæ proditum invenio, Henricum cognomento Aucupem, qui anno Chriſti 919. Imperium adeptus eſt, quidquam rei habuiſſe cum Dalmatis noſtris; cum cæteroquin res ab eo in Germania præclare geſtas, partaſque de Hungaris victorias, Auctores illorum, & conſequentium temporum ſcriptis accurate mandaverint. Sed de hac re Sigebertus & Witichindus ſententiam ſuam apertius explicant, & nullum relinquunt dubitandi locum, quin Dalmaticas Henrici victorias ad Dalmatas Germanos referri oporteat. *Rex Henricus*, ait Sigebertus ad an. 928. *Gronam urbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributum imponit.* Nulla eſt in Dalmatia Illyrica civitas, cui Gronæ nomen fuerit. Grona in Germania haud longe diſtabat in Meridiem a Brennaburgo urbe in finibus Saxoniæ, teſte Witichindo, qui Dalmatiæ Germanicæ vocabulum auxit una littera intermedia: *Cepit urbem Brenneburg ferro, fame, frigore; cumque illa urbe, & regione potitus ſigna vertit contra Dalmantiam, adverſus quam jam olim reliquit illi Pater militiam, & obſidens urbem, quæ dicitur Grona &c. poſthæc Pragam adiit.* Porro Henricus cæſis Hungaris Germaniam depopulantibus, & victoriam inſignem adeptus, Epiſcopis & Primoribus ex univerſa Germania adſcitis, Concilium frequentiſſimum convocavit, cui interfuiſſe ſcriptum eſt in Chronico Alberſtadenſi *Winceslaum Bohemiæ, & Delmantiæ Ducem.* Joannes Peſſina in hiſt. eccleſ. Prag. deſcriptis illius Chronici verbis hanc notam appoſuit: *Delmantia pars eſt hodiernæ Miſniæ, Bohemiæ vicinior.* Demum Aimoinus Annalium Francorum Scriptor Sorabos, nunc Miſnenſes, inter populos Dalmatiæ apud Baudrandum in Lexico annumerat, ſive quod Sorabi finitimi eſſent, conjunctique cum Dalmatis Germanis; ſive quod Dalmatia Germanica longius ſe in Occaſum extenderet, ſuoque vocabulo Sorabos etiam complecteretur.

Quemadmodum ergo ſua erat Illyrico Dalmatia, ita ſuam Germaniæ Dalmatiam attribuere nos cogit tam gravis, tamque conſentiens tot Scriptorum & codicum auctoritas; neque illam aliunde, quam ex noſtra Illyrica, quæ longe antiquior fuit, genitam quodammodo & propagatam fuiſſe neceſſe eſt. Sunt tamen qui contra ſentiunt, & nullam eſſe Dalmatiam illam Germanicam exiſtimant; locos autem omnes, quos citavimus, mendo ſubeſſe & correctione indigere affirmant. Georgius Fabricius in eo libro, quem de rebus Miſniæ ſcripſit, Dalemincios neſcio quos, & Daleminciam neſcio quam comminiſcitur, in quorum locum Dalmatia, & Dalmatæ irrepſerint. Verum difficile eſt tot Scriptores & codices erroris arguere; ſive enim in ipſos Auctores, ſive in Librarios culpam contuleris, non eſt profecto veriſimile, (cum nec pauci ſint, & locis ac temporibus inter ſe disjuncti, qui Dalmatiæ in media Germania locum attribuunt,) omnes tamen in eodem vocabulo vel adhibendo, vel depravando conſenſiſſe. Facilius dixerim, qui Dalmatæ initio dicebantur, eos poſtea depravatione vocabuli factos eſſe Dalemincios, & Dalmatiam interpoſita litterarum variatione in Daleminciam migraſſe. Inveſtigemus igitur, quinam Auctores extiterint hujus Dalmaticæ propagationis, & per quos nomen Dalmatiæ in Germaniam illatum fuerit.

Conſtat inter omnes, neque Sorabos, neque his finitimos Dalmatas, quos primum Ludovicus Rex Germaniæ, deinde Henricus Imperator vectigales fecit, genere fuiſſe Germanos, aut indidem ex Germania oriundos, ſed e Slavis aliunde in eam regionem profectis originem traxiſſe. Antequam Heraclius Imperator Chrobatis & Serbliis populis Slavis in ſuam fidem & clientelam receptis, agros & ſedes in Dalmatia fixas ſtabileſque aſſignaret, plures Slavorum copiæ alias ſuorum Imperatorum ductu, alias conjuncti cum barbaris alterius nominis vel generis in Dalmatiam & Illyricum populando vaſtandoque ſæpius incurſaverant. Nec vero abſimile eſt haud paucos ex illis aut bellicis excurſionibus, & laboribus feſſos, aut ſolo cœloque Dalmatico delectatos in Dalmatia conſediſſe,

Grona urbs Dalmatiæ Germanicæ.

Dalmatia ſeu Dalmatiæ Germanicæ pars, Miſniæ.

Sorabi populi Dalmatiæ Germanicæ.

Dalmatæ Germanici oriundi ab Dalmatis Illyricis.

Slavi e Sarmatia in Dalmatiam profecti, & ibidem ſedes nacti.

Dalmatæ Germanici longe diſiuncti ab Dalmatis Illyricis.

Dalmatia Germaniæ, ejuſque poſitio.

ſe, ibique cum indigenis permixtos propagandæ ſoboli operam dediſſe. Cromerus Epiſcopus Varmienſis apud Balbinum tradit *Slavos ſeu Slavinos e Sarmatia magna profectos Stiliconis, & poſtea Attilæ temporibus occupaſſe loca vicina Danubio; inde tranſmiſſo Danubio, Myſiam, Pannoniam, Macedoniamque vexaſſe, ac deinde in Illyrico, & Dalmatia conſediſſe.* Duplicem Slavorum in Illyricum irruptionem Procopius lib. 3. commemorat; priorem anno decimotertio; poſteriorem anno decimoſeptimo belli Gothici ſubjecit: *Per id tempus Slavorum exercitus flumine Iſtro trajecto Illyrios omnes ad uſque Epidamnum malis ingentibus affecere, partimque ſine ullo ætatis diſcrimine, in ſervitutem quos licuit abigendo, & eorum bonis direptis deſæviebant. Ad hæc præſidia illis in locis non pauca, & quidem prævalida occupaverant.* Itaque pars aliqua Slavorum, cæteris poſt regionem late vaſtatam, eo regreſſis unde venerant, oppidis aliquot in ſuam poteſtatem redactis, jam inde ab anno Chriſti 548, qui fuit decimus tertius belli Gothici, in Illyrico habitare cœperunt; & M. Velſerus de Orig. Bohem. haud dubitat, quin per ea tempora Slavi ſedem in aliqua parte Dalmatiæ fixerint. Altera Slavorum irruptio congruit cum anno Chriſti 552. *Slavini ingenti multitudine Illyrios invadentes malis inexplicabilibus affecere.* Nec deinceps deſierunt Slavi excurſiones in Dalmatiam & Illyricum facere, ut idem Procopius docet; qui præterea tradit Slavos, cum populabundi Theſſalonicam contenderent, metu Germani Magiſtri militum totius Thraciæ cum exercitu adventantis perculſos, averſo itinere fugam cepiſſe, *& omnibus Illyrici montibus ſuperatis, in Dalmatiam intraſſe.* Sæpius etiam Slavi cum Gothis permixti aliiſque Barbaris Dalmatiam vaſtarunt; & præſertim Heraclio imperante cum Abaribus inita ſocietate, tum alias Dalmatiæ urbes, tum Salonam everterunt. Jam vero ad rem noſtram ut propius accedam, e Slavis illis, qui conſederant in Dalmatia, plerique incertum quo tempore, quamve ob cauſam ad populares ſuos in Germaniam migrarunt. Satis conſtat univerſam illam regionem, quæ inter Albim ac Viſtulam a Danubio uſque ad mare Balticum longe lateque porrigitur, Slavorum coloniis refertam fuiſſe, qui partim e Sarmatia, vel e Palude Mæotide, unde oriundi erant, partim e regionibus, quas citra Danubium occupaverant, illuc alii poſt alios confluxerant. Porro ex Illyrico etiam, & Dalmatia, eodem a Slavis migratum eſſe tradunt Scriptores, hujuſque migrationis teſtem citant Svidam auctorem Græcum ſane idoneum, qui apud Bohuslaum Balbinum hæc in hanc ſententiam ſcripſit: *Slavi ex regione trans Danubium primo venere, cumque finitimis ſæpe veniſſent auxilio, terræ melioris occupandæ gratia, tandem populariter tranſeuntes, in Illyrico conſederunt; parſque eorum deinde Bohemiam occupavit, & regionem proximam, quam a Maravaha flumine Maravaniam appellant; nam Marcomanni cum Hermunduris jampridem in Noricum & Vindeliciam tranſierant.* Hactenus Svidas, cui hanc notam appoſuit Balbinus: *Illyrici etiam provinciæ, Dalmatia & Croatia cenſebantur;* quas itidem provincias inſederant Slavi, e quibus deinde pars ſeceſſit migravitque in Bohemiam, terraſque finitimas inter Albim & Viſtulam interjectas. Horum autem aliquos fuiſſe exiſtimo, qui ex ea, unde diſceſſerant, in eam, ad quam venerunt, regionem Dalmatiæ vocabulum intulerint; præſertim cum ex indigenis Dalmatis non defuerint, quos vel mutandi ſoli cupiditas, vel inita cum Slavis affinitas & conſuetudo perpulit, ut ſe illis Bohemicæ migrationis ſocios adjungerent; id quod confirmari & illuſtrari poteſt conjectura haud improbabili, ex Hiſtoria rerum Bohemicarum deſumpta.

Vetus eſt Bohemorum opinio, & litteris tradita, & multarum ætatum conſenſu firmata, Czechum & Lechum duos nobiliſſimos fratres genere Slavonicos, cum ingenti popularium ſuorum multitudine in Sylvam Hercyniam veniſſe. Alter principatum ibi adeptus, tum quos repererat, tum quos invexerat colonos, utroſque originis Slavæ, ab ſe Czechos denominari juſſit; qui deinde, poſt interitum Czechi, quod antiquitus ejus regionis incolæ dicti fuiſſent Bojohemi, propterea antiquo vocabulo reſumpto, ſed duarum litterarum detractione diminuto, iterum ſe Bohemos appellari voluerunt. Alter vero a fratre digreſſus, Slavos ſuos trans Viſtulam deduxit, & regnum in Polonia fundavit. De tempore hujus Slavonicæ expeditionis magna eſt inter Scriptores controverſia; eam quippe alii ad tertium, alii ad quartum, alii ad quintum, plerique ad ſextum vel ſeptimum ærę Chriſtianę ſęculum revocandam exiſtimant. Eos ex Illyrico in Bojohemum migraſſe (ſive ex Dalmatia, ut aliqui volunt, ſive ex Chrobatia, ut plerique cenſent, profecti fuerint) fere omnes conſentiunt, uno diſſentiente Cromero, qui eos e Sarmatia & Ruſſia, directo ac nuſquam deflexo itinere, advenisſe contendit; quamvis idem poſtea fateatur *fieri potuiſſe, ut Slavi, cum longe ante in his ſedibus* (videlicet in Bohemia) *conſediſſent, quodam tempore, vel utilitate, vel neceſſitate adducti peregrinos Reges,* (*Czechum, & Lechum*) *ſed ejuſdem ſecum linguæ e Croatia acciverint, oblatoſve ultro acceperint.* Ludovicus Schonlebius Annal. Carn. par. 3. valde mirari ſe ajebat, quod qui Czechum & Lechum e Chrobatia Illyrica diſceſſiſſe affirmant, iidem Chrobaticum illorum diſceſſum ſeptimo ſæculo antiquiorem faciant; quippe cum ante imperium Heraclii, qui anno 610. rerum potitus eſt, nulla Illyrici regio fuerit, cui nomen eſſet Chrobatiæ; quod quidem vocabulum extremis Heraclii temporibus, Chrobati Slavi primo in Illyricum intulerunt: *Illud ſatis mirari non poſſum, quod fateantur plerique horum auctorum, Czechum & Lechum veniſſe e Croatia; & tamen aliquot ſæculis antequam Croatiæ nomen auditum eſſet.* Verum neque inauditum, neque inuſitatum eſt hiſtoricos, cum de rebus vel antiquiſſimis ſcribunt, res ipſas, regioneſque, in quibus geſtæ ſunt, nominibus recentiſſimis afficere, quæ poſterioribus ætatibus primum adhiberi cœperunt, & communi in uſu atque hominum litteris ac ſermone verſari. Sed utcumque, ſive poſt, ſive antea duo illi fratres ex Illyrico diſceſſerint, quam Chrobati advenerint, certe regio illa Illyrica, unde profecti ſunt, quam alii Chrobatiam, alii Dalmatiam vocant, rite appellari poteſt Dalmatia; nam ante adventum Chrobatorum, Dalmatia ex Auguſti deſcriptione uſque ad Savum prolata, ſuis finibus ſuoque vocabulo continebat, quidquid poſtea in jus nomenque Chrobatiæ tranſivit. Nec vero, ſi pars Occidentalis Dalmatiæ invectum ab advenis Chrobatis nomen Chrobatiæ accepit, idcirco deſiit omnino eſſe, & appellari etiam aliquando Dalmatia, ut poſterioribus ætatibus iterum dicta eſt, hodieque dicitur, Chrobatico vocabulo trans alpes compulſo, & citra montes in exiguos fines inter Arſiam ac Tedanium conjecto. Hinc autem fit, ut cum fratres illi, ſive ante, ſive poſt adventum Chrobatorum, ſive ex Dalmatia, ſive ex Chrobatia profecti eſſe dicantur, regio tamen illa, unde in

Czechus & Lechus fratres, alter in Bohemia, alter in Polonia rerum potiti ex Illyrico & Dalmatia illuc profecti.

e Dalmatia in Germaniam ad populares ſuos migrarunt.

Balb. Epit. Hiſt. rer. Bohemic. lib. 1.

eoque invexerunt e regione, unde diſceſſerant, nomen Dalmatiæ.

Dalmatia & Chrobatia ſynonyma.

in Bojohemum migrarunt, effet vere proprieque Dalmatia, quæ quidem vel nondum vocari ceperat Chrobatia, vel jam recens hoc & adventitium Chrobatiæ nomen jam ſubierat. Illud hic animadverti velim, Slavos illos, quos ex Illyrico Lechus in Poloniam, Czechus in Bojohemum deduxit, ſive majores eorum, non fuiſſe indigenas, ſed advenas Illyrici, ſeu Dalmatiæ cultores, e Palude Mæotide, vel Sarmatia Aſiatica, unde omne Slavorum genus, oriundos, & multis ante annis, in Illyricum & Dalmatiam profectos. Itaque Czechus tum e locis finitimis, quæ Slavi tenebant, tum potiſſimum e Dalmatia, popularium ſuorum numerum ingentem excivit, quos cum Lecho fratre ultra Danubium in Hercynios ſaltus traduxit, eoſque in plures colonias cum diſtribuiſſet, aliis alias terras ſedeſque aſſignavit. Slavis autem illis, quos e Dalmatia eduxerat, regio illa forte fortuna, obtigit, quæ Albi & Oderæ fluminibus interjacet, eique finitimæ ſunt ab Occaſu Miſnia, ſive Sorabia, a Septemtrione Luſatia, ab Ortu Sileſia, a Meridie Bohemia. Huic autem regioni ab novis colonis e loco, unde diſceſſerunt, Dalmatiæ nomen inditum eſſe exiſtimo, ſive quod hanc gratiam referre voluerint regioni illi, quæ Majores ſuos receperat, ſibique ortum, & alimenta, & domicilia præbuerat; ſive quod Dalmatis indigenis, qui ejus migrationis ſocios ſe Slavis adjunxerunt, id indulgendum cenſerent, ut terras, intra quas venerant, memoriæ & cujuſdam ſolatii cauſa, patriæ ab ſe relictæ vocabulo appellarent. Quæ autem initio nominata fuit Dalmatia, poſtea depravatione vocabuli dicta eſt Dalemincia; & quos antiqui vocabant Dalmatas, poſteri appellarunt Dalemincios. De origine Dalmatiæ Germanicæ, & quarta Nominis Dalmatici in Germaniam invecti propagatione, hæc ferme habui, quæ ſcriberem, conjectura ſequens, quod mihi viſum eſt probabilius eſſe, propiuſque ad veritatem accedere. Sed quoniam Scriptores rerum Bohemicarum nullam in ea regione Dalmatiam, nullos Dalmatas agnoſcant, niſi quos corruptela nominum in Veterum ſcripta & Chronica invexit, verane fuerit, an commentitia hujuſmodi propagatio Germanica nominis Dalmatici, aliorum ſit judicium; & quæ in utramque partem ſint rationum momenta, ex iis, quæ diximus, colligere poterunt Lectores, ac per ſe ipſi perpendere. Cæterum, præter Codices ſupra laudatos, Dalmatiæ Germanicæ teſtem auctoremque habemus Anonymum Ravennatem, qui ejus fines longius in Septemtrionem protulit uſque ad oram maritimam ſinus Codani, quem ille fortaſſe *mare magnum* appellat, e regione Daniæ, quam veteres dixere Cherſoneſum Cimbricam: *Europa nullo modo alibi amplius dilatatur a mari magno uſque ad Oceanum, niſi ad patrias Dalmatiæ, quæ ponitur ſupra mare magnum. Quæ patria Dalmatia, quamvis in medio ſint diverſæ patriæ, attamen recto itinere reſpicit ad Daniam, quæ, ut diximus, juxta Oceani littus ponitur.* De quinta quadam propagatione Dalmatici nominis in Iſtriam, Carniam, Venetiam prolati quæ dicenda ſunt, in paragraphum quartum Capitis proximi rejicimus.

Slavi non indigenæ, ſed advenæ in Illyrico.

Slavi e Dalmatia cum Czecho profecti nomen Dalmatiæ in Germaniam intulerunt.

Dalmatia Germanica uſque ad Sinum Codanum prolata.

§. VI.

Fines Dalmatiæ Hodiernæ.

PRætermiſſa igitur Germanica illa propagatione nominis Dalmatici, de qua dubitatio aliqua eſſe poteſt, Dalmatia anno circiter 35. ſexti ſæculi, qui fuit primus belli Gothici, una cum Pannonia ab Juſtiniano recuperata, atque imperio reſtituta, fines ſuos, ut dictum eſt, ad Danubium porrexerat, & Pannonia univerſa, retento proprio vocabulo, commune Dalmatiæ nomen apud Græcos Scriptores ſubierat. Quamvis autem Juſtinianus eodem anno regionem illam Pannoniæ trans Dravum, quæ ſpectat in Septemtrionem, ab Illyrico avulſerit, ut diximus Parte prima Prolegomenon; nomen tamen Dalmaticum illi non ademit, quod per id temporis ab Græcis acceperat, retinuitque poſt imperium Juſtiniani; neque terminos Dalmatiæ contraxit, quos iidem Græci Scriptores uſque ad Danubium produxerant; ut colligi poteſt ex Porphyrogenito, qui ad hæc tempora videtur reſpexiſſe, cum ſcripſit, *antiquitus Dalmatiam ad latitudinem uſque ad Danubium flumen ſe extendiſſe.* Hæc regio longe lateque ſub Dalmatiæ vocabulo exporrecta conſecutis deinde temporibus, ac præſertim poſt interitum Juſtiniani, Langobardis, Avaribus, Gepidibus, Slavis, aliiſque ex omni propemodum Barbarie populis patuit, qui eam aut jugo barbarico oppreſſam tenuerunt, aut excurrendo populandoque fædum in modum vaſtarunt. In ea vero temporum acerbitate, rerumque communium perturbatione nihil de jure ac nomine Dalmatico diminutum eſt, nihil de finibus Dalmatiæ detractum; & Pannonia fere omnis, ſi exiguam ejuſdem ab Occaſu partem excipias, quam tenebant Langobardi, quamvis Barbarorum perpetuis incurſionibus obnoxia, tamen & in poteſtate manſit Imperatorum Orientalium, & nomen Dalmatiæ retinuit, ut credibile eſt, uſque ad ſeptimum ſæculum, adventumque, ac ſtabilem in Dalmatia Slavorum ſedem teſte Porphyrogenito paullo ante laudato, qui hæc adjecit: *eratque omnis ille finitimus tractus* (ab Adriatico uſque ad Danubium) *ſub Romanorum poteſtate, & præſtantiſſimum Thema omnium Occidentalium.* Certe quidem intra finem ſexti ſæculi, Mauritio imperante, Pannonia Savia ſuberat vocabulo Dalmatiæ, ut cognoſci licet ex auctore Hiſtoriæ Miſcellæ, ſtatuente in Dalmatia Belicham urbem in Savia fere intima poſitam, cujus verba §. 4. deſcripſimus.

Dalmatia ad Danubium uſque prolata.

hanc finibus fuorum amplitudinem retinuit uſque ad ſeptimum ſæculum.

Verum ſeptimo ære Chriſtianæ ſæculo fere medio, annis ante Conſtantinum Porphyrogenitum fere trecentis, multo plus regionum ſuarum amiſit Dalmatia, quam quantum eidem Græci Scriptores ad nominis juriſque Dalmatici amplificationem addiderant; & citra Savum monteſque ad oram maritimam compulſa, paucas urbes cum inſulis pleriſque in ſua, & Orientalium Imperatorum poteſtate retinuit. Nam Chrobati & Serbli nationes Slavonicæ, conceſſu Heraclii Imperatoris, totam fere Dalmatiam occuparunt, victis expulſiſque Abaribus, qui Salonam, aliaſque urbes exciderant, omnemque illam regionem igni ac ferro pervaſtarant. Tum Dalmatia non ſolum ab Danubio Dravoque nomen ac fines retraxit, earum regionum poſſeſſione in perpetuum depulſa; ſed etiam quidquid terrarum ab Arſia ad Drilonem, inter Savum & Mare ex Auguſti deſcriptione obtinebat, id fere totum, retentis locis maritimis inſuliſque, Chrobatiæ & Serbliæ ceſſit: quippe omnis illa regio bifariam diviſa eſt; & quæ pars ad Occaſu vergebat, Chrobatia, quæ vero in Solem orientem ſpectabat, Serblia appellari cepit, Tiluro ſeu Zetina flumine intermedio, quod Chrobatos Serbloſque diſcriminabat. Nomen autem Dalmatiæ exiguis ſane regionibus circumſcriptum, paucis oppidis maritimis, ac potiſſimum

Poſt adventum Slavorum ab regionibus Mediterraneis ad maritimi orim fines ſuos contracta.

Digitized by Google

simum Jaderę, Tragurio, Spalato, Ragusio, itemque insulis, quę in fide ac ditione Imperii Græcorum manserunt, tenacius inhæsit, quam ut vel tum, vel deinde [illegible] diuturnitate, aut rerum publicarum conversione [illegible] deleri potuerit.

Deinde regionibus transalpinis reliquis, recuperavit quidquid antea inter montes ac mare possidebat.

Cęterum ea sæculis posterioribus confecuta sunt tempora, temporumque ac rerum vicissitudines, ut Chrobatiæ & Serbliæ vocabula ultra montes Dalmaticos recesserint; Dalmatia vero quidquid terrarum citra Montes antea possidebat, id omne recuperaverit, suoque iterum vocabulo subjecerit. Itaque Dalmatia ab Augusto usque ad Savum, a Græcis usque ad Danubium dilatata, Pannoniam Aquilonarem ultra Dravum Hungariæ, Pannoniam mediam inter Dravum & Savum, Slavoniæ concessit, reliquam Australem Pannoniam, quam Augustus adjecerat Dalmatiæ, Savo ac montibus interjectam, partim ab Occasu Chrobatia, partim ab Ortu Serblia occupavit; sed in hujus locum Bossina subeunte, Serblia fines suos intra Drinum contraxit, & Mæsia superiore in potestatem redacta, nomen suum in Orientem usque ad Bulgariam propagavit, quæ in ditionem Męsię inferioris invasit. Sed hæc alias distinctius & copiosius.

Fines Dalmatię hodiernæ.

Dalmatia igitur citra Montes contracta, quidquid olim antiquissimis vocabulis Japydię maritimæ, Liburniæ, Dalmatiæ, Illyrici proprii continebatur, cum insulis adjacentibus sub jure suo, ac nomine retinuit, hodieque retinet. Atque hęc est Dalmatia hodierna, quæ ab Occidente Arsia flumine, a Septemtrione montibus Albio, Bebio, Ardjo, & Scardo, ab Oriente Scardo in Meridiem deflexo, & Drilone fluvio, a Meridie mari Adriatico circumscribitur. Pars prima Dalmatię ab Occasu, seu vetus Japydia, interdum Chrobatia, itemque pars extrema ad Orientem Albania vulgo appellari sępissime solet, vocabulo mutuato e proxima ultra Drilonem provincia, quę cum olim dicta fuerit, Epirus nova, posterioribus sęculis denominata est Albania. Hic memineris velim, quod cap. 1. §. 3. docuimus, sæpe accidere, ut regiones finitimæ sua inter se nomina communicent, & utraque in alterius ditionem invadat; nam quemadmodum Albania Drilonem transgressa in regionem contiguam Dalmatiæ suum nomen invexit, ita vicissim Dalmatia fines sibi præscriptos transiliens, suo vocabulo proxima Albaniæ loca subjecit; & longius interdum progressa Canninos etiam populos, qui ultra montes Acroceraunios infra ostium Adriatici, Jonium mare accolunt, Dalmatici nominis communione impertiit. Dyrrhachium enim Epiri novæ, sive Albaniæ, urbem primariam Dalmatiæ adscripsit Theophanes in Chronographia: *anno Constantii 9. Dyrrhachium Dalmatiæ civitas terræmotu corruit;* itemque Blondus & Sabellicus Ennead. 9. l. 5. *vehebatur autem tum Petrus navibus Venetis, quas Brundusii conscendit, iisque Dyrrhachium in Dalmatiam transmisit.* Canninos in Dalmatia locat Carolus Dufresne in Notis ad Lib. III. Alexiadis; qui scripsit Hermanum Abagelardi fratrem uterinum victum a Roberto, avitoque Principatu depulsum, *Præfecturam Canninorum in Dalmatia* donatum fuisse ab Alexio Imperatore, ad quem ex Italia confugerat. Chrobatia vero, quod ab Septemtrione Dalmatiæ finitima esset, uniusque Albii montis interjectu sejuncta, suum idcirco cum Dalmatia nomen facile communicavit; nisi forte, quod vero est propius, hæc pars Dalmatiæ, ut sub eorum potestate mansit, qui Chrobatiæ præsunt, sic etiam nomen antiquitus a Chrobatis acceptum usque in hodiernam diem perpetuo servavit. Cæterum quamvis prima ab Occasu, & postrema ab Oriente pars Dalmatiæ, hæc quidem Albaniæ, illa vero Chrobatiæ nomen sibi proprium fecerit, itemque partes intermediæ variis & suis quęque peculiaribus nominibus distinguantur; universa tamen regio [illegible] vulgari sermone, cum doctorum hominum litteris [illegible] Dalmatia; & Geographi omnes atque Historici, quidquid gentium est ac terrarum ab Arsia ad Drilonem, inter alpes & mare, cum insulis e regione objectis, communi Dalmatię vocabulo subjiciunt.

Albaniæ nomen citra Drilonem, & Dalmatiæ nomen ultra Drilonem interdum.

Cęt. pars prima Dalmatiæ ab Occasu, dicta Chrobatia,

CAPUT IV.

De multiplici Divisione Dalmatiæ.

§. I.

Triplex Divisio Dalmatiæ sub Imperatoribus Romanorum.

Dalmatia bifariam divisa in transalpinam seu mediterraneam, & Cisalpinam seu maritimam.

DAlmatiam universam, cujus fines in Septemtrionem usque ad Savum Augustus produxerat, bifariam dividebant alpes intermediæ: quæ pars ultra montes vergit ad plagam Borealem, ea transalpina & mediterranea, quæ vero citra montes in Meridiem spectat, eadem cisalpina & maritima rite appellari potest. Hujus bipartitæ divisionis auctorem habeo Strabonem, qui Dalmatiam Ardii montis intersectu discriminavit. *Porro mons, cui nomen Ardium, Dalmatiam mediam secat, ut altera ejus pars ad Mare spectet, altera in diversum.* Quamvis autem Strabo Japydiam & Liburniam a Dalmatia secluserit, divisio tamen ab eo tradita accommodari potest ad Dalmatiam ab Occasu auctam ex descriptione Augusti, qui Japydiam & Liburniam Dalmatiæ vocabulo subjecit, & fines Dalmatiæ ab Arsia usque ad Drilonem propagavit. Limes Septemtrionalis Dalmatiæ mediterraneæ erat Savus, qui a Pannonia Savia Dalmatiam sejungebat. Sed sexto post Augustum sæculo, Dalmatia transalpina Pannoniam omnem complexa, imperante Justiniano, ut supra diximus, fines suos in Septemtrionem usque ad Danubium porrexit. Maritimæ autem Dalmatiæ idem fuit semper a Meridie terminus Adriaticum mare, quod oram omnem Illyricam præterluit, insulasque huic oræ objectas interfluit. Verum ex quo Dalmatia nomen suum finesque intra montes contraxit, & spatii, quod Savo ac montibus interjacet, Chrobatiæ & Bosnæ reliquit, hæc divisio antiquata est; quæ quidem, quod cum ipsa natura regionis partim maritimæ, partim mediterraneæ congruat, recte dici potest divisio naturalis.

Dalmatia Cisalpina divisa in tres conventus.

Civilem quamdam partitionem Dalmatiæ maritimæ Romani fecerunt, a quibus Dalmatia citra montes est omnis divisa in Conventus tres Scardonitanum, Salonitanum, & Naronitanum. Romani siquidem, ut supra diximus, Provincias singulas in binas, ternas, plureſve Diœceses distribuere consueverant, quæ usitatiori vocabulo appellabantur Conventus, propterea quia una erat in singulis Diœcesibus civitas constituta, ad quam ex tota diœcesi statis temporibus rei publicæ privatæque causa concursus fiebant. Ibi enim totius Provinciæ Præses consistere, conventum agere, jus dicere, controversias dirimere; eo concilia cujusque Diœceseos convocari, tributa conferri, comitia ad creandos magistratus cogi solebant. Dalmatia igitur Cisalpina divisa cum esset in diœceses

fine Conventus omnino tres, totidem esse civitates, suaque cuique diœcesi ad conveniendum aligna-ta, quas Romani Capita regionum seu Conventuum, primi scilicet Scardonam, secundi Salonam, tertii Naronam fecerant. Tres hosce conventus descripsit Plinius, & quos quæve gentes ad Conventum unumquemque pertinerent, atque juris petendi causa, eas nominatim percensuit lib. 3. cap. 21. *Conventum Scardonitanum petunt Japydes & Liburnorum civitates XIV. e quibus Lacinienses, Stulpinos, Curictas, Abbenenses nominare non pigeat. Jus Italicum habent eo conventu Alutæ, Flanates, a quibus sinus nominatur: Lopsi, Varvarini, Immunesque Assoriates; & ex insulis Fulfinates, Curictæ &c.*

Conventus Scardonitanus

Et cap. 22. *Salona colonia ab Jadera* CXII. *M. pass. petunt in ea jura descripti in decurias* CCCLXXXII. *Dalmatæ*, XXII. *Decuni*, CCXXXIX. *Ditiones*, LXIX. *Mazæi*, LII. *Sardiates . . . Petunt & ex insulis Issæi, Colentini, Separi, Epetini . . . . Narona colonia tertii Conventus, a Salona* LXXII. *M. pass. apposita cognomini fluvio; amari* XX. *M. pass. M. Varro* LXXXIX. *Civitates eo ventitasse auctor est. Nunc prope soli nosse juntur Cerauni decuriis* XXIIII. *Daorizi* XVII. *Desitiates* CIII. *Docleates* XXXIII. *Deretini* XIIII. *Deremistæ* XXX. *Dindari* XXXIII. *Glindicionas* XLIIII. *Melcomani* XXIIII. *Narestii* CII. *Scirtari* LXXII. *Siculotæ* XXIIII. *populatoresque quondam Italiæ Vardæi non amplius, quam* XX. *decuriis.*

Salonitanos.

Naronitanos.

Dalmatia itidem cisalpina & maritima sub initium Romanæ Monarchiæ, cum adhuc Japydiæ, Liburniæque vocabula vigerent, tripartitam divisionem subiit, quam tres notissimi fluvii regionem illam intersecantes efficiunt. Prima pars est Japydiæ, quam ab Istria Italicis regionibus adscripta flumen Arsia discriminabat, usque ad Tedanium; secunda Liburnia usque ad Titium; tertia Dalmatia, Illyricum proprium complectens, usque ad Drilonem producta, quo quidem fluvio a Macedonia sive ab nova Epiro nunc Albania sejungebatur. Ad hunc fere modum hanc regionem Strabo lib. 7. trifariam divisit, primum Japydiam, tum Liburniam, postremum Dalmatiam describens. Plinius vero tres illas partes tribus, quos diximus, fluviis distinxit, & suo quamque terminavit, Tedanio scilicet Japydiam, Titio Liburniam, Drilone Dalmatiam; cui proxima est Lissus ultra Drilonem civitas, a qua, inquit Plinius lib. 3. *Macedonia provincia* initium ducit. Ita sub communi Dalmatiæ vocabulo universa cis alpes Provincia Dalmatica tribus e partibus constabat, quarum unam incolebant Japydes maritimi, alteram Liburni, tertiam, qui nomen commune proprium sibi fecerant, Dalmatæque vocabantur. Sed brevi nomen Japydiæ maritimæ omnino exsolevit, & regio illa inter Arsiam ac Tedanium in jus nomenque Liburniæ concessit. Inde bipartita extitit Dalmatiæ divisio. Pars prima ab Arsia ad Titium dicta est Liburnia, pars altera ab Titio ad Drilonem, vetus illud, quod jamdudum peculiari quodam jure suum ac proprium effecerat, vocabulum Dalmatiæ retinuit. Nomen Liburniæ multis deinde sæculis viguit, fere omnium sermone ac literis usurpatum, ut docent Scriptores antiqui, ac præsertim Procopius, qui Liburniam & Dalmatiam nominatim distinxit. Sed sæculo septimo cum Slavi, Chrobati, & Serbli, sublatis antiquis limitibus, novam regionum descriptionem, & nova intulissent vocabula, nomen quidem Liburniæ paullatim per desuetudinem aboleri cepit, & post decimum sæculum sic prorsus interiit, ut nusquam deinde usu communi vulgarique celebretur; nomen vero Dalmatiæ, quod locis Mediterraneis Chrobatiæ & Serbliæ relictis urbes maritimas insulasque reposs[illegible], post aliquot ætates vocabulis Serbiæ Chrobatiæ expulsis, quidquid antea inter Alpes ac mare obtinebat, recuperavit: nam etiamnum regio illa omnis ab Arsia ad Drilonem citra montes porrecta, communi nomine appellatur Dalmatia.

Japydiæ vocabulo antiquato Dalmatia bifariam divisa. pars Liburnia, 2. Dalmatia.

Liburniæ nomen exsolevit.

Chrobati et Serbli Dalmatiæ occupant.

Prima pars Japydia, a Liburnia, 2. Dalmatia cum Illyrico proprio.

Tripartita divisio Dalmatiæ Cisalpinæ.

§. II.

Divisiones Dalmatiæ sub Dominatu Slavorum.

ANtequam Dalmatia fere omnis in jus concederet potestatemque Slavorum, hæc gens inde usque ab initio quarti sæculi, vel etiam antea Illyricum & Dalmatiam incursionibus vastare cœperat, & præterea in iisdem regionibus aliquot oppida agrosque occupaverat, ut supra diximus cap. 3. §. 5. nullam tamen ante septimum sæculum vel finium mutationem, vel terrarum partitionem, vel nominum variationem invexit. Annus erat septimi sæculi circiter quadragesimus, cum Heraclius Imperator Chrobatis ac Serblis, qui ad eum supplices confugerant, ut in clientelam ditionemque imperii reciperentur, Dalmatiam propemodum omnem habitandam tradidit sub ea conditione, ut Abares expellerent, qui paullo ante universam illam regionem direptis eversisque urbibus fide vastaverant, & annuo tributo suam erga Imperatorem Orientis fidem atque observantiam declararent. Tum vero Dalmatia & nova vocabula ab novis incolis illata accepit, & novam subiit terrarum divisionem finiumque descriptionem. De adventu gentis utriusque scripsit Constantinus Porphyrogenitus de Admin. cap. 31. *Atque hi ipsi Chrobati ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugerunt, antequam Serbli confugissent ad eundem Imperatorem Heraclium, quo tempore Abares armis inde Romanos ejecerant; quos Roma adductos Diocletianus Imperator illic habitare fecerat, unde & Romani nuncupati sunt, quod Roma venientes sedes posuissent in illis regionibus, nempe Chrobatia & Serblia, uti nunc vocantur. Pulsis vero Romanis ab Abaribus tempore ejusdem Romanorum Imperatoris Heraclii desolata eorum regio jacuit; qua propter jussu hujus Imperatoris Heraclii, iidem Chrobati armis arreptis, Abares, ex illis locis expulerunt, & in ipsorum terra, quam hodie tenent, sedes collocarunt.* De Serblis vero hæc subjecit cap. 32. *Aliquanto vero post visum est Serblis,* (quibus in Macedoniam sedes assignatas fuisse supra dixerat) *in terram suam redire, & dimisit quoque illos Imperator, sed cum trajecissent Danubium flumen, paucitentia ducti, per Prætorem, qui tunc temporis Belegradum administrabat, ab Heraclio Imperatore petierunt, aliam sibi terram ad inhabitandum assignare vellet. Cumque ea, quæ nunc Serblia dicitur, & Pagania, quæque Zachlumorum terra vocatur, item Terbunia, & Canalitarum regio, quæ Imperatoris Romanorum ditionis erat, propter Abarum excursiones deserta essent, expulsis inde Romanis, qui nunc Dalmatiam atque Dyrrhachium incolunt, regiones illas Serblis habitandas Imperator dedit.*

Chrobati ergo Serblique universam propemodum Dalmatiam cis ultraque montes, concessu Heraclii, & Abaribus expulsis adepti, duas partes inter se fecerunt. Quæ vergit ad Occasum, Chrobatis obtigit, & Chrobatia dicta est; quæ vero pars in

Dalmatia cis ultraq; montes bipartito divisa, partim Chrobatis, partim Serblis obtigit.

Digitized by Google

in Solem orientem ſpectat, Serblis obvenit, & Serbliæ nomen aſſumpſit. Ciſalpinam Dalmatiam interfluebat Neſtus, ſeu Tilurus, & Chrobatiam a Serblia diſcrimi[illegible] teſte Porphyrogenito, qui fluvium illum novo a Slavis [illegible]to vocabulo Zentinam appellat: *A Zentina autem fluvio Chrobatia incipit, extenditurque verſus mare ad Iſtriæ uſque confinia ſive Albunum urbem, verſus Montana aliquatenus etiam ſupra Iſtriæ Thema excurrit, verſus Zentinam, & Clebena Serbliæ regionem attingit.* Terminus igitur Occidentalis Chrobatię citra montes erat Iſtria, ſive Albunum ideſt Alvona civitas Iſtriæ prope Arſiam, qui finis Italiæ fuit, idemque initium Dalmatiæ; terminus autem Orientalis erat Zentina fluvius, niſi quod Chrobatia ſub radices montium ultra Zentinam paullo in Orientem longius porrigebatur Clebianam complexa, quæ regio ad Chrobatiam pertinebat; ac propterea ex hac parte, ut Porphyrogenitus ſcripſit, *Serbliæ regionem attingebat*. Quin Chrobatia longius etiam videtur fines ſuos trans Zentinam in Ortum protuliſſe; quippe inter Zupanias Chrobatiæ Emotam Porphyrogenitus annumerat, quæ inter Tilurum ſeu Zentinam & Naronem ſita eſt, ad lacum, unde Naro profluit. Quare extrema ad Orientem Chrobatia Serbliam ſic attingebat, ut confinia utriuſque implicita, & quodammodo alia cum aliis intexta eſſent; atque altera alteri, finibus vel productis, vel contractis, innecteretur. Chrobatiam Porphyrogenitus diviſit in Zupanias ſive Toparchias omnino undecim. *Zupania* eſt Slavonicum nomen derivatum a *Zupa*, quod verbum apud Slavos idem valet, atque apud Latinos *Populus*. Zupania eſt regio populis referta e vicis, oppidis, atque urbibus conſtans, quam nos vocabulo ab Græcis mutuato Toparchiam diximus. Diviſa eſt autem eorum regio in Zupanias xi. quarum nomina *Clebiana, Tzentena, Emota, Pleba, Peſenta, Parathalaſſia, Brebera, Nona, Tnena, Sidraga, Nina*. His adjecit tres alias regiones, quas itidem Chrobatiæ finibus incluſas, Bano ideſt Duci aut Dynaſtæ ejus gentis ſpeciatim attribuit: *ipſorumque Banus tenet Cribaſam, Litzam, & Gutzecam*. Quæ ſit cujuſque Zupaniæ poſitio, & quæ cuique nunc regio & appellatio reſpondeat, capite proximo declarabitur. Urbes vero, quas poſſidebant Chrobati, e quibus aliquæ a Zupaniis, quarum capita erant, denominatæ videntur, hæ ſunt, eodem auctore Porphyrogenito, cap. 31. *Nona, Belogradum, Belizin, Scordona, Clebena, Stolpum, Tenen, Cori, Claboca*. Præterea Chrobati ultra montes uſque ad Savum obtinebant quidquid etiamnum Chrobatiæ vocabulo ſubeſt; hoc eſt, quod ſcripſit Porphyrogenitus *Chrobatiam, verſus Montana aliquatenus etiam ſupra Iſtriæ Thema excurrere*. Et fortaſſe ad hanc partem Chrobatiæ pertinebant duæ illæ Zupaniæ Pleba & Peſenta, cum earum poſitionem in Chrobatia ciſalpina ſeu maritima non inveniam. Ad hæc, e Chrobatis, qui Dalmatiam occupaverant, ſeceſſionem factam eſſe idem Porphyrogenitus tradit, & alios in Pannoniam, alios in Illyricum commigraſſe: *At e Chrobatis, qui in Dalmatiam venerant, pars quædam ſeceſſit, & Illyricum atque Pannoniam occupavit*. Hic Pannoniæ nomine intelligi oportere Pannoniam Saviam inter Savum & Dravum, Illyrici autem vocabulo Mæſiam ſuperiorem ſubeſſe, ſupra demonſtravimus. Itaque Chrobatia erat omnis diviſa in partes tres Maritimam, Mediterraneam, & Interamnenſem. Chrobatiam maritimam a Septemtrione Alpes, a Meridie Mare Adriaticum, ab Occaſu Iſtria ſive Alvona civitas, ab Oriente Zentina fluvius definiebant, niſi quod ab hac regione ultra Zentinam paullulum producta Serbliam attingebat. Mediterranea inter Savum, & Montes partem veteris Japydiæ tranſalpinæ, partemq; veteris Pannoniæ Auſtralis occupaverat, & uti nunc, ſic olim ab Occaſu Carniolia, ab Ortu Boſſina terminabatur. Chrobatia Interamnenſis eadem eſt, ac Pannonia Savia, Dravo Savoque intercepta. Ab Occaſu Noricum habet finitimum, ubi nunc pars Styriæ & Carinthiæ, atque in Ortum protenditur uſque ad Danubium, qui ab Septemtrione in Meridiem curſum detorquens, eam ſejungit ab ea parte Hungariæ, quam olim Jazyges Metanaſtæ incolebant. Nunc quod a Chrobatis acceperat, nomine amiſſo, communi Slavorum vocabulo appellatur Slavonia.

Plenior deſcriptio Chrobatiæ Ciſalpinæ.

Serblia pars Dalmatiæ ciſalpinæ Orientalis ab Zentina fere initium ducit; niſi quod pars inalpina inter Zentinam, & Naronem, quem Porphyrogenitus c. 30. Orontium vocat, ad Chrobatiam pertinet: *oraque maritima, inquit, contermina eſt Paganis*, (quorum regionem ab Orontio uſq; ad Zentinam paullo poſt producit) *Montana vero ad Septemtrionem Chrobatis, quæ in fronte, Serbliæ*. In Ortum autem porrigitur uſque ad montem Scardum ab Aquilone in Auſtrum vergentem, quo a Dardania, & ad Drilonem fluvium, quo a Macedonia, ſive ab Epiro nova disjungitur. Serbliam ciſalpinam in quatuor partes tributam fuiſſe Porphyrogenitus cap. 30. docet, quarum unam incolebant Zachlumi, alteram Terbuniatæ, & Canalitæ, tertiam Diocletani, quartam qui Slavorum lingua Pagani, quod expertes eſſent Baptiſmi, ab Romanis vero Arentani appellabantur. Hi omnes Serbli erant, qui agro egentes, quem incolerent, ad Heraclium Imperatorem confugerunt. Pagania inter Zentinam ab Occaſu, & Naronem ab Ortu, marique ad Meridiem adjacens, ad Septemtrionem Chrobatiam attingebat, tres ipſas Zupanias complexa. *Ab Orontio*, ideſt Narone, *flumine Pagania incipit, & porrigitur uſque ad Zentinam flumen, & Zupanias habet tres, Raſtotzam, Mocrum, ac Daleni; & quidem duæ Zupaniæ Raſtotza & Mocrum ad mare ſitæ ſunt, & ſagenas habent; Daleni vero Zupania procul a mari ſita eſt, & ejus incolæ ex agricultura vivunt. Habent quoque Pagani inſulas quatuor in propinquo, nimirum Meletam, Curcuram, Bartzum, & Pharum, omnes pulcherrimas fertiliſſimaſque; oppida item deſerta, & paludes multas, in quibus habitant, & jumenta alunt, unde victum parant*. Hæc Porphyrogenitus, qui de Paganis alia cap. 36. adjecit: *Regio etiam illa, quam nunc Pagani incolunt, primitus a Romanis tenebatur, quibus Roma deductis Imperator Dioclecianus in Dalmatia ſedes aſſignavit. Et oriundi ſunt etiam ipſi Pagani a Serblis non baptizatis, ab ea ſcilicet Principe, qui ad Heraclium Imperatorem confugit. Capta vero itidem ab Abaribus & vaſtata hæc regio ſub Heraclio Imperatore, rurſum incolis frequentari cœpit. Pagani autem dicuntur, quod baptiſmum non accepiſſent eo tempore, quo Serbli omnes baptizati erant. Etenim Pagani Slavorum lingua baptiſmi expertes dicuntur; Romanorum vero dialecto regio eorum Arenta nuncupatur, unde ipſi a Romanis Arentani appellantur. Habet Pagania urbes habitatas Mocrum, Berullia, Oſtroc, & Labinetza; poſſident item Arentani inſulas Curcra, ſive Cicer*, ideſt Curcuram, ſeu Corcyram. . . . *Sed & aliæ præterea inſulæ ſunt, quæ ad Paganos non pertinent, puta Choara, Jes, & Laſtobon*.

Serblia pars Orientalis Dalmatiæ Ciſalpinæ.

Serbliæ Ciſalpinæ partes quatuor.

Pagania a tribus Zupaniis conſtans.

Zachlumos inter Raguſium & Orontium flumen Porphyrogenitus locavit, a Monte Chlumo nomen

Cap. 30.

Univerſa Chrobatiæ tripartita diviſio.

Zachulmis, & ejus urbes.

men adeptos, unde etiam illorum regio Chulmia, & Zachulmia dicta fuit, quæ nunc pars est Principatus S. Sabæ, sive Hercegovinæ. *A Rausio*, ait cap. 30. Porphyrogenitus, *Zachlumorum principatus initium habet, & protenditur ad Orontium flumen usque*. Sed postea idem Auctor paullo accuratius & distinctius Zachlumorum regionem descripsit cap. 33. *Zachlumorum terræ Romani primum dominabantur; illi nimirum Romani, quos Diocletianus Imperator Romæ eo, misit in coloniam, deduxit; quemadmodum & in Chrobatorum historia de iis dictum est. Romanorum igitur Imperatori prius parebat Zachlumorum regio, sed ab Abaribus postea subjugata, & in vinculis abductis ipsius incolis, tota hæc regio deserta fuit. Qui vero nunc illic habitant Zachlumi, Serbli sunt, ab illo Principe, qui ad Heraclium Romanorum Imperatorem confugit, & Zachlumi dicti sunt a monte Chlumo nuncupato; & alias Slavorum dialecto Zachlumi dicuntur ii, qui post collem habitant; quandoquidem magnus est inibi collis, in cujus vertice urbes duæ sunt, Bona, & Chlum; retro autem hunc collem flumen Bona nuncupatum devehitur, quod Græcis καλὸν significat. Venit autem posteritas Proconsulis & Patricii Michaelis Busebutzæ Zachlumorum Principis filii, a non baptizatis accolis fluminis Bislas, quod & Ditzice cognominatur, habitavitque ad flumen Zachluma nuncupatum: suntque in Zachlumorum territorio urbes habitatæ Stagnum, Mocrisciæ, Josle, Galumaenic, & Dobrisciæ.*

Terbuniatis, & Canalitis eadem obtigit regio a Decateris urbe montana in confiniis Bosnæ, usque ad Ragusium urbem maritimam porrecta, Zachlumis ab Occasu, Diocletanis ab Ortu finitima. *A Decateris vero incipit Terbuniæ principatus, porrigitque se usque ad Rausium, at versus montana Serbliæ adjacet*, quæ nimirum ab Occasu in Ortum usque ad Bulgariam excurrens proprium sibi nomen Serbliæ fecerat. At plura de Terbuniatis & Canalitis idem Porphyrogenitus cap. 34. *Terbuniatarum, Canalitarumque eadem regio est: incolæ vero a non baptizatis Serblis descendunt, qui illic habitarunt ab eo usque Principe, qui a Serblia non baptizata ad Heraclium Imperatorem confugit, usque ad Blastemerum Serblorum Principem, qui filiæ suæ maritum dedit Crainam Belae Terbuniæ Zupani filium, eumque honoris ergo Principem appellavit, & ut sui juris esset effecit: atque ex illo Phalimeres natus est, ex quo Tzutzemeres. Terbuniæ vero Principes semper Serbliæ Principi parebant; & regio ipsa lingua Slavorum locum munitum significat: quandoquidem multæ in ea munitiones sunt: estque sub ea alia adhuc regio, quæ Canale nuncupatur; Canale vero viam plaustri Slavorum idiomate significat; nam propter loci planitiem servitutes omnes plaustris præstant. Habet autem tam Terbunia, quam Canale oppida, quæ habitantur, hæc, Terbuniam, Hormum, Rbisena, Lucabete, & Zetlebe.*

cap. 30. Terbunia & Canalitæ eorumque oppida.

Sequuntur Diocletani ab Dioclea, urbe olim amplissima mediterranea, nomen mutuati; quos a Serblia proprie dicta montes disjungunt, eosque ab Occidente Decatera, sive Catharum civitas ad Sinum Rhizonicum apposita, distinctaque ab urbe fere cognomine Bosnensi, quam Cateram Porphyrogenitus vocat, ab Oriente autem Elissus Driloni adjacens, a Meridie ora maritima circumscribit. *Dioclea porro*, inquit cap. 30. Porphyrogenitus, *propinqua est Elisso, Helcynio & Antibari oppidis Dyrrhachii, extenditurque Decatera usque: montana autem Serbliæ finitima sunt.* Infra autem de Diocletanis hæc subjecit cap. 35. *Etiam Dioclea regio primitus occupata erat a Romanis, quos illuc Roma transtulerat Diocletianus Imperator; quemadmodum & in Chrobatorum historia dictum est, & Romanorum Imperatori erat subjecta; sed ab Abaribus hæc quoque regio subjugata ac vastata fuit; & ad Heraclii Imperatoris temporibus habitari iterum cepit, quemadmodum Chrobatia, Serblia, Zachlumorum terra, Terbunia & Canale. Dioclea autem nuncupata est illa regio ab urbe ibi condita a Diocletiano Imperatore, quæ nunc habitatoribus vacua, in hodiernum usque diem Dioclea appellatur; suntque in ea regione urbes habitatæ magnæ, Gradetæ, Nugrade, & Lontodocla.* Hactenus de Serblia maritima.

Descriptio Dioclea regionis, & ejus urbes.

Nec solum Serblia eam Dalmatiæ cisalpinæ partem, quæ spectat in Solem orientem, occupavit, sed alpes transgressa, quidquid transalpinæ Dalmatiæ ad Ortum vergentis inter Savum & montes Chrobati vacuum intactumque reliquerant, & longius secus Danubium progrediens, Mæsiam Superiorem in suum jus ac nomen redegit. Hinc duplex extitit Serblia mediterranea; altera Savo & montibus interjacens inde incipit ab Occasu, ubi desinit Chrobatia, & in longitudinem porrigitur usque ad Drinum, qui oriens e Scardo monte in Savum influit: hæc a Bosna fluvio, regionem illam interluente, Bosniæ, seu Bosnæ nomen accepit, cui duas præcipue urbes Porphyrogenitus attribuit: *in agro*, inquit cap. 32. *Bosonæ Catera, & Desnec*; hujus pars ad Meridiem vergens a fluvio cognomine, quo alluitur, denominata est Rama regali quondam titulo insignis, quo uti solebant Reges Hungariæ. Altera vero, quam Drinus & Mons Scardus ab Occasu, Danubius a Septemtrione, Bulgariæ fines ab Oriente, initia montis Hæmi a Meridie definiunt, commune gentis nomen sibi uni vindicavit, hodieque retinet, ac Servia vulgo appellatur. Pars Serbliæ in Austrum obversa, quæ olim dicta est Dardania, ab Rasca fluvio per eamdem labente Rasciæ nomen sibi adsciyit; quamvis non desint, qui eam Serbliæ partem, quæ in Aquilonem spectat, Rasciæ vocabulo afficiant. Sunt etiam, qui Serviæ Rasciæque vocabula pro synonymis habent; neque alteram ab altera regione distinguunt. Utrosque in errorem induxit Ritus Rascianus, qui æque in Serblia, atque in Rascia ad rem sacram liturgicam vulgo adhibetur, atque adeo in regionibus ultra Danubium dominatur. Serbliæ propriæ urbes aliquot nominatim recenset Porphyrogenitus: *Sunt*, inquit cap. 32. *in Serblia baptizata oppida, quæ habitantur; Destinicum, Tzernabuscee, Megyretus, Dresneec, Lesnec, Salenes.*

Serblia duplex mediterranea; prior pars citra Drinum dicta est Bosna;

altera ab Drino usque ad Mæsiam inferiorem sive Bulgariam, inter Danubium & Hæmum, hodieque Servia dicitur.

Rascia pars mediterranea Serbliæ.

Urbes Serbliæ.

Itaque Dalmatia septimo sæculo sub adventum Slavorum quidquid cis ultraque montes obtinebat, id fere totum Chrobatiæ & Serbliæ cessit; ipsa vero in angustum adducta civitates aliquot maritimas insulasque in sua potestate retinuit, quæ cum in fide ac ditione mansissent Imperatorum Orientalium, vetus Dalmatiæ nomen servarunt. Has vero qui incolebant, eos Romanos appellat Constantinus Porphyrogenitus, sive quod Imperatoribus Romanorum subessent, sive quod ab illis Romanis originem traherent, quorum Colonias in ea loca Diocletianus deduxerat. Hujus Dalmatiæ contractæ, Slavorumque dominatu exemptæ, civitates atque insulas idem Porphyrogenitus cap. 29. percensuit: *Slavi Romanos deleverunt, eorumque loca tenuerunt; reliqui autem Romani in oræ maritimæ oppidis servati, eaque etiamnum tenent, & sunt ista, Rausium, Aspalathum, Tetrangurium, Diadora, Arbe, Becla, & Opsara; eorumque habitatores in hodier-*

Dalmatia contracta post adventum Slavorum sub Imperatoribus CP.

Ejus urbes.

Pipereapi, & eorum fines.

hodiernum usque diem Romani appellantur. His adjecit insulas *Arbem*, *Beclam*, *Opsarum Lumbricatum*, & alias præterea, quas ab incolis vacuas, desertasque a plebe & cultore hominum, temporibus illis, cum ipse scribebat, fuisse affirmat; videlicet *Catautrobenon*, *Pizuch*, *Selbon*, *Scerdam*, *Aloep*, *Scirdaciſſam*, *Pyrotimam*, *Meletam*, *Eſtiunec*, *& alias complures*, inquit, *quarum nomina ignorantur*. Cum Porphyrogenitus Meletam insulam Paganis, sive Narentanis attribuit, Meleta illa, cujus modo mentionem fecit, alia est ejusdem nominis insula infra Sinum Flanaticum. Quare sub dominatu Slavorum Dalmatia tripartitam divisionem subiit: pars una assumpto Chrobatiæ nomine Chrobatis obtigit; altera obvenit Serblis, a quibus Serblia est nominata; tertia antiquo Dalmatiæ vocabulo retento in fide permansit ac potestate Imperatorum Orientis. Cæterum posterioribus sæculis, ut supra diximus, Chrobatiæ Serblique vocabulis paullatim obsolescentibus, Dalmatia maritima, & cisalpina vetustissimum Dalmatiæ nomen recuperavit: id quod Andreas Dandulus præclare animadvertit in Chronico: *Moderni autem maritimam totam vocant Dalmatiam, montana autem Croatiam*; nisi quod, ut alio loco admonui, sub communi Dalmatiæ vocabulo pars prima ad Occasum Chrobatiæ nomen apud aliquos retinuit, pars vero extrema ad Orientem Albaniæ nomen e regione proxima recepit. E regionibus vero transalpinis, quas Dalmatiæ vel intra Savum Augustus, vel ultra Savum Dravumque Græci Scriptores adjecerant, depulsa in perpetuum Dalmatia, proximas quidem citra Savum partim Chrobatiæ, partim Bosnæ; ulteriores vero illas, quæ Savo Dravoque interjacent, Slavoniæ, quæ inter Dravum & Danubium continentur, Hungariæ reliquit.

Sub adventum Slavorum tripartita Dalmatiæ divisio; pars Chrobatis, pars Serblis obtigit; pars in ditione manſit Imperatorum Orientis.

Auctor Anonymus, qui sub nomine Presbyteri Diocleatis librum de Regno Slavorum conscripsit sæculo duodecimo, tradit, qua tempestate Sfetopeleck regnum Slavorum in Dalmatia obtinebat, Slavos omnes Constantini cognomento Philosophi, qui postea dictus est Cyrillus, doctissimi & sanctissimi viri cohortationibus impulsos, & præceptis edoctos, una cum ipso Rege Christianæ religioni nomen dedisse: deinde frequentissimum ex Episcopis & Primoribus Regni Concilium habitum esse, in planitie Delmitana, antiquo Delminio subjecta, cui Honorius Stephani Papæ Legatus Apostolicus, itemque Leo & Joannes Michaelis Constantinopolitani Imperatoris Legati interfuisse dicuntur. In eo cum multa sapienter & præclare ad rem publicam & ecclesiasticam ordinandam constituta sunt, tum vero ait quadripartitam regionum divisionem factam fuisse; & Chrobatiæ cisalpinæ seu maritimæ quæ pars a planitie Delmitana in Occidentem usque ad Istriam protenditur, eam *Chrobatiam Albam*; quæ vero pars in Orientem Dyrrhachium usque procurrit, eam *Chrobatiam Rubeam* appellatam esse: Mediterraneam itidem regionem, Drini interjectu, in duas partes tributam esse; & quæ citra Drinum in Occasum spectat, eam Bosnæ vocabulo, quæ ultra Drinum in Ortum vergit, & a Meridie Macedoniæ fines attingit, eam Rasciæ nomine donatam esse. Auctoris verba ipsa transferre haud piget: *Deinde maritima in duas divisit provincias; a loco Dalmæ, ubi Rex tunc manebat, & Synodus tunc facta est, usque ad Valderino* (idest Arsiam flumen Zacureo interprete) *vocavit Croatiam Albam, quæ & inferior Dalmatia dicitur; cui inferiori Dalmatiæ consensu Domini Papæ Stephani, & Legatorum ejus instituit Salonitanam ecclesiam Metropolim, sub cujus regimine has Ecclesias statuit, videlicet Spalatum, Tragurium .... item ab eodem loco Dalmæ usque Bambalonam civitatem, quæ nunc dicitur Dyrrhachium, Croatiam Rubeam vocavit; & secuti inferiori Dalmatiæ Salonitanam Ecclesiam constituit Metropolim, simili modo superiori Diocletanam pro jure antiquo statuerunt Metropolim, sub cujus regimine has Ecclesias declararunt, scilicet Antibarinum, Buduam ..... urbiam autem, quæ & transmontana dicitur, in duas divisit provincias; unam a magno flumine Drina contra occidentalem plagam usque ad montem Pini, quam & Bosnam vocavit; alteram vero ab eodem flumine contra Orientalem plagam, usque ad Lapiam, & Lab, quam Rassam vocavit*. Hactenus Presbyter Diocleas; quem secuti Andreas Dandulus & Flavius Blondus, eamdem quadripartitam divisionem haud brevius, quam dilucidius, prætermissis obsoletis vocabulis ab Diocleate adhibitis exponunt; & quem Diocleas Sfetopeleck, ipsi Sveropolim vocant; eumdem quippe Regem alii Budimirum, alii Rastislavum, alii Scrantoplucum, alii Sfentoplucum, alii Sphendoplocum, alii aliter appellant. Itaque Andreas Dandulus ad an. 874. hæc adjecit in chron.: *Hujus autem B. Cyrilli prædicatione Sveropolis Rex Dalmatiæ, qui ab Odrillo germano Totilæ Regis Gothorum originem duxerat, cum toto suo populo fidem Catholicam suscepit, & ab Honorio Cardinali Legato Apostolicæ sedis, assistentibus Orthodoxis Episcopis, & Apocrisariis Michaelis Imperatoris Constantinopolitani, a quo regnum suum recognoscebat, in plano Dalmini coronatus est, & Regnum suum in quatuor partes divisit ..... A plano itaque Dalmæ usque Istriam Croatiam Albam vocavit, & a dicto plano usque Dyrrhachium, Croatiam Rubeam; & versus montana a flumine Drino usque Macedoniam, Rasciam, & a dicto flumine citra, Bosnam nominavit*. Eadem Flavius Blondus lib. 2. verbis paullum diversis refert: *Sveropilus Dalmatiæ Rex, subditaque illi Sclavorum gens, quam a Bohemis Germaniæ originem habuisse ostendimus, tunc primum ad Christi fidem sunt conversi. Facta est per id temporis Regni Dalmatiæ divisio, cujus membrorum nomina ætate etiam nostra in usu habentur ....., Nova autem hac divisione a Campis Dalmatiæ hinc Istriam usque, Croatiam Albam, inde a dictis campis Dyrrhachium usque, Croatiam Rubeam; & versus Montana, a flumine Drino, trans ipsum flumen Macedoniam usque, Rasciam, & citra flumen, Bosnam vocavere*.

Presbyteri Diocleatis narratio.

Concilium Delmitanum.

Chrobatia Cisalpina bifariam divisa; in Chrobatiam Albam & Chrobatiam Rubeam.

Chrobatiæ Mediterraneæ pars una Bosna, pars altera Rascia.

Sveropolis Rex Dalmatiæ, ejusque ad fidem conversio.

Vereor equidem, ne hujusmodi quadripartita divisio ficta sit & commentitia; nam Constantinus Porphyrogenitus, qui proximo post Sveropilum, sive Sfetoplechum sæculo floruit, maritimæ Dalmatiæ quod Chrobati occuparunt, Tiluro seu Zentina fluvio definivit, reliquam vero Dalmatiam trans Zentinam in Ortum porrectam Serblis attribuit, Serbliæque vocabulo subjecit. Hæc partitio, quam ante annos fere trecentos Chrobati Serblique fecerant, sine ulla finium aut nominum variatione adhuc vigebat, cum Constantinus imperabat, qui ut Romanum filium, libro de Administratione Imperii conscripto, de situ ac natura regionum doceret, provinciarum limites, vocabula, & divisiones ad Geographiam suo tempore usitatam ac receptam accommodavit. Si ergo Chrobatia, Sfetoplecho regnante, Tilurum transgressa Serbliam maritimam Dyrrhachium usque in suum nomen ac potestatem redegit, quid est, quod Constantinus Regis illius ætati propemodum suppar, jus nomenque Chrobatiæ inter Tilurum seu Zentinam continuit? quid est, quod regionem om-

Narratio Diocleatis non cohæret cum iis, quæ scribit Constan. Porphyr.

Digitized by Google

nem ultra Tilurum Serbliæ assignavit? cur veterem illam inter Chrobatos Serblosque factam partitionem descripsit, recentiorem vero, de qua filium edoceri, sua & illius pluris intererat, silentio prætermisit? Cur de Sphendopioco Moraviæ Principe, quæ digna litteris ac memoria esse censuit, commemoravit; de illius vero, sive de illius decessorum Dalmatico Regno nulla in eo libro altera invenitur? cur demum Chrobatiæ *Albæ* nusquam meminit, de qua mentionem qui fecerit ante Presbyterum Diocleatem, fortasse nullum reperies? Scio equidem sæpe apud Porphyrogenitum & *Albam Chrobatiam*, & *Albam Serbliam* cognominari; sed utramque longe ab Dalmatia summovet; hanc quidem ultra Savum Dravumque, illam vero ultra Carpates sive Sarmaticos montes rejecit. Utramque baptismi expertem vocat; & ab altera quidem Chrobatos, ab altera Serblos oriundos, & in Dalmatiam profectos esse tradit; & eodem Heraclio imperante, cujus concessu sedes in Dalmatia nacti fuerant, per Presbyteros ab Romano Pontifice missos de Christianis mysteriis ac præceptis eruditos, & baptismo initiatos fuisse. An vero tum primum pars illa Dalmatiæ Mediterraneæ citra Drinum in Ortum obversa Bosna dici; itemque pars altera trans Drinum in Meridiem vergens, & Macedoniæ finitima Rascia nuncupari cœperit, cum Sfetopeleck rerum potiebatur, mihi sane non liquet; illud sine ulla dubitatione affirmare posse mihi videor, Presbyterum Diocleatem, multa in historia Slavorum & rerum ignoratione, & temporum perturbatione peccasse; id quod, ante nos, insignis Dalmaticarum rerum Scriptor præclare animadvertit. Pauca ejus errata hic adnotasse satis fuerit, e quibus conjecturam de reliquis facere liceat.

Chrobatia Alba & Serblia Alba longissime a Dalmatiæ finibus disjunctæ.

Errata Diocleatis.

Nam primum quidem Slavorum omnium, qui Dalmatiam incolebant, ad Christum conversionem revocavit ad nonum æræ Christianæ sæculum; eo quippe sæculo & Sfetopeleck, Rex Slavorum, & Cyrillus ejusdem gentis Apostolus floruerunt. Atqui Constantinus Porphyrogenitus, qui Presbytero Diocleati vel antiquitate, vel auctoritate plurimum præstat, præter Narentanos, Serblos omnes, Chrobatosque sub imperio Heraclii, a quo sedes agrosque in Dalmatia impetraverant, Christianis sacris initiatos esse affirmat. Deinde Concilio Delmitano interfuisse ait Diocleas Legatos tum Michaelis Imperatoris, tum Stephani Papæ, quamvis e multis Imperatoribus, quibus nomen fuit Michaelis, itemque e multis Romanis Pontificibus, qui Stephani nomen gesserunt, neminem nota arithmetica apposita speciatim designet, a quo vel Roma, vel Constantinopoli ad conventum illum missi Legati fuerint. At sæculo nono nullus fuit Imperator Michael, nullus Stephanus Papa, qui simul eodemque tempore vel Imperium, vel Pontificatum gesserint. Tres eo sæculo invenio cognomines Imperatores; Michaelem cognomento Rengabem ab anno 811. ad annum 813., Michaelem II. Balbum ab an. 820. ad annum 829., Michaelem III. Porphyrogenitum ab an. 846. ad an. 867.; duos cognomines itidem Pontifices Romanos, Stephanum V. ab an. 816. ad an. 817., Stephanum VI. ab an. 885. ad 891. Confer horum Pontificatum cum illorum Imperio, nullus est Stephanus, qui Michaele sive primo, sive secundo, sive tertio imperante, Ecclesiæ Romanæ præfuerit. Præterea Constantinus Philosophus, qui postea appellari voluit Cyrillus, Sfendoplechum ad Christi cultum traduxit ante obitum Nicolai Romani Pontificis, qui ex hac vita decessit anno 867.; ab hoc siquidem post ejus Regis regnique conversionem in urbem evocatus cum esset, ut Apostolicæ illius expeditionis rationem redderet, Romam pervenit, Nicolao jam mortuo, suffectoque in ejus locum Hadriano secundo; ut docent Acta SS. Cyrilli, & Methodii apud Hagiologos Antuerpienses Tom. 2. die IX. Martii. Hadriano autem successit Joannes VIII. an. 872., cujus extat epistola *ad Sfentopulcrum gloriosum Comitem* anno circiter 880. scripta. Is Sfentopluchus nepos erat Sfentopluchi senioris, ejusque successor, ut docent iidem Hagiographi Antuerpienses; estque ille, quem Annales Fuldenses ad an. 894. vocant Zuantblock Regem Marahensium, idest Moravensium Slavorum, & Constantinus Porphyrogenitus supra laudatus Sphendopluchum Principem Moraviæ appellat; huic enim tum Annales illi, tum Porphyrogenitus tres filios attribuunt. Ergo neque conversio Sfendopluchi senioris, quem annos 40. regnasse ait Diocleas, neque Concilium Delminum ab eo convocatum congruere potest cum ætate sive Stephani V. sive Stephani VI., quorum alter post primum sedis annum obiit anno 817., alter Pontificatum iniit anno 885., cum Sfendopluchus senior jampridem vivere desiisset. Huc adde, quod Constantinus, seu Cyrillus & Methodius sanctissimi fratres, Slavorum Apostoli, apud Bulgaros quidem & Chazanos & Moravos Evangelio operam dedisse leguntur; at Slavos Dalmatas ab avita superstitione ad Christi cultum avocasse, aut in Dalmatiam pedem intulisse nusquam in eorum Actis leguntur; in quibus scriptum invenio post Moraviam Christianis præceptis ac mysteriis imbutam, a Nicolao Pontifice Maximo Romam accitos esse, & Cyrillum quidem haud multo post diem suum obiisse, Methodium vero, Moravorum Archiepiscopus creatus cum esset, rediisse in Moraviam, qui deinde Poloniam etiam cum Borsivorio Duce Polonorum ad Christianam religionem traduxit. Demum Sfentopluchum seniorem principatum apud Moravos obtinuisse Scriptores omnes consentiunt, at qui ejusdem, vel Sfentopluchi junioris regnum ultra Dravum in Dalmatiam usque protulerit, præter Diocleatem Presbyterum, neminem invenio. Quocirca vereor, ut viris eruditis satis probari possit series illa Regum Slavorum, ex qua Presbyter suum Slavonicum Regnum contexuit; cui nixa cum sit divisio illa Chrobatiæ Albæ, & Chrobatiæ Rubeæ, hæc quoque in dubium vocari merito potest; præsertim cum opusculum illud multis mendis & anachronismis scateat, quorum omnium vel maximum illud est, quod Regnum Attilæ ab quinto sæculo infra nonum dejecerit; quippe cum Attilam æqualem fecerit Tomislavo, qui tertius a Svetoplecho regnum in Slavis obtinuit. Sed hæc alias, cum de Slavorum ætate ac rebus diserendum erit, in disquisitionem crisimque accuratam vocari oportebit; & quæ scripsit Diocleas de Regno Slavorum, ea partim abjudicari ac rejici debere, partim recipi, & cum historica veritate conciliari posse ostendemus. Cum vero Flavius Blondus scripserit Sveropilo regnante *factam esse quadripartitam illam Dalmatiæ divisionem, & hujus membrorum nomina ætate etiam sua in usu haberi testetur*; nisi velimus Blondi auctoritati ac testimonio fidem abrogare, fateamur necesse est superioribus quidem ante hunc Scriptorem ætatibus, incerto tamen tempore & auctore, factam esse illam Dalmatiæ partitionem, eidemque *Albæ Rubeæque Chrobatiæ* cognomina imposita, quæ adhuc viguisse affirmat, cum rem hanc ipsemet litteris mandabat. Cæterum ne ipse quidem Blondus diffitetur, suorum temporum moris fuisse, communique consuetudine receptum,

Diocleatis Anachronismus vel maximus.

septum, ut prætermissis *Albæ* & *Rubeæ* Chrobatię nocabulis, terrarum ille tractus citra montes vergens ad mare Dalmatia simpliciter, & sine ulla cognominum appositione dicatur; regio autem montana & mediterranea Chrobatia nominetur; Bosnam vero & Rasciam ad regnum, sive ad Reges Chrobatiæ pertinere ait: *Servat tamen ætatis nostræ consuetudo, ut ea omnia, Dalmatiæ quondam ora in superum mare vergens, Dalmatia, & quidquid ejusdem montes mediterraneaque fuere, Croatia nominetur; Rasciaque, & Bosna pro Regni Croatię regionibus habeantur.* Idem confirmat Andreas Dandulus: *Moderni autem maritimam oram vocant Dalmatiam, montana autem Croatiam.* Quæ quidem regionum & nominum distinctio nostris etiam temporibus viget, atque omnium litteris ac sermone usurpatur; etenim regio quidem cisalpina ac maritima Arsiam inter ac Drilonem, ut sæpe diximus, vulgo appellatur Dalmatia; regio autem transalpina ac mediterranea, qua respicit Occasum, Chrobatia, qua in Ortum spectat, Bosna dicitur; Rascia vero proprie dicta est pars Serbliæ vergens ad Meridiem.

Vigent hodieque nomina Dalmatiæ, Chrobatiæ, Bosnæ, Rasciæ.

§. III.

De bipartita divisione Dalmatiæ ad mare, & supra mare, sive Dalmatiæ Illyricæ & Italicæ.

PRopagatio nominis Dalmatici usque ad fluvium Athesim, vel etiam longius prolati bipartitam quamdam divisionem Dalmatiæ invexit, vulgo quidem ignotam, sed veterum tabularum, & multorum Scriptorum auctoritate firmatam. Nam Venetiam antiquam, itemque Carniam Cisalpinam olim appellatam fuisse *Dalmatiam supra mare* tum pervetusti codices, tum Flavius Blondus, Raphael Volaterranus, Leander Albertus, & alii plures confirmant; hodieque in Tabulis Curiæ Romanæ hanc regionem denominari *Dalmatiam supra mare* testatur Ferdinandus Ughellus tom. 5. Ital. Sacr. *Hanc ipsam regionem*, inquit, *Carolus Magnus, deleto Langobardorum dominatu, Dalmatiam supra mare appellavit: quod nomen in sacro Codice Fisci Apostolici adhuc retinet; vulgo Langobardicum Marchiæ Tarvisinæ nomen in ore est.* Huic Dalmatiæ Italicæ cognomen *supra mare* propterea impositum esse arbitror, ut distingueretur ab Illyrica, & vera propriaque Dalmatia, quæ quidem ut alteri Venetæ Italicæque Dalmatiæ proportione quadam cognominis respondeat, rite appellari potest *Dalmatia ad mare*. Hinc extitit bipartita illa Dalmatiæ divisio, de qua nunc agimus; altera quippe *ad mare*, altera *supra mare* Dalmatia fuit. Apte autem congruenterque ad naturam regionis suum utrique cognomen inditum est: quippe Dalmatia Illyrica citra montes inter Arsiam Drilonemque adjacet mari Adriatico, quemadmodum Strabo scripsit: *ad mare tota pene est Ardia*, idest Dalmatia; altera vero Dalmatia Carnica & Veneta, cum ex intimo sinus Adriatici recessu, quod est veluti maris ejusdem caput atque initium, Alpes versus paullatim se attollens, e superioribus locis quodammodo in mare immineat, hanc ipsam ob causam cognominata est Dalmatia supra mare. De hac secunda & recentiori Dalmatia, quæ hic adjiciam, plura suppetunt, cognitu quidem digna, sed, quod veterum litterarum luce careant, subobscura, & ad investigandum explicandumque adeo difficilia, nihil ut certi exploratique afferre possimus. De priore autem Dalmatia, quod huic loco addere necesse sit, nihil supereſt.

Carnia & Venetia dict. Dalmatia supra mare.

Dalmatia ad mare, Dalmatia supra mare.

Utriusque cognominis explicatio.

Laurentius Pignoria de Orig. Patav. pag. 80. & 151. tres Catalogos Provinciarum sive Episcoporum Christiani orbis, testes sane idoneos citat, in quibus Carnia & Venetia appellantur Dalmatia *supra mare*, unum e perantiquo Codice Bibliothecæ Vaticanæ descriptum, alterum ignoti Auctoris, tertium a Symphoriano Camperio Archiatro Ducis Lotharingiæ compositum. His adde Notitiam Ecclesiarum, Cœlestino III. Pontifice, intra finem duodecimi sæculi confectam, itemque alteram sæculi decimi quinti, ab Episcopo quodam Catharensi conscriptam; utramque Emmanuel Schelstratius vulgavit in Appendice ad tomum 2. Antiquitatis Ecclesiasticæ illustratæ. In his autem Patriarchatus Aquilejensis in Dalmatia supra mare collocatur. Extat apud nos exemplar cujusdam Romani codicis, qui videtur antiquior esse decimo tertio sæculo, & subest huic titulo: *Liber Taxarum Ecclesiarum & Monasteriorum;* itemque alterum alterius Codicis paullo recentioris, qui inscribitur: *Liber Taxarum omnium Ecclesiarum, & Monasteriorum totius Orbis terrarum, quam diligentissime ad exemplar Libri Sacri Collegii & Cameræ Apostolicæ emendatus.* In priori hæc leguntur: *In Dalmatia super mare Patriarcha Aquilejensis hos habet suffraganeos, Mantuanum &c.* In posteriori fere omnes Episcopatus Istriæ positi sunt *in Dalmatia Prov. Aquil.* Quare Aubertus Miræus in ea, quam ipse contexuit, Notitia Episcopatuum Orbis Christiani, in Dalmatia constituit Patriarcham Aquilejensem lib. 1. & lib. 2. *In Dalmatia*, inquit, *Aquilejensis Patriarcha, cui sunt suffraganei, Mantuanus &c.* Itaque more atque instituto Curiæ Romanæ jam inde antiquitus recepto, usus invaluit, ut in Tabulis Fisci Apostolici, quemadmodum Ughellus supra laudatus admonuit, Ecclesia & Provincia Aquilejensis in Dalmatia *supra mare* locaretur. Huc addas licet Notitiam Episcopatuum Orbis Christiani, sive Provinciale Romanum insertum *Chronico Chronicorum Ecclesiastico-Politicorum* Auctore Joanne Gualtero Belga, Francofurti in officina Aubriana edito an. 1644., in quo scriptum reperies: *In Dalmatia super mare Patriarchatus Aquilejensis cum suffraganeis 17. &c.* Idem docet Flavius Blondus: *Eam regionem quando Galliæ Cisalpinæ, quando transpadanæ Italiæ partem, quandoque Venetiam appellatam, Romana ecclesiæ monumenta esse volunt partem Dalmatiæ super mare;* & Raphael Volaterranus l. 4. Geog. *Secundam Italiæ transpadanæ partem Venetiam appellant, hodie vero Marchiam Tarvisinam . . . . . a Carolo autem Magno Dalmatia supra mare hæc pars appellata.* Idem etiam confirmant Leander Albertus, itemque Bernardinus Scardeonius de Antiqu. Patav. pag. 9. qui Blondum testem appellat: *Insuper auctore Blondo a Romana Ecclesia vocitata fuit Dalmatia supra mare, a vicinitate Dalmatiæ, quæ eidem mari Adriatico confinis est.* Nec mihi prætereundus est Baronius in Notis ad Martyr.: *Et sicut Romatiana civitas, sic etiam Dalmatica dicta est* (scilicet Aquileja) *& etiamnum subinde dicitur Stylo Romanæ Curiæ, & Dalmatia tractus circumjacens.* Hinc velim intelligas, quid significet principatus Dalmatiæ, quem Petrus Damianus in Vita S. Romualdi attribuit S. Petro Urseolo Venetorum Duci, cum nondum Dalmatia Illyrica Venetorum imperium subiisset: *Anno 977. Petrus cognomento Urseolus Dalmatici Ducatus gubernabat habenas;* quippe Petrus Urseolus secundus Primi filius, ut ait Dandulus, *Ducem Dalmatiæ se primitus nominavit.* Nimirum Dalmatia, cujus principatum adeptus est S. Petrus Urseolus, erat ipsa Venetia, quæ

Dalmatia supra mare dicitur Carnia & Venetia.

Cur S. Petrus Urseolus Dux Dalmatiæ dictus.

Digitized by Google

quæ vocari ſolebat Dalmatia *ſupra mare*, ſive Dalmatia Italica.

Sed quam certum eſt regionem illam, quæ pars fuit Italiæ, ſive Galliæ tranſpadanæ, cognominatam fuiſſe Dalmatiam *ſupra mare*, tam eſt difficile, vel ejus fines deſignare, vel hujus appellationis initia & cauſas evolvere, atque explicare. Carniam & Venetiam hujus Italicæ Dalmatiæ finibus comprehenſam fuiſſe convenit inter omnes; an vero etiam Iſtria eodem vocabulo contineretur, id in controverſia eſt. Hanc provinciam exemit Raphael Volaterranus, quippe Timavum amnem, ultra quem eſt Iſtria, Dalmatiæ hujus terminum conſtituit: *A Carolo autem Magno Dalmatia ſupra mare hac pars appellata eſt; termini ejus Atheſis uſque Timavum, qui ſupra Aquilejam fluit, in quo tractu Forojulienſes ſunt.* Præterea Notitia illa Eccleſiarum, quam ſub Pontificatu Cæleſtini III. conſcriptam ferunt, Iſtriam ſejunxit a Dalmatia *ſupra mare*, & Provinciam utramque nominatim diſtinxit, & ſuos utrique Epiſcopatus attribuit. Sed quæ his opponi queant, non deſunt vetera monumenta. Nam in utroque Codice, qui apud nos extat, inſcribiturque: *Liber Taxarum; In Dalmatia ſupra mare Patriarchæ Aquilejenſi ſubjiciuntur* Epiſcopi Iſtriæ, & in ſecundo diſerte additur *Parentinus in Dalmatia Prov. Aquil. Petenenſis in Dalmatia Prov. Aquil. Polenſis in Dalmatia Prov. Aquil. Emonenſis in Dalmatia Prov. Aquil.* Huc accedit, quod veriſimilius eſt Dalmatiam Italicam Illyricæ continuatam & junctam fuiſſe, quam interpoſitu, interjectuque Iſtriæ, alteram ab altera disjunctam; & cum in Italia non minus late pateat Dalmatia ſupra mare, quam Provincia Eccleſiaſtica Aquilejenſis, ut hujus metropolitico juri, ſic illius vocabulo Iſtria quoque ſubjecta fuerit neceſſe eſt.

An Iſtriæ etiam Dalmatiæ ſupra mare?

In hac controverſia quid meæ ſententiæ ſit antequam exponam, illud animadverti velim, haud ſecus Iſtriæ, quam Dalmatiæ vocabulum, in Carniam atque Venetiam olim dilatatum fuiſſe, & cognomen *ſupra mare* utrique ob eamdem cauſam appoſitum, quia nimirum tam Iſtria, quam Dalmatia Italica ſupra receſſum intimum, quod eſt veluti caput maris Adriatici, verſus Alpes ſe attollunt, ipſumque ſinum a Meridie ſubjectum e ſuperioribus locis deſpiciunt. Catalogi Eccleſiarum & Provinciarum fere omnes, quos ſupra laudavi, itemque Aubertus Miræus lib. 3. Notit. Epiſc. Patriarchatum Gradenſem conſtituunt *in Iſtria ſupra mare*, eique ſex omnino Epiſcopos ſubjiciunt, *Caſtellanum* ſeu *Venetum*, *Torcellanum*, *Equilenſem*, *Caprulanum*, *Clodienſem*, *& Civitatis Novæ*. In his autem nullus eſt Epiſcopatus, quin ad Venetiam pertineat, nullus eſt intra fines Iſtriæ proprie, quam ab Occidente Formio amnis, vel Timavus definiunt. Nec vero Gradenſem metropolim idcirco in Iſtria conſtitui dixeris, quod in ejus eſſent ditione Antiſtites Iſtrici; nam poſt divulſam Gradenſem ab Aquilejenſi Provincia, multæ quidem Gradenſi cum Aquilejenſi Patriarcha, & diuturnæ acerrimæque contentiones fuerunt, quod ſibi uterque Iſtriam vindicaret; ſed tandem anno 1179. in Concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. cum Henricus Dandulus Gradenſis, & Udaricus Aquilejenſis Patriarcha ſuam uterque cauſam ageret, jusque ſuum lite ac judicio perſequeretur, Iſtria adjudicata eſt Patriarchæ Aquilejenſi, qui exinde Eccleſias Iſtricas, nemine adverſante, in ſua poteſtate perpetuo retinuit. Totius controverſiæ tranſactæ compoſitæque Diploma datum *anno Dom. Incar.* 1180. *Pontif. D. Alexandri Papæ Tertii anno* XXI. *Indict.* XIII. *menſis Julii die* XXIV. Ferdinandus Ughellus Tomo quinto Ital. Sac. Patriarchis Gradenſibus inſeruit. Videtur autem poſterior eſſe uterque Liber Taxarum, qui apud nos extat, & certe poſterior eſt Notitia Eccleſiarum ſub Cæleſtino III. confecta; in his autem codicibus Patriarchatum Gradenſem *in Iſtria* ſuper mare collocatum invenio; ex quibus plane perſpicueque illud, quod nunc volumus, efficitur, maritimam Venetiæ partem, quæ ſuberat Patriarchæ Gradenſi, olim denominatam fuiſſe *Iſtriam ſupra mare*. Nec vero dubium eſt, quin Iſtria etiam Aquilejam cum univerſa Carnia, Venetiamque omnem comprehenderet, id quod vetuſtiſſima monumenta declarant. Epiſtolæ Synodicæ Concilii Romani habiti contra Monothelitas anno 679. Agathone Pontifice Maximo, quæ inſerta eſt Actioni quartæ ſynodi Sextæ Oecumenicæ, ſubſcripſere *Agatho minimus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Aquilejenſis Provinciæ Iſtriæ, Urſinus minimus Epiſcopus S. Eccleſiæ Cenetenſis Provinciæ Iſtriæ, Benenatus minimus Epiſcopus S. Eccleſiæ Opitergina Provinciæ Iſtriæ, Urſinianus minimus Epiſcopus S. Eccleſiæ Paduanus Provinciæ Iſtriæ, Paullus minimus Epiſcopus S. Eccleſiæ Altinenſis in Provincia Iſtriæ &c.* Viden, ut non ſolum Aquilejenſis, ſed etiam quatuor Epiſcopi Venetiæ, Cenetenſis, Opiterginus, Patavinus, & Altinenſis *Iſtriæ* Provinciæ adſcribantur; quamquam de Urſiniano dubitari poteſt fueritne Paduanus, an Petinenſis, ſive alterius Eccleſiæ Epiſcopus, cum ejus nomen abſit a Catalogo Antiſtitum Patavinorum. Quin etiam ſeculo ſuperiori Carniam & Venetiam Iſtriæ vocabulo donatam fuiſſe oſtendunt tres Epiſtolæ Pelagii II. ad Eliam Epiſcopum Aquilejenſem, qui propter irruptiones Langobardorum ad inſulam Gradum Sedem Metropoliticam tranſtulit, ejuſque ſuffraganeos Epiſcopos; ut docent inſcriptiones ſingulis præpoſitæ: *Dilectiſſimis Fratribus Eliæ, aliiſque Epiſcopis univerſis in Eccleſiæ Iſtriæ partibus conſtitutis. Dilectiſſimis Fratribus Eliæ, vel aliis Epiſcopis Iſtriæ. Dilectiſſimis Fratribus Eliæ univerſis Epiſcopis in Iſtriæ partibus conſtitutis.* Extant Epiſtolæ apud Baronium ad annum 586.

Carnia & Venetia Iſtria in Actis ſynodi, & in epiſtolis Pelagii Papæ attributæ.

Elias autem jure metropolitico non ſolum Iſtricis, ſed etiam Venetis, aliiſque Epiſcopis præerat. Gregorius Magnus Lib. 11. Epiſt. n. 46. in ſua ad Joannem Ravennatem Epiſtolam datam indictione decima, ideſt anno 592. *De cauſa*, inquit, *Epiſcoporum Iſtriæ &c.* Atqui ea cauſa communis erat Epiſcopis omnibus Provinciæ Aquilejenſis; omnes quippe tum Iſtriæ propriæ, tum Venetiæ, aliarumque regionum Epiſcopi, qui ſubjecti erant Metropolitæ Aquilejenſi, eodem Schiſmate implicati erant, & ob defenſionem trium Capitulorum, ab Eccleſiaſtica communione deſciverant. Demum Mauritius Imperator, ad quem per litteras confugerant Epiſcopi Schiſmatici orantes, ut auctoritatem ſuam apud Gregorium interponeret, ne quid moleſtiæ ab eo ſibi exhiberetur, in ſuis ad eumdem Gregorium litteris, illos omnes vocat *Epiſcopos Iſtrienſium Provinciarum*, & in extrema Epiſtola *Epiſcopos Iſtriæ ſeu Venetiarum*. Hinc celebre illud ſchiſma, quod Epiſcopi Provinciæ Aquilejenſis conflaverant, dictum eſt Iſtricum. Wigulejus Hundius apud Philippum Thomaſinum in monum. ſac. & prof. Iſtriæ in antiquis Tabulis ſe reperiſſe teſtatur, Veronam appellari alpinam Iſtriæ civitatem: *Aquileja hoc tempore Iſtriæ civitas dicta reperitur. Immo Hundius ex antiquis Chartophylaciis Veronam nominat alpeſtrem Iſtriæ urbem, quæ remotior eſt ab hodierna Iſtria, quam Aquileja.* Ferdinan-

item in Epiſtolis Gregorii Magni, & Reſcripto Mauritii Imp.

Patriarchatus Gradenſis in Iſtria ſupra mare.

Iſtria proprie dicta adjudicata Patriarchæ Aquilejenſi.

Verona civitas Iſtriæ, & Tridenti.

nandus Ughellus tom. 5. Ital. sac. de Patriarch. Aquil. Tridentum etiam Istriæ attributum fuisse existimat; & omnes Episcopales Sedes Aquilejensi obnoxias communi Istriæ vocabulo, Istriæque longe lateque prolatę finibus includere Veteres solitos esse tradit; *quod tamen*, inquit, *non ita intelligendum est, quasi omnes illę civitates, quarum nonnullę remotissimę ab Istria sunt, ut Verona & Tridentum, in Istria essent; sed id factum fuit ob reverentiam Patriarchatus Aquilejensis, cui subjectę jure Ecclesiastico erant illæ omnes Civitates.* Quare Pagius docet Istriæ vocabulo universam Aquilejensis Patriarchæ Provinciam comprehensam fuisse, sic prorsus, ut æque hæc, atque illa patuerit: *Aquilejensis metropolis amplissima erat jurisdictio, cum a Pannonia secunda usque ad Abduam in Insubria extenderetur. Continebat enim Rhętiam II. cujus Metropolis erat Sabio, ubi erat Episcopus S. Ingenuinus huic Synodo subscriptus; Noricum, cujus primaria urbs erat Tiburnia ad Dravum, ut patet ex Vita S. Severini Noricorum Apostoli, cujus urbis Leonianus Episcopus erat, subscripsitque Actis. Denique complectebatur Istriam, Foro-julium, & Venetiam, quę provincię uno Istrię nomine id temporis, ut in VI. Synodo appellabantur.*

Provincia omnis Aquilejensis Istriæ vocabulo subjecta.

Ego vero sic existimo hæc duo enunciata *Dalmatia supra mare*, & *Istria supra mare* fere synonyma esse, & eorum utrilibet regiones urbesque easdem subjectas fuisse, quas omnes ut veteres uno communique nomine designarent, alias unam, alias alteram appellandi formam adhibere consueverant. Id sane intelligi potest ex duplici illa apud Schelstratium Notitia, quam iterum ac sæpius laudavimus. Nam quas provincias prior Notitia sub Cælestino edita, partim Dalmatiæ, partim Istriæ *supra mare attribuit*, easdem secunda Episcopi Catharensis, Istriæ vocabulo prætermisso, Dalmatiæ *super mare* adscripsit. Præterea urbes easdem ecclesiasque subscriptio Agathonis Metropolitæ Aquilejensis, ejusque Suffraganeorum Antistitum epistolæ synodicæ Concilii Romani adjecta, & litteræ Pelagii & Gregorii Istriæ vocabulo subjiciunt; Catalogi vero plerique Episcopatuum, & scriptores supra laudati in Dalmatia supra mare easdem constituunt. Hoc tamen interest, quod in aliquibus Catalogis Istria *supra mare* in ipsam Dalmatiam Illyricam, *sive ad mare*, jus suum ac nomen protendat; in omnibus vero Patriarchatus Gradensis Dalmatiæ *supra mare* exemptus, in Istria *supra mare* collocatur. In ea quippe Notitia, cujus confectio ad Pontificatum Cælestini tertii refertur, una cum Gradensi Patriarchatu duo Archiepiscopatus Dalmatici, Jadrensis & Spalatensis in Istria supra mare positi esse dicuntur; reliquæ vero Dalmaticæ Ecclesiæ, posthabito Dalmatiæ nomine, *Sclavoniæ* assignantur. Hæc itaque Notitia quidquid Venetiæ, Carniæ, Istriæ propriæ, Dalmatiæque propriæ finibus continetur, tres in partes distribuit, videlicet *Dalmatiam supra mare*, in qua Patriarchatus Aquilejensis, *Istriam supra mare*, in qua Patriarchatus Gradensis cum Jadrensi, ac Spalatensi Metropoli, & *Sclavoniam*, in qua Ragusinus Archiepiscopatus. Altera Notitia, Episcopo Catharensi auctore, easdem Regiones, Istria omnino secluſa, bipartito divisit. *Dalmatiam supra mare*, quæ ab aliis intra fines Istriæ propriæ contrahi solet, in Dalmatiam Illyricam, sive *ad mare* usque ad Titium produxit, in eamque tres Provincias, Aquilejensem, Gradensem, Jadertinam inclusit. Reliquam ultra Titium Dalmatiam *Sclavoniam* vocat, eique tres itidem Archiepiscopales sedes attribuit *Spalatensem*, *Ragusinam*, *Antivarensem*. Utraque partem maximam Dalmatiæ Illyricæ ab Slavis olim advenis, sed jamdudum incolis, *Sclavoniam* appellavit. Sed uterque Liber Taxarum, quem apud nos extare diximus, Dalmatiæ quidem *supra mare* Aquilejensem, *Istriæ* vero *supra mare* Gradensem Patriarchatum adscripsit; at universam Dalmatiam Illyricam *Sclavoniæ* vocabulo, & provinciis Ecclesiasticis omnino quatuor, videlicet *Jadrensi*, *Spalatensi*, *Ragusina*, *Antibarensi* donavit. Quid quæris? Hæc varia earumdem regionum nominandarum, & dividendarum ratio fere non aliunde, quam vel e temporum diversitate, vel e conversione rerum publicarum, vel e scriptorum arbitrio pendet: hi quippe aut pro temporum ac rerum varietate, aut etiam pro suo arbitratu provincias easdem alias dilatant, alias contrahunt, alias aliis vocabulis afficiunt; & præterea, ut ait Thomasinus loco supra citato, *hæ regionum divisiones, & nominum mutationes ab eorum pendebant arbitrio, quibus parebant.* Illud hic adnotasse necesse habeo, postquam Provincia Aquilejensis in duas metropoles distracta est, Gradensis Patriarchatus, ejusque Ecclesiæ suffraganeę, quæ cæteroquin Dalmatiæ supra mare finibus continebantur, in omnibus fere Notitiis Istriæ *supra mare* adscribitur; sive quod Istriæ propriæ finitimus esset, sive ut distingueretur a Provincia Aquilejensi, cui Dalmatiæ *supra mare* cognomentum perpetuo inhæsit.

Dalmatia Illyrica citra Titium dicta Sclavonia.

atque etiam citra Titium.

Unde earumdem regionum varia appellatio.

Dalmatia supra mare & Istria supra mare synonyma.

Istriæ nomen in Dalmatiæ Illyricam prolatum.

Cæterum, quemadmodum supra dixi, ut Dalmatia, sic Istria *supra mare* e regionibus fere iisdem constat, & terminis fere iisdem circumscribitur; nisi quod Istria longius in Orientem prolata aliquando in ipsam Dalmatiam Illyricam suum nomen suamque vim significandi invexit; utroque autem vocabulo scriptores Ecclesiastici potissimum uti consueverunt ad designandam Provinciam Aquilejensem, quæ æque patuit, atque Dalmatia & Istria Italica *supra mare*. An vero quemadmodum Provincia Aquilejensis jure suo metropolitico, sic etiam Dalmatia & Istria *supra mare*, extra Italiam Ecclesias Rhętiæ ac Norici, ac Pannoniæ secundæ, suo vocabulo complecterentur, mihi non satis liquet. Pagius postquam scripsit amplissima Aquilejensis metropolis jurisdictione Noricum, Rhætiam, Istriam, Foro-julium & Venetiam contineri, *has provincias* ait *uno Istriæ nomine id temporis, ut in* VI. *Synodo, appellatas fuisse*. Utut hoc sit, certe hæc tria vocabula, qua ad Italiam pertinent, *Dalmatia supra mare*, *Istria supra mare*, *Provincia Aquilejensis*, pro Synonymis habeamus licet; Provinciæ tamen Aquilejensi, & Dalmatiæ *supra mare* urbes aliquot Venetiæ maritimæ detrahas oportet, quæ in jus ditionemque Patriarchatus Gradensis in Istria supra mare constituti transierunt.

Provincia Aquilejensis Italico æque patens atque Istria & Dalmatia supra mare.

Jam vero, ut quæ supra pollicitus sum, paucis expediam, & de Istria propria, quam Volaterranus ab Dalmatia *supra mare* sejunxit, quæ mea sit opinio, breviter explicem. Censeo equidem Dalmatiæ *supra mare* Istriam quoque adjungendam esse. Si enim Dalmatia *supra mare*, & Istria *supra mare* sunt synonyma, quæ sub diversis vocibus fere idem significant; & ad Italiam quod attinet notio utriusque propemodum æque patet; Istria propria ut pars erat Istriæ supra mare, sic Dalmatiæ supra mare pars fuerit oportet. Idem confirmat codex Provincialis Romani apud Joannem Gualterum, & Liber uterque Taxarum apud nos existens, qui ecclesias Istricas Emonensem, Polensem, Parentinam, Petinensem, Justinopolitanam Dalmatiæ supra mare, & Provinciæ Aquilejensi attribuunt;

Digitized by Google

buunt; idem ſuadet conjectura haud improbabilis, qua fit verisimilius, Dalmatiam ſupra mare cum Dalmatia Illyrica conjunctam fuiſſe, quam intermedia Iſtria interruptam ac disjunctam; & præterea cum Dalmatia *ſupra mare* Italica, & Provincia Aquilejenſis iiſdem terminis definiantur, quemadmodum hujus poteſtati metropoliticæ ſubeſt, ſic illius vocabulo contineatur Iſtria proprie dicta oportet.

Finet & Deſcriptio Dalmatiæ ſupra mare.

Itaque Dalmatia *ſupra mare* ab Oriente, unde incipit Iſtria propria, indidem initium ducebat, videlicet ab Arſia flumine, Iſtriamque ipſam, Cariniam & Venetiam complectebatur, mari et alpibus interjecta. Auctoritas autem unius Epiſcopi Catharenſis, qui in ſua Notitia Dalmatiæ *ſupra mare Archiepiſcopatum Jadrenſem* adſcripſit, cæteris diſſentientibus, mihi tanti non eſt, ut ejuſdem Italicæ Dalmatiæ fines ultra Iſtriam Italiæ terminum proferendos exiſtimem. Sed quatenus in Occaſum Dalmatia ſupra mare fines ſuos protenderet, non ſatis conſtat. Venetiam, quæ pars eſt Dalmatiæ hujus Italicæ, Jornandes & Paullus Diaconus uſque ad Abduam producunt, ſed alii Olio, alii Mincio, alii autem Atheſi definiunt. Ego vero Dalmatiam ſupra mare iiſdem ab Occaſu terminis coercendam cenſeo, quibus Provincia eccleſiaſtica Aquilejenſis in Italia terminabatur; nam uſus fere omnis hujus vocabuli Dalmatici, quod apud Scriptores rerum civilium vix reperies, in Tabulis eccleſiaſticis Eccleſiæ Romanæ receptus, potiſſimum ad deſignandam metropolitæ Aquilejenſis Italicam Provinciam refertur; hujus autem terminus Occidentalis inter Mincium Atheſimque conſtitui poteſt, quippequæ Dioeceſes Veronenſem, itemque Mantuanam comprehenderet. Quamvis autem Metropolis Aquilejenſis inde uſque ab antiquis temporibus in ſua ditione habuerit Eccleſiam Comenſem, hæc tamen inter Inſubres poſita cum eſſet, & duorum Epiſcopatuum Brixienſis, & Bergomatis interjectu ſejuncta, nequo ad Venetiam, neque ad Dalmatiam ſupra mare pertinebat. Haud enim raro eccleſiaſtica regionum deſcriptione ita comparatum eſt, ut Epiſcopi ac Metropolitæ extra præſcriptos ſeu dioeceſcos ſeu Provinciæ fines, in Parochias eccleſiaſve longiſſime disjunctas ſuam Epiſcopalem ſive Metropoliticam juriſdictionem extendant. Quapropter ut Provinciæ Aquilejenſi, ſic Dalmatiæ ſupra mare adimas oportet, quidquid antiquæ Venetiæ ultra Mincium in Abduam uſque procurrebat.

Hactenus de finibus Dalmatiæ *ſupra mare*. Nihilo facilius & expeditius eſt initia cauſaſque hujus appellationis inquirere & explicare. Huic regioni, quam modo deſcripſimus, nomen Dalmatiæ ſupra mare alii a Carolo Magno, alii ab Eccleſia Romana impoſitum tradunt. Hujuſmodi appellationem improbat Flavius Blondus, veluti inſcite ac temere, & nulla ratione invectam; *ut nihil abſurdius potuerit excogitari; cum nulla ex parte Dalmatia ad hujus regionis fines umquam pervenerit*. Non deſunt tamen, qui rationes non improbabiles afferant, quamobrem Iſtria, Carnia, & Venetia appellatæ fuerint Dalmatia *ſupra mare*. Leander Albertus exiſtimat id nominis excogitatum, inditumque fuiſſe hiſce regionibus, ut vocabula illuc a Langobardis invecta, Regnique Langobardici memoria omnis aboleretur. Bernardinus Scardeonius hujus appellationis cauſam ex propinquitate Dalmatiæ repetendam eſſe exiſtimat; hinc enim factum fuiſſe cenſet, ut tres illæ Italicæ regiones, quæ propius abſunt a Dalmatia, ex ea commune vocabulum adſciſcerent, ſub quo jungerentur, unamque Provinciam Eccleſiaſticam componerent.

Cur Iſtria, Carnia, & Venetia appellatæ ſint Dalmatia ſupra mare.

Dalmatiæ Italicæ, poſt extinctum Regnum Langobardorum, a Carolo Magno, ſive a Romana Eccleſia & fines longius prolatos, & cognomen ſupra mare appoſitum fuiſſe, quo ab Illyrica Dalmatia diſtingueretur, haud invitus aſſenſerim; ſed Dalmatici nominis in Italiam illati propagatique epocham Carolo Magno Imperatore & ſeculo octavo antiquiorem eſſe arbitror: id quod ante nos animadverterat Laurentius Pignoria, cum ſcripſit Tabulas ab ſe citatas, & præſertim Codicem Vaticanum, in quibus mentio facta eſt Dalmatiæ Italicæ, videri ſibi longe ætate antecedere Imperium Caroli Magni. Quod Pignoria ſuſpicatus eſt, id apertiſſime declarant Acta primæ Synodi Arelatenſis habitæ anno quarti ſeculi decimo quarto, quibus ſubſcripta invenies nomina Epiſcopi Aquilejenſis, ejuſque Diaconi, & Provinciam Dalmatiæ utriquæ adjunctam: *Theodorus Epiſcopus, Agathon Diaconus de civitate Aquilejenſi, & Provincia Dalmatia*. Hujus ſubſcriptionis hanc vim eſſe, ut ſignificet urbem & Epiſcopalem ſedem Aquilejenſem in Dalmatia ſitam fuiſſe, nullus opinor negaverit: utrum autem temporibus illis hæc provincia Dalmatica Carnorum finibus circumſcripta eſſet, an Iſtriam quoque Venetiamque complecteretur, ex illa ſubſcriptione dignoſci nequit; & certe, ſi vera illorum eſſet opinio, qui negant Epiſcopum Aquilejenſem jure ac nomine Metropolitico antea potitum fuiſſe, quam ſeculum quartum in exitum vergeret, Provincia illa Dalmatica non eccleſiaſtica, ſed civilis fuerit neceſſe eſt. Idem confirmat vetus inſcriptio, quæ Venetiis extat in Baſilica Marciana ad latus dexterum aræ maximæ, inſculpta in fornice ſuperjecto januæ, unde via eſt ad proximas ædes Canonicorum. Duæ inibi viſuntur effigies pictæ opere muſivo, altera Eliæ Aquilejenſis Epiſcopi, altera Pelagii II. Pontificis Maximi, qui paginam manu tenet his verbis inſcriptam: *Quia juſtis petitionibus tuis venerande frater contradicere nequimus, per noſtri privilegii ſeriem cõfirmamus Caſtrum Gradenſe Metropolim totius Venetiæ, Iſtriæ, atque Dalmatiæ*. Eliæ vero hoc carmen appoſitum eſt: *Metropolim regito Pater eſſe Gradum Venetorum*. Elias Aquilejenſem Pontificatum adeptus anno 571. cum ſe haud tuto Aquilejæ inter Langobardos infenſiſſimos Religionis Catholicæ hoſtes conſiſtere poſſe animadverteret, ſedem Pontificiam ex illa urbe translatam, in inſula oppidoque Gradenſi collocare ſtatuit; quod cum ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ neque rite, neque legitime fieri poſſet, Romanum Pontificem per litteras rogavit, ut ipſe hujuſmodi translationis auctor approbatorque fieret. Eccleſiæ tum præerat Pelagius hoc nomine ſecundus, qui paullo ante in locum Benedicti ſucceſſerat. Is porro, ut inter initia ſui Pontificatus ſibi conciliaret, revocaretque ad obſequium Principem illum ſchiſmaticorum, quos obſtinata trium Capitulorum defenſio ab eccleſiaſtica communione diſtraxerat, Eliæ poſtulatis propenſo animo indulgens, eam translationem rite approbavit, idque teſtatum eſſe voluit Apoſtolicis litteris, in eam ſententiam honorificentiſſime ſcriptis ad Eliam, quem Patriarchæ titulo exornat. Ergo Elias Provincialibus Epiſcopis ad Concilium convocatis apud Gradum an. 579. III. Kal. Novemb. in eo Conventu litteras Pontificias ſibi per Laurentium Presbyterum Legatum Sedis Apoſtolicæ allatas recitari juſſit. Sub earum lectionem univerſi Epiſcopi fauſtis acclamationibus Pelagium proſecuti, uno omnes ore conſenſuque mirifico, ſedis Aquilejenſis translationem com-

Dalmatici nominis in Italiæ propagati initium non a Carolo Magno, ſed multo altius repetendum.

De ſede Aquilejenſi Gradum translata.

Concilium Gradenſe, in quo ſedis tranſlatio auctore Pelagio Pontifice approbatur.

Digitized by Google

comprobatum, Gradensem totius provinciæ Metropolim fore in posterum declaravit; quæ ob eam causam nova Aquileja vocari cepit, ejusque Metropolita ex utraque urbe cognominari, ut constat ex Epistolis S. Gregorii ad Severum, quem modo Aquilejensem, modo Gradensem Episcopum appellat. Huic Translationi fidem & auctoritatem adjungit insigne illud monumentum Venetiis in Basilica S. Marci, de quo supra dictum est, cum adjecta epigraphe, quam paulo ante descripsi. In hac igitur Marciana inscriptione, dum Dalmatia distinguitur ab Istria pariter Venetiaque, Dalmatiæ vocabulo nihil aliud comprehendi videtur, nisi Carnia Timavo & Liquentiæ fluminibus interjacens: neque enim id vocabulum referri potest ad Dalmatiam Illyricam, quippe cum temporibus illis jurisdictio Metropolitica Patriarchæ Aquilejensis seu Gradensis contineretur intra flumen Arsiæ, quod Istriam a Dalmatia sejungebat; neque ante sæculum duodecimum jus primatiale in Archiepiscopatum Jadertinum idem Patriarcha obtinuit. Cæterum verisimilius esse arbitror vocabula Istriæ ac Dalmatiæ tamquam synonyma ibidem usurpari, & tam illo, quam hoc, Istros proprie dictos simulque Carnos significari, nam utrique vim eandem notionemque inesse ex eo intelligi potest, quod in aliquibus apographis ejusdem Synodi Gradensis dicitur Elias *Episcopatus aliquot constituisse intra Forojulienſium & Istriæ sive Dalmatiæ partes*, ubi diversis chorographicis vocabulis eædem regiones Istrorum pariter Carnorumque subjiciuntur. Idcirco autem *Istriæ & Dalmatia* nominatim attribui dicuntur Eliæ Metropolitæ Aquilejensi, quia hæc Provincia modo Istriæ, modo Dalmatiæ cognomine affici solebat. Idem censeas existimo de vocabulo Venetiæ ibidem adjecto, cui eadem, ac duobus illis Istriæ & Dalmatiæ, significatio subjecta est. Fateor equidem tum Actis Synodi Gradensis, tum Litteris Pelagii, quibus nititur inscriptio Marciana, quædam opponi posse, quæ & Concilii & translationis hujus historiam in dubium ac suspicionem adducunt; præsertim cum multis locis inter se discrepent varia eorum Actorum exemplaria. Sed cum quidquid est discrepantiæ ad Librariorum inscitiam vel incuriam referri queat, & argumenta, quæ rerum illarum gestarum veritatem in aliquod discrimen conjicere videntur, non improbabili ratione dilui ac refelli possint; nihil profecto est, cur vel synodo Gradensi, vel diplomati Pontificio fidem & auctoritatem derogandam putemus. Præterquamquod cum Andreas Dandulus testetur Acta hujus Concilii in *authenticis & vetustissimis codicibus* reperiri, & eorumdem Actorum exemplar Tiberius Diaconus & Oeconomus Ecclesiæ Gradensis recitaverit in Synodo Mantuana anno 827. sua illis fides & auctoritas constare debet, ex cujus possessione multarum ætatum consensu firmata depelli non possunt, nisi eadem falsa & commentitia esse evidentissimis argumentis convincantur. Sed utcumque seu vera, seu conficta sint Acta synodi Gradensis, ex illis tamen, quod volumus, efficitur, nempe ante Carolum Magnum usu receptum fuisse, ut decima Italiæ Regio vel tota vel aliqua ex parte Dalmatiæ nomine appellaretur; nequit enim dubitari, quin historiam ejus Concilii, & translationis qui scripsit vel confinxit, vocabulis illis Geographicis usus fuerit, quæ per id temporis vulgo adhiberi solebant. Constat autem Acta illa una cum Pontificio Decreto, seu vere, seu falso litteris consignata esse ante Imperium Caroli Magni; nam Dandulus testatur illa Acta *in vetustissimis codicibus reperiri*, & Tiberius Diaconus eadem ex *archivo* Ecclesiæ Gradensis depromta protulit in Concilio Mantuano, quod celebratum fuit annis haud amplius tredecim, postquam Carolus Magnus diem suum obierat. Si autem ex tabularis Gradensibus prolata sunt, haud paucis ante Carolum Magnum ætatibus ibidem condita fuerint necesse est. Neque enim Patres Concilii Mantuani fidem illis Actis tamquam ad eam diem ignotis, & quasi recenter confictis derogarunt; sed aliis gravissimisque de causis Ecclesias Istricas, de quibus erat controversia, Maxentio Patriarchæ Aquilejensi adjudicarunt. Porro qui post aliquot sæcula inscriptionem illam in æde Marciana insculpendam curavit, is haud dubie vocabula illa *Venetiæ, Istriæ, Dalmatiæ* ex aliquo antiquo apographo Concilii & translationis Gradensis mutuatus est; quamvis in illo exemplari, quod extat apud Dandulum, Dalmatiæ nulla fit mentio, sed Venetia solum & Istria nominentur. Quare cum ex inscriptione Marciana, tum vero potissimum ex Actis Synodi Arelatensis, clare & perspicue intelligitur ante sæculum octavum Istriam & Carniam, aut certe Carniam Dalmatiæ vocabulis appellari cepisse, hujusque appellationis auctorem habendum non esse Carolum Magnum, quamquam is fortasse fines Dalmatiæ Italicæ amplificaverit, eique & Venetiam adjunxerit, & cognomen supra mare indiderit; nisi forte id Ecclesiæ Romanæ adscribi placeat, quæ universam ditionem Italicam Metropolitæ Aquilejensis ex Istria, Carnia, & Venetia mediterranea conflatam vocari jusserit Dalmatiam supra mare, aut certe hanc appellationem sua auctoritate, suoque exemplo firmaverit, vel sanciverit.

Interpretatio Inscriptionis Marcianæ.

Istria ac Dalmatia idem significant, itemque Venetia.

Inscriptio Marciana, Litteræ Pelagii, & Concilii Gradensis in dubium vocantur.

Litteræ Pelagii, & Concilii Gradensis in Synodo Mantuana an. 827 lectæ sunt, neque improbatæ.

Nomen Istriæ ob eam causam toti Provinciæ Aquilejensi commune factum esse ajunt, quod primi omnium Antistites Istrici ad jus ditionemque accesserint Episcopi Aquilejensis, e quibus hæc Provincia Ecclesiastica coaluit; vel certe quod initio Istria propria pars esset major & præcipua, quæ jurisdictione Metropolitica ejusdem Episcopi contineretur; *idque factum fuisse*, ait Ughellus, *ob reverentiam Patriarchatus Aquilejensis, cui subjectæ jure Ecclesiastico erant illæ omnes civitates*, scilicet Istrorum. At nullam invenies in universa Dalmatia Illyricam Ecclesiam, quæ unquam paruerit Metropolitæ sive Patriarchæ Aquilejensi; ex qua nomen Dalmatiæ Aquilejensium Metropoli ac Provinciis obvenerit. Quidnam esse igitur causæ dicemus, quamobrem Veteres Aquilejam, &, quæ huic jure ecclesiastico suberat, decimam Italiæ regionem Dalmatiæ vocabulo impertierint? Hic mihi aqua hæret, ut ajunt; neque scio quid dicam, aut quid conjectem. Si tamen de posterioribus superiorum temporum conjecturam facere liceat, quemadmodum post declinationem Imperii, Illyricum occidentale fere totum in jus nomenque Dalmatiæ migravit, id quod superiori capite §. 4. demonstratum est, ita sub initium Romanæ Monarchiæ, quidquid tum erat juris ac nominis Illyrici, ab Dalmatis nomen sic accepit, ut antiquo Illyrici vocabulo retento, *Illyricum & Dalmatia*, pro synonymis usurparentur. Cum enim gens & provincia Dalmatica totius Illyrici præstantissima semper habita fuerit, haud mirum videri debet, si quod erat proprium unius regionis Illyricæ nomen, cæteris factum sit commune; cum ex nobiliori parte unaquæque res appellari spectarique soleat. Hoc vero ut planius explicem, & quo mea spectat conjectura, pedetentim progrediar; tem paulo altius repetere, & quæ alibi diximus, huc revocare oportet.

Ratio cur Provincia Aquil. jussit sibi potuerit imm.

Illyricum & Dalmatia pro Synonymis habita.

Ante

Digitized by Google

Illyricum ante & post Augustum fines.

Ante Imperium Augusti nomen Illyricum Carnos, Istros, Liburnos, Dalmatas, & Illyrios proprie dictos complectens, Drilonem inter ac Liquentiam continebatur. Namque Carniam cisalpinam ad Illyricum pertinuisse auctor est Appianus in Illyr. qui Codropolim Carporum urbem vocat *oppidum Illyricum*; eratque is terminus, quem Octavius Cæsar, & M. Antonius, post M. Lepidum Triumviratu expulsum, coactumque in ordinem, distributis inter se Romani orbis provinciis, utriusque ditioni constituerant: *Cæsar & Antonius totum Romanum imperium inter se denuo partiti sunt, fecerunt que terminum utriusque ditionis Codropolim oppidum Illyricum, quod videbatur situm in intimo sinu Adriatico*. Neque assentior Ferrario, qui Codropolim collocat in confinio Illyrici & Macedoniæ apud Lissum, quam urbem Livius Codrionem appellat; nam ejus positio repugnat; quippe cum longissime absit ab intimo sinu maris Adriatici, quem Veneti & Carni circumcolunt, ad quem sinum Appianus Codropolim apposuit; & quamvis oppidum illud Carnicum millia passuum circiter viginti ab recessu intimo sinus Adriatici distet, tamen quia positum erat in Carnia Cisalpina, quæ ad mare vergit, recte locatum est ab Appiano ad sinum intimum ejusdem maris, cui adjacet Venetia, pariter & Carnia maritima: nunc idem oppidum vulgo dicitur *Codroipo*. Post prælium Actiacum, & devictum Antonium; Cæsar Octavianus Augustus rerum omnium potitus, cum ad describendas ordinandasque imperii Romani provincias se totum contulisset, anno ante Christum circiter quadragesimo ex Illyriis propriis, Dalmatis, ac Liburnis unam Illyrici totius provinciam confecit, ejusque fines in Septemtrionem ultra montes usque ad Savum propagavit; quam quidem *Dalmatiæ* vocabulo appellari jussit, non tamen jure ac nomine Illyrico exemit. Hinc factum est, ut Dalmatia & Illyricum pro synonymis haberi ceperint; & eadem provincia apud Scriptores illorum temporum, Augustique ætati suppares, modo Dalmatia, modo Illyricum vocaretur; id quod ex Plinio cognosci licet, qui Vespasiano imperante floruit: *Quæ pars ad mare Adriaticum spectat, appellatur Dalmatia & Illyricum*. Vide cap. 3. §. 3. Præterea Augustus avulsit ille quidem ab Illyrico Istros & Carnos, eosque jure ac nomine Italico donatos, in decimam Italiæ regionem conjecit; sed efficere non potuit, quin utraque illa regio, quamvis in numerum Italicarum regionum translata, & vulgari sermone, & litteratorum hominum scriptis Illyricum ex antiquo more atque instituto nominaretur. Nam usus appellandarum regionum, ubi semel populari consuetudine invaluit, & multarum ætatum possessione gaudet, haud facile Principum decretis, sive auctoritate publica antiquari potest. Vulgus enim ab consuetudine loquendi antiquitus recepta & inveterata vix aut ne vix quidem avelli potest; & vetustissimis, quibus assuevit, vocabulis res locosque appellare solet; & quamquam invitis decretis tabulisque publicis ac repugnantibus, vocitare perseverat. Strabo lib. 7. ab ea, quam Augustus fecit, provinciarum partitione admodum recens, Istriam Illyrico adscripsit, cum *primos in Illyrici ora maritima Istros* posuit, quamvis statim lectores de variatione finium ac regionum admoneat; *principesque nostros*, inquit, *hodie Italiæ fines ad Polam usque Istriæ urbem protulisse* diximus. Idem lib. 5. cum Aquilejam vocat *Emporium Illyricarum gentium*, videtur eam Illyrico attribuere. Herodianus lib. 8. in Maximin. annis fere ducentis posterior, fines Illyrici in Carniam produxit; quippe qui Aquilejam *quasi terminum Illyriæ* esse dixit. Sed quod rem nostram propius attingit, Basilius Magnus sæculo quarto jam labente litteras ad Valerianum Episcopum Aquilejensem datas inscripsit *Valeriano Episcopo Illyricorum*, sive ut in aliis codicibus legitur Οὐαλεριανῷ Ὀυαλεριανῷ Ἐπισκόπῳ Ἰλλυρικῶν. *Valeriano Episcopo Illyrici*. Legitur Carnia intra finem quarti sæculi adhuc Illyrici nomen retinebat, & Antistes Aquilejensis Illyriorum sive Illyrici dicebatur Episcopus.

Illyricum & Dalmatia pro Synonymis Augusto imperante haberi cœpta.

Lib. 3. c. 25.

Istria & Carnia quamvis ab Illyrico avulsæ, non tamen Illyrici vocabulo appellari desierunt.

Liv. Dec. 4. lib. 1.

Jam vero, cum jam inde ab Augusti ætate Illyricum & Dalmatia pro synonymis haberi cepissent, exinde accidit, ut quidquid erat dicique solebat Illyricum, idem Dalmatiæ censeretur esse; & vulgo homines, qui minus distincte accurateque loquuntur, alterum pro altero nomen usurparent, Dalmatiæque vocabulo ad Istriam & Carniam regiones, Italicas illas quidem ex Augusti decreto, sed ex veteri appellatione in ore hominum ac litteris vigente adhuc Illyricas, designandas abuterentur. Cum ergo post Augustum Istria & Carnia nomen Illyrici vulgo retinuissent, promiscua illa Illyrici & Dalmatiæ appellatio, quemadmodum Illyrici, sic Dalmatiæ nomen Istris & Carnis commune fecit, ita prorsus, ut eædem utrique vocabulo regiones subjicerentur; neque unam, quam alteram citra montes, aut longius ab Ortu in Occasum procurreret, aut contractioribus ab Occidente limitibus finiretur. Hæc synonymia valuit deinceps apud posteros, atque adeo ex vulgari usu loquendi irrepsit in tabulas publicas, scriptaque doctorum hominum; & Antistes Aquilejensis, qui ab aliis dictus est Episcopus *Illyrici*, idem ab aliis vocatus est Episcopus Dalmatiæ; id quod docet tum titulus Basilianæ epistolæ ad Valerianum Episcopum *Illyrici*, tum subscriptio Theodori Episcopi, *de civitate Aquilejensi provincia Dalmatia*. Ac nomen quidem Illyrici posterioribus ætatibus in utraque regione paullatim exsolevit, at Dalmatiæ vocabulum in sua possessione permansit, vigebatque sexto sæculo, ut declarat inscriptio Marciana Pelagio II. Pontifici Maximo apposita, quæ non aliunde, quam ex Actis Synodi Gradensis eo sæculo celebratæ, videtur esse desumpta. Nomen vero Dalmatiæ, quod Istria & Carnia ante initium æræ vulgaris adeptæ cum essent, numquam deinde prorsus amiserunt, vel Carolus Magnus, vel Ecclesia Romana ratum esse jussit, & suo exemplo, suaque auctoritate comprobavit, idemque amplificavit, & commune voluit esse non solum Istriæ, & Carniæ, sed etiam Venetiæ, idest universæ, provinciæ Italicæ Aquilejensis Patriarchæ, quæ potissimum in tabulis ecclesiasticis appellata est *Dalmatia*, cuique adjectum fuit cognomentum *supra mare*, quo ab Illyrica Dalmatia distingueretur. Hactenus de Dalmatia *supra mare*, quæ cum ad rationem instituti operis non pertineat, ad nostram Illyricamque Dalmatiam calamum ac sermonem revocemus.

Carnia & Istria modo Illyricum, modo Dalmatia promiscue dictæ.

§. IV.

Divisiones Dalmatiæ hodiernæ.

Dalmatia hodierna multiplex divisio.

DAlmatia hodierna, quæ est *regio maritima*, ut Thomas Archidiaconus Hilt. Salon. cap. 1. docet, *incipiens ab Epiro, ubi est Dyrrhachium, & protenditur usque ad sinum Quarnarium*, quo Istria ab Oriente alluitur, multifariam dividi solet. Celebris est, & perantiqua divisio Dalmatiæ superioris, & inferioris, quam Presbyter Diocleates, & Thomas Archidiaconus commemorant, usuque etia-

Digitized by Google

etiammum viget, non ſolum eruditorum hominum litteris tradita, ſed publicis etiam tabulis conſignata & comprobata. Dalmatia ſuperior ea eſt, quæ in Orientem converſa Titio ac Drilone fluminibus continetur; Inferior vergit ad Occidentem, eamque amnes itidem duo Titius, & Arſia definiunt. Hanc Dalmatiæ bifariam dividendæ, duplicique vocabulo diſtinguendæ rationem ad Romanos auctores referendam cenſeo, qui duas partes Illyrici maritimi cum feciſſent, alteram *Superius*, alteram *Inferius* Illyricum appellarunt: ut docet Lapis Epidaurius apud Gruterum, cujus inſcriptio allata eſt a nobis parte prima Prolegomenon cap. 5. §. 4. Superius quidem Illyricum Dalmatiæ ſuperiori, inferius vero inferiori reſpondet, ut ibidem declaratum eſt. Hoc in more poſitum inſtituroque Romanorum fuiſſe animadverti, ut, cum regiones bipartito dividerent, & ſuperiorum atque inferiorum vocabulis diſtinguerent, quæ pars ad Occaſum vergebat, eam ſuperiorem, quæ vero in Ortum ſpectabat, eam inferiorem plerumque cognominarent. Ad hunc modum & diviſam eſſe, & denominatam utramque Pannoniam, & Mæſiam utramque invenio. Contra vero Illyrici bifariam diviſi quod Occidentale erat, *Inferius*, quod Solem orientem reſpiciebat, *Superius* vocarunt. Cujus quidem rei cum cauſam quærerem, quidnam eſſet, cur in dividundo nominandoque Illyrico, ab ſua conſuetudine Romani deſciverint, ex his duabus cauſis alterutram fuiſſe reperio, aut mihi reperiſſe videor; quod quæ pars cujuſque regionis vel prior venerat in poteſtatem Romanorum, vel prior ex urbe Italiaque profectis occurrebat, ea *Superior* a Romanis dici & haberi ſoleret; alteram vero partem, in quam deinde vel imperium Romani protuliſſent, vel progrediendo ſuccederent, qui ex Italia Romaque diſceſſerant, *Inferiorem* appellabant. Poſterior autem ætas rectius fortaſſe & aptius, quæ olim ſuperior fuit ſeu Pannonia, ſeu Mæſia, eam *primam* dixit, *ſecundam* autem, quæ antea vocabatur inferior. Quare Romanos nullam cœleſtium plagarum, quibus quæque regio obverſa eſſet, rationem habuiſſe cenſeo; neque Geographorum conſuetudinem imitari voluiſſe arbitror, qui regiones cum deſcribunt, ab Occaſu in Ortum deſcribendo progrediuntur. Porro Mæſia ſuperior haud dubie & prius a Romanis ſubigi cœpit, & propius aberat ab Italia, quam Mæſia inferior. Satis conſtat cum Rhætis antea Noricisque, quam cum Pannoniis debellatum eſſe. Norico autem finitima erat Pannonia ſuperior ſive Occidua, in quam victores Romanorum exercitus e Norico tranſgreſſi, prius ſigna & arma inferrent oportuit, quam in alteram Pannoniæ partem protenderent, quæ ad Solem orientem ſpectabat. At vero Illyricum proprium, quæ Illyrici regio eſt Ortum proſpectans, inde uſque ab altero ante Chriſtum ſæculo, poſt devictum Gentium Regem Illyriorum poſtremum, Anicius Prætor in deditionem populi Romani redegerat; cum reliquæ Illyrici partes magis ad Occaſum declives proximo ante Chriſtum ſæculo primum cœperint ad Romanum imperium adjungi. Præterea cum Romani ex Italia & Brunduſio exercitus in oram adverſam trajicere conſueſſent, & maritimo breviori, magiſque expedito, quam terreſtri, in Illyricum itinere libentius & crebrius uterentur, hæc regio Illyrici in Ortum ſpectans prima erat, quæ illos ex urbe Italiaque advenientes exciperet; eaque ex hac parte propius aberat ab Italia; inde autem Occaſum verſus progreſſi alias deinceps urbes regioneſque obibant, quæ Solem occidentem adſpiciunt.

Dalmatia ſuperior & inferior.

Mos Romanorum regiones dividendi in duas partes inferiorem & ſuperiorem.

Cur pars Illyrici Orientalis ſuperior, Occidentalis inferior dicta.

Habes igitur cauſam, neque illam quidem, niſi mea me fallit conjectura, omnino improbabilem, cur Romani, cum Pannoniam & Mæſiam, quæ Occaſum reſpicit, ſuperiorem dixerint; eamdem, qua proſpectat Orientem, vocaverint inferiorem; Illyricum autem ordine inverſo, Occidentale quidem inferius, Orientale autem ſuperius appellaverint. Hæc autem regio univerſa inter Arſiam ac Drilonem, cum jam inde ab Auguſto Imperatore Dalmatia nominari cœperit, poſterioribus ætatibus ſub vocabulo Dalmatiæ, eamdem omnino, quam Romani antea fecerant Illyrici, bipartitam diviſionem ſubiit, eamdem diſtinctionem nominum, eumdemque ordinem retinuit; & Titii interſectu bifariam diviſa cum eſſet, quæ pars in Ortum uſque ad Drilonem porrigitur, dicta eſt ſuperior, pars altera, quæ in Occaſum declinans uſque ad Arſiam protenditur, cognominata eſt inferior; niſi forte hanc rationem partiundæ cognominandæque Dalmatiæ ab Græcis auctoribus repetendam cenſeas, quod ſecunda illa occidua Dalmatiæ regio longius, prima vero ad Ortum reſpiciens propius diſtaret Conſtantinopoli ab urbe Græcorum domina, ac ſede Imperatorum Orientis; qua quidem ex urbe in Dalmatiam recto itinere venientibus primum adeunda erat hæc Dalmatiæ regio Orienti obverſa, deinde in alteram ultra Titium ad Occaſum verſus progrediendum.

vel hujuſmodi diviſionem Græcos referunt.

Duplex adhuc ſupereſt, quam paucis expediam, diviſio Dalmatiæ hodiernæ, altera civilis, altera eccleſiaſtica; utraque eſt quadripartita, ſed aliis aliis limitibus, ac regionibus definitur. Cum enim nunc univerſa Dalmatia partim Auſtriacorum Principum, partim Venetorum, partim Raguſinorum, partim Turcarum imperio ſubſit, ex civili quadam deſcriptione, alia Auſtriaca, alia Veneta, alia Raguſina, alia Turcica rite appellari poteſt. Prima pars Dalmatiæ, ſeu vetus Japydia ad ſinum Flanaticum, exceptis inſulis, fere tota Archiducibus Auſtriæ paret. Partem alteram multo maximam, quæ Liburniam, Dalmatiam antiquam, & Illyrici proprii portionem haud exiguam complectitur, cum omnibus fere inſulis Veneti obtinent; niſi quod Venetorum ditionem interſecat Reſpublica Raguſina, tertiam Dalmatiæ partem inter Naronem ac Rhizonicum ſinum, paucaſque præterea e regione inſulas jamdudum adepta. Quarta eademque poſtrema pars Dalmatiæ, quæ nunc dicitur etiam pars Albaniæ, infra Butuam Venetorum urbem initium ducens, & uſque ad Drilonem antiquum Dalmatiæ terminum, novamque Epirum producta, obtemperat dominio Turcarum, quod quidem ex ora maritima, quo magis recedit, hoc latius in locis montanis protenditur.

Div ſio civilis Dalmatiæ hodiernæ, quadripartita. Dalmatia Auſtriaca, Veneta, Raguſina, Turcica.

Principio atque inſtituta fuit Salonæ ſedes Pontificia, unus erat Epiſcopus, cujus ditione ac poteſtate Metropolitica continebatur univerſa Dalmatia. Huic poſterioribus ſæculis tres deinceps adjecti ſunt, qui Eccleſiæ Dalmaticæ adminiſtrationem, curamque Metropoliticam inter ſe partiuntur, eamque aliqui ex illis, etiam ultra Dalmatiam explicant. Hinc quadripartita extitit eccleſiaſtica diviſio Dalmatiæ hodiernæ; quippe cum Eccleſia omnis Dalmatica conflata ſit ex provinciis omnino quatuor, totidemque civitatibus Metropolibus ſive Archiepiſcopalibus conſtet; una eſt Jadrenſis, altera Salonitana nunc Spalatenſis, tertia Raguſina, quarta Diocletana, quæ poſt excidium Diocleæ urbis olim nobiliſſimæ translata eſt Antibarim. Metropolitæ Jadrenſi tres ſubſunt Epiſcopi, Arbenſis, Veglenſis, Abſarenſis. Salonitana ſive

Diviſio eccleſiaſtica itidem quadripartita; Provinciæ Jadrenſis, Salonitana ſive Spalatenſis, Raguſina, & Diocletana, ſive Antibarenſis.

Digitized by Google

Spalatenſis undecim ipſos ſubjectos habet Epiſcopos, Segnienſem, Modruſſienſem ſive Corbavienſem unitos, Nonenſem, Scardonenſem, Tinienſem, Pharenſem, Tragurienſem, Sebinicenſem, Boſnenſem, cujus ſedes Epiſcopalis eſt Diacovi in urbe Slavoniæ ultra Savum, Maccarenſem, & Dumnenſem. Metropolitæ Raguſino ſex Epiſcopi parent, Stagnenſis, Tribunienſis, Narentinus, Bractienſis, Rhizinienſis, Curzolenſis. Demum Diocletana ſive Antibarenſis provincia compoſita eſt ex decem Epiſcopatibus, Scodrenſi, Polatenſi, Drivaſtenſi, Olchinienſi, Sappatenſi & Sardonenſi conjunctis, Buduenſi, quibus adde tres in Serblia conſtitutos, Priſrenenſem, Semandrienſem, Belgradenſem. Huc accedit alia quædam tripartita diviſio itidem eccleſiaſtica Dalmatiæ. Hujus ſiquidem pars prima intra Titium, ſive provincia Jadertina ad jus Primatiale pertinet Patriarchæ Gradenſis; pars extrema ad Orientem Metropolitæ ac Primati Antibarenſi ſubeſt. Pars intermedia ideſt Spalatenſis & Raguſina provincia imperio Primatiali ſubjecta eſt Metropolitæ Spalatenſis, qui primas Dalmatiæ idem, & Chrobatiæ habetur ac dicitur.

Triplex Primatia eccleſiaſtica.

CAPUT V.

Deſcriptio Dalmatiæ hodiernæ.

Dalmatiæ hodiernæ definitio.

DAlmatiam hodiernam cum dico, huic duplici verbo regionem illam ciſalpinam & maritimam ſubjicio, quæ inter montes & mare, ab Arſia uſque ad Drilonem producta, cum inſulis adjacentibus, etiamnum Dalmatiæ nomen retinet. Nam regio tranſalpina Montibus ac Savo interjecta, quam antiquæ Pannoniæ ademptam Cæſar Octavianus Auguſtus in jus nomenque Dalmaticum tranſtulerat, cum inde uſque ab adventu Slavorum Dalmatia appellari deſierit, & nova ſubierit Chrobatiæ Boſnæque vocabula ab Slavis impoſita, huc non pertinet, ejuſque deſcriptionem ſibi vindicat Hiſtoria eccleſiæ Sirmienſis. Hæc hodiernæ Dalmatiæ deſcriptio ut perſpicua ſit, ut recte atque ordine progredi poſſit, ut nihil neque prætermittatur, neque redundet, plures in partes eam dividi neceſſe eſt. Materiam igitur, quam tractet, & in qua verſetur, ſuppeditabunt primum montes; tum flumina; deinde ora, urbeſque maritimæ; poſt urbes mediterraneæ, præterea populi mediterranei itidem ac maritimi: his adde naturam cœli ſolique Dalmatici, itemque indolem, ingenia, mores ac ſtudia incolarum; eodem etiam referas oportet inſulas Dalmaticas, & mare Adriaticum, quæ omnia, quam poterimus, breviſſime accuratiſſimeque perſequemur.

§. I.

De Montibus Dalmatiæ.

CUm Alpibus Juliis ſive Carnicis extremis junguntur montes Dalmatici, ab Occaſu in Orientem uſque ad Hæmum montem producti, qui olim Dalmatiam, ex Auguſti deſcriptione ad ripam citeriorem Savi prolatam, mediam interſecabant, ut Strabo docuit, nunc eamdem a Chrobatia, & Boſna disjungunt. Eſt igitur continuatio quædam ſerieſque alpium, quam mons Hæmus excipiens, & Meſiam utramque a Macedonia & Thracia diſterminans ad Pontum uſque perducit. Hinc exiſtit admirabilis illa, ut aliqui non inſcite vocant, *Catena mundi* compoſita ex aliis atque aliis montibus, tamquam ex annulis, junctis inter ſe copulatiſque, & a mari Liguſtico, unde incipit, ad Pontum Euxinum, in quem deſinit, tractu longiſſimo ac pene infinito deducta. Huic Catenæ fere mediæ innexi ſunt montes Dalmatiæ, qui pro quadruplici variatione nominis quatuor in partes dividi poſſunt. Pars prima eſt mons Albius, altera ſunt montes Bebii, tertia ex Ardiis montibus conſtat, ad quartam pertinet Scardus, qui in extrema ad Orientem Dalmatia cum Hæmo conjungitur. Singulis vocabulis ſubeſt complexio quædam conjunctioque montium, qui ſummis quidem verticibus disjuncti ſunt, mediis tamen lateribus imiſque radicibus ita continuati, ut alii ex aliis nexi, & omnes inter ſe colligati atque impliciti videantur. Quam montium quadripartitam complexionem ut aliqui ſignificent, nomen illud, quo pars unaquæque deſignatur, plurali numero ſubjiciant; & quem alii Albium, Bebium, Ardium, & Scardum vocant, alii Albios, Bebios, Ardios, & Scardos montes appellent. Singulorum montium tractus alii longius producunt, alii contractioribus terminis definiunt; & vix e Geographorum ſcriptis ſtatui poteſt, quatenus ſinguli vel protendi, vel contrahi debeant. Sunt qui unico tantum, ſunt qui duplici vel triplici vocabulo omnes Dalmaticos montes complectantur. Strabo tractum omnem montanum Dalmatiæ trifariam diviſum partim Albio monte, partim Ardio, partim Scardo attribuit. Volaterranus par. 1. Comment. omnes Dalmatiæ montes Ardii vocabulo ſubjecit, quippe Albio & Bebiis prætermiſſis, initia montis Ardii cum alpibus Juliis conjunxit: *Alii Julias poſt Rhetias eſſe dicunt, ubi mons incipit Ardius, qui Illyricum a Pannonia dividit.* Neque a Volaterrano diſcrepat Guidus Pancirolus, qui in Not. Imp. Occ. omne Illyricum inter Arſiam & Drilonem, Ardii montis interjectu, diviſum eſſe ſcripſit, quamvis fateatur eumdem montem variis pro regionum varietate nominibus diſtingui: *Ardius mons medium Illyricum dividit, quemadmodum Apenninus Italiam, qui tamen pro varietate regionum mutat nomina, ut ait Strabo.* Fauſtus Verantius in Itiner. initia montis Scardi, longius, quam cæteri Scriptores, in Occaſum retraxit, & montani tractus quod eidem attribuit, Ardio ademit: ad quem Verantii locum hanc notam ſingulari animadverſione dignam appoſuit ſcriptor quidam Tragurienſis præclarus in primis ac nobilis: *Si quem Adrium montem nos appellavimus, ille plerumque Scardum dicat, id neutrius errori adſcribas; ſed veterum Scriptorum diverſitati, qui ita ſcribendi utrique præbuere occaſionem. Adrium tamen cum Ptolemæo & Plinio dicas in Dalmatia; in Mæſia, & ad Macedoniæ fines ubi acceſſeris, Scardum. Item Bebias alpes non Dalmatiæ mediterraneas, ſed mari viciniores ſcribit.* Nos quadripartitam, quam fecimus, diviſionem montium Dalmaticorum retinebimus, & ſuos cuique parti fines ſtatuemus.

Diviſio montium Dalmatiæ.


Ergo mons Albius ſupra Iſtriam inde initium ducit, ubi Ocra definit, quam Alpium humillimam vocat Strabo: *Ocra*, inquit lib. 7. *eſt pars humillima Alpium ab Rhætia ad Japydes uſque porrectarum. Apud Japydes rurſus ſe attollunt montes, vocanturque Albii.* Idem Strabo videtur inter Alpes Italicas montes Albios annumeraſſe, quippe cum ſcripſerit, τὸ Ἄλβιον ὄρος, Albium montem, τελευταῖον τῶν ἄλπεων, extremum alpium. Nam partim ad Italiam pertinet, cum in Iſtriam immineat, conjunctam cum ultima Italiæ regione; partim vero ad Dalmatiam hodiernam, cum

Mons Albius, dictus Albanus a Ptolemæo.

Montes Dalmatici in Hæmum montem deſinunt.

Orien-

Digitized by Google


VALACHIA
ALPES
FOR
RB L IA
Novibazarum
MENTES
Drivastum
Scodra
Sinus Lodrini
Alessio
Croja
Ochrida
Dyrrhachium
ALBA
NIA

Digitized by Google

Orientem versus supra Liburniam juga protendat usque ad montes Bebios, quemadmodum Ptolemæus docet, qui hunc montem Albanum vocat: *Pannonia a Meridie*, inquit, *terminatur parte Istriæ ac Illyridis*, juxta lineam διὰ τοῦ Ἄλβωνος ὄρους μέχρι τῶν Βιβίων ὀρῶν *per Albani montem usque ad Bebios montes*. Montes Albios Japydiæ attribuit Strabo, eosque ab Japydibus habitari scripsit: *Siti sunt Japydes in Albio monte*. Japydes autem inalpini, & cisalpini Istriam circumcolebant, ut alio loco declarandum erit; & trans Arsiam in Illyrico, sive in hodierna Dalmatia fines suos in Meridiem usque ad mare, in Orientem usque ad flumen Tedanium protulerant, ut Plinius lib. 4. c. 19. & 21. tradit: *Nonnulli in Flanaticum sinum Japydiam promovere a tergo Istriæ . . . . Tedanium quo finitur Japydia*. Itaque prope a fontibus Formionis, unde Istria initium ducit, incipiunt se attollere montes Albii, seque in Ortum longissime usque ad fontes Tedanii, quo finitur Japydia, protendunt; in Meridiem vero usque ad sinum Flanaticum, & fretum Novigradi, quod etiam Morlachiæ dicitur, continuis jugis, modo elatioribus, modo depressioribus porriguntur. Tota quippe hæc regio, quam Japydes incolebant, aspera est ac montosa, rupesque littus ipsum insident, via admodum angusta scruposaque, terrestri secus mare itineri relicta. Hæc eadem regio nunc denominatur Morlachia a Morlachis, de quibus postea. Itaque mons Albius constat e pluribus montibus longe lateque continuatis, qui uno quidem omnes communique vocabulo continentur; sed proprium etiam plerique nomen habent, quo inter se distinguuntur. Duos montes fere cognomines apud Strabonem invenio, *Alpium & Albium*; alterum ab altero distinguendum esse vel unius litteræ intermediæ diversitas monet. Alpius itaque ultra Carnos ad Septemtrionem conversus in Noricos imminet; ex eoque Dravus oritur: *Supra Carnos*, inquit lib. 7. *Alpius mons est*; & alio loco: *Alpius mons jam ante dictus, & Tullus, & Phlygadia Noricis imminentes, ex quibus Dravus, & Savus, aliique complures impetuosi amnes in Istrum influunt*. Albius vero ad Meridiem ac mare vergit; ex ejus dorso in Aquilonem obverso Colapis erumpit, qui *ex Albio monte fluens*, ait Strabo, *per Japydes*, transalpinos, *Danubium illabitur*, cum Savo videlicet, in quem apud Segesticam influit. Utrumque montem distinxit Schonlebius in Antiq. Carn. Ap. cap. 4. §. 2. *Alpius mons ille est, ex quo Dravus oritur, qui vulgo nunc dicitur mons Cese, cujus ideo mentionem hoc loco facere volui, ne si apud antiquos legatur Historicos, cum nostro Albio monte, a quo unica littera differt, confundatur*. *Albii* nominis explicationem indidem petendam censeo, unde Festus Pompejus vocabuli Alpium originem deduxit. *Sabini*, inquit, *Alpum dixerunt, quod postea Latini Album, unde Alpium nomen*: ad quem Festi locum hanc explanationem adhibuit Schonlebius ibid. §. 1. *Hinc forte omnes alti montes nivibus teti, & ab iis Albi, nominantur Alpes*. Quare idem sunt *Albii* atque *Alpes*, & nomen commune variatio litterarum proprium fecit Albii montis. Descriptionem ac dimensionem montis Albii huc transferendam censeo desumptam e *Topographia Magni Regni Hungariæ* Part. 3. cap. 1. Segm. 2. *His* (idest Senensibus) *merito accensebis difficilem rupium tractum, inde Novigradum usque, quibusdam non plus quindecim germanicis milliaribus, cum sex dumtaxat milliarium latitudine porrectum; quem veteres Albium montem dixere, recentiores autem Morlachiam appellant: profecto non aliunde, quam a Morlachis, seu Mauroulachis, hoc est, Nigris Latinis, quos sæculo duodecimo huc ex Bulgariæ finibus transgressos fuisse ex Diocleate alibi docuimus*. Montem Albium ab indigenis nunc vocari *Biocam* auctor est Raphael Levacovichius in Prodromo ad Geogr. Illyr. *Dalmaticum litus insident continuata juga montis, qui Latinis Albius, nostris hodie vera interpretatione Bioca denominatur*. Albios excipiunt Bebii montes. Ptolemæus terminum, quo alteri ab alteris distinguuntur, eumdem constituit, qui Pannoniam superiorem ab inferiore disjungit: *Pannonia superior*, inquit, *a Meridie terminatur parte Istriæ & Illyridis, juxta lineam per Albanum montem usque ad Bebios montes*. Itaque linea quædam per Albios montes, quibus pars Istriæ & Illyrici subest, ab Occasu in Ortum ducta, & pertingens ad Bebios montes, erat terminus Meridianus Pannoniæ superioris; ex quo fit, ut itidem Bebii montes a Meridie inferiorem Pannoniam terminarent. Hinc vero efficitur inter fontes Tedanii, ac Titii constituendum esse terminum, in quem Albii desinant, & a quo Bebii montes incipiant. Cum enim Arabo fluvius a Septemtrione Pannoniam utramque discriminet, si lineam ab Arabone in Austrum duxeris, eamque citra montes Dalmaticos protraxeris, hæc directo progrediens spatium intersecet oportet Tedanio ac Titio interjectum, quamvis multo propius ab Tedanii, quam a Titii fontibus pertranseat. Hi vero amnes e locis inter se proximis profiliunt, sed quo longius defluunt in Meridiem, eo latius inter se disjunguntur. Itaque Bebii montes inde ferme initium ducunt, unde exoritur Tedanius; & non ita longe ultra scatebras Titii in Ortum protracti, citra fontes Tiluri in Ardium montem desinunt. Cæterum Bebiorum montium ad Orientem terminus satis certo constitui non potest. Quemadmodum autem Albii ad Japydiam, sic Bebii montes fere ad Liburniam propriam pertinent, quæ Tedanio ac Titio fluminibus interjacet. Raphael Levacovichius tradit Bebios nunc vulgo appellari *Velebich*; & quæ sit apud Slavos hujus verbi vis & significatio explicat: *Liburnicum littus nostrum continua series altissimorum montium percurrit, Italis recentioribus Morlacha nuncupata; antiquioribus latinæ linguæ scriptoribus Bebius mons; nostris usque nunc Velebich; quæ vox Velebich Bebio vocabulo simillima, Illyrico sono nimis existentem, vel extantem, sive nimis protensum significat; si vero pronuncietur Velevik, ut alii solent, longevum sive longi sæculi montem seu regionem, quod puritate cæli indigenæ longa sæcula ibi ducere soliti sint, significat*. Verum Levacovichius ab Ortu in Occasum citra Tedanium Bebios montes in Japydiam produxit, partemque extremam Albii montis, quæ ad fretum Morlachiæ supereminet, Bebiorum nomine affecit. Sed mihi pluris est auctoritas Strabonis & Ptolemæi, qui videntur terminis ab Oriente propemodum iisdem tum Japydiam, tum montem Albium sive Albanum definire, ut nihil prorsus loci apud Japydes relinquant Bebiis montibus, quos potissimum ad Liburniam propriam pertinere diximus. Montes Albios, qua mari adjacent, rite appellaveris Alpes maritimas Dalmatiæ; Bebios autem, cum remoti sint a mari, Alpes mediterraneas Dalmatiæ recte dixerimus; quamvis enim latus quoddam Orienti obversum citra Titium, in Meridiem Tinninum usque, aut etiam infra id oppidum producant, continuo nexu montium; horum tamen vel extremus a mari distat millia passuum fere triginta.

Japydes Albi montis incolæ.

Albii montis descriptio.

Alpius ab Albio distinguendus.

Unde Albius dictus; ejusque dimensio.

ab indigenis Bioca appellatus.

Post Albios montes Bebii.

Initia Bebii montis prope a fontibus Tedanii, terminus ultra fontes Titii.

Bebius, nunc Velebich.

ginta. Quare Fauſtus Verantius in Itin. aut falſo ſcripſit Bebias alpes eſſe maritimas, aut, quod vero propius eſt, Bebios a montibus Albiis non diſtinxit; alpeſque ad ſretum Morlachiæ ex Albio detractas ad Bebios montes adjecit.

Mons Ardius ſive Adrius ad Dalmatiæ antiquam pertinet.

Poſt Bebios ſequitur mons Ardius, quem Casaubonus, Cellarius, & alii Adrium auctore Strabone appellandum eſſe contendunt; ſic enim ſcriptum in optimis Strabonis exemplaribus reperiri affirmant. Ergo Ardius, ſive Adrius mons, & Dalmatia antiqua, longitudine propemodum æquali ab Occaſu in Ortum protenduntur; & quidquid gentium ac terrarum ante conditam Romanam Monarchiam inter Titium ac Naronem Dalmatiæ vocabulo ſuberat, id omne pertinebat ad montem Adrium, qui huic regioni ad mare vergenti imminet, & Dalmatiam olim ex Auguſti deſcriptione ad Savum uſque prolatam fere mediam interſecabat. Series itaque, conjunctioque alpium, quæ montis Ardii vocabulo ſubſunt, trans Liburniam haud procul a fontibus Titii initium ducit, & uſque ad eum terminum ſupra Naronis fluenta progreditur, quo Dalmatia ab Illyrico proprio ſejungitur. Cæterum video Geographos eſſe, qui Adrium montem longius in Orientem producant, eique Illyrici proprii partem haud exiguam ſubeſſe exiſtiment, quorum opinionem neque approbo, neque refello; nam propter diſcrepantes auctorum ſententias, ut ſupra dixi, admodum incerti ſunt fines, quibus montes Dalmatici inter ſe diſtingui poſſint; eorumque vocabula juniores Geographi, non tam auctoritate & ratione, quam ſuo quiſque arbitratu definiunt, & vis ac notio illis ſubiecta aut contractione brevior, aut productione longior fieri ſolet. Ab Ardio monte duplex potiſſimum in Meridiem excurrit tractus Montium, e pluribus & continuatis jugis connexus; alter mediam inter Titium ac Tilurum, alter Tiluro ac Naroni interjectam regionem interſecant; uterque vero ad maritimam uſque oram perducitur. Vocabulum Ardii ſive Adrii celebre fuit apud Dalmatas, & multimodis uſurpatum, ex quo varia & multiplex nominum derivatio facta eſt. Hinc ſcilicet Ardii montes, hinc Ardiæi populi, hinc Ardia regio apud Strabonem, hinc Ardia civitas apud Stephanum, hinc Jadrus, ſive Adrius fluvius Salonam præterfluens, hinc denique juxta quorumdam ſententiam Adriaticum mare. *Adriaticum mare*, inquit Levacovichius, *potius ab Adrio monte Dalmatiæ, per longitudinem ejus inſidente, quam ab Adria Italiæ civitate, bona venia tam veterum, quam recentiorum ſcriptorum affirmaverim, tum quia idem mare a Juſtino nonnulliſque aliis Illyricum dicitur, tum quia inde incipit Adriatici nomen, unde & montes Adrii, & eouſque Adriaticum in Jonium commutatur, licet ipſum quoque Jonium interdum Adriatici nomine ſumatur.*

De vocabulo Ardii ſive Adrii, ex quo multiplex nominum derivatio.

Montium Dalmaticorum poſtremus eſt omnium Scardus, quem Livius Scordum, alii Scodrum, alii etiam Sardonium vocant. Is directo in Orientem ſpatium ſatis longum progreſſus, ubi ad fines Dalmatiæ accedit, ibi duo brachia quodammodo expandit; alterum in Septemtrionem diſtendit, deflexumque ad Occaſum infert in Mæſiam ſuperiorem, ac fere deſinit ad Taurunum prope ab Danubio; alterum in Meridiem exporrigit, quo Dalmatiam a Dardania disjungit; illudque ſupra Paludem Labeatum bipartito explicans, tum in Occaſum reflectit, tum in Orientem producit, ultraque Drilonem cum initio montis Hæmi conjungit. Ab eo nomen accepit Scodra, quæ nunc Scutari dicitur, civitas olim frequens ac nobilis, & Regum Illyrici ſedes, ad eum lacum appoſita, quem Labeates circumcolunt. Ab eo itidem denominati ſunt Scordiſci populi, qui Scordi Montis in ortum obverſi radices accolebant. Scardum montem nunc vocant *Marinai* Baretio, & Villanovano auctoribus; ſed Jacobus Lucarus eumdem ab indigenis *Glinbonin Planina* lingua Slavorum appellari affirmat. Nec vero aſſentior Levacovichio docenti eum eſſe Scardum, qui Zernagora ideſt Mons Niger vulgo dicitur. Is quippe citra paludem Labeatum prope ab ora maritima conſurgit, continuis a Septemtrione in Meridiem jugis deflexis, longeque diſtat a monte Scardo; niſi forte hujus pars quædam eſſe propterea dicatur, quod Zernagoram continuatio aliqua montium interjecta cum Scardo conjungat. Nam montes omnes, quos quatuor in partes diſtributos hactenus deſcripſimus, quique ab Occaſu in Ortum porrecti Dalmatiam hodiernam a Chrobatia, & Boſſina diſterminant, quoſdam veluti ramos quaquaverſum emittunt, & longe lateque diffundunt; tota enim fere Dalmatia aſpera eſt & montoſa; niſi quod identidem amplas amæniſſimaſque planities explicat. Hi autem montes, qui ubique propemodum eminent, aſſurguntque, ita inter ſe diſtingui poſſunt, ut alii ad montes Albios, alii ad Bebios, alii ad Adrium, vel Scardum pertineant; & quamvis alii aliis vocabulis, & ſuis quiſque ac propriis indigenarum lingua appellentur, commune tamen ſingulis nomen impertiamur licet, deductum ab uno ex illis quatuor ſummis ac præcipuis montibus, ad quem quiſque aliorum montium interpoſitorum contextu annectitur.

Scardus mons Dalmatiæ poſtremus, vel Scodrus vel Scordus.

ejus deſcriptio.

A Scodro monte Scodra civitas & Scordiſci populi.

E quatuor montibus præcipuis Dalmatiæ, alii atque alii montes quaquaverſum deducti.

§. II.

De Fluviis & Lacubus Dalmatiæ.

Dividi tripartito fluminum Dalmatiæ.

Fluvii & Lacus Dalmatiæ tripartito dividi poſſunt; alii enim veterem Japydiam, & Liburniam, alii Dalmatiam antiquam, alii Illyricum proprium vel interfluunt, vel diſcriminant. Arſia primus Dalmatiæ fluvius, veterum pariter ac juniorum Geographorum litteris celebratus, quem Octavianus Auguſtus Italiæ terminum eſſe, initiumque Dalmatiæ juſſit, e lacu, quem Cosliacum vocant, effuſus, deflexo in Meridiem curſu, alveo ſatis amplo, oſtioque latiſſimo ad Orientem converſo in ſinum Flanaticum illabitur. Mille paſſus fere ſex a mari navigabilem eſſe ajunt. Quem vulgo Rikam, Niger & Moletius Tarſiam vocant, is communi *Fluminis* vocabulo appellatur, orienſque in altiſſimis Albiis montibus e duplici fonte in unum alveum coeunte, curſum primo Occidentem verſus deflectit, tum in Meridiem detorquet, aliorumque rivorum in eum confluentium aquis auctus, directo progrediens oppidum S. Viti ab regione Orientis præterluit, ac demum in ſinum Flanaticum infertur. Hunc eſſe Oeneum Ptolemæi cenſent plerique; quamvis enim Ptolemæus *Oenei fluminis Oſtia* poſt Tarſaticam locet, quæ trans fluvium, de quo nunc agimus, poſita eſt; tamen cum ſæpe Ptolemæus cæterique veteres locorum ordines perturbent; neque ante cætera, quæ deinceps idem auctor commemorat, loca fluvius occurrat, quocum aptius Oenei Ptolemaici nomen ac poſitio congruat; hunc ſane, quem deſcripſimus, cum Baudrando, & Ferrario appellemus Oeneum, cujus mentionem Ptolemæus fecit; niſi forte exiſtimes Oeneum eſſe amnem quemdam exiguum ignoti nominis, qui ultra Terſaticam mille paſſus circiter decem in portum Regium influit; nec vero dignus videtur eſſe, quem

Arſia.

Rika, ſeu Tarſia ſo Flumen.

Oeneus a Ptolemæo dictus.

Pto-

Digitized by Google

Ptolemæus nominaverit. Ab Oeneo, ſeu Flumine S. Viti longiſſime in Ortum ſe protendunt immenſæ altitudines montium ac rupium, mari impendentium, quibus tota illa regio impedita eſt, atque interrupta; ſed nulli eam amnes interfluunt, de quibus operæ pretium ſit commemorare. Ab Seriſſa oppido maritimo mille paſſus, aut paullo amplius in Occaſum diſtat oſtium Lickæ fluvii, qui Lickanam, unde nomen accepit, provinciam interſecat. Hujus initium & origo longe repetenda eſt ab lacu Ribnichio, ex quo egreditur, & alveo in Occaſum directo montium, inter quos decurrit, radices interluit; deinde in Auſtrum curſum obvertens freto Morlachæ infertur, poſtquam multos in decurſu amnes, alios ex aliis accepit, quorum poſtremus, cui nomen eſt Gutzka ab regione, quam alluit, prope a mari cum eo miſcetur. Lacus Ribnichius multo longior, quam latior Lickanorum agros interluit; ab Oriente duos amnes recipit, ab Occaſu Lickam fluvium emittit, quem modo deſcripſimus. Huic a Septemtrione adjacet oppidum Ribnichium, a Meridie alterum oppidulum, cui Villæ nomen eſt. Tedanium flumen, quod Palladius Telaulum, Marius Niger Odriam, vulgo Zermagnam vocant, duo rivi, alter ex Albiis, alter e Bebiis montibus, deducti, in unum confluentes efficiunt. Primum directo in Meridiem, tum obliquo in Occaſum alveo decurrit, & duobus auctum amnibus prope Obrovacium incipit aptum fieri ad ſuſtinendas onerarias; utrumque Obrovacium a Septemtrione præterfluit ſuperius, & inferius; hinc paſſus non amplius mille progrediens in euripum Carinenſem devolvitur, quem *Canalem* Novigradi appellant. Tedanium olim ab Japydia ſeparabat Liburniam, teſte Plinio lib. 2. cap. 27. ejuſque oſtia Ptolemæus Lopſicæ & Ortopolæ oppidis maritimis interjecit. Regionem illam, quam infra Tedanium & Sihum Carinenſem ad Meridiem duplex fretum, Japydicum ſeu Morlachenſe ab Aquilone, Jadertinum ab Auſtro, & euripus Pagum inſulam oramque continentem ab Occaſu interfluens, in modum peninſulæ circumluunt, multi amnes lacuſque interſecant, qui cum exigui ſint, & nullius aut obſcuri nominis, tantum nobis ab opere inſtituto non eſt otii, ut iis deſcribendis, vel nominandis immoremur. Non eſt tamen mihi prætereundus lacus Auranæ, qui ab Aurana urbe, nobili olim & clara in primis Rhodiorum Equitum ſede ac ſtatione celebritatis & nominis caulam accepit. Millia paſſuum fere ſeptem in longitudinem porrigitur; latitudo ejus circiter duobus paſſuum millibus patet. Quatuor ab Jadera veteri, quinque ab lacu Sebenici milliaria diſtat. Hactenus de fluviis Japydiæ & Liburniæ.

Titius Dalmatiam a Liburnia disjungit, ortumque habet in montibus Bebiis duplici ſcaturigine exiliens, defluenque in Meridiem hinc & illinc aliquot amnes excipit, primum a ſiniſtra, quem Sturnizam vocant, duos utrinque Botiſnizam, & Toplizam, qui una cum Titio confluentes parvum quendam lacum efficiunt, e quo Titius egrediens plenior alveo ab Occaſu alluit Tinninium oppidum; infraque Tinninium Orientem verſus in modum lacus diffunditur; deinde varia flexione contortus, & ab Tininio milliaria fere novem progreſſus, iterum expanditur, & tertium quendam efficit lacum, nomine Vilovazium, in quem ab ſiniſtra Cicolla fluvius, ab dextera alius amnis ignoti nominis influunt. Hinc vero Titius latior & plenior emiſſus, ex declivitate curſu impetuque magis magiſque aucto, tandem in lacum ſive euripum Scardonitanum cum ſonitu ingenti delabitur, ibique ſuas cum aquis marinis commiſcet. Ab oſtio Titii in hunc euripum influentis, tres deinceps maritimi ſinus ſe aperiunt explicantque, angustis faucibus inter ſe disjuncti, quos vulgo lacus appellant, ſed euripi ſinuſque maritimi dicendi ſunt; quippe quos efficit mare terram irrumpens, fretiſque ſubiens perangustis, ex alio in alium ſinum permeat, & longe lateque in unoquoque diffunditur. Primus eſt apud Scardonam, unde cognomen accipit; is Titium ex loco declivi labentem excipit, & longitudine ab Aquilone in Auſtrum ſenis ferme paſſuum millibus protenditur. Alterum appellant Proclianum, cui magnam ſane aquarum vim ſuppeditat fluvius Guduchia ex altis locis ac præruptis longiſſime deductus, in eumque ab occaſu illabens. Eadem ferme hujus eſt, ac ſuperioris longitudo a Septemtrione in Meridiem, ſed latitudo varia, quippe ob varios anfractus modo latius, modo angustius patet. Tertio denique euripo ab Oriente aſſidet Sebenicum civitas, eidemque ab ſuo nomine cognomen impertit. In longitudinem mille paſſus omnino decem protenditur; & ab Oriente, quam ab Occaſu latius patet. Titius igitur per has fauces euripoſque in mare apertum invehitur, fluxu adeo celeri rapidoque, ut præter ſalſuginem, quam contrahit ex aquis marinis, quibuſcum immiſcetur, fluminis ſpeciem ac ſimilitudinem retineat. Naves hiſce faucibus, & euripis, Titioque adverſo ſubvectæ, uſque ad Scardonam accedunt, id quod Strabo ipſe lib. 7. annotavit, quamvis Titium nomine proprio non deſignaverit: *eſt in ea ora fluvius, quo adverſo ſubvehuntur merces uſque ad Dalmatas, & urbes Scardon, & Liburna &c.* ulterius enim propter impetum Titii ex alto decurrentis progredi nequeunt. Cum autem Plinius ſcripſit *Scardonam in amne eo* XII. *M. P. a mari diſtare*, hujus diſtantiæ initium ſumpſit a mari aperto, non ab eo ſinu maritimo, ad quem appoſita eſt Scardona. At multo rectius Ptolemæus, qui videtur *Titii oſtia* conſtituiſſe apud Scardonam; *Jadera, Colonia, Titii fluminis oſtia, Scardona*. Titius quippe, ut diximus, prope hanc urbem in mare devolvitur, in eum videlicet ſinum, quem lacum *Scardonæ* vocant, & maritimum eſſe aquarum ſalſugo declarat. Titium hodie Chercam appellant. Ab lacu ſive euripo Sebenicenſi millia paſſuum quatuor in Ortum diſtat lacus, qui Merigne dicitur, & quinque milliaria in longitudinem protenditur; ad Orientem in angulum deſinens amnem ignoti nominis recipit, ex altero exiguo lacu magis mediterraneo profluentem, qui alveo ad Meridiem circumflexo, & in Occaſum retorto, in eum, quem dixi, lacum ingreditur. Idem autem lacus ad Occaſum fauces aperit, quibus illapſus in mare effunditur. Fluvius Jader, cujus meminit Lucanus lib. 4. Pharſal. e radicibus Maſſari montis oriens, Salonam ab regione Orientis alluit, infraque eam urbem ad Meridiem in ſitum Salonitanum devehitur. De hoc Vibius Sequeſter: *Ider juxta Salonas mare influit Adriaticum*. In Actis S. Domnii *Salonus* dicitur, & Salon apud Anonymum Ravennatem ab urbe, quam præterfluit, nomine adjecto. Ortelius ac Ferrarius auctores ſunt hunc amnem a Plinio Salonam vel Salon nominari; ſitne illo, quem Apollonius Salancon vocat, dubitat Ortelius. Indigenæ Solin patrio idiomate appellant. Haud longe a fontibus Titii ex Ardiis montibus duo rivuli proſiliunt, alter ob Occaſu ſubter Verlicam oppidum, alter ab Ortu ſupra caſtrum Aliunum, qui ab ſua ſcaturigine aliquod

Lacus Scardonitanus.

Titii oſtia apud Scardonam.

Lacus Proclianus.

Lacus ſive Euripus Sebenicenſis

Lacus Merigne

Ider

Lic Ka

Lacus Rib. nichius

Tedanium

Euripus Carinenſis

Lacus Auranæ.

Titius.

Lacus Vilovazius

ſpatium digreſſi in eundem alveum confluunt, efficiuntque fluvium illum, quem Veteres alias Neſtum, alias Tilurum, recentiores Slavorum lingua Cetinam vocant. Is ſupra Cetinam oppidum, ripis late disjunctis expanditur ac dilatatur in modum lacus, quem Cetinę lacum denominant; tum multiplici flexu, variiſque mæandris inter montes decurrens, plures ex utraque parte amnes recipit, & prope oppidum Starigradum, quod millia paſſuum fere octo diſtat a mari, in duos veluti ramos diſcinditur; qui iterum coeuntes exiguam inſulam efficiunt. Tum Neſtus pleno latoque alveo defluens Almiſſum ab Oriente alluit, & tribus fere ab hac urbe milliaribus apud vicum S. Stephani in mare illabitur. Quadruplici ponte jungitur, primo infra lacum Cetinæ, poſtremo ſupra inſulam, de qua modo dictum eſt, & præterea duobus aliis intermedijs. *Pons Tiluri* olim celebris fuit, quem Antoninus Viæ militari impoſuit, quæ Salonis Dyrrhachium ducebat, itemque Peutingerus in ſua Tabula XXII. M. P. a Salonis disjunxit. Tilurus terminus erat Occidentalis Dalmatiæ propriæ ac primigeniæ, quem Dalmatæ trangreſſi jus ſuum nomenque uſque ad Titium propagarunt. Tiluri fluminis deſcriptionem ex illuſtri rerum Dalmaticarum ſcriptore de Reg. cap. 4. lib. 1. deſumptam huic loco intexere libet: *Tilurus fluvius eſt, quem Neſtum olim vocatum teſtatur Stephanus; Neſtus, inquit, oppidum & flumen Illyrici, gentile Neſtius, ut Artemidorus lib. 2. Geogr. & Neſtis regio. Hic prope Titium ortus, longo Orientem verſus curſu delatus, flexoque in Occidentem fluxu, inter montium crepidines navium minorum per tria milliaria capax in mare exit prope Almiſſum, cujus fluminis pontem memorat Antonini Itinerarium, & Tabula Peut.* Idem de eodem Tiluro iterum lib. 4. cap. 4. *Almiſſum ſitum eſt ad oſtium fluminis Tiluri, nunc Cetina, quod in mare exit inter duo prærupta continuataque montium juga aſpera & importuoſa, ex orientali parte Naronæ fluminis oſtia contingentia, ex occidentali vero Spalatum uſque protenſa. Flumen autem ipſum, quamvis inter altos & arduos montes reſtrictum fluat, tamen navigabile eſt per tria milliaria; ſed antequam in mare exeat, montibus hinc inde recedentibus, quaſi in lacum dilatatum inſulam efficit, ripaſque hinc inde ad fabricanda navigia aptas habet. Deinde coarctatum inter duas altas & inacceſſibiles rupes, quæ crepidinibus montium junguntur, in littus vadoſum irrumpens, commodam ſtationem navibus præbet mare vero ipſum, circa oſtium fluminis, brevibus & ſyrtibus ſcatet, quæ etiam æſtu maris variantur, ideo ſolis incolis notum ingreſſum permittunt.* Inter Tilurum & Naronem duos anonymos fluvios deſcriptos invenio apud Jacobum Cantelium in Tabula Geographica Dalmatiæ: alter e lacu, quem Breſtolazium vocant, emiſſus poſt longum a Septemtrione decurſum, mille paſſus fere novem ab Tiluri oſtio inter Ragonizzam, & Cuchichium in mare prolabitur; alter infra lacum Imotam, de quo poſtea, ex editiſſimo loco exſiliens inter montes defluit, & milliaria ultra Macarſcam urbem maritimam ferme octo, apud Dracnizam, mare ingreditur.

Naro fluvius eſt celeberrimus Dalmatiæ, idemque Geographis omnibus antiquis juxta, & junioribus notiſſimus, qui olim Illyricum proprium ac primigenium a Dalmatia itidem propria ac primigenia dividebat. Scylax veterum Geographorum, qui extant, longe antiquiſſimus, *Naronem amnem* ait profluere *ex magno lacu uſque ad Autariatas Illyricam gentem pertingente*. Hunc lacum eſſe eum dixerim, quem nunc Aimotam ſive Imotam dicunt. Montibus undique clauditur, abeſt a mari quinque & viginti millia paſſuum, ac millia fere totidem circuitu comprehendit. Hujus lacus ab Occaſu ad Orientem porrecti paullumque ad Meridiem deflexi caput inſidet caſtellum, cui ab lacu nomen eſt Imota, ſeu potius lacus ipſemet ab eo caſtello id vocabuli accepit. Ab hoc lacu milliaria circiter quatuor in Occaſum diſtat lacus ille alius, qui ab viculo Breſtolazio ripæ Septemtrionali impoſito denominatur, cujuſque paullo ante mentionem fecimus. Scylax Caryandenſis, cum a Dario Hyſtaſpis filio hoc unum mandatum haberet, ut oras maritimas luſtraret ac deſcriberet, de his quidem, quæ per ſe ipſe cognoverat & dimenſus fuerat, ea in ſuos codices retulit; quæ autem de locis mediterraneis præter inſtitutum, quaſique a ſuſcepto & propoſito ſibi argumento digrediens ſcripſit, ea cum ipſe non viderit, ab aliis fama & auditione accepit.

In iis igitur, quæ a mari remota ſunt, deſcribendis ac dimetiendis, opinioni ac famæ vulgari ſtare debuit, quæ vel res amplificat, vel extenuat, & multa veris vel detrahit vel affingit. Quare de regionibus mediterraneis ex aliorum narratione ac teſtimonio quæ ſcripſit, ea ſæpe non ſolum a veritate, ſed etiam a veriſimilitudine abſunt; veluti hoc loco inſulam neſcio quam in eo lacu eſſe dixit CXX. *ſtadiorum*, ideſt 15. milliarium, *cultam admodum & fertilem*; cum nullam ibidem inſula extet, & vix aut ne vix quidem lacus ille inſulam tantæ magnitudinis complecti queat. Præterea ad eumdem lacum *Emporium* ideſt urbem appoſuit admodum celebrem, negotiatoribus, & mercimoniis refertam, cujus nulla ibidem veſtigia cernuntur; niſi forte ejus emporii vocabulo intelligi voluerit Delminium urbem olim ſane magnam, teſte Strabone, a qua nomen Dalmatæ ſumpſerunt. Verum ſi Delminium ſitum erat, ubi nunc eſt Dumnus, ut mihi & aliis videtur, hujus poſitio ab lacu illo in Septemtrionem diſtat millia paſſuum amplius viginti. In eo certe fallitur Scylax, quod emporium illud LXXX. *ſtadiis*, ideſt decem milliaribus, *ſurſum a mari diſtare* ſcripſerit; quippe lacum ipſum, cui Emporium illud adjacet, paſſuum millia quinque ſupra viginti a mari disjungunt. Neque dixeris hoc emporium Naronam eſſe; hæc enim civitas, ſi Plinium audimus, viginti mille paſſus aberat a mari; & quamvis infra illam urbem multæ ſint paludes, quæ lacus etiam dici poſſunt, ex his tamen nullus eſt lacus Naronem emittens, de quo Scylax loquitur; tantum enim abeſt, ut ex his paludibus profluat Naro, ut in has potius e Narone ſtagnantes aquæ deriventur. Nullus vero eſt præter Imotam lacus, ex quo dici poſſit Naro profluere. Ab hoc autem lacu fluvius egrediens, quem *Kabiack* dicunt, decurrenſque in Meridiem in Naronem illabitur; hujus autem amnis ſcaturigo prope abeſt in Occaſum ab lacu Breſtolazii, in quem primum ſe infert; hinc autem alveo directo nec ita longo immittitur in lacum Imotæ, unde proſiliens longiori deflexu, & circuitu in Naronem influit. Hujus autem fluvii e lacu Imotæ egredientis in Naronem illapſus Scylacem in eam opinionem induxit, ut *ex hoc lacu* Naronem profluere putaverit. Verum enimvero, cum fluvius ille, quem Veteres Naronem, Recentiores Narentam vocant, hoc nomine appelletur, antequam amnem illum Kabiack e lacu Imotæ defluentem excipiat, longe altius Geographi, & inde uſque a montibus Boſnæ initia atque ortus Naronis repeti oportere exiſtimant. Ergo in ea regione Boſnenſis provinciæ, quæ vergit

ad

Tilurus, ſeu Neſtus, Slavis Cetina.

Lacus Cetinæ

Lacus Breſtolazii

Pons Tiluri

Tiluri deſcriptio

Duo amnes ignoti nominis.

Naro fluvius

Lacus Imota

Errores aliqui Scylacis in locis mediterraneis deſcribendis.

Kabiack amnis

Fontes Naronis in montibus Boſnæ.

ad Meridiem, & Dalmatiæ fines attingit, e montium radicibus duo emicant rivuli, alter ab Oriente prope pagum Viſcuth, alter in Occaſum longe a priore diſtans; qui duo rivi a mari mille paſſus fere ſexaginta in unum coeuntes Naronem efficiunt. Huic plures amnes utrinque ſuas aquas ſuppeditant, quibus magis magiſque auctus, longiſſimo curſu, modo huc, modo illuc detorto, alveo latiſſimo ac pleniſſimo, duplicique oſtio in mare prolapſus vim aquarum ingentem exonerat. Ab dextera in Naronem influunt Rama, qui longinquis e montibus deductus regionem cognominem interſecat, quæ pars eſt Boſſinæ ad Meridiem; tum Radobuglia, qui vicum ejuſdem nominis alluit; deinde Kabiack, de quo ſupra diximus; poſtea Norinus, qui e lacu Ruſtochio effuſus aquas ſane copioſas invehit. Plures etiam ab ſiniſtra fluvios excipit Naro, primum omnium Bunam, paullo inferius Bunizzam e lacu Teglavazio emiſſum, deinceps Blagaim, Biogavam, Gruppem, & Burſtanichium itidem e lacu, quem Cuppam vocant, exeuntem, ut alios minores amnes omittam, qui ex utraque parte in eumdem Naronem confluunt. Infra Naronam urbem olim frequentiſſimam, Naro ripam utramque ſupergreſſus per agros late diffunditur; hinc vaſtæ paludes, quibus tota illa regio utrinque adjacens uſque ad mare obruta eſt, ac ſuperfuſa. Plures minuſculas inſulas diſciſſo alveo efficit, tres magnitudine præcipuas, quarum poſtrema omnium maxima proplus abeſt a mari; ibi enim duobus quodammodo brachiis diductis, quibus mari infertur, inſulam & arcem *Opus* nominatam complectitur. Naro, quem Conſtantinus Porphyrogenitus Orontium appellat, infra oppidum Monſtar ripæ ſiniſtræ impoſitum, & quadraginta milliaribus a mare diſtans, navibus ferendis idoneus eſſe incipit. Haud longe ab ora maritima, duo hinc atque hinc Naronem circumſtant lacus; alter ab Occaſu remotior, Saſcherus vulgo dictus, cui nullum eſt cum Narone aquarum commercium; alter propior ab Oriente, Cuppam vocant, ex quo Burſtanichius emanat, ut ſupra diximus, atque in Naronem defluit. In Tabula Geographica Jacobi Cantelii fluvium anonymum, quem alii prætermittunt, deſignatum reperio. Is ab Narone millia paſſuum circiter duodecim Orientem verſus, & procul a mari amplius viginti exoriens, primum directo in Meridiem alveo fertur, tum converſo in Occaſum progrediens in ſinum Naronianum ſive Narentanum devolvitur. Hunc puto eum eſſe, quem Porphyrogenitus Bislam, ſeu Ditzicen cognominari ait. Quem fluvium Porphyrogenitus de Admin. cap. 33. Bonam appellat, is oritur a tergo montis Chlumi, cujus jugo duæ arces inſidebant Bona & Chlum. Hinc populi ex eo denominati Zachlumi, quod ejusdem montis radices retro & a tergo accolerent. *Zachlumi dicti ſunt a monte Chlumo ſic dicto Slavorum lingua, quaſi poſt montem habitantes; quandoquidem magnus inibi mons eſt, in cujus ſummo urbes duæ ſunt Bona & Chlum, retro montem vero fluvius eſt Bona, quod Græcis κατὰ ſignificat.* Is mons a Narone fluvio in Orientem quatuor & viginti, a mari in Septemtrionem fere duodecim milliarium intervallo diſjungitur. Hinc igitur ſcaturiens Bona, non ita longe a ſuo fonte progreſſus immiſcet ſe cum Zachluma fluvio, cujus itidem meminit ibid. Porphyrogenitus, & nomen cum eodem commutat. Zachluma vero ex latere occidentali ejuſdem montis oriens paullo poſt Bonam a Septemtrione recipit, curſuque in Occaſum inter montes obverſo vallem Popovi interfluit, ex qua egreſſus Trebiniam urbem ac regionem alluit, unde illi Tribunichizæ, ſive Tribunii nomen obvenit. Deinde ima quadam voragine abſorptus abdituſque per meatus ſubterraneos incedit; inde vero erumpens, amiſſo vetere, novum ab altera valle, quam interluit, Omblæ nomen ſibi adſciſcit: tum directo in Meridiem alveo ſatis amplo & capaci, apud Agravonitas veteres Illyrici populos in portum effunditur, qui olim Gravoſa dictus, nunc ab S. Cruce appellatur, nec ita longe ab Raguſio in Occaſum diſtat. *Zachluma flumen*, ut Dalmata Hiſtoricus de Reg. lib. 4. cap. 4. ſcripſit, *per vallem Popovo dictam, circumquaque altis montibus cinctam fluens, nullibique exitum habens, a terra abſorptum, per occultos meatus in mare prorumpens flumen Ombla, antiquis Arionem efficit.* Hujus itidem amnis ſubtus terram decurrentis deſcriptio extat apud Raphaelem Levacovichium in Prodromo; ſed is auctor erravit, cum eumdem amnem a Moracia fluvio, de quo paullo poſt, derivari ſcripſit: *Alter ramus prafatæ Moracia, ubi in Occidentem iter continuat, Tribunius hodie appellatur, nomine fortaſſis a regione, quam mediam abluit Epiſcopali titulo inſignem, accepto. Cumque poſt longum curſum in loco, qui Pomique dicitur, ſub terram lymphas recondat, earum partem furtiva eruptione, intra ameniſſima vallis, quam Ombiam appellant, intimum receſſum ex dura ſilice prorumpens, novo nomine in mare immittit.* Is fluvius e terræ viſceribus veluti renatus, novumque nomen, & curſum adeptus, ab Scylace Arion appellatus eſt: *a Narone ad fluvium Arionem diei navigatio eſt: poſt Arionem fluvium dimidii diei curſu, Cadmi & Harmoniæ ſaxa ſunt, templumque procul ab Arione fluvio; a dicto flumine navigatur ad Emporium Buthoam.* Quem Scylacis locum idem, quem modo laudavimus, Dalmata ſcriptor lib. 1. cap. 4. hac præclara animadverſione illuſtravit: *Arion autem fluvius is eſſe dignoſcitur, qui prope Raguſium in portum ab antiquis Agravonitis Gravoſæ vocabulo indigitatum fluit, Ombla dictus, cum nullus alius fluvius Epidaurum uſque inveniatur, & portus hic tutus commoduſque nautis diei navigatione a Naronis viciniis diſtet, a quo Gravoſæ portu, nunc a S. Cruce dicto Buthoam navigantes, Epidauritanos portus appellere ſolent.* Nec dubium mihi videtur eſſe, quin Arion ſive Ombla ſit ipſe ille fluvius, quem tacito nomine commemorat Apollonius Argon. 4. is quippe itidem, uti Scylax, prope ab eo Cadmi & Harmoniæ monumenta ſtatuit: *juxta Illyricum ex profunditate nigrum flumen, ubi Harmoniæ eſt, & Cadmi buſtum, turrim excitarunt Enchelenſium inquilini.* Propter oram maritimam terreſtri itinere Orientem verſus progredientibus multi occurrunt amnes exigui curſus & alvei, ignoti vel obſcuri nominis in mare delabentes, unus inter novum veruſque Raguſium, alter prope Buthoam, tertius ultra Paſtrovicchios; quibus adde Velasvizium & Ricavazium, inter quos poſita eſt Antibaris civitas frequens ac nobilis, & duos alios præterea, quibus Olchinium interjacet. Paullum vero introrſus a mari quatuor itidem exiguos amnes recipit Sinus Rhizonicus, Suturinam ab Occaſu, Rhizinium a Septemtrione, & duos anonymos ab Oriente. Moracia nobilis Dalmatiæ fluvius, ditiſſimusque aquarum, quas alii atqi alii minores amnes veluti vectigales in eum conferunt, oritur e jugis altiſſimis montis Scardi, & quo ma-

Amnes in Naronem defluentes.

Paludes ex aquis Naronis utrinque effuſis ac ſtagnantibus.

Opus ſive Metkovitza & Cuppa.

Bisla, ſeu Ditzico fl.

Bona fl.

Zachluma fl.

Idem poſtea Tribunius.

demum Ombla dictus.

Ombla dicitur Arion abſcylace.

Varii amnes poſt Ombiam Orientem verſus.

Velaſvizium & Ricavazium.

Rhizinium

Moracia orientis e cardo monte.

Digitized by Google

magis Meridiem versus progreditur, eo auctior ex amnium utrinque illabentium concursu & plenior defluit. A fonte, unde digressus est, millia passuum fere triginta cursum in Orientem obvertit, ac deinde iterum deflectit in Meridiem, in ipsoque deflexu fluvium Zettam recipit; tum longissimo decursu, alveoque varie contorto devehitur, multis in eum ex utraque parte sive rivulis, sive amnibus influentibus, quorum postremus & maximus est fluvius Zernus, aquarum plenissimus, quas duo lacus, & aliqui minores fluvii eidem contribuunt. Is igitur e lacu Plavæ oppidi, quem editi montes a Septemtrione & Occasu claudunt, emanans initio quidem appellatur Zimi, in progressu autem Zerni nomen assumit, & multis aquis utrinque auctus, quas eidem largiter præbent amnes aliquot, ac præsertim alter lacus Riccavezius dictus, ab dextera adjacens, & a superiori lacu decem milliaria distans in Meridiem, demum in Moraciam effunditur. Ergo Moracia & Zernus confluentes, post decursum non ita longum, uno eodemque alveo deferuntur in Paludem Labeatidem, in qua uterque nomen amittit. Lacus sive Palus Labeatis, quam a Strabone, Mela, Plinio, & Ptolemæo silentio prætermissam, unus ex omnibus antiquis scriptoribus Titus Livius commemorat, nunc lacum Scutari, sive Zentæ appellant; in longitudinem millia passuum amplius triginta protenditur; latitudo ejus inter Septemtrionem ac Meridiem ex parte extrema Occidentali circiter undecim passuum millibus patet; quo magis Orientem versus producitur, eo magis latera contrahit, definitque in ostium angustum, quo Barbanam sive Bollianam fluvium emittit. Duobus fluminibus a Septemtrione defluentibus sinum recludit; alter e montibus longinquis oriens in lacum quemdam labitur, ex quo egressus, brevi decurso spatio, in hanc paludem ingreditur; alter e triplici fonte profiliens, alveo primum angusto, tum latiori decurrit, & alium fluvium a sinistra receptum secum in eamdem paludem invehit. Lacus seu palus Labeatum tres habet insulas, unam ante ostium Moraciæ & Zerni projectam, duas reliquas ad Meridiem modico intervallo disjunctas; Ostium ad Orientem aperit; eoque duos illos fluvios, quos ab Occasu excepit, Zernum & Moraciam effundit, in unum alveum coeuntes, unumque in amnem coalitos, quem Livius Barbanam, indigenæ Bollianam, sive Bojanam appellant. In hunc milliaria circiter duo ab ore Labeatidis lacus progressum, incidit fluvius inde usque ab montibus Scardi perductus, qui ab Occasu montium continuorum radices prætervectus, Drivastum urbem interfluit, & Scodram, nunc Scutarim, ab regione Orientis alluit, infra quam Bollianæ intermixtus ad mare vario circuitu deproperat. Hunc Livius Clausulam, alii Drinassium, alii Chirim nuncupant. His duobus Barbanæ & Clausulæ, tertium amnem adjecit lib. 44. c. 31. Livius, quem Oriundum vocat, in eumque influere ait Clausulam & Barbanam, quibus Scodra civitas cingebatur. *Duo cingunt eam flumina, Clausula latere urbis, quod in Orientem patet, præterfluens; Barbana ab regione Occidentis ex Labeatide palude orians. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini; quod ortum ex monte Scodro, multis & aliis auctum aquis, mari Adriatico infertur.* Neque apud Geographos, neque in Tabulis Geographicis Oriundum Livianum invenio. Quare sic existimo eumdem fluvium, antequam cum Clausula confluat, a Livio dici Barbanam; infra vero utriusque amnis confluentes Oriundum appellari, qui aliis deinde atque aliis dextrorsum & sinistrorsum illabentibus rivis auctus mari Adriatico infertur. Barbana autem amnis Livianus idem est, ac Moracia cum Zerno influens in paludem Labeatidem, ex qua quidem proxime oritur, ut tradit Livius, velutique renascitur; sed si ejus ortus ab ipso capite & fonte repetamus, ultimam ejus originem ad montem Scodrum, ut diximus, referri oportet. Itaque Oriundus apud Livium vocabulo quidem, non reipsa distinguitur a Barbana, qui post receptum Clausulam, Oriundus vocari incipit. Idcirco autem Oriundus ex monte Scodro ortus esse dicitur, quia quas aquas in eum devehit Barbana seu Moracia, hæ inde usque a monte Scodro deducuntur. Jam vero Oriundi seu Bollianæ ad mare properantis cursum persequamur. Is multiplici circumflexu modo in Ortum, modo in Occidentem, alveum detorquet; & fere quinto ab confluentibus Barbanæ & Clausulæ milliario, obversus in Orientem, ripis explicatis, latissime expanditur, & quasdam veluti insulas perexiguas efficit. Præter alios rivulos, quibus utrinque augetur, quatuor sunt lacus, qui aquas sane copiosas in eumdem emittunt, duo ad dexteram a suo quisque pago, quem alluit, alter *Sfacciæ*, alter *Sogagni* cognominatus; duo itidem ad sinistram, unum *Murtepsam*, alterum *Charigium* vocant. Tota regio eis flumen ultraque lacubus, paludibus, & aquis stagnantibus scatet, quæ cælum pestiferis vaporibus inficiunt, & graves incolis ac periculosos morbos ingenerant. Tandem Bolliana inter duos pagos, alterum ab S. Nicolao denominatum, alterum Pelagnium dictum in mare apertum ostio satis patenti elabitur, quo subeuntes onerariæ adverso amne invehi usque ad oppidum S. Sergii, decimo ab urbe Scodra lapide situm, eodemque secundo, inde ad mare devehi possunt.

Drilo postremum Dalmatiæ flumen est, idemque nobilissimum, quod Illyricum olim separabat a Macedonia; nunc Dalmatiam ab nova Epiro sive Albania sejungit. Sed cum tres fluvii sint fere cognomines, nec admodum longe inter se disjuncti, Scriptores plerique nominum similitudine decepti, alios cum aliis confundunt; nec suo quemque peculiari, quamvis ab aliis non valde dissimili, vocabulo distinguunt. Plura autem sunt vocabula inter se admodum similia, quibus hi amnes promiscue & communiter allici solent, hæc videlicet *Drilo, Drinus, Drinax, Drinius, Drymon, Drina, Drinæ, Drinassus*. Plinius Drilonem, & Drinium amnes commemorat; hunc, de quo nos agimus, Illyrici terminum constituit: *Longitudo*, inquit lib. 3. c. 26. *Illyrici a flumine Arsia ad flumen Drinium*: illum vero infra Scodram diffluere ait c. 22. *amnis Drilo, supraque eum oppidum civium Romanorum Scodra*. Vibius Sequester unicum Drinum agnovit, quem ortum e palude Lychniti in Macedonia, propter Scodram allabi testatur: *Drinus e palude Lignisti*, (Lychniti legendum,) *abluens Scodram oppidum Illyricorum*. Hermolaus Barbarus in suis ad Plinium animadversionibus docet, duos illos amnes Plinianos Drilonem & Drinium unum esse eumdemque, qui & Illyricum a Macedonia separat, idemque cursu in Occasum reflexo, ac deinde in Meridiem detorto infra Scodram defluit, variatoque nomine appellatur Bolliana. Sed cum fontes habeant longe diversos, magnoque intervallo disjunctos, & nullo aquarum commercio inter se jungantur, id satis argumenti est, cur

Drilo

Zetta fl. & Zernus.

Descriptio Lacus Labeatum.

ex quo Bollianus fl.

Barbana seu Bollianæ.

Clausula seu Drinassus seu Chirin.

Oriundus.

Quid sit Oriundus Livianus, aliis ignotus.

Cursus Oriundi seu Bollianæ.

Drilo. Tres fluvii sunt cognominales distinguendi.

Drilo & Drinius; quorum meminit Plinius, duo habendi sint amnes planeque distincti. Neque assentior Coriolano Cippico, & Marino Barletio, qui cum nullum apud Scodram inveniant flumen hujus nominis, existimat Drilonem Plinianum ab Scodra recessisse, longeque ab hac urbe alium sibi alveum aperuisse, per quem ad mare defluere-

Drilo Plinianus est idem, ac Clausula fl. Livianus.

ret. Itaque Drilo Plinianus est ille ipse, quem Livius Clausulam vocat, aliqui Chirim, plerique antiquo vocabulo paullum immutato Drinassum appellant. Is autem, ut diximus, ortus ex monte Scodro, Drivastum interluit, Scodram ab Oriente præterfluit, infraque Scodram cum Barbana sive Moracia Oriundo sive Bollianæ incidit, ut Livius scripsit. Erravit autem Vibius Sequester, cum Drini Scodram abluentis initium inde usque ab lacu Lychniti deduxit; ex hoc enim alius longeque diversus Drinus, sive Drilo exoritur. Habemus igitur e variis illis fluminibus, nominis fere ejusdem, unum a reliquis distinctum, quem Plinius & Sequester apud Scodram fluere ajunt, quemque Drinassum appellari oportet, ut nomine etiam, non solum re a cæteris distinguatur. Ptolemæus Drinum fluvium descripsit, qui e Scardo monte profluit, cursuque in Septemtrionem converso citra Taurunum ab Occasu Savo illabitur. Is quamquam in confiniis Dalmatiæ oriatur, tamen ad nos non pertinet; quippe longe a finibus Dalmatiæ progressus Pannoniam inferiorem citra Savum olim intersecabat, nunc Bossinam a Servia disterminat. Ab hoc Drino Pannonico idem Ptolemæus & re & nomine distinxit alterum fluvium, qui antea Illyricum a Dardania, & Macedonia disjungebat; nunc Dalmatiam ab Ortu terminat, eum-

Drinus & Drilon a Ptolemæo distincti.

que Drilonem vocavit; is autem ille ipse est, quem hoc loco describendum suscepimus. De utroque hæc breviter Ptolemæus lib. 2. cap. 17. Drilonis fluminis *ostia, Lissus;* fluit autem *Drilon fluvius a monte Scardo, & ab altero monte sito, intra medium superioris Mysiæ*. En Drilonem Dalmaticum. *Ab eodem etiam alius amnis defluit Drinus nomine, qui in Savum flumen exit ab Occidentali parte Tauruni Civitatis*. En Drinum Pannonicum. At vero cæteri Scriptores, hac nominum distinctione posthabita, fluvium nostrum Dalmaticum, æque atque illum Pannonicum, Drini vocabulo afficiunt. Plinius Drinium, Anna Comnena Drymon, Cedrenus & Callistus, quos juniores fere omnes sequuntur, Drinum, vel Drinonem, vel Drinaxem appellant; & vix paucos invenies, qui eum ab altero Drino Drilonis vocabulo appositio distinguant. Nobis vero pluris esse debet auctoritas Ptolemæi, qui distinctione illa utriusque nominis adhibita, hunc nostrum semel atque iterum Drilonem vocat; præsertim cum Strabo Geographorum præstantissimus hujus appellationis usurpandæ auctor eidem esse potuerit, qui fluvium eumdem eodem vocabulo impertiit: *Drilone adverso*, inquit lib. 7. *navigatur Orientem versus usque Dardaniam, attingit autem Macedonicas & Illyricas gentes*. Nos igitur Strabonem ac Ptolemæum secuti, non alio hunc amnem nisi *Drilonis* vocabulo afficiendum esse censemus. Idem etiam animadvertit, quamvis serius, quam oportuerat, diligentissimus Scriptor rerum Dalmaticarum, qui post suos libros in lucem emissos, in *Addendis vel corrigendis* lectorem admonuit, ut ubicumque has voces *Drini, Drinum, Drino*, invenerit in earum locum has alias substituat *Drilonis, Drilonem, Drilone*, & præterea suis *Notis ad Palladium Fuscum* hanc animadversionem inseruit: *Palladius secutus est vulgarem pronunciationem fluminis, quam in Adriati-*

§

a plerisque secutus.

Drilo appellandus fluvius Dalmatiæ segregans ab Epiro nova, sive ab Albania, exemplo Strabonis & Ptolemæi.

cum influens sinui proximo nomen dat, vulgo Golfo dello Drino, vel de Ladrino; sed is ab antiquis Scriptoribus Drilo dicitur. Drinus autem est, qui ex monte Scardo ortus, ad Septemtrionemque cursum dirigens in Savum influit, eodemque nomine hodie quoque dicitur vulgo Drina. Drilo vero ex eodem monte ortus teste Ptolemæo lib. 2. cap. 17. & in diversum Meridiem versus flexus in Adriaticum se exonerat. Neoterici autem non solum Drinium vel Drinum Drilonis loco ponunt, sed eumdem cum fluvio Bolliana confundentes, unum & idem esse asserunt, quos secutus est Palladius. Habes itaque tres fluvios vocabuli similitudine affines, sed re & nomine ipso distinctos; Drinassum, quem Livius vocabulo antiquissimis accommodato temporibus Clausulam nominat, Plinius Drilonem perperam vocat; Drinum Pannonicum in Savum e monte Scardo emissum; Drilonem Dalmaticum mari Adriatico illabentem. Hujus descriptio ad hunc locum pertinet. Drilo igitur ex duobus locis inter se longissime disjunctis altero ad Septemtrionem, altero ad Meridiem suam originem ducit; Sunt enim duo amnes ejusdem nominis, sed duplici alveo, duplicique cognomine discreti, qui post longos circuitus & anfractus simul coeunt; ex hisque duobus unus Drilo conflatur, qui Dalmatiam præterlabens, eamdem ab Oriente definit. Prior, cui Nigro cognomen est, ex lacu Lychnidi urbis, quem nunc Achridam vocant, effusus primum in Septemtrionem longissime procurrit, deinde in Occasum reflexus cum altero Drilone conjungitur. Is enim, quem Album cognominant, ortus e monte Scardo, paullulum ad Meridiem declinans, Orientem versus cursum dirigit, tum prorsus ad Meridiem conversus in Drilonem Nigrum incidit; utrque vero, antequam confluere incipiant, aliis atque aliis minoribus fluviis ex utraque ripa aditum præbent. Conjunctio utriusque ab urbe Pisrena, quam veterem Ulpianam Ptolemaicam esse dicunt, passuum millia fere undecim in Meridiem distat. Unus igitur Drilo e duobus coalescens, pleno latoque alveo in Occasum milliaria circiter viginti progreditur; cursum deinde ad Meridiem detorquet, quem modo in Ortum, modo in Occasum circumflectens, quo longius decurrit, eo pluribus amnibus utrinque illabentibus augetur. Infra urbem Lissum, quam ad sinistram alluit, duo quasi brachia expandit, quibus insulam exiguæ magnitudinis complectitur, iisdemque influens, duplicique ostio elapsus, altero ad Occasum latissime patenti, sed ob brevia & syrtes navibus inaccesso, altero ad Orientem, quo subeunt triremes & onerariæ, in eum sinum, quem Scriptores *Illyricum*, vulgus *Lodrinum* vocant, ingenti aquarum mole copiaque devolvitur.

Drinassus, Drinus, & Drilo, tres amnes diversi, re & nomine distincti.

Descriptio Drilonis.

§. III.

De ora, & Urbibus maritimis Dalmatiæ.

ORa Dalmatica Soli meridiano occiduoque exposita, ab Arsia ad Drilonem, ratione habita non sinuosi & circumflexi, quod littus efficit, sed directi itineris, in longitudinem millia passuum quadringenta, & fere viginti protenditur. Nulla est intra ostium Oceani regio maritima portuosior, & navibus vel statione, vel perfugio indigentibus opportunior commodiorque. Plures enim sinus, portusque aperit admodum tutos, & pene insularum objectu clausos ac munitos, nec solum pleroisque ingentium navium, sed

Longitudo oræ Dalmaticæ.

etiam

etiam aliquos cujuslibet quamvis magnæ classis capaces, qui nautis vectoribusque tutum a tempestatibus & piratis perfugium præbent, stationemque optatissimam, ubi possint conquiescere, ac navibus in terram egressi, se ipsos ex languore nauseaque reficere, & maritimi commeatus quod necessarium est ad reliquam navigationem conficiendam, comparare. Contra vero, quæ huic obversa est, ora Italica importuosa est, neque habet, nisi paros admodum & exiguos portus; unde navigatio Adriatica parum commodi & subsidii percipere potest. Hoc multo ante animadvertit, litterisque tradidit lib. 7. Strabo antiquissimus idem, diligentissimusque Geographus: *Cæterum tota Illyrici ora oppido est commodis instructa portubus, cum ipsa, tum insulæ vicinæ; cum quidem contra, Italica ora huic opposita sit importuosa.* Veteres quidem Geographi multas urbes commemorant littori Dalmatico impositas; sed nemo diligentius accuratiusque hanc oram descripsit, quam Palladius Fuscus, seu Niger, Auctor sæculi decimi quinti, qui duos libellos, alterum *de situ oræ Illyricæ*, alterum de insulis huic oræ objectis composuit. Cum sex fluminum maxime nobilium, & apud scriptores antiquos celebrium, ostia Dalmaticam oram intersecent, horum interjectu distinctam totius oræ descriptionem in partes quinque tribuendam esse censemus. Pars prima ab ostio Arsiæ initium ducit desinitque in ostium Tedanii, quo vetus Japydia, Plinio teste, finitur. Pars secunda inter Tedanii & Titii ostia continetur. Pars tertia intercluditur ostiis Titii ac Tiluri; hinc quarta progreditur usque ad ostia Naronis, unde quinta incipit, quam Drilonis ostia definiunt.

Ora Dalmatiæ descriptio in quinque partes divisa.

Cum Octavianus Augustus Istriam Italiæ adjunxit, seclusitque ab Illyrico, Italiæ fines citra flumen Arsiæ constituit; & latus maritimum Istriæ in Solem orientem obversum fere totum Illyrico reliquit. Itaque oræ Dalmaticæ initium duci oportet ab ostio Arsiæ, atque hinc ejusdem descriptionem cum Palladio incipere. Hæc igitur pars maritima Istriæ ad sinum Flanaticum apposita millia passuum fere quinque & viginti in Septemtrionem porrigitur usque ad littus Japydicum; hic autem ora in ortum se deflectens angulum quemdam efficit, qui Occasum inter ac Septemtrionem spectat; ejusque unum latus in Meridiem productum ad Istriam, alterum in Orientem prolatum ad Japydiam pertinet; utroque autem latere sinum, quem Veteres Flanaticum, recentiores Quarnerum vocant, complectitur. In priore igitur latere in Ortum converso ultra ostium Arsiæ, duæ sunt civitates fane perantiquæ, quas ibi constituunt Plinius, Ptolemæus, & Stephanus, videlicet Albona & Flanona. Albona sive Alvona sex millia passuum ab ostio Arsiæ fluminis distat, cui subest Portus, quem Longum vocant. Hinc septenis milliaribus abest Flanona, egregio itidem portu instructa contra insulam Chersum, quam Stephanus Absyrtum appellat; ab ea populi Flanates dicti, & ab his sinus cognominatus Flanaticus. Sequitur Urana, sive Lauranum oppidum non ignobile: ultra id oppidum hæc ora vastum aperit sinum, quem mare ingrediens in morem lacus expanditur; circa sinum duo vici haud longe inter se disjuncti; & reliqua itidem ora usque ad eum, quem diximus angulum, vicatim habitatur. Deinde ora deflexa in Ortum protenditur, efficitque alterum hujus anguli latus, quod ad veterem Japydiam pertinet. In hoc latere primum Vitopolis, quod Flumen S. Viti vulgo denominant ab eo amne, qui urbem ab Oriente præterfluit, & alias Rika, alias communi vocabulo Flumen appellatur. Hæc civitas recentius condita fuit, quam ut nota esse potuerit antiquis Geographis, apud quos nusquam invenitur. Plinius & Ptolemæus, omissa Vitopoli, & easdem uterque urbes percensent, & eumdem fere ordinem tenent; hoc inter eos discrepat, quod Ptolemæus Velceram, & ostia Oenei a Plinio prætermissa, Tersaticæ & Seniæ interposuit; & præterea Tedanium flumen Ptolemæus citra Ortoplam retraxit, Plinius ultra Ænonam, Pausino fluvio aut oppido nescio quo interjecto, rejecit; uterque loco non suo Tedanium constituens. Hæc autem est earum urbium apud utrumque dispositio.

Apud Ptolemæum	Apud Plinium
Tarsatica	*Tarsatica*
Oenei flum. ostia	. . . . .
Velcera	. . . . .
Senia	*Senia*
Lopsica	*Lopsica*
Tedanii flum. ostia	. . . . .
Ortopla	*Ortopula*
Vegia	*Vegium*
Argyruntum	*Argyruntum*
Corinium	*Corinium*
Ænona	*Ænona*
. . . .	*Pausinus*
. . . .	*Flumen Tedanium*.

Antoninus, & Peutingerus Tersaticæ & Seniæ oppidum *ad Turres* interjiciunt, quod Plinius & Ptolemæus silentio prætereunt. Velcera, cujus mentio est apud Ptolemæum, a cæteris abest. Oeneum Ptolemaicum diximus illud idem esse, quod Rikam seu Flumen appellant; cum citra Seniam nullus amnis occurrat influens in mare, cui Oenei nomen accommodari possit. Sed idem Ptolemæus ordinem invertit, cum ostiis Oenei anteposuit Tersaticam, quæ Rikæ, seu Flumini ad sinistram adjacet; contra vero idem Ptolemæus Scardonam Titii ostiis postposuit, quam anteponere debuerat, ut antiquæ illius urbis rudera, quæ supersunt, ac vestigia declarant. Si Tedanium inter Lopsicam & Ortoplam in mare devolvi cum Ptolemæo censeas, vix aut ne vix quidem locum invenies, quem Ortoplæ, Vegiæ, Argyrunto attribuas, quarum positio haud dubie videtur adscribenda esse oræ maritimæ Japydicæ, quæ ab ostiis Oenei ad ostia Tedanii longissime protenditur. Si vero Tedanium cum Plinio ultra Ænonam transtuleris, adversantem habebis ac repugnantem positionem ipsius urbis, quæ quamvis condita in quadam veluti peninsula in Occasum exporrecta, magis ad Occidentem vergat, quam flumen Tedanium, uti etiam Jadera; neutra tamen civitas pedestri itinere, nisi post transitum Tedanii, adiri potest. Quare tam Ænona, quam Jadera, cum sint positæ trans Tedanium, *qua finitur Japydia* teste ipsomet Plinio, non ad Japydiam, sed ad Liburniam pertinent. Itaque Tedanii ostia constituenda esse existimo inter Argyruntum & Corinium; argumento est, quod hodieque oppidulum, cui nomen est Cori, sive Carin, ab antiquo Corinii vocabulo, extat apud eum sinum, in quem flumen Tedanium illabitur. Jam vero cœptam persequamur descriptionem oræ Japydicæ, quam insident Albii montes usque ad mare longe lateque continuati; tota quippe Japydia aspera est ac prærupta, omniumque ferme rerum, præterquam pascuorum, sterilis; & cum ad mare haud infrequentibus sive oppidis, sive pagis habitetur, introrsus a mari, præsertim qua vergit ad Occasum, a plebe, atque a cultura hominum propemodum deserta, raris

Ora Japydica, sive prima pars oræ Dalmaticæ.

Sinus Flanaticus. Albona, & Flanona.

Populi Flanates. Urana oppidum.

In littore Japydico prima Vitopolis.

Tedanii ostia a Ptolemæo & Plinio male locantur.

Constituenda inter Argyruntum & Corinium.

Japydia ora maritima.

ris admodum vicis incolitur. Hæc ora in longitudinem mille paſſus amplius centum uſque ad oſtia Tedanii porrigitur; eamque & inſulas objectas euripus interfluit, quem partim ab impendentium alpium altitudine *Canalem montis*, partim ab accolis deſumpto vocabulo Canalem Morlachæ appellant. Poſt flumen ſive Oeneum Ptolemaicum, occurrit Terſatica civitas perantiqua, nunc vocant Terſactum; oppidum nulla re magis hodieque, quam ſanctiſſimæ domus Nazarenę in agrum Terſactum e Palæſtina tranſvectæ, indeque in Picenum translatæ inſigni miraculo celebre. Huic arx imminet arduo loco poſita, ſubeſt vero portus duo circiter milliaria diſtans, quem vulgo *Ginrkovam* appellant. Cæterum vetus Terſatica multo propius aberat a mari, quam Terſactum hodiernum milliari fere quarto disjunctum; & nomen quidem retinet, poſitionem non retinet. Duo deinceps ſequuntur portus præcipua commemoratione digni; alter Bucarenſis, ab oppido cognomine, quod eidem aſſidet, alter portus Regius nominatus. Utrumque breviter deſcripſit Auctor Topographiæ magni Regni Hungariæ part. 3. cap. 1. *In continentem flexu pulcherrimo magis ſe ingerens, & a procellis ventorumque injuriis tutiſſimus Regius portus, ſive quod a natura præ reliquis Adriatici portubus inſtructus eſſet, ſive ſi traditioni fides ſit, a neſcio quo Rege illuc profugo denominatur. Neque ſolum in receſſu arce hodiedum e vetuſtatis ruderibus in primævæ fortitudinis elegantiæque imaginem conformata pollet; verum etiam utroque in littore, quod undique rupibus ſe ſe longius porrigentibus protegitur, bina objicit propugnacula, quæ inimicæ claſſi acceſſum facile præpediant; & alterum quoque patentiorem, qui huic ſuccedit, & Bucarenſis audit, tueantur. Imminet etiam huic cognominis urbecula in arduo poſita, & Adriaticum verſus declinans, quam nonnulli Velcerum neſcio unde appellant.* Et ſane poſitio Bucarenſis oppidi non male congruit cum Velcera, quam Ptolemæus Oenei fluminis oſtiis ac Seniæ interjecit. Hæc ora deinceps paullulum arcuatur, & duobus veluti brachiis modice exporrectis euripum, quem Canalem montis vocant, complectitur; prætereaque parvos identidem ſinus aperit, quibus aquas marinas recipit; quæ quidem ab portu Regio milliari fere decimo tertio, anguſtis faucibus ſubeunt, reflexæque in Occaſum veluti lacum quemdam efficiunt multo longius, quam latius porrectum; cujus capiti ex colle imminet pagus Divenichius. Inter Terſaticam & Seniam ad mare ſitum erat oppidulum, *ad Turres*, æquali ſpatio utrinque disjunctum. Auctores quippe Itinerarii Antoniani, & Tabulæ Peutingerianæ ab Terſatica ad Turres 20. paſſuum millia; & hinc totidem ad Seniam enumerant; quod quidem ſpatium propter oræ illius circuitum anfractuſque neceſſario conficiendum erat, loca illa terreſtri itinere peragrantibus. Hujus oppidi, quod erat Manſio, tum exercitibus, tum Magiſtratibus provinciam luſtrantibus, tum publicis curſoribus excipiendis reficiendiſque ex itinere conſtituta, ne veſtigia quidem extant. Ab Regio portu Seniam uſque pauci & infrequentes vici oram maritimam inſident, alii propius, alii longius inter ſe diſtantes hoc prorſus ordine, Kralievizza vetus & nova, vicus S. Jacobi, vicus & portus Zrikveniza; portus itidem & vicus S. Catherinæ, caſtrum cui nomen eſt *Novi*, & tandem pagus S. Helenæ. Senia urbs antiquiſſima, quam a Gallis Senonibus conditam ferunt, eo ferme loci poſita, ubi deſinit Canalis montium, incipitque Canalis Morlachæ, egregio portu inſtructa, natura, & loco munita, & firmiſſimis propugnaculis ſepta. Urbis ſitum ac munitiones deſcripſit idem, quem ſupra laudavi, Auctor Topographiæ Hungaricæ: *Plurimum contuliſſe videtur loci natura, dum præter maris contiguitatem cum portu claſſi recipiendæ peraccommodo, cujus Peutingeriana quoque Tabula meminit, in continenti ex una parte prædltas rupes, ex altera ſylvas denſiſſimas, quæ hoſtilem inſolentiam arceant, objecit. Quin imo, ſi relationibus habenda eſt fides, illud inſuper præſtitit, ut ſi ignis ab incolis in monte Seniæ impendenti excitaretur, continuo aere commoto validiſſimi exſurgant venti, qui procellas immanes creent, & ſubeuntes hoſtium naves colliſas diſjectaſque procul arceant. Artis induſtria Turrim addidit S. Sabæ dictam, quę in mare porrecta fluctuum verberationes intercipiat. Binas præterea arces Novam alteram, arduoque monti, unde hoſtiles conatus facile deſpiciat, impoſitam; Veterem aliam humiliori loco Regiæ alias titulo inſignem (Caſtrum majores noſtri dicerent) quod ævi injuriis labefactata, Matthiæ Regis Hungaria impenſis pulchrior olim aſſurexerit. Quo etiam referenda videtur Curialis domus, quæ magnifice ſane exſtructa, etſi non præſidium, decus tamen eximium urbi conciliat.* Poſt Seniam, urbes huic freto appoſitas recenſent Plinius & Ptolemęus, videlicet Lopiçam, Ortopulam, Vegium, Argyruntum, quas una cum nomine vetuſtas penitus abolevit; & in eorum locum aliquot pagos, ſive oppida ſubſtituit poſteritas, vicum ſcilicet S. Georgii, Starigradum, Jablonitz, Scrifam, ſeu Scificam oppidum non ignobile haud longe ab oſtio fluminis Lichiæ, Peſcham, Starigradum alterum, quam civitatem Novam appellant, cum portu admodum exiguo, Vezzam, extremumque pagum, cui Pozzo nomen eſt, ad fauces nobilis euripi, quem alii Carinenſem vocant, alii Canalem Novigradi nuncupant. His enim faucibus fane anguſtis pelagus irrumpens hunc euripum efficit, cujus longitudo ab Septemtrione in Meridiem paſſuum millia fere novem protenditur, latitudo autem maxima ab Occaſu in Ortum non amplius ſeptem paſſuum millibus patet. Ore in Septemtrionem obverſo Tedanium flumen excipit; cui e regione meridiana objacet Caſtrum Novigradi euripo aſſidens, optimis mœnibus ac propugnaculis ſeptum; ab hoc autem quinque milliaria in Ortum abeſt Carinum oppidum ad ripas ejuſdem euripi excelſo loco impoſitum, quod conjectura e vocabuli ſimilitudine deſumpta ſuadet ibidem loci olim fuiſſe vetus Corinium, cujus meminere Plinius & Ptolemæus. Hactenus de ora Japydica Dalmatiæ, quam Strabo in longitudinem mille ſtadia, ideſt paſſuum millia centum & viginti quinque produxit.

Canalis Morlachæ ſeu montis Terſaticæ.

Deſcriptio Seniæ.

Portus Bucarenſis & Regius.

Velcera

Ad Turres.

Vici maritimi.

Senia.

Euripus Carinenſis.

Novigradum.

Poſt Japodum ora Liburnia ſuccedit longior priore ſtadiis quingentis, ut idem Strabo ſcripſit. Ergo infra euripum Carinenſem ad Meridiem regio illa latiſſime in Occaſum extenditur, & veluti quamdam peninſulam efficit figuræ oblongæ & quadrangulæ. Hujus latera ab Septemtrione fretum Morlachæ, a Meridie fretum Jadertinum, ab Occidente mare, Pagum inſulam ſitam e regione ipſamque peninſulam interfluens, circumluit; extremo autem ad Orientem latere cum reliquo meditetraneo tractu cohæret. Cum tota circum ora, tum regio interior plurimis qua vicis, qua oppidis frequentiſſime habitatur, æqua fere ubique & plana eſt, fontibus atque amnibus irrigua, rerum omnium ferax, quas ad victum cultumque natura deſiderat. Littus Occidentale contra Pagum

Ora Liburnica.

Peninſulæ Liburnicæ deſcriptio.

Inſu-

Ænona; nunc Nona.

insulam duos sinus pelago influenti aperit, alterum ad Septemtrionem, quem *Liubam* ab oppido proximo ejusdem nominis vocant, alterum infra ad Meridiem, cui cognomen est ab urbe, in ipsius sinus æstuariis posita, quam Prisci Ænonam dixere; posterior ætas mutilato vocabulo, & capite quasi diminuto, Nonam nuncupant. Civitas nunc est perexigua, nec satis valida ad hostiles impetus sustinendos, portum tamen habet percommodum in recessu intimo ejusdem sinus, in quem ab Ortu flumen infertur, ex eadem urbe cognominatum. Plinius post Ænonam locat Pausinum, flumenne, an oppidum non satis constat propter discrepantiam codicum Plinianorum; alibi enim legitur *Pausinus flumen*, nulla interpunctionis nota interposita; alibi a Pausino, nota distinctionis interjecta, disjungitur, & cum Tedanio conjungitur ad hunc modum: *Ænona civitas, Pausinus, flumen Tedanium*: alibi tandem verbum illud *civitas* refertur ad Pausinum genitivi forma expressum hoc modo: *Ænona civitas Pausini, flumen Tedanium*. Sed cum non satis liqueat, num aliqua interpunctione ab *Ænona civitatem Pausini* sejungi oporteat, alia suboritur quæstio, utrum Aenona cognominata sit *civitas Pausini*, an vero hæc ab Aenona distincta fuerit. Ad hanc controversiam dirimendam nihil in alterutram partem argumenti suppeditant antiqui Geographi, vel historici, apud quos nulla est Pausini mentio. Si Pausinum inter fluvios Dalmatiæ annumerandum censeas (id quod confirmat duplex editio Pliniana Basileensis, & Coloniensis) Pausinum a Plinio commemoratum eum esse arbitror, quem modo dixi ab urbe Nona cognominari, quique in Occasum ab Ortu defluens, in sinum ejusdem urbis cognominem delabitur. Aenona Jaderam duæ sunt viæ, altera maritima per circuitum oræ milliarium circiter viginti; alia vero terrestris, recta propemodum regione milliarium octo, aut novem. Est Jadera pervetus Liburniæ civitas, nobilissima olim Romanorum colonia, nunc totius Dalmatiæ caput & Metropolis. Sita est in latere Meridiano hujus veluti Peninsulæ Liburnicæ, quæ ab ea Comitatus Jadrensis denominatur. Mari ferme undique circumluitur; nisi quod brevi quadam isthmo lato pedes triginta, ab regione Orientis, continenti annectitur. Muris & propugnaculis septa est, cui arx adhæret situ & opere munitissima, isthmo imposita, & portus ab Septemtrione subjacet capacissimus navium classiumque cujuslibet magnitudinis, binis propugnaculis ad hostes aditu prohibendos instructus, tutusque ab impetu ventorum Australium ipsiusmet urbis interpositu; qui quidem portus videtur ille idem esse, quem Tabula Peutingeriana Epilicum nominat. Huic urbi Palladius per errorem adscripsit versiculum illum Lucani: *Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader*, quem ad Salonam referendum esse versiculus alter superior & proximus perspicue docet: *Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas; Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader*. Idem Palladius de situ, opulentia, portu, commercio, & agro urbis Jadertæ hæc breviter scripsit: *Ab ea*, (idest Nona,) *stadiis circiter octoginta, abest Jadera, urbs fama inter Illyricas clarissima, non solum quia Romana colonia fuit, verum etiam quod tam Græcorum, quam Latinorum monumentis celebrata est. Ea autem in quadam Liburniæ cervice in occiduas Solis partes pro currenti sita; quod etiam Lucanus testatur illo versu: Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader; a tribus lateribus mari cingitur; nec ulla hodie inter Illyricas urbes exstat, quæ a nautis, & maritimis negotiatoribus ultro citroque commeantibus magis frequentetur, vel quod appellere volentibus in opportunissimo loco posita est, portumque pulcherrimum atque tutissimum habet, vel potius, quia quovis tempore res usui necessariæ ibi venales existunt. Verum ejus ager ante Turcarum incursiones tam frequens erat, & adeo hominibus abundabat, quod illa Civitas sine ullis externis auxiliis vel decem triremes armare poterat, & sæpe armavit.* Antoninus in Itinerario, ab urbe Pola trajectum Liburnicum, quo vocabulo & Japydicum complectitur, Jaderam usque produxit, eumque quadringentis, & quinquaginta stadiis definivit; idest passuum millibus ferme sexaginta: *Pola M. P. XXI.* idest a Parentio; *Trajectus sinus Liburnici Jader usque stadia CCCCL.* Vereor, ne huic numero notam unam arithmeticam Librarii per imprudentiam vel inscitiam detraxerint; eidemque stadia ferme centum addenda esse censeo; quippe iter nauticum, quod Pola est Jaderam, si medio mari fiat, rectaque regione stadia minimum quingenta, & quinquaginta complectitur; longe autem plura iis conficienda sunt propter multos circuitus & anfractus, qui oram inter insulasque navigationem instituunt. Scylax Caryandensis post Jaderam, quam Liasidassam vocat, Liburniæ maritimæ has sive urbes sive gentes attribuit, *Attienites, Dyirtæ, Alupsos, Olsos, Pedetæ, Hemionos*. His prætermissis, quarum & situs ignoti sunt, & nomina obsoleta, qui Jadera profecti propter mare Orientem versus iter faciunt, plures obvios vicos percurrunt, quibus ora illa frequentatur, & fere vigesimo ab Jadera milliari Blandonam perveniunt; totidem enim passuum millibus hanc ab illa distare scriptum est in Tabula itinerarii Antoniani. Hic, ubi fuit Blandona, aut hinc non longe, posterioribus ætatibus condita est civitas Bellegradum, sive Alba maris, quam a Venetis, quod infesta esset Jadertinis, eversam ferunt; nunc est vicus exiguus, qui a nautis nescio quam ob causam Jadera vetus nominatur. Hinc ora maritima paullulum circumflexa declinat ad Meridiem usque ad ostia Titii in mare apertum influentis; qui terminus est Liburniæ. In ea aliqui portus, vicique perexigui visuntur, quos commemorare non est necesse. In eadem extrema ad Orientem ora Liburnica videtur statuenda esse *Arausa*, quam Itinerarium viginti passuum millibus a Blandona non quidem recta regione, sed adjectis hujus littoris variis flexibus, & anfractibus, pedestri itinere necessario circumeundis, disjunxit. Illud hic admoneo, ne putes eamdem Arausam, atque Aurasonam Ptolemaicam, esse; hanc quippe inter mediterraneas Ptolemæus, illam inter urbes maritimas Antonimus annumerat. Ora Liburnica apud vicum S. Andreæ definit, inter quem & vicum S. Nicolai e regione oppositum terram pelagus sese penitus insinuat, longiusque introrsum progrediens, tres illos, quos supra dixi, lacus efficit, Sebenicensem, Proclianum, & Scardonitanum, cui ad dexteram assidet Scardona milliariis fere 12. a mari aperto in Boream distans: huc enim usque pelagus æstu motuque marino propellitur; quod e falso nimirum haustu accolæ intelligunt. In lacum Scardonitanum illabitur Titius Liburniæ terminus, idemque initium Dalmatiæ, qui æstuariis illis maritimis intersluens, directo cursu, celerique impetu ad mare defertur. Huc revoca de Titio flumine, quæ scripsimus paragrapho proximo. Quamvis pelago terræ superfuso tum Scardona, tum Sebenicum alluitur, tamen cum utraque civitas a mari aperto remota sit, neutram in numero urbium maritima-

cum

Pausinus Plinii.

Jadera de scriptio.

Jadera olim Romanorum colonia.

Blandona.

postea Bellegradum.

Arausa distinguenda ab Aurasona Ptolemæi.

Titius Liburniæ terminus.

Digitized by Google

rum habendam esse existimamus.

Ora Dalmatiæ & pars tertia oræ Dalmatiæ.

Oram Liburnicam emensos excipit deinde ora Dalmatiæ antiquæ, duobus notissimis inclusa fluminibus, Titio & Narone, quam bifariam secant ostia Tilluri fluminis interjecta. Pars prior initium ducit ab oppido S. Nicolai, & variis intercisa æstuariis Orientem versus millia passuum fere duodecim excurrit; inde prominens in mare, ingentique ambitu curvata, Peninsulam quamdam, seu Promontorium efficit; etenim veluti quodam Isthmo, brevissimo illo quidem, sed milliaria fere septem in latitudinem porrecto adhæret continenti; cetera mari undique circumlultur, & passuum millia circiter triginta complectitur. Hanc

Hyllis Peninsula;

esse arbitror, quam veteres dixerunt Hyllim Peninsulam; cujus positio dignosci ut possit, huc transcribi oportet, quæ de hac Peninsula Scylax, Schymnus, & Plinius scripserunt. *Post Liburnas gens est Illyriorum . . . Sunt & hic Barbari, quos Lotophagos vocant, Hieraslamna, Bullini, Hyllini, Bullinis conterminì Hylli. Hi Hyllum Herculis filium conditorem suum asserunt. Sunt autem barbari, habitantque peninsulam paullo minorem Peloponneso: post peninsulam littus directum accolunt. Bullini autem Illyrica gens est; enavigatur Bullinorum regio uno die longiori usque ad Nestum sinum.*
Hactenus Scylax.

Terras deinceps adjacentes proxime
Illis Pelagones, & Liburni possident,
Queis Bullinum deinde adhæret natio,
Post hosce mox peninsula ingens Hyllica est,
Quæ Peloponneso compararier potest.
Sed oppida illic quindecim colere asserunt
Hyllos originis quidem Græcanicæ,
Quorum auctor Hyllis gnatus Herculis fuit;
Malo propinquorum tamen contagio
Feruntur evasisse Barbari,
Ut asserunt Timæus & Eratosthenes.
Ac propter illos Issa nomine Insula est.

Hyllis dicta Promontorium Diomedis.

Hæc Schymnus in descriptione oræ maritimæ ad Nicomedem Regem Bithyniæ. Plinius vero lib. 3. cap. 21. tradit hanc Peninsulam vocari *Promontorium Diomedis*, propterea quod ad Promontorii, quam Peninsulæ speciem ac similitudinem propius accedat. Ab Diomede autem cognomen excepit, qui post cladem Trojanam, Illyrici oram prætervectus cum aliis in locis, tum hic sui nominis, suique ad hanc regionem appulsus monumenta illustria reliquit: *Liburniæ finis & initium Dalmatiæ Scardona in amne eo* (Titio) XII. *M. P. a mari: dein Tariotarum antiqua regio & Castellum Tariona, Promontorium Diomedis, vel ut alii Peninsula Hyllis, circuitu C. M. P. Tragurium &c.* Ex antiquis Geographis præter Scylacem, Schymnum, & Plinium, invenio neminem, qui Peninsulam Hyllim vel descripserit, vel nominaverit, quare hujus situm ac descriptionem apud alios frustra invesligaveris. Ex his autem perspicue intelligitur maximo in errore versari eos, qui putant Hyllis

Hyllis Peninsula neque Istriæ est,

vocabulo apud laudatos Auctores Istriam designari; nam hi cum Istriam Istrosque seorsum ab Hylli peninsula Hylliisque commemorent ac describant, satis declarant hos ab illis, & peninsulam a peninsula distingui, præterquamquod Hyllim ab Istria Liburnorum interjectu sejungunt; idque confirmat Eusthatius, qui ex Apollodoro, inter Hyllos hujus Peninsulæ incolas, & Istros, Liburnos constituit: *Post Hyllas Liburni & Istri*. Nihilo propius a veritate absunt, qui Peninsulam Hyllim

neque Promontorium Stagni,

censent illam esse, quæ ultra ostia Naronis ab Ortu in Occasum excurrit, vulgoque Promontorium Sabioncelli, seu Stagni dicitur, ab antiquis Peninsulam Nesti appellatam ferunt. Siquidem Hyllis Peninsulæ & adjacentium locorum descriptio a Veteribus tradita cum Stagni positione non cohæret. Scylax quippe regionem Bullinorum, apud quos est Hyllis Peninsula, ab Nesto sinu, ad quem pertinet Peninsula Stagni, itinere unius diei longioris sejunxit. Adde quod Scylax Hyllim posuit ante fluvium Naronem, ultra quem sita est peninsula Stagni. Schymnus prope ab Hyllinis, Hyllique peninsula statuit Issam insulam, quæ quamvis inde absit passuum millia amplius viginti, eam tamen prope *illos poni*, ut eum locum interpretatur Dalmata historicus lib. 1. cap. 4. *eo quia navigantibus antequam in prospectum Issæ perveniant, ex insularum impedimento, Hyllis non appareat*. Quare idcirco Schymnus propter Hyllos Issam esse scripsit, quia hinc facilis est, nulloque interjecto impedimento, apertus prospectus usque ad Hyllim, quo fit, ut si oculorum judicio standum sit, altera alteri propinqua esse videatur. Contra vero non solum duplo major est inter Hyllim & Stagnum distantia; sed insularum interjectus mutuum utriusque prospectum plane adimit. Plinius denique longissime ab Stagno Hyllim peninsulam summovet; utrique enim plures urbes gentesque interposuit. Verum enimvero quod Scylax & Schymnus tradunt, Hyllim *paullo minorem esse Peloponneso*, sive, *cum Peloponneso compararier posse*, id sane nullo modo conciliari potest cum Hylli nostra, seu cum Promontorio Diomedis, quod a Peloponnesi magnitudine mirum quantum abest. Sed neque cum Istria, neque cum Peninsula Stagni congruit Peloponnesiaca illa comparatio. Quare cum Hyllis tum nostra, tum Istrica, tum Stagnensis magnitudine sit longe minor, quam Peloponnesus, eadem responsione, quam aliis utriusque Geographi locis adhibuimus, diluere possumus id, quod e Schymno, & Scylace nostræ & aliorum sententiæ adversis ipsi nobis objicimus; nimirum laudatos scriptores vel hyberbolica loquendi formula more Græcorum usos fuisse, vel eam comparationem instituisse ex aliorum testimonio, quibus e longinquo prospectum captantibus hæc peninsula longe major visa est, quam si cognita illis ex ipsius accurata dimensione fuisset. Idem fere ante nos animadvertit ac docuit diligentissimus locorum illorum investigator lib. 1. cap. 4. *Græci prætervectantes, qui ipsius situs explorandi necessitatem non habuerunt, peninsulæ magnitudinem commenti sunt, & quindecim civitates eam habere, ut fertur, scripserunt; ex alieno tamen relatu, ipsismet, qui scripserunt, non probato*. Et paullo post hæc adjecit: *quod autem illam magnitudine parem Peloponneso tradant Græci, ita simile est, quæ de Istro in Jonicum confluente, & de Ponto Adriatico proximo, & cum ipso peninsulam faciente, referunt; in Peninsulæ autem formam vere existere hoc Promontorium gnaxis locorum patet*. Cæterum si quis existimet apud Schymnum Hyllis peninsulæ vocabulo totam Hyllinorum regionem designari, is mea quidem sententia haud longe a verisimilitudine aberraverit: nam apud Græcos Cherronesi nomine, quo uterque scriptor utitur, non solum peninsulæ proprie dictæ, sed etiam regiones ad mare vergentes comprehenduntur, quemadmodum & Thracia, & Asia Minor Cherronesus appellatur. Quod si ita est, jure ab Schymno *ingens* dicitur, *Peninsula Hyllica*; & si tractus illius, quem Hyllini incolebant, amplitudinem spectes, haud inepte comparari potest cum Peloponneso; neque videtur incredibile eam oppidis omnino quindecim, & pagis longe plurimis habitatam fuisse. Hyllinos & Bullinos

Hyllis longe minor est Peloponneso contra quam tradunt Schymnus & Scylax,

vel Hyllis vocabulis universim Hyllinorum regionem subjecerunt.

Hyllini & Bullini genus eadē

linos ejuſdem generis populos fuiſſe, vel ipſa utriuſque vocabuli affinitas, & ſimilitudo declarat. Erant hi oriundi a Peliſgis illis, quos Hyllus Herculis filius e Phæacia ſive Corcyra inſula in hanc regionem invexit, ſuoque vocabulo Hyllinos appellari juſſit, a quibus nomen gemuſque Illyricum ortum eſſe diximus. Ex his, qui oram illam Liburniæ proximam incolebant, a Bobus Bullinos

unde Bullini dicti.

denominatos eſſe arbitror; Bos enim Βῶ græce dicitur; eos ſiquidem Hyllus in aciem eduxit contra Mentores Liburniæ populos, quibuſcum ipſe, ut tradit Apollonius, pro bobus vel recuperandis vel adipiſcendis egregie dimicans, in prælio occubuit. Ex hujus igitur belli cauſa nomen illis inditum eſt, quo a cæteris Hyllinis diſtingui cœperunt, unius prioris ſyllabæ variatione a vocabulo primigenio diverſum. Itaque Hyllinam regionem bifariam dividi oportet, & quæ pars in Occaſum ſpectat, Bullinis, quæ ad Orientem vergit, Hyllis ſive Hyllinis attribui debet. Nam, ut Scylax, itidem Schymnus in deſcribenda ora illa ab Occaſu in Ortum more Geographico progredientes, Bullinos Hyllinis anteponunt; niſi quod Scylax Liburnis & Bullinis Lotophagos, & Hieroſtamnas,

Lotophagi & Hieroſtamnæ.

ab Schymno aliiſque prætermiſſos interjecit, qui proxime ab oſtio Titii in mare apertum influentis ante Bullinos oram incolebant. Quamvis autem regio Hyllinorum ab Titio flumine ad Drilonem uſque antiquitus porrecta eſſet, eam tamen Scylax intra ſinum Neſtum, ſeu Tilurum contraxit; nam eum ſinum Neſtis, ac Maniis accolis adſcripſit, qui antiquo poſthabito Hyllinorum vocabulo, his novis aliunde adſcitis nominibus appellari voluerunt; totam vero hanc regionem idem Scylax ſub uno Bullinorum vocabulo ſubjectam unius longioris diei ſpatio naves prætervehi ſcripſit: *Enavigatur Bullinorum regio uno die longiori uſque ad ſinum Neſtum*. Ad Peninſulam Hyllim ut ſermonem referam; hujus dimenſio in codicibus Plinianis mendo arithmetico ſubeſt; & pro nota C tres alias arithmeticas notas videlicet xxx. ſubſtitui oportet; neque enim amplius triginta millia paſſuum hæc peninſula circuitu complectitur; multis illa ſane angulis & anfractibus inciſa eſt, quorum rationem ſi habendam putes, plura quidem, quam triginta milliaria, ejuſdem ambitus comprehendit, ſed adhuc a Pliniana illa dimenſione longiſſime abeſt. Huic littori uſque ad oſtium Neſti ſeu Tiluri producto has urbes ſive oppida apponunt, Plinius *Tragurium civium Romanorum, marmore nptum, Sicum in quem locum D. Claudius veteranos miſit, Salonam Coloniam;* Ptolemæus omiſſo Tragurio, quam urbem regionemque inter inſulas annumerat, *Sicum, Salonæ Coloniam, Epetium*; Antoninus *Pratorium M. P.* xxx. ſcilicet ab Arauſa poſtrema Liburniæ civitate, *Tragurium M. P.* xvi. *Salonas M. P.* xiii. Conradus Peutingerus non ille quidem Auctor, ſed inventor veterum illarum Tabularum, quæ ab ſub inventore dictæ ſunt Peutingerianæ, *Ad Pratorium* xx. *Loranum* xv. *Tragurium V. Sicelis* viiii. *Salonam* iiii. *Epetium*. Inter Itinerarium Antonianum & Tabulam Peutingerianam hoc intereſt, quod numerus milliarium in hac quidem deſignat diſtantiam locorum, quibus interjectus eſt; in illo autem ſignificat quantum diſtet locus, cui appoſitus eſt, a loco antea nominato. De numero milliarium alicubi diſcrepant; nam auctor Tabulæ Peutingerianæ Prætorium inter ac Loranum viginti, Loranum inter ac Tragurium quindecim milliarium diſtantiam interpoſuit, quæ ſimul collecta triginta & quinque milliarium ſummam efficiunt. Auctor vero Itinerarii, Lorano prætermiſſo, Prætorio Tragurium non amplius ſexdecim millia paſſuum diſtare ſcripſit; hunc autem illi præferendum cenſeo; cum enim adhuc extent tum veſtigia Prætorii, quod nunc dicitur Tragurium vetus, tum civitas Tragurii eodem, atque olim erat, loco poſita, utriuſque diſtantia fere eſt ſexdecim milliarium, aut certe ad hunc numerum proxime accedit, contra vero a numero Peutingeriano longiſſime abeſt. De ſpatio milliarium inter Tragurium, & Salonas interjecto levior eſt, & unius tantum milliaris diſcrepantia. Itinerarium Tragurio Salonas tredecim, Tabula Tragurio Siclis v. hinc Salonas novem annotant. Jam vero ſingulas urbes ſive manſiones percurramus. Hyllis Peninſula vicis admodum paucis frequentatur; in extrema ejus inter Ortum ac Meridiem regione oppidum erat, cui Prætorio nomen, nunc Tragurium vetus appellant; ejuſque ibidem loci adhuc veſtigia cernuntur. In antiquis Tabulis, quæ rationes itinerum dimenſas ac diſtributas exhibent, multa reperies ejuſdem nominis oppida; & in Tabula Peutingeriana, præter Dalmaticum, de quo nunc agimus, duo ſunt Prætoria Pannoniæ ſuperioris, alterum viæ, quæ Æmona Siſciam, alterum viæ, quæ Siſcia Sirmium ducit, impoſitum. Huic noſtro Prætorio maritimo ſubeſt egregius portus, tutiſſimuſque ab omni undarum, & ventorum injuria, objectu inſulæ S. Michaelis, a qua portus ipſemet cognomen accepit, quamvis vulgo etiam *Mirara* dici ſoleat. Is navibus cujuslibet generis facilem æque ingreſſum atque egreſſum præbet, eſtque nautis veluti a natura paratum opportunumque perfugium ad vitandas tempeſtates, ac procellas, quæ in illo maris tractu exiſtere ſolent; nam præter ſyrtim admodum periculoſam in angulo Peninſulæ fere extremo ad Occaſum, ubi fluctu trahente modo arenæ dehiſcunt, modo in aggerem cumulantur; undæ impetu Titii ab dextera, Tiluri & Naronis ab ſiniſtra in mare influentium vehementius impulſæ, & ex ambobus peninſulæ lateribus procurrentes, adverſiſque ſubinde agitatæ ventis, fere perpetuo inter ſe acerrime que conſligunt. Quare naves, quo veſanos illius Promontorii furores atque impetus, ſyrtiſque pericula quam maxime declinent, in altum porrectæ longiſſime recedere ſolent a terra; ſi quando tamen eas ab Orientis partibus profectas, eoque in mari deprehenſas gravior tempeſtas invadat, illis præſto eſt, quem dixi, portus, quo ſe recipiant; neque antea egrediuntur, quam poſt ſedatam tempeſtatem, & mare fiat pacatius, & ſecundi aſpirent venti, quorum propitio impulſu longius a promontorio ſyrtique porrectæ ſine ulla offenſione periculove curſum teneant. Hæc omnia fuſe diligenterque deſcripſit Hiſtoricus Dalmata de Reg. lib. 1. cap. 4. neque committendum cenſeo, ut hic ejus deſcriptio longiuſcula illa quidem, ſed perſpicua & accurata deſideretur: *Hoc promontorium, quamvis neque in mare admodum porrectum ſit, neque, præter unicam ſyrtim, quidquam ominoſum habere videatur, tamen a nautis experientia tantis adeo timetur, ut in præternavigatione totius Adriatici, nuſquam majori cautela ſibi opus eſſe exiſtiment, quam ibi, ubi (cum in medio ſinus Adriatici ſitum ſit loco) maximus fluxus, & velocior, quam in quibuſcumque aliis ejuſdem ſinus locis exiſtit; nam mare, quod per Venetorum ſtagna reciprocando, ſtato ſex horarum ſpatio ad evidentiam, certamque menſuram creſcit, & decreſcit; circa dictum Promontorium inſenſibili pene decremento, velocitate tamen ſumma, & incerti-*

Hyllis ab amplius 30. millia paſſuum circuitu complexa.

Prætorii.

Portus S. Michaelis.

Syrtis Hyllī adj jacens.

Deſcriptio Hyllis ſeu Promontorii Dilmedii.

titudine nautis formidabili fertur, quibus accedit aquarum motus velox, una ex parte a Titio, ex altera vero major & velocior a Tiluro, & Narone fluminibus procedens, & inter Insulas & continentem, quasi per canalia contrario cursu ad syrtim in extremo Promontorii angulo sitam, perveniens, ubi invicem pugnant non solum aquæ, verum, quod mirabilius est, sæpe sæpius venti contrarii hinc inde ad syrtim usque simul pervenientes; naves vero plenis velis ex contrariis partibus illuc delatæ, vento repente destitutæ, vorticibus aquarum exponuntur; & si Auster superveniat, incredibile pene est, quam ingentes undæ syrtim verberent, immanesque vortices prope eam oriantur; ob id præter cautelas, quas ubique adhibere nautæ solent, circa hoc Promontorium existentes, antequam e portu solvant, diligenter omnia perscrutari coguntur, ut eis tuto pertranfire liceat, ventoque propitio flante, longe ab ipsa syrti navigant, eo quia, quo ab ea longius, eo aquarum vis reciprocativque remissior est: inde Peninsula hæc, sive Promontorium celebre evasit, Diomedisque appellationem sortitum est, testem, ut ex loci natura concipere licet, rerum ab eo gestarum. . . . In ea Peninsula sicuti XV. civitates fuisse Græci commenti sunt; ita nullibi civitatis ullius vestigium apparet, præter rudera Prætorii ab Antonino & Tabulis Peuting. memorati, in Peninsulæ orientali parte siti, quod quadratæ structuræ fuisse, forumque in medio formæ ellipticæ habuisse, porticibusque circumdatum, & cisternas in angulis, pro aquarum, quibus situs indiget, necessitate supplenda, ruinæ demonstrant. Illud sicuti ad navigantium tutelam in portu deserto, sed a Romanis frequentato ædificatum censeri debet; ita portus ipse quibuscumque Illyricæ continentis portubus commodior existit; facilem etenim ingressum, tutam stationem, prospectum in altum mare, facillimumque egressum cujuscumque generis navibus præbet; ita ut ad Promontorii pericula vitanda, proximum a natura refugium paratum videatur; qui ab insula, ex opposito ipsum ab undarum injuria tutante, S. Michaelis Archangeli nuncupari solet, indigenarum tamen vocabulo Mirara dicitur.

Isthmus peninsulæ hæc duos sinus.

Isthmus peninsulam Hyllim continenti annectens inter duos sinus intercst, quorum alter ab Occasu Stolpona dicitur, nomen ab vico, cui adjacet, mutuatus; alter ab Oriente, Buffigline dictus prope villam ejusdem nominis, quam hujus regionis incolæ abhinc duobus sæculis ædificarunt, quo se a Turcarum incursionibus reciperent, eamque veteri vocabulo Bussillinam nuncuparunt, hodieque aliquot focis habitatur, & Bussiglinem vulgus appellat. Hæc regio supra Peninsulam ad Septemtrionem in Tabula Peutingeriana inscribitur *Bullinia*. Uterque sinus nautis vectoribusque id commodi affert, ut qui Promontorii syrtisque periculis se committere non audent, iis alteruter pateat, quo subeuntes navim ad terram appellunt, & terrestri itinere Isthmum emensi ad sinum oppositum cum pervenerint, navigium iterum conscendunt; atque insulas inter oramque prætervecti reliquam navigationem cautius ac tutius conficiunt. Hæc ex eodem Historico Dalmatiæ cognosci licet, iterumque transcribere non piget: *Sinus ex utraque parte Isthmum efficientes, ac circumjacentia loca, adeo saxosa, & sterilia sunt, ut ab antiquo deserta, vix a solis pastoribus, piscatoribusve adita fuisse censeri debent; quæ nunc quoque nautis incognita essent, nisi* 150. *abhinc annis Bullini & Hyllini simul convenientes, & Turcarum vim fugientes, in intimo communis Orientalis sinus litto-*

Isthmi & Sinus utriusque descriptio.

re villam exstruxissent, quam veteri quoque ac communi ejus vocabulo sinus Bassillinam nuncuparunt, ut in patriæ Chronico latius; prout alia ex parte ad fauces Occidentalis sinus Stolponæ (sive Strapini dicti) villam aliam supra insulam a cornibus dictam fundarunt: quarum commodo, qui Promontorii pericula fugiunt, marisque agitationem ac nauseam vitant, alterutrum sinum adeunt, & per isthmum terrestri itinere incedentes ad alterum sinum deveniunt, pacatiori deinde mari inter insulas procedentes, abindeque Peninsulam, sinusque ipsos notos effecerunt. Sinus Bussillinæ inferius ad Meridiem latus exserit se in mare instar cujusdam Promontorii, in quo Loranum Tabulæ Peutingerianæ situm fuisse nullum quidem veterum ædificiorum, sed antiquæ appellationis vestigium quodam indicat; is siquidem locus *Laurecina* dicitur; quod nomen ex vetusti vocabuli depravatione ortum esse videtur; *Lauricinæ* enim cum *Lorano* affinitas aliqua & similitudo intercedit. Hinc mille passuum circiter quinque situm est Tragurium, civitas pervetus ac nobilis, quam ab Issensibus conditam esse docuit Strabo, oppidum civium Romanorum vocat Plinius, & ob marmoreas fodinas notum olim ac celebre fuisse testatur. Strabo, Mela, Ptolemæus Tragurium statuunt in insula ejusdem nominis; sed Plinius, Antoninus, Auctorque Tabulæ Peutingerianæ annumerant inter urbes continentis, cui angustissimo quodam isthmo annectebatur, quemadmodum Auctor monumentorum Tragurienssium, aliique animadverterunt; quare quam reipsa Peninsulam esse aliis exploratum fuit, alii, quorum observationem notitiamque subterfugit tenuis ille isthmus, insulam esse censuerunt. Constantinus Porphyrogenitus de Admin. cap. 29. cum insulam eam vocet, fatetur tamen aggere quodam intermedio cum littore conjungi. *Urbs Tetragurium parva quædam in mari insula est, angustissima cervice ponticuli instar ad terram usque porrecta, qua oppidani in urbem trajeunt.* Isthmo posterioribus temporibus perfosso, pons lapideus interjectus ab urbe ad continentem transitum præbet. Tragurio objacet a Meridie insula Bubua, sive Boa, ponte itidem cum urbe ipsamet conjuncta, hujusque objectu portus efficitur tutissimus idem, & navium ingentium capacissimus, ad quem duobus ostiis accessus patet. Ab Tragurio quarto ferme lapide in Ortum disjungitur Sicum, urbs perantiqua, quam Plinius & Ptolemæus commemorant, Tabula Peutingeriana Siclim vocat, ejusque jamdudum eversæ rudera etiamnum visuntur. Hunc locum fertili solo ac peramæno, cœlo salubri ac temperato, veluti quietis honestique otii sedem Claudius Augustus veteranis, emeritaque militia perfunctis, remunerationis ergo destinavit. Errant vel maxime, qui Sicum inter ac Sibenicum nihil interesse existimant, nisi antiqui vocabuli depravati litterisque aucti variationem; Sicum enim veteres ad mare inter Tragurium & Salonam locarunt; hinc vero longissime abest Sibenicum ad sinistram Titii fluminis procul a mari positum; quam urbem post declinationem Imperii a Chrobatis ædificatam ferunt. Ultra Sicum pelagus oram continentem intersecans, ostioque late deducto terram penitus irrumpens, portum sinumque Salonitanum efficit, ad cujus caput assidet Salona, civitas quondam amplissima, eademque Colonia Romanorum, manu ac natura munita, quæ pulchritudine tectorum ac frequentia, commercio, divitiis, civium & incolarum numero cum præcipuis Imperii Romani urbibus haud immerito conferri potest. De Salona cum alibi plura

Loranum.

Tragurii.

Sicum a Sibenico diversum.

Salona.

dicturi simus, ea hic describendo præoccupare supervacaneum censeo. Infra Salonam ad Meridiem littori adjacet Spalatum, ex palatio quondam Diocletiani civitas præclara in primis ac nobilis, a Salonitanis amissa patria profugis exstructa, & in locum eversæ Salonæ substituta; antiquis mœnibus ac propugnaculis septa, civibus admodum frequens, & affluens rerum omnium copia, eademque instructa portu egregio, qui facilem aditum, commodamque stationem cuilibet classi navigumque multitudini præbeat. Abest Salona passuum millia circiter quatuor, vel tria; indeque sedes Pontificia Metropolitana, Dalmaticeque ecclesiæ principatus, cum omnibus ecclesiasticis privilegiis atque ornamentis Spalatum concessit, quæ urbs ob eam causam altera Salona vocari solet. Haud longe ab urbe Occasum versus exiguum promontorium eminet, ubi visuntur vestigia veteris cujusdam fani sane magnifici, quod Dianæ cultu ac nomine consecratum fuisse cognosci potest e Tabula Peutingeriana, in qua is locus *ad Dianam* inscribitur; nunc ibidem extat Templum S. Georgii, & locus Promontorium Margliani nuncupatur. Salona in Meridiem & Spalato in Orientem æquali spatio distat Epetium, oppidum maritimum, olim neque infrequens, neque ignobile, cujus meminere Ptolemæus & Tabula Peutingeriana, quæ eidem portum *Epitium* adjecit. Sæculo septimo ab Avaribus excisa cum Salona funditus corruit; nunc prope ab ejus ruinis vicus est exiguus, quem Zarnounizam nuncupant eodem vocabulo, quo & fluvius præterfluens denominatur. Hinc ad quintum milliare progressis occurrunt ostia Nesti seu Tiluri, nunc Cetinæ fluminis, quibus ad dexteram adjacet vicus maritimus, cui ab S. Stephano inditum est nomen.

Spalatum.

Ad Dianam.

Epetium.

Ab ostiis Tiluri pars quarta oræ Dalmaticæ.

Itaque ab ostiis Tiluri pars quarta oræ Dalmaticæ incipit, quæ ad Naronis usque ostia millia passus fere sexaginta producitur. Hic littus paululum in Septemtrionem recedens sinuoso ambitu curvatur; & duobus quasi brachiis, altero ad ostium Tiluri modice exserto, altero ad Naronis ostia longius exporrecto, sinum Narentanum complectitur. Hunc sinum, quod Nesti & Manii vetustissimi populi circumcolerent, Nestum & Manium Scylax appellavit. *Post Nestum flumen, sinuosa navigatio est, vocatur autem totus hic sinus Manius, qui uno die circumnavigatur.* Huic oræ duas urbes imposuit Plinius, *Piguntias*, & *Rataneum*, duas itidem Ptolemæus *Piguntium*, & *Oneum*, quod Rataneum Plinianum esse arbitror. Tabula Peutingeriana Piguntium omittit, Oneum ab Epetio VII. M. P., Inaroniam ab Oneo XII., & septem distans inde milliaribus tertium quoddam oppidum anonymum adscribit. Antoninus prætermisso secus oram itinere, iter a mari remotum, quod est Salonis Dyrrhachium, dimetitur. Piguntium ad sinistram Tiluri haud longe a mari ibidem situm fuisse Geographi censent, ubi Almissa est castellum arduę rupi impositum, quod & loci natura, & munitiones adjectæ ab inopinis hostium aggressionibus egregie tuentur. Hinc haud longe abest Oneum, si fides habenda sit Tabulæ Peutingerianæ, quæ hoc oppidum ab Epetio passuum millibus haud amplius septem disjungit, idem fortasse ac Rataneum a Plinio commemoratum; quamvis aliqui Rataneum Plinianum longius in Ortum rejiciant, & ibidem loci constituant, ubi nunc est Macarsca. Sequitur Inaronia, cujus nemo veterum mentionem fecit, præter conditorem Tabulæ sæpius laudatæ, apud quem Oneo, & Inaroniæ millia duodecim interposita sunt: inde autem septimo milliario abest aliud oppidum in eadem Tabula pictum, cui nullum positum est nomen; ab eoque proxima sunt ostia cujusdam fluvii, quem ibidem Drinum appellatum invenies, ab Occasu longissime, duplicique deductum alveo satis amplo, & supra fontes Tiluri in unum coeunte. Atqui cum tres amnes fere cognomines superiori paragrapho a nobis sint descripti, Drinus, Drinassus, & Drilo, ex his nullus est, qui ad hunc locum transferri possit. Nemo non videt in hac tabula, quanta jamdudum facta sit labes, & quam multas in eam depravationes inscitia, vel incuria veterum Amanuensium invexerit. Cæterum antiqua illa oppida abhinc multis ætatibus aut clade bellica, aut injuria temporum ita prorsus obruta sunt, ut ne vestigia quidem appareant, unde illorum positio dignosci queat. Nunc ora illa frequentibus & nobilibus pagis oppidisve habitatur, quos nominatim persequi haud operæ pretium esse duxerim. Unica est civitas non incelebris, præalto loco eminens, cum portu sane optimo, eademque Episcopali sede insignis, quam nunc Macarscam vocant, Mocrum veteres Slavi dixere; & Rataneum Plinianum esse quidam arbitrantur. Exinde ora hęc paullatim deflectitur, & magis magisque ad Meridiem vergens tripliçi Naronis ostio definitur. Naro enim, ut diximus, tribus ostiis in eum sinum prorumpit, qui ab eo Naronianus, sive Narentanus cognominatur. Quinque enim a mari passuum millibus in duos alveos diductus insulam efficit, cui nomen est Opus, insulæque caput arx insidet ejusdem nominis, superiori sæculo exstructa, & firmissimis mœnibus ac propugnaculis munita; e dextero autem alveo, propius a mari amnis exundans, tertium sibi alveum aperit, quo influens, auctusque aliis aquis dextrorsum confluentibus, in mare delabitur.

Sinus Narentanus olim Nestus & Manius.

Piguntiæ & Rataneum.

Piguntia, ubi nunc Almissa.

Oneum & Rataneum fortassis idem oppidum.

Inaronia.

Macarsca.

Opus fluvius & Arx.

Post ostia Naronis incipit pars quinta oræ Dalmaticæ, & usque ad ostium Drilonis producta passuum millia circiter centum & sexaginta longitudine comprehendit. Ab ostiis Naronis Orientem versus millia passuum quinque primum excurrit, ac totidem postea ad Meridiem declinat; tum e directo littore exserens se longissimo excursu, in Occasum procurrit. Hæc est, quam vocant Peninsulam Stagni, vulgo Sabioncellum; olim dictam ferunt Peninsulam Nesti, ab Nesto sinu, quo a Septemtrione alluitur. Falluntur enim vero, qui huic loco sive Oneum Ptolemaicum, sive Oęneum Livianum inscribunt; hoc enim abest longe terrarum in confiniis Macedoniæ, cujus potiundi causa Perseus copias illuc deduxit, Livio teste, quod transitus & perfacilis esset in Illyricum, & ad Labeates, ubi Gentius regnabat; illud vero alterum nominis fere ejusdem oppidum Ptolemæus inter Peguntium & ostia Naronis locavit, & milliaribus non amplius septem ab Epetio Tabula Peutingeriana disjunxit. Peninsulam Stagni montes ab Ortu perpetuis in Occasum jugis porrecti intersecant. Sinus Naronianus a Borea, fretum ipsam, Melitamque insulam interfluens ab Austro alluunt; millia passuum circiter nonaginta circumscribunt. Multo longior est, quam latior; & quo magis in Occasum extenditur, eo magis in arctum coit, desinitque in angulum Orienti, Phariam inter Corcyramque insulas, obversum, similitudinem referens speciemque trigoni oblongi. Latus in Septemtrionem spectans ab incolis domiciliisque fere vacuum est atque desertum; alterum latus Soli meridiano objectum quinque vicis sive oppidis non

Pars quinta oræ Dalmaticæ, idest Illyrici propria.

Peninsula Stagni.

Stagni descriptio.

infre-

Digitized by Google

infrequentibus habitatur; isthmus vix tria milliaria latitudine complectens, Orientemque prospiciens, basis instar obtinet, ubi sita est civitas Stagni, unde cognomen Peninsulæ obvenit, cui & nobilitatem conciliat sedes Episcopalis, & portus egregius mirificas utilitates affert. Post isthmum, cujus nexu Peninsula Stagnensis continenti adhæret, ora hæc omnis paullulum in Meridiem inclinans Orientem versus longissime protenditur; plures identidem sinus aperit, modo aliquantulum prominet, modo introrsum recedit, variisque flexibus & anfractibus intercisa est. Inter ostia Naronis & Epidaurum nullas urbes maritimas neque Plinius, neque Ptolemæus recensent; ratioque ac dimensio terrestris secundum mare itineris abest ab Itinerario Antonini in editionibus Veneta ac Florentina, quæ nobis ad manum fuere, cum alias videre non licuerit. Tabula Peutingeriana eidem oræ hæc oppida urbesque apposuit: Ad *Turres*, *Diluntum*, *Pardum*, *Adilichiam*, *Asanum*; quæ vocabula germana ne sint, an depravata judicari nequit, cum cæteri scriptores hæc loca silentio præterierint, e quibus, recte an secus eorum nomina Auctor Peutingerianus expresserit, cognosci posset; cæterum & loca & vocabula illa vetustas penitus abolevit. Ab urbe Stagni milliaria fere undecim sunt ostia Arionis fluvii, quem nunc Omblam dicunt, & portus sane tutus nautisque percommodus, cui a S. Cruce nomen est, vocarique etiam solet portus Gravosæ, ab antiquis populis Agravonitis hujus oræ accolis, quorum meminit Livius. Ab Narone ad flumen Arionem unius diei navigationem esse scripserat Schymnus, sed propter circuitum Peninsulæ Nesti interpositæ, vereor, ut intra spatium unius diei ea navigatio confici possit. Supra portum a Septemtrione situs est pagus S. Stephani; infra vero ad Meridiem pagus S. Martini, duobus fere milliaribus distans. Hinc passuum millibus fere quatuor distat Ragusium, urbs & natura, & situ, & descriptione ædificiorum, & pulchritudine in primis nobilis; cui & subest portus celeberrimus, ac plenissimus navium, quo mercatorum concursus undique fieri solent ad merces omnigenas sive exportandas, sive importandas; & imminet arci loco excelso præruptoque imposita cum loci natura, tum bellicis operibus egregie munita. Eadem est caput ac Metropolis Reipublicæ Ecclesiæque Ragusinæ. De hac urbe ac Republica hæc litteris prodidit Palladius: *Ragusium urbs sacris profanisque ædibus ornatissima, & argenti aurique ditissima, quæ inter tria Imperia Venetorum, Pannonumque, & Turcarum constituta, privata sorte degit, ut antiquitus in Asia inter Parthos Romanosque Palmyra. Pendit tamen annuum Turcarum Regibus tributum. Verum hæc, ut reliquæ Illyrici urbes, in patritios plebejosque divisa est, ita tamen ut soli patritii, summotis plebeis, rempublicam administrent: in qua quidem non modo leges, sed etiam magistratus Venetis persimiles habent; cujus rei originem hanc fuisse comperi. Cum enim Ragusinorum Reipublicæ, quantulacumque est, fundatores eam posteris undique munitam tradere vellent, & Venetam Rempublicam legibus & moribus potius divinis, quam humanis institutam cernerent, illam sibi in omnibus imitandam proposuerunt. Verum procedente tempore, cum id quoque cognitum foret Venetos mercaturæ discere, eos hac quoque in parte imitari voluerunt. Hinc est, quod nulla Europæ pars adeo abdita est, ita advenis infesta, ut in ea Ragusinos non invenias negotiantes. Habebant annis superioribus, cum antea tentatus Veneti decretum jure suo, quotumque vellent, navigare possent, naves amplius trecentas, quas mercibus onustas in diversas orbis partes ad quæstum mittebant; sed longum foret, si omnia commemorare vellem. Unum tamen non prætermittam, quo intelligatur, quanta sit Ragusinorum severitas & in liberis educandis diligentia: non enim sinunt in sua urbe ludos esse, nisi literarios; si gladiatores saltatoresque accesserint, subito ejiciuntur; ne juventus, quam litteris duntaxat, aut mercaturæ vacare volunt, hujusmodi sceditatibus corrumpatur.* Ab Ragusio sexto ferme lapide Epidauri, sive Epituari antiquæ Romanorum coloniæ vestigia visuntur; nunc vicus est perexiguus, quem vetus Ragusium vocant; nam qui putant Ragusium supra laudatum esse vetus illud Epidaurum Græcis pariter Latinisque litteris celebratum, eos falsitatis arguunt, tum antiquæ magnæque urbis rudera, quæ adhuc ibidem extant, tum lapides indidem effossi, inscriptique: COL. EPIDAURUM. Tres sunt urbes, quibus Epidauro nomen fuit; una apud Illyrios, de qua nunc agimus; altera in Peloponneso apud sinum Argolicum; tertia itidem Peloponnesiaca in Argia regione ad sinum Saronicum, quæ ab delubro Æsculapii ibidem summa religione culti, celebritatis ac nominis causam accepit, ut Plinius docet. Similitudo nominis plerosque, ut fit, in eum errorem induxit, ut neque nostrum ab reliquis duobus Epidauris satis distinguerent, & præterea delubrum Æsculapii, cui figuram speciemque Serpentis affingere veteres solebant, ad Dalmaticum ab Argivo Epidauro transferrent. Regionem circa Epidaurum Dalmatiæ feracem fuisse serpentum tradunt; id quod Poetis fortasse causam præbuit fingendi Cadmum apud Illyrios in serpentem esse conversum. Uri vero, nostrone, an Argivo Epidauro adscribendus sit *Serpens Epidaurius* apud Horatium, statuere non ausim. *A Narona amnè C. M. P. abesse Epidaurum Coloniam* scripsit Plinius, sed vereor, ne nota illa arithmetica mendo subsit, cum inter Naronem & Epidaurum duplo minor sit distantia. Haud longe ab Epidauro exiguum est Promontorium, ubi rupes quædam excelsæ ac præcelsæ eminent, quæ Cadmi, & Harmoniæ saxa templumque Scylax appellavit. In hac enim regione Cadmum regnasse perhibent; ibique & sepulchrum, & fanum Cadmi ejusque conjugis Harmoniæ, aliaque utriusque monumenta antiquitas fabulosa ostentabat, quæ Historicus Dalmata versiculis ex Apollonio, & Nicandro prolatis illustravit: *Ibi rupes, & prope eas antrum ingens existunt, in quo antro Serpentes fuisse posteriorum quoque temporum fert opinio; ibique Cadmum in Serpentem mutatum, nec non tumulum ejus, fanum, & oraculum extitisse commenti sunt Græci, de quo Apollon. Argonaut. 4. de Colchis: Hi juxta Illyricum ex profunditate nigrum flumen, ubi Harmonia est, & Cadmi bustum, turrim excitarunt Enchelecnsium inquilini; quod inter Naronem & Drilonem ponere videtur Nicander in Theriacis.*

Accipe & ocllipedem raptum de flumine cancrum,
Lasse novo terito, tum natam Naronis irim
Marginibus, quaque Illyricis Drilo perfluit agris,
Harmoniæque & Sidonii frondamina Cadmi
Pascua, ubi gemini serpunt per rura Dracones.

A Saxis Cadmeis milliario fere undecimo, pelagus diductis utrinque littoribus ostium satis amplum sibi aperit, quo influens, introrsum longius, quam latius expanditur, & sinum, quem so-

Civitas Stagni.

Ora Ragusæ.

Epidaurus col. Rom.

Hujus oppida erant, Ad Turres, Diluntum, Pardum, Adilichia, Asanum.

Portus Gravosæ.

Ragusium.

Descriptio Ragusii.

Saxa Cadmi & Harmoniæ.

Sinus Catarenſis. vocant. Catarenſem, efficit, cujus longitudo, ab Occaſu in Ortum millia paſſuum circiter quindecim protenditur; inde autem anguſtis ad Septemtrionem faucibus ſubiens, alterum minorem ſinum longius itidem quam latius productum efficit, quem Canalem Catarenſem nuncupant. Hic ſuperior ad Boream, ille inferior ad Meridiem ſinus rite cognominari poteſt. Utrumque ſinum Rhizonicum antiquitas appellavit. In angulum ab Occaſu ferme extremum ſinus ſuperioris ab arduo colle imminet Rhizinium perantiqua civitas ac nobilis, quam Plinius vocat *oppidum civium Romanorum*, qui ab Scylace Ῥιζών, a Strabone Ῥίζων, a Livio itidem *Rizon* appellatur. Ptolemæus, Ῥισινών, Rhiſinum vocat, & ordine præpoſtero Rhiſino Epidaurum poſtpoſuit. Nunc Rhiſanum vulgo dicunt, & quamvis de antiqua amplitudine ac magnificentia vel plurimum amiſerit, jus tamen nomenque civitatis retinet, tituloque Epiſcopali alias ornabatur. Ab ea totus ſinus olim denominatus fuit Rhizonicus. Prope alterum ejuſdem ſinus ſuperioris angulum aſſurgit Aſcrivium, arduo & prærupto, ſed declivi a Meridie loco impoſitum, Romanorum quondam oppidum ſane inclytum, quod ἀπὸ τῦ καταῤῥεῖν, ideſt a defluxu aquarum, Porphyrogenitus Decateram nominavit, hodie Catarum vocant. Eſt civitas Epiſcopalis, eademque arcem habet invictiſſimam, quam a Septemtrione inacceſſæ & confragoſæ rupes inexpugnabilem reddunt, a Meridie difficiles aſcenſus, & firmiſſima propugnacula egregie communiunt; de qua Palladius: *Sub prærupti montis cacumine conſurgit Aſcrivium, quondam civium Romanorum oppidum, quod nunc, propter aquarum, quæ ex alto defluunt, deſcenſum, Catarum vocari conſtans eſt opinio. Erat annis ſuperioribus Aſcrivium, antequam Turcæ proximas regiones occupaſſent, celebre emporium negotiantibus hinc maritimis, inde mediterraneis, eo confluentibus; ex qua quidem re oppidani abunde ditabantur; & Veneti, in quorum ditione locus eſt, magna vectigalia capiebant. At Turcis loca vicina tenentibus cuncta ceſſarunt. Arx in ſupradicti montis vertice ſita a Septemtrione penitus invia eſt, cui a Meridie ducto utrinque per ardua muro urbs ipſa apte conjungitur ambitu ſtadiorum non amplius duodecim.* Inter Aſcrivium & Rhizinium, hinc propius, quam illinc diſtans, ad ſinum eumdem ſitum eſt oppidulum, cui nomen eſt Peraſto: impoſitum dixerim a Piruſtis antiquis Illyrici populis, niſi eos hinc longe ſummotos Macedoniam verſus prope Drilonem conſtitueret Ptolemæus, & Cæſar Illyricæ Romanæ provinciæ finibus eoſdem excludere videretur, cum ſcripſit, finitimam partem provinciæ horum incurſionibus vaſtatam fuiſſe. Ad dexteram ſinus inferioris inter Occaſum & Septemtrionem aſſidet Caſtrum novum, quod Conigradum appellant, tumulo impoſitum devexo in eumdem ſinum oblonga forma: mœnia cingunt antiquæ ſtructuræ, cum turribus crebris. Partem ſuperiorem ab inferiore diſterminat murus; illa locum ac nomen arcis obtinet, clivo alto ac præcipiti impoſitæ. Ab Rhizinio amplius ſeptem, ab Aſcrivio circiter tredecim paſſuum millibus diſtat. Hujus oppidi ſitum, formam, & munitiones accurate deſcripſit Auctor Topographiæ magni Regni Hungariæ: *Caſtrum novum anno 1373. a Boſnenſi Rege Zuartko exſtructum, a Catarenſi urbe, ad cujus ſinus initia locatum eſt, non plus tribus milliaribus Germanicis ſejungitur. Muro ad 100. paſſus in longum porrecto duas in partes dirimitur; ſuperiorem ſcilicet, & inferiorem civitatem, verius in civitatem, & arcem. Illa turriculis quibuſdam, ea imprimis ex parte, quæ petræ a dextris opportune adhærenti incumbit, utcumque roboratur, quas tamen terræ motus jampridem mutilarunt: hæc vero, quam incolæ Conigradum appellant, muro in quadratam formam ab arce vix 300. paſſibus circumducto, foſſa item valloque pollet, ſed firmitudinis plurimum debet rupibus, quibus non tam ſupereminet, quam undique vallatur.* Prope ab oſtio ſinus Rhizonici ad ſiniſtram erat olim oppidum *Roſan*, quod a Saracenis nono ſæculo captum tradit Cedrenus, imperante Baſilio; nunc eſt pagus perexiguus, cui a S. Maria *de Roſis* nomen eſt. Exinde montes, continuatis jugis ab Occaſu in Ortum porrecti, littus inſident; quod nullos quidem habet vicos, duos tamen portus, ſeu potius receptacula navium pandit, patetque aperto mari, nudum ab inſulis atque indefenſum; eo quippe tractu maritimo una omnino, eaque parva littori objacet inſula, quam Janizzam vocant. Ab oſtio ſinus Rhizonici paſſuum millibus fere ſexdecim, rurſus ora Dalmatica late panditur, aditumque ampliſſimum pelago influenti præbet, qui penitus terris interfuſus, euripum nobilem efficit, trigono haud abſimilem, cujus angulus ſuperior Septemtrionem reſpicit; baſis mari a Meridie incumbit; unum vero latus ad Orientem, alterum ad Occidentem ſpectat. Huic lateri occidentali appoſita eſt *Butua* Plinii, Βουθόη *Buthoe* Scylacis & Stephani, Βουλόα Bulua Ptolemæi, hodie Budoa; olim perilluſtre emporium ab Arione fluvio unius diei navigatione disjunctum, auctore Scylace, idemque oppidum civium Romanorum Plinio teſte. De quo auctor Topographiæ Magni Regni Hungariæ, *Butua*, inquit, *hodie Budoa, Ptolemæo Bulua nobile olim Illyricæ oræ emporium. A variis bellorum caſibus, quin & terræ jactatione præcipue an. 1667. labem paſſa, poſtremum anno 1686. a Scutarenſi Baſcia multis inſtructo copiis periculum ſubiit; quod tamen Cornelii belli ducis eo cum claſſe advolantis virtus feliciter depulit. Habet autem civitas hæc præſidii plurimum ab arce, quæ eidem impendet. Inter ornamenta Epiſcopatus, qui in veteribus Catalogis Buduanienſis nomine ſubinde indigitatur, & Raguſienſi olim, nunc Antibarenſi Metropolitæ ſubeſt, dignitatem recenſet.* Infra ejuſdem, quod diximus, trigoni latus Orienti obverſum adjacet mari vicus Paſtrovichiorum neque infrequens, neque ignobilis; unde paſſuum millibus fere tredecim in Ortum abeſt Antibarium, urbs priſcis ignota, quod ſæculis poſterioribus condita fuerit, e regione Barii civitatis Apuliæ, a qua denominata eſt, quaſi contra Barium. Elato, & ſaxoſo clivo incumbit, paullulum a mari remota; jure gaudet tituloque Archiepiſcopali, huc e Dioclea everſa translato. Sequitur Colchinium oppidum ſane perantiquum, quod a Colchis exſtructum ferunt, a quibus & nomen accepit; Priſci dixere Olchinium, vel Olcinium, unde populi Olciniates; nunc vocant Dulcignum. Antibari diſtat ad decem milliaria. Urbem extremo littore ſitam cingunt mœnia prœaltæ rupi abſciſſæque impoſita, & ſicubi minus difficilem aditum hæc præbeant, murus tueatur ab lato admodum fundo in ſexaginta pedum altitudinem editus; arx quoque impendet faſtigio rupis applicata verſo in Septemtriones, quæ munitionibus ſuis fere murum contingit. Subeſt urbi egregius portus, patetque mercatoribus omnium nationum, qui ſane frequentes illuc appellere ſolent. Eadem

Peraſtum oppidum.

Caſtrum novum.

Aſcrivium, nunc Catarum.

olim Rhizonicus.

Rhizinium, nunc Rhiſanus.

Roſan, opp.

Janizza inſula.

Butua.

Butua, nunc Budoa, deſcriptio.

Paſtrovichiorum vicus. Antibarium.

Colchinium, nunc Dulcignum.

dem ſtatio eſt piratarum, olim tum oræ Dalmaticæ, tum littoribus Italiæ, tum denique toti navigationi Adriaticæ admodum infeſta. Quod deinceps littoris uſque ad oſtia Drilonis excurrit, infrequens eſt ab oppidis viciſque, & fere importuoſum: ea ſiquidem regio, præſertim eis ultraque Bollianam, ob circumfuſa æſtuaria, ſterili & inſalubri eſt admodum cœlo; & præter duos vicos perexiguos, oſtioque Bollianæ fluminis diremptos, unicum habet pagum, cui nomen eſt ab S. Joanne de Meduno, de multis locis habitatum, portu in primis capaci rituque, cum pelagus introrſum recedens fidam commodamque ſtationem navibus præbeat. Hinc ad ſeptem milliaria progreſſis viculus occurrit, quem *Stikum* vocant, unde propius abſunt oſtia Drilonis, qui Dalmatici littoris extremus eſt in Orientem limes. Inde ab oſtiis Drilonis ora maritima ſe primum flectens ad Meridiem, tum in Occaſum convertens, Quadrati cujuſdam oblongi formam efficit, triplicique litere complectitur nobiliſſimum ſinum Soli occiduo obverſum, quem majores noſtri, communi totius maris vocabulo, *Illyricum* dixere; nunc vulgo dicitur ſinus Drini, ſeu Drilonis, ab fluvio ejuſdem nominis in eum influente. Hujus ſuperius ad Boream latus eſt pars extrema orę Dalmaticæ ab oſtio Bollianæ ad oſtium Drilonis producta; inferius ad Meridiem latus eſt pars oræ Epiroticæ, nunc Albanienſis, quæ ab Ortu in Occaſum millia paſſuum ad triginta porrigitur; extremaque parte ſe circumflectens in Promontorium deſinit, quod Nymphæum Plinius appellavit, nunc *Caput Rodoni* nuncupatur; inde autem iterum ad Meridiem reflexa, longiſſime deinceps eis ultraque fauces maris Adriatici excurrit; in eo autem Promontorio olim ſitum erat oppidum munitiſſimum, quod Georgius Caſtriotus, cognomento Scanderbegus, vir eximia fortitudine, & bellicis laudibus abundans, contra Turcas exſtruxerat, & *Cirul* denominari voluerat. Ab Oriente latus utrumque jungitur tertio quodam latere intermedio, quod effecit pars prima ejuſdem littoris Epirotici inter oſtia Drilonis, & alterius amnis, quem Mathin appellat Vibius Sequeſter, nunc Matiam, ſeu Maſſiam vocant: uterque enim in hunc ſinum influit, & Drilo quidem angulum, quo latus ſuperius cum hoc tertio nectitur, Mathis vero angulum alterum, qui latus inferius cum eodem jungitur, interſecant. Ab Occaſu ſinus Illyricus, niſi cogitatione lineam quamdam a Promontorio Nymphæo ad littus obverſum deductam effingas, quæ quarti lateris inſtar obtineat, millia paſſuum ad quindecim patet, & pelago interfluenti aditum latiſſimum præbet. Sinus Illyrici tanta eſt, quanta utriuſque lateris ſuperioris & inferioris longitudo; latitudo ejus varia eſt; qua maxime patet, millia paſſuum haud amplius ſeptemdecim comprehendit.

Reſtat etiam, de Liſſo urbe antiquiſſima ut pauca ſubjiciam; quæ quamvis ultra Drilonem ſit poſita, eam tamen Ptolemæus maritimis Dalmatiæ urbibus adjungit, & ab ea Plinius initium Macedoniæ duxit. Quæ de hac urbe breviter ſcripſit Geogr. antiq. lib. 2. cap. 8. ſect. 5. Cellarius, ex antiquis ſcriptoribus collecta, huc ſi transferam, nihil eſt, quod præterea requiras: *Tandem Liſſus ad Drilonem, vel poſt illum eſt, terminus Illyricæ regionis, ultra quam urbem incipit Macedonia. Plinius lib. 3. cap. 22. extremo: Retinet nomen in ora Nymphæum Promontorium: Liſſum oppidum civium Romanorum ab Epidauro C. M. paſſuum. A Liſſo Macedoniæ provincia Ptolemæo Δυσὶ, eſt ultima Illyrici ad maritimam Macedoniam. Portum capacem habuit, opus Dionyſii Siculiotæ, qui coloniam Liſſum deduxerat, quam ampliavit & muris cinxit, quod Diodorus Siculus refert lib. 15. cap. 13. Et parvus fluvius adluit, Anapus nomine, juxta quem gymnaſia idem Rex Dionyſius exſtruxit.* Adjacebat Ἀκρολίσσος, *Acroliſſus, arx in monte; Polybius lib. 8. cap. 10. de Philippo Rege:* Θεωρῶν δὲ τὰ περὶ τὴν Λίσσον πεποιημένα καὶ τὰ πρὸς τῇ θαλάττῃ, καὶ τὰ πρὸς τὴν μεσόγειον ἰσχυρῶς ὄντα διαφερόντως, καὶ φύσει, καὶ κατασκευῇ. ἦν δὲ παράλογον Ἀκρόλισσον αὐτῷ, καὶ διὰ τὴν εἰς ὄρος ἀνάβασιν καὶ διὰ τὴν ἄλλην ἐρυμνότητα διάνοιαν ἔχοντα φυσικαῖς, ὅτι μηδ' ἂν ἐλπίσαι μηδένα κατὰ κράτος ἁλῶναι; *contemplans Liſſi ambitum terra marique, egregie tam natura, quam arte munitum: Acroliſſum quoque ei adjacentem, partim quia mite in altum eſt elatus, partim ob reliquam munitionem ejuſmodi præ ſe ferre ſpeciem, ut per vim capi poſſe nemo hominum ſperare deberet. Erat autem Acroliſſus non continuus, aut conjunctus urbi, ſed μεταξὺ διάστημα τῆς πόλεως, καὶ τοῦ κατ' ἀκρόλισσον πρόποδος σύμμετρον ὑπάρχον, intervallum inter Liſſum & radicem montis, in quo eſt Acroliſſus. Poſt Gentii Illyriorum Regis imperio parebat. Livius lib. 43. cap. 20. Liſſi Rex Gentius erat: eo acciti legati, mandata exponentes benigne auditi ſunt. Tandem medii ævi temporibus hæc urbs Prævalitanæ Provinciæ, quod ex Hieroclis Notitia apparet, contributa fuit. A Conſtantinopolitanis Scriptoribus Ἐλλισσὸς appellatur, ut ſupra de fluminibus demonſtratum eſt: hodie dicitur Aleſſio. Propinqua fuit Baſſania, ſed incertum intrane limitem Illyrici, an in Macedoniæ finibus. Livius de illa lib. 44. cap. 30. de Gentio Rege: ipſe ad Baſſaniam urbem quinque millibus ab Liſſo ducit.* Quæ nunc ſit hujus veteriſſimæ urbis forma, qui ſtatus, quæ facies, & ab antiqua amplitudine ac celebritate quam longe abſit, paucis expoſuit Auctor Topographiæ Magni Regni Hungariæ. *Liſſum vulgo Aleſſio, olim Gentii Illyricorum Tyranni Regia veteribus Scriptoribus celebrata, hodie civitatis potius cadaver, quam civitas una cum arcis quondam in ſublimi adjectæ ruderibus ad memoratum Drinum aninem duobus circiter a littore milliaribus viſitur. Turcis una cum vicina Albania tributum ſi qua unquam illibenter, ſed tamen pendit. Unum hic memoria dignum reperies celeberrimi Georgii Caſtrioti Scander-Begi, hoc eſt, Domini Alexandri tumulum, cujus ea apud Turcas exiſtimatio, ut capta urbe, Heroïs illius oſſa, quæ in D. Nicolai æde quieſcebant, magnam partem inter ſe partiti, pretioſiſque thecis incluſa, collo deinceps appenderint ad fortitudinem, ut ajebant, conciliandam.* Hactenus de ora maritima Dalmatiæ.

Pagus S. Joannis.

Portus Illyricus.

Promontorium Nymphæum.

In quo Cirul op.

Mathis ſeu Matias amnis.

Liſſus civitas antiquiſſima.

Acroliſſus arx.

Liſſus quæ olim Liſſus civitas; nunc Aleſſio.

Baſſaniæ urbs.

§. IV.

De Regionibus & Urbibus Mediterraneis Dalmatiæ.

CUm Octavianus Auguſtus Iſtriam Illyrico detractam Italiæ contribuit, tum Illyricum omne, contractis ab Occaſu finibus, antequam aliis atque aliis a Septemtrione, & Oriente populis adjectis augeri dilatarique inciperet, regiones omnino quatuor cis alpes complectebatur, Japydiam, Liburniam, Dalmatiam, Illyricum proprium; quas idem Auguſtus in formam provinciæ redactas una cum tranſalpinis uſque ad Savum gentibus communi Dalmatiæ vocabulo ſubjecit; iiſdemque etiamnum finibus ac regionibus hodierna Dalmatia con-

Illyricum maritimæ ex Japydia, Liburnia, Dalmatia, Illyrico proprio conſtans.

continetur. Ut igitur diſtribute atque ordine perſequamur inſtitutam Dalmatiæ, ejuſque partium deſcriptionem; primum Japydiæ, tum Liburniæ, deinde Dalmatiæ antiquæ, demum Illyrici proprii regiones urbeſque mediterraneas nominatim percenſeri deſcribique oportet.

Duplex Japydia.

Duplex olim fuit Japydia, altera Tranſalpina uſque ad Savum, vel etiam ultra Savum ab Occaſu, altera Ciſalpina uſque ad mare porrecta. Bipartitæ hujus diviſionis Auctores habeo ſane idoneos Strabonem, Dionem, & Appianum. Strabo lib. 7. regionem cis ultraque Albium montem Japydibus attribuit: *Siti namque ſunt Japydes in Albio monte, qui finis eſt Alpium, admodum alto, atque illinc ad Pannonios & Iſtrum, hinc ad Adriam porriguntur: bellicoſa equidem gens .... Hi cum aliquando florerent, & ſuam habitationem ad utrumque terminum extendiſſent &c. .... Porro Japydes circa hos habitant locos* (ideſt Tullum & Phligadios montes, e quibus Drayus & Savus oriuntur), *& penes iſtos eſt ſublimitas. Japydes igitur virorum florentium robore aucta, & utroque ex montis latere domicilia habentes .... Poſt hos urbs Segeſtica in plano ſita.* Idem confirmat Dio Caſſius lib. 49. *Cæſar* (ideſt Auguſtus) *Japydes ipſo bello petiit, quorum eos, qui citra montes haud procul a mari habitant, non omnino difficulter in ſuam poteſtatem redegit; qui vero montium vertices, & utraque latera incolebant, eos non ſine maximo labore perdomuit.* Appianus lib. Illyr. Tranſalpinos a Ciſalpinis Japydes diſerte & perſpicue diſtinxit: *Japodes tranſalpini gens valida ac fera bis intra viginti fere annos Romanas copias repulere ....* Ex Japodum *gente, qui intra*, (ideſt citra) *Alpes habitant, Moentini, & Avendeatæ* &c. Verum omiſſa Tranſalpina, quæ huc non pertinet, cum ſit extra fines Dalmatiæ hodiernæ; Japydia ciſalpina in duas itidem partes dividitur; & quæ pars in Solem orientem ſpectat, ea finibus Dalmatiæ includitur, uſque ad Tedanium citra montes porrecta. Hujus item diviſionis locupletiſſimus teſtis eſt Servius in Scholiis ad 3. Georgic. Virgilii: *Salluſtius* (Primam modo Japydiam ingreſſus) *hujus eſt fluvius Timavus*. Prima vero Japydia intelligi nequit, cui ſecunda non reſpondeat. Itaque Japydia prima Carnis ciſalpinis finitima erat, ad eamque pertinebat fluvius Timavus: id quod confirmat Plinius lib. 3. cap. 10. *Carnorum hæc regio, junctaque Japydum, amnis Timavus*; & antea idem Plinius cap. 5. Carnis & Iſtris Japydes interjecerat. Supra vero Iſtriam Japydia prima continuabatur, finibus fere uſque ad Arſiam prolatis, unde Japydia ſecunda incipiebat, a tergo Iſtriæ uſque ad mare & ſinum Flanaticum producta: *Nonnulli*, ait Plinius cap. 19. *in Flanaticum ſinum Japydiam promovere a tergo Iſtriæ*. Quare Japydia Ciſalpina ab Occaſu, Septemtrione & Oriente Iſtriam intermediam ambiens, ſuo veluti complexu coercebat & continebat. Quæ pars Japydiæ in Occaſum vergebat, ea prima dicta eſt; quæ pars vero poſt Iſtriam in Orientem ſpectabat, ea ſecunda vocari ſolebat; utramque limes incertus diſcriminabat. Cum igitur Servius & Plinius Japydes locant inter Carnos & Iſtros, tum ad Japydiam primam reſpiciunt; Japydiam vero ſecundam commemorant, qui Iſtris & Liburnis Japydes interjiciunt. Titus Livius Dec. 5. lib. 3. cap. 6. cum populos recenſet, a quibus Legati Romam venerunt queſti ſuos agros depopulatum C. Caſſium eſſe, & inde multa millia hominum in ſervitutem abripuiſſe, eos ex ordine Geographico ita collocat, ut Iſtris Japydes poſtponat: *Sub idem tempus Carnorum, Iſtrorum, & Japydum legati venerunt*. Strabo lib. 7. oram maritimam, quæ poſt Iſtriam in Ortum porrigitur, Japydibus attribuit: *Tota ora Iſtriæ ſtadiorum eſt 1300., ſequitur Japodum ora ſtadiorum mille*. Plinius, qui Japydes Carnis finitimis appoſuit, idem Japydiam a tergo Iſtriæ uſque ad Liburniam produxit: *Japydiam promovere a tergo Iſtriæ xxx m. paſſuum, dein Liburniam cl. m. fecere*. Cæterum poſtquam Japydes cum Carnis, Iſtris, Liburniſque in poteſtatem populi Romani venerunt, Japydiæ nomen paullatim exſoleyit, & pars prima Carnis finitima, Iſtriæque tergo incumbens, partim ad Carnos, partim ad Iſtros acceſſit; pars altera ad ſinum Flanaticum Liburniæ vocabulum ſubiit. Prior ad nos non pertinet, niſi qua Iſtriæ particulam maritimam complectitur, quam paragrapho ſuperiori deſcripſimus. Secunda vero tota noſtra eſt, quippe quę Dalmatię hodiernæ finibus continetur; ejuſque initium ſtatui poteſt citra Oęneum Ptolemaicum, ſeu flumen S. Viti; terminus autem ad Tedanium flumen a Plinio definitus: *Tedanium flumen*, inquit, *quo finitur Japydia*. Tota hæc regio aſpera eſt ac montoſa, dura cultu, admodum ſterilis, & nihil propemodum ferens, niſi multa cultura, magnoque labore quæſitum. *Regio eſt inops*, ait Strabo lib. 7. *Zea fere, & milio victitant*. Japydiæ urbes mediterraneas quatuor omnino idem Strabo commemorat *Metulum, Arupinum, Monetium, Vendum*. Metulum princeps erat totius gentis oppidum, *μεγίστη πόλις*, maxima civitas, ut vocat Dio, quam Cæſar Auguſtus cum acri vehementique obſidione premeret, ruina pontis, quem injecerat, muroque urbis applicuerat, parum abfuit, quin cum aliis multis opprimeretur; *altero tamen crure, & utroque brachio ſaucius diſceſſit*, ut ſcribit Appianus. Sed idem Appianus Japydibus tranſalpinis attribuere videtur Metulum, ſive Metulium, itemque alterum oppidum, cui *Terpo nomen fuit*, teſte eodem Appiano. Quare hæc duo oppida neque ad Japydiam ciſalpinam, neque ad Dalmatiam hodiernam pertinent. Contra vero reliqua tria oppida Japydibus ciſalpinis idem Appianus adſcripſit, quippe cum populos ab iiſdem denominatos citra montes conſtituit: *Ex Japodum gente, quæ intra Alpes habitat, Moentini, & Avendeatæ Cæſari advenienti ſe ultro tradiderunt. Arupini, qui & multitudine juventutis, & virtute bellica cæteris Japodibus præſtant, ex vicis in urbem ſe receperunt: illo appropinquante ſe in ſylvas abdiderunt*. Atque hi ſunt Japydes illi, *citra montes*, quos Auguſtus, ut ait Dio Caſſius, *non omnino difficulter in ſuam poteſtatem redegit*. Arupinum Strabonis eſt Arupium Antonini, Arypium Tabulæ Peutingerianæ; & quod Strabo Vendum appellavit, Antoninus & Tabula Avendonem vocant; ex quibus utriuſque oppidi poſitio dignoſci poteſt. Antoninus quippe iter deſcribens, quod eſt Aquileja, Siſciam per Liburniam, ſeu per Japydiam veterem, ab Senia duodeviginti Avendonem, hinc Arupium decem millibus disjunxit; cum Antonino fere congruit Tabula Peutingeriana; hoc inter ſe differunt, quod hæc viam, quę Aquileja & Senia Burnum ducit, urbem Liburniæ, obliquo inter Septemtriones & Orientem itinere, ille viam, qua itur Siſciam ab Aquileja & Senia, ferme directo in Septemtrionem curſu deſcripſit; præterea inter Seniam & Avendonem duodeviginti milliarium diſtantiam ab Antonino dimenſam, millibus omnino duobus auxit Tabula Peutingeri. Monetium, cum

Japydia ciſalpina prima & ſecunda.

Prima deſcriptio.

& ſecunda.

Japydiæ ſecundæ urbes mediterraneæ.

Metulum.

Arupium & Avendo.

cum Antoninus & Tabula prætermiſerint, devium fuerit oportet, Senia Siſciam vel Burnum euntibus; & quidem propius ab ora maritima, quam Arupium. Quippe Appianus tradit Auguſtum primo adiiſſe Moentinos, iiſque cum Avendeatis in deditionem acceptis, deinde ad Arupinos copias traduxiſſe. Antoninus perſequens iter Siſcianum poſt Arupium quatuor oppida ſive manſiones interpoſuit ante Siſciam, *Bibium* ſive *Bilbilim*, *Romulam*, *Quadratum*, *Ad Fines*. De Bibio dubitari poteſt, utrum Ciſalpinæ, an Tranſalpinæ Japydiæ adjudicari debeat; nam Romulam, Quadratam, Ad fines oppida fuiſſe Japodum tranſalpinorum perſpicue docet Tabula Peutingeriana, in qua videre liget loca illa impoſita viæ, quæ trans Alpes ducto ab Æmona initio Siſciam uſque porrigitur. Sed hæc Tabula in eadem via, quam ab Senia, ut diximus, Burnum in Liburniam perduxit, poſt Arypium quinque oppida vetuſti obſoletique nominis ſtatuit, *Epidotium*, *Ancum*, *Auſancalienem*, *Clambatim*, *Hadram*. Horum pleraque ad Japydiam, unum alterumve ad Liburniam ſpectant. *Auſancalion* ſine dubio eadem eſt, atque *Auſancali*, cujus meminit Ptolemæus, & *Adram* Peutingerianam ab Adra Ptolemaica nemo opinor diſtinxerit. Ptolemæus ſub communi Liburniæ vocabulo Japydiam Liburniamque comprehendens, civitates mediterraneas Liburnorum hoc ordine percenſet, *Tediaſtum*, *Aruciam*, *Ardetium*, *Stlupos*, *Curcum*, *Auſancalim*, *Varvariam*, *Salviam*, *Adram*, *Arauzonam*, *Aſiſiam*, *Burnum*, *Sidronam*, *Blanonam*, *Ouporum*, *Nedotium*. Cum hæ urbes partim ad Japydiam, partim ad Liburniam pertineant, aliæ ab aliis difficiliter ſecerni poſſunt; neque enim liquet, an eas Ptolemæus ex ordine Geographico enumeret, ab Occaſu in Ortum progrediens. Singularum vero poſitionem inveſtigare, & quæ nunc cuique ſive urbes ſive oppida reſpondeant, inquirere ſi quis velit, ejus operam haud laborioſius, quam inutilius conſumptum iri exiſtimo. Nulla eſt controverſia, quin *Adra*, *Burnum*, *Sidrona*, *Nedinum* Liburniæ finibus contineantur. Agathodæmon apud Cellarium *Aruclam*, *Tediaſtum*, *Ardetium*, *Stlupos*, unde *Stulpini* Pliniani, *Curcum* appoſuit Tedanio fluvio, quo finitur Japydia. Ex his oppidis, quæ Tedanio ad dexteram adjacent, Japydiæ; quæ ad ſiniſtram, Liburniæ recte attribueris. *Arauzonam* & *Blanonam*, ſi eſſent eædem ac *Blandona* & *Aranſa* Antonini, ut plerique exiſtimant, Liburnis ſine ulla dubitatione adſcribetem; ſed has oræ maritimæ impoſuit Antoninus, illas a mari ſummotas in mediterranea loca rejecit Ptolemæus. *Aſiſiam* inter civitates Liburniæ annumerarem, ſi mihi conſtaret non eſſe diſtinguendam ab *Aſeria* Peutingeriana, *Nedino*, & *Burno* interpoſita. *Salvia*, ſi eſt *Silva* Antonini, ut aliqui cenſent, neque ad Japydiam, neque ad Liburniam, ſed ad Dalmatiam ſpectat. *Auſancalin* Ptolemaicam, cum non differat ab *Auſancalione* Peutingeri, ne dubites ad Japydiam referre. *Varvaria*, & *Ouporum* urbes Ptolemaicæ mediterraneæ, Japydicæne ſint, an Liburnæ, dubitare quidem poſſum, nullas vero in alterutram partem ſive rationes ſive conjecturas afferre. Juniores Geographi, conditoreſque Lexicorum Geographicorum curioſius fortaſſe, quam diligentius veterum oppidorum poſitionem notant, & quæ nunc illis reſpondeant ac ſucceſſerint, loca nominant. Sed cum & plerumque inter ſe diſſideant, & ſi cum antiquis Geographis, Itinerariis ac Tabulis conferantur, ſæpe ab his longiſſime diſcrepent, ſuo potius arbitratu & judicio, quam probabilibus argumentis & conjecturis utrumque ſtatuere ac deſignare videntur. Horum opiniones cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes, longum eſſet, & non neceſſarium commemorare, præſertim cum ad alia properanti otium non ſit eas vel refellere, vel approbare.

Bibium an fuerit oppidum Japydiæ ciſalpinæ, adhuc liquet.

Japydia poſt adventum Slavorum ab novis incolis una cum finitima Liburnia & parte Occidentalis Dalmatiæ nomen Chrobatiæ accepit. Chrobati ergo, quas adepti fuerant terras inter Arſiam & Tilurum fluvios, eas partiti ſunt in undecim Dynaſtias, quæ ipſorum lingua Zupaniæ dicuntur, ideſt regiones populis ac pagis refertæ. *Zupania enim*, ut præclarus Interpres Dalmata, *a Zupa deducitur, quod populum, vel regionem aliquam populatam ſignificat*. Id docuit Conſtantinus Porphyrogenitus de Admin. cap. 30. qui Zupanias omnes nominatim percenſet: *Diviſa autem eſt eorum regio in Zupanias* XI. *quarum nomina Clebiana, Tzentzena, Ennota, Pleba, Peſenta, Parathalaſſie, Brebera, Nona, Tzena, Sidraga, Nina.* His tres alias adjecit, idcirco fortaſſe a ſuperioribus diſtinctas, quod vel minores eſſent, vel præcipua quadam ratione ad jus ditionemque pertinerent Ducis alicujus, ſeu Principis Chrobatorum, quem ipſi Banum appellabant: *ipſorumque Banus tenet Cribaſam, Litzam, & Gutzecam*. Hæ tres poſteriores citra Tedanium ſitæ ad veterem Japydiam ſpectant. *Gutzecam* in hac Dalmatiæ parte, quam Japydiam veteres dixere, ab regione Occidentis locavit Guillelmus de l'Iſle in ea Tabula, quam confecit ad illuſtrandam ornandamque *Novam editionem Libri Conſtantini Porphyrogeniti de Adminiſtrando imperio, quæ prodierat ſtudio Anſelmi Banduri Monachi Benedictini Ragufini Militenſis, cum ejuſdem notis & Animadverſionibus*. Gutzechæ ab Oriente adhærent *Cribaſa* & *Litza*, hæc quidem ad Meridiem, illa vero ad Septentrionem vergens; alteram nunc Corbaviam, alteram Lickam, Slavorum vocabulo recentiori, a primitivo haud omnino diſſimili, appellant. Ex octo civitatibus, quas Porphyrogenitus a Chrobatis habitari affirmat, unam omnino Litzæ adſcripſit Guillelmus ſupra laudatus, cui nomen erat Claboca; ſed hinc alii eam longe ſummovent, transferuntque ad Tzenam Zupaniam prope fontes Unæ, qui oriens e montibus Bebiis longiſſimo in Boream excurſu ad Savum defertur; eamque hodie Klapaz vocari opinantur. Cæteras Chrobatorum urbes, quas commemorat Porphyrogenitus, ultra Tedanium requiras oportet. Extrema Gutzechæ ad Orientem confinia amnis interfluit, quem etiamnum Gutzkam vocant, quique in Lickam fluvium decurrit. Huic amni ad dexteram Guſichiapolie, ad ſiniſtram Gutzkopolie, regiones admodum exiguæ adjacent. Hæc prima pars Dalmatiæ citra Tedanium, ſive Japydia, qua in Occaſum ſpectat, raris admodum, qua vero in Ortum protenditur, ſane frequentibus pagis oppidiſque habitatur. Nobile olim in primis ac celebre oppidum fuit Modruſſa ab Senia urbe maritima paſſuum millibus amplius viginti diſtans, non adjectis quidem itineris montani anfractibus, ſed recta in Septentriones & Ortum regione; quo in loco fuiſſe Tediaſtum Ptolemaicum aliqui exiſtimant. *Elegantibus ædificiis olim*, (ut ſcripſit Auctor Topographiæ Hungaricæ) *vetuſtatis ſuæ prærogativam ac decus non male tuebatur. Subinde vero bellorum temporiſque injuria prope everſa paucas dumtaxat domos, tamquam primævi ſui honoris veſtigia, reliquas habet*. Adhuc tamen retinet ſedem Epiſcopalem, cui adjuncta eſt ſedes Corbavienſis, ſive

Chrobati Slavi Japydiam & Liburniæ, cum aliqua Dalmatiæ parte adepti ea. Zupanias cōdidemus.

Gutzeca.

Cribaſa & Litza nunc Corbavia & Licka.

Claboca civitas.

Gutzkamnis.

Modruſſa civitas olim Tediaſtum Ptolemæi.

Arauzonam & Blanonam Ptolemæi, an eædem, ac Blandona & Aranſa Antonini.

Aſiſia & Aſeria Salvia & Silva an eadem urbes ſint, incertum.

Auſancalis, ſive Auſancalion urbes Japydiæ.

Digitized by Google

ut ſcriptum eſt in antiquis Catalogis apud Schelſtratium, *Kerbanenſis*. Nam inſignis quondam fuit Corbavia civitas, eademque epiſcopalis, a qua tota illa regio denominata eſt *Comitatus Corbavienſis*; ſed ubi loci fuerit, & quonam fato interierit, neque memoriæ proditum eſt, neque unde id ſciri poſſit, ulla ejus veſtigia ſuperſunt. *Civitatem Corbaviæ nomine*, (ait modo laudatus ſcriptor) *inſignem alicubi floruiſſe, a qua totus diſtrictus nomen acceperit, nemo, arbitror, prudens negaverit; quæ autem ejus fata, viciſſitudineſque fuerint, vix ullus queat eruere, ſi tamen Epiſcopatum excipias, de quo paullo ante in Modruſiæ deſcriptione memineram*. Hæc regio præter pagos & vicos, quibus, ab Oriente præſertim, frequens eſt, habet aliquot caſtella ſtructuræ antiquæ, & loci natura, quam bellicis operibus munitiora: ſed magna ex parte aut temporum aut bellorum injuria labefactata. Ex his duo tantum commemorat Topographus Hungariæ, Uduinam, & Oſtrovitzam, alteram Corbavienſis, alteram Lickenſis Comitatus. *Hodie inter plurimas arces, quarum rudera dumtaxat, & veſtigia ſuperſunt, nitoris ac firmitudinis plurimum retinet Uduina, ſive Udbinia, fors Corbavia civitas, de qua proxime. In Comitatu Lickenſi ſupereſt omnium præcipua arx Oſtrovitza, quam veterem Æruciam, neſcio quo fundamento, quidam ſuſpicantur. Ædificata dicitur a Bela Rege, dum Tartarorum inſolentia divexatus, in Dalmatiam ſe recipere cogeretur. Pollet etiamnum muro e veterum Strategorum legibus circumducto, uti & foſſa, quam Gutzka fluviolus e terra, a qua velut abſorptus videbatur, rurſum proſiliens opportune inundat*. Cæteras hujus tractus Japydici ſeu villas, ſive arces nominatim perſequi ut ſupervacaneum, ita nimis longum eſſet.

Corbavia civitas.

Uduina & Oſtrovitza.

Ab Japydia, Tedanio interfluo, dirimitur Liburnia proprie dicta, ad Titium uſque in Ortum porrecta. Hi duo amnes e fontibus admodum propinquis profluentes, quo longius manant, hoc latius inter ſe terræ ſpatium relinquunt. Sed maxima Liburnici tractus ab Occaſu in Ortum longitudo non ab Tedanio ad Titium; ſed ab extrema parte Liburniæ infra oſtia Tedanii, & fretum Novigradenſe in Occaſum procurrentis ad eumdem Titium dimetiendus eſt, & paſſuum millia fere ad quinquaginta complectitur. Ptolemæus urbes mediterraneas admodum ſexdecim Liburniæ adſcripſit, quas quidem, ut ſupra diximus, partim Japydiæ, partim Liburniæ attribui oportet. Ad Liburnos ſine ulla controverſia pertinent *Nedinum*, *Sidrona*, *Adra*, *Burnum*; quibus adde ex Plinio *Scardonam*, ex Appiano *Promonam*, ex Tabula Peutingeriana *Aſcriam*. Nedinum Ptolemaicum ibidem loci poſitum fuiſſe, ubi nunc eſt *Nadinum* oppidum, nominis utriuſque ſimilitudo declarat, quæ tanta eſt, major eſſe ut nequeat. Ab euripo Corinenſi, quem ſupra deſcripſimus, quatuor mille paſſibus diſtat in Meridiem, excelſo ad conſpectum, arduoque ad aſcenſum colle poſitum, & mœnibus ſeptum propugnaculiſque haud contemnendis, cui ſubeſt a Meridie lacus ejuſdem nominis. *Situm eſt in colle*, inquit Palladius, *Nadinum quondam oppidum, quod indigenæ a Gothis everſum conſtanter credunt, ibi annis abhinc* XII. *nihil præter rudera videbantur. Sed Veneti poſtea Jadertinis ſuppliciter petentibus arcem conſtruxerunt, quaſi ſpeculam; nam cum in edito ſit, & loca circumplana, procul detegit hoſtes venientes, & ſignis quibuſdam agreſtes ad fugam admonet*. De Nadino ſæpius capto ac diruto, ſæpiuſque recepto ac reſtituto Topographus Hungaricus hæc tradit: *Nadinum oppidum quondam a Gothis everſum, deinde vero a Venetis in gratiam Jadertinorum fortaſſis haud contemnendi forma donatum, haud procul ab Auranenſi Euripo in edito conſiſtit, unde in ſubjecta undique loca patet proſpectus. Statio hæc bis a Turcis capta, toties a Venetis recepta legitur; poſtremo autem, nimirum ſub anno 1684. ab igne, quem Turcæ ſponte digreſſi applicuerant, adeo fœdata eſt, ut eamdem a Veneta Republica redintegrari, ac munitionibus inſtrui oporteret*. Ab Nadino, duodecim milliarium ſpatio interjecto, Orientem verſus Aſeriam disjunxit Tabula Peutingeriana. Eadem fortaſſis eſt atque Aſiſſa Ptolemaica: hinc autem iter eſt milliarium itidem duodecim Burnum, ut notatum eſt in eadem Tabula. Hæc poſitio Aſeriæ Nadino & Burno interjectæ fere congruit cum oppidulo, quod vocant Oſtrovizzam, ab Nadino, & Titio, cui appoſitum erat Burnum, æquali fere duodecim milliarium intervallo disjunctam. Aſeria haud longe aberat in Septemtrionem Adra Ptolemaica & Peutingeriana, a Burno in Occaſum tredecim millia paſſuum remota, quam Auctor ejuſdem Tabulæ impoſuit Viæ militari, quæ *Senia* eſt Burnum, cuique viam alteram a Meridie ſubjecit ab Jadera *Burnum* perductam. *Burnum* civitas fuit perantiqua, cujus mentio eſt apud Ptolemæum, atque in Tabula Peutingeriana, itemque apud Plinium, qui populos Burniſtas ab hoc denominatos commemorat. Videtur illa eſſe, quam Strabo lib. 7. *Liburnam* vocat, eamque Titio flumini ultra Scardonam ad Septemtrionem appoſuit: *Eſt in ea fluvius* (Titius), *quo adverſo ſubvehuntur merces uſque ad Dalmatas & urbes Scardon, & Liburna*. Hujus oppidi poſitio nuſquam magis perſpicue dignoſci poteſt, quam ex Procopio de Bello Goth. qui eam haud procul Scardona conſtituit: *Aſinarius itaque, ubi Suaviam venit, barbarorum contraxit exercitum. Ulegiſlaus vero in Liburniam Gothos ducebat. Qui ubi cum Romanis apud Scardonem acie conflixiſſent, victi bello ad Burnum urbem ſe receperunt*. Barbari e Savia alpes transgreſſi, penituſque in Liburniam illati, Scardonam uſque proceſſerant; ibi acie victi, & fuga retroacti Burnum ad ſuperiora loca receſſerunt. Erat itaque utraque civitas Burnum, & Scardona ad dexteram Titii; hæc inferior ad Meridiem, illa ſuperior. Erravit igitur Lazius, qui Burnum ab Scardona longiſſime dimovit, tranſtulitque ad confinia Iſtriæ ac Liburniæ; fallituruque Brietius, qui Burnum in Cavios Livianos, vel Macedoniæ populos, vel extremos ad Orientem Illyrios rejecit; equidem in Caviis Durnium oppidum apud Livium Dec. 5. lib. 4. cap. 16. lego, Burnum vero nuſquam invenio. Ne vero dubites, quin Burnum loco non ſuo adſcriptum irrepſerit in codices editioneſque Plinianas, ubi *Burnum* una cum Mandetrio & Tribulio oppidis Dalmaticis inter urbes Salonitani Conventus annumeratur; Burniſtas enim Plinius in Liburnia poſitos ad conventum Scardonitanum adſcripſit: niſi vero comminiſci placeat alterum Burnum Dalmaticum a Liburnico diſtinctum.

Liburnia inter Tedanum & Titium.

Urbes Liburnicæ mediterraneæ ex Ptolemæo.

Nedinum, hodie Nadinum.

Deſcriptio Nadini.

Aſeria; fortaſſis Aſiſſa Ptolemaica.

Adra.

Burnum civitas fortaſſe Liburna Straboni.

Burni poſitio.

Promonam Liburnie attribuas licet; quamvis ultra fontes Titii in editis ad Septemtrionem locis poſita fuiſſe videatur, eminens ex eo monte, qui etiamnum *Promina* dicitur, quique vel urbi nomen dederat, vel ab urbe ea ipſe acceperat. Promonam quippe urbem fuiſſe Liburnorum, hiſque ab Dalmatis ademptam eſſe Appianus teſtatur. Chorographus Peutingerianus Burno propinquam locavit Promonam, nulla milliarium diſtantia interpoſita; eamque ſtatuit apud viam, qua Burno

Promona ejuſque poſitio.

itur

Digitized by Google

Sidrona Ptolemæi, seu Stridon patria D. Hieronymi.

itut Salonam. Sidrona eadem videtur esse ac Stridon patria D. Hieronymi, de cujus positione magna est inter Scriptores controversia, cum sanctissimum illum Doctorem Pannonii civem esse suum dicant, Istri suum vindicent, Dalmatæ vero ex opinione communi magisque recepta eumdem repetant, & suum esse confirment. Non est hujus loci de hac re disputationem instituere; nec vero meam sententiam, nisi rationum momentis, quas afferant pro sua quisque opinione, per otium & accurate perpensis, interponere ausim. D. Hieronymus de seipso, suaque patria hoc scriptum reliquit in Catalogo Script. Eccles. *Hieronymus patre Eusebio natus, oppido Stridonis, quod a Gothis eversum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit.* Ad quem locum Hieronymiani Catalogi hanc notam apposuit Christophorus Cellarius Geograph. ant. lib. 3. cap. 8. *Sidronam quidem Ptolemæus Liburniæ dat, sed ita, ut in limitem Dalmatiæ incidat supra fontem Titii amnis, qui Liburniam finit.* Sidrona igitur, sive Stridon, si una fuit eademque civitas, in confinibus Liburniæ ab Occasu, Pannoniæ citra Savum ab Septemtrione, Dalmatiæ ab Oriente ad fontes Titii posita fuerat. Infra Burnum ad Meridiem sita est Scardona urbs antiquissima, eademque olim celeberrima; erat quippe caput & princeps unius e tribus Illyricis Conventibus, ad quam præter alias gentes, quatuordecim ipsas civitates Liburnorum juris petendi causa venitasse auctor est Plinius. *Scardon* appellatur a Strabone. Eam Ptolemæus, quamvis inter urbes Liburnorum annumeret, Titii ostiis postposuit. *Sed qui Dalmatiam hodiernam scripserunt*, inquit Cellarius ibid., *tradunt, ruinas Scardonæ haud longe a lacu Scardonio, a dextra fluminis Titii, quod nunc Kerca vocatur, conspici, ut ita transponenda sint ostia Ptolemæi.* Hanc idem Ptolemæus idcirco mari apposuit, quia assidebat propter æstuarium, quod pelagus ex alto introrsum irrumpens efficit; quodque etiamnum vocatur lacus Scardonæ, quem Titius amnis interfluit, ex eoque in lacum Proclisiani, tum in lacum Sebenici effunditur; inde vero in mare delabitur. Cæterum Scardonam ab ora maritima longe summovet Strabo, & Plinius duodecim millibus a mari aperto patentique disjungit; quare potius ad mediterraneas, quam ad maritimas Liburniæ urbes referenda est. Miror, quid in mentem venerit Brietio confundere Scardonam cum Varvaria, quasi quæ antiquitus dicebatur Varvaria, dicta esset postea Scardona; cum hoc æque sit antiquum, atque illud vocabulum; & Ptolemæus urbem utramque nominatim distinxerit. Prope igitur a ruderibus vestigiisque Scardonæ antiquæ vilitur nova Scardona, ad dexteram Titii fluminis, apud lacum ejusdem nominis, civitas exigui circuitus, sed mœnibus cincta & propugnaculis ad hostiles aggressiones sustinendas, & repulsandas non invalidis; eadem est sedes Episcopi Scardonitani. De hac urbe Topographus Hungaricus hæc litteris prodidit. *Scardona civitas fuit antiquis temporibus una e celebrioribus Dalmatiæ, utpote a qua, teste Plinio, aliisque, unus e tribus Conventibus, in quos Regio tota dirimebatur, nomen accepit. Ipsam autem ad lacum olim ejusdem nominis Scardonium appellatum a dextris Titii, nunc Kerchæ fluvii sitam fuisse auctor est Freschotius in Mem. Geog. qui muri cujusdam rudera se ibidem spectasse asseverat. Posterioribus temporibus semidirutæ cujusdam urbeculæ cum arcula in colle, a Venetis jam anno 1520. disjectæ speciem referebat. Ac postquam postremum an. 1683. confiniariorum militum ope Turcis erepta fuisset, a Valerio Generali Veneto illico restituta, communitaque ad Barbarorum insultus depellendos minime impar videtur.* Hactenus de Liburnia antiqua mediterranea; nunc quæ hujus regionis divisio fuerit & descriptio sub imperio Chrobatarum, vel quæ deinde aut nomina illuc invecta, vel arces ibidem conditæ, paucis exsequar.

Scardona vetus.

Scardona nova, ejusque descriptio.

Cum universa Chrobatia Cisalpina in Zupanias omnino undecim divisa esset, ex his quinque ad Liburniam pertinebant: duæ ad Septemtrionem, *Nina*, cujus pars altera in Japydia, altera in Liburnia erat, Tedanio utramque interfluente, ejusque urbs primaria fuit Belitzim, nunc Belina in regione, quam Bucovizam vocant; & *Tzena* partim ad Liburniam, partim ad Dalmatiam ultra Titium spectans; hujus autem civitas princeps erat Tenen, seu Tininium, nunc Knim ad sinistram Titii. Duas itidem Zupanias Chrobati habebant ad Meridiem mare versus, *Nonam* ab antiqua urbe Aenona, quam supra descripsimus, denominatam, cujus finibus, & ditione, continebatur Diadora, nunc Jadera; & *Sidragam*, in qua *Belligradum*, sive Alba maris, nunc Jadera vetus, de qua superiori paragrapho. His interjecta erat *Brebera*, in qua *Cori*, sive Corinium, nunc *Carin* ad sinum Carinensem, sive Novigradi, quam itidem urbem supra descripsimus. Hæc regio ferme tota in primis amœna est, cœli admodum jucunda salubrisque temperies; terra partim in planitiem exspatians, partim in colles clementer assurgens, felix præpinguibus glebis, & riguo solo, segetumque omnigenarum feraci. Hujus partem maximam ad Meridiem occupat Comitatus Jadrensis. Castella porro, pagi, vicique passim ita multi se se offerunt, ut summa iniri vix possit, neque ulla est regio Dalmatiæ oppidis incolisque frequentior. Ex oppidis, sive Castellis, tria memoratu digna silentio prætermitti non debent. Ad sinistram Tedanii passuum millibus fere quatuor ab ostio ejusdem fluminis arx est, cum vico, egregie munita, tum situ loci, (in colle enim constituta est) tum hominum industria operaque; Obrovacium vulgo appellant; nec desunt, qui censeant ibidem loci olim fuisse Ouporum, quod oppidum Ptolemæus in Liburnia mediterranea collocavit. Hinc haud longe in Boream distat vicus exiguus, cui nomen itidem est Obrovacio; hoc autem superius, illud inferius Obrovacium vocant. In Comitatu Jadertino, ab urbe Jadera totius Liburniæ primaria fere octo millibus passuum in Orientem ad Septemtrionem situm est Zemonicum nobile Castellum, scrupeo celsoque loco incumbens, de quo Topographus Hungaricus: *Zemonicum forsalitium divellitur Jadera septem circiter milliaribus, situmque est in saxeo clivo, qui hostilibus cuniculis aditum difficilem præbeat. Cingitur præterea muro veteri quidem, sed robusto, quem angulis de more adnexa propugnacula, & ex his alterum, quod Septemtrionem respicit, ad recentioris artis leges conformatum, stabiliunt.* In eodem Comitatu ab Jadera passuum millia amplius viginti abest in Orientem *Aurana* ad lacum cognominem, quam si conjectura ex quadam similitudine vocabuli ducta velis esse *Arangonam* Ptolemaicam, haud sane repugnaverim. Hanc breviter, sed satis accurate descripsit idem, quem toties nominavi, Topographus Magni Regni Hungariæ: *Urana alias Aurana, sive Lauraua, celebris in primis est a Rhodiorum equitum statione; constat quippe iisdem temporibus hinos Prioratus a Bela II. Rege, ut plerisque placet, institutos, aut certe stabilitos, Albensem scilicet in Hungaria, &*

Liburniæ divisio in quinque Zupanias; Nona & Tzena.

Nona & Sidraga.

Brebera.

Comitatus Jadrensis.

Obrovacium.

superius, & inferius.

Zemonicum.

Aurana.

Au-

Digitized by Google

Auranenſem in Dalmatia. Eſt autem hodie Urana modica civitas ad lacum ejuſdem nominis, qui Jaderam inter & Sebenicum fere medius intercedit. Jacet loco ſat amæno, formamque fortalitii minime contemnendi jam olim a memorato Bela accepit. Inſuper ſuburbana late diffundit, ut 600. facile domus complectantur. Pleraque horum a Generali Foſcolo, dum eadem Turcis ereptum iret, igne conflagrarunt, ſed a Barbaris ipſis reſtituta; tandem anno 1684. Morlachorum militum induſtria, integre in Venetorum poteſtatem tranſiere.

Dalmatia inter Titium & Naronem.

Liburniam excipit Dalmatia, quam Titius ab Occaſu, Naro ab Oriente, definiunt. Vatinius quidem in ſuis ad M. Tullium litteris, oppida huic regioni amplius octoginta attribuit, cum ſcripſerit viginti eſſe Dalmatiæ antiqua, inter Tilurum ſcilicet, & Naronem, quæ vero ipſi ſibi aſciverunt, amplius ſexaginta; Strabo autem omnino ad quinquaginta, quæ quidem illuſtriora ſint, & commemoratu digna; ex his, præter Salonam urbem maritimam, ſex alias nominat; ex his quatuor *Priamonem, Niniam, Sinotium novum ac vetus*, Cæſar Auguſtus incendi juſſit, eodem Strabone auctore, quæ ita combuſta ſunt, ac flammis penitus abolita, ut ne rudera quidem ſuperſint, ex quibus illorum poſitio dignoſci queat; nam illis haud facile aſſenſerim, qui e nominum ſimilitudine conjiciunt Nonam nunc dici, quam veteres Niniam vocabant, urbem hanc in Liburniam transferentes, contra quam docuit Strabo, qui a Liburnia Dalmatiam & Niniam diſtinxit. Reliqua duo Dalmatiæ oppida Straboniana ſunt, Andretrium, & Dalminium. Plinius præter oppida maritima, in quorum numero ponendum cenſeo *Caſtellum Tariuam*, tria in hoc tractu mediterraneo enumerat, *Burnum, Andetrium, Tribulium, nobilitata præliis populi Romani Caſtella*. Sed ab aliquibus editionibus, & codicibus Plinianis abeſt Burnum, quod in alios per inſcitiam vel incuriam Amanuenſium irrepſiſſe diximus, niſi vero a Burno Liburniæ oppido diſtinguendum cenſeas alterum ejuſdem nominis oppidum in Dalmatia, cujus poſitio nobis ignota eſt. Ptolemæus Dalmatiæ urbes remotas a mari citra Narbonam Coloniam, & Naronem fluvium ſex nominatim percenſet, *Andecrium, Aletum, Heronam, Delminium, Æquum Coloniam, Salonianam*, ſeptima eſt *Narbona Colonia*. Antoninus in eo itinere, quod *Sirmio* Salonas extremum eſt, tria oppida poſuit, quæ citra montes eſſe, & Dalmatiæ hodiernæ finibus contineri videntur, *Æquum* XXI. M. P. a Salona, *Pelvam* XVII. M. P. ab Æquo, & *Silvam* XVIII. M. P. a Pelva in Ortum & Septemtrionem diſtantes. Tabula Peutingeriana Salonis & Narone quinque oppida interjecit, *Tilurium* ab Salona XVI. *Billubium* a Tilurio IX. *Ad Novas* a Billubio IX. *Ad Fuſcianam* ab Novis XIII. *Bigaſtem* a Fuſciana XIII. M. P. in Orientem disjuncta; hinc vero tredecim M. P. abeſt Narona. Hæc milliaria ſimul collecta circiter ſeptuaginta milliarium ſummam conficiunt, quæ fere congruit cum diſtantia inter Salonam & Naronam, ſi minus recta regione, certe adjectis viarum flexibus & anfractibus. Difficile eſt horum omnium oppidorum poſitionem inquirere ac deſignare, cum veſtigia etiam, non ſolum nomen, vetuſtas aboleverit. Unum eſt Andetrium, quod Strabo Andretrium, Ptolemæus Andecrium, Peutingeriana Andretium, Dio Caſſius Anderion vocant, de cujus ſitu inter juniores Geographos fere omnes conſtare videtur, qui conjecturis haud abſurdis exiſtimant vetus Andetrium eſſe caſtellum illud, quod hodie Cliſſa dicitur, cujus nomen a κλεισις, *clauſa*, vel *Cluſura* ductum eſſe intelligi poteſt ex Conſtantino Porphyrogenito de Admin. cap. 29. *Indeque diſcedentes ad Clauſuram pergebant, quæ in hodiernum uſque diem Cliſſa nuncupatur, quatuor ipſa millia paſſuum a Salona diſtantem*. Sed Tabula Peutingeriana XVI. milliarium intervallo Andretium ab Salona diſjunxit. Haud dubium eſt, quin vitiata fuerit ea nota arithmetica, ſi fides habenda ſit Dioni Caſſio lib. 56., qui multo propius ab Salonis Anderium locat: *fugientem* (Batonem Tiberius) *in caſtello Anderio obſedit, quod erat ad ipſas Salonas ædificatum in munita & inacceſſa rupe, profundis convallibus, quæ torrentes fluvios habebant, cinctum*. Hoc oppidum, quod nunc Cliſſam vocant, ab ruderibus Salonæ fere tria aut quatuor, Spalato autem duplo plura millia paſſuum, in Boream diſtat; poſitum in excelſa rupe, quæ aditum habet parte modo una, ardua via & peranguſta. Triplex murorum ordo ambit, quos ad naturam loci ſic acclinarunt, qui inædificavere, ut uno amiſſo recipientes ſe qui cuſtodiunt in alterum, inde in tertium, undique pariter oppugnantibus immineant. Nulla videtur ſeu vi, ſive induſtria bellica expugnari poſſe; & niſi aut fames oppidanos ad deditionem compellat, aut dolus ac proditio clandeſtinam aliquam viam hoſtibus aperiat, fruſtra ad eum locum capiendum vires conatuſque omnes militaris oppugnatio conſumpſerit. Bello Cretenſi hoc oppidum in Venetorum poteſtatem conceſſit.

Oppida quatuor Straboniana ab Auguſto incenſa.

Andetrium & Dalminium.

Oppida Plin. Burnum, Andetrium, Tribulii.

Urbes mediterr. Dalmat. Ptolemæi.

Antonini, Tab. Peuting.

Andetrii hanc Cliſſa.

Sirmio Salonam petentibus viamque ingreſſis ab Antonino deſcriptam, in Meridiem illam quidem obverſam, ſed paullulum ad Occaſum deflexam, citra montes occurrunt *Silva*, hinc ad duodeviginti milliaria *Pelva*, & millia paſſuum ſeptemdecim emenſis *Æquum*, quod altero & vigeſimo ab Salonis lapide disjungitur. Hæc tria oppida ad interiora Dalmatiæ hodiernæ pertinent, niſi hinc ſummoveri placeat Silvam, rejicique ultra montes. Æquum Antonini idem eſſe dicerem atque *Æquum* Ptolemaicum, niſi *Æquum coloniam* Ptolemæus longius in Orientem tranſtuliſſet ultra Delminium, quod inter Tilurum, & Naronem in ea regione montana ſitum fuiſſe diximus, quæ ab Dumno oppido primario, eodemque Epiſcopali nomen accepit. Huc revoca, quæ capite I. & §. 1. dicta ſunt; hic addamus licet, quæ de urbe illa, unde originem traxit nomen Dalmatarum, ex antiquis Scriptoribus decerpta collegit Chriſtophorus Cellarius lib. 2. cap. 8. *Inter Heronam, & Æquum coloniam Ptolemæus ponit Delminium, quod ita etiam Appianus in Illyricis, teſte Byzantino ſcriptore urbium, nominavit, qui liber Græce deſideratur. Strabo ſæpe dicto loco vocat* Δαλμιον, *Dalmium, Quadratus apud eumdem Stephanum* Δέλμιον, *ut in Palatino codice Salmaſius invenit, in cæteris etiam* Δάλμιον, *vel* Δαλμίνιον *exſtat; ſcilicet quod Euſtathius ad Dionyſ. verſ. 97. notavit,* ἡ πόλις λέγεται Δάλμιον, ἢ Δαλμίνιον, ἢ Δάλμινον. *Fuit olim urbs magna & potens, quæ genti nomen dedit, ut Delmatæ, vel Dalmatæ adpellarentur. Strabo* Δάλμιον μεγάλη πόλις ἀφ' ἧς ἐπωνύμως τὸ ἔθνος, *Dalmium magna urbs, unde nomen genti eſt. Eadem Appianus de Delminio. De ſitu nihil certi conſtat: ex Ptolemæi autem numeris, & poſitione inter Andretium, & Naronam in Septemtrionem ponendum eſſe admonemur. Naſicam Scipionem eam urbem* μικρὰν ποιῆσαι, *captam in tenuem ſtatum redegiſſe, ibidem Strabo adjecit.*

Silva, Pelva, Æquum.

Delminii vocabuli curie ſcriptum.

Id quod ab Aurelio Victore de Viris illuſt. in hac Naſica confirmatur. Conſul, inquit, Delminium urbem Dalmatarum expugnavit. Conſul autem fuit P. Cornelius Naſica cum M. Claudio Marcello anno V. C. DXCVIII., *quinquennio circiter ante bellum Punicum III. Tanta moræ, & molis fuit ſuperare Dalmatiam; quippe ab Auguſto Cæſare tandem omnis ſuperata fuit.* Salonianum Ptolemaicum haud longe ab Narone fluvio in montanis conſtituas cenſeo. Salonis profecti, viamque ſexdecim milliarium, Orientem verſus progreſſi, ductu Tabulæ Peutingerianæ primum venimus *Tilurium*, *Pontem Tiluri* vocat Antoninus; deinde *Billubium* (Biludium Antonini), tum *ad Novas*, poſt *ad Fuſtianas* (Auſuſtianas Antonini) inde *Bigaſtem*, poſtremo *Naronam*. Antoninus inter *Pontem Tiluri*, & *Biludium* interjecit *Tronum*; *Ad Novas* & *Bigaſtem* prætermiſit. Urbes Ptolemaicas ſupra nominatas neque Antoninus, neque Odographus Peutingerianus impoſuit Viæ militari, quæ Salonis, recta in Orientem regione, ducit Naronam; id autem argumento eſt illas hinc remotas in ſuperioribus editiſque ad Septemtrionem locis ſitas fuiſſe. Ac Delminium quidem urbem fuiſſe montanam ſæpe diximus, ex qua de reliquis conjecturam facere licet. Itaque ſi Ptolemæus, quas recenſuit, urbes collocavit ex ordine Geographico, eas ita conſtituas oportet, ut prima ab Occaſu eſſet civitas Andecrii, ſecunda ſpatio intermedio in Orientem diſtans Aleta, ac deinceps reliquæ Herona, Delminium, Aequum, poſtremo Salonitana, unde haud ita longo intervallo aberat Narona. Si quis accurata diligentiſque inveſtigatione regiones illas obiret, is fortaſſe multis in locis, ſi non omnium, certe multarum urbium, quas antiqui ſcriptores commemorant, rudera ac veſtigia deprehenderet, quibus admonitus de illarum ſitu aliquid certius ſtatuere poſſet. Sed quando neque per nos ipſi, neque per alios, loca illa explorare, intentiuſque inſpicere potuimus; nihil aliud reſtat, niſi ut, quæ illarum urbium poſitio veriſimilior eſſe, atque ad Veterum deſcriptionem propius accedere videtur, eam cuique adſcribamus. Tribulium, ſeu Triburium Plinianum ultra Naronem inter urbes Illyrici proprii rejiciendam cenſeo; & niſi me fallit ſimilitudo vocabuli, arbitror eſſe urbem illam, quam nunc Trebignem vocant, olim Terbuniam appellarunt. De ſitu Naronæ civitatis quondam ampliſſimæ & frequentiſſimæ dubitare non licet; cum de illa, quæ adhuc extant, reliquiæ antiquum & locum & nomen retinent. Abeſt Salona ex Pliniana dimenſione duo & ſeptuaginta millia paſſuum, a mari omnino ad viginti, fluvio cognomini ad dexteram appoſita, eratque Colonia civium Romanorum, eademque caput gentis, & ſedes primaria tertii conventus Illyrici, ad quam M. Varro civitates undenonaginta ventitaſſe auctor eſt. Ptolemæus *Narbonam* vocat; eamdem fortaſſis, quæ a Stephano dicta eſt *Narbis*; non deſunt tamen qui Ptolemæum vel eos arguant, qui Ptolemæum exſcripſerunt, quaſi Gallicum vocabulum in Dalmatiam tranſtulerint. Ajo equidem duas eſſe urbes Gallicam, & Dalmaticam non re ſolum, ſed etiam nomine diſtinctas; at nego Gallicam illam in provincia Narbonenſi uſquam appellari Narbonam, quæ quidem ab antiquis Narbo Martius dici & cognominari ſolebat. Narbona nomen eſt urbis Illyricæ in Dalmatia non aliunde adſcitum, ſed proprium, quo illam Ptolemæus affecit, & a Narbone Martio diſtinxit; quamvis cæteri ſcriptores, unica littera intermedia exempta, Naronam nominare conſueverint. Quare deſinat Brietius reprehendere Julium Scaligerum, quod Carum, ejuſque filios Carinum & Numerianum, quos Narbonæ ortos eſſe Veteres tradunt, genere Illyrios ac Dalmatas fuiſſe ſcripſerit. De Narona jamdudum exciſa Topographus Hungaricus hæc ſcripſit: *Surgebat hæc civitas, quondam una ex illuſtrioribus Dalmatiæ, ad fluvium cognominem, ubi deinde ad hæc uſque tempora, oppidum dumtaxat, ſtatioque non ſatis tuta remanſit; qua anno 1716. pariter everſa, Veneti perficiendas decrevere incohatas jam olim a Generali Valerio munitiones in trigona inſula, quam memoratus fluvius non procul a veteri civitate medias inter paludes opportune effieis. Neque dubium, quin ad tranſitum in Ducatum S. Sabæ, Turcicaſque regiones adornandum peraccommodo munimento jampridem ſuprema manus adhibita fuiſſet, niſi fatalis præſidiario militi aura conſilium retardaſſet.* Cæterum haud procul Narona, aut fortaſſis ibidem loci, arx a Turcis exſtructa eſt, & a Venetis capta ſuperiori ſæculo in exitum vergente, cui Citcluti nomen eſt, de quo infra.

Salonitana, Tilurium, & alia oppida Dalmatiæ media.

Ordo urbium Ptolemæi.

Tribulium Plinii.

Narona urbs celeberrima.

Narbona Ptolemæi, diſtinguenda a Narbone Galliæ Narbonenſis.

Hujus regionis pars Occidentalis inter Titium & Tilurum pertinebat ad Chrobatiam ciſalpinam, quam Tilurus amnis, ut alibi diximus, ſejungebat a Serblia itidem ciſalpina, quamvis in Septemtrionem Chrobatæ ultra Tilurum, qui ab ipſis Zetinæ nomen accepit, Chrobatiæ nomen fineſque protulerunt, ſic prorſus ut pars Dalmatiæ inter Tilurum & Naronem ſpectans ad Boream Chrobatarum imperio ſubeſſet; pars vero altera ad mare & Meridiem vergens, Serblorum nomine ac dominatu contineretur. Itaque extrema hæc ad Orientem Chrobatia in quinque Dynaſtias ſive Zupanias dividebatur, teſte Porphyrogenito. Una prope aberat a mari ibidem loci, ubi eſt Hyllis peninſula, ſive Promontorium Diomedis, congruenterque ad naturam regionis maritimæ *Parathalaſſia* dicebatur; altera introrſum a mari *Peſenta*; tertia in locis montanis ad fluvium *Zetinam*, ſive Tilurum *Tzentzena*; quarta *Clebiana* ultra Zetinam, itidem in editis ad Septemtrionem locis, cujus primaria civitas *Clebna* nunc *Hliuno*; quinta demum infra Clebianam ad Meridiem *Emota* circa lacum ejuſdem nominis. Nam *Plebam*, quæ a Porphyrogenito inter undecim Zupanias Chrobatorum quarta numeratur, ultra montes conſtituendam cenſeo in Chrobatia Tranſalpina, cum nihil loci, quem huic Zupaniæ attribuam, in Dalmatia hodierna inveniam. Quod reliquum erat Dalmatiæ in Ortum occupaverunt Serbli, & quatuor in partes diviſerunt; unam eam fecerunt, quæ infra Emotam inter Tilurum & Naronem, ſive Zetinam & Orontium ad mare vergit, dictaque eſt *Arenta*, ſive *Pagania*; alteram ultra Naronem Zachlumos, tertiam Terbuniatas, & Canalitas, quartam Diocletanos uſque ad Drilonem. De Paganis, qui & Arendani appellati ſunt, eorumque regione atque urbibus hæc ſcripſit Porphyrogenitus: *Regio etiam, quam nunc Pagani incolunt, primitus a Romanis tenebatur, quibus Roma deductis Imperator Diocletianus in Dalmatia ſedes aſſignavit. Et oriundi ſunt etiam ipſi Pagani a Serblis non baptizatis, ab eo ſcilicet Principe, qui ad Heraclium Imperatorem confugit. Capta vero itidem ab Abaribus & vaſtata hæc regio ſub Heraclio Imperatore rurſum incolis frequentari cæpit. Pagani autem dicuntur, quod baptiſmum non accepiſſent eo tempore, quo Serbli omnes baptizati erant. Etenim Pagani Slavorum lingua, baptiſmi expertes dicuntur. Romanorum vero Dialecto re-*

In hac parte Dalmatiæ citra Tilurum tres, ultra Tilurum duæ Zupaniæ.

Parathalaſſia, Peſenta, Tzentzena, Clebiana.

Plebia Zupania ultra montes in Chrobatia tranſalpina.

Serblorum regiones 4.

Arenta ſeu Pagania.

gio eorum Arenta nuncupatur, unde ipſi a Romanis Arentani appellantur. Habet Pagania urbes habitatas, Mocrum, Berullia, Oſtroch, & Labinetza. Inſulas Paganorum deinde enumerat, quæ huc non pertinent. Ab his urbs Narona vocari cepit Narenta, unde toti regioni Arentæ nomen obvenit. Tres reliquæ Serblorum regiones ultra Naronem ad Illyricum proprium ſpectant, de quibus poſtea. Pleraque vocabula ab Chrobatis & Serblis invecta vel antiquata ſunt, vel ita corrupta, ut de priori ſono ac forma vix aliquid retineant. Ex locis itidem, quæ illi occupaverant, aut condiderant, alia vetuſtas diruit, alia poſteritas reædificavit. Hęc regio inter Titium ac Naronem multis locis montoſa eſt ac ſterilis; maxima tamen ex parte plana & campeſtris, amnibus frequens, naturaque fertilis; oppidis, caſtelliſque, viciſque plurimis habitatur. Quæ pars ad Occaſum reſpicit, Titioque ac Tiluro interjacet, eam montes interſecant ab Ardiis montibus fere uſque Salonam perpetuis jugis producti. Ad Cliſſam duo veluti brachia expandunt; alterum in Occaſum ad Titium, alterum in Orientem ad Tilurum protendunt, ſic prorſus, ut continua montium ſeries ab uno ad alterum amnem pertingat. In regione ſuperiori ac Boreali infra fontes utriuſque amnis haud ita longo intervallo disjunctos vallis opima eſt ac fertilis, clauſa undique excelſis montibus, & longius, quam latius patens; Polizzam vulgo appellant, de qua breviter Palladius: *Sed introrſus procul a Spalato ſunt fauces maximæ ameniſſimæque convallis, quæ aſperrimis imo inviis montibus circumdata, ab indigenis Politia vocatur. Ea vicatim tantum habitata ad duo millia virorum continet, qui ſuis juribus viventes nulli externo diu paruerunt.* Huic ab Occaſu oppidum eſt ad ſiniſtram Titii fluvii, quadraginta millia paſſuum a mari, naturali ſitu munitum. Obliquo colli inſidet; ambit duplex murus, cum crebris turribus; firmat arx loco alto ac præcipiti. Oppido nomen eſt Tinninio, Chrobatæ Tenen dixere, eratque præcipua civitas Tzenæ Zupaniæ; nunc indigenæ Knin appellant. Ex Tinninio ager Sebenicenſis & Jadertinus ſubinde a Turcis incurſabatur. Id maxime movit Venetos, ut eo potiri conarentur; quod bello Peloponneſiaco intra finem ſuperioris ſæculi demum Turcis ereptum eſt. Derniſium oppidum haud infrequens ſublimi loco incumbens, & antiqui operis munitionibus ſeptum, decem circiter millibus paſſuum Tinninio diſtat in Meridiem, quod ſubterfluit Cicolla fluvius, qui curſu ad Occaſum obverſo in Titium delabitur. Sebenicum ab Sicco Ptolemaico longe diverſum, ut ſupra diximus, ſitum eſt ad ſiniſtram Titii, ab mari aperto millibus fere novem disjunctum. Imminet in lacum ejuſdem nominis, quem mare introrſum erumpens efficit; idemque lacus eſt portus urbi ſubjacens, par claſſi quantælibet, in quem Titius fluvius influit; cujuſque fauces tuetur arx trianguli forma, muris tormentiſque egregie munita. Regio circa in colles aſſurgit, quorum dorſo urbs impoſita, qua maritimam oram deſpectant. Arcem habet in ſummo. Sed quod non procul altiores colles alii impendent, arcem alteram, parvaque caſtella duo locis opportunis ad urbem protegendam Veneti, quorum in ditione eſt, inde uſque ab initio decimi quinti ſæculi, excitarunt. Civitas eſt Epiſcopalis, & incolarum numero admodum frequens, & præclaris ædificiis ornata. Ager Sebenicenſis optimus & cultiſſimus, olivis præſertim vitibuſque conſitus; quo nihil amænius, nihil fructuoſius. Inter Sebenicum & Salonam tota regio, qua vergit ad mare, quamvis montoſa ſit, vicos tamen habet non paucos, quibus ad victum, quod ſatis eſt, haud maligne ſuppeditat. Contra autem regio ſuperior in Septemtrionem ſpectans uſque ad montes Politiæ in planitiem extenditur, habetque agros, & natura perbonos, & hominum induſtria culturaque meliores. Ab Oriente tribus pagis diſtincta eſt, quorum ſinguli aliquot vicis conſtant; ſunt autem *Coſſovum, Petrovopoliem, & Ziminum.* In tranſmontana ad Ortum regione *Singum*, alii *Sfingam*, vulgo *Sign* vocant, locatum eſt in ſaxo fere undique abſciſſo; tribus murorum ordinibus, interjacente modico intervallo ſeptum, a Tiluro in Occaſum, & a Cliſſa in Boream ſpatio propemodum æquali disjunctum; cujus accuratam deſcriptionem e Topographo Hungarico mutuatam hic ſubjiciendam cenſeo: *Sfinga, vulgo Sign, ſive Scin, Fortalitium inſigne a Cetina fluvio non multum diſſitum, ex horrida rupe prealti montis, planitiem pulcherrimam, ab Orientali præcipue latere longe expatiantem, cum amœnis quibuſdam colliculis deſpicit: ubi præruptæ cautes, quibus omni fere ex parte protegitur, deſinunt, robuſtus paries, cui recens Veneti cornutam, ut vocant, munitionem addidere, ſuccedit. Inſuper ars pridem naturæ operam ſuam turriculis paſſim excitatis, muroque triplici circumducto, commodarat; adeo ut locus non niſi fame expugnabilis videatur, binis ciſternis inter ſaxa ſingulari induſtria effoſſis, aquam militi opportune ſuggerentibus. Objecerat jam olim inſigne hoc propugnaculum Turca Venetorum potentiæ poſt Cliſſam amiſſam; verum eo quoque iſtorum virtus anno 1686. penetravit, ut barbarus poſſeſſor, qui tamen anno mox inſequenti in priorem ſtationem rurſum ſubiturus timebatur, niſi accurrentes continuo Chriſtianorum ſuppetiæ malum præverterent, & feliciter depelleretur.* Infra Singum ad Meridiem, interjecta quatuor circiter milliarium planitie, aſſurgit mons Maſſaron ab Cliſſa ad Tilurum perductus: exinde ampla & peramœna planities ad mare uſque explicatur, eaque regio vergens ad mare cis ultraque Tilurum vocatur Primoriſe, bifariam eodem Tiluro interfluo ſic diviſa, ut pars citra inferior, pars ultra fluvium ſuperior Primoriſe appelletur; utraque vicis oppidiſve haud infrequentibus præſertim ad oram maritimam habitatur. Quam Tilurus ab Occaſu, Naro ab Oriente regionem determinant, eam quoque interſecat continuatio ſerieſque montium ex Adrio monte fere uſque ad maritimam oram porrecta. In regione citeriori, prope fontibus Tiluri ſeu Cetinæ, loco arduo & prærupto inſidet Liunum egregiis cum ab arte, tum a natura præſidiis munitum, unde haud longo ſpatio interpoſito abeſt in Occaſum Verlica caſtellum neque infrequens, & ſatis validum. Cetina oppidulum eſt ad lacum ejuſdem nominis, quem Tilurus efficit. Huic e regione Orientis fere obverſum eſt alterum oppidum, cui nomen eſt Dumno, ubi olim Delminium, civitas primaria generis ac nominis Dalmatici; ager adjacens ab oppido Dumnus denominatur, cui finitimus eſt pagus ex aliquot villis conſtans, qui Cliunus dicitur. Duare arx eſt ad lævam Tiluri, rupi incumbens, quam mœnia ac turres antiquę ſtructuræ ſatis communiunt; & duo caſtella, ex alto imminentia, hoſtes a propiori ad arcem acceſſu prohibent. Infra eſt propius a mari Viſechium, oppidulum ad ripam ejuſdem Tiluri, deinde Almiſſa, ſive Peguntium. Glodovi cujuſdam caſtelli ſupra Almiſſam meminit Palladius, ex quo pauca hic adjicere libet. *At paullo ſupra in prealti montis ſupercilio caſtellum eſt natura loci munitiſſimum nomi-*

Peſcripsio regionis inter Titium & Naronem.

Polizza vallis.

Tinninii oppidum.

Derniſium pp.

Sebenici.

Singum, ſeu Sfinga.

Monsmaſſaron.

Primoriſe inferior & ſuperior.

Liunum; & Verlica; Cetina oppidum.

Dumnum, Cliunus Duare.

Viſechii & Almiſſa, Glodoum.

Digitized by Google

nomine Glodoum, quæ vox lingua Illyrica famelicum significat; ab eo ſtadiis xx. in ejuſdem montis latere, quod ad Septemtrionem vergit, conſpicitur Viſechium item caſtellum, quod a nobis pendens, ſive pendulum dici poteſt; inde incipiunt montes altiſſimi ejus regiunculæ, quam indigenæ peculiari vocabulo Crainam vocant; quo etiam lingua eorum littus demonſtrant; in ea Ratanæi Caſtelli, cujus Ptolemæus & Plinius mentionem faciunt, veſtigia monſtrantur. Crainæ a Septemtrione conjungitur regio tota in mediterranea, campis aquiſque viſenda, cui nomen eſt Radobilia. Regio ulterior, montes inter ac Naronem, qua in Boream protenditur, aliquot vicos habet, pauca oppida ſive caſtella; inter quæ tectorum & incolarum numero facile præſtat Emota, oppidum exiguum quidem, ſed celſo ſitum loco ſuper lacum cognominem, atque ad impetus hoſtiles vel retardandos vel repellendos ſatis munitum. Eadem regio qua vertitur ad Meridiem, fere ab incolis viciſque deſerta eſt ob paludes, quas infra Naronam amnis reſtagnans facit. Ad ripam occidentalem Naronis a mari millia paſſuum fere viginti, ubi erat Narona, de qua ſupra, arcem Turcæ abhinc duobus ſæculis inædificarant, regionis ejus opportunitate animadverſa, feceruntque nomen, Sdeislam, quod Turcica voce agger Ottomanorum eſt: incolæ deinde Citclutum, quod ipſorum lingua ſignificat clauſtrum murorum, appellarunt. Colli prærupto inſidet: hinc Naro flumen & paludes; hinc ardua ad aſcenſum loca, crebræque turres muniunt. Adjectum præterea eſt operum pro mœnibus aliquantum, ut pauci armati arcere magnam multitudinem queant. Hæc arx nunc imperio ſubeſt Venetorum, labente ſæculo ſuperiori Turcis adempta. Supra Citclutum pagus eſt valde frequens, Gliubuskam vocitant. Infra Citclutum ad paſſuum millia fere undecim ſitum eſt Norinum: id exiguæ arci eſt nomen Naronæ fluminis ripam inſidenti, quam cum Veneti cepiſſent, perſpecta regione, qualis in circuitu eſſet, optimum factu viſum eſt arcem alteram in ea inſula condere, quam duobus infra Norinum millibus paſſuum Naro efficit; nam & validum munimentum fore putabant oræ maritimæ cis Naronem, & hoc propugnaculo objecto, opportunitatem fluminis hoſtibus mediterranea colentibus ademptum iri cenſebant. Angulo igitur extremo ejuſdem inſulæ, qui fere in Septemtrionem vergit, divortio in ipſo aquarum, arcem firmiſſimis mœnibus ac munitionibus ſeptam ædificarunt, quam *Opus* ab nomine inſulæ appellari voluerunt. Ad Tilurum ſive Cetinam fluvium regrediar neceſſe eſt. Ab eo enim initium ducebat nobiliſſima Dalmatiæ mediterraneę provincia, quam Herzegovinam, & Ducatum S. Sabæ vocant, quęque ultra Naronem longiſſime in Ortum excurrebat. De hac quæ ſcripſit docte copioſeque Topographus Hungaricus, huic loco attexere juvat: *Ex Dalmatia hodiedum ſub Turcico imperio ingemiſcente, pars non modica eſt Herzegovina, alias S. Sabæ Ducatus, qui tantæ olim erat amplitudinis, ut non ſecus ac Chulmenſis Toparchia, in cujus locum ſub poſtrema ætate ſucceſſerat, ad duodecim dierum iter ab Ortu quidem Novibuzarium uſque urbem principem Raſciæ, ab Occaſu autem uſque ad Zetinam fluvium porrigeretur. Dictus eſt S. Sabæ Ducatus a Raſco tertio genito Stephani Regis Serviæ, quem alii Simeonem appellant; cum enim aſſumpto Sabæ titulo Monachum induiſſet, tanta ſanctitatis opinione vitam exegit, ut Servii mox a morte ſanctum pronunciarent, & in perennem ejus memoriam Chulmiam, tunc Serviæ provinciam, quod in eadem Divus hic Monachus tumulo ſit illatus, S. Sabæ titulo continuo inſignirent. Dicitur tamen vulgo Herzegovina ſive ab Uladislao Stephani, quem nonnulli Herzegum appellant, filio, quod is ſcilicet Toparchiam hanc poſt parentis deceſſum obtinuerit; ſive probabilius a Germanica voce Herbog, quæ Ducem ſonat. Ut autem præcipua, prout pleriſque placet, hujus Ducatus arx Neo-Caſtrum una cum Cataro, & Rhizonio, quæ omnia Herzegovinenſis provinciæ finibus contineri ajunt, in Venetorum poteſtate ſit; attamen nemo inficias jerit ampliſſimum hujus Ducatus diſtrictum, quem Conduerges Turcæ vocant, quive olim pulcherrimis caſtellis arcibuſque muniebatur, Turcico in præſens dominio magna ex parte teneri; ac in primis totius regionis caput Herzegovinam urbem a Baſſa, qui toti illi tractui imperat, inſideri; quamquam adeo ſit tenuis, ut vix ab ullo Geographorum maxime recentiorum memorari conſueverit. Nimirum infelices illæ regiones litterato viatori haud facile perviæ, ad hæc ab incolarum feritate plurimum defœdatæ, decora prope omnia una cum nominibus amiſere. Id unum a ſcriptoribus adnotatum reperio Baſſam Sinanum, neſcio qua rabie correptum anno 1595., cum Herzegovinam civitatem occupaſſet, S. Sabæ ibidem tumulati corpus publice comburi juſſiſſe, ut legere eſt apud Joannem Tomcum Marnavitium in Vita S. Sabæ, Romæ an. 1630. typis vulgata.*

Sequitur pars poſtrema Dalmatiæ mediterraneæ, in qua cum ortum fuerit, indeque latiſſime propagatum genus nomenque Illyricum, eam Illyrici proprii ac primigenii vocabulo appellandam eſſe exiſtimavimus. Duobus notiſſimis celeberrimiſque fluminibus Narone & Drilone continetur. Poſt Naronam, quæ citra Naronem fluvium eſt, has eidem urbes attribuit Ptolemæus, *Enderum, Chinnam, Docleam, Rhizanam, Scodram, Termidavam, Siparuntum, Epicariam, Erminacium.* Una ſupereſt Scodra, nunc Scutari, cæteras confecit vetuſtas, penituſque obruit. Cave ab Ptolemæo requiras in hiſce urbibus nominandis ordinem Geographicum; quem hoc loco non videtur Ptolemæus ſibi ſequendum propoſuiſſe, id quod poſtea conſtabit. Odographus Peutingerianus iter, quod Narona eſt Liſſum ſive ad Drilonem, partim littoreum, partim mediterraneum deſcripſit. Poſtquam enim viam in ora maritima milliarium quinque & ſexaginta interpoſuit Naronam inter Adlichiamque, hinc duplicem lineam ad Liſſum deduxit, alteram ſecus mare, cui nullas urbes, nullamque milliarium notam adſcripſit; alteram remotam a mari, cui has urbes impoſuit, obſervatis notatiſque milliariis, quibus inter ſe diſtant: *Adlichia VIII. Leuſino XII. Salunto XVII. Sandarva VI. Vario XV.; Sallunto XVIII. Halato X. Barſumno XVI. Sinna XX. Scobre XXX. Liſſum.* Si centum & quadraginta duobus milliariis, quæ Adlichiam inter Liſſumque numerantur, quinque & ſexaginta milliaria illa addideris, quæ ſunt Narona Adlichiam, ducentorum & ſeptem milliarium ſummam conficies; quæ inter Naronam & Liſſum diſtantia non videtur incredibilis, propter anfractus & circuitus ejus viæ mediterraneæ montibus identidem, & fluminibus interciſæ; cum cæteroquin Drilo ab Narone, qua longiſſime abeſt, millia paſſuum non amplius centum & quadraginta, recta regione disjungatur. Antoninus in itinere Salonis Dyrrhachium eaſdem fere urbes interjecit, ſed de numero milliarium, & forma vocabulorum ab Tabula ferme diſcrepat; quæ quidem facilius in Tabula, quam in Itinerario

Crainа regio. — Emota. — Citclutil. — Gliubuska pagus. Norinum. — Opus arx. — Herzegovina ſive Ducatus S. Sabæ. — Pars poſtrema Dalmatiæ Illyricum proprium. — Urbes mediterr. Ptolemaicæ. — Urbes mediterr. Peuting. — Urbes mediterr. Anton.

rario vitiata esse dixerim. Hæ sunt Antoninianæ urbes sive oppida eidem viæ imposita, *Leusinium*, *Andarba* (quæ est *Sandarva* Peutingeriana,) *Salluntum*, *Alata* (*Halatum* Peutingerianum) *Birziminium* (*Barsumnum* Peuting.) *Cinna*, (quæ sane est Ptolemæi *Chinna*, & Tabulæ *Sinna*) *Scodra*, quæ prave in Tabula *Scobre* dicitur. *Salluntum* Leusino & Sandaryæ interjectum in Tabula, cum redundare videatur, invexit insciția Librariorum. *Varium* abest ab Itinerario Antoniniano. Harum urbium positio, ratione habita dimensæ inter eas distantiæ sive ab Antonino, sive ab Auctore Tabulæ Peutingerianæ, mente aliquo modo concipi potest, ex earum vestigiis, quæ nulla supersunt, intelligi nequit. Una est Scodra, quæ etiamnum extat, & nomine variato situm antiquum retinet. Nihilo facilius est locum investigare, quem urbibus Ptolemaicis attribuas. Enderum locandum censeo in ea regione, quam obtinebant Enderudini, quos Plinius finitimos facit Labeatibus populis, qui Labeatidem Paludem accolebant. Sunt, qui Drivastum urbem ab lacu Labeatium, & Scodra passuum millibus circiter decem Boream versus disjunctam eamdem esse existimant, quam Ptolemæus *Enderum* vocat. Est oppidulum, seu vicus, cui nomen est Endero, testibus Brietio & Sampsone, ad radices montis Scardi quinquaginta milliariis a Lisso in Septemtrionem. Docleæ urbs perantiqua ac nobilis videtur statuenda esse prope a Palude Labeatium ab regione occidentali; ab ea Docleatæ Pliniani. Hæc ante undecimum sæculum eversa cum esset, in ejus locum jusque Metropoliticum, Antibaris successit. Endero & Docleæ Chinnam Ptolemæus interjecit, quæ cum Antonino & Tabula ultra Docleam in Ortum rejicienda est; cum Cinna sive Sinna millia passuum non amplius duodecim in Itinerario, viginti in Tabula ab Scodra in Occasum distet. Endero, Chinnæ, & Docleę anteponendam puto Rhizanam Ptolemaicam, nam vel prope aberat a Rhizinio, ut nominis affinitas ac similitudo declarat; vel eadem est ac Rhizinium, seu Rhisinum, ut aliqui censent, & Ptolemæum bis eamdem urbem vocabulo paullulum diverso nominasse existimant. Scodra urbs erat primaria Illyrici, eademque sedes Regum Illyriorum, oppidum postea civium Romanorum Plinio teste; de qua Titus Livius Dec. 5. lib. 4. cap. 26. *Ad Scodram inde ventum est, id quod caput belli fuerat, non eo solum, quod Gentius eam sibi ceperat veluti regni totius arcem; sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longe est, & difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clausula latere urbis, quod in Orientem patet, præterfluens, Barbana ab regione Occidentis, ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini, quod ortum ex monte Scodro, multis & aliis auctum aquis mari Adriatico infertur.* Coloniam ab Romanis eo deductam fuisse auctor est Ligorius ex nummo Claudii, quem Holstenius transcripsit: COL. CLAUDIA AUGUSTA SCODRA. Sæculo quarto labente contributa fuit Prævalitanæ provinciæ, quæ pars Dalmatiæ ad Orientem extrema erat, Dardaniæ ac Macedoniæ finitima, & cum parte Macedoniæ Salutaris unam constituens provinciam diœcesis Daciæ, ad Illyricum Orientale pertinebat. Nunc depravato vocabulo *Scutari* dicitur; antiquam positionem retinet, iisdemque alluitur fluminibus, quæ mutatis nominibus, iisdem alveis defluunt; sita est haud longe ab ostio Labeatidis Paludis in Orientem obverso, unde Barbana, nunc Bolliana profluit; millia passuum circiter quinque & viginti ab ora maritima recedit. Septa est mœnibus & propugnaculis antiquis operis, in eamque arx imminet rupibus imposita, ascensuque difficilis. Turcarum imperio paret; ejusque sedes Episcopalis subest Metropolitæ olim Diocletano, nunc Antibarensi. *Termidavam*, *Siparuntum*, *Epicariam*, *Erminacium* Ptolemaicas urbes vetustas obruit, penitusque abrasit. His Dalmatiæ civitatibus mediterraneis addas velim Tribulium Plinianum, nunc Tribignem, sive Terbuniam, de qua postea, itemque Medeonem urbem Livianam, quæ ad ditionem Gentii postremi Regis Illyriorum spectabat. Hanc Livius locavit in regionem Labeatium, qui paludem Labeatidem circumcolebant: *Anicius Perpennam extemplo mittit ad comprehendendos amicos cognatosque Regis, qui Medeonem Labeatium gentis urbem profectus, Etlevam uxorem cum duobus filiis Scerdileto Pleuratoque, & Caravantium fratrem Scodram in castra adduxit.* Duo sunt oppidula Dalmatiæ haud longo intervallo disjuncta, alterum *Medunum*, alterum *Modonem* vocant. Alterutrum esse *Medeonem* Livianum facile dixerim, quamvis hoc quidem viginti millia, illud uno milliario plus a palude Labeatium in Boream distet; neque enim incredibile est ad viginti milliaria, aut plus eo, Labeatium fines porrectos fuisse, & oppidum Livianum, quo erat ab urbe Scodra remotius, eo tutius amicis cognatisque regiis perfugium præbebat.

Enderum prope Labeatas.

Docleæ.

Rhizana.

Scodra.

Tribulia, Medeon.

Medunum & Modon.

Hæc regio Naronem inter Drilonemque septimo sæculo obtigerat Serblis, unde Serblia dicta est. Hi porro quidquid terrarum in Dalmatia possidebant, in quatuor partes divisere. Prima erat Pagania sive Arenta citra Naronem, quam supra descripsimus; reliquæ tres ad hanc, in qua nunc versamur, regionem pertinebant, eratque hoc prorsus ordine ab Occasu in Ortum dispositæ; *Zachlumia*, *Terbunia*, *Dioclea*. Eas distincte ac singillatim descripsit Constantinus Porphyrogenitus.

Hæc regio Illyrici proprii serbloe excepit.

De Zachlumis, & ea, quam nunc incolunt, regione.

Zachlumorum terræ Romani primum dominabantur; illi nimirum Romani, quos Diocletianus Imperator Roma eo, veluti in coloniam deduxit, quemadmodum & in Chrobatorum historia de iis dictum est. Romanorum igitur Imperatori prius parebat Zachlumorum regio; sed ab Abaribus postea subjugata, & in vinculis abductis ipsius incolis, tota hæc regio deserta fuit. Qui vero nunc illic habitant Zachlumi, Serblii sunt ab illo Principe, qui ad Heraclium Romanorum Imperatorem confugit; & Zachlumi dicti sunt a morte Chlumo nuncupato; & alias Sclavorum dialecto Zachlumi dicuntur ii, qui post collem habitant: quandoquidem magnus inibi collis est, in cujus vertice urbes duæ sunt, Bona & Chlum; retro autem hunc montem flumen Bona nuncupatum devehitur, quod Græcis καλὸν significat. Venit autem posteritas Proconsulis & Patricii Michaelis Busebutze Zachlumorum Principis filii, a non baptizatis accolis fluminis Bistas, quod & Ditzice cognominatur, habitavitque ad flumen Zachluma nuncupatum, suntque urbes Zachlumorum habitatæ, Stagnum, Mocrisic, Josle Galumaenic, & Dobrisic.

Zachlumia.

De Terbuniatis & Canalitis, eorumque regione, quam nunc incolunt.

Terbuniatarum Canalitarumque eadem regio est; incolæ vero a non baptizatis Serbliis descendunt, qui illic habitarunt ab eo usque Principe, qui a Serblia non baptizata ad Heraclium Imperatorem confugit, usque ad Blastemerum Serbliorum Prin-

Terbunia & Canalitæ.

Digitized by Google

Principem, qui filiæ ſuæ maritum dedit Crainam Belæ Terbuniæ Zupani filium, eumque honoris ergo Principem appellavit, & ut ſui juris eſſet effecit: atque ex illo Phalimeres natus eſt, ex quo Tzuzemeres. Terbuniæ vero Principes ſemper Serblię Principi parebant; & regio ipſa lingua Sclavorum locum munitum ſignificat: quandoquidem multæ in ea ſunt munitiones; eſtque ſub ea alia adhuc regio, quæ Canale nuncupatur; Canale vero viam planſtri ſignificat Sclavorum idiomate; nam propter loci planitiem ſervitutes omnes planſtris præſtant. Habet autem tam Terbunia, quam Canale oppida, quæ habitantur, hæc; Terbuniam, Hermum, Rhiſena, Leucabete, & Zetlebe.

De Diocletanis, & ea, quam nunc incolunt, regione.

Dioclea. *Etiam Dioclea regio primitus occupata erat a Romanis, quos illuc tranſtulerat Imperator Diocletianus; quemadmodum & in Chrobatorum hiſtoria dictum eſt, & Romanorum Imperatori erat ſubjecta; ſed ab Abaribus hæc quoque regio ſubjugata ac vaſtata fuit: & ſub Heraclii Imperatoris temporibus habitari iterum cepit, quemadmodum Chrobatia, Serblia, Zachlumorum terra, Terbunia, & Canale. Dioclea autem nuncupata eſt illa regio ab urbe ibi condita a Diocletiano Imperatore, quæ nunc habitatoribus vacua in hodiernum uſque diem Dioclea appellatur: ſuntque in ea regione urbes habitatæ magnæ, Gradetæ, Nugrade, & Lontodocla.*

Deſcriptio regionis. Hanc regionem montes occupant fere perpetui, quibus tamen latiſſimæ, fertiles pariter amænæque planities interjacent. Urbes nunc paucas habet, arceſque; ſed pagorum & vicorum numero frequentiſſima eſt. Multitudo cœtuſque hominum in plures vicos diſtributi, & juris ac legum communione ſociati unum Pagum efficiunt; id enim ferme ſignificat Pagus apud Cæſarem in Commentariis de bello Gallico, ubi ſcriptum eſt totam Helvetiam in quatuor fuiſſe diviſam. Plures hujuſmodi pagos habet Dalmatia, & in ea regione, quam nunc deſcribimus, præter alios minores, quatuor ſunt maxime illuſtres; duo fere ad radices montis Scardi, alter *Clementium*, alter *Pulatium* Pagus dicitur, hic ad Meridiem, ille propius ad Boream accedit; infra utrumque tertius eſt, quem nuncupant *Zentam*, eumque biſariam dividunt; quæ pars in Aquilonem obverſa eſt, Zenta ſuperior, quæ in Auſtrum reſpicit, Zenta inferior nominatur; huic a Meridie adjacet palus Labeatium, quam alias lacum *Zentæ* ab vocabulo ejus pagi, alias lacum *Scutari* ab urbe ad fauces ejuſdem lacus ſita denominant. Quartus eſt longe nobiliſſimus, quem *Montem Nigrum* vocant. Eſt enim ſeries quædam & continuatio montium ſupra Catarum ab Occaſu in Meridiem devexa, & ad paludem uſque Labeatidem perducta, quæ indigenarum ſermone *Cernagora*, noſtro Mons Niger appellatur. Is montium tractus ab gentibus fortiſſimis & bellicoſiſſimis incolitur, quarum aliæ Venetorum, aliæ Turcarum imperio ſubſunt. Tria ſunt in hac Dalmatiæ parte caſtella loci ardui natura, belliciſque operibus ſatis munita; *Moſtar* oppidum frequens ſeptem & triginta in Septemtrionem ab Citcluto milliaribus ad ripam ſiniſtram Naronis fluvii; Collaſſinium, & Clobuc, utrumque ab Narone in Ortum millium paſſuum hoc circiter viginti, illud fere quindecim disjunctum; Clobuc ab Collaſſinio amplius viginti milliaria in Meridiem abeſt. Præter Scodram ſive Scutarim tres omnino in mediterraneis urbes ſunt Epiſcopali jure ac titulo inclytæ, Trebigne ad fluvium cognominem, a mari & Raguſio milliaribus circiter ſeptem dirempta; Drivaſtum civitas neque infrequens, neque ignobilis, quam interfluit Drinaſſus amnis, quem Livius Clauſulam, Plinius Drimum vocant; hinc via eſt Scodram milliarium fere ſeptem recta in Meridiem; Pulatum urbs montana exigui nominis ac circuitus in regione Pulatium, ab Drivaſto triginta milliarium intervallo ſejuncta. Tribignem & Drivaſtum paucis deſcripſit Topographus Hungaricus: *Civitas, quam Veteres Tribulium, ſive Tribuniam dixere, hunc autem Tribigne vulgo dicimus, a fluvio ejuſdem appellationis, a quo rigatur, nomenclaturam accepit. A Raguſina civitate, cui olim obnoxia fuerat, aliquot milliaribus Italicis abſcedit. Cæterum civitas admodum tenuis, belliquæ injuriis ſedum vaſtata; Turcis ab uno & amplius ſæculo obtemperat, ſedes alioquin Epiſcopi, qui una cum Mercanenſi juxta poſito Raguſini Metropolitæ erat ſuffraganeus. Trivaſtum, ſive Drivaſtum poſtremo inter Dalmatiæ Turcicæ civitates luſtramus. Suberat olim hæc civitas tamquam peculiaris Ducatus Caput illuſtri Spanorum proſapiæ, quam ab Hiſpanis auctor Italicus geſtorum Scanderbegi erronee deducit, uti animadvertit Duſreſnius, qui ejuſdem ſtemma ab Andrea, an. 1366 ſi fides auctoribus, defuncto, ad uſque Alexium Spanum, ea qua fieri potuit diligentia, extendit. Hodie hunc locum unice commendare videtur Epiſcopalis ſedes, quæ Antibarenſi Eccleſiæ ſubjicitur.* Tribignes, Drivaſtum, Pulatum civitates.

§. V.

De Populis mediterraneis ac maritimis Dalmatiæ hodiernæ.

DE Neſtis & Maniis, Autariatis & Ardiæis antiquiſſimis Dalmatiæ incolis ſatis multa dixímus cap. 2. ubi eorum regiones, reſque geſtas deſcripſimus. Hyllini, Liburni, Celtæ, Japydes, de quibus itidem hac, & ſuperiori parte dictum eſt, ſunt veluti genera quædam & Capita nationum Illyricarum, ex quibus alii atque alii populi prognati ſunt, quaſique facta gentium Dalmaticarum divortia. Haud facile aliam nationem invenies in plures populos, tam varii tamque diverſi nominis diviſam, præſertim ut in regione non ampliſſima; qui omnes unius Dalmatiæ, ſive Illyrici maritimi finibus continentur. Eorum vocabula neſcio quid ſonare aut olere peregrinum ſeu potius barbaricum videbantur Plinio, & pleraque cum ad pronunciandum difficilia, tum vero parum digna eſſe cenſebat, quæ cultiſſimis Romanorum auribus inferrentur: *populorum*, inquit lib. 3. cap. 27. *pauca effatu digna, aut facilia nomina.* Ex his aliquot Strabo, & Mela, haud paucos Ptolemæus, longe plures Plinius nominavit. Sed qua regione, quove ordine ſinguli locandi ſint, inveſtigatu dictuque difficile eſt. Nam veteres neque certis unamquamque gentem terminis definiunt, neque omnibus & ſingulis apponunt notas quaſdam topographicas e fluviis, montibus, aliiſve fixis ac notis locis, cuique proximis, deſumptas, unde illarum gentium ſitus ac regio dignoſci poſſit. Ad hæc alii alios populos vel recenſent, vel prætereunt, alii eoſdem aliis nominibus afficiunt, & in aliis atque aliis locis collocant. Omnis porro de hac re inter veteres Geographos diſcrepantia ex eo proficiſci videtur, quod cum hę gentes pro temporum varietate diverſa nomina ſubierint, & ſedes ſubinde mutaverint, & ſuos fines

Populi Dalmatæ multiplices, & varietate nominum diſtincti.

Auctorum in illis vel locandis vel nominandis diſcrepantia.

modo extenderint, modo contraxerint; in iisdem locandis ac nominandis alii alia tempora respexerint. Egregia est Historici Dalmatæ lib. 1. cap. 2. animadvertio, & regula ab eo tradita, qua Scriptores antiqui, cum de regionum ac gentium finibus & vocabulis discrepant, inter se conciliari possint. *Pro quibus concordandis temporum ratio adhibenda est. Mela etenim antiquiora Strabone tempora refert; Strabo autem plura ab antiquis sumens, Dalmatiæ fines sui temporis ponere omisit; Plinius vero licet brevitatis studio quædam confundat, majorum locorum distinctionem præbet; Ptolemæus denique sicuti posterior, & in Romanæ Monarchiæ apice constitutus, quando scilicet jam omnia explorata, & dimensa reperiebantur; ita cæteris quoque accuratior, ordinate ac distincte loca & regiones distribuit.* Et paullo post hæc subjecit: *In quo terrarum tractu plurima populorum, regionumque nomina mutata, vel coarctata fuerunt.* In describendis ordinandisque Dalmatiæ populis Plinium potissimum sequar, qui eos omnes in tres Conventus distribuit, Scardonitanum, Salonitanum, & Naronensem; & singulos alterius ac tertii Conventus populos in decurias descripsit. Singulæ autem Decuriæ ex hominibus mille constabant; dicta est enim decuria, quod decies centum homines caperet. Nunc de populis Dalmaticis primi Conventus, deinceps de reliquis.

Populi Japydiæ & Liburniæ Conventu Scardonitano exempti.

Quæ gentes inter Arsiam & Titium Japydiam & Liburniam incolebant, iis omnibus, juxta Plinium, jus erat adeundi Conventus Scardonitani. Cum autem idem Plinius lib. 3. cap. 21. quinque hujus regionis populos seorsum ab aliis nominat, illos hujusmodi conventu eximere videtur, qui suas leges separatim, suosque magistratus singuli, opinor, habuerint: *Arsiæ gens Liburnorum jungitur usque ad flumen Titium. Pars ejus fuere Mentores, Hymani, Encheleę, Dudini, & quos Callimachus Peucetias appellat.* Schymnus etiam, Apollonius, & Stephanus Mentores huic regioni adscribunt. Ac Schymnus quidem eos Istris finitimos constituit; itemque Aristoteles in Mirabilibus apud Ortelium prope ab Istria Mentoricam locavit; sed Apollonius videtur eos in Liburniam transtulisse; id ex eo conjici potest, quod scribit Hyllos Liburnię conterminos cum Mentoribus bellum gessisse. Mentores igitur non longe ab Hyllis distabant. *Hymanos & Dudinos*, cum eorum nemo, præter Plinium, mentionem fecerit, inter populos Liburnos quidem, sed positionis incertæ, conjicias censeo. Encheleas ultra Naronem, & ferme prope Epidaurum veteres alii Geographi rejiciunt; hinc fortasse in Liburniam antiquitus deducta est aliqua Enchelearum colonia. Peucetii sunt Italiæ populi ad Promontorium Japygiæ, oriundi profectique ex Arcadia, duce Peucetio; nec vero absimile est aliquos, vel digressos e comitatu illorum, quos Peucetius in Italiam ducebat, vel ex ipsa Italia, ut terras ibidem occupatas prægravante multitudine exonerarent, venisse in Liburniam, & sedes ibidem ac domicilia collocasse. Cæterum quam Liburniæ partem sive Encheleę, sive Peucetiæ possiderent, non liquet. Jam vero ex Plinio describendi sunt populi, ex quibus constabat primus Illyrici maritimi, sive Dalmatiæ hodiernæ Conventus:

Populi ad Conventū Scardonitanum ad-scripti.

Conventum Scardonitanum petunt Japodes, & Liburnorum civitates 14. e quibus Lacinienses, Stlupinos, Burnistas, Albonenses nominare non pigeat. Jus Italicum habent eo Conventu Flanates, a quibus sinus nominatur, Lopsi, Varubarini, immunesque Asseriates, & ex insulis &c. Cum Japydiæ nomen jampridem antiquari cœpisset, & communi Liburniæ vocabulo ipsa quoque Japydia comprehendi, quos Japydes Plinius vocat, eos fuisse arbitror populos quosdam veteris Japydiæ in regione subalpina, qui avitum nomen retinuerint. *Lacinienſium* ignota est positio. *Stlupini* ab Stlupi urbe Ptolemaica prope Tedanium flumen; *Burnistæ* a Burno civitate mediterranea, quam Tabula Peutingeriana ab Nedino millia passuum XXIV. in Ortum disjunxit, eratque ad ripam dexteram Titii fluminis supra Scardonam, ut diximus paragrapho superiori. *Albonenses*, & *Flanates* præditi jure Italico, quod provinciali jure præstantius erat, populi erant maritimi, qui oram Istriæ, sive Japydiæ in Ortum obversæ accolebant, in qua duæ illæ urbes Albona & Flanona, unde cognominati fuerant. *Lopsi* a Lopsica urbe Japydica ad fretum Morlachæ ultra Seniam. *Varubarini*, populi mediterranei, qui *Varvariam* urbem Ptolemaicam, & agrum circa urbem incolebant. Asseriates tributi pensitandi lege exempti pertinebant ad civitatem *Asſiam*, quam Ptolemæus commemorat, & nisi aliam esse censeas ab Aseria Peutingeriana, eam inter Nedinum & Burnum recte constitueris. Japydiæ veteris populis adjungas velim *Moentinos*, *Arpendeates* & *Arupinos* Appiani, ab sua quosque urbe primaria denominatos; Liburnis vero *Aetienites*, *Alupsos*, *Olsos*, *Pedetas*, *Hemiones* Scylacis, itemque *Pelagones* Schymni, quorum vocabula multis ante Plinium ætatibus vetustate exsoleverant. Nam *Pelagones* Pliniani huc non pertinent, sed referendi sunt ad Macedoniam. Verum Plinius e populis Conventus Scardonitani eos tantum recensuit, quos *nominare* ipsum *non piguit*; quos autem prætermisit, ii petendi sunt e Ptolemæo: *Tenent autem provinciam, qui Istriæ hærent, Japydes; supra vero Liburniam magis Occidentales Mazei; post Derriopes, & Derii, supra Derriopes Dindarii, supra quos Ditiones; supra autem Derios Ceraunii.* Si huic adverbio locali *supra* eam vim & notionem subjecit Ptolemæus, ut superiores ad Septemtrionem partes significare voluerit, populos ab eo nominatos, sic locari oporteret, ut media regione inter montes ac mare, proximi ab Japidibus essent *Mazei*, tum *Derriopes*, post *Ditiones*; in regione vero superiore subalpina primi ab Occasu erant *Derii*, quibus *Derriopes*, deinde *Dindarii*, quibus *Ditiones* a Meridie suberant. *Ceraunii* autem populi magis montani *Deriis* ab Septemtrione immiebant. Ceraunios fuisse arbitror coloniam aliquam huc deductam e gentibus illis, qui ad fauces maris Adriatici Montes Acroceraunios accolebant; nisi forte ex eo dicti sint Ceraunii, quod eorum regio utpote præcelsa atque edita crebris fulminum ictibus percelli soleret. Japydiam fere totam nunc occupant Morlachi, in vicos, & oppida contributi, gens ferox & bellicosa, qui tum Venetis, tum Archiducibus Austriis, quorum in ditione sunt, egregiam in bellis operam præsertim contra Turcas sæpe navarunt; nam Corbavios & Lickanos, qui regionem illam citra Tedanium ad Orientem incolunt, ad Morlachorum genus referamus licet. De origine & vocabulo Morlachorum hæc reperio. Morlachos genere Slavos esse, vel ipsa, qua utuntur, lingua declarat, sine dubio oriundos ab illis Slavis, qui inde usque a septimo sæculo has terras concessu Heraclii Imperatoris occuparunt. Hoc autem, quo appellantur, nomen e duplici vocabulo, altero Græco, altero Slavonico originem traxit. Primum enim dicti sunt Makroulahi, sive Mauroulachi; deinde aliquot litteris detractis, vocabuloque ad molliorem Italicæ linguæ sonum inflexo, Morlachi

Alii Japydiæ & Liburniæ populi a Plinio prætermissi.

Populi Ptolemæi.

Morlachi hodierni populi Japydiæ, eorum genus, & nomen.

chi appellari coeperunt. Mauroulahi igitur vox est composita e duobus verbis *Mauro & Ulahi*; τὸ μαῦρον apud Græcos idem significat, quod *nigrum* apud Latinos: Slavi autem Ulahos, seu Ulachos, vocabant homines agrestes ac vagos, qui pastoritiam & laboriosam in montibus ac sylvis vitam agerent. Hanc huic vocabulo notionem subjecit Anna Comnena lib. 8. cum Bulgaros vulgo appellari Ulahos scripsit: *Nempe Bulgaros, & pastoritia duratos vitæ laboribus, agrestes juvenes incertis sedibus vagos, quos communis dialectus Ulahos vocare consuevit*. Hinc populos trans Danubium *Ulachos* seu *Valachos*, & Moldavos, antea Mauroulahos dictos ferunt. Id genus hominum e natione Slavonica cis ultraque Danubium olim latissime diffusum erat, quos Græci *Ulahos & Mauroulahos* duobus hisce verbis Græci Slavonicique idiomatis conjunctis nominare consueverant. Hæc vocabuli hujus interpretatio in Morlachos nostros aptissime convenit; quippe fusi per montes ac dispersi armentis gregibusque pascendis quæstum sibi ad vitam illam inopem, & vagam sustentandam alendamque faciebant; quod autem cum ab Sole variaque cæli intemperie, tum ab victu cultuque agresti nigrore quodam suffusi essent, idcirco *Mauri*, seu *Nigri* dicebantur. Hæc autem explicatio & vero propior mihi videtur, & minus longe accersita, quam altera illa, quæ ab aliis adhiberi solet, auctore Presbytero Diocleate: is quippe docuit *Moroulachos* esse *Nigros Latinos*. In hanc Diocleatis sententiam Historicus Dalmata l. 6. c. v. de Ulahis multa docte & copiose disseruit.

Abhinc annis amplius ducentis in hanc regionem immigrarat gens ferox & immitis, quibus domi egebat, unde unde rapere assueta, & mari præsertim infesta. Uscochos vulgo appellabant. Gentis initia neque obscura, neque illaudabilia, quippe oriundi a Viris fortibus, qui Turcarum indignati dominatum alia atque alia quæsivere loca, ut liberi essent. Amissa Clissa, qua in urbe salutis suæ ac libertatis arcem munitissimam constituerant, vagos & profugos decimo sexto seculo excepit Ferdinandus Imperator, & sedem iisdem Seniam attribuit, unde postmodum miscuere se Morlachis per oppida cætera. Cum enim homines bellicosi essent, & implacabili in Turcas odio, adversus horum incursiones ad fines tutandos illorum opera uti decreverat. Atque initio quidem illi rem egregie gesserunt, nec sui Ferdinandum consilii pœnituit. At non multis post annis, sive rerum inopia, sive prædandi cupidine suadente, ab suo ac majorum instituto paullatim desciverunt, & ad flagitia declinarunt. Accesserant tum aliunde, tum ex terris Venetorum fugitivi, obærati exules: qua ex colluvie cum crevissent vires, jam ad quidlibet audendum superabat animus. Inde factum est illis nomen Uscochorum, quod Minurio interprete transfugas significat, seu potius deterrimæ conditionis homines, qui cum egestate domestica laborent, rapto & alieno vivere consuerunt. Non terra, non mari, modo prædæ objiceretur spes, parcebant sive Turcis, sive Christianis. Propiores damno sentiendo erant Istri ac Dalmatæ ditionis Venetæ, Uscochis intermediis finitimi; & præterquamquod ad Istriam Dalmatiamque populandas crebro egrediebantur, insulas quoque, mareque omne infestum armatis lembis faciebant. Turcarum vero fines incursando, urendo sata, abigendoque armenta & prædam aliam, Regis illorum iras in pace lacessebant, ac sæpe etiam ejus animum usque eo accenderunt, ut bellum Venetis denunciaverit, nisi teterrimos illos piratas comprimerent, & mare purgarent: id quod ad eos spectare ajebat, quorum sub jure Adriaticus finus esset. Ab Venetis autem crebræ assiduæque querimoniæ & postulationes per legatos missæ ad Archiduces Austriæ, quarum caput erat, ut Uscochos vel pro potestate in officio continerent, vel Senia & locis omnibus maritimis plagæ illius expellerent. Præclara quidem responsa & promissa sæpius relata sunt; sed quod tantis promissis dignum esset, nihil unquam præstitum fuit, sive culpa & incuria Præfectorum, sive quia non propositis tantum, sed inflictis suppliciis effrenatam illam rapiendi ac prædandi licentiam coerceri oportuerat. Quare dum, incertum qua causa, lenius agentes Principes illi, & locorum Præsides, trahentesque rem, non persecant malum, majora in dies incitamenta irarum ab Uscochis præbebantur. Ergo Veneti, quando querelis apud Austrios minus proficiebant, classe instructa piratas persequi decreverunt. Damnis ultro citroque inferendis & accipiendis plures anni extracti sunt; ac demum res eo processit, ut grave & periculosum Venetos inter Austriosque bellum exardesceret, quod duos fere annos tenuit. Anno autem superioris sæculi duodevigesimo pax ita convenit, ut Veneti restituerent, quæ Ferdinandi Archiducis Austriæ in Istris occupassent, Ferdinandus autem juberet tum omnes piraticos lembos incendi, tum Uscochos cum suis familiis Senia, & Japydiæ Istriæque finibus illico excedere, pœna capitis proposita rursus intrantibus. Pacta & conventa utrinque cum fide præstita, & servata: Uscochis autem exilio multatis a Ferdinando Archiduce sedes datæ in mediterraneis, maxime ad Carlostadium oppidum Chrobatiæ transalpinæ. Ita demum pestis illa depulsa, mare purgatum, regio pacata, restitutum incolis commercium magna populorum lætitia. De Uscochis plura scire, & distinctius cognoscere qui cupiat, legat libellum, quem de initiis & progressionibus hujus gentis, de latrociniis & flagitiis Minucius de Minuciis Archiepiscopus Jadertinus Italico sermone conscripsit.

Salona civitas erat primaria secundi Conventus Illyrici sive Dalmatici, ad quam juris petundi causa populi omnino quinque edicta ad conveniendum die, confluere solebant: *Petunt in eam jura descripti in decurias* CCCLXXII. *Dalmatæ*, XXII. *Decuni*, CCXXXIX. *Ditiones*, LXIX. *Mezæi*, LII. *Sardiates*. Hujus & tertii Conventus Populos Plinius cap. 22. ex ordine recenset, non illo quidem topographico, sed Alphabetico, ut patet, & cuilibet legenti perspicuum est. Dalmatas a Plinio commemoratos inter Tilurum & Naronem locandos censeo, in ea scilicet regione, ubi ortum, & unde propagatum est nomen genusque Dalmatarum, qui propterea peculiari quadam ratione commune totius gentis nomen, suum & proprium fecerant, erantque Dalmatæ proprie dicti. *Decuni* in aliis Plinianis codicibus *Devoni* nominantur, quorum cum nemo alius ex antiquis Scriptoribus meminerit, ignota est positio. *Ditiones & Mezæos*, sive *Mazeos* Ptolemæus citra Titium in Liburniam retraxit, nec vero absimile est aliquos e populis Liburniæ ad conventum Salonitanum pertinuisse; sed cum *Mazei* Ptolemaici magis Occidentales essent, longeque ab urbe Salona distarent, multo illis propior & opportunior erat Scardonitanus, quam Salonitanus Conventus; quocirca vereor, ne locus ille Plinianus mendo subsit, præsertim cum Pliniani codices pluribus locis corrupti sint ac mendosi, ut Delacampius, aliique observarunt. *Sardiates* Pliniani, *Sardiotæ* Ptolemaici, & *Sardiani* Dio-

Uscochi, & illorum origo.

Bellum Uscochis, & illorum causa Austriæ illatum.

Uscochi Istriæ, & Japydiæ finibus expulsi.

Conventus Salonitanus, ejusque populi.

Horum fines ac regio.

Venetis infesti pariter, ac Turcis.

ni Dionis iidem populi sunt, olim Ardiæi dicti, de quibus plura dicta sunt capite secundo. *Sardiates* autem, sive *Sardiotæ*, quemadmodum & Vardiæi, reliquiæ erant Ardiæorum gentis Illyricæ, armis olim opibusque præpollentis; quibus itidem Ptolemæus videtur sedes intra Naronem tribuisse. Ultra Titium in Ortum Plinius constituit *Tariotas* ad oram maritimam, cum eorum *Castello Tariona*, vetustissimos Illyrici populos, quos diximus eosdem fuisse, qui ab aliis Autariatæ, vel Autariæi nuncupantur. Scylax Caryandensis ferme ibidem locavit *Lotophagos*, & *Hieraſtamnas* antiquis Bullinis ab Occasu finitimos. Quos Strabo *Pleræos*, Mela & Plinius *Pyræos*, Appianus *Pyrissæos* vocant, eos circa hæc loca mare accoluisse dixerim; sed de illorum regione inter laudatos scriptores magna videtur esse discrepantia. Mela Liburnis apposuit, Plinius ultra Taulantios extra fines Dalmatiæ conjecit. Strabo lib. 7. ex vicinitate Corcyræ Melænæ, aliquid lucis præbet ad eorum positionem dignoscendam: *his propinqua est Melæna insula, Corcyra appellata*. Huic autem insulæ nihil propinquius Peninsula Stagni ultra Naronem sita, in qua locandi essent Pleræi, sive Pyrei e sententia Strabonis. Idem Strabo Ardiæos, quos & Varalios vocatos fuisse asserit, in ora maritima inter Tilurum & Naronem explicata contra Pharon insulam collocavit; sed de Ardiæis abunde jam dictum est. Ptolemæus, quidquid ab Titio Drilonem usque terrarum ac gentium protenditur, generali Dalmatiæ vocabulo complexus, eam regionem populis mediterraneis novem omnino habitari scripsit: *Interiora autem Dalmatiæ tenent Daursii, supra quos Comenii & Vardæi, supra hos Narensii & Sardiotæ, & iterum supra hos Siculotæ, Docleatæ, Piruſtæ, & Scirtones versus Macedoniam.* Tò *supra* vim habere significandi ordinis topographici non ausim dicere; verisimilius mihi videtur huic præpositioni eamdem subjectam esse notionem, quæ subest præpositioni *Præter*, & hunc locum Ptolemaicum sic interpretari oportere, ut significet in hac regione mediterranea præter Daursios, esse *Comenios & Vardiæos*, & præter hos, alios atque alios. Molestum est non esse mihi ad manus codicem Græcum Ptolemaicum, ex quo facile intelligi posset, quam vim habeat præpositio Græca ab Ptolemæo adhibita.

Pleræi, Pyræi, Pyrissæi eadem gens.

Ardiæi dicti Varalii.

Populi Ptolemaici.

Ex his populis Ptolemaicis, præter *Sardiotas*, nullus pertinebat ad Conventum Salonitanum; nam cæteros omnes Plinius in Conventum Naronensem conjecit. Populis secundi conventus addendi ex Plinio Epetini. Sed quidnam esse causæ dixerim, cur Plinius, cum Epetium, unde Pliniani Epetini, sit oppidum oræ continentis, Epetinos cum Isseis cæterisque conjunxerit, quos ex *Insulis* ab Salona jus petere scripsit. Fortasse Bractienses Insulares, angusto admodum freto ab urbe Epetio disjunctos, vocavit Epetinos, quod insula Bractia pars esset territorii Epetini, & ad jus ditionemque illius civitatis pertineret.

Epetini Pliniani.

Populi Conventus Naronensis citra Naronem fluvium erant admodum pauci; ultra multo plures; colebaturque ea pars Dalmatiæ ad Orientem postrema, & habitabatur frequentissime, urbibus haud sane multis, sed pagis oppidisque quamplurimis referta. Multos hujus Conventus populos recensuit Plinius lib. 3. cap. 22. præter alios nihilo pauciores, quos adjecit, quosque videtur Naronensis conventus adeundi jure ac lege exemisse: *Narona Colonia tertii Conventus, a Salona* LXXII. *M. pass. apposita cognaminis sui fluvio, a mari* XX. *M. pass. M. Varro* LXXXIX. *civitates eo ventitasse auctor est. Nunc soli prope noscuntur Cerauni decuriis* XXIV. *Daorizi* XVII. *Desitiates* CIII. *Docleatæ* XXXIII. *Deretini* XIV. *Deremistæ* XXX. *Dindari* XXXIII. *Glinditiones* XLIV. *Melcomani* XXIV. *Narestii* CII. *Scirtari* LXXII. *Siculotæ* XXIV. *populatoresque quondam Italiæ Vardæi non amplius quam* XX. *decuriis.* Ceraunos Ptolemæus hinc transtulit in Liburniam; vereor, ne in hunc locum Plinianum Cerauni per errorem irrepserint; & pro illis substituendos censeo Comenios Ptolemaicos, qui ad hanc regionem teste Ptolemæo pertinent. Quos Plinius *Daorizos*, Ptolemæus *Daursios*, Livius *Daorseos*, Patercùlus *Daorisos*, Appianus *Darsios* vocant, ii Naronem fluvium accolebant, ut docet Strabo: *Sequitur Naro amnis, & qui apud eum sunt Daorizi, Ardiæi &c.* Sed cum Comeniis citra illum amnem ponendos esse existimo. *Desitiates*, *Deretinos*, *Deremistas*, *Melcomanos* nusquam invenies, nisi apud Plinium, quos inter Naronem & Drilonem, quo velis loco sive maritimo, sive mediterraneo & inalpino constituas licet; de illorum enim positione nihil habeo compertum. *Dindarios* Ptolemæus citra Naronem Titiumque in Liburniam retraxit. Incerta quoque est regio *Glinditionum*, quos Appianus *Glintidiones* vocat. *Docleatæ*, quorum Ptolemæus & Appianus meminere, Doclea in urbe nobili ac pervetusta, & in agro circa urbem habitabant. Doclea autem a palude Labeatide prope aberat in Occasum. *Narestii*, quos Ptolemæus *Narensios*, Appianus *Narisios* appellant, ripam utramque Naronis accolebant. *Siculotæ* oriundi e coloniis Siculorum, quos Dionysius Senior in Illyricum deduxit, ultra lacum Labeatum in Ortum statuendi sunt; ultraque Siculotas *Scirtari*, sive *Scirtones* Ptolemaici, una cum *Piruſtis*, quos Cæsar itidem de Bello Gal. lib. 5. commemorat, extremi erant Dalmatiæ populi Macedoniam versus prope Drilonem fluvium. *Vardæos* reliquias Ardiæorum fuisse arbitror, *quos Romani*, ut Strabo scripsit, *a mari in mediterranea abegerant, coegerantque agriculturæ vacare*. Ii autem dicuntur *populatores quondam Italiæ*, quod olim sub nomine Ardiæorum, piraticis lembis Sinum Adriaticum transvecti oram maritimam Italiæ depopulassent. Cum autem Vardæorum regio, teste Strabone, *sterilis esset, atque aspera, neque agricolis conveniens*, idcirco eos in loca montana, vel subalpina rejiciendos esse existimo. Cæteros hujus regionis inter Naronem & Drilonem interjectæ populos, quamvis Conventui Naroniano exemptos, Plinius nominatim persequitur: *Præter hos tenuere tractum eum Oenei, Partheni, Hemasini, Arthitæ, Armistæ ..... Eo tractu Labeatæ, Enderoduni, Sassæi, Grabæi, proprieque dicti Illyrii, & Taulantii, & Pyræi*. Sunt, qui Oeneos populos locant in Peninsula Nesti sive Stagni, una cum Onæo urbe maritima Ptolemaica, quam hinc summovendam, ultraque Naronem in Occasum transferendam esse diximus, ab urbe Epetio in Ortum septem passuum millibus disjunctam. *Parthenos* sive *Parthinos*, *Partheneatas* Appiani, Polybius, Livius, Mela, trans Drilonem in eam antiqui Illyrici partem conjiciunt, quæ postea dicta est Macedonia, & posterioribus ætatibus Epirus nova prope Taulantios, ac fere inter Lissum ac Dyrrhachium. Horum urbem principem, a qua denominati sunt, Polybius *Partbenium*, Stephanus *Parthum* vocant. Ipsemet Plinius, qui Parthenos Dalmatiæ populis annumerat, eosdem postea Macedoniæ adscribit. *A Lisso*, inquit lib. 3. cap. 23. *Macedonia provincia: gentes Partheni, & a tergo eorum Dassaretæ*. Igitur necesse est e Parthenis Macedonicis Coloniam ultra

Populi Conventus Naronensis.

Comenii Daorizi.

Docleatæ.

Populi Dalmatiæ postremi citra Drilonem.

Partheni.

Vardæi.

Piruſtæ.

Dri-

Drilonem emiſſam prope ab Epidauriis conſediſſe, ibique gentis nomen ac ſobolem propagaſſe. Has enim ſedes circa Epidaurum Parthenis Plinianis priore loco nominatis juniores Geographi attribuunt. *Hemaſinis*, *Armiſtis*, *Arthitis*, itemque *Saſſeis* & *Grabeis*, cum jamdudum & nomen & ſedes amiſerint, quid locorum urbiumque in hac regione attribuam, prorſus ignoro. *Labeatæ* paludem ſeu lacum ejuſdem nominis, qui nunc lacus *Zentæ* ſive *Scutari* dicitur, circumcolebant.

Enderodunenſes. *Enderodunos* ibidem ponas cenſeo, ubi fuit Enderum civitas Ptolemaica, de qua ſuperiori paragrapho. *Illyrios proprie dictos* Mela etiam commemorat, hiſque eamdem fere, quam Plinius, poſitionem adſcripſit. Cæterum tota hæc regio, quæ ab Narone ad Drilonem uſque protenditur, erat, meritoque dici poterat *Illyricum proprium* ac *Primigenium*; hic enim natum, hinc propagatum eſt nomen ac genus Illyriorum, longe lateque per immenſos circum tractus terrarum gentiumque diffuſum; in hac tamen regione populi quidam erant Orientem ac Drilonem verſus, qui peculiari quadam ratione nomen Illyriorum propriorum ſibi vindicabant, & uſque ad Melæ ac Plinii tempora retinuerant. *Taulantii* huc non pertinent; etenim ultra Drilonem infra Dyrrhachium ad Meridiem ſedes habebant. De Pyreis ſupra dictum eſt. Hujus regionis, quam Naro & Drilo definiunt, incolis populis a Plinio nominatis addas oportet ex Pomponio Mela *Phæaces* ex Inſula Phęacum ſive Corcyra huc emiſſos, ſedeſque in his locis adeptos; e Scylace, & Schymno, aliiſque *Enchelas*, ſive *Encheleos* haud longe ab ſinu Rhizonico poſitos, quos Plinius in Liburniam tranſtulit; ex Appiano *Palarios*, ex Livio *Agravonitas* Omblæ fluminis accolas, *Rhizunitas* circa ſinum Rhizonicum, *Olciniatas* in urbe & agro Olchinienſi, & *Scodrenſes* ab urbe Scodra denominatos. Multos præterea Illyrici populos antiqui ſcriptores commemorant veluti, Daſſaritios, Attintanas, Cavios, Tralles, Selepitanos, & plures alios; ſed omnes hi extra fines Dalmatiæ hodiernæ incolebant extremam Illyrici regionem ad Meridiem & Orientem, quę in jus nomenque Macedoniæ conceſſit. Poſt adventum Slavorum Dalmatiam omnem inter ſe partiti ſunt Chrobati & Serbli, qui deinceps in alios atque alios minores populos diviſi, alia atque alia vocabula ſubierunt; quos enumerare ac ſingillatim recenſere ſupervacaneum cenſeo, cum eos in Tabulis recentioribus Geographicis intueri liceat. E Serblorum genere quatuor gentes propagatæ ſunt in primis claræ & celebres, Pagani ſive Arentani, Zachlumi, Terbunitæ & Canalitæ, Docleates, quarum regiones urbeſque jam deſcripſimus.

Illyrii proprie dicti.

Taulantii ultra Drilonem.

Phæaces.

Enchelei.

Palarii. Agravonitæ. Rhizunitæ. Olciniatæ.

Scodrenſes.

Chrobati, & Serbli.

CAPUT VI.

De Cœlo, ſolo, incolis Dalmatiæ.

Dalmatiæ Clima.

CUm veteres, quod eſt orbis, ut vocant, terraquei ſpatium ab Æquatore ad Polum Arcticum, in ſeptem Climata diviſerint, & duobus Parallelis Clima unumquodque incluſerint; Dalmatiam in ſextum Clima conjecerunt inter duos Parallelos, quorum alterum Borealem per Boryſthenem, alterum Auſtralem per Byzantium Strabo deduxit; quo in Climate duobus hiſce Parallelis interjecto, ęſtivus dies vel longiſſimus ſupra horam xv., horæ dimidium non excedit. Jacet Dalmatia ab Æquatore in Arctum, juxta rationes Ptolemaicas, ſub gradu 44., & dimidio Latitudinis; totidem enim gradibus, & triginta præterea minutis ab linea æquinoctiali Polum verſus recedit; Longitudo autem ab Occaſu in Ortum, cui ſubeſt Dalmatia, ab gradu ſexto & trigeſimo ad gradum quadrageſimum fere ſextum protenditur; ſic ut regionis hujus Meridianus magis occidentalis prope Iſtriam, gradum 36. Meridianus autem ejuſdem extremus ad Orientem prope Macedoniam, gradum 46. interſecet. Hæc eſt poſitio, dimenſioque Dalmatiæ, reſpectu habito ad Cœli plagas regioneſque. Eadem vero Dalmatia, ratione habita terreſtris ſpatii, quod ſuis finibus circumſcribit, ab Arſia ad Drilonem millia paſſuum fere ccclxxx. in longitudinem excurrit; Latitudo ejus inter montes ac mare varia eſt, & qua major eſt Orientem verſus, centum circiter paſſuum millibus patet. In vulgatis exemplaribus Plinianis vitiatæ ſunt notæ arithmeticæ, & octingentis millibus paſſuum, quibus longitudo Dalmatiæ ab *Arſia ad Drinium* producitur, minimum quadringenta detrahas oportet.

Dimenſio reſpectu plagarum cœleſtium.

Longitudo ab Arſia ad Drilonem.

Latitudo inter montes & mare.

§. I.

De Natura Cœli ſolique Dalmatici.

CŒli Dalmatici admodum jucunda eſt major ex parte, ſalubriſque temperies. Qui montes colleſque incolunt, aere magis puro ac tenui veſcuntur; id quod fert natura regionis, quę neque vaporum copiam gignit, & ſublimior eſt, quam ut eo pertingere poſſint emiſſæ ab inferioribus locis exhalationes, quibus aer concreſcere atque infici ſolet. Sed hæc regio, qua vergit ad mare, meridiani Solis radios, ſuapte natura vitales, puro ac patenti accipit ſinu; quo fit, ut mira cęli clementia, & temperatioris auræ dulcedine perfruatur. Nec vero ab Sole æſtivo nimis torrida eſt, aut fervida; quippe tempeſtivi imbres, atque Æteſiæ ſic æſtum temperant, ut non ſolum non incommode, ſed etiam jucunde habitetur. Per hyemem vero, niſi Aquilo ab Septemtrione vehementior oræ maritimæ incubuerit, vere quaſi perpetuo floret nitetque, cum frigorum vim Sol meridianus obtundat. Ex hac Cęli ſalubritate ac temperie duplex emanat commodum; alterum hoc eſt, ut regio fertilis ſit hominum pecudumque, numeroſiore in dies prole ſuboleſcente; alterum vero illud eſt, ut indigenæ viribus firmis, & valetudine quam optima fere ad ſummam uſque ſenectutem utantur. *Tanta eſt* (ait Peribœvius de orig. Slavor.) *hujus ſoli ſalubritas, ut indigenis prodigio ſimile appareat homines aeris intemperie morbos poſſe incurrere*. Sunt tamen quædam loca, veluti circa fluvios Naronem, & Bollianam, paluſtria, & uliginoſa e crebris æſtuariis, unde noxii vapores emiſſi, qui a Sole ex agris ſtagnantibus aquiſque tepefactis excitantur, aerem circumfuſum corrumpunt, craſſaque identidem caligine offundunt. Hinc gravitas Cęli atque intemperies, quę præſertim æſtivis menſibus morbos exitiales creat, & firmæ conſtantique accolarum valetudini maxime adverſatur. Sed *nihil eſt*, ajebat ille, *ab omni parte beatum*. Regio univerſa partim arduos in montes præruptoſque attollitur, partim molli facilique clivo in colles aſſurgit, partim denique in valles planitiemque explicatur. Qua vergit ad Septemtriones, ut montoſa & aſpera, ſic perfrigida eſt ac nivalis, rerumque omnium propemodum ſterilis, niſi quod paſcua ad greges alendos optima & uberrima ſuppeditat; cujuſmodi eſt fere tota Japydia; quocirca monticolæ illi & agreſtes homines curandis paſcendiſ-

Temperies ac ſalubritas Cœli Dalmatici.

Regio circa Naronem & Bollianam paluſtris, & inſalubris. Dalmatia montana paſcuorum ferax, ſegetum rerum ſterilis.

Digitized by Google

diſque ovibus induſtriam omnem operamque conſumunt; inde victum ſibi comparant, & quæſtum faciunt: lacte, caſeo, & carne vivunt, pane, vino, pomis, cæteriſque ejuſmodi rebus, niſi aliunde invectis, carent.

Dalmatia in locis ſubalpinis & campeſtribus amœnitas & fertilitas.

Cæterum in locis aut leniter acclivibus, aut planis & campeſtribus, regio in primis amœna eſt, telluſque amnibus frequens, natura fertilis, felix præpinguibus glebis & riguo ſolo, ac fere ſemper ob Cœlum mite ac tepidum vernante, credita ſemina multiplici reddit fœnore, frugumque ac fructuum omnis generis copiam fundit. Hæc ſoli Dalmatici fœcunditas & amœnitas prorſus eximia mirifice laudatur a Strabone lib. 7. *Aprica itidem, ut Italica, & bonarum frugum ferax eſt ora Illyrici, oleis & vitibus egregia; niſi quod ſola loca quædam aſpera ſunt. Et fuit tamen ab initio neglecta; fortaſſis quod ſoli præſtantia ignoraretur.* Quem Strabonis locum explicat illuſtratque Palladius Fuſcus lib. 1. de ſitu orę Illyr. *Ipſe cum plures annos in Illyrico moratus ſim, magnamque ejus partem peragraverim, affirmare poſſum cuncta vera eſſe, quæ de fertilitate a Strabone ſcribuntur; pars enim maritima, quantum colitur, eximie fertilis, fert abundantiſſime omnia uſui neceſſaria; interior vero reliquarum rerum ſterilis frumenta tantummodo & vina; ſed tota adeo pecoroſa eſt, ut niſi a Turcis infeſtata foret, nuſquam profecto major eſſet carnium, lactiſque & caſei, melliſque fertilitas. Sed ad oram redeo, in qua ea eſt aeris temperies, ut per æſtatem ventis leniter flantibus, nullus ingens calor, per hyemem vero nullum frigus, niſi ſpiret Aquilo, ſentiatur. In pomiferis vero arboribus, quibus hiberno tempore decidunt folia, nova plerumque offendunt vetera, non pallida & vieta, ſed ita virentia & ſucci plena, ut paullo ante nata jurare queas. Quapropter indigenis id de ſua terra dicere licet, quod eminentiſſimus Poeta de Italia ſcribens in 2. Georgicorum ait: hic ver perpetuum, atque alternis menſibus æſtas.*

Dalmatica tellus abundans rebus omnibus.

Itaque rerum omnium, quas natura deſiderat, abundantiam & copiam Dalmatia ſuppeditat. Nemora & Sylvæ affatim lignorum ac materiæ tum ad comburendum, tum ad ædificia, ad navigia, ad omnia fabrilia opera præbent. Colles olivis, vitibus, ficulneiſque arboribus, haud magis apti, quam conſiti, oleum abunde ferunt, & vina apprime generoſa, & ficus ſuaviſſimos; campi & planities frumento cæteriſque ſegetibus nitent. Ex alveariis ceræ optimæ, ac mellis Attico non inferioris ingens proventus: quarum quidem rerum quod ſuperfluit indigenis, in alias atque alias regiones aſportari, & magno cum quæſtu compendioque diſtrahi ſolet. Armentis cujuſque generis, ſed præſertim caprarum & ovium gregibus tota regio abundat; quibus alendis ac ſaginandis non ſolum montes, ſed etiam colles ac planities paſcua pinguia & uberrima ſuppetunt.

Ovium fœcunditas.

Ovium autem mira eſt fœcunditas; ajunt enim eas ſingulis annis fetificare biſero, triferoque proventu. Hinc numquam deeſt lactis, caſei, & carnium copia; vervecina tamen præcipue caro exquiſiti ſaporis, ſummorum pariter & infimorum expetitur menſis; hanc præterea ſale aſperſam exſiccant, & Venetias tranſmiſſam divendant. Ingens emolumentum Dalmatę percipiunt e lana, cujus vim maximam evehunt, atque in Italiam deportant. E piſcatu autem commodi utilitatiſque vel plurimum capiunt; nam lacus, fluvii, & mare potiſſimum piſces exquiſitiſſimos cujuſque generis vili admodum pretio coemptos in menſas divitum ac tenuiorum large copioſeque ſufficiunt; ex ea autem copia, qui uſui præſenti ſuperſunt, eos ſale conditos imburoſque, vel ſibi in aliud tempus aſſervant, vel in regiones longinquas quam optime vendendos transferunt. Sed nihil illis quæſtuoſius negotiatione; plerique enim dant operam mercaturæ, ad quam regio ipſa perquam accommodata eſt: nam ora maritima portubus maxime frequens, & pluribus introrſum æſtuariis, fluviiſque navigabilibus ad merces, rerumque omnium copiam invehendam, evehendamque & facili patet acceſſu, & facilem præbet egreſſum. Nec vero tellus Dalmatica, qua vergit ad mare, uberior eſt, quam voluptuoſior. In hortis egregie cultis tum pyra pomaque ſuaviſſima & optima, tum medica citreaque variæ formæ & eximii ſaporis mala, fructuſque omnigenos, olerumque genus omne conſpicias. Ad hæc; miro colorum decore, odorumque fragrantia flores & roſæ perennant. Huc adde fontes pellucidos, quibus tota regio ſcatet, variaſque aquarum derivationes, & flumina lati profundique alvei, piſcoſa, & amœna viridiſſimo riparum veſtitu; quæ pinguibus arvis interfluunt, & magnas etiam naves patiuntur. Ingentem præterea volucrum, & ferarum vim, ad aucupium ac venatum, paludes, luci, ſaltuſque ſuppeditant. Denique rebus omnibus cum abundent Dalmatę, nihil propemodum aliunde, non ad victum modo cultumque, ſed ne ad delicias quidem ac voluptates requirunt.

Mercaturæ quæſtuoſæ.

Hortorum cultus, & fructus.

Fontes & fluvii.

Celebris erat apud antiquos, magnoque in pretio & honore habebatur *Iris* Illyrica ſeu Dalmatica, genus unguenti odoris eximii & miræ ſuavitatis, quam Plinius lib. 13. cap. 2. comparat cum *unguento Regali*, quod ad luxum & delicias Regum Parthorum, ex herbis, lignis, fruticibuſque odoriferis confici ſolebat; & nihil huic ſimile, præter *Nardum Gallicum* tota Europa gigni fierique affirmat: *Ergo regale unguentum appellatum, quoniam Parthorum regibus ita temperatur, conſtat myrobalano, coſto, amomo . . . . . Nihilque ejus rei cauſa in Italia victrice omnium, in Europa vero præter Irim Illyricam, & Nardum Gallicum gignitur.* Idem Plinius docet Irim eſſe genus herbæ, cujus radix tum ad pharmaca, tum vero ad unguenta conficienda potiſſimum adhiberi ſolebat; quod autem Iris pars eſſet major ac præcipua, ex qua unguentum illud conſtabat, idcirco unguentum ipſum ab ea nomen acceperat. Cum vero Iris variis in regionibus gigneretur, Illyrica tamen cum ſalubritatis, tum odoris præſtantia herbis omnibus ejuſdem nominis, ac ſpeciei, longe antecedebat. Hanc in locis mediterraneis ac ſylveſtribus circa fluvios Naronem ac Drilonem naſci, ejuſque duplex genus eſſe Plinius lib. 21. cap. 7. teſtatur: *Sed iris radice tantum commendatur, unguentis, & medicinæ naſcens. Laudatiſſima in Illyrico; & ibi quoque non in maritimis, ſed in ſylveſtribus Drilonis & Naronæ . . . Illyrica quoque duorum generum eſt. Raphanitis a ſimilitudine: & quæ melior; Rhizotomos ſubruſa. Optima, quæ ſternutamenta tactu movet. Caulem habet cubitalem, erectum. Floret diverſi coloris ſpecie, ſicut arcus cœleſtis, unde & nomen.*

Iris Illyrica comparata cum unguento regali Parthorum.

Iris herba.

optima circa Naronem & Drilonem in Dalmatia

Nec vero aurifodinis caret Dalmatia; ſed nimia vetuſtas, locorumque auri feracium ignoratio eas jamdudum & poſteritatis notitiæ præripuit, & mortalium cupiditati obtruxit. Auctor eſt Plinius lib. 33. cap. 4. ſub Neronis imperio venas auriferas inventas fuiſſe in Dalmatia, e quibus libras auri ad quinquagenas ſingulis diebus elicere veteres conſueverant, quæ, ut ait Pancirolus, *efficiunt noſtros aureos* 5500. Aurum Dalmaticum celebratur Poetarum carminibus, veluti apud Statium, qui

unde ſic appellata.

Aurifodinæ Dalmaticæ.

Piſcatus copiolus.

Ovium fœcunditas.

Dalmatica tellus abundans rebus omnibus.

Digitized by Google

qui trabes magnificarum ædium *metallo* ideſt auro *Dalmatico* inter litas ſulgentesque commendat: *Robora Dalmatico fulgent fatiata metallo*; & apud Martialem, qui Epigram. 78. lib. 10. ad Macrum Dalmatiæ Præſidem deſignatum, Dalmatas vocat *colonos felices terræ auriferæ*. Nec dubium eſt, quin ad aurum, quod e ſuis terris effoſſum Dalmatæ Romanis pendebant ad opes divitiasque augendas Aulæ Imperatoriæ, referendus ſit verſiculus ille Claudiani: *Illyricis iterum ditabitur aula tributis*. Eodem pertinet nummus Hadriani, in quo inſcriptum eſt, MET. DELM. ideſt *Metallum Delmaticum*. Cum igitur Dalmatia ea eſſet, quam deſcripſimus, & Cœli ſolique benignitate, & rerum omnium expetendarum affluentia copiaque, jure meritoque Conſtantinus Porphyrogenitus de Adm. cap. 30. hanc regionem cæteris Romanorum occidentalibus Provinciis anteferendam eſſe exiſtimavit; *eratque omnis ille finitimus tractus ſub Romanorum poteſtate, & præſtantiſſimum Thema omnium Occidentalium habebatur*.

§. II.

De indole & moribus Dalmatarum.

Indoles & mores Dalmatarum laudabiles.

VEterum Illyriorum ſive Dalmatarum ingenium ac mores ſummis laudibus extulit Schymnus Chius; illorum ſiquidem ſingularis erga Superos pietas ac religio, eximia in homines fides & juſtitia, inſignis adverſus hoſpites humanitas, & quæ inter eos vigebat, urbanæ vitæ atque officiorum omnium ſocietas, hiſce verſiculis ab eo commendatur: *admodum pios eos ferunt, juſtoſque, & hoſpitibus bonos, civilem amare ſocietatem maxime, ſtudere vitæ & moribus cultiſſimis*; quippe ab Græcis, ut ſæpe diximus, oriundi erant; quæ quidem natio reliquis omnibus humanitate & doctrina, optimiſque legibus atque inſtitutis facile præſtabat. Quamvis autem Illyriorum mores diſciplinamque a majoribus acceptam barbaries neſcio quæ, contracta ex aſſiduo cum accolis commercio, infuſcaverit, ut Schymnus docet, ex priſtina tamen bene honeſteque vivendi ratione vel plurimum eos retinuiſſe oportet, cum Schymnus dignos cenſuerit, quibus tam præclarum religionis, juſtitiæ, hoſpitalitatis teſtimonium tribueret. Hanc eximiæ bonitatis laudem, qua Schymnus Illyrios impertiit, Hiſtoricus Dalmata referendam cenſet ad illa tempora, quibus in Illyrico & mari Adriatico rerum potiebatur Dionyſius Senior Syracuſarum Tyrannus, qui populos illos ab inurbana agreſtique vita ad civilem cultum politioremque deduxerit; & ſi qua iiſdem adhæſerat ab inita cum finitimis conſuetudine barbaries, eam ex eorum moribus ac diſciplina prorſus deleverit. Dalmatas viros fuiſſe bonos ac ſimplices, recti cultores, ab omni philargyria, ſive argenti auriſque cupiditate, alienos duo illa declarant, quæ de inſtitutis Dalmatarum memoriæ ac litteris Strabo conſignavit. Alterum eſt, quod in eorum moribus ac legibus intueri licebat quoddam quaſi exemplar & ſimulacrum priſcæ illius aureæque poſt diluvium ætatis, quæ homines inter ſe mutua charitate, rerumque omnium communione junxerat, cum nondum terrarum diviſio nationum ac regnorum diſcrimina, lites, ac bella invexerat. Erat enim inter Dalmatas agrorum quædam veluti communitas; nam certa ac definita ſingulis familiis agri portio aſſignari ſolebat ea conditione, ut nemini aut extra fines præſcriptos jus ſecandi, fructuſque percipiendi proferre, aut terræ poſſeſſionem ſibi traditam in perpetuum retinere liceret; verum ſeu lege, ſeu conſuetudine jubebantur agri viritim diviſi octavo quoque anno in commune redigi, ac nova iterum diviſio fieri, & æqualiter, ſeu ſorte tantumdem agrorum in ſingulas familias diſtribui, quantum ad vitam parce ac tenuiter tolerandam ſatis eſſe videretur: *Proprium hoc habent Dalmatæ*, inquit Strabo lib. 7. *ut ſingulis octennii agros denuo dividant*. Alterum illud fuit, ut quemadmodum apud priſcos recentes ab diluvii ætate homines, ſic etiam apud Dalmatas, nullus æris argenti auriſque ſignati uſus eſſet; verum ſi quid cum altero contrahendum eſſet, veluti in rebus emendis vendendiſque ad victum & veſtitum neceſſariis, non pecunia, ſed rerum permutatione utebantur: *nam quod nulla utuntur pecunia, id reſpectu vicinorum Italorum eis eſt peculiare: alioquin id cum multis Barbaris habent commune, quod numiſmate inter ſe non utuntur*. Hinc intelligas velim, quam parce, ſobrie, continenterque Dalmatæ viverent, & quam longe abeſſent a vitiis omnibus ac flagitiis, quæ ab luxu & divitiis, compoſſatione & crapula, cupiditate & avaritia plerumque oriri ſolent.

Nullus apud veteres Dalmatas uſus pecuniæ.

Verum de ingenio ac moribus Dalmatarum longe aliter, atque exiſtimari licet e Schymno, & Strabone, ſentiunt ac tradunt cæteri fere omnes Romani Græcique ſcriptores. Nam Illyrios & Dalmatas inter Nationes barbaras communi omnes conſenſu annumerant; eos inhoſpitales, feros, inhumanos, latrociniis deditos fuiſſe criminantur. Titus Livius Dec. 1. lib. 10. Illyrios, Liburnos, Iſtros in eodem genere prædatorum poſuit; & Cleonymum Ducem Lacedæmoniorum medio ſinu Adriatico claſſe ſubeuntem, ne ad littora Illyriorum appelleret, gentis illius immanitate deterritum fuiſſe ſcripſit; *cum læva*, inquit, *importuoſa Italiæ littora, dextra Illyrici Liburnique & Iſtri gentes feræ & magna ex parte latrociniis maritimis infames terrerent*. Polybius in fragm. *Dalmatas ſævo & contumaci* ingenio fuiſſe teſtatur. Nihilo mitius de Illyriis ac Dalmatis ſentiebat Trogus lib. 11. *Illyrici, Thraces, ac Dardani, cæteræque barbaræ gentes fidei dubiæ, & mentis infidæ*. Quid quod ipſemet Strabo, quem Dalmatarum continentiæ & frugalitatis teſtem laudavimus, eam potiſſimum cauſam fuiſſe ait, cur regio illa, quamvis egregiæ fertilitatis, boniſque omnibus affluens, antiquitus tamen neglecta eſſet; *quod eam homines ſævi & latrociniis dediti tenebant*. Vel ex iis, quæ inique & crudeliter contra jus faſque geſſerunt Dalmatæ ſub imperio Teutæ, de hujus gentis immanitate ac perfidia conjici poteſt. Teuta enim Agronis vidua, Pinei privigni tutelam, regnique adminiſtrationem nacta, piraticis lembis quaquaverſum dimiſſis, id Præfectis ac ducibus mandavit, ut quaſcumque naves ſive Italas, ſive Græcas nanciſci poſſent, caperent ac diriperent, omneſque populos, nullo habito diſcrimine, hoſtium loco haberent. Præterea poſthabito violatoque jure gentium, Legatos ipſos Romanorum aut occidit, aut in vincula conjecit. Denique vetus fuit hæc opinio, Dalmatas gentem eſſe feram & immitem, rapinis aſſuetam, & mari præſertim infeſtam, quam jam inde a temporibus antiquiſſimis maritima latrocinia infamem apud omnes fecerint.

De Barbarie, inhoſpitalitate, ſævitie Dalmatarum vulgaris opinio.

Vereor equidem, ne multa hujuſmodi, Dalmatarum nomini ac generi parum honorifica, invidio-

Mos Dalmatarum redolens ſimplicitatem auream antiquitus

Digitized by Google

Elevatur ac refellitur.

vidiosius, quam verius, & vulgo jactare, & litteris tradere veteres consueverint. Nam ad id ut respondeam, quod de imperio Teutæ postremo loco objectum est Dalmatis, vide quæso, ne iniquum sit, quæ fuere unius ætatis vitia & flagitia, in Dalmatas omnium temporum, universamque nationem conferre. Erat Teuta mulier sane arrogans, imperiosa, humani juris, legumque omnium contemptrix, quæ, dum regni amplificandi opumque augendarum libidinem expleret, omnia sibi licere arbitrabatur, neque id quibus modis assequeretur, quidquam pensi habebat. Quocirca quidquid rapinarum & maleficiorum per ea tempora commissum est a Dalmatis, id non suopte ingenio, sed alieno impulsu & coactu eos seciſſe existima; neque id eorum moribus atque institutis, sed unius impotentis mulieris audaciæ & cupiditati rectius attribueris. Nihil vero est, cur mirere, Illyrios, ac Dalmatas passim appellari *Barbaros*. Hoc enim proprium erat & solemne Romanis pariter Græcisque, ut populos extraneos promiscue omnes Barbarorum vocabulo sane liberaliter impertirent; quippe cum ab insita superbia & arrogantia cæteras nationes præ se contemnerent, ac rudes, inertes, communisque humanitatis vix participes esse putarent; de suis tantum ipsi rebus magnifice & glorioſe non sentiebant modo, sed etiam prædicabant, sibi unis quidquid esset urbanitatis & elegantiæ, prudentiæ & justitiæ, bonarum artium & disciplinarum, optimarum legum & institutorum attribuentes; nihil rati aliis in regionibus ac gentibus, præter inscitiam, rusticitatem, ac barbariem reperiri.

Omnes gentes apud Romanos & Græcos barbarum habitæ.

Dalmatæ gens bellicosa.

Quod vero de rapinis ac latrociniis, de inhospitalitate ac sævitia Dalmatis objiciunt, id aut confingi, aut certe præter modum amplificari arbitror ad constandam invidiam huic genti, a qua cum Græci, tum præsertim Romani & multa & gravia damna se accepisse meminerant. Erant Dalmatæ gens bellicosa, militaris gloriæ avida, servitutis impatiens, quæ pro libertate, & pro imperio retinendo vel augendo, persæpe cum Græcis, & Romanis decertarunt; *Dalmatæ*, inquit Tullius, *semper habiti sunt bellicosi*. Quæ cum utraque gente fortiter bella gesserint, & quantas utrique clades & calamitates intulerint, aliis locis demonstratum est. Alias lacessiti hostium arma conatusque strenue acriterque repulerunt; alias ipsi lacessere hostes, ultroque bellum illis inferre non dubitarunt; sed unde jus staret, non constat; & nunc a Romanis, vel a Græcis, nunc a Dalmatis injuriæ initium, ut ferme accidere solet, extitisse censeo, & modo his, modo illis justam belli gerendi causam fuisse arbitror. Dalmatæ, cum essent animo magno & elato, in hac autem elatione & magnitudine animi facillime innascatur nimia quædam cupiditas vindictæ, nullam ulciscendæ injuriæ, quam vel reipsa passi fuissent, vel sibi factam esse crederent, rationem prætermittendam putabant. Hinc fieri solebat, ut sæpe omnem justæ ultionis modum excederent, atque usque eo inexorabiles & inhumanos se hostibus præberent, ut in eos omnia exempla cruciatusque ederent, præsertim post relatam victoriam, quæ natura insolens atque superba est, sitiensque inimici cruoris, nec facile gladii victoris impetum cohibere potest; in qua si quid inhumaniter, atrociterque committitur, id non tam consilio ac voluntati, quam effrænæ ac præcipiti iracundiæ, ipsiusque victoriæ atrocitati attribuendum est. Verum omnibus hoc olim commune fuit nationibus divinæ legis luce ac norma destitutis, æque Romanis Græcisque ac cæteris, ut parta victoria ferme ad cladem exitiumque hostium abuterentur; & sæpe accidebat ex impotenti ulciscendi libidine, ut quos Martis vis non perculerat, in eos ira impetusque victoriæ sæviret. Nimirum quibus ipsi & fortasse gravioribus malis vitiisque laborabant, ea Dalmatis exprobrant; propterea quod hanc gentem sibi, suæque inexplebili ditionis amplificandæ cupiditati armis animisque infestam pessime oderant. Dalmatia ut potirentur Romani, & multa & periculosa bella gesserunt; & cum diu multumque repugnasset, non antea in eorum stabilem perpetuamque potestatem redigi potuit, quam cum cæteris finitimis populis ac regionibus debellatum esset. Dalmatæ enim, cum servitutem pati non possent, ut libertatem sive retinerent, sive amissam recuperarent, tum acerrime dimicarunt, tum *vicies & ducenties rebellarunt*, ut tradit Vellejus Paterculus. Ex quo conjicias velim, quanto rerum suarum atque annorum dispendio, quanto militum sanguine ac cæde Romanis Dalmatia steterit, & simul causam intelliges, cur Dalmatæ in odium incurrerent, offensionemque populi Romani, qui nationem sibi inimicam infensamque non poterat non infenso animo atque inimico insectari, ejusque bellicam virtutem & gloriam non contumeliosis vocabulis diminuere, atque in contemptum invidiamque adducere; ita enim natura comparati sumus, ut quos nobis nostrisque conatibus adversari videmus, eos aversis oculis intueri, & detrahere de illorum fama, & res ab illis præclare gestas in invidiam vocare soleamus. Nam & M. Tullius Dalmatis turpissime maledixit, eisque mala omnia, exitiumque imprecatus est, quod Vatinio Imperatori & multa damna intulissent, & ne in servitutem redigerentur, fortiter atque animose resisterent: *Dalmatis Dii male faciant, quod tibi molesti sunt*. Sed idem Tullius tantum bellicæ virtuti Dalmatarum tribuit, ut quo fortius restiterint, hoc magis per eos Vatinii virtutem ac res gestas illustratum iri confidat. *Sed brevi capientur, & illustrabunt res tuas gestas, semper enim habiti sunt bellicosi*.

Injuriam ulciscendæ cupida natura omnem humanitatis modum.

id quod commune fuit Ethnicis fere omnibus.

sed præcipue objectum est Dalmatis, ob peculiare in eos odium, a quibus multæ Romanis calamitates illatæ, libertatis retinendæ vel recuperandæ causa.

De prædis & latrociniis, quorum infamia nomen Dalmaticum apud scriptores laborat, ut paucis respondeam, mihi vix dubium videtur esse, quin veteres Dalmatis probro & crimini dederint, quod sibi gloriæ ac laudi ducebant. Nam rempublicam augere, & imperium amplificare, quod aliter fieri nequit, nisi aliena rapiendo & occupando, præclarum in primis habitum fuit & glorioſum apud Romanos & Græcos, qui numquam in tantos opes, nisi ex prædis ac direptionibus alienarum regionum crevissent; neque utriusque populi imperium ad summum illud amplitudinis ac potentiæ fastigium, nisi per aliarum gentium incommoda & calamitates perveniſſet. Nimirum apud quos plus utilitatis præsertim publicæ ratio, quam jus & honestas valeret, ii ferme, etsi verbis aliter docerent, reipsa tamen plerumque ostendebant se referre omnia ad utilitatem suam, & omnia sui causa facere; sic prorsus, ut jus in armis ferre, & putare omnia fortium virorum esse viderentur; perinde quasi jus ab illis staret, qui plus & numero & viribus possent. Nihil autem referebat, jure an injuria bellum inferrent; modo vincerent, ac fines dilatarent, id magna in laude ponebant, & ad famam militaris scientiæ ac virtutis

Crimini datum est Dalmatis, quod laudi cæteri sibi ducebant.

entis adipiſcendam præclarum eſſe vulgo exiſtimabatur. Quod igitur Græci, quod Romani, quod aliæ nationes facere conſueverunt, idem ſibi licere Dalmatæ putabant, ut quibuſcumque poſſent modis, & ſpoliis undecumque raptis opes ſuas augerent, nullamque rei publicæ privatæque amplificandæ occaſionem prætermitterent. Quocirca omnes antiquos populos in eodem genere prædatorum ponendos eſſe cenſeo; hoc tamen inter Romanos & Dalmatas intererat, quod hi, cum viribus copiiſque longe inferiores eſſent, pauciora, illi plura; hi urbes aliquot vel navigia, illi provincias integras ac regna rapiebant. Quę Vincentius Peribœvius in Tract. de Orig. Slav. in hanc ſententiam breviter ſcripſit, ut Demetrium Pharium ab calumniis veterum vindicaret, eadem ad repellendos calumniatores Dalmatarum adhiberi poſſunt: *Multa in Demetrium Polybius, Appianuſque factioſe dicunt, nimiam audaciam, alieni æris cupiditatem, (rapto enim, ut illi ajunt, vivere conſueverat) eidem adſcribentes. Mirari ſatis nequę, qua fronte, quove quis animo tantum audet in Demetrio vituperare, quod in Alexandro magno, quod in Hercule, quod in Annibale, quod in ipſis Romanis, ac cæteris Ducibus, Regibuſque ſummo ſolet præconio laudari, efferri, commendari. Annon Romani aliena rapiebant? Numquid Alexander orbem, quo per fas & nefas potiri ſtatuerat, ipſe effinxit? Niſi forſan ideo Demetrium quis vituperet, quia minora & pauciora, quam hi, rapiebat.*

Eadem vi, ciis æque nationes cæteræ ac Dalmatæ laborasſe.

Hactenus de moribus inſtitutiſque veterum Dalmatarum; qui ſi quid ab humanitate rectaque ratione aberrarunt, id commune illis fuit cum cæteris nationibus; & temporibus illis, quibus lux Evangelii non affulſit, rudibus & incultis, duris atque aſperis tribuendum eſt. De hodiernis Dalmatis pauca ut ſubjiciam, in univerſum, acuta, ſagax, ac bene a natura informata gens eſt; atque ad honeſtatem mirum in modum propenſa, quæ judicio, docilitate, prudentia cum aliis Europæ nationibus vel cultiſſimis haud immerito conferri poteſt. Facili eſt ingenio, longeque ab omni fraude abhorrenti; ac mira in promiſſis præſtandis fide & conſtantia; quam in Dalmatis ſummopere laudat Vincentius Peribœvius: *Quamobrem*, inquit, *brevitati ſtudens, hæc omittam, tantam in obſervandis promiſſis Dalmatarum eſſe ſtabilitatem conteſtatus, ut nihil magis oderint, quam data dextera, a conditis reſilire.* Aliena eſt ab otio & ceſſatione, unde pleraque oriri ſolent mala & flagitia, laboris patiens, gnava & induſtria, & rerum ſuarum diligentiſſima; nullus inertiæ vel ignaviæ locus eſt: alii militiæ, alii mercaturæ, alii navigationi vel piſcatui, alii agriculturæ, alii denique variis artificiis operam dant, incolarum induſtriam ac ſolertiam natura ipſa regionis non ubique fructiferæ, & anguſtia rei familiaris acuente: auro enim, divitiis, copiis haudquaquam vulgo affluunt; auri argentique ſignati penuriam ſupplet tum monetæ cujuſque pretium, duplo apud Dalmatas, quam apud Italos majus, tum vilitas annonæ, rerumque cæterarum, quas natura ad victum & cultum deſiderat; verum quo minus pecuniæ, hoc minus ferme avaritiæ eſt. Præter jus legeſque toti provinciæ communes, ſuas quæque civitas, & regio circumjecta, proprias ac peculiares habet leges, quibus jus municipale cujuſque, & civilium magiſtratuum publicique regiminis deſcriptio continetur. His nihil utilius, nihil ſanctius, nihil ad continendam in officio multitudinem, ad tuen-

Dalmatæ hodierni, gens bene morata, ab omni fraude abhorrens;

otii fugiens, laboris patiens

optimis legibus inſtructa

dam hominum inter homines ſocietatem & concordiam, ad prohibendas a ſingulorum vita & fortunis cædes, furta, injuriaſque omnes magis aptum & accommodatum.

Dalmatę cum inter ſe perofficioſi ſunt, tum comes affabileſque ſe advenis præbent, quos & perhumaniter accipiunt, & liberaliter tractant, & pro eo, ac poſtulat cujuſque gradus, & conditio, honore & munificentia proſequuntur. Famæ glorięque avidiſſimi ſunt, honeſtatis vero ac dignitatis, ſupra quam credi poſſit, retinentes æque ſummi atque infimi ſunt. Munditiem & parſimoniam in victu ac veſtitu, urbanitatis officia in congreſſibus, ſalutationibus, omnique vitæ conſuetudine non accuratius viri, quam pueri, Nobiles, quam plebei colunt. Sed præſertim qui mare accolunt, urbeſque maritimas frequentant, nihil officioſi civiliſque cultus ab ſe deſiderari patiuntur, quod in omni bene morata civitate ac regione uſurpari ſolet; ac Nobiles præcipue reverentur inter ſe, certantque officiis & honore verborum. Ex his autem, qui & generis antiquitate, & divitiarum copia præſtant, laxe & magnifice habitant; ubi res & occaſio poſtulat, ſumptibus & pecunię non parcunt; non illis lauta & varia ſupellex, non pretioſa veſtis, & ornatus ædium, & apparatus epularum ad hilariores ac feſtos dies, non ſervitia vel ad pompam vel ad uſum omnem domeſticum, non Villæ deſunt, ruſticationis cauſa extructæ & ſumptuoſæ, & peramænæ, ut Italicam in Dalmatia magnificentiam, urbanitatem, elegantiam non admodum requiras. De moribus ac virtutibus Dalmatarum quæ ſummatim ſcripſit Peribœvius, hic loco cujuſdam epilogi opponere juvat. *Quanto acriori in pugna feruntur impetu, tanto in convictu Dalmatæ ſunt humaniores. Hinc evenit, ut quicumque ſive domi, ſive foris intima, perſeverantique Dalmatarum potiuntur familiaritate, eos animo eſſe liberos, opere ſtrenuos, corde impavidos, ſermone gratos, manu largos, juſti tenaces, conſilio providos, ratione ſolertes, in adverſis conſtantes, in proſperis mites, fateantur, prædicent, commendent, & extollant.*

perofficioſa.

hoſpitalis & perhumana.

laudis appetens

§. III.

De Re militari, belliciſque laudibus Dalmatarum.

GEns Dalmatica jam inde ab antiquiſſimis temporibus armorum ſtudio apprime dedita fuit, & cum terra marique præpotens eſſet, militari gloria floruit: id quod plurima & graviſſima bella declarant, quæ cum duobus maximis & potentiſſimis populis, Græcis Romaniſque aſſidue geſſit. Quamobrem Dionyſius Afer Dalmatiæ *Tellurem* appellat *Martiam*, ideſt virorum fortium, ac Martialium ſeu bello præſtantium feracem: *Poſt hanc, Dalmatiæ populorum Martia Tellus;* & M. Tullius in epiſtola ad Vatinium *Dalmatas ſemper habitos eſſe belliçoſos* teſtatur. Incredibile dictu eſt, quam multa bella Romani ſuſceperint, quantum ſanguinis profuderint, quantas opes inſumpſerint, copiaſque amiſerint, ut ſubjugarent Dalmatiam, *dignam profecto*, ut ſcripſit Topographicus part. 2. cap. 1. *quæ Romanis univerſi Orbis domitoribus, præ reliquis exteris regionibus, in amoribus eſſet.* Fuit enim præclara illa & diuturna & acerrima inter Romanos ac Dalmatas contentio, utrique genti admodum glorioſa, ut omni ope operaque utrique eniterentur, Romani quidem, ut Dalmatis imperarent, Dalmatæ vero, ne Romanis ſervirent. Jam Africa & Ægyptus, Aſia & Græcia univerſa, Hiſ-

Dalmatæ bellicis ſtudiis & laudibus clari.

Eorum eſt Romanis bella, & glorioſa certamina.

Digitized by Google

Hiſpania, Gallia, Germania, omneſque Dalmatis finitimæ regiones Romanorum imperium ſubierant, cum adhuc Dalmatia repugnabat, quam vigeſies, & ducenties impoſitum ab Romanis jugum repulſſe Vellejus tradit, *antequam ad certam confeſſionem pacata eſſet imperij*. Hæc natio una omnium diutiſſime acerrimeque cum gente totius orbis victrice pugnavit, neque antea ſubigi potuit, quam viribus atque opibus exhauſta & prope funditus everſa eſſet. Vel in poſtremo Dalmatico bello, quod Cæſar Tiberius geſſit, quam multa & egregia militaris fortitudinis belliceque virtutis documenta dederint Dalmatæ, ex Vellejo cognoſci poteſt; nam cætera ſuperiora bella, in quibus quid & quantum armis valerent animiſque, alio loco deſcripſimus: *Cæſar*, inquit, *ad alteram belli Dalmatici molem animum, atque arma contulit . . . . Illa ætas maximi belli conſummavit effectus, quippe Daorſi & Deſitiates Delmatæ ſitu locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi ſcientia, & præcipue anguſtiis ſaltuum pene inexpugnabiles, non jam ductu, ſed manibus atque armis ipſius Cæſaris, tum demum pacati ſunt, cum pene funditus everſi forent. Nihil in hoc tanto bello &c.*

Dalmatarum militaris opera Romanis pernitiſa.

Ex quo autem Dalmatia in jus ditionemque Romanorum Imperatorum conceſſit, egregiam in omnibus expeditionibus belliſque difficillimis, utilemque operam Romanis præbuit; ex eaque provincia Romani militum copias lectiſſimas conſcribere ſolebant, quæ habebantur veluti nervus ac robur præcipuum militiæ Romanæ, ut docet Raphael Levacovichius in Prodromo: *Hac de cauſa, ut ego exiſtimo, propter inſitum genti robur, & bellandi patientiam Romani Regni moderatores, cum orbem terrarum ſuo continerent imperio, totque validiſſimas nationes in ſua ditione haberent, ex hac Equites legionare præſidium, animamque militiæ, ut quidam ait, deligebant, ut bene inter alios declarat id Lazius ſupra laudatus.* Quanti autem Romani facerent ſcientiam ac virtutem militarem Dalmatarum, illud argumento eſt, quod tyrones, ut Tacitus auctor eſt apud eumdem Levacovichium, apud Dalmatas armis exerceri, erudiriique ad bellicam diſciplinam volebant. Si quæ civilis diſcordia in duas pluresve factiones Romanos diſtraheret, utri earum ſe adjunxiſſent Dalmatæ, eidem magnam roboris ac virium acceſſionem afferre putabantur. Quare cum Othoni nunciatum eſſet ab ſe ſtare Legiones Dalmaticas cum Mæſiacis & Pannonijs, ex eo nuncio cum mirificam lætitiam cepit, tum plurimum animi fiduciæque ſumpſit, ut tradit Cornelius Tacitus lib. 1. Hiſt. *Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuncius juraſſe in eum Dalmatiæ, ac Pannoniæ, & Mæſiæ legiones.* Othone extincto, cum de imperio inter ſe acerrime dimicarent Vitellius & Veſpaſianus, huic magnum ad victoriam momentum attulit acceſſio Dalmatarum militum, quos Legiones Pannoniæ & Mæſiacæ Veſpaſiano conciliaverant: *Junctis inde Meſſiaci, & Pannonici exercitus Dalmaticum militem traxere*, inquit Tacitus lib. 2. Claſſis Ravennas, quam magna ex parte conficiebant milites Dalmatiæ & Pannoniæ, iis potiſſimum auctoribus, inſtigante Lucillo Baſſo Præfecto, ad partes Veſpaſiani tranſivit. *Lucillus Baſſus claſſis Ravennatis Præfectus*, ut docet idem Tacitus lib 3. *ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatæ Pannoniique erant, quæ provinciæ a Veſpaſiano tenebantur, partibus ejus aggregaverat.* Præterea ex delectu Dalmatico in exercitu Veſpaſiani fuiſſe ad ſex millia hominum, quibus præerat Poppeus Silvanus Conſularis, idem Scriptor ibid. affirmat; traditque Dalmatiam milites in ſupplementum claſſi Ravennati contribuiſſe. In eo bello, quod Claudius Imperator ſecundus hoc nomine cum Gothis geſſit, in quo cæſa dicuntur pluribus præliis barbarorum trecenta viginti millia, & navium duo millia depreſſa, equitum Dalmatarum opera magni fuit, quos præcipuam in ea victoria laudem adeptos eſſe ſcripſit Trebellius Pollio: *In quo bello, quod geſtum eſt, equitum Dalmatarum ingens extitit virtus, quod originem ex ea provincia Claudius videbatur oſtendere.* Nec vero dubium videtur eſſe, quin illæ duæ legiones, quas in Illyrico Occidentali & Dalmatia ſtativa habuiſſe Vegetius tradit, Joviana & Herculiana ex Illyricis Dalmatiſque cohortibus potiſſimum conſtarent. Utramque confecerant e veteranis fortiſſimiſque militibus Diocletianus & Maximianus, atque ad Legiones Palatinas addiderant: altera Joviana dicta eſt ab Diocletiano, qui ſe Jovium, altera Herculiana appellata eſt a Maximiano, qui ſe Herculium cognominari jusſerant. Sozomenus enim lib. 6. cap. 6. ſcribit Jovianos & Herculianos duas fuiſſe Legiones a Jove & Hercule nominatas, quæ Imperatorum proxime a tergo, præſidii cauſa, ſequebantur. Idem docet Nicephorus lib. 11. c. 1. *Vetus*, inquit, *conſuetudo erat, ut qui Joviane atque Herculianæ, ita ab Jove, & Hercule dictis Legionibus præeſſent, Principem a tergo ſequerentur.* Zoſimus de Jovianis, & Herculianis ſcribens cauſam explicat, unde illis id cognomenti obvenerit: *Sunt*, inquit, *a Diocletiano & Maximiano profectæ Legionum appellationes, habentium cognomina Principum illorum, quorum alter Jovis, alter Herculis cognomentum uſurpavit.* Vegetius lib. 1. cap. 17. de duabus hiſce legionibus plura ſcripſit, quarum virtus atque opera in omnibus bellis maxime eminebat; eaſque cæteris omnibus ob militarem ſcientiam ac fortitudinem, ab Diocletiano & Maximiano prælatas fuiſſe ait, dignaſque habitas, quibus ſua cognomina impertirent. In his numerabantur ſena millia militum, qui quod plumbatis ſeu telis quibuſdam dictis Martiobarbulis admodum commode ſciteque uterentur, idcirco Martiobarbuli vocari ſolebant. *Plumbatarum quoque exercitatio*, inquit, *quas Martiobarbulos vocant, eſt tradenda junioribus. Nam in Illyrico dudum duæ legiones fuerunt, quæ ſena millia militum habuerunt, & quod his telis ſcienter uterentur & fortiter, Martiobarbuli vocabantur. Per hos longo tempore conſtat omnia bella confecta, uſque adeo, ut Diocletianus & Maximianus, cum ad imperium perveniſſent, pro merito virtutis hos Martiobarbulos Jovianos, atque Herculianos cenſuerint appellandos; eoſque cunctis legionibus prætuliſſe dicuntur. Quinos autem Martiobarbulos ſcutis inſertos portare conſueverant, quos ſi opportune milites jacerent, prope Sagittariorum mutuari videntur officium. Nam hoſtes equoſque conſauciant, priuſquam non modo manu ad manum, ſed ad ictum miſſilium potuerit perveniri.* Propterea autem id genus telorum, & milites, qui eo utebantur, Martiobarbulos appellatos eſſe ajunt, quod Marti bellorum Præſidi, tum ob egregiam eorum virtutem, tum propter illorum in præliis ſingularem uſum, in amore atque deliciis eſſent: cujus appellationis cauſam breviter expoſuit Samuel Pitiſcus in Lexico: *Martiobarbuli laſcivia quadam militari videntur appellati eſſe milites, qui plumbatas gerebant, ideſt glandes plumbeas, quæ & ipſæ etiam nomine Martiobarbuli vocatæ per ludum & jocum videntur eſſe; quod cum piſces*

In bello Gothico præclaram operam Claudio Imp. navarunt.

Joviana & Herculiana Legiones ex cohortibus Illyricis & Dalmaticis conſtatæ.

Tyrones Romani exercitus apud Dalmatas ad bellicam diſciplinam informati.

In utraque legione qui militabant, ii dicti ſunt Martiobarbuli.

Martiobarbuli cur dicti.

Digitized by Google

piſces in deliciis eſſent, in quibus numerantur barbi, & barbulæ, plumbatæ, quaſi non convivii, ſed Martis barbi eſſent & cibi, jocularitèr Martiobarbuli dici potuerint. Quare cum Martiobarbulos dicimus, hoc perinde valet, ac ſi diceremus Martis epulas exquiſitiſſimas. Militiam pedeſtrem Dalmaticam quanti fecerint Romani ex eo perſpici poteſt, quod, cum fama eſſet Alaricum in Italiam cum ingenti barbarorum exercitu veniſſe ſpe atque animo Romæ potiundę ac diripiendæ, Honorius ad præſidium & cuſtodiam Urbis ſex millia peditum Dalmatarum adſcivit, quorum virtute vel plurimum fidebat, quoſque Romani exercitus *Caput* Zoſimus, *robur* Pancirolus appellat. Verum hi omnes ſive inſcitia, ſive fraude Valentis eorum Ducis alieno loco & tempore ad cladem & lanienam hoſtibus objecti ſunt, vix ut centum fuga elapſi ſuperfuerint: *Viſum eſt*, ait Zoſimus lib. 7. *Honorio quinque Dalmaticos militum ordines de ſuis excitos ſedibus ad urbis cuſtodiam arceſſere. In his Ordinibus erant ſex hominum millia, qui tum audacia, tum robore corporum, exercitus Romani quaſi caput erant. Eorum Dux Valens cunctos in hoſtium manus ſua culpa conjecit; vix eorum centum fuga dilapſi ſunt.*

Militia pedeſtris Dalmatarum magni habita.

Navalibus autem copiis & opibus quantum Dalmatæ potuerint, argumento ſunt naves Liburnæ, quas ab Liburnis, gente Dalmatica, navigiorum hujuſmodi inventoribus & architectis nomen adeptas eſſe conſtat. Naves Liburnicas modo actuarias, quod remis agerentur, modo roſtratas dictas invenies, quod roſtris æreis armari ſolerent, quo facilius aquas diffinderent, & vehementius naves adverſas impeterent. *Liburnicarum more*, ait Plinius lib. 10. cap. 23. *roſtrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quem ſi recta fronte impellerent.* Has binis remorum ordinibus inſtructas, & biremes propterea dictas fuiſſe, ex Appiano lib. Illyr. intelligitur: *Fuerunt Liburni aliorum Illyriorum genus, qui Jonium mare, & quæ in eo ſunt, inſulas prædabantur celeribus & levibus navigiis: unde etiam leves & celebres biremes Romanis Liburnicæ vocabantur.* Idem confirmat Lucianus in Dialogo, qui Ἔρωτες inſcribitur. *Cogitanti mihi in Italiam nave proficiſci, apparata eſt navis quædam levis & expedita ex earum biremium genere, quibus maxime uti videntur Liburni, natio, quæ ſinum Jonium accolit.* Harum in prœliis maritimis uſus mirificus, & præſertim egregia in curſu velocitas commendatur; remorum enim perlevi motu impulſuque quamlibet in partem mira facilitate & celeritate agebantur. Hæ, ne reſpirandi ſpatium hoſti daretur, prope ad Numidarum equitum ſpeciem, agilitate incredibili procurrentes ac refugientes, & invadebant inimica navigia, & ictus hoſtiles eludebant. Nec vero Zoſimum audio, qui contra atque omnes veteres ſentiunt & ſcribunt, ait, *Liburnas vocari ab oppido quodam in Italia ſito nominatas, ubi primum ad eam formam factæ fuerunt*; nam cæteri ſcriptores id genus navigii ab Liburnis hodiernæ Dalmatiæ populis inventum atque adhibitum affirmant; quo Dalmatæ etiam Illyrique ad navales pugnas, maritimaſque expeditiones uti ſolebant. Nam Liburnas naves, quos Lembos etiam vocant, partem præcipuam fuiſſe arbitror earum claſſium, quas Reges Illyriorum adverſus Græcos Romanoſque perſæpe adornarunt. Priori bello Punico Romani primum certamen navale inierunt, primamque victoriam maritimam reportarunt, ope potiſſimum, operaque navium Liburnicarum, quas Iſſenſes Socii, ut credibile eſt, auxilio miſe-

Navales Dalmatarum copiæ & naves Liburnæ.

Earum uſus in prœliis maritimis.

Prime bello Punico & navali prœlio Romani Liburnis aggregatis.

rant, claſſique Romani adjunxerant. Id tradit Eutropius lib. 3. *Primum Romani C. Duillio, & Cn. Cornelio Aſina Coſſ. in mari dimicarunt, paratis navibus roſtratis, quas Liburnas vocant. Duillius commiſſo prœlio Carthaginienſium Ducem vicit, XXXI. naves cepit, XLIII. merſit, VII. millia hoſtium cepit, III. millia occidit; neque ulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra, jam etiam mari plurimum poſſent.* Ex eodem navigiorum genere fuiſſe arbitror Lembos illos viginti Iſſæorum, quos ſecundo bello Macedonico acceptos ab Iſſenſibus Sociis Romani miſerunt ad populandos Caryſtiorum agros, ut Livius Dec. 4. lib. 1. docet. Sed maxime uſui fuerunt naves Liburnæ, earumque opera ac virtus egregia potiſſimum eminuit in eo navali certamine, quod Octavius Cæſar apud Actium cum M. Antonio commiſit. His enim præcipue Actiacam victoriam acceptam ferebat Cæſar auctore Vegetio, qui tradit Romanos, cum ex eo prœlio cognoviſſent, quanta eſſet utilitas, quæque opportunites in maritima pugna Liburnarum, exinde ad harum exemplar & ſimilitudinem navigia variæ magnitudinis, alia paucioribus, alia pluribus remorum ordinibus inſtructa ædificare cœpiſſe. *Auguſto dimicante*, inquit lib. 5. cap. 3. edit. Plantin. *Actiaco bello, cum Liburnarum auxilio præcipue victus eſſet Antonius, experimento tanti certaminis patuit Liburnorum naves cæteris aptiores. Ergo ſimilitudine & nomine uſurpato, earumdem inſtar claſſem Romani Principes texuerunt: Liburnia namque Dalmatiæ pars eſt Jadertina ſubjacens civitati, cujus exemplo nunc naves bellicæ fabricantur, & appellantur Liburnæ.* Deinde cap. 7. variam earum magnitudinem deſcribit: *minimæ Liburnæ habent remorum ſingulos ordines, paullo majores binos, idoneæ menſuræ ternos vel quaternos, interdum quinos ſortiuntur remigum ordines. Nec hoc cuiquam enorme videatur, cum in Actiaco bello longe majora referantur concurriſſe navigia, ut ſenorum etiam, & ultra, ordinum fuerint.* Plerumque triplici remorum ordine Liburnas conſtare ait Svidas, eaſque communi triremium vocabulo appellari: *Triremes ſunt naves militares, quas Liburnas vocant.* Auctor anonymus cujuſdam libelli ad Principes, fortaſſe Valentinianum & Theodoſium, ſcripti, in quo præcipue ratio augendi ærarii, tuendæque a furtis monetæ exponitur, apud Pancirolum docet ſingulas Liburnas juſtæ ſcilicet magnitudinis non modo cum denis navibus æquo marte pugnare poſſe, ſed etiam has ab illis ſuperari: *Docebimus igitur velociſſimum Liburnæ genus decem navibus ingenti magiſterio prævalere, ita ut hę per eam ſine auxilio cuiuſquam obruantur.* Deinde Liburnę navis imaginem ac deſcriptionem, & typis & verbis expreſſam exhibet. *Liburnam navalibus idoneam bellis, quam pro magnitudine ſui, virorum exerceri manibus quodammodo imbecillitas humana prohibebat, quocumque utilitas vocet ad facilitatem curſus, ingenii ope ſubnixa animalium virtus impellit. In cujus alveo, vel capacitate bini boves machinis adjuncti, adhærentes rotas navis lateribus volvunt; quarum ſupra ambitum vel rotunditatem extantes radii currentibus iiſdem rotis, in modum remorum aquam conatibus elidentes miro quodam artis effectu operantur, impetu parturiente diſcurſum. Hæc eadem tamen Liburna pro mole ſui, proque machinis in ſemet operantibus, tanto virium fremitu pugnam capeſſit, ut omnes adverſarias Liburnas cominus venientes facili attritu comminuat.* Hanc peculiaris cujuſdam generis Li-

In ſecundo Bello Macedonico Lembi Iſſæorum erant ex genere Liburnarum.

In prœlio Actiaco egregia opera Liburnarum.

Deſcriptio Liburnæ.

Liburnæ varia forma & magnitudo.

burnam fuiſſe arbitror, ad ſimilitudinem quidem aliarum factam, ſed iis armamentis & machinationibus inſtructam, eoque ſingulari artificio perfectam, ut cæteras vulgares Liburnas facile disiceret obrueretque; niſi forte Liburnicarum uſu a maritimis ad terreſtres pugnas translato, genus quoddam fuerit Machinæ militaris, quæ ſpeciem quamdam ac figuram gereret navis Liburnicæ, ad proterenda hoſtium machinamenta, quibus uti mos erat in præliis terreſtribus, inventum; nam & genus vehiculi neſcio cujus ab antiquis excogitatum fuit, e conformatione navium Liburnarum ſimilitudine ducta, ex qua nomen *Liburni* acceperat, ejuſque meminit Juvenalis Sat. III. 239. Id ex ipſa Liburnarum hujuſmodi imagine ac deſcriptione intelligi poſſe ait Pancirolus, in præf. ad libel. incerti Auct. ſupra dicti. *Ex quibus patet has Liburnas, bobus verſatiles rotas agentibus impulſas, ab illis vi remorum actis longe diverſas fuiſſe.*

Liburna genus Machinæ militaris ad ſimilitudinem navis Liburnicæ.

Apud Romanos Imperatores militia Dalmatica numquam non magni habita fuit; neque ignobilem in exercitu Romano utriuſq; Imperii locum obtinuit; atque ex hac provincia equitatus ferme deligi ſolebat, qui honoratior eſt ordo graduſque Militiæ: id adeo licet cognoſci ex eo libello, qui inſcriptus eſt, *Notitia Dignitatum omnium tam civilium, quam militarium in partibus Orientis & Occidentis*; ubi Præſidia Equitum Dalmatarum variis utriuſque Imperii urbibus ac provinciis impoſita reperies. Hunc librum poſt diviſionem Imperii Orientalis & Occidentalis ſcriptum eſſe conſtat, ejuſq; confectionem ad Principatum Theodoſii junioris, & quintum ſeculum referendam cenſet Pancirolus, id ſuadentibus haud levibus conjecturis, & rationibus, quas hoc loco referre non vacat. Porro Dalmatia, quamvis ad Imperium Occidentis pertineret, plures tamen equitum ſuorum turmas ſive cuneos ad defenſionem præſidiumque regionum atque urbium Orientis contribuebat. Diviſo enim Imperio, ita convenerat inter utrumque Imperatorem, ut, quemadmodum Pancirolus ſcripſit, *cuncta communi nomine, velut unum eſſet Imperium, adminiſtrarent*, ac mutuam ſibi opem ferrent, & alter alteri, e ſuis quiſque provinciis, copias militares ſuppeditaret; retenta eadem conſuetudine, quæ vigebat ante diviſionem, ut milites ſive ex Orientis, ſive ex Occidentis partibus delecti, iiſdem locis, uti antea, ad præſidium collocarentur, eamdemque ſtationem tenerent. Quas igitur militum copias e delectu Dalmatico uterque Imperator, & quibus in locis, & ſub quorum Ducum imperio habuerit, ex Notitia dignitatum utriuſque Imperii hic tranſcribere operæ pretium eſſe cenſui, eaſque ſingulis animadverſiones, notaſque ſubjicere, quas eiſdem Guidus Pancirolus appoſuit.

Militum & Equites Dalmatæ in variis utriuſque Imperii locis ad præſidium contributi.

Ex Notitia Dignitatum Imperii Orientis.

Sub Diſpoſitione Viri Illuſtris Magiſtri a *militum* b *Præſentalis*
c *Vexillationes* d *Comitatenſes* VII.
e *Equites Quinto* f *Dalmatæ*
Equites Nono Dalmatæ.

a
b
c d
e f

NOTÆ.

Magiſtri militum dignitas & officium.

a Magiſter militum ſucceſſit Legato, qui ex ordine Conſularium ab Imperatore ad regendum exercitum mittebatur, cuique milites tam pacis, quam belli tempore obtemperabant. Vegetius II. 9. *Legati Imperatoris ex Conſularibus ad exercitum mittebantur, quibus legiones & auxilia univerſa obtemperabant in ordinatione pacis, vel neceſſitate bellorum, quorum loco nunc illuſtres Viros conſtat Magiſtros militum ſubſtitutos, a quibus non binæ tantum, ſed plures legiones gubernabantur.* Quandonam Magiſtri militum inſtitui cœperint, incertum eſt; poſt Alexandrum, qui anno 22. tertii ſæculi adeptus eſt Imperium, hujus militaris magiſtratus creandi conſuetudinem invectam fuiſſe conſtat. At *Magiſtri Equitum* nomen & officium longe antiquius eſt, & florente republica apud Romanos vigebat, cujus *ſumma erat in Equites & accenſos poteſtas*, ait Varro lib. 4. de ling. Latin. Cum Præfecti Prætorio ubique ordinandi & puniendi milites poteſtatem haberent, Conſtantinus duos magiſtros militum inſtituit, alterum Equitum, alterum Peditum, in eoſque omne jus imperiumque militare Præfectis ademptum tranſtulit, ut auctor eſt Zoſimus lib. 2. At Theodoſius Magnus, hoſtibus undique ingruentibus, plures Magiſtros militum oppoſuit, quod idem Zoſimus ſcribit lib. 4. Hi deinde ad pauciores redacti, in Oriente quinque omnino conſtituti ſunt, qui Equitibus pariter ac Peditibus imperabant, duo *in Præſenti* ſeu Præſentales cognominati, qui cæteris dignitate & poteſtate anteibant, tertius per Orientem, quartus per Thracias, quintus per Illyricum. In Occidente duos Magiſtros Præſentales, alterum Equitum, alterum Peditum, creandi mos perpetuo retentus eſt. *Ex Pancirolo.*

Duo Magiſtri militum inſtituti a Conſtantino.

plures a Theodoſio.

Magiſtri Præſentales unde appellati ſint.

b Hoc cognomine duo Magiſtri militum ab reliquis tribus, qui Orienti, vel Thraciæ, vel Illyrico præſidio erant, diſtinguebantur, ex eo *Præſentales*, vel in *Præſenti* appellati, quod in Comitatu Principis eſſent, neque unquam ab ejus præſentia, ſeu conſpectu diſcederent, & corpus Principis ſtiparent, & cuſtodirent. Hinc factum eſt, ut Prætorium, in quo hi Magiſtri de controverſiis militum ac delictis cognoſcebant, ſententiamque ferebant, Juſtinianus *Præſentum* nominaverit Novel. 22. Sicut autem duo Præfecti Prætorio initio creari cœpere, ita duo Magiſtri militum in Præſenti conſtituti ſunt; eamdem nimirum ob cauſam, ut ſi alteruter rebus novis ſtuderet, aut contra Principem aliquid moliretur, alter alteri obſiſteret. Primus Magiſter militum in Præſenti erat is, de quo nunc agimus; ejuſque imperio Notitia ſubjecit Vexillationes Palatinas V. Vexillationes Comitatenſes VII. Legiones Palatinas XV. Auxilia Palatina XVIII. *Ex Pancirolo.*

Vexillationes unde dictæ, & quid ſint.

c Vexillationes a Vexillis nomen traxere; Vexillum autem velo, quod erat quadratum, auro & purpura contextum, prælto conto ſuſpenſum, & circa Principem, aut Ducem, geſtari ſolebat. Porro vexillum tam Centuriæ peditum, quam Turmæ equitum præferri mos erat, in eoque notari, quæ turma, ex qua cohorte, & quota eſſet centuria, vel etiam nomen Principis inſcribi. Ex Vegetio & Dione. Quamvis autem vexillum æque ad pedeſtrem atque equeſtrem militiam pertineret; hic tamen Vexillatio referenda eſt ad turmam Equitum ſub eodem vexillo militantium. Vexillationis autem duplex genus fuit; altera pars Legionis erat, equiteſque numerabat duos & triginta, quibus unus præerat Decurio, quemadmodum unius Centurionis imperio centum ipſi pedites ſuberant; altera extra Legionem unum corpus militiæ per ſe ipſa efficiebat, & conſtabat Equitibus fere trecentis. Hujus ſecundi generis erant Vexillationes, quas a Legionibus diſtinctas Magiſtro militum in Præſenti Notitia attribuit. *Ex Pancirolo.*

Tres olim apud milites Palatinos, Comitatenſes,

d A vocabulo ac dignitate Comitum profluxit nomen ac dignitas Comitatenſium, translataque eſt

Pseudocomitatenses.

est ad Militares Ordines. Tres autem tum equestris, tum pedestris militiæ ordines sunt instituti; omnes enim tam equitum, quam peditum numeri aut Palatini, aut Comitatenses, aut Pseudocomitatenses appellati. Hinc Legiones, & Vexillationes, aliæ Palatinæ, aliæ Comitatenses, aliæ Pseudocomitatenses. Palatinæ sunt dictæ, quibus custodia Palatii commissa erat, eamque ob causam cæteris honore ac dignitate præstabant. Comitatenses a comitatu, idest aula Principis, in qua degebant, quam sequebantur, ex qua evocari solebant, si cubi illorum opera necessaria foret, nomen adeptæ fuerant, habitæque loco Prætorianorum militum, quorum in munus officiumque successerant. Pseudocomitatenses, idest falso dicti Comitatenses, iisdem, atque Comitatenses, tum Præfectis suberant, tum ordinibus distincti erant, tum denique symbolis & insignibus utebantur; sed non iisdem atque illi honoribus, privilegiis, stipendiis gaudebant. Triplex itaque ut Legionum, sic Vexillationum genus fuit; aliæ Palatinæ, aliæ Comitatenses, aliæ Pseudocomitatenses. Inter septem Vexillationes Comitatenses, quæ sub imperio erant ac dispositione Primi Magistri militum Præsentalis, duæ adscriptæ erant ex delectu Dalmatico, quarum unaquæque trecentis Equitibus constabat. *Ex Pancirolo*.

Equestris ordinum cognomina varia.

e Equites cæteriquę militaribus Ordinibus adscripti, varia cognomina alii aliunde habuere, aut ab honore in eos collato, ut Promoti, & Comites felices, aut ab armorum genere, quo utebantur, ut *Clibanarii*, *Sagittarii*, *Cataphractarii*, *Armigeri*, *Scutarii*, *Balistarii*, *Funditores &c.* aut e loco, unde erant desumpti, seu quem tuebantur, ut *Arcadες*, *Batavi*, *Persæ*, *Nervii*, *Transtigritani &c.* aut ab ordine temporis, quo militiæ nomen dederant, ut *Primi*, seu *Primani*, *Secundi*, *quarti*, *Vndecimani*, *Tertio*, *quinto &c. Dalmatæ*; aut ab Imperatoribus, per quos instituti sunt, ut *Augustenses*, *Joviani*, *Herculiani*, *Constantiniani &c. Victores & Invicti* a victoriis relatis; *Rapaces*, & *Vindices* a signis hostium raptis; *Propugnatores*, *Præventores* ab officio; a moribus autem, ut *Petulantes*, *Legio pia & fidelis*. *Ex Pancirolo*.

Dalmatæ Quinto & Nono dicti ex ordine temporis quo militiæ adscripti sunt.

f Capitolinus tradit a Marco Antonino *Dalmatiæ atque Dardaniæ milites factos esse, quos natura feroces fuisse ex Sallustii sententia Tertullianus in lib. de anima scribit. Hi vero quinto Dalmatæ sunt appellati, quia eum ex Dalmatia multoties equitum cunei essent extracti, qui tertio loco, quinto, sexto, & nono collecti erant; tertio, quinto, sexto, & nono Dalmatæ vocabantur; vel potius* IX. *illorum Scholæ fuerunt, quæ a numero nomen habuerunt*. Guidus Pancirolus.

a *Sub dispositione Viri illustris a Magistri militum Præsentalis*
Vexillationes Comitatenses V I.
b *Equites* b *Sexto Dalmatæ.*

a Is erat secundus Magister militum in Præsenti, seu Præsentalis. Sex Vexillationes Palatinas, totidem Comitatenses, Legiones item sex Palatinas, & Auxilia Palatina duodeviginti regebat; quæ Palatium & Principem tuebantur. *Ex Pancir.*

b Nempe sexto loco delecti erant e Dalmatia; coactique sub Vexillis unam Vexillationem Comitatensem conficiebant.

Sub Dispositione Viri Illustris Magistri militum per a Orientem 2
Vexillationes Comitatenses X.
Equites b *tertio Dalmatæ,* b

Oriens dioecesi Imp. Orientis.

a Oriens una erat ex quinque Diœcesibus Imperii Orientalis, Provincias omnino quindecim complectens. Hujus autem Diœceseos supremum militare imperium ac regimen obtinebat *Vir illustris Magister militum per Orientem*, ejusque potestati suberant *Vexillationes Comitatenses* X. *Legiones Comitatenses IX. Legiones Pseudocomitatenses X.* Pancir.

b *Equites Tertio Dalmatæ, Justiniano imperante, in Phœnicia Libani degebant, quos ipse ejus Provinciæ Moderatori commisit.* §. 1. *& 2. edicto* 8. Guid. Pancir. Sub aliis duobus Magistris militum per Thracias, & per Illyricum nulli neque Pedites, neque Equites Dalmatæ in Notitia subjiciuntur.

Sub Dispositione Viri Spectabilis Ducis a 2
Palæstinæ.
Equites b *Dalmatæ* c *Illyriciani* d *Berosabæ.* b c d

a *Præter duos per Ægyptum, alii sex Duces Orientem tuebantur, scilicet Palæstinæ, Arabiæ, Phœniciæ, Syriæ Euphratensis, Osrhoenę, Mesopotamiæ.* Huic suberant in varia loca, præsidii causa, contributæ *Turmæ* XI. *Alæ* VI. *Legio* I. *Cohortes* X. *quæ esse poterant equitum circiter* 1700. *& peditum* 6000. Pancir.

Centuria Peditum, Turma Equitum.

b Hæc erat una ex undecim Turmis Equitum Duci Palæstinæ subjectis. Quemadmodum Centuria ad pedestrem, sic Turma ad equestrem ordinem militarem referebatur. Dicta est Turma, quasi terdena, quod terdeni Equites ex tribus tribubus Tatiensium, Rhamnensium, & Lucerum collecti unam turmam conficiebant. Ex Varrone, & Vegetio. Sed turma triginta equitum addi solebat ad Legionem, ejusque pars erat; Turma autem extra legionem, de qua hoc loco Notitia, unum militaris ordinis corpus per se efficiens, multo plures Equites continebat, quamquam eorum numerus certus non esset, ac definitus, & alias augeri, alias diminui soleret. Apud Ammianum Marcellinum Turma una ex equitibus trecentis & quinquaginta constat: lib. XVIII. *Duarum turmarum Equites circiter septingenti ad subsidium Mesopotamiæ ex Illyrico missi.*

c Illyrici simpliciter dicti vocabulo intelligi solebat Illyricum Orientale, a quo sejuncta erat Dalmatia. Hi autem Equites Dalmatę, cum antea stationem habuissent in Illyrico Orientali, hinc in Palæstinam translati, *Illyricianorum* cognomen secum attulere.

Berosabæ oppidum Palæstinæ.

d *Berosabæ morabantur; Bersabea ab aliis dicta a matre Salomonis, alias Bezamam. In Madrutiano legitur Benosabe, credo legendum Bersabeæ, quæ, ut ait D. Hieronymus de loc. Heb., erat in Tribu Juda, sive Simeonis, & est usque hodie vicus grandis in vicesimo a Chebron milliario vergens ad Austrum, in quo & Romanorum militum præsidium positum est, a quo loco termini Judææ incipientes extendebantur usque ad Dan, quæ juxta Paneadem cernitur. Interpretatur vero Bersabee puteus juramenti, eo quod ibi Abraham, & Isaac fœdus cum Abimelech sociaverunt jurantes. Hæc Divus Hieronymus.* Guid. Pancir.

Digitized by Google

a *Sub Diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis* a
Arabiæ b
b *Equites Dalmatæ* c *Illyriciani Ziza.*

a *Arabia Ducem, eumdemque Præſidem, ut clarius manuſcripti Codices indicant, habuit, etſi eorum officia Notitia impreſſa non diſtinguat. Idem enim duplex officium, alterum ut Dux, alterum ut Præſes tenuit.* Guid. Pancir.

b Huic Provinciæ præſidio erant, variis in locis conſtitutæ Turmæ Equitum VII. Legiones II. Alæ V. Cohortes V. *quæ poterant eſſe* (ait Pancirolus) *Equitum circiter* 1400. *peditum* 4000.

Ziza oppidum Arabiæ Petrææ.

c *Incolebant Ziza oppidum* (Arabiæ Petrææ urbs eſt Ptolemæo). *Ex Dalmatia contracti habitarunt in Illyrico, unde Illyriciani ſunt vocati.* Guid. Pancir.

a *Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis* a *Ducis*
Phœnices
b *Equites Dalmatæ Illyriciani* b *Latavi.*

a Huic ſuberant Turmæ XIII. Legiones II. Alæ VII. Cohortes IV. quæ ſummam ferme duorum millium equitum, & quatuor millium peditum colligere poterant. *Guid. Pancir.*

Latavum urbs Phœniciæ.

b Latavum civitas Phœniciæ. *Equites Dalmatæ Illyriciani Latavi habitabant. Hinc Latavienſes appellati ſunt milites in Occidente ſub Duce Sequanici.* Guid. Pancir.

Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis,
Ducis a *Syriæ, & Euphratenſis,*
a
b *In Auguſto* b *Euphratenſi*
c *Equites Dalmatæ Illyriciani* c *Barbariſſo.*

a *Plures Syriæ fuere, Comagena in Euphratem extenſa ſive Euphratenſis, Palmyrena ſeu Emeſena dicta, & Cœleſyria. Sub harum Duce omnes erant equitum turmæ* X. *alæ* II. *Legiones* II. *cohortes* IX. *quæ poterant efficere equites circiter mille, & ducentos, peditum quatuor millia.* Guid. Panc.

Syria triplex.

b *A Cilicia & Amano monte incipit Syria Comagena, & uſque ad Euphratem extenditur, a quo Euphratenſis vocatur; Auguſteuphratenſis a Leone A. & ab aliis dicta, Auguſtophratenſem Aurelius Victor, Euphratiſſam appellat Procopius. Conſtat quatuor præclaris urbibus, quas Seleucus Nicanor condidit; primam nomine Patris Antiochiam dixit, ſecundam a ſe Seleuciam, tertiam ab uxore Apamcam, quartam a matre Laodiceam.* Guid. Pancir.

Barbariſſum oppidum Comagenæ.

c *Hi in oppido Barbariſſo morabantur. Barbariſſam Ptolemæus appellat oppidum apud Euphratem; Barbaliſſon, Stephanus ait, præſidium eſt in Oriente muro munitum.* Guid. Pancir.

a *Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis* a
Oſrhoenæ
b *Equites Dalmatæ Illyriciani* b *Gallabæ.*

a *Oſrhoenam eſſe Meſopotamiæ partem inter Tigrim, & Euphratem ab Oſrhoena urbe nominatam, ſupra retuli ex Svida. Sub Duce hujus provinciæ omnes erant turmæ equitum* IX. *Alæ* VI. *Legio* I. *Cohortes* II. *quæ poterant efficere equitum circiter* 1500. *peditum* 2000. Guid. Pancir.

Gallaba oppidum Arabiæ, & Oſrhoenæ.

b *Hi excubabant Gallabæ. Gallabam oppidum Arabiæ Stephanus ponit; forte legendum Gabalæ, quæ urbs eſt Syriæ. Vetuſtus codex habet Ganaba.* Guid. Pancir. Erat & Gallaba oppidum Oſrhoenæ, quod non aliunde, niſi ex Notitia cognitum eſt.

Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis a a
Meſiæ primæ.
Cuneus b *Equitum Dalmatarum* c *Auremonte.* b c
Cuneus Equitum Dalmatarum d *Pinco.* d
Cuneus Equitum Dalmatarum e *Cuppis,* e

a *Duæ ſunt inter Æmum montem & Danubium Meſiæ, ſeu Myſiæ. Prima, quæ ſuperior, & ſecunda, quæ inferior appellatur.* Guid. Pancir. Utramque olim diſcriminabat Ciabrus flumen. Utraque olim ad Illyricum pertinebat, a quo Conſtantinus ſecundam avulſit, quæ nunc dicitur Bulgaria; prima vero ab Serblis nomen Serviæ accepit. Dux Meſiæ primæ XV. loca ſibi commiſſa, *octo Cuneis equitum, novem Auxiliis, & ſub octo Præfectis, ſex legionibus, & duabus claſſibus fluviatilibus tuebatur: poterant eſſe equites* 800. *peditum ſeptem millia, tribuendo mille pedites Legioni ſecundum Conſtantinum Porphyrogenitum.*

Meſiæ duplex.

b Quid ſit Cuneus in militia docet Vegetius lib. 3. *Cuneus dicitur multitudo Peditum, quæ junctis acie primo anguſtior, deinde latior procedit, & adverſariorum ordines rumpit, quia a pluribus in unum locum tela mittuntur, quam rem milites nominant Caput Porcinum.* Ceterum in Notitia Cuneus non ad pedeſtrem, ſed ad militiam equeſtrem refertur. Pancirolus exiſtimat *Vexillationem in Cuneos diviſam fuiſſe: Vexillatio enim Stablaſianorum ſub Magiſtro militum per Orientem in Cuneos diviſa reperitur, quorum duo Duci Scythiæ obtemperabant, & alii Comiti Ægypti. Vegetius Alam vexillationem ſuo tempore appellatam ſcribit lib.* 2. *cap.* 1. *coitio in unum Cuneus nominatus eſt, quaſi Conneus, inquit Auguſtinus lib.* 2. *de Ord. cap.* 18. Idem Pancirolus tradit alias centum, alias ducentos equites in unum cuneum coaluiſſe, quibus qui præerant, ducenarii, vel centenarii dicti ſunt.

Cuneus quid ſit.

c *Is Cuneus degebat in oppido Aureo monte. Hujus meminit Itinerarium; & Aureum montem Aurelius Victor a Probo pineis conſitum fuiſſe memorat.* Guid. Pancir.

Aureus mons in Meſia.

d *Pinco*, quod Meſiæ primæ oppidum eſt, præſidebat, ubi etiam erat Cuneus Equitum Conſtantiacorum, eidem Duci Meſiaco ſubjectus. *Ex Pancir.*

Pincum oppidum Meſiæ.

e *Cuppis morabatur, ubi quoque Auxilium Cuppenſe, & pars Legionis ſeptimæ Claudiæ, ſub eodem Duce reſidebat.* Guid. Pancir. Cuppe apud Antonin. eſt locus in Meſia XXIIII. M. paſſ. a Viminacio.

Cuppe et oppidum Cuperum.

Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis a a
Daciæ Ripenſis. b
Cuneus Equitum Dalmatarum b *Forenſium Bononiæ.* c
Cuneus Equitum Dalmatarum Divitenſium c *Dorticо.* d
Cuneus Equitum Dalmatarum Divitenſium d
Auguſtæ. e
Cuneus Equitum Dalmatarum e *Auguſtæ,* f
Cuneus Equitum Dalmatarum f *Varinæ,*

a *Olim Dacia ultra Danubium uſque ad Sarmatas ad Septemtrionem per ambitum mille milliariorum*

Dacia vetus trajacenſis, ultra Danubium,

rum extendebatur, a Trajano in Provinciæ formam est redacta, deinde sub Gallieno amissa, demum cum eam ægre Aurelianus recuperasset, ipsius populos trans Istrum duxit, limitibus ad flumen transpositis. Guid. Pancir. Aurelianus igitur Mœsiæ utrique partem detraxit, novæque Daciæ inter Superiorem & Inferiorem Mœsiam constitutæ attribuit. Quæ pars Daciæ adjacebat Danubio, eam Ripensem; quæ vero interior erat in Austrum obversa, eam mediterraneam Daciam appellavit. Dux Daciæ Ripensis tria & viginti oppida sive urbes in sua potestate habebat; quibus, in varia loca distributi, præsidio erant Cunei Equitum novem, Auxilia sex, Legiones decem, Cohortes duæ, Classes fluviatiles duæ. *Esse poterant Equites nongenti, Peditum decem millia, Verum tempore Notitiæ, Dacia ab Attila Hunnorum Rege, Marciano & Valentiniano imperantibus devastata fuit, inquiunt Paullus Diaconus & Justinianus Novell.* 2. *Sed a Leone recepta fuisse videtur, cum de ejus Ducis, & utriusque Mœsiæ ac Scythiæ officiis disponat in l. ul. ad fi. C. de diversi. offic. Justinianus certe omnibus eis Danubium Romano Imperio adjectis, pristinos limites restituit d. Novell.* 11. Guid. Pancir.

Dacia nova Aureliani, citra Danubium duplex.

b *Excubabat Bononiæ.* Fuit Civitas antea Mysiæ superioris, postea Daciæ Ripensis, cujus meminit Antoninus; distinguenda ab altera Bononia, quam Ptolemæus in Pannonia superiori ad Dravum fluvium constituit. *Forenses dicti sunt a loco Forum dicto, nisi legamus Fortensium. Hos & sequentes Cuneos Dalmatarum ex Vexillationibus Comitatensibus Magistrorum Militum Præsentalium, & Magistri per Orientem esse puto.* Guid. Pancir.

Bononia civitas Daciæ Ripensis.

c *Dortico præsidebat, de quo Itinerarium & Ptolemæus, in Mœsia superiori. Huc translati sunt ex oppido ad Rhenum sito e regione Agrippinæ, quod munimentum Divitense & vulgo Deutsch appellatur,* unde cognomen traxerunt: *Divitensium meminit & Marcellinus lib.* 26. *&* 27. Guid. Pancir.

Dortica antea in Mœsia superiori, postea in Dacia.

d *Augustæ degebat: Prætoriani Augustam Ptolemæus vocat in Dacia. Itinerarium legit Augustis.* Guid. Pancir.

Augusta in Dacia.

e *Hic etiam Cuneus Augustæ morabatur, nisi forte vitio librarii bis idem præsidium sit repetitum, vel Augustiam oppidum Daciæ intelligit, de quo Ptolemæus.* Guid. Pancir.

f *Habitabat Vainæ. Varianæ Itinerarium. Credo legendum Variniane, de qua infra, ubi pars Legionis V. Macedonicæ sub hoc Duce excubabat.* Pancir. Variana Antonini est urbs Mœsiæ inferioris, cujus pars Occidentalis Daciæ nomen, Aureliano jubente, subierat.

Varina in Dacia.

Ex Notitia Dignitatum Imperii Occidentis.

Sub Dispositione Viri illustris Comitis & Magistri a Equitum Præsentalis.

Vexillationes Comitatenses XXXII.

b *Equites* b *Octavo Dalmatæ.*

c *Equites Dalmatæ* c *Passerentiaci.*

a Cum plures in Oriente fuerint Magistri militum, ut diximus, tres tantum in Occidente ex antiquo more & instituto creari solebant, duo Præsentales, alter Peditum, alter Equitum, isque Comitis titulo ornabatur; tertius erat Magister Equitum Galliis præpositus. Inter Occidentales, & Orientales Magistros militum, hoc intererat, quod *hi*, ut docet Pancirolus, *mixtim peditibus, equitibusque præfuere*, illi vero, Præsentales videlicet, diviso inter se imperio totius militiæ, *unus peditibus, alter equitibus imperavit, quemadmodum olim a Constantino etiam in Oriente institutum fuisse auctor est Zosimus. Item ibi præter duos Præsentales tres alii Magistri instituti fuere; hic post Præsentales unus tantum per Gallias magister equitum dictus fuit. In Occidente quoque Magistri tam limitaneis Comitibus, & Ducibus, quam aliis Tribunis Præfectisque præerant, quod in Oriente non observabatur, cujus limites a Quæstore ordinabantur. l.* 1. *&* 3. *Cod. de Offic. Quæstor. Sed & Magister Equitum in Galliis pluribus peditum equitumque ab utroque Præsentali copiis acceptis, Gallias sibi commissas tuebatur. . . . Præter duos Præsentales alterum peditum, alterum equitum in Italia, & tertium equitum in Galliis, nullus in Occidente Magister militum reperiebatur, sed in Hispania unus Comes, & alter in Britannia loco Magistrorum numeris imperabant; quod a Constantino usque ad Honorium Imperatorem observatum fuit, donec illæ provinciæ sunt amissæ. Demum extincto Occidentali imperio, Leo Imperator, Dalmatia recepta, proprium Magistrum in ea constituit lib.* 4. *C. de bon. quæ liber. Comes & Magister Equitum Præsentalis in Occidente Vexillationibus XLI. imperabat, quarum magnam & ipse partem Comitibus limitaneis & Ducibus committebat. Hic Magister igitur XLI. Vexillationes regebat, quarum* IX. *Palatinæ,* XXXII *Comitatenses dicebantur. Hic Magister etiam Comes vocabatur, sed prior titulus plus auctoritatis habebat. Marcellinus lib.* 26. *Equitius, inquit, Illyriciano præponitur exercitui, nondum Magister, sed Comes, idest nondum erat illustris, sed spectabilis, aut paullo major.* Pancir.

Magister proprius in Dalmatia creatus post extinctum Imperium Occidentale.

b *Equites octavo loco ex Dalmatia delecti, vel potius in octava eorum Schola descripti; in tot enim dividebantur, quemadmodum secundi scutati, juniores equites apud Comitem Africæ, secundæ scholæ appellantur. Præferunt in alba parma duplicem argenteum globum, alterum alteri inclusum, quorum primum minorem sex virides munitiones circumstant; alter septem acutas cuspides emittit. Supra est quadrata tabella, quæ unam legem duplici orbi Romano dari insinuat: prominentes mucrones eadem hostibus nunciabant.* Guid. Pancir.

c *Passerentiaci forte a Passera Syriæ urbe dicti, aureum orbem in cærulea parma, quem admodum Septimani sub Magistro peditum, & quidam alii gerebant. Purpureus limbus marginem cingit.* Panc. Cum igitur antea vel *Passeræ* urbi Syriacæ, vel *Passeroni* urbi Epiroticæ præsidio essent; inde in Occidentem translati, Passerentiacorum cognomen ab alterutra urbe tractum retinuerunt.

Passera urbs Syriæ.

Passeronis urbs Epiri.

Sub Dispositione Viri Spectabilis Comitis a littoris Saxonici per Britanniam

Præpositus Equitum Dalmatarum b *Branodunensis Branodumo.*

a

b

a *Ammianus Marcellinus lib.* 27. *hunc Comitem maritimi tractus appellat, scribitque Nectaridum Comitem & Bulchobaudem ducem, Valentiniano I. imperante, a Britannis occisos. Itaque longe ante conscriptam Notitiam Comes maritimi tractus fuisse videtur. Is maritimus tractus, sive littus Britannicum cognomen accepit a Saxonibus Germaniæ populis, qui anno circiter* 400. *ut scribit Polydorus Virgilius, Britanniæ partem Orientalem & meridianam, ubi & Londinum, occuparunt.* Pancir. Huic Comiti Notitia subjecit octo Præpositos, quo-

Magistri Militum tres in Occidente.

Littus Britannicum quid sit.

quorum quatuor numeris, duo equitibus, unus militibus Tangricanis, unus Legioni 2. Aug. præfuiſſe dicantur; & præterea Tribunum cohortis primæ Vetaſiorum. Hi Præpoſiti alias Limitum, alias Provinciarum dicebantur, qui limitibus tuendis præerant.

Branodunum ſive Dunum, & Branogenium oppida Britanniæ.

b *Branodunenſis, a Branoduno, cui præſidebat, vocabatur. Branogenium in Britannia oppidum Ptolemæus ponit, & Dunum, quod forte huic loco nomen dedit.* Guid. Pancir. Utrumque oppidum Ptolemaicum inſidet littori Britannico, Branogenium ad Occaſum, Dunum, ſive Dunium ad Meridiem.

Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis
Provinciæ a *Pannoniæ ſecundæ* b *Riparienſis ſive Saviæ*

c *Cuneus Equitum Dalmatarum* c *Teutiborgio*
d *Equites Dalmatæ* d *Novis*
e *Equites Dalmatæ* e *Albano*
f *Equites Dalmatæ* f *Carnaco*
g *Equites Dalmatæ* g *Bononiæ*
h *Equites Dalmatæ* h *Cuſi*
i *Equites Dalmatæ* i *Ricti*
k *Equites Dalmatæ* k *Surgene.*

Pannoniæ plures.

a Pannoniæ, quæ olim duæ fuerant, ſuperior & inferior, poſtea vergente quarto ſæculo plures factæ ſunt; videlicet *Prima*, eadem ac Superior, *Secunda*, eadem atque Inferior, *Savia ſive Riparienſis & Interamnia*; quæ pars eſt Auſtralis a ſuperiore & inferiore Pannonia detracta inter Dravum & Savum; & *Valeria*, quæ pars eſt intermedia, Pannoniæ ſuperiori & inferiori adempta, Danubio fere adjacens.

b Hic videtur Pannonia *ſecunda* non diſtingui a *Riparienſi*, ſive Savia. Fortaſſe deeſt conjunctio *&*, quæ declaret regionem utramque, videlicet Pannoniam ſecundam, & Ripariensem, ſubjectam fuiſſe regimini unius Ducis, quemadmodum Ducis itidem unius imperio ſuberant Pannonia prima, & Noricum Ripenſe. Dux Pannoniæ ſecundæ & Ripariensis præerat cuneis equitum VII. alis ſive turmis Equitum XI. Auxiliis V. Præfectis legionum V. Præfectis claſſium IV. Tribunis cohortium IV.

Teutoborgium oppidum.

c *Teutoborgium eſt ad Ripam Danubii: olim hic erat ſaltus. Tacitus, in* 1. *Ductum, inquit, agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amiſiam, & Luppiam amnes inter, vaſtatum haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionumq; inſepultæ dicebantur.* Pancirolus. *Valde errat Pancirolus ad Notitiarum librum, ubi hunc ſaltum in Pannonia deſcribit, deceptus homonymia.* Ortelius. Eſt itaque Teutoburgium, Ptolemæo, & Antonino auctoribus, oppidum Pannoniæ inferioris; Murſiam olim dictam putat Aventinus, Quinqueccleſienſem vocant Latini juniores.

d Novæ in Pannonia ſecunda. Duo præterea oppida ejuſdem nominis ſunt, alterum apud Ptolemæum in Mœſia inferiori, quam *Civitatem Novenſem* Marcellinus vocat, alterum in Mœſia ſuperiori ex Itinerario Antonini.

e *Albanus mons eſt dividens Pannoniam ab Illyrico* (id eſt maritimo.) Pancirolus. Idem ac mons Albius; ex quo intelligitur hujus Ducis jurisdictionem ultra Saviam in Auſtrum prolatam fuiſſe in ea regione, quæ poſtea dicta eſt *Boſſina*. Sed Ortelius Albanum urbem, cui præſidio erant hi equites Dalmatæ, collocat in Pannonia Savia, idque vero propius eſt.

Cornacum in Pannoniæ inferiori, & Bononia & Cuſi & Rhittium.

f Cornacum Ptolemæus itidem & Antoninus in Pannonia inferiori locant apud Ortelium.

g Bononia Ptolemæo eſt oppidum Pannoniæ inferioris, diſtinguendum ab altero ejuſdem nominis oppido *Daciæ* Ripenſis, de quo ſupra. Bononia non longe Sirmio aberat, ut Ammianus docet lib. 31. *Valens permeato Danubio delatus Bononiam, & Sirmium introiit.*

h Cuſi Antonino Pannoniæ inferioris urbs.

i Rhittium vocat Ptolemæus, attribuitque Pannoniæ inferiori.

Burgena oppidum Saviæ.

k Burgena Pannoniæ Saviæ urbs apud Ortelium.

Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis
Provinciæ a *Valeriæ* b *Ripenſis* a b
Cuneus Equitum Dalmatarum c *Interciſa* c
Equites Dalmatæ d *Odiabo* d
Equites Dalmatæ e *ad Herculem* e
Equites Dalmatæ f *Cirpi.* f
Equites Dalmatæ g *Conſtantiæ.* g
Equites Dalmatæ h *Campona.* h
Equites Dalmatæ i *Vetuſſalina.* i
Equites Dalmatæ ad k *Nammantiæ* k
Equites Dalmatæ l *Luſſonio* l
Equites Dalmatæ m *Ripa alta* m
Equites Dalmatæ n *ad Statuas* n
Equites Dalmatæ o *Florentiæ.* o

Valeria Pannoniæ Ripenſis dicta.

a *Duplex eſt Valeria, altera in Italia apud Abrutios: altera Pannoniæ, de qua Rufus ita ſcribit: Marcomanni & Quadi de locis Valeriæ, quæ ſunt inter Danubium, & Dravum, pulſi a Tiberio ſunt, & limes ab Auguſto inter Romanos & Barbaros per Vindeliciam, Noricum, Pannoniam & Mœſiam eſt conſtitutus . . . . . Valeriam a Valeria Diocletiani filia, Galerio Cæſari nupta, dictam fuiſſe Ammianus tradit lib.* 19. Pancirolus.

b Dicta eſt Ripenſis, quia Danubio adjacebat, inter ſuperiorem & inferiorem Pannoniam; utriuſque enim pars antea fuerat. *Huic limitaneus Dux præerat Vir Spectabilis, qui ſub Valentiniano primo fuit Marcellianus Maximini PP. filius. Quinque Equitum cuneos regebat, XVII. alas aut turmas, quina auxilia, novem Præfectos & ſex Tribunos.* Pancir.

Interciſa.

c Interciſa urbs Pannoniæ inferioris apud Antoninum, ante Valeriam conditam, & nominatam; poſtea Valeriæ finibus contineri cœpit.

d Urbs Valeriæ ripenſis, Auctoribus Notitia antiquioribus ignota.

Urbes plures ab Hercule nominatæ.

e *Viginti nomine Herculis urbes Stephanus recenſet, quarum una erat in Theſſalia; aliam in Pannonia inferiore ſupra poſuit Notitia, ubi ſub ejus Duce degebant auxilia, ab eo loco Herculis appellata.* Pancir. Diverſa igitur a Pannonica fueris oportet hæc Dalmatarum equitum ſtatio, quam Notitia Valeriæ adſcripſit.

Cirpi ſeu Carpi oppidum apud Iſtrum in Valeria.

f *Cirpi caſtra in Pannonia locat Itinerarium, forte Carpi, quod oppidum apud Iſtrum Ammianus, & Ptolemæus ponunt; a Diocletiano ſubactum Eutropius ſcribit; ejus etiam Capitolinus in Balbin. & Vopiſcus in Aureliano meminerunt. Hic erant & Auxilia Fortenſia ſub hoc Duce.* Pancir.

g *A Conſtantio id oppidum eſt nominatum.* Panc.

Camponia.

h *Camponiam vocat Itinerarium. Camponia*, inquit,

quit, *in medio* e *Quinquo leg.* 2. *Legionem secundam adjutricem hunc locum tutatam; & Camponiam in medio itinere a Quinquo discedentibus fuisse significat.* Pancir.

Vetus Salina. i *Aliter Itinerarium Vetussalinus. In medio, inquit, a Matrica, scilicet itinere. Disjungenda ergo hæc est dictio, & legendum Vetus Salinæ.* Pancir. Eadem est ac *Salinum* Ptolemæi urbs Pannoniæ inferioris, postea attributa Valeriæ.

Castra Nemantia. k *Ad Namantia, scilicet castra.* Pancir. Hoc scilicet nomine appellabatur oppidum Valeriæ Ripensis, quemadmodum *Castra Stiliconis.*

Lussonii. l Lussonium Ptolemæus, Lussanium Antoninus vocant, oppidum olim Pannoniæ inferioris, deinde Valeriæ attributum.

Ripa alta. m *De Ripa alta, loco ad Statuas, & Alisca, ita apud Itinerarium scriptum reperitur: Ad statuas, in medio Alisca, ad latus Ripa alta.* Pancir. Oppida sunt Valeriæ Ripensis, quæ antea pertinebant ad Pannoniam.

n *Locus ita vocabatur, quod forte ibi aliquæ statuæ essent.* Pancir.

o Oppidum Valeriæ Ripensis.

Sub Dispositione Viri Spectabilis Ducis Pannoniæ a *primæ & Noricî Ripensis.*

a
b *Cuneus Equitum Dalmatarum* b *Flexo.*
c *Equites Dalmatæ ala* c *Nova.*
d *Equites Dalmatæ* d *Æquinoctiæ.*
e *Equites Dalmatæ* e *ad Herculem.*
Præfectus Legionis quartæ decimæ Geminæ militum f *Liburnariorum cohortis partis superioris Carnunto.*
f
Præfectus Legionis decimæ, & quartæ decimæ Geminatæ militum Liburnariorum g *Arrabonæ.*
g
h *Equites Dalmatæ* h *Ariape.*
i *Equites Dalmatæ* i *Augustianis.*
Præfectus legionis primæ Noricorum militum Liburnariorum cohortis quintæ partis ad k *Juvense.*
k
Prefectus Legionis Liburnariorum primorum Noricorum l *Fasianæ.*
l

Duæ Pannoniæ. a *Duas Pannonias Ptolemæus ponit, Superiorem seu primam, & Inferiorem seu secundam, de qua supra dictum fuit. Prima terminatur ab Occasu monte Cetio, a Meridie parte Istriæ, & Illyridis (maritimæ), a Septemtrione Danubio, ab Ortu Pannonia inferiore. Nunc Austria dicitur. Noricum autem est secundum Danubium: ab Occasu Oenum fluvium, a Meridie Æmum montem (rectius alpes Carnicas) habet, ab Ortu Cetium, a Septemtrione Danubium, vulgo Bavariam vocant, aliqui addunt Stiriam Carinthiamque. Noricum bipartitum erat. Pars altera secus Danubium, Noricum Ripense, altera Meridiem versus, Noricum Mediterraneum dicebatur. Pannoniæ primæ & Norico Ripensi præerat Dux, qui habebat Equitum Cuneos duos, Turmas XIV., Cohortes VI., Legiones IV., Classes IV. efficere poterant Equites 1500., peditum 7000., quos Hunnis opponere oportuit.* Pancir.

Noricum.

Ripense & mediterraneum.

Flexum. b *Ptolemæi Interpres scribit Phlexum, ubi ponit Legionem Germanicam XIII. Itinerarium Flexum vocat; est secundum ripam Danubii citra.* Pancir.

Ala nova. c *Ala Nova oppidum Pannoniæ in Notitia & Itinerario; non autem intelligendum est hos Equites Alam novam fuisse, quia hujus nominis oppidum hic repræsentatur.* Pancir.

Equinoctium. d *In Itinerario legitur Æquinoctio; Ala nova, inquit, in medio Vindobonæ, Legio X. Gemina.* Hactenus *Itinerarium. Sed hanc legionem Notitia Arrabonæ locat.* Pancir.

Herculeum; sive ad Herculem. e *Herculeam vocat Itinerarium. Hac in loco & Dux Pannoniæ secundæ auxilia habebat, & Dux Valeriæ alios Equites: uterque enim ad sui limitis fines castra juncta habebat, non longe ab hoc oppido, & ideo semper scriptum est ad Herculem, idest prope Herculem eos castrametatos fuisse.* Pancir.

Carnuntum. f *Præfectus Legionis quartædecimæ Geminæ militum Liburnariorum cohortis in parte superiori Carnunti Stativa habebat; ita etiam appellat Itinerarium, Ptolemæus Carnus. Carnuti meminit Paterculus, Ammianus, Plinius lib. 37. cap. 3. Paulus Diaconus Carnuntum, inquit, corrupte Carantanum vocant, unde nummus Carantanus. Ptolemæus Legionem 14. Germanicam in Pannonia superiore statuit, & Dion, qui lib. 55. eam duplicem ideſt Geminam nominat. Pars hujus Legionis, & aliquot sequentis decimæ Cohortes ex Liburnariis militibus constabant, unam, titulo Præfecti Legionis XIV., hic Præfectus regebat: ipsa vero, quod esset ex Liburnia contracta, Liburnaria nominata est.* Pancir.

Arrabona. g *Præfectus Liburnariorum militum Legionis X. & XIV. Geminatæ, seu Geminæ, manebat Arrabonæ, ubi etiam Equites Promoti sub hoc Duce degebant. Superior Præfectus cohortem tantum Liburnariorum Legionis XIV. regebat. Hic reliquos ejusdem Legionis Liburnarios, & alios Legionis X, item Liburnarios dictos, qui circa Arrabonam castrametabantur. Hic ergo militibus ex duabus Legionibus extractis, velut uni cohorti imperabat. Legiones enim hoc tempore in Præfecturas, quæ ex mille aut 500. militibus constabant, divisas fuisse Constantinus Porphyrogenneta scribit (de Thematibus.) Ego Præfecturas mille peditum, Tribunatus quingentorum fuisse puto. Itinerarium Geminas oppidum ponit in Hispania; sed inde hanc Legionem non derivo.* Pancir.

Arlape; h Arlape urbs in Noricis apud Ortelium, cujus meminit Itinerarium.

Castra Augustiana. i *Augustianis, scilicet castris, præsidebant. Itinerarium habet Augustis Norici, ubi hodie Aurifodinæ. Augusta Vindelicorum est in Rhætia, ubi etiam Equites Stablesiani castrametabantur. Augustianis videtur legendum pro Augustianis.* Pancir. Sed Castra Augustana in Norico distinguas oportet ab Augusta Vindelicorum.

Castrum Juvense seu Juvavia. k Stativa habebat ad Castrum Juvense. Juvavia Antonini & lapidum Antiquorum civitas Norici est, nunc Bavariæ. *Hæc legio inter hunc & sequentem Præfectum divisa erat; iste titulo Præfecti tantum cohorti quintæ præerat, & in parte superiori prope Juvense excubabat: forte legendum Jovense, ubi erat Gynecium in Dalmatia.* Pancir.

Fasiana; l Fasiana oppidum Norici. *Vel Liburnis triremibus præerant hi milites, vel ex his constabant, qui ex Liburnia & Noricis populis erant delecti. Sunt pars legionis præcedentis. Unus codex pro Fasiana habet Fasiena.* Pancir.

Sub Dispositione Viri Spectabilis Ducis Tractus a *Armoricani &* b *Nervicani* a b
Præfectus militum Dalmatarum c *Abrincatis.* c

Armoricus tractus in Gallia. a *Armoricus tractus in Galliis, nunc Normandia ac Britannia dicitur.* Pancir.

Nervii populi. b *Nervii sunt populi inter Belgas Atrebatibus vicini; nunc Tornacenses vocant, quorum tractus Nervicanus appellatur.* Pancir.

Abrigiatus oppidum in Nantib

c *Forte locus est Abrigiatus apud Ptolemæum dictus*

Digitized by Google

ſtus in Nantibus. Abrincatui Plinio ſunt Galliæ Lugdunenſis populi. Itinerarium in ſecunda Lugdunenſi ponit. Pancir.

Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Belgicæ a ſecundæ.

a

b *Equites Dalmatæ* b *Marcis in Littore Saxonico.*

Belgica prima & ſecunda.

a *Belgicæ regio inter Moſam & Sequanam fluminа clauditur, quam Phrudis interfluit. A Moſa uſque ad eum fluvium eſt Belgica prima ſeu ſuperior, nunc Brabantia dicta, cujus metropolis eſt Treviris; inde ad Sequanam eſt Belgica ſecunda, nunc Flandria vocata, cujus metropolitæ erant Remi.* Pancir.

Marcis oppidum.

b *Hi littus Saxonicum, & Marcis, quod erat oppidum e regione Britannorum, tuebantur. Erat hoc aliud littus Saxonicum ab illo diverſum, quod ſupra in Comite littoris Saxonici in Britannia fuiſſe vidimus, hoc in Belgica e regione illius jacebat.* Pancir.

Sub Diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Britanniarum.

b *Præfectus Equitum Dalmatarum* b *Præſidio.*

c *Tribunus Cohortis ſecundæ Dalmatarum* c *Magnis.*

Dux Britanniarum.

a *Præter duos Comites rei militaris, quos in Britannia fuiſſe diximus, erat & Dux, qui pluribus, quam illi, equitibus ac peditibus imperabat, pluresque munitiones, & latiorem regionem tenebat.* Pancir.

Præſidium oppidum Britanniæ.

b *Præerat Præſidio oppido Britanniæ ita dicto. Alia erant hujus nominis in Hiſpania, Paleſtina, & Corſica, a præſidiis, quæ ibi tenebantur, ita dicta.* Pancir.

c Cohors erat proprie peditum manus. Olim ex manipulis cohortes, e cohortibus legiones conſtabant. Manipulos alias centeni, alias ducenteni milites, cohortes terni vel etiam pauciores Manipuli, legiones decem fere cohortes conflabant. Cum hic ſecunda nominetur, plures antea fuiſſe oportet Dalmatarum peditum cohortes. Hæc ſecunda Magnis excubabat. *Locum eſſe arbitror, qui a Ptolemæo Magnus Portus dicitur. Inter Muridonum, & Viroconiorum hunc locum Itinerarium locat. Multi vero ordines peditum Dalmatarum eſſe conſueverant, qui robur erant exercitus Romani; fere omnes ab Alarico ſunt occiſi, ut vix centum evaſerint. Zoſimus in 7. Viſum eſt, inquit, Honorio quin ne Dalmaticos militum ordines de ſuis excitos ſedibus, ad urbis cuſtodiam arceſſere. In his ordinibus erant ſex hominum millia, qui tum audacia, tum robore corporum exercitus Romani, quaſi caput erant; & paullo poſt: Eorum Dux Valens cunctos in hoſtium manus ſua culpa conjecit, vix centum fuga dilapſi ſunt, quorum in numero & ipſe Dux erat. Aliis ergo extinctis hæc ſola peditum cohors poſtea aucta permanſit, cum tamen plurimi Equites Dalmatæ ſuperfuerint.* Pancirolus.

Magnis ſeu Magnus portus.

Copiæ & virtus militum Dalmatarum.

Hanc ergo Dalmatia Virorum fortium ac martialium copiam ſuperioribus ſæculis Romanæ militiæ contribuit, quorum opera eximia in rebus bellicis gerendis extitit; quique tum in acie adverſus hoſtes acerrime dimicabant; tum in variis utriuſque imperii regionibus ac locis collocati, ſtationes ſibi commiſſas egregie tuebantur. Ab hac perenni conteſtataque virtute majorum non degenerant Dalmatæ hodierni, quibus ſpiritus quidam ardorque militaris inſitus vel potius innatus videtur eſſe, ſic prorſus, ut omnes videas, etiam pueros, armorum præcipuo ſtudio duci, nec quidquam vulgo præter arma habere in deliciis. Natura vero Dalmatis ut animos laborum ac mortis contemptores, bellicæque gloriæ appetentiſſimos, ſic corpora dedit ejus firmitatis, roboris, ac ſtaturæ, ut vel maxime ad pugnandum apta ſint, atque idonea, quorum habitudinem formamque militarem deſcribit Vincentius Periboevius in Orat. de Orig. Slav. *Dalmatæ ſunt cum mediocritate quadam, majori ex parte, proceræ ſtaturæ, venuſtas habentes facies, albicantes, oblongas, moderato rubore perfuſas, oculos bene mobiles, non uniformis coloris (quemadmodum habent Germani ac Æthiopes, hi quidem cæruleos, illi autem nigros) cervicem virilem, humeros muſculoſos, pectora lata & eminentia, apparentes brachiorum lacertos, brachia longa, valentes digitos, lumbos reſtrictos, ventrem non expanſum, coxas firmiſſimas, crura, ut dici ſolet, tornatilia, ſuram crurium turgidam & nervorum duritia collectam, crus circa cavillam compreſſum, pedem amplum, ad ſuſtinendam tantam corporis molem aptiſſimum, totam demum habitudinem virilem & robuſtam, ad impetum electiſſimam, ſed præſtantiorem intus animum geſtant.* Cum autem ad bellum nati quodammodo factique videantur eſſe, his præclariſſimis animi & corporis dotibus, quas natura illis largita eſt, accedit aſſidua exercitatio, diſciplina, & conſuetudo militaris, qua nimirum efficitur, ut omnia militiæ incommoda, famem, ſitim, æſtum, algorem, vigilias, laboreſque admirabili patientia tolerent atque plurimum audaciæ ad pugnam capeſſendam afferant, plurimum conſtantiæ in ipſa pugna perſequenda retineant. Nullum ut defugiant periculum, eos impellit ac ſtimulat cupiditas vincendi, ardor mentis ad gloriam, cujus cauſa mortem per decus obitam, immortalitatis inſtar, vitam per dedecus retentam, quavis morte pejorem putant: ignominiam ut vitent, nihil non fecerint, ut mortem, nihil ſane laborant. *Nam*, ut ait Peribævius, *acre eſt eis ingenium ad cuncta verſatile, mens ad mortem paratiſſima, manus impigra, jucunda alacritas, conſtantia in pugna admirabilis.*

Hodierni Dalmatæ a bellica majorum virtute non degenerant.

Militia Dalmatica nervus ac robur exercitus Veneti.

Jure igitur meritoque Militia Dalmatica magni ſemper fuit apud Venetos; eſtque, habeturque nervus ac robur exercitus atque imperii Venetorum. Dalmaticis enim nullas paratiores, nullas exercitatiores, & diſciplina ſcientiaque militari inſtructiores copias Veneti habent, nullas denique ob eximiam fortitudinem, & ſingularem perpetuamque erga Rempublicam fidem ac voluntatem egregiam, quibus magis ſive in bello, ſive in pace confidant. Nam in plurimis & graviſſimis bellis tum noſtra, tum patrum noſtrorum memoria geſtis, virtus bellica militum Dalmatarum, fideliſque ac perutilis opera abunde cognita eſt atque perſpecta. Huic autem Nationi fortiſſimæ ac fideliſſimæ tantum Veneti tribuunt, ac tantopere fidunt, ut ex ea potiſſimum Prætorianas, & Palatinas cohortes deligant, quas ſummis Magiſtratibus regionum atque urbium regimini præpoſitis honoris ac præſidii cauſa attribuant, quibuſque tum Prætorii, tum Præfectitii Palatii excubias & cuſtodias committant.

Dalmatarum egregius ardor ad pugnandum contra Turcas.

Sed gentis hujus belliatrix indoles, animuſque martialis nuſquam magis emicat, & majores exerit vires, conatuſque intendit, quam ubi contra Turcas Chriſtiani nominis hoſtes in acie ſit proceun-

dendum. Ifieſt enim acceptum a majoribus, peſſitusque inuſtum in animis Dalmatarum naturale quoddam adverſus Turcas odium, quod publicæ utilitatis cauſa comprimi quidem, at reſtingui nullo modo poteſt. Difficile dictu eſt, quantam vigilantiam, dexteritatem, prudentiamque adhibeant oportet Præfecti ac Magiſtratus Veneti, ut hujuſcemodi odium implacabile cohibeant, ac præſertim eorum animos leniant, ac mitigent, ubi aliquid damni ſive jure ſive injuria ab Turcis acceperint. Niſi enim obſtaret Prætorum auctoritas, & blanda molliſque cohortatio, additoetiam propoſitoque ſupplicíorum metu, in cædes ac direptiones effuſi, privatas injurias non ſine periculo quietis reique publicæ ulciſcerentur, iramque hoſtium in pace laceſſerent, & bellum ſane periculoſum ab Rege Turcarum in Venetos conſciſcerent. Cæterum cum nihil avidius expetant, quam cauſam occaſionemque juſti ac neceſſarii cum Turcis belli, quibuſcum inſitas gerunt inimicitias; ſi qua hujuſmodi cauſa acciderit, incredibile eſt, quanta lætitia geſtiant, quam cupide ac certatim nomina dent, quam alacres lætique ſub ſigna convolent; ubi vero in aciem ventum eſt, miro quodam ardore impetuque in hoſtes incumbunt, ſumma pertinacia pugnæ inſiſtunt, vel tuendo locum ſibi commiſſum, vel ultra progrediendo, adverſaſque copias acrius impellendo; neque de contentione pugnandi quidquam remittunt, niſi vel ipſi vincant, vel cruentam & luctuoſam hoſtibus victoriam relinquant. Quocirca nullos Veneti habent milites, a quibus Turcæ aut magis ſibi timeant, quam a Dalmatis, aut majora quam ab his damna retulerint. Vel proximo bello, quod fere ſub initium hujus ſæculi geſtum eſt, quanti fuerit opera Dalmatarum, ex eo intelligi poteſt, quod cum res in regione alia minus e ſententia ſuccederet, provincia Dalmatica, quamvis in maximo periculo verſaretur, virtute potiſſimum ac præſidio Dalmatarum non ſolum retenta fuerit, ſed etiam amplificata, finibus imperii Venetorum in ipſam ditionem Turcicam prolatis. Hæc cum ita ſint, minime a veritate aberraverim, ſi dixerim Dalmatiam quoddam eſſe veluti propugnaculum Italiæ, potentiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus oppoſitum, & objectum, quo amoto ac diſfracto, nulla tanta vis eſſet, qua reprimi, ac ne in Italiam irrumperet immenſa barbarorum multitudo, cohiberi poſſet. Nemo autem negaverit Dalmatas in illo inter nos Turcaſque confinio, tamquam in communi quadam arce ac ſpecula ad ſuſtinendam & propulſandam hoſtium immanitatem, atque ad agendas perpetuas pro Italis excubias divino conſilio conſtitutos & collocatos eſſe, qui ſuis vigiliis, ſuorumque laterum & corporum oppoſitu, cædem, incendia, rapinas, vaſtitatem ab Italorum vita, tectis, fortunis, urbibus, agriſque arceant, atque avertant.

Dalmatia propugnaculum Italiæ.

§. IV.

De præſtanti Dalmatarum ingenio, & ſtudiis optimarum artium.

Dalmatarum ingenium perſpicax & ſubtile.

INeſt fere Dalmatis ingenium vividum & perſpicax, acre & ſubtile, ad omnes humanarum ac divinarum rerum diſciplinas percipiendas idoneum, natura ipſa puri tenuiſque aeris, ut fit, rationis atque intelligentiæ vim acuente; ut cuicumque doctrinæ ſeſe dediderint, in ea plerumque excellant, & cæteris facile præſtent. Verum Dalmatis, cum & olim perpetuis barbarorum excurſionibus expoſiti fuerint, & nunc propter Turcas finitimos in armis ſemper eſſe cogantur, numquam fuit ſatis otii ac temporis, quod in ſtudia bonarum artium conferrent; quippe ſalutis ac libertatis tuendæ neceſſitas eos impulit, ut ætatem omnem in rebus bellicis, duriſque Martis operibus conterérent, quibuscum diligens & accurata litterarum tractatio conjungi nequit. Hoc ante nos animadverterat Paullus Jovius, qui in Elogiis Doctorum Virorum de præclaris Dalmatarum ingeniis hæc ſcripſit: *Apud Dalmatas valida ad capeſſendam ex litterarum ſtudiis laudem hac ætate ingenia floruerunt; ſed ab aſſiduis Barbarorum incurſionibus exturbati veteri agro, atque in extremos patrii littoris margines compulſi, tamquam de retinenda libertate deſperantes, armis litteras commutaſſe videri poſſunt.* Cæterum Dalmatæ, quamvis & multis identidem belli exercitii, & bellorum impendentium metu ſolliciti, tamen in tanta rei militaris occupatione curaque, liberalium diſciplinarum ſtudia minime ſibi prætermittenda eſſe cenſuerunt; & cum Dalmatia viris ingenii vi & acumine præſtantibus ſemper abundaverit, ex iis quamplurimi fuerunt, qui aſſiduam ac diligentem operam optimis quibuſque artibus, alii aliis navarunt; & in eo, ad quod quiſque ſe applicuit, doctrinarum genere ſic floruerunt, ut ad litteras homineſque litteratos quod attinet, non multum aut nihil omnino Dalmatia cæteris nationibus vel doctiſſimis cedat; vereque ſcripſit Vincentius Peribævius, *Dalmatis, quamvis bellorum ſemper fuerint ſtudioſiſſimi, dulcia non defuiſſe litterarum oblectamenta, cum famoſiſſimos litterarum cultores hoc ſolum edat, quorum nonnulli vitalibus adhuc veſcuntur auris, nonnulli, quod ejus eſt, terræ reddentes, felices ſpiritus cœleſtibus commendaverunt.* Multos quidem proferre poſſemus e natione Dalmatica eximiæ ſcientiæ, exquiſitæ doctrinæ Viros, niſi eos nimia vetuſtas, & majorum noſtrorum in præclaris Virorum illuſtrium nominibus memoriæ prodendis incuria oblivione obruiſſet. Si quorum memoria antiquis litteris tradita & cuſtodita ad noſtram ætatem pervenit, eos ſuis locis ac temporibus cum laude cuique debita commemorare non pigebit. Divus Hieronymus unus nobis inſtar eſt omnium, qui cum omni humana doctrina, atque eruditione ornatus eſſet, tum vero divinarum rerum adeo multiplicem ac perfectam intelligentiam adeptus eſt, tantamque in ſacris Codicibus interpretandis ſcientiam, ut uno omnium gentium conſenſu, Doctoris Eccleſiæ, & quidem maximi, cognomen promeruerit. De quo quidem Viro cum tam multa tamque præclara judicia fecerint ſcriptores omnium ætatum, nihil eſt, quod ad ejus laudem adjicere poſſis: cujus eruditionem & doctrinam vim copiamque dicendi admiratus Auguſtinus, Hieronymi *eloquium*, ait, *ab Oriente in Occidentem inſtar Solis refulgere;* Eraſmus vero Roterodamus, vir quidem doctrinæ ac fidei parum ſinceræ, ſed acerrimi judicii, cujus teſtimonium hoc pluris faciendum eſt, quo ſeverius in alios vel doctiſſimos & ſanctiſſimos viros cenſuram exercuit, Hieronymum *tantæ ſcientiæ & auctoritatis virum fuiſſe* prædicat in ep. D. Hier. *ut eruditam quoque Græciam totius orbis ſemper Magiſtram, poſt tot eximios ſcriptores, ab homine Dalmata diſcere non puduerit, unius Hieronymi ex omnibus auctoribus commentarios in ſuam linguam transferendo.* Hieronymum Dalmatis per injuriam a quibuſdam ereptum vendicare, ſuæque patriæ ac Nationi reſtituere, cum id alii, ac præſertim M. Marulus egregie præſtiterint,

Dalmatia litteratorum hominum fecunda.

rint, neque propoſitum nobis eſt hoc loco, neque neceſſarium.

Viri docti litteratique ex Dalmatia.

Sæculo decimo quinto, poſtquam depulſa inſcitia illa & barbarie, quæ ante annos amplius ſexcentos totam Europam pervaſerat, cum in Italia bonæ artes reſloreſcere cœperunt, Dalmatia quoque ejuſdem litterariæ laudis ſtudio excitata ſtatim aliquot ex ſe doctrinæ & ſapientiæ fructus edidit, ac deinde diſciplinas doctrinaſque omnes avide complexa, tum proximo, tum eo, quod conſecutum eſt; ſæculo, ingentem ſane virorum in omni litterarum genere illuſtrium copiam effudit; facile ut appareat Dalmatas omnia conſequi potuiſſe, ſimul ut velle cepiſſent. Extitit igitur ſtatim poſt recuperatas ac reſtitutas in Italia optimas artes litteraſque, Coriolanus Cepio ſeu Cipicus patria Tragurienſis, Orator idem atque Hiſtoricus eloquentiſſimus, *qui*, ut ait Palladius, *cum ſub Petro Mocenico Claſſis Venetæ Imperatore Trierarchus non ſine ingenti gloria ob res egregie geſtas militaſſet, quo tempore Turcæ Chalcidem expugnarunt, confecto bello, de Petri ipſius geſtis librum luculentiſſime ſcriptum edidit: quem ipſe pluries legi, captus Cepionis tum copia elegantiaque, tum fide & gravitate.* M. Antonius Sabellicus ejuſdem Cipici eloquentiam, hiſtoriamque multiplici laude cumulatam mirifice laudat; *Nec Coriolanus Cipicus parum uno eſt libro notus, quo ille Petri Mocenici, qui poſtea Princeps fuit, geſta eſt complexus; vix e Dalmatica illa ora eam dicendi facultatem hac quiſquam tempeſtate expectaſſet; redundat brevis illa hiſtoria multis quidem virtutibus; & quod me potiſſimum delectavit, nihil eſt, quod in illius elocutione requiras. Nec eſt, ut Palladium Nigrum ſileam; per quem proximis annis Romanæ in ea terra litteræ in antiquum ſunt ſtatum reſtitutæ.* Itaque auctore Sabellico, qui floruit ſub finem ſæculi decimi quinti, eodem fere tempore, quo Italia, Dalmatia etiam Romanas litteras recuperavit. Quis eſt autem, qui putet, cum quo illi præſtantiſſimi viri Coriolanus & Palladius, alter hiſtoria ſcribenda, alter Græcis & Latinis litteris tradendis rem litterariam in Dalmatia reſtituere conarentur, Dalmatarum hominum ad eorum doctiſſimas voces aures clauſas fuiſſe? Ego vero nullus dubito, quin multi per eadem tempora utriuſque exemplis & præceptionibus excitati ad præclaram ſcientiæ adipiſcendæ cupiditatem exarſerint, ſeque litterarum ſtudiis penitus tradiderint. Paucos eximiæ eruditionis, & præſtantiſſimi ingenii viros Palladius nominat, quos eodem ſæculo decimoquinto Dalmatia protulit; Aelium Cervinum Raguſienſem *Poetam eminentiſſimum, cui ſi priſcis temporibus naſci contigiſſet, quando more hominum comparatum eſt, ut veteres ſcriptores novis ſemper anteponantur, ipſe profecto cum antiquis Vatibus paſſim legeretur: tanta eſt ejus in rebus, quas decantat, eruditio, & ea carminis ſublimitas;* Antonium Marcellum Ordinis Minorum, cujus *multiuga doctrina & vitæ integritate* civitatem & inſulam Creſcam, unde erat oriundus, mirifice illuſtrari ait; Antonium Nimerium Arbenſem *Mathematicarum artium peritiſſimum, quas perdidicerat, ut plerique affirmabant, nemine docente;* Benedictum Miſſulum ex inſula Pago *Aſtrologiæ, & juris tam Pontificii, quam Civilis ſcientiſſimum;* ex quibus de reliquis conjecturam fieri velim. His multo plures, qui eodem itemque proximo ſæculo e Dalmatia prodierunt, viros omnium diſciplinarum genere alios alio exultos adjecit Vincentius Peribœvius in oratione de Origine ſucceſſibuſque Slavorum, habita Phariæ anno MDXXV. Poſtquam enim de B. Hieronymi admirabili doctrina & ſanctitate commemoravit: *fulſit*, inquit, *& aliud lumen hac noſtra tempeſtate ex Dalmatia Marcus Marulus, qui plurima Chriſtianæ pietatis volumina compilavit; & Cipicus Coriolanus Tragurita*, (de quo ſupra meminimus) *ad quem conſolatorium Carmen extat Sabellici, de Domus conflagratione in Dalmatia, ac Helius & Joannes Grotius, quorum utriuſque meminit Sabellicus, & Joannes Stoicus Ordinis Prædicatorum, Georgiuſque Benignus Minorita Raguſei, & Joannes Staphileus Tragurita, ac Joannes Polycarpus Sebenicenſis, Hieronymuſque Periboevius Pharius germanus meus ambo Prædicatoriæ familiæ, cum Joanne Arbenſi Ordinis S. Benedicti, ac Paullo Paladino Pharo, de quo infra mentio fiet, qui litterarum monumentis perennem ſibi gloriam vendicaverant. Extant hac noſtra tempeſtate in humanis magni nominis viri Thomas Nigro Spalatinus, & Simon Begnius Jaderita, ac Vincentius & Dominicus Bachii Catarenſes Ordinis Prædicatorum, qui plurima Catholicæ fidei arcana ſuis ſcriptis illuſtraverunt: nec non & Federicus Chryſogonius Jaderita, & Hieronymus Atticus, Hannibalque Lutius, Petrus Hectoreus, qui inter cætera eleganti Metro Naſonem de remedio amoris in Illyricum Idioma, cum magna omnium admiratione tranſtulit, vel minimum jota non omittens, & Michael Peregrinus, hi quatuor Pharii, cum Andronico Tranquillo Tragurita, & Georgio Biſcantio Catarenſi, ac Franciſco Niconitio Corculenſi; multique alii, quorum virtus & eruditio in dies eluceſcit.* Tantam ſcilicet doctorum e Dalmatia hominum copiam illa una ætas effudit: qui vero conſecutis deinceps temporibus uſque ad hanc ætatem multiplici & varia doctrina floruerunt, tam multi ſunt, ut eos nominare prope infinitum eſſet, nec vero neceſſarium; non enim hic Dalmatarum ſcriptorum bibliothecam conficimus, ſed nomina paucorum decerpſimus, quos a viris laude dignis laudatos comperimus; ne quis negligentiæ nos inſimulet, ſi multo plures commemorare omiſimus, veluti Marinum Barletium Scodrenſem a Peribœvio prætermiſſum, qui de obſidione urbis Scodræ libros tres; de Vita & rebus geſtis Georgii Caſtriotti vulgo Scandebergi libros tredecim doctos oppido & laborioſos anno 1504. Venetis typis mandavit; Jacobum Lucarium Raguſinum, qui annales ſuæ reipublicæ libris quatuor ſtudioſe diligenterque perſecutus eſt; Maurum Orbinum patria Raguſienſem, & Abbatem Congregationis Benedictinæ Melitenſis, qui de Regno Slavorum Hiſtoriam perquam accurate Italicis litteris conſignavit; Anſelmum Bandurium Raguſinum Monachum e Familia S. Benedicti, qui doctiſſimos Commentarios in *Antiquitates Conſtantinopolitanas* ſcripſit; Ignatium Gengium Benedictinum ex eadem Congregatione Melitenſi, qui de naufragio D. Paulli in mari Adriatico, ejuſque appulſu adventuque ad Melitam Dalmatiæ Inſulam diſſertationes omnigena eruditione Græca Latinaque refertas anno hujus ſæculi trigeſimo Venetiis editas in lucem emiſit; & alios quamplurimos, quorum in varios hujus hiſtoriæ loços cum incidet mentio, non committam, ut ea, quam quiſque in litteraria republica aſſecutus eſt, laude fraudetur. Sed ille mihi hoc loco non eſt omnino prætereundus, quem rerum Illyricarum auctorem laudare poſſum locupletiſſimum, atque adeo parentem Hiſtoriæ Dalmaticæ appellare. Multa typis publicis commiſſa, multa ſchedis codicilliſque manuſcriptis conſignata reliquit. De rebus Illyricis ac Dalmaticis

Explicatur Cepio Tragurienſis, Hiſtoricus & Orator.

Aelius Cervinus Raguſienſis Poeta.

Antonius Marcellus.

Antonius Nimerius.

Benedictus Miſſulus.

Marcus Marulus.

Helius & Joannes Grotii, aliique.

Nominatis a Peribœvio addendi Barletius, Lucarius, Orbinus, Bandurius, Gengius.

Auctor Librorum v. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ.

Digitized by Google

ticis nemo eruditius, nemo gravius, nemo copiosius scripsit; cujus præclaris inventis & commentationibus si multum me profeciſſe negaverim, injurius plane tanto viro, non ingratus modo fuerim; a quo si multa me sumpsiſſe non fatear, surripuiſſe convincar.

Nec vero dubito, quin Dalmatia & numero & præstantia hominum litteratorum cum qualibet vel eruditissima natione conferri posset, nisi Dalmatas, ut dixi, ab litteris occupationes curæque militares necessariæ avocarent; & nisi rara essent Gymnasia, & mira paucitas Magistrorum, qui pueros atque adolescentes bonis artibus & disciplinis instituant. Ac parentes quidem opulenti & nobiles filios suos ad transmarinas Academias in Italiam missos extraneis Magistris erudiendos tradunt; unde doctrinam etiam, non solum insignia doctrinæ in patriam referant. At quibus tenuis est, & curta res domestica, horum filiis, ut neque ingenium neque voluntas desit, tamen plerumque animi litteris excolendi facultas deest atque opportunitas; quo fit, ut præclarissima ingenia aut otio langueſcere, aut duris militiæ operibus, aliisve laboriosis artibus hebetari, obtundique oporteat. Huic malo ut, quatenus liceret, occurreret, Dalmatiæque litterariis commodis prospiceret, Gregorius XIII. Pontifex Maximus Laureti Dalmatarum Collegium instituit, ex arca Lauretana annuis proventibus ad victum cultumque, certisque ædibus ad habitandum assignatis. Tricenos ibidem adolescentes Patribus Societatis Jesu in disciplinam traditos omnibus humanis divinisque disciplinis instrui jussit; ut quas ingenii & doctrinæ opes sibi comparassent, eas ad patriam reversi in communem suorum popularium utilitatem conferrent. Præclari hujus Gregoriani instituti æmulator Pacificus Bizza Archiepiscopus Spalatensis haud dissimilem curam & cogitationem dignissimam suæ virtutis ac sapientiæ susceperit; quippe, cum nobilissimæ illius Ecclesiæ Pontificatum iniisset, nihil prius sibi faciendum putavit, quam ut Seminarium Archiepiscopale novarum ædium additione amplificaret, copiosioribus vectigalibus instrueret, optimis legibus ad normam ab Concilio Tridentino traditam componeret, lectissimorum adolescentum numero augeret; & quod caput est, Magistros ingenio ac doctrina præstantes haud mediocri stipendio proposito accerseret, qui juventuti non solum eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, sed etiam omnium graviorum disciplinarum præcepta traderent; qua in re optimus Antistes nullis sumptibus parcit, nihilque industriæ & laboris prætermittit, quod ad istius pulcherrimæ atque utilissimæ institutionis stabilitatem & incrementum quoquo modo pertinere intelligat. Deus O. M. secundet egregios hujus Pontificis conatus, orsisque tam præclari operis successus det prosperos; ut speratos ex eo uberioresque in dies doctrinæ ac pietatis fructus, non solum Spalatensis Ecclesia, sed Dalmatia universa percipiat.

Magistrorum in Dalmatia paucitas.

Collegii Lauretanum Dalmatiæ juventutis erudiendæ institutum a Gregorio XIII.

Seminarii Archiepiscopalis Spalatensis.

§. V.

De pietate ac religione Dalmatarum.

DAlmatia suæ ad Christum conversionis primordia inde usque ab ætate Apostolica, ipsisque Apostolis, eorumve Discipulis reperit; nec facile gentem aliam invenies, quæ semel susceptam Jesu Christi Servatoris nostri religionem majore constantia puram incorruptamque servarit. Primum illi commune fuit cum Ecclesia universali certamen adversus Idololatras Imperatores potentissimos Christiani nominis hostes, quod annos tenuit fere trecentos; qua quidem tempestate, quam multas & quam egregias pro Christo pugnas depugnaverit, quantum sanguinis profuderit, quot Martyres Ecclesiæ Cœloque pepererit, non est hujus loci singillatim exponere. E decem illis persecutionibus, quas Ecclesia pertulit, cum nulla extitit, quæ Dalmaticam ecclesiam non afflixerit, vehementerque perculerit; tum aliqua fuit, præsertim Diocletianea omnium postrema longeque atrocissima, quæ nusquam alio vehementius, quam in Dalmatiam incubuit; nec fortasse alibi Christianorum aut major edita strages, aut major constantia ac virtus enituit. Quæ hic breviter attingimus, ex historia Ecclesiæ Salonitanæ, aliarumque Ecclesiarum Dalmatiæ perspici poterunt. Cæterum fides ac religio Dalmatarum hisce concussa turbinibus ac tempestatibus, adeo invictam se præbuit, ut quanto acriores ad eam labefactandam impetus fierent, tanto plus illi ad resistendum roboris animique divinitus accederet; & quemadmodum universalis, sic Dalmatica Ecclesia piorum sanguine rigata, majores in dies Christianorum fœtus edidit; & Deo vires ad pugnandum suggerente, Dalmatis divino præsidio fretis acriter fortiterque dimicantibus, omnes tot ac tantorum hostium conatus eo denique recidderunt, ut non ad extirpandam, sed ad Christianam religionem in Dalmatia & magis stabiliendam, & latius propagandam valuisse videantur.

Dalmatarum religio pura & incorrupta.

Inter persecutiones non diminuta sed aucta.

Postquam vero cum externis hostibus debellatum fuit, hisque sublatis atque extinctis, Constantini Magni opera ac virtute usquequaque pax Christianis, & otium partum est, domesticis bellis intestinisque seditionibus agitari urgerique ecclesia cœpit. Nam hæresis Ariana sub idem tempus exorta, Principum armis & patrocinio subnixa, & longe lateque propagata, nihilo mitius, quam Romanorum Imperatorum impietas ac sævitia ecclesiam vexavit. Haud alia provincia periculo propior fuit, quam Dalmatia, magisque Arianorum insidiis atque aggressionibus exposita. Versabantur enim in propinquo Ursacius & Valens, alter Singidunensis, alter Mursensis Episcopus, Arianæ impietatis Antesignani; qui Constantii Imperatoris gratia & favore subnixi, cum ad hæresim illam ubique disseminandam ex aliis in alias provincias discurrerent, dubitandum non est, quin omni ope operaque enitterentur, ut vicinos Dalmatas in societatem nefarii dogmatis pertraherent. Verum cum totus propemodum orbis, ut ait D. Hieronymus, repente Arianum se factum esse miraretur, ne levi quidem ejus contagionis afflatu Dalmatia contaminari potuit; omnem Arianis aditum præcludente tum mira populorum ad fidem Catholicam retinendam consensione, tum solertia ac vigilantia Antistitum, ac præsertim Maximi Salonitani Episcopi, quem Magnus Athanasius inter cæteros Orthodoxos suarum partium Episcopos percenset, eoque innocentiæ suæ atque integritatis vindice ac defensore gloriatur. Per idem tempus haud levius periculum imminebat Dalmatiæ a Photino Episcopo Sirmiensi, qui Christum purum putum hominem esse affirmabat, neque aliunde quam a muliere vel initium habuisse, vel originem traxisse; itemque ab Germinio itidem Sirmiensi Metropolita, & Palladio, & Secundiano Semiarianis, qui cum in regionibus Dalmatiæ finitimis virulenta dogmata dissemi-

Ab hæresi Ariana Dalmatia intacta.

Digitized by Google

narent, horum tamen ſacrilegas voces Dalmatæ averſati, perpetuos ſe conſtanteſque Nicænæ fidei cultores ac propugnatores præbuerunt. Nulla illis umquam labes adhæſit e perfidia ſive Macedoniana, ſive Neſtoriana, ſive denique Eutychiana, & Monothelitica; contra quas hæreſes invictam animi fortitudinem, egregiamque in retinenda Catholica fide conſtantiam Dalmatæ præſtiterunt. Sub finem ſæculi quinti lues Pelagiana, Honorio Epiſcopo Salonitano inſcio, atque ob id minus ad cavendum intento, ſubrepſerat in Dalmatiam, ut Romam auctoribus neſcio quibus perlatum eſt ad Sedem Apoſtolicam. Sed calliditas & malitia Pelagianorum, quæ Honorii vigilantiam feſellerat, haud fallere potuit curam ac ſollicitudinem Gelaſii I. Pontificis Maximi pro totius Eccleſiæ ſalute acriter excubantem, qui graviſſimis litteris Honorium monuit, ne Pelagianam hæreſim Romanorum Pontificum auctoritate non ſemel, ſed iterum ac ſæpius protritam, ipſe per incuriam in provincia Dalmatica repullulaſcere ſineret. Reſcripſit quidem Honorius Gelaſio, conatuſque eſt tum de negligentia in re tam gravi ac periculoſa ſe illi purgare, tum opinionem illam de Pelagianis erroribus in Dalmatiam invectis ex ejus animo evellere; & mirari ſe ait, quod tam faciles pervias que aures inanibus rumoribus nullo auctore ſatis certo Romam delatis præbuerit: ſed his reſponſis acceptis minime acquievit Gelaſius, atque alteras ad Honorium litteras dedit, quarum caput eſt, Romani Pontificis curam ac providentiam, quæ per omnes Eccleſias latiſſime diffunditur, ad omnem hæreſeos ſuſpicionem vel tenuiſſimam commoveri excitarique debere: ubi enim agitur de religionis integritate, ſatius eſſe videri nimis ſollicitum, quam minus cautum. Itaque ſi quid Pelagiani in Dalmatia conati fuerint ad religionem labefactandam, eorum motus conatuſque ſtatim cohibeat; ſin minus, ne quid tale moliantur in poſterum, etiam atque etiam provideat. Quod de Pelagiana lue in eccleſias Dalmaticas graſſante Romam allatum eſt, id aliqua ex parte verum fuiſſe cenſuit Baronius ad an. 493. Sed cum ne veſtigium quidem ejus hæreſeos ſub illis Epiſcopis, qui ab Honorio proxime ac deinceps Eccleſiæ Salonitanæ præfuerunt, in Dalmatia extitiſſe proditum ſit, aut rumores illos falſos fuiſſe oportet, aut peſtem illam, ſimulatque Dalmatiam pervaſit, Honorii cura & ſolertia depulſam atque extinctam eſſe neceſſe eſt.

Nihil labis a Photino Germinio, Macedonio, Neſtorio, Eutyche, ac Monotheliris contraxit Dalmatia.

Poſt quintam Synodum æcumenicam, cujus auctoritate confixa ſunt, ac damnata tria illa celeberrima Capitula, ideſt ſcripta Theodori Mopſueſteni, Epiſtola Ibæ Edeſſeni, & Commentarii Theodoreti Cyrenſis, ſchiſma pertinax & diuturnum in duas partes Eccleſiam diſtraxit; aliis pro damnatione, aliis pro defenſione eorumdem Capitulorum acerrime dimicantibus. Cum autem Romani Pontifices & quintam ſynodum receperint atque approbaverint, & damnationem trium Capitulorum ratam habuerint, exinde dicti ſunt habitique Schiſmatici, quicumque a Romani Pontificis aliorumque præſertim Orientalium Epiſcoporum communione ſegregare ſe maluerunt, quam cauſam trium Capitulorum ſemel ſuſceptam deſerere. In hanc ſchiſmaticæ coitionis ſocietatem cum Epiſcopi Africani, Aquilejenſes, & Illyrici nomen dediſſent, Dalmatas etiam traxerunt; quin imo Frontinus Antiſtes Salonitanus præcipuas in ea partes ſibi deſumpſit, & ducem ſe atque antefignanum ſchiſmaticorum præbuit, qui ab eo dicti etiam ſunt Frontinianiſtæ. Verum quamvis hujuſmodi labes, quæ tum eccleſiæ Dalmaticæ

Schiſma ob trium capitulorum cauſam exortum, quo impliciti ſunt Dalmatæ.

inhæſit, purgari omnino, eluique non poſſit; tamen quidquid in ea re peccatum eſt, id habet aliquid excuſationis, non illius quidem ſatis juſtæ, ſed quæ probabilis videri poſſit.

Nam primum quidem ante tria Capitula tum quintæ ſynodi, tum Pontificum Romanorum auctoritate ac decreto proſcripta, omnes omnino Epiſcopi Occidentales cum Romano Pontifice in eorum defenſionem non ſolum ſine culpa, ſed etiam cum laude conſenſerant; id quod ad Concilii Chalcedonenſis auctoritatem ſartam tectam tuendam pertinere putabatur, quippe Patres Chalcedonenſes tria illa Capitula approbaſſe videbantur, cum Ibam Edeſſenum, qui Theodorum Mopſueſtæ Epiſcopum Neſtorianæ perfidiæ defenſorem ſummis laudibus extulerat, & Theodoretum Cyrenſem, qui pro Neſtorio contra Cyrillum ſcripſerat, in communionem recepiſſent, poſtquam uterque in Neſtorium atque Eutychetem rite anathema dixerat. Nec vero laude caruit temporibus illis Synodus Illyrica quadriennio ante Concilium quintum æcumenicum habita, in qua, Frontino fortaſſis auctore præcipuo, decretum eſt pro tribus Capitulis ſic tamquam pro aris ac focis pugnandum eſſe, rejectumque Edictum Juſtiniani Imperatoris, qui dolo ac fraude Eutychianorum deceptus, Capitula illa ab omnibus proſcribi juſſerat. Deinde vero poſtquam & quinta ſynodus, & Romani Pontifices, ſalva Concilii Chalcedonenſis auctoritate ac reverentia, Capitula illa damnarunt, illorum defenſoribus quod antea laudi fuerat, tum crimini eſſe cœpit; quamquam defenſio illa inſcientiæ potius, quam pravæ voluntati tribuenda erat; & culpa omnis, ſi qua fuit, communis illorum temporum fuit, orta ex quadam falſa opinione, quæ apud Occidentales percrebuerat, nullam Capitulis cenſuram infligi poſſe, quæ Concilii Chalcedonenſis auctoritatem non impeteret, id quod longe aberat a veritate. Nam quarta Synodus Ibam ac Theodoretum, cum e formula præſcripta, conceptiſque verbis Neſtorium, & Eutychetem ejuraſſent, cum Eccleſia in gratiam reſtituit: de illorum ſcriptis, cum eſſent perſpicue impia & hæretica, & opinione omnium damnata, ſententiam ferre ſupervacaneum cenſuit. Quinta vero Synodus utriuſque perſonæ quidem pepercit, ſed ſcripta damnationi ſubjecit; & præterea Theodorum Mopſueſtenum nominatim anathemate perculit, quem Patres Chalcedonenſes nulla cenſura afficiendum eſſe putaverant, propterea quod jam pridem vita deceſſerat. Cæterum utraque Synodus tum in ſancienda ſtabiliendaque fide orthodoxa, tum in damnanda execrandaque impietate Neſtorii, Eutychetis, & aliorum, qui hos præceſſerant, hæreticorum, egregie conſenſit. Verum enimvero Occidentalium animis altius, quam ut evelli poſſet, inſederat opinio illa, damnatione trium Capitulorum de auctoritate Concilii Chalcedonenſis vel plurimum diminutum iri; quam ut in integrum reſtituerent, animo obſtinato decreverant, & triplicis Capituli patrocinium ſuſceptum mordicus tenere; & Acta quintæ ſynodi conſtantiſſime reſpuere; qua in re ſi quid peccabant, ignoratione potius, quam malitia peccabant; & ſi culpa aliqua tenebantur erroris humani, ab omni certe vel hæreſi, vel hæreſeos ſuſpicione longiſſime aberant; qua quidem culpa non modo Illyrici & Dalmatæ, ſed Africani etiam, Galli, Hiſpani, Itali, cæterique Occidentales ponendi ſunt; verum Aquilejenſes & Dalmatæ nimio quodam ſtudio ſarciendæ tuendæque auctoritatis Concilii Chalcedonenſis longius, quam ce-

Rationes, quibus impulſi fuerit, ut tria Capitula defenderent.

in quo potiſſimum peccaverint Aquilejenſes & Dalmatæ.

Digitized by Google

cæteri, progreſſi ſeipſos ab eorum omnium ſocietate & communione divulſerant, qui tria illa capitula damnarent, & quintam Synodum reciperent; ex quo factum eſt, ut hi potiſſimum dicti fuerint, habitique ſchiſmatici; nam reliquis ſchiſmaticæ infamiæ notam inuſtam non invenio, propterea quia in ea mentis ac judiciorum diſſenſione voluntatis atque animorum conjunctionem, pacemque eccleſiaſticam cum Romano Pontifice ejuſque partium Epiſcopis retinebant; qui demum errore agnito, alii citius, alii ſerius & Capitula illa ejurarunt, & qua dignum erat reverentia atque honore ſynodum quintam ſuſceperunt. Aliis vero, qui ab ſummo eccleſiæ Hierarcha, & Epiſcopis cum eo ſentientibus, ita diſſidebant, ut ſeceſſionem etiam, coitionemque ſchiſmaticam fecerint, eſt quatenus aliquid veniæ dari poſſit. Cum enim mordicus tenerent, omnique ſtudio defendendum putarent, quidquid de recta in Deum fide contra Eutychetem Chalcedone ſancitum fuerat, id quod illis laudi dandum erat; opinionis errore inducti exiſtimabant, cum cauſa Concilii Chalcedonenſis cauſam trium Capitulorum ita conjunctam eſſe, ut hæc deſeri non poſſet, quin illa proderetur; ac propterea religio his erat communione eccleſiaſtica cum illis jungi, qui proſcriptis tribus Capitulis, actis decretiſque Chalcedonenſibus inſanabilem plagam impoſuiſſe videbantur; veriti, nimirum, ne hinc ſuæ ipſorum ſinceræ integræque fidei aliqua labes adhereſceret. Verum nulla neque venia, neque excuſatione dignos cenſeo, qui obſtinatione quadam ſententiæ repudiantes omnia, quę ad eorum animos curandos adhibita ſunt remedia, errorem illum & ſchiſma in multas ætates propagarunt, a quo neque auctoritate Romani Pontificis, neque Epiſcoporum fere omnium, qui reſipuerant, unanimi conſenſu, neque ullis argumentis, aut comminationibus, aut pollicitationibus deduci ſe ad obſequium & concordiam paſſi ſunt; veluti Aquilejenſis Provincię Epiſcopi, quos pertinax illa diſtractio per annos centum & quinquaginta ab Eccleſię capite, ejuſque membris abſciſſos tenuit.

Verum non cadit in Dalmatas iſta reprehenſio, quibus ut commune fuerit cum Aquilejenſibus ſchiſma, pertinacia certe communis non fuit; nam ſimulatque Frontinus auctor ac princeps factionis ſchiſmaticæ decreto Juſtiniani ſede Salonitana depulſus exulatum abiit, Dalmatæ cognito ac depoſito errore cum ſummo Pontifice, & Eccleſia in gratiam redierunt. Haud multis quidem poſt annis, cum Probinus Salonitanum Pontificatum adeptus a Catholicis ad Schiſmaticos defecit, turbatum eſt in Dalmatia, reſque iterum ad Schiſma ſpectare videbatur, ſed biennio poſt, Probino ſponte ob metum Juſtiniani abeunte, ſeque ad Paullinum Antiſtitem Aquilejenſem recipiente, periculum omne diſcuſſum, pax & tranquillitas reſtituta eſt. Cęterum ſi qua ex eo ſchiſmate macula Dalmatis inhæſit, ejus omnino delendę præclaram occaſionem attulit gens Gothica, quæ jampridem in Dalmatiam irruperat, & aliquot locis præſertim mediterraneis in ſuam poteſtatem redactis, rerum ibidem potiri cœperat. Ex ea quippe gente ſex Reges extiterunt Chriſtiani nominis acerbiſſimi hoſtes, quorum primus Sevioladus, ſive Senudialus primam adverſus Chriſtianos perſecutionem edixit, poſt quem ſub duobus Regibus Selemiro & Bladino res quietæ ac tranquillę fuerunt. Sed Bladino extincto, Ratimirus bellum in Chriſtianos redintegravit, quod quatuor deinceps Reges acerbum in modum perſecuti ſunt, & bonorum multationibus, exiliis, cædibus in fortunas vitamque Chriſtianorum graſſando, nulla propemodum, quę in eos non ederent, crudelitatis exempla prętermiſerunt; quę omnia Dalmatę animo magno atque alacri religionis cauſa cum pertulerint, quidquid labis ignominięque ſuperioribus annis ex eo ſchiſmate contraxerant, præclara Chriſtiani nominis confeſſione eluerunt. Invictam Dalmatarum fidem & conſtantiam ſummopere commendat Presbyter Diocleates in eo libro, quem de Regno Slavorum ſcripſit: *Quorum* (ideſt ſex illorum Regum) *temporibus, ſemper in perſecutione fuerunt Chriſtiani, & quia inimici & perſecutores Chriſtianorum, longum duximus narrare eorum iniquos actus, & vitam, quoniam ad meliora & delectabiliora tendere feſtinamus. Attamen diebus eorum multi Chriſtiani, ex maritimis, & tranſmontanis regionibus, nolentes ſe inquinare eorum pollutis moribus, fugiebant quotidie, undique jungebant ſe illis, qui in montanis, & locis fortioribus manebant, eligentes magis cum eis ſuſtinere perſecutiones & penuriam, & ſalvare animas ſuas, quam gaudere ad tempus cum gentilibus &c.* Hæc paullo aliter, & copioſius deſcripta e codice Slavonico, qui *Regum Dalmatiæ & Croatiæ geſta* complectitur, M. Marulus in Latinum ſermonem tranſtulit: *Ipſe autem Sevioladus imperavit Chriſtiano nomini infeſtiſſimus. Eos itaque, qui maritima incolebant Dalmatiæ oppida, frequentibus afficiebat injuriis. Anno imperii ſui* XII. *vita decedens filio Selemiro Regnum reliquit. Hic Patri natura ac moribus longe diſſimilis erat. . . . . Bladino vita functo Regni gubernacula ſuſcepit Ratimirus, qui avitæ humanitatis penitus expers inimico animo in Chriſtianos erat; non pauca Regni oppida, quæ ab illis habitabantur, evertit, ipſos vero in ſervitutem redegit; ſed iis præcipue infeſtus, qui maritima Dalmatiæ loca incolebant. Itaque quæ avi patriſque benignitas coli frequentarique fecerat, vaſta ac deſolata illius reddidit duritia; plerique Chriſtianorum latebras ſibi quæſivere ad ſylvarum deſerta, montiumque ſolitudinem ſe transferendo, vitamque admodum miſere ſuſtinendo, dum ſpes foret ſe, Deo miſerante, meliorem tandem Dominum ſortituros; neque illos ea ſpes fefellit, quamvis uſque ad quintum Regem dilatus eſt eventus. Etenim haud multo poſt moritur Ratimirus abſque liberis, nullaque poſt ſe prole relicta; ſuffectus tamen eſt in ejus locum quidam ex propinquis, deinde & hoc mortuo alius, uterque autem gravis atque moleſtus Chriſtiano nomini in primis fuit; deinde alii duo unus poſt alium regnaverunt, omnes tamen ut melioribus locum darent, ſatis celeri morte de medio ſublati ſunt. Cæterum quamdiu vixerunt, uſque adeo noſtræ religioni infeſti erant, ut nonnulli ex Chriſtianis a perſecutoribus afflicti ad illorum ritum declinarent; ſed quibus fides vita charior erat, omnia extrema perpeti malebant, quam gentilitatis erroribus implicari.* In utroque tamen codice, unde hæc deſcripſimus, aliqua ſunt, quæ cum hiſtoria illorum temporum non ſatis cohærent, quæque vel corrigi, vel aliqua interpretatione adhibita explicari debent; id quod a nobis præſtandum erit, cum ad narrationem rerum per ea tempora geſtarum ventum fuerit. Ad hanc, quam dixi perſecutionem fortaſſe ſpectabat S. Gregorius lib. 1. ep. 43. litteris datis *ad Epiſcopos per Illyricum*, quos hortatur, ac monet, ut Epiſcopos *hoſtilitatis furore* ſuis ſedibus expulſos ac profugos clementer accipiant, eiſque ad victum, & cultum neceſſaria benigne ſuppeditent. Sed, ut quod ſentio, ingenue confitear, ſane vereor, ne Auctor Regni Slavorum ſeriem Regum illo-

Fides & conſtantia Dalmatarum invicta in perſecutione Gothica.

Deſcriptio perſecutionis Gothicæ.

Dalmatæ errore agnito, depulſoque Schiſmaticorum Principe Frontino ſtatim reſipuerunt.

illorum, & Gotthicam illam perſecutionem inde uſq; a partibus Aquilonaribus ultra Danubium, ubi rerum potiebantur, in Dalmatiam per errorem, atque inſcitiam tranſtulerit; id quod cap. 4. §. 2. monuimus, & alio loco accuratius in diſquiſitionem revocabimus. Verum ut falſa ſit & commentitia perſecutio illa, de qua meminit Presbyter Diocleates, non defuit tamen Dalmatis occaſio & ſuæ in Deum ſinceræ fidei probandæ, ac declarandæ, & pro qualibet admiſſa culpa ſchiſmatica Deo Eccleſiæque ſatisfaciendi, ſive ab Gotthis partim Ethnica ſuperſtitione obſtrictis, partim Ariana pravitate imbutis, per quos crebras in Dalmatiam irruptiones temporibus illis factas eſſe accepimus; ſive ab illa Aquilonarium gentium colluvione in Dalmatiam effuſa, quæ Salonæ excidium, & nobiliſſimis civitatibus vaſtitatem attulit; ſive demum a Slavis Deorum inanium cultui deditis, qui cum ſæpe hanc regionem vaſtaſſent, tandem Heraclii Imperatoris conceſſu ſtabiles in ea ſedes ac domicilia collocarunt. Hi omnes cum odio capitali a Chriſtianis & Catholicis diſſiderent, haud dubium eſt, quin multa & acerba pro Chriſto perferendi cauſam occaſionemque Dalmatis præbuerint, quorum fides ac religio quanto acerbioribus conflictata eſt injuriis & calamitatibus, tanto plus eidem & firmitatis & conſtantiæ accreyit. Tantum vero abfuit, ut vicinitas Slavorum, velutique contagio ejus gentis, aliquid impuræ ſuperſtitionis afflaret animis Dalmatarum, ut potius horum honeſta ac pia conſuetudine, Chriſtianiſque moribus, & exemplis manſuefacti Slavi ipſimet, atque exculti inſitam ferociam paullatim deponerent, & ſuave Chriſti jugum volentes libenteſque ſuſciperent. Ita factum eſt, ut ex indigenis adveniſque, quamvis & natura, & lingua, & moribus, & religioſis ante omnia ritibus atque inſtitutis longiſſime inter ſe diſcreparent, unum Chriſti ovile fieret, ac gens utraque legum & Sacramentorum communione in unius Eccleſiæ corpus coaleſceret. Neutros tamen ſeu novos, ſive antiquos Chriſti cultores virtutis exercendæ, fideique probandæ materiam deſiderare paſſi ſunt reliqui Slavi, qui avitam ſuperſtitionem, inſitumque adverſus Chriſtianos odium uſque ad nonum æræ Chriſtianæ ſæculum retinuerunt, dictique ſunt ex eo Pagani, ut ait Conſtantinus Porphyrogenitus, quod baptiſmi expertes eſſent, itemque ab Regione, quam occuparant inter Cetinam & Orontium, ſive Tilurum & Naronem, Arentanos appellatos ferunt.

Hæc perſecutio Gotthica non ſatisfecit.

Chriſtiani in Dalmatia vexati a Gotthis, ab Avaribus, & præſertim a Slavis;

Sæculo decimo tertio ineunte Albigenſes, veterum Manichæorum execranda propago, Boſſinam Dalmatiæ finitimam nefariis opinionibus ac flagitiis infecerant; & propius nihil eſt factum, quam ut peſtis illa in Dalmatiam pervaderet; ſed omnes aditus diligenter obſepſit tum ſolertia & vigilantia Bernardi Archiepiſcopi Salonitani; tum mira & egregia illius gentis conſpiratio ad veterem tuendam integritatem morum ac fidei, a qua ut omnem labem averterent, flagitioſam illam impurorum hominum colluvionem Boſnenſium montium anguſtiis incluſam intentiſſima cuſtodia adhibita tenuerunt. Sed quam eſſent Dalmatæ & antiquæ incorruptæque fidei tenaces, & novarum ac peſtilentium opinionum oſores, plane & perſpicue cognitum eſt ſæculo decimo ſexto, cum Lutherana, & Calviniana lues longe lateque per omnes Septemtrionales regiones diffuſa, quamvis prope ab Dalmatia ingentes animarum ſtrages ederet, nullos tamen aditus invenit, per quos ad hanc provinciam labefactandam irreperet. Non defuere quidem in Dalmatia Lutheri impii ſectatores quidam occulti, qui per ambages identidem pernicioſa dogmata in vulgus ſpargerent, ac miris artibus rudes ac ſimplices homines a recta in Deum fide, atque Eccleſiæ gremio abducere conarentur: e quorum numero, haud doctrina, & ingenio, quam perfidia & impietate clariores extiterunt Jacobus Spalatenſis, & Matthias Flaccius celebris in primis Hereſiarcha, aliique pauci, non modo Lutherana tabe ipſimet infecti, verum etiam mire cupidi ejuſdem inter ſuos populares vulgandæ ac diſſeminandæ. Sed horum fraus atque impietas ſimul detecta eſt, & omnium execrationibus ac maledictis exploſa, qui cum omnium in ſe odium, juſtamque indignationem ſuſtinere non poſſent, voluntarium ſibi exilium conſciverunt. Sæculo proximo ineunte M. Antonius de Dominis nobilis Hereſiarcha obrepſerat ad ſedem Spalatenſem ſimulatione pietatis, & commendatione inſignis doctrinæ. Ex illo editiſſimo dignitatis eccleſiaſticæ faſtigio cœpit paullatim eas opiniones hominum mentibus inſtillare, quibus ſenſim ad pravitatem hæreticam induci poſſent, Eccleſiæ inſtituta ritusque in contemptum adducere, de auctoritate Romani Pontificis detrahere, callidoque uſus artificio id maxime conari, ut totius eccleſiaſticæ Hierarchiæ formam ac ſtatum convelleret. Nec vero Spalatenſes ac Dalmatas veræ pietatis ſtudioſiſſimos & antiquæ diſciplinæ tenaciſſimos diu fallere potuit Paſtoris improbi & fraudolenti malitia, latenſque ſub ovis pelle rapacitas, nec prius deprehenſa quam rejecta eſt. Itaque licet genere, doctrina, dignitate vel plurimum auctoritatis ſibi apud ſuos conciliaſſet, ne unum quidem e ſuis ſive amicis, ſive affinibus, ſive civibus a religione, eccleſiæque ſinu abſtrahere potuit, quin adeo in omnium offenſionem atque odium incurrit, ut iram furoremque popularem clandeſtina fuga ſibi prævertendum ratus, in Angliam uſque confugerit, ubi religionis ac virtutis larva depoſita, palam fidei & Eccleſiæ bellum indixit. Tam ſingulare enim ac fervens apud Dalmatas extitit, ſemperq; viguit ſtudium orthodoxæ, ac ſinceræ fidei retinendæ propugnandæque, ut ſimulatque increbuit ſuſpicio alicujus hæreſeos, omnes illico ad eam vel arcendam, vel exterminandam præclara conſenſione judiciorum ac voluntatum conſpiraverint.

quorum poſtremi pia Dalmatarum conſuetudine ad Chriſtianam religionem traducti.

Dalmatæ ab omni Albigenſium impuritate immunes.

Egregie pugnarunt adverſus Lutheri & Calvini hæreſes.

Nec vero minor extitit adverſus Eccleſiam Romanam Sedemque Apoſtolicam Dalmatarum obſervantia, atque obedientia, quam fides erga Deum ac religio; quæ duæ res adeo ſunt conjunctæ, ut neutra ſine altera conſiſtere poſſit. Ut enim non ignorant ſe ab ea Eccleſia, quæ cæterorum omnium mater ac magiſtra eſt, recte pieque vivendi leges, primumque ordinarium ac ſtabilem Epiſcopum, a quo regi, & quæ ſibi credenda, quæque facienda eſſent, cognoſcere accuratius poſſent, per B. Petrum accepiſſe; ex eoque fonte Chriſtianam doctrinam & inſtitutionem hauſiſſe, unde nihil non purum & incorruptum hauriri poteſt; ita illud etiam intelligunt, ſe peculiari quodam conjunctionis, fidelitatis, & obſequii vinculo Eccleſiæ eidem obſtrictos eſſe, *ad quam*, ut ſcripſit Irenæus lib. 3. adv. hær. *propter potentiorem principatum neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam; in qua ſemper conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Et vero Dalmatis ſemper cum ſummis totius Eccleſiæ Hierarchis ſingularis quædam conjunctio interceſſit, perpetuis mutuiſque inter utroſque officiis confirmata, ut hi quidem erga illos nihil paternæ curæ charitatiſque prætermiſerint, illi viciſſim ſe his filios morigeros obſequenteſque præbuerint. Nam primum quidem Romani Pontifices, cum

Dalmatarum erga ſedem Apoſtolicam fides & obſervantia.

cæ-

Digitized by Google

Romanorū Pontificū in Dalmatas benevolentia ac beneficentia.

ceteras Illyrici ecclesias variis Primatibus, sive Apostolicæ sedis Vicariis subjecerint, ecclesiam Dalmaticam horum omnium jurisdictione exemptam in sua potestate retinuerunt, sic omnino, ut antequam Spalatensis Archiepiscopus jus titulumque Primatis obtineret, nullum alium, præter Romanum Pontificem, Primatem agnosceret, a nullo alio jura & leges acciperet; nemoque alius Episcopos Salonitanos, primum Metropolitas, deinde etiam Primates Dalmatiæ, aut consecrandi, aut ad concilia convocandi jus haberet. Et cum omnium Ecclesiarum sollicitudo ad sedem Romanam confluat, in eamque unam incumbat, tamen in tanta curarum, & negotiorum mole, numquam Romani Pontifices partem aliquam curæ, & cogitationis suæ adjuendam, instruendam, ornandamque ecclesiam Dalmaticam derivare, & litteras Pontificias, & Legatos Apostolicos mittere intermiserunt; id quod ex variis hujus historiæ locis intelligi poterit. Nullum vero reverentiæ, obsequii, cultusque debiti officium erga ecclesiam Romanam desiderari potest, quod Episcopi, Clerus, populusque Dalmatiæ non præstiterint. Nam & sanctissima Pontificum scita, quæ vel ad fidem, vel ad disciplinam pertinerent, & Legatos ab urbe missos, qui provinciam ac diœceses lustrarent, subortasque controversias dirimerent, qua dignum erat, veneratione, atque obedientia excepit ecclesia Dalmatica; quin etiam ad se ut mitterentur, ultro ipsa sæpe postulavit. Si quid vero esset, aut de quo dubitaretur, aut unde aliquid periculi ingrueret, quod decernere per se ipsa, vel discutere nequiret, more majorum confugere ad sedem Apostolicam consuevit, quæ sibi & lucem in rebus dubiis, & præsidium rebus afflictis, vel in aliquod discrimen adductis afferret.

Dalmatarum adversus Romanos Pontifices obsequium ac reverentia.

Cæterum incredibile dictu est, quantum operæ industriæque adhibuerint Patriarchæ Constantinopolitani præsertim post Photianum schisma, ut quemadmodum pleraſque Illyricas Ecclesias avulserant, sic Dalmaticam quoque ab jurisdictione Patriarchæ Romani divellerent. Ac semel quidem, quod optabant, perficiundi mira opportunitas adfuit. Basilius Macedo, is qui post obitum Ignatii Photium in sedem Patriarchalem restituit, classe in sinum Adriaticum immissa, Saracenos navali prælio vicit, Ragusium obsidione exemit, Dalmatiam omnem barbarico illo metu ac periculo liberavit. Tum Basilius, ex ea victoria rei bene gerendæ opportunitatem nactus, Photio instigante, Dalmatas tam singulari beneficio devinctos, ingentibus insuper promissis illectos facile perpulit, ut se in fidem traderent ditionemque Patriarchæ Constantinopolitani. Itaque Georgius Spalatensis Archiepiscopus cæterique Dalmatiæ Episcopi & Optimates, ut morem gererent Basilio publicæ salutis vindici, ejusque contra Barbaros auxilium sibi conciliarent, necessitate potius, quam voluntate ad Constantinopolitanum a Romano Patriarcha deficiunt, salvo tamen & indissoluto communis obedientiæ vinculo, quo universa Ecclesia cum summo totius orbis Christiani Pontifice colligatur. Sed brevis admodum fuit hæc Dalmaticæ ecclesiæ ab Romano Patriarchatu distractio. Nam Sergio haud multo post rebus humanis exempto, Joannes VIII. Pontifex Maximus ad Clericos Salonitanos litteras gravissimas dedit, quibus suæ illos defectionis arguit, hortatur ac monet, ut Patriarchali Romanæ sedis auctoritati, unde Græcorum fraude ac dolo subducti fuerant, sese iterum subjiciant, neu patiantur Marinum electum Archiepiscopum Spalatensem aliunde, quam a sede Apostolica consecrationem petere, palliumve accipere: sibi curæ futurum, nequid molestiæ illis ob eam causam Græci exhibeant. In eamdem sententiam scripsit ad Vitalem Jadrensem, Dominicum Absorensem, cæterosque Dalmatiæ Episcopos; & litteras utrasque ad eos perferendas dedit Joanni Presbytero, quem ad Michaelem Regem Bulgarorum de Bulgaris ad gremium Ecclesiæ Romanæ revocandis Legatum misit. Hisce litteris prompte & alacri animo Episcopi, Clerus, populusque obtemperarunt; & Dalmatia universa ad pristinam erga Patriarcham Romanum observantiam se retulit; & Marinus more majorum ex auctoritate Joannis Pontificis consecratur, ab eoque Pallium accipit. Postea vero, cum Imperatores & Patriarchæ Constantinopolitani paullatim omnes Illyrici Orientalis Ecclesias ab Romano Patriarchatu distraxerint, Dalmatica nullis Græcorum seu fraudibus, seu minis, seu pollicitationibus adduci potuit, ut de nexu illo peculiaris fidei atque obedientiæ, quo, inde usque a principio Christiani nominis, adstricta est Romanæ Ecclesiæ, aliquid remitteret, aut relaxaret. Exinde autem ad hanc usque diem tanta extitit Dalmatarum erga sedem Apostolicam fides, tam singulare studium, tam egregia addictaque voluntas, ut brevem illam temporum illorum defectionem, perpetuo constantique obsequio, omnique adversus Ecclesiam Romanam officiorum genere compensaverint.

Illyrico Orientali ab Romana sede avulso Dalmatia in hujus ditione perpetuo manet.

Cum recta in Deum fide summum erga res divinas studium, propensamq; ad omnia religionis officia voluntatem Dalmatæ conjungunt. Nam ad splendorem ac dignitatem divini cultus quod attinet, nihil sane est, in quo Dalmatæ ab cæteris Christianis nationibus superari videantur; id quod declarat multitudo, magnificentia, ornatusque templorum, ac procuratio rerum divinarum, quam summa majores nostri religione confici cæremoniaque voluerunt, rite ac diligentissime peragi solita; ecclesiasticorum Ordinum, qui sacris solemnibus adesse ac ministrare solent, soleis & accurata descriptio; multa in urbibus oppidisque Cœnobia sacrarum mulierum & religiosorum hominum statis quotidie horis laudes Deo hymnosque canentium; quorum vel exemplis, vel hortationibus miro Christianæ pietatis ardore populus incenditur. Non est autem credibile, quam bene animo affecti sint Dalmatæ erga personas & functiones ecclesiasticas, propensique ad omnia, quæ ad Dei cultum, Cælitumque honorem referuntur. Festos ac solemnes dies rite sancteque concelebrant; Sacras ædes non minus religiose quam sedulo frequentant, divinisque mysteriis interfunt tam intento animo, pioque, ut religio intimis concepta sensibus, e vultu totoque corpore ad modestiam & venerationem composito emineat. Erga Episcopos, inferioriſque gradus Præpositos ecclesiarum summam adhibent reverentiam; eorumque monita ac præcepta, non secus ac si essent divina oracula, excipiunt; secundum Deum, augustissimam Dei matrem, ac Cœlites omnes, sed in primis Tutelares Dalmatiæ præcipuo cultu venerantur; ædes in eorum honorem Deo dicatas, præsertim ubi eorumdem vel aliquæ asservantur reliquiæ, vel integra conduntur corpora, & caste adeunt, & muneribus colunt, & in periculis rebusque asperis ac perditis cælestem sibi opem,

Dalmatæ ad omnia pietatis ac religionis officia mire propensi.

Conatus Patriarcharum Constantinopol. ut Dalmatiæ ab Romano Pontifice disjungerent.

Digitized by Google

Divorum meritis ac precibus apud Deum interpositis, suppliciter implorant. Et cordi esse Deo, acceptamque hanc singularem Dalmatarum erga res divinas affectionem, studiumque Numinis colendi, ac debitos Superis honores impertiendi, ex eo percipi licet, quod non pauca sint in hac regione sanctuaria antiqua veneratione, & multis illustribusque miraculis inclyta, in quibus sane Deus, Divique miro quodam modo præsentiam suam declarant, promptamque operam sive ad pericula avertenda, sive ad beneficia obtinenda hominum generi divinitus collatam; id quod tabellæ votivæ parietibus affixæ testantur. Quocirca hæc potissimum loca, quibus vel sacræ Divorum exuviæ, vel Christi Domini, vel Deiparæ Virginis effigies thaumaturgicæ summam sanctitatem conciliant, ab advenis juxta incolisque eximia religione & frequentia celebrantur; præsertim cum crebra & præclara cujusque generis miracula ad eorum venerationem homines alliciant. Hæc autem, qua Dalmatarum animi imbuti sunt, antiqua & constans pietas, ac religio, secundum Deum attribuenda est præclaris illis legibus, quas de statis ac solemnibus cæremoniis, de festis diebus, de cultu templorum, de mysteriis divinis rite obeundis, sæpe condiderunt Episcopi in conventibus ecclesiasticis. Fuit enim in ecclesia Dalmatica vetus, & numquam intermissa consuetudo cogendi Nationales, Provinciales, Diœcesanas Synodos, non solum ad sanciendam ecclesiæ disciplinam, & Cleri populique mores ad veterem sanctimoniam revocandos, sed etiam ad ea præscribenda & constituenda, quæ ad incrementum & dignitatem cultus divini, atque ad omnia religionis officia, qua dignum est, cura & sedulitate exsequenda pertinerent.

Templa religiosa & miraculis inclyta.

Frequens olim in Dalmatia usus Synodorum cogendarum.

Illud autem permirum mihi videri solet, quod cum Dalmatæ cingantur omni propemodum ex parte heterodoxis gentibus, & partim ab ecclesiæ communione dissociatis ac diremptis, partim apertis & capitalibus Christiani nominis hostibus; in medio tamen Nationis pravæ tanta vigeat religio, pietasque efflorescat, quanta maxima vel in hac nostra Italia, idest in intimo Ecclesiæ Catholicæ sinu desiderari posset. Sed alterum illud longe mirabilius est, quod non ita multi sint in ea regione operarii Evangelici, ac verbi divini Præcones, qui populum divinis præceptis ac mysteriis erudiant, atque ad omne Christiani officii munus instruant; quod si ad præclaram indolem religionis Dalmatarum animis divinitus impressam accuratior institutio & doctrina accederet, & multo uberiores Christianæ pietatis fructus ederent, & longe majores in omnibus virtutibus Christiano homine dignis progressus facerent. Et quamvis in urbibus oppidisque præsertim maritimis non desint, qui cives & oppidanos excolant, eosque ad studium pietatis Christianæque vitæ instituant, in pagis tamen vicisque, præsertim mediterraneis & alpinis, magna operariorum penuria laboratur; quæ quidem in loca illud Evangelicum optime quadrat: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*. Homines quippe illi, quamvis rudes & agrestes, sunt tamen tum res divinas discendi percupidi, tum ad disciplinam bene pieque vivendi mira docilitate præditi; & si ab recto tramite declinant, non tam voluntate, & malitia, quam insciția & errore aberrant. Quare cum illarum gentium animi & parati sint ad doctrinę Evangelicæ semen excipiendum, & uberes spondeant fructus, nisi deessent, qui solum illud excolerent, divinique verbi sementem sererent, copiosa enim vero indidem messis colligi inferrique in horreum Dominicum posset. Atque in aliis sane regionibus tanta est Evangelicorum operariorum copia, ut cum multorum opera ibidem non sit necessaria, recte in eos illud convenire posse videatur; *quid hic statis tota die otiosi?* Ex his porro si qui sunt, qui divini cultus propagandi, æternæque procurandæ hominum salutis desiderio flagrant, habent sane, ubi præclaram istam sitim & cupiditatem explere queant. His enim Dalmatia ingentem aperit campum, in quo excurrere egregia illa in Deum & proximos charitas, exercerique possit. Ut autem hæc loca aditu & peragratu sint ardua ac difficilia, multisque incommodis obsepta, & sæpe opportunis ad victum cultumque subsidiis destituta; operæ tamen quamvis laboriosæ in illis excolendis positæ utilitas, divinæ gloriæ amplificatio, multorum mortalium propter insciţiam Christianæ institutionis ac doctrinæ pereuntium salus, omnium laborum ac difficultatum magnitudinem abunde compensabit: & quæ cum lacrymis viri Apostolici seminaverint, cum gaudio metent; uberrimique animorum fructus indidem percepti tum omnem præteriti doloris incommodique sensum extinguent, tum vero Evangelicos satores incredibili lætitia perfundent, ac *venientes venient cum exsultatione portantes manipulos suos*.

CAPUT VII.

De insulis Illyrici maritimi, sive Dalmatiæ hodiernæ.

INsularum Illyrico seu Dalmatico littori objacentium tanta est multitudo, ut Plinius haud sane indiligens rerum & locorum investigator eas plus mille esse scripserit, modicis fretis euripisque discretas: *Illyrici ora*, inquit lib. 3. cap. 26. *mille amplius insulis frequentatur, natura vadoso mari, æstuariisque, tenui alveo intercursantibus*. Haud equidem ignoro fuisse nonnullos, qui Plinium reprehenderent, quod in ea computatione, verisimilitudinis etiam, non solum veritatis fines transilierit. Non desunt tamen permulti præclari in Geographia ac nobiles, qui eodem, ac Plinius, numero insulas Illyricas definiunt. Adde Plinium, cum hæc scriberet, eo spectasse, ut ingentem earum multitudinem significaret, non secus ac facere soleant ii, qui cum rerum prope innumerabilium summam colligere nequeant, illas juxta morem loquendi satis usitatum, plures esse dicunt certo eo ac definito numero, quamvis magno, quem ipsi pro arbitrio constituunt. Præterea si vulgares etiam ignotique nominis scopulos, ac præsertim eos, qui passim ab Auctoribus exiguarum insularum appellatione donantur, Dalmaticis insulis annumerare volueris, profecto eam inde summam conficies, quæ mille insularum numerum facile excedat. Utcumque res se habeat, satis constat insulas Illyricis littoribus objectas esse quamplurimas, vix ut alia sit intra ostium Oceani ora maritima, quæ pluribus insulis frequentetur. Hęc tanta insularum multitudo mirum quam opportuna sit navigationi Adriaticæ, quippe cum ab naufragiis tutum præstet maritimum iter. Nam eos, qui navigant præter oram Illyricam, insulæ objectæ protegunt, & quasi quidam aggeres ac moles oppositæ fluctibus ac procellis, omnem maris tempestatumque vim arcent, sic ut navigia etiam justæ magnitudinis totum quam longum est

Insularum Dalmatiæ multitudo, opportunitas, & commoditas.

Adria-

Portuum frequentia.

Adriaticum fretum, interiore hac navigatione, citra periculum naufragii percurrere ultra citroque possint. Id animadverterat, & scriptum reliquit Constantinus Porphyrogenitus de Admin. Imp. cap. 29. *Insulæ parvæ sunt Dalmatiæ subjacentes usque Beneventum frequentes, plurimaque; ita ut tempestatem illic naves non timeant.* Si quod vero a piratis ex nacopinato periculum ingruat, ubivis invenies, quo te recipias; hæ siquidem insulæ onerariis & navibus cujusque generis receptum ad declinandos lembos piraticos tutissimum præbent. Ad hæc: navigationem Illyricam tot insulæ tamque frequentes maxime portuosam efficiunt; ubique enim se aperiunt & offerunt portus, in quibus fessi ab itinere nautæ vectoresque conquiescant, ac sibi contra maris hostiumque assultus perfugium parent. Ex his autem portubus aliqui sunt vel integris classibus excipiendis idonei, & natura manuque egregie muniti, quos nullus hostilium navium impetus, nulla maris insanientis violentia perrumpere valeat: quod contra accidit in altero superi maris latere, huic e regione posito, ubi mira insularum paucitas portuum opportunitatem & frequentiam adimit. *Universus igitur ora Illyricæ cursus maritimus*, ejebat Strabo, *optimos habet portus.*

Mare insulis circumfluum piscibus scatet.

Id præterea utilitatis afferunt tot insulæ modico inter se spatio disjunctæ, ut Illyricum mare sit piscium apprime ferax, & Scardiniis præsertim ac Thynnis abundet, aliisque id genus piscibus, qui scopulos amant, & vadosis locis delectantur. Hinc videlicet habent insulares illi, unde sibi facilem victum sumptu vel minimo parent, suasque alant familias; & cum vulgares pisces ad tenuiorum mensas, tum etiam exquisiti & quam optimi, vili admodum pretio coempti, ad lautiora divitum convivia suppetunt.

Insularum series ac varietas ad aspectum pulcherrima.

Neque hic prætereundam censeo pulcherrimam illam speciem, (nam ea quoque scriptorum haud ignobilium litteris celebrari solet) quam admirabilis hæc continuatio serieſque insularum exhibet prospectum in eas ex loco superiori captantibus. Jacent illæ ab Occasu in orientem Solem longissimo tractu porrectæ; aliæ propius, aliæ longius inter se, & a continenti distantes. Magnitudo earum varia; minores majoribus interjacent, angustis euripis disjunctæ. Alibi excelsæ, & undique abscissæ rupes, quarum summa in acutum cacumen a fundo satis lato fastigiantur; alibi colles partim difficili, partim molli clivo assurgunt, quibus arces & castella insident, quæ & situ sunt communito, & ex omni aditu, vel terra vel mari, præclaro ad aspectum; alibi lata & diffusa planities extenditur oppidis ac vicis frequentibus habitata. Multa quidem inculta sunt atque horrida; sed pleraque sationibus atque arboribus læta, & cultus amænitate virentia; ut qui hanc tam variam tamque multiplicem rerum seriem, & quodam veluti nexu continuatam intuentur, nihil esse putent nec visu jucundius, nec specie admirabilius. Hinc efficitur, ut hæ insulæ jucundam etiam, non tutam solum præstent Adriaticam navigationem; ut enim aliæ subinde atque aliæ in conspectum se dant Illyricam oram, easque prætereuntibus, vectorum oculos animosque ad se convertunt; & nova identidem rerum specie oblata, eos jucundissime, ac sine satietate detinent, maritimo itineri tædium adimunt, navigationis diuturnæ molestias atque incommoda imminuunt; sic ut multiplici hac rerum varietate semper ante oculos obversante, totus Adriaticus cursus, sine ullo fastidii ac laboris sensu peragi & confici possit.

Schymnus Chius in descriptione oræ maritimæ ab Holstenio in Latinum conversa, insulas Illyricas tripartito divisit, partesque singulas proprio distinctas vocabulo tribus hisce versiculis complectitur.

Insularum divisio tripartita.

Ibi insulas similes Cycladibus obtinet (mare Adriaticum)
Quarum quidem alias nuncupant Apsyrtides,
Electridasque, sed alias Liburnidas.

Strabo autem divisit Illyricum maritimum sive Dalmatiam hodiernam in partes tres, quarum una est Japydia, quam Tedanio, altera est Liburnia, quam Titio flumine Plinius definivit; tertia Dalmatia, quæ ad Drilonem usque protenditur. Ad normam ac similitudinem tripartitæ hujus Straboniana divisionis, insulas quoque Illyricas tres itidem in partes satis commode distribui posse arbitror; & posthabitis duobus illis prioribus vocabulis Schymnianis nimium antiquis & obsoletis, quæ Japodum ora objacent, eas *Japydicas*, quæ Liburnorum littora prætexunt, eas *Liburnicas*; quæ demum præter oram Dalmatiæ sitæ sunt, porrectæque in Orientem, eas *Dalmaticas* appellandas esse duximus, communi cæteroquin omnibus vocabulo; nam ut Japydia & Liburnia, sic insulæ Japydicæ & Liburnicæ nunc universali Dalmatiæ nomine comprehenduntur. Nemo veterum scriptorum insulas Illyricas omnes omnino percensuit, sed alii plures, alii pauciores nominant, & alii alias prætermittunt; nec vero iisdem easdem vocabulis afficiunt; sed mira est varietas nominum, quibus pleræque harum insularum donari solent; & cum vetera ab hodiernis vocabulis longe discrepent, hæc cum illis conferre, & quod cuique respondeat, explicare haud facile & expeditum est. Præterea non eadem est apud omnes ratio ordinis, & disponendarum insularum; quippe quas alii præponunt, eas alii postponunt. Itaque nomina cum nominibus, antiqua cum recentioribus componere, veterum opiniones inter se discrepantes conciliare, vel rationes afferre, cur aliæ aliis præferendæ sint, insulas ab illis prætermissas superaddere, & suo quasque loco statuere conabimur. Id antequam præstare aggrediar, de insulis Illyricis quæ antiqui Geographi scripserunt, ea in unum locum collecta Lectorum oculis subjicienda censeo, ut uno intuitu videre possint, ubi inter se vel dissideant, vel consentiant.

Insulæ Japydicæ, Liburnicæ, Dalmaticæ.

De insulis Illyricis qui antiqui Geographi, quasque scripserint.

Scylax Caryandensis Illyrico littori has insulas apposuit: *Insulæ autem huic regioni* (Japydum ac Liburnorum) *objacent, quarum nomina recensere possum; sunt enim & aliæ multæ absque nomine; Absyrtis insula stadiorum 310, lata autem 120; Electrides, Istria, Mentorides . . . . Sunt autem hoc in loco* (in sinu Manio) *Insulæ Proteras, Cratia, Olyntha* II. *Stadiorum intervallo, haud paullo majore inter se dissitæ juxta Pharum, & Issam; hic enim nova Pharus jacet insula Græca, atque Issa insula, & hæc Græca oppida. Antequam vero ad Naronem fluvium perveneris, ampla regio in mare provenit, atque insula littori vicina, nomine Melita, tum alia huic vicina, quæ Corcyra nigra vocatur.*

Schymnus præter Issam & Pharum, nullas speciatim nominat.

Dionysius Alexandrinus Absyrtides, quarum immensum ait esse tractum, & Liburnicas generatim commemorat. Strabo lib. 7. *Juxta totam quam explicavi oram* (Iapydiæ) *insulæ sunt Absyrtides, ubi Medea dicitur fratrem suum Absyrtum interfecisse, qui ipsam persequebatur. Deinceps est Cyraftica pone Japodes. Sequuntur Liburnicæ numero qua-*

quadraginta; tum alia, notiſſima autem Iſſa, Tragurium ab Iſſenſibus conditum. Pharus, quæ olim Parus, Parianorum colonia, patria Demetrii Pharii .... His (Plerçis) propinqua eſt Melæna inſula Corcyra appellata, & urbs a Crediis condita.

Pomponius Mela lib. 2. cap. 7. *In Adria Abſoros, Celaduſæ, Abſyrtis, Iſſa, Truncones, Hidria, Electrides, Nigra Corcyra, Tragurium.*

Plinius lib. 3. cap. 21. Inſulares populi *Fulfinates & Curiſſa .... Inſulæ ejus ſinus Abſyrtium, Arba, Tragurium, Iſſa, Pharias Paros ante dictæ, Creſca, Giſſa, Portunata ... Colentum.* Et cap. 22. ad Salonitanum Conventum adſcribit *Iſſæos, Colentinos, Separos, Epetinos.* Et cap. 26. *Illyrici ora mille amplius inſulis frequentatur, natura vadoſo mari æſtuariiſque tenui alveo intercurſantibus ...., Abſyrtides Grajis dictæ a fratre Medeæ ibi interfecto Abſyrto. Juxta eas Electridas vocavere, in quibus proveniret ſuccinum, quod illi electrum appellant, vanitatis Græcæ certiſſimum argumentum: adeo ut quas earum deſignent, haud unquam conſtiterit. Contra Jader eſt Liſſa, quæque appellatæ. Contra Liburnos Cretæ aliquot, nec pauciores Liburnicæ, Celaduſſæ. Contra Tragurium Bavo, & capris laudata Brattia: Iſſa Civium Romanorum, & cum oppido Pharia. Ab his Corcyra, Melæna cognominata, cum Gnidiorum oppido diſtat XXV. m. paſſuum, inter quam & Illyricum Melita, unde catulos Melitæos appellari Callimachus auctor eſt: XV. millia paſſuum ab ea tres Elaphites.*

Ptolemæus lib. 2. cap. 17. *Inſulæ autem adjacent Liburniæ Abſorus, in qua civitates duæ Crepſa, & Abſorrus; Curiſſa, in qua civitates duæ Fulfinium, Curicum; & Scarduna inſula, in qua civitates duæ Arba & Colentum; Inſulæ vero adjacent Dalmatiæ Iſſa inſula & civitas, Tragurium inſula & civitas, Corcyra nigra, Melitine.*

Antoninus, ſive Auctor itinerarii Maritimi: *Inſulæ Apſoros, Brattia, Iſſa, Liſſa, Corcyra, Melta.*

Tabula Peutingeriana has inſulas littori Illyrico appoſuit *Curicam, Enkronim, Pamodon, Siſſam, Aruam, Boam, Iſſam, Solentium, Brattiam, Phariam, Taurim, Corcyram, Meletam, Jadeſtrim*, & paucas anonymas.

Nec vero hic mihi tantum ſumo, ut omnes Illyricas inſulas ſingillatim enumerem, quod propemodum infinitum eſſet. Præcipuas recenſebo, eaſque eatenus deſcribendo perſequar, quatenus operæ pretium eſſe duxerim. Reliquas vulgares, & nullius aut obſcuri nominis, vel leviter attingam, vel ut brevitati ac tempori conſulam, omnino prætermittam.

§. I.

De inſulis Japydicis.

Sinus Flanaticus.

Inſulæ Abſyrtidæ duæ.

INſulæ omnes Sinus Flanatici cum pertineant ad Japydiam, ab hac regione Japydicas denominandas eſſe cenſuimus. Hic ſinus, inter Iſtriam ab Occaſu & oram Liburniam in Meridiem deflexam ab Oriente, Japydiam maritimam alluit. Eum Plinius a Flanatibus accolis *Flanaticum*, Pomponius Mela ab urbe Pola *Polaticum*, Stephanus a Flanona urbe *Flanonicum* appellant; vulgo *Quarnerum* ſive Carnerum dicunt, quaſi *Carnivorum*, ut Ortelius interpretatur, *ob frequentia fortaſſis in eo naufragia*. In hoc ſinu inſulas Abſyrtides, ſive Apſyrtides conſtituunt veteres omnes Geographi. Sed de illarum numero aliqua eſt inter illos controverſia. Scylax *Abſyrtim*, Plinius *Abſyrtium*, Ptolemæus *Abſorum* ſive *Apſorum* vocant, & unicam ſtatuunt. Pomponius Mela duas videtur agnoviſſe *Abſorum* & *Abſyrtim*. Schymnus, Apollodorus, Strabo, & Plinius etiam capite poſtremo libri tertii, nullo eas numero definiunt. Dionyſius Afer, ſive Alexandrinus, cum *Abſyrti inſularum immenſum tractum* apparere ſcribit, omnes omnino inſulas Sinus Flanatici, quæ & multæ ſunt, & ſane ingentem maris tractum occupant, ab ea, quæ omnium princeps erat, Abſyrtides cognominandas cenſuit. Ego vero cum Pomponio Mela duas fuiſſe exiſtimo Abſyrtim & Abſorum; hanc *Oſerum*, illam *Cherſum* hodie appellant; cum autem perexiguum fretum alteram ab altera ſegreget, & poſteritas utramque ponte impoſito conjunxerit, ac perviam utrinque fecerit, aliquibus ſcriptoribus una omnino inſula viſa eſt, quam vel Abſyrtim, vel Abſorum nuncupant. Cæterum Plinius duas ibidem inſulas diſtinxit, quarum alteri *Abſyrtio*, alteri *Creſcæ* nomen fuerit. Has fuiſſe arbitror geminas illas *Brygeidas* Apollonii; in quarum una ſepſus cum eſſet ac ſepultus Abſyrtus frater Medeæ, utrique ab ſe nomen dedit; exinde poſthabito antiquo Brygeidum vocabulo, altera Abſorus, altera Abſyrtis appellari cœpit. Rem narrat Apollonius in Argonauticis. Jaſon Colchica expeditione perfunctus, & Medea Æetæ Regis Colchorum filia cum aureo vellere avecta, partim fluviatili navigatione, partim terreſtri itinere ad mare Adriaticum pervenerat, & inſtructis paratiſque navibus reditum in Græciam cogitabat; haud longe ab Iſtria provectus incidit in claſſem Colchorum, quam Rex Æeta Abſyrto filio tradiderat ad inſequendos Argonautas & Medeam repetendam. Claſſis utriuſque congreſſum Apollonius conſtituit prope *Geminas Dianæ Brygeidas in propinquo inſulas, quarum quidem in altera ſacrum erat templum.* Utraque conſecrata erat Dianę, in quo diſſentit Hyginus, qui pro Diana Minervam ſubſtituit; ſed in altera fanum erat Dianæ, quod ab advenis juxta indigeniſque eximia veneratione colebatur. In hac autem cæſum Abſyrtum, & ſepulturæ traditum Apollonius perhibet. Nam vix Argonautæ Brygeidas inſulas præterierant, cum ecce tibi Colchorum claſſis in conſpectum venit. In eo res erat, ut neutrobi prælium declinari poſſet; Colchi autem & navium & militum numero Argonautis longe præſtabant. Itaque Jaſon ſatius eſſe duxit qualibet dummodo tolerabili conditione cum hoſtibus tranſigere, quam ſe ſuoſque iniquo & periculoſo certamini committere. Quare internuntiis ultro citroque miſſis, & acceptis, inter utroſque ita convenit, ut Medeam, cujus cauſa potiſſimum Colchi eam expeditionem ſuſceperant, Jaſon in proxima inſula apud Dianam deponeret: Judex interea de utriuſque partis ſententia deligeretur, qui controverſiam dirimeret, ac Medeam vel parenti reddendam, vel Jaſoni relinquendam, vel alio ablegandam eſſe decerneret. Porro Medea cum in templo Dianæ, uti convenerat, depoſita eſſet, fanique Antiſtitę in cuſtodiam tradita, vereri cœpit, ne ad Patrem redire cogeretur, a quo proditionis & fugæ pœnam ſibi ſuſtinendam eſſe haud ignorabat. Ergo Abſyrti fratris perdendi atrox atque immane conſilium iniit cum Jaſone: eo quippe interfecto neminem fore putabat, qui parentis cauſam ageret, & filiam aut bello & armis, aut lite & judicio repeteret. Abſyrtum & Argonautarum muneribus, & blandis pollicitationibus delinitum facile pellexit, ut ſolus atque inermis ad ſe in templum Dianæ nocte concubia ſubreperet. Quem dum mellitis verbis demul-

Jaſonis & Argonautarum in mare Adriaticum advectus.

Abſyrtus Medeæ frater a Jaſone ex inſidiis occiſus.

Digitized by Google

demulcet, eique quid ſui conſilii ſit oſtendit ad fallendos Argonautas, & fugam reditumque in patriam comparandum; repente juvenem incautum, ac nihil tale meruentem, Jaſon ex inſidiis adortus obtruncat; & ne qua ſceleris nefarii ac truculenti veſtigia exſtarent, cæſum ibidem loci condidit, *ubi*, inquit Apollonius, *adhuc jacent oſſa illa inter homines Abſyrteos*. Propior vero eſt hæc narratio, quam altera illa ab Ovidio cæteriſque Poetis conficta, qua tradunt a Medea fratrem occiſum ac diſcerptum; eamdem vero ejus membra in iis locis, qua ſe parens perſequeretur, diſſipaviſſe, ut eorum collectio diſperſa, mœrorque patris celeritatem perſequendi retardaret. Neque ab Apollonio diſſentit Orpheus, niſi quod docet cadaver Abſyrti demerſum, & fluctibus impellentibus alliſum eſſe ad eam inſulam, *quam nunc*, inquit, *Abſyrtida dicunt*. Sunt, qui eædem Abſyrti in Pontum Aſiæ minoris provinciam transferunt; argumento eſſe tum Abſorum oppidum ad mare Euxinum, tum ſepulchrum Abſyrti, quod inibi oſtenditur. Sed in ea regione & urbem nomine Abſyrti appellatam, & tumulum inanem ſeu Cenotaphium, non cædis ibidem factæ, ſed honoris ac memoriæ cauſa poſitum fuiſſe dixerim. Nam Apollonius, Strabo, Plinius, & alii plures Abſyrtum interfectum tradunt apud inſulas maris Adriatici, quæ ab eo Abſyrtidum nomen ſibi adſciverunt.

Ab Abſyrto inſulæ Abſyrtides.

Una igitur Abſyrtidum ea eſt, quam Mela *Abſyrtim*, Plinius *Creſcam*, nunc Cherſum vulgo nominant. Ptolemæus Crepſam non inſulam, ſed inſulæ Abſori oppidum alterum eſſe ſcripſit; e duabus enim unam effecit inſulam, quam Abſorum vocat, eique duas urbes Crepſam, & Abſorrum attribuit. Porro Creſca Pliniana, ſive Cherſus, inſula eſt Sinus Flanatici ab Septemtrione in Meridiem triplo longior, quam latior, Flanatum oræ adjacens, unde non ita lato interjecto mari disjungitur; & millia paſſuum non amplius octoginta circuitu colligit. Regio ferme ſaxis aſpera & montoſa; cœli admodum jucunda ſalubriſque temperies. Sylvis ubique conſita eſt, unde ingens ad comburendum materies ſuppetit, quam ratibus impoſitam magna ex parte Venetiam convehunt. Torrentibus ac fluviis caret; ſed uberrimis fere undique ſcatet fontibus, e quibus (ut reliquos taceam) is, quem Sancti Blaſii vocant a vico ejuſdem nominis, quinto ab urbe Cherſo lapide diſtans, perpetuas aquas emittit, eaſdemque ſaluberrimas. In media fere inſula, aut non multo ſecus, viſitur lacus plenifſimus piſcium. Res pecuaria ſane ampla eſt, & fructuoſa; & oves præſertim magno incolarum emolumento fœtificant. Mellis optimi copiam ingentem inſula ſuppeditat; olivetis, & vineis uſque adeo frequens eſt, ut non mediocrem inde vini oleique numerum commercii cauſa in alias regiones aſportare quotannis ſoleant; ſed frumenti, quod in quatuor menſes indigenis ſufficiat, vix colligitur. In eo latere, quod reſpicit Occaſum, civitas eſt, quam inſulæ vocabulo Cherſum appellant, Crepſam Ptolemæus nuncupavit, ambitu exiguo circumſcripta, operis antiqui mœnibus cincta, & in ſpeciem pentagoni planiſſimo loco explicata; niſi quod, qua ex parte Septemtrioni obvertitur, molli facilique clivo aſſurgit. Cives ad mille & quingentos numerat. Tota fere inſula portuoſa eſt; inter alios inſignis eſt portus, urbi ſubjectus, quem Vallem indigenæ vocant, ubi magno ambitu arcuatum littus excipit oſtio admodum lato ſtagnantes ex alto aquas: is vel ſitus amplitudine, vel ſecuritate ſtationis, navibus & multis, & quantævis magnitudinis excipiendis tuendiſque peridoneus habetur. Vicos habet inſula permultos, ſed exiguos atque infrequentes, ac tantum non deſertos. Duo ſunt caſtella, natura quam arte, munitiora; alterum in angulo ſummo ad Septemtrionem, quod *Capitulum* ſeu *Caput Inſulæ* denominatur; alterum in latere occidentali infra Cherſum ad ſeptem milliaria ſitum, cui nomen eſt Lubenico, & littori ex edito præruptoque monte imminet.

Abſyrtides ſive Creſcæ inſula, ejuſque deſcriptio.

Abſorus, quam Plinius *Abſyrtium*, Porphyrogenitus *Opſaram*, alii *Auxerum*, vulgo *Oſſerum* vocant, inſula eſt Creſcæ ſive Cherſo objacens ad Meridiem, quacum jungitur ponte verſatili, quem ſuſtollunt, ut naves erectis malis atque antennis per anguſtas ſubterfluentis æſtuarii fauces ultro citroque tranſmitti poſſint. Plus dimidio, quam Creſca, minor eſt, & vicis, quam oppidis frequentior. Terra partim expatians in planitiem, partim aſſurgens in colles ac montes, & cæduas ſylvas habet quamplurimas, & uberrima gregibus alendis paſcua ſuppeditat. Quapropter incolæ præcipuos e lignis atque ovibus quæſtus percipiunt. Multos etiam e mari circumfluo proventus capiunt; quippe quod omnigenis piſcibus, ac præſertim Sardiniis & Sgombris abundat, quos, ne putreſcant, ſale aſperſos & conditos in alias regiones aſportant, magno cum quæſtu compendioque. Duo ſunt oppida cognomina; alterum vocant *Loſinium magnum*, quod pro pe a mari ſpectat in Solem orientem; alterum *Loſinium parvum*, in adverſa occidentali regione apud ſinum maritimum, quem tellus brachiis quodammodo arcuatim porrectis circumplectitur. Is inſulæ portus eſt, opportuno in primis & egregio ſitu, qui duplici oſtio navibus quamtumlibet ingentibus ingreſſum aperit, ſtationemque quam tutiſſimam præbet. Civitas totius inſulæ princeps eſt Abſorus, quam Ἄβσορον *Abſorrum* Ptolemæus, nunc Oſſerum vocant. Exigua eſt, ſed optimis mœnibus cincta, & arcis ſuperiori ad Septemtrionem loco impoſitæ præſidio ſatis tuta; & quamvis ultra fretum, quod inſulam utramque dirimit, in extrema alterius regione ſit poſita, ad hanc tamen inſulam pertinet, unde etiam nomen accepit. Quidquid circa urbem agri porrigitur, undique pelago, præterquam a Septemtrione, alluitur. Urbs & regio circumjecta obnoxia eſt Cœlo admodum gravi & inſalubri, ſive quod e crebris æſtuariis terra valde paluſtris eſt, & uliginoſa, atque adeo noxiarum herbarum fertilis; ſive quod mons Abſorus ſive Oſſerus citra fretum e regione poſitus ſalubrioribus ventis ac præſertim meridianis aditum omnem intercludat. Hinc civium mira paucitas, centena capita aut paullo amplius hæc civitas numerat; in ea tamen ſita eſt princeps utriuſque inſulæ eccleſia, hic ædes Cathedralis cum antiquo ac perinſigni Canonicorum Collegio, hic ſedes ac domicilium Epiſcopi, qui tamen ſtatis anni temporibus ad declinandos noxii aeris afflatus inde ſecedit, & alias in urbe Cherſi, alias Loſinii habitat.

Abſorus, olim Auxerum, ſive Abſyrtium, ejuſque deſcriptio.

Civitas Abſorus.

Ædes Cathedralis.

Cherſus civitas.

Vegla, olim Curicta.

Vegla, ſeu Vegia, Japydiæ littori in Meridiem devexo, & Creſcæ inſulæ interjecta, illinc anguſto admodum freto dirimitur; hinc abeſt millia paſſuum circiter novem ad Orientem obverſa. Strabo lib. 7. Cyracticam vocat: Ἰσσαι Κυρακτικαὶ καὶ Ἰάποδες. *Deinceps* (poſt Abſyrtidas) *eſt Cyraſtica pone Japodas*. Ptolemæus *Curiſtam*, & Plinius Curictas inſulares appellant; Porphyrogenitus *Beclam* nuncupat. *Curritanæ*, (aut Curmitanæ, ut ex-

ut exhibet alius codex) meminit Caſſiodorus 7, Variar. quam Ortelius eamdem eſſe, atque Curictam exiſtimat; citatque in hanc ſententiam epiſtolam Bertrandi neſcio cujus, quam Volfangus Lazius evulgavit, indeque hæc verba deſcribit: *Cum autem Noricianus Comes adjuvantibus comitibus Curictanæ Inſulæ, Veglam vocant &c.* Curietam pro Curicta ſcripſit Sabellicus. Palladius, itemque Sabellicus *Vigiliam* vocant. At Vigilia non inſula, ſed civitas longe hinc abeſt, eamque Andreas Dandulus prope ab Æſtuariis Venetis conſtituit, in qua obſeſſus, & captus eſt Obelerius ab Joanne Participatio Duce Venetorum. Uterque errandi occaſionem ſumpſit ex ipſomet Andrea Dandulo, qui ad an. 830. ſcripſit Obelerium *Vigiliæ* apud *Curiclum* & obſeſſum & captum fuiſſe. Putarunt enim *Curiclum* idem eſſe atque *Curicum*, quæ urbs eſt Ptolemaica Inſulæ Curictæ. Sed quod Dandulus Curiclum vocat, alter Chronologus Venetus *Aurialum* appellat, eum Vicum fortaſſe, quem nunc Oriagum dicunt. Porro Vigilia non longe aberat a Metamauco; eamque neuter Chronologus inſulam, ſed urbem uterque nuncupat. Civitates Curictæ omnino duas numerat Ptolemæus, *Fulfinium*, unde Fulfinates Pliniani ad Conventum Scardonitanum adſcripti; & *Curicum*, qua ex urbe in Tabula Peutingeriana hæc inſula *Curica* inſcribitur. Vetus eſt indigenarum opinio, conſtanti fama, ac multorum ſermone celebrata, principem totius inſulæ urbem conditam fuiſſe a Dynaſta quodam, ſeu Regulo, cui nomen erat *Curico*; inde urbem *Curicum*, inſulam *Curictam*, incolas *Curictas* appellatos. His vocabulis jamdiu vetuſtate abolitis, hodie hanc inſulam Vegiam, & Vegliam nuncupant, iiſdemque primiſcue nominibus primaria inſulæ civitas donatur.

Vigilia urbs in æſtuariis Venetorum.

Curicta urbes Fulfinium, & Curicum.

Inſulæ deſcriptio.

Vegla igitur inſula eſt Flanatici ſinus, opima & fertilis, varietate fructuum, magnitudine paſtionis, multitudine rerum, quæ indidem exportantur, & copia, nulli earum inſularum ſecunda. Nemoribus, vineis, olivetis abundat, nec triticum aljaſque fruges deſiderari ſinit. Celebrantur ante omnia, magnoque ſunt in honore ac pretio equi Vegienſes, modico illi quidem brevique corpore, ſed mira ſpiritus alacritate, & forma in primis eleganti, ea vero ungularum firmitate, ac duritie, ut ferreis ſoleis non valde indigeant. Inſula, qua latiſſime patet, haud amplius decem milliarium ſpatio porrigitur, ſed circuitu ad ſexaginta millia complectitur. Colitur omnis ejus pars, & qua vicis, qua oppidis habitatur. Sex circiter hominum millia alere perhibetur. Totius inſulæ caput ac Metropolis urbs eſt ejuſdem, atque inſula, nominis, in latere occidentali fere extremo ad Meridiem, e regione Cherſi, quam Ptolemæus *Curicum*, niſi forte *Fulfinium*, ut videtur Hornio, appellavit. Mille paſſuum ambitu circumſcribitur, & cives numerat prope quingentos. Mari adjacet fere ad Auſtrum converſa, plano in loco & aprico, ſitu peramæno, adituque ad aſpectum præclaro. Portus urbis adeo exiguus eſt, vix ut decem mediocris formæ navigia capiat, eique ad præſidium imminet arx colli prærato impoſita, difficili atque arduo aſcenſu. Primaria ædes Deiparæ Virgini eſt ſacra, Epiſcopali cathedra, & duodecim Canonicorum Collegio inſignis. Prope eſt Epiſcopium, ſive domicilium Epiſcopi Veglenſis, cujus diœceſis latius olim, nunc fere iiſdem, quibus inſula, terminis continetur. Huc e Patritiis Venetis mitti ſolet, qui cum Proviſoris munere ac nomine, urbis inſulæque regimini præficitur, iſque magiſtratus duorum & triginta menſium ſpatio definitur. Alter ex eodem Venetorum ordine arci præpoſitus eſt, qui ſimul Quæſtoris officia ac numera exſequitur. Vicos habet inſula circiter viginti, ferme omnes maritimos. In his quinque ſunt oppida incolarum refertiſſima, *Dobaniza*, *Teſcha*, & *Veſca* vetus in latere occidentali, quibus Vegia civitas interjecta eſt; in altero latere ad Orientem inverſo *Drobinium* & *Verbeniza* contra oram Japydiæ a Borea in Auſtrum deflexam. His adde Caſtrum Muſclum in extremo inſulæ ad Septemtrionem angulo, natura loci egregie munitum, quippe quod ex edito monte, atque undique prærupto eminet: an hoc ſit Fulfinium urbs altera, quam Ptolemæus Curictæ attribuit, mihi non eſt compertum. Suus cuique oppido portus adjacet; qui Caſtro Muſclo ſubeſt in primis celebratur, omnium totius inſulæ ampliſſimus, & centum triremium facile capax. Veglæ ad Meridiem proximus eſt ſcopulus, quem *Præviechium* vocant, non alia re magis, quam cuniculorum copia memorabilis, qui mirum in modum ibidem fœtificant.

Arba circiter quatuor millium intervallo abeſt a Vegia in Meridiem. Subeſt ab Oriente altiſſimis *Morlachæ* montibus, Japydiæ littore, & anguſto euripo intermedio, quem Canalem *Morlachę* appellant. Pagum inſulam fere a Meridie, Cherſum ab Occidente, Vegiam a Septemtrione aſpicit. A Borea in Auſtrum totius inſulæ longitudo millia paſſuum fere ſexdecim porrigitur; latitudo ejus varia; ubi minima eſt, tribus, ubi maxima, ſeptem paſſuum millibus patet. *Arbam* Plinius, *Arbem* Porphyrogenitus, *Arbum* alii vocant. Ptolemæus poſt Curictam, ideſt Veglam, proxime ſtatuit Σκαρδῶναν, Scardunam, in qua, inquit, duo ſunt oppida, *Arba*, & *Colentum*. An Scarduna, cujus meminit Ptolemæus, eadem inſula ſit, quam Plinius Arbam nominat, id apud Scriptores in controverſia eſt. Ajunt Ortelius, Ferrarius, & alii plerique, & confirmant Arberſes, qui tradunt, Colenti alterius urbis, quam Ptolemæus Scardunæ attribuit, extare adhuc veſtigia circa ædem SS. Coſmæ & Damiani, haud contemnendis redditibus inſtructam, & nobili olim Canonicorum Collegio inſignem. Hoc templum totius urbis Colenti princeps fuiſſe autumant: Colentinos deinde Canonicos, urbe diruta, in Capitulum Arbenſis urbis & Eccleſiæ cooptatos fuiſſe ajunt; argumento eſſe, quod Clerus Arbenſis in ſupplicationibus publicis duas præferant Cruces, utriuſque ſcilicet Capituli Arbenſis & Colentini in unum coaliti vetera inſignia. Horum ſententia non ſatis probatur Chriſtophoro Cellario; *nam Arbam Plinius*, ut ille ait, *cum Abſyrtide conjungit, vicinamque ponit Iſtriæ: Colentinos autem ab altero Scardunæ oppido denominatos idem cum Iſſæis conventui Salonitano attribuit. Quis autem credet unius inſulæ duo oppida diverſis cenſeri Conventibus? Hoc eſt, quod ſuſpectam mihi Scardunam inſulam facit: quæ ſi omnino aliqua fuit, id tamen dubitari poteſt, an Arba & Colentum fuerint ejus oppida, quia illa nomina diverſis, & longe diſjunctis inſulis imponit Plinius. De Arba modo diximus, quam propinquam Japydiæ, vel ipſi Iſtriæ Plinius conſtituit, & etiamnum id nominis Arba inſula Venetis eſt in ſinu Flanatico inter Giſſam & Curictam contra Seniam oppidum continentis. De Colento ipſe Plinius tam diligenter ſcripſit, ut accuratius non potuerit: rurſus*, inquit, *in Continente Colonia Jadera, quę a Pola CLX. M. P. abeſt: inde triginta M. Colentum inſula XVIII. oſtium Titii fluminis*. Mihi haud

Arba inſula.

Scardona Ptolemæi ea an ſit Arba Plinii.

ſane

ſane difficile videtur Ptolemæo Plinium conciliare, modo urbem Colentum, de qua Ptolemæus, diſtinguas ab inſula *Colento*, de qua Plinius. Colentum inſulam Plinius ab Jadera triginta millia paſſuum in Orientem disjunxit, hodie *Mortarium* vocant; ejuſque incolas, quos Colentinos appellat, quamquam Scardona urbe primi Conventus propius aberant, quam ab civitate Salona, tamen ad Salonitanum Conventum, adſcripſit. *Colentum* urbem Ptolemæus Scardunæ inſulæ, cum Arba altera ejuſdem inſulæ civitate, attribuit. *Scardunam* vero eſſe *Arbam* poſitio Ptolemaica declarat. Scardunam enim Ptolemæus proximam conſtituit Curictæ, a qua millibus vix quatuor abeſt Arba. Itaque quam inſulam alii ab urbe primaria Arbam denominant, eamdem Ptolemæus vocat *Scardunam*, eique duas illas urbes adſcripſit *Arbam*, & *Colentum*.

Arba & Scardunæ inſ. & eorum inſula.

Arba igitur, qua ex parte in Septemtrionem ſpectat, aſpera & montoſa regio eſt ſine ullo propemodum indicio humani cultus; non triticum, non vinum, non oleum, non poma fert; ſed uberrima ad greges caprarum oviumque alendos paſcua ſuppeditat. Ingentem præterea pabuli copiam ſufficiunt duo, quibus interjacet, ſcopuli: alterum Dolinum, alterum Gollinum nuncupant. Uberes proinde proventus e re pecuaria incolæ percipiunt. Altera inſulæ portio ad Meridiem, partim in valles ac planitiem diſtenditur, partim in colles aſſurgit, & nemoribus ſylviſque obtegitur. Amnibus præterea frequens, naturaque fertilis, & hominum induſtria eximie culta, vini, olei, tritici, aliorumque ſegetum affatim ſuppetit. Ad hæc ingentem volucrum, & quadrupedum copiam ad aucupium & venatum, paludes, luci, & ſaltus præbent; quamquam incolæ majus e piſcatu, quam e venatione capiunt emolumentum. Magna ſiquidem vis piſcium, quos aut ſale condiunt, aut fumo exſiccant, in Italiam tranſmiſſa certiſſimo compendio diſtrahitur. Arba civitas ſita eſt in ora inſulæ vergente ad Occaſum, quæ ſane amœnum, & mollis facilisque aſcenſus Promontorium inſidet, mari ferme undique circumfuſum. Cælum mite eſt ac temperatum, civium frequentia par urbis magnitudini, quæ ambitu non amplius ſeptingentorum paſſuum amplectitur; portus navium capax cujuslibet formæ, præclare munitus & clauſus, uno peranguſto aditu relicto. Templorum ac Cœnobiorum ſive intra, ſive extra urbem, major eſt numerus, quam loci amplitudo ac frequentia poſtulet. Ædes Cathedralis Deiparæ Virginis nomine conſecrata Collegium habet Canonicis omnino duodecim conſtans, inter quos primum locum qui obtinent, Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii titulo ac dignitate excellunt. E Patritio Venetorum ordine illuc cum imperio mittitur, qui jus reddat civibus, ac cæteris inſularibus, remque publicam adminiſtret, Comitis idem Præfectique nomen ac perſonam ſuſtinet, ejuſque juriſdictio triginta menſium ſpatio circumſcribitur. Duplex eſt publicum civitatis conſilium ex duplici civium ordine conflatum; alterum, quod ferme ex opificibus conſtat, cujus eſt plebis rationibus proſpicere & conſulere, & ſingulis annis ſemel tantummodo cogitur; alterum, quod nemini, præterquam familiis Patritiis patet, jus obtinet inferiores magiſtratus ad rerum civilium procurationem deligendi; hujus item eſt pro re nata legationes ſive ad Principem Venetorum, ſive ad ſummum totius Dalmatiæ Præfectum decernere ac mittere, militeſque ex inſulis Cherſi & Veglæ ad belli ſubſidium conſcribere. Plures huic inſulæ circumjacent ſcopuli, non omnino inculti, nec mediocri magnitudine, & paſcuorum ſane fertiles.

Inſulæ deſcriptio.

Arba civitas inſulæ, ejuſque deſcriptio.

Arbam excipit Pagus inſula inter Ortum & Occaſum oblique porrecta, quinque milliarium euripo utramque interfluente. *Giſſam* olim auctore Plinio vocatam ferunt, quamvis Plinius ut Creſcam, ſic Giſſam Iſſæ & Phariæ ordine inverſo ac perturbato poſtponat. Giſſam puto eam eſſe, quam Tabula Peutingeriana *Siſſam* vocat, & longe ab Jadera in Occaſum ſejungit. *Scirdaciſſæ* vocabulum, quod eſt apud Porphyrogenitum, e duabus vocibus vel Interpretum, vel Librariorum incuria coaluerit oportet; nam neque de inſula, cui id nominis congruat, neque de illius poſitione ullam apud Veteres mentionem invenire licet. Quare Scirdam a Ciſſa disjungas oportet, & Scirdæ nomen attribue *Scherdæ*, quæ nunc Scarda, haud procul a Pago ſitæ, *Ciſſæ* vero nomen Pago ſeu Giſſæ Plinianæ adſcribe. Anno Chriſti ſupra milleſimum altero & ſeptuageſimo Creſimirus Rex Chrobatorum Giſſam bello captam bifariam ſecuit: Keſſam urbem inſulæ primariam, quam Dandalus Kuſſam vocat, & omnes circa urbem vicos, uti antea erant, in poteſtate Arbenſis Epiſcopi reliquit. Villas autem Pagi, Pezzani, Murolani, Ulaſſici Arbenſibus ademptas Nonenſi Eccleſiæ aſſignavit. Hæc porro inſula anno 1177. erat in poteſtate Jadrenſium, ſive quod eam Veneti, quibus multa & gravia fuere cum Hungaris bella, Chrobatis ademptam Jadertinis conceſſerint; ſive quod per ea tempora ab ipſis Nonenſibus derelictam Jadertini occupaverint. Keſſa deinde ab Jadertinis iterum everſa cum eſſet (nam antea exſtructam fuiſſe a Venetis auctor eſt Dandulus, & reſtitutam a Rogerio Mauroceno) Veneri ad retinendam tuendamque poſſeſſionem inſulæ in ſuam ditionem redactæ, prope Villam Pagi oppidum condiderunt iis operibus munitum, eaque forma extructum, quam etiamnum retinet. Pagi & huic loco nomen fuit. Ex eo tempore *Giſſæ* ſeu *Kiſſæ* vocabulo obliterato, Pagi nomen invaluit, & ab eo tota inſula appellari cœpit. Hæc ferme Hiſtoricus Dalmata ex antiquis tabulis, probatiſque monumentis conjectatur; quæ nos, pluribus prætermiſſis, breviori ſtylo contraximus, ut ſi minus certe ſtatui, ſaltem conjici liceat, unde huic inſulæ Pagi nomen obvenerit.

Pagus inſula.

Giſſa, & Siſſa olim dicta.

Unde Pagus dicta.

Pagus igitur inſula eſt proxima ab Occaſu Japodum oræ; a qua freto, ſeu *Canali Morlachæ* diſtimitur. Millia paſſuum fere ſeptuaginta circuitu comprehendit. Terra eſt perfrigida, Aquilonibus obnoxia, ac per hyemem, imbri, nive, glacie fœdum in modum horrida, multis in locis montoſa, & ſaxis aſpera, magna etiam ex parte campeſtris, & amnibus frequens, naturaque non omnino ſterilis, fructus uberiores gigneret, niſi aſſiduus ſalis conficiendi labor ab agrorum cultu incolas avocaret: maxima quippe agreſtium hominum pars ſuam in Salinis induſtriam operamque conſumunt. Quamvis autem Salinæ ferme ſint juris privati, tamen triplicem partem proventus, quem inde capiunt, vectigalis nomine Venetis penſitant: quarta pars indigenis cedit, unde parce ac tenuiter victitant; vix enim aliunde habent, quo ſe familiaſque ſuſtentent. Aliquid etiam emolumenti percipiunt ex ovillo pecore; & agni quidem Pagenſes, ut ſunt præpingues, & ſaporis egregii, magno in pretio habentur. Oppidum Pagi ſitum eſt contra littus Japydicum, quingentorum paſſuum ambitu patens, a quo univerſa regio nomen accepit. Totius inſulæ tractus octo ipſis

Pagi deſcriptio.

vicis

vicis habitatur, fane frequentibus. Inſula eſt omnis diviſa in partes duas; quæ ad Solis Occaſum & Septemtrionem ſpectat, Arbenſi Epiſcopo ſubeſt in iis, quæ ad rerum ſacrarum procurationem pertinent; cætera Magiſtratus Arbenſis, in cujus ditione ea pars eſt, per Vicarios adminiſtrat. Altera pars ad Solem orientem & Meridiem converſa ab Jadertino Archiepiſcopo jura ſacra, Sacerdotes, omnemque Chriſtianæ inſtitutionis diſciplinam accipit. Olim civiles etiam Magiſtratus ac leges ab Jadertinis petebat; nunc eorum poteſtate exempta regitur per Patritium Venetum, qui Comitis titulum gerit, atque in oppido Pagi certum habet fixumque domicilium. Sed quod permirum eſt, & ſupra quam cuiquam credibile videatur, Incolæ partis utriuſque omnino ſunt inter ſe diſſimiles, & lingua, moribus, ingenio, inſtitutis, alteri ab alteris perinde diſcrepant, ac ſi inter utroſque ingens terrarum mariſque tractus intereſſet. Occidentales indole, diſciplina, victuſque conſuetudine Italis propius accedunt; reliqui iiſdem, ac cæteri Dalmatæ, utuntur legibus, eamdemque in victu cultuque rationem ſequuntur. Atque hanc rerum fere omnium inter illos diſcrepantiam ex eo repetendam cenſeo, quod abhinc multis ætatibus populi generis longe diverſi in hanc inſulam migraverint.

Inſulæ majores ſinus Flanatici.

Hæ ſunt ſinus Flanatici, quas modo deſcripſimus, inſulæ, cæteris ejuſdem tractus maritimi Inſulis & ambitus magnitudine, & vicorum atque incolarum numero longe præſtantes. Nam minorum inſularum in eo ſinu mira eſt frequentia, quarum aliæ majoribus illis interjacent, aliæ circumjacent, pleræque longius ab illis disjunctæ in Meridiem diſtant. Ex his haud paucas commemoravit Conſtantinus Porphyrogenitus, quarum tamen aliquæ ad Liburniam pertinent, ſed eas, cum ipſe hæc litteris conſignabat, deſertas a plebe atque cultura hominum fuiſſe teſtatur: *Reliquæ*, inquit de Admin. cap. 29. *habitatoribus vacuæ defertas urbes habent, quarum hæc ſunt nomina Catautrebeno, Pizuch, Selbo, Scerda, Aloep, Scirdatiſſa, Pyrotima, Meleta, Eſtiunez, & aliæ quamplurimæ, quarum nomina ignorantur.* Has porro aut omnes, aut pleraſque eas fuiſſe arbitror, quas antiqui ſcriptores vocant *Electridas*; nam Scylax Caryandenſis, Schymnus Chius, & Plinius præſertim, *Electridas* juxta Abſyrtides conſtituunt. Idem Plinius rationem ſubjecit, cur a Græcis dictæ fuerint *Electrides*, ex eo nempe, quod indidem vis magna electri progigneretur. Eſt autem Electrum gemma quædam ſeu nigri, ſeu crocei coloris; quæ vulgo *ambra* dicitur; Latini ſuccinum vocant, quaſi ſuccum ex arboribus quibuſdam vi caloris expreſſum. Cæterum neque hic ullæ ſunt inſulæ, quæ ſuccinum ſive Electrum proferant, & Plinius hujuſmodi appellationis originem ad fabulas & ineptias Græcorum refert: *juxta Abſyrtides Electridas vocavere, in quibus proveniret Succinum, quod illi Electrum appellant, vanitatis Græcæ certiſſimum argumentum; adeo, ut quas earum deſignent, haud umquam conſtiterit.* Vereor equidem, ne Græci fabuloſum hoc nomen ex inſulis ante oſtia Eridani poſitis ad inſulas ſinus Flanatici tranſtulerint. E commentis Poetarum narrant ſorores Phætontis, cum ob fratris in Eridanum præcipitis acti demerſique interitum lugendi finem nullum facerent, Deorum miſeratione in Populos arbores, earumque lacrymas in *Electrum* converſas fuiſſe. Id cum apud inſulas contra Padi oſtia acciderit, exinde inſulas illas Electridas appellatas ferunt. *Electrides inſulæ*, ait Stephanus Byzantinus, *in quibus ſunt duæ ſtatuæ Dædali & Icari; has vero inſulas ajunt juxta Eridanum fluvium ſitas fuiſſe .... ac fabulantur Phaetontem fulmine illic percuſſum cecidiſſe, illic vero reperiri multas nigras populos, ex quibus cadit, quod vocatur Electrum, gummi porro ſimile, quod lapidis inſtar duretur. Incolæ Electritæ, juxta formam nominum in is; Electrini propter regionis conſuetudinem.* Cæterum nullas inſulas fuiſſe arbitror neq; in Italia propter oſtia Padi, neque in Dalmatia apud Abſyrtides in ſinu Flanatico, quæ Electrum ſive Succinum ferrent, ſed cum Plinio quidquid de hac re Græci ſcripſerunt, fabuloſum eſſe & commentitium exiſtimo. Nomen vero Electridarum utriſque inſulis ſive Italicis, ſive Dalmaticis falſo impoſitum, inde uſque a ſinu Venedico inſuliſque Gleſſariis repetendum cenſeo. In his ſiquidem Veteres Electrum naſci perhibent. Ibidem Plinius lib. 4. cap. 13. ſtatuit Gleſſariam inſulam, *a ſuccino militiæ appellatam*; quamvis idem Plinius cap. 16. Gleſſarias inſulas in mare Germanicum Britanniæ adverſas rejecerit, *quas Electridas*, inquit, *Græci recentiores appellavere*; quem locum Plinianum hac animadverſione illuſtrat Chriſtophorus Cellarius lib. 2. cap. 5. *Sed hæ Occidentales ſunt Electrides, ſicubi ſunt; Orientales in ſinu Codano*, cujus pars eſt ſinus Venedicus, *ultra oſtia Viſtulæ*. Tacitus cap. 45. aliique Electrum apud Æſtios Sinus Venedici accolas gigni, indeque ad nos afferri tradunt: *Sed & mare ſcrutantur Æſtii, ac ſoli omnium ſuccinum, quod ipſi Gleſſum vocant, inter vada, atque in ipſo littore legunt.* Huic loco hanc notam appoſuit Andreas Althamerus in ſuis Commentariis in Tacitum: *Gleſſum veteres Germani appellarunt ſuccinum, ob nitorem, quod inſtar vitri luceat; quam vocem vernaculus Germanorum ſermo etiamnum retinet; vitrum enim glas & gleſſer appellant.* Cum igitur Græci Venedos Sarmatiæ non diſtinguerent a Venetis Italiæ, inde factum eſt, ut a Venedis Sarmaticis ad Venetos Italicos tranſtulerint inſulas Electridas, eaſque apud Eridanum conſtituerint. *Videtur error Græcorum exinde eſſe*, inquit Cellarius Geogr. ant. l. 2. c. 5. *quod Venedos in Sarmatiæ finibus colentes, cum Venetis Italiæ ad oſtia Eridani, ſive Padi confuderunt.* Ex oſtiis autem Padi in ſinum Flanaticum nomen Electridum, iiſdem Græcis auctoribus, immigravit. Utcumque tamen hæc appellatio ſive errore, ſive Poetarum commento hiſce inſulis obvenerit, dubitari non poteſt, quin Dalmaticæ illæ inſulæ, quas Græci vocarunt Electridas, ad ſinum Flanaticum pertineant, eaſque juxta Abſyrtides cum Plinio collocari oporteat, referrique in numerum earum inſularum, quas nos Japydicas appellamus. Hæ autem, ut diximus, quinque illis jam deſcriptis partim adjacent, partim latiori pelago interfuſo longius diſtant; plurimæ numero ſunt; pleræque magnitudine exiguæ, quas appellant Scopulos, majores etiam modicæ; nulla quippe ſupra viginti millia paſſuum circuitu comprehendit.

Electrides olim dictæ ab Electro.

Nuſquam in Italia ſeu Dalmatia Electrum naſcitur.

Sed quæ Venedos in Germania.

Itaque Abſoro ab Occaſu adjacet *Unie* duobus vicis habitata, ſupra quam eſt *Levriera*, infra *Sanſegus* cum ſuo utraque pago. Abſoro ſubeſt a Meridie Scopulus & vicus S. Petri, a quo longius diſtat in Meridiem *Permuda*, quam Tabula Peutingeriana *Pamodon* vocat, conſtituitque poſt *Enckomim*, quæ fortaſſis eſt Sanſegus inſula, de qua modo dictum eſt. His quatuor aliæ ſubjacent magis ad Meridiem, *Permota*, *Scarda*, (Sverdam vocat Porphyrogenitus) *Zamponcellum*, *Eſtrum*; & ſupra Eſtrum ad Septemtrionem *Giſtus*. Quam Porphyrogenitus *Selbon* nuncupat, ea nunc *Selve* di-

Permuda, ſeu Pamodon.

Selve, ſeu Selbon.

dicitur, contra Absorum ad Orientem sita, & indidem millia passuum fere septem disjuncta. Utrique insula, quam *Conic* vocant, unicum habens vicum, interjacet. *Selve* autem duodecim mille passus circuitu comprehendit; habitatores numerat fere sexcentos; & homines quidem, ut ajunt, rei nauticæ, fœminæ autem agriculturæ operam navant. Sed ager fere sterilis est, parum tritici ac vini ferens, idque multa cultura, & magno labore quæsitum. Insula habet oppidum cognomine satis amplum ac frequens, nonnullas præterea turres, & alia quædam loca munitionibus septa, opportuna incolis adversus piratarum incursiones perfugia. Huic proxima est, ad Orientem modico interposito freto, *Luibus*, quæ Porphyrogenito est *Aloep*. Universa fermo regio in planitiem extenditur, pascuis abundat, & duplo fere minor est, quam Selve. Hinc navigantibus Meridiem versus occurrit *Melada*, ea, quam Porphyrogenitus *Meletam*, Anonymus Ravennas *Malatam* vocat; quam distinguas oportet a Melita Ragusinæ ditionis, hinc longissime in Ortum dissita. Hæc, de qua loquimur, triplo est, quam Selve major; ejus longitudo ab Occasu in Orientem decem millia passuum protenditur. Perpetuis a Meridie montibus fere clauditur, a Septemtrione dimidia ex parte montosa est ac sterilis, cætera plana sunt & campestria, atque ad colendum idonea. Melada oppidum ejus insulæ neque infrequens est, neque ignobile, marique propinquum spectat in Solem orientem. Ab hac, curipo duorum circiter milliarium interfluo, in Meridiem distat *Sestrum*, *Estiunez* Porphyrogeniti; cui ab Septemtrione adstant scopuli tres, vulgo appellant *tres Sorores*, quartus est ab regione Orientis, cui *Rivan* est nomen, duo alii ad meridiem *Ton*, & *Tirinaz*. Hinc longius in Septemtrionem plures sunt scopuli insulis majoribus vel interpositi, vel circumjecti, ex quibus pauci quidam habitantur, sed pascuis optimis abundant, *Plaunichium*, & *Cornatum* inter Vegliam, & Cherſum; *Petrichium* infra Vegliam ad Meridiem; Gollino, & Dolino scopulis Arba interjacet: ab Oriente Cherſus proximum habet unicum, cui nomen est *Testenico*, plures vero Absorus. Itemque Pago ab Occasu multi adjacent; inter quos est *Scarda* sive *Scirda* insula perexigua, quam distinguas velim ab altera ejusdem nominis insula, quæ hinc longius distat in Occasum & Meridiem, de qua supra diximus. Ex hac Scirda & Cissa, cui est proxima, conflata est apud Porphyrogenitum *Scirdacissa*, quo quidem vocabulo duæ comprehenduntur insulæ Scarda sive Scirda, & Cissa, quam Plinius Gissam, nunc Pagum appellant. Pago a Meridie subest haud parvi circuitus insula, quam *Pontaduram* vocant, & duos vicos satis frequentes habet. An vero hæc sit Portunata, quam Plinius post Gissam proxime nominat, mihi non liquet. Neque Merulam audio, qui Curictam, ideſt Vegliam, docet esse Portunatam Plinianam; nam Plinius Portunatam a Curicta distinxit, cum Curictas populos longe a Portunata sejunxit. *Mentorides* insulas, quarum meminit Scylax, apud Mentores populos oræ Illyricæ apponendas censeo; sed cum Mentores alii in Japydia prope ab Istria constituant, alii in Liburniam conjiciant, incertum est, utrum Japydicis, an Liburnicis insulis *Mentorides* sint annumerandæ. *Istria* insula ejusdem Scylacis quænam fuerit, & ubi loci posita, incompertum est. Fortassis eadem est atque *Hydria* Melæ, sed hujus quoque positio ignota est. Sunt, qui opinentur Hydriam esse insulam illam, quam Hieronymus in ep. ad Augustin. *Adriam* vocat, eamdemque ab Corcyra Melæna, de qua postea inter insulas Dalmaticas dicendum erit, longe disjunctam, in medio sinu Adriatico locant: hodie *Pelagosam* nuncupant. Hactenus de insulis Japydicis.

Luibus, G. ve Aloep.

Melada, seu Meleta & Malata.

Sestrum; sive Estiunez.

Scarda seu Scirda prope Cissam.

Pontadura an sit Portunata Plinii.

Mentorides, Istria, Hydria, Adria.

§. II.

De Insulis Liburnicis.

CUm Liburni, gens olim terra marique prepotens, *longissime per totum maris Adriatici littus effusi*, ut Florus lib. 2. cap. 5. scripsit, rerum potiebantur, ab illis Illyricum omne *Liburnia*, mare *Liburnicum*, insulæ *Liburnides* denominari solebant. Schymnus Chius, & Dionysius Alexandrinus post Absyrtidas & Electridas, quidquid deinceps est insularum Illyrico littori objacentium, communi *Liburnidum* vocabulo subjiciunt. Strabo etiam, cum Japodum oræ Absyrtidas, & Cyraticam apposuisset, reliquas omnes, ex quorumdam sententia, *Liburnidas* vocat; argumento est, quod neque a Liburnicis Issam, Tragurium, ac Phariam insulas Dalmaticas distinxit, & Liburnicas omnino ad sexaginta esse scripsit: quo quidem numero non solum eas, quæ Liburniæ propriæ adjacent longe pauciores, quam sexaginta, nisi scopulos etiam quamvis exiguos ignotique nominis adjicias; sed etiam cæteras omnes intra ostium Adriatici complecti videtur: *Liburnides*, ait Ortelius, *Straboni insulæ sunt LX. maris Adriatici juxta Liburniam, inter quas numerat Issam, Tragurium, & Phariam*. In eamdem sententiam Strabonem accipiunt Ferrarius, & Baudrandus: *Liburnides insulæ 60. Straboni in mari Illyrico sive Adriatico, inter quas Lissa, Tragurium & Pharus*. Ferrarius. *Liburnides insulæ seu insulæ oræ Liburniæ adjacentes in mari Liburnico seu Adriatico, Straboni sunt 60. circiter, sed aliis omnibus vix sunt 25. cum Pharia, Lissa, & Tragurium sint in Dalmatia*. Baudrandus. Cæterum hi Lexicographi aut verba Strabonis aliorsum, atque ipse intelligi voluit, acceperint; aut codices Strabonianos nescio quos, unde illa exscriberent, ab aliis diversos habuerint oportet; nam in vulgatis exemplaribus Strabo & ab insulis Liburnicis Dalmaticas sejungit, & Liburnides non amplius quadraginta numerat: ἑξῆς δὲ ἡ Κυρακτικὴ, καθ' ἣν ἰάπυδες. εἶθ' αἱ Λιβυρνίδες περὶ τετταράκοντα ἢ ὀγδοήκοντα. εἶθ' ἅδρας νῆσος γνωρίμη τετταράκοντα δ' ἔχουσα, Τραγυρίον Γαίων κτίσμα. φάρος, ἡ πρότερον Πάρος, Παρίων κτίσμα. *Deinceps est Cyratica pone Japodas: sequuntur Liburnides, numero quadraginta, tum aliæ, quarum nobilissima Issa, Tragurium ab Issensibus condita: Pharus, quæ olim Parus, Pariorum colonia*. Sed quamvis Strabo Liburnides insulas Japydicis & Dalmaticis interjiciat, easque ab utrisque distinguat, multis tamen ante Strabonem sæculis omnes insulæ propter litus Illyricum ab Occasu in Ortum exporrectæ ab Liburnis incolis ac possessoribus, uti & regio illa maritima, & mare ipsum, nomen acceperant. Nos igitur, ad exemplar Illyrici Straboniani tripartito divisi, Liburnicarum vocabulo eas solum insulas complectimur, quæ ad Liburniam propriam, alteram Illyrici partem, pertinent, quæ quidem pars Japydiam

Insulæ Liburnides ex. apud Strabonem.

Sed in vulgatis exemplaribus tantum qu.

dium inter ac Dalmatiam Tedanio, & Titio fluminibus continetur. Sunt autem Liburniæ complures numero, sed fere omnes, præter tres aut quatuor, magnitudine admodum exiguæ; quas rectius fortasse scopulos, quam insulas dixeris. De his Palladius: *Hinc* (ab Gissa, sive Pago) *in Eurum naviganti occurrunt insulæ & scopuli Jadertinorum prope innumerabiles, quorum pars hodie colitur: inter has esse censeo, quas Strabo Liburnidas vocat; ferunt autem, modice tamen, frumentum, vinumque aliquæ earum, & oleum; sed incolis victus magna ex parte e piscatu, ligniſque, & pecore est.* Ex his nullas fere antiqui scriptores singillatim nominarunt; sed vel omnes uno Liburnidum nomine, vel aliquas alio communi vocabulo comprehendunt.

Ulianum seu Lissa. Adversus Jaderam ad Meridiem sita est insula S. Michaelis, quæ ab Uliano etiam, & a S. Euphemia, duobus insulæ primariis oppidis denominari solet. Hanc esse Lissam illam, quam Plinius contra Jaderam statuit, ipsamet ejus positio declarat. *Contra Jader est Lissa.* Cave hanc confondas cum Issa celebriore insula, quam hinc longe semotam idem Plinius cum *Brattia*, & Pharia conjunxit. De illa in insulis Dalmaticis; hanc puto illam esse, quæ a Porphyrogenito dicta est *Catastrebeno*. Triginta millia passuum ambitu comprehendit; regio optima est ac fertilis, hominumque industria egregie culta vini & frumenti affatim suppeditat; duodecim vicis, ut ferunt, habitatur. Ex insula fere media mons acclivis attollitur, cujus in ipso vertice S. Michaelis Castrum insidet, pinnis atque aggeribus antiquo more munitum. Nobilis olim erat atque opulenta D. Michaelis Abbatia; sed vectigalibus diminuta cum esset, addicta est Cœnobio Jadertino Patrum familiæ Dominicanæ. Porro dispersæ in æstivos maxime autumnalesque secessus, Patritiorum Jadrensium Villæ frequentissimæ sunt, opere eleganti, situque peramæno. Sed in primis visenda vel structuræ magnificentia, vel loci magnitudine, vel amœnitatum copia Villa Gentis Lunanæ, usque adeo celebris, ut ex ea toti insulæ quartum nomen accesserit, quæ dicitur etiam *Scopulus Lunanæ*. Hoc sane magnificentissimo hospitio utitur, splendidoque apparatu accipi solet summus totius Dalmatiæ Præfectus, cum in provinciam venit, pariterque cum Magistratu perfunctus discedit. Huic insulæ duo scopuli adjacent in freto Jadertino, ubi naves ex Oriente, ac præsertim e regionibus pestilentia afflatis digressæ, certo dierum spatio jubentur subsistere, & vectores pariter mercesque purgari, ne si quid contagionis secum afferant, incolis adhæreat, lateque propagetur. Ibidem ad curandos lue affectos duo sunt Limocomia; visiturque in altero ex illis vetus Cœnobium, quod a Fratribus tertii ordinis S. Franciſci incolitur.

Ea ea Abbatia S. Michaelis, & Jadrensium villæ.

Paſmaniæ insulæ. Ab Uliano, sive insula S. Michaelis angusto dividitur mari Pasmania, duplo fere, quam illa, Orientem versus porrectior. Pari ferme est, ac Ulianum, genere loci, ubertate soli, rerumque omnium copia, quas ad victum cultumque natura desiderat. Præter Villas sane frequentes rusticationis animique causa eleganter exstructas, decem numerantur vici, e quibus is, quem Pasmanum vocant, in primis celebratur, & colitur, ubi est haud ignobile Cœnobium Fratrum Franciscanorum; ex eo seu vico, sive oppido, quod principem locum teneat, insula tota denominatur Pasmania. Teonium etiam vulgo appellari solet ab alio vico hujus nominis, quod in extremo insulæ ad Orientem angulo situm est, habetque peranti quum cœnobium SS. Cosmæ & Damiani, cui nunc Abbas, ut vocant, Commendatarius præpositus est; habitaturque ab Illyricis Monachis e disciplina S. Benedicti, qui ab cæteris ejusdem Ordinis Congregationibus exempti, suique sunt juris; & in rebus sacris, patrios ritus ac cæremonias retinent coluntque.

Paſmanum oppidum.

Ultra Pasmaniam in Orientem, non admodum lato interposito freto, sita est *Vergada*, quæ ab Jadera amplius viginti millia passuum distat, & milliaria fere novem circuitu colligit, familiisque circiter triginta incolitur. Hanc insulam Porphyrogenitus *Lumbricatum* appellat, auctore & interprete Historico Dalmatico; eadem in Tabula Peutingerjana, quantum e situ conjici licet, *Arva* inscribitur.

Vergada seu Lumbricatum Porphyrog.

Qua ex parte Ulianum Solis occasum aspicit, proximum habet scopulum, cui nomen est *Rivano*; infra quem ad Meridiem alii duo visuntur scopuli, alterum *Ton*, alterum *Tirinacem* appellant. Huic subest Sala insula, quæ a Porphyrogenito Pisuch dicta est, & vulgo dicitur insula magna, & oblonga; quippe quæ multo longior, quam latior ab Occasu in Orientem protenditur, cum millia passuum fere triginta porrecta sit in longitudinem, latitudo vero, qua maxime patet ejus pars ad Ortum extrema, septem milliaria vix adæquet. Regio maxima ex parte aspera & montosa pascuis abundat; ubi sese in planitiem explicat, agros habet non infœcundos, & egregie cultos, raris a Meridie, frequentioribus a Septemtrione portubus distinguitur. In ea novem numerantur vici, præter mapalia fane multa, quibus tota insula propemodum consita videtur. Sala princeps est insulæ oppidum, ex quo nomen accepit; sexaginta familiis habitari tradunt; extremum fere insulæ locum ad Orientem occupat, Meridiem versus haud procul a mari, quod, cum eo loci sit piscium apprime ferax, ingentes oppidanis proventus suppeditat; quippe potissimum e piscatu victum sibi comparant; & optima cujusque generis salsamenta in alias regiones cum quæstu transmittunt. Ulianum inter ac Salam duo jacent scopuli mediocri magnitudine, alterum *Ravam*, alterum *Essum* vocant; ille proximus est Salæ, ac ferme desertus, hic Uliano propior vicis omnino tribus habitatur; sed multo plures Pasmaniæ & Salæ scopuli interjacent, inter quos *Targa*, & *Jadara*; cæteri carent nomine. Ab Sala exiguo admodum spatio in Ortum, avulsa cernitur insula, quam *Coronatam* vocitant, propterea quia multis scopulis in modum coronæ circumpositis cingitur, sive *Turriculam* ab eo, qui unicus est in insula pagus. Totius insulæ longitudo passuum millia circiter duodeviginti ab Occasu in Ortum excurrit; huic nequaquam respondet latitudo, quæ ubi maxima est, vix tria milliaria patet. Terra saxosa est, & perrupta, omniumque ferme rerum sterilis, nisi quod pascua alendis gregibus uberrima suppeditat. Huic quamplurimi præsertim a Meridie & Oriente adjacent scopuli, modicis fretis Euripisque discreti, exiguo circuitu, & pari atque insula genere loci, solique natura. Ab Occasu quatuor habet scopulos, eosque, ut cæteros, anonymos, duos a Septemtrione *Dagnim*, & *Bicarazam*, quibus interjecta est insula *Suth* fere inculta ac deserta. Hi scopuli sunt insulæ, ut præclare monet Raphael Levacovichius, quos Plinius *Cretas*, in Vaticano Codice *Glaucas*, in aliis exemplaribus *Crateas* appellavit. Eas quippe post Lissam sive Ulianum constituit littori Liburnorum obversas; *Contra Liburnos Cretæ aliquot, nec*

Sala insula, vel Pisuch Porphyr.

Sala oppidum.

Rava & Essum scopuli.

Coronata insula, sive Turricula.

Suth insula.

pau-

Digitized by Google

pauciores Liburnicæ, Celadussæ. Itaque Plinius insulas omnes oræ Liburnicæ objectas tripartito divisit, tripliciique vocabulo distinxit; & nomen commune Liburnidum, latissime patens, quo insulas omnes Japydiam inter ac Dalmatiam Strabo complectitur, contraxit, ac proprium fecit quarumdam insularum, quæ Creteis, & Celadussis interjacent. Quare ex insulis, quas nos cum Strabone Liburnicas, sive Liburnides vocamus, priores *Creteas*, medias *Liburnicas*, postremas *Celadussas* a Plinio appellatas esse censemus; is quippe post Celadussas proxime nominat insulas, quæ ad Dalmatiam pertinent, videlicet Bobum, Brattiam &c. Apud Melam est *Celadusæ*, Absoro, & Absyrti interjecta; an vero ad Celadussas Plinianas referenda sit, dubitari potest; repugnat positio Celadusis, quam idem Mela inter Absorum & Absyrtim locat in sinu Flanatico; sed ordinem Geographicum in hisce insulis nominandis frustra quæsieris; nam & Tragurium, cui locum inter insulas tribuit, ultra Corcyram Melænam in Ortum rejecit. Cæterum in aliquibus Melæ exemplaribus pro *Celadusæ Dyscelados* scriptum invenies, quæ fortassis eadem est, ac *Dyscelados* Apollonii, de qua postea in insulis Dalmaticis. Sed de Celadusæ Pomponiana utut existimari libeat, dubium non est, quin Celadussæ Plinianæ fuerint postremæ Liburnicarum, veluti Mortarium, Prævichium, Slarium, & aliæ plures sive insulæ sive scopuli tractus hujusce maritimi, ex quibus quamvis aliquot ultra ostium Titii Dalmatarum litrori objacent, cum tamen continuatione quadam juncti sint, modicisque interfluis euripis inter se finitimi ac proximi, eos ad classem Liburnidum insularum revocandos esse existimamus.

Insula triplicis nominis apud Plinium.

Creteæ, Liburnicæ, Celadussæ.

Celadussæ Plinianæ.

Ergo ultra Pasmaniam in Ortum millia passuum circiter quinque, sita est insula, quam vulgo *Mortarium* vocant, Plinius *Colentum* appellavit, eamque triginta mille passibus ab Jadera disjunxit, quę quidem inter hanc insulam, urbemque illam distantia cum Mortario fere congruit. Ex hac Colentani populi, quos idem Plinius ad Conventum Scardonitanum adscribit. Cave confundas Colentum insulam Plinianam cum Colento urbe Ptolemaica; hæc siquidem altera est civitas insulæ Scardunæ in sinu Flanatico, quam Plinius Arbam nuncupat, de qua superiori paragrapho dictum est. Itaque Colentum, sive Mortarium, insula freto admodum angusto ab continenti divulsa, milliarium fere quindecim ambitu definitur. Portum habet meridianæ plagæ obversum, in speciem theatri arcuatum, ad naves cujusque magnitudinis excipiendas capiendasque perquam idoneum. Quatuor vicis habitatur non exiguis, neque infrequentibus, inter quos principem locum obtinet Mortarium, unde tota insula denominatur. Ager est apprime cultus, & suapte natura fertilis, frumento cæterisque segetibus nitet, sylvis, olivetis, vineisque magna ex parte consitus est. Huic ab Occasu proxima insula perexigua, quam *Pianuram* vocant; & multi præterea circumjacent scopuli, quorum unus paullo magis in Ortum distans, projectus est contra Ostium Titii fluminis in mare apertum delabentis; cui paullo infra subest a Meridie *Prævichium*; hinc autem in Ortum modico euripo interposito abest *Slarium*. Utraque insula bene culta est, ac fructuosa, & vicatim habitatur. Sed Prævichii regio in primis amæna est, cœlique admodum jucunda, & salubri temperie fruitur; vitibus, oleis, aliisque arboribus fructiferis abundat; ejus ambitus quinque mille passibus continetur. Sunt in ea villæ quamplurimæ, e-

Mortarii insul. Colentum Plinii, ejusque descriptio.

Pianura insul.

Prævichii & Slarium.

gregio situ pleræque, & sane eleganter exstructę; huc scilicet per autumnum relaxandi animi causa secedere solent primariæ familiæ ex ordine Patritiorum Sebenicensium; nihil quippe his locis ad rusticandum aptius, nihil amœnius, nihil cultius. At Slarium insula tuguriis, quam villis frequentior est; ac licet circuitu longe sit Prævichio major, multo tamen pauciorĭbus, quam Prævichium, familiis incolitur. Post Prævichium tres deinceps Meridiem versus eminent scopuli; primus Prævichio proximus *Tighas*, tertius longius distans *Capria* vocatur; secundus intermedius caret nomine. Slario itidem ab Oriente plures adjacent scopuli fere anonymi, & modico inter se spatio disjuncti. Insularum Liburnidum postrema est *Surium*, sive *Zurium*, cujus partem in Ortum obversam frequentes scopuli obsepiunt. Passuum millia fere octo distat a Prævichio in Meridiem; & milliarium circiter quindecim ambitu circumscribitur. Eadem est, qua Prævichium, soli benignitate, cœlique clementia; sed longe majores e mari circumfluo utilitates percipit; quippe quod & Sardiniarum vim maximam, & coralii optimi copiam gignit. Planities in media insula longe lateque porrigitur; in qua oppidum est satis frequens, & plura circa oppidum mapalia; qua vergit in Meridiem, adhuc visuntur alterius oppidi jamdudum eversi rudera; atque ibidem e solo prope a mari fons aquæ dulcis prosilit. Inter Liburnicas insulas annumeres licet scopulum, qui e regione directa contra Surium in Adriatico sinu propemodum medio instar Pyramidis assurgit; *Pomi scopulum* appellant: eam ob causam notus est ac celebris, quod Accipitrum, quos falcones vocant, vim ingentem ad aucupium suppeditat; cætera incultus ac desertus; quem nautæ ex longinquo prospicientes, velis remisque devitare solent, ne in saxa circa scopulum latentia, syrtesque navim impingant. Insulis Liburnicis hactenus descriptis alii plures interjacent sive scopuli, sive insulæ admodum exiguæ; sed cum nullius, aut obscuri sine nominis, & desertæ plerumque ac steriles, nisi quod aliquę pascua ferant sane copiosa, tanti non est singulis percensendis diutius immorari.

Tighes, Capria scopuli.

Surium seu Zurium inf.

Pomi scopulus.

§. III.

De insulis Dalmaticis.

Dalmatici nominis latior, & contractior significatio.

CUm inde usque ab imperio Augusti regio illa omnis, quæ ab Arsia ad Drilonem usque longissime protenditur, Dalmatiæ nomen subierit, ut sæpe diximus, omnes omnino insulæ huic regioni objectæ communi vocabulo appellari possunt ac debent *Dalmaticæ*. Sed cum post Augustum nihilo secius antiqui scriptores regionem eamdem tripartito diviserint, & veteribus vocabulis retentis, ab Japydia Liburniam, ab Liburnia Dalmatiam sejunxerint, visum nobis est Dalmaticum nomen, ex communi illa & latiori significatione contractum, iisdem terminis circumscribere, quibus veteres definire consueverant. Ac Dalmatia quidem propria & primigenia Nesto seu Tiluro, & Narone fluminibus continebatur; sed ejusdem fines primum in Occasum Dalmatæ usque ad Titium, deinde Latini Græcique scriptores, Illyrici proprii vocabulo posthabito, ab Narone in Ortum usque ad Drilonem propagarunt. Quemadmodum ergo veteres illi regionem omnem Naroni & Drilони interjectam vocitare consueverant Dalmatiam; ita nos insulas omnes sitas projectasque adversus oram illam, utriusque fluminis

oſtiis interpoſitam, Dalmaticas appellandas eſſe exiſtimamus, vocabulo illo generali ac latius patenti, in peculiarem hanc, & anguſtiorem ſignificationem adducto, quo ſcilicet ab inſulis primæ & alterius claſſis modo deſcriptis diſtinguantur.

Prætermiſſis igitur paucis illis ſive inſulis, ſive ſcopulis, qui quamvis ad primam littoris Dalmatici partem pertineant, eos tamen, ut diximus, veluti quaſdam appendices, in claſſem Liburnidum inſularum conjecimus, inſulæ Dalmaticæ ſi minus numero, certe veterum ſcriptorum commendatione, & famæ ac nominis celebritate reliquis hactenus deſcriptis longe antecellunt. Ab oſtiis Titii fluminis præter Dalmaticam oram in Orientem navigantibus occurrit Promontorium Diomedis, ubi ſcilicet magno ambitu curvatur in Meridiem littus, prominenſque a cætero continenti, Peninſulam quamdam efficit, quam Veteres Hyllim dixere. Circa hoc promontorium, ſive Peninſulam nullæ ſunt inſulæ, quæ maris vim ac tempeſtates arceant, procellaſque infringant, ejuſque circuitum navibus tutum præbeant; quare Promontorium illud oppido a nautis formidari ſolet, nec ſolum ob eam cauſam, quod fluctibus ac turbinibus undique ſit expoſitum; ſed vel maxime, quia duo flumina, Titius & Tilurus, ex ambobus Peninſulæ lateribus continenter procurrentia, & adverſis ſubinde agitata ventis, perpetuo inter ſe acerrimeque confligunt. Ad hæc; extremo fere hujus Promontorii ad Occidentem angulo adjacet Syrtis, quo ſcilicet, quæ dixi, flumina perpetuo confluunt, magnoque aquarum impetu feruntur; immane vero quantas ibi procellas excitant, quantiſque vorticibus exæſtuant. Quocirca naves, ut Syrtim hanc fædiſſimis tempeſtatibus naufragiiſque infamem, & veſanos circa idem promontorium undarum ac ventorum furores conflictuſque quam maxime declinent, in altum provectæ longiſſime ab terra recedunt. Neque tamen, ſi qua tempeſtas violentior ingruat, illis perfugium deeſt, qui propius a terra peninſulam circumeunt. Ipſa namque peninſula ſinuato ad Meridiem littore ingentem portum aperit, qui navibus ſubeuntibus facili patet acceſſu, eiſdemque ſatis commodam ac tutam a tempeſtatibus ſtationem præſtat. Nam e regione portus proſtat ingens ſcopulus D. Michaelis præſidio ac nomine inſignis, qui cujuſdam inſtar arginis fluctibus ac turbinibus oppoſitus, aditum iiſdem intercludit.

Promontorium Diomedis nautis infeſtum.

Scopulus D. Michaelis.

Ultra Promontorium Diomedis ab Oriente explicatur ſinus Neſtus ſive Manius ab Neſtis & Maniis accolis denominatus, cui Scylax tres inſulas adſcripſit *Proteradem*, *Cratiam*, *Olynthum*, haud longe a *Pharo & Iſſa*; his adde *Bubum*, ſive *Boponem* Plinianam. Ab hoc Promontorio igitur tertio fere milliario in Ortum ſita eſt *Girona*, quam Scylax *Proteradam* idcirco vocat, quia Promontorium circumvectis, porroque Orientem verſus progredientibus prima omnium, quæ ſunt in ſinu Manio, inſularum occurrit. Inſula eſt brevi ambitu circumſcripta, & nulla ab re magis, quam a duplici portu commoda nautis & opportuna; eo enim ſolent appellere venientes ab Oriente naves, ibique idoneam ſuperandi Promontorii tempeſtatem, ventoſque propitios præſtolari. Paſcua fert copioſa atque opima, & armentis, quæ macruerunt, reficiendis ſaginandiſque quam aptiſſima; finitimum habet ab Occidente ſcopulum ficetis, ac vineis refertiſſimum. Tragurienſi Epiſcopo ac Præfecto ſubeſt.

Sinus Neſtus, ſive Manius.

Girona ſeu Proteras.

Supra Gironam ad duo millia paſſuum ſita eſt *Bubus*, ſeu *Bovo* Pliniana, *Boa* Antonini; alii *Boas*, alii *Bubuam*, vulgo *Buam* appellant. Tragurio eſt oppoſita, eique, qua Septemtrionem aſpicit, ponte intermedio conjungitur. Mendum manifeſtum irrepſit in codices Plinianos, in quibus legitur: *Contra Surium Bubus*, & ex emendatioribus exemplaribus ſubſtituendum Tragurium, Surio expuncto. Hæc inſula decem mille paſſus ab Occaſu in Ortum producta eſt; qua latius patet, vix ſpatium excedit trium milliarium: paucos vicos habet, pauciſque focis habitatur, ſolo eſt ſterili atque infæcundo; incolæ rebus ad victum cultumque neceſſariis aliunde importatis utuntur. Qua parte Tragurio objicitur, duobus brachiis exporrectis ampliſſimum aperit ſinum magnarum navium capacem, tutumque ab omni maris ventorumque injuria. Bua olim nota erat ac celebris eam ob cauſam, quod illuc relegari ſolebant facinoroſi homines, præſertim qui hæreſeos nomine damnati eſſent. Huc referuntur verba illa leg. 53. Cod. Theod. de hæreticis: *Præcipimus ipſum Machinatorem in inſulam Boam feſtina celeritate deduci*. Et Ammianus lib. 22. c. 3. *contruſus eſt in inſulam Dalmatiæ Boas*; & lib. 28. cap. 5. *cum Senatus eum ad Boas, Dalmatiæ locum, exterminaſſet*. Tragurienſis territorii, ſeu ditionis eſt; ſed in iis, quæ ad religionem ſpectant, partim ad Tragurienſem Epiſcopum, partim ad Spalatenſem Archiepiſcopum pertinet. Tragurium inſulis annumerant Strabo, Mela, Ptolemæus; ſed inſulam dici vetat iſthmus, quo continenti annectitur; verum ea fortaſſis de cauſa, quod pelagus exæſtuans interdum iſthmo ſuperfunderetur, viſa eſt antiquis & habita inſula: ne autem mare ſuperfuſum viam intercluderet, injectus eſt pons lapideus, qui fornicibus quindecim incumbens, paſſus circiter quadraginta in longitudinem porrigitur. De Tragurio plura capite ſuperiori.

Bubus, ſeu Bovo, & Bua, & Bubua, & Bua, ejuſque deſcriptio.

Tragurium antiquis inſula viſa eſt.

Tertio a Bua milliario in Meridiem diſtat *Solita*, quam Scylax *Olynthum*, Odographus Peutingerianus *Solentium*, Anonymus Ravennas *Solentum*, hodie *Soltam* vocant. A Spalatenſibus leges accipit, ac magiſtratus, qui juri dicundo præſint. Spalatenſi itidem Archiepiſcopo ſubeſt in iis, quæ ad rerum ſacrarum procurationem, Deique cultum referuntur. Circuitum inſulæ viginti quinque paſſuum millia conficiunt. Tres habet vicos admodum frequentes. Tota ferme regio pratis, vineis, nemoribus diſtinguitur. Præcipuos e ſylvis proventus indigenæ percipiunt; inde quippe ad comburendum materiæ plurimum ſuppetit, quam partim Spalatum, partim Tragurium venalem advehunt. Nobile olim viſebatur cænobium, quod Monachi e familia ac diſciplina S. Benedicti incolebant, eratque in poteſtate ac ditione Abbatis S. Stephani, quod aliud eſt, idemque in iis regionibus princeps ejuſdem Ordinis cœnobium, prope a Spalato conditum. Hinc brevis eſt, freto anguſto interpoſito, in Brattiam trajectus.

Solita, ſive Olyntha & Solentium, nunc Solta.

Quam Plinius Brattiam, & in aliquibus codicibus Batriaſam vocat, eam alii aliter & ſcribunt & nominant; Scylax *Cratiam*, Polybius *Bracliam*, & *Brecliianos colonos*, Antoninus *Bratiiam*, Stephanus autem *Brettiam*, qui a Græcis *Elaphuſſam*, ab aliis *Britanniam* appellari tradit. Nunc *Brazza* vulgo dicitur. Inter Dalmaticas præcipuæ magnitudinis inſulas locum obtinet; quippe paſſuum millia amplius octoginta circuitu comprehendit; ejuſque longitudo ab Occaſu in Ortum mille paſſus quinque & triginta protenditur; illinc Soli-

Brattia, ſeu Cratia & Brecia &c.

tam,

tam, hinc oram Dalmatiæ in Meridiem devexam aſpicit; utrinque brevi euripo dirimitur. Crebris portubus eſt diſtincta, iiſque commodis atque ampliſſimis. Eo naves hoc libentius ſolent appellere, quod aquam, ligna, vinum, carnes, & omnis generis cibaria, & quidquid inſtrumenti ac viatici maritimus curſus deſiderat, abunde ſuppeditat. In ea cenſentur tria millia capitum, e quibus homines facile ſexcentos militiæ aptos Veneti conſcribunt. Omnes vicatim habitant; nam præter duodecim vicos, nullæ ſunt urbes, oppida nulla. Terra eſt ſaxetis aſpera, & vineis maxime idonea; vino proinde abundat, frumento non item. Sylvis referta eſt, & paſcuorum in primis ferax; quocirca plerique incolarum gregibus alendis aſſiduam adhibent curam, unde proventus ſane ingentes capiunt. Summa rerum civilium poteſtas ac procuratio eſt penes Patritium Venetum, qui Comitis titulo atque inſignibus decoratur; expleto duorum annorum, & octo menſium imperio, magiſtratu abit. Res autem eccleſiaſticæ jure ac ditione continentur Epiſcopi Pharienſis, qui jam inde ab hujus Epiſcopatus origine, Phariæ pariter & Brattiæ Epiſcopus appellari conſueverat. Exigua tamen hujus inſulæ portio in Occaſum vergens ad Spalatenſem diœceſim pertinet.

Pharia inſula apud veteres celebris, nunc Lieſina dicta.

Pharia nobilis olim Græcorum colonia, inde uſque a Paro Ægæi maris inſula huc deducta, & Græcis litteris celebrata & Latinis, rerum geſtarum gloria, & nominis fama, ſecundum Iſſam, inter omnes inſulas Illyricas facile princeps. Hinc originem traxit Demetrius cognomento Pharius, quem primum Romani ob ejus in rempublicam merita, haud exigua Illyrici parte donarunt, deinde cum a Romanis defeciſſet, acie victum, regnoque exutum in exilium compulerunt. Ex antiquis ſcriptoribus, qui de rebus Illyricis aliquid litteris prodiderint, nemo eſt, quin honorificam hujus inſulæ mentionem fecerit. Scylax, *Proteras*, inquit, *Cratia, Olynthia* καὶ *Φάρος*, καὶ *Issa*, *prope Pharum & Iſſam*. Agathemerus lib. 1. cap. 5. *εἰσὶν ἐν τῷ Ἀδριᾳ νῆσοι παρὰ τὴν Ἰλλυρίδα, ὧν ἐπισημόταται Issa*, καὶ ἡ Μέλαινα Κορκύρα, καὶ *Φάρος*, καὶ Μελίτη. *Sunt in Adriatico mari inſulæ propter oram Illyrici, quarum inſigniores Iſſa, & Corcyra Nigra, & Pharus, & Melita*. Strabo lib. 7. *Φάρος, ἣ πρόσθεν Πάρος, Παρίων κτίσμα. Pharus antea Parus dicta, Pariorum colonia*. Diodorus Siculus lib. 15. c. 13. *Πάριοι καὶ ἄλλα χρήματα ἀποικίας ἐκπέμψαντες εἰς τὴν Ἀδριᾶν, ἔκτισαν ἐν αὐτῇ νῆσον ἀπὸμαζομένην Φάρον. Parii oraculi monitu coloniam deducentes in Adriaticum mare, in eo condiderunt inſulam Pharum dictam*. Polybius lib. 3. c. 18. Pharum *inſulam & urbem munitam vocat*, καὶ πόλιν ὀχυρὰν. Ptolemæo pariter inſula & urbs ejuſdem nominis eſt: *Φαρία*, καὶ πόλις. *Pharia & urbs*. Plinius itidem Phariam appellat. Stephanus Byzantinus, *Φάρος νῆσος ἐν τῷ Ἀδρίᾳ*, *Pharus inſula in Adriatico*, additque eſſe κτίσμα Παρίων, coloniam Pariorum. Hodie Lieſina, ſeu Leſina vulgo dicitur, Huar a Slavis vocari ſolet.

Pharia igitur ab Occaſu in Ortum longiſſime porrecta, qua in Septemtrionem obvertitur, finitima eſt Brattiæ, a qua anguſto freto divellitur: qua vergit ad Meridiem Iſſam e longinquo proſpicit, & Corcyram Melænam propius aſpicit. Inſulæ longitudo paſſuum millia fere ſexaginta, latitudo, qua maxime patet, non amplius duodecim complectitur; circuitus vero centum & viginti milliaribus conſtat. De hujus inſulæ pagis hæc ſcripſit Levacovichius: *Pagos habet civitatibus haud abſimiles, Gelſam fontibus perennibus divitem, Verboskam ubertate agri pinguem, & urbem veterem dictam, quam Romanorum tempore principem locum fuiſſe, & inſulæ dominam tenendum eſt*. Urbem veterem, quam nunc *Lieſinam veterem* dicunt, ipſam eſſe Phariam inſulæ cognominem, & primariam civitatem arbitror, cujus Polybius, & Ptolemæus meminerunt. Sita eſt in ſuperiore ad Septemtrionem inſulæ latere, qua in Occaſum vergit. Prope extremum inſulæ ab Sole occiduo angulum duos inter montes jacet *Lieſina nova* ad Meridiem converſa, & planiſſimo loco explicata. Urbs eſt præclara ad aſpectum, ædificiis incoliſque admodum frequens, portu egregio, & capaci; duobus ex adverſo ſcopulis clauſo ac munito; quos alii deinceps in Occaſum ſcopuli excipiunt, extremumque inſulæ latus circumſtant; eorumque poſtremus ab S. Clemente nuncupatus, vicum habens cognominem, angulo occidentali ejuſdem inſulæ objacet. Fretum oram ſcopuloſque interfluens vocant *Canalem Lieſinæ*, ſcilicet urbis. Superius vero fretum Brattiæ & Phariæ interpoſitum vocant itidem *Canalem Lieſinæ*, ſcilicet inſulæ. Ædes Prætoria ſive Curia ea molis amplitudine, operiſque elegantia eſt, ut Italicam in eo genere magnificentiam non requiras. Mons ab Oriente aſſurgens, qua ex parte urbi dorſum obvertit, privatorum ædibus fere totus obtegitur, & multis familiis incolitur. Ex altero monte, qui ſpectat in Occaſum, attollitur arx cum difficili aſcenſu, atque arduo, tum mœnibus egregiis militaribuſque operibus munita, quę quidem urbi imminet, eique decori eſt ac præſidio. Altero quoque anno duo e Venetis Patritiis ſelecti Viri magiſtratuum ineunt; alter jus incolis dicit, ac rebus civilibus præeſt; alter rei bellicæ rationes & negotia procurat, idemque arci ſimul, & publico ærario præficitur. Civitas eſt Epiſcopalis, ſedemque Pontificiam abhinc annis ſexcentis obtinuit. Nullus præterea locus eſt, qui jure ac nomine civitatis gaudeat; ſed quæ paſſim viſuntur, ingentes ædificiorum ruinæ, plures olim urbes in hac inſula, eaſque celebres & numero incolarum, & opum copia fuiſſe teſtantur. Oppida porro vicique paſſim ita multi ſeſe offerunt, ut nulla maris Adriatici inſula frequentius habitetur: ſunt autem egregio ſitu plerique, & templis præclaris, & privatorum ædibus ornati; quorum qui maximus eſt, familias minimum quingentas complectitur. Terra partim plana eſt, partim in colles ac montes aſſurgit, amnibus frequens, naturaque fertilis, oleo, croco, melle, ac vino, præſertim abundat; & præterquam frumenti, rerum omnium, quas natura deſiderat, abundantiam & copiam ſuppeditat. Neque terra ſolum incolis fructuoſa eſt; ſed etiam mare ſibi quæſtuoſum induſtria reddunt. Multa ſiquidem habent navigia tum piſcatui, tum navigationi & mercaturæ addicta: utrinque magnos ſane atque uberes proventus percipiunt.

Phariæ poſitio & deſcriptio.

Civitas Lieſinæ & arx.

Iſſa inſula.

Iſſa magnitudine quidem quadruplo minor eſt, quam Pharia, ſed rerum antiquarum monumentis, ac veterum litteris longe illuſtrior. Inter urbes inſulaſque Græcorum Scylax Iſſam annumerat; eamdem Syracuſiorum, qui ſcilicet ab Græcis oriundi erant, coloniam fuiſſe auctor eſt Schymnus: *Iſſa nomine inſula eſt, Syracuſiorum continens coloniam*. Celebre olim fuit nomen Iſſeorum, & cum cæteris opibus, belliciſque laudibus, tum præſertim rei navalis gloria ante florebant, quam Romani primum bellum Illyricis inferrent.

Digitized by Google

ferrent. Vix alia ea tempeſtate gens erat, quæ pluribus navigiis Adriaticum mare percurreret. Hinc celebrantur apud Livium Lembi Iſſaici, genus navium, quibus Iſſenſes ſive ad bellum, ſive ad mercaturam utebantur. Epetium, & Tragurium, perantiquas oræ Illyricæ urbes ab Iſſenſibus conditas ferunt, eoque colonias ex Iſſa deductas, initio non invitis neque repugnantibus Illyricis; quippe qui ex inito cum Inſularibus illis commercio ac ſocietate ſuas opes non mediocriter augeri quotidie cernerent. Strabo inter notiſſimas Illyrici inſulas principem locum Iſſæ attribuit: εἶτ' ἄλλαι νῆσοι, γνωριμώτεραι δ' Ἴσσα, Τραγύριον, Ἰσσεῶν κτίσματα: *tum aliæ, quarum notiſſima Iſſa, Tragurium Iſſeorum colonia*. Neque Agathemerus a Strabone diſſentit: ὧν ἐπισημότεραι Ἴσσα &c. *quarum inſigniores ſunt Iſſa* &c. Primum contra Illyricos bellum a Romanis ſuſceptum eſt præcipue Iſſenſium cauſa, qui jam antea ſe in fidem amicitiamque populi Romani contulerant. Cum enim Iſſenſes apud Senatum conqueſti eſſent fines ſuos ab Agrone Illyriorum Rege infeſtos haberi, monitique per Legatos Romanorum Illyrii, ut a maleficiis abſtinerent, nihilo ſegnius Iſſenſium agros & vicos diripere ac vaſtare pergerent, Romani ſuas ſociorumque injurias primo Illyrico bello perſecuti ultique ſunt egregie. In aliis deinde bellis Iſſenſes operam ſuam naviter conſtanterque Romanis præſtiterunt; & adverſus Philippum Regem Macedonum viginti lembos Iſſeorum Romanæ claſſi ſubſidio veniſſe auctor eſt Livius. Quocirca Iſſenſes a Romanis ſemper honorifice amiceque habiti ſunt, & in eo fœdere, quod Romani poſt Gentium devictum pepigere cum Illyriis, nominatim Iſſenſium libertati atque immunitati cautum eſt. Sed multis poſt ætatibus, eadem, quæ cæteros Illyrios, temporum ac rerum viciſſitudo Iſſenſes quoque Romanis vectigales fecit. Quare Plinius lib. 3. c. 26. Iſſam urbem inſulæ cognominem civium Romanorum oppidis annumerat. Ejuſdem meminit Hirtius de bello Alex. cap. 14. *Vatinius*, inquit, *poſt diem tertium contendit in inſulam Iſſam, quod eo ſe recepiſſe ex fuga credebat Octavium. Erat nobiliſſimum regionum earum oppidum, conjunctiſſimumque Octavio*. Iſſenſium deinde opes ac potentia paullatim imminui cœptæ, demum uſque eo decrevere, vix ut priſtinæ fortunæ ac dignitatis memoriam Iſſenſes retineant. Præcipue nunc Iſſenſium opes ac divitiæ Sardiniarum piſcatu & commercio continentur. Inſula quippe rerum fere omnium, præterquam vini, inops eſt ac ſterilis. Oppida ſive pagos præcipuos numerat omnino quinque, qui ferme a piſcatorum familiis incoluntur; duplici portu inſtructa eſt; alterum habet a Meridie ſatis commodum, quamquam exiguum; alterum a Septemtrione, eumque amplum omnino ac tutum. Trigoni ſpeciem refert; baſis obverſa eſt in Occaſum, angulus in Solem orientem ſpectat; latus ſuperius contra Aquilonem, inferius contra Auſtrum protenditur. Mille paſſus circiter viginti quinque ambitu colligit. A Pharia ſeptemdecim mille paſſibus in Meridiem diſtat. Appianus *Eſſon*, Anonymus Ravennas *Iſſiam*, cæteri ſcriptores Iſſam appellant. Cave confundas Iſſam cum Liſſa, & Lillo, nominis ſimilitudine deceptus. Antoninus, niſi quis alius ſit, auctor itinerarii maritimi, Liſſam ab Iſſa diſtinguit, itemque Plinius Liſſam ſtatuens contra Jaderam; quæ quidem poſitio ſatis aperte oſtendit Liſſæ vocabulum inditum olim fuiſſe inſulæ S. Michaelis, cui etiam nomen eſt Uliano.

Iſſam, Liſſam, Liſſum diſtinguit.

Iſſam vero, de qua nunc ſermo eſt, omnes fere ſcriptores non longe a Pharia conſtituunt; utramque enim ſimul nominant. Liſſus autem eſt oppidum pervetus ad ripam ſiniſtram Drilonis in Epiro nova. *Liſſus* pro Iſſa in Græca Appiani exemplaria ſemel iterumque irrepſit. Item apud Diodorum Siculum Iſſæ locum Liſſiis invaſit; & in fragmentis Polybii n. 124, γιωτίων, ſeu Διωτίων vocabulis expunctis Ἰσσίων nomen reponi debet. Quæ enim de Liſſo, ſive Liſſiis ſcriptores laudati ſcripſere, cum Iſſa inſula & Iſſenſibus congruunt, neque alio referri poſſunt. Iſſæ Apollonius Argon. l. 4. appoſuit *Dyſceladon* inſulam neſcio quam, quæ invenitur etiam in exemplaribus quibuſdam apud Pomponium Melam; in his quippe inter Abſorum & Abſyrtim *Dyſcelados*, in aliis vero *Celaduſe* interpoſita eſt. Sed Voſſius negat ullam eſſe hujus nominis inſulam, Dyſceladon autem epitheton eſſe contendit, quo Apollonius Iſſam affecit; Dyſcelados autem apud Græcos idem valet, quod male & graviter ſonan apud Latinos. Quod autem ibi fluctus magno ventorum impetu impacti alliſique ad ſcopulos & littora, ingentes ac terrificos ſonitus edant; idcirco Iſſam *Dyſceladon*, ideſt *maleſonam* cognominari ait: Ἴσσα τε δυσκέλαδός τε ἐ ἰμερτὴ Πιτύεια. Sed duplex conjunctio τε videtur ſententiæ Voſſianæ repugnare, duaſque inſulas deſignare inter ſe mari interfluo diſcretas: *Et Iſſa, & Dyſceladon, & deſiderabilis Pityea*. Si qua igitur fuit inſula prope Iſſam, cui Dyſcelado nomen fuerit, ea ſine dubio eſt, quæ *Buſi* hodie vocatur, Iſſæ adjacens ab Occaſu, circuitus exigui, & opulento olim ac nobili Sacerdotio, quod Abbatiam vocant, inſignis, quam Manfredus Siciliæ Rex auxit ornavitque diplomate quam ampliſſimo. Hæc deinde in Iſſam translata fuit, eique Abbas Commendatarius præpoſitus. Ab Iſſa longius in Solem occiduum diſtat inſula ſive ſcopulus S. Andreæ, Abbatis itidem titulo præditus; qua cum etiam Dyſcelados Apolloniana videtur congruere poſſe. Neque ab Iſſa longe aberat Pityea Apollonii. Eſt alius præterea ſcopulus, quem *Meliſſellum* vocant, inter Buſim, & ſcopulum S. Andreæ in Septemtrionem recedens. Ex his tribus ſive ſcopulis ſive inſulis duas ſeligas velim, quarum altera Dyſcelados, altera Pityea Apolloniana fuerit, utraque Iſſæ propinquæ; Apollonius enim tres illas inſulas Iſſam, Dyſceladon, Pityeam ut conjunctim nominat, ſic finitimas inter ſe ac proximas conſtituere videtur.

Dyſcelados Apollonii ab Iſſa diſtinguenda, nunc Buſi vocatur.

Pityea inſ.

Infra Phariam a Meridie ſubeſt *Trucola*, ſive *Torcola*, peranguſto freto dirempta; eadem eſt, Hermolao interprete, quam Pomponius Mela poſt Iſſam nominat *Trucones*, ſive ut in aliis exemplaribus legitur, Ticanam. Millia paſſuum circiter quinque & viginti circuitu colligit. Extant inibi veſtigia adhuc recentia cujuſdam cœnobii Dominicani, nunc vacui deſertique, propterea quod Piratæ frequentibus excurſionibus, ac latrociniis inſulam infeſtam redderent.

Trucola inſula, ideſt Trucones Pomponii.

Ab eadem Pharia paſſuum millibus fere decem abeſt in Meridiem *Corcyra Nigra*. Utrique interjecta eſt Trucula, & pars extrema Peninſulæ Stagni in Occaſum proſpiciens. Scriptores Græci Κόρκυραν, ſive Κόρκυραν τὴν μέλαιναν nuncupant. Hinc a Latinis dicta *Corcyra*, ſeu *Corcura nigra*. Porghyrogenitus *Curcram*, Itali *Curzolam*, Slavi *Karkan* vocitant. Ab nemorum frequentia, & procerarum arborum opacitate cognomen Nigræ adepta eſt, quo quidem a Corcyra Jonii maris inſula diſtinguitur, quam olim & Phæaciam,

Corcyra Nigra variis appellatæ vocabulis.

cium, & Scharium, & aliis præterea nominibus appellatum fuerunt. In Corcyra Melæna urbem a Cnidiis conditam Strabo, oppidum a Gnidiis habitatum Plinius tradit. Circuitus insulæ millia passuum, propter varios anfractus, ad nonaginta, longitudo amplius triginta, latitudo, qua maxima est, circiter decem numerat. Ad naves ædificandas, præsertim actuarias sive onerarias ingentem optimamque materiam sylvæ suppeditant; fundidem etiam picis vis uberrima elicitur, unde illud Ovidii de Arte: *Illyrica pice nigrior*. Tritici aliarumque segetum mira penuria; vix enim frumenti quod incolis in quatuor menses sufficiat, ex tota insula colligitur. Sale oleoque aliunde invecto utuntur, quippe domestico carent. Sed ejusmodi rerum inopiam abunde compensant tum vini copia, tum multiplices, quos e piscatu & navigatione capiunt, proventus. Urbs est ejusdem, atque insula nominis, mœnibus ac propugnaculis egregie cincta, publicis privatisque ædificiis præclare ornata. In latere superiore ad Septemtrionem, adversus extremum angulum Peninsulæ Stagni fita est, modico interfluente euripo, qui ab insula sinus Corcyreus denominatur. Sedem Episcopalem abhinc quatuor sæculis obtinuit, quæ Metropolitam Ragusinum agnoscit. Primarium urbis templum D. Marci titulo insigne, eximia marmorum elegantia, operisque sane antigui magnificentia extructum, jus locumque obtinet ædis Cathedralis. Unus e familiis Patritiis Venetorum, Comitis idem ac Provisoris nomine præditus rerum summam administrat, isque magistratus duorum ac triginta mensium spatio definitur. Insula incolarum referta est; in eaque ad quinque hominum millia censeri perhibent; quorum plerique dispersi per agros vicatim habitant, cæteri urbem, & suburbia frequentant. Regio in primis portuosa est, undique stationes ac sinus aperit ad reficiendas e longo itinere naves, tuendasque ab tempestatum injuriis perquam appositos opportunosque. Bagnensis portus, is, qui ab urbe tertio milliario distat, longe ante alios celeberrimus est, navium que plenissimus; nam & situ est communito, & facili accessu, & circuitu amplissimo, nullasque quantævis magnitudinis naves, ac ne integras quidem classes respuit. Ad Corcyræ territorium ditionemque spectat Trucola, sive Ticana insula, de qua paullo ante dictum est; itemque scopulus, cui a S. Maximo nomen obvenit, haud longe ab urbe in Ortum disjunctus. Magnam huic loco celebritatem conciliat sacrum Christi morientis simulacrum, miraculorum fama, & accolarum peregre visentium frequentia maxime inclytum. A Patribus Franciscanis illic domicilium nactis religiose pariter atque honorifice asservatur, & a finitimis populis, muneribus juxta votivisque tabellis oblatis, eximia veneratione colitur.

Ejus descriptio.

Corcyræ subest a Meridie Lagusta, millia rium fere decem intervallo disjuncta, quam Tabula Peutingeriana *Ladestrim*, Stephanus *Ladestam*, Porphyrogenitus *Lastoben*, Dandulus *Ladestinam*, Diocleates *Lastam*, indigenæ Slavorum lingua *Lastovon* appellant. Regio licet montosa, haud tamen inamœna & sterilis; tota ferme arboribus est consita, referta olivetis, pomariis, ac vineis præsertim, ex quibus optimi vini abunde suppetit; sed aquæ dulcis magna penuria, parum admodum tritici, maxima vis piscium; corolariorum autem copia ingens, quorum piscatu non indigenæ modo, sed etiam adve-

Lagustæ insulæ varia nomina.

Natura regionis.

næ diteſcunt. Insula passuum millia omnino ad triginta circuitu complectitur; aliquot vicis habitata, & quinque portubus distincta, quibus nihil commodius navibus, nihil natura, vel arte tutius; eo & frequentari solent vel maxime ingenti sane incolarum utilitate, qui nautis & vectoribus illuc crebro & confertim appellentibus vina divendunt cum magno quæstu compendioque. Hanc insulam Ragusienses obtinent, quadringentos ante annos coemptam a Stephano Rege Serblorum cognomento Crapula; eique Comitem præficiunt, qui rebus civilibus administrandis, & juri dicendo præsit; Archiepiscopus item Ragusiensis Vicarium ibidem constituit, eique rerum sacrarum procurationem delegat. Theopompus Auctor vetustissimus apud Stephanum Ladestam inter insulas Liburnidas annumerat; quod argumento est insulas omnes Illyricas antiquitus Liburnorum dominatu & vocabulo comprehensas fuisse. Ab Lagusta in Occasum duo scopuli magnitudinis non exiguæ aliquot mille passibus distant, ferme inculti ac deserti; alterum *Catzolam*, alterum *Catzam* vocant; proxime vero eamdem circumstant duo ab Occidente, quatuor ab Oriente, quos Lagustinos appellant.

A Corcyra septem milliarium trajectus est ad insulam alteram ditionis Ragusinæ, quæ Latinis Melita, Græcis Μελίτη, & Μελίτην dicitur, Porphyrogenitus Meletam, & Malozeaten, Slavi Mlit, aut Milet, Itali Meladam nominant. Hinc Melitæos catulos appellari auctor est Callimachus apud Plinium, quos item apud Athenæum celebratos invenies; sed Strabo eos cognominari tradit ab altera Melita insula maris Mediterranei adversus Africam, ab hac nostra longissimo maris tractu disjuncta. Constantinum Porphyrogenitum auctorem habes D. Paullum e naufragio, quo perfunctus est, cum vinctus Romam duceretur, in hanc Illyrici insulam ejectum esse, non vero, ut plerique existimant, ad Melitam Africanam appulisse. Hæc insula millia passuum fere triginta in longitudinem porrigitur; latitudo ejus varia est, maxima ex parte septem millibus patet, circuitu septuaginta milliaria comprehendit. Regio est eximia locorum amœnitate, jucundissima cœli temperie, riguo solo semperque propemodum vernante, ut deliciarum ac voluptatis causa locus hic a natura factus esse videatur. Aureis citreisque malis abundat, & tanta est, quæ inde afflatur, odorum vis atque copia, tam longe ac late diffusa, ut nautas illuc quamvis procul, prætereuntes mira suavitate percellat. Duo in hac insula sunt lacus, viridissimo riparum vestitu, & proceris circum arboribus visendi, piscium optimorum plenissimi, & conchyliorum in primis feraces; utrumque efficiunt leviter stagnantes ex alto aquæ, patenti ostio exceptæ; & angusto euripo interposito, pervius est Cymbis ex altero in alterum trajectus. Piscium itidem copiam ingentem mare circumfluum gignit. Tellus vitibus non magis apta, quam consita, vina suggerit egregia & copiosa, quæ facile vetustatem ferunt; sed tritici adeo inops est, ut vix mille homines, (totidem quippe insula continet) aut ne vix quidem alere possit. De situ insulæ ac natura, locorum pulchritudine, amœnitate orarum ac littorum fuse ornateque scripsit Luccarius lib. 4. Annalium Ragusiensium. Insula, qua ex parte aspicit Septemtriones, frequentibus portubus distinguitur, e quibus, ut reliquos taceam, is, quem Palatium vocant, ingentium navium est capax, facili undique accessu pervius, & triplici scopulo,

Melitæ multiplex nomen.

Descriptio Insulæ.

Digitized by Google

lo, velut opere atque conſulto, turbinibus & fluctibus oppoſito, egregie munitus & clauſus. Portui nomen dediſſe ajunt magnificentiſſimum olim Palatium, molitione ſumptuq; plus quam regio exſtructum ab Ageſilao Cilico, Opiani Poetæ non incelebris parente, qui aliquot annos juſſu Severi Imperatoris ibidem exulavit. Incolæ vicatim habitant; unum omnino eſt oppidum, idque ſatis amplum & frequens, quod ab inſula denominatur, in ea parte ſitum, quæ ad Occaſum vergit. Raguſienſes, quorum ditioni ſubeſt Melita, ſingulis annis Prætorem ex ordine Patritiorum delectum in inſulam, cum imperio mittunt, qui Comitis titulum gerens jus incolis reddat, remque publicam adminiſtret. Quod attinet ad rerum ſacrarum procurationem, Antiſtes Raguſienſis duos in inſula Parochos rei Chriſtianæ curatores, ſuique muneris Vicarios conſtituit. Neque hic prætereundum eſt nobile in primis ac celebre cœnobium S. Benedicti, caput & parens univerſæ Congregationis Melitenſis, quæ inde nomen atque initium duxit, conſtatque ex aliquot aliis Raguſinæ ditionis Benedictinis cœnobiis, & viris doctrina paritenac ſanctitate eximia perpetuo floruit.

Congregatio Bened. Melitenſis monachorum S. Benedicti.

Ex hiſce inſulis, quas modo deſcripſimus, una fuerit oportet, quæ Tauris etiam appellata eſſet. Ejus mentionem qui fecerit, præter Hirtium & Tabulam Peutingerianam, neminem invenio. Hirtius de Bel. Alex. c. 14. auctor eſt M. Octavium Ducem Pompejani exercitus apud Tauridem inſulam a Vatinio navali pugna victum fuiſſe, cum *magnum cominus in anguſto mari prælium factum eſſet*, & paucis parvilque navigiis ex illa clade collectis in Græciam profugiſſe, quem tamen apud Iſſam inſulam ſe recepiſſe ex fuga Vatinius credebat. Ex hujus prælii apud Hirtium deſcriptione ſatis perſpicue intelligitur Tauridem, ad quam pugnatum eſt, poſitam fuiſſe in hoc tractu maritimo, in quo ſunt inſulæ a nobis commemoratæ. Neque Boam, neque Solentium, neque Iſſam, neque Phariam, neque Brattiam, neque Ladeſtrim, neque Corcyram, neque Melitam eſſe, quam Hirtius Tauridem vocat, ſatis aperte declarat Odographus Peutingerianus, qui has omnes inſulas nominat, ab hiſque omnibus Tauridem diſtinguit, Phariamque inter & Corcyram conſtituit. Reſtat, ut vel Girona, vel Truçola ea ſit, quæ ab utroque ſcriptore Tauris nuncupatur; abeſt utraque a Tabula Peutingeriana, aut certe ibidem nominata non eſt. Hujus enim maritimi tractus alia nulla eſt inſula; niſi e ſcopulis, quę inſulis illis adjacent, aliquem fuiſſe exiſtimes, cui Tauridi nomen eſſet; quod ſane non eſt verisimile, cum Tauris portum haberet ſatis amplum, ut Hirtius docet, ex quo claſſis Octaviana ad dimicandum proceſſit. Sive autem Gironę, ſive Trucolæ nomen Tauridis impertias, cum utraque præclare congruunt, quæ in Tauridem ex Hirtii deſcriptione conveniunt. Utraque cum ſit circuitus non exigui, portum habuit Octavianæ claſſi recipiendæ idoneum. Gironam ab Occaſu, Septemtrione, & Oriente euripus admodum anguſtus circumluit; itemque Trucola Phariæ & Corcyræ interjecta, utrinque brevi admodum freto diſjungitur; prælium autem illud maritimum commiſſum eſt *cominus in anguſto mari*; cumque neutrobi acies explicari poſſent, quanto conjunctis magis navibus confligendi poteſtas dabatur, tanto acrior extitit pugna vehementiorque. Neutra demum inſula longe aberat ab Iſſa, cujus propinquitas Vatinium in eam opinionem induxit, ut crederet Octavium illuc e fuga ſe recepiſſe. Hæc autem, quæ in alterutram harum inſularum optime quadrant, vix aut ne vix quidem referri, & accommodari poſſent ad inſulas alias hinc longius in Orientem ſummotas.

Tauris inſula

eſt vel Trucola, vel Girona.

Poſt Melitam Plinius lib. 3. cap. 26. locavit *Elaphites*, tres in aliquibus Plinianis exemplaribus, in aliis quatuor. Sed in hunc Plinii locum, in quo Elaphites a Melita duodecim mille paſſibus disjunguntur, ſine dubio mendum arithmeticum irrepſit. Nam Elaphites Plinianæ aliæ eſſe non poſſunt, niſi tres inſulæ ditionis Raguſinæ contra oſtia Arionis nunc Omblæ fluminis, quæ a Melita vix quatuor milliaribus diſtant. Nam has inſulas prætervectus, nihil deinceps inſularum ſecus oram Illyricam, uſque ad Drilonis oſtium invenies, præter aliquot ſcopulos admodum raros, & duas treſve inſulas in ſinu Rhizonico introrſum a mari aperto; quas Elaphites Plinianas eſſe nemo dixerit. Hujuſmodi menda in notas Arithmeticas librariorum incuria vel inſcitia facillime irrepunt; & in eodem Pliniano codice poſt Bobum, Brattiam, Iſſam, & Phariam nominatas, *ab his* Corcyra Melæna XXV. M. *paſſuum* diſtare dicitur, cum Corcyra a Pharia quidem vix decem, ab Iſſa vix viginti, a Bobo autem amplius triginta millibus diſtet. Quas igitur Plinius Elaphites vocat, tres illas eſſe cenſeo, quas vulgo nuncupant *Zupanam*, *Mediam*, *Calamotam*, oræ Illyricæ & Melitæ interjectas. His ſi quartam adjicere velis, ut in quibuſdam Plinianis codicibus ſcriptum eſt, habes ſcopulum, cui nomen eſt *Lalano*, Zupanæ ab Occaſu proximum, quem ad tres illas Elaphites adjungas: id vocabuli ἀπὸ τῆς ἐλάφου a cervis adeptas eſſe conſtat; an quod in iis Cervi ad venationem alerentur, an aliam ob cauſam ejuſmodi nomen illis obvenerit, incompertum eſt. Tenui euripo diſcretæ ſunt, omneſque civilibus pariter atque eccleſiaſticis Raguſienſium Magiſtratibus obtemperant. Prima ab Occaſu eſt Zupana, quæ millia paſſuum amplius duodecim ambitu colligit, incolarum numero, & locorum amœnitate, cęli temperie & agri bonitate, portu denique in primis capaci tutoque cæteris inſulis Raguſinis, ſecundum Melitam, facile antecellit. In ea pervetuſtum eſt ac nobile cœnobium Congregationis Benedictinæ Melitenſis, ſede, tituloque Abbatiali perinſigne, cui ab S. Michaele nomen impoſitum eſt. Poſtrema ab Oriente eſt Calamota, quæ a reliquis duabus vel amplitudine circuitus, vel frequentia habitatorum, vel ubertate agri plurimum diſtat. Utrique interjecta eſt, quam inſulam *Mediam* vocant. Eadem ferme gaudet, qua Zupana, ſoli benignitate, locique natura, ſed circuitu minor, & familiis domibuſque infrequentior. Ab hac non longe ſitus eſt a meridie ſcopulus S. Andreæ, haud alia re memorabilior, quam præclaro D. Benedicti cœnobio, ad Congregationem Melitenſem aggregato; Prioratum S. Andreæ appellant.

Elaphites inſulæ.

nunc Zupana, Media, Calamota dicta.

Deſcriptio Zupanæ.

Calamota & Media.

Adverſus Raguſium inſula quędam ſeu ſcopulus ad ortum vergens eminet e mari, cui a S. Marco nomen eſt inditum. Lacromam vulgo vocitant. Modico quidem eſt circuitu, ſed fertilitate eximia. Quidquid frugum, fructuumque terra gignit, pertinet ad cœnobium S. Benedicti, atque in annua monachorum alimenta ſeponitur. Perantiquum eſt id cœnobium, non illud Melitenſi, ſed Patavinæ congregationi adſcriptum, quæ ab S. Juſtina nuncupatur. E regione veteris Epidauri jamdudum everſi, ultraque in Ortum plures oræ maritimæ objacent ſcopuli, alii propius, alii longius ſiti, inter quos eſt Marcana, parva

Scopulus S. Marci ſeu Lacromas.

Marcana ſcopulus.

va insula, non amplius duorum milliarium ambitu definita.

Sinus Rhizonicus, in quo insulæ 4.

Ragusinæ ditionis oram prætervectis, porroque in Orientem navigare pergentibus duo sunt ad lævam scopuli, modico spatio disjuncti, ac steriles omnino atque inculti. Hos interfluens pelagus, pluribus introrsum æstuariis, ac sinuosis flexibus circumagitur ac diffunditur. Hinc sinus Rhizonicus efficitur, angusto curipo bifariam divisus in superiorem & inferiorem. In eo sunt insulæ, sive scopuli omnino quatuor, nullius ferme apud Historicos, & Geographos nominis, propterea quod ad navigationem Illyricam minime pertineant; neque enim parvæ illæ insulæ iis obviæ sunt, qui per mare Adriaticum secus oram navigant; nam introrsum abditas remotasque ne prospicere quidem, nedum attingere nautæ possunt. Qua ex parte sinus inferior Rhizonicus in Ortum extenditur, insula est Stradiotarum, exiguo admodum spatio divulsa, ab littore & duobus circiter milliariis circumscripta. Habuit olim ab S. Gabriele nomen, veterisque templi eidem Archangelo sacri vestigia etiamnum retinet. Recentius insulæ nomen a Stradiotis populis Epiri novæ inditum est; nam si quando bellum ab Turcis ingrueret, Veneti ex Epiro Stradiotas accersere solebant, quorum fidei ac virtuti insulam committerent: permagni siquidem intererat firmissimis eum locum præsidiis tenere, quem si hostes cœpissent, nullo negotio poterant urbem Ascrivium, ad sinum superiorem appositam, commeatibus omnibus ac subsidiis intercludere, adempta scilicet Venetis facultate Rhizonicum sinum classe subeundi. Hic nobile olim cœnobium obtinebant monachi e familia ac disciplina Basiliana; ad quos cum se recepisset Dragomirus Serbiæ Rex frater S. Uladimiri, eum ibidem Græci ex insidiis adorti, per summam perfidiam necarunt. Nunc insula habitatoribus vacua, nihil ferme, præter rudera quædam, ac dirutarum ædium vestigia ostentat. Insulæ Stradiotarum proxime adiacet ab Occasu scopulus S. Mariæ dictus ab insigni, quæ ibidem antiqua religione colitur, Deiparæ Virginis icone, crebris & ingentibus miraculis inclyta. Ædi Marianæ adjunctum cœnobium incoluere primum Canonici S. Georgii de Alga, tum P.P. Dominicani, iis deinde abeuntibus, ad ejus templi locique custodiam acciti sunt fratres e Franciscana familia, quos Minores Observantes vulgo dictitant. In sinu Rhizonico superiori, e regione Perasti celebris quondam oppidi, hodieque satis noti, duo prominent scopuli; alterum ab S. Maria de *Scalpello*, alterum ab S. Georgio *de Cataro*, sive Perasto cognominant; hic non amplius centum & viginti passus ambitu colligit; ob eam causam commemorandus, quod inibi erat illustris ac pervetus Abbatia S. Benedicti, copiosis vectigalibus instructa, quæ jampridem in formam Commendæ redacta est; & Abbatis Commendatarii eligendi jus ac potestas, cum esset antea penes Magistratum urbis Ascrivii, deinde ad Senatum Venetum devoluta est. Alter ille scopulus S. Mariæ de Scalpello, ferme duplo minor, causam habet celebritatis ac nominis ab sacra & Thaumaturgica effigie sanctissimæ Dei parentis acceptam; quippe hanc non vetera magis, quam nova quotidie illustrant miracula. Quocirca e finitimis regionibus, voti ac religionis ergo, crebri ad eam fieri solent hominum concursus, Deo ac Deiparæ grates agentium ob beneficia divinitus sibi collata, & cœlestem vim prædicantium, opemque præsentissimam in seipsis expertam. Ultra ostium sinus Rhizonici, reliqua deinceps ora usque ad ostia Drilonis patens est, marique aperto expositа; & si scopulos aliquot admodum rarosexcipias, nullis insulis obtegitur.

Inf. Stradiotarum.

2. S. Mariæ

3. S. Georgii de Cataro.

4. S. Mariæ de Scalpello.

In hac Dalmatiæ hodiernæ descriptione tribus capitibus comprehensa necesse est haud pauca mihi vel invito exciderint, quæ cum situ ac natura regionum, cum ingenio ac moribus incolarum, cum dimensione ac distantia locorum vel minus congruant vel omnino discrepent, præsertim si ad hæc nostra tempora, & ad eum, qui nunc est, rerum hujuscemodi statum referantur. Qui vel de rebus Dalmaticis hodiernis scripserunt, vel Dalmatiæ hodiernæ topographiam aut litteris, aut typis consignarunt, tanta sunt in varietate ac dissensione constituti, ut mirari magis adeo illos inter se discrepare, quam quid veri sit, discernere queas. Nec vero facultas nobis fuit regiones illas obeundi ac lustrandi, veniendique in rem præsentem, ut quæ a nobis explorata & dimensa essent, conferre possemus cum iis, quæ ab aliis tradita sunt, scriptorumque opiniones tam varias, tamque inter se dissidentes exigere ac perpendere ad rationem eorum, quæ nostris oculis subjecta, nostrisque investigationibus comperta & plane cognita fuissent. Neque nobis præsto fuit rerum locorumque Dalmatiæ scient aliquis ac peritus, quem consulere possemus, quique dubitationes, e Scriptorum dissensionibus injectas, nobis evelleret. De omnibus autem hujuscemodi rebus, præsertim minutioribus, quæ sunt propemodum innumerabiles, Dalmatarum sententiam per litteras scisciteri, & inquirere, nimis longum fuisset ac difficile, nec vero satis expeditum, & exitu plerumque incertum, propter longinquitatem, & propter varios dubiosque eventus itineris maritimi; præterquam quod omnia & singula, de quibus dubitandi causæ identidem suboriuntur, litteris committi & comprehendi vix possunt. Cæterum hæc ratio veri per litteras exquirendi haud omnino a nobis prætermissa fuit; sed sæpe accidit, ut nobis ambigua redderentur, & obscura responsa, quæ neque omnem dubitationem eximerent, & alias interdum ex aliis dubitationes injicerent. Quando igitur Dalmatiæ hodiernæ descriptionem non aliunde petere licebat, nisi e recentioribus Geographis & scriptoribus, id sedule curavimus, ut cum illi de locorum natura, dimensione, ac distantia inter se dissident, ex variis ac discrepantibus opinionibus inter se, & cum re ipsa, de qua controversia est, collatis, eas deligeremus, quæ propius ad veritatem accedere videbantur. Ubi vero a reipsa & veritate aberravimus, cum vel admoniti, fuerimus, vel rerum certiorem notitiam adepti, nobis errati corrigendi neque locus, neque voluntas deerit.

§. IV.

De Mari Adriatico, ejusque variis nominibus, & Dominis.

Adriat. Mis mensio.

MAre Adriaticum ab recessu intimo, quem Veneti circumcolunt, usque ad fauces Hydruntinas millia passuum fere quingenta in longitudinem porrigitur; latitudo ejus varia est, & qua maxime patet inter Ragusium, & oram adversam Italicam infra Promontorium Garganicum ad milliaria centum, & amplius viginti protenditur. Vix mare aliud reperies, cui tam multa & varia nomina obvenerint, quorum aliqua adhuc in ore hominum scriptisque versantur, cætera vetustas abolevit. Etenim præter nomen Adriaticum æque vulgo, ac

viris

viris litteratis notiſſimum, idemque omnium longe celeberrimum, aliis atque aliis vocabulis apud antiquos & juniores ſcriptores appellatum invenies; quippe dictum eſt *Saturnium* ſive *Chronium*, *Jonium*, *Liburnicum*, *Illyricum*, *Dalmaticum*, *Superum*, *Venetum*, quorum quidem nominum cauſas & origines inveſtigare atque evolvere nunc aggredimur.

Adriatico antiquitus dictum Saturnio, & Chronio.

Apollonius in Argonauticis, Cælius lib. 7. cap. 6. aliique auctores ſunt huic mari antiquitus nomen fuiſſe *Saturnio* ſive *Chronio*. Ab Saturno utrumque nomen derivari inter omnes convenit; nam Saturnus græce dicitur Κρόνος, ſive Χρόνος, ideſt ſpatium temporis. Saturnum enim eum eſſe voluerunt, qui curſum & converſionem ſpatiorum ac temporum contineret; idcirco autem latine Saturnus eſt nominatus, quod ſaturetur annis: ex ſe autem natos comeſſe fingitur ſolitus, quia conſumit ætas temporum ſpatia, anniſque præteritis inſaturabiliter expletur; vinctus etiam dicitur a Jove, ne immoderatos curſus haberet, atque ut eum ſiderum vinculis alligaret: ita, interprete Tullio lib. 2. de Nat. Deor. phyſica ratio non inelegans fabuloſis narrationibus involuta. Chroni, ſive Saturni vocabulo ſubeſt. Cælius modo laudatus hoc mare idcirco appellatum eſſe ait Saturnium, ſive Chronium, *quod illic Saturnus habitaverit*; non utique Saturnus ille, qui apud Euſebium in Chron. ſecundus poſt Janum, tertius ante Latinum, adventumque Æneæ in Italia regnaſſe dicitur; nam præterquamquod is, cum in Latio principatum obtineret, propiuſque ab infero ſive Tyrrheno, quam a ſupero ſive Adriatico mari habitaret, non huic, ſed illi potius mari nomen ſuum indidiſſet. Multis ſeculis antequam Saturnus Euſebianus rerum in Italia potiretur, hoc mare Chronium ſive Saturnium dictum fuiſſe exiſtimo. Siquidem ut Joves plures, & Mercurios, atque Hercules plures in priſcis Græcorum litteris invenimus, ſic etiam plures Saturnos fuiſſe oportet: quæ enim veteres de Saturno memoriæ & ſcriptis prodiderunt, ea locis ac temporibus adeo ſunt disjuncta, ut in unum eumdemque hominem convenire nequeant; & vere præclareque Xenophon is, qui ſcripſit æquivoca, docet apud Ludovicum Vives in lib. 18. Auguſt. de Civit. cap. 15. Saturnos olim habitos & dictos eſſe nobiliſſimarum familiarum Reges, & filios eorum Joves. Adde, quod nomen Saturnium vigebat in Italia inde uſque ab Oenotri adventu, qui ſæculo ante Trojanum excidium fere quinto coloniam Pelaſgorum in Italiam deduxit; cum inter urbes illorum temporum, quas Siculi & Pelaſgi incolebant, Saturniam annumeret Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 1. qui præterea tradit annis ferme ducentis poſt Oenotrios alteram Pelaſgorum manum in Italiam veniſſe, qui e Theſſalia per Deucalionem expulſi cum eſſent, & oraculum ab Jove Dodonæo petiviſſent, Sciſcitantes, ubinam gentium ſibi collocandum eſſet domicilium, admoniti fuerunt, ut quæſitum irent *Saturniam terram*, quo quidem nomine Italia deſignabatur; ex quo apparet jam tum Italiam denominatam fuiſſe Saturniam; ideſt amplius duobus ſæculis, antequam Saturnus juxta calculos Chronologicos Euſebianos in Italia rerum potiretur. Itaque ut Italia, ſic etiam mare non ab hoc juniore Euſebiano Saturno cognomen Saturnii accepit, ſed ab alio longe vetuſtiſſimo, qui cum regnum in Italia oraque maritima obtineret, pro more illorum temporum, ut Xenophon docet, Saturnus appellabatur. Quod ſi tum Italia, tum mare Adriaticum propterea a Saturno denominatum velis, quod in hujus Dei commentitii tutela utrumque eſſet, & Saturnus ab Italis ſumma veneratione uſque ab antiquiſſimis temporibus coleretur; vel hinc apparet, quanta ſit Saturniæ appellationis antiquitas. Saturnum enim omnium Deorum antiquiſſimum, atque adeo parentem eſſe, Poetæ pariter Hiſtoricique Ethnici affirmant. Altero ferme poſt univerſale Diluvium ſæculo, inanium Deorum cultus uſurpari cepit, cum Ninus Beli filius, impia pietate adductus, parentis ſui monumentum ac ſimulachrum coli juſſit pro Deo. Ea Idolorum Deorumque origo notatur. Si ergo Saturnus reliquos omnes Deos ætate antecedit, ſequitur ejus cultum jam inde ab altero poſt Diluvium ſæculo viguiſſe; quæ quidem ſuperſtitio ex Oriente primum in Græciam, deinde in Italiam, & in alias ex aliis regiones illata, brevi mortalium fere omnium animos pervaſit. Hinc factum eſt, ut cum alii populi, tum Itali præclarum ſibi ducerent, tum regionem ſuam, tum mare, quod accolebant, denominare a priſco illo Deorum principe ac parente, in cujus fidem ac clientelam ſe ſuaque omnia tradiderant. Cum autem, qui a Latinis Saturnus, idem a Græcis Chronos diceretur, quod circumagendis moderandiſque temporibus præeſſet, mare idem alias Saturnium, alias Chronium appellatum eſt. Quare cum hujus appellationis initium & Saturno juniore Euſebiano ſit antiquius, & omnem vetuſtatis memoriam antecedat, hoc inter cetera vocabula, quæ mari Adriatico obvenerunt, primum eſſe & antiquiſſimum exiſtimo.

Quid Saturnus ſive Chronos ſignificet.

Utriuſque vocabuli prisq.

Jonii maris appellationem adeptum eſſe apud priſcos mare Adriaticum nemo eſt, qui neſciat; ſive ab Jone Jonum Duce, ut tradit Theopompus apud Strabonem l. 7. ſive ab Jonio Illyrico Dyrrhachi filio, ut docet Appianus lib. 2. de bel. civil. ſive ab Jaone, cujus filius Adrias totum ſinum Adriaticum cognominavit, ut cenſet Euſthatius ad Dionyſ. Perieg. ſive ab Ius Inachidis erroribus, ut Apollodorus lib. 2. & Eſchylus in Promet. exiſtimant, ſive demum ab Jonibus antiquiſſimis Græciæ populis, qui, Attica obruta ſubmerſaque Ogygio Diluvio, patria profugi oram Adriatici maris incoluerint. Diluvium autem Ogygis Regis Atticæ annis fere 1796. ex calculis Chronologicis Petavii Chriſtianam æram præceſſit. Hoc mare utroque vocabulo Jonii & Adriatici promiſcue & communiter appellari auctores ſunt Scylax in Periplo, & Dionyſius in Perieg. ὁ δ' αὐτὸς Ἀδρίας ἐστὶ, καὶ Ἰόνιος: porro, ait Scylax, *idem Adrias eſt, & Jonius*. Dionyſius vero mare hoc ab Hydruntinis faucibus uſque ad intimum ejuſdem receſſum, ab accolis Jonium nominari ait: Ἥτινα καὶ Ἰόνιον πελαγοπαραπλέοντα ὠνόμασται: *Quod etiam Jonium accolæ dixerunt*. Cum autem mare illud, quod infra fauces Hydruntinas extremæ Italiæ Illyriæque, Siciliæ & Peloponneſo interjectum longe lateque protenditur, Jonium inde uſque ab antiquiſſimis temporibus itidem appelletur, Veteres, ut alterum ab altero diſtinguerent, hoc quidem *Mare Jonium*, cui Virgilius *Magni* præterea cognomen appoſuit, noſtrum vero plerumque ſinum Jonium vocitare conſueverant. Cæterum plerique Veteres, quibus fuit curæ & diſtinctius & accuratius loqui, non univerſum illi quidem Adriaticum Jonii vocabulo ſubjiciunt; ſed quidquid maritimi ſinus eſt intra oſtium, quod Hydruntum inter monteſque Acroceraunios patet, bifariam dividunt; & maris interni, quod procurrit uſque ad Garganum Apuliæ montem, vocant Jonium; quod vero reliquum eſt, & in ultimum uſque receſſum porri-

Adriatico unde appellatum ſit.

gitur

Adriatici bifariam divisem, pars superior Adria, inferior dicta Jonium.

gitur, Adriaticum appellant. Schymnus Chius in Periplo ſinum Jonium Japygiæ appoſuit, quæ ab Japygio, ſive Salentino Promontorio Siponтum, ſive Hyrium uſque oppida duo ad radices montis Gargani fines ſuos proferebat: *Juxta Italiam rectus Jonius Sinus jacet, ad ejus autem introitum pertinentes habitant Japyges . . . . deinde eſt mare, quod vocant Adrianum.* Dionyſius vero is, qui antea, nulla adhibita diſtinctione, utrique Jonii & Adriatici vocabulo idem mare ſubeſſe dixerat; poſtea Hyrii oppidi interjectu alterum ab altero diſtinxit; & inde Adriaticum incipere ait, ubi deſinit Jonium, extendique in Septemtrionem uſque ad ſinum Aquilejenſem: *Deinceps poſt hos Calabricæ ſedes terræ, Genteſque Japygum ad uſque Hyrium extenſæ, maritimam Hyrium, ubi trahitur Adriaticum mare in ſinum finitimum Aquilejenſem;* id quod Strabo lib. 7. apertiſſime, & planiſſime explicavit: *Montes Ceraunii initium faucium Jonii ſinus, & maris Adriatici. Fauces quidem profecto utrique communes ſunt: eoque hæc duo differunt, quod prima parti maris hujus adhæſit nomen ſinus Jonii, Adriæ vero, portioni interiori uſque ad intimum receſſum.* Idem perſpicue docet Euſtathius in ſuis Commentariis ad Perieg. Dion. *Porro Adriatici, & Jonii maris principium ſunt Ceraunii montes, quorum alioqui & oſtium commune; ſed ipſa differunt ſitu. Jonius enim ſinus recta poſt oſtium vel poſt fauces porrigitur, & a quodam regionis illius dominatore, ſive etiam a Nympha Jo appellationem habet. Adria vero interior eſt, tenditque uſque ad intima.* Cæterum inter hæc duo Adriatici & Jonii vocabula, quibus idem mare diſtinguitur, hoc intereſt, quod latius primum, quam ſecundum pateat. Nam Adriaticum veluti genus eſt, quod duas partes amplectitur, quippe, cum hoc mare univerſum, quod partim Adriaticum, partim ſinus Jonius vocatur, communi Adriæ vocabulo ſubeſt; ut præclare Strabo animadvertit, ac docuit: *Univerſum autem id mare nunc Adriæ nomen gerit.*

Adriatici vocabuli origo incerta.

Sed, ut ſupra dixi, una inter omnes excellit *Adriæ*, ſive *Adriatici* maris appellatio, quæ a vetuſtiſſimis ducta temporibus viget adhuc, & vulgi ſermone, & Geographorum litteris celebratur; cum aliæ pleræque aut raro uſurpari ſoleant, aut vetuſtate penitus exſoleverint. Idem mare alias *Adriam*, alias *Adriaticum* Scriptores nominant; M. Tullius, & Schymnus *Adrianum* dixere; Virgilius, & Poetæ metri cauſa vocant Adriacum. Huic itidem nomini aſpirationem alii præfigunt, alii adimendam cenſent. Sed Adriatici vocabuli neque initium, neque origo ſatis certa deſignari poteſt. Ab Adria urbe denominatum vulgo exiſtimant; ſed cum duas urbes cognomines in ora Italica inveniam, alteram apud Venetos, alteram in Piceno, quas veteres Adriæ vocabulo impertiunt, utra ex his mari nomen dederit, merito dubitari poteſt. Adriam urbem & coloniam Etruſci in antiqua Venetia prope ab oſtiis Padi ad Tartarum amnem condiderunt, poſtquam ſcilicet Apenninum transgreſſi, quæ trans Padum erant, omnia loca, excepto Venetorum angulo, uſq; ad alpes tenuere. Altera fuit Hadria in Piceno, quam Ptolemæus, Strabo, Plinius, Silius, Mela, Aurelius Victor, & plures alii commemorant; civitas pervetus ac nobilis apud Matrinum amnem ad mare ſita; ſed qui vel Conditorem hujus urbis nominet, vel tempus urbis conditæ definiat, nullum reperio. Livius, Strabo, Plinius, & alii plerique ab Adria Tuſcorum urbe & colonia nomen Adriatico mari impoſitum putant. Sed Aurelius Victor in Epitome in Hadriano ab altera Hadria, quæ fuit patria Hadriani Imperatoris, agri Piceni oppido maritimo, Adriaticum mare cognominatum affirmat. An prima illa Adria ab Etruſcis condita *oppidum tam celebre fuerit, ut mari nomen imponeret, dubitari ex eo poſſe* ait Chriſtophorus Cellarius, *quia Strabo inter πολισμάτια, ideſt oppidula numerat; de veteri autem conditione ejus*, inquit, *non ex ſua ſententia Strabo, ſed incerta vulgi opinione dicit, τὴν Ἀδρίαν ἔνιοι φασὶ γνώριμον πόλιν εἶναι, ἀφ' ἧς τὸν κόλπον τὸν Ἀδρίαν εἶναι, Adriam claram fuiſſe urbem dicunt, a qua nomen ſit ſinui Adriatico. Sed φασὶν dicunt homines, non probant documentis.* Quæ dubitatio ab Cellario injecta ſiquid valet, multo magis videtur in Hadriam Piceni, quam in Adriam Tuſcorum valere. Illa ſiquidem neque celebritate nominis, neque opibus ſive terreſtribus ſive maritimis cum Adria Etruſca ullo modo conferri poteſt. Ego vero neutram illam urbem apud Veteres tanti habitam fuiſſe exiſtimo, ut ab alterutra, vel etiam utraque, mare Adriaticum denominandum cenſerent; ac longe veriſimilius puto, quam ab una vel duabus civitatibus, quæ huic mari aſſident, ab integra regione, quam idem mare præterluebat, Adriæ & Adriatici nomen repetendum eſſe. Regio illa maritima, quæ nunc Dalmatia dicitur, antiquitus dicta eſt Adria, ut docet Thomas Archidiaconus Hiſt. Salon. cap. 1. *Adria nihilominus hæc provincia nuncupatur*; & paullo poſt: *Adria dicitur*: id quod nititur auctoritate Strabonis Geographorum omnium facile principis, qui Dalmatiam omnem, qua vergit ad mare, *Ardiam vocat. Ad Adriam vero tota pene eſt Ardia. Adria & Ardia* idem nomen eſt, ex iiſdem litteris conſtans, niſi quod unica littera, quam liquidam vocant, non eumdem utrobique locum ſervat, & alteri litteræ, quam mutam appellant, alias præponitur, alias poſtponitur, id quod ſæpe accidere ſolet; præter quamquod unius litterulæ varia interpoſitio Librariis adſcribi poteſt: nam etiam tractus ille montium, quibus Dalmatia ſubjacet, apud Strabonem in Mſſ. codicibus alias *Ardius*, alias *Adrius* dictus eſt. Ad hæc; in Topographia Dalmatica Adriæ & Adriatici nominis multimodis variati veſtigia quædam paſſim occurrunt, veluti Ardius ſive Adrius mons, Ardia civitas apud Stephanum, Jadra itidem civitas perantiqua, Jadrus ſive Jader fluvius, Ardiæi populi; quæ quidem vocabula ſatis declarant nomen Adrium in ea regione, quæ poſtea dicta eſt Dalmatia, celebre olim fuiſſe, ex quo multiplex facta eſt derivatio nominum, quæ litteris ferme iiſdem conſtant, & ab uno eodemque Adriæ vocabulo, quaſi ab una radice orta varie commutantur; hoc tantum inter ſe differunt, quod una alterave littera non eamdem in omnibus illis vocibus poſitionem retinet. Cum igitur regio illa maritima, quæ a Septemtrione & Oriente obverſa eſt Italiæ, referta eſſet ejuſmodi vocabulis, quibus magna cum *Adria* & *Adriatico* affinitas intercedit ac ſimilitudo, quid eſt, quod dubitemus appellationem *Adriæ* & *Adriatici* maris referre potius ad regionem hanc, quæ ab ſe illud denominaverit, quam eamdem repetere ab alterutra illarum Italiæ urbium ſive Picena, ſive Etruſca; quæ quidem accepiſſe verius, quam nomen dediſſe huic mari videntur? Idem ante nos animadvertit, ac fere idem cenſuit Raphael Levacovichius Epiſcopus Achridanus, qui mare Adriaticum ab Adriomonte Dalmatico dictum fuiſſe affirmat in Prodromo mſ. Geogr. Illyricæ: *Adriaticum mare potius*

Adriæ urbes duæ.

Ab Adria Tuſcorum pleriique exiſtimant nomen Maris impoſitum, aliqui ab Hadria Piceni.

veriſimilius a Dalmatia regione, olim Adria appellata.

Adrii ſive Adrii vocabulum frequens in Topographia Dalmatica

eius ab Adrio monte Dalmatiæ, per longitudinem ejus, insidente, quam ab Adria Italiæ civitate, bona venia tam veterum, quam recentiorum scriptorum affirmaverim, tum quia idem mare ab Justino, nonnullisque aliis Illyricum dicitur; tum quia inde incipit Adriatici nomen, unde & montis Adrii, & eo usque Adriaticum in Jonium commutatur, licet ipsum quoque Jonium interdum Adriatici nomine sumatur. Si vero quæras, unde regio, quod mari communicavit, nomen acceperit; Thomas Archidiaconus hanc attulit causam, cur appellata sit Adria: *Quidam dicunt, quod Adria dicitur a quodam Adrio Itali fratre, qui regnavit ibidem.* Eustathius bonus auctor in primis si non regioni, certe mari nomen inditum ad Adrio fuisse docet in Perieg. Dion. vers. 92. ex antiquorum opinione, quam cum non refellat, videtur approbare. *Traditur Adria Jaonis Itali filius extitisse, a quo etiam Adriaticum mare appellatur.* Italum ex Arcadia oriundum, a quo Italiam denominatam ferunt, inter antiquissimos Italiæ Reges annumerant Thucydides lib. 6. Antiochus Syracusanus apud Dionysium Halicarnassensem lib. 1. itemque Hyginus. Hujus itaque seu frater, seu filius fuit Adrius, qui in ea regione, quæ postea Dalmatiæ nomen sumpsit, rerum potitus, si vera scripsit Archidiaconus, suum nomen impertierit monti & fluvio, populis & urbibus Dalmatiæ, ac toti denique regioni, a qua mare ipsum deinde cognomen accepit. Italum autem seu parentem, seu fratrem Adrii apud Italos regnasse tradit Heninges sæculo post orbem conditum vigesimo tertio, quod mille & fere octingentis annis æram Christianam antecessit.

Adriaticū ab Adrio sive Adrio montibus Dalmatiæ.

Cæterum Adriæ Tuscorum si minus origo, certe restitutio Adriatici nominis attribui potest. Cum enim Liburni oram Illyricam, itemque oræ Italicæ tractum haud sane exiguum, una cum intermedio mari in suam ditionem redegissent, Adriaticum nomen ferme obsoleverat, ejusque in locum Liburnici maris appellatio successerat. Umbri quidem Liburnis Palmensem, Prætutianum, Hadrianumque agrum in ora Picentum, Etrusci vero Umbris ademerunt, ut est apud Plinium lib. 3. cap. 14. in suaque potestate usque ad Gallorum adventum retinuerunt. Cum igitur Tusci antiquitus incolerent urbibus duodenis terras cis Apenninum ad inferum mare, ut auctor est Livius Dec. 5. lib. 1. postea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis missis, quæ trans Padum erant, omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinus circumcolunt maris, paullatim occupantes, usque ad alpes tenuere; & Pelasgis Umbrisque expulsis, oram Italiæ maritimam magna ex parte adepti, primum societate inita cum Liburnis in hoc mari dominati sunt; post accisas vero eversasque Liburnorum opes, maritimum dominatum sibi totum vindicarunt. Exinde ab Adria urbe maritima, & totius gentis primaria, maris Adriatici cognomen in pristinum locum restitui, iterumque omnium litteris ac sermone usurpari cepit, quod postea nulla temporum diuturnitate, rerumque publicarum conversione aboleri potuit; quamvis hoc mare aliorum deinceps populorum imperium, & alia atque alia vocabula subierit. Hæc fere habui de origine vocabuli Adriatici, quæ scriberem: non quod ea pro certo affirmare ausim, sed quod verisimilia putem; præsertim cum minime pugnent cum eorum sententia, qui ab Adria Tuscorum mare Adriaticum denominatum existimant; quod ut vere dici possit, nihil interest, utrum prima, an veluti secunda nominis Adriatici origo Adriæ Etruscæ debeatur.

Ab Adria Etruscę huic mari nomen Adriaticum restituit, quod sub Liburnis exoleverat.

Illud hic animadverti velim apud antiquos scriptores Adriaticum mare a sinu Adriatico distingui; nam hic quidem Italicæ, Illyricæque oræ complexu continetur; illud vero multo latius patet, longiusque procurrit. Jonium enim mare, quod Græciam Siciliamque interfluit, cognominatum fuisse Adriaticum plures sunt Auctores, notioresque, quam ut necesse sit eorum testimoniis referendis, hic diutius immorari. Quid quod mare Adriaticum in Africam usque protendunt Æthius & Orosius, apud quos Tripolitana provincia a Septemtrione Adriatico mari alluitur; & Creta a Meridie *Libyco mari terminatur, quod Adriaticum vocant*. Adde Hieronymum, qui in vita S. Hilarion. ab Ægypti Parætonio profectos medio Adria navigari ait, subvehique ad Pachynum Siciliæ Promontorium; itemque Procopium, qui lib. de Vandal. Gauli & Melitę interjectu Tyrrhenum ab Adriatico mari disjungi scripsit. Quare qui D. Paullum ad Melitam non Illyricam, sed Africanam e naufragio appulisse censent; ne quid officiat huic opinioni auctoritas S. Lucæ, qui tempestatem illam, quæ Paullum vectoresque cæteros in extremum discrimen adduxit, in *Adria* exortam fuisse scripsit; ajunt, respondentque iis, qui contra sentiunt, Lucam Veterum exemplo mare Mediterraneum Adriæ vocabulo impertiisse. Verum D. Ignatius Georgius, Monachus Benedictinus e Congregatione Melitensi Ragusina, huic responsioni vim omnem eripuit, aditumque præclusit; quippe antiquorum scriptorum testimoniis in utramque sententiam prolatis, satis luculente ostendit ante Ptolemæum, qui altero ærę Christianæ sæculo floruit, neminem fuisse, qui mare nomenque Adriaticum ultra fauces Hydruntinas, aut certe ultra Siculum fretum protulerit: non esse autem verisimile, ut Lucas prætermissis vocabulis usitatis, id vocabuli adhibuerit, quod nondum in usu esse, sive ad significandum mare Mediterraneum referri nondum cęperat. Sed hęc alias.

Sinus Adriaticus a mari Adriatico distinctus.

Apud Boch. de Phœnic. colon. lib. 1. c. 16.

Mediterraneum interdum appellatū Adriaticū.

Mare Adriaticum haud multis annis post eadem Trojanam nomen sublit dominatumque Liburnorum. Hi populi oriundi erant, profectique ex Asia, qui re ad Trojam infeliciter gesta, eversoque Priami regno, longe ac late per Europam dispersi, cum multas alias regiones, tum vero omnem oram maritimam Italiæ obversam, littorisque Italici partem aliquam, cum insulis omnibus Illyricis, occuparant. Liburnos huic mari nomen dedisse, ac dominatos esse argumento sunt insulæ aut pleræque, aut fere omnes dictæ Liburnides, regio illa propemodum universa inter Arsiam & Drilonem, Archidiacono teste, appellata olim Liburnia, naves denique ab illarum inventoribus & architectis cognominatæ Liburnicæ, quibus Liburni, partem etiam oræ Italicæ adepti, ultro citroque commercii causa commeabant, & ad piratas avertendos, tuendamque maris possessionem utebantur: id quippe genus navigii, quod Græcis pariter Latinisque litteris celebratur, satis declarat Liburnos tum rei navalis scientia præditos fuisse, tum copiis opibusque maritimis plurimum valuisse. Liburnos in Adriatici maris possessionem successisse Pelasgis ac Diomedi, quæ supersunt, illorum temporum monumenta perspicue demonstrant; sed ante Pelasgos quinam populi in Adria dominati fuerint, neque litteris, neque memoriæ proditum est.

Adriaticū a Liburnis Adriatici nomen & imperium cepit.

Itaque tribus quatuorve ante bellum Trojanum sæculis, Italiam refertam fuisse colonijs Pelasgorum

Pelasgi ante Liburnos Domini maris Adriatici.

Digitized by Google

rum e Græcia ac Theſſalia deductis, auctores ſunt Xenophon, Pauſanias, Dionyſius Halicarnaſſenſis. Ii in utrumque mare vergentes, tum extremam ad Meridiem Italiæ partem, quæ mari infero alluitur, multis oppidis incolebant, quæ vel indigenis eripuerant, vel ipſi condiderant; tum vero prope omnem Italicam oram, quæ mari ſupero adjacet, Græcis urbibus & coloniis obtinebant. Aliquot deinde poſt ætatibus Hyllus Herculis filius, a quo Hyllini, & Illyrici, gentes Pelaſgicas in eam regionem invexit, quæ inter Drilonem ac Naronem fluvios prima omnium appellata eſt Illyricum, cujus fines idem Hyllus, auctor conditorque nominis ac generis Illyrici, in Occaſum uſque ad Titium propagavit. Huc revoca, quæ diximus parte prima Prolegomenon c. 1. §. 1. & 2. Cum igitur Pelaſgi oram utramque maris Adriatici propemodum omnem in ſua poteſtate haberent, dubitari non poteſt, quin eorumdem imperio mare intermedium ſubeſſet. Dionyſius Halicarnaſſenſis ſine ulla dubitatione maritimum dominatum Pelaſgis attribuit; nam lib. 1. poſtquam de illorum adventu in Italiam ſcripſit, urbique condendæ ſedibus captis apud unum ex oſtiis Padi, cui nomen erat Spinetico; hæc ſubjecit: *ibique condiderunt urbem Oſtio fluminis cognominem* (ideſt Spinam), *proſperaque præ cunctis cum ſinum accolentibus uſi fortuna, & diu potiti maris imperio, Delphos Deo decimas e maritimis proventibus, ſi qua alia civitas, magnificas miſerunt.* Idem Strabo lib. 7. confirmat: *Spina nunc vicus, quondam Græca urbs nobilis, quando & Spinetarum theſaurus Delphis oſtenditur, & alioquin fertur eos maris dominium obtinuiſſe.* Per idem tempus ab iiſdem Pelaſgis e Theſſalia oriundis Ravennam ædificatam fuiſſe arbitror. Nam Strabo lib. 5. Ravennæ primordia ad Theſſalos auctores refert: *Fertur & Ravenna, inquit, Theſſalorum eſſe opus.* Hunc florentiſſimum rerum ſuarum ſtatum in Italia Pelaſgi annos fere trecentos tenuerunt; cum proximo ante bellum Trojanum, vel eodem ſæculo ineunte paullatim a ſumma illa excitataque fortuna ad humilem ac prope jacentem defciſcere cœperunt. *Tempus autem*, inquit Dionyſius, *quo res Pelaſgorum cœperunt deficere, incidit in alteram ætatem ante bellum Troicum. Duraverunt tamen pene ultra ejus belli tempora, donec contractæ ſunt in gentem minimam.* Tres cauſas affert Dionyſius, cur Pelaſgorum opes terreſtres maritimæque in Italia imminui, deterioreſque in dies fieri cœperint; una eſt ſterilitas agrorum divinitus immiſſa, & quæ inde conſecuta eſt annonæ caritas, morbi, peſtilentiæ, pecudum hominumque interitus; altera eſt, quod domeſticæ inter eos ſeditiones exarſerint; tertia demum hæc eſt, quod barbari quidam finitimi Pelaſgorum agros & colonias excurſionibus & latrociniis infeſtas reddebant. Hęc cum fuſe diligenterque deſcripta ſint apud Dionyſium, non eſt neceſſe hoc loco pluribus perſequi. Itaque eum ingraveſcerent quotidie inteſtina mala, & aliæ ex aliis calamitates ingruerent, multæ identidem Pelaſgorum migrationes ex Italia fiebant, aliis Græciam repetentibus, aliis alio demigrantibus. Cæterum, ne res Pelaſgica ſtatim ac funditus corrueret, ſubſidio venit Diomedes, qui eam in ſtatum priſtinum, quoad licuit, reſtituere conatus eſt; idemque Liburnorum hoſtis acerrimus cum eſſet, rei Liburnicæ ad ſummum terræ mariſque imperium properantis curſum retardavit. Is Trojano bello perfunctus, & poſt Trojam captam anno ante Chriſtum 1184, claſſe in Adriaticum mare invectus, cum aliquot Illyrici urbes maritimas inſulaſque cepit, tum in ora Italica oppida multa vel condidit, vel reſtituit; de quo ejuſque dominatu maritimo cum dictum ſit part. 1. Prolegom. cap. 1. §. 3., nihil habeo quod adjiciam; ſed facere non poſſum, quin Strabonis in hanc ſententiam teſtimonium hoc loco iterum deſcribam: *In ipſo autem intimo ſinus Adriatici Timavum eſt, Diomedis templum memorabile; habet enim portum, & elegantem lucum, & fontes ſeptem potabilis aquæ ſtatim in mare alto & lato excidentis amne . . . Diomedem circa illud mare ditionem tenuiſſe teſtantur inſulæ Diomedeæ, & quæ de Dauniis & Argo Hippio referunt.* Nullum tamen huic mari vocabulum ſive a Pelaſgis, ſive a Diomede inditum reperio; ſub quorum ditione quamdiu fuit, antiquum Adriæ vocabulum retinuit. Ergo Diomedes quoad vixit, vel regnavit in Italia, cum in utraque ora inſulas urbeſque haud paucas ſuis præſidiis obtineret, quoddam veluti frenum Liburnorum potentiæ injecit, eamque coercuit, ne latius imperii fines explicaret, & terra marique dominaretur.

Diomede haud multis poſt annis vel a Liburnis victo cæſoque, ut Servius cenſet, vel ex Italia abeunte, ut alii tradunt, hoc quaſi obice ſublato, nihil reliquum fuit, quod rei Liburnicę progreſſiones retardaret. Nam Liburni cum regionem omnem maritimam inter Arſiam ac Drilonem inſulaſque occupaſſent, & claſſe tranſvecti, in Piceno Umbriaque, ut auctor eſt Plinius lib. 3. cap. 13. Italicæ oræ partem haud exiguam adepti eſſent, fœdere & amicitia conjuncti cum aliis ejuſdem generis Aſiaticis populis, qui Venetiam, quive Epirum obtinebant, totius maris imperium ſibi vindicarunt. De adventu Liburnorum, ac maritimo eorumdem dominatu, quæ diximus part. 1. Prolegomenon cap. 2. §. 1. & 2. huc referas velim. Ad Liburnorum opes copiaſque tum terreſtres, tum præſertim maritimas augendas & firmandas plurimum vel incrementi, vel præſidii attulit poſſeſſio inſulæ Phæaciæ, ſive Corcyræ, quæ ad excubias, & cuſtodiam Adriatici maris infra ejuſdem oſtia, locoque opportuno ad claſſes externas arcendas natura ipſa poſuiſſe videtur. Hanc porro inſulam Strabo Liburnis attribuit, eorumque imperium Appianus ultra Drilonem fere uſque ad montes Acroceraunios viſus eſt proferre, cum ad Liburnicam ditionem Dyrrhachium adjunxit. Hæc loca maritima cum Liburni poſſiderent, Hiſtoricus Dalmata lib. 1. cap. 1. exiſtimat id ſatis argumenti eſſe, cur maris quoque poſſeſſio iiſdem adjudicare debeat. *Poſt Diomedem*, inquit, *Liburnos ejuſdem maris dominium habuiſſe ſatis arguunt, quæ de ipſis Plinius, Strabo, & Appianus referunt.* Præterea cum pleræque ejuſdem maris inſulæ, communi vocabulo appellatę ſint Liburnicæ, inde quoque effici poſſe idem Auctor exiſtimat, univerſum mare in poteſtate Liburnorum fuiſſe: *Liburnicarum inſularum nomenclatura eoſdem mari potitos fuiſſe declarat.* Ergo Liburni liberam nacti totius Adriæ navigationem, oppidis, portubus, navalibus in utraque ora conſtruendis, convehendis, exportandiſque mercibus, vectigalibus exigendis, & quæſtubus maritimis faciendis in tantas opes crevere, ut nulla finitimarum nationum illis bello par eſſet, aut de maris imperio contendere cum illis poſſet. Pelaſgi ſiquidem, qui oram Italicam tenebant, variis calamitatibus, caſibuſque adverſis afflicti, poſt Diomedis interitum, vel diſceſſum, ejuſ-

Pelaſgorum imperium maritimum, Italicum & Illyricum.

Ravenna opus Theſſalorum.

Res Pelaſgorum in Italia labentes Diomedes ſuſtinuit, maris, eaque circumjecta imperium adeptus.

Diomede extincto, Liburni imperium late propagant, & maris imperium ſibi vindicant.

Liburnorum opes & potentia.

ejusque gentis diminutionem, adeo erant debilitati, ut res suas ægre tueri, nedum alienas invadere valerent; præterquamquod Liburni, Plinio teste, *plurima ejus tractus*, Italici maritimi, *tenuere, in primis Palmensem, Pretutianum, Hadrianumque agrum*, in Piceno, *urbemque Truentum*. Adepti vero cum essent Phæacum insulam sive Corcyram, mire opportunam ad tuendum maris imperium, hoc veluti vallo & propugnaculo Adriæ ostium externis classibus intercluserant: & sane quamdiu Liburnorum imperium stetit viguitque, nullas e Græcia, sive aliunde classes in Adriaticum invectas fuisse legimus.

Etrusci Apenninum transgressi, oram superi maris magna ex parte colonis occupant.

Annos amplius ducentos Liburni integrum maris dominium tenuerant, cum Etrusci gens terra marique præpotens, duodecim trans Apenninum emissis colonis, Pelasgorum reliquiis, quæ supererant, expulsis vel deletis, ab Atheſi usque ad Matrinum Piceni fluvium, Italicam oram paullatim sub potestatem redegerunt; quam cum suis oppidis ac præsidiis egregie munissent, copiis opibusque maritimis pene pares Liburnis esse videbantur, quibuscum de maris imperio viribus propemodum æquis decertare possent. Inter maritimas urbes Tuscorum principem locum obtinebat Adria, unde Etrusci rei navalis scientissimi, cum antea Tyrrheno in mari dominarentur, in Adriaticum quoque jus imperiumque invitis sive consentientibus Liburnis extendere cœperunt. Hæc imperii Etrusci trans Apenninum propagatio, Adriæque urbis initium duobus fere sæculis videtur antecedere primordia Romani imperii, Romamque conditam anno quarto Olympiadis sextæ juxta Chronologiam Petavianam, qui fuit annus ante Christum 753. id quod non discrepat a Livio, qui Decad. 1. lib. 5. scripsit Tuscorum, ante Romanum Imperium, late opes patuisse, mari supero inferoque; quamvis ille nullam apposuerit epocham certi definitique temporis, quo Etrusci suas colonias trans Apenninum emittere cœperint. Fateor equidem, eodem auctore Livio Dec. 1. lib. 1. inde usque ab Æneæ in Italiam adventu tantam opibus Etruriam fuisse, ut jam non terras solum, sed mare etiam per totam Italiæ longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum fama sui nominis implesset. Sed quod tum Etrusci nominis fama trans Apenninum pervaserit, id non est satis argumenti, ex quo effici possit, jus quoque imperiumque Tuscorum illuc perveniſse; seu, quod propius vero est, iis verbis nihil aliud Titus Livius intelligi voluit, nisi omnia fere citra Apenninum, sive inter Apenninum & mare inferum, ab Alpibus Graiis usque ad fretum Siculum, per totam Italiæ cisapenninæ longitudinem, sub potestate Etruscorum fuisse.

Oram Italicam Liburnis Umbri, Umbris Etrusci adimunt.

Sub adventum Etruscorum, vel non multo ante Umbri Siculis & Liburnis quidquid oræ Italicæ in Picenis obtinebant, eripuerant; sed eum maritimum tractum, expulsis Umbris, Etrusci in suam ditionem redegerunt. Id docet Plinius: *Siculi, & Liburni plurima ejus tractus tenuere, in primis Palmensem, Pretutianum, Hadrianumque agrum; Umbri eos expulere, hos Etruria*. Idem Plinius lib. 7. cap. 14. auctor est oppida omnino trecenta cis Apenninum ultraque Umbris erepta in jus potestatemque Tuscorum migrasse: *Tercenta*, inquit, *eorum oppida Tusci debellasse reperiuntur*: Id autem primum ambigi potest, suane sponte, an Liburnorum hortatu Etrusci Umbris bellum intulerint; deinde utrum iidem Tusci omnem maritimam dominationem Liburnis ademptam ad se pertraxerint, an vero Liburni Etruscique sociali fœdere & amicitia junsti, simul pariterque jus Adriaticæ navigationis deinceps usurpaverint. Ego vero sic existimo, Etruscos a Liburnis contra Umbros expulsores auxilio accitos fuisse, & horum copiis illos adjutos esse ad oram Italicam, cujus possessione Liburni depulsi fuerant, Umbris eripiendam; itemque Liburnos communicasse cum Etruscis imperium maris, sic prorsus, ut per annos fere quadringentos utrique, æquo ac pari jure navigationem, commerciumque maritimum usurpaverint. Illud inter omnes conveniat necesse est, Tuscos, sive bello & dimicatione, sive pacto & convenu, rei maritimæ exercendæ potestatem nacti fuerint, certe in Adriatico mari olim dominatos fuisse; argumento est, tum nomen Adriatici, ab Adria ejus gentis urbe & colonia primaria huic mari sive impositum, ut censent plerique, sive potius restitutum, ut nobis videtur, quod jamdudum ob crebriorem Liburnici vocabuli usurpationem propemodum desuetudine obsoleverat; sive possessio Italicæ oræ, quam Etrusci neque sine classibus copiisque maritimis, neque sine aliquo maris dominatu retinere poterant. Historicus Dalmata, ut supra diximus in Prolegomenis, primum censuit maris imperium a Liburnis, post Corcyram amissam, ad Etruscos esse translatum, in eorumque potestate mansisse usque ad Dionysium seniorem, qui anno ante Christum 406. tyrannidem Syracusis occupavit; sed postea in eam, quæ nobis magis probatur, sententiam concessit, & vero propius existimavit, Tuscos a Liburnis in societatem commercii dominatusque maritimi adscitos fuisse, ut sibi auxilio essent contra Umbros, qui omni littoris Italici possessione Liburnos depulerant. Itaque post Umbros devictos, inter gentem utramque ita convenit, ut oram quidem Italicam Etrusci, oram vero huic adversam cum insulis Liburni possiderent. Et vero cum Etrusci imperii trans Adriaticum prolati nulla extet memoria, nulla apud veteres scriptores vestigia appareant; non est profecto verisimile, ut qui alterum tantummodo hujus maris latus suis præsidiis & coloniis obtinebant, ii totius maris dominationem sibi adsciscere potuerint, exclusis Liburnis, qui alterum ad Septemtrionem & Orientem ejusdem maris latus cum omnibus insulis in sua ditione ac potestate habebant. Nam quod idem Historicus Dalmata opinatur, præter oram Italicam, aliquid etiam alterius oræ, cum urbe Jadera, & proximis insulis ad Etruscorum imperium pertinuisse, nullo prorsus modo assentior. Siquidem ea pars oræ maritimæ Titio & Arsiæ fluminibus interjecta, ubi civitas Jadrensis sita est, cum insulis e regione objectis nomen Liburnicum retinuit etiam sub imperio Celtarum, qui cæteroquin rem Liburnicam summas in angustias compulerant; atque adeo etiamnum apud scriptores Liburnia propria appellatur; id autem argumento est regionem illam usque ad Celtarum adventum in potestate Liburnorum semper fuisse. Itaque Etrusci pariter Liburnique usque ad Dionysium, & quartum ante Christianam æram sæculum, communi & sociali jure, Dominium maris Adriatici tenuerunt.

Etrusci dominium maris nacti, ab Adria eidem Adriatici nomen vel imponunt, vel potius restituunt.

At vero dubitari non potest, quin quantum e navigatione, quæstibusque maritimis ad Tuscorum opes augendas accessit, tantumdem diminutum fuerit de opibus ac potentia Liburnorum; nam cum quæstus ac proventus, quos e mari ad eam diem soli percipiebant Liburni, magna ex parte devolvi cœpissent ad Etruscos, qui in om-

Liburnorum opes diminutæ.

nem

nem rei augendæ occasionem naviter seduloque intenti (ut recentis imperii adeptio hominum industriam & solertiam acuere solet) quæstuosissimis mercimoniis, ac portoriis brevi in summas opes creverunt; res Liburnica, partim languore, & quodam veluti senio, partim commercii, & vectigalium diminutione paullatim decrescere, fierique in dies angustior & exilior cœpit, quemadmodum animadvertit Historicus Dalmata; ex quo factum est, ut Corinthii, anno circiter ducentesimo post societatem imperii jurisque maritimi Etruscos inter Liburnosque coalitam, duce Chersicrate, Liburnorum viribus jam senescentibus, perfacili negotio, Corcyrensi urbe atque insula potirentur. Rem narrat Strabo, a nobis paullo fusius expositam part. 1. Prolegomenon cap. 2. §. 3. *Jam Syracusas* (inquit Strabo lib. 6.) *condidit Archias, navibus a Corintho advectus; sub idem tempus Naxus & Megara conditæ sunt . . . . Porro Archias, cum in Siciliam navigaret, cum parte exercitus reliquit Chersicratem, genus ab Herculis posteritate ducentem, qui occuparet pro domicilio suis Corcyram, quæ ante Scheria fuit nominata. Is igitur expulsis, qui tunc ibi habitabant, Liburnis, insulam obtinuit.* Chersicratis expeditionem Corcyrensem Philippus Cluverius cum Thucydide confert in annum 2. Olympiadis XI., qui est ante Christum 735.

Corcyra amissa.

Celtæ ortâ Illyricam Liburnis, Italicam Etruscis eripiunt.

Sexto ante Christianam æram sæculo ineunte, annis amplius centum post Corcyram amissam, ingens Celtarum Senonum multitudo in eam regionem incubuit, quæ inter mare Alpesque ab Arsia ad Drilonem protenditur, Liburnis partim sub imperium redactis, partim expulsis, atque ad insulas se recipere coactis. Exinde Liburni, quamvis de illorum imperio & terrestribus opibus tanta diminutio facta esset, tamen cum insulas retinerent, navigationi reique maritimæ operam dare non desierunt; & quidem eo impensius, quo solertiores illos accepta calamitas faciebat; ut quos jam e terra capere non poterant, uberiores e mari proventus quæstusque perciperent. Itaque æquo, ut antea, socialique jure cum Etruscis jus maritimæ negotiationis, & maris imperium retinuerunt. Sed quæ Liburnos perculerat, eadem Etruscos Adriatici maris accolas attrivit prostravitque tempestas. Nam sesquialtero post calamitatem Liburnicam sæculo vergente, anno ante Christum fere 450. Galli Senones ex Illyrico Liburniaque in oram Italicam transvecti, pulsis Etruscis, Senogallia urbe condita, ab Usente flumine usque ad Athesim Celticæ ditionis fines protulerunt. Tuscis abeuntibus, mare nomen Adriatici retinuit, ab iisdem ex Adria urbe impositum, seu potius restitutum; quod Liburnico exsolescente jampridem prævaluerat. Huc revoca, quæ diximus part. 1. Prolegom. c. 2. §. 2.

Dionysius Senior tyrannus Adriatici maris imperium obtinet.

Post accisas Liburnorum & Tuscorum vires, attritamque potentiam ac dominationem, haud difficile fuit Dionysio, qui anno ante Christum 406. tyrannidem Syracusis occupaverat, sibi Siculisque Adriatici maris imperium adipisci; quam ob causam Dionysius oram utramque, & insulas aliquot, deductis illuc coloniis ac præsidiis firmavit. Ita dominium maris ab Liburnis Etruscisque ad Dionysium & Siculos devolutum est. De Dionysio Siculisque mari Adriatico potitis ad ea, quæ diximus parte prima Proleg. cap. 3. §. 2, hæc ex Historico Dalmata superaddere operæ pretium duxi: *Prope quæ tempora Dionysius Syracusiorum Tyrannus colonias in Adriatico deduxisse, & cum Illyriis bellum gessisse Diodorus Siculus re-*

fert; qui relato quomodo ex Sicilia Carthaginienses Dionysius ejecerit, Italiæque proxima loca subegerit, ad Adriaticum quoque in potestate redigendum animum intendisse scribit Olym. 98. an. 3. (anno ante Christum 386.) Sub idem tempus, inquit, in Sicilia Dionysius Syracusiorum tyrannus urbibus ad mare Adriaticum condendis animum intendit: hoc ideo moliebatur, quod Jonium, uti vocant, sinum suæ potestatis facere in animo habebat, ut tutam sibi ad Epirum navigationem aperiret, urbesque ad manum haberet, quo navibus suis appellere commode posset. Et relatis auxiliis Illyriis præstitis contra Molottos sequitur: Intra hæc rerum eventa, Parii quodam oraculo excitati, coloniæ in sinum Adriaticum deductæ, insulam, quæ Phari nomen habet, adjuvante illos Dionysio condunt; is enim annis non multis ante in Adriam, coloniam urbem Lissum ædificaverat, cujus urbis occasione adjutus, dum a cæteris negotiis vacat Dionysius, navalia pro CC. triremibus exstruxit. Deinde narrata CCIDD. Illyriorum ex adversa continenti in insulam Phari transvectione, & civitatis oppugnatione subdit: At qui Lissi Præturam a Dionysio commendatam habebat, numerosa triremium classe, navigia Illyriorum adortus partim demergit, partim in suam potestatem redigit, Barbarorum supra quinquies mille interfectis. Ex quibus Dionysium in Adriatico coloniam & classem numerosam habuisse constat; illum vero cum Gallis Senonibus Adriatici accolis, qui paullo ante Romam incenderant, societatem contraxisse Justinus refert; cum Venetis autem Gallis vicinis amicitiam habuisse arguitur ex iis, quæ de eodem refert Strabo: Dionysius quoque Tyrannus Siciliæ inde equorum ad certamina educandorum armenta instituit, ut etiam apud Græcos pullorum Venetorum fama innotuerit, eoque nomine Veneti longo tempore claruerunt. Nam sicuti Venetos intima sinus coluisse constat, ita eousque tutam navigationem, & commodam Dionysium extendisse oportet, ut inde armenta equorum deduceret, & integrum maris Adriatici dominium sortitum censendum est; filiumque ejus dominium prædictum retinuisse, ut innuit idem Diodorus: In Apulia, inquit, condidit duas urbes, quo tutum per Jonium navigantibus transitum præstaret; nam barbari maris accolæ magno navium prædatoriarum numero divagantes sinum Adriaticum mercatoribus infestum reddebant; post hæc vitæ pacatiori se dedens, exercitationes militum bellicas exsolescere permisit. Et narrata Syracusiorum rebellione, hæc subdit Diodorus: Sub id vero tempus ad Cauloniam Italiæ morabatur Dionysius; Philistam igitur exercitus Ducem circa Adriam tum versantem cum classe accersiit; utque recto cursu Syracusas peteret, injungit; cumque ad eumdem uterque locum citato itinere properaret, Dionysius septimo die post reditum Dionis Syracusas pervenit. Quæ Dionysios in Adriatici ditione perseverasse arguunt, donec ad Syracusas recuperandas classem ex eo deduxerit Junior. Hactenus Historicus Dalmata lib. 1. cap. 1. Idem eodem capite: *Dionysium ante Romanos Adriaticum in potestate habuisse supra relatum est*; & cap. 5. *Ad tempora ergo Dionysii Syracusiorum Tyranni respiciendum est, qui occupata insula Issa opportunissimo loco sita, ibique classe residente, Colonias per Adriaticas oras deduxit, associatisque, quos potuit ex circumjacentibus populis, cæteris coercitis, navigationem Adriatici in potestate habuit ipse, filiusque ipsius.* Tyrannis Dionysiaca annos tenuit amplius sexaginta, cum Timoleon Corinthius a Syracusanis

Dionysius Junior Parens in Adriatici dominium succedit.

Digitized by Google

accitus Dionyſium juniorem exuit regno, & Corinthum relegavit.

Maris dominium a Siculis ad Illyrios devolutum.

Poſt Dionyſiacam tyrannidem a Siculis depulſam, utroque Dionyſio, parente & filio, altero extincto, altero in exilium ejecto, jus Adriaticæ navigationis uſurpare, mariſque dominium ſibi adſciſcere Illyrii cœperunt. Hæc gens e Celtis illis originem ducebat, qui Priſco Tarquinio Romæ regnante, ut alibi diximus, anno ante Chriſtum fere 600., e Gallia venerant; partimque in Italiam tranſierant, partim ſedes in Pannonia ceperant, partim oram illam, quę inter Arſiam Drilonemque adjacet mari, Liburnis vel ſubactis, vel expulſis, occupaverant. Ex his autem, qui Titium inter ac Drilonem conſederant, hanc regionem cum Illyricum appellari audiiſſent, avito nomine poſthabito, Illyrios ſe in poſterum nominari maluerunt; ac deinde ditionis imperiique finibus in Occaſum uſque ad Venetos, in Ortum ac Meridiem uſque ad montes Acroceraunios propagatis, omnem illum maritimum tractum, qui ab intimo ſinu ad oſtia uſque maris Adriatici protenditur, Illyricum appellarunt. De tranſitu in hanc regionem Gallorum, & nominis Illyrici propagatione ſatis multa dicta ſunt parte prima Prolegom. cap. 3. §. 1. 4. 5. 6. Illyrii Celtæ, ab origine gens mediterranea cum eſſet, reique maritimæ rudis, ex uſu tamen, & conſuetudine juncta cum Liburnis, quos vel ſubegerant, vel in proximas inſulas compulerant, mari paullatim aſſueſcere, & navigiis Liburnicis ſcienter uti cœperunt, ac navalem diſciplinam ab iiſdem, totiuſque rei maritimæ ſcientiam didicerunt: argumento eſt, quod ipſimet Liburni, qui maris inſulas pleraſque obtinebant, cum ægre ferrent inſulam quamdam ereptam ſibi, & a Pariis, unde Pharia dicta eſt, Græcis colonis occupatam, ad eos expellendos auxilia navalesque copias ab Illyriis ſibi accerſierunt. Hi vero decem millibus militum contractis, eiſque in ſuas naves impoſitis, & ex adverſa continente in Phariam inſulam delatis, Græcos cæſos fuſoſque, & in urbem compulſos obſidere, acriterque oppugnare inſtiterunt. Sed cum Dionyſius ſenior, Syracuſiorum tyrannus, juſſiſſet Prætorem ſuum, quem Liſſi urbi & coloniæ Siculorum præfecerat, auxilio Phariis cum claſſe proficiſci, Illyrii victi cæſique, ab urbis obſidione decedere coacti ſunt. Rem omnem ex Diodoro deſcripſimus parte prima Proleg. c. 4. §. 2. Haud multis poſt annis opes copiæque maritimæ Illyriorum eo creverant, ut cum non mare ſolum, ſed etiam oram Italicam piraticis lembis ac navigiis infeſtam redderent, Dionyſio juniori Syracuſiorum Tyranno neceſſitatem imponerent duas urbes in Apulia condendi, quibus oram illam muniret, ab eaque Illyriorum latrocinia, & direptiones prohiberet. Id tradit Diodorus lib. 16. Anno ante Chriſtum 343. Dionyſius junior tota Sicilia depulſus, & Corinthum relegatus, ubi diem extremum obiit, ut Syracuſię tyrannidi, ſic etiam Siculorum Adriatico imperio finem attulit. Ab Siculorum claſſibus mare cum eſſet deſtitutum, Illyrii Liſſum urbem maritimam ab Dionyſio ſeniore conditam, ac cæteras munitiones, quæ ſive in ora Illyrica, ſive in inſulis Siculi obtinebant, adepti, Liburnis inſularibus reique maritimæ ſcientiſſimis vel in deditionem, vel in amicitiam receptis, junctaque fortaſſe cum Iſſenſibus Syracuſiis ſocietate, maris Adriatici poſſeſſionem quaſi vacuam, & caducam, nemine prohibente, paullatim ſibi vindicarunt: nam quo minus ſtatim cogitationes omnes viresque in rem maritimam augendam intenderent, impedimentum moramque attulerunt multa & gravia bella, quæ cum Philippo Macedonum Rege, itemque cum Alexandro Magno deinceps geſſerunt, a nobis deſcripta parte prima Prolegom. cap. 4. §. 4.

Illyrii Celtæ ab Liburnis rei maritimæ ſcientiam addiſcunt.

Illyriorum copiæ maritimæ paullatim auctæ.

Navales Illyriorum opes validiſſimæ.

Tertio ante Chriſtianam epocham ſæculo regnum in Illyriis Agron Pleurati filius obtinebat, cum jam res Illyrica maritima adeo erat validæ, ut nullæ circumpoſitarum gentium, quæ mare Adriaticum accolerent, copiis belliſque navalibus pares eſſe Illyriis poſſent. Nam Romani, qui ſeſe omnem Italicam oram ad ſuum imperium adjunxerant, viginti quidem ante annos rem nauticam attingere cœperant, anno quinto prioris belli Punici, primam in mari Mediterraneo de Carthaginienſibus navalem victoriam adepti, ideſt anno ante Chriſtum 260.; ſed nullas dum naves in Adriaticum emiſerant; & naves Liburnicas, quibus egregie uſi ſunt in eo primo maritimo prælio, ab Iſſenſibus, quos non multo ante in fidem & clientelam receperant, aut mercede conduxerant, aut ex pacto & fœdere, ſubſidio acciverant. Iſſenſes vero, qui ad ſocietatem amicitiamque Romanorum ſe contulerant, cum præter Iſſam inſulam, Tragurium & Epetium in ora continenti, nulla alia loca maritima poſſiderent, neque numero, neque magnitudine navalium copiarum conferri cum Illyriis poterant. Græci autem infra oſtium Adriatici, Jonium atque Ægæum ſuis claſſibus ac præſidiis obtinebant. Jam vero Agron Rex Illyriorum omnem oram, urbeſque maritimas ab intimo Venetorum ſinu ad montes uſque Acroceraunios habebat in ſua poteſtate; niſi quod tractum ejuſdem oræ Illyricæ admodum exiguum, duaſque ibidem urbes Tragurium & Epetium Iſſenſes ab regno Illyriorum divulſerant. Appianus Agroni cum Pharum inſulam Græcis ademptam, tum Epidamnum, tum denique partem aliquam oræ Epiroticæ ultra Ceraunios montes, & præterea Corcyram inſulam, quod veluti clauſtrum eſt Adriæ ac firmiſſimum propugnaculum extraneis claſſibus objectum & oppoſitum, attribuit. Quamvis autem ea tempeſtate Reges Illyrii nullas urbes munitioneſque in adverſo Italiæ littore obtinerent, nihil tamen ad maris dominatum intererat ora Italica potiri, quæ cum eſſet importuoſa, & inſulis careret, ad jus maritimum uſurpandum retinendumque nihil Illyriis prodeſſe aut obeſſe poterat; ac ne ipſos quidem Etruſcos, qui ſecus mare ab Uſente flumine uſque ad Atheſim fines protulerant, in eo mari dominaturos fuiſſe arbitror, niſi rei maritimæ ſocietatem coiiſſent cum Liburnis, qui alteram e regione oram optimis & capaciſſimis portubus, egregiiſque inſulis inſtructam ac munitam poſſidebant. Agrone regnante, quantis opibus copiiſque maritimis abundaret Illyricum, argumento ſunt tres claſſes & navium & militum numero, ut temporibus illis, ſane ingentes, quas per eos annos Illyrii ad maritimas expeditiones adornarunt. Unam centum lemborum ipſe Agron inſtrui pararique juſſit, ac decem millibus militum impoſitis in Ægęum mare deduci ad ferendum auxilium Mygdoniis, quos Ætoli obſidebant, acriterque oppugnabant. Nec piratica incurſione, ſed juſti more belli res geſta eſt. Nam Illyrii exſcenſu e navibus in terram facto, acieque inſtructa, Ætolos invadunt, cæſos caſtriſque exutos in fugam compellunt, urbem obſidione liberant, ingentique ex hoſtibus

Expeditiones maritimæ Illyriorum, & victoriæ.

omnis

omnis generis præda potiti, domum revertuntur. Alteram classem nihilo minorem paullo post ex Adriatico in Jonium emisit Teuta Agronis vidua. Hæc Epirum circumvecta, cum ad littora Peloponnesi appulisset, urbes agrosque Eleorum & Messeniorum vastavit, ac deinde regrediens Phœnicem urbem Epiri opulentissimam cepit ac diripuit. Tertia Illyriorum classis, & navibus & militibus, longe, quam duæ priores, instructior, bifariam divisa est; & pars altera Dyrrhachium, pars altera Corcyram obsedit; utraque enim civitas ab Illyriorum Teutæque imperio defecerat. Et Corcyra quidem diu vehementerque oppugnata cum esset, Achæis & Acarnanibus, qui Corcyrensibus subsidio venerant, navali prælio victis, eorumque navibus vel captis, vel depressis, vel ad fugam compulsis, Illyriis se dedit, redisitque ad fidem & obsequium. Neque Dyrrhachiensis obsidio successu caruisset, si transmarinum auxilium ab Romanis defuisset; quorum adventu cognito, Illyrii satius esse duxerunt ab urbis obsidione copias deducere, quam cum novis illis hostibus, sibique ad eam diem ignotis confligere, & quas adepti fuerant e maritimis præliis bellicas laudes opesque, in discrimen committere. De hisce maritimis Illyriorum expeditionibus dictum est P. p. Proleg. c. 3. §. 4. 6. Hæc cum ita se habeant, minime audiendum puto Historicum Dalmatam, qui lib. 1. censuit Illyrios *parum mari usos fuisse, & classibus destitutos alieno nutu navigationem exercuisse*; ac neminem fore arbitror, quin post Sicelos, & Dionysium utrumque, maris Adriatici dominatum Illyriis adjudicandum esse existimet; inter quos & rei maritimæ scientia, & navalibus copiis potissimum excellebant Ardiæi, antiquissima gens Illyriorum, de quibus cap. 2. plura diximus. Porro ab Illyriis, qui jam inde ab interitu utriusque Dionysii ante Agronem, jus Adriaticæ navigationis usurpare, & rebus copiisque maritimis florere cœperant, hoc mare cognomen Illyrici accepit, quod perpetuo deinde apud Scriptores simul cum Adriatico vocabulo retinuit. Præterea ab ipsamet maritima regione, quæ a Venetis usque ad Epirotas per totam maris longitudinem porrecta Illyrici vocabulo superat, mare illam præterfluens rite appellari potuit Illyricum. Ita hoc mare ad cætera nomina, quæ vel desuetudine obsoleverant, vel adhuc usu populari vigebant, *Illyrici* vocabulum adjunxit, quod sub imperium Regum Illyriorum generis Celtici quarto ante Christum sæculo adeptum fuit. Nam Illyrici nominis Adriæ impositi originem non est necesse altius repetere, aut referre ad Hyllinos Pelasgos Illyriorum conditores ac parentes; quippe Illyrica horum dominatio brevis admodum fuit, & anno, postquam constituta fuerat, circiter sexagesimo funditus eversa; nomen vero Illyricum, ut recens adhuc ab sua origine, & gens ipsa regioque Illyrica exiguis finibus circumscripta, nondum rebus præclare gerendis eo celebritatis gloriæque pervenerat, ut mare Adriaticum ab se pro rei dignitate cognominare posset.

Illyricum mare appellatum ab Illyriis eiusdem Dominio.

Porro cum res Illyriorum terra marique validæ in primis essent, & florerent vel maxime, Regum illorum temeritas, latiusque imperandi vesana cupiditas, primum eas labefactavit, ac demum funditus evertit. Labes ac pernicies imperii Illyrici duxit initium ab lacessendis Romanis, & sociis Romanorum, qui ad summum orbis terrarum imperium cum jam spectarent, maximisque laboribus & victoriis contenderent, ut cæteras gentes, sic Illyrios quoque omni dominatu terrestri pariter maritimoque exuerunt. Ergo Romani, ut injurias Italicis Mercatoribus, & Issensibus sociis ab Agrone Teutaque Illyriorum Regibus illatas bello persequerentur, prima in Adriaticum mare classe immissa anno ante Christum 229. primum veluti gradum ad hujus maris imperium fecisse videntur. Ac tum quidem adempta est Illyriis Corcyra, itemque Pharia insula, & omnis ora maritima inter Drilonem ac montes Acroceraunios; regnumq; Illyricum factum est Romanis tributarium. Decem post annis altera Romanorum classis in Adriam invecta nihilo segnius, aut minus feliciter rem gessit, victo expulsoque Demetrio Phario, qui per summam perfidiam a Romanis defecerat, & Pineo Rege Illyriorum intra Drilonem ita regnare jusso, ut meminisset, se stipendiarium esse Populi Romani, & vectigal bello superiore impositum persolveret. Exinde Romanorum curæ versæ ad tuendam Italicam oram, avertenda piratarum latrocinia, & mare purgandum. Classes instructæ, quę navigationem Adriaticam Italicis mercatoribus tutam præstarent; Duumviri navales creati, qui oram tuerentur; Istris maritimis prædonibus semel atque iterum bellum indictum, quibus demum subactis, tota Istria in Romanorum ditionem concessit. Interea Illyrii, quamvis copiis opibusque diminuti, tamen utcumque poterant, si minus justa classe, tamen navigiis ac lembis Adriaticum sinum percurrere, jusque navigationis usurpare ac retinere conabantur. Et Gentius quidem postremus Illyriorum Rex, belli societate cum Perseo adversus Romanos inita, classem octoginta lemborum ædificavit, quam misit ad Dyrrhachinorum, & Apolloniatium agros populandos. Lembos cum dico, nolim minuta solum & levia quædam navigia intelligas ad piraticam, quam ad maritimum certamen aptiora; quippe lemborum apud antiquos ut varia forma, & multiplex usus, sic varia & multiplex significatio fuit; & hoc vocabulum non raro adhiberi solebat ad naves justæ magnitudinis designandas, ex quibus classes navales conficiebantur; id quod cap. 3. §. 6. demonstratum est.

Adriatici maris cura & custodia a Romanis susceptæ.

Res Illyriorum a Romanis diminutæ, ac demum prorsus eversæ.

Post Gentium victum captumque anno ante Christum 168. & regnum Illyricum extinctum, ut pleræque insulæ & ora omnis Illyrica, excepta Dalmatica, & Liburnica, quæ paullo post aut in deditionem, aut in fidem ac tutelam populi Romani concessit; sic etiam dominium Adriæ transiit ad Romanos, qui cum duo maria obtinerent, quibus Italia insulæ modo cingitur, Tyrrhenum & Adriaticum, ut novis impositis vocabulis alterum ab altero distinguerent, hoc quidem superum, illud vero inferum appellarunt. Utraque appellatio petita est e disciplina institutisque Cosmographorum, qui regiones Aquilonares *superiores*, Australes vero *Inferiores* vocant: utrumque autem mare, ratione habita Italiæ intermediæ, sic se habent, ut Adriaticum quidem in Boream spectans ferme ab Septemtrione, Tyrrhenum vero in Austrum vergens fere a Meridie Italiam circumfluant. Porro Romani, & quamdiu viguit Respublica, suis legibus, suo jure, suisque usa magistratibus, & post conditam Monarchiam, cum summa rerum omnium, totiusque Imperii ad unum pervenit, Maris superi dominatum per multas deinceps ætates retinuerunt. Cæsar Octavianus Augustus, cum multa sapienter & egregie constituit, tum

Regno Illyricum extincto, Dominio maris ad Romanos devoluto.

A Romanis Adriatico superi maris vocabulo appellati ceptum.

duas classes ædificari & ornari jussit ; & alteram apud Misenum ad custodiam inferi maris, alteram apud Ravennam ad præsidium superi maris collocari, quas tamen sive Misenatium, sive Ravennatium stationi non sic affixas esse voluit, ut, si qua necessitas postularet, inde in alia maria, aliasque in regiones seu belli causa, seu legiones, & commeatus militares transportandi gratia, deduci non possent. Id docet Svetonius in Augusto cap. 49. n. 2. Idem confirmat Tacitus Annalium IV. 5. 1. *Italiam utroque mari duæ classes, Misenum apud & Ravennam ; proximum Gallia littus rostratæ naves præsidebant*. De utraque Vegetius V. c. 1. *Apud Misenum, & Ravennam singulæ legiones cum classibus stabant, ne longius a tutela urbis abscederent ; & cum ratio postulasset sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam Misenatium classis Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam atque Siciliam habebat in proximo. Classis Ravennatium Epiron, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa navigatione consueverat*. Jornandes Gotth. cap. 29. Classis Ravennatis stationem breviter descripsit : *A Meridie Padus, qui & Eridanus, ab Augusto Imperatore altissima fossa demissus ; qui septima sui alvei parte mediam influit civitatem, ad ostia sua amœnissima portum præbens, qui classem ducentarum quinquaginta navium, Dione referente, tutissima dudum credebatur recipere statione. Qui nunc, ut Fabius ait, quod aliquando portus fuerat, spatiosissimos hortos ostendit, arboribus plenos, rerum, de quibus pendeant, non vela, sed poma*,

Mare Superum a Dalmatis nomen Dalmatici accepit,

Mare Adriaticum, sive superum, cum jam inde ab altero ante Christum sæculo sub imperio esset ac potestate Romanorum, imperante Octaviano Cæsare Augusto, novum sibi cognomen a Dalmatis adscivit, appellarique cœpit Dalmaticum ; non quod aut nomen superi amiserit, aut Romanorum dominatu depulso, in jus migraverit ditionemque Dalmatarum ; sed quia, cum omnis ora maritima inter Arsiam Drilonemque longissime porrecta ex Augusti perscripto nomen Dalmatiæ subiisset ; consentaneum visum est, eodem vocabulo mare itidem eamdem præterluens appellari. Memineris velim quæ, parte prima, itemque altera Prolegomenon, de ortu, propagatione, interituque Reipublicæ Dalmatarum fuse copioseque disseruimus. Dalmatæ a Delminio urbe montana, & totius gentis primaria nomen adepti, initio quidem locis atque urbibus potissimum mediterraneis & inalpinis inter Nestum ac Naronem, jus suum imperiumque munierant ; deinde vero, quamvis ad Titium usque imperii finibus propagatis, urbes aliquot maritimas, ac præsertim Salonam, suis præsidiis & coloniis obtinerent, eos tamen a mari rebusque maritimis abstinuisse illud argumento est, quod terra quidem multa prælia sive cum finitimis populis, sive cum Romanis inierint ; at mari nihil ab illis gestum esse, nullam pugnam navalem commissam memoriæ proditum sit ; quamvis haud negaverim lembos aliquot & navigia illis fuisse, quibus ad commercium & mercaturam uterentur. Quare ut terrestribus vel plurimum valerent, maritimis tamen copiis atque opibus carebant ; ex quo fit, ut neque rem bellicam maritimam attingere, neque dominatum maris adipisci potuerint. Quamvis autem secus mare urbes, & loca omnia Titium inter Naronemque possiderent, omnis tamen hæc ora, Dalmatico imperio & vocabulo subjecta, brevior erat angustiorque, quam ut mare universum ab illa rite denominari posset ; præsertim cum Romani anno ante Christum 78. Salona cæterisque Dalmatiæ oppidis maritimis in suam potestatem redactis, Dalmatas longe a mari summotos in loca mediterranea, & inalpina compulerint. Tum igitur Dalmatia huic mari nomen dedit, cum Cæsar Octavianus Augustus, ejus finibus utrinque prolatis, omnem illum cisalpinum tractum, qui ab Arsia ad Drilonem usque longissime procurrit, una cum regione transalpina usque ad Savum, in unius Provinciæ corpus redegit, & Dalmatiæ vocabulo subjecit. Quare cum regio illa ex adverso Italiam prospectans, quæ mari supero adjacet, si non omnis, certe maxima ex parte, dicta fuerit Dalmatia, & Dalmatæ dicerentur, qui mare idem per totam fere ejus longitudinem accolebant ; e Dalmatia Dalmatisque Mari præterfluenti cognomen Dalmatici obvenit ; quod deinde litteris & sermonibus usurpari cepit, vigebatque adhuc posterioribus ætatibus, cum Stephanus de Urbibus, sive illius Epitomator Isam insulam *in Dalmatico mari* constituit, & Constantinus Porphyrogenitus in Vita Basilii Avi sui *Mare Dalmatarum* appellavit. Ita mare Adriaticum mansit quidem sub dominatu Romanorum, & nomen superi ab iisdem impositum retinuit ; sed cum utroque aliud recentius vocabulum a Dalmatis mutuatum conjunxit.

Post divisionem imperii Orientalis & Occidentalis, Mare Adriaticum in potestate mansit Imperatorum Occidentalium. Extincto imperio occidentali,

Post exordium Romanæ Monarchiæ annos amplius quadringentos mare Adriaticum Imperatoribus Romanorum, sive unus toti præesset imperio, sive duo simul pluresve rerum potirentur, integrum solidumque fuberat ; cum intra finem quarti sæculi divisione facta Imperii Occidentalis & Orientalis, una cum Illyrico Occidentali, in jus potestatemque Imperatorum Occidentis migravit. Anno Christi 476. Imperium Occidentale cum Augustulo Romanorum Imperatorum Occidentalium postremo extinctum est. Exinde Italia & Dalmatia primum Herulorum dominationem subiit ; nec multis post annis sub Gothorum imperium ditionemque cecidit, cum Theodoricus Rex Gothorum Odoacrem Regem Herulorum ter tribus præliis victum ad Ravennam oppressit anno 493. a quo Gothicum in Italia regnum duxit initium. At mare Italiam, Dalmatiamque interfluens, neque Herulis, neque Gothis paruit ; quippe gens utraque mediterranea cum esset ab sui origine, reique maritimæ rudis atque ignara, nullas habuit aluitque navales copias, quibus jus imperiumque maris usurpare posset : nam Gothi quidem non ante bellum Gothicum, quod Gothico in Italia regno finem attulit, copias navales habuisse leguntur. Anno Christi 527. Justinianus Orientis imperium adeptus, Occidentale Imperium magna ex parte Barbarorum tyrannidi exemit ; Africam Vandalis, Italiam ac Dalmatiam Gothis eripuit. Tum Imperatores Græci, Orientalesque, mare Adriaticum ceu quoddam Imperii populique Romani patrimonium recuperarunt ; illudque, classe Ravennam missa, & ibidem ad maris ejusdem tutelam ac præsidium excubare jussa, quamdiu licuit, tueri ac retinere conati sunt. Verum amissa Ravenna, Italia depulsi, & partim domesticis turbis, partim bellis extraneis impliciti cum essent ; socordia etiam & ignavia quorumdam Imperatorum

Ejusque provinciis ab Justiniano recuperatis, Dominium maris ad Imperatores Orientis transiit ;

a quibus deinde est desertum esset ac deditum in Venetos.

Digitized by Google

rum subeunte; Adriaticum mare ab Græcis Imperatoribus prorsus desertum, eorumque classibus ac præsidiis destitutum, veluti possessio quædam vacua & caduca, ad Venetos pervenit, quorum imperium pariter ac nomen subivit, & summo omnium gentium & Scriptorum consensu *Mare Venetum* cognominatum est. De hujus maris dominatu, & jure navigationis Adriaticæ ab Romanis Græcisque Imperatoribus ad Venetos translato Historicus Dalmata hæc breviter quidem, sed præclare veræque scripsit: *Sicuti Augustum reliquosque Imperatores maris simul & circumjacentium populorum Dominos commoda in Adriatico auxisse censeri debet, quibus, donec Romanum viguit Imperium, usi sunt navigantes; ita ipso declinante, Romanæ providentiæ imitatores Veneti, qui propriam Rempublicam melioribus, quam cæteri mortalium, legibus instituerunt, ac exinde omnibus rebus publicis & Monarchiis, quarum memoria extat, diuturnius imperium servant; navigationem per temporum vicissitudines eximie dirigentes, maris Adriatici dominium consecuti, eidem quoque nomen proprium impertiti sunt, feliciterque per tot sæcula servant; & secuti in præcipuis Adriatici portubus Romanæ magnificentiæ vestigia apparent, ita quoque Venetæ providentiæ, quocumque eorum dominium pervenit, monumenta existunt.* Lib. 1. cap. 4.

Veterum fidem ac potestatem constellis.

Barbarorum in Italiam irruptiones.

Sed quo jure potissimum, quave ratione imperium Maris Adriatici consecuti sint Veneti, ut intelligi possit, facturus operæ pretium mihi videor, si ortum Reipublicæ Venetorum ab exiguis profectæ initiis alte & a capite repetam, ejusque progressiones admirabiles, incredibilesque cursus ad omnem laudem & excellentiam brevissime persequar. Quinto sæculo ineunte Barbari, inde usque ab ultimo Septentrione olim profecti, cum per aliquot annos regiones ultra citraque Danubium incoluissent, viam sibi per alpes Julias in Italiam aperire alii ex aliis cœperunt. Primus omnium Radagaisus Gothorum princeps, ingentibus copiis ex omni Barbarorum colluvione collectis, totam inundavit Italiam, quem Stilico Fęsulanis augustiis cum universo exercitu conclusum ac fame domitum sine armis oppressit. Post hunc Alaricus itidem Rex Gothorum post Græciam, Epirum, Dalmatiam ferro & igne vastatas per fines Venetorum maximam barbarorum multitudinem in Italiam traduxit, quem ut averteret Honorius Imperator Occidentis, Gallias & Hispanias, quod eas retinere non posset, habitandas eidem concessit. Quo cum Alaricus pergeret, Saulus Dux Romanorum, jussu Stiliconis, ipso Paschæ die Barbaros contra fas ac fidem temere aggressus, ab illis repulsus & victus ingentem cladem accepit; eoque successu elatus Alaricus, & vel recenti Stiliconis injuria, vel cæsi ab eodem Radagaisi memoria vehementer accensus, Romam infesto agmine contendit, eamque de improviso adortus capit diripitque anno Christi 410. templis omnibus, ac præsertim Basilicis Apostolorum, & civibus, qui ad eas confugerant, salvis atque intactis.

Jam vero ex iis populis, qui Venetiam mediterraneam incolebant, cum, patefacto jam tritoque Barbarorum vestigiis per alpes Julias in Italiam itinere, se primos omnium barbaricis incursionibus expositos viderent, nonnulli consilium cepere soli mutandi, quærendique perfugii, quo se ab hostium injuriis tutos munitosque præstarent; præsertim cum Imperio Occidentali magis ac magis in dies declinante, atque ad interitum vergente, nihil auxilii aut præsidii ab Romanis Imperatoribus expectare possent.

Ultimum maris Adriatici sinum tenue littus circumplectitur; cujus tergo vastæ adjacent paludes, quas leniter stagnantes ex alto aquæ, & præter alia minora, sex potissimum prærupta flumina, Tilaventum, Liquentia, Plavis, geminus Medoacus, Athesis, maximam vim aquarum illuc exonerantia, efficiunt. Has paludes natura summa rerum artifex, objecto, quod dixi, littore, ex arenæ cumulis aggesto, a pelagi fluctibus defendit. In iis porro æstuariis insulæ circiter ad viginti erant, pleræque circuitu admodum exiguo, modicis curipis intercursantibus discretæ; a plebe atque a cultura hominum prorsus desertæ; nisi quod forsasse rari aliquot casis stramineis ibidem extructis receptum aliquem temporis causa paratum piscatoribus præbebant. Has igitur insulas, qui stagna illa circumcolebant, barbaricis incursionibus contriti, sibi suisque rebus perfugium satis tutum fore putarunt; æstuaria enim, quibus undique alluuntur, cum ad merces copiasque invehendas opportuna receptacula, tum vero contra hostiles incursus munimenta firmissima videbantur; quippe cum neque pedibus, neque majoribus armatisque navigiis propter vadorum brevitatem adiri possent. Principio quidem haud ita multi, quibus salutis, quam patriæ amor fuit antiquior, e proximis civitatibus oppidisque in eas insulas migrarunt. Ex his plerique unam præ cæteris insulam delegerunt, Rivaltum propterea dictam, quod ex aquis altius, quam reliquæ, emineret, ambitu paullo majorem, situ longe præstantiorem; erat enim littoribus propior, quam continenti, nec ita longe aberat ab ostio fluminis Medoaci. Itaque novi advenæ oppidulo condendo solum sternere & cylindris adæquare, casas ex arundinibus & asseribus componere, denique nobilissimæ olim futuræ urbis ignobilia fundamenta jacere cœperunt; nam ad majora ædificia sustinenda, neque palustris soli natura tophum, aut saxum, aut aliud solidius gignit; neque homines adhuc didicerant majores crassioresque alnos aut robora in directum fixa, & mirandam in altitudinem depressa subjicere, hisque superimponere tabulata, & saxa, quibus moles ingentes ædificiorum incumberent. Sed quibus initio legibus & magistratibus, quave reipublicæ forma uterentur, incompertum est. Alter erat & vigesimus, supra quadrigentesimum, Christi annus, cum prima apud Rivaltum ædes sacra Deo optimo Maximo in honorem Sancti Jacobi Apostoli dedicata est octavo Kalendas Aprilis. Veneti autem veteres illi admodum antiqui patriæ suæ reique publicæ exordia non aliunde repetere solebant, nisi ab hujus Templi solemni dedicatione. Ædis Jacobeæ consecratæ monumentum litteris commendatum adhuc extat, in quo inscriptus est dies quasi natalitius urbis octavus ante Kalendas Aprilis. Majorum auctoritas, & illius diei religio apud posteros valuit, qui singulis annis diem hunc, & Deiparæ Virginis ab Angelo salutatæ commemoratione sanctissimum, & urbis Venetiarum exortu lætissimum, insigni pompa & apparatu, ritu cultuque religiosissimo concelebrant.

Sinus urbis Venetiarum.

Insulæ recessus intimi maris Adriatici frequentari & habitari cœpti.

Initia urbis & Reipublicæ Venetæ.

Jam vero Respublica Venetorum simul nata, & liberum in suos imperium, possessionemque maritimam adepta est. Nam paludes illæ insulæque, cum eas primi hujus reipublicæ conditores ob metum Barbarorum patria profugi occu-

Respublica Venetorum.

Digitized by Google

Ab ortu suo liberæ, sui que juris.

occuparant, derelictæ erant, incultæ, desertæ, fere omnibus præterquam piscatoribus ignotæ, & tum quidem nullius dominationi obnoxiæ. Si quid enim juris olim Romani, & Imperatores Romanorum in eas habuerint, id cum earum cura tutelaque omnino abdicare tum visi sunt, cum vires omnes copiasque imperii, jampridem debilitari ac diminui cœptas, ad urbes Italiæ mediterraneas a Barbaris tuendas conferre & contrahere cogerentur; id quod Honorium impulit, ut Gallias & Hispanias, quando defendere non poterat, Gotthis & Alarico habitandas ultro traderet: permagni siquidem reipublicæ interesse videbat exercitus omnes ad defensionem Italiæ revocare, & Romam cæteraſque Italicas civitates firmissimis præsidiis munire, ut barbaricum impetum furoremque ab intimis partibus visceribusque ipsis Imperii occidentalis averteret. In ea rerum ac temporum perturbatione, in tanta curarum, & periculorum mole, tantum aberat, ut Imperatores Romani ad paludes illas insulasque tuendas & in sua potestate retinendas, si forte illuc calamitas barbarica pervaderet, curæ aliquid derivarent, ut de illis ne cogitarent quidem, præsertim cum nulla inde vectigalia, nulla commoda perciperent; earumque possessio vel amissio nihil splendoris aut dignitatis Imperio Romano adderet aut detraheret. Cum igitur lege naturali, & communi jure gentium perscriptum sit, ut loca deserta & vacua in ejus transeant potestatem, qui eadem primus occupaverit; nulla potest esse controversia, quin insulas illas & paludes jure vel optimo illi acquisierint, qui eas derelictas, omnique dominatu exemptas, præoccupando suas fecissent; ibique, tamquam in fundo non alieno sed proprio, atque per occupationem adepto, & condiderunt ædificia, & reipublicæ suæ initia posuerunt, Dominis prioribus vel consentientibus, vel certe non invitis. Neminem enim fuisse, qui obstiterit, ne Veneti suo, quem acquisierant, dominatu libero, pacatoque fruerentur, illud argumento est, quod Imperatores Romani, ex quo hæc stagna, æstuaria, insulasque dimiserant, nihil amplius juris potestatisve in iisdem usurparunt; & cum novam rempublicam ibidem exortam, & jam florentem viderent, omni in eam jurisdictione abstinuerunt, nullis eidem sive legibus, sive magistratibus, sive tributis impositis; & scientes libenteſque siverunt Venetos res suas agere, suis legibus vivere, sua libertate uti, suos sibi magistratus creare ac præficere; quin imo Venetos eo loco habuerunt, quo socii & amici haberi solent, eorumque sociali opera in bellis Imperatores sæpe usos fuisse, rerum, quæ deinceps consecutæ sunt, monumenta testantur. Ita Respublica Venetorum suæ libertatis ac dominationis initium ab ipsa sua origine repetit; & situs ac natura regionis marinæ, in qua condita est, eam natam esse ad maris imperium, remque nauticam satis declarat. Quare libertas & dominatio maritima non aliunde adscita, & adventitia; sed innata est huic Reipublicæ, atque ingenita. Ac principio quidem res navalis ac possessio maritima Venetorum, iisdem fere terminis, quibus æstuaria illa continentur, circumscripta erat; neque enim majores tum copiæ vireſque suppetebant, quam quantæ opus essent, ad insulas & stagna circumflua tuenda, portus defendendos, piratarum incursiones prohibendas. Sed crescente in dies convenarum in has insulas migrantium frequentia, rebus publicis, ac privatis amplificatis, auctisque maritimis copiis, ex angustiis æstuariorum in apertum mare Veneti jus suum imperiumque paullatim educere ac proferre cœperunt.

Anno Christi 452. Attilæ Hunnorumque in Italiam irruptio magnam rei Venetæ, insignemque attulit accessionem, ingenti hominum numero illuc e finitimis civitatibus confluente, quos Attilanæ calamitatis turbo patriis sedibus ejectos dispersérat; ut hic veluti secunda, idemque nobilior Venetiarum origo ab Attilæ temporibus ducta, non immerito appellari possit. Regio illa, quæ Venetorum æstuariis circumjacet, multis & frequentissimis ea tempestate urbibus oppidisque habitabatur. Propius a mari aberant Aquileja, Concordia, Altinum vetusti nominis oppidum; paullo ab littoribus longius erant Patavium, Acellum, quem nunc, ut quibusdam placet, Montem Celsum, seu montem Silicis vocant, Opitergium, Taurisium, Vicetia, aliaque castella & oppida haud ignobilia. His captis, eversis, incensis, Attila ferro ignique omnia vastante, incredibile dictu est, quantam undique hominum cujusque ætatis ac generis multitudinem in eas paludes insulasque pavor, & fuga compulerit. Ab his sexdecim potissimum loca in stagnis occupata fuisse invenio: septem littorea Gradum, Crapulas, Equilum, Methamaucum, Albiolam, Peleſtrinam, Clodiam; novem insularia, Olivolum, Rivaltum, Majurbium, Turricellum, Borianum, Murianum, Amianum, & Constantiacum, quarum duæ postremæ aquis absorptæ interierunt. His aliquot minores insulæ interjectæ, quas item profugorum turba complevit. Quæ littora, insulæque, retentis propriis nominibus, communi præterea vocabulo appellatæ sunt Venetiæ: ex his conflata est Venetia maritima, quo nomine distinguitur a Venetia mediterranea, quam Aquileja Ravennam usque circa stagna, introrsum vero longiusque a mari ad fluvium Ollium, vel Abduam usque producunt. Inter cæteras insulas Rivaltus vel situ ac natura regionis, vel advenarum nobilitate eminebat; in quam tantus deinceps mortalium numerus e finitimis locis confluxit, ut in ea demum principatus omnium insularum ac littorum, Venetique imperii fastigium consliterit; nam exsiccatis circa paludibus, egestoque ex aquis cœno ad substernendum firmius ædificiis solum, civitas ibidem condita est ambitu maxima, immensas templorum moles, turres prælatas, & ingentia palatia complectens; quæ circumjectorum locorum communę nomen sibi uni vindicans, *Venetia* interdum, sæpius tamen *Venetiæ* dicta est. Sed paullatim & veluti pedetentim, nec nisi post aliquot sæcula ad eam, quæ nunc conspicitur, amplitudinem ac magnificentiam pervenit; nam initio quidem, cum nullus in littoribus insulisve locus, tum ne ipsa quidem Rivaltus civitas rite appellari poterat; tenues erant opes, exigua domicilia, & totus ille maritimus tractus vicatim habitabatur.

Venetia auctæ ex Attilæ irruptione.

Fines Venetiæ antiqui mediterranei.

Rivaltus caput & princeps Venetiarum.

Post sedes littoreas insularesque captas, & domos ibidem conditas, cum advenarum illa multitudo per eas paludes dispersa coaluisse in unius populi corpus nulla re, præter quam legibus posset, legum ac magistratum descriptione, rudis quædam reipublicæ forma designari cœpta est. Primarium Veneti Magistratum Tribunos appellavere, qui juri dicundo, & civilibus & capitalibus causis dijudicandis præessent. Tribunitium imperium unius anni spatio circumscribi visum

Primus apud Venetos magistratus Tribunitius.

est;

est; & unaquæque insula, oppidumve littoreum duos sibi Tribunos creabat. Statis vero anni temporibus, & præterea si quid gravius accideret, indicebatur conventus omnium insularum ac littorum; & Tribuni cum primoribus coeuntes in unum locum de summa reipublicæ consulebant. Hujusmodi conventus nulli certo loco affixi, per omnes insulas vicosve littorales ex ordine circumvehi solebant, ut uniuscujusque dignitas, æquato jure omnium servaretur; id quod ad concordiam, jungendosque inter se omnium animos, mirum quantum valebat. Hæc tribunitia reipublicæ forma annos tenuit circiter ducentos, & quadraginta, quibus elapsis, cum res Veneta jam aucta & pene adulta esset, abrogato Tribunis imperio, Duces creari cœpti sunt. Ante Tribunos, ajunt, consulari magistratu Venetos inde usque ab initio usos fuisse.

Quæ ab condita Republica usque ad bellum Gothicum per annos amplius centum Veneti gessere, nemo litteris aut memoriæ prodidit; non Veneti quidem, qui, ut rerum initia ferebant, alia omnia cogitabant, quam annales conficere; intenti erant omnes ad paludes sternendas, tecta construenda, paranda navigia, quibus victum compararent, remque privatam & publicam augerent; non externi scriptores, quibus neque curæ erat investigare, quid rerum agerent piscatores illi & aquatici homines, neque horum opes fortunæque admodum exiguæ satis dignæ videri poterant, quæ litteris mandarentur, præsertim cum aliunde illis & nobilior & copiosior ad scribendum materia suppeteret. Cæterum illud mihi affirmare posse videor, Venetos calamitosissimis illis temporibus, cum partim externis & barbaricis, partim domesticis bellis, & seditionibus finitima regio, & tota arderet Italia, præsidio loci, objectuque stagnorum non modo tutos & quietos fuisse, sed mercatura commercioque maritimo res suas mirifice amplificasse; jus vero, quod in insulis, & stagnis circumfluentibus adepti fuerant, perpetuo obtinuisse liberum, nulliusque obnoxium potestati; cum nullus illuc armorum impetus, nulla vis dominatioque externa pervalerit; tum quidquid per ea tempora bellorum, sive barbaricarum incursionum fuit, id omne, mari ferme locisque Venetorum maritimis intactis, in regiones mediterraneas incubuit. Quod ut clarius pateat, temporum illorum turbulentissimas vicissitudines, rerumque publicarum in Italia conversiones multiplices ac varias operæ pretium est breviter persequi, servatisque temporum ordinibus exponere.

Dum omnia circa seditionibus ac bellis arderent, Venetos quieti parcisque res suas augent.

Biennio post Attilæ ex Italia discessum, Valentinianus hujus nominis tertius Imperator, cum Ætium virum egregium, quo Occidentis salus nitebatur, ob suspicionem affectati imperii interficiendum curasset, ab Ætii militibus, stimulante Petronio Maximo, obtruncatus est anno Christi 455. quo sublato varii deinceps extiterunt per annos viginti partim Tyranni, partim Imperatores, qui sive ob brevitatem imperii, sive ob civilia & barbarica bella, quibus assidue conflictabantur, nihil molestiæ seu negotii Venetis, ut maxime voluissent, facessere potuerunt. Nam Petronius Maximus vix tyrannidem occupaverat, cum Genserico Rex Vandalorum ex Africa ab Eudoxia Valentiniani conjuge, ad necem mariti ulciscendam evocatus, & Romam de improviso adortus, vitam Maximo & imperium ademit: huic suffectus Avitus, decimo, vel decimo quarto, quam imperare cœperat, mense, imperio decedere coactus est. Post Avitum Majoranus Ravennæ sumpsit imperium, ingentis animi princeps, qui recuperandæ Africæ cupidus cum esset, curasque omnes viresque ad belli Vandalici comparationem intenderet, de Venetis ne cogitandi quidem spatium habuit. Sed a Recimere Patritio, & utriusque militiæ Magistro apud Dertonam comprehensus imperio pariter vitaque exuitur anno 461. Inter hæc Biorgus Rex Alanorum Hunnis in prædæ societatem adscitis, per Tridentinos saltus & alpes Julias, populabundus in Italiam irrupit; ac Venetis maritimis intactis, omnem circa regionem vastavit. Sed prælio cum Romanis commisso, ab Recimere apud Benacum opprimitur.

Post Valentiniani tertium extinctum Imperatores seu Tyranni Occidentis.

Majoranum excepit Severus, quem Recimerus homo potens & factiosus Imperatorem constituit; eumdemque quarto post anno veneno sustulit. Post interregnum unius anni & mensium aliquot fuit. Anno 467. Anthemius Patritius ab Leone Orientis Augusto Imperator Occidentis creatus cum Recimere affinitatem junxit, filia eidem in matrimonium tradita. Sed propter nonnullas interpositas offensiones, seu potius propter insitam homini Gotthici generis perfidiam, Recimerus in Anthemium, socer in generum insidiis primum grassari cœpit; deinde eumdem bello aperto appetitum, Romæ peremit anno 472, ejusque in locum substituit Olybrium, quo intra septimum mensem vita functo, Glycerius Ravennæ cepit imperium anno 473. Is anno insequenti ab Julio Nepote in ordinem cogitur, & in Dalmatiam transmissus. Augustale diadema cum Pontificia Salonitana thiara commutavit. Orestes Magister militiæ Imperium Julio Nepoti ademptum transtulit in Momyllum filium suum, cui rei Romanæ occidentalis ad interitum vergentis diminutio Augustuli cognomen peperit. Augustulus rerum potitus anno 475. principatum gessit nulla re magis, quam Occidentalis imperii interitu memorabilem. Nam Odoacer Rex Herulorum, ingenti exercitu ex Herulis aliisque barbaris conflato, in Italiam transcendit, Oreste acie victo cæsoque, Augustulum imperio exutum in Campaniam relegavit. Ita Imperium occidentale cum Augustulo extinctum est anno 476. Universa Italia potitus Odoacer regni sedem Ravennæ constituit, tenuitque annos fere quindecim; quo temporis intervallo a Venetis maritimis vim omnem abstinuit; quippe quos aquæ stagnantes & cæca vada trajectuque difficilia ac periculosa undique clausos, tutosque præstabant; & regni Italici firmandi muniendique necessitas cogitationes omnes curasque Odoacris alio avertebant.

Interitus Imperii Occidentalis.

Annus Christi erat supra quadringentesimum undenonagesimus, cum Theodoricus Rex Ostrogotthorum, Italiæ potiundæ cupidus, auctore & hortatore Zenone Orientis Augusto, ingentes trans alpes copias traduxit; Odoacrem gemino prælio superatum ad Isontium fluvium & apud Veronam, tertio denique ad Ducam vel Abduam flumen victum, castris exutum, fugatumque insequitur, ac Ravennæ mœnibus inclusum obsidet. Triennium tenuit obsidio; dedidit se tandem Odoacer una cum filio suisque omnibus ea conditione, ut æquo ac pari jure uterque regnum Italiæ obtineret. Sed haud multo post Theodoricus, cum regni socium moleste ferret, Odoacrem ad convivium per speciem honoris atque amicitiæ invitatum, cum filio & primoribus Herulorum interfecit anno 493. Ita regnum Italiæ ab Herulis ad Ostrogotthos pervenit.

Odoacre victo Theodoricus regni Italici potitur.

Jam vero ad Venetos, unde paullisper digressi sumus, ut revertamur, ab discessu Attilæ usque ad

Venetorum per ea tempora

Digitized by Google

Mores, & cura augendæ ac firmandæ reipublicæ ff.

ad Theodorici tranſitum in Italiam, magna illis facultas fuit & commoditas rei publicæ ac privatæ firmandæ augendæque, cum nemo illis, ipſique nemini vel formidini eſſent, vel negotium faceſſerent. Nam ſua illos inopia tutos præſtabat ab irruptionibus barbarorum, quos una potiſſimum prædandi cupido in Italiam impulerat; præterquamquod circumjectæ paludes contra omnes hoſtiles incurſus illis munimento erant & præſidio. Quis vero ſeu barbaris, ſive accolis metus eſſe poterat a gente profuga, quæ ob calamitates communium temporum æſtuariis illis ſe abdere coacta, ſatis habebat tot cladibus undique obſtrepentibus, vitam qualemcumque ducere; nihil ab illis periculi, nullæ opes, ambitio nulla, terreſtris imperii in aliorum fines proferendi nulla cupiditas, quæ in eos gentium exterarum vel invidiam, vel ſuſpicionem, vel arma commoveret. Itaque ab omni externo metu ſoluti, quietique, id unum agebant, ut latius in dies æſtuaria ſternerent, tecta molirentur, naves omnis generis ædificarent vel ad victum comparandum, vel ad piratas arcendos. Curæ præterea illis erat rempublicam adminiſtrare, leges inſtituere, magiſtratus creare, cogere concilia, in quibus pro eo ac neceſſitas expoſceret, quid agendum eſſet, quid cavendum, deliberarent. Illud vero ante omnia ſibi faciendum cenſuerunt, ut oſtia fluminum, portuſque maritimos, quibus ad æſtuaria ex aperto mari aditus & ingreſſus patet, in poteſtatem redigerent, & quibuſcumque poterant operibus firmarent, ne illac incolarum quieti libertatique vis ulla inferri poſſet. Ac per ea tempora Olivolum inſulam, egregio caſtello impoſito, communiverent; cui deinde ob eam cauſam Caſtellanæ nomen fuit; quippe cum proxime omnium abeſſet a portu, permagni intererat illam valido propugnaculo & præſidio teneri; tum ut portui dominarentur, tum, ut quæ in portum ingrederentur, naves haberent, quo ſe in tutum reciperent, præſertim cum fuga e piratis evaſiſſent, quibus ſemper Adriaticum mare infeſtum fuit. Caſtello illo vetuſtate collapſo, portus tamen munitionem haud negligendam poſteri cenſuerunt, qui duo Caſtella in ipſo oſtio adituque portus, alterum a dextera, alterum a læva excitarunt. Nec vero dubium eſt, quin per eos annos ab calamitate Attilana uſque ad Theodorici adventum, Venetiæ maritimæ mirum in modum auctæ fuerint numero, ac frequentia convenarum, qui cum aliæ ex aliis clades totam Italiam opprimerent, pervaſtatis regionibus, everſiſque urbibus ad has inſulas & ſtagna, veluti ad communis fortunæ miſeræ atque jactatæ portum ac perfugium undique ſe receperunt. Regno autem Italiæ ad Theodoricum delato, Venetiæ deſiere quidem advenarum numero augeri, commercio tamen, & opibus copiiſque maritimis vel plurimum diteſcere cœperunt. Siquidem reſpirare ac refloreſcere viſa eſt Italia ſub Theodorico, qui licet barbarus & Arianus, vix tamen cuiquam Romanorum Cæſarum moderatione, prudentia, liberalitate, juſtitia ceſſit; & ſumma cum laude ac felicitate ſatis diu regnum adminiſtravit, clauſtriſque Alpium egregie communitis, omnem in Italiam aditum barbaris interclusit. Itaque quietis pacatiſque populis ſub imperio optimi Principis, & nihil ſibi ab exterarum gentium incurſione metuentibus, ex accolarum acceſſione nullum Venetiis incrementum allatum eſt. Cæterum pax & tranquillitas Italiæ reſtituta id commodi utilitatiſque Venetis attulit, ut ex illis, quibus ad eam diem fere delituerant, ſtagnis & paludibus liberius egredi, & vel fluminum alveis ſubvecti ad urbes mediterraneas, vel majoribus navigiis in apertum mare delati navigationem ac mercaturam extendere latius poſſent, junctо cum urbibus vel maritimis vel a mari remotis commercio ſane quæſtuoſo; ex quo factum eſt, ut mercibus copiiſque importandis evehendiſque brevi majorem in modum res Venetæ privata & publica creverit. Illud tamen Venetis aliquid ſollicitudinis curæque injecit, quod Theodoricus, cum multas Italiæ urbes ſuperiorum temporum injuria dirutas reſtituiſſet, tum etiam Patavium vallo ac foſſa munivit, quæ civitas deinde frequentius habitari cœpit. Hinc aliqua cura & moleſtia Venetis objecta eſt, præſertim iis, qui Rivaltum & propiora ab continenti ora incolebant loca. Itaque Medoaci oſtium, unde majus a Patavinis periculum eſſe poterat, validioribus quam antea, præſidiis munierunt.

Oſtium Medoaci adverſus Patavinos communitum.

Theodorico ejuſque ſucceſſoribus in Italia regnantibus, quo loco res Veneta eſſet, quam vigens eſſet ac florens, conjicias velim ex epiſtola Caſſiodori ad Tribunos Venetiarum; quibus Venetos & ſummopere laudat, & amiciſſime rogat, ut jubeant naves onerarias, quibus abundabant, adornari ac præſto eſſe ad vinum atque oleum ex Iſtria Ravennam tranſvehendum. Ex iis litteris intelligi licet, quis tum fuerit Venetorum ſtatus, qui ſitus locorum, quæ gentis ſtudia, quæ ædificiorum deſcriptio, quæ vivendi diſciplina.

Caſſiodori epiſtola ad Tribunos Venetiarum.

Ergo vigebat in primis apud Venetos navigationis & mercaturæ ſtudium, quo res omnes ad victum cultumque neceſſarias comparabant. Neque vero illorum negotiatio curſuſque navalis fluviorum anguſtiis aut paludum ambitu continebatur; ſed per totum Adriaticum ſinum, atque adeo ejuſdem oſtium prætervecti per Jonium Ægæumque maria excurrebant; & importandis, exportandiſque mercibus portus omnes adibant, emporia omnia frequentabant: id quod Caſſiodori epiſtola ſupra laudata declarat: *Eſtote ergo promptiſſimi ad vicina, qui ſæpe tranſmittitis ſpatia infinita*. Ex aſſiduis piratarum incurſionibus illud commodi capiebant, quod cogerentur ſemper in armis eſſe; & levioribus præliis ad bella navalia erudirentur. Nihilo ſegniorem in piſcatu & Salinis operam impendebant, quæ illis veluti fructus domeſticos, pro meſſibus ac vindemiis ſuppeditabant; nam piſcibus ferme vivebant; in ſalinis vero aſſidue exercebantur cum quæſtu compendioque maximo; proque illis tuendis plurima cum accolis bella fecerunt. Caſſiodori ætate habitabatur frequentiſſime partim vicis, partim oppidis vaſtiſſimus tractus ille æſtuariorum, quæ longe lateque porrecta cum eſſent, oram continentem a dextera, uſque ad oſtia Padi alluebant. Ædificiorum forma & deſcriptio non eadem ubique, alibi humilis & vulgaris, alibi paullo elegantior & ſumptuoſior; inſulas ſiquidem jam latius conſtruxerant, amplioreſque reddiderant mortalium manus, ad majora etiam ædificia ſuſtinenda, quibus ſolidiora fundamenta ſupponere jam didicerant. Ad vivendi rationem quod attinet, frugalitati in primis eos ſtuduiſſe conſtat; victus tenuis ſemper & parabilis; cibi potioniſque modus naturali deſiderio finitus, non voluptate; veſtitus cultuſque corporis neque indecorus, neque nitidior aut pretioſior, quam illa tempora decebat. Agebatur vita cum procul ab omni cupiditate, tum maximis curis operoſiſque ſtudiis exercita; nulla vitare pericula, nullos fugere labores, omnia adire incommoda, dum ſe ſuaſque familias ſuſtentarent; carebant

Navigatio & mercatura in primis apud Venetos floret.

Piſcatui & ſalinis operæ impenſa.

Olivolus inſula munita, & præſidiis firmata.

Venetiæ commercio & copiis maritimis auctæ.

Mores & studia.

rebant præcipuis humani generis pestibus luxuriæ & avaritiæ, quæ inter se cum sint contrariæ, comites tamen fere semper sunt individuæ. Summa inter eos vigebat concordia; illis omnia communia, privata pro publicis, publica pro privatis habebantur; ex quo fiebat, ut maximo esset in pretio atque honore justitia, cum nemo audiret injuriam alteri facere, quæ publice omnibus facta videretur. Hæc ferme de Venetis Cassiodorus.

Maris Adriatici ab Imperatoribus destituti cura & tutela a Venetis susceptæ.

Jam vero Imperatores Romani, amissa cum imperio Occidentali Italia Dalmatiaque, mare quoque intermedium amiserant; & barbari Ravenna potiti in sua potestate retinebant stationem classis Romanæ, quæ ibidem ad maris custodiam ac præsidium excubias agere solebat. Itaque per eos annos navigatio Adriatica infesta maxime a piratis fuit; neque ad eos comprimendos aut coercendos quidquam navalium copiarum aliunde suppetebat, præterquam a Venetis, qui majoribus & pluribus, quam antea, instructis armatisque navigiis, maritimos prædones persequi, & mare, quoad poterant, a piraticis latrociniis tutum sibi aliisque præstare conabantur; nam Heruli Gothique terrestribus præliis assueti, rerum maritimarum rudes, vix, aut ne vix quidem rem nauticam attigisse leguntur ante bellum Gothicum, in quo non defuisse Gothis copias navales, quibus & maritimas urbes obsiderent, & commeatus bellicos, militesque adveherent, auctor est Procopius, qui eos tamen naumachiæ rudes fuisse scripsit; suamque rerum navalium inscitiam prodidisse ait in eo certamine maritimo, quo apud Senogalliam devicti sunt, ut paullo post dicendum erit. Quare Veneti cum Adriaticum mare destitutum esset ab Imperatoribus, & piratarum latrociniis expositum, ejus curam ac defensionem dignissimam suæ providentiæ, & disciplinæ facultatisque maritimæ, quam diligenti exercitatione usuque assiduo adepti fuerant, sibi suscipiendam putarunt; ac per ea tempora eos arbitror jus dominatumque maritimum ab Occasu quidem usque ad ostia Paduæ Ravennamque, ab Ortu vero usque ad Istriam protulisse. Id adeo cognosci potest ex epistola Cassiodori, qui Venetias earumque imperium *ab Austro Ravennam Padumque contingere scripsit, & ab Oriente jucunditate Jonii* (idest Adriatici) *littoris perfrui*; ab hac vero Orientis regione quatenus eorum dominatio maritima extenderetur, idem Cassiodorus docet, cum ait eosdem *numerosa navigia in ejus* (idest Istriæ) *confinio possidere*; quæ scilicet ibidem ad maris custodiam in perpetua statione collocabant: quod sane argumentum est maritimi Venetorum imperii utrinque a dextera lævaque ad Istriam & Ravennam usque prolati. Ut iis, quos dixi, terminis Venetorum principatum maritimum ea tempestate circumscriptum fuisse existimem, duas causas afferri posse arbitror; unam, quod nondum Veneti tantam navium multitudinem virosque maritimas tantas habebant, ut longius & latius dominatum proferre, totiusque maris tutelam ac defensionem suscipere possent; altera hæc est, quod Justinianus Imperator anno Christi 535. cum Gothis bellum intulisset, immissis in mare Superum classibus, jus imperiumque Adriatici maris rursus usurpare cœpit, quod demum anno 553. Gothis devictis, & regno Gothico Italico funditus everso, una cum Dalmatia Italiaque recuperavit. Nec vero si mare Adriaticum fere totum in potestatem rediit ditionemque Imperatorum Orientalium, idcirco Veneti amiserunt tractum illum maritimum æstuariis proximum, quem cum reliquo mari ab Imperatoribus Romanis desertum jure optimo occupaverant, suisque navibus tuendum susceperant. Tantum vero abest, ut Justinianus ea maritima possessione Venetos depelli vellet, ut illos sibi socios ad bellum Gothicum adjutoresque adsciverit; in eoque eorum opera magni fuit.

Maris superi ab Istria & Ravenna usque ad fauces Hydruntinas curam & imperium Justinianus recepit.

Agebatur annus quintus ejus belli, æræ Christianæ 540., cum Veneti primam pro Romanis adversus Gothos apud Ravennam expeditionem navalem susceperunt; id quod Venetorum annalibus consignatum est, & præclare cum iis congruit, quæ Procopius lib. 2. de bello Gothico scripsit. Belisarius Vitigem Gothorum Regem Ravennæ obsessum fame ad deditionem compellere constituerat. Terrestria itinera, quibus aliquid in urbem importari posset, suis copiis ac præsidiis obsederat; mare hostibus, ne quid illac inferretur, imperatoriæ classes intercludebant; a læva Padus fluebat, & Veneti, qui omnem illam oram, tractumque maritimum usque ad Paduæ stagnum Ravennæ propinquum tenebant. Unum erat in Vitigis potestate Padi ostium Spineticum urbi proximum, qua e transpadanis Gothorum urbibus frumentum & omnis generis commeatus secundo flumine devehi potuissent. Itaque Belisarius, id subsidii ut præriperet hostibus, cum utramque Padi ripam terrestribus copiis obsedit, tum a Venetis postulavit naves aliquot actuarias, nec mari quam fluminibus aptiores, quæ partim adverso flumine subvectæ hostium navibus occurrerent; partim ad Padi ostium consisterent, ne quid furtim a mari obsessis inferri liceret. Quo in loco res esset, quantumque in discrimen adducta, per nuncios admoniti Gothi, qui apud Ticinum erant, cymbarum fluvialium, quam maximam possunt, classem adornant, alias præcedere jubent bellico apparatu instructas, alias subsequi, onerarias frumenti ac cibariorum plenas in medio collocant. Secundo amne plenoque delatas, fluvius repente decrescens in sicco destituit; tum Veneta classis e navibus levioribus composita superveniens invadit; ibi atrox coortur prælium; nec diu impetum hostes sustinuere, quos Veneti medio flumine acerrime urgebant, & milites in utraque ripa dispositi genere omni missilium incessebant. Itaque cæsis haud paucis, & quamplurimis vulneratis, sese cum omnibus navibus & commeatu omni Belisario dedidere; præda omnis partim terrestri, partim navali militi concessa. Ea calamitas, & subsidii spes adempta Vitigis & Gothorum animos fregit; nec multo post urbis deditio facta, & Vitiges a Belisario Constantinopolim abductus. Ravenna capta ut Romanis adjumenti ac præsidii, sic Venetis gloriæ ac laudis plurimum attulit, iisdemque Justiniani benevolentiam ac favorem mirifice conciliavit.

Navalia subsidia Belisario adversus Gothos a Venetis submissa.

Victoria navalis Venetorum de Gothis relata.

Anno decimo septimo belli Gothici, æræ Christianæ 551., cum regnum in Gothis obtinebat Toetilas, qui collapsam in Italia rem Gothicam non minus æquitate ac moderatione, quam virtute bellica restituerat, Veneti & suæ in rebus præliisque maritimis scientiæ ac fortitudinis, & suæ erga Romanos amicitiæ specimen egregium dederunt. Nam, ut in eorum annalibus scriptum est, Valerianus Præfectus Ravennæ, ut Anconam Gothicæ obsidionis periculo liberaret, auxiliares naves a Venetis postulavit, quibus classem augeret, quam partim ex iis, quas ipse habebat, partim ex illis, quas adscivit e Dalmatia, navibus conflaverat. Pugnatum est apud Senogalliam,

Altera Venetorum de Gothis maritima victoria.

Fines juris imperiique maritimi Venetorum.

liam, Classis Totilæ profligata & disjecta, naves hostium aliquot cum ipsis propugnatoribus submersæ, cæteræ ab Romanis captæ, decem incolumes fuga elapsæ propinquum littus tenuerunt. Ita Anconæ obsidio soluta est. Quæ victoria tantum attulit Romanis, quantum ademit hostibus animi fiduciæque. Interea Justinianus, Bellisario Constantinopolim revocato, bellum Gotthicum gerendum dederat Narseti Eunucho, qui tum e Thracia, Illyrico, Macedonia, aliisque provinciis, tùm ex auxiliaribus barbarorum copiis florentissimo ingentique exercitu contracto Salonam venit. Inde secus oram maritimam traducto in Italiam exercitu apud Aquilejam consedit. Cum Totilas omnia, quæ Ravennam ferebant, itinera mediterranea præsidiis occupasset; Narses consilium cepit circum stagna Venetorum copias traducendi; sed huic consilio obstabant prærupta flumina, quibus interciditur tractus ille æstuariis circumjectus. Quamobrem naves aliquot & scaphas plurimas a Venetis impetravit, quæ funibus alligatæ, tabulisque contractæ trajectum æque facilem ac tutum præbuere. Interea dum exercitus institutum iter persequitur, ipse ut Venetorum loca propius cognosceret, per æstuaria navicula delatus insulas illas obivit, & apud Rivaltum cum appulisset, exscensu in terram facto, plurimum voluptatis vel e novitate loci, vel e studiis incolarum cepit. Egregiam Venetorum erga Justinianum voluntatem, & auxiliarem operam Romanis collatam verbis amplissimis collaudavit; quorum virtus reique bellicæ ac navalis scientia in duobus præliis, altero fluviatili non procul Ravenna, altero maritimo apud Senogalliam vel maxime excelluerat. Ibi ad Narsetem venere Oratores Patavini, qui multis verbis questi sunt, æstuaria, littora, atque ostia fluminum sibi a Venetis per injuriam ablata esse, quorum querelas Nicolaus Rivalti Tribunus gravi & sedata oratione refutavit; nec vero recusarunt Veneti, quin ipsi quoque Narsetem, ad quem Patavini confugerant, ejus controversiæ arbitrum deligerent, quem scilicet, præbitis nuper ad transitum fluviorum navibus, recenti beneficio sibi devinxerant. Cæterum Narses, cum iter sibi maturandum esset, hortatus utrumque populum ad pacem & concordiam, respondit dignam sibi rem videri, de qua diligentius ac per otium cognosceret. Prius vero quam discederet, duas sacras ædes hac in insula vovit, si susceptam contra Gotthos expeditionem e sententia conficeret.

Narses navet a Venetis ad trajiciendа flumina impetrat; & Venetiæ adit.

Duas sacras ædes apud Rivaltum vovet,

Ergo Narses primum Totila, deinde Teja in ejus locum suffecto, acie victis cæsisque, Gotthicum Regnum extinxit; debellatumque est cum Gotthis anno ejus belli duodevigesimo exeunte, qui cum anno Christi 553. cohæret. Tum Narses Venetias regrediens, voti reus, duas ædes in Rivalto construendas curavit, alteram Theodoro Martyri, ubi nunc est Basilica S. Marci, alteram SS. Mennæ & Geminiano, ubi nunc media fere est area ante Basilicam Marcianam porrecta, quam tum secabat Euripus, ultra quem hæc ædes erat posita in adversa ripa. Crescente autem ædificiis urbe, placuit campum ejusdem ædis tergo adjacentem, constrato rivo intermedio, cum area Marciana conjungere, ac templum Mennæ & Geminiani e media sublatum in extremam aream, ubi nunc visitur, transferre.

& post Gothos debellatos exstrui jussit.

Expulsis Gotthis, Italia & Dalmatia in fidem concessit ditionemque Imperii Orientalis una cum mari intermedio; at maris Adriatici, quod intra Padi ostia & sinum Tergestinum proxime ab æstuariis interfluit, mansit in potestate Venetorum; quibus neque Justinianus, neque cæteri deinceps Imperatores Orientis quidquam molestiæ exhibuerunt, quominus eo maris tractu libere pacateque uterentur; quin imo fere semper inter utrosque ea pax & concordia viguit, ut Imperatores quidem Venetos Sociorum & amicorum loco haberent, & quibuscumque possent, beneficiis atque ornamentis afficerent; Veneti autem eo Imperatores honore cultuque prosequerentur, quem solent ac debent minoris fortunæ populi potentioribus deferre; & volentes libentesque eidem operam suam copiasque navales ad provincias Imperii tuendas, hostesque propulsandos sæpe contribuerunt.

Inter Venetos & Imperatores Orientales pax & concordia perpetua.

Verum ea deinceps confecuta sunt tempora Italiæ, universoque Imperio maxime infesta, quæ ex aliarum urbium ruinis & cladibus maximum incrementum Venetiis adjicerent, ac denique totius maris tutelam dominatumque ab Imperatoribus, non illis quidem invitis, sed quando id res publica & privata, communisque salutis ratio postulabat, ultro libenterque consentientibus, ad Venetos transferrent. Justino II. imperante, anno Christi supra quingentesimum octavo & sexagesimo, Langobardi gens fera & immanis, relicta Hunnis Pannonia, in qua jampridem confederant, Alboinum Regem secuti, alpes Carnicas transcendunt, Venetiam mediterraneam pervastant; quibus nemo cum obsisteret, longius progressi Liguriam pene omnem, exceptis maritimis urbibus, in potestatem redigunt; Mediolani potiuntur; Ticinum triennio obsident; qua demum capta Alboinus ibi sedem statuit regni; qui deinceps reliquam pervagatus Italiam, præter Romam & Ravennam cuncta propemodum occupavit. Sub adventum Langobardorum ex omnibus finitimis civitatibus in insulas littoraque Venetorum frequentissime migratum est; ac præsertim Patavio, & oppidis vicisque agri Patavini, cum urbem illam Agilulphus Rex Langobardorum obsessam captamque, piceis faculis undique subjectis incendit. Præterea barbarica illa tempestate ingruente, Paullinus Aquilejensis Antistes, ut saluti consuleret, prædamque barbaris præriperet, sacris reliquiis ac thesauris sublatis, Gradum concessit, quæ civitas postea, translata illuc ex auctoritate Pelagii II. Pontificis Maximi sede Metropolitica Aquilejensi, nova Aquileja vocari cœpta, & totius Venetiæ Istriæque Metropolis Ecclesiastica constituta est. Quamdiu vero regnatum est a Langobardis in Italia, migrationes populorum alias ex aliis ad insulas & æstuaria Venetorum fieri numquam desierunt; sive quod ea gens crudeliter avareque imperaret, sive quod Catholicis inter Langobardos Ariana labe infectos, ejusque propagandæ cupidos, tutis esse quietisque non liceret. Capto excisoque Opitergio ab Rothario Rege Langobardorum, Magnus ejus urbis Episcopus, vir eximiæ sanctitatis, commiseratus gregis sibi commissi calamitatem, veritusque, ne Ariana Langobardorum contagione inficerentur, Opitergini auctor fuit patriæ deserendæ solique mutandi. Locum in stagnis cum cepisset haud procul a continenti, ingentem hominum turbam eo secum deduxit; ibi civitatem condidit, quam honoris causa ab Heraclio Imperatore, qui tum rerum in Oriente potiebatur, Heracliam appellavit. Sedem Opiterginam illuc translatam Severinus Romanus Pontifex, & Primogenius Gradensis

Langobardi Italiam fere omnem occupant.

Langobardis in Italia regnantibus ingens populorum vim atque impietatem barbaricam fugientium accessio ad Venetias augendas.

Digitized by Google

denſis Patriarcha confirmavit. Eadem tempeſtas perpulit Paullum Altinatem Antiſtitem, ut ſe ſuoſque jugo ac ſervitute Langobardorum eximeret; & univerſo fere populo proſequente, cum omni ſacra ſupellectile Divorumque reliquiis Torcellum migravit, ibique domiciliis plurimis ædificatis, ædeque Cathedrali excitata, ſedem poſuit Epiſcopalem, eodem Severino Pontifice approbante. Ita Venetiæ tum erant miſeræ atque jactatæ mortalium fortunæ portus & commune perfugium; ac præſertim Catholicæ religioni hoſtium injuriis expoſitæ tutiſſimus receptus; ut merito dubites, pluſne ad incolendas augendaſque Venetias, Ariana perfidia, an crudelitas inhumana Langobardorum contulerit.

Ex Iſtria & Dalmatia frequentes hominum concurſus ad Inſulas & Lagus Venetor.

Per eadem tempora Iſtria quoque Langobardorum tyrannide oppreſſa, & inſuper a Slavis fœdum in modum vaſtata, itemque Dalmatia, quam iidem Slavi aliique barbari crebris incurſionibus infeſtabant, magnum convenarum & profugorum numerum ad frequentandas amplificandaſque Venetorum inſulas contulerunt. Sed præſertim e Dalmatia, poſt Salonam ab Avaribus everſam incenſamque anno circiter quadrageſimo ſeptimi ſæculi, ingens rei Venetæ incrementum acceſſit; quamplurimis illuc e populo & præcipua Dalmatica nobilitate familiis commigrantibus. Hinc exiſtimari velim, quanta per annos amplius centum ad frequentiam inſularum, ad celebritatem nominis Veneti, ad opes copiaſque reipublicæ, facta fuerit acceſſio; ac ſeptimo quidem ſæculo jam elabente res Venetorum adeo erat valida, ut tantam in medio creſcentem molem ſibi ſuiſque poſteris metuerent vel ipſi Langobardi, qui Venetiam mediterraneam & reliquam Italiam fere omnem adepti, quidquid Alpibus & Apennino interjacet, Langobardiam vocarunt. Exinde nomen Venetiæ, mediterranea omni poſſeſſione depulſum, æſtuariis littoribusque definitum eſt; & quod in his ſtagnis plures eſſent inſulæ & oppida plura, numero plurali, & communi vocabulo appellatæ ſunt Venetiæ. Itaque Langobardi Venetis infeſti eſſe cœperunt, ſive quod eorum incremento, libertatique inviderent, ſive quod ægre ferrent eos cum Imperatoribus Orientis amicitia conjunctos eſſe; nec deſiſtebant laceſſere illos quotidie aliquo injuriæ genere, detinere, ſpoliare, fidem publicam fallere, nec vero Venetis vires animique deerant ad jus ſuum libertatemque tuendam, armiſque etiam, ubi opus eſſet, decertandum.

Langobardi Venetis infeſti.

Tribunorum imperio abrogato.

Venetiis imperatum erat a Tribunis annos circiter ducentos & quadraginta, cum Venetos imperii Tribunitii pœnitere cepit. Cauſam pœnitendi, mutandique regiminis hanc fuiſſe comperio, quod per ea tempora ſive mari a piratis, ſive terra ab Langobardis, ac præſertim a Luithprando, qui principatum in Carnis obtinebat, multa incommoda & detrimenta rei publicæ privatæque illata fuerint: quæ quidem Tribunis accepta vulgo ferebant, cum ii ſæpe inter ſe diffiderent, & cupiditatis atque ambitionis ſtudio ducti, dum rem quiſque ſuam augere, & alii aliis præſtare cupiunt, rem utilitatemque publicam negligerent. Itaque indictum eſt apud Heraeliam Concilium, quo cum Tribuni, & Proceres primoreſq; convenirent, Chriſtophorus Patriarcha Gradenſis auctor fuit, ut abrogato Tribunis imperio, unus deinceps deligeretur, qui cæteris auctoritate ac dignitate præeſſet, ejuſque ſummum imperium haud brevioribus quam ipſius vitæ ſpatiis definiretur. Hunc Ducis nomine ornari placuit, cum Veneti ab regio nomine, aliiſque hujuſmodi titulis ac moribus, qui libertati officerent, ſemper abhorruerint. Communi omnium conſenſu, Paullutius Anafeſtus Heraclianus, haud genere quam virtute clarior, Dux declaratus eſt anno Chriſti 697. qui principatu inito nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut inteſtinas diſcordias ſedaret; tum ad fluminum oſtia, portuſque maritimos diligentius firmandos, caſtelliſque muniendos animum adjecit. Statuit, ut oppida omnia, navium numero ſingulis pro cujuſque opibus imperato, ad omne Ducis ſignum imperiumque in armis eſſent, & navalia conſtruerent ſepta munitaque, ne aut accolis aut piratis paterent. Fœdus iniit cum Luithprando, quem prælio viciſſe ſcribunt; & cum Ariperto Rege Langobardorum amicitiam coluit. Quod alii plerique bello, ipſe pace patriæ fines auxit, quos a Slavi majore uſque ad Plaviculam propagavit. Paullutio Marcellus ſuffectus eſt anno 717. huic vero ſucceſſit Urſus, nobili genere, qui principatus initi commendationem duxit ab juventute Veneta in navali diſciplina & armorum ſtudiis exercenda. Eo inter popularem ſeditionem ac tumultum cæſo, cum de creatione novi Ducis variarent ſuffragia, reſque iterum ad ſeditionem ſpectaret, placuit in ſex annos novum magiſtratum annuum inſtitui, quem qui gererent, Magiſtri militum appellarentur. Sed anno quinto militaris magiſterii nondum exacto, cum miro Ducis deſiderio tenerentur, cunctis ſuffragiis Theodatus filius Urſi Dux creatus eſt anno 742. quæ reipublicæ per Duces adminiſtrandæ ratio nunquam deinde intermiſſa eſt.

Duces apud Venetos creari cœperunt.

Primus Dux Paullutius Anafeſtus.

a. Marcellus.

b. Urſus.

Magiſtri Militum pro Ducibus inſtituti.

Duces iterum recepti, & ſemper deinde retenti.

Interea dum res Veneta in dies auctior ac validior fieret, res Græcorum in Oriente, præſertim vero in Italia, uſque eo decreverant, deteriore ut loco vix eſſe poſſe viderentur. Ab exitu ſexti ſæculi per annos circiter ducentos nulla imperio quies fuit ſive a barbaricis bellis, ſive a ſeditionibus domeſticis, ac nullum fere tempus a cladibus, tumultibus, direptionibus vacuum orioſumque. Perſæ, Avares, Slavi, Bulgari, Saraceni, aliæque hujuſmodi peſtes, numquam deſierunt alias ex aliis calamitates inferre, Orientiſque Provincias ferro, & igni fœdum in modum vaſtare. Italia vero omnis ſub imperium ditionemque Langobardorum ceciderat, excepto Venetorum angulo, itemque Roma & Ravenna, quas urbes ægre defenſas Imperatores Orientis, quoad potuere, in ſua fide ac poteſtate retinuerunt; Exarchis Ravennæ conſtitutis, qui reliquias imperii Græci in Italia utcumque tuerentur. Dalmatiam itidem omnem, præter civitates maritimas inſulaſque, Slavi occupaverant, ſuiſque præſidiis obtinebant. Ad eas calamitates cladeſque velut cumulus acceſſit Imperatorum Orientalium vel ſocordia, vel impietas, quarum altera effectum eſt, ut rerum publicarum cura & defenſione poſthabita neglectaque, hoſtium quidem audacia & vires creverint, ſubditorum vero populorum fiducia animique debilitarentur; quos demum neceſſitas impulit, ut quando nullam ab Oriente rebus afflictis opem ſperare poterant, aliunde ſibi præſidium & tutelam adſciſcerent; altera vero, incredibile dictu eſt, quam multa & gravia detrimenta invexerit; nam ex iis, qui per ea tempora in Oriente imperarunt, alii Monothelitarum labe infecti fuerunt, alii vero Iconomachæ impietatis auctores ac duces ſe præbuerunt: hinc civiles diſcordiæ, hinc ce-

Cladet Imperii Orientalis.

Imperatorum Orientalium ſocordia.

Itemque impietas Monotheliſica, deinde Iconomachæ.

Digitized by Google

des, hinc Catholicorum, ac præsertim Latinorum, qui aliquod auxilium imperio labanti ferre potuissent, ab Imperatoribus Græcis alienatio, & disjunctio. Cum omnia bellis & seditionibus arderent, in tanta rerum omnium perturbatione, mare Adriaticum fere destitutum ab Imperatoribus, qui tot malorum undique ingruentium molem nedum depellere, sed ne sustinere quidem poterant, piratarum incursionibus patebat; & si qua ab Oriente classis mittebatur, tam debilis fuit atque infirma, ut neque prohibere Langobardos, quo minus maritimas civitates fere omnes caperent, neque captas recuperare potuerit; quamvis ea gens navalibus copiis careret, neque unquam, quamdiu in Italia imperavit, rem maritimam attigerit. Quare maris purgandi ac tuendi cura omnis cogitatioque in Venetos incubuit, qui Urso imperante nacti Ducem exercitatorem, ut supra diximus, laudatoremque vistutis, & membris lucta ac palæstra firmandis, & fictis navalium prœliorum imaginibus inter se dimicando, tantos in re nautica militari progressus fecere, tantosque spiritus sibi sumpserunt, ut jam non contenti prædones ac piratas in fugam conjicere, sed insequi eos etiam, & in eorum portus irrumpere, in terram descendere, munitiones aggredi, mœnia turresque tentare, concremare navigia piratica, vel in suam potestatem redigere auderent.

Maris Adriatici ab Imperatoribus relicti, & prædonibus expositi, curam & defensionem Venetis suscipiunt.

Ursi tertii Venetorum Ducis temporibus illigare placet vindictam sumptam, seu victoriam relatam de Tergestinis piratis, cujus cæteroquin incerta sunt tempora. Patrii moris fuisse ferunt, ut Virgines nuptiis maturæ singulis annis IV. nonas Februarias ad sacram ædem in Castellum insulam, cum omni dotali supellectili a parentibus & propinquis ducerentur, ibique adolescentibus, qui eodem convenerant, sua cuique in matrimonium solemni & Christiano ritu traderentur. Forte accidit, ut piratæ Tergestini pridie ejus diei, quo is conventus celebrari solebat, cum aliquot navigiis nocturno cursu proxima loca tenuerint; summo autem mane in ædem ipsam impetu facto, loci Antistitem eum non exigua mortalium manu, rebusque multis asportarunt. Fugientes piratas juventus Veneta navibus celerrimis insequitur, eosque ad Caprulas oppidum assecuta, haud magno negotio oppressit; & hostium navibus captis, aut demersis, receptisque civibus cum Antistite ac reliqua præda, lœti ovantesque domum reverruntur. Ob rem bene gestam ludos instituere forunt, indictamque in singulos annos supplicationem, quæ *Mariarum* a Majoribus appellata est, & IV. nonas Februarias ingenti apparatu maximaque omnium ordinum frequentia ac religione peragi solebat. Sed alia longe illustrior ac felicior expeditio maritima cum Ursi principatum memorabilem fecit, tum vero genti Venetæ magnum nomen peperit. Cum Imperatores Orientis bellis barbaricis domesticisque dissensionibus impliciti copias admodum exiguas in Italiam submitterent, absetsque Classis Imperatoria; haud difficile fuit Langobardis Ravenna potiri. Paullus Exarchus fuga elapsus ad Venetos se recepit, magnoque ab illis honore exceptus cum esset, auxilia navalia ad urbem recuperandam postulavit. Hujus postulatis ingens pondus addiderunt litteræ Gregorii II. Pontificis Maximi ad Ursum Venetiarum Ducem, quem etiam atque etiam hortabatur, Exarcho ut opem ferret, expulsisque Langobardis Ravennam Orientis imperio, & Leoni Isaurico Imperatori restitueret, qui nondum per summam impietatem Divis, eorumque sacris imaginibus bellum nefarium indixerat.

Victoria de piratis Tergestinis.

Veneti, tum ut Pontificis voluntati morem gererent, tum ut Leoni gratificarentur, hanc utriusque sibi demerendi occasionem cupide amplexi, valida instructa classe Ravennam transmittunt, urbem obsident, cæsis expulsisque hostibus capiunt, & Exarcho restituunt. Leo ut gratiam Veneris, ob Ravennam illorum armis receptam, qualemcumque posset, referret, Ursum Venetiarum Ducem titulo Hypati sane honorifico donavit. Leoni III. Iconomacho successit in imperium Orientale Constantinus VI. cognomento Copronymus paternæ impietatis hæres; huic Leo IV. qui avi patrisque exemplo sanctarum imaginum cultores indignis vexavit modis. Qui omnes in odium indignationemque superum pariter ac mortalium cum incurrissent, innumerabilia mala sibi atque imperio adsciverunt ab irato Deo suas Divorumque suorum injurias ulciscente; nam per eos annos Constantinopolis & finitimæ regiones urbesque maximis terræmotibus adeo conquassatæ sunt, ut ædificia & templa quamplurima, multaque oppida corruerint; Pestis Orientem fere totum pervagata ingentes ubique hominum strages edidit, ac præcipue Constantinopoli adeo sæviit, ut & locus sepeliendis cadaveribus, & qui ea sepelirent, propemodum deficerent. Ad hæc Saraceni, Slavi, Bulgari provincias Orientis infestis agminibus peragrantes, quacumque incederent, cladem ac vastitatem intulerunt. Demum Constantino VI. imperante, Ravenna una cum statione Imperatoriæ classis in perpetuum amissa est; quam Aistulphus Langobardorum Rex anno circiter 752. armis captam ad suum Italicum regnum adjunxit. Nec parro Veneti classe iterum instructa Ravennam Langobardis eripiendam, & Imperatoribus Orientis recuperandam censuerunt; sive quod religioni haberent eo facto illorum se amicos ac fœderatos profiteri, quibus ob nefandam hœresim sacris omnibus, omnique piorum consociatione interdictum erat; sive quod nollent in tanto mortalium odio adversus Iconomachos Imperatores, præsertim justo ac debito, fovendo illis & opitulando sibi invidiam quærere, & Catholicos omnes, Italosque potissimum, a se alienare. Nec sui Venetos consilii pœnituit; quippe quadriennio post Pipinus Rex Galliæ a Stephano III. ad subsidium Italiæ Langobardorum tyrannide oppressæ ferendum evocatus, Aistulpho Ravennam eripuit; illumque Exarchatum, itemque Pentapolim, hoc est, Anconam cum quatuor Piceni oppidis, Pontifici et ecclesiæ Romanæ tradidit, nequidquam Constantino Copronymo civitates illas a Pipino per legatos repetente. Pluris autem Venetorum intererat Ravennam Anconamque maritimas urbes in potestate Romani Pontificis esse, quam aut Græcis restitui, aut a Langobardis retineri; cum ea fuerit semper Venetorum erga summos Ecclesiæ Hierarchas observantia, fides, & voluntas egregiis sæpe plurimisque officiis testata, ut nihil sibi & suis per Adriaticum navigationibus expeditionibusque maritimis metuere ab illis possent. Post Ravennam amissam, raræ deinceps classes ab Oriente in Adriaticum mare invectæ; nisi si quando necessitas compelleret vel tuendi, vel præsidiis Constantinopoli advectis firmandi loca maritima, quæ Græci sive in Dalmatia, sive in ora Italica ad Meridiem extrema retinebant. Quare Veneti, quan-

Veneti Ravennam a Langobardis captam recuperant, & Orientis Imperio restituunt.

Ravenna iterum amissa.

Classis Græcorum post amissam Ravennam a mari Adriatico deducta.

Digitized by Google

Venetis quondam maris necessitatem attulit.

quando alia nulla gens erat, quæ hanc curam cogitationemque susciperet, majori, quam antea, studio, pluribusque armatis navigiis in altum emissis ad maris tutelam defensionemque incubuere, ut navigationem, commercium, littora & oppida maritima, sibi cæterisque ejusdem maris accolis tuta præstarent.

Anno Christi 773. Carolus Rex Franciæ Hadriani Pontificis rogatu in Italiam cum exercitu transgressus, Desiderium Regem Langobardorum Romanæ sedis hostem fœdifragum acerrimumque Ticini obsidebat, cum Veneti, ut Carolo Hadrianoque per suos Legatos auxilia navalia postulantibus obsequerentur, naves quinque supra viginti optime tam remigibus quam militibus instructas Papiam transmisere. Itaque Desiderius undique obsessus, vehementerque oppugnatus, cum videret oppugnationem a terra & a flumine diutius sustineri non posse, desperatis rebus, se atque urbem Carolo tradidit. Ita Langobardicum in Italia regnum funditus corruit, cum annos amplius ducentos stetisset. Nec vero Carolus collati a Venetis auxilii immemorem se præbuit; cum enim anno primo sæculi noni nomen & insignia Imperatoris Occidentalis ab Leone III. Pontifice Maximo delata sumpsisset, in eo fœdere, quod postea cum Nicephoro Imperatore Græcorum sancivit, Venetis cautum esse voluit; ac de utriusque consensu fœderis conditionibus adjectum est, ut Venetiæ liberæ ab utroque imperio & immunes forent. Cæterum haud multis post annis initam Francos inter Venetosq; amicitiam suspicio sive offensio quædam diremit; vel quod Veneti Nicephoro impensius studere, quam Carolo viderentur; vel quod Obelerius Dux Venetorum Principatu depulsus cives suos criminando, non prius Carolum irritare destiterit, quam ille Pipino filio, qui rebus Italiæ præerat per litteras mandasset, ut Venetos acri bello invaderet. Ergo Venetias infesto agmine aggressus, tum aliquot insulas continenti proximas, tum Methamaucum occupat, quæ tum erat sedes Ducum, ab Heraclia excisa ante aliquot annos translata. Inde Rivum altum, quo cives, Methamauco oppido relicto, cum Beato Duce Obelerii fratre confugerant, ponte stagnis injecto haud sane feliciter tentavit; nam Veneti expeditissimis cymbis, & ad conserendam & eludendam pugnam idoneis insidentes, vento & aquis secundis in propinquantem hostem ferociter invehuntur; a fronte a lateribus acriter propellunt, navigiorum incursantium impetu pontem dissolvunt, alios cædunt, alios in aquas dejiciunt, alios in fugam avertunt. Ita Pipinus multis Francorum militibus amissis, Ravennam remigravit inglorius; nec ita multo post cessit e vita, Bernardo filio superstite, & regni Italici hærede.

Interitus Regni Langobardici, Imperii Occidentalis restitutio.

Veneti utroque Imperio exempti ac liberi.

Pipinus Caroli filius Venetos bello aggreditur.

Is Venetis cæsus ac repulsus.

Exinde Veneti, inter duo potentissima Imperia Occidentis & Orientis interjecti, cum utroque pacem & amicitiam coluerunt; & pacatis propitiisque temporibus usi, urbem apud Rivum altum ædificiorum ac civium frequentia, commercio, & divitiis, imperium vero opibus copiisque præsertim navalibus mirifice auxerunt; cætera itidem oppida sive littorea, sive in insulis posita, unde incolas Gallici belli tempestas dispulerat, iterum incoli habitarique cœperunt frequentissime; contra vero res viresque Græcorum quotidie imminui, ac deteriores fieri, tum propter ignaviam Imperatorum, tum propter assiduas a barbaris clades acceptas. Cum Michael II. cognomento Balbus, patria Amoreus, rerum potiretur, Imperium adeptus anno Christi 820. Saraceni Siciliam, itemque Calabriam occuparunt. Dalmatia vero omnis tum maritima, tum mediterranea cum Slavis Serblis, qui eam incolebant, erantque vectigales Imperatorum Orientalium, ab Græcis defecit. Id docent Constantinus Porphyrogenitus, Zonaras, Cedrenus, Curopalata. Chrobati autem itidem Slavi, qui Liburniam tenebant, a Carolo Magno cum Istris subacti, adhuc in fide manebant ac potestate Francorum. Hi cum Narentanis oriundis e Serblis illis, quos Heraclius Imperator in ea Dalmatiæ parte, quæ ad Orientem vergit, domiciliis agrisque donaverat, societatem piraticam coeuntes, assiduis excursionibus mare infestum habere cœperunt. Nihilo tutior pro eos annos fuit a Saracenis Adriatica navigatio. Itaque cum ab Oriente nihil aut minus, quam per necessitate, subsidii suppeteret, uni erant Veneti, qui ejusdem maris tutelam sibi adsciscerent. Has autem maritimas expeditiones a Venetis per ea tempora susceptas invenio. Prima fuit adversus Saracenos; quippe Justinianus Particiatius anno 827. Angelo parenti in principatum suffectus, Michaeli Imperatori gratificandi studio, naves aliquot egregie instructas ut publico nomine Veneti mitterent, auctor fuit; sed hoste non reperto, haud multo post domum incolumes redierunt. Triennio post Veneti Obelerium recuperandi Principatus causa turbas ac seditiones molientem, apud Curictum insulam valida classe obsessum captumque capitali supplicio afficiunt. Petro Tradonico, & Joanne ejus filio Venetorum Ducibus iterum ac sæpius alias prospere, alias minus feliciter mari pugnatum est cum Chrobatis & Narentanis, cum quibus antea ita pax convenerat, ut ne piraticam in Adriatico facerent; sed hi non multo post violato fœdere, Venetos negotiatores ex Apulia navigantes medio mari oppressos necaverunt.

Expeditiones maritimæ Venetorum.

Sed longe gravior mari Adriatico fœdiorque tempestas ingruebat a Saracenis, qui Siciliam Apuliamque occupaverant; quas regiones ut recuperaret Michael III. in Orientis Imperium Theophilo parenti suffectus anno 841. Theodosium Ducem cum classe in Adriaticum misit. Is copiis diffisus, quas e Græcia adduxerat, ad Venetorum opes confugit, qui sexaginta triremes ad sociale adversus Barbaros bellum hortatore & auctore Tradonico Principe adornarunt; atque ob id Tradonicus a Michaele honoris causa Protospatarius est appellatus; qui titulus honosque primarius erat apud Græcos Imperatores. Sed apud Crotonem in sinu Tarentino res male gesta est; nam fusis & fugatis Græcis, omnis Saracenorum impetus in Venetos conversus est; quem Venetæ triremes aliquamdiu cum sustinuissent, superante hostium multitudine, partim submersæ, partim captæ ad unam omnes periere. Cum accepta calamitate, ex eo prælio hostium opes animique crevissent, barbari transmissa in Dalmatiam classe, aliquot oppida subito incursu oppressa diripuerunt; longiusque profecti, Venetas naves mercibus onustas e Syria redeuntes, quæ barbarica classe procul conspecta in sinum Tergestinum confugerant, intercipiunt, atque immodico odio, quo Venetum nomen prosequebantur, in captivorum cædem effusi, omnes omnino trucidant. Sub idem tempus Chrobatæ rebus Venetorum adversis elati Crapulas usque prædabundi processerunt. Nec quies fuit a

Triremes 60. Venetorum Græcis auxilio missæ contra Saracenos.

Res Venetæ crescit.

Digitized by Google

Narentanis, quos itidem calamitas Veneta ad mare infeſtandum prædaſque agendas excivit. Veneti quo pluribus & majoribus cladibus perculſi fuerunt, hoc acrius intentiuſque ad rem navalem reſtituendam, claſſeſque ædificandas incubuerunt; & quando jam Saraceni poſt direptam Anconam Adriatico deceſſerant, aliquot expedita navigia ad piratas perſequendos cohibendoſque miſerunt.

Saraceni ab obſidione Gradenſis urbis depulſi.

Urſi Particiatii Principatus lætior fuit domi foriſque. Saraceni oram Dalmatiæ Iſtriæque depopulati Gradum acri obſidione premebant; ſed Urſus cum claſſe ſuperveniens, repentino adventu ita eos conſternavit, ut navibus trepide abductis, in fugam ſe conjecerint. Itidem cum Chrobatis, qui aliquot maritima Iſtriæ oppida fœda populatione vaſtaverant, proſpere dimicavit; quamvis enim Iſtri Francorum imperio ſubjecti nondum in Venetorum fidem veniſſent, Veneti tamen, quando ejus maris curam tutelamque ſuſceperant, ſuarum partium eſſe ducebant, Iſtros ceteroſque Adriæ accolas a prædonibus maritimis tueri. Tum fœdus initum eſt cum Chrobatis, qui exinde per aliquot annos omiſſa piratica, ab ora maritima & Adriatica navigatione infeſtanda deſtiterunt; ſed cum Narentanis perpetuis Venetorum hoſtibus nulla pax, nulla quies fuit. Per ea tempora Orientis imperium adminiſtrabat Baſilius Macedo, qui ad rempublicam Michaelis deceſſoris ignavia perditam reſtituendam curas omnes cogitationeſque converterat. Dalmatiæ urbes maritimæ, quæ ſub poteſtatem Imperatorum Orientis redierant, cum ab Chrobatis terra marique aſſiduis incurſionibus vexarentur, ad Baſilii opem confugerunt. Is vero, cum neque navium neque militum copiæ tantæ ſuppeterent, ut partem earum ab Orientis exercitu provinciiſque deducere, & Dalmatis auxilio mittere poſſet, auctor illis fuit, ut ſe ab injuriis Chrobatorum redimerent, vectigali pecunia iiſdem contributa, quam Imperatoribus pendere ſolebant; ſibi vero tributum vel minimum retinuit, quo Dalmatæ ſuam erga Imperatores fidem obedientiamque profiterentur. Id docet Porphyrogenitus lib. de Adminiſt. Imper. c. 30. Ita Chrobatæ ſimul Veneto fœdere illigati, & Dalmatico tributo contenti, aliquot annos a piraticis excurſionibus & maleficiis abſtinuerunt. Interea Saraceni Roſa, Butua, Catharo maritimis Dalmatiæ civitatibus potiti, Barium Italiæ urbem in ſuam poteſtatem redegerant: quibus Baſilius Macedo valida claſſe inſtructa bellum inferre decrevit, in hujuſque belli ſocietatem Ludovicum eo nomine ſecundum Occidentis Imperatorem, ac Venetos adſcivit; Chrobatæ etiam ac Dalmatæ ad eam expeditionem aliquot armata navigia contulerunt. Apud Barium terra marique feliciter pugnatum eſt; urbs de Saracenis recepta; Sedoanus ipſe Princeps Saracenorum in Francorum poteſtatem redactus; ſed dolo ac fraude dimiſſus, accitis poſtea novis ex Africa copiis Capuam & Beneventum obſedit; verum Imperatoriæ claſſis adventantis metu perterritus in Africam rediit. Urſus ob rem adverſus Saracenos proſpere geſtam a Baſilio Imperatore titulum Protoſpatarii obtinuit; iſque cum claſſe Venetias regrediens cum Narentanis navali prælio conflixit, victiſque prædas ademit, quas e terris Chrobatorum abſtulerant, dum hi Saracenicæ expeditionis cauſa longe ab domo abeſſent. Narentanis quoque attribuendum cenſeo, quod Anaſtaſius Bibliothecarius refert de Legatis Hadriani Pontificis; qui poſt octavam œcumenicam Synodum, qua in ſedem Conſtantinopolitanam reſtitutus eſt Ignatius Photio expulſo, cum in Italiam Supero mari tranſmitterent, a Slavis piratis, in quos inciderant, capti ſunt exutique rebus omnibus; ex quo factum eſt, ut Acta autographa ejuſdem Concilii, quæ ſecum deferebant, interciderint.

Fœdus Seciale Venetorum adverſus Saracenos cum utroque Imperatore Orientis & Occidentis.

Saraceni navali ac terreſtri prælio victi.

Narentani a Venetis victi.

Petrus Candianus anno 887. Principatum in Venetis adeptus nihil antiquius habuit, quam ut maritimis prædonibus compreſſis navigationis Adriaticæ ſecuritati conſuleret. In Narentanos igitur veteres Veneti nominis hoſtes, quoniam proxima maria latrociniis infeſtarent, aliquot longas naves ad eorum curſus prohibendos emiſit; qui infecta re (nuſquam enim hoſtis repertus fuit) domum redière. Nec multo poſt ipſemet Candianus Princeps naves duodecim in eoſdem piratas eduxit, quos nactus, prope Jaderam, circa Promontorium, quod Miculum vocant, pugnam conſeruit; utrinque majoribus prope animis quam viribus eſt concurſum. Primo quidem congreſſu res Veneta, aliquot hoſtium navibus oppreſſis, ſuperior fuit; ſed cum & navium, & pugnatorum numero Barbari antecederent, Prætoria navi circumventa, Candianus fortiter dimicans occubuit, cum menſes non amplius quinque rempublicam adminiſtraſſet; cæteræ naves vel depreſſæ, vel in fugam averſæ; Ducis corpus a Chrobatis amicis ſubtractum, paullo poſt Gradum deportatum eſt, ibique honorifice ſepultum.

Petrus Candianus pugna navali cum Narentanis commiſſa occubuit.

Petrus cognomento Tribunus Candiano ſuffectus annos tres & viginti Principatum tenuit. Erant ea tempeſtate res Venetæ, totiuſque Italiæ, quæ ad ſuperum mare ſpectant, parum quietæ: quippe cum hinc piratarum latrociniis, hinc Saracenorum aſſiduis motibus agitatæ; cum nova ab Septemtrione tempeſtas exorta, effuſaque in Italiam in extremum periculum rem Venetam adduxit. Hunni ſiquidem ineunte decimo ſæculo Carnorum finibus igne ferroque vaſtatis, cæſo fuſoque Berengarii Regis Italiæ exercitu, totius belli vim repente in Venetos convertunt, & lembis ad trajiciendas copias fabricatis, quos ex obvia rudique materia confectos coriis obduxerant, Heracliam, Equilium, Clodiam, aliaque oppida maritima oppugnant, capiunt, diripiunt, direptiſque flammas ſubjiciunt. Inde ad Rivalti oppugnationem cum copias ducerent, Veneti expeditiſſimis navibus & ad pugnam in illis ſtagnis conferendam idoneis celeriter contractis, hoſti circa Albiolam occurrunt; pluribus diebus ancipiti marte, & levioribus prœliis pugnatum; denique totis utrinque viribus ad juſtam pugnam ventum eſt. Barbari cæſi, fuſi, fugati, Italiæque finibus excedere coacti, inclytam victoriam Venetis reliquerunt. Hunnorum clades & fuga ingentem nomini Veneto gloriam peperit, illudque in omnium ore ac ſermone verſabatur magnam Venetis gratiam habendam eſſe, quod ab Italiæ cervicibus Hunnicam rabiem ac ſervitutem depuliſſent.

Hunni in Italiam effuſi a Venetis cæſi, & ab Italia depulſi.

Cum Petrus Candianus ſecundus rempublicam gereret, in Comaclinos feliciter pugnatum reperio; a quibus, cum ob Venetos cives violatos ac direptos res repetitæ eſſent, non prius ſunt receptæ, quam Comaclum fuerit expugnatum.

Comaclum a Venetis captum.

Petro Candiano tertio ſecundi filio, poſt interjectum Petri Baduarii principatum, imperante, nova in Narentanos decreta eſt expeditio; qui

qui e rebus fecundis tantos ſibi ſpiritus tantamque audaciam ſumpſerant, ut ad proxima Venetorum ſtagnis loca delati in ipſo pene urbis conſpectu navigia dirjperent, atque incenderent, & nihil jam, maritimo commercio quod tutum eſſet, reliquum feciſſent. Tres & trigiota naves in altum deductæ, juſſique earum Præfecti hoſtes toto mari perquirere ac perſequi, eoſque adepti cum eſſent, nullam in eos juſtæ ultionis ſeveritatem prætermittere. Ad hujus novę claſſis famam territi Narentani, non modo congredi non ſunt auſi, ſed per legatos etiam pacem petierunt, quæ data eſt his conditionibus, ut omnia, quæ Venetis damna ad eam diem intuliſſent, æqua æſtimatione compenſarent.

Narentani compreſſi.

Petrus Urſeolus Principatum adeptus eſt anno 976. Sub id tempus, aut non multo ante, Saraceni, Italiam ingreſſi, ut in annalibus Venetorum ſcriptum reperio, Capua occupata, Barium terra marique obſederant: cives rei frumentariæ inopia in ultimum pene diſcrimen adductos Urſeoli ductu Veneta claſſis commeatu juvit; ſed cum nihilominus urbem acri obſidione Barbari premerent, Urſeolus auxiliari Græcorum claſſe auctus, maritimo prælio tum hoſte conflixit; quo fuſo, fugato, & magna ex parte cæſo, ingentem inde Veneto nomini gloriam conciliavit. Sunt tamen, qui hanc Barienſem expeditionem victoriamque de Saracenis relatam, Petro II. Urſeolo hujus filio attribuunt. Petro autem Principatu ſponte abeunti, & clam in Galliam profecto ad cœnobium Cuxanenſe, ubi vitam omnibus notis & miraculis inſignem exegit, ſuffectus eſt Vitalis Candianus, Vitali Tribunus Memus; huic vero ſubrogatus fuit anno 991. Petrus Urſeolus filius Petri Urſeoli I. cujus principatum divino quodam vaticinio longe prius a parente viro ſanctiſſimo præviſum ac prænunciatum ferunt: quo Duce res Veneta non ſolum domi, ſed etiam foris mirum in modum aucta. Veneti imperii augendi ac propagandi occaſionem cauſamque ipſi Narentani Chrobatique præbuerunt. Chrobati cum ſuis Ducibus ac Regibus jamdudum ab imperio Francorum deſciverant, quod hi nimis avare crudeliterque imperarent, ut tradit Porphyrogenitus cap. 30. de Adminiſt. Imperii, & ſocietate cum Narentanis iterum inita, Adriaticam navigationem immunem eſſe ac liberam non ſinebant. Utrique enim, cum aliquot portus continentis oræ, inſulaſque in ſuam ditionem redegiſſent, a negotiatoribus & navibus illac prætervectis Græcis, Italicis, ac præſertim Venetis portoria exigebant; id quod Veneti quamvis ægre ferrent, tamen pacis ſtudio, & ne piratarum animos acrius irritarent, diſſimulandum cenſebant. At Petrus Urſeolus ratus tempus adeſſe, quo Veneti veteres novaſque Slavorum utriuſque generis injurias facile ulciſci poſſent, vetuit ſuis quidquam portorii nomine Chrobatis Narentaniſque perſolvere.

Victoria Venetorum de Saracenis.

Narentani & Chrobati iterum piraticam ſocietatem ineunt.

Mirum quantum ea res utroſque exaſperaverit. Nec in Venetos ſolum mercatores ſuam ferociam rabiemque expromebant, maritimis latrociniis contenti, ſed modo prædę ſpes objiceretur, nullis parcebant, & exſcenſu in terram facto ad Dalmatas etiam, qui Orientis imperio adhuc ſuberant, Iſtroſque populandos egrediebantur, inſulaſque eorum, mareque omne infeſtum armatis lembis faciebant. Tum Orientis Imperium adminiſtrabant Baſilius & Conſtantinus fratres, quos rum varii per id temporis Tyranni exorti ac domeſticæ ſeditiones, tum bella barbarica, præſertim Bulgaricum, quod plures annos tenuit, ab omni cura & cogitatione vel Adriatici maris, vel Dalmatiæ ab injuriis Slavorum vindicandæ, ad res ſuas Orientiſque provincias tuendas avertebant. Ergo plerique Dalmatici nominis populi, cum nulla ab Græcis auxilii ac præſidii ſpes eſſet, neque ſuis viribus ad perſequendos comprimendoſque prædones illos maritimos fiderent, ad Venetorum opes confugere. Nec ſolum e Dalmatia, ſed etiam ex Iſtria dicuntur veniſſe Legati, ut cum Duce Venetorum publico nomine agerent, polliciti fore, ſi in Dalmatiam adverſus Chrobatos & Narentanos juſta ideneaque ad eos ſubigendos claſſe tranſmitteret, omnemque littoralem oram ab eorum injuriis tutam deinceps ſe præſtiturum reciperet, ut omne Dalmaticum nomen cum Iſtria in Venetorum fidem ac ditionem concederet. Hæc Legatio Principem totamque civitatem erexit in ſpem maximam Dalmatiæ Iſtriæque potiundæ. In Venetorum annalibus invenio ante hos annos jus Veneti imperii in aliquam Dalmatiæ partem invectum fuiſſe, Jadera urbe perantiqua & nobiliſſima, voluntaria deditione in fidem & clientelam recepta. Itaque ne oblata Dalmatiæ adipiſcendæ occaſio e manibus laberetur, haud multis poſt diebus anno Chriſti 998. vere appetente, valida ingentique claſſe adornata, copiis in naves impoſitis, Urſeolus felici curſu in Iſtriam tranſmiſit. Primo Parentium claſſem cum applicuiſſet, Antiſtes civitatis cum primoribus Cleri populique obviam progreſſus, ſe ac cives, cum omnibus rebus publicis privatiſque in Venetorum poteſtatem tradidit; Polam deinde advectus, eam quoque urbem ultro ſe dedentem ad imperium adjunxit; ubi aliquot dies conſumpſit in audiendis populorum legationibus, eiſdemque in fidem recipiendis, itemque in conſcribendis militibus, quibus in naves impoſitis Jaderam trajecit; quæ civitas, cum jampridem, ut diximus, Venetorum patrocinio ſe tradidiſſet, ingenti plauſu ac lætitia obviam effuſa, Ducem excepit, cum omnia fauſtis acclamationibus civiumque vocibus perſonarent, eum parentem ſuum, ac publicæ ſalutis vindicem appellantium. Hic e duabus inſulis ſinus Flanatici Curicta & Arba Antiſtites duo, popularium ſuorum nomine cum Legatis adfuere, pacem orant, ſuamque perpetuam erga Venetos fidem obedientiamque jurejurando obſtringunt. Opſarus itidem ſive Auxerum ejuſdem ſinus inſula, cum claſſis illac prætereiens Jaderam contenderet, ultro Venetorum imperium ſubierat. Quiſſam ideſt Ciſſam, ſeu Pagum, ultra eumdem ſinum in Orientem obverſam paullo ante Baduarius Bragadenus, quem Urſeolus cum aliquot expeditis navigiis præmiſerat, Chrobatis ademerat. Ea tempeſtate regnum in Chrobatis obtinebat Mucimirus, ſeu potius Dircislavus, qui veritus, ne Veneti proſpero rerum curſu elati in intimam Dalmatiam arma ac ſigna inferrent, muneribus & promiſſis per Legatos Urſeolum ſibi conciliare ſtuduit; ſed neque benigne audita eſt Legatio, neque dona cum pollicitationibus accepta ſunt. Interea decem naves longę ab Jadera dimiſſæ ad vaſtandos Narentanorum fines, provectæque in altum, quadraginta negotiatores e primariis Narentanorum familiis, qui ex Apuliæ littoribus ſolverant, non longe ab Corcyra Nigra apud inſulam Chazam, quam nunc *Cazzolam* vocant, deprehenſos intercipiunt. Urſeolus ſupplemento navalibus copiis addito non multo poſt ſubſecutus inſu-

Legatio ad Venetos Iſtrorum & Dalmatorum opem contra piratas petentium.

Iſtria & Dalmatia Venetis ſe dedit.

Chrobatarum insulæ capiæ.

Itemque Narentanorum.

Utrique victi & pacati.

Ragusium Venetis deditum.

Principibus Venetiarum titulus Ducis Dalmatiæ decretus.

Universum mare Adriaticum sub dominatum Venetorum redactum.

Possessio & custodia Adriatici necessario ad Venetos devolvit.

& permissu concessuque Imperatorum Orientalium approbata.

Iam Chrobaticæ ditionis prope a Belgrado, urbe itidem Chrobatica, in deditionem accepit. Deinde Tragurium, Spalatum, aliasque urbes & insulas Orientis imperio subjectas adiit; quæ omnes cum populis finitimis se Duci Venetoque nomini dederunt, ac jurarunt perpetuo se mansuros in eorum fide, quorum opem supplices imploraverant. Tragurii cum esset, Surrigna frater Mucimiri Regis, fortasse & verius Reguli Chrobatorum, ejusque fraude regno paterno expulsus Ursеolum suppliciter adiit, pacem oravit, jurejurando suam illi fidem obstrinxit, Stephanum filium obsidem dedit, quem Dux, Hicela filia in matrimonium tradita, affinitate sibi devinxit. Lenigrada Chrobatorum insula, ea fortassis, quam Plinius Colentum, nunc Mortarium vocant, aliisque ejusdem gentis insulis, locisque maritimis aut in amicitiam aut in ditionem receptis, Ursеolus classem, totiusque belli impetum in Narentanos convertit. Sed adfuit in tempore Princeps Narentanorum, qui vel suorum captivitatem miseratus, vel hostium adventu perterritus Legatos misit, veniam ac pacem oratum. Pax his conditionibus data est, ut de injuriis damnisque recentibus, quæ Venetis intulissent, æqua compensatione satisfacerent, ne piraticam in posterum exercerent, neve navigationem maritimumque commercium, portoriis aut tributis exigendis, interturbarent. Ex captivis Narentanis sex obsidum loco Ursеolus retinendos censuit, reliquos omnes restitui jussit. Corcyrenses imperium abnuentes facili negotio subegit; sed longe operosius ac difficilius fuit Ladestrim, seu Ladestam, nunc Lagustam vocant, insulam Corcyræ a Meridie subjectam, in potestatem redigere. Narentanis ad resistendum animos & pertinaciam addebat ipsamet insula civitasque non opere solum, sed etiam natura & loco egregie munita, cujus opportunitate potissimum ac præsidio freti, maria latrociniis infestabant; eoque veluti in arcem tutissimam, si quando deprehensis instarent Veneti, sese cum præda recipere consueverant. Verum acris vehemensque oppugnatio, quæ aliquot dies tenuit, expugnatioque unius turris, cui maxime fidebant, hostium audaciam fregit. Itaque abjectis armis supplices ad clementiam victoris confugiunt, qui civibus parci, civitatem dirui jussit, ne prædonibus perfugium postea, prædis receptaculum præberet. Mox adfuere ab Ragusinis Legati cum suo Antistite, qui seque ac suos in fidem ac clientelam Venetorum tradiderunt. Ita demum Ursеolus victore exercitu in naves reducto, purgato latrociniis mari, urbibus atque insulis, quas vel ultro in fidem venientes, vel armis captas ad imperium adjunxerat, Veneto præsidio impositio, ora denique fere universa Dalmatiæ Istriæque in ditionem redacta, prospera usus navigatione Venetias rediit, urbemque gratulabunda civium septus multitudine, quæ in cymbis ac phaselis victori Duci obviam processerat, quasi ovans triumphansque ingressus est. Inde cum de rebus ab se gestis ad Senatum retulisset, amplissimis verbis pro concione laudatus est, & quod bonum, faustum, fortunatum ei, Venetoque nomini esset, decretum, ut tum ipse, tum deinceps reliqui Principes Venetiarum ac *Dalmatiæ* Duces appellarentur. Hæc Andreas Dandulus in Annalibus, & non Veneti solum, sed etiam alienigenæ Historici tradunt, qui cum in promptu sint, pateantque omnibus, eos testes citare, eorumque verba describere supervacaneum censui.

Ergo cum Dalmatia Istriaque maritima propemodum universa totius etiam maris dominatus ad Venetos pervenit, quem illis peperit non imperii propagandi cupiditas, sed Adriaticæ navigationis sibi aliisque tutæ præstandæ necessitas; cum hoc mare Imperatores Orientis, suis jamdudum classibus deductis, ab omni præsidio vacuum, desertum, expositumque piraticis prædis ac latrociniis reliquissent, ejusque defensionem & custodiam gravissimis bellis curisque domesticis impliciti omnino negligerent; nec vero alii erant ea tempestate seu Principes, seu populi, qui ejusdem maris tuendi cogitationem curamque suscipere vellent, aut possent. Nam Franci, quamdiu quidem Imperium Occidentis cum Istria Italiaque tenuerunt, nihil opis præsidiique navalis ad piratas comprimendos, & mare purgandum contulerant; translato autem ad Germanos imperio, amissis omnibus circa idem mare urbibus ac provinciis, exercitus omnes viresque cis alpes in Galliam revocaverant. Germani vero Imperatores, ut terrestribus plurimum valerent, opibus tamen copiisque maritimis carebant. Ab Italicis populis, quarum opes exhausserant, & bellicam indolem ac virtutem infregerant tum clades barbaricæ, tum dominatio externarum gentium, sub quarum imperium ditionemque ante aliquot sæcula ceciderant, nihil maritimi subsidii suppetere aut expectari poterat. Ita demum Veneti in eam, quam hodieque retinent, totius Adriatici maris possessionem tunc vacuam & caducam, nemine repugnante, & rei communis, Italicæ præsertim Dalmaticæque necessitate quadam cogente, venerunt.

Porro tantum abfuit, ut Basilius & Constantinus Imperatores Orientis iniquo aversoque animo ferrent Dalmatiam ab suo ad imperium Venetorum translatam, ut ipsimet tum Dalmatis ad Venetorum opes confugiendi, tum Venetis Dalmatas in suam fidem & clientelam recipiendi potestatem feciſse dicantur. Id quippe diserte traditum est in Annalibus Andreæ Danduli lib. 9. cap. 1. *Qua de causa Veneti ab illis evocati, cum permissione Basilii & Constantini Imperatorum Constantinopolitanorum, dominium Dalmatiæ primitus acceperunt, ut historia, quam reperimus in antiquissimis Græcorum & Venetorum codicibus, prout sequitur, serioſe declarat.* Porro Imperatores Orientis ut Dalmatiæ, sic maris possessione Venetis cesserint oportet; neque enim aut Dalmatiæ dominatus sine maris imperio, aut hoc sine urbibus maritimis insulisque Dalmaticis retineri poterat. Cæterum, vel invitis Imperatoribus, quando ipsi populos sibi subjectos tueri aut non possent, aut nollent, jus fuisset Dalmatis in eorum fidem ac potestatem se tradere, per quos defendi possent, atque ab hostium injuriis vindicari. Ita enim non solum ex æquitate quadam, sed etiam ex jure omnium gentium, præscriptoque naturæ inter Principes ac populos conveniat necesse est, ut hi quidem illis obsequium ac tributum exhibeant, illi vero his defensionem ac præsidium conferant; alterutri officio si desint, alteris quoque, quibus suum non præstiterunt, deserendi officii causam justam ac legitimam præbent. Quamvis igitur Imperatores Orientis invitos se repugnantesque præbuissent, tamen quando ipsi cessabant, & adversus latrones maritimos neque mari, neque Dalmatis præsidio esse poterant, licebat Dalmatis alios sibi Dominos adsciscere, quorum virtute armisque protegerentur, itemque Venetis recipere Dalmatas ultro in

jus

Digitized by Google

jus ditionemque venientes, & præbito auxilio, devictisque hostibus, cum suam erga illos fidem præstitissent, Dalmatiam ex pacto & conventu, cum Adriatico universo ad nomen imperiumque Venetum adjungere. Sed adeo non displicuit sive Basilio & Constantino, sive horum successoribus Dalmatici maritimique dominatus ad Venetos accessio, ut quæ antea fuerat inter Venetos & Imperatores Orientis amicitia, non solum stabilis & firma permanserit, sed etiam majoribus benevolentiæ officiis ultro citroque acceptis ac redditis exinde convaluerit.

Mutuæ inter Græcos & Venetos benevolentiæ officia ultro citroque accepta & reddita.

Nam Petrus Urseolus Dalmatica expeditione perfunctus paullo post Joannem filium ex decreto Senatus sibi collegam cooptatum cum Othone fratre ad Constantinum & Basilium Imperatores Constantinopolim misit, a quibus insigni honore excepti, magnisque muneribus donati cum essent, præterea Basilius Mariam sororis filiam Joanni in matrimonium tradidit. Rem narrat Andreas Dandulus in Annalibus lib. 9. *Joannem Ducem cum Othone fratre mittit Constantinopolim ad Basilium & Constantinum Imperatores, qui cum honore suscipientes illum, Mariam ex Sorore neptem filiam nobilis Viri Argyropolis satis splendide dotatam sibi in conjugem tradidere; statutoque die nuptiarum, conjuges in Capella Imperiali a Patriarcha Constantinopolitano munus benedictionis, & ab Imperatoribus aurea diademata capitibus suis suscepere. Celebratis itaque cum honore nuptiis, Joannes ad repatriandum dispositus, rogatu Basilii euntis contra Bulgaros, usque ad ejus reversionem in urbe remansit. Reversus quoque Basilius Joannem Ducem Patricium fecit, & supplicanti nepti corpus S. Barbaræ filiæ Dioscori gratiose concessit. Quibus obtentis Joannes cum fratre Venetias rediit, a Patre & Venetis cum gaudio receptus, & in Capella Ducali corpus S. Barbaræ deposuit. Cujus conjux Maria filium in Constantinopoli conceptum peperit, avunculi sui Basilii nomine vocatum.* Anno circiter 1015. Veneti Græcis egregiam contra Saracenos operam navarunt; hi quippe cum Capuam & Barium oppugnarent, Barium quidem Gregorius Græcorum Dux, copiis navalibus Venetorum adjutus obsidione solvit; Capuæ vero opem attulit Henricus Imperator, qui tunc Romæ erat, & anno superiori a Benedicto VIII. Pontifice Imperatoris insignia, & nomen acceperat, ut tradit Pandulphus Collenutius lib. 3. idque cum annalibus Venetorum congruit. Sed præcipue magni fuit opera Venetorum in bellis adversus Normannos Græcis præbita, de qua paullo post; ex quibus satis clare perspici potest Dalmatiæ tutelam susceptam, possessionemque aditam a Venetis Imperatores Orientis ratam habuisse, & retenta cum illis amicitia, & mutuis beneficiis arctius devincta confirmasse.

Saraceni auxilio operaque Venetorum Bario expulsi.

Ac de maris imperio qui cum Venetis contenderent, nullos fuisse invenio; verum pro retinenda, vel recuperanda Dalmatia, sine qua dominium Adriatici neque servari neque defendi poterat, multa Veneti & gravia bella gesserunt. Nam primum quidem anno circiter 1023. Mucimirus, quem aliqui Heresimum, alii vero Cresimirum vocant, idque propius vero est, Rex Chrobatiæ, contra quam inter Petrum Urseolum & Chrobatorum Reges convenerat, Jadrenses infestare, eorumque fines crebris incursionibus vastare cœperat; neque a cæteris finitimis Dalmatiæ Venetæ populis populationes abstinebat. Otho Urseoli filius Principatum in Venetis adeptus anno 1016., ulciscens suorum injurias, in Dalmatiam copias traJecit, hostesque acie congredi ausos facili negotio fudit; atque in fugam avertit. Deinde omnem maritimam Dalmatiæ Istriæque oram, quæ patris ductu in Venetorum fidem tutelamque concesserat, classe circumvectus, singulas civitates & conventus adiit: cives novo juramento adegit, ut in Venetorum fide, in quam ultro veniissent, in posterum manerent; neve quemquam ex suis popularibus res novas moliri paterentur. Cresimiro in Regnum Chrobatiæ successit Stephanus, Stephano Cresimirus alter dictus Petrus, huic Slavizo, deinde Zuonimirus cognomento Demetrius, demum Stephanus, in quem desinit series Regum Chrobatiæ. Hos Reges, postquam Veneti rerum in Dalmatiam potiti sunt, aliquas maritimas urbes in sua potestate habuisse aut antea possessas, aut Venetis erepras, veluti Nonam, Belgradum, Sibenicum, & idcirco Chrobatiæ pariter Dalmatiæque regio titulo usos esse, ex antiquis Dalmatiæ monumentis intelligitur. Auctor est Andreas Dandulus in Annalibus, Petro Barbolano sive Centranico Duce *Andream Hungariæ Regem continuo Dalmatinos inquietantem, aliquos tandem ad deditionem coegisse;* itemque anno septimo Dominici Contareni Venetorum Ducis, *Salomonem Regem Hungariæ terrestria Dalmatiæ loca inquietantem, Jadertinos, qui pramissam Duci fidelitatem huc usque servaverant, ad rebellionem induxisse.* Verum hæc neque cum Principatu Centranici, neque cum septimo Contareni Ducis anno congruere possunt. Nam Petrus Centranicus anno quarto, quam imperare cœperat, Christi altero & trigesimo supra millesimum, ejectus est in exilium; Andreas vero Hungariæ regnum adeptus est anno 1043.; huic suffectus est Salomon anno circiter 1063., cum Dominicus Contarenus annum ageret vigesimum a suscepto Principatu. Si quid igitur sive Andreas sive Salomon moliti sunt adversus Dalmatas, neutrius res gestæ in Dalmatia vel cum ætate Centranici, vel cum septimo Contareni anno cohærent. Hujusmodi anachronismus haud fefellit Sabellicum, qui propterea dubitat, Salomonne Rex, an aliquis e Regibus Chrobatorum Jadrenses ad deditionem perpulerit; & antiquus Venetus Chronologus apud Historicum Dalmatam Jadertinam defectionem confert in annum 1050., ex quo fit, ut eam attribui oporteat Cresimiro II., cui etiam Petro nomen fuit, quique per ea tempora regnum in Chrobatis obtinebat; idque videtur confirmari posse testimonio ipsius Cresimiri, qui dona & prædia cœnobio Jadertino S. Chrysogoni ab suis Decessoribus collata confirmans, & novis insuper augens muneribus ac beneficiis in Diplomate ad id confecto anno 1067., hæc verba interposuit. *Igitur quia Deus Omnipotens terra marique nostrum prolongavit regnum, decrevimus & prompto animo stabilivimus Monasterium S. Chrysogoni* &c. quippe fines Chrobatici regni tum ultra montes protenderat, tum vero ad mare, Jadera in potestatem redacta, amplificaverat. Præterea nemo est ex antiquis rerum Hungaricarum scriptoribus, qui tradiderit ante Ladislaum quempiam ex Hungariæ Regibus arma copiasque in Dalmatiam intulisse. Nam quod Joannes Thurroczius scripsit parte 2. Chron. Hungar. Salomonem Hungariæ Regem cum exercitu venisse in Dalmatiam rogatu Zuonimiri sive Zalomiri Chrobatiæ Regis, qui ejus opem auxiliumque ad recuperandam Marchiam nescio quam Dalmatiæ, sibi a Carinthiis ademptam, supplex postulaverat, id enimvero ab recta Chronologia discrepat: neque enim Regnum Hungaricum Salomonis cum

Dalmatæ novo jure-jurando Venetis obstricti.

Judera Venetorum imperio subducta non a Salomone Rege Hungariæ

sed a Cresimiro II. Rege Chrobatiæ.

Chrobati Dalmatiæ infesti a Venetis repressi.

Re-

Regno Chrobatico Zuonimiri temporum nexu colligari poteſt. Salomon enim a Geiſa & Ladislao patruelibus acie victus regnum amiſit anno 1072, cum adhuc apud Chrobatos regnaret Creſimirus Petrus, qui uſque ad annum 1073. vitam perduxit, ut ex Tabulis Dalmaticis ejus nomine ſignatis apparet. Huic ſuffectus eſt Slavizo, cujus regnum breviſſimum fuit; nec vero Zuonimirus ante annum 1075. Chrobatis præeſſe cœpit, & anno 1076. a Gebizone Gregorii VII. Legato Apoſtolico Regis titulum & inſignia ſumpſit. Itaque cum Dominicus Contarenus Rempublicam adminiſtrabat, non Salomon Rex Hungariæ, ſed Creſimirus II. Rex Chrobatiæ Jaderam per deditionem Venetis eripuerat, quam idem Contarenus, ut traditum eſt in Annalibus Venetorum, terra marique obſeſſam captamque recuperavit.

Jadera recuperata.

Sed nullos Veneti hoſtes habuere infenſiores, quam Reges Hungariæ, quibuſcum pro Dalmatia retinenda, vel recuperanda, per annos fere trecentos aſſidue acriterque conflictandum fuit. Scriptores Hungarici, cum ex errore ſatis communi exiſtiment Zuonimirum, ſeu Svenimirum ſine liberis extinctum, fuiſſe poſtremum Chrobatiæ Regem, tradunt Ladislaum Regem Hungariæ ab ejus Sorore vidua Zuonimiri evocatum fuiſſe in Chrobatiam, ut auxilio ſibi & præſidio eſſet adverſus quoſdam Regni Proceres, quorum inſidiis injuriiſque appeti, & divexari cœperat: iidemque cenſent Regnum Chrobatiæ ad Ladiſlaum, ſive conceſſu Sororis, ſive jure affinitatis perveniſſe. Verum ſatis conſtat poſt Zuonimirum regnaſſe apud Chrobatos Stephanum, eo nomine ſecundum, ex ſtirpe Regum Chrobatiæ. Id docet Diploma ejuſdem Stephani, qui ſe in avito majorum ſuorum ſolio divina providentia conſtitutum eſſe affirmat, eique diplomati Svinimiri paullo ante defuncti mentionem intexuit: *In Chriſti nomine Stephanus ego nutu Dei Croatorum, & Dalmatinorum Rex . . . . . Cum igitur omnipotentis Dei pietas me, ſuæ Clementiæ, Patrum, Avum, Proavumque ſolio in Regio, omnibus Croatiæ & Dalmatiæ nobilibus collaudantibus, exaltaverit . . . . Itaque mater & Procuratrix Sanctimonalium Spalatini cœnobii S. videlicet Benedicti M. . . . . inter hos noſtræ præſentiæ, una cum quibuſdam ſuis ſororibus, quoddam ſcriptum, a nuper defuncto Svinimiro conceſſum, ſibi hoc ad op. ſui cœnobii de quodam territorio Regali, qui in loco, qui dicitur Laſani, habetur ſecum deferens in die Nativitatis Sanctæ Dei Genitricis &c.* Extat hoc Diploma, multis in locis tum Amanuenſis inſcitia vitiatum, tum litteris vetuſtate abraſis exeſum, in Tabulario ejuſdem cœnobii Spalatenſis; in eoque Stephanus confirmat, & ratas haberi jubet donationes quorumdam prædiorum in ditione Chrobatica exiſtentium, quæ Svinimirus conceſſerat collegio Virginum Ordinis Benedictini urbis Spalati, quę quidem civitas tum fuberat imperio Venetorum.

Non Zuonimirus ſed Stephanus poſtremus Rex Chrobatiæ.

Ladislaus Rex Hungariæ poſt Reges Chrobatorum extinctos, Chrobatiam ciſalpinam invaſit; ſed regione maritima, ac ditione Venetorum intacta, reverſus eſt in Hungariam.

Ladislaus igitur anno Chriſti 1091. (quam epocham notatam invenio in tabulis cœnobii Jadertini S. Mariæ) in Chrobatiam ciſalpinam cum exercitu venit, non ille quidem accitus a Sorore vidua Zuonimiri, cui mors conjugis ademerat titulum poſſeſſionemque regni Chrobatici, jure hæreditario ad Stephanum devoluti; ſed poſt obitum ejuſdem Stephani, qui altero aut tertio, quam regnare cœperat, anno ex hac vita migravit, evocatus a quodam ex Chrobatiæ Proceribus, inter quos magnæ acerrimæque contentiones exarſerant, cum in urbes Chrobaticas, tamquam in poſſeſſiones vacuas & caducas invaderent, & alii alias ſibi vindicarent. Itaque Ladislaus Chrobatos inteſtinis diſcordiis in contrarias partes diſtractos offendit; cum pauci quidem regio nomini ſtuderent, plerique vero a regali extraneoque dominatu abhorrentes, ad ſe quiſque, quantum poterant regni Chrobatici, pertrahere conarentur. Aliquot ille quidem oppida mediterranea cepit; ſed a Venetorum ditione, locis urbibuſque maritimis prorſus abſtinuit. Cum autem ei nunciatum eſſet Scythas Hungariam ingreſſos ferro & igni omnia vaſtare, Almo fratris filio cum idoneis præſidiis ad eas, quibus potitus fuerat, civitates tuendas relicto, ſtatim eo, unde venerat, reverti, copiaſque ad regni ſui defenſionem barbaroſque propulſandos reducere feſtinavit. Hæc tradit Thomas Archidiaconus, cui de rebus Dalmaticis credere malim, quam extraneis & alienigenis ſcriptoribus; quamvis idem Archidiaconus Regum Chrobatiæ ſeriem interitu Svenimiri definiat, propterea quod Stephanus breve admodum geſſit imperium: eamque ob cauſam Slavizum quoque Creſimiro & Svinimiro interjectum tacitus prætermiſit; quippe cujus regnum haud longius biennio fuit: *Sic ergo, inquit, tota regalis ſanguinis proſapia deficiente, non fuit ulterius, qui in Regno Chroatorum rite ſuccedere debuiſſet; cœpit itaque inter omnes Regni proceres magna diſcordia ſuboriri, & cum diviſim modo hic, modo ille regnandi ambitione ſibi Terræ dominium vindicaret, innumerabiles rapinæ, cædes, & omnium facinorum ſeminaria emerſerunt; alter enim alterum inſequi, invadere, trucidare quotidie non ceſſabat. Verum his temporibus extitit quidam ex Magnatibus Sclavoniæ, qui cum a ſuis eſſet contribulibus multis laceſſitus injuriis, multiſque damnis attritus, non ſperans aliter ſe poſſe tantis reſiſtere malis, in Hungariam profectus eſt. Tum ad Regem Uladiſlavum ingreſſus, eum alloqui cœpit, perſuadens ei, ut ad capiendum Chroatiæ regnum, & ſuo dominatui ſubjugandum exiret: dans ei plenam fiduciam id facile poſſe complere, cum Regnum illud vacuum, & ſine tutela regalis providentiæ remaoſiſſet. His ergo Uladislavus Rex inductus conſiliis, abſque mora coadunato exercitu copioſo venit, & occupavit totam terram a Dravo fluvio uſque ad Alpes, quæ dicuntur ferreæ, nullo obice reſiſtente. Poſt hæc tranſivit alpes, & cœpit impugnare munitiones & caſtra, multaque prælia committere cum gentibus Chroatiæ. Sed cum alter alteri non ferret auxilium, eſſentque diviſi ab invicem, facilem victoriam Rex potuit obtinere; nec tamen uſque ad maritimas regiones pervenit; ſed audiens, quod quædam gens ſui regni fines intraverat, in Hungariam repedavit: fuit autem Rex iſte non ſolum armis ſtrenuus, ſed religione & ſanctitate inſignis. Hujus temporibus gens Scythica in multitudine gravi intra Hungariæ fines irrumpens* &c. Hactenus Archidiaconus hiſt. Salonit. cap. 17.

Annus erat fere centeſimus, ex quo Dalmatia maritima imperium Venetorum ſubierat, cum univerſæ Chrobatiæ cis ultraque montes occupandæ, ejuſque fines uſque ad mare proferendi cupiditas inceſſit Colomanum, Geiſæ filium, quem Hungari anno 1096. coactis comitiis Regem ſalutaverant; Almo ſive Almo ejus fratre poſthabito, vel ipſomet cedente, quem Ladislaus patruus, antequam e vita decederet, Regni hæredem inſtituerat. Colomanus igitur traducto in Dalmatiam exercitu, Chrobatiam omnem imperio

Digitized by Google

rio ſuo vel armis vel deditione adjunxit; oppida etiam aliquot maritima olim ditionis Chrobaticæ, velut Belgradum, cepit. *Uladislavo Rege migrante ad Dominum*, inquit Archidiaconus cap. 17., *Colomanus ſibi in Regno ſucceſſit. Hic cum eſſet vir ferocis animi, propoſuit totam terram uſque ad mare Dalmaticum ſuo dominio ſubjugare. Venit ergo cum multo armorum apparatu, & obtinuit cæteram partem Sclavoniæ, quæ a Uladislavo prætermiſſa fuerat.* Ac principio quidem adeo nihil negotii aut moleſtiæ Venetis faceſſivit, ut cum illis fœdus & amicitiam junxerit contra Normannos, qui oram maritimam infeſtabant. Veneta claſſis cum aliquot copiis ſœderatorum Hungarorum in eamdem impoſitis, in Apuliam tranſmiſſa, rem proſpere cum Normannis geſſit, Brunduſium & Monopolim primo adventu occupavit, omnemque illam oram maritimam depopulata, ingentique præda e terris Normannicis abacta, Venetias redijt. Hæc Veneti pariter & Hungarici ſcriptores.

Colomanus Rex Hungariæ adeptus eam partem Dalmatiæ, quæ fuerat Chrobatorum, initio cum Venetis ſocietatem contra Normannos fecit.

Normanni a Venetis victi.

1104

Anno Chriſti 1104. Ordelaphus Faledrus Dux Venetorum claſſem centum vel octoginta navium ad ſacram expeditionem in Syriam duxerat. Interea Colomanus ex abſentia Venetæ claſſis, occaſionem Dalmatiæ totius occupandæ ſumpſit; obliteſque fœderis, quod cum Venetis pepigerat, bellique ſocialis adverſus Normannos geſti, Dalmatiam maritimam Venetæ ditionis invaſit, ac primo Jadrenſes, deinde Spalatenſes, & omne fere Dalmaticum nomen in deditionem accepit; atque ut populorum animos a Veneto alienaret imperio, Dalmatas multis beneficiis atque immunitatibus donavit. Undecim fere annos Dalmatia univerſa Hungarorum dominatu pertulerat, cum Colomano in Hungariam regreſſo, & anno 1114. e vivis exempto, Ordelaphus provinciæ recuperandæ occaſionem oblatam minime prætermittendam ratus, auxiliaribus copiis tum ab Henrico V. Occidentis, tum ab Alexio Orientis Imperatore adſcitis, ingentique adornata claſſe, anno tertiodecimo Principatus, Chriſti 1115. in Dalmatiam tranſmiſit. Jaderam obſidione cingit, acriterque oppugnare inſtituit. Hungari ad levandam obſidione urbem e Pannonia ſubmiſſi cum Venetis congrediuntur; & fuſi, cæſique, fugatique tota Dalmatia ceſſere. Jadera recepta, inde Sebenicum copiis admotis ad deditionem compellitur, ac mœnibus dirutis nudatur; poſtea Belgradum, Tragurium, Spalatum, ac cætera deinceps loca imperium recepere. Nec Ordelaphus his contentus, quidquid in mediterraneis antea Chrobatis, deinde Hungaricis Regibus parebat, Venetis armis brevi ſubegit. Ac tum primum, ut quidam tradunt, Duces Venetorum *Chrobatiæ* titulum jure belli acquiſitum, conjunctumque cum titulo *Dalmatiæ* uſurpare cœperunt. Pacata provincia, & imperii finibus propagatis, captiſque oppidis præſidio impoſito, Ordelaphus rebus proſpere geſtis, claſſem Venetias revexit. Nec diu provinciæ ſtatus quietus fuit; nam biennio poſt, cum Stephanus Colomani filius adhuc impubes paternum regnum per ſuos Tutores adminiſtraret, repente novus ex Hungaria exercitus in Dalmatiam incubuit; quod nunciatum cum eſſet Venetiis, curam retinendæ provinciæ ingentem Venetis attulit; apparebat enim, niſi maritimæ urbes, & quidquid inſularum illis adjacet, Venetorum præſidiis obtinerentur, mancam & debilem maris dominationem futuram. Ordelaphus itaque in tanto diſcrimine haud ceſſandum ratus, majore claſſe, quam antea, in Dalmatiam trajecit, exſcenſuque e navibus facto, hoſtem circa Jaderæ mœnia nactus, ad pugnam e caſtris elicuit. Ferociter primo utrinque dimicatum, fortuna neutro inclinante: dum Ordelaphus, ubi plurimum periculi erat, inter primos exemplis & verbis hortator adeſt, & comminus hoſtem ferit, telo ictus concidit. Morte Ducis perculſi Veneti impetum aliquantiſper ſuſtinent; inde ſolutis ordinibus fugam capeſſunt. Ex his haud pauci intra mœnia recepti, Jaderam aucto præſidio in Venetorum fide ac poteſtate retinuerunt. Fama adverſæ pugnæ Venetias perlata, ingenti civitatem mœrore affecit, & cæſo Duce, fuſiſque copiis, integræ Dalmatiæ tuendæ ſpem & facultatem ademit. Placuit proinde Legatos ad Regem mitti, qui aut pacem, aut inducias impetrarent. Pactas in quinque annos cum Rege inducias ferunt. Hæc tradunt Hiſtorici Veneti, a quibus Hungarici non diſſentiunt. Interea & Jaderam & pleraſque maritimas civitates inſulaſque ſub imperio Venetorum manſiſſe, vel illud argumento eſt, quod Manaſſes Archiepiſcopus Spalatenſis natione Hungarus, qui aliquot ante annos proditionis compertus fugam ceperat, numquam poſtea in urbem redierit, ut docet Archidiaconus c. 18.; ſi enim Spalatum in Hungarorum ditionem tum veniſſet, haud dubium eſt, quin Manaſſes in urbem reverſus ſedem ſuam Pontificiam recuperaſſet. Iterum deinde ac ſæpius pro Dalmatia cum Hungaris nunc ſecundo, nunc adverſo marte pugnatum eſt, & provincia alias amiſſa, alias recepta: quæ hic perſequi neceſſe non eſt; cum ſuis quæque locis ac temporibus, fuſe diligenterque deſcribenda reſervari oporteat; illud ſolum animadverti velim, Venetos ſemper exiſtimaſſe in id potiſſimum ſibi vires omnes conatuſque impendendos, ut Dalmatiam vel retinerent, vel recuperarent; propterea quod hujus provinciæ poſſeſſionem ad maris imperium tuendum, juſque Adriaticæ navigationis uſurpandum vel plurimi intereſſe intelligebant. Tandem anno 1433, poſtquam bellum acre & diuturnum Venetos inter & Sigiſmundum Hungariæ Regem fuiſſet, pax ita convenit, ut Dalmatia propemodum integra, quam præter Raguſium, & alia quædam loca Veneti recuperaverant, in eorum poteſtate permaneret. Pax deinde & quies ab Hungaris fuit; niſi quod interdum aliquid in Dalmatia turbatum eſt ab illis, ad quos Regnum Hungariæ pervenit, & Venetæ ditionis fines aliqua ex parte contracti ſunt. Sed vix ab Hungaricis bellis ceſſatum fuerat, cum ecce tibi novus hoſtis hoc infeſtior, quo potentior, Venetis objectus eſt, videlicet Rex Turcarum, qui anno 1453, capta Conſtantinopoli, & imperio Orientis Græcis adempto, Bulgariam, Serviam, Boſſinam, Chrobatiæ tranſalpinæ Hungariæque partem haud exiguam cum Græcia univerſa ſub poteſtatem dum redegiſſet, ingentem Venetis curam ac ſollicitudinem injecit; qui nullis ſumptibus ac laboribus pepercerunt, ut, ſi quo modo fieri poſſit, hoſtem potentiſſimum e propinquo Dalmatiæ imminentem arcerent, adituque prohiberent. Nemo eſt, quin ſciat, quam multa & gravia bella cum Turcis Veneti ſuſceperint; & quamvis opibus ac viribus, & numero copiarum longe inferiores impedire nequiverint, quominus pars aliqua Dalmatiæ ſub imperium caderet ditionemque Turcarum; illud tamen Venetorum cura & providentia effectum eſt, ut, præter extremum oræ Dalmaticæ tractum admodum brevem Turcis obnoxium, ab

Colomanus Venetorum urbes occupat in Dalmatia.

Veneti Dalmatiæ recuperant, & inſuper Chrobatiæ tranſalpinæ Hungariæque eripiunt.

Veneti commiſſo cum Hungaris apud Jaderam prælio vincuntur, cæſo Ordelapho Duce.

Variæ deinceps belli orum inter Venetos & Hungaros vicissitudines;

ſed tandem Dalmatia fere integra in poteſtatem Venetorum manſit.

Dalmatia contra Turcas a Venetis egregie defenſa.

eorum

eorum poteſtate immunis nunc ſit ac libera reliqua omnis ora maritima, omneſque omnino inſulæ, e quibus mare impunius incurſare, & navigationem Adriaticam infeſtiorem facere poſſent. Neque ſine ſingulari Dei optimi Maximi erga Dalmatas Italoſque providentia factum cenſeo, ut qua tempeſtate gens Turcarum regiones finitimas fere omnes occupaverat, Dalmatia fere tota ſub imperio eſſet tutelaque Venetorum, conferentibus inſuper per id temporis in horum fidem ac clientelam Dynaſtis quibuſdam Dalmaticis oppida & loca omnia, quæ hæreditario jure a Majoribus acceperant; *ita*, inquit Hiſtoricus Dalmata lib. 5. cap. 5. *ut quidquid Dalmatici regni nomine continebatur, præter Raguſium, bono Dalmatiæ fato Venetis conceſſerit; nam Turcæ in dies ſe dilatantes, capta Conſtantinopoli, Boſnenſe regnum, ejuſque appendices, Stephano Oſtoya Regis filio ſpurio occiſo, eripuerunt, Hungariæque & Croatiæ partem majorem occuparunt; ipſarumque civitatum maritimarum agros in dies vaſtantes, tempora occupationis Dalmatiæ a Slavis factæ renovarunt; eo tantum hæc meliora ſunt, quod Venetorum providentia nullam inſularum occuparunt, neque piraticam exercere permiſſi ſunt; unde tolerabiliorem vitam Dalmatæ ducentes, Turcis obſtant, quo minus in proxima littora Italiæ tranſeant, cujus occupandæ deſiderio ſe maximopere teneri profitentur.*

Non defuerunt igitur Venetis hoſtes, iidemque aſſidui & acerrimi, adverſus quos Dalmatiæ poſſeſſionem jam inde a ſæculo decimo exeunte aditam defenderent; at nullos reperio, qui Venetis ut maris imperium eriperent, palam aperteque bellum intulerint. Nihilo tamen remiſſius aut ſegnius pro mari, quam pro Dalmatia laboratum eſt. Poſt Chrobatos & Narentanos compreſſos, aliquid negotii fuit cum Normannis, quos oram Dalmaticam piratarum in morem infeſtantes Dominicus Sylvius Dux Venetorum anno circiter 1075. coercuit, Dalmatiæque finibus excedere coegit. Cum his deinde juſta claſſe pugnatum eſt. Nam opes copiæque navales Venetorum eo jam creverant, ut & imperium Adriatici pro dignitate tueri, & navium cujuſque generis claſſes extra oſtium ad maritimas expeditiones quaquaverſum dimittere, & cum quantalibet hoſtili claſſe viribus æqualibus decertare poſſent. Contra vero res Italicæ Græcorum adeo inclinatæ & jacentes erant, deteriori ut ſtatu eſſe non poſſent. Robertus Viſcardus Dux Normannorum, Saracenis pariter Græciſque expulſis, Apuliam, Calabriam, Siciliam armis ſubegerat; nihilque Græcis in Italia reliquerat præter Brunduſium, Hydruntum, Tarentum, & Barium, ut refert Cedrenus; in ora autem adverſa Dyrrhachium, cæteraque oppida Græci adhuc retinebant. Eadem porro tempeſtate Græcorum opes, magis etiam in Aſia a Turcis, quam in Italia a Normannis debilitatæ fractæque. Conſtantinus Ducas Orientis Imperator cætera pius, cultorque juſtitiæ, ſed pecuniæ tenax, & ſumptus bellorum peroſus, bellicoſas nationes muneribus reprimere inſtituit. Itaque neglecta apud Græcos militaris diſciplina barbaris adeo extulit animos, ut Græci imperii provincias impune popularentur. Conſtantino Duca extincto, Eudocia Auguſta Romano Diogeni nupſit, qui collatis in Aſia cum Sultano Rege Turcarum ſignis victus in poteſtatem barbarorum venit. Huic Michael ſuffectus eſt cognomento Parapinacius, cujus ignavia Turcis incremento fuit, qui Ponticam oram

Pro mari tuendo multum a Venetis laboratū.

armis ſubegerunt. Igitur ob ſocordiam imperio dejectus in Italiam confugit ad Robertum Viſcardum principem Normannorum, quem antea affinitate ac fœdere ſibi devinxerat, eumque incitavit adverſus Nicephorum Botoniatam, cui Orientis imperium delatum fuerat. Haud ægre Robertum perpulit, ut copiis omnibus ab obſidione Hydruntina deductis, atque in naves impoſitis Dyrrhachium trajiceret, ac terra marique urbem obſideret. Nicephorus Alexio Comneno cum terreſtribus copiis ad Dyrrhachium obſidione levandum proficiſci juſſo, ab Venetis imperii ſociis ingens navale ſubſidium impetravit. Numeroſa ergo claſſe Sylvius Dux Venetorum deducta, proſpere cum Roberto apud Dyrrhachium conflixit; diu quidem ancipiti eventu eſt dimicatum; ſed tandem ſoluta fuſaque hoſtium claſſe, navibuſque partim captis, partim aut ſubmerſis aut fugatis, urbem obſidione exemit, mare antea occluſum Dyrrhachinis aperuit. Alteram præterea de Normannis victoriam paullo poſt relatam Anna Comnena Alexiados lib. 4. Græcis ac Venetis adſcripſit.

Venetorū claſſis Græcis adverſus Normannos ſubſidio miſſa.

Duplex de Normānis victoria.

Anno 1081. Nicephorus Botoniata in ordinem cogitur, eique Alexius ſubrogatur, qui Venetis abſentibus cum Normannis infeliciter pugnavit. Cum enim reparata claſſe Dyrrhachium Normannicis armis terra iterum marique premeretur, urbique opem ferre Alexius ſtatuiſſet, pro ipſius mœnibus cruento marte dimicatum ferunt, victiſque Græcis Alexium fuga ſibi ſalutem quæſiviſſe, urbem deditione facta in hoſtium poteſtatem veniſſe. Nec ita multo poſt Sylvius, ut Alexio poſtulanti morem gereret, alteram adverſus Normannos claſſem inſtruxit, & Dyrrhachium devectus cum eſſet, eodem ferme loci, ubi prius, ſed longe alio eventu pugna commiſſa eſt: victi ſiquidem adeo inſignem cladem Veneti accepere, ut ad quinque hominum millibus cæſis, navibus partim captis partim demerſis, pauciſſimi evaſiſſe dicantur.

Normanni Græcos & Venetos cæduant.

Anno 1084. Vitalis Phalerius Ducis titulum & poteſtatem adeptus tertiam in Normannos claſſem eduxit, & circa Buthrotum navali pugna cum Normannis commiſſa inſignem victoriam retulit; quam Anna Comnena breviter deſcripſit lib. 6. *Non longum inde tempus fluxerat, cum Dromonibus & trieribus Veneti paratis, nonnulliſque aliis parvis & velocibus navibus, exercitu in majorem, quam antea, numerum reparato, in Robertum infeſti movent, ſtationem habentem circa Buthrotum, conſertoque acri prælio illum plane vincunt, multis ex ejus exercitu cæſis, pluribus demerſis; parumque abfuit, quin filium ejus Gidam, & uxorem Gaitam caperent. Cujus ſplendidæ victoriæ ſimul ac Imperator, ipſorum nunciis indicantibus, certior factus eſt, multis eos muneribus, magniſque honoribus proſecutus eſt. Duci Venetiarum Protoſebaſti dignitatem cum congruo cenſu annuo contulit, eccleſiis omnibus, quæ Venetiis ſunt, ſatis magnum auri numerum quotannis ex imperiali ærario pendendum conſtituit. Eximiæ vero eccleſiæ ſtructæ in nomine Evangeliſtæ Apoſtoli Marci, vectigales fecit Melphenſes omnes, qui officinas Conſtantinopoli haberent. Omneſque præterea officinas, ac tabernas alias, quæ a veteri hebraica Scala ad Biglam, ſic dictam, pertinent; ſimul & eas Scalas, quæ intra iſtud totum ſpatium continentur, donavit. Præter magnas immobilium largitiones tum Conſtantinopoli, tum Dyrrhachii, tum ubicumque alibi illi petierunt. Quodque maximum omnium fuit, mercimonia ipſorum cuncta quovis portorio aut*

1084

Tertia Venetorum contra Normannos claſſis, & victoria.

Digitized by Google

aut vectigali decrevit immunia in omne tempus esse in cunctis Romanæ ditionis locis, ut quidquid exportarent, importarentve, nihil ne obolum quidem redemptoribus fisci, aut publicanis, similibusve regiæ pecuniæ collectoribus, commercii alteriusve tributi nomine pendere cogerentur, sed plane liberam, cunctisque Romanorum Magistratuum potestati exemptam haberent mercaturam.

Alexius possessionem Dalmatiæ Venetis confirmat.

Ad hæc Alexius, ut nullam gratiæ Venetis referendæ occasionem prætermitteret, iisdem postulantibus, si quid adhuc juris in Dalmatiam esse videretur Imperatoribus Orientis, id omne dimisit abdicavitque, & possessionem Dalmatiæ superiorum Imperatorum permissu concessuque traditam, ratam Venetis ac firmam, immunem ac liberam esse jussit; eam insuper causam subjiciens, quod Veneti, cum maximos sumptus & labores impenderint, ut hanc provinciam piratarum injuriis & manibus eriperent, suam jure belli fecissent; eamque proinde justo ac legitimo imperio possidere, & Venetorum Principes habendos esse, appellandos, inscribendosque *Duces Dalmatiæ*. Hæc Veneti Scriptores in suis Annalibus summo consensu tradunt.

Mors Roberti Ducis Normannorum Græcos pariter ac Venetos ingenti cura ac sollicitudine levavit. Exinde classes Venetorum conversæ ad alias & longinquas in Orientem expeditiones; quæ cum Veneto nomini gloriam insignem peperierint, tum vero maritimæ Venetorum potentiæ magnum incrementum attulerunt. Anno 1095. Urbanus II. Pontifex Concilio in Gallia apud Clarum montem Arverniæ oppidum habito, Christianos Principes ad bellum Hierosolymitanum, sacramque in Palæstinam expeditionem hortatus excitavit. Militiæ insigne crux purpurea dextoro humero assuta, ex quo Cruciatæ nomen factum. Eo veluti classico excitus Occidens variis locis ac temporibus collectos ad eam militiam fudit exercitus. Tres Classes intra annos fere 30. ad sacrum bellum in Palæstinam a Venetis missas reperio; primam anno circiter 1097. Vitalis Michaelis Principis Venetorum auspiciis, hujusque filii Joannis ductu; quæ Smyrna, Ascalone, aliisque Syriæ oppidis barbarorum servitute exemptis, & junctis cum Gothifredo copiis, expugnata captaque Hierosolyma, Venetias rediit anno 1100. Quadriennio post alteram Classem centum sive octoginta navium in Syriam duxit Ordelaphus Phalerius, cujus adventu Balduinus Gothifredo in regnum Hierosolymitanum suffectus mirifice lætus, maritimisque Venetorum copiis auctus, Ptolemaidam terra marique acrius oppugnare instituit, & intra vicesimum diem expugnavit; tum ad Sidonem classem Venetorum admotam fuisse, terrestresque Balduino copias illuc deductas tradunt: hæc quoque inter paucos dies recepta est; itemque Berythum captum, postquam duos fere menses, Ordelaphus mari, Balduinus terra, urbem obsidendo oppugnandoque consumpsissent. Auctores habeo, Faraniam oppidum maritimum circa Nili ostia subactum a Venetis, & multas hostium naves maria infestantes ea expeditione oppressas. Nec Venetis ob rem bene gestam justæ debitæque gratiæ officium defuit a Balduino, qui Ptolemaide sacram ædem, vicum, forum, aream Venetis dedit, ubi merum mixtumque cum Gallis haberent imperium; nec una in urbe tantum, sed in toto Regno Hierosolymitano multas iisdem immunitates, multa privilegia concessit. Adversus Normannos etiam in gratiam Alexii bellum susceptum esse apud quosdam reperio; hostesque ad primum Græcæ Venetæque classis conspectum perterritos pacem petisse: quod si verum est, id referri oportet ad reditum Venetorum e Syriaca expeditione. Annus erat Christi supra millesimum & centesimum vigesimus quartus, cum Dominicus Michael Dux Venetorum, Calisto II. Pontifice Maximo hortatore atque impulsore, ad rem Christianam, in Asia magis magisque in dies labentem, sustinendam tuendamque, cum ingenti classe navium amplius centum in Syriam transmisit. Prospera usus navigatione in Cyprum delatus, ibi cum audisset de numerosa hostium classe, quæ Joppenses premebat, omni maritimo commeatu intercluſos, illuc trajicere festinavit; & barbaros repentino adventu adortus, antequam naves in pugnam explicare possent, primo impetu oppressit, & partim captis, partim cæsis, tota classe disjecta, urbem obsidione liberavit. Secundum hanc victoriam, consiliis armisque conjunctis cum sociis ac fœderatis, itum est ad obsidendam Tyrum urbem maritimam opulentissimam, quæ terra marique circumsessa, diu acriterque oppugnata, demum facta deditione, in potestatem Christianorum venit. Tertia pars urbis Venetis, quorum virtus atque opera omnium scriptorum testimonio in ea obsidione potissimum enituit, ex fœdere data est: tantumdem etiam Ascalonis, quæ civitas sub idem tempus capta est; multa præterea Venetis concessa sunt ex conditionibus in eo sacro fœdere adjectis, quarum capita notata invenio apud Blondum Scriptorem Forolivensem, erantque in hanc sententiam perscripta: *Ut in omnibus Hierosolymitani regni Antiochenique Principatus urbibus privum aream, privum vicum, privumque forum Veneti haberent: nec quidem ea tantum, sed & alia quædam non pauca ad usum vitæ necessaria. Negotia ad hæc, quæ Veneti in Asia facerent, omnibus essent vectigalibus immunia. Si quis Venetus naufragium fecisset, aut intestatus diem iis locis obiisset, illius bona Veneti magistratus essent, cui quotannis Regius Quæstor ex Hierosolymitano ærario aureos nummos trecentos numeraret.*

Tres Venetorum classes alia post aliam ad Expeditionem Hierosolymitanam missæ.

Victoria Venetorum de barbaris relata.

Venetis ob rem Syriacam bene gestam egregie remunerati.

Dum res Venetæ in Syria prosperum cursum tenerent; offensio nescio quę interposita veterem inter Venetos, & Græcos amicitiam ac societatem diremit. Joannes Comnenus, qui & Calojoannes Alexii filius, sive quod Syriacas victorias Latinis ac præsertim Venetis invideret, penes quos præcipuam rerum feliciter in Asia gestarum gloriam esse ferebatur, sive aliam ob causam, Venetis aperte adversari jampridem cęperat; id quod Dominicum Vitalem impulit, ut in Asiam proficiscens ex itinere Corcyram urbem & insulam Græcorum, infra fauces Adriatici sitam obsideret; sed ab hac obsidione necessitas subsidii rebus Christianis in Asia afflictis & labentibus celeriter ferendi illum avocavit. Re Syriaca bene gesta, quando Calojoannes quibuscumque posset injuriis Venetos afficere non desistebat, Dominicus in Occidentem cum classe regrediens, Rhodum prætervectus, quod a Rhodiensibus denegarentur commeatus, oppidum vi captum diripuit, inde in Ægæum delatus Chium, Lesbum, Andrum, aliasque insulas Græcorum in potestatem redactas imperata facere coegit; occupataque Methone in ora Peloponnesiaca, ac præsidio ibidem ad custodiam relicto, classem in Adriaticum revexit, recepitque universam Dalmatiam, quam Stephanus Rex Hungariæ a Veneto-

Inter Venetos & Græcos dissidium.

torum imperio disjunxerat, nec multo post Cephalæniam Græcis ademit. Quare Calojoannes satius esse ratus Venetos amicos quam hostes habere, ab iisdem petijt, ut Legatos de pace Constantinopolim mitterent. Antiquam cum Venetis amicitiam redintegravit, eosque more Majorum titulis atque honoribus, muneribus atque immunitatibus donavit.

pax & amicitia redintegrata.

Sed multo acrior inter Venetosque Græcosque discordia recruduit Emanuele Calojoannis filio imperante. Is inter initia principatus, Venetis amicis usus, illorum erga se benevolentiam egregiamque operam expertus fuerat adversus Rogerium Siciliæ Regem, qui Corcyram insulam in Adriatici Joniique maris confinio positam adeptus, Achajam, Peloponnesum, Bœotiam diripuerat, & per Hellespontum ad Bosphorum usque Thracium classe sexaginta longarum navium immissa, ipsis pene suburbiis Constantinopolis vastitatem intulerat. Emanuel ad Venetorum opes per legatos confugit, a quibus jure vetustæ amicitiæ petere non dubitavit, ut rebus suis afflictis succurrerent. Itaque Venetæ classis auxilio Corcyram recepit; inde Veneti ad Siciliam depopulandam versi coegerunt Rogerium, copias, quas ad aliena occupanda miserat, ad sua tuenda revocare, ut satis constaret Græciæ Imperium ea tempestate Venetis armis non solum, ut sæpe alias, defensum, sed in antiqua etiam rerum suarum possessione, quod sine hujusmodi auxiliis vix fieri potuisset, retentum. Sed Rogerio defuncto Emanuel cum adversus Guillelmum Siciliæ Regem, quo cum Veneti fœdus & amicitiam junxerant, auxiliares copias non impetrasset a Venetis, negantibus licere sibi arma in eum ferre, cum quo pacem fœdere sancitam haberent; id sibi satis causæ esse putavit, ut amicitiam cum Venetis omnem pacemque dirimeret; quasique nactus esset legitimam inferendi belli materiam, Spalatum, Tragurium, Ragusium, & magnam Dalmatiæ partem occupavit. Hanc injuriam deinde novis insuper injuriis cumulavit. Negotiatores Venetos contra fidem datam toto imperio cum navibus ac mercibus comprehendi, & in custodiam tradi jussit, pecunias vero & res omnes in publicum redigi; ac ne ullum in Venetos fraudis injuriæve genus prætermitteret, eorum Legatos contra jus gentium violavit, quorum alterum per speciem agitandæ pacis in colloquium secretius admissum, candente ære, visu privavit; quæ quidem non abhorrent ab ingenio fraudolento ac truci Emanuelis, quem historici tradunt hominem fuisse miræ calliditatis ac malitiæ; Latinis vero rem Christianam in Syria restituere conantibus infestum & iniquum adeo, ut cum Saracenis in illorum exitium conspiraret; ac satis constat duos florentissimos Conradi Germanorum, & Ludovici Francorum Regis exercitus, illius fraude ac perfidia ab hostibus Christiani nominis deletos fuisse. Nec vero ulciscendæ injuriæ voluntas aut facultas Venetis defuit. Classi contum navium intra haud multos dies miro studio adornata, eaque in altum deducta, Vitalis Michael Tragurium, Ragusium, aliaque Dalmatiæ loca sub imperium redegit. His in Dalmatia gestis ad Eubœam delatus, urbem oppugnare instituerat; cum insulæ Præfectus, perculsus tam numerosæ classis adventu, malo dolo ac fraude Vitalem impulit, ut Legatos Constantinopolim mitteret, affirmans se pro comperto habere Emanuelem vel iniquissimam pacem bello prælaturum. At Emanuel rem de industria trahere, quædam petere, alia negare, & alias ex aliis moras innectens, Legatos ludificatus re infecta dimisit. Vitalis post Chium insulam urbemque iterum captam in Lesbum transmisit, ex Lesbo Lemnum, ex Lemno Schyrum tenuit. Hic cum pestis, jampridem contracta ex haustu aquarum, quas jussu Imperatoris veneno infectas fuisse perhibent, atrocius promiscue in omnes nautas pariter militesque grassaretur, Vitalis classem, magna copiarum parte amissa, Venetias reducere statuit. Nihil præterea memorabile in eo bello gestum sive a Græcis sive a Venetis reperio; nec satis compertum est, an postea Veneti in gratiam concordiamque redierint cum Emanuele, qui anno 1180. decessit, relicto Imperii hærede Alexio filio adhuc impubere, triennio post ab Andronico interfici jusso. Andronicus itidem altero occupatę Tyrannidis anno per seditionem popularem occisus interiit. Deinde Isaacius Angelus imperavit, cui Alexius Angelus frater cum oculis imperium eripuit. Cum his nihil seu pacis seu belli Venetis fuisse invenio. Alexius Isaacii filius, patrui sceleratis manibus elapsus ad Henricum Dandulum Ducem Venetorum confugit, qui cum Balduino Flandrensi Comite, aliisque ad sacram militiam nomina professis Francis Proceribus circa Jaderam nuper Hungaris ereptam hibernabat, ibique omnes idoneam classis in Palæstinam transvehendæ tempestatem præstolabantur. Alexii vicem miserati, & promissis ingentibus illecti Veneti Gallique, vere appetente e Dalmatia solvunt, omissaque Syriaca expeditione, Constantinopolim directo cursu petere contendunt. Urbs capta, Alexius paternum in regnum restitutus. Sed nondum in imperio annum exegerat, cum Alexius quidam cognomento Myrtilus, dejecto cæsoque Alexio Angelo tyrannidem invasit, Veneti & Galli, nefariam necem Alexio illatam ulturi, Constantinopolim iterum obsident, terra marique acerrime oppugnant, & tertio demum obsidionis mense ineunte, urbem capiunt, tyranno fuga elapso. Procerum omnium consensu Imperium Orientis Balduino delatum est anno 1204. qui gloriosæ expeditionis socios, pro eo ac quisque meritus fuerat, remuneratos, cum alios aliis provinciis donasset, Venetis omnes Ægæi atque Jonii maris insulas, ipsamque Cretam attribuit, ac præterea Corcyram, ad maris Adriatici ostium ingressumque tuendum mire opportunam.

Egregia Venetorum opera adversus Rogerium Siciliæ Regem Græcis impensa.

Emanuel Imper. CP. Venetis bellum infert, Dalmatiam occupat, eorum negotiatores, & Legatos violat.

Veneti Dalmatiā recuperāt, urbesque insulasque Græcorū devastant.

Veneti Alexium filium Isaacii in Imperium Constantinopolitanum restituunt.

Imperium Orientis a Græcis ad Latinos translatū. Veneti insulis fere omnibus, ac præsertim Corcyra donati.

Quæ post imperium totius maris Dalmatiæque, Petro Urseolo Duce, acquisitum, Veneti per annos fere ducentos cum Græcis gesserunt, ea breviter & cursim attingere oportuit, ut inde liceat intelligi, nihil molestiæ seu negotii Venetis exhibitum fuisse ab Imperatoribus Græcis, ut id repeterent, suoque imperio restituerent, quod ab illis destitutum ac derelictum, eorum classibus ac præsidiis vacuum, illorum insuper permissu concessuque Veneti occupaverant. Nam quidquid adversus Venetos jamdudum possessores legitimos maris & Dalmatiæ moliti sunt sive Calojoannes, sive Emanuel, id satis apparet contra jus fasque ab illis factum esse, & ab utriusque inexpiabili, cum in omne nomen Latinum, tum in Venetos præsertim odio profectum. Hinc etiam animadvertas velim, quatenus ea tempestate creverint opes copiæque navales Venetorum, qui tam multas tam validas ac numerosas classes sive Græcis adversus Saracenos & Normannos, sive Latinis

Veneti legitimi possessores maris Adriatici.

nis ad ſacras expeditiones ſubſidio mittere potuerint: ut plane conſtaret unos eſſe Venetos, qui ad mare Adriaticum tuendum, & maris imperium pro dignitate ſuſtinendum, virium maritimarum quod ſatis eſſet ſuperque haberent. Nec vero quod attinebat ad maris cuſtodiam tutelamque paſſi umquam ſunt induſtriam ſuam ac vigilantiam deſiderari. Nam quamvis longinquis expeditionibus diſtenti, alioque diſtracti eſſent, numquam ab illis hæc veluti domeſtica maris Adriatici cura, & providentia intermiſſa eſt: hoc quippe mare numquam non vexatum a prædonibus fuit. Dalmatæ, ac præſertim Jadrenſes, cum iterum ac ſæpius Hungaris ſollicitantibus aut cogentibus ab imperio defecerint, Adriaticam navigationem piraticis lembis infeſtam facere identidem ſolebant, quibuſcum aſſidue Venetis conflictandum fuit, ut eos coercerent, ab eorumque latrociniis maritima commercia vindicarent. Dominico Mauroceno Duce, plerique Iſtriæ populi a Venetis deſciverant, armatiſque navigiis mare oraſque maritimas incurſabant. Eos Dominicus Ducis filius anno circiter 1150. cum Marino Gradonico, levioribus prœliis compeſcuit, perdomitis Polanis, Parentinis, Æmonienſibus, cæteriſque ejuſdem oræ accolis, quos impoſito annuo tributo, in fidem ac Venetorum gratiam ea conditione recepit, ut in poſterum a piraticis excurſionibus abſtinerent. Anconitani quoque ſæpius repreſſi, qui Emanuele Græcorum Imperatore inſtigante, Venetis onerariis ac navigiis prædandis ac diripiendis toto mari diſcurrebant. Piſani in Adriaticum ſinum penitus ritu piratarum invecti Polam tributariam Venetorum urbem repentino adventu oppreſſerant: nec diu ibi quietam ſtationem habuerunt. Decem triremes inſtructæ, atque in Iſtriam tranſmiſſæ, Pola recepta eſt, & quidquid Etruſcarum navium illic fuit, victor Venetus concremavit: nec multo poſt Veneta claſſis in Jonium miſſa, ut præſidio eſſet ſex onerariis, quæ mercibus onuſtæ per id tempus ex Pontica negotiatione in patriam redibant, apud Methonem cum integra Piſanorum claſſe proſpere conflixit; eaque fuſa & diſjecta, aliquot hoſtium naves in Venetorum poteſtatem venerunt. Sed nulla peſtis piratica mari Adriatico moleſtior & perniciosior fuit, aut diuturnior & obſtinatior, quam Almiſſana. Almiſſum oppidum ad oſtium fluminis Cetinæ, aditu expugnatuque difficile, ſtatio olim fuit Piratarum, ac prædarum infame receptaculum. Sæculo decimo tertio Almiſſani piraticam facere cum cœpiſſent, non Venetis, non Dalmaticis, non Italicis navigiis, modo prædę ſpes aliqua objiceretur, parcebant. Sæpe a Venetis cohibiti, eorum urbe alias obſeſſa, alias capta, coactique a latrociniis abſtinere; verum ſimulatque, decedentibus triremibus Venetorum, præſenti metu levati eſſent, ad ingenium redibant. Almiſſana latrocinatio annos amplius ducentos tenuit, nunc intermiſſa, nunc acrius invaleſcens; neque antea refrænari omnino, comprimique potuit, quam Almiſſa fide ſtabili ac perpetua in Venetorum poteſtatem deveniret. Adde Almiſſanis alios atque alios hujuſmodi prædatores hoſteſque commercii maritimi, Almiſſanorum temporibus vel æquales, vel ſuppares, qui numquam Venetorum vigilantiam quieſcere, aut purgandi maris curam torpeſcere ſiverunt; atque his potiſſimum annumerandos cenſeo tum Uſcochos, qui ſuperiori ſæculo ineunte, tum Olchienſes, qui recentiore memoria navigationi Adriaticæ locisque maritimis ingentia damna intulere; quos tamen modis omnibus coercere, captos, quibus digni erant, ſupplĭciis afficere, totoque mari vagantes aptis ad id inſtructiſque navigiis perſequi non prius Veneti deſierunt, quam priores quidem in mediterranea translatos Archiduces Auſtrii, ex conditionibus pacis cum Venetis initæ, longius a mari ſummoverent; poſteriores vero Rex Turcarum, inter quem ac Venetos pax in hanc legem convenerat, a latrociniis maritimis abſiſtere, lembis incenſis, graviſſimaque pœna propoſita, juberet.

Cura aſſidua ad mare tuendū & purgandum a Venetis impenſa.

Nec vero interea cum Piratis ſolum in Adriatico mari, ſed etiam cum hoſte legitimo, juſtoque navali prœlio pugnatum. Nobilem in primis ferunt atque inclytam victoriam illam navalem fuiſſe, quam anno 1177. Veneti de Othone Federici Ænobarbi Imperatoris filio reportarunt. Alexander III. Pontifex Maximus, quem Federicus odio atque ſchiſmate implacabili inſectabatur, cum nihil ſibi tutum in reliqua Italia cerneret, Venetias ad fidem opeſque Venetorum confugerat. Veneti rem præclaram, & ſua erga ſedem Apoſtolicam, ſuorumque majorum perpetua obſervantia dignam rati, defenſionem communis parentis ſummique totius eccleſiæ Hierarchæ ſuſcipere, Legatos ad Federicum mittunt publico nomine rogatum, ut cum Alexandro Pontifice in gratiam vellet redire; a quo cum nihil pacati, ſed plena indignationis atque minarum reſponſa retuliſſent, jamque appareret imminere ſibi bellum omnium, quæ ad eam diem geſſiſſent, periculoſiſſimum; claſſem continuo adornari jubent, quam poſſunt validiſſimam, ad propulſandum hoſtem, & retinendum maris dominatum, in quo tum potiſſimum ſumma imperii Veneti nitebatur; eoque defenſo, non erat, cur hoſtis cęteroquin potentiſſimi vires magnopere timerentur. Dum claſſis inſtruitur, eſſetque tanti belli expectatione tota civitas ſuſpenſa atque ſollicita, allatum eſt Othonem Federici filium prope jam adeſſe cum quinque & ſeptuaginta navibus, ut Alexandrum vel ſponte traditum ad Patrem ſub cuſtodia duceret, vel vi atque armis repoſceret. Itaque Sebaſtianus Cianus Dux Venetorum omni cunctatione abjecta, egreſſus portu cum navibus non amplius triginta, hoſti obviam ire properavit. E regione Iſtriæ, haud procul a Salborio promontorio concurſum ferunt, atque atroci pugna pluribus horis dimicatum: demum hoſtium claſſe fuſa fugataque, navibus plurimis captis, aliquot in alto depreſſis, Cianus victor Othonem captivum Venetias adduxit; qui dimiſſus ad patrem, ut eum ad concordiam cum Venetis, ad debitum erga Pontificem obſequium adduceret, utrumque egregie præſtitit. Nam Federicus maritima illa clade accepta admonitus, ſentienſque non ſe cum hominibus, ſed cum Deo bellare, Venetiis venit, atque in Baſilica Marciana ad Alexandri pedes ſupplex ſe abjecit, veniam petiit, cum Venetis pariter & cum Pontifice in gratiam rediit. Ajunt Alexandrum Ciano Duci annulum aureum dediſſe, quo ſingulis annis, ſolemni ac ſtato Chriſti in Cœlum aſcendentis die, mare ſibi ſuæque Reipublicæ deſponderet; eoque veluti pignore illud Venetis obnoxium redderet, ac declararet, uti uxorem viro, ſic Adriaticum Venetorum imperio ſubjacere. Scio equidem hanc pugnam & victoriam navalem a quibuſdam junioribus in dubium revoca-

Victoria navalis Venetorum de Othone Federici Imp. filio in Adriatico relata.

Digitized by Google

tam fuiſſe; ſed quos his opponam, habeo non ſolum Venetos & domeſticos, ſed etiam externos & alienigenas Scriptores, & quidem ex his aliquos, vel æquales temporum illorum, vel ab ea ætate admodum recentes, quos a me nominari non eſt neceſſe; & præterea totius rei ſeries non ſolum litteris tradita eſt, ſed etiam penicillo & coloribus expreſſa, tum Romæ in Palatio Vaticano, tum Venetiis in aula majori ſive Curia, ubi de rebus publicis conſuli & comitia haberi ſolent; ſubjectaque eſt utrobique inſcriptio clariſſimæ teſtis victoriæ.

Bella maritima Venetorum cum Januenſibus, Hungaris &c. quibus aut victis, aut ſponte cedentibus Dominium maris penes Venetos remanſit.

Sæpius deinde pro claſſibus hoſtilibus repellendis, tum in Adriatico, tum in Jonio atq; Ægeo bellatum eſt cum Januenſibus, cum Hungaris, cum Neapolitanis & Siculis, ac denique cum Turcis, vario quidem eventu, nunc Venetis, nunc hoſtibus propitio; ſed omnium hujuſmodi navalium bellorum is demum exitus fuit, ut hoſtes aut victi & fugati, aut pace facta ſponte cedentes, Adriatici dominatum ſemper Veneris integrum reliquerint. Quibus bellis maritimis poſteriorum ætatum ſi ſuperaddideris antiquiora illa, quæ Veneti cum Gothis, cum Francis, & præſertim cum Saracenis, & Normannis proſpere geſſerunt; itemque nunquam intermiſſa cum prædonibus prælia; plane conſtabit Adriaticum Venetorum imperium etiam jure belli, ſi non acquiſitum, certe confirmatum eſſe. Si enim hoſtes ex aliena ditione, in quam invaſerant, aut armis coacti, aut belli defeſſi tandem decedant, ejuſdem poſſeſſionem antiquis Dominis, qui eam bellando retinuerunt, jure belli ratam firmam ac ſtabilem eſſe oportet. Ex quo autem Reſpublica Veneta in mari orta rem maritimam tractare cœpit, pro mari ſive a piratarum injuriis vindicando, ſive ab externis propriis & communibus hoſtibus tuendo, per annos mille & ferme tercentos tot cujuſque generis navigia & claſſes armavit, tam immenſam vim pecuniarum inſumpſit, tam multa & periculoſa bella ſuſcepit, tantum denique civium ac militum ſuorum ſanguinem profudit; ut his ſumptibus, bellis, periculis, laboribus propemodum infinitis non unius, ſed plurium marium juriſdictio comparari acquirique potuerit: & nemo erit tam injuſtus rerum æſtimator, quin judicet Venetos ſuum hoc mare feciſſe omni vel optimo jure, quo res quæcumque acquiri poteſt ac poſſideri. Cæterum Dominatio maritima Venetorum tam antiqua eſt, quam ipſamet eorumdem Reſpublica; & poſtea tam late fuſa, quam Adriatici longitudo ac latitudo patet; ejuſque mediis in aquis exortus eam ad dominandum mari natam eſſe declarat; & cum a purgando mari, piratiſque perſequendis rerum gerendarum initium fecerit, inde felici auſpicio futuræ olim maritimæ potentiæ omen accepit.

Quam juſtum ſit ac legitimum Venetorum in mare Imperium.

Ergo Adriaticum mare ab illis deſertum, ad quos ejus tutela & defenſio pertinebat, neglectum, præſidiis nudatum, expoſitumque piratarum latrociniis, veluti quædam, ut ſæpe diximus, vacua & caduca poſſeſſio in Venetorum poteſtatem pervenit, qui ſimulatque illud occuparunt, ejuſdem patrocinio ſuſcepto, ſtatim ejuſdem dominium adepti ſunt: ut enim quæ olim naturæ fuerint communia, ita etiam quæ derelicta ſunt, & veteri dominatu vacant, jure gentium conſenſuque omnium nationum, in illius ditionem tranſeunt, qui primus ea occupaverit. Quod quidem maris dominium jure legitimæ occupationis initio acquiſitum a Venetis, hoc magis roboratur, tum quod Imperatores Orientis, ad quos antea ſpectabat, ſuo permiſſu & conceſſu nunquam revocato ratum habuerint; tum quod ad illud firmius ſtabiliendum accedat longiſſimi temporis præſcriptio, quæ multarum ætatum poſſeſſiones movere planiſſime vetat; maritima autem Venetorum poſſeſſio omnem ſuperiorum temporum memoriam antegreditur, & cum eorum Republica orta pariter eſt, & propagata. Huc adde antiquiſſimam conſuetudinem inde uſque a principio Veneti nominis receptam ac perpetuo retentam omnia illa officia præſtandi, & jura uſurpandi, quæ ad legitimos maris Dominos pertinent. Eſt proprium munus illorum, qui maris dominatum tenent, tum mare ipſum, tum oram circumjectam ab hoſtibus & piratis tueri ac defendere, nec ſuis modo, ſed etiam extraneis navigationem tutam reddere, atque ab omni injuria innoxiam. Atqui Veneti ſuarum partium ſemper eſſe duxerunt Præfectum ſinus Adriatici conſtituere, qui cum aliquot armatis navigiis toto mari perpetuo diſcurreret, oram utramque a prædonum latrociniis defenderet, præſidio eſſet navigantibus, & ad tutelam tranquillitatemque navigationis Adriaticæ dies ac noctes excubaret. Mos autem hujus maritimi magiſtratus creandi omni memoria antiquior eſt, neque umquam intermiſſus. Sæculo decimo tertio, Jacobo Contareno Duce, invenio apud Dandulum in annalibus *Petrum Morenicum pro cuſtodia Venetici Gulphi deputatum*; ante hunc vero *Pancratium Maripetrum*, & *Joannem Maurocenum*; poſtea vero, Joanne Dandulo Duce, *Marinum Venerium egregium Capitaneum*. Nec vero Dandulus refert tum primum inſtitui cœpiſſe hujuſmodi magiſtratum, qui ſi eo tempore novus fuiſſet, inuſitatus, recenſque in rempublicam invectus, haud ſane lectorem de hac re admonere Chronologus ille omiſiſſet: hinc autem efficitur ejuſdem magiſtratus creandi conſuetudinem jamdiu receptam fuiſſe apud Venetos, ejuſque initia multo altius, & ab antiquis temporibus, longeque ab eo ſæculo disjunctis, repetenda eſſe. Certe Veneti inde uſque ab urbe & republica condita, nihil antiquius habuerunt, quam ut vires omnes opeſque ad cuſtodiam ejus maris, cujus imperium adepti erant, præſidiumque conferrent, nullis in eam rem ſumptibus, aut laboribus, aut periculis parcendum rati; id quod rerum ab illis mari geſtarum perpetua exempla tum vetuſta, tum recentiora, quæ vel prolata ſunt, vel proferri poſſent, ſatis ſuperque declarant.

Mos antiquus magiſtratus creandi, qui mari tuendo præeſſet.

Nihil autem maritimæ juriſdictionis excogitari poteſt, quam Veneti omni tempore, omniumque conceſſu non uſurpaverint: quippe more atque inſtituto majorum navigiis omnibus ac mercibus, vectoribus nautiſque & leges & tributa imponunt. Si quos graviorum criminum reos exilio afficiunt, iis non terra ſolum, ſed mari etiam, omnibuſque navigiis ſive inermibus ſive armatis interdicunt. Qui vero in Adriatico aut ſcelus aliquod commiſerint, aut capiantur ob flagitium terra patratum, in eos tamquam intra fines ditionis Venetæ deprehenſos comprehenſoque lege agi jubent, & pro eo ac merentur, debitis pœnis animadverti. Jus autem ac potestas hujus maris aditu ingreſſuque prohibendi quaslibet aliarum gentium naves armis cæteroque bellico apparatu inſtructas penes Venetos ſemper fuit, neque umquam hoc jure utendi, ſi qua oblata eſſet, occaſio eſt prætermiſſa. Pacem Piſanis & Januenſibus ſub ea conditione datam fuiſſe accepimus, ut neutris liceret in Adriaticum

Juriſdictio maritima a Venetis perpetuo uſurpata.

cum armata navigia ſubvehere ; itemque in eaſdem conditiones pax convenit cum Ludovico Rege Hungariæ. Firmani, & Aſculani, Hydruntini, & Tarentini, alii aliis temporibus Legatos ad Senatum miſerunt, de injuriis queſtum, quas a piratis identidem accipiebant ; ſimulque poſtulatum, ut ſibi poteſtas permitteretur ſuis armis ſuiſque navigiis utendi ad pœnas ab illis prædonibus reſque ablatas repetendas: & quamvis ut voti compotes fierent, deprecatores interdum adhibuerint Romanos Pontifices, id tamen quod petebatur, conſtanter ac præciſe negatum fuit; juſſuſque eſt Præfectus Adriatici ſinus gentium illarum oras diligenter tueri, piratas perſequi, eorum myoparones capere atque incendere ; qui non ſemel Anconitanos Firmanis & Aſculanis maxime infenſos coegit, quas habebant, naves armamentis omnibus exſpoliare, & quæ abſtulerant, reſtituere, ac pro illatis damnis ſatisfacere. Ac ne ſummis quidem Principibus idem poſtulantibus Senatus annuendum cenſuit, ut in Tabulis monumentiſque Venetorum memoriæ retinendæ, & exempli poſteris relinquendi cauſa notatum eſt. Nec vero Ferdinandus, qui Alphonſo parenti in regnum Neapolitanum ſucceſſit anno 1458. gravate accepit, aut negligendas putavit querelas Venetorum amice expoſtulantium, quod ipſe, ſuis in Adriaticum triremibus immiſſis, jus maritimum Reipublicæ imminutum iret ; uſus eſt excuſatione temporis ac neceſſitatis, quippe Apuliam cum invaſiſſet Joannes Renati Andegavenſis filius, facere non potuit, quin provinciæ periclitanti auxilia ſubmitteret ; ſuis tamen Præfectis id mandati dediſſe, ut ſtatim atque milites, arma, commeatus in terram expoſuiſſent, naves in portum reducerent; adeo vero ſe alienum eſſe ab lædenda Venetorum juriſdictione, ut quod illi paullo ante vetuiſſent Ducem Calabriæ fratris filium inſtructis armatiſque navigiis per Adriaticum diſcurrere, id ſummopere approbaret, eiſdemque gratias ageret, quod tuendæ illius oræ maritimæ onus munuſque ſuſcepiſſent, eoque præclare defungerentur. Idem Ferdinandus, cum duæ triremes, defectione facta, ab ſe profugiſſent, errarentque mari Adriatico, noluit ille quidem jus ſuum armis perſequi in aliena ditione; ſed Venetos admonuit, ut ne transfugas illos ac rebelles impune vagari ſuo mari ſinerent, ſed captos ſibi traderent, quibus dignum erat, pœnis afficiendos. Si quando vero accidit, ut extranei Principes aut populi vel neceſſitatis vel utilitatis cauſa vellent copias aut commeatus mari Adriatico tranſvehere, id ut ſibi tuto atque impune facere liceret, fidem publicam ſcripto conſignatam a Venetis impetrarunt. Multa extant exemplaria hujuſmodi fidei publicæ, quam Veneti Marchionibus Ferrariæ, Ravennatibus, Ariminenſibus, Regibus Hungariæ ac Neapolis, Ragusinis, & ipſis Romanis Pontificibus, itemque Imperatoribus dederunt. Sub finem decimi quarti ſæculi Ladislaus Rex Neapolis ad ſororem, quam Guillelmo Archiduci Auſtriæ nuptam dederat, deducendam naves plures ac triremes ornaverat; quas cum ſponſa cæteroque comitatu ex Apulo littore in Dalmatiam ut tranſmitteret, fidem publicam a Venetis poſtulavit, quæ data eſt ſub ea conditione, ut ne quis vel ob læſam majeſtatem, vel ob patratum homicidium e ditione Veneta in exilium ejectus, in ea navigia reciperetur. Hæc & alia id genus ſuperiorum ætatum exempla, ſi otium eſſet, quamplurima e monumentis Venetorum proferri poſſent. Haud equidem negaverim interdum injuſſu Principis ſenatuſque Veneti naves aliquot armatas in Adriaticum invectas fuiſſe; ſed quod contra jus faſque, quod dominis invitis, licet ſtudio pacis non repugnantibus, factum eſt, id legitimis poſſeſſoribus nullum infert præjudicium, ac nihil de illorum antiquo jure ac dominatu derogat: cæterum cum ſatius eſſe ac prudentius viſum eſt injuriam repellere, quam *diſſimulare*, inultamque relinquere, haud prætermittendum Veneti cenſuerunt, quin jus ſuum armis perſequerentur; & hujuſmodi navibus aut fugam injicerent, aut victis captiſque ignes ſubderent, vel certe armamenta omnia derraherent.

Facultas naves ſeu bellicas triremes in Adriaticum immittendi alias, jam ipſis Regibus negata.

Verum ipſa neceſſitas hujus maris Venetorum armis copiiſque navalibus tuendi æquis & iniquis confeſſionem maritimi Venetorum imperii haud ſemel, ſed iterum ac ſæpius expreſſit. Multas identidem populorum ac Principum, quorum intercerat navigationem Adriaticam tutam eſſe a prædonum inſidiis ac latrociniis, querimonias ad Senatum Venetum delatas fuiſſe accepimus; quarum caput erat, a piratis ſibi mare infeſtum reddi, navigia diripi, prædas undecumque abigi, regioneſque mari proximas depopulari; Veneti ergo, ad quos ea cura ſpectabat, navigationis tranquillitati & quieti conſulerent ac proſpicerent, latrones inſtructa claſſe perſequerentur, meritas pœnas ab illis repeterent, res ablatas reſtituere cogerent; omnique ſtudio providerent, ne impoſterum maritimo commercio moleſti eſſent, nave myoparonibus ad terram applicitis ad vicos agroſque populandos egrederentur; id quod cum in damnum perniciemque ſociorum vergeret, tum vero in dedecus atque injuriam Veneti nominis recidebat. Hujuſmodi autem querelæ, quæ nunc ab Romanis Pontificibus, nunc a Regibus Neapolis & Hungariæ, nunc a gentibus, quæ oram ſuperiorem Italiæ accolebant, ad Venetos ſæpe venerunt, maritimæ Venetorum dominationis teſtimonia ſunt; neque enim maris cuſtodiam ac defenſionem ſibi perutilem ac neceſſariam a Venetis requirere poterant, quin ſimul faterentur maris ut tutelam, ſic imperium ad Venetos pertinere: ſua enim cuique curæ & cuſtodiæ ſint oportet, aliena ut curet ac defendat nemo poſtulat, aut jure queri poteſt id a quopiam, quod ſuum non eſt, neglectum ac prætermiſſum eſſe. Quid quod ipſimet Turcarum Reges minime dubitarunt Venetos Adriæ dominos agnoſcere ac fateri. Uſcochi, gens ferox & inimitis, aſſueti latrociniis, & mari præſertim infeſti, cum apud Flanaticum ſinum Seniæ aliiſque in oppidis ejuſdem oræ ſedes ac domicilia permiſſu Principum Auſtriorum eſſent adepti, Turcarum navigiis ac terris plurima & graviſſima damna intulerunt. Quare identidem ab Regibus Turcarum, Suleimanno primum, deinde Selymo, poſtea Achomate Venetias ventitabant Legati, queſtum injurias, & res repetitum; arma minitantes, niſi ſatisfieret. Verum enimvero cum illi ignorare non poſſent Prædones illos in ditione eſſe ac poteſtate Auſtriorum, quid eſt, quod de Venetis quererentur? quid eſt, quod ad Principes Auſtriæ nullos mitterent, qui de acceptis injuriis expoſtularent, & arma illis denunciarent, niſi Uſcochos pro ſua in illos poteſtate a latrociniis abſtinere, & ablata reſtituere juberent? Nimirum ad eos potiſſimum pertinere cenſebant maritimos latrones perſequi &

Veterum maris imperium omnium confeſſione comprobatum.

id ſæpe confeſſi ſunt tum Chriſtiani Principes, tum Reges Turcarum.

coercere, ad quos custodia & imperium maris spectabat; id si Veneti negligerent, officio suo deesse; & quamvis Uscochi Venetorum imperio ac legibus exempti essent, Venetos tamen, cum talia flagitia in suo mari ac ditione committi sinerent, non frænando insolentiam illorum, culpam injuriarum omnem sustinere; quando igitur cessaret Venetus, cujus sub jure Adriaticus sinus esset, Imperatores Turcarum monebant ac denunciabant inducturos se classem ad reposcendas pœnas & mare purgandum. Nec sane hujuscemodi querelis, veluti quibusdam stimulis opus erat ad excitandam vigilantiam solertiamque Venetorum, qui nullis umquam neque sumptibus, neque classibus, neque laboribus pepercerunt, ut mare tutum omnibus & pacatum redderent; sed nimirum mare latius patet, quam ut pericula omnia atque incommoda præcaveri queant, & quocumque necessitas vocat, statim occurri possit ad piratarum incursiones comprimendas; præsertim cum interdum acciderit, ut prædatores isti sub imperio essent ac patrocinio potentiorum, quorum nimia indulgentia illos audaciores faciebat; ea quippe freti animatique nihil sive in hostes, sive in amicos sibi non licere arbitrabantur. Cum Uscochis per annos amplius quinquaginta conflictandum fuit, antequam ea pestis toto Adriatico, oraque maritima eliminari posset. Numquam illi quidem destiterunt persequi latrones ubique, & quotquot caperent, occidere, & piraticas triremes adoriri, captasque incendere, & oram utramque ab eorum excensione impetuque prohibere: sed quominus in ipsa prædonum cubilia invaderent, urbesque Austriacæ ditionis receptacula prædarum exscinderent, illud impedimento erat, quod verebantur, ne Principes Austrii a Venetis se alienandi occasionem seu jure sive injuria inde arriperent. Nam etsi quidquid illi peccarent, videri poterat commissum culpa eorum, qui in tot tantisque suorum flagitiis conniverent: at veterem amicitiam, quæ sibi cum Austriis intercedebat, si fieri posset, nolebant disjungi. Tandem Veneti, cum plura ipsi, cæteræque gentes, & indigniora a prædonibus fere quotidie paterentur; cum Turcarum querimoniæ urgerent, ab iisque ob hanc causam sibi grave bellum imminere cernerent; cum suis apud Austrios querelis iterum ac sæpius per legatos deferri jussis nihil proficerent; non dubitarunt Seniam, aliaque oppida Austriorum, sedes ac latibula piratarum, fauces que omnes euriporum, & portus armatis navigiis obsidere; id quod tulit acerbe Ferdinandus Archidux Austriæ, præsertim post captum direptumque oppidulum maritimum, quo tormenta Venetis erepta, aliamque prædam Uscochi intulerant. Inde Austrios inter Venetosque bellum exarsit, quod duos ipsos annos tenuit; neque aliter pax, nisi in has conditiones convenire potuit, ut piraticis lembis incensis, primores Uscochorum ad centum omnino & triginta tres, cum suis familiis illico excederent finibus Dalmatiæ Histriæque, pœna capitis proposita rursus intrantibus; quos Ferdinandus in mediterranea translatos, in Chrobatia ultra montes, agris ac domiciliis donavit. Ita Venetorum opera terrimis illis prædonibus expulsis, longeque ab ora maritima summotis, navigationis tranquillitati consultum, Turcarum Imperatoribus satisfactum, commercium maritimum restitutum: quo facto Veneti ostenderunt haud magis sibi cordi esse maris imperium retinere, quam ejusdem maris securitati, ac tutelæ, navigantium commodis ac rationibus prospicere.

Eam ob causam ad coercendos Uscochos diu multumque laborarit.

& cum Austriis Principibus bellum susceptum.

Quæ hactenus paullo fusius, quam voluissem, & pluribus exposui, ea ut paucis complectar; Veneti inde usque ab urbe & republica condita in mari dominari cum cœpissent, imperium maris etiamnum tenent, quod ab Imperatoribus Orientis paullatim destitutum, atque in medio relictum, veteri occupatione ex jure gentium adepti sunt; quod deinceps præscriptione longissimi temporis, antiquissima ac perpetua consuetudine cujuslibet juris maritimi usurpandi, multarum ætatum, & omnium principum ac gentium consensu magis magisque firmatum, denique immanibus sumptibus, laboribus, classibus, plurimis & gravissimis bellis, immensa effusione sanguinis constanter egregieque defensum est: hæc & alia id genus cum accurate perpenderent, atque ad juris trutinam exigerent doctissimi quique ac celeberrimi jurisconsulti in hanc sententiam adducti sunt omnes, (si pauciſſimos quosdam excipias contentionis cupidiores, quam veritatis, & assentandi magis, quam veri inquirendi studio percitos) ut possessionem maris Adriatici Venetis summo consensu adjudicarent; quamvis hujusmodi possessioni maritimæ alios alii titulos præfigendos censuerint: id tamen convenit inter omnes, quod quidam illorum haud argutius, quam verius scripsit, *tantam jurisdictionem Venetos habere in mari, quantam in civitate Venetiarum.*

Dominatio maritima Venetorum titulis pluribus & gravissimis innixa.

Illud vero ad extremum animadverti velim, quod in condenda gente ac Republica Veneta, & a parvis initiis ad summum maris imperium provehenda, singularis quædam erga Christianos, præsertim Italos Dalmatasque, benignitas eluxit ac providentia Dei optimi maximi; qui sive ad nostra flagitia punienda, sive ad nos in metu & officio continendos, cum passus esset exsurgere in Oriente, & stabiliri, & in Asia atque Europa propagari Turcarum Imperium terra marique potentissimum; huic, ne longius in Italiæ Ecclesiæque exitium progrederetur, maritimam Venetorum potentiam, ceu quoddam frænum injecit; in qua scilicet multis ante sæculis opportunum ac necessarium ad hæc tempora, nobis nostræque libertati, saluti, & religioni præsidium & propugnaculum validissimum constituerat. Hoc vero providentissimi & clementissimi Numinis consilium Venetos frustratos non esse omnes & æqui, & iniqui fateantur necesse est. Nam ab anno Christi 1453. quo Mahometes Rex Turcarum, Constantinopoli capta, sedem atque arcem Imperii Græci adeptus fuit, quot classes Veneti armaverint, quos sumptus laboresque impenderint, quam multa & periculosa bella susceperint, quantum denique languinis profuderint, ut potentissimum Christiani nominis hostem in nos irruentem a progressu coercerent, ab Italia averterent, ab Adriatico mari vel expellerent, vel aditu intercluso prohiberent, omnes superiorum & nostrorum temporum historiæ loquuntur. Et vero post Constantinopolim, Orientisque imperium amissum quinam Reges ac Principes sive Italiæ, sive ab Italia non longe disjuncti, præter Venetos, tantas opes maritimas, copiasque navales unquam habuere, quas Turcis in omnem occupandi maris Adriatici,

Veneti maris Dominii divina providentia constituti.

tici, Italiæque invadendæ occaſionem intentis opponere potuerint; ut ſatis appareat unicum nobis ac neceſſarium contra Turcas, ad defenſionem oræ utriuſque & maris intermedii, perfugium ac præſidium in Venetorum virtute potentiaque maritimas poſitum eſſe: ex quo intelligi poteſt maximas nobis & ſummas præpotenti atque immortali Deo gratias agendas eſſe, quod una cum dominatione tutelam maris Adriatici Venetis commiſerit, eorumque imperium in aquis conditum, & rerum nauticarum ac militarium ſcientia copiaque egregie inſtructum, toto mari propagaverit ad ſuſtinendas ac propulſandas Turcarum aggreſſiones, & ad agendas perpetuas pro religione Italiaque univerſa excubias; ut nos cæterique Italiæ populi, Venetorum virtute ac præſidio tecti, armis ac vigiliis quieti, laboribus ac periculis tuti eſſe poſſemus; proxime autem & ſecundum Deum Venetis habenda eſt gratia, qui toties laterum ſuorum oppoſitu & corporum, cædes, incendia, rapinas a Chriſtianorum vita, tectis, fortunis, a templis ſacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vaſtitatem arcuerunt. Quapropter qui Venetis imperium maris potentiamque maritimam invident, Italiæ ſalutem ac libertatem, Eccleſiæ quietem & tranquillitatem invideant oportet. Porro Adriaticum mare, ut imperium, ſic nomen Venetorum ſubivit, hodieque retinet; nec ſolum ab hiſtoricis & Geographis, ſed etiam a vulgo Venetum appellatur; quod quidem nomen atque imperium huic mari ut perenne ſit ac perpetuum, boni omnes optare debent.

Digitized by Google

PARS TERTIA
PROLEGOMENON.
DE ILLYRICA ET DALMATICA ECCLESIA, TUM DE SALONA, ET ECCLESIA SALONITANA.
SECTIO PRIMA.
De Illyrica, & Dalmatica Eccleſia.

CAPUT PRIMUM.

De Originibus Apoſtolicis Eccleſiæ Illyricæ & Dalmaticæ.

Illyrici Eccleſiaſtici fines, & provinciæ.

ORiginum Eccleſiæ Illyricæ diſquiſitionem cum inſtituo, vocabulum Illyrici iiſdem terminis circumſcribendum cenſeo, quibus illud Juſtinianus Imperator definivit Novel. Conſtit. XI. cum ſupremam Præfecturam Illyricam e Macedonia in Epirum novam, & ex urbe Theſſalonica ad Juſtinianam primam tranſtulit. Nam quas regiones juri ac nomini Illyrico Juſtinianus reſtituit, vel reliquit, eas huic Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quaſi materiam, quam tractet, & in qua verſetur, ſubjectam fore conſtituimus Parte prima cap. 5. §. 4.; neque enim neceſſe eſt, ut hujuſmodi inveſtigatio, ſive diſquiſitio latius, quam patet hiſtoriæ noſtræ argumentum, aut longius evagetur. Ex omnibus autem Provinciis, quæ olim ampliſſimo Illyrici vocabulo, quamvis non omnes uno eodemque tempore, continebantur, Præfecturæ & juriſdictioni Illyricæ Juſtinianus ſubjecit Epirum novam, Dalmatiam omnem inter Arſiam ac Drilonem cis alpes ultraque, Pannoniam Saviam, Mæſiam & Daciam utraſque, & Dardaniam; his autem finibus ut Illyricum hodiernum, ſic Hiſtoria noſtra circumſcribitur. Reliquas autem Regiones ab Illyrico aut Juſtinianus avulſit, veluti Macedoniam & Græciam omnem; aut jam pridem vel Imperatores vel barbari disjunxerant. In his autem, quas modo percenſui, provinciis Illyrici hodierni, & multas & nobiliſſimas inde uſque ab antiquiſſimis temporibus eccleſias conditas fuiſſe inter omnes conſtat; ſed non eſt hujus loci omnium earum origines ſingillatim evolvere atque explicare; id potius generatim atque univerſe quærendum eſt, an primordia eccleſiæ Illyricæ ad Apoſtolos conditores, ſive ad tempora Apoſtolorum referri oporteat, appellarique debeat eccleſia Apoſtolica, propterea quod vel omnes, vel pleraſque eccleſiarum, ex quibus conſtat, aut Apoſtoli ipſimet, aut eorum Diſcipuli fundaverint.

Et Origines Apoſtolicæ.

Plerique eorum, qui eccleſiæ alicujus præſertim vetuſtæ ac nobilis hiſtoriam ſcribere inſtituunt, haud ſatis vel muneri ſuo, vel ſuſcepti operis dignitati ſe facere poſſe exiſtimant, niſi vires omnes ingenii conatuſque adhibeant, ut aliquem ex Apoſtolis, ſive Apoſtolicis Viris ejuſdem eccleſiæ parentem & conditorem fuiſſe lectoribus perſuadeant; & cum ſæpe nulla monumenta ſatis certa, auctores nulli ſatis idonei ſuppetant; ſubſidio ſibi conjecturas inanes, anileſque traditiones comparant, ut eccleſiæ illius, de qua ſcribunt, initia ad Apoſtolos, ætatemque Apoſtolicam quoquo modo, & obtorto, ut ajunt, collo reflectant ac pertrahant. Quæ res illud habet incommodi, quod dum ſcriptores plerique Apoſtolicæ originis gloriam ambitioſius, quam verius, ad ſuam quiſque eccleſiam traducere ac transferre conantur, ex eo fit, ut in vulgus elevetur omnium auctoritas, & multarum eccleſiarum cæteroquin illuſtrium initia Apoſtolica in dubium revocentur. Verum enimvero tanta eſt apud omnes, tamque præclara de antiquitate & præſtantia eccleſiæ Illyricæ opinio, & exiſtimatio, ut eam ortu atque inſtitutione Apoſtolicam eſſe, facile ſibi quiſque perſuadere patiatur; & ſi cuipiam eccleſiæ liceat conſecrare origines ſuas, atque ad Apoſtolos referre auctores, id certe omnium conceſſu eccleſiæ Illyricę permitti poſſe ac debere exiſtimo.

Eccleſiam Illyricam conditam eſſe ab Apoſtolis admodum veriſimile eſt.

Cum Apoſtoli, eorumque Diſcipuli ab Oriente in Occaſum longe lateque Evangelium propagaverint, an eſt credibile regiones intermedias Illyrici, quas ſæpe ultro citroque peragrarint neceſſe eſt, uſque adeo ab illis & neglectas & contemptas fuiſſe, ut nullam in iis verbi divini ſementem fecerint, nihilque Apoſtolicæ curæ induſtriæque ad eas Chriſtianis præceptis excolendas contulerint? Ut de reliquis Illyricis eccleſiis nunc taceam, certe quidem Dalmaticæ Eccleſiæ, quæ vel antiquitate, vel dignitate, cum nobiliſſimis quibuſque haud immerito conferri poteſt, fundamenta jecit B. Titus Diſcipulus D. Pauli, ut altera ad Timotheum Paulina epiſtola aperte ac perſpicue declarat; Salonitanam vero eccleſiam a S. Domnio Petri Apoſtolorum Principis Diſcipulo & conditam & adminiſtratam fuiſſe, tum vetera monumenta, tum Auctores ſane locupletiſſimi teſtantur. Porro ad inveſtigandas origines eccleſiæ Illyricæ, nolim mihi omnem conjecturarum uſum interdici; quibus in hujuſmodi rerum vetuſtate & obſcuritate obſitarum inveſtigatione locum eſſe poſſe ac debere graviſſimi quique ſcriptores exiſtimarunt; *Ecquis enim*, ut præclare admonet Auctor Germaniæ ſacræ tom. 1. *adeo duras Hiſtoriographo ſcribet leges, ut omnia, quæ de antiquis tradunt, indubitatis monumentis adſtrui velit? Multarum rerum ſapiens conjectura eſt, & recte*

Ad inveſtigandas antiquitates eccleſiaſticas prudentibus conjecturis uti licet.

relibe de vetuſtate, quæ nobis teſtes invidit, argumentis aliunde quæſitis, ultio ſumitur. Nam etiam conjecturæ, modo ad id, quod quæritur, aptæ ſint, & idoneæ, lucis aliquid præferunt ad veritatem indagandam, & cui veri inveniendi cupiditas ineſt, hunc veri exquirendi vias omnes rationeſque tentare oportet; ſunt enim conjecturæ quædam quaſi veritatis indicia & veſtigia, quæ cum perſequimur, ſi minus veritatem ipſam aſſequi liceat, tamen ejus conſequendæ conatus in laude ponitur; & quam poſſit proxime ad id, quod verum eſt, accedere utile in primis & præclarum eſſe exiſtimatur. In hac originum & antiquitatum Eccleſiaſticarum diſquiſitione, omnia, quæ in rem noſtram eſſe videbuntur, in medium afferemus. Erunt fortaſſe aliqua, quæ hujus præſertim ſæculi Ariſtarchi luce ac litteris indigna eſſe cenſebunt; ſed quæ vel in noſtris ſchedulis ſcripta invenimus, vel ab aliis tradita ſunt, ita exponimus, ut ea prudentum Lectorum judicio ſubjecta eſſe velimus, & nullam rebus falſis & commentitiis fidem & auctoritatem adjungere velle videamur. Quin immo, cum in rebus dubiis, obſcuris, opinabilibus verſari ſæpe oportebit; teſtificor, denuncio, ante prædico, non ita me res hujuſcemodi allaturum, certa ut eſſe velim, & fixa quæ dixero; ſed nihil affirmando, exponam, quæ mihi videbuntur probabilia, dubitans, & plerumque mihi ipſe diffidens; neque committam, ut rebus incertis plus fidei tribuere videar, quam quantum eæ, quibus nituntur, rationes & conjecturæ poſtulabunt.

§. I.

An D. Petrus Illyricum & Dalmatiam adierit.

Triplex Petri ad urbem adventus.

D. Petrus Princeps Apoſtolorum ter Romam venit; primum anno ſecundo Claudii Imperatoris, iterum anno primo poſt interitum ejuſdem Claudii, demum anno proximo ante ſuum in urbe martyrium. Hanc triplicem Petri Romanam profectionem idoneis argumentis & auctoritatibus deinceps probare lectoribus, & perſuadere conabimur. Ego vero ſic exiſtimo vix dubitari poſſe, quin Petrus aliquando, ſive Romam proficiſcens, ſive inde in Orientem regrediens, ex itinere Illyricum & Dalmatiam adierit, iiſque gentibus aliquid lucis Evangelicæ impertierit.

Petrus Romam profectus Aſiam peragravit.

De primo Petri in urbem adventu, cum ſedem Pontificiam ibidem locavit, convenit inter omnes Catholicos, ne ipſis quidem Heterodoxis diſſentientibus, ſi paucos quoſdam excipias duri ac perfricti oris, & bene ac naviter impudentes, qui negant Petrum Romam umquam vidiſſe. Petrus igitur divinitus Herodiana cuſtodia elapſus, altero Claudii Imperatoris anno, ut poſtea declarandum erit, Romam Deo duce atque auſpice venit, ibique Chriſti Vicario, & ſupremo totius Chriſtiani Orbis Hierarchæ æternam poſuit ſedem. Jam vero e Palæſtina digreſſus, antequam Romam veniret, Aſiam fere omnem Apoſtolica circuitione peragravit, ſive ut populis illis Evangelii lumen afferret, eccleſiæque Aſiaticæ fundamenta jaceret; ſive ut Judæos ad Chriſtum converſos, quos patria profugos Judaicæ perſecutionis turbo per Aſiæ civitates diſperſerat, inviſeret, ſolaret, & ad omne Chriſtiani officii munus inſtrueret. Nam ante Petrum Aſiæ provinciis, quam Romæ Italiæque, Chriſti nomen & cultum intuliſſe S. Leo auctor optimus tradit Serm. 1. in Natal. Apoſt. *Jam populos, qui ex circumciſione credideras, erudieras, jam Antiochenam Eccleſiam, ubi primum Chriſtiani nominis dignitas orta eſt, fundaveras; jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras; nec aut dubius de proventu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas* &c. Idem confirmat prima S. Petri epiſtola Romæ ſcripta, non ſolum *electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Aſiæ & Bithyniæ*, id quod titulus docet; ſed etiam *ſecundario*, ut ait Cornelius a Lapide, *& conſequenter Chriſtianis e gentiliſmo converſis*; quam quidem epiſtolam ſub primum Petri in urbem adventum datam fuiſſe idem Cornelius, & Baronius, & cæteri fere omnes conſentiunt. Erat autem conſuetudo Apoſtolorum, ut ad populos, quos erudierant, ſtatim atque ab eis diſceſſiſſent, & quam primum poſſent, litteras Apoſtolicas darent; & quæ voce illis tradiderant, eadem ſcriptis conſignata mittebant; ne præcepta ac myſteria, de quibus edocti fuerant, ex illorum animis exciderent, ſed altius ac tenacius in eorum mente defixa, nulla poſſent oblivione deleri: quod inſtitutum ſane præclarum fere ſemper retentum a Paullo Apoſtolo, ac ſervatum fuiſſe aliis locis oſtendimus. Si autem Petrus ſimul atque in urbem venit, Romanamque eccleſiam fundavit, nihil habuit antiquius, quam ut litteras ſanctiſſimis præceptis ſententiiſque plenas ad Chriſtianos Aſiæ perſcriberet; id ſane argumento eſt, Petrum apud populos illos paullo ante diverſatum eſſe, iiſdemque ſalutarem Chriſti doctrinam tradidiſſe, quam ut memoria cuſtodirent, litteris commendatam ad eos mittebat. Cæterum de Aſiatica Petri peragratione ſuſcepta, cum iter Romam intenderet, ſcriptores plerique conſentiunt; omnemque dubitationem, ſi qua eſſe poſſet, omnino diſcutiunt Acta S. Baſilii Epiſcopi Amaſeæ Ponticæ apud Hagiologos Antuerpienſes, in quibus hæc ſcripta invenio tom. 3. die 26. Aprilis: *Haud procul a radiis Petri conſedit Amaſea Pontica, urbs antiquiſſima & illuſtris, quæ multos productura erat fructus, gratia Chriſti mundum excolente. Illuſtrarunt igitur radii Petri Amaſeam, & primum quidem obſcurius, ſplendidius vero, quando in Italiam & Romam expeditionem faciebat; iter etenim uti conveniebat per eam dirigebat, & ideo locus in Amaſea hactenus Cathedra Apoſtolorum nominatur.*

Prima Petri ad Aſianos epiſtola Romæ ſcripta.

Amaſeam Ponticam Petrus adiit, docuitque ex itinere Romam ſuſcepto.

Jam vero ex Aſia duo ferme itinera trita erant in Italiam; alterum maritimum, alterum terreſtre. Exiſtimo autem Apoſtolos ita peregrinationes ſuas inſtituiſſe, ut quatenus liceret, & niſi aliqua cauſa gravior obſtaret, terreſtri potius itinere, quam maritimo uterentur; ſive quod ex more inſtitutoque Apoſtolico maxime videretur eſſe, pauperum peregrinorum ritu regiones pedibus obire; ſive quod iter pedeſtre illud commodi præbebat hominibus Chriſtianæ religionis late vulgandæ mire cupidis, ut cum ad eas, quæ ſibi obtigerant, provincias commigrarent, populis omnibus, per quorum regiones tranſeundum eſſet, divinæ fidei elementa tradere poſſent, & quacumque incederent, Evangelii ſemina diſpergere. Itaque Petrus ex Bithynia Propontidem tranſvectus Thraciam & Macedoniam, Mæſiam & Pannoniam inferiorem Evangelium ubique diſſeminando peragravit; & Dalmatiam quoque ex proxima Pannonia, vel Dardania adiiſſe veriſimile eſt; inde vero in Italiam trajeciſſe. Hanc viam rationemque profectionis Romanæ inſtitutam a Petro,

Petrus ex Aſia tranſvectus in Thraciam per Illyricas regiones in Italiam contendit.

Petro, atque initam fuiſſe, ex eo intelligi poteſt, quod populi fere omnes, qui oræ Adriaticæ tractum incolunt, ab Occaſu Dalmatiæ obverſum, Ravennates ſcilicet, Fanenſes, Anconitani, Barienſes, Tarentini, aliique, eccleſiarum ſuarum initia jam inde a principio Chriſtiani nominis repetunt, & Chriſtianæ religionis inſtitutionem ac diſciplinam ab ipſomet Apoſtolorum Principe ſe primitus accepiſſe ex majorum ſuorum traditione conſtanter aſſeverant. Non aliunde vero ad eas civitates Petrum appuliſſe, quam ex Dalmatia, ex eo conjici velim, quod Petro ex Aſia per eas, quas dixi, regiones Romam proficiſcenti minime devium erat, & ſatis opportunum per Dalmatiam iter, unde ſcilicet brevis æque faciliſque in Italiam eſſet trajectus; ex quo enim univerſa Dalmatia in Romanorum poteſtatem conceſſerat, aſſiduum Dalmatis erat cum Italis commercium, & frequens ultro citroque navigatio. Quod conjectura ſuadet, idem Fanenſes & Anconitani confirmant, qui cum de adventu Petri, ejuſque apud ſe commoratione gloriantur, illud quoque aſſerunt ſe illum e Dalmatia venientem excepiſſe. Auctor Codicis manuſcripti, cui titulus eſt Monumenta Urbis Fani, extabatque penes Abbatem de Federicis virum eximiæ doctrinæ ac religionis, & Presbyterum e laudatiſſima Congregatione S. Philippi Nerii, teſtatur pag. 79. in optimis codicibus ſcriptum eſſe, *S. Petrum e Dalmatia Fanum advenisse, ibique primum, quamvis tenue Christianæ fidei lumen reliquisse*. Idem docet Comes Landus Ferretius, qui de rebus Anconitanis duodecim libros Italicos manuſcriptos reliquit, eorumque duo exemplaria vidimus; alterum Romæ in Bibliotheca Vaticana; alterum Anconæ in Bibliotheca nobiliſſimæ gentis Gualdæ de Tancredis: *S. Petrus Princeps Apostolorum, in Italiam cum veniret, ac præsertim e Dalmatia transvectus esset Anconam, in hac urbe aliquot dies commoratus est*. Extat apud Aloyſium Lippomanum, Laurentium Surium, & Hagiologos Antuerpienſes *Commentarius de SS. Petro & Paulo*, cujus Auctor incertus eſt, quamvis nomen præferat Simeonis Metaphraſtæ, ex eorum falſa opinione, *qui Vitas Sanctorum*, ut præclare admonuit Leo Allatius de Simeon. ſcriptis, *quæ auctorem sibi præfixum non præferant, omnes non sine erroris atque insciitiæ nota, Simeoni vindicant, quæ vere Simeonis non sunt*. In eo autem Commentario Petrus ex Aſia in Macedoniam, hinc Corinthum, inde in Siciliam, ac demum Romam veniſſe dicitur. Sed ratio itineris Romani ab hoc auctore deſcripta, & totius narrationis ſeries minorem, quam oporteret, fidem habet apud cordatos ſcriptores, propterea quod neque carere aliquibus mendis, & multis anachroniſmis referta eſſe videatur; hanc enim cenſuram hiſce Commentariis inflixit Baronius tom. 1. ad an. 44. *Quod vero ad rei gestæ historiam pertinet, quibus itineribus, quibusve sociis comitatus Petrus Romam advenerit, neminem, qui describat, invenimus præter unum Metaphrastem, qui Petri iter Antiochia Romam relegens, ordinatas etiam ab eo ecclesias in via summatim recensuit. Sed quod certo auctore ea scripta careant, & in multis fide vacillent, haud in omnibus probantur, ut cum ait ante discessionem Antiochia altercatum esse cum eo Paulum, tunc-que contigisse, quod idem Paulus scribit ad Galatas; sed eas dissensiones longe post hæc tempora factas suo loco dicemus*. Neque aliter, ac Baronius, de hoc Commentario cenſuit Godefridus Henſchenius Tom. 5. die 29. Jun. qui eum idcirco a Metaphraſte abjudicandum cenſet, quod ejus Auctor, quicumque fuerit, cum quædam alia peccat, tum rerum ac temporum ordines perturbat: *Quia vero Auctor dicti Commentarii præfatur, se ex variis collegisse, quæ de SS. Petro & Paullo dicit, atque interim diversis temporibus acta parum congrue in unum idemque tempus compingit, ideo, & propter alia σφάλματα ab eodem commissa, arbitramur potius alium fuisse a Metaphraste*. Nemo autem non videt hujuſmodi Commentarios nullo loco habendos eſſe, ubi cum antiquiſſimis multarum eccleſiarum traditionibus pugnant, quibus major profecto, quam Scriptori Anonymo & incerto, fides atque auctoritas eſt tribuenda. Non hæc eo dico, quo fidem omnem huic hiſtoriæ derogandam cenſeam; ſi enim pauca quædam excipias, quæ merito in dubium vocari queant, totius narrationis fides ac veritas conſtat; quippe ejus Auctor profitetur, ſe ex aliis, & quidem, ut opinari fas eſt, idoneis ſcriptoribus collegiſſe omnia, quæ de Sanctis Apoſtolis in ſuos commentarios retulit; & ſane quæ decerpſit ex Evangeliis vel Actis Apoſtolorum cum ſacris Literis optime cohærent; atque hæc potiſſimum cauſa Henſchenium impulit, ut cæteris omnibus, quæ de Petro ac Paullo extant, hiſtoriis antiquis hanc unam præferret: *damus tamen ipsa* (ideſt commentaria), *quia varia a S. Petro in Asia & Syria peracta tradit, quantum conjicere licet, ex variarum ecclesiarum traditionibus collecta; & Actorum S. Paulli compendium ex Actis Apostolorum, satis concinnum exhibet*. Id unum præcipue huic ſcriptori vitio datur, quod res geſtas præpoſteris temporibus, & perturbato ordine narraverit, & quæ in plures annos digeri diſtribuique oportebat, ea in unum idemque tempus congeſſerit; quæ quidem ordinis ac temporum confuſio rerum ſummæ fidem non adimit. Quocirca nemo, opinor, nobis vitio verterit, ſi quidpiam ex hoc Commentario ad explicandas illuſtrandaſque origines eccleſiæ Illyricæ derivabimus.

Commentarius de Apoſtolis Metaphraſte falſo adſcriptus.

Ad rem hujus loci quod attinet, non ſi auctor ille Macedoniam, Achajam, & Siciliam, ex itinere Romano Petrum adiiſſe affirmat, continuo negat alias ab eo regiones eodem tempore peragratas fuiſſe; nam neque illud commemorat, Petrum appuliſſe ad littus Campaniæ, & Aſprenatem primum Epiſcopum Neapolitanis præfeciſſe, quod ſcriptores præclari & nobiles tradunt, & veteres illius eccleſiæ Tabulæ confirmant. Potuit igitur Petrus e Macedonia in Meſſiam tranſire, inde progredi in Pannoniam inferiorem, tum in Dalmatiam, ex qua Ravennam aut Fanum trajecerit; & omnem oram illam maritimam cum objiſſet, fretum tranſmittens adiit Siciliam, in qua cum duos Epiſcopos Martianum Syracuſis, Pancratium Tauromenii conſtituiſſet, revectus in Italiam, Evangelica excurſione oram inferi maris luſtravit, & Aſprenate Epiſcopo Neapolitanis relicto, Romam tandem pervenit. Ad hunc fere modum utramque Italiæ oram Petrum circumjiſſe docuit Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus: *maritimo itinere D. Petrus Ancona, aut alio e littore Adriatici solvens, Neapolim pervenit*. Ita ſalva auctoritate illius Commentarii ſæpe laudati, ſua etiam fides & auctoritas conſtat traditionibus & hiſtoriis eccleſiarum littoris Italici Adriatici, quæ a Petro Apoſtolorum Principe ſuæ ad Chriſtum converſionis primordia repetunt. Quod autem in eo Commentario ſcriptum eſt, Petrum, antequam navigaret in Siciliam, veniſſe Corinthum,

Deſcriptio itineris Romani, locis intermediis adjectis, quæ in eo Commentario prætermiſſa ſunt.

Digitized by Google

Adventus Corinthiacus Petri ad postremam Romanam profectionem referendus.

thum, ubi *Magnus Paulus* propediem affuturus credebatur; id referendum censeo ad postremam Petri Romanam profectionem, cum scilicet, teste Dionysio Corinthiorum Episcopo, in eam urbem e regionibus diversis Petrus & Paullus convenerunt, indeque Romam proficisci maturarunt, ut Christianis Neronis tyrannide oppressis solatium ac præsidium afferrent; solenne quippe huic auctori est, ea simul conjungere, quæ plurium annorum intervallo disjunguntur.

Ex Petri adventu & prædicatione Evangelica, Pannonia quidem plurimum,

Quid vero fructus utilitatisque ex hac prima Illyrica peragratione Petrus perceperit, quantum Evangelio in iis regionibus disseminando profecerit, & quam multas gentes ad Christi Ecclesiam aggregaverit, neque litteris, neque memoriæ proditum est. In Pannonia inferiore, multis incolarum ad Christi fidem perductis, rem bene gessisse illud argumento esse potest, quod Christiana religio ibidem ab eo consita brevi usque eo adolevit, tamque uberes fœtus edidit, ut e Pannoniis ad Christum adjunctis intra paucos annos justæ magnitudinis ecclesia extiterit, cui Petrus ex Italia in Palæstinam regrediens Episcopum præficiendum censuit. Neque inutilem Evangelio operam cum in aliis Illyricis provinciis, tum etiam in Dalmatia Petrus navasse credendus est; & quacumque iter habuit, complures ubique ad Christum aggregavit. Cæterum quo minus res Christiana in Dalmatia prosperos illos, quos alibi habuerat, progressus faceret, fortasse impedimentum aliquod moramque attulit seditio quædam militaris, si per id temporis exorta fuit, aut nondum sedata erat, cum Petrus illac transiit. Reperit enim regionem omnem sollicitam expectatione, suspensam metu bellorum civilium, quæ aures animosque incolarum, alio aversos, Evangelicæ prædicationi obstruxerant. Nam anno secundo Claudii Imperatoris, ut auctor est Dio Cassius, Furius Camillus Scribonianus Præses seu Legatus Dalmatiæ, legiones Romanas, quæ tum erant in Dalmatia, partim odio in Claudium, partim promissis ingentibus sollicitatas ad defectionem compulerat; ac nihil propius factum est, quam ut Imperii Romani in duas partes distractio sequeretur, ac civile bellum exardesceret. Sed hujusmodi seditio, cum intra quintum diem, teste Svetonio, sedata fuerit, haud sane omnem sive Petro facultatem divulgandi, sive Dalmatis opportunitatem audiendi excipiendique Evangelii ademit; neque efficere potuit, ut Petrum operæ tuæ Apostolicæ apud Dalmatas positæ pœniteret. Miro quodam modo ac plane prodigioso rebellionem illam ex nec opinato extinctam fuisse Dio & Svetonius tradunt; cum enim signa militaria, quamvis vi omni conatuque adhibito, loco tamen moveri nequirent; eo portento milites absterritos ad fidem & obsequium rediisse ajunt: *Camillo Scriboniano Præfecto Dalmatiæ adversus Claudium rebellante*, inquit Dio lib. 60. *& milites ad defectionem sollicitante, ipsa signa militaria Aquilæ dicta sic solo affixa manserunt, ut nulla vi militum dimoveri loco possent. Quo prodigio immutatus militum animus in auctorem seditionis arma convertit; sicque ingens bellum civile excitatum, ex insperato divinitus fuit sedatum.* Eadem ferme narrat Svetonius lib. 5. *Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ Legatus; verum intra quintum diem oppressus est, Legionibus, quæ Sacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis, postquam denunciato ad novum Imperatorem itinere, cæsis quibusdam, an divinitus, neque aquila ornari, neque signa convelli moverique potuerunt.* Paullus Orosius lib. 7. cap. 6. hanc militarem seditionem, quæ haud dubie ad bellum civile spectabat, præter morem præterque naturam, evidenti miraculo restinctam, inter illa singularia beneficia annumerandam esse existimat, quæ Petri in urbem adventus Romanis divinitus attulit: *Itaque propter adventum Apostoli Petri, & tenera Christianorum germina, vix dum adhuc pauca ad sanctæ fidei professionem erumpentia, hanc exorientem tyrannidem, & consurgens istud civile bellum neget quisquam divinitus fuisse compressum, qui præteritis temporibus de compressione bellorum civilium simile probavit exemplum.* Ego vero insperatam illam atque admirabilem motus militaris sedationem Petri per Dalmatiam transeuntis præsentiæ libentius adscripserim; & illud, quidquid fuit miraculi, Dalmatarum gratia factum esse dixerim, ad quorum salutem utilitatemque potissimum referebatur; hi quippe propius aberant a periculo, in hos præcipue malorum ex eo bello impendentium moles incubuisset.

cæterarum vero regionum Illyrica & Dalmatia etiã aliquid utilitatis reperunt.

Seditio militaris Dalmatica non omnē Evangelio apud Dalmatas aditum obstruxit.

Sed quoniam prima Illyrica Petri peragratio cum prima ejusdem Romana profectione implicita est & cohæret, ab re nostra alienum esse non arbitror illud conari, & efficere, ut quibusdam notis ac vestigiis, quoad licet, annum ipsum perquiram, assequar, ac definiam, quo Petrus Hierosolyma profectus Romam advenit. Itaque annum illum, quo cum primus Petri in urbem adventus colligari debet, tribus hisce notis, sive characteribus præditum esse oportet; ut videlicet sit annus secundus Claudii Imperatoris, ut sit duodecimus a Passione Christi, ut denique componi possit cum quinque illis ac viginti annis, quibus Romanum Petri Pontificatum vulgo definiunt.

Annus, quo Petrus Romam profectus est.

Petrum Romam venisse anno secundo Claudii Imperatoris Eusebius auctor est sane gravissimus, cui Hieronymus & plerique veteres assentiuntur. Anno æræ vulgaris altero & quadragesimo Cajus Caligula extinctus est, Consulibus ipsomet C. Caligula Aug. IV. & Cn. Sentio Saturnino, IX. Kal. Februarias, ut ex Dione & Svetonio colligitur. Postero die Claudius Nero Caligulæ patruus a Prætorianis militibus appellatus Augustus, vel invito Senatu, imperare cœpit. Huic anno initium Claudii Imperatoris nunc omnes Historici, & Chronologi summo consensu affigunt, & Baronium erravisse ostendunt, qui biennio post Cajum interiisse, eique Claudium subrogatum esse scripsit. Eodem anno, ut Petavius censet, vel quod propius vero est, anno proximo, Herodes post cæsum Jacobum, jussit Petrum in carcerem detrudi, unde ab Angelo ereptus est; nihil enim satis causæ afferri posse video, cur & Jacobi martyrium, & Petri vincula vel in annum tertium cum Henschenio, vel in annum quartum cum Baronio, supra quadragesimum æræ vulgaris; conferri debeant. Eusebius quidem lib. 2. cap. 10. scripsit ab Jacobi martyrio, & Hierosolymitana Petri custodia non multum temporis intercessisse, cum Herodes extinctus, ineunte anno æræ vulgaris 44., pœnam suo dignam scelere suscepit, cujus miserandum interitum divinæ ultioni Eusebius adscripsit, quod manus impias & sacrilegas in Apostolos injecerit: *Regis vero facinus in Apostolos perpetratum non patitur dilationem ultionis; sed continuo vindex adest divina dextera &c.* Verum auctoritas Eusebiana non obstitit, quo minus mortem Herodis Petavius triennio,

fuit secundus Claudii Imperatoris.

Hen-

Henſchenius uno fere anno, Baronius vero & alii biennio disjunxerint; hi quippe anno 46. Herodem interiiſſe exiſtimant. Id fortaſſis Euſebium fefellit, quod Lucas Act. 12. poſtquam narraſſet Jacobum Herodis juſſu extinctum, & Petrum Herodianis vinculis ope cœleſti ſolutum, paucis interpoſitis, infelicem horrendumque Herodis exitum ſubjecerit. At Lucas iis prætermiſſis, quæ interea geſta ſunt, cum ad ſuam hiſtoriam non pertinerent, quidquid temporis intermedii effluxit, more hiſtoricorum tranſiliit, ſtylumque convertit ad deſcribendam mortem Herodis, qui Cęſareæ, cum pro concione verba faceret ad populum, qua ſplendore veſtis inſolito, qua adulatione multitudinis Deum ſuccłamantis, ſupra humanum faſtigium elatus, manifeſta ira divini Numinis, fœda vermium tabe conſumptus eſt; poſtquam ſeptem ipſos annos regnaſſet, quatuor ſub Cajo, tres integros ſub Claudio, ut tradit Joſephus lib. 19. cap. 7. Anno itaque ſecundo Claudii, qui fuit quadrageſimus ſecundus æræ vulgaris, Claudio Auguſto II. & L. Licinio Largo Coſſ. Petrus Herodiana cuſtodia divinitus jam elapſus, e Palæſtina diſceſſit, Aſiam atque Illyricum peragravit; & vel eodem anno in exitum vergente, vel proximo ineunte, Claudio Aug. III. & L. Vitellio II. Coſs. Romam pervenit, qua in urbe, die duodevigeſima Januarii, anno 43. Pontificiam poſuit ſedem, cum nondum exactus eſſet annus ſecundus Claudii, qui biennio ante, die 25. Januarii, Imperium capeſſierat. Ita fit, ut Petri e Palæſtina diſceſſus, itemque ejuſdem in urbem adventus cum anno ſecundo Claudii Imperatoris apprime congruat. Cum autem Petri Romam proficiſcentis per Dalmatiam tranſitus inciderit in annum 42., & in alterum Claudii Conſulatum, quem geſſit cum L. Licinio, qui ab aliis Cecinius, ab aliis Cecina dicitur, eo ipſo anno conflata eſt ſeditio Dalmatica auctoribus Furio Camillo Scriboniano Præfecto Dalmatiæ, & Annio Viniciano, quam Dio Caſſius, Svetonius, & Oroſius commemorant, ac divino quodam oſtento ac prodigio ſedatam eſſe affirmant; idque Oroſius ob Petri adventum in urbem, ſingulari Dei beneficio, Romanis conceſſum fuiſſe ait; Dalmatis potius ego dixerim, in quorum perniciem potiſſimum ingruebat illa tempeſtas, quæ, Petro illac tranſeunte, divinitus diſcuſſa eſt.

Anno, quo Petrus e Palæſtina diſceſſit.

Neque deeſt anno ſecundo Claudii, & quadrageſimo ſecundo ęræ vulgaris alter ille chronologicus character, quo diximus inſignitum eſſe debere Petri e Palæſtina diſceſſum. Apollonius Senator Romanus, idemque Martyr egregius, apud Euſebium lib. 5. cap. 8. *ex veterum traditione refert Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra duodecim annos*, poſt mortem ſuam, reditumque ad Cœlum, *Hieroſolymis diſcederent*; ideſt, ut interpretatur Henſchenius in Diatriba præliminari in Veteres Catalogos Rom. Pontif. Tom. I. April. *ne ultra Syriam & vicinas regiones abirent*. Porro annum illum, qui fuit ſecundus Claudii, & quadrageſimus ſecundus æræ Chriſtianæ, ſeu vulgaris, fere duodecimum eſſe a Chriſti obitu, aſcenſuque ad Cœlum, nemo ſibi non facile perſuaderi patietur, qui non ignorat, æram Chriſti proprie dictam ab æra vulgari diſtingui oportere, & aliud hujus, aliud illius exordium eſſe. Conſtat quippe inter omnes annum Chriſti natalitium, ſive huic proximum, unde incipit vera Chriſti epocha, aliquot annis antecedere initium ęrę vulgaris; alii quidem uno anno, alii biennio, alii triennio, alii quadriennio vel etiam quinquennio, ante hanc communem epocham, Chriſtum in lucem editum eſſe exiſtimant. Hinc fit, ut, quot annis ortus Chriſti exordium æræ vulgaris antevertit, totidem annis mors Chriſti & ejus regreſſus ad Patrem, numerum annorum ęrę vulgaris exſuperet. Fac itaque natus fuerit Chriſtus triennio ante annum primum æræ vulgaris, quę inter extremas fera media eſt de Chriſti anno natalitio ſententia; cum igitur anno ætatis trigeſimo quarto mortem ſubierit, & quadrageſimo, quam revixerat, die in Cœlum aſcenderit, ejus mors, reditusque ad cœlum in alterum & trigeſimum ęræ communis annum incurrit; cui quidem anno Chriſti mortem Dionyſius Petavius de Doctr. Temp. lib. 13. illigavit. Ab initio autem menſis Maii, cum Chriſtus in Cœlum reverſus eſt anno 31., ad initium ejuſdem menſis anno 42. æræ vulgaris undecim ipſi anni interceſſerant, cum Petrus menſe Julio Romam cogitans e Palęſtina diſceſſit, inito jam ſcilicet anno duodecimo poſt Chriſti necem, ejuſque in Cœlum e terra migrationem. Neque enim neceſſe eſt completi fuerint anni omnino duodecim, antequam Apoſtoli in eas, quæ cuique obtigerant, provincias digrederentur, ut ſatisfieret Chriſti præcepto, qui vetuerat eos *intra duodecim annos*, ideſt ante annum duodecimum initum, *Hieroſolymis diſcedere*. Hanc vim eſſe iſtius præcepti exiſtimat, hanc eidem interpretationem adhibendam cenſet Godefridus Henſchenius, qui anno quadrageſimo Romanam Petri profectionem affixit, cum in annum undetrigeſimum, Chriſti ex hac vita diſceſſum contulerit. Cæterum Auctor Vitæ S. Clementis, de quo §. 3. annos illos duodecim, intra quos non licebat Apoſtolis e Palæſtina diſcedere, non a Chriſti morte, ſed ab initio Dominicæ Prædicationis numerandos eſſe tradit; quę annos illos computandi ratio ſi cui arrideat, huic licet, ſalvo Chriſti præcepto, Hieroſolymitanum Petri diſceſſum etiam ad ſuperiores annos retrahere, nedum ad annum quadrageſimum ſecundum revocare.

Æra Chriſti ab æra vulgari diſtinguitur.

Tertium chronologicum characteriſmum, quo impreſſam eſſe oportet Romanam Petri profectionem, ejuſmodi eſſe volo, ut hæc cohæreat cum ſententia communi fere omnium antiquorum, qui Romanum Petri Pontificatum annis quinque ac viginti definiunt. Martyrium S. Petri Petavius in annum 67., Baronius in annum 69., alii in annos poſteriores conjiciunt. Sed recentiores Chronologi & hiſtorici præclare docteque animadverterunt Martyrium S. Petri rejici non poſſe infra quintum & ſexageſimum annum æræ vulgaris, ſive quod antiquiſſimus idemque probatiſſimus Catalogus veterum Pontificum Romanorum martyrio Petri adſcribat Nervam & Veſtinum Conſules, qui Conſulatum hoc ipſo anno 65. geſſerunt; ſive quod Nero Imperator ab anno 65. uſque ad poſtremum ſuæ vitæ annum Roma abfuerit, quo regrediens anno 68., cum a Senatu populoque Romano ad necem quæreretur, in ſemet carnificis officium occupavit eodem anno V. Idus Junii; ex quo fit, ut ſi Petrus & Paulus, quos III. Kalendas Julias præclaram pro Chriſto mortem oppetiiſſe conſtans eſt, & communis veterum fere omnium, ac juniorum opinio, interfecti eſſe dicantur poſt annum 65. Nero eorum Martyrio Romæ intereſſe nequiverit, contra quam Acta utriuſque Apoſtoli, & antiqui ſcriptores tradiderunt. Vide Exercitationem IV. Diatribæ Præliminaris Henſchenianæ præfixæ Tom. I. Aprilis. Jm vero ſi Romanæ Petri Cathedræ annos ipſos viginti

Initium Romanæ Cathedræ unde ſit deſumendum.

viginti quinque attribui oportet, ne uno quidem detracto menſe, exordium horum annorum deſumi nequit ab die duodevigeſimo Menſis Januarii, quo die Petrus ſedem Pontificiam Romæ conſtituiſſe dicitur. Nam ſi hæc ratio Pontificalium annorum computandorum ineunda ſit, neque Baronius, qui Petri Pontificatum Romanum ab anno 45. ad annum 69., neque Henſchenius, qui cum diviſionem Apoſtolicam, & Petri e Palæſtina diſceſſum in annum 40. conjecerit, neceſſe eſt rejiciat in annum proximum inſtitutionem ſedis Romanæ, ſi quidem hæc affigenda eſt ad diem duodevigeſimam Januarii, Petro Pontifici Romano quinque & viginti ſolidos annos integroſque tribuerint; nam ab Januarii die duodevigeſima anni ſive 41., ſive 45. ad diem undetrigeſimam Junii anni ſive 65., ſive 69., anni non amplius viginti quatuor, menſes quinque, dies undecim numerantur; cum Catalogi omnes librique Pontificales doceant, Petrum eccleſiæ Romanæ præfuiſſe annos ipſos viginti quinque, quibus alii unum menſem, & dies novem, alii duos menſes & dies tres vel quatuor adjiciunt. Quare Conradus Janningus, qui Tom. 5. die 29. Junii Chronologiam Henſchenianam diligenter explicat, illuſtratque, opportune docet Pontificatum Romanum Petri non ab eo anno, quo ſedem Pontificiam Romæ conſtituit, ſed ab eo anno initium duxiſſe, quo ſedem Antiochenam Evodio traditam reliquit: *Profecto mox Antiochia Petro, poſtquam illic pro ſe conſtituerat Evodium Epiſcopum, recte numerari cœperunt anni ſedis Romanæ, ad quam tendebat; ſive recta Romam tetendevit Petrus, ſive per viam aliis quoque nationibus Chriſtum annuncians, eo primum pervenerit anno ſecundo Claudii, quadrageſimo ſecundo Chriſti, qua Euſebii, & Hieronymi doctrina eſt. Certe a dimiſſa ſede Antiochena, & Apoſtolorum diviſione ad annum Chriſti 65., Neronis 11. nandum finitum, quo martyrium ſubjiſſe ſuſtinemus, fluxerunt anni 25. integri, quot huic attribuuntur ſedis Romanæ, poſt Euſebium ac Hieronymum, communi fere conſenſu ab omnibus.* Hæc ad noſtram chronologiam illuſtrandam & confirmandam referas velim. Confer igitur cum Henſchenio abdicationem ſedis Antiochenæ in annum quadrageſimum æræ vulgaris; nihil enim vetat initium ejuſdem revocare ad annum trigeſimum tertium vel quartum; quam aut ſeptem ipſos annos, aut fere ſeptem, uſque ad dimidium anni quadrageſimi tenuerit. Itaque Petrus poſt dimiſſum Antiochenum Epiſcopatum, ſtatim jus, ac dignitatem ſummi & œcumenici Pontificatus Romam tranſtulit, urbique illi omnium gentium Dominæ ſedem ſuam Pontificiam totius Chriſtiani orbis principem addixit; propterea que tum eſſe cœpit, dicique potuit Pontifex Romanus, quamvis, niſi poſt biennium, Romam non adierit. Nam etiam eccleſiam Antiochenam, ut Baronius ad an. Ch. 39. num. 16. docte ac ſapienter admonuit, abſens fundavit, & antequam ad urbem illam ſe conferret, dictus eſt habituſque Epiſcopus Antiochenus: *Sed & illud exactius*, inquit Baronius, *perquiramus, quod maxime omnium ad hujus hiſtoriæ veritatem intelligendam conferre poſſe videtur: quidnam proprie ſit, quod dicitur Petrus fundaſſe Antiochenam eccleſiam, in eaque annis ſeptem ſediſſe. Errant mea ſententia, qui exiſtimarunt ad hoc opus fuiſſe, ut Petrus petierit Antiochiam, & ibi jugiter permanſerit annis ſeptem. Nam ſi præſentia Petri quamlibet eccleſiam primariam effeciſſet, tot eſſent numerandæ ſedes Patriarchales, quot a Petro fuerunt inſtitutæ eccleſiæ: fuiſſe namque earum immenſum plane numerum, nemo puto inficias ierit. Cum vero ex adverſo ſedes Alexandrina, in qua aliquando fuiſſe Petrum certa aliqua aſſertione demonſtrari non poteſt, poſt Romanam ſedem omnium maxima, ab eo fuerit inſtituta; plane perſpicue intelligi poſſe videtur, non præſentiam Petri, ſed ejus potiſſimum requiſitam eſſe auctoritatem ad conſtituendam ſedem aliquam Patriarchalem . . . . Sed accipiendum eſt, ſic a Petro fundatam dici eccleſiam Antiochenam, quod ſcilicet illi a Petro præcipua dignitas ſit collata, ut Orientalium Sedium maxima diceretur, & eſſet . . . . . Quamobrem ut a Petro peculiariter dici poſſit, (quod tradunt omnes) fundatam eſſe eccleſiam Antiochenam; dicendum eſt, Petrum primo erexiſſe, ſeu inſtituiſſe ſedem Patriarchalem Antiochenam: ad quod agendum (ſi velimus hoc dicere) nulla profecto incubuit neceſſitas, ut Petrus abierit Antiochiam; cum ubicumque ageret, id ſua, qua pollebat, auctoritate præſtare potuiſſet.* Fac igitur Petrus dimiſerit ſedem Antiochenam menſe Majo, anno quadrageſimo; tum primatu œcumenico, quem a Chriſto acceperat, Romam tranſlato, eſſe cœpit, haberique Pontifex Romanus, ex eoque tempore ſui Pontificatus Romani annos numerare debuit; quamvis aliud ex alio Romanam profectionem impedierit, atque in annum uſque quadrageſimum ſecundum diſtulerit. A menſe autem Majo anni quadrageſimi, cum Romani Pontificis nomen ſumpſit, uſque ad annum 65., diemque undetrigeſimum Junii menſis, cum martyrio perfunctus eſt, anni omnino quinque & viginti numerantur, & præterea unum alterumve menſem, quem eidem Catalogi adſcribunt. Itaque, ut quæ fuſe hactenus dicta ſunt, in pauca conferam: Si Petrus e Palæſtina diſceſſit anno æræ vulgaris 42., eodemque anno, vel proximo ineunte, Romam pervenit; ejus tum diſceſſus Hieroſolymitanus, tum Romanus adventus, & congruit cum anno ſecundo Claudii, & annis fere duodecim a Paſſione vel Aſcenſione Dominica disjungitur, & optime cohæret cum ſententia communi, quæ Romanæ Petri cathedræ quinque ipſos & viginti annos attribuit; id quod hoc loco demonſtrandum erat. Quod ſi Petri vitam, poſt Chriſti obitum regreſſumque ad ſuperos, perducere velis uſque ad annum trigeſimum ſeptimum, quæ fuit Hieronymi & aliorum ſententia; Chriſti Paſſionem conferas, per me licet, cum Henſchenio in annum 39. æræ vulgaris, ejuſdemque ortum biennio anticipes oportet; vel Petri Martyrium cum Tillemontio rejicias in annum 66.; quo quidem anno potuit Nero eſſe in urbe die undetrigeſima Junii, & Apoſtolorum Principes ab ſe capite damnatos, alterum in cruce ſuffigi, alterum gladio cædi jubere. Nam tradunt quidem Dio Caſſius, & Joannes Xiphilinus Neronem C. Svetonio, & L. Teleſino Coſs., ideſt anno 66., Roma in Achajam profectum fuiſſe, unde in urbem regrediens anno 68., deſtitutus ab omnibus, & ad ſupplicium quæſitus ſeipſum interemit v. Idus Junii; ſed ſalva utriuſque ſcriptoris auctoritate Neronis ex urbe in Achajam diſceſſus ultra menſem Junium, atque adeo uſque ad menſes extremos anni 66. differri poteſt. Ita fit, ut, utramlibet ſententiam ſequaris, annos habeas fere ſeptem ac triginta, quos Petro poſt Chriſti paſſionem vivo ac ſuperſtiti attribuas.

A dimiſſa ſede Antiochena, Petrus eſſe cepit Pontifex Romanus.

Petrus abſens eccleſiam Romani, ut etiam Antiochenam fundavit.

Cæterum quæ de anno primi in urbem adventus Petri diſſerendo & conjectando ſcripſi, ea cujuſdam potius exercitationis, quam neceſſitatis cauſa, ſcripta eſſe exiſtimes; quocumque enim anno

Qua ratione cum noſtra ſententia cõponi poſſint anni 37., quos Petrus vixiſſe dicitur poſt paſſionem Chriſti.

Petrus

Digitized by Google

Auctor in re chronologica nullius sententiæ adstringi vult.

Petrus Romam adierit, nihil mea interest; modo illud, quod volebam, probabile effecerim, Petrum ex itinere Romano Illyricum atque Dalmatiam, Evangelio ubique disseminando, peragrasse. Nec vero hisce meis chronologicis calculis de prima profectione Romana S. Petri tantum tribuo, ut ad hanc normam & regulam cæterarum rerum atque itinerum Apostolicorum seriem exigendi vel cuipiam auctor esse, vel mihi necessitatem imponere voluerim. Non enim aut nostris aut alienis hujusmodi ratiociniis sic adstringi volumus; ut etiam, si qua illis consequentia sint, quæ non probemus, ea vel aliis suadere velimus, vel constantiæ causa defendere cogamur. Plerumque igitur, cum de anno, cui res quæpiam ætatis Apostolicæ alliganda sit, est inter scriptores controversia, quam dirimere nihil ad nos attinet; neque nostram sententiam interponimus, & per nos licet, ut quam velit quisque, opinionem sequatur. Si quando vero instituti nostri ratio postulat, ut aliqua epocha nobis definienda & stabilienda sit, de qua Chronologi inter se discrepant, Chronologiæ Baronianæ vestigiis, quatenus licuerit, insistere conabimur.

Si qua vero epocha sit definienda, Baronium maxime sequi, quoad licet.

Petrus igitur menses circiter septem in Asiaticis, Illyricis, & maritimis Italiæ civitatibus lustrandis, & circumferendo Evangelio absumpserat, cum Romam pervenit anno secundo Claudii, ærę vulgaris quadragesimo secundo in exitum vergente, & anno proximo, xv. Kal. Februarias, in ea urbe omnium gentium ac terrarum Domina, futuraque totius Orbis Christiani principe, sedem Pontificiam constituit Claud. Imp. III. & L. Vitellio II. Cos. Godefridus Hepschenius, Petrum biennio apud Romanos commoratum esse existimat; cum enim Romanam Petri profectionem Herodianis ejusdem vinculis antepoluerit, necesse habuit citius, quam oportuit, Petrum ex urbe Hierosolymas revocare, ubi eum Herodes Agrippa post cæsum Jacobum, in carcerem detrudi jussit. At nobis necesse non est in tantas angustias, uniusque biennii curriculum cogere Romanam Petri commorationem, quam cum Baronio, Petavio, aliisque Scriptoribus producamus licet usque ad nonum Claudii annum; quod quidem tempus partim ad stabiliendam augendamque Romanam Ecclesiam, partim ad varias urbes Italiæ Apostolicis circuitionibus peragrandas contulit. Erat igitur annus Claudii nonus, ærę vulgaris 49. cum Claudius edicto sanxit, ne manerent in urbe Judæi; quo Claudiano edicto, an etiam Christianis urbe interdictum fuerit, aliqui dubitant, sed plerique affirmant, & utrosque Roma pellendi eam causam fuisse ajunt; quod Christianos inter Judæosque de religione assiduæ fervebant, acerrimæque contentiones, quæ publicæ tranquillitati perturbationem afferre, atque ad seditionem ac tumultum spectare videbantur; suæque opinionis auctorem ac testem citant Svetonium lib. 5. *Claudius*, inquit, *Judæos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma expulit*. Quemadmodum igitur ob edictum Claudii Aquila genere quidem Judæus, sed religione Christianus cum Priscilla uxore Roma Corinthum emigravit, ut docet S. Lucas Act. 18. ita eamdem ob causam Petrus, cum aliis ex Judaica superstitione ad Christum conversis, ex urbe discessit. Illud extra controversiam est Petrum hoc eodem anno Hierosolymis præfuisse Concilio Apostolico, in quo decretum est Gentibus in Ecclesiæ signum receptis nullam aut circumcisionis subeundæ, aut Mosaicæ legis observandæ necessitatem imponendam esse. Cæsar Cardinalis Baronius, ut initia Claudii Imperatoris ad annum 43. sic ejusdem contra Judæos edictum, & Concilium Hierosolymitanum ad 51. ærę vulgaris annum rejecit. Cum itaque dubitari nequeat, quin Petrus post fundatam Romanam Ecclesiam in Orientem redierit, eum eadem, qua in Italiam venerat, via in Palæstinam regressum fuisse arbitror, easdemque redeundo peragrasse provincias Illyrici, quas Romam veniens obierat. Nam Roma profectus adiit Ravennam, unde paucis post diebus discessit, assumpto itineris Hierosolymitani comite Apollinari, quem haud multis annis ejus urbis Episcopum creaverat. Hujusce rei auctorem gravissimum habemus Hieronymum de Rubeis, qui de Petri in Palæstinam reditu hæc scripsit in hist. Rav. *Octavus cum ab erecta Romana Cathedra delaberetur annus, Petrus ab edicto Claudii Roma cum universis Judæis ejectus, Ravennam appulit; indeque in itineris comitem assumpto B. Apollinari, quem non pridem urbi illi primum Episcopum dederat, Hierosolymitanum iter aggressus est*. Idem confirmat Sigismundus Marchesius in historia urbis Forolivii pag. 64. ac testem citat Simeonem Metaphrastem, aliosque graves Auctores, quorum tamen neminem nominat. Erat ea tempestate portus Ravennæ celeberrimus, & plenissimus navium, in quo classem Ravennatem ad custodiam tutelamque superi maris Augustus excubare perpetuoque consistere jusserat; inde autem & navigia, & onerariæ, sive commercii, sive reipublicæ causa in Dalmatiam assidue commeabant. Quare cum Ravennæ tanta in Dalmatiam trajiciendi commoditas & copia suppeteret, & quæ illinc in Palæstinam erat via, tum expeditior esset ac tutior, quam maritimum iter, propter incertos navigationis eventus, multis impedimentis atque difficultatibus obnoxium, tum vero Apostolorum itineribus trita, populisque ad Christum recenter adjunctis admodum frequens, nihil causæ fuit, cur Petrus mallet perpetua navigatione multis obstaculis implicita ex Italia in Palæstinam transmittere, quam e portu Ravennæ solvere, seque haud faciliori, quam breviori trajectu in Dalmatiam transferre; quo cum appulisset, pedibus iter ingressus, regionem illam, cæteraque ex ordine Illyricas provincias impigre lustrans, & veteres Christianos revisit, & complures incolarum Christianis præceptis ac mysteriis imbutos ad Christi fidem traduxit. Et sane cum Palæstinam repeteret, Sirmium adiit, & cum ecclesiam Pannonicam ingenti Neophitorum numero auctam reperisset, in ea urbe Epęnetum Episcopum creavit, ejusque Ecclesiæ regimini præfecit. Id adeo intelligi licet e Commentario de SS. Apostolis Petro & Paullo, cujus mentionem iterum ac sæpius feci. Sed duo ille Auctor, locis ac temporibus longissime disjuncta, more suo conjunxit; nam & Sirmium Pannoniæ urbem in Hispaniam transtulit, & primum Petri ex urbe discessum a secundo non distinxit: *Cum Romæ non multo tempore permansisset Petrus, & multos sancto baptismate regenerasset, Ecclesiamque constituisset, eique Linum Episcopum præfecisset, Tarracinam proficiscitur. Ubi cum Epaphroditum Episcopum delegisset, Sirmium petiit urbem Hispaniæ, ubi constituto Episcopo Epæneto, Carthaginem urbem Africæ adiit &c.* Ex omnibus, quæ hic narrantur, nihil est, quod fallsitatis arguere possis, præter men-

Romam Petri commoratio, usque ad an. 49. quo Claudius Judæos & Christianos Roma expulit.

Petrus Roma discessit, Ravennamque se contulit.

Ravennæ Dalmatiam trajecit.

Pannoniæ adiit, Epenetum ejus regionis Episcopum constituit.

Censura in Auctorem Commentarii de SS. Apostolis.

dum

Digitized by Google

dum illud Geographicum, cui ſubeſt Sirmium civitas, inde uſque a Pannonia in Hiſpaniam traducta; nec video, quid argumenti afferre queas, quo in dubium revoces itinera Apoſtolica ibidem deſcripta. Sed quæ de Lini Pontificia conſecratione, ac de Petri ex Italia in Hiſpaniam, ac deinde in Africam tranſitu cum primo ejuſdem Apoſtoli in urbem adventu, primoque ex urbe diſceſſu conjuncta ſunt, ea omnia ad ſecundam Petri Romanam profectionem, itemque ad alterum ejuſdem ex urbe abitum diſceſſumque revocari oportet. Nam eodem anno undequinquageſimo, vel altero & quinquageſimo, ut Baronius cenſet, quo Petrus cum Judæis Roma pulſus ex Italia poſt Romanam Eccleſiam conditam diſceſſit, interfuit ac præfuit Concilio Hieroſolymitano, de quo ſupra dictum eſt. Nullum itaque tum illi tempus fuit ac ſpatium Hiſpaniam, Africam, adde etiam Britanniam peragrandi. Quare Auctor illius Commentarii quidquid peccavit, ſalva rerum veritate, perturbatione ordinis ac temporis peccavit. Cum ergo in iis tabulis ac monumentis, ex quibus ſuos Commentarios decerpſit & concinnavit, reperiſſet Petrum aliquando & peragraſſe Hiſpaniam, & Sirmii Epænetum præfeciſſe Epiſcopum, duo hæc, quæ nimium quantum locorum & temporum intervallo diſtant, per inſcitiam, aut incogitantiam & loco & tempore copulavit; & cum Hiſpania antiquitus dicta ſit Spania, vel etiam Pannonia, ut Stephanus apud Ortelium auctor eſt, Pannonia vero noſtra interdum Spannonia; utriuſque vocabuli ambigua ſignificatio Commentarii Auctorem decepit, eique cauſam errandi præbuit, & Sirmii e Pannonia Illyrica in Hiſpaniam transferendi. Ad hunc Commentarii locum Hagiologi Antuerpienſes tom. 5. die 29. Junii hanc notam apponunt: *Sirmium in Pannonia novimus, non item in Hiſpania; Tamajus tamen in ſuo Martyrologio Hiſpanico, die 15. Julii, ubi de S. Epæneto, illud ſe putat inveniſſe ſub nomine Sexifirmium, quod ad dictum diem erit examinandum.* Sed cui notæ non ſunt nugæ atque ineptiæ Pſeudodextri, aliorumque hiſtoricorum, qui ex eadem falſorum codicum officina prodierunt, huic Tamajus verba dederit, iſtaque & alia id genus commenta protruſerit. De Pannonico Epiſcopatu S. Epæneti iterum cap. 2. §. 2. Ergo Petrus relicta Pannonia, Mæſiam, Thraciamque luſtravit; tum in Aſiam trajecit, & ex aliis in alias provincias excurrens, Hieroſolymam pervenit, qua in urbe Concilio Hieroſolymitano præfuit, & primus ſententiam dixit de Gentibus neceſſitate Circumciſionis, & jugo Moſaicæ legis eximendis, cui omnes ad unum aſſenſos fuiſſe declarat S. Lucas, qui deinceps in Actis Apoſtolorum nullam Petri mentionem fecit; nec vero quiſquam eſt auctor ſatis idoneus, ex quo rerum a Petro per annos fere quinque geſtarum uſque ad interitum Claudii, ejuſque itinerum Apoſtolicorum ſeries certo cognoſci poſſit.

Hiſpania dicta Spania interdum & Pannonia.

Anno ærę Chriſtianæ 54. III Id. Octobr. Claudius diem ſuum obiit, ejuſque morte abrogatum eſt edictum, quo Judæos Urbis aditu prohibuerat. Baronius obitum Claudii in annum 56. conjecit. Domitius Nero eodem anno imperare cępit; qui quamdiu Senecæ præceptoris monitis obtemperavit, optimus Princeps habitus eſt; illo ſublato in omnia probra ac dedecora ruit. Atque initio tantum abfuit, ut Chriſtianis quidquam moleſtiæ faceſſeret, ut eorum etiam patrocinium ſuſciperet. Euſebius enim lib. 2. cap. 12. docet *Neronem circa initia Imperii clementius ſe geſſiſſe, & defenſionem pro fide noſtra benigne ſuſcepiſſe.* Itaque & Claudiani interdicti abrogatio, & Neronis propenſa erga Chriſtianos voluntas Petrum Romam excivit, ut Romanos, quos Chriſto genuerat, & Eccleſiam ſuam longo intervallo reviſeret. Quamvis enim edictum Claudii Judæos pariter Chriſtianoſque intra urbem manere vetaret, multos tamen ex utraque gente, clam occulteque Romæ ſubſtitiſſe, & abditis in locis ſuos conventus agere, rebusque divinis operam dare ſolitos fuiſſe exiſtimo, præſertim cives Romanos ad Chriſtum converſos, qui externo habitu oris vultuſque Romani, religionem obtegere, tutiuſque inter populares ſuos verſari poterant, & Claudiano edicto fortaſſis exempti erant, quod iis tantum jus domicilii Romani ademptum eſſet, qui erant genere Judæi, ſeu patrios ritus retinerent, ſeu Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſent. Nec vero dubium eſt, quin Petrus ex urbe diſcedens Romanis Neophitis & Chriſtianæ inſtitutionis capita ſcripto tradita reliquerit, & viros induſtrios atque gnavos præfecerit, qui, ſe abſente, Eccleſiam Romanam adminiſtrarent. Romæ adeundæ poteſtas Chriſtianis promiſcue omnibus facta non Petrum modo, ſed multos e diſcipulis ſive Chriſti, ſive Apoſtolorum in urbem evocavit; qui Apoſtolorum Principi ad Eccleſiam illam omnium matrem ac magiſtram ſtabiliendam & amplificandam certatim ſua ſtudia, ſuamque operam detulerunt, præſertim cum non ignorarent in urbe tam ampla magnum eſſe campum, & ad Evangelium diſſeminandum colendumque induſtriam requiri multorum. Id adeo intelligi poteſt ex epiſtola S. Paulli ad Romanos anno fere ſecundo Neronis ſcripta, in qua ſane multos viros Apoſtolicos nominatim ſalutari juſſit, qui tum Romæ rei Chriſtianæ cauſa verſabantur.

Subito Claudiano edicto Petrus Romam redit.

Claudii interitus & Neronis initium.

Sub initium imperii Neroniani Petrum Romam veniſſe auctor eſt Lactantius de Mort. Perſec. cap. 2. *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit.* Neque illos audiendos cenſeo, qui hoc loco Lactantii abutuntur, ut oſtendant Petrum non antea Romam adiiſſe, quam Nero imperium ſuſciperet; nec verentur ex annis viginti quinque Romanæ Petri Cathedræ decem ipſos annos, aut plures etiam detrahere, contra quam Veteres omnes & ſentiunt & docent. Non enim ſi Lactantius affirmat Petrum Nerone jam imperante Romam veniſſe, continuo negat umquam eum Romæ fuiſſe, antequam Nero imperare occæpit, id quod præclare annotavit Conradus Janningus Tom. 5. Junii die 28. *Neque obeſt nobis præcitatus Lactantii textus: cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit; illo enim ſtante, poteſt etiam citius, & pluſquam ſemel eo veniſſe.* De primo Petri Romano adventu ſcribere neceſſe non habuit Lactantius; non id ille agebat, neque in eo tunc laborabat, ut hiſtoriam Apoſtolicam conficeret, omniaque Petri acta & itinera perſequeretur; hoc unum illi propoſitum erat, ut exitus exitiales, morteſque acerbiſſimas & horribiles eorum deſcriberet, qui ſe impios adverſus Deum, crudeles in Chriſtianos præbuerunt, *& quibus pœnis in eos cœleſtis judicis ſeveritas vindicaverit*, exponeret. Id clare & perſpicue declarat titulus ipſe, ſi verus eſt, Lactantiano opuſculo præfixus: *De Mortibus perſecutorum.* Ex Lactantio igitur non quod illi volunt, qui Romanum Petri Pontificatum longe

Secundus Petri in urbem adventus.

Digitized by Google

pauciοribus definiunt annis, quam ab antiquis communi conſenſione traditum eſt; ſed quod nos volumus efficitur & cogitur, Petrum ſcilicet e Palæſtina iterum Romam veniſſe anno primo vel ſecundo Imperii Neroniani, qui eſt vulgaris æræ annus quintus vel ſextus, Baronio octavus ſupra quinquageſimum. Hunc Petri in urbem adventum ſecundum confirmat Epiſcopalis conſecratio Lini, quem Petrus anno 56., Romæ cum eſſet, muneris ſui Vicarium, & Pontificiæ adminiſtrationis adjutorem ſibi conſtituit. Extat apud Hagiologos Antuerpienſes Tomo primo Aprilis præpoſitus catalogus veterum Romanorum Pontificum uſque ad Liberium perductus, ſæculo quarto confectus, quem tanti fecit Godefridus Henſchenius, ut cæteris omnibus hujuſmodi catalogis Pontificiis præferendum eſſe cenſuerit. In eo autem initia Pontificatus S. Lini referuntur ad Conſulatum Saturnini & Scipionis, qui congruit cum anno æræ vulgaris 56. nec diſſentiunt reliqui Pontificales libri, qui Pontificatum Lini ab iiſdem Conſulibus itidem producunt uſque ad Conſulatum L. Fontei Capitonis, & C. Julii Rufi, ideſt annum æræ vulgaris 67. Cum autem poſt annum 56. Petrus novem ipſos annos ſedem Romanam tenuerit, vitamque ad annum uſque 65. juxta Chronologicas Henſchenii rationes protraxerit; primordia Pontificatus S. Lini in hiſce catalogis repetantur neceſſe eſt, non a martyrio S. Petri, cujus in locum ſucceſſit, ſed ab eo anno, quo Epiſcopus conſecratus ad Eccleſiam regendam B. Petro ſuam operam vicariam navare, & Epiſcopi adjutoris munere fungi cepit. Itaque annos illos circiter duodecim, quos Lino Pontifici adſcribunt, bifariam dividas oportet, ac novem fere annos Lino Petri Vicario, reliquos autem Lino Petri ſucceſſori, ſupremoque Eccleſiæ Pontifici attribuas. Auctor *Commentarii De SS. Petro & Paullo*, quamvis a primo Petri in urbem adventu ſecundum non diſtinguat, tamen *Linum Epiſcopum* a B. Petro, antequam is ex urbe diſcederet, *ordinatum* tradit, ut ſcilicet ſui abſentis & locum teneret, & vice fungeretur. Catalogi autem Pontificales tempus deſignant Epiſcopatus, hujuſque muneris vicarii a Lino ſuſcepti, cum ejus Pontificatus exordium Q. Voluſio Saturnino, & P. Cornelio Scipioni Coſſ. ideſt anno æræ vulgaris 56. ſubjiciunt, qui cum ſecundo Petri Romano adventu cohæret. Quæ in hanc ſententiam docte breviterque ſcripſit Henſchenius Tom. 1. Apr. Diatr. Prælim. Exercit. 4. huc transferendum cenſeo: *Indicati Conſules fuerunt Q. Voluſius Saturninus, & P. Cornelius Scipio, qui eam dignitatem geſſerunt anno æræ vulgaris quinquageſimo ſexto, quando circa 13. Maii a B. Petro conſecratus eſt Epiſcopus, ſive (ut poſteri appellarunt) Chorepiſcopus conſtitutus, ſub ejus auctoritate miniſterium Epiſcopale Romæ exhibuit, annos omnino novem uſque ad annum 65. quando Nerva & Veſtino Conſulibus S. Petrus martyrium paſſus eſt 29. Junii. Quo mortuo S. Linus, vetus Pontifex, præfuit Eccleſiæ annis duobus, menſibus duobus, diebus ſex & viginti; tandem martyr obiit 23. Septembris anni 67. quo Conſulatum gerebant ante memorati L. Fonteius Capito, & C. Julius Ruſus, & erat annus Imperii Neronis XIII. qui proximo anno die 9. Junii, cum ad ſupplicium quæreretur, Roma fugiens ſeipſum interemit.*

Petrus Romam Linum conſecrat, adjutorēq; regiminis Epiſcopalis ſibi ad-ſcifcit.

Linus Vicarius Petri.

deinde poſt martyrium S. Petri vetus Pontifex.

Petrus igitur, cum anno æræ vulgaris 56. Lino in ordinem Epiſcopalem cooptato Eccleſiæ Romanæ procurationem demandavit, ne quid detrimenti res Chriſtiana per ſuam abſentiam caperet, eo tempore Romæ fuerit oportet; non aliunde illuc profectus, niſi ex partibus Orientis, quo abhinc annis fere ſeptem ſe retulerat, ut ſupra dictum eſt. Utrum Petrus ex Oriente in Italiam Romamque iterum veniens, eamdem relegerit viam, quam antea in primo ſuo adventu regreſſuque Romano tenuerat, an vero aliam inierit, dubitare equidem poſſum, alterutrum affirmare aut negare non auſim, cum nullæ in alterutram partem rationes ſive conjecturæ ſuppetant. Illud certum habeas licet, poſtquam Petrus ſecundo Romam venit, nullam ei facultatem in poſterum fuiſſe Illyricas provincias reviſendi, ſi quidem habenda eſt ratio itinerum, quæ deinceps facere cœpit in regiones longiſſime ab Illyrico disjunctas, ut in eo, quem ſæpius dixi, Commentario ſcriptum eſt. Nam re Chriſtiana Romæ ſatis aucta ſtabilitaque, & Lino Eccleſiæ Romanæ adminiſtratione tradita, Italiam omnem, Hiſpaniam, Britanniam, Africam, Ægyptum peragravit. *Poſtmodum*, inquit Henſchenius ibidem, *cum S. Petrus videret Romæ Eccleſiam recte conſtitutam, velletque cum majori libertate alias quoque regiones fidei lumine illuſtrare, S. Linum, quem a morte ſucceſſorem habuit, conſtituit ſibi Vicarium ſive Chorepiſcopum.* Auctor vero Commentarii regiones, quas Petrus adiit, quamvis non eo, quo fortaſſis oportebat, ordine ſive Geographico ſive Chronologico, nominatim percenſet: *Cum Romæ non multo tempore permanſiſſet Petrus, & multos ſancto baptiſmate regeneraſſet, Eccleſiamque conſtituiſſet, cique Linum Epiſcopum præfeciſſet, Tarracinam proficiſcitur; ubi cum Epaphroditum Epiſcopum delegiſſet, Sirmium petiit urbem Hiſpaniæ, ubi conſtituto Epæneto Epiſcopo, Carthaginem urbem Africæ adiit, cui cum Creſcentem Epiſcopum præfeciſſet, in Ægyptum venit; cumque Thebis cognomento Heptapylis Rufum, Alexandriæ vero Marcum Evangeliſtam iis, quos Chriſti diſcipulos effecerat, reliquiſſet, revertitur Hieroſolymam, adfuturus in tranſitu Dei Genetricis Mariæ, quem per revelationem didicerat. Deinde in Ægyptum reverſus per Africam iterum Romam venit: deinceps Mediolanum, Photicam* (ideſt Lucam) *mediterraneas urbes, in quibus cum Epiſcopos & Presbyteros conſtituiſſet, Britanniam adiit, ubi diu moratus, cum innumeras gentes ad Chriſti fidem attraxiſſet, Angelica viſione eſt admonitus, quæ talia illi dixit: Petre tempus tuæ reſolutionis inſtat, tibique Romam redeundum eſt, ubi cum Crucis mortem ſuſtinueris, juſtitiæ coronam recipies.* Hic more ſuo itinera Petri omnia ſimul congerit, nullo primi & alterius Romani adventus habito diſcrimine.

An Petrus Romam rediens, Illyricum auxerit.

Petri poſt ſecundum in urbem adventum itinera.

Annus erat vulgaris æræ 64. cum Nero omnium primus univerſali Eccleſiæ bellum indixit. Nam C. Lecanio, & M. Licinio Coſſ. ideſt eo anno, quem diximus, magnam urbis partem, ſubjectis ignibus, abſumpsit, & ejus incendii culpam pœnamque in Chriſtianos tranſtulit. Ideo comprehenſi plerique, & horrendis affecti ſupplicüs, adeo ut nonnullis ſebo, adipe, ac pice obliti, facum inſtar, in uſum nocturni luminis arſerint. *Urbs Roma Conſulibus C. Lecanio, & M. Licinio incenſa*, ut ſcripſit Tacitus Annal. lib. 15. *ac videbatur Nero condendæ urbis novæ, & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere, & ſic juſſum incendium credebatur. Ergo abolendo rumori ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Chriſtianos appellabat. Pereuntibus addita ludibria, ut ferā-*

Initium perſecutionis Neronianæ.

Digitized by Google

rarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi in usum nocturni luminis urerentur.

Tertius Petri in urbem adventus.

Eodem anno 64. Petrum & Paullum ex diversis Orbis partibus Corinthum convenisse, indidem Romam simul profectos, ut Ecclesiæ Romanæ ob Neronianam persecutionem laboranti opem ferrent, (qui fuit tertius Petri in urbem adventus) auctor est apud Eusebium lib. 2. cap. 25. S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, in sua ad Romanos epistola: *Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso Evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt, & in Italiam simul profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt.* Utrumque Nero, odio tabieque incensus ex interitu Simonis Magi, quem a Dæmonibus in aera subvectum, suis illi apud Deum precibus, ac virtute divina prostraverant, in carcerem detrudi jussit mense Octobri; nam in vinculis & custodia novem ipsos menses fuisse detentos tradunt Beda & Usuardus; anno autem proximo, ejusdem jussu capitis damnati sunt, & 3. Kal. Julias anno æræ vulgaris 65. Neronis undecimo in exitum vergente, ut supra demonstratum est, Petrus inversis vestigiis Cruci fussixus, & Paullus gladio truncatus est. At Baronius utriusque martyrium in annum 69. Petavius in an. 67. Tillemontius in an. 66. conjiciunt.

Martyrii SS. Petri & Pauli.

Cum igitur, ter universe, & semel atque iterum ex Oriente veniens Romam Petrus adierit, difficile creditu est, eum neque in accessu, neque in regressu regiones saltem aliquas Illyrici Romam eunti minime devias, umquam attigisse; & qui Asiam, Ægyptum, Africam, Italiam, Hispaniam, ipsamque Europæarum regionum extremam Britanniam Evangelii luce collustravit, non est sane verisimile Illyrios his nationibus interjectos ab eo sic præteritos, & nullo loco habitos fuisse, ut suam illis præsentiam operamque Apostolicam omnino denegaverit. Invita S. Clementis, de qua postea, provinciis Europæ, atque Africæ, quas Clemens cum Petro Magistro suo Evangelii causa peragravit, diserte additum est *Illyricum*, & nominatim *Dalmatia, Pannonia & Mæsia*. Cæterum Petrus, ut numquam Illyricum per se adierit, e suis certe discipulis illuc misit, qui gentes illas Christianis mysteriis ac præceptis imbueret; inter quos præcipue annumerandus est S. Domnius, qui Petri jussu missuque Ecclesiam Salonitanam fundavit, ejusque urbis primus Episcopus sedem Pontificiam ibidem constituit. Jure igitur meritoque Ecclesiæ Illyricæ & Dalmaticæ, quamvis quod aliis populis divinitus obtigit, illi concessum non fuisset, ut Petri præsentia frueretur, eumque divinæ legis præcepta promulgantem audiret; licet tamen origines suas referre ad Principem Apostolorum, eoque veluti parente & conditore gloriari, a quo scilicet Christianæ religionis magistros & præcones accepit.

Dominus a Petro in Dalmatiã missus.

§. II.

An D. Paullus in Illyrico Christi Evangelium divulgaverit.

D. Paullus in suis ad Romanos litteris testatur se ab Hierosolyma usque ad Illyricum longe lateque Evangelium circumtulisse; *Illyricum Sacrum*, ita ut inquit in ep. ad Rom. cap. 15. *ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi*. Existit autem hoc loco quæstio subdifficilis, excluseritne Illyricum Paullus, an incluserit regionibus illis, quibus illatum ab se Christi Evangelium fuisse affirmat; nam præpositio localis *usque* vi sua & notione locum illum, cui præponitur, alias excipit, alias complectitur. Prioris significationis exempla passim occurrunt apud scriptores Latinos; neque alterius pauca suppetunt; hujus unum alterumve proferam. Terentius Adelph. IV. 5. *Miletum usque*. Tullius, *ut usque Romam significationes voceſque referantur*, ad Q. Fratr. lib. I. *Trincipes ad me Ephesum usque venerunt*, Ad Attic. lib. VI. *Quinctus usque Puteolos venit*, ad eundem lib. XV. quibus in locis nemo non videt urbem ipsam comprehendi, ad quam usque ventum esse dicitur. Ego vero existimo præpositionem *usque*, quam Paullus adhibuit, ut declararet, quatenus Evangelium ad eam diem protulisset, in eam sententiam accipi oportere, ut non excludat, sed includat Illyricos. Duos ibidem Paullus Evangelicæ suæ prædicationis terminos statuit, *Hierosolymam & Illyricum*; igitur aut utrumque, aut neutrum Apostolicis ejusdem peregrinationibus eximas oportet. Neminem autem fore arbitror, qui neget Paullum Hierosolymis Evangelio aliquam operam dedisse, quam in urbem venit primum anno tertio, iterum decimo quarto post suam ad Christum conversionem, & aliis etiam temporibus illuc adfit; nisi vero existimes os illi obstructum fuisse, ne Hierosolymis de Christiana religione differeret, contra quam in Actis Apostolorum cap. 9. diserte traditum est: *Et erat cum illis intrans & exiens in Hierusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis.* Si autem Paullus ab sua prædicatione non secrevit Hierosolymam, ergo neque Illyricum seclusit; nam duæ illæ præpositiones *ab* & *usque*, cum progressionem ex uno in alterum locum significent, eamdem vim habent, alias includendi, alias excludendi utrumque terminum, ex quo, & ad quem est progressio; non est autem consentaneum aliam uni, aliam alteri interpretationem adhibere; cum par sit existimari Paullum utrique præpositioni locali eamdem significationem subjecisse. Itaque cum Paullus scripsit *se usque ad Illyricum repleviſſe Evangelium Christi*, significare voluit, non quidem se citra Illyricum suas Apostolicas expeditiones continuisse, sed nondum ultra Illyricum eas protulisse, cum suam ad Romanos Epistolam scribebat. Et sane Paullus, antequam litteras illas ad Romanos daret, cum semel atque iterum Macedoniam & Græciam peragraverit, in iisque regionibus Illyrico finitimis duos fere annos substiterit, non est credibile Illyricarum gentium usque adeo immemorem fuisse, ut eas adeundi Christique doctrina imbuendi nulla illum per id temporis cupiditas incesserit. Inerat illi infinita quædam cupido Evangelii toto terrarum orbe circumferendi. Potestas evangelizandi eidem divinitus tradita, in Apostolica Provinciarum divisione, adeo nullis regionibus circumscripta fuerat, ut illi non secus ac Petro, gentium omnium salus & conversio demandata fuerit. Erat illi pene in conspectu Illyricum, regio amplissima, ingens plane campus & immensus, in quo ardens illud, quo flagrabat, religionis propagandæ stu-

Propositionis usus ambigua significatio;

Eam Paullus in ep. ad Rom. sic adhibuit, ut intra terminos suæ prædicationis Illyricum includeret.

Cum in Græcia & Macedonia Paullus versaretur, vix dubitari potest, quin proximas Illyrici regiones adierit,

Digitized by Google

dium excurrere, impendique in earum gentium salutem posset. Quidnam igitur causæ excogitari potest, quæ illi omnem ad Illyrios aditum intercluserit, & tam præclaram rei Christianæ amplificandæ occasionem ac facultatem, e propinquo oblatam, intervertерit? An industriæ suæ potestatique Apostolicæ, quam nullis terminis definitam esse voluerunt Apostoli, limites aliquos ille circumdederit; cujus animo angustus videbatur orbis terrarum? & cum menses circiter duos ac viginti versatus fuerit in Græcia ac Macedonia, nihilne interea temporis habuit, quo ad Illyrios per intervalla excurrere, & ultro citroque commeare posset? nullumne mensem, nullam hebdomadam ab Christiana institutione Græcorum ac Macedonum vacuam, quam ad finitimos Illyrios Evangelicis præceptis erudiendos conferret? At vero, inquies, apud S. Lucam, qui Apostolicam historiam usque ad Romanum Pauli in vinculis adventum perduxit, & utramque Pauli sive Græcam, sive Macedonicam peragrationem accurate descripsit, litteræ nulla invenitur, ex qua vel intelligi, vel conjici possit Paullum eo tempore, quo apud Græcos vel Macedones rei Christianæ operam dabat, ad Illyrios digressum fuisse. Verum, ut præclare animadvertit Tillemontius, ex iis, quæ Paullus, cæterique Apostoli gessere, vel pauciſſima in suos Commentarios Lucas retulit. Multa sane Paullus de se ipso, de laboribus ac periculis, de vinculis ac verberibus, quæ Evangelii causa sustinuit, in secunda ad Corinthios Epistola commemorat, asserens se *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter versatum fuisse: a Judæis quinquies quadragenas una minus accepisse, ter virgis cæsum esse, semel lapidatum esse, ter naufragium fecisse &c.* & alia hujusmodi, ex quibus pleraque Lucas prætermisit, quamvis in eos annos inciderint, quorum historiam Apostolicam scripsit. Joannes Chrysostomus, itemque Theodoretus, cum locum illum Paullinæ ad Romanos epistolæ, quem supra laudavi, explanant, Pontum & Thraciam, Cappadociam, Armeniam, Persidem, aliasque barbaras nationes a S. Luca silentio præteritas nominatim enumerant, quibus Paullus Evangelium attulit. Lucas igitur, ut non omnia Pauli itinera persequitur, sic ejusdem Apostoli e Macedonia vel Græcia ad Illyrios digressionem omittere potuit.

Post scriptam ad Romanos epistolam, ad Illyricum se contulit.

Verum enim vero sic Paullus numquam adiisset Illyricum ante scriptam ad Romanos epistolam, & ab sua prædicatione Illyricum seclusserit, cum dixit se ab *Hierusalem usque ad Illyricum* Evangelium Christi protulisse. At postquam eas litteras ad Romanos dedit, certe Illyrios adeundi non defuit Paullo neque tempus, neque facultas, neque voluntas. Conveniat inter omnes necesse est, jam epistolam scriptam fuisse post interitum Claudii, Nerone jam imperante, nam in ea Paullus salutari jubet Aquilam & Priscillam, quos Claudianum edictum Roma expulerat, mors vero Claudii, quæ incidit in an. æræ vulg. 54. ejusque edicti abrogatio in urbem revocaverat. Hujus epistolæ scriptionem Baronius in annum duodesexagesimum, alii in annos superiores conferunt; minus recte Hemschenius datam fuisse ait anno tertio & quinquagesimo, cum nondum Claudius Imperio ac vita decesserat. Si Paullum Hierosolymæ in vincula conjectum esse cum Petavio, & recentioribus Chronologis existimes anno æræ vulgaris 55. hoc eodem anno hanc epistolam scriptam esse arbitror, ante quam Paullus e Græcia in Palæstinam reverteretur, appetente festo ac solemni die Pentecostes, cum nondum Petrus post Claudii interitum Romam iterum venisset; nam obvios Christianorum cœtus intervisendi, Ecclesiasque intermedias lustrandi necessitas itineris Romani celeritatem retardabat: quare plerique discipulorum, cum antegressi, jampridem Romam pervenerant, quorum Paullus in his litteris mentionem fecit. Petrum autem tum Roma abfuisse illum argumento est, quod Paullus ad Romanos scribens neque meminit Petri, neque ab se illum salutari jubet. Corinthi scriptam esse illud potissimum indicio est, quod in extrema epistola Romanis salutem impertiit nomine Caji, cujus hospitio utebatur: *Salutat vos Cajus hospes*. Cajum autem patria & domo Corinthium fuisse declarant verba illa primæ ad Corinthios cap. 1. *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum & Cajum*. Illud etiam fere inter omnes constare video, has litteras Corintho ad Romanos missas esse, postquam iterum in Græciam rediit, & secundo Corinthios invisit; ac tres menses in ea regione commoratus est, ut docet Lucas cap. 20. Si autem Paullus nondum regiones Illyricas attigerat, cum ad Romanos scripsit, nulla sane illi opportunitas fuit adeundi Illyrios, ante quam in vinculis Romam duceretur, & biennii custodia exemptus Roma discederet. Nam Corintho per Macedoniam reversus est in Asiam, unde in Palæstinam se contulit, & cum dies solemnis Pentecostes immineret, Hierosolymam pervenit; qua in urbe captus a Judæis ac Romano Præsidi primum Felici, deinde Porcio Festo traditus est. D. Hieronymus docet Paullum in vincula conjectum fuisse anno post Christi mortem quinto ac vigesimo, qui fuit æræ vulgaris 55. si quidem mors Christi in alterum & trigesimum annum conferenda est. Ad Cæsarem cum appellasset, vinctus Romam mittitur, quo pervenit anno proximo, vere jam adulto. Biennio Romanæ custodiæ expleto, cum suam Neroni causam probasset, ex urbe anno 58. liber dimissus, sive ut vult Baronius anno 61. annos præterea vixit septem vel octo.

Paullus Hierosolymæ captus ann. 55. & Romam ductus eo pervenit an. 56.

e vinculis dimissus ann. 58.

Itaque sui muneris atque instituti memor ad Gentium conversionem se retulit, repetitoque cursum intermissum Apostolicorum itinerum ac laborum, quem ad extremum usque diem tenuisse certius est, quam ut in dubium revocari possit. Quare ante annum 58. quo custodia & commoratione Romana perfunctus est, fac nullum Illyrici obeundi spatium habuerit, exinde vero quonam profectus sit, quid rerum gesserit, quas regiones peragraverit, Lucas non docuit, qui suos de Actis Apostolorum commentarios ultra Pauli vincula non deduxit. Auctor Commentarii de SS. Apostolis, qui Metaphrastæ vulgo attribui solet, tradit Paullum, post biennium Romæ in vinculis exactum, Evangelio lustrasse *Hispaniam, Galliam, Italiam*. Hispaniensis Paullinæ profectionis auctores habemus præclaros in primis ac nobiles, Athanasium, Cyrillum Hierosolymitanum, Epiphanium, Chrysostomum, Theodoretum, Hieronymum, Gregorium Magnum, & alios plures; etsi non desint, qui contra sentiant. Nec dubito, quin perfunctus expeditione Hispaniensi in Asiam

Pauli post Romanam custodiam Apostolicæ peragrationes.

atque

atque Orientem redierit ; id enim ſibi deliberatum fuiſſe ex Romanis vinculis ad Philemonem Coloſſis degentem ſcripſerat : *Para*, inquit, *mihi hoſpitium, nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis* ; quamvis quem in Aſiam reditum decreverat, iter Hiſpanienſe retardaverit, atque in aliud tempus diſtulerit. Si ergo Paullus ante Romana vincula Illyricum non adiit, at certe nihil cauſæ excogitari poteſt, cur poſtea non adierit. Ab ejus ex urbe & cuſtodia Romana diſceſſu uſque ad martyrium anni omnino ſeptem, vel octo intercedunt ; ſolutus enim vinculis Roma emigravit anno 58., vel 61. & vitam exinde uſque ad ſexageſimum quintum vel 69. æræ vulgaris perduxit ; quo temporis ſpatio non Hiſpaniam modo, & Galliam, & Italiam, & Aſiam, & Illyricum, ſed alias quoque regiones immenſo licet locorum intervallo diſjunctas, Evangelium ubique diſſeminando, percurrere potuit : nam, ut egregie monet Baronius, *non ſolum ad Hiſpanias peragrandas, ſed univerſum plane orbem Romanum, ac barbarorum externas gentes adeundas, octo anni fuere illi ſatis*. Satis vero ? immo pluſquam ſatis, Paullo præſertim, qui pro eo, quo æſtuabat, Evangelii ubique propagandi ſtudio, univerſum terrarum orbem immenſa quadam animi magnitudine complexus, ubi temporis anguſtiæ ſuis conſiliis ac deſideriis obſtarent, ſubſidio ſibi celeritatem atque induſtriam comparabat ; cumque divinitus cognoviſſet vitæ ſpatia ad paucos annos ſibi prorogatum iri, ſolertia ac feſtinatione incredibili utendum ſibi cenſebat, ut *per eum prædicatio impleretur*, quemadmodum ipſemet 2. ad Timotheum e primis vinculis ſcripſit, quodque animo moliebatur, ut reipſa efficeret, vitæque brevitatem rerum geſtarum numero ac magnitudine compenſaret. Quanta enim illi opus fuiſſe cenſes in agendo, ac terras omnes obeundo celeritate, qui cum Gentium omnium curam ſibi divinitus creditam intelligeret, ſuis itineribus ac laboribus non alios propemodum, niſi quibus Solis curſus circumſcribitur, terminos mente & cogitatione præfixerat. Præclare in hanc ſententiam Joannes Chryſoſtomus homil. 73. ad Pop. *Quantum Sol terræ percurrit proprios emittens radios, tantam & hic beatus ſollicitudinem & curam habuit eccleſiarum omnium, quæ erant per totum orbem terrarum ; vidiſti latitudinem animæ, vidiſti mentis magnitudinem*. Paullus igitur, quamquam poſt biennium Romanæ cuſtodiæ vitam ſuam non ultra ſeptimum annum prorogaverit, nullis tamen temporum anguſtiis excludi, nulla regionum, quas deinde luſtravit, multitudine & longinquitate prohiberi potuit, quo minus partem aliquam ſuæ curæ & peregrinationis Apoſtolicæ Illyriis etiam impertiret.

In Aſiam rediit.

Paullo vinculis emiſſo atque tempus atque facultas defuit Illyrici obeundi.

Auctores graviſſimi Illyricum a Paullo Evangelica prædicatione excultum affirmant.

Sed quid opus eſt uti ratiocinationibus, & conjecturis non neceſſariis in re minime dubia, quam certam & exploratam haberi jubet auctoritas graviſſima & maxima ſcriptorum veterum ac nobilium, qui Paullum, ſive ante, ſive poſt Romana vincula, aliquando certe, apud Illyrios diverſatum eſſe, iiſque gentibus ad virtutem ac pietatem excolendis operam impendiſſe affirmant. Hujuſce rei teſtem ante omnes proferam Hieronymum eccleſiæ Doctorem maximum, qui unus nobis inſtar omnium eſt, præſertim in rebus Illyricis. Quis enim huic non aſſenſerit ? primum rerum eccleſiaſticarum auctori perantiquo, ac religioſiſſimo, deinde Dalmatæ, deinde, quod caput eſt, Hieronymo ? Is igitur in epiſt. 148. ad Marcellam, reſpondens ad 5. quæſtionem, aſſerit Divinam naturam, Deique Verbum locis neque dividi, neque circumſcribi, & Apoſtolis, ubicumque gentium eſſent, præſto ſemper fuiſſe ; tum hæc ſubdit : *Verſabatur cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paullo in Illyrico*. Gregorius Nyſſenus Stephani martyrio attribuendam putat & Paulli ad Chriſtum converſionem, & Apoſtolicam ejuſdem prædicationem toto propemodum terrarum orbe diffuſam, quam cum ad alias gentes, tum nominatim ad Illyrios dimanaſſe teſtatur in Orat. de S. Steph. Protom. *Ita magnum illud eccleſiæ inſtrumentum Paullus ira miniſque a Diabolo armatus adverſus ipſum armatorem tela vertit, ex omni tum exterminans orbe terrarum, ut nullum relinqueret locum fidei Chriſtianæ inacceſſum ; hinc Ægyptii, Syri, Parthi, & Meſopotamitæ, Itali & Galli, Illyrii & Macedones Chriſtum agnoſcunt, & omnes undique gentes ſermo percurrens ad fidem adducit. Vides Stephani athleticam ſcientiam ?* &c. Sed multo latius Paulli labores atque itinera per omnes regiones Illyricas extendit Aſterius vetus idem, bonuſque in primis auctor tom. 5. Bibl. PP. hom. 8. in Principes Apoſtol. *Paullus totum Illyricum percurrens, ac ubique ſpargens ſcintillas fidei, quas auſpex Spiritus excitabat, vivaſque ſemper ſervabat*. Idem confirmat Petrus Damianus in Serm. de SS. Apoſt. *Aſpice Paullum totum peragrantem Illyricum, ſuſcitantem mortuos, ſubvertentem templa Idolorum*. Ex utriuſque ſcriptoris loco videtur colligi poſſe nullam Illyrici regionem fuiſſe, quam Paullus per ſe ipſe non luſtraverit, & in qua doctrinæ Apoſtolicæ, ſuæque ſanctitatis ac virtutis impreſſa veſtigia non reliquerit. Joannes VIII. in ſuis ad Petrum Comitem litteris, quibus eum hortatur, ut Michaelem Regem Bulgarorum ad priſtinum erga Romanam eccleſiam obſequium revocet, perſpicue docet epiſt. 76. in Bulgariam, ideſt Mæſiam inferiorem, Illyrici provinciam, Evangelium a Paullo illatum fuiſſe, & Paullinæ ad Romanos epiſtolæ locum ſæpius laudatum ſic interpretatur, ut Illyricum intra illas regiones concludat, quas Paullus evangelica prædicatione peragravit : *ſicque ſanctam Romanam eccleſiam in hac fide fundatam proprio ſanguine, cum Paullo, qui ab Hieruſalem uſque ad Illyricum, regionem ſcilicet, in qua nunc vos habitatis, Evangelio replevit, Domino Deo conſecravit, & dedicavit*. Cave autem ſuſpiceris Hieronymum, Aſterium, & alios, cum docent Paullum Illyriis Evangelii lucem attuliſſe, nihil aliud *Illyrici* vocabulo ſubjicere, præter Achajam & Macedoniam ; niſi vero exiſtimes veteris Geographiæ adeo rudes atque ignaros illos fuiſſe, ut neſcierint Achajam & Macedoniam temporibus Apoſtolicis nondum Illyrici nomine ac finibus comprehendi cœpiſſe ; quæ quidem regiones, non ante quartum ſæculum, & imperium Conſtantini ad jus ditionemque Illyrici acceſſerunt. Id autem nomine Illyrici ſignificari volunt, quod Strabo, quod Svetonius, quod Appianus ætati Apoſtolicæ vel æquales vel ſuppares intelligebant, ſcilicet Dalmatiam omnem ex Auguſti deſcriptione, maritimam ac mediterraneam, Vindeliciam & Noricum, & Pannoniam ac Mæſiam utramque. Et Gregorius quidem Nyſſenus Illyrios a Macedonibus diſtinxit, & utroſque per Paullum ad Chriſti cognitionem cultumque traductos fuiſſe affirmat. Antiquis duos adde e recentioribus ſcriptoribus, ſane doctos ac nobiles, Petrum de Marca, & Carolum a S. Paullo. In exercitatione de primatu S. Petri hæc ſcripſit Petrus de Marca :

Illyrici vocabulo neque Macedonia, neque Achaja temporibus Apoſtolicis ſuberant, ſed Dalmatia, Noricum & cæt.

Digitized by Google

Paullus peragratis Judææ, Syriæ, Asiæ, Macedoniæ, Achajæ, & Illyrici spatiis, & quamplurimis in ecclesiarum fundationibus exhaustis laboribus, ad urbem Romam intrepidus præco religionis accessit. Videtur is auctor statuere voluisse Illyricam Paulli peragrationem proximis ante ejusdem martyrium temporibus, paullo ante videlicet, quam postremum Romam veniret, non in vinculis quidem, aut Cæsariani judicii subeundi necessitate compulsus, sed sua sponte ac voluntate divinoque numine instinctus, ut Christi Evangelium, quod verbis ac miraculis toto propemodum terrarum orbe propagaverat, in ea urbe totius orbis principe, qualique in omnium gentium conspectu, vitæ & sanguinis pro Christo profusi testimonio confirmaret. Ita nimirum Paullus ostendit, quanti faceret Illyrios, quibus extremos suos, evangelii causa susceptos, labores impendere voluit, ut hi suæ in eos charitatis ac benevolentiæ testes essent perpetui; & ex eorum recordatione haberent posteri, unde non gloriari solum, sed etiam ad studium religionis, & omnia Christiani hominis officia excitari possent. Carolus a S. Paullo in Geograph. sac. ait Illyricum fuisse quoddam theatrum amplissimum idemque frequentissimum, in quo magnus ille Apostolus immensas illas, quas mente atque animo continebat, sapientiæ plusquam humanæ, virtutumque omnium opes ac divitias explicavit, & orbi universo spectandas præbuit: *Illyricum illustrius theatrum fuit gloriæ magni Apostoli Paulli, & quasi stadium, in quo ita strenue decertavit, ut justa ratione potuerit effari: Bonum certamen certavi* &c.

Paullus Apostolicos suos laboret postremos in salutem Illyriorū impendit.

Nec vero cum Paulli adventu in Illyricum illud pugnat, quod ipsemet Paullus in sua ad Romanos epistola c. 15. 21. profitetur, sui moris esse atque instituti, ut locis illis abstineat, quibus alii sive Apostoli, sive Discipuli fidem Christi annunciassent, ne falcem in alienam messem immittere, & in solo ac fundamento alieno inædificare videretur. Atqui si vera sunt, quæ superiori paragrapho diximus, jam Petrus Illyriis Evangelium attulerat, & Illyricæ ecclesiæ fundamenta jecerat, cum nondum Paullus e Palæstina vel ex Asia pedem extulisset. Itaque apud Illyrios nullus evangelizandi locus Paullo relictus est, nisi sui eum instituti immemorem fuisse, & a proposito susceptoque consilio desciviisse dicamus: *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sicuti scriptum est: Quibus non est annunciatum, de eo videbunt, & qui non audierunt, intelligent.* Verum enim vero, si Paullini illius decreti ea vis est ac sententia, ut eidem prorsus omnem facultatem adimeret regiones illas adeundi, & Christianis doctrinis ac præceptis excolendi, quibus nomen Christi ex aliorum prædicatione jam innotuerat, quid est, quod Paullus in eadem ad Romanos epistola eodem capite n. 23. & 29. profitetur, se non solum miro ac diuturno Romam veniendi desiderio teneri, sed etiam venturum esse statim ac sibi liceret in Hispaniam proficisci? Nonne aliquot ante annos Petrus evangelium Romæ promulgaverat? nonne ex Judæis ac Romanis quamplurimos ad Christi cultum traduxerat? nonne ecclesiam totius orbis principem jam condiderat? Quid igitur causæ erat, cur Paullus tantopere cuperet Romam adire, & se quam primum Romæ affuturum Romanis iterum ac tertio promitteret? *cupiditatem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis; cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos .... per vos proficiscar in Hispaniam; scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam.* Nec sane id consilii ceperat, ut Romanos obiter tantum, & officii causa inviseret; sed idcirco Romam ire decreverat, ut in ea urbe Evangelicæ prædicationi operam daret, & quidquid posset spiritalis gratiæ, cœlestisque opis ac doctrinæ ad Romanos erudiendos & confirmandos conferret: id quod egregie præstitit, primum quidem cum in vinculis Romam venit, & duos ipsos annos ibidem commoratus est; deinde vero, cum iterum Nerone imperante, & Christianos crudelem in modum persequente, ad urbem accessit, ubi etiam post aliquot menses capite damnatus glorioſam pro Christo mortem occubuit. Quid sui consilii ac voluntatis esset, cum Romam cogitabat, ipsemet capite primo ejusdem ad Romanos epistolæ ostendit: *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos .... Nolo autem vos ignorare, Fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus.* Præterea an non Paullus Hierosolymis, an non Antiochiæ, an non in aliis Palæstinæ ac Syriæ civitatibus Christi nomen, ubi jam omnium linguis ac sermone celebratum erat, ut sua prædicatione illustrius fieret, assiduam ac diligentem operam dedit? an non *perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias,* (quas alii fundaverant) *præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum?* Act. 15. Antequam Paullus e Syria ac Palæstina discederet, Petrus Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam Christianis præceptis ac mysteriis imbuerat; nec tamen Paullus, contra quam proposuerat, se facturum existimavit, si regiones easdem ipse etiam Evangelica circuitione lustraret. Cum igitur Paullus hanc veluti legem sibi ipse imposuit, ut *prædicaret Evangelium non ubi nominatus est Christus*, vim hujus legis aliter, ac verba ipsa videntur significare, intelligi oportet: neque in eam partem accipias velim, ut putes Paullum hisce verbis omnem sibi ad illas regiones aditum obstruere, quæ ab aliis Evangelii præconibus prima Christianæ religionis rudimenta suscepissent; nisi forte Paullum inconstantiæ & levitatis arguere velis, qui sæpissime contra fecerit, quam professus fuerat, a se ipso dissidens perpetuo, secumque discordans. Itaque verba illa Paulli sæpius laudata non repugnant, quominus uterque Princeps Apostolorum, antea quidem Petrus, postea vero Paullus industriam suam operamque evangelicam in erudiendis convertendisque ad Christum Illyriis insumere potuerint.

atque Hierosolymis,

neque aliis regionibus

ita neque Illyricum ab evangelica Paulli prædicatione &c. clusit.

D. Ambrosius Com. in ep. ad Rom. cap. 15. docet Paullo propositum fuisse abstinere ab illis regionibus, in quas Pseudoapostoli errores suos, pravasque de Christo opiniones invexerant, ne super alienum a fidei veritate fundamentum ædificaret; sed illos antevertere conabatur, ne plus laboris subire cogeretur, ut fundamentum male ab illis positum convelleret, quam ut novum ipse fundamentum jaceret, cui rectæ in Deum fidei veræque ecclesiæ ædificium superimponi posset: *Non sine causa illic prædicare niti dicit, & non ubi nominatus est Christus; scicns pseudoapostolos aliter, quam oportebat, Christum tradere. Ad hoc enim circumibant, ut sub nomine Christi aliis dogmati-*

Ejusdem Paullini loci varias explicationes cohærentes cum Illyrici Paulli peragratione Apostolica. Prima Ambrosiana.

Locus Paullinæ ad Romanos epistolæ objectus,

quem ad modum neque Romam,

matibus populum manciparent; quod poſtea corrigere maximi erat laboris. Idcirco prævenire voluit, ut inviolata prædicationis verba traderet audientibus, & ut recta linea ſuperficies ordinata incolumis fundamenti robur haberet. Quæ interpretatio, ſi vera eſt, cum Illyrica Paulli poſt Petrum peragratione cohærere poteſt; de nullo ſiquidem proditum eſt, qui falſam de Chriſto doctrinam ante Apoſtolos Illyriis tradiderit, ob eamque cauſam Paullo ad eas gentes adeundi impedimentum objecerit.

Secunda Hieronymiana.

D. Hieronymus Com. in epiſt. ad Rom. tradit Paullum illis verbis eos potiſſimum notare ac reprehendere, qui ſuper fundamentum veræ fidei per Apoſtolos conſtitutum ſuos errores, & falſa dogmata conſtruunt; ſe vero ab iis longe abeſſe oſtendit, qui & ſinceri germanique evangelii fundamentum poſuerit, & huic innixum evangelicæ doctrinæ ædificium ad faſtigium perduxerit: *Non omnis*, inquit, *qui ſuper alienum fundamentum ædificat, male facit, ſi ædificat aurum & cætera. Hic pſeudoapoſtolos tangit, qui ſemper ad eos, qui jam crediderant, ibant, & numquam ad Gentes, quia non poterant virtutes operari. Et oſtendit perfecte ſe laboraſſe, qui & fundamentum poſuit, & ædificium ſuperſtruxit.* Si hanc Paullinæ ſententiæ explanationem adhibeas, nihil obſtat, quo minus Paullus, ſalva eorum verborum veritate, Illyricum circumierit, Petroque ibidem in opus evangelicum ſucceſſerit.

itemque tertia Alphonſi Salmeronis.

Alphonſus Salmeron exiſtimat Paullum verbis illis voluiſſe ſignificare ſe Apoſtolum & Doctorem Gentium eſſe, & quemadmodum Petro Judæis, ita ſibi Gentibus Evangelii afferendi partes præcipuas datas fuiſſe; ac proinde Apoſtolici ſui muneris non illud eſſe proprium ac peculiare, ut Evangelium Chriſti Judæis prædicaret, quibus tum antiquæ legis oracula, tum Prophetæ inſtinctu inflatuque divino, jam olim Chriſtum, licet ſubobſcure, prænunciaverant; ne videlicet Apoſtolatus ſui limites prætergreſſus ſuper alienum fundamentum, ideſt poſitum a Prophetis, evangelicæ ſuæ doctrinæ molem extolleret. In hanc explicationem aptiſſime quadrat teſtimonium Eſaiæ, quod Paullus ad ſuam ſententiam confirmandam adhibuit: *Senſus eſt*, inquit Salmeron, *quod Gentibus prædicavit, inter quas non fuerat Chriſtus nominatus per legem veterem, neque prænunciatus, neque præfiguratus, aut expectatus. Perſtat enim in confirmanda ſua ſententia, qua aſſeruit ſe eſſe Gentium Apoſtolum a tempore, quo cum Barnaba ſegregatus fuit, & miſſus ad prædicandum Gentibus Act. 13. Cui ſenſui mirifice quadrat, quod ait de alieno fundamento; quod non debet quaſi jactanter dictum accipi, ſed quod id conſequeretur ad Apoſtolatum ſuum in Gentibus, ut prædicaret illis, in quibus nullum erat fundamentum fidei. Quadrat etiam huic ſenſui oraculum Eſaiæ, quod citat: ſicut ſcriptum eſt* &c. Hæc interpretatio ſi placeat, verba illa Paulli aditum ſibi ad eas gentes intercludentis, inter quas *nominatus jam fuerat Chriſtus*, referri non poſſunt ad Illyrios, qui ab Judæis genere, lingua, moribus, & religionis ante omnia inſtitutis, ritibus, ac cæremoniis longiſſime disjuncti cum eſſent, nihil umquam de Chriſto a Prophetis, veteriſque legis Doctoribus audierant; & quod Chriſtianæ fidei fundamentum in illis regionibus poſuerat Petrus, id non erat alienum ideſt Moſaicum, cui nihil ſuperaddere Paullo liceret; ſed erat fundamentum evangelicum, quod quamvis a Petro ſubſtructum fuiſſet, in eo tamen poterat etiam Paullus, ſalvo ſuo inſtituto ac propoſito, Apoſtolicæ ſuæ prædicationis ædificium exſtruere.

Neque abeſt Origenis explicatio.

Præter expoſitas hactenus, alia eſt hujus Paullini loci interpretandi ratio, quæ Origenis auctoritate nititur, & ſingularem Paulli modeſtiam, eximiamque ſanctitatem mirifice declarat. Paullus igitur illud ſibi interdixerat, illudque accurate ſervabat, ut ne alienis laboribus ſe ipſe oberuderet, iis invitis, aut egre ferentibus, qui ſe antegreſſi, eccleſiæ alicujus fundamenta jacere præoccupaverant; cavebatque ſedulo, ne cum aliis operam ſuam ad eorum cepta perficienda commodaret, videretur aut corrigere velle, ſeu demendo, ſive addendo, quæ ab aliis conſtituta fuerant, aut rei bene ac feliciter ab aliis inchoatæ gloriam ſibi vindicare; longe vero ſe abeſſe ab eorum inani arrogantia profitebatur, qui quos Chriſto filios ipſi non peperiſſent, eos tamen ſibi quodammodo ſupponerent, eorumque patres haberi ac prædicari vellent; quamvis neque ſibi, neque aliis vitio verteret, quod ad filios alienos inſtituendos ac perficiendos aliquid doctrinæ operæque conferrent, iiſque ad Chriſtum perducendis pædagogi officio fungerentur. Siquidem ajebat ille, in ſuis ad Corinthios litteris, fieri non poſſe, ut plus uno ſit, qui patris nomen & jus habeat in filios ab ſe per Evangelium Chriſto genitos; & multos eſſe poſſe pædagogos, qui Chriſtianam plebem erudiant, & citra parentum injuriam, alienis filiis educandis deducendiſque in viam ſalutis aliquid operæ induſtriæque impendant. *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres; nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* 1. ad Cor. 4. Itaque Paullus *ſic prædicavit Evangelium, non ubi nominatus eſt Chriſtus*, ut ſi quibus in locis, ubi jam Chriſti nomen per alios innotuerat, doctrinam evangelicam traderet, non id humanæ gloriæ ſtudio faceret, ſive ut Chriſtianæ religionis ibidem fundatæ laudem aliis præriperet; id enim fuiſſet *ſuper alienum fundamentum* ædificare, ideſt Architecti primarii partes ſibi ſumere atque arrogare, quod a Paulli modeſtia & ſanctitate longiſſime abhorrebat. In hanc ferme ſententiam Origenes in ep. ad Rom. cap. 15. lib. 10. Paulli verba explanavit: *Sic autem prædicavit hoc Evangelium, ut non alienis laboribus neque alienæ prædicationi additamentum ſui ſermonis inſereret, ne ab alio poſitis fidei fundamentis ipſe ædificium prædicationis propriæ imponeret, & alieni operis ſurripere gloriam videretur. Obſervanda hæc ſunt eccleſiarum principibus, & rectoribus, & diligenti intentione ſervanda, ut neque loqui aliquid videantur eorum, quæ per ipſos non effecerit Chriſtus, neque alienos labores & ſtudia decolorent.* Cæterum Apoſtolos pariter ac Diſcipulos Chriſti cum eximia quædam charitas, & religionis propagandæ ſtudium inter ſe arctiſſime conjungeret, eaque omnium eſſet conſpiratio & concordia ad Evangelium ubique promulgandum, ut nihil aliud ſpectarent, nihil aliud quærerent, niſi Dei gloriam & mortalium ſalutem, ad id aſſequendum mutuis ſe officiis juvare, operamque Apoſtolicam in commune conferre, & viciſſim accipere ac reddere ſolebant. Tantum vero aberat, ut in fundandis eccleſiis aut opem aliorum reſpuerent, aut ſuam aliis denegarent, ut in partem Evangelici miniſterii ſocios adjutores vel ultro accerſerent, vel ſponte venientes libentiſſime admitterent; & ſicubi neceſſitas utilitaſve rei Chriſtianæ multorum auxilia requireret, illuc certatim accurrerent, ſuamque operam alacri prompto-

Digitized by Google

ptoque animo deferrent. Paullus itaque ab suo instituto ac proposito alienum esse non putavit, initiis ac fundamentis Evangelii, quæ Petrus apud Illyrios constituerat, de sua prædicatione aliquid superaddere; & ipsius Petri vel hortatu vel permissu ad religionem stabiliendam in illis locis, & amplificandam suas peregrinationes curasque Apostolicas convertit. Non ergo si Petrus Paullo præripuit, ne primus Evangelii lucem Illyriis afferret, idcirco ad gentes illas Evangelicis præceptis excolendas, omnem illi aditum præclusit.

Illyricæ expeditionis a Paullo, Evangelii causa susceptæ Auctores recensiti.

Illyricæ peragrationis a Paullo susceptæ obitæque ex junioribus plures habeo Auctores, ac fere domesticos, quorum aliquos proferre haud piget. Ludovicus Schonlebius Annal. Carniol. par. 3. ad an. Christi 34. *Assedit tunc Saulus ad vestimenta insanientium, qui viso Stephani vultu tamquam Angeli, eum tamen tamquam blasphemum lapidabant, futurus olim Paullus, & Illyriis nostris Evangelium allaturus.* Idem ad an. 57. *In Illyrico magnam hujus anni partem insumit Paullus, & potissimum in Macedonia.* Demum ad an. 68. *Pauli per septennium proxime elapsum commoratio & itinera in obscuro sunt. In Oriente confirmasse ecclesias nonnulli putant. Ego Macedoniam, Dalmatiam, Liburniam, & cæterum Illyricum perlustrasse opinor, utpote quibus magis necessaria instructio.*

Georgius Ratkai Lector & Canonicus Ecclesiæ Zagabriensis in Monum. Regum & Banorum Chrob. & Dalmat. lib. 2. *Ipsemet Paullus epistola ad Romanos testatur, se ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleviſſe Evangelium Christi. Neque illa verba usque ad Illyricum eo accipienda sunt sensu, ut terminos dumtaxat Illyrici attigisse intelligatur; sed quod vere ipsum Illyricum pertransiens, Evangelio Christi prædicato, eos populos Christianos effecerit, omnino dicendum est, ut ex locis scripturæ supra citatis manifestum redditur.*

Martinus Szentivanius variis in locis idem confirmat: *S. Paullus ad Christi fidem convertitur, qui postmodum Illyriis quoque prædicavit Evangelium.* Dec. 2. part. 3. *Constat Paullum Apostolum usque ad Illyrios cum prædicatione evangelica penetrasse.* Dec. 3. part. 1. Catalogo 75. *S. Paullus Apostolus veniendo ab Hierusalem usque ad Illyricum, & nominatim Dalmatiam, præcipuam partem Illyrici, prædicavit Christi fidem, & Evangelium Illyriis.* ibid. Catal. 76.

Joannes Tomcus Marnavitius Episcopus Bosnensis in vita S. Tryphoniæ: *Illyricam gentem primam omnium aliarum ab Apostolo ecclesiæ membrum sub capite Christo effecta in Irene vita ex actis Apostolicis agnovimus. Hinc idem Apostolus epistola ad Romanos testatur se ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleviſſe Evangelium Christi . . . . . Hoc Dorotheus Tyri Episcopus, hoc Theodosius magnus apud Socratem, hoc Joannes VIII. epistola ad Regem Bulgarorum, hoc ecclesiæ Illyricanæ traditio certa & perpetua testatur, ut in Opusculo de Vinea Domini in Illyrico, Deo dante, fusius hæc omnia sumus ostensuri.*

Raphael Levacovichius Archiep. Achridanus in Prodromo ad Illyr. Geogr. cap. 1. *Quod Paullus per Illyricum fidem disseminavit, demonstrat Hieronymus in epistola ad Marcellam, de 5. quæstione, ubi divinam naturam, Deique sermonem adfuisse Apostolis affirmans, versabatur, inquit, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paullo in Illyrico.*

Andreas Zmajevitius Archiep. Antibarensis in Synop. Annal. Eccl. tom. 1. *S. Paullus Roma discedens in Dalmatia & Macedonia evangelium prædicavit.*

Auctor Librorum VI. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ in sua Collectanea Mss. retulit epigraphem quamdam Slavonicis litteris in tabula incisam, inventamque in Dalmatia sæculo superiori subter ecclesiam S. Archangeli apud flumen Titium, quæ S. Paulli in Illyricum & Dalmatiam adventus fidem facit.

Tandem Marinus Barletius de Gestis Scanderbegi lib. 2. post descriptam eam Regni Serbliæ partem, quam Zadrimam vulgo appellant, testatur quamplurima extare ibidem monumenta marmorea veterum Imperatorum, aliorumque virorum principum, & alia non pauca antiquitatis vestigia, quæ satis superque ostendunt apud eas gentes aliquamdiu diversatum esse Paullum, & plerisque incolarum ad Christi cultum traductis, ecclesiam inibi sane illustrem constituisse.

Quam vero cordi fuerit Paullo, curæque Illyriorum salus & conversio, ex eo potissimum intelligi potest, quod ex alumnis Apostolicæ suæ disciplinæ Titum, virum singularis fidei, & spectatæ multis magnisque in rebus industriæ ac virtutis, ab se suoque comitatu divulsum, Dalmatis Apostolum dedit, ut in ea nobilissima totius Illyrici provincia rem Christianam curaret, & Evangelii semina per alios ibidem dispersa ad frugem ac maturitatem perduceret, de cujus Dalmatico Apostolatu iterum cap. 2. §. 3. & longe plura deinde in actis ejusdem dicturi sumus.

§. III.

An alii ex Apostolis ad conversionem salutemque Illyriorum aliquid operæ contulerint.

Vita S. Clementis.

APud nos extat Vita S. Clementis Papæ & martyris, cujus duo exemplaria nactus cum esset Simon Bengnius Modrusiensis Episcopus, is, qui de moribus Christianorum ad veterem disciplinam revocandis, & sacra expeditione contra Turcas suscipienda, orationem habuit doctam oppido & elegantem ad Patres concilii Lateranensis coram Leone X. Pontifice Maximo, vir summa eruditione ac sapientia, plurimi fecit; & alterum quidem apud se retinuit, alterum vero tradidit Bernardo Zane Archiepiscopo Spalatensi, ut typis commissum in publicam lucem emitteret. Idem Bengnius affirmat auctorem hujus vitæ fuisse Hesychium, qui sæculo quinto incunte Pontificatum Salonitanum adeptus tenuit usque ad annum fere quadragesimum ejusdem sæculi; eum æqualem fuisse Hieronymo & Rufino, amicitia & necessitudo, quæ cum utroque eidem intercessit, satis declarat; Hieronymum quippe admodum familiariter *Nostrum* appellat, & litteras se ad Rufinum dedisse testatur. E Recognitionibus Clementis, quas alii Circuitiones, seu Periodos Petri vocant, si quid transtulit in hanc historiam vitæ Clementinæ, errores certe non transtulit, quibus illas hæretici maleque feriati homines aspersere nt; nam ipsemet per litteras Rufinum admonuit, ut in illis Clementinis opusculis latine vertendis sedulo sibi caveret ab hæresibus, & corruptelis, quas illuc Ebionitæ, & Eunomiani per summam perfidiam invexerant: *Sed pessimum genus hæreticorum Eunomiani*, inquit, *ut mendacia sua & errores de origine & creatione Animarum Clementis pallio contegerent, gestorum serie perturbata, ita libros illos post Ebionitas depravarunt,*

ab Hesychio Salonitano conscripta.

vunt, ut nisi alioude quis doctus fuerit, facile a veritate deviaverit; id quod ipsum nuper Rufino quoque Presbytero in latinum eosdem transferre medicanti, epistolæ nostræ significavimus. Illud nos permolestè habet, quod ex apographis vitæ Clementinæ, quæ olim, si non plura erant, certe minimum duo apud Bengnium extabant, nullum invenire potuimus, nisi unicum, idemque maxima ex parte mutilum; quippe definit in annum æræ vulgaris quadragesimum secundum, quo Petrus Romam cogitans e Palæstina cum Clemente discessit; integrum & absolutum nancisci ut possemus, nihil investigationis diligentiæque prætermisimus. In hanc vitam cum Simon Bengnius accurata intentoque lectione inquireret, nihil plane invenit, quod censura & reprehensione dignum videretur, ac de illa judicium fecit sane præclarum: *Tempore Pontificatus sanctissimi Viri Zosimi Papæ præfuit ecclesiæ Salonitanæ Hesychius Præsul, Apostolicarum Constitutionum & Synodalium Canonum zelantissimus. Scripsit Vitam S. Clementis Papæ & Martyris, qui tertius post Apostolos Romanam Cathedram tenuit, & Christi ecclesiam gubernavit. In qua plurima scitu dignissima, quæ statum & primordia nascentis ecclesiæ, & quæ toto quasi primo Christiano sæculo in illa gesta sunt, satis illustrant, perspicuo stylo narrat, servata notataque temporum, pro illius ætatis usu, fideli ratione . . . . Rara sunt hujus voluminis exemplaria. Nos e duobus, quæ in Diœcesi nostra nacti sumus, Reverendissimo Patri D. Bernardo Spalatensi Archiepiscopo alterum dedimus, ea conditione, ut typis excusum publici juris faceret.*

Præclarâ æstimonium affert de Jacobi Apostoli in Hispaniæ profectione.

Jam vero ad rem nostram quod attinet, in hac Vita S. Clementis hoc scriptum invenio: *In tabulis Sirmiensis ecclesiæ notatum vidimus, eo ipso anno, quo Clemens Cæsaream venit, Paullo Fabio, & Vitellio Nepote Cos.*, *Beatum Jacobum Zebedæi filium, Joannis Apostoli germanum fratrem, ab Apostolorum Principe Petro missum, in Hispaniam pervenisse, atque in illis partibus primum Apostolorum Christi fidem annunciasse, ecclesias fundasse, Episcopos ordinasse, peragratisque quasi omnibus Hispaniarum urbibus, & maxima ad Christi fidem conversa multitudine populorum, Hierosolymam rediisse, Aquilio, & Nonio Cos. Et hæc quidem illi ecclesiæ dedit Andronicus antiquus Christi Discipulus, qui fuit primus Sirmii in Pannonia Episcopus.* E Palæstina in Hispaniam cum duo essent itinera, unum per mare Mediterraneum, alterum per Asiam, Illyricum, Italiam, Galliamque; iter illud Hispaniense, si non totum, certe maxima ex parte, pedibus quam navigio, terra quam mari, Jacobum conficere maluisse arbitror, more scilicet, rituque Apostolico, ob eas causas, quas paragrapho primo breviter exposui. Huic opinioni videtur consentaneum esse, quod Hieronymus Faber tradidit in eo libro, quem de sacris monumentis Ravennæ antiquæ scripsit, ubi ait Ravennates, antequam ad eos D. Apollinaris appelleret, ab D. Jacobo Christi præceptis imbutos fuisse. Si enim D. Jacobus Ravennæ lumen Evangelii primus attulit, illuc non aliunde, quam vel ex Dalmatia oraque adversa Illyrica trajecit, vel terrestri circuitu post Dalmatiam, Istriam, Venetiamque maritimam Evangelio circumferendo lustratas, pervenit. Sed D. Jacobum, cum Hispaniam peteret, partem aliquam Illyrici, ac præsertim Pannoniam objisse, iisque in regionibus Christianæ fidei semina quædam spaesisse, illud mihi vel maximo argumento est, quod Andronicus primus Sirmiensium Episcopus de Hispaniensi ejusdem Apostoli expeditione, suam apud illos populos gravem inprimis ac luculentum testimonium & litteris & memoriæ consignatum extare, posterisque commendari voluit. Quid enim, amabo, intererat ea de re Pannonios tam accurate edoceri, idque in eorum monumentis ac tabulis tam diligenter servari, atque in omnes deinceps ætates ex aliis in alias propagari, nisi ex eo D. Jacobi Apostolatu, quamvis ad alias gentes pertineret immenso terrarum spatio disjunctas, quibus nihil erat commercii cum Pannoniis, aliquis tamen Christianæ institutionis fructus utilitasque in Pannonios redundasset? Hoc igitur Andronicus spectabat, ut, cum Pannoniis Jacobi ad Hispanos profectionis fidem faceret, eos simul de ejusdem Apostoli per ea loca transeuntis evangelica excursione admoneret, ac tam singulare beneficium divinitus acceptum illis in mentem revocaret, qua nimirum recordatione excitati dignos fructus ederent evangelicæ illius sementis, quam ibidem Jacobus fecerat, vitamque suam ac mores ad præcepta & exempla talis ac tanti Magistri componerent; rem vero tam insignem tum ipsi memori animo ac tenaci mente custodirent, tum posteris & voce & scriptis traderent; sanctissimique illius Apostoli per eas regiones transitum adeo universæ genti utilem ac salutarem, pio gratoque animo prosequerentur, & memoria colerent sempiterna.

ejusd em Apostoli per Pannoniam transitus.

Iter Hispan enſe D. Jacobi per Illyricum & Dalmatiã.

Sed quoniam Illyrica D. Jacobi peragratio cum ejusdem Hispaniensi profectione sic colligata est atque implicita, ut si hæc vera non sit, illius quoque veritas in discrimen vocetur; obices quosdam amoveri oportet, qui præpedium quodammodo atque obstruunt iter adeuntumque in Hispaniam S. Jacobi; præsertim si ratio habenda sit Chronologiæ Apostolicæ a nobis constitutæ; nam cætera, quæ huic sententiæ opponi solent, cum viri gravissimi doctissimique plane ac perspicue diluerint, nostra confutatione non indigent. Cum Jacobus omnium Apostolorum primus mortem pro Christo Hierosolymæ obierit, Herode Agrippa in eum capitis sententiam ferente, qui anno æræ vulgaris 44. ineunte interiit, vita & Apostolatus Jacobi ultra hunc annum prorogari non potest. Igitur neque tempus, neque facultas Hispaniæ adeundæ Jacobo videtur fuisse; nisi eum in Hispaniam profectum esse dixeris ante Apostolicam Provinciarum divisionem, quæ juxta nostras rationes Chronologicas incidit in annum 42. post cæsum Jacobum, & Petrum Herodianis vinculis divinitus exemptum. Godefridus Henschenius Tom. 1. Apr. Diatr. in Catal. Rom. PP. Exercit. 3. omnem huic argumento aditum præclusit; quippe qui, cum Apostolorum divisionem in annum quadragesimum, Jacobi vero martyrium in annum 43. conjecerit, utrique Hispaniensem Jacobi expeditionem interjecit: *Facta porro est divisio Apostolorum anno æræ vulgatæ quadragesimo, cum laberetur tunc post Ascensionem Christi annus duodecimus, quod jam statuta Chronologiæ magnam addit confirmationem. Discessit tunc Petrus Apostolorum Princeps ad principem orbis urbem Romanam, ibique primam Ecclesiæ universæ cathedram collocavit: in qua testimonio omnium, ut infra ad ejus elogium dicetur, sedit annos quinque & viginti, scilicet usque ad annum 65. quo cum martyrio coronatum infra demonstramus. Tunc etiam S. Apostolus Jacobus filius Zebedei, & frater S. Joannis*

Argumentum Chronologicũ contra expeditionẽ Hispaniensem D. Jacobi.

ab Henschenio refellitur.

Digitized by Google

nis Evangeliſtæ, potuit diſceſſiſſe in Hiſpanias, ut communis Hiſpanorum traditio habet; ac potuit tam ipſe, quam D. Petrus, ob occurrentes cauſas, circa annum 43. reverſus fuiſſe Hieroſolymam, quando Herodes Agrippa, ut afflige-ret quoſdam de Eccleſia, occidit Jacobum fratrem Joannis gladio: videns autem quia placeret Judæis &c.

Alia ejuſdem argumenti deducendi ratio ex Vita Clementina.

Sed Auctor vitæ Clementinæ aliam nobis argumenti propoſiti, nodique hujus expediendi rationem ſuppeditat. Tria ille diſtinxit Concilia, in quibus cum de aliis rebus, tum de Apoſtolica terrarum partitione actum eſt; & in primo quidem diſtributio Provinciarum deſignata fuit, ac ſua cuique decreta; in altero, itemque in tertio id, quod in priori ſtatutum fuerat, iterum decretum eſt, & confirmatum.

Triplex Concilium Apoſtolicũ de provinciis dividendis.

Eodem itaque anno, quo Chriſtus redux ab inferis revixerat, Cælumque conſcenderat, poſt adventum Spiritus Sancti, pridie Kalendas Julias, Apoſtoli convenerunt in ædes Mariæ Matris Joannis, cui cognomen erat Marco, ut diſtributis inter ſe orbis terrarum partibus, quæ cuique aptæ eſſent, divinitusque obtingerent, eæ ſingulis aſſignarentur provinciæ, quas e Chriſti præſcripto poſt annum ab ejus obitu fere duodecimum adirent. In eodem Concilio canones condiderunt, quibus tum eccleſiaſticæ diſciplinæ & Hierarchiæ deſcriptio, tum Sacramentorum rite adminiſtrandorum ratio continereturr. Hujus Apoſtolici conventus ſemel, iterum, ac tertio mentionem facit Heſychius in Vita S. Clementis: *Etenim cum delatum fuiſſet ad Annam, Caiphan, & alios Pontifices Sacerdotum, ſub die ultima Junii in Congregatione quadam, cui etiam Beata Virgo Maria Mater Jeſu Chriſti interfuit, in domo Mariæ Matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, duodecim Apoſtolos inter ſe totius mundi provincias ſortitione diſtribuiſſe, ſcilicet ut ſcirent, in quas ſinguli poſtea ituri eſſent ad Chriſti Evangelium prædicandum; cumque inſuper &c.* Deinde poſt alterum Concilium eamdem ob cauſam convocatum hæc ſubjecit: *Conſtitutiones ante ſeptennium ad Sacramentorum, & totius Eccleſiæ œconomiam debite miniſtrandam pridie Calendas Julii editas, atque a Clemente conſcriptas relegunt &c.* Demum tertio Conventu Apoſtolico deſcripto, prioris annum deſignavit: *ipſo Dominicæ Aſcenſionis anno in cœnaculo Sion convenerunt, ac habito conſilio, divina ſortitione, provincias muneri inter ſe partiti ſunt; canoneſque & Apoſtolicas conſtitutiones, quas poſtea Clemens, ut ſupra dictum eſt, Antiochiæ conſcripſit, ediderunt &c.* Huic Concilio fidem & auctoritatem adjungit perantiqua conſuetudo præſertim apud Græcos recepta diviſionis Apoſtolicæ ſingulis annis celebrandæ pridie Calendas Julias, cum Latini fere omnes in ſuis Faſtis ejuſdem diviſionis anniverſarium diem Idibus Juliis ſubjiciant. Quid enim aliud cauſæ excogitari poteſt, cur diviſionem Apoſtolorum Græci in Mæneis, in Synaxario Baſiliano, in pleriſque Menologiis ad diem trigeſimam Junii, Latini in Martyrologiis aliiſque Divorum hiſtoriis ad decimam quintam Julii adſcribant? niſi quod illa priore quidem die tantum deſignata, poſteriore autem facta fuerit, cum ſcilicet Apoſtoli ab Judæa in ſuas quiſque provincias digreſſi, initium Evangelii toto terrarum orbe promulgandi fecerunt.

Primum, die ultima Junii ejuſdem anni, quo Chriſtus cœlum conſcenderat.

Diviſio Apoſtolica apud Græcos prid. Kal. Julias apud Latinos ipſis Idibus Juliis celebratur.

Ab Chriſti Paſſione anni omnino ſeptem interceſſerant, cum Petrus Hieroſolymæ ſub Feriis Paſchalis Apoſtolis ac diſcipulis edixit diem ad conveniendum extra urbem, prope montem, unde Chriſtus in Cœlum aſcenderat. Hujus Concilii cogendi has ferme cauſas fuiſſe comperio, ut quam ante ſeptem annos deſignaverant provinciarum diſtributionem, confirmarent, ut Canones & Conſtitutiones Apoſtolicas a Clemente conſcriptas recognoſcerent, & approbarent, aliiſque inſuper legibus ac decretis augerent, ut denique Fidei formulam componerent, quod vulgo dicitur Symbolum Apoſtolicum, quæ præcipua Chriſtianæ religionis capita complecteretur, & quid cuique credendum eſſet, ſummatim ac dilucide præſcriberet. Ad hæc delectus eſt Matthæus, qui Chriſti vitam, miracula, mortem, reſque ab eo geſtas breviter atque ordine perſequens, ſuum Evangelium contexeret: *Exacta vero hebdomada annorum poſt Paſſionem Domini . . . poſt Paſcha egredientes civitatem convenerunt in locum non multo diſſitum a loco, unde Salvator aſcenderat, ibique orantes cum Maria Matre Jeſu, iterato ſibi Provincias diviſerunt; Credo, ſinguli ſingulum ferentes ſymbolum, compoſuerunt. Conſtitutiones ante ſeptennium ad Sacramentorum & totius Eccleſiæ œconomiam debite miniſtrandam pridie Kalendas Julii editas, atque a Clemente conſcriptas relegunt, & novis Canonibus ampliant. Denique Matthæo Apoſtolo de conſcribendo Jeſu Chriſti Evangelio & propter eos, qui ex circumciſione crediderant, & ſimiliter propter eos, qui mox profecturi erant ad prædicandum in aſſignatas provincias, demandant.* Demum anno proximo, qui fuit duodecimus ab exordio prædicationis Dominicæ, octavus poſt Chriſti ab inferis reditum, Petrus Apoſtolos cum Diſcipulis ac majoribus natu, Hieroſolymam convocatos, deductoſque in eumdem prope a Monte Oliveti locum, poſtquam Evangelium Matthæi de communi ſententia approbaſſet, per omnes terrarum partes ad Chriſtianam religionem propagandam quaquaverſum dimiſit; ut Miſſionem Evangelicam, quam generatim a Chriſto in orbem univerſum acceperant, a Petro etiam ſummo totius Eccleſiæ Hierarcha in eas, quæ cuique obvenerant, nominatim provincias acciperent. *Cum compleviſſet Matthæus librum generationis Jeſu Chriſti filii David, ſecundum carnem, convenerunt iterum omnes Apoſtoli Hieroſolymam, & egreſſi in locum priorem, accerſitis etiam ſenioribus Diſcipulis & majoribus natu in Eccleſia, præſente quoque ſanctiſſima Dei Genetrice Virgine Maria, poſt factam orationem Domino, lectum eſt coram omnibus Evangelium Matthæi, cui Deipara teſtimonium de veritate dedit, quodque Apoſtoli, qui omnes viderant, & audierant, approbarunt, & S. Petrus auctoritate ſua confirmavit, & ubique prædicandum mandavit. Tum oſtendit duodecimum annum eſſe, ex quo Jeſus docere cepiſſet; completamque a triumphali Reſurrectione ejuſdem Octavam, quæ Circumciſioni debebatur: quare etiam monet, ut memores noviſſimorum Domini verborum, euntes proficiſcerentur in mundum univerſum, & prædicarent Evangelium omni creaturæ humanæ. Exemplo Jacobi geſtorum in Hiſpania, proſperos ſucceſſus ſperare ſuadet. Et Joanni quidem, cui Dominus Virgini Matrem Virginem in cruce commendaverat, commendat Aſiam; Jacobo Zebedæi Hiſpaniam, Andreæ Scythiam Europæam, Philippo Scythiam Aſiaticam, Thomæ Indiam, Bartholomæo Armeniam, Matthæo Æthiopiam, Jacobo*

Alterum Concilium poſt annos ſeptem a priore.

Tertium Concilium anno 14. poſt initium prædicationis Dominicæ.

Diſtributio Apoſtolica Provinciarum.

cobo Alphæi Hierosolymam, Simoni Zeloti Ægyptum, Judæ Jacobi Mesopotamiam, Matthiæ Judæam, simul cum aliis provinciis, secundum quod cuique sorte divina demonstratum fuisse cognoverat. Paullo omnium partium Mundi Gentes relinquit; seipsum Romam totius orbis caput, atque Imperii arcem, ita sibi jubente Domino iturum, suamque in ea urbe sedem perpetuo mansuram collocaturum, annunciat. Denique exempla Evangelii distribuit, ac gratiam & pacem multiplicari omnibus, atque adimpleri precatus, Concilium concludit. Ita recreati atque in domino confortati valedicentes sibi mutuo, atque a Beatissima Virgine benedictionem accipientes, divisi sunt ab invicem Idibus Julii, quo die adhuc apud nos, & apud plurimas alias Ecclesias, hujus Apostolicæ divisionis festivitas colitur; quemadmodum etiam nonnulli die trigesima Junii illius Congregationis solemnia celebrant, qua ipso Dominicæ ascensionis anno &c. Is Auctor initium duodecim annorum, intra quos Christus Dominus Apostolos vetuerat ab Judæa Syriaque discedere, quemadmodum tradit Apollonius apud Eusebium, itemque Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, desumere videtur, non ab Christi resurgentis redeuntisque ad Cœlum epocha, sed ab exordio prædicationis Dominicæ, cum, postquam Baptismo Joannis initiatus fuit, in publicum prodire, & populum edocere, suæque doctrinæ exemplis & miraculis fidem astruere cœpit. Verum Auctorem nostrum Apollonio & Clementi facile conciliaveris, si dixeris octavo quidem anno post Resurrectionem, & duodecimo post initium Dominicæ prædicationis celebratum fuisse hoc postremum ante divisionem Apostolicam Concilium, sed triennio post Apostolos in suas quemque provincias profectos fuisse; idcirco autem Hesychius huic Concilio divisionem Apostolorum subnexuit, ut quod in eo decretum & confirmatum fuerat, reipsa deinde perfectum fuisse ostenderet, more scilicet Historicorum, qui decreta & acta, consilia & eventus, quamvis temporum intervallo disjungantur, narratione tamen conjungunt. Tantum vero abest, ut Hesychius existimaverit, aut docere voluerit, Apostolos sub eum Conventum statim relicta Judæa in alias atque alias regiones abiisse, ut ex iis, quæ deinde narrat de Petro & Jacobo, de Paullo & Barnaba, longe aliam sententiam prorsusque contrariam elicias. Nam quæ ab illis Apostolis per triennium deinceps gesta scripsit, si brevem Petri in Asiam digressionem excipias, intra fines Judææ Syriæque continentur; neque ante Jacobi Martyrium, quod cum secundo Claudii Imperatoris Consulatu, idest cum anno 42. æræ vulgaris copulavit, Petri Herodiana custodia divinitus elapsi discessum ex Judæa, Romanamque profectionem describit. Si autem Petrus & Jacobus, Paullus & Barnabas post illud Concilium tres adhuc annos in obeundis excolendisque Palæstinæ ac Syriæ regionibus consumpserunt, ut Hesychius tradit, hujus sententiæ consentaneum est, aut certe non repugnat, cæteros Apostolos idem fecisse, antequam in eas, quæ cuique obvenerant, provincias discederent. Ita fit, ut narratio Hesychii non pugnet cum præcepto Christi, qui Apostolos vetuerat Judeæ Syriæque finibus antea excedere, quam annus ab suo ad vitam reditu, regressuque in Cœlum duodecimus elaberetur.

Eo anno duodecimo, intra quem prohibiti sunt Apostoli Palæstina excedere Hesychius dissentire videtur a Clemente Alexandrino, & Apollonio.

Sed cum utroque conciliatur.

Itaque anno altero & trigesimo æræ vulgaris, in quem cum Dionysio Petavio Christi mortem, Resurrectionem, & Ascensionem conjecimus, in Conventu Apostolico Hierosolymis habito designata est provinciarum distributio; quæ iterum ac tertio lancita est & confirmata tum anno 38. cum Symbolum Apostolicum compositum fuit; tum anno 39. cum omnes Apostoli Hierosolymam convenerant, ut quemadmodum antea generatim a Christo in universum Mundum missi fuerant *ad prædicandum Evangelium omni Creaturæ*, ita postea singuli a Petro Christi Vicario totiusque Ecclesiæ Pontifice maximo in eas, quæ cuique divinitus obtigerant, regiones mitterentur; demum triennio post, cum annus ab Christi Passione duodecimus efflueret, qui æræ vulgaris est quadragesimus secundus, Apostoli ut reipsa perficerent, quod distributis inter se Mundi partibus jamdudum designaverant, ab Hierosolyma Idibus Juliis alii alio digressi, in suas quisque provincias ad Evangelium propagandum abierunt. Hujus triplicis Conventus Apostolici, quamvis nusquam alibi mentio reperiatur, vel unus tamen Hesychius Auctor est satis bonus & idoneus; præsertim cum in hoc, quod superest, fragmento vitæ Clementinæ, nihil inveniam, quod vel sacræ vel ecclesiasticæ historiæ repugnet. Sæpe Apostolos in unum locum convenisse in commune ut consulerent, ac de rebus gravissimis decernerent, inter omnes constare debet. Eodem anno, quo Christus ad Cœlum rediit, Apostolicam terrarum divisionem die trigesima Junii constitutam ac decretam fuisse, aliquot post annis faciendam, adeo non est alienum a veritate, ut id confirmari possit testimonio sane gravissimo totius propemodum Ecclesiæ Græcæ, quæ anniversariam ejusdem memoriam non Idibus Juliis, cum facta est, sed pridie Calendas Julias, cum scilicet designata fuerat, pie ac religiose concelebrat. Neque illud abhorret a vero, iterum ac tertio de hujusmodi provinciarum divisione actum esse in Conciliis Apostolicis, quæ cum alias ob causas coacta fuissent, ejusdem rei retractandæ, & confirmandæ occasionem præbuerunt. His ad hunc modum constitutis atque explicatis, ad id, quod hujus loci caput erat, unde sumus digressi, revertamur.

Distributio Apostolica Provinciarum quando designata, sancita, & ad effectum perducta.

Primum igitur si Jacobus primus omnium Apostolorum, atque adeo ante divisionem Apostolicam, extra Judæam in Hispaniam usque Evangelium intulit, non idcirco sibi ipse suo arbitratu, & sua voluntate id fecisse credendus est, aut nullo publico ac legitimo jure, nullius missu jussuque Apostolatum Hispaniensem sibi arrogasse. Etenim in ea terrarum divisione, quam post Christi ad Patrem reditum, & ferme sub ipsum adventum Spiritus sancti, instinctu divino afflatuque inter se fecerant Apostoli, Hispania Jacobo obvenerat, quam ille propterea veluti desponsam jam divinitus sibi ac destinatam provinciam, cum primum liceret, ex auctoritate Concilii Apostolici susciperet. Quod autem ante præscriptum a Christo tempus e Palæstina in Hispaniam discesserit, id divino cuidam impulsui attribuendum esse censeo. Cum enim divinitus cognovisset mortem sibi pro Christo ante obeundam esse, quam dies afferret divisioni Apostolorum præstituta, creditam sibi provinciam, Deo impellente, & cæteris Apostolis consentientibus, adire præoccupavit. Nulla enim lex juris, ut ajunt, positivi, seu divini, sive humani usque adeo omnes promiscue & singulos obstringit & ligat, ut nulla esse possit satis justa causa alicujus eo legali vinculo eximendi;

Responsio ad argumentum supra objectum contra Hispaniensem Apostolatum D. Jacobi.

di; neque Chriſtus ullum ejuſmodi præceptum Apoſtolis impoſuit, cujus relaxandi poteſtatem, ſi qua rei Chriſtianæ utilitas, vel neceſſitas, aliave gravis cauſa poſtularet, iiſdem Apoſtolis ac præſertim Petro non tradiderit. Itaque Deus ipſe hanc mentem injecit tum Jacobo, ut in Hiſpaniam proficiſci maturaret, tum Petro cæteriſque Apoſtolis, ut eum præcepto illo eximerent, quo ipſi prohibebantur Palæſtinam relinquere, antequam duodecimus ab Chriſti ad Cœlum aſcenſu annus appeteret; ne videlicet mors Jacobo ſuę provinciæ obeundæ, ſuique Apoſtolatus partes exſequendi facultatem præriperet. At, inquies, Jacobus quid rerum in Hiſpania pro Chriſto agere, quamve operam Evangelio navare poterat, cum nondum Gentibus ad Chriſti Eccleſiam aditus pateret? Nam Auctor Vitæ Clementinæ ſcripſit Jacobum profectum eſſe in Hiſpaniam Paullo Fabio, & Vitellio Nepote Conſulibus, ideſt anno æræ vulgaris 34. biennio enim poſt Cornelius Centurio primus ex Gentibus cœleſti admonitu cum in Eccleſiam per baptiſmum a Petro receptus eſſet, documento fuit, Ethnicos quoque cum Judæis in Eccleſiam admitti poſſe ac debere; ac deinde in Concilio Hieroſolymæ habito decretum eſt neminem ſive ex Gentibus, ſive ex Judæis, qui ad Chriſtum adjungi vellet, baptiſmo ac divinorum myſteriorum communione prohibendum eſſe, & ex utroque populo unam Chriſti eccleſiam effici, conflarique oportere. Quid ergo? an Jacobus iter tam longinquum ſuſciperet, ut Evangelium Hiſpanis afferret, quos nondum licebat Chriſtianis ſacris initiari? An ea Hiſpanienſis expeditio fruſtra fuit? an toto illo tempore Jacobus in Hiſpania ceſſavit? minime gentium. Etenim Judæorum coloniis refertam fuiſſe Hiſpaniam intelligi poteſt tum e Philone, qui in lib. de Legat. ad Cajum ſcripſit ea tempeſtate Judæos per Aſiam, Africam, Europam longe lateque diſperſos, in provinciis fere omnibus Imperio Romano ſubjectis, domicilia & ſedes habuiſſe; tum ex Joanne Chryſoſtomo hom. 79. in Matth. qui tradit Paullum in Hiſpaniam profectum eſſe, ut Judæos populares ſuos inviſeret. Itaque credibile eſt Jacobum primum quidem in Judæorum converſionem incubuiſſe, ex illiſque ſane multos ad Chriſti Eccleſiam aggregaſſe, ſimulque ex occaſione aliquam operam impendiſſe in excolendis indigenarum animis præparandiſque ad Chriſtiana ſacra, cum primum liceret, ſuſcipienda: deinde vero cum a Petro per litteras edoctus eſſet de oſtio ad Eccleſiam Ethnicis patefacto, ex his quoque quamplurimos verbis ac miraculis perpuliſſe, ut Chriſtianam fidem amplecterentur. Nam *Petrus*, ut ſcriptum eſt in Vita Clementina, *mittit litteras in Hiſpaniam, & Jacobo ſignificat reſeratum eſſe oſtium Gentibus ad ſalutem, jubetque etiam hos ſponte venientes ad religionem admitti*. Nec vero ſuorum Hiſpanienſium laborum, operæque Apoſtolicæ apud Hiſpanos ſive advenas ſive indigenas poſitæ Jacobum pœnituit; quippe idem Heſychius tradit *Jacobum peragratis quaſi omnibus Hiſpaniæ urbibus, & maxima ad Chriſti fidem populorum multitudine converſa, Hieroſolymam rediiſſe Aquilio & Nonio Conſulibus*. Quod autem ait *de fundatis ab Jacobo Eccleſiis, & Epiſcopis ordinatis*, id ne a veritate diſcrepet, ſic intelligi velim, Jacobum ingenti hominum numero Chriſtianis præceptis inſtructo, & ſacris myſteriis initiato, variis in locis eccleſiarum condendarum fundamenta jeciſſe, & earumdem regimini præficiendos ſeptem eximiæ fidei & ſanctitatis viros delegiſſe, quos ſecum ex Hiſpania Hieroſolymam ad Petrum perduxit. Hos deinde Petrus cum Epiſcopos creaſſet, ex urbe in Hiſpaniam remiſit, id quod tradunt Beda, Uſuardus, Ado, & alii plures, ut videlicet in ſolo jam præparato, jactiſque ab Jacobo fundamentis eccleſias Hiſpanienſes inædificarent. Ita fit, ut quamvis Jacobus primus omnium Chriſti nomen cultumque in Hiſpaniam invexerit, Hiſpanienſium tamen omnium eccleſiarum inſtitutio referenda ſit ad Petrum Principem Apoſtolorum, vel ad ejus ſucceſſores, ut docet Innocentius I. in epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum: *cum ſit manifeſtum*, inquit, *in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint, ſacerdotes*.

In hanc Apoſtolicam Hiſpanienſem expeditionem annos ipſos quatuor Jacobus inſumpſit; anno quippe 34. Paullo Fabio Priſco, & L. Vitellio Nepote Coſſ. e Palæſtina in Hiſpaniam diſceſſit; anno autem 38. M. Aquilio Juliano, & P. Nonio Aſprenate Coſſ. ex Hiſpania in Palæſtinam rediit; & poſtquam in Judæa ac regionibus finitimis per annos fere quatuor cum cæteris Apoſtolis Evangelio diligentem operam navaſſet, demum ab Herode Agrippa comprehendi juſſus Paſchalibus feriis appetentibus, præclaram pro Chriſto mortem oppetiit anno æræ vulgaris 42. in quem diviſio Apoſtolorum, & in eas, quæ cuique obtigerant, regiones profectio incidit, Provinciæ Hiſpanienſis procuratione aliis relicta, quam morte præreptus repetere ipſe non potuit. Ex his autem, quæ paullo fuſius explicata ſunt, ſatis perſpicue intelligitur, Jacobo neque tempus obeundæ Hiſpaniæ, neque facultatem defuiſſe, id quod erat hoc loco demonſtrandum. Neque enim id oneris mihi, laboriſque ſuſcepi, ut auctoritatibus & rationibus undique collectis ac productis, Jacobi adventum in Hiſpaniam defenderem ac probarem, & quæ huic opponi ſolent, argumenta refellerem; actum enim agere viderer, cum id multi & doctiſſimi ſcriptores, ac præſertim Hagiologi Antuerpienſes egregie præſtiterint. Illud tantummodo adjiciam Hiſpanienſem Jacobi Apoſtolatum traditione potiſſimum niti; vetus enim indigenarum opinio eſt, a majoribus velut per manus accepta, poſteriſque tradita, & multarum ætatum conſenſu firmata, Jacobum in Hiſpaniam veniſſe, & Chriſti Evangelio longe lateque diſſeminato, ingentem hominum multitudinem ab nefariis ritibus impuriſque ſuperſtitionibus ad rectam in Deum fidem, ſinceramque religionem avocaſſe: quæ quidem traditio, cum & conſtans ſit ac perantiqua, nam opinionum commenta delet dies, & univerſalis omnium eccleſiarum Hiſpaniæ, adventum hujus Apoſtoli ſermone & ſcriptis, & anniverſario cultu celebrantium, prudentibus & cordatis viris pluris eſſe debet, ut Petrus Ribadeneira præclare admonet, quam quidquid argumentorum ad eam labefactandam congeri aut excogitari poſſit; niſi hæc plane certa ſint atque evidentia, quibus obſiſti, aſſenſuſque ab illis contineri non poſſit. Hujuſmodi veteres piæque traditiones quo loco habendæ ſint, quantique faciendæ, non auctoritate ſolum, ſed etiam exemplo ſuo docet Tom. 3. ſæc. 1. Diſſert. 16. Natalis Alexander, qui appulſum S. Mariæ Magdalenæ in Gallias cum Lazaro fratre & Martha ſorore ut ſua-

Jacobi in Hiſpaniam profectio neque fruſtra fuit, neque otioſa.

Gallias tamen Eccleſias nullas que inſtituit Epiſcopos;

id quod poſtea Petrus ejuſque ſucceſſores fuiſſe dicuntur.

Jacobus id Apoſtolatum Hiſpanienſem quatuor annos inſumpſit.

qui poſſit tum traditione niti;

suadeat, testem appellat non integræ Nationis, sed unius Provinciæ Ecclesiarum traditionem: *In veteri quidem historia ecclesiastica nullum est hujus rei, & appulsus sanctarum sororum cum fratre in Provinciam testimonium; sed illius testis est Ecclesiarum Provinciæ traditio, ils fulta monumentis, quæ simul sumpta non levis ponderis sunt, & quibus nihil est in historia ecclesiastica, quod expresse repugnet. Hujus impugnatores traditionis, si qui de generis nobilitate gloriantur, vel hæreditaria feuda, agros, domos, reditus possident, adeo antiquis ac firmis titulis nobilitatem suam ac possessiones probare non posse confidenter dixerim: quas si litigiosi homines falsi postularent, ingeniosis forte, sed levibus freti conjecturis, illorum conatus acriter, ac vehementer repellerent.* Argumenta vero, quæ ducuntur e silentio veterum scriptorum, nihili pendet, ac vix digna esse putat, quibus refellendis operam impendat. *Respondeo*, inquit, *hæc argumenta futilia esse, quia negantia sunt.* Vellem, Alexander hæc omnia retulisset ad Hispaniensem D. Jacobi profectionem, quam ille acriter vehementerque oppugnat. Quod autem in Concilio Lateranensi IV. Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus Episcopo Compostellano, ut se illius jurisdictione eximeret, objicienti sepulchrum D. Jacobi primi Hispaniarum Apostoli, quod in sua ecclesia extabat, respondisse fertur, de Jacobi adventu in Hispaniam nihil se legisse apud probatos Scriptores; id enimvero non est ejusmodi, ut antiquæ constantique Hispanorum traditioni præferri debeat aut possit; nam tota illa narratio, quam e codice nescio quo ecclesiæ Toletanæ primus protulit Garsia Loaisa in notis ad Decretum Gundimari, cum absit ab antiquis collectionibus Conciliorum, tum secum ipsa pugnat, & anachronismis ac mendaciis referta est, ut Franciscus Macedo, & alii plures, ac præcipue Hagiologi Antuerpienses luculente ostendunt. Præterea in eodem codice Toletano scriptum est, causam ab Innocentio adjudicatam fuisse Archiepiscopo Toletano, cui itidem cum Bracarensi, aliisque Hispaniæ Episcopis eadem de Primatu controversia erat: atqui rem injudicatam ab Innocentio relictam fuisse tradunt Surrita Annal. l. 2. c. 68. & Mariana lib. 12. cap. 4. nec satis constat, interfueritne, an abfuerit huic disceptationi Compostellanus. *Roderici orationem*, inquit Mariana, *cum Bracarensis, qui aderat, & Auletanus Episcopus pro Tarraconensi refellere aggressi essent, abessent alii, quorum intererat: lite integra discessum est, neutro inclinatis sententiis.* Idem confirmant epistolæ duæ Honorii III. qui ab Innocentio proximus Ecclesiæ præfuit, altera ad Rodericum Toletanum, altera ad Bracarensem Archiepiscopum, quibus ex litteris colligitur nihil decreti secundum alterutram partem Innocentium fecisse. Præterea nihil Archiepiscopi Toletani ad causam obtinendam intererat Hispaniensem Jacobi profectionem in dubium revocare, neque enim ex ea Compostellanus, quod commune fuisset fere omnibus Hispaniæ ecclesiis, sed e sepulchro Compostellano S. Jacobi, quod suæ proprium erat ecclesiæ, argumentum sumpserat, ut jus suum dignitatemque tueretur; hinc autem cum nihil effici posse contra suum Primatum ostendisset Toletanus Archiepiscopus, si quid præterea addidisset adversum communem de adventu S. Jacobi opinionem, quam vel ipsi adversarii fatentur jam usque ab nono sæculo tota Hispania percrebuisse, hæc fuisset a causa digressio minime necessaria, & maxime odiosa, a qua ut Rodericus abstineret, ne in odium offensionemque suorum popularium incurreret, sua illum gravitas ac prudentia monebat. Nihil igitur erat, cur Cæsar Baronius tom. 9. ad an. 816. huic narrationi tantum tribueret, ut suam de Jacobi apud Hispanos Apostolatu sententiam, quam in Notis ad Martyrologium egregie defenderat, in Annalibus revocandam esse censeret, aut certe dubiam videri posse affirmaret.

De Rodrico Archiep. Toletano qui narrat Garsia Loaisa falsa esse ostenduntur.

Remota igitur Roderici Toletani Archiepiscopi auctoritate, qua nihil esse putant validius ad communem ecclesiæ Hispaniensis traditionem convellendam, de S. Jacobi profectione in Hispaniam dubitandi vix locus aliquis relictus esse videtur. Ex occasione autem Hispaniensis itineris apud Illyrios Evangelium divulgasse, rationibus & conjecturis haud absurdis supra jam demonstratum est. An vero cum ex Hispania Palæstinam repetiit, viam eamdem tenuerit, iterumque in regionibus Illyrici aliquam verbi divini sementem fecerit, mihi non liquet. In quibusdam meis schedis notatum invenio: *S. Jacobus redux ex Hispania in Judæam, visitat, uti postea Lucas, Galliam Cisalpinam, Venetiam, Dalmatiam, Pannoniam;* sed nomen auctoris, unde id desumptum est, adscriptum non invenio. In eo Chronico, cui nomen Dextri falso præfixum est, ad an. 41. *rediens Jacobus ex Hispania, Gallias invisisse dicitur, ac Britannias, & Venetiarum oppida, ubi prædicat.* Itum ac reditum Jacobi pedibus confectum fuisse suadet Apostolica regiones peragrandi ratio & consuetudo; eumque, cum in Palæstinam reverteret, eamdem fere viam relegisse, quam e Palæstina proficiscens in Hispaniam, transiensque per Illyricum, inierat. Ad extremum hic subjungere pretium operæ duxi præclaram D. Hieronymi commentationem in caput 42. Esaiæ: *In omnem terram exiit Apostolorum sonus: & in terminis orbis terræ verba eorum . . . . . Apostolos enim videns Jesus in littore juxta mare Genezareth, reficientes retia sua, vocavit, & misit in magnum mare, ut de piscatoribus piscium faceret hominum piscatores, qui de Hierusalem usque ad Illyricum & Hispanias Evangelium prædicarunt, capientes in brevi tempore ipsam quoque Romanæ urbis potentiam.* Ex hoc Hieronymi loco Cardinalis Aguirius effici posse contendit Jacobum Hispanis Evangelium attulisse: *Constat*, inquit, *Apostolos illos a Christo vocatos, dum retia sua reficerent, fuisse Jacobum, & Joannem filios Zebedæi. Unus igitur amborum prædicavit in Hispania judicio Hieronymi; at certe Jacobus, cum id nemo dixerit de Joanne.*

An D. Jacobus ex Hispania in Palæstinam regrediens Illyricum adierit.

Utamur licet in rem nostram fere eadem aut simili argumentatione. Hoc loco Hieronymus, si standum est interpretationi Aguirianæ, haud dubie designavit Jacobum & Joannem, quos *reficientes retia sua Dominus vocavit*, ut scriptum est apud Matthæum, & Lucam, *& misit in magnum mare, ut de piscatoribus piscium faceret piscatores hominum*, quorum sonus & vox Evangelica Illyricum, Hispaniam, & Romam pervasit: quippe *de Hierusalem*, ut ait Hieronymus, *usque ad Illyricum, & Hispanias, evangelium prædicarunt* &c. Igitur ex testimonio Hieronymi horum alteruter apud Illyrios Evangelium promulgavit. Ergo si Jacobum adimas Illyriis, Joannem iisdem concedas oportet. Utrumlibet autem dederis Illyrico, ex utrolibet in nationem Illyricam ingens decus & gloria redundavit; si-

Matth. 4. Luc. 5.

Digitized by Google

ve enim ab Jacobo, ſive ab Joanne Evangelii lumen acceperit, uterque poſt Petrum cæteris omnibus Apoſtolis, & gratia, & favore, & familiari conſuetudine prælatus eſt a Chriſto; nam ſecundum Petrum, ut docet Joannes Chryſoſtomus, *hi duo apicem Apoſtolatus tenuerunt*. Cæterum ego ſic exiſtimo, ex Hieronymi ſententia Apoſtolatum Hiſpaniæ & Illyrici adjudicandum eſſe Jacobo, qui non quidem ex inſtituto, & propoſito, ſed cum Hiſpaniam peteret, curſim obiterque Chriſtianæ fidei rudimenta Illyriis tradiderit: Romani vero Apoſtolatus partem aliquam Joanni adſcribendam; nam ab illis *Romanæ urbis potentiam capiam fuiſſe* ait Hieronymus; quippe Joannes Romæ cum eſſet, in ea urbe non ſolum verbo & doctrina, ſed etiam, quamvis in fervens demerſus oleum illæſus abiiſſet, prompta tamen mortis pro Chriſto ſubeundæ voluntate, præclarum Evangelicæ veritatis teſtimonium dedit.

Andreas & Matthias ab ipſo Apoſtolos Illyrici annumerabat.

E cæteris Apoſtolis, de quorum Illyrico Apoſtolatu, non equidem certis argumentis, ſed tantummodo conjectura ducor ad ſuſpicandum, duos reperio, Andream, & Matthiam, qui vel in aliqua Illyrici provincia, vel certe in finitimis Illyrico regionibus, uti tradunt, rei Chriſtianæ non inutilem operam præbuerunt. Andreas, primo ex omnibus Apoſtolis in Chriſti ſcholam adſcriptus, qui auctor itidem fuit Petro fratri ſuo, ut Chriſto ſe in diſciplinam traderet, in provinciarum diviſione Scythiam potiſſimum ſortitus fuiſſe dicitur; id quippe tradunt Origenes lib. 3. in Geneſim, Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. & alii plures. Sed cum egregium illud, quo flagrabat, Chriſtiani nominis propagandi ſtudium, majus eſſet, quam unius nationis quamvis ampliſſimæ finibus contineri poſſet, eumdem e Scythia in Græciam, Achajam, Epirum ſuos labores Apoſtolicos protuliſſe teſtantur Gregorius Nazianz. Orat. 25., Hieronymus ep. 148. Theodoretus in Pſal. 116; adde Thraciam, Macedoniam, & Theſſaliam ex Nicephoro Calliſto lib. 2. & alias ex aliis ſcriptoribus regiones, ſed longius ab Illyrico disjunctas. Jam vero cum in locis prope ab Illyrico Evangelii cauſa verſaretur, vix dubitari poteſt, quin partem aliquam Apoſtolicæ curæ ac ſollicitudinis ſuæ in Illyrios conterminos is derivaverit, quem inſatiabilis quædam Chriſtianæ religionis amplificandæ cupiditas inde uſque ab Scythia in has regiones Illyrico proximas compulerat. Ac Macedonia quidem, quam ab Andrea Evangelicis præceptis exceptam tradit Nicephorus, partem hodierni Illyrici complectebatur, quæ poſtea dicta eſt Epirus nova, nunc Albaniam vulgo appellant.

Epirus nova pars Illyrici hodierni, temporibus Apoſtolicis pars erat Macedoniæ,

Præterea Petrus Creſcentius in Opere Italico, quod *Præſidium Romanum* inſcripſit, exiſtimat Gregorium Nazianzenum, cum ſcripſit Andream veniſſe in Epirum, hoc Epiri vocabulo intelligi voluiſſe Albaniam, ſive illam partem Macedoniæ, quæ dicta eſt Epirus nova; quamvis enim hæc regio nondum Apoſtolicis temporibus Epiri nomen ſubjiſſet, tamen ſæculo quarto, ac Nazianzeni ætate jam Epirus jus ſuum ac nomen uſque ad Dalmatiam ac fluvium Drilonem protuleratque; & jam tum duplex Epirus, vetus ac nova diſtingui ſolebat. Utrum vero Nazianzenus, cum docet Andream in Epiro rei Chriſtianæ propagandæ operam dediſſe, ſub hac voce Epiri utramque Epirum ſubjecerit, an Epiri vocabulum & Andreæ Apoſtolatum iiſdem terminis definierit, quibus regio Epirotica primo ætæ vulgaris ſæculo circumſcripta erat, ex ejus verbis intelligi nequit. Cæterum ſi Andreas Macedoniam, auctore Nicephoro, evangelica prædicatione peragravit, nihil video eſſe cauſæ, cur ex ejuſdem Macedonico Apoſtolatu eximas hanc Macedoniæ partem, quæ poſtea dicta fuit Epirus nova, nunc vero Albania vocatur. Adde, quod hæc eadem pars Macedoniæ, quæ antea ad Illyricum pertinebat, & nomine ac finibus Illyrici continebatur, cum alias atque alias a proxima Græcia colonias excepiſſet, ex his & linguam, & mores, & inſtituta Græcorum ſibi adoptaverat; quocirca Chriſtophorus Cellarius Geogr. lib. 2. cap. 13. hanc veteris Illyrici partem ad Meridiem extremam appellavit *Illyridem Græcam*: *reſtant*, inquit, *quædam gentes Illyricæ Græcis colonis permixtæ, quorum conſociatione barbariem exuerunt, Græcis & ipſæ adnumeratæ. Utique ergo diſcernenda eſt Illyris barbara, quæ in Liſſo deſinit, ab Illyride Græca, quæ ab illa urbe ad Epiri fines, juxta tergum maris Adriatici, & intus aliquantum procurrit*. Hæc igitur regio, ut Macedoniæ, ſic etiam Græciæ provinciis annumerata fuit. Cum autem Veteres Græciam ab Andrea Evangelio luſtratam fuiſſe ſimpliciter affirmant, nullam ejus partem excipiunt; eoque fit, ut etiam Epirus nova, ſive Albania, quæ olim inter Græcas Provincias locum aliquem obtinuit, & fortaſſis etiam Dalmatia, quæ antiquitus dicta eſt *Prima Græcia*, Andream exceperit tota Græcia Evangelium diſſeminantem, ex ejuſque adventu & doctrina aliquem Chriſtianæ inſtitutionis fructum perceperit; id quod contigiſſe dixerim uno alterove anno ante ejus martyrium, quo perfunctus eſt apud Patras in Achaja, quodque Baronius in annum æræ Chriſtianæ 69. refert, ac Tillemontius in annum proximum detruſit.

in qua Evangelio operam dediſſe Andreæ Creſcentius tradit ex Nazianzeno.

B. Andreæ Matthiam Apoſtolum adjungimus, cujus etiam veſtigiis impreſſam, & præceptis excultam partem aliquam Illyrici fuiſſe comperimus. Beda, Uſuardus, Rabanus, Notkerus Matthiæ Apoſtolatum Judææ finibus circumſcribunt; at Sophronius apud Hieronymum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Æthiopiam exteriorem Evangelium intuliſſe prodit; plerique Græcorum in Colchide, quam Æthiopiæ nomine appellant, apoſtolico munere functum eſſe prædicant, ibique pro religione vitam ac ſanguinem profudiſſe. Verum Æmilius Sanctorius Epiſcopus Urbinas, qui vitas SS. Apoſtolorum Petri & Pauli compoſuit, eaſque Aldus Manutius non ſine præclaro encomio typis edidit, Godefridus Henſchenius mirum in modum probavit, Conradus Janningus Antuerpienſibus Sanctorum Actis interuit, auctor eſt in Apoſtolica diviſione Provinciarum, Matthiæ *gentes Macedonum, Dardanorum, Triballorum, Baſtarnarum* Evangelio imbuendas traditas fuiſſe. Hæc ille, ut credibile eſt, ex antiquis & idoneis ſcriptoribus deſumpſit; nam idem Conradus Janningus eximiæ fidei ac diligentiæ teſtimonium huic auctori tribuit; ait enim *Acta hæc e Scripturis Sanctis concinnata eſſe: eaque inde continua ſerie atque ordine ita proſequitur laudatus Auctor*, eodem Janningo teſte, *ut ex profana Romanorum hiſtoria, Sanctorumque Patrum ſcriptis intermiſceat alia, quæ ad elucidandam magis hiſtoriam ſacram, ei viſa ſunt opportuna. In his tamen*, ut Janningus ſubdit, *quamquam ex antiquis ſcriptis pleraque deſumpta, & juxta ſenſum ætatis, qua Sanctorius hæc compoſuit, explicata ſunt, non ubique tam certa eſt veritas, ut nunc ei con-*

De Apoſtolatu Illyrico S. Matthiæ.

ei contradici non poſſit ex ſententia virorum eruditorum, qui aliter ſentiunt. Quænam vero ea ſint, quibus *contradici poſſit*, ea Janningus non deſignavit. Equidem adduci nequeo ut credam virum graviſſimum pro ſuo arbitratu regiones illas ſanctiſſimo huic Apoſtolo affingere voluiſſe; præſertim cum in aliis provinciis dividundis, & ſua cuique tradenda, Euſebium auctorem, & ſcriptores antiquos ſequatur. Ego vero ſic exiſtimo. *Æthiopiam* quidem ſive *Colchidem* ex diviſione Apoſtolica ſpeciatim Matthiæ decretam fuiſſe, ſed non ita eum in hac regione quibuſdam quaſi cancellis concluſum fuiſſe, ut non liceret, quemadmodum cæteris, ita & Matthiæ, in alias ſubinde vel longinquas regiones Evangelii cauſa excurrere, pro eo ac poſtularet utilitas vel neceſſitas rei Chriſtianæ. Sanctorius autem non videtur diſtinxiſſe extraordinarium ab legitimo proprioque Matthiæ Apoſtolatu; & quas ille gentes extra terminos Evangelicæ ſuæ procurationi præſcriptos ad tempus, præter officium munuſque Apoſtolicum ſibi traditum, erudierat, eas ex decreto Apoſtolorum nominatim Matthiæ aſſignatas fuiſſe exiſtimavit. Utcumque tamen fuerit, ſi Matthias apud Triballos Dardanoſque operam Evangelio navavit, certe pars aliqua Illyrici ab eo adita fuit, & Chriſtianis præceptis ac myſteriis imbuta. Nam Triballi populi erant Mœſiæ inferioris; Dardania vero pars fuit Mœſiæ ſuperioris vergens ad Meridiem, & Macedoniæ finitima. Ex aliis Apoſtolis neminem reperio, qui vel curſim obierque Illyricum obierit, ſive aliquam Illyrici partem attigerit; quippe ceteris omnibus, cum regiones ſortiti fuerint longiſſime in Ortum ab Illyrico disjunctas, nulla indidem ad Illyrios populoſque Occidentales digrediendi opportunitas aut facultas fuiſſe videtur; niſi de Philippo aut Simone Chananæo ſuſpicari libeat, quorum alter in Galliam, alter in Britanniam profectos eſſe dicitur; ſed utriuſque expeditio ſive Gallica, ſive Britannica ab eruditis viris refellitur.

Triballi & Dardani gens Illyrica.

Multi quidem ex Apoſtolis, ut dictum eſt, ſi minus ex officio atque inſtituto, tamen ex occaſione, atque itinere operam ſuam induſtriamque Apoſtolicam ad Illyriorum converſionem ac ſalutem contulerunt; quem vero extet, & de quo ſit memoriæ proditum peculiarem propriumque Illyriorum Apoſtolum fuiſſe, & ita eſſe habitum, nullus fuit, ſi quidem ſtandum ſit Veterum Catalogis, in quibus accurate deſcripta eſt diſtributio Provinciarum, & ſingillatim nominatæ regiones, quæ cuique obtigerunt. Cuinam enim Apoſtolorum Provincia Illyrica nominatim demandata fuerit, neque in his, quos dixi, Catalogis, neque apud Veteres Scriptores traditum eſt. Atqui Apoſtolicis illis temporibus Illyricum regio erat multo ampliſſima ac nobiliſſima, plurimas maximaſque provincias, & gentes multitudine propemodum innumerabiles complectens; & inde uſque ab lacu Brigantino inter Danubium a Septemtrione & Italiam, mare Adriaticum, Macedoniam & Thraciam ad Pontum Euxinum uſque porrecta; ac proinde digniſſima, quæ in Apoſtolicam terrarum diviſionem veniret, cujuſque mentio ſpeciatim fieret, & peculiaris ratio haberetur. At quamquam de Illyrico in ejuſmodi Catalogis littera nulla invenitur, certe quidem Hieronymus inter provincias, quas divini Spiritus inſtinctu ſortiti ſunt Apoſtoli, diſerte expreſſeque annumerat Illyricum; ſed neminem Apoſtolorum nominat, cui expeditio Illyrica commiſſa fuerit; quippe in Commentariis ad caput 34. E-

Cuinam Apoſtolorum proprie ac nominatim Illyrica provincia decreta fuerit.

Illyricum Sacrum.

ſaiæ ait, *Spiritum Domini congregaſſe Apoſtolos, dediſſeque eis ſortes, ut alius ad Indos, alius ad Hiſpanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret.* Quamvis igitur tacitum ſit prætermiſſumque Illyricum in Catalogis ſupra laudatis, quorum Auctoribus non videtur curæ fuiſſe omnes Europæ & Occidentis regiones nominatim perſequi, & quæ cuique obvenerint, ſingillatim perſcribere; nulla tamen dubitatio eſſe poteſt, quin ſuus & proprius Illyrico Apoſtolus in ea provinciarum ſortitione deſignatus fuerit; hunc autem Paullum fuiſſe arbitror, qui haud exiguum ſui Apoſtolatus tempus laboremque in regionibus Illyrico finitimis inſumpſit, & partem certe aliquam in Illyricum etiam derivavit, ut docent Hieronymus, Nyſſenus, Aſterius, aliique plures, & graviſſimi auctores. Fateor equidem Paulli Apoſtolatum nullis terminis circumſcriptum fuiſſe, & Mundum univerſum ejuſdem evangelicæ prædicationi traditum eſſe, ut Petrus Equilinus præclare admonet: *totus Mundus Paullo Apoſtolo datus eſt, ſecundum quod in ejus collecta eccleſia aſſerit dicens; Deus, qui Mundum univerſum Beati Paulli Apoſtoli prædicatione docuiſti.* Sed quemadmodum Petro, cujus poteſtas, juriſdictio, & ſollicitudo Apoſtolica nullis limitibus circumſcripta totum terrarum orbem complectebatur, aliquæ peculiares provinciæ decretæ ſunt, *Pontus*, ſcilicet, *Galatia*, *Bithynia*, *Cappadocia*, *cæteræque confines*, ut tradit Euſebius; ſic etiam Paullo cum omnium gentium cura, Illyriorum Chriſtiana inſtitutio præcipue demandata eſt; ex quo fit, ut eccleſia Illyrica alterum ex Apoſtolorum principibus, veluti parentem ſuum & conditorem præcipuum agnoſcere debeat, & peculiari quodam, eximioque cultu venerari.

Paullus videtur fuiſſe proprius & peculiaris Apoſtolus ecclæ Illyrici.

CAPUT II.

De diſcipulis ſive Chriſti, ſive Apoſtolorum, qui apud Illyrios rem Chriſtianam amplificarunt.

CUm ergo Illyricum ſolum cura & prædicatione Apoſtolica mollitum & ſubactum divini verbi ſemen excepiſſet, jamque læta Chriſtianorum ſeges niteret, uberioreſque in dies fœtus aliis alii ſuccreſcerent; brevi conſtare cœpit in Illyrico magnam eſſe animorum præparationem ad Evangelii ſatus accipiendos, & ad fidem Chriſti in ea regione ſane ampliſſima diſſeminandam, colendamque multorum operam atque induſtriam requiri. Quocirca tum rei Chriſtianæ bene gerendæ ſpes, tum exemplum & auctoritas Apoſtolorum animos ac ſtudia Diſcipulorum ſic excitavit, ut ad vineam illam excolendam, colligendoſque ex illa meſſe manipulos certatim undique confluerent. Et alii quidem partim cum Apoſtolis, quibus ſe comites evangelicæ expeditionis adjutoreſque adjunxerant, partim ab eorum comitatu disjuncti per ſeipſos, alii vero Apoſtolorum juſſu miſſuque præclaram in Illyriis ad Chriſtum convertendis informandiſque ad religionem atque omne munus officii Chriſtiani operam poſuerunt. Petrus cum e Palæſtina Romam profectus, ex tranſitu Illyricum evangelica prædicatione peragravit, Romanæ expeditionis ſocios ſibi adjicivit nonnullos e diſcipulis, quorum aliquos auctor vitæ Clementinæ nominatim percenſet: *Poſt hæc*, inquit, *benedicens fratribus, cum Clemente, Andronico, Domnio, Marco, qui & Evangeliſta,*

Diſcipuli Apoſtolorum egregiam Evangelio apud Illyrios operam navarunt.

Digitized by Google

Evodio, Apollinare, Rufo, Martiale, Materno, Crescente, plurimisque aliis ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit. De Evodio aliqua potest esse controversia; hunc enim aliqui tradunt a Petro Antiochiæ relictum esse, & proxime post Petrum sedem Antiochenam tenuisse. Verum alii contra sentiunt, veluti Chrysostomus, Theodoretus, & Felix Papa III. in epistola ad Zenonem, qui Petro in regimen Antiochenæ ecclesiæ Ignatium suffectum fuisse testantur. Fortasse Evodius is, qui Petro se comitem in Romano itinere præbuit, alius fuit diversusque ab eo, cui Petrus Pontificatum Antiochenum gerendum tradidit. Ex illo tam egregio Petri Romam euntis comitatu, nemo fuit, quin eidem Petro Evangelium apud Illyrios disseminanti auxiliarem operam præstiterit. Sed cæteris prætermissis, ex eo numero quatuor potissimum fuere, qui diligentius quam alii impensiusque in Christianam Illyriorum institutionem, & ecclesias Illyricas fundandas incubuerunt, Clemens, Andronicus, Domnius, Apollinaris, quibus plures alios adjicias, quos rei Christianæ in Illyrico plurimum utilitatis & incrementi attulisse vel ab idoneis probatisque auctoribus traditum est, vel probabili conjectura suadetur.

præsertim Clemens, Andronicus, Domnius, Apollinaris, Principis Apostolorum Discipuli,

§. I.

De *Apostolatu Illyrico Clementis, Lucæ, Apollinaris.*

Clemens socius & adjutor Petri,

S. Clemens inter Discipulos Petri facile princeps, quem non solum *virum Apostolicum*, sed etiam *Apostolum* appellat Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, ex quo se Principi Apostolorum in disciplinam tradidit, numquam fere ab ejus latere & comitatu discessit. Itaque se illi omnium itinerum, laborum, periculorum comitem ac socium præbuit, adjutoremque ad rem Christianam administrandam assiduum ac diligentem. Auctor vitæ Clementinæ in procemio provincias omnes nominatim persequitur, quas Clemens cum Petro Evangelii causa peragravit: *Clemens a Petro itineris comes delectus, Judæam cum illo, & Syriam, Ciliciam & Bithyniam, Pontum & Cappadociam, Phrygiam & Pamphiliam peragravit.* Et paullo post; *relegendum*, inquit, *utriusque iter sive in Europæ, sive in Africæ provinciis confectum; nam & Ægyptum adiit, & Libyam lustravit; & ad Occasum usque Hispanias, Gallias, Germanias, Italiam, insulas multas, Græciam & Illyricum universum, itemque Venetias, & Istriam, & Dalmatiam, & Pannonias, & Macedoniam, & Epirum, & Masias, & Thraciam, & Scythiam, Getiamque cis & ultra Danubium obambulavit.* Postquam igitur cum Petro per omnes fere Illyricas regiones Evangelium Christi circumtulisset, Petro per martyrium e vivis sublato, nihilo segnius apud eas gentes pro stabilienda & propaganda religione elaboravit, neque exiguam Apostolici sui muneris partem ad veteres augendas, novasque instituendas in Illyrico ecclesias convertit. Tres potissimum ab eo fundatas ecclesias tradit Hesychius, ut testatur Simon Begnius, penes quem integræ Clementinæ vitæ exemplar extabat; nimirum Sardicensem in Dacia, Mursiensem, & Singidonensem in Pannonia, quin etiam episcopatum Sardicæ & conditum, & aliquamdiu administratum a Clemente fuisse idem Hesychius affirmat, idque ab aliis quoque literis proditum invenio; sed Clementem primum Sardicensem Episcopum ab nostro Clemente alii distinguendum putant; hunc quidem Petri Discipulum & in Romana cathedra successorem, illum vero e 72. Christi Discipulis unum fuisse existimant. Sed hæc alius. Præterea in vita S. Domnii primi Salonarum Antistitis, ab eodem Hesychio conscripta, traditur Clemens solitus fuisse, cum ecclesias reviseret ac lustraret, duos Episcopos Apostolicarum peregrinationum comites ac socios circumducere, ut sicubi constituendi essent Episcopi, in promptu haberet, quorum opera ac ministerio, manuumque impositione ad solemnem illorum consecrationem uteretur; idem vero in Dalmatiam cum venisset, a S. Domnio Episcopo ecclesiæ Salonitanæ ingenti honore ac lætitia exceptus fuisse, sisque ab eo postulasse, ut sibi duos illos Episcopos ad breve tempus commodaret, qui ad Cajanum & Symphorianum Episcopos solemni ritu ac cæremonia creandos, suos adjutores futuros, ministerium sibi atque operam præberent. *Post vero cum jam Petrus & Paulus Neronis jussu Romæ martyrium consummassent, contigit S. Clementem illac pertransire, quem Sanctus Pontifex excepit, sicut Angelum Domini. Habebat Clemens duos Episcopos secum, cum quibus, ubi opus esset, Episcopos consecrabat. Petiit ergo Domnius a S. Clemente concedi sibi præfatos Episcopos, cum quibus idem duos ex suis Sacerdotibus Episcopos ordinavit, Cargenium videlicet, & Symphorianum, quos & successores post mortem, alterum post alterum habuit.* Sed interest scire, utrum Clemens ante susceptum, an post depositum Pontificatum Romanum, suas peregrinationes Illyricas instituerit. Clementem alii Lino substituunt, & tertium, alii Cleto subrogandum putant, & quartum numerant inter Romanos Pontifices. Si posteriorum sententiam sequi libeat, cum Clemens Cleto suffectus vita simul & Pontificatu ebierit anno tertio Trajani Imperatoris, quo jubente trans Pontum in exilium detrusus, & apud Tauricam Chersonesum in mare demersus pro Christi fide mortem oppetiit; nulla est controversia, quin in Dalmatiam venerit, & suo apud Illyrios Apostolatu perfunctus fuerit, antequam universalis ecclesiæ administrationem capesseret. Sed in vetustissimo Catalogo Romanorum Pontificum, quem cæteris omnium vel auctoritate vel antiquitate præferendum censent Hagiologi Antuerpienses, ediditque Henschenius, atque præclaris animadversionibus illustratum præposuit tomo primo Aprilis, Clementi subjicitur Cletus; idque confirmant tum Catalogus Pontificalis Reginæ Sveciæ usque ad Pelicem IV. & Justiniani imperium perductus, tum Optatus Milevitanus, & S. Augustinus epistola 165. apud Henschenium.

Clementis in Dalmatiam adventus.

De tempore Pontificatus Romani, quæ Clemens gessit, duplex sententia.

In hoc igitur Catalogo Clemens ab Lino proximus annos fere decem Romanam sedem tenuit usque ad septimum Vespasiani Augusti, & quintum Titi Cæsaris Consulatum, qui congruit cum anno æræ vulgaris 76., post quam anno proximo ineunte 77. Pontificatu se abdicavit; nam hujus anni Consules in Catalogis Cleto successori tribuuntur, cujus Pontificatus maximam hujus anni partem occupavit. Causam abdicandi fuisse ferunt contentiones quasdam inter Christianos, quas ut sedaret, sponte Pontificatum dimisit; idque ajunt intelligi posse ex ejusdem Clementis ad Corinthios epistola, quos inter se dissidentes, exemplo suo, ad pacem & concordiem revocat, suadens, *ut si quis esset inter eos strenuus, misericors, charitate plenus, diceret* (quemadmodum ille Romæ & dixerat & fecerat) *si propter me sedi-*

Clemens a Lino sufficitur ac tertius inter Rom. Pontifices.

Romano Pontifici se abdicat.

ges in Illyrico fundavit ecclesias.

Digitized by Google

seditio, contentio, & schisma orta sunt, emigrabo, abibo quocumque volueritis, & quæ a plebe mandantur, faciam; solum Christi ovile, cum constitutis supra se Presbyteris, in pace degat. Hoc autem confirmant auctoritate Epiphanii Hæres. 27. qui eadem Clementis verba laudat, ex iisque de abdicatione muneris, ac regiminis Pontificii, non inscite conjici posse existimat.

At si Clemens anno 77. Pontificatum deposuit, vitamque exinde perduxit usque ad annum tertium Trajani, centesimum æræ Christianæ; *quid ergo*, inquit Henschenius, *de viginti & tribus annis interpositis dicendum? Asserunt varii S. Clementem a Petro ordinatum Episcopum, recusato Pontificatu Romano, ipsum non suscepisse nisi post obitum SS. Lini & Cleti. Quidni potius dicamus S. Clementem anno 77. abdicasse Pontificatum, & Episcopum Apostolicum nulli sedi affixum, reliquo vita tempore vixisse? Godefridus Vendelinus in suo Commentario ad S. Clementis epistolas, hanc controversiam ita diremit. Anno 77. cum Romæ inter fideles orta esset, (qualis postea Corinthi) magna dissensio super honore Pontificatus; Clemens ne quasi ex testamento Petri successisse videretur, ac ne posteris hæc Principatus ambitio pernicioſi exempli haberetur, ultro se Pontificatu abdicavit.* Hæc Vendelinus, quibus Henschenius subjecit, quæ sequuntur: *Porro videtur illud ipse Clemens innuere in epistola ad Corinthios scripta, a Clemente Alexandrino, & S. Hieronymo laudata, ubi in posteriore parte epistolæ ista habet: Si propter me seditio, contentio, schismata orta sunt, emigrabo, abibo quocumque volueritis. Certe S. Epiphanius Hæresi 27., quæ est Carpocratianorum, asserit a nonnullis tradi S. Clementem ab omni administratione vacasse, & eum in quadam epistola scripsisse: Recedo, exeo, bene stabiliatur populus Dei, nonnullis hoc modo consulens: nam in quibusdam Commentariis ita scriptum reperitur. Hæc Epiphanius. Hoc ergo modo S. Clemens, relicta ecclesiæ universalis administratione, reliquam vitam peregisset, dum successive Pontifices Romani præessent SS. Cletus, Anacletus, & Evaristus, cujus tempore, jam plenus dierum, & meritorum Clemens obiisset Martyr anno, ut diximus, Trajani tertio, æræ vulgaris centesimo.*

Clemens semel atque iterum Pontificatu cessit.

Sed Papebrochius, paullum ab Henschenio dissentiens, existimat Clementem semel atque iterum Pontificatu decessisse; primum post martyrium Petri, a quo & Episcopus creatus, & successor designatus cum fuisset, ne rem hanc pessimi exempli posteris proderet, de jure suo cessit, alterius in locum Petri substituendi potestate relicta Clero populoque Romano, qui Linum, antea Petri Vicarium, cunctis suffragiis in sede Romana collocarunt. Ad hanc primam Episcopatus Romani abdicationem referenda esse censet Papebrochius tum verba illa Clementinæ ad Corinthios epistolæ, tum quæ in eamdem sententiam Epiphanius conjectando scripsit.

Deinde vero Clemens Lino sublectus, cum annos fere decem Pontificatum gessisset, sive quod ob insignem animi de se demisse & humiliter sentientis modestiam non videretur sibi tanto oneri ferendo esse, sive alias ob causas, singulari exemplo summum Sacerdotium posuit; id quod ex Catalogis plane & perspicue intelligitur, in quibus cum Clementis Pontificatus desinat in Consulatum VII. Vespasiani & quintum Titi, & ab hoc Consulatu Clemens usque ad Imperium Trajani & annum æræ vulgaris centesimum vitam produxerit, necesse est multo prius administran-

dæ ecclesiæ, quam vivendi finem fecerit. Præterea cui persuasum est de prima abdicatione, huic secunda haud difficilis creditu videri potest; utraque enim præclare congruit cum ea, qua Clemens præditus erat, magnitudine animi humana omnia despicientis, in studio Christianæ humilitatis penitus defixi, & ab honorum insignibus vel admittendis vel retinendis omnino alieni; qui præterea ægre ferret se uni loco affixum esse, sed liber ac solutus esse cuperet, ut quaquaversum, & longe lateque Evangelium propagaret. Ad hunc fere modum sententiam suam exposuit Papebrochius: *Abdicandi causam*, inquit, *Vendelinus conjectat aliquam in ecclesia dissensionem similem Corinthiacæ, cujus causa illuc scribens Clemens suadebat, ut si quis esset inter eos strenuus, misericors, charitate plenus, diceret, si propter me seditio &c. Quæ verba videtur Epiphanius accepisse tamquam prolata in persona propria hæresi 27. cap. 6.; cum recte intellecta non hanc*, idest secundam, *sed priorem a morte Petri cessionem confirment; ut qui idem fecerit ipse, quod aliis, videlicet Corinthiis, postea suasit. Quod ad ultimam cessionem attinet, licet ejus nullum clarum, & distinctum extet in antiquitate testimonium, satis certa tamen nobis videtur ex communi auctorum omnium veterum consensu de morte sub Trajano obita, quæ absque hujusmodi cessione nequit cum Catalogis conciliari. Ipsa autem secunda cessio facile persuadebitur ei, qui satis fuerit persuasus de prima; indicat enim animum alienum a summo gradu, & urice cupientem Evangelio prædicando vacare.* Propius pag. 87.

Post Pontificatum an. 77 depositum ecclesias Illyricas sæpe lustravit.

Sed utcumque, sive una, sive duplex fuerit abdicatio, cum Clemens ab anno 77., quo Romana Cathedra decessit, usque ad annum centesimum, quo Martyrium subiit, totum illud tempus intermedium ad Evangelium promulgandum, & Apostolici, sive, ut mavult Papebrochius, Evangelici Episcopi partes strenue obeundas contulerit, per hosce annos Illyricas etiam ecclesias iterum ac sæpius lustravit, & Mursensem, ac Singidunensem in Pannonia, Sardicensem in Mœsia, quæ postea Dacia Aureliani dicta est, instituit; & huic etiam per aliquot annos præfuisse potuit. Ad hoc potissimum intervallum pertinent, quæ de immensis itineribus laboribusque Apostolicis Clementis scripsit auctor ejusdem vitæ, a nobis sæpe laudatus: *Vere dignus honore, dignus æterna memoria, qui in tot, tantisque terræ tractibus, regnis & provinciis, totque item marinis insulis, ad quas nunc adversa, nunc secunda navigatione allapsus in Cypro, Rhodo, Corcyra, Melita, Sicilia, Sardinia, Corside, Balearibus, & aliis superi inferique maris, innumeras orco animas eripuit, & Christo per fidem peperit, multas Deorum ædes undique evertit, plurimas Christo erexit ecclesias, multos idolorum per prædicationem minuit ministros, plurimos per ordinationem Christo auxit Sacerdotes: atque ut compendio summa vastitas coarctetur, quingentis * Urbibus Episcopos dedit, veluti nobis suo loco referendæ Sardicenses, Sirmienses, Salonitanæ, & quæ cunctas auctoritate superant, Romana tabulæ faciunt fidem.* In promio. * forsasse quinquaginta.

Adventus Clementis in Dalmatiam in quod tempus constituendum.

Sed adventum S. Clementis in Dalmatiam, de quo supra dictum est, non male fortasis conjeceris in biennium illud, quod a Petri martyrio intercessit usque ad Clementis Pontificatum; siquidem Linus utrique interjectus, verus ac summus Pontifex præfuit Ecclesiæ annos omnino duos & menses fere tres, ab anno 65. ad an. 67.

Digitized by Google

nam reliquis novem annis, quos eidem attribuunt Catalogi, Vicarius Petri fuit, ejusque nomine & auctoritate Ecclesiam Romanam administravit: quo quidem temporis intervallo Clemens, Ecclesias peragrando, nihilo segnius, quam post depositum Pontificatum, Episcopi Apostolici partes peregit. Cum enim in vita S. Domnii scriptum sit, *cum jam Petrus & Paulus martyrium consummassent, transitum Clementis per Dalmatiam contigisse*, non videtur Dalmatica illius profectio differri posse in annum 77. quo Pontificatum dimisit, sed Apostolorum martyrio statim subjicienda esse, anno videlicet 65. vel 66. Cæterum non est necesse verba illa perinde accipi, ac si vera esse non possent, nisi Clemens sub Petri martyrium in Dalmatiam illico profectus fuerit; sua enim illis veritas constat, quamvis post obitum Petri plures annos intercesserint, antequam Clemens in Dalmatiam veniret, modo rerum series atque ordo servetur, & hujus in Dalmatiam adventus martyrio illius non anteponatur. Potest igitur Dalmatica Clementis profectio referri in annum 77. vel 78. postquam Romana Cathedra, Cleto relicta, decesserat. Sed de transitu Clementis per Dalmatiam iterum dicendum erit in Actis S. Domnii, itemque in Actis Cajani & Symphoriani episcoporum Salonitanorum.

An Clemens ad Dalmatas scripserit Epistolam, quæ tempore Hesychii in Ecclesiis Dalmatiæ legi solebat.

Cum Clemens plures epistolas scripserit, quæ in Ecclesiis legi solebant, ut tradit S. Epiphanius hæres. 30. suspicio est ex his unam missam fuisse ad Ecclesiam Salonitanam, eam videlicet, quam Hesychius Salonitanus Episcopus in Vita Clementina ait apud Dalmatas servari, legique in Ecclesiis Dalmatiæ, quibus idem Hesychius jure metropolitico præerat; qua quidem in epistola Clemens querebatur de corruptelis ac depravationibus, quas hæretici in sua scripta invexerant: *Gesta*, inquit, quæ Clemens de circuitionibus Petri scribens de se narraverat, *fuisse per Ebionæos hæreticos vel expuncta, vel corrupta, vel adulterata conqueritur idem in epistola, quæ etiamnum apud nos in sanctis Dei Ecclesiis lectitatur*. Quod si verum esset, Clemens non solum prædicatione Evangelica, sed etiam litteris Apostolicis, Ecclesiæ Illyricæ ac Dalmaticæ profuisset.

S. Lucas Apostolus Dalmatiæ.

Lucam Evangelistam Evangelio apud Illyrios & Dalmatas promulgando operam navasse auctor est sane gravis in primisque idoneus Epiphanius, qui Hær. 51. hæc de S. Luca litteris ac memoriæ tradidit: *Huic prædicandi Evangelii munus est creditum, idque primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia præstitit, sed in Gallia præ cæteris, ut de nonnullis comitibus suis Paullus testatur; Crescens, inquit, in Gallia. Non enim in Galatia legendum est, ut quibusdam immerito placuit, sed in Gallia*. Galliæ vocabulo non transalpinam, quam Franciam nunc vocant, sed Cisalpinam Galliam, idest Italiam Apennino & Alpibus interjectam, intelligi oportere plerique existimant. Hoc docet Petavius, quo cum alii consentiunt, in suis ad eum Epiphanii locum animadversionibus: *Lucam in Gallia prædicasse nullus, quod sciam, prodidit; atque haud scio, an Galliam Cisalpinam intelligat, per quam in Dalmatiam, Græciamque contenderit*. Sed huic interpretationi duo mihi officere videntur: illud primum est, quod Epiphanius Italiam ab Gallia distinxerit, cum jam inde ab ætate Augusti Italia nomen suum, finesque usque ad Alpes protulisset; neque credibile sit Epiphanium, præter ætatis suæ morem & consuetudinem, nihil aliud Italiæ nomine significare voluisse, nisi veterem illam & proprie dictam Italiam, quæ intra Rubiconem fluvium continebatur; alterum deinde illud est, quod ratio itineris ab Epiphanio descripta non satis cohæret cum Gallia Cisalpina. Si enim Lucas Roma profectus est, ut infra dicemus, indeque initium Apostolicæ suæ peragrationis sumpsit, consentaneum erat, illum non e Dalmatia in Galliam Cisalpinam, sed hinc in Dalmatiam progredi. Quare Marcus Hansizius in Germ. sacr. tom. 1. par. 1. c. 2. existimat Epiphanium, huic verbo, cum Galliam dixit, Noricum & Japydiam regiones Illyrici subjecisse, quæ quidem non solum antiquitus, sed etiam temporibus Epiphanii, Galliæ vocabulo ab Græcis præsertim donari solebant: *Quidquid supra Pannones est, Græcis Gallia vocabatur, populique in Norico habitantes fere Galli nomine veteri appellabantur: sic Boji Galli, Taurisci Galli, & ii, qui ad mare Adriaticum accolebant, Senones Galli, scilicet confuso dudum inter Germanos & Gallos vocabulo: sic & Procopio dicitur: Ex montibus Celtarum, qui nunc Galli appellantur, natus fluvius Ister. Japydia quoque, quæ pars est hodiernæ Carniolæ, a Græcis vocata Gallia. Sic Socrates de expeditione Theodosii contra Eugenium scribens, Theodosius, inquit, relictis ambobus filiis in urbe Constantinopoli, cum proficisceretur contra Eugenium bellaturus, parvo tempore cum manu maxima venit ad Gallias: illic enim parabat bellum, ubi jam multa millia habebat exercitus. Fit ergo congressio circa fluvium vocabulo Frigidum &c. Hæc Socrates. Fluvius frigidus est Vipasus ad pedem Alpium Juliarum seu Japydiæ veteris. Galliæ, in quibus multa millia congregata Theodosius habebat, haud esse poterant aliæ, quam Noricum & Japydia, denique regio circa alpes Julias sita; nam easdem Alpes Eugenius, teste Sozomeno, præoccupatas præsidio tenebat. Atque ista sane Galliæ sunt, quo Theodosius parvo tempori perveniisse dicitur . . . . Isto plane sensu verba Epiphanii videntur capienda; nam & tenor ipse sententiæ isthuc ducit: Evangelium, inquit, in Dalmatia, Gallia, Italia prædicavit; ea nimirum, ut innuere videtur, itineris serie, ut primum in Dalmatiam venerit, inde in Galliam, demum in Italiam profectus sit; ex Italia demum reversus sit in Macedoniam. Quæ series valde indicat, haud aliam isthic Galliam, quam illam, ad quam ex Dalmatia proxime transitur, nempe Japydiam & Noricum, Dalmatiæ & Italiæ interjectum intelligi; atque hac sane via necesse erat Lucam incedere in Italiam profecturum*. Hæc si vera sunt, Lucas non solum in Dalmatia, quod extra controversiam est, sed etiam in aliis partibus Illyrici sive antiqui, sive hodierni Evangelium divulgavit; ex quo præterea efficitur inter Evangelicos Illyrici cultores, e sententia Epiphanii, annumerandum esse etiam Crescentem Divi Paulli discipulum, qui in eadem Gallia ad eas gentes Christianis præceptis erudiendas operam suam insumpsit, ut idem Hansizius opinatur: *Cæterum ex prolatis laudati Epiphanii verbis dilucescit etiam Crescens Paulli discipulus, qui in eadem Gallia diu videtur Evangelium promulgasse*.

Epiphanius Galliæ vocabulo Noricum & Japydiam, Illyrici provincias, videtur subjecisse.

Crescens etiam Illyrici Apostolus ex Epiphanio juxta interpretationem Hansizii.

S. Lucæ in Dalmatiam adventum cum anno æræ vulgaris 58. componendum esse arbitror, postquam scilicet Romæ cum Paulio biennium exegisset; nam Paullo, quamdiu is in vinculis fuit, assiduum se ac fidelem socium præbuit, ut ipsemet Paul-

Lucas in Dalmatiâ advenit post Paullum Romam ex Rodia egressum anno 58. vel 61.

Paullus teſtatur in ſecunda ad Timotheum epiſtola, quam e primis vinculis datam fuiſſe in Actis S. Titi demonſtrandum erit: *Demas*, inquit, *me reliquit diligens hoc ſaculum, & abiit Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, . . . Lucas eſt mecum ſolus*. Nec vero a Creſcentis in Galatiam ſive Galliam profectione Lucæ in Dalmatiam diſceſſum longo intervallo disjungere videtur Epiphanius; quippe citans ejuſdem epiſtolæ locum modo laudatum, in Galliam, cum alios ex Pauli Diſcipulis, tum Lucam adiiſſe ait: *Sed in Gallia præ ceteris* (Lucas prædicavit Evangelium) *ut de nonnullis comitibus ſuis Paullus in epiſtolis teſtatur: Creſcens, inquit, in Gallia*: quod perinde eſt ac ſi diceret: ſic Lucas, quemadmodum Creſcens ex urbe in Galliam diſceſſit, hic quidem ante, ille vero poſt Paullum vinculis exemptum, & poſt Dalmatiam peragratam. Hiſce temporibus Dalmaticam Lucæ profectionem conſignavit Jacobus Tirinus in Præfat. ad Comment. in Lucam: *Adhæſit comes S. Paullo uſque ad prima ejus vincula Romana. Mox, Epiphanio teſte, in Dalmatiam abiit, Galliam peragravit, Macedoniam, Græciam &c.* Idem confirmat Philippus Thomaſinus in Monumentis ſacris Iſtriæ: *Anno Neronis quinto* (qui eſt vulgaris æræ 58.) *Lucas Evangeliſta abſolvit Actus Apoſtolorum, & Epiphanio teſte abiit ad prædicandum Evangelium Dalmatis, Gallis, Italis, & Macedonibus*. Si tamen cum Baronio exiſtimes Paullum anno 61. vinculis exemptum fuiſſe, huic anno adſcribas oportet Lucæ in Dalmatiam adventum.

Cum igitur Paullus ſuam cauſam Neroni probaſſet, ejuſque ſententia abſolutus eſſet, Lucas vero ſuos de Actis Apoſtolorum commentarios confeciſſet; alter ab altero digreſſus, uterque ad ſuum munus inſtitutumque Evangelii propagandi ſe retulit; ille quidem in Hiſpaniam cogitans, hic vero aliorſum iter intendens. Annus erat 58. vel 61. epochæ Chriſtianæ, cum Lucas Roma diſceſſit; & vel navigio Adriaticum transvectus, vel oram Italiæ ſuperiorem itinere terreſtri circumiens, in Dalmatiam pervenit. Huic Paullus Hermem e ſuis diſcipulis comitem adjunxit, qui ad rem Chriſtianam in Dalmatia gerendam in locum Titi ſuccederet; hunc quippe Romam accerſitum Hiſpaniensis peregrinationis ſocium aſſumpſit, & ex Hiſpania regreſſus Cretenſibus Epiſcopum præfecit. Sed hæc in Actis SS. Titi & Hermis diligentius & copioſius explicanda ſunt.

Apoſtolatum Dalmaticum S. Lucæ confirmat eximia quædam erga hunc ſanctiſſimum Evangeliſtam propenſio ac religio, inſita ac propemodum innata animis Dalmatarum, qui cum fama & traditione acceperint, patriam ſuam ejus veſtigiis impreſſam, & evangelicis præceptis excultam fuiſſe, meritam eidem gratiam, pro eo ac debent & poſſunt, ſumma veneratione, & memori mente perſolvunt. Præterea tradunt in eam regionem olim Dalmatiæ finibus incluſam, quæ nunc Boſſina dicitur, Conſtantinopoli translatum fuiſſe corpus S. Lucæ, cum Mahometes Rex Turcarum anno 1453. Conſtantinopolim vi cepit, ac ſede Græci Imperii potitus, Imperatorem ſe dici juſſit; tamdiu vero Jayczæ in urbe totius regni principe, velut quoddam divinæ clementiæ pignus diligenter aſſervatum, ſummaque religione cultum eſſe, quoad Regnum Boſſinæ ſteterit; ſed decennio poſt, regione illa in Turcarum poteſtatem redacta, ſacras illas reliquias,

De corpore S. Lucæ Conſtantinopoli in Boſſinam translato, Boſſinenſis opinio;

ne barbarorum injuriis paterent, alio avectas fuiſſe. Verum hæc ſive hiſtoria, ſive traditio, ut fidem habeat, ſub accuratam diſceptationem ſubeat neceſſe eſt. Non deerit huic diſceptationi in hiſtoria Illyrica locus; ubi etiam in diſquiſitionem venient Imagines quædam Deiparæ Virginis, quas a S. Luca depictas ferunt, & multis miraculis, & hominum eas voti ac religionis ergo viſentium frequentia maxime inſignes, totoque Illyrico celeberrimæ. Cæterum ad corpus S. Lucæ quod attinet, illud annis amplius ducentis ante captam Conſtantinopolim, ex hac urbe Patavium fuiſſe translatum, aſſervarique etiamnum in auguſtiſſima Baſilica S. Juſtinæ apud Patres Benedictinos, vetus eſt opinio, quæ conſtat ex antiquiſſimis litteris, atque certiſſimis monumentis; quare alterius S. Lucæ corpus illud fuerit oportet, quod Conſtantinopoli devectum, & aliquamdiu apud ſe depoſitum fuiſſe Bosnenſes commemorant.

Apollinaris Diſcipulus S. Petri, cum Magiſtro ſuo primâ appulit.

B. Apollinaris diſcipulus Principis Apoſtolorum, ejuſdemque itinerum, & Apoſtolicarum expeditionum ſocius atque adjutor alias una cum Petro magiſtro ſuo ac duce, alias per ſe ipſe Illyricum Evangelica peragratione luſtravit. Nam primum anno 42. Petrus Romam profectus Apollinarem, cum aliis ſuæ diſciplinæ alumnis, comitem ſibi adjunxit, ut traditum eſt in Actis S. Petri, itemque in Vita S. Clementis, quo in itinere varias regiones Illyrici ac Dalmatiam obiens, ad eas gentes Chriſtianis præceptis ac myſteriis imbuendas Petro haud inutilem operam præbuit: hinc ferme Apollinaris initium Evangelii tum aliis populis, tum Illyriis explicandi fecit. A Petro ex urbe Ravennam miſſus, multis ad Chriſti fidem aggregatis Eccleſiam illam fundavit, ſedemque Pontificiam in ea civitate conſtituit. Anno 49. Petrus edicto Claudiano Roma expulſus, Ravennam adiit, & reverſurus in Palæſtinam, Apollinare comite iterum aſſumpto, in Dalmatiam trajecit, & iter Illyricum remenſus, ubique ad Chriſti fidem propagandam Apollinare adjutore uſus eſt. Huc revoca, quæ de Petri in Palæſtinam reditu dicta ſunt §. 1.

deinde 49 Dalmatiæ & Illyrico Evangelio diſſeminando peragravit.

Ravennam a Petro regredi juſſus, totum ſe ad Eccleſiam ſuam, & civium ad Chriſtum acceſſione amplificandam, & ſaluberrimis legibus ac præceptis inſtituendam, quam diligentiſſime retulit. In hujus procurationem aſſiduam oppido ac diligentem plures annos inſumpſerat, multis pro re Chriſtiana augenda tuendaque laboribus ſuſceptis, aditiſque periculis; cum atrox procella; Ethnicorum odio & furore, ac præſertim inanium Deorum ſacrificulis inſtigantibus, concitata in Apollinarem, & Chriſtianos omnes incubuit; nam illorum inſtinctu potiſſimum Meſſalinus Vicarius cum vinculorum mortiſque minis edicit atque interdicit, ut omnes patriam repetant religionem, neu quiſquam in poſterum Chriſtianis ſacris initietur: Apollinarem vero, quod ſenatus populique Romani edictis poſthabitis, & Deorum immortalium ac Cæſaris auctoritate contempta, novam religionem invexerit, verberibus cæſum, & equuleo tortum, navique impoſitum in exilium deportari jubet. Triennium ille, ut in ejuſdem Actis ſcriptum eſt, ſede ſua depulſus exulavit. Apollinaris exilium in extrema perſecutionis Nonianæ tempora, & annum circiter duodeſeptuageſimum æræ Chriſtianæ conferendum cenſeo. Tres hoſce annos magna ex parte ad Illyrio-

Ravenna in exilio pulſus

rum

rum conversionem ac salutem contulit. Etenim cum veheretur in exilium, fœda coorta tempestate, navi fracta, plerisque vectorum ac nautarum demersis, ipse cum Clericis aliquot exilii sociis, pauciſque militibus, quos naufragio divinitus exemptos baptizavit, incolumis evasit, ejectusque in littus Corinthum tenuit. Inde progressus multorum dierum viam, Mœsiam inferiorem adiit, pervasit in Thraciam, totamque oram Danubii lustravit. Quacumque iter fecit, Evangelii lucem intulit, & cum veteres Christianos invisit confirmavitque in suscepta religione, tum quamplurimos ubique qua verbis qua miraculis ad Christi fidem pellectos baptismo expiavit. In Thracia cum rei Christianæ operam daret, ab Idolorum cultoribus iterum cæsus, & in navim impositus, unde discesserat, in Italiam transferri jubetur. In Adriaticum mare subvectus, in littus Dalmatiæ exscensione facta, omnem oram Dalmaticam cunctos docendo, monendo, juvando percurrens, non solum eximiæ sanctitatis, sed etiam admirandæ cujusdam ac prorsus divinæ virtutis impressa reliquit vestigia; nam in iis locis plura ac majora, quam usquam alibi, edidisse miracula traditur, quæ fidem Evangelio facerent, & vim Christi numenque declararent. Hæc docent ejus Acta e Ms. Fuldensi apud Antuerpienses Hagiologos descripta ad diem 23. Julii: *Ejecti sunt in littore B. Apollinaris cum Clericis suis, & duobus militibus &c. Corinthum adiit, Mœsiam prædicando peragravit, inde pertransiit ad ripas Danubii, & multos convertit . . . , Descendens ad partes Thraciæ mansit ibi diebus plurimis . . . . . exuentes cum diutius fustibus cæsum ad mare perduci fecerunt . . . . Itaque post tertium annum Ravennam ingreditur; quem suscipientes Christiani gavisi sunt gaudio magno, glorificantes Deum, qui eis suum patrem & doctorem revocaverat. Multa enim mirabilia Dominus in littore Dalmatiarum, dum regrederetur, operatus est.* Agnellus Ravennas sæculi noni scriptor, in vita S. Apollinaris, ait sanctissimo huic viro locum exilii constitutum fuisse Illyricum; seu potius in Illyrico magnum illi oblatum fuisse campum, in quo ejus sanctitas, & ingens illud, quo flagrabat, religionis amplificandæ studium longe lateque divagari, & excurrere posset; nec solum Thraciam, Mœsiam, ripamque Danubii, sed etiam Pannoniam convertendis ad Christum Ethnicis, & Christianis in fide firmandis, percurrisse; inter cæteras autem civitates, quas in eo trium annorum exilio lustravit, Salonam nominatim annumerat, ubi S. Domnius paucis ante annis sedem Pontificiam constituerat, remque Christianam administrabat. *Ad partes Illyriæ captivus ductus est; deinde per Salonam Pannoniam quoque, per ripam Danubii, Thraciamque obiit, & ibidem atque in littore Corinthi multa per eum mirabilia intulit Dominus. Reversus post tres annos, Ravennæ* &c.

Annus erat æræ vulgaris supra septuagesimum fere secundus, cum Ravennam rediit, suæque se restituit ecclesiæ, ubi triennio post sub Vespasiano iterum religionis causa in carcerem detrudi jussus, & partim vulneribus ac suppliciis, partim præteritis ærumnis, & summa ætate confectus gloriosam mortem occubuit. Ejus martyrium Cæsar Cardinalis Baronius in annum 75. conjecit.

Mœsiam, Thraciæ, pramque Danubii in Illyrico Christianis præceptis lustravit.

Ab exilio redicos oram Dalmaticam Evangelio excolsit;

Pannoniæ quoque & Salonam adiit Evangelio ubique circumferendo. Martyr Ravennæ obiit sub Vespasiano.

§. II.

De aliis e Christi vel Apostolorum disciplina Cultoribus Evangelicis Illyrici.

APostolicis Illyricis Timotheum Paulli Discipulum adjungunt Dorotheus Episcopus Tyri apud Raphaelem Levacovichium, Jacobus Crescentius in Opusculo Italico, quod inscribitur Præsidium Romanum, Joannes Gualterus Belga in Chronico Chronicorum; & quamvis nullum ex antiquis idoneisque ad fidem faciendam scriptorem proferant, quo satis certo auctore stetur; tamen cum Timotheus Paulli comes assiduus fuerit, omniumque ejus itinerum socius, sane credibile est, eum vel Paullo apud Illyrios ad fidem Christianam disseminandam adjutoris & catechistæ operam præstitisse, vel ab ipsomet Paullo, cum in Græcia ac Macedonia propo. ab Illyrico Evangelii causa versaretur, ad breve tempus dimissum fuisse, ut proximos Illyrios Evangelicis præceptis ac mysteriis imbueret; nam Paullum solitum fuisse accepimus e suis discipulis Apostolicos Operarios illuc ablegare, quo ipse, aliis curis & occupationibus distentus, ire non posset. Ac Timotheum quidem primum ex Asia cum Erasto ad Macedones legavit, hinc vero ad Corinthios proficisci jussit; deinde vero eumdem, Romæ cum esset in vinculis, propediem Philippos in Macedoniam ab se missum iri pollicitus est Philippensibus in sua ad illos epistola cap. 1. Timotheus jam usque ab anno vel quadragesimo septimo, ut Henschenius, vel 51, ut Baronius censet, cum Paullus apud Listrenses rei Christianæ operam daret, se in disciplinam eidem tradidit; neque ab ejus comitatu discessit ante annum aut 53. ex Henschenii calculis, aut 57. ex Baroniana chronologia, cum illum Ephesinæ ecclesiæ Episcopum Paullus præposuit; quo sex annorum intervallo neque facultas neque occasio defuit Timotheo, aut cum Paullo, aut Paulli jussu missuque, Illyricas regiones Evangelica circuitione obeundi. Præterea Paullus Romæ in vinculis cum esset, alteris ad Timotheum litteris datis, eumdem Epheso Romam arcessit; ac Timotheum quidem morem gessisse, & Romam proficisci festinasse perspicue declarant epistolæ, quas Paullus vinctus ex urbe misit ad Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses. His quippe & suum & Timothei nomen præposuit: *Paullus*, inquit, *& Timotheus servi Jesu Christi* &c. Potuit igitur Timotheus Romam profectus, ut Paullo vocanti obtemperaret, terrestri per Illyricum itinere, regiones illas cursim obiterque evangelica prædicatione peragrare. Certe Simeon Metaphrastes, cum in ejus vita Apostolicas Timothei excursiones latissime proferat, ac nullis propemodum terminis circumscribat, ad Illyrios quoque ejusdem Apostolatum videtur extendere: *Non enim poterat corporis infirmitas deprimere tam generosum animum: sed celeri zeli penna, omnem in partem pervolabat; & modo quidem Ephesum, modo Corinthum illius linguæ Sirenes demulcebat. Macedoniam quoque sæpe & Italiam, & universam terram cum præceptore complectebatur prædicatione.* Quæ Petrus Galesinius paucioribus verbis in suum Martyrologium transtulit: *Siquidem hic una cum illo, propagandæ fidei causa, modo Ephesum, modo Corinthum profectus, Macedoniam etiam, Italiam, atque universam terram prædicando peragravit.*

Quod Dorotheus, & Junioret tradunt de Illyrico Apostolatu Timothei,

id verisimile esse ostenditur.

Act. 19. 1. Cor. 4.

S. Mar-

Digitized by Google

S. Marcum Evangeliſtam Diſcipulum Principis Apoſtolorum, hujus miſſu Aquilejam veniſſe, & incolarum quamplurimis ad Chriſti cultum perductis, eccleſiam illam fundaſſe, quam poſtea Hermagoræ Diſcipulo ſuo gubernandam tradidit, perantiqua eſt & conſtans traditio, quam monumenta Aquilejenſia, & veteres Martyrologi confirmant. Schritovinus is, qui juſſu Federici Imperatoris eo nomine tertii, ſæculo decimo quinto Catalogum Epiſcoporum Laureacenſis, & Patavienſis eccleſiæ confecit, Ludovicus Schonlebius, & Marcus Hanſizius haud ſane abſurdis conjecturis exiſtimant ex urbe Aquileja Evangelium trans Alpes in Japydiam, Pannoniam, & Noricum aut per S. Marcum, aut per ejus diſcipulos invectum fuiſſe. *Hæc ergo*, inquit Schritovinus, *Laureacenſis urbs inter alias harum partium civitates prima meruit fidei & Evangelii prædicatores ſuſcipere per B. Petrum, mediante B. Marco, qui poſtquam Romæ ſcripſerat Evangelium, cum Aquilejam pergrandem civitatem Epiſcopus mitteretur, ibique doctrina & miraculis clareſcens, beatos Hermagoram, quem ibi pro ſe Epiſcopum ordinavit, & Fortunatum Archidiaconum inſtituit, & per eoſdem ad has noſtras oras Evangelii prædicatores deſtinavit.* Duos illos ſanctiſſimos Evangeliſtas Lucam & Marcum in Noricos uſque Chriſti nomen cultumque proculiſſe teſtimonio ſunt verſiculi quidam *antiquo charactere deſcripti*, ait Hanſizius Tom. 1. Germ. ſac. part. 1. cap. 2. *in turri oppidi Anaſini, vulgo Ens, ſuperioris Auſtriæ, quorum auctor ignoratur quidem, uti & ætas, quæ forſitan Lutherianorum tempora, qui templum illud tempore Maximiliani ſecundi Cæſaris arripuerunt, haud excedit: eo tamen valet eorum auctoritas, ut pateat conſtanter fuiſſe de Sanctis duobus Evangeliſtis, ſeu fundatoribus eccleſiæ Laureacenſis, traditionem; ſic autem habent:*

Aſpicis exiguam nec magni nominis urbem,
Quam tamen æternus curat amatque Deus.
Hæc de Laureaco reliqua eſt, his Marcus in oris
Cum Luca Chriſti dogma profeſſus erat.

Marco apud Noricos Evangelium promulganti proxima erat ab Oriente Pannonia, cujus pars citra Dravum in Meridiem vergens pertinet ad Illyricum hodiernum: nec vero abſimile eſt, Marcum in hanc finitimam regionem aliquid ſuæ curæ charitatiſque Apoſtolicæ derivaſſe ſive ad impertiendum Ethnicis Evangelium, ſive ad ſtabiliendos in fide Neophytos, eoſque pro viribus adjuvandos excitandoſque ad omnem virtutem ac laudem, qui jam Chriſtiana ſacra ſuſceperant. Ex ejus adventu & Apoſtolatu Aquilejenſi præclaros evangelicæ doctrinæ fructus cepiſſe Carnos, Iſtros, Japydes, & quod credibile eſt, confines Pannonios tradit Schonlebius in Annal. Carn. p. 3. ad an. 53. qui præterea ex Palladio, Hundio, Inchoffero docet Fortunatum, quem S. Marcus Evangelii Miniſtrum, ſeu Diaconum Hermagoræ dederat, in Pannonias & Noricum ad Chriſti fidem diſſeminandam excurriſſe; attamen idem Schonlebius Apoſtolici hujus viri excurſiones Japydiæ & Pannoniæ terminis definiendas cenſet; quæ quidem regiones ſatis amplam eidem ſegetem ac materiem induſtriæ operæque evangelicæ in propinquis præbebant: *Crediderim ego non defuiſſe S. Fortunato copioſam meſſem in viciniore Japydia, & Pannonia.*

Inter Diſcipulos S. Paulli locum perilluſtrem obtinent Epænetus & Andronicus; utrumque Paullus in ſuis ad Romanos litteris non ſine honorifico & ſingulari elogio commemorat; Epænetum ex omnibus, quos in Aſia per Evangelium Chriſto peperit, primogenitum appellat, dignumque propterea, quem præcipua charitate, & benevolentia complecteretur: *Saluta*, inquit ad Rom. cap. 16. *Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto.* Andronicum vero tum *cognatum* ſuum, quod ſibi cum eo, aut ſpiritalis quædam affinitas, ut Origenes, aut communio generis e ſtirpe Judaica, vel e tribus Beniamin, ut Baronius, & alii volunt, aut vera ac propria conſanguinitas intercederet, tum *conceptivum* vocat, quod fere omnium, quæ ad eam diem pertulerat, vinculorum ac verberum ſocium habuiſſet. Eidem inter Apoſtolos nobilem locum attribuit, eumque ante ſuam ad Chriſtum converſionem Chriſto nomen dediſſe affirmat; id quod Græcis cauſam præbuit, ut Andronicum inter Diſcipulos Chriſti annumerarent, & glorioſo Apoſtoli nomine paſſim afficerent. *Salutate Andronicum, & Juniam, cognatos, & concaptivos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.*

Petrus e Paleſtina Romam diſcedens, Paulli permiſſu conceſſuque, Epænetum itineris Romani comitem, uti & Creſcentem & Andronicum, ſibi adjunxerat. Ea quippe inter Apoſtolos charitas vigebat, ea conjunctio animorum, rerumque omnium communio, ut diſcipulos ſuos non gravate aliis alii traderent, & viciſſim alii ab aliis acciperent. Idem Petrus regrediens in Paleſtinam, cum ex itinere per Pannoniam inſtituto Sirmium adiiſſet, Epænetum Epiſcopum conſtituit, qui rem Chriſtianam in Pannonia curaret augeretque. Hoc quippe ſcriptum eſt in Commentario ſæpe laudato de SS. Petro & Paullo. *Cum Romæ non multo tempore permanſiſſet Petrus, & multos ſancto Baptiſmate regeneraſſet, eccleſiamque conſtituiſſet &c. . . . Sirmium petiit urbem Hiſpaniæ, ubi conſtituto Epiſcopo Epæneto, Carthaginem urbem Africæ adiit &c.* quem ad locum Hagiographi Antuerpienſes hanc notam apponunt: *Sirmium in Pannonia novimus, non item in Hiſpania; Tamajus tamen in ſuo Martyrologio Hiſpanico, die 15. Julii, ubi de S. Epæneto, illud ſe putat invenſſe ſub nomine Sexiſirmium: quod ad dictum diem erit examinandum.* Sed ubi ventum eſt ad diem decimam quintam Julii, qui affixa eſt apud Græcos anniverſaria memoria 72. Diſcipulorum, inter quos numerant Epænetum, cum iidem Hagiographi fateantur *Epæneti nulla ſibi nota eſſe geſta;* neque antiqui ſcriptores ſuppetant, unde illa cognoſci poſſint, nihil fere habeo, quod iis adjiciam, quæ dicta ſunt cap. 1. §. 1. Quare huc revocare velim, quæ illic ſcripſimus. Quamvis autem auctor hujus Commentarii ignotus ſit, & temporum ſæpe, itinerum, rerumque ordinem perturbet, tamen omnia, quæ narrat, *quantum conjicere licet*, ait Honſchenius, *ex variarum eccleſiarum traditionibus collegit*; & ipſemet initio ſui operis profitetur, *ſe veluti materiam quampiam informem, quæ ab hoc aut illo auctore decantata circumferuntur, comprehendiſſe, illorum exemplo, qui, quæ diſperſa erant, & ſingillatim ab aliis inventa, artes ipſas in corpus ac formam unam redactas perfectiores poſteris reliquerunt.* Quare de Pannonico Epiſcopatu Epæneti huic ſcriptori credamus licet, qui parum quidem accuratum ſe præbuit in ſerie hiſtorica ordinanda, temporumque ordinibus explicandis; attamen quæ ſcripſit, ſumma cum fide ab antiquis monumentis & ſcriptoribus accepta poſteris tradidit; præſertim cum falſa ſcripſiſſe nulla auctoritate, nullo

teſte

S. Marcus Evangelium vel per ſe, vel per ſuos Diſcipulos in Pannoniis & Japydia Evangelii lumen accendit.

Carni, Iſtri, Japydes, Pannonii S. Marci, itemque Fortunati prædicatione excalti.

S. Marcus & Lucas Fundatores eccleſiæ Laureacenſis.

Epænetus Epiſcopus Sirmienſis a S. Petro conſtitutus.

Epænetus, & Andronicus Diſcipuli S. Paulli admodum illuſtres.

teſte convinci poſſit. Quo anno, Judæis Claudii edicto ex urbe pulſis, Petrus in Paleſtinam rediit, eodem Epænetus regimen eccleſiæ Pannonicæ ſuſcepit. Is annus Baronio eſt 51., Petavio, Henſchenio, & aliis 49. æræ vulgaris. Præfuit annos fere ſex, aut ſeptem; nam cum Paullus ſuam ad Romanos epiſtolam ſcripſit anno 55., ſive ut Baronius cenſet, anno 58., jam e Pannonia diſceſſerat, & Claudiano edicto ob interitum Claudii abrogato Romam ſe contulerat; eum quippe nominatim Paullus in ſuis ad Romanos litteris ab ſe ſalutari jubet. Nec vero poſtea reddit in Pannoniam; ſed translatus eſt ad regendam Eccleſiam Carthaginienſem, quippe eum Epiſcopum Carthaginis vocat Dorotheus in Synopſi, cui in hac re fidem impune haberi poſſe exiſtimo. S. Epænetus colitur apud Græcos 3. Kal. Auguſti cum S. Sila, Creſcente, & Andronico; apud Latinos cultu & commemoratione anniverſaria caret.

Epænetus dimiſſa eccleſia Pannonica translatus ad Carthaginienſem.

Andronicus Epæneto in adminiſtrationem eccleſiæ Pannonicæ ſucceſſit, qui Romæ itidem erat, cum Paullus ad Romanos ſcripſit, propterea que in extrema illa epiſtola, cum cæteris diſcipulis per id temporis in ea urbe verſantibus, non ſine honorifica commemoratione nominatur Andronicus, eique Paullus ſalutem impertiri jubet. Anno proximo poſt eam epiſtolam vel Corinthi, vel in aliqua urbe Macedoniæ ſcriptam, Paullus in vinculis abductus Romam pervenit, anno videlicet aut 59., ut Baronius, aut 56., ut Petavius, Henſchenius, & alii docent. Atque hoc ipſo anno Paullus, quemadmodum Creſcentem in Galatiam, Titum in Dalmatiam, alios alio Evangelii cauſa dimiſit, ſic Andronicum, ut ego quidem cenſeo, in Pannoniam proficiſci juſſit, qui in locum Epæneti ad eccleſiam Carthaginienſem translati, Chriſtianis Pannoniis præeſſet, ſedemque Pontificiam Sirmii, in urbe totius Pannoniæ facile principe, conſtitueret. Andronicum Sirmii Epiſcopum fuiſſe auctor eſt ſane gravis Heſychius Epiſcopus Salonitanus in vita S. Clementis. Idem confirmat Dorotheus in Synopſi: *Andronicus*, inquit, *cujus etiam Apoſtolus in ea, quæ ad Romanos eſt, recordatur, Pannoniæ factus eſt Epiſcopus*. Haud equidem ignoro, Synopſis hujus Dorotheanæ quam infirma ſit & imbecillis auctoritas apud eruditos viros. Ejus auctor Dorotheus neſcio quis fuiſſe dicitur, quem Petrus Equilinus Abbatem, alii Epiſcopum Tyri vocant. Sed in hujuſmodi opuſculo, cujuſcumque ſit, pauca invenies, quod perſpicuæ falſitatis arguere queas, nec ita multa fortaſſis, de quibus jure dubitare poſſis; pleraque vero ejuſmodi ſunt, quæ, cum nec ſacræ neque eccleſiaſticæ hiſtoriæ adverſentur, ſane non video, cur rejici omnino atque abjudicari debeant. Non enim ſi quis falſi aliquid ſcripſerit, aut quædam minus certa & explorata ſuis ſcriptis intexuerit, idcirco omnia, quæ ab eo litteris prodita ſunt, repudiari oportet. Nam vel in hac Synopſi Dorotheana Baronius in Not. ad Martyr. 5. Junii, non multa quidem, ſed *nonnulla* tantum reperit, *quæ caſtigatione digna ſunt*. Cæterum hæc Synopſis auctoritate non caret apud Græcos, qui ſæpiſſime in Menologio indidem teſtimonia petunt; & ad diem duodevigeſimam menſis Maii, ubi de quibuſdam Paulli diſcipulis præclara quædam commemorant, hoc Dorothei elogium adjiciunt: *Hæc beatiſſimus Dorotheus, cum eſſet Romæ, Romana lingua ſcripta reliquit; non ſolum autem de his, ſed & de reliquis Apoſtolis & aliis ſanctis viris, & ſacris Prophetis hiſtoriam accurate conſcripſit; fuit enim vir ille, & multarum rerum ſcientia inſignis, ut quivis alius.* Quare in hoc ſcriptore cum pauca poſſis arguere, plura in eo probari, quam reprobari malim; in his autem, quæ ſunt digna creditu probatuque, habendum cenſeo Pannonicum Epiſcopatum Andronici, quem alicujus loci Epiſcopum fuiſſe admodum eſt verſimile; nec vero ejuſdem Epiſcopatus, niſi eſſet unius Dorothei, & Heſychii teſtimonio cognitus, aliunde ſciri & cognoſci poſſet. Quapropter hac de re Dorotheo credere non dubitarunt viri graves & ſapientes, qui e Synopſi Dorotheana ſumpſerunt, quæ de Andronico Pannoniæ Epiſcopo ſuis Catalogis intexerent. Primus Cabilonenſis Epiſcopus ac Theologus, qui an. 1450. topographiam SS. Chriſti Martyrum compoſuit, de Andronico hæc ſcripſit: *Andronicus, de quo Paullus Apoſtolus, fuit in Pannonia Epiſcopus, & unus e 72. Diſcipulis Domini.* Philippus Ferrarius in ſua topographia ad diem 18. Maii: *Andronicus primus Epiſcopus Sirmii & Pannoniæ*. Petrus Galeſinius in ſuo Martyrologio ad eumdem diem: *In Pannonia S. Andronici Epiſcopi; hic unus e 70. Diſcipulis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus in ea, quæ ad Romanos ſcripta eſt, epiſtola B. Apoſtolus meminit. Pannoniæ primus Epiſcopus, cæleſtis Magiſtri præceptis confirmatus, Epiſcopalis vigilantiæ laboribus in Evangelii propagatione, in aliorumque ſalute procuranda perfunctus dormivit in Domino*. His adde Equilinum in Catalogo, & Caniſium in Martyrologio Germanico. Sed horum ac Dorothei omiſſis auctoritatibus, nobis ad fidem faciendam plurimum valet vel unus Heſychius ſcriptor vitæ Clementinæ, qui Andronicum non Epiſcopum modo, ſed etiam primum Epiſcopum Sirmii fuiſſe docet: *Et hæc quidem illi eccleſiæ dedit Andronicus antiquus Chriſti Diſcipulus, qui fuit primus Sirmii in Pannonia Epiſcopus*. Atqui ſi Andronicus fuit primus Sirmii Epiſcopus, quid faciemus de Epæneto, quem Petrus anno 49., vel 51. in Palæſtinam regrediens, Epiſcopum in urbe conſtituit, ut ſcriptum eſt in *Commentario de Actis SS. Petri & Pauli*. Ergo vero ſic exiſtimo, Epænetum quidem primum Pannoniæ, Andronicum vero primum Sirmii Epiſcopum fuiſſe. Quamvis enim Petrus Sirmii cum eſſet, ibidem Epænetum ſolemni ritu ac cæremonia conſecraverit, non tamen nominatim hujus urbis, ſed generatim totius Pannoniæ Epiſcopum dixit; qui nulli loco affixus, ſed ſolutus ac liber perpetua circuitione omnes Pannoniæ civitates, oppida, vicos obiret, & Evangelium prædicando, ubique quamplurimos poſſet Chriſto Eccleſiæque aggregaret: neque enim Sirmii eo adhuc creverat Chriſtianorum numerus, ut in ea urbe ſedes Pontificia pro dignitate collocari poſſet. Quare Epænetum inter eos Epiſcopos annumerandum cenſeo, quos Henſchenius *Apoſtolicos*, Papebrochius *Evangelicos*, alii *Regionarios* vocant. At vero Epenetus rem adeo præclare geſſit, ut e provincia decedens, cum in reliquis Pannoniæ civitatibus, tum vero Sirmii potiſſimum ingentem Chriſtianorum multitudinem reliquerit, quæ in eccleſiæ unius corpus coaleſcere poſſet ſub uno capite, ſive Epiſcopo, qui in ea urbe totius regionis principe cathedram Epiſcopalem conſtitueret, ad eamque totius eccleſiaſtici regiminis ſummam revocaret. Is autem fuit Andronicus, qui primus Sirmio Pontificiam ſedem affigeret, ex eaque urbe in reliquas Pannoniæ civitates & pagos vigilantiæ ac ſollicitudinis paſtoralis officia & curas diſpertire, & epiſcopales excurſiones indidem facere inſtitueret. Quamvis igi-

Andronicus a Paullo in Pannoniam miſſus ſucceſſit Epæneto.

Pannonicum Epiſcopatum Andronici confirmant docti, & graves auctores.

Epænetus primus Pannoniæ Epiſcopus nulli urbi affixus; Andronicus vero primus Epiſcopus Sirmii in Pannonia.

Error in Synopſi Dorotheana.

tur

sur Epeneteus primus fuerit Episcopus Pannoniæ, non tamen Andronico præripuit, ne primus esset, dicique posset atque haberi Episcopus Sirmiensis. Huc refer, quæ dicturi sumus paragrapho proximo de Dalmatico Episcopatu S.S. Titi, & Hermis. Græci in suis Menæis, Synaxariis, ac Menologiis Andronicum cum Junia eximiæ sanctitatis, virtutisque Apostolicæ fœmina XVI. Kal. Junias maximis laudibus concelebrant; Latini postridie in suis Fastis Andronici nomen inscribunt.

De Cæsare Episcopo Dyrrhachii in hodierno Illyrico. Apud Bollandianos die XXIX. & XXX. Martii.

Dyrrhachium civitas est perantiqua & nobilis in ea Illyrici veteris hodiernique regione, quæ ab Drilone fluvio ad montes usque Acrocerannios in Meridiem procurrit. Hujus civitatis primum Episcopum fuisse perhibent Græci virum quemdam Apostolicum, cui Cæsari nomen fuerit. Is apud Græcos cum SS. Sosthene, Apollo, Cepha, & Epaphrodito XXIX. & XXX. Martii, itemque VII., VIII., & IX. Decembris repetita commemoratione colitur. De hoc Bollandiani in prætermissis, & rejectis a XV. Maii in alios dies: *S. Cæsar ex 70. Discipulis Christi Episcopus Dyrrhachii indicatur in Catalogo generali Ferrarii ex Menologio Græcorum: qualis hoc sit nescimus. Solet is extare Menologium Sirleti, in quo deest. Refertur die 19. Martii; sed tunc remissimus ad diem, quo & in dicto Menologio, & Menæis celebratur cum aliis Christi Discipulis 8. & 9. Decembris.* Si quis ætate Apostolica primus fuit Dyrrhachii Episcopus, certe ille non videtur fuisse, cujus Paullus meminit in epistola extrema ad Philippenses: *Salutant vos omnes Sancti: maxime autem qui de Cæsaris domo sunt.* Interpretes enim fere omnes consentiunt alium non esse Cæsarem, quem ibidem nominat Paullus, nisi Neronem, in cujus aula non pauci Christiani domesticis muneribus, alii aliis præpositi versabantur. Quare Baronius censuram sane acrem Dorotheo inflixit, quod Cæsarem, quem ipse in numerum refert Discipulorum Christi, a Paullo in suis ad Philippenses litteris commemorari scripserit: *Hic Dorotheus*, inquit, tom. 1. Annal. ad an. 33. 11. *Cæsarem quemdam unum fuisse dicit ex Discipulis Domini; & hujus, inquit, meminit Paullus, cum scribens ad Philippenses dicat: Salutant vos omnes Sancti, maxime qui de Domo Cæsaris sunt; perinde ac si de privato homine, & non de Imperatore Paullus loquatur. Sed hæc potius risu digna sunt, quam confutatione; cum nullum illis temporibus Cæsarem dici potuisse certum sit, nisi qui Imperator futurus eligeretur.* Cæterum, ut quod sentio, ingenue fatear, nihil esse causæ video, cur nomen Cæsaris in eo loco Paullinæ epistolæ necesse sit ad Imperatorem referri, ut nulla prorsus ratione in hominem privatum cadere possit. C. Julius Cæsar omnium primus nomen Cæsaris e privata fortuna ad summum Augustale fastigium evexit; quod deinde nomen Octavianus Augustus, cæterique deinceps Romani Imperatores sibi adoptarunt tamquam proprium, cum præcipue decreto Senatus, ut tradit Dio Cassius lib. 43. *nomen Imperatoris a Julio, quemadmodum etiam Cæsaris nomen, tamquam peculiare summi imperii cognomentum ad omnes Imperatores dimanavit.* At lege nulla interdictum fuit, ne quispiam e privatis hominibus nomen Cæsaris, aut sibi adsciscret, quod hodieque permissum est, aut certe a majoribus acceptum, ejusque familiæ, unde oriundus erat, vetusti gentilitium retineret. Plures fuisse constat tum ante, tum post C. Julium Cæsarem Imperatorem, qui Cæsaris nomen gesserunt. Nam & Scipionem Africanum majorem Cæsarem cognominatum ferunt, quod e cæso matris utero in lucem prodierit; & Cajus quidam Julius, Q. Catuli Oratoris frater uterinus, dictus est Cæsar; utrumque M. Tullius lib. 2. de Oratore loquentes induxit. Fuit item Lucius Cæsar Syllanarum partium jussu Marii interfectus; alterque Lucius Cæsar M. Antonii Triumviri avunculus, qui cum Pompejum sequeretur, tamen utriusque partis missu, Orator de pace utroque citroque venisse dicitur. Est etiam quidam Cæsar Vopiscus apud Varronem de Re Rust. lib. 1. cap. 7. qui cum causam ageret apud Censores, dixit campos Roseæ in Agro Reatino lumen esse Italiæ. M. Vipsanius Agrippa duos liberos ex Julia Augusti filia suscepit, alterum Cajum Cæsarem, alterum Lucium Cæsarem appellavit; hic anno ætatis undevigesimo Massiliæ, ille triennio major in Lycia diem obiit. His adde Germanicum Drusi, & Drusum Tiberii filios Cæsares appellatos. Non est autem verisimile ætate Apostolica aut neminem superfuisse ex ordine hominum privatorum, qui Cæsar vocaretur; aut omnes privatas illas familias extinctas fuisse, in quibus nomen Cæsaris jure veluti hæreditario ad posteros trapsmitti solebat. In his autem aliquis esse Romæ potuit, qui cum tota sua familia Christi religionem susceperit, ac proinde de hujus *domo* illi esse, a quibus maxime Christianos Philippenses salutari Paullus scripsit. Quod autem Baronius sane fideliter affirmat *nullum illis temporibus Cæsarem dici potuisse, nisi qui Imperator futurus eligeretur*, vereor sane, ut hoc concedi possit, referrique ad primum æræ Christianæ sæculum; nondum ea lex seu consuetudo omnino invaluerat, ut Imperatores sibi hæredes imperii successoresque constituerent, jisque, quos elegerant, cum nomine Cæsareo, jus quoque in Imperium succedendi conferrent. Nam si Augustum excipias, qui Tiberium, Senatu populoque Romano flagitante, in imperii societatem adscivit, ac successorem designavit; qui deinceps ante Nervam id fecerit, neminem reperies. Nomen Cæsaris temporibus illis non tam Imperatorium erat, quam Gentile, quod vel sanguinis vel adoptionis jure in alios ex aliis ejusdem gentis aut familiæ propagari solebat; ac propterea scripsit Aurelius Victor Domitii Neronis interitu gentem Cæsarum extinctam esse: *hic finis*, inquit de Cæsar. *Cæsarum genti fuit &c. At Galba haud serus nobilis e gente clarissima Sulpitiorum &c.* Idem porro Cæsaris nomen ornamento quidem ac decori erat iis, quibus impositum esset: sed ut spem aliquam præberet, certe quidem jus nullum imperii obtinendi tribuebat. Quocirca, quamvis Titus & Domitianus, vivente patre, Cæsares dicti fuerint, ut docent veteres inscriptiones, tantum tamen abest, ut ejusmodi sive nomen, sive dignitas viam illis certam exploratamque ad imperium muniret, ut Vespasianus parens utriusque, eodem teste Aurelio, non ille quidem pro certo haberet, sed speraret tamen fore, ut post se imperio potirentur: *Simul divinis deditus, (quorum vera pleriſque negotiis compererat) successores fidebat liberos Titum & Domitianum fore.* Non hæc eo scripsi, ut interpretationem, quam Baronius cæterique doctissimi viri laudato epistolæ Paullinæ loco adhibendam censent, rejicerem atque improbarem; sed ut ostenderem non esse tantopere ridendos, qui Cæsarem primum Dyrrhachii Episcopum existimant eumdem esse, de quo Paullus commemorat, scribens ad Philippenses: *Salutant*

Cæsar Dyrrhachiensis diversus a Cæsare, quem Paullus nominat in ep. ad Philip.

Potuit tamen idem esse, de quo Paullus.

Privati homines quibus Cæsaris nomen fuit

ante, & post Julii Cæsarem imperatorem. Plin. lib 7. cap. 9.

e quibus unus esse potuit ille, de quo Paullus meminit.

Cæsares creandi, eosque successores designandi consuetudo post Augustea ætatem invaluit.

lutant vos omnes ſancti, maxime autem qui de Cæſaris domo ſunt.

Cornelius Centurio is, qui Ethnicorum primus cœleſti oſtento, admonituque, Chriſtiana ſacra ſuſcepit, & gentibus quoque, non Judæis ſolum, ad Eccleſiam ingreſſum recludi debere facto ſuo & exemplo declaravit, genere Illyrius fuit, Siſciæ, in urbe Pannoniæ ad ripam Savi celebri & opulenta, illuſtri loco natus, in primis inter ſuos copioſus ac nobilis, ſi fides habenda ſit Heſychio, qui Vitam S. Clementis deſcripſit. Erat is, ut S. Lucas ſcribit Act. 10. *Centurio cohortis, quæ dicitur Italica: quibus ex verbis*, ait Bollandus Tom. I. die 2. Feb. *collegit Baronius tom. 1. Annal. an. Ch. 41. num. 2. eum genere Romanum fuiſſe, milites Italos, & quidem ex legione ſexta, Ferrea vel Ferrata dicta: nam* Σπαρτωλὸς vel Σιδηρᾶν *legionem ferream in Judæa collocatam inde a temporibus Auguſti ſcribit Dio Caſſius lib.* 55. Sed Baronii pace dixerim, quod Cornelius præfuerit cohorti Italicæ, id non eſt ſatis argumenti eum genere Romanum fuiſſe. Cum igitur cæteri veteres neque genus, neque patriam Cornelii prodiderint, credamus licet Heſychio, qui eum ex antiqua Pannonum traditione, vetuſtis etiam monumentis conſignata, Siſciæ ortum eſſe ſcripſit. *Teſtificantur Pannonii*, inquit, *quod & quædam illorum commentaria comprobant, Cornelium primitias Gentium, Pannoniam fuiſſe, Siſcii, nobili ſtirpe, clariſque parentibus natum; qui cum Cornelium quemdam ſub Auguſto militantem a manifeſto periculo ſua virtute ſervaſſet, corona civica ab eo donatus eſt; a Cornelio vero, quem ſervaſſet, in Corneliorum gentem cooptatus, & mutato nomine, quod illi Boris eſſet, Cornelius eſt nuncupatus, demumque honoribus auctus cum Legione Ferrata in Judæam ad hiberna deveniens, multis diebus ibidem exactis, primus ex gentibus meruit baptizari; ea de cauſa moris eſt, inquiunt, Primitias gentium Pannonios nuncupari.* Hunc a B. Petro Epiſcopum conſecratum, & Cæſarienſi eccleſiæ præpoſitum fuiſſe tradunt Uſuardus, Beda vulgatus, Ado, Notkerus, Martyrologium Romanum, & plures alii. Sed ab ejus baptiſmo aliquot annos interfuiſſe arbitror, antequam Epiſcopus fieret; nam Neophytum ad ordinem Epiſcopalem promoveri veteres Canones pleniſſime vetant, idemque Paullus fieri prohibuit. Quo temporis intervallo ſuſpicari licet Cornelium vel cum Principe Apoſtolorum, vel cum aliis Apoſtolicis viris Evangelium per varias regiones propagaſſe; nec vero abſimile eſt Illyricum adiiſſe, & Siſciæ præſertim Apoſtolico munere functum eſſe, ſuiſque popularibus ad Chriſtum convertendis multam ac diligentem operam navaſſe. Nam in Menæis ſcriptum eſt, non illum quidem poſt ſuſceptum baptiſmum Cæſareæ ſubſtitiſſe, ſed cum S. Petro varia percurriſſe loca, inter quæ annumerari poſſunt aliquot provinciæ Illyricæ, quas Petrum obiiſſe ſupra diximus, & depulſis ubique errorum tenebris, veritatis Evangelicæ lumen longe lateque circumtuliſſe: *Maxima dignatus celebritate nominis, Corneli, cum Apoſtolorum principe ac pluribus aliis diſcurriſti, ubique Divinum peragens præconium, per quod & ad lumen perducti, & ab ignorantiæ tenebris eruti ſumus.* Iterum in alia ode: *Accepta Spiritus gratia, veluti ſplendidus quidam Sol, terram illuſtraſti, Corneli, depulſa Idolomaniæ caligine.* Item in alia ode: *Quaſi fluvius ingens egreſſus es, irrigans cœleſti doctrina univerſam terræ faciem, multiplicis Deorum culturæ vizania ſuffocans.* Quin & alia plura id genus de illo prædicant; *Chriſti præconem* appellant, *& ſanctorum Diſcipulorum æqualem, qui ſanctum ſpiritum, ut illi, acceperit.* S. Cornelium Græci idibus Septembris ſolemni cultu & anniverſariis laudibus concelebrant; ejus nomen illuſtri ornatum elogio ad diem ſecundam Februarii Latini in Divorum faſtis adſcribunt.

Cornelius Centurio genere Illyrius.

In familiis gentis Corneliæ Romanæ, per adoptionem aſſciti.

Petri ſocius, idemque adjutor ad rem Chriſtianam etiam Illyriis propagandam.

S. Paullum, cum in Italiam navigaret, ejectum apud Melitam navi fracta, Publius inſulæ princeps benigne comiterque accepit, a quo per triduum victu cæteriſque rebus quam liberaliſſime, commodiſſimeque cum ſociis habitus eſt. Et Publio quidem ſuæ erga hoſpitem humanitatis fructus uberrimus conſtitit; quippe cui Paullus multo plus, quam acceperat, beneficii gratiæque retulit; nam & parentem Publii graviter laborantem divina virtute ſanavit, & Publium ipſum de Chriſti adventu, ac lege Evangelica diligenter edoctum baptiſmo expiavit; quem deinde aliquot poſt annis Melitæ Epiſcopum præfecit. *Id quidem*, ait Baronius, *vetera Martyrologia atteſtantur.* Unum nobis inſtar omnium eſt Martyrologium Romanum vetus, quod Melitenſis Epiſcopatus Publio collati fidem facit: *Athenis S. Publii Epiſcopi, qui Militenus a Paullo Epiſcopus ordinatus.* Eum poſtea ad eccleſiam Athenienſem translatum ferunt, & ſancto Dionyſio Areopagitæ in regimen ejuſdem eccleſiæ ſubſtitutum; non deſunt tamen, qui Publium Epiſcopum Athenienſem a Publio Melitenſi diſtinguendum eſſe cenſeant. Scriptores haud pauci & admodum eruditi, auctore potiſſimum Conſtantino Porphyrogenito, qui ſæculo decimo eximia doctrina & ſapientia floruit, multis & graviſſimis argumentis contendunt inſulam Melitam, ad quam Paullus e naufragio enatans appulit, non illam eſſe, quam in mari mediterraneo e regione Africæ ſitam Equites Rhodienſes nunc obtinent, ſed longe aliam ejuſdem nominis inſulam, in Adriatico mari poſitam, quam in ſua poteſtate ac ditione nunc tenet Reſpublica Raguſienſis. In hanc ſententiam præter alios docte copioſeque diſſeruit D. Ignatius Georgius Benedictinus e Congregatione Melitenſi Raguſina integro libro Venetiis edito apud Chriſtophorum Zane an. 1730. qui inſcribitur: *D. Paullus in mari, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragus; & Melitæ Dalmatenſis inſulæ poſt naufragium hoſpes.* Hæc opinio, ſi vera eſt, quæ ſane idoneis auctoritatibus, & firmiſſimis rationibus nititur, Apoſtolorum Illyrici numerum auget S. Publius, non unus vulgarium hominum quilibet, ſed ſuæ civitatis atque inſulæ princeps, idemque magni Paulli in Chriſto filius ac diſcipulus, qui populares ſuos Chriſtianis præceptis ac myſteriis diu ac diligenter excoluit, & Melitenſem Illyricam eccleſiam inſtituit, ſanctiſſimeque adminiſtravit.

Publius hoſpes S. Paulli apud inſulam Melitam, conſtitutus Melitæ Epiſcopus.

Melita, ſita quam, Illyricana, an Africana.

D. Ignatius cognomento Theophorus, quem Euſebius inter Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ auditores ac diſcipulos annumerat, idemque principis Apoſtolorum poſt Evodium in ſede Antiochena ſucceſſor, partem aliquam Illyrici hodierni aut Evangelica prædicatione luſtravit, aut certe eximiæ ſuæ ſanctitatis exemplis ac veſtigiis impreſſit. Nam anno circiter 107. ob Chriſti fidem capite damnatus, cum juſſu Trajani Romam duceretur Leonibus objiciendus in amphitheatro, & Neapolim urbem maritimam in finibus Thraciæ & Macedoniæ appuliſſet, hinc

D. Ignatius Martyr, ob vinctus Romam ducebatur;

viæ

viæ quod erat uſque ad mare Adriaticum pedes confecit, Macedoniam obiens, tranſienſque per eam Illyrici partem, quæ dicta eſt Epirus nova, nunc Albadia dicitur, & Epidamnum ſive Dyrrhachium pervenit, ubi navim conſcendens, quod reliquum erat itineris Puteolos uſque, mari peregit. Id ſcriptum eſt in actis Ignatianis apud Ruinartium, quæ ab ejuſdem Ignatii Diſcipulis, teſtibus oculatis, ſocilſque itineris Romani conſcripta eſſe dicuntur: *deinde illinc ductus ad Neapolim, per Philippenſes, pertranſivit Macedoniam pedes, & terram quæ ad Epidamnium; cujus in terra juxta mare, navi poſitus, navigavit Adriaticum pelagus, & illinc aſcendens Tyrrhenicum, & tranſiens inſulas & civitates, oſtenſis ſanctis Puteolis, ipſe quidem exire feſtinavit, ſecundum veſtigia ambulare volens Apoſtoli Pauli.* Cum autem per eas regiones ſatellitibus ſeptus, vinctuſque duceretur, & undique ad eum, ut fit, viſendi ſtudio, concurſus fieret, haud dubium eſt, quin pro ea, qua flagrabat in Chriſtum vehementiſſima charitate, ubique ad circumfuſam multitudinem verba faciens, illuſtre Evangelio, Chriſtique Divinitati teſtimonium tribuerit, multoſque tum ſuis cohortationibus divino quodam ardore incenſis, pleniſque Apoſtolico ſpiritu, tum vero invictæ cujuſdam fortitudinis excelſique animi ad omnia vel acerbiſſima pro Chriſto ſubeunda paratı & intrepidi heroicis exemplis ad religionem amplectendam impulerit. Quin immo terreſtre illud iter ejuſmodi fuit, ut peragratio quædam Apoſtolica videretur eſſe ad Chriſti fidem diſſeminandam, ſtabiliendam, augendam inſtituta; quacumque enim incederet, obvias eccleſias inviſebat, & ſive in via, ſive in diverſoriis, promiſcue cunctos docendo, exhortando, monendo, non ſine ingenti rei Chriſtianæ incremento, excellentis cujuſdam virtutis & charitatis relinquebat impreſſa veſtigia. Hæc Simeon Metaphraſtes in Vita S. Ignatii memoriæ prodidit: *Ipſe autem paullo poſt Smyrna deductus a militibus; & cum appuliſſet Troadam ac Neapolim, tranſiit pedes per Philippos & Macedoniam, eas, quæ ſunt in via, inviſens eccleſias, & in eis docens, exhortans, diſſerens, fratres, qui erant paullo ſimpliciores, & imbecilliores confirmans, & efficiens, ut omnes vigilarent & eſſent ſobrii. Cum vero tranſiiſſet Epirum, & mare tranſmiſiſſet Adriaticum, & Tyrrhenum, appellit Puteolos.* Itaque cum S. Ignatius ex itinere Romano eam Illyrici partem, quæ Driloni & Montibus Acroceraunüs interjacet, Evangelium prædicando, incoliſque doctrina & exemplo erudiendis obierit, hunc quoque in eorum numerum adſcribamus licet, qui ad ſalutem Chriſtianamque inſtitutionem Illyricæ gentis aliquid operæ induſtriæque Apoſtolicæ contulerunt.

Aliquam Illyrici partem pedes pertranſiit;

Primævam eccleſiam tanta cæleſtium chariſmatum affluentia, & ſuperfundentis ſe divini ſpiritus copia delibutam, omnique ex parte perfuſam fuiſſe conſtat; ut per totum Eccleſiæ corpus, perque omnes ordines ſexus utriusque, inſolita quædam alacritas, & animorum ac mentium vigor ad quoslibet ſubeundos Chriſti cauſa labores, ac religionis initia ſtrenue promovenda pervaſerit. Quod enim Joel Propheta inſtinctu divino afflatuque prædixerat fore, ut Deus olim *effunderet ſpiritum ſuum ſuper omnem carnem, & ſuper ſervos ſuos & ancillas*; id enim vero priſcis illis temporibus reipſa comprobatum fuit. Tantus quippe ſuperni Numinis ardor invaſerat non virorum modo, ſed etiam ſexus infirmioris animos, tanta fidei propagandæ cupiditas inceſſerat, ut Virgines paſſim ac mulieres Apoſtolici ſpiritus plenæ, divinæ gloriæ ſtudio mirum in modum incenſæ, præclaram Evangelio multis in locis operam, pluſquam pro virili parte, navarent. Aliquot hujuſmodi ſanctiſſimas fœminas vereque Apoſtolicas Paullus in ſuis ad Romanos litteris non ſine laude commemorat, veluti *Juniam*, quam *in Apoſtolis nobilem, & Priſcam*, quam *ſuam adjutricem* vocat; item *Maviam*, *Tryphænam*, *Tryphoſam*, & in epiſtola ad Philippenſes, *Evodiam* & *Syntychen*, quas omnes *ſecum in Evangelio multum laboraſſe* teſtatur. Ex earum numero ajunt fuiſſe Marcellam, quam S. Marthæ pediſſequam vocant, quod eidem & ancillæ & comitis officia præſtiterit. Hanc liquidem cum Lazaro, Magdalena, Martha ab Judæis in exilium pulſam, & navi cuidam, gubernaculo & remigio deſtitutæ in certum naufragii diſcrimen impoſitam, Deo ducente, Maſſiliam cum cæteris incolumem appuliſſe tradunt. Simon Bengnius in ſuis collectaneis auctor eſt Marcellam e Siſcia oriundam fuiſſe, aut certe ex aliquo non longe disjuncto ſeu Pannoniæ, ſeu Dalmatiæ oppido. Huic aliqui adſcribunt præclaram illam vocem *piæ ingenuæque mentis* indicem, qua, ut perhibet S. Lucas, quædam mulier de turba Chriſti laudes pro muliebri more ingenioque ſatis eleganter celebravit: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti*. Marcella igitur, cum S. Martha diem ſuum obiiſſet, famulatus officio percuncta in patriam ſe retulit, & qua verbis, qua exemplis populares ſuos excolere aggreſſa, quamplurimos vel ab avita ſuperſtitione ad rectam in Deum fidem traduxit, vel ab impuris depravatiſque moribus ad honeſtam piamque vivendi rationem revocavit. In ea Pannoniæ regione, quæ Savo Dravoque interjecta, olim Savia, deinde Slavonia dicta eſt, Marcellam Apoſtolico munere functam fuiſſe docet Petrus Equilinus lib. 6. cap. 155. *Marcella Marthæ pediſſequa fuit. . . . . hæc cum ipſa Domina ſua a Judæorum finibus expulſa, & cum aliis diſcipulis, ut ſuperius actum eſt, Maſſiliam devenit: ipſam uſque ad ejus obitum non dimiſit: ipſiuſque vitam & geſta conſcripſit. Quæ poſt ejus vitæ finem in Sclavoniam pergens, ibidem Chriſti Evangelium prædicans, poſt decimum annum a dormitione Marthæ in pace quievit.* Eadem ferme Jacobus de Voragine intexuit Divorum hiſtoriis, quibus titulum *Legendæ Aureæ* præpoſuit. Sed hæc omnia diſquiſitionem paullo diligentiorem deſiderant. Egregie Baronius in Not. ad Martyr. die 29. Jul. de Vita S. Marthæ, quam S. Marcella conſcripſiſſe dicitur: *Feruntur quædam acta nomine Marcellæ pediſſequæ, quę recenſet Mombritius tom. 2. ſed quę revera magis recentiorem aliquem præſeferunt Scriptorem, licet multa contineant, quę non tantum ſcriptis, ſed & traditione firmentur. Ejuſdem fere generis eſſe noſcuntur, quę Petrus brevi compendio refert in Catalogo.*

Fœminæ Apoſtolicæ,

inter quas Marcella pediſequa S. Marthæ oriunda ex Pannonia,

non obiit S. Martha in patriam reverſa,

Ac aliquid ſuæ curæ Apoſtolicam in Illyricos deriparit.

apud ſuos populares munere Apoſtolico functa eſſe dicitur.

Ænona civitas eſt perantiqua Dalmatiæ, frequens olim ac nobilis, cujus plerique veterum Geographorum meminere; nunc magna ex parte dirutam, Nonam vulgo appellant. Verus eſt, & conſtans indigenarum opinio, quam a majoribus ſibi traditam, & inde uſque ab antiquiſſimis temporibus fama & auditione in alias ex aliis ætates propagatam ferunt, D. Anſelmum unum

Digitized by Google

Anſelmus unus e 72. Diſcipulis, cum Ambroſio Diacono, Dalmatas in fide eruditſſe, ac Ænonæ Epiſcopus fuiſſe traditur.

e ſeptuaginta duobus Chriſti Diſcipulis in eam urbem veniſſe, & multis ad ſanam religionem ac fidem ab Ethnicorum fabulis & impura ſuperſtitione traductis, Eccleſiam ibidi fundaſſe, cujus ipſe primus Epiſcopus fuerit, quamvis interciſa Epiſcoporum ſerie, Ænona ſedem Epiſcopalem, niſi poſt multa ſæcula, non recuperaverit. Huic Diaconum & eccleſiaſticæ procurationis adminiſtrum quemdam fuiſſe ajunt, cui nomen erat Ambroſio; utrique vero ad eos Chriſtianos inſtituendos erudiendoſque perutilem operam navaſſe Marcellam S. Marthæ pediſſequam, quæ fortaſſis e proxima Pannonia, poſt Chriſtianam rem in illis locis bene geſtam, in Dalmatiam ſe contulit; & quemadmodum Paullo cæteriſque Apoſtolis ac Diſcipulis aliæ religioſæ mulieres, ſic Marcella Anſelmo & Ambroſio Evangelici operis ac laboris adjutricem ſe præbuit. Hæc ferme dictitant Ænonenſes, quæ ut confirment, nihil quidem veterum tabularum proferre poſſunt, ſed hujuſmodi rerum teſtem traditionem appellant, quam ſatis ad probandum idoneam, & multarum ætatum conſenſu firmatam eſſe oportet, quippe cum hac una traditione freti innixique illius Eccleſiæ Epiſcopi, in iis litteris, quæ de toto ſtatu rerum omnium eccleſiaſticarum Romam tertio quoque anno mitti ſolent, hæc perſcribere non dubitaverint: *Eccleſia Cathedralis ſub invocatione S. Anſelmi Epiſcopi & Confeſſoris unius ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Et in aliis ejuſmodi litteris: *S. Anſelmi Diſcipuli Salvatoris oſſa gloriosa reperta fuerunt in arca lapidea prope altare majus, inſimul cum oſſibus S. Ambroſii Diaconi, quę modo ſunt laminis argenteis membratim recondita, & in ipſa arca cuſtodita ſub tribus clavibus, cum aliis reliquiis ejuſdem eccleſię*. Hanc inveteratam indigenarum opinionem confirmat eorumdem erga Sanctos illos Anſelmum, Ambroſium, & Marcellam conſtans ac perpetua religio; quippe non ſolum eos civitatis apud Deum Patronos ſibi adoptarunt, ſed præterea S. Anſelmum quidem VII. Kal. Septembris, S. Ambroſium vero VI. Idus Januarii, anniverſario & ſolemni cultu, ſub ritu duplicis primæ claſſis venerantur; S. Marcellæ autem VI. Kal. Septembris ſub ritu dupliçis ſecundæ claſſis debita religionis officia ſingulis annis perſolvunt; eorumque omnium commemorationem & cultum in octavum uſque diem producunt. Ad hæc; poſtridie idus Decembris inventionem S. Anſelmi ſub ritu duplici concelebrant. Eorum corpora apud ſe condita Ænonenſes diligenter aſſervarunt, & qua dignum erat, frequentia, ac veneratione coluerunt; ſed anno circiter 46. ſuperioris ſæculi, cum urbi ab Turcis excidium ac vaſtitas immineret, ne ſacrilegis Barbarorum injuriis expoſita eſſent, Jaderam tranſvecta fuiſſe affirmant, ac depoſita in Baſilica S. Anaſtaſiæ; inde vero poſt decem annos ſublata, & ſolemni totius Cleri populique ſupplicatione in ædem S. Mariæ invecta apud Virgines cœnobii Ænonenſis, quod jam inde ab anno 1500. ob metum Turcarum Jaderam translatum fuerat; ubi etiamnum honorifice pieque aſſervantur. Ædes autem S. Mariæ, veteri antiquato, novum a S. Marcella titulum aſſumpſit. Sed quę de tribus illis antiquiſſimis Eccleſiæ Ænonenſis conditoribus vulgo dicuntur, cum traditione quadam populari potiſſimum nitantur, vereor, ut viris eruditis probari poſſint, antequam ſolertiori diſquiſitioni, accuratoque examini ſubjiciantur; id quod in hiſtoria ejuſdem eccleſiæ præſtandum erit.

SS. Anſelmi & Ambroſii corpora in Eccleſia Cathedrali condita.

§. III.

De SS. Tito & Herme Apoſtolis & Epiſcopis Dalmatiæ.

HActenus generatim de Apoſtolis, virisque Apoſtolicis, qui provincias Illyrici Evangelica circuitione, alii alias peragrarunt; & pro ſe quiſque aliquid ſtudii operæque ad eccleſiam Illyricam univerſam fundandam exſtruendamque contulerunt; nunc ſpeciatim de tribus Apoſtolis & Epiſcopis Dalmatiæ, qui non obiter, aut curſim, ſed ex inſtituto, & auctoritate utriuſque Principis Apoſtolorum, regionem illam doctrina Evangelica plures annos excoluerunt, ac diu multumque in eccleſia Dalmatica conſtituenda elaborarunt. Hi autem fuerunt Titus, Hermeſque duo ex Diſcipulis Paulli, & Domnius Diſcipulus Petri, de quo quæ hic breviter dicenda ſunt, in proximum paragraphum rejicimus. De Apoſtolatu Dalmatico Titi nullum dubitandi locum relinquit ſecunda Paulli ad Timotheum epiſtola, in qua cap. 4. diſerte additum eſt *Titum in Dalmatiam* profectum fuiſſe, non aliam ſane ob cauſam, niſi ut Evangelio apud Dalmatas operam daret; nullus quippe ſeu veterum ſive juniorum Interpretum eſt, quin huic cauſæ Dalmaticam Titi profectionem adſcribant.

Titus, Hermes, Domnius præcipui conditores eccleſiæ Dalmatiæ.

Titus Apoſtolus Dalmatiæ miſſus a Paullo.

Annus erat æræ vulgaris circiter 52. cum Paullus Titum legatione Corinthiaca, quam eidem mandaverat, egregie perfunctum in Dalmatiam miſit, ut Evangelii ſementem, quam alii atque alii ſive ex Apoſtolis, ſive ex Diſcipulis in ea regione fecerant, ad frugem & maturitatem perduceret. Titus ſimul atque in provinciam venit, ſtatim ad Chriſtianam rem animum adjecit; & civitates, oppida, pagos obiens, Chriſtianis myſteriis imbuere pleroſque, & baptiſmo expiare inſtitit. Annos aliquot in ea vinea ſtrenue egregieque laboraverat, nec pœnitenda collecta fruge, & ingenti mortalium numero ad Chriſtum aggregato, cum Romam ſe contulit, ut cum cæteris diſcipulis adventum Paulli præſtolaretur, qui anno vel 59. ut Baronius, vel 56. ut Petavius & alii docent, vinctus Romam pervenit. Nec diutius in urbe ſubſtitit, quam ſua erga Paullum charitas ac pietas, optimique diſcipuli adverſus magiſtrum debita officia tali tempore ac loco requirebant. Itaque in Dalmatiam regreſſus, id quod ex loco laudato Paullina ſecundæ ad Timotheum epiſtolæ intelligi poteſt, omni ſtudio operaque ad præclara cœpta perficienda incubuit. Biennio poſt Paullus Neronis ſententia abſolutus ac dimiſſus e Romana cuſtodia, Titum per litteras evocavit, quippe id conſilii ceperat, ut ad Hiſpaniam cæteraſque Occidentis regiones peragrandas Tito ſocio atque adjutore uteretur; ac deinde Cretenſis eccleſiæ adminiſtrationem eidem tradere conſtituerat. Titus igitur re Dalmatica bene geſta, & pleriſque incolarum ad Chriſti fidem perductis, Romam advenit anno vel 61. vel 58. alterutri enim Paulli e primis vinculis dimiſſionem, vel cum Baronio, vel cum Petavio adſcribas licet. Ne vero Dalmaticum gregem orbum cuſtode, & Judæis pariter Ethniciſque undequaque frementibus expoſitum atque indefenſum relinqueret, virum gnavum atque induſtrium e ſua diſciplina delegit, quem loco Titi in Dal-

Revocatus a Paullo in Hiſpaniam cum eo proficiſcitur, ac deinde in Creta Epiſcopus conſtituitur.

Hermes in ejus locum ad eccleſiæ Dalmaticam adminiſtrandæ ſubſtituitur.

Digitized by Google

matiam subministreret, diligenter antea edoctum de rebus Dalmaticis, ut novellam illam ecclesiam tueretur, stabiliret, augeret, Neophytorum curam gereret, iisdemque præsidio esset, omnia denique Pastoris optimi sedulique officia præstaret. Is Hermes fuit, quem Paullus jampridem in suam disciplinam ac societatem receptum, cum eximiis præceptis institutisque, tum in primis imitatione sui ad munus Apostolicum erudierat. Hermes igitur susceptum ecclesiæ Dalmaticæ regimen retinuit usque ad annum proximum ante Martyrium Apostolorum, quod Baronius in annum 69. conjecit, alii ad superiores annos revocarunt. Quæ nunc summatim ac breviter perstringimus, eadem postea in Actis S. Titi & S. Hermis, rationibus & auctoritatibus idoneis adhibitis, diligenter, & uberius ac fusius persequemur.

Titus atq; Hermes Episcopi Dalmatiæ Apostolici, sive Evangelici, sive Regionarii.

Cum in proposito hujus paragraphi titulo utrumque appellamus Episcopum Dalmatiæ, in eorum Episcoporum numero utrumque haberi volumus, quos Henschenius *Apostolicos*, Papebrochius *Evangelicos*, alii minus quidem latine, sed magis fortasse ad id, quod gerebant, muneris, apte congruenterque *Regionarios* vocant. Horum enim illud proprium erat, ut nulli cuipiam urbi oppidove addicti affixique provinciam totam regionatim obirent, ac sine intermissione discurrerent, civitates pagosque ex ordine lustrarent, neque uspiam diutius consistorent, quam rei Christianæ utilitas ac necessitas postularet. Nec vero ab consuetudine Apostolicorum temporum abhorret hæc ratio instituendi Episcopos, quorum quidem sedes Pontificia nulli loco nominatim affixa esset, jurisdictio vero alias latius, alias angustius pateret, aliàs nullis, alias iisdem, quibus una provincia, terminis circumscriberetur. Cujus quidem rei cum causam quærerem; quidnam esset, cur, ut in quaque regione Christiana religio propagari cœpit, non statim suus cuique urbi Episcopus præpositus fuerit, has causas reperiebam duas; unam, quod Apostolicorum virorum, qui apti essent idonei-que ad munus Episcopale sustinendum gerendumque, tanta copia non supperetet, quanta opus erat, ut singulis civitatibus singuli Episcopi præfici possent; altera est hæc, quod quamvis Christi fides ac religio in multis provinciis egregios progressus haberet, ac multi essent tum in civitatibus, tum in pagis oppidisve, qui Christo nomen dedissent, nusquam tamen eo crevisset Christianorum multitudo, quæ in unius Ecclesiæ corpus coalescere, cuique certus ac proprius Episcopus pro rei ac nominis dignitate imponi posset. Quare satius erat utiliusque in tanta messis copia, tantaque operariorum paucitate, ejusmodi Episcopos instituere, qui Apostolico ritu soluti ac liberi, continenter universam provinciam peragrarent, civitates juxta pagosque Christianis præceptis ac mysteriis imbuentes, quam unum certumque alicui loco Episcopum alligari devincique, ejusque industriam ac procurationem intra unius Parochiæ, sive, ut nunc dicimus, Diœceseos fines concludi. Hujus generis Episcopos fuisse arbitror plerosque Apostolos, virosque Apostolicos illorum temporum, qui ejus regionis fane amplissimæ, quæ cuique in orbis terrarum distributione obtigerat, nullam urbem delegerant, in qua domicilium stabile & fixum haberent, sedemque Pontificiam collocarent, sed perpetua peragratione, ex uno in alium locum Evangelium asserebant, & omnibus æque urbibus ac pagis suas sudas laboresque dispertiebant; neque antea primariis civitatibus præficiebant Episcopos, quam in iis satis aucta esse ac stabilita res Christiana videretur, atque ex Ethnicis ad Christum adjunctis frequens & bene constituta Ecclesia existeret: in pagis vero, & exiguis urbibus vel presbyteros, vel delectos ex omni Christianorum numero Magistros & probitatis, & ingenii laude præstantes locabant, qui cæteros in officio continerent, catechismum, ita ut acceperant, rudibus traderent, ædes sacras curarent, si quando necessitas urgeret, baptizarent infantes, & prorsa qua quisque præditus erat facultate, Curionum, seu Parochorum munera, & officia exsequerentur. Hisce vicariis Christiani gregis procuratione commissa, ad aliud ipsi aliudque deinceps oppidum Evangelium circumferendo transibant. Hanc rationem religionis propagandæ non solum Apostolos, sed etiam viros Apostolicos ex instituto ac præscripto Apostolorum prima atque altera Ecclesiæ sæculo tenuisse docet Eusebius lib. 3. cap. 37. *Munus obibant Evangelistarum, & postquam in remotis ac barbaris regionibus fidei fundamenta jecerant, ac Pastores constituerant, ad alias gentes, aliasque provincias properabant.* Petrus tribus vel quatuor annis antequam Ecclesiam Antiochenam fundaret, ejusque sedis possessionem adiret, Christi Vicarius, & universalis Ecclesiæ Episcopus esse, & muneris utriusque partes agere cœpit; quo temporis intervallo nulli addictus loco, Palæstinam rei Christianæ causa sæpe lustravit. In exemplari quodam Catalogi Pontificalis Anastasiani, quod erat penes Cardinalem Mazarinum, quatuor annos Petri Cathedræ vagæ ac solutæ in partibus Orientis attributos invenio. *Post ejus Passionem anno sequenti tenuit Petrus Apostolus in partibus Orientis cathedram annis* 1111. *deinde anno Domini* 37. *venit Antiochiam; quæ verba*, inquit Papebrochius in Propyl. Diss. 2. *occasionem dederunt Henschenio quatuor annos vagi per Palæstinam Episcopatus adducendi in suam Chronologiam.* Henschenius autem hæc scripserat Tom. 1. April. exercit. IV. in Catal. antiq. Pontif. *Tunc Petrus Episcopatum suscepit, sed nulli certo loco adstrictum, qualem quatuor annis adscribit illi in Oriente codex Anastasii Bibliothecarii, inter libros Cardinalis Mazarini, olim asservatus.* Petrus igitur ante Apostolici seu Regionarii Episcopi partes egit, quam vel Antiochiæ, vel Romæ sedem suam Pontificiam collocaret. Clemens quoque, postquam Romano Pontificatu se abdicavit, vitæ quod reliquum fuit, Regionibus aliis atque aliis prædicatione Evangelii obeundis, & Episcopi regionarii munere fungendo impendit, ut Henschenius ibid. in Clem. existimat. *Quid ni potius dicamus S. Clementem anno 77. abdicasse Pontificatum, & Episcopum Apostolicum nulli sedi affixum, reliquo vitæ tempore vixisse?* Ejusdem generis Episcopatum, liberum ac solutum, nullisque regionibus definitum, auctore Photio in Bibliotheca, Victor & Zephyrinus Pontifices Maximi contulerant Cajo Romanæ ecclesiæ Presbytero eximiæ doctrinæ ac sanctitatis viro, quem tradit Photius *Gentium Episcopum* ordinatum esse χειροτονηθῆναι ἐθνῶν ἐπίσκοπον, *& veluti Regem immissum*, ait Thomassinus, *& coronatum esse ei Regno, quod vi & consilio esset adepturus. Eo fere modo Pontifices Romani consecravere Episcoporum partem longe maximam, quos deinde immitterent ad debellandas fideique jugo subjiciendas Occidentis Pro-*

Eadem consuetudo probatur auctoritate Eusebii, & exemplis.

Titus & Apostolicæ consuetudo Episcopos nulli urbi affixos, id est regionarios indicunt.

vincias illas, quas in epistola sua commerat Innocentius I. Hæc Thomassinus Vet. & Nov. Eccl. Discipl. part. 1. lib. 1. cap. 54.

M. Hansizius e nostra Societate docet Germ. sacr. tom. 1. part. 1. cap. 1. priscis illis temporibus duo Episcoporum genera distingui posse; & alios quidem fuisse Episcopos *Ordinarios*, uni cuipiam urbi & Parochiæ nominatim addictos; alios vero *Regionarios*, ideſt nullius quidem civitatis proprios, sed communes unius regionis seu provinciæ Episcopos. Porro Hansizius de prioribus Norici Episcopis ait, eam fuisse Pagii opinionem, ut putaret *nullos sedisse Laureaci Antistites Ordinarios; sed Regionarios tantum*, primo videlicet atque altero ecclesiæ sæculo; sibi vero neutrum liquere, nec fuisse ordinarios, nec non fuisse: *Primi porro Laureacenses Episcopi fuerintne Regionarii tantum, an ordinarii, disputare nolim. Haud dubie neque limites Diœcesium ita fuerint, ut hodie discreti: neque adeo certæ Episcoporum sedes; quippe turbido reipublicæ tempore, & sævientibus in Christianum nomen persecutionibus, ob quas fugiendum erat de una civitate in aliam.*

Modernæ ratio fidei propagandæ cum antiqua comparata.

Idem vero Hansizius præclare animadvertit, Evangelii inter Ethnicos propagandi rationem prioribus sæculis eamdem initam fuisse, quæ nunc adhiberi solet; ac proinde qui de originibus veterum ecclesiarum disputant, hos oportere mentem & cogitationem intendere in primordia recentium ecclesiarum, in quibus tamquam in quodam speculo atque exemplo antiquarum initia intueri licet: *Nolim tamen contendere mox initio fundatam illic* (ideſt Laureaci) *sedem Episcopalem: illud hic utique factum, quod in conversione gentium hodieque usurpat apud Indos, aliosque Orientis & Occidentis Barbaros; quorum exemplum ob oculos sane habendum est omnibus, qui de originibus Ecclesiarum cogitant.* Cum itaque superiori patrum & avorum nostrorum memoria, salutaris Christi doctrina in remotissimas utriusque Indiæ Orientalis, atque Occidentalis Nationes inferri cœpisset, quæ lumen Evangelii vel antea numquam acceperant, vel acceptum incuria seu longinquitate restinxerant; initio quidem neutrobi sedes Episcopales certo loco designatæ aut constitutæ sunt; sed missi utroque operarii Evangelici, & vitæ innocentia, & Christianæ doctrinæ ac facundiæ laude præstantes, qui ex auctoritate Romani Pontificis verbum Dei longe lateque disseminarent, errantesque mortalium greges ab infelicibus vepretis ac saltibus, ad lætæ Domini pascua caulasque traducerent; ubi vero barbaros illos dispersos ac dissipatos in unum Christi ovile congregassent, tum illis Episcopus præfici solebat, qui oves sibi commissas curaret ac defenderet, verbi divini & Sacramentorum pabulo impertiret, omniaque boni ac seduli Pastoris officia exsequeretur. Hoc interest inter recentiores, ac veteres Evangelii præcones, quod antiquitus, quibus hujusmodi Apostolicæ expeditiones mandari solebant, iidem essent Episcopali dignitate præditi, qui cæteris gloriosi operis ac laboris sociis & adjutoribus præessent, & gentibus Christo adjungendis ipsi sibi gregem quærerent, quem pascerent ac tuerentur, vel quas Christo oves aggregassent ipsi, aliis regendas pascendasque traderent. Cæterum etiam posteriori bus temporibus nonnumquam usurpata est vetus illa consuetudo Episcopos in longinquas terras mittendi, nulla illis certa sede assignata, qui vel cultores Idolorum a nefariis superstitionibus ad unius ac veri Dei cultum traducerent, vel Hæreticos & Schismaticos ab insanis opinionibus ad rectam in Deum fidem, ecclesiæque auctoritatem revocarent. Veluti sæculo decimo sexto ad expeditionem Æthiopicam delecti cum essent e Societate Jesu tredecim viri, sanctimoniæ non minus, quam eruditionis laude præcellentes, ex eorum numero tres Episcopali charactere insigniri pro imperio voluit Julius III. Pontifex Maximus, quod tum ad conciliandam illis auctoritatem ac reverentiam, tum ad conferendam eisdem amplissimam rerum gerendarum potestatem, ecclesiasticæ dignitatis & jurisdictionis insignia honorumque tituli necessario requiri viderentur. Joannes Nonnius Baretus creatus est Patriarcha, & duo eidem Episcopi adjutores adjuncti, Melchior Carnerius, & Andreas Oviedus, ille Nicæni, hic Hierapolitani Antistitis titulo decorati, qui quidem Nonnio, si quid ei gravius accidisset, in Patriarchatum Æthiopicum succederent. Hi omnes in dubium eventum, incertique successus ancipitem ac periculosam in aleam cum mitterentur, nullus designari potuit locus, in quo Nonnius sedem suam Patriarchalem defigeret; quinimmo cum Apostolica illa Missio effectu, quem boni omnes optabant, ac sperabant, caruisset, aversis ab sana doctrina tum Claudii Regis Abassinorum, tum gentis illius auribus animisque, Andreas Oviedus in locum Joannis vita functi substitutus nusquam locum invenit, in quo ex Catholicis, quos vel invenerat, vel ipse fecerat, ecclesiam justæ magnitudinis colligeret, cui pro dignitate Patriarchalis titulus imponi posset. Itaque inter assiduas ærumnas, vitæque pericula, ut exiguas in iis regionibus Catholicorum reliquias tueretur, in summa rerum omnium egestate, bobus & aratro paratis, terram suis ipse manibus colebat, unde victum sibi quæreret ad vitam parce ac duriter tolerandam; neque antea pusillum illud gregem per se sociosque modis omnibus adjuvare destitit, quam mors illum pie sancteque obita rebus humanis exemit, virtutibus eximiis pariterque miraculis illustribus insignem. At Melchior Carnerius Nicænus Episcopus cum gentis Abassinæ ad catholicam veritatem revocandæ spes omnis evanuisset, jussus est a Pio V. Ecclesiæ Japonicæ ac Sinicæ curam administrationemque susci pere, nulla ejus sedi ac domicilio urbe constituta; qui ad Amacanum Sinarum insulam, Lusitanorum emporium, ætatis jam exactæ reliquias, propagandæ fidei, & Christianorum animis curandis excolendisque insumpsit. Tres hosce Apostolicos viros Episcopali nomine, & charactere insignitos rite appellaveris Episcopos Regionarios.

Melchior Carnerius Episcopus ecclesiæ Sinicæ & Japonicæ nullo loco urbive addictus.

Sed ad priora ecclesiæ sæcula ut regrediamur, vere ac præclare docuit Ludovicus Thomassinus, jam inde antiquitus hanc receptam fuisse consuetudinem, quæ deinceps in ætates posteriores manavit, ut qui ad longinquas & barbaras gentes erudiendas ac baptismo initiandas mittebantur, ii non unius civitatis & Parochiæ, sed universæ Nationis, ad quam proficisci jubebantur, Episcopi nominarentur: *Ordinabantur*, inquit part. 1. lib. 1. cap. 54. *non civitati uni ejusmodi Episcopi, sed universæ Nationi, propterea quod persæpe ne nota quidem erant civitatum nomina. Adde, quod viris Apostolicis, perinde ut Apostolis ipsis, obsequendum erat Spiritui, cujus impetu rapiebantur, nec remorandus Evangelicæ victoriæ cursus velocissimus.* Sozomenus libr. 7. cap. 19.

Alia in rem eamdem ecclesiæ veteris exempla.

cap. 19. apud Thomaſſinum refert in univerſa Scythia, cum urbes eſſent & plurimæ & frequentiſſimæ, unum tamen fuiſſe Epiſcopum, quem nulli civitati oppidove alligari oportuit, ſed totam regionem pervagari, ut Ethnicos ad fidem perduceret, Chriſtianos in fide confirmaret. In numerum hujuſmodi Epiſcoporum, quos Regionarios dicimus, referendi ſunt, tum ille, quem ad novellam Iberorum eccleſiam excolendam & augendam miſit Conſtantinus, ut tradit Theodoretus lib. 1. cap. 24., tum Frumentius Indorum Epiſcopus ab Athanaſio conſecratus, ut narrant Rufinus & Socrates lib. 1. cap. 14., tum Wila vir eximiæ ſanctitatis & doctrinæ, quem Joannes Chryſoſtomus (epiſt. 125. ad Olympiadem) univerſæ Gothorum genti Epiſcopum dedit; tum Palladius ad Scotos & Hibernos Chriſtiana fide imbuendos miſſus a Cęleſtino Pontifice Maximo, ut Proſper in Chronico ſcriptum reliquit; tum Birinus, quem Honorius Papa ire juſſit ad Britannos extremos, ut in ultimas quaſque Angliæ regiones denſiſſimis offuſas tenebris, ad eamque diem impervias, Chriſtianæ veritatis lumen inferret, ut Beda lib. 3. teſtatur; tum alii plures, quos neceſſe non eſt commemorare; cum qui hactenus nominati ſunt, ſatis fidem faciant, tum antiquæ, tum recentioris eccleſiæ morem fuiſſe, ad gentium converſionem hujuſmodi Epiſcopos delegari, qui nulli loco nominatim addicti, Apoſtolici & Pontificalis muneris ſibi demandati curas laboreſque in omnes unius regionis ſive provinciæ civitates, oppida, vicoſque diſtenderent; quos quidem vel Evangelicos, vel Apoſtolicos, vel Regionarios Epiſcopos, per me licet, appelles.

Hujus generis fuiſſe exiſtimo Dalmaticum Epiſcopatum nulli civitati devinctum, ſed liberum & vagum, quem Paullus Tito atque Hermi, in eam regionem ad Evangelium promulgandum dimiſſis, delegavit. Quare Titus, ut munere ſibi credito rite fungeretur, univerſam Dalmatiam Evangelii prædicatione peragrare inſtituit: Ubi rem Chriſtianam pulchre inſtitutam ſuis jam viribus niti videbat poſſe, in alias civitates vicoſque commigrabat, eadem ratione urbes reliquas atque oppida eruditurus. Quæ omnia loca ut obierat, quietis immemor, a capite eamdem pari diligentia provinciam luſtrabat, & labore in orbem redeunte, ad primam urbem, unde Apoſtolicæ excurſionis initium fecerat, revertebatur, Chriſtianum gregem nova incolarum acceſſione aucturus, & perfecturus, quæ rudia & inchoata reliquerat; eodemque ordine civitates pagoſque deinceps reviſebat omnes, ubique Chriſtianæ inſtitutionis exemplum, ſcribendi gnaris, ut id deſcriberent, rudibus, ut ediſcerent, quotidieque memoriter recitarent, præcipiens. Ut autem rectum inſtitutum recte atque ordine procederet, omnibus in locis ſingulos binoſve deligebat, qui diſciplinæ Chriſtianæ intelligentia, gravitate vitæ, pietatis ardore, morum integritate inter cæteros eminerent. Hos inſtar Curionum, ſeu Parochorum, quando deerant Presbyteri, quibus id muneris committeret, Neophytis præeſſe jubebat, iiſdemque in unum locum congregatis, præſertim feſtis diebus, Chriſtianam doctrinam tradere, infantes baptizare, ſi qua neceſſitas urgeret, & ſi quid accidiſſet gravius, aut difficilius, conſignatum litteris, memoriæ cauſa, poſtmodum ad ſe referre. Cæterum in primariis civitatibus, atque oppidis frequentibus, ſi ad manum eſſet copia Presbyterorum, hos muneris ſui Vicarios relinquebat, qui rem Chriſtianam ex officio riteque curarent, & cum ad novos greges quærendos, tum ad greges jam partos tuendos omni cura diligentiaque incumberent.

Aliquot annos Titus in Dalmatia per hoſce labores abſumpſerat, jamque tantum ſtudio, & aſſiduitate profecerat, ut quamplurimis ad Chriſtum aggregatis, eccleſiæ Dalmaticæ fundamenta præclare jacta viderentur; cum juſſus a Paullo epiſcopatum Dalmaticum dimittere, atque in urbem evocatus, ut rerum ab ſe geſtarum rationem redderet, diligenter illum edocuit, quos ad eam diem progreſſus feciſſet in Dalmatia Chriſti fides ac religio, & quibus maxime præſidiis, quibuſve adminiſtris opus eſſet ad eam tuendam propagandamque; nondum eo rem perductam eſſe, ut fixam ac ſtabilem Dalmatici Epiſcopi ſedem alicubi collocare aut expediat, aut deceat; plures Chriſtianorum cœtus tota propemodum Dalmatia per vicos atque urbes diſperſos eſſe; nullum autem ex iis negligi, nulli Paſtoris curam atque operam deeſſe oportere. Quare adhuc Dalmatiæ opus eſſe expedito promptoque ad omnia Epiſcopo, qui nulli affixus loco perpetua circuitione univerſam Dalmatiam perluſtret. Tito igitur Dalmatica procuratione perfuncto Paullus Hermem ſubſtituit, in primis admonitum, ut eamdem, quam Titus inierat, ejus provinciæ adminiſtrandæ rationem teneret, neve in excolenda illa vinea Evangelica, luſtrandaque ab Deceſſoris inſtituto & conſuetudine diſcederet. Hermes itaque in provinciam cum veniſſet, nihil habuit antiquius, quam ut Titi exemplis ac veſtigiis inſiſteret; nulli loco potiſſimum adhæſit, nuſquam Pontificiam ſedem conſtituit, nunquam ex aliis in alias urbes vicoſque excurrere, Chriſtianos hac illac diſperſos inviſere ac docere, Ethnicos ad Chriſtum traducere, ac baptiſmo expiare intermiſit, in id potiſſimum intentus, ut quocumque rei Chriſtianæ utilitas aut neceſſitas vocaret, illuc ſtatim accurreret; ſeſeque expeditum, ubiubi opus eſſet, illico ſiſteret. Itaque ut Titus, ſic Hermes in Dalmatia & perſonam ſuſtinuit, & functus eſt officio Epiſcopi Regionarii. Sex fere aut ſeptem annos in ſtabiliendo augendaque eccleſia Dalmatica inſumpſit, & ſuis cohortationibus, miraculis, exemplis, ac perpetuis ſine intermiſſione laboribus, eo rem Chriſtianam perduxit, ut e Dalmatis ad Chriſtum converſis juſtæ magnitudinis eccleſiam conflaverit, cui certus ac ſtabilis Epiſcopus pro dignitate impoſi poſſet, ejuſque ſedes Pontificia Salonæ, in urbe totius Dalmatiæ primaria, collocari. Sedem Salonitanam primus obtinuit S. Domnius Diſcipulus S. Petri, de quo mox pauca ſubjiciam, plura in ejus Actis & uberiora dicturus. Quamvis autem Titus Hermeſque ante S. Domnium Dalmatiæ Epiſcopi fuerint, neuter tamen Domnio præripuit, ne primus eſſet Salonitanus Epiſcopus; illos autem Præcurſores S. Domnii appellandos eſſe cenſemus, quod eum pregreſſi Evangelium Dalmatis intulerint; quod pleriſque incolarum ad Chriſti cultum adductis, viam eidem ad præclara cœpta perficienda munierint; quod denique ſolum quodammodo ſtraverint, quaſique fundamentum eccleſiæ Saloniranæ, quam ipſe ad faſtigium perduxit, & plures annos ſanctiſſime adminiſtravit, & probe cultam, mirifice auctam, optimis legibus ac præceptis inſtitutam, ſucceſſoribus reliquit.

Titus ſibi ſtatuas Hermes eidem functus eſt munere Epiſcopi Regionarii,

Officia Epiſcopi Regionarii munera & officia apud Dalmatas diligenter exſequitur.

& rem ſic perduxit, ut certus ac ſtabilis Epiſcopus eccleſiæ illi præfici poſſet, qui Salonæ ſedem Pontificiam conſtitueret.

Digitized by Google

§. IV.

De S. Domnio Discipulo S. Petri, Apostolo Dalmatiæ, & primo Salonarum Episcopo.

PLura jam hinc & uberiora de progressu Evangelii apud Dalmatas, deque rectæ in Deum fidei propagatione suo loco dicenda erunt; quippe ad hæc usque tempora præparandis eruendisque incolarum animis, Evangelica doctrina variis in locis disseminanda, & jaciendis ubique fundamentis ecclesiæ Dalmaticæ & Salonitanæ, laboratum est. Postquam vero Salonæ Pontificia sedes constituta fuit, in eaque certus ac stabilis collocatus Episcopus, Hierarchici ordines ac magistratus descripti, & suum cuique munus tributum, omnia denique ad normam juris disciplinæque ecclesiasticæ recte composita, magnum inde incrementum Christiana res cepit, & Evangelii præcones ex urbe principe totius ecclesiæ Dalmaticæ quaquaversum dimissi gentem illam magna ex parte in Christi fidem ac ditionem redegerunt. Petrus Princeps Apostolorum, qui cum Paullo in urbem se contulerat, ut Christianis Neroniana tyrannide ac persecutione oppressis præsidio essent ac solatio, edoctus ab Herme cum esset de prospero rei Christianæ successu in Dalmatia, ratusque tempus jam esse aptum idoneumque illius ecclesiæ ad exemplar cæterarum ordinandæ constituendæque, e suis Discipulis Domnium delegit, cujus fidem & doctrinam, prudentiam & sanctitatem multis in rebus ac magnis perspectam habuerat, eumque Episcopali consecratione initiatum, de Paulli sententia, in Dalmatiam trajicere jussit, & illius ecclesiæ regimine susceptо, Salonæ sedem Pontificiam collocare. Hanc Dalmaticam Domnii expeditionem, initiumque sedis Salonitanæ vel in annum Apostolorum martyrio insignem, vel in eum, qui proxime antecessit, conferendum censeo. Martyrium autem utriusque Principis Apostolorum Baronius in annum æræ vulgaris 69. conjecit; alii ad annos superiores revocarunt.

Domnius a Petro de Paulli sententia primus Salonæ Episcopus constitutus.

Erant temporibus illis in Dalmatia multæ civitates claræ in primis ac celebres, veluti Jadera, Scardona, Narona, & aliæ neque infrequentes, neque ignobiles, quæ jure ac dignitate Episcopali donari merito potuissent; sed ne singulis, aut plerisque ejus præficeretur Episcopus, obstabat minor, quam pro multitudine civitatum, virorum Apostolicorum numerus; quorum licet plerique omnes apti essent idoneique ad sustinendum munus illud longe gravissimum, quod divinam pene virtutem, & omnibus numeris absolutam postulat sapientiam, eos tamen, non uni civitati ac Parochiæ alligari oportebat, sed rei Christianæ plurimum intererat liberos esse ac solutos ad expeditiones evangelicas obeundas, qui nullo consisterent loco, sed per omnes orbis terrarum partes, Evangelium Christi circumferrent. Et quamvis ecclesia ab exiguis profecta initiis, statim dilatari tum ad Ortum solis, tum ad Occasum, Meridiemque cœperit, & numerosiore in dies augeri sobole. Neophytorum haud sanctitate minus, quam doctrina præstantium; tamen nec sic quidem aucta & propagata tantam excellentium virorum copiam habuit, ut omnibus promiscue civitatibus Episcopos, suum cuique, tribuere posset. Quocirca pro ea, quæ tum suppetebat, facultate & copia, minoribus posthabitis, majores fere tantum civitates ac primariæ designari solebant, quæ titulo ac dignitate Episcopali ornarentur. Cum igitur ea tempestate cæteris Dalmatiæ urbibus magnitudine, commercio, divitiis, & præsertim civium numero ac frequentia longe antecelleret, hanc unam ex omnibus Princeps Apostolorum delegit, quam non solum decoraret sede Episcopali, sed etiam, ut postea dicetur, jure Metropolitico donaret, Domnio illuc misso, qui ecclesiam Salonitanam instituteret ac regeret, eique totius ecclesiæ Dalmaticæ principatum affigeret. Hunc civitatum maxime illustrium delectum ad ecclesias sive Episcopales sive Metropolitanas condendas habitum fuisse Apostolicis temporibus, ab Apostolis ipsis, virisque Apostolicis, sapienter animadvertit ac docuit Ludovicus Thomassinus Discipl. Eccl. p. 1. lib. 1. cap. 41. non id quidem suadente aut alliciente *fastu sæculi, aut inanis pompæ specie*, sed ob eam causam potissimum, *ut evangelicæ veritatis lux illis primum civitatibus affulgeret, ex quibus in alias facilius, & in totum denique orbem latissime diffunderetur*. Ubi vero in primaria cujusque Provinciæ civitate Christiana religio recte constituta esset, validasque radices egisset; indidem præcones Evangelii, jussu missuque Episcopi, quaquaversum digressi ad fidem Christianam usquequaque disseminandam, dispersique per omnes ejus provinciæ urbes atque oppida, civibus incolisque ad Christum aggregandis haud segniter operam dabant. Quibus vero in civitatibus aucto Christianorum numero nova fundanda esset ecclesia, his qui præessent, Antistites creabat ac mittebat primariæ urbis ac sedis Episcopus; quippe Apostoli pro illa potestatis ecclesiasticæ plenitudine, quam a Christo Domino acceperant, Discipulis suis, quibus principum civitatum ecclesias mandabant, jus fere tradebant novos Episcopatus, veluti totidem imperii Christiani arces, in illis urbibus constituendi, quas vel ipsi per se, vel per suos Presbyteros & Evangelii administros Christo subdidissent. Id juris ac potestatis Tito contulerat Paullus, cum eum Cretensibus Episcopum præfecit, eidem præcipiens, ut in ea insula, ubi videretur opportunum, novas ecclesias, sedesque Episcopales instituteret, quæ Cretensi Metropolitæ subessent; *Hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego dispositi tibi*. Nemo est, quin sciat prioribus & Apostolicis temporibus Episcopos æque, & qui proximi ab eis sunt, inferioris ordinis Sacerdotes communi *presbyterorum* nomine appellatos fuisse. Nimirum hanc vim habet præceptum Apostoli, ut jubeat majoribus quidem civitatibus Presbyteros Episcopali charactere ac dignitate præditos imponi; minusculis autem oppidis regendis præsse Presbyteros simplices, ideſt infra Episcopos in secundo sacerdotio constitutos. Hanc huic Paullinæ epistolæ loco explanationem adhibet Cornelius a Lapide, cui fere omnes ad unum Interpretes consentiunt: *Et constituas per civitates Presbyteros*, ideſt *Episcopos, & proprie dictos Presbyteros, sive Sacerdotes & Pastores. Presbyter enim nomen commune erat tam Episcopis, quam communibus Sacerdotibus, ut dixi ad Philip.* 1. 1. *Jubet ergo Paullus, ut in singulis oppidis Titus constituat Presbyteros, puta in majoribus Episcopos, in mino-*

Cur antiquiores ad ecclesias Episcopales & Metropolitanas condendas primarias urbes delectæ?

Cur uni Salonæ Episcopus proprius fit attributus; non itidem cæteris Dalmatiæ civitatibus.

quam potestatem Paullus Tito Cretensium Episcopo contulerit.

Episcopi olim dicti Presbyteri.

Digitized by Google

minoribus Sacerdotes, sive Pastores. Hinc ferme repeti oportet initium & origo Metropoleon ecclesiasticarum ætatis Apostolicæ; nam sæculis posterioribus, sine auctoritate vel Patriarcharum, vel Concilii Provincialis, vel Romani Pontificis, neque Metropolis, neque Episcopatus institui licuit. Porro ecclesias illas primarias, vocabulo e civili nomenclatura mutuato, Metropoles rite appellarunt majores nostri, quod essent matres quodammodo cæterarum ecclesiarum, quas ex se propagaverant, Christoque genuerant; quæ proinde illis, ceu filiæ bene moratæ optimis parentibus, reverentiam honoremque debitum adhibere, & fidem, pietatem, obedientiamque præstare debent.

Origo Metropoleon & Provinciarum Ecclesiasticarum.

Domnius igitur Salonam cum veniisset, ex iis, quos Titus & Hermes, quosque ipse ad Christum adjunxit, ecclesiam confecit, sane frequentem ac nobilem, in qua ex auctoritate Petri & sedem Episcopalem constituit, & omnia Episcopi officia ac munera diligenter exsequi cœpit. Ædem sacram construxit, quo plebs Christiana statis ac festis diebus tum divini verbi audiendi, tum psallendi Deique invocandi, tum denique cœlestia mysteria percipiendi causa conveniret. Leges divinas & ecclesiasticas explanavit, ad quas Christiani vitam suam moresque componerent; Hierarchiam variis gradibus ordinibusque distinctam condidit, & alios in collegium Presbyterorum, alios in numerum Diaconorum, alios in reliquos inferiores clericorum ordines cooptavit. Ecclesia Salonitana bene constituta ac stabilita, in omnes partes rei Christianæ amplificandæ augendæque animum ac vires intendit. Itaque quos sacris ordinibus initiatos Pastoralis sollicitudinis ac ministerii in partem ac societatem vocaverat, ex iis ad munus Apostolicum delegit viros egregia diuque spectata fide, virtute, constantia, sanctitate, diligenter instructos, admonitosque, ut urbes omnes & vicos Evangelii prædicatione lustrarent, omnique ope atque opera in Ethnicos convertendos, Neophytos erudiendos ubique incumberent: quorum labore atque industria effectum est, ut in Christi fidem gens pene universa concederet. Hæc in Actis S. Domnii, quæ postea diligentius & accuratius explicabimus: *Domnius igitur satis prospero cursu mare emensus Salonas devenit, Christique mysteria publice ac palam exponere cœpit, ad cujus prædicationem multi corde compuncti Christo crediderunt . . . Ecclesiam in honorem S. Dei Genetricis Mariæ in eadem urbe construxit pulcherrimo opere, ubi Sacerdotes Dei, Presbyteros & Levitas, cæterosque sacri Ministerii ordines in ea ordinavit: quibus per Dalmatiam dimissis brevi omnem fere provinciam Diabolo ereptam Deo lucratus est*. Cum Petrus S. Domnium in Dalmatiam misit ad condendam regendamque Salonitanam ecclesiam, ejus Episcopali procurationi ac jurisdictioni subjecit quidquid temporibus illis, ex Augusti descriptione, vocabulo ac finibus Dalmatiæ continebatur. Itaque ad Pontificalem & Apostolicam Domnii ditionem ac potestatem pertinebat universa Dalmatia tum transalpina & mediterranea ad Savum usque prolata, tum cisalpina & maritima cum insulis Dalmatico littori objectis, quam duo celebres fluvii, Arsia ab Occasu, Drilo ab Oriente definiebant. An vero Domnius pro facultate sibi a Principe Apostolorum tradita in aliis Dalmatiæ civitatibus novas Ecclesias, novosque Episcopatus instituerit, id mihi non liquet, ut constabit ex capite 11. & §. ultimo Sectionis sequentis, ubi de ortu atque institutione Metropolis Salonitanæ plura dicentur.

Res Christiana in Dalmatia mirifice aucta.

Jurisdictio Pontificalis S. Domnii eosdem fines habuit, quibus Dalmatiam Augustus definivit.

Quæ hactenus fuse copioseque exposuimus, eo pertinent, ut declarent, quibus initiis ac fundamentis moles incumbat totius ecclesiæ Illyricæ & Dalmaticæ, quam merito dixeris *Superædificatam super fundamentum Apostolorum*, quippe cum ad eam fundandam exstruendamque Apostoli, & viri Apostolici operam suam industriamque contulerint; ac propterea, quamvis nulla in Illyrico extet sedes Pontificia, quam Apostoli vel per se ipsi tenuerint, vel per alios suo nomine constitui tenerique jusserint, tamen ecclesia Illyrica cum suam originem ad Apostolos, eorumque Discipulos, auctores conditoresque primarios referat, jure haberi, riteque appellari potest *Apostolica*.

Ecclesia Illyrica & Dalmatica vere Apostolica.

S E-

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA
DE URBE SALONA, ET SALONITANA ECCLESIA.

CAPUT PRIMUM,

De Salona.

§. I.

Salonæ Origo, & Nomen.

Salonæ primus omnium Julius Cæsar meminit.

IX antiquis Geographis atque Historicis, seu Græcis, seu Latinis ante Julium Cæsarem, qui Salonam nominaverint, neminem invenies; neque ante bellum Dalmaticum tertium de hac urbe aliquid memoriæ ac litteris traditum reperitur. Anno autem ante Christum 117. cum L. Cæcilius Metellus Consul tertium Dalmatis bellum intulit, urbem illam celebrem in primis fuisse ac nobilem, manu ac natura munitam, copiis atque opibus validam necesse est; quippe cum Metellus ex omnibus Dalmatiæ oppidis unius potissimum Salonæ obsidendæ oppugnandæque consilium propterea ceperat, ut ex hujus æque difficili, ac sibi gloriosa expugnatione justi debitique triumphi causam & materiem nanciscereturr: id quod docet Appianus. Dalmatæ enim, cum P. Cornelius Nasica Consul bello secundo Dalmatico ante annos fere viginti Delminium urbem temporibus illis totius Dalmatiæ principem evertisset, sedem atque arcem nominis imperiique Dalmatici Delminio translatam Salonæ collocaverant, urbemque hanc bellicis operibus, firmissimisque præsidiis munierant: exinde autem Salona tectorum, & incolarum numero augeri, commercio ac divitiis crescere, ac celebrior in dies illustriorque fieri cepit. Cæterum urbis hujus originem atque ædificationem longe altius, & inde usque ab antiquissimis temporibus repetendam censeo. Id autem causæ fuisse arbitror, cur apud Veteres nulla facta sit mentio Salonæ, quod hæc civitas, cum illi florebant, vel alio nomine appellari soleret, vel exigua esset atque ignobilis, nec digna memoratu, quia fortassis a pristina magnitudine ac celebritate jamdudum desciverat. Cum neque Conditor, neque tempus conditæ urbis memoriæ proditum sit, liceat nobis utrumque, nullo quidem auctore atque indice satis certo, attamen conjecturæ alicujus haud improbabilis ductu investigare. Apollonius in Argonauticis meminit cujusdam urbis Hyllenidos dictæ, eoque in loco positæ, qui cum positione urbis Salonitanæ admodum congruere videtur. Is ergo, cum Argonautarum in patriam reditum post Colchicam expeditionem describeret, tradit eos appulisse ad regionem Hyllinorum, ubi inquit, *insulæ eminebant frequentes, difficilem navigantibus viam per medium reddentes*. Ac deinde subjicit Argonautas Hyllinis, a quibus perbenigne accepti habitique fuerant, grati animi ergo donasse alterum ex Tripodibus, quos Jason e templo Apollinis sustulerat; hunc vero tripoda ex admonitu oraculi alte in terram defossum fuisse *circa urbem inclytam Hyllenida, ut inconspicuus semper omnibus esset*. Itaque civitas Hyllenis eo loci condita fuerat, ad quem Argonautæ navim applicuerant, & unde initium duxit longa illa continuatio seriesque insularum, prætenta littori Dalmatico, ut aliæ cum aliis implicitæ, & omnes inter se quodammodo junctæ connexæque videantur. Quam ob causam Argonautæ, ut docet Apollonius, ab Hyllinis viros locorum gnaros ac peritos postularunt, quorum ductu ex illo maritimo tractu frequentibus insulis obsepto atque impedito, sine errore aut periculo enavigarent. Atqui hæc insularum multitudo continuata, quam intercursantes euripi faciunt admodum angusti; indicio est eamdem esse Hyllenidos & Salonæ positionem. His quippe insulis & Liburnicis interjectum Promontorium Diomedis, mari aperto; nullisque omnino, si unum alterumve scopulum excipias, insulis circumagitur. Ex eo autem promontorio, portuque Salonitano in altum provectis, longeque a terra prora in Ortum obversa navigantibus frequentes a læva continuæque insulæ occurrunt, quæ omnem oræ maritimæ prospectum nautis vectoribusque adimunt; iis vero, qui oram inter insulasque navigio vehuntur, experto nauclero opus est, qui gubernaculum scienter ac perite huc & illuc detorqueat, ne prora in angusto & vadoso mari in latentes scopulos, cautesque ex insulis prominentes, incurrat. Nam contra Salonam est insula Bubua ante ostium portus Salonitani projecta; ab hac Proteras & Olyntha, medio interfluo euripo, in Meridiem distant; has prætervectis occurrunt Bractia & Pharia angusto freto diremptæ, hæc inferior ad Meridiem sita, illa superior ad Septemtrionem continenti adjacens. Phariæ magis ad Austrum subest Corcyra, inter utramque interjecta est Trucola, sive Tiuna; ab utraque pari ferme intervallo Issa in Ortum disjungitur, utrique vero sese interserit Peninsula Stagni, qua parte veluti cuneata excurrit in Occidentalem plagam. Ladesta sive Lagusta Corcyræ, Melita Peninsulæ Stagni subsunt a Meridie. Tum sequuntur Orientem versus Elaphites Plinianæ. His aliæ minores circumfusæ, aut interpositæ insulæ, quas verius scopulos dixeris. Hæ sunt insulæ illæ *frequentes*, de quibus Apollonius, *quæ* olim ab urbe Hyllenide, nunc a portu Salonitano in Ortum *navigantibus viam per medium difficilem reddunt*. Vix igitur dubitari videtur posse, quin Hyllenis civitas in ea ferme regione posita esset, ubi nunc Salonæ vestigia visuntur. Verisimile est igitur, quæ olim dicta fuerat Hyllenis, eamdem postea appellatam fuisse Salonam, quippe antiqua illa civitas, cum aut bello eversa, aut alio casu infortuniove labefactata, magna ex parte, vel omnino corruisset, restituta est, vel

Urbis origo antiquissima.

Initio videtur dicta esse Hyllegis.

Apte Julio Cæsarem Salona civitas erat celebris & caput gentis Dalmaticæ.

Hyllenis antiquissima civitas ibidem posita, ubi nunc Salonæ vestigia.

de

de integro condita in iisdem fecit vestigiis, & veteri posthabito, novum nomen assumpsit, vocarique cepit Salona. Hyllenæ sive Hyllenidis vocabuli, quo Salonam antiquitus appellatam esse existimamus, aliquod vestigium reperisse mihi videor in Historia Georgiana, de qua in Actis Georgii Episcopi Salonitani plura dicentur; ibi enim suspicio est, Salonam latere sub vocabulo Silenæ, cui fano cum Hyllena similitudo quædam & affinitas intercedit. Hæc si tam vera sunt, quam videntur esse verisimilia, Salonæ conditæ initium referri oportet ad primordia nominis ac generis Illyrici, conjicique anno ante Christum fere ducentesimo trigesimo supra millesimum, cum Hyllus Herculis filius e Phæacia sive Corcyra colonias Græcorum in hanc regionem deduxit; regnique ibidem potitus, duas urbes condidit, alteram insertæ positionis, quam parentis nomine Heracleam appellavit; alteram, quæ postea dicta est Salona, ab se Hylleidem, sive Hyllenidem dixit. Huc revoca, quæ parte prima & capite primo de Hyllo parente & conditore gentis Illyricæ scripsimus.

Hyllenis & Salona temporibus Trojanis æqualis.

Hanc de Salonæ origine & antiquitate opinionem confirmat Micha Madius auctor Sæculi decimi quarti, ac testes citat veteres tabulas, historiasque, in quibus scriptum reperit, Salonam temporibus Trojanis urbem fuisse totius Dalmatiæ principem, & copiis æque maritimis ac terrestribus plurimum valuisse, quippe quæ Græcis ad expeditionem Trojanam triremes duas & septuaginta subsidio miserit: *Sciendum est igitur*, inquit, *quod civitas Spalat, contraxit originem a famosa, & antiqua, ac nobili civitate Salonæ, quæ Salona fuit tempore Trojanorum, & dominabatur totam Dalmatiam, & Croatiam usque in Ungariam; & dicitur per historias, & Chronicas antiquas ipsam civitatem Salonæ, tempore sui status, dedisse ad destructionem Trojanorum contra Regem Priamum in subsidium Græcorum galeas armatas numero LXXII.* Quænam fuerint antiqua illa monumenta & Chronica, haud equidem scio, tacente ipsomet, qui ea legit ac citavit, scriptore; sed nihil causæ est, cur aut Michaëm Madium mentitum esse potentius, aut fidem omnem derogandam esse existimemus Chronicis illis, quæ idem Auctor cum vidisset, ac probasset, ad fidem faciendam adhiberi posse censuit; nec sane, quod indidem sumpsit, ab historia illorum temporum discrepat. Satis constat Græcum omne nomen genusque in Trojæ excidium, Regnique Trojani eversionem conjurasse; nam auctore Agamemnone, qui tum regnum in Argivis obtinebat, Regulis ac Dynastis omnibus gentis Græcorum longe ac late imperantis dies edictu est ad convenientum vel Argos, ut Dyctis tradit, vel Spartam, ut Dares existimat, ubi de communi sententia bellum adversus Trojanos decretum, delectum militum ex omnibus Græcorum provinciis haberi jussi, totius exercitus Imperator Agamemnon, Aulis Bœotiæ civitas maritima constituta, ad quam Duces omnes cum suis copiis ac navibus convenirent. Ducum ac navium catalogum contexuit Dares Phrygius, qui se bello interfuisse testatur, itemque Dyctis Cretensis, & Homerus, inter quos tamen non convenit de numero, cum alii plures, alii pauciores seu Duces seu naves percenseant. Jam vero cum regio illa, quæ postea nominata est Dalmatia, Græcorum referta esset, quos Hyllus, ut modo dictum est, illuc invexerat, dubitari non potest, quin ipsa quoque ad bellum Trojanum suas copias & naves contribuerit: id quod ex antiquis annalibus tradit Micha Madius, qui ab urbe totius regionis primaria duas & septuaginta naves in eam expeditionem profectas esse scripsit. Idem confirmat conjectura sane probabili Ludovicus Schonlebius, qui in Annal. Carn. par. 2. existimat ex Japydia etiam, ubi plures e comitatu Herculis regiones illas peragrantis consederant, genusque Græcorum propagaverant, itemque ex Illyrico militaria subsidia ad commune illud bellum collata esse: *Et Japydes nostros, & Illyrios vicinos haud dubie in bello pulchros societatem existimes.* Nec vero fidem & auctoritatem Chronici Madiani in aliquod discrimen conjiciunt recentia posteriorum ætatum vocabula; vel enim ea pro antiquis & obsoletis Micha Madius substituit; vel qui res illas multo vetustissimas litteris mandarunt, iisdem usurpant ea nomina, quæ tum, cum scriberent, in usu erant, & in omnium ore ac sermone versabantur. Nam Trojanis illis temporibus ne Dalmatiæ quidem, aut Salonæ, nedum Croatiæ & Hungariæ, vocabula usurpari cœperant, sed regio illa ab Hyllenis nomen Illyrici haud ita pridem acceperat, & urbs illa Hyllenis ab Hyllo conditore denominata fuerat. Quod autem hæc civitas adeo mari præpotens esset, rotæque ac tantis navalibus copiis abundaret, ut duarum & septuaginta triremium classem adornare atque instituere posset, id præclare congruit cum Apollonio, qui Hyllenida *urbem inclytam* ideoque *clavam* ac celebrem vocat; cujus quidem celebritatis & claritudinis causam non aliunde, quam ex opibus terrestribus & maritimis, quibus affluebat, acceperit oportet. Ita fit, ut quæ primo dicta fuit Hyllenis, eadem sit civitas, quæ postea nominata est Salona; & Salona sub nomine Hyllenidos non solum condita sit, sed etiam copiis opibusque floruerit ante bellum Trojanum, & longe lateque imperaverit. Sed cum nihil in rebus humanis stabile sit & immutabile, sive propter incertos ac sæpe adversos bellorum exitus, sive ob inclinationem communium temporum, & naturales quasdam rerum publicarum conversiones, idem huic urbi accidit, quod antiquissimis ac nobilissimis civitatibus contigisse accepimus, ut vel funditus, vel magna ex parte corruerit, certe ab summa & excitata fortuna ad inclinatam, & prope jacentem defecerit. Cum autem multis post ætatibus, incertum quo tempore, quove auctore, reædificari aut restitui cœpisset, antiquo posthabito, novum sibi nomen Salonæ adscivit; quamdiu vero prostrata, inculta, ac propemodum deserta jacuit, & vix ægreque oppiduli nomen retinuit, antiquis scriptoribus fere ignota fuit, neque ulla re memorabilem aut dignam se præbuit, cujus veteres Geographi historicique mentionem facerent. At postquam in antiquum rerum suarum statum restitui, ædificiis atque incolis frequentari, mœnibus operibusque sepiri, divitiis ac bellicis rebus magis magisque in dies efflorescere cœpit; tum vero pristinæ amplitudinis gloriæque famam recuperavit, omnium deinceps litteris ac sermonibus celebrata; & jam altero ante Christum sæculo magnum ejus nomen, magnam de illius opibus, præsidiis ac munitionibus opinionem fuisse oportet, quippe cum Metellus, hanc unam urbem vi aut deditione si capisset, inde sibi putaret futuram & segetem ac materiem ingentis gloriæ, & justam causam tum triumphandi, tum Dalma-

Da Cost. Rom. Imper. ac Pontific. cap. xv.

Ex Illyrico & Japydia copias misisse ad bellum Trojanum contribuisse.

Hyllenis restituta & Salona appellata.

ratici cognominis assumendi, perinde ac si totam Dalmatiam vicisset.

Unde autem Salona in locum antiquæ Hyllenidos substituta nomen duxerit, & quæ sit apud Veteres, & quam varia hujus nominis scribendi atque usurpandi ratio, ut paucis expediam, primum rejicienda est, & omnino abjudicanda opinio Josephi Rosaccii, qui apud Dominicum Zavoreum lib. de reb. Illyr. docuit ab Calone nescio quo, Sale filio, Phalegi nepote, & originem & nomen Salonam traxisse: *Joseph Rosaccius nostris temporibus auctor in eo libello, quem sex Mundi ætates inscripsit, anno M. 1757. ait: Ex Phaleg ortus est Sale, qui Calonam, Jaduram, Delmodam, Epirum, Sarmatiam & Adulam genuit, ex quibus sua acceperunt nomina Salona, Jadera, Dalmatia, Epirus, Sarmatia, & Adula mons.* Purum putum commentum est ex Annianis nugis decerptum. Longe propior vero est etymologia, sive origo hujus vocabuli a Thoma Archidiacono in hist. Salon. cap. 2. tradita, qui Salonam a Salo, idest mari nomen mutuatam esse existimat: *Dicta autem est Salona a Salo, hoc est mari, quia in littore maris sita est.* Nec solum eam causam fuisse arbitror, cur esset ita nominata, quod mari adjaceret, quæ quidem nominis causa in omnes urbes maritimas convenit; sed quod, cum & copiis navalibus, & commercio maritimo cæteris oræ Dalmaticæ urbibus ac populis longe antecelleret, veluti Maris Domina haberetur, essetque eo in loco posita, unde in mari late dominari, imperiumque in Adriaticam navigationem usurpare posset; ex quo factum est, ut nomen illud, quod commune pluribus esse poterat, suum & proprium faceret, sibique uni vindicaret. De ratione hujus nominis scribendi usurpandique aliqua est inter Veteres discrepantia. Plerique ex Latinis *Salonam* vocant, veluti A. Hirtius, Plinius, Mela, & Veteres inscriptiones. Sunt tamen, qui hoc nomen plurali numero efferunt, & Salonas malunt, quam Salonam dicere. Cæsar III. Civil. cap. VIII. *A Salonis ad Orici portum*; & cap. IX. *M. Octavius cum iis, quas habebat, navibus Salonas pervenit:* adde Lucanum, adde antiquam inscriptionem apud Sponium: *viam Gabinianam Salonis Andetrium aperuit, & munit*; adde Antoninum, Vibium Sequestrem, & alios, e Græcis vero Ptolemæum: Σαλῶναι κολωνία, *Salonæ* colonia. Græci autem idem nomen a fœmineo ad genus virile revocarunt: ὁ Σάλων, *Salo*: Strabo lib. VII. ὁ ἐμπόριον ἐστὶ Σάλων, *navale eorum Salo*. Et Dio Cassius lib. IV. ὁ Βάτων ὁ Δαλμάτης ἐπὶ Σάλωνα στρατέυσας, *Bato Dalmata Salonem oppugnans*. At Stephanus & genus & numerum, quod plerique Latinorum huic vocabulo tribuunt, retinuit, *Salonamque* appellavit. Zonaras de Diocletiano, qui post depositum imperium, Salonam se recepit, ἐν Σαλῶνι, πόλει τῆς Δαλματίας διῆγεν, ἣ τις ἦν πατρὶς: *Salone in urbe Dalmatiæ vitam transegit; hæc erat illius patria*. Procopius lib. I. Bell. Gotth. cap. VII. Salonas quidem dixit usus numero plurali, sed viriline, an muliebri genere hoc vocabulum affecerit, e Græca syntaxi nequit intelligi, ei quippe vel nullum articulum, vel communem utrique generi præposuit: εἰς ἢ Σαλῶνας εἰσῆλθον ἀδεῶς; *Salonas autem nemo se recepit*. ὁ περὶ Σαλῶνας τοῖχος, *Muri sive ambitus Salonarum*. At Pæonius lib. IX. extremo, cum casus obliquos hujus nominis a recto Σάλωνες derivet, eodem, quo Dion & Strabo, genere masculino illud donare videtur; certe cum Ptolemæo, & Procopio, hanc urbem plurali numero subjecit: ἐν ἀγρῷ γειτνιῶντι Σαλῶνι, *in agro vicino Salonis*. In antiquis Martyrologiis Hieronymianis Solonam pro Salona sæpe scriptam invenies. Quod autem Latini Græcique scriptores non pauci Salonam pluralivo numero affecerint, id ad ejus præstantiam, magnitudinem, dignitatem declarandam pertinere arbitror. Hæc enim valet plerumque numerus multitudinis, cum ad civitatem unam nominandam significandamque adhibetur; veluti cum Venetias, aut Parisios dicimus & perinde ac si una ex multis civitatibus constata esset, propterea quod & numero ædificiorum, & frequentia civium, & copia divitiarum, plures civitates æquiparare videretur.

Nomen ab Salona derivatum ac gentile apud Stephanum est *Salonites*; at *Salonius* est apud Claudianum, cujus est *Salonia quercus*; verum e Salona capta Pollionis filio *Salonini* cognomen obvenit, ut Servius tradit. Sed jamdudum apud Scriptores recepta sunt, vigentque usu communi & sermone quotidiano duo hæc e primitivo Salonæ vocabulo prognata nomina, *Salonitanus*, & *Salonensis*; hoc quidem rarius, illud vero frequentius; nos utroque, promiscue & communiter, variandæ dictionis causa utemur; itemque nobis licere volumus modo *Salonam*, modo *Salonas* dicere, quæ ejusdem vocabuli ex uno in alterum numerum commutatio, cum veterum auctoritate nititur, tum adhuc est in honore, & jus suum retinet; contra vero ab *Salone* fere abstinemus, quod ea ratio formaque hujus vocabuli usurpandi, tertiæ apud Latinos, quintæ apud Græcos declinationis, jam pridem obsoleverit, & quam olim obtinebat, possessionem amiserit. In Lexicis Geographicis urbes alias reperies aut ejusdem nominis, aut non admodum diversi, quas ab Salona nostra distingui oportet. Una fuit in Dalmatia, quam Ptolemæus *Salonianam* vocat, & inter urbes mediterraneas Dalmatiæ annumerat; sed Stephanus eam Salonas appellat, ea solum distinctionis nota interposita, quod hanc plurali, alteram singulari numero affecerit. *Salona*, inquit, *urbs Illyriæ. Gentile Salonites. Sunt etiam Salonæ urbs Dalmatiæ, quarum gentile Salonæus, ut Priscus lib. 6.* Quem Stephani locum Thomas de Pinedo hac animadversione illustravit: *In hac sectione memorat Auctor noster Salonam urbem Illyriæ, & Salonas Dalmatiæ. At Ptolemæus lib. 2. cap. 17. utrasque Dalmatiæ adscribit, alteram, quam Salonas coloniam vocat, inter maritimas; alteram, quam Salonianam, inter mediterraneas civitates recenset. Eædem fuisse existimo, quas noster Auctor memorat. Salonæ vero fuere celebriores, quam Saloniana.* Est altera Salonia apud Strabonem Bithyniæ civitas; & regio bobus pascendis idonea, cujus itidem meminit Stephanus. Tertia Salona ex veteri inscriptione oppidum est Galliæ Narbonensis in Provincia inter Avenionem & Massiliam apud Druentiam fluvium, ubi multa vetustatis monumenta reperiri aiunt. Propius abest a Dalmatia Salona quarta fere apposita ad sinum Crissæum, qui pars est Sinus Corinthiaci. Veteres appellabant Amphissam, nunc indigenæ vocant Salonam, & fluvium prætermenia labentem τῶν τοπικῶν ἢ Σαλωνιτικὸν, *annem Saloniticum*. Thessalonica urbs est ad sinum Thermaicum, totius Macedoniæ caput & Metropolis, longe illa quidem a Salona Dalmatica & loco & vocabulo distans; sed cum interdum, detruncato nomine, avulsaque priore Syllaba, dicta sit Salonica, unde ortum est, illique inhæsit nomen Salo-

Etymon vocabuli Salonæ, a Salo, idest mari.

Cur Salona dicta.

Salonæ Gentile nomen.

Salonæ Urbes cognominatæ.

Salona, Salonæ, Salo.

Thessalonica & Salona promiscue usurpatæ.

Digitized by Google

Ionicchii, facta eſt quædam hujus appellationis reciprocatio, & ſublata fere omni diſtinctione vocabuli, alterutra in alterius nomen migravit; ex quo factum eſt, ut cum magnum eſſet utriuſque nomen ac celebritas, quæ ad alterutram pertinebant, ultro citroque transferrentur. Sed hæc alias; nunc de ſitu & forma Salonæ Dalmaticæ.

§. II.

Situs & deſcriptio Salonæ.

Regio & ſitus Salonæ.

IN ea Dalmatiæ regione, quæ fere media eſt inter Arſiam Drilonemque, ſita erat Salona ad receſſum intimum ſinus Salonitani, quem mare terras irrumpens efficit, Euripo longius, quam latius interfuſo. Is autem ſinus tergo in Occaſum obverſo arcuatur, & ſimilitudinem quamdam refert ſpeciemque Hemicycli, millia paſſuum fere ſeptemdecim circuitu complectentis, cui novem inſident aut decem caſtella exiguæ magnitudinis, pari propemodum intervallo diſjuncta, & in orbem diſpoſita, eo quidem ordine ſituque, ut nihil pulchrius aut jucundius ad aſpectum deſiderari poſſit. Hemicycli baſis in Orientem ſpectans ab Septemtrione in Meridiem ad duodecim milliaria ferme recta protenditur, niſi quod ſuperfuſis æſtuariis, variiſque anfractibus interſcinditur. Is erat portus nobiliſſimæ urbis, & ad merces copiaſque invehendas facili acceſſu opportunus, & contra hoſtiles incurſus egregie munitus, quippe cui præſidio eſſent duo Caſtella, quæ cum ex edito loco utrinque in oſtium imminerent, naves hoſtium aditu ingreſſuque prohibebant; vel ſi quæ in eum ſinum irrupiſſent, iis cætera introrſum caſtella ſtationem illam adeo infeſtam reddebant, ut conſiſtere nequirent, & excedere indidem regredique in altum cogerentur. Hujus portus tanta eſt magnitudo & capacitas, ut claſſem quamlibet numeroſam & excipere & continere poſſit: millia paſſuum fere quindecim in longitudinem porrigitur; latitudo ejus varia eſt; qua propius abeſt ab urbe, maxima eſt, & circiter ſeptem paſſuum millibus patet. Inſula Bubna ante oſtium projecta ventos ac tempeſtates arcet, tutamque ſtationem navibus præbet, duplici ad portum aditu relicto, altero anguſtiori ad Occaſum, altero paullo magis amplo commodoque ad Orientem. In eo portu duæ ſunt inſulæ; quæ urbi propior eſt, paſſus omnino tercentos circuitu colligit, Uragnizam vocant, & paucis focis habitatur; quæ vero abeſt longius in Meridiem admodum exigua incolis caret, eique nomen eſt Galiolæ.

Portus Saloniticus.

Ergo ad caput ſinus Salonitani, ejuſque hemicycli, quem modo deſcripſimus, angulum extremum Aquilonarem aſſidebat Salona meridiano Soli expoſita, & qua vergebat ad mare, planiſſimo in loco explicata, qua vero in Septemtrionem ſpectabat, molli facilique clivo aſſurgens. Magnitudine dimidio minorem Conſtantinopoli fuiſſe auctor eſt Conſtantinus Porphyrogenitus de Admin. cap. 29. *Prope mare eſt urbs Salona nuncupata, dimidium habens ejus magnitudinis, quam Conſtantinopolis.* Verum ſi dimenſio Salonæ capienda ſit e ruderibus veterum mœniorum, quæ adhuc extant, vix ſeptima, nedum dimidia parte ad magnitudinem Conſtantinopolis accedit. Nam Conſtantinopolis, ut ferunt, millia paſſuum fere quindecim, Salona vero iis, quæ nunc viſuntur, antiquorum mœnium veſtigiis circumſcripta, vix duo milliaria, & paſſus quingentos circuitu complectitur. Id ſatis declarat circumſcriptio veteris Salonæ, quam nobis Joannes Baptiſta Camozzinus nobilis hac noſtra ætate Architectus ex iis, quæ ſuperſunt, lapidei ambitus reliquiis accurate delineavit; idemque confirmat alter ejuſdem urbis ambitus breviori forma deſcriptus e tabula topographica, quam Joannes Georgius Calergus publicus Architectus, ex juſſu & mandato Venetorum, altero & ſeptuageſimo ſuperioris ſæculi anno diligentiſſime confecit; niſi quod is paullo major videtur eſſe, & tria milliaria facile comprehendit. Quare cum Conſtantinus Porphyrogenitus ex urbis Conſtantinopolitanæ magnitudine non minus dimidium Salonæ attribuerit, neceſſe eſt ſua illa dimenſione non modo urbem ipſam mœnibus & propugnaculis ſeptam, ſed etiam ſuburbium complexus fuerit. Nam Salonam domorum continuatione utrinque extra muros prolatam fuiſſe veterum ædificiorum ruinæ teſtantur, quæ identidem occurrunt in via, qua Salonis itur ad caſtrum S. Georgii, duo circiter paſſuum millia in Occaſum diſtans. Ab regione Orientis itidem ſuburbana longe producta fuiſſe declarant aliquæ dirutarum ædium reliquiæ, præſertim ubi nunc extant ruinæ Caſtri, quod Majores noſtri Cucum vocabant, ab Salona mille paſſus & ſeptingentos diſjuncti; itemque ubi viſitur ædicula Deiparæ Virginis ferme ſub ipſa urbe, patrum quidem vel avorum noſtrorum memoria reædificata ſeu reſtituta, ſed antiquitus ibidem poſita; quippe cum inſidem corpora SS. Domnii, & Anaſtaſii Spalatum translata fuerint, ut indicio ſunt cryptæ ſubterraneæ, in quibus olim condita fuiſſe dicuntur. Cæterum ex hac parte, qua Salona Orientem reſpicit, cum veterum murorum veſtigia Meridiem verſus deficiant, urbis mœnia non directo ad Meridiem producta fuiſſe arbitror, ſed paullulum ad Orientem detorta, deinde iterum in Meridiem reflexa ædiculam ipſam, de qua modo dictum eſt, & ſepulchrum ſanctorum martyrum ambitu ſuo comprehendiſſe cenſeo; id quod paullo poſt declarandum erit. Præterea ſuſpicio eſt Salonitana ſuburbia in Septemtrionem continuata eſſe propter viam Gabinianam, quæ ab Salonis Andetrium ducit, juxta quam ingentia cujuſdam ædificii rudera cernuntur, ubi officinam cudendæ monetæ exſtructam fuiſſe falſo exiſtimant. Itaque ſi mœnibus Salonæ utrinque adjicias ſuburbia ut in Occaſum, ſic in Ortum longiſſime porrecta, facile intelliges, quemadmodum Salona ad urbis Conſtantinopolitanæ magnitudinem dimidii inſtar obtineret, id quod docuit Conſtantinus Porphyrogenitus. Neque a Porphyrogenito diſſenſit Thomas Archidiaconus in Hiſt. Salon. cap. 2., qui Salonæ ab Oriente in Occaſum longitudinem ſex millia paſſuum produxit, comprehenſis ſcilicet duobus ſuburbiis utrinque adjunctis: *Diſta eſt Salona a Salo . . . modicum lata, ſed in longum fere ſex milliaribus verſus Occidentalem plagam protendebatur.* Ex hac autem dimenſione nimium quantum totius urbis magnitudo creſcat, ambituſque; nam cum Salona, ut docet Archidiaconus, figuram ſpeciemque referat quadranguli oblongi, alterum ejus latus proportione quadam alteri e regione oppoſito reſpondeat neceſſe eſt: ex quo fit, ut, cum latus utrumque ejuſdem fere ſit longitudinis, ex utriuſque longitudine undecim aut duodecim milliarium ſumma confieret. His adde reliqua duo latera, alterum brevius ad Occaſum, alterum

Salona dimidio minor, quam Conſtantinopolis, ſi ſuburbia adjiciantur.

Salonæ circuitus.

Salona ab Ortu in Occaſum M. P. producta.

rum ab Oriente productius, quibus conjunctis duorum vel trium millium longitudinem attribuas licet. Ita fit, ut totius urbis circumscriptio millia passuum ad quatuordecim vel quindecim colligeret. Jacobus Sponius Salonæ circuitum passuum millibus haud amplius novem definivit; sed ex opinione indigenarum multo majorem fuisse fatetur. Ejusdem circuitum longe breviori dimensione circumscripsit Topographus Regni Hungariæ part. 3. cap. 1. *immensæ olim erat amplitudinis, ut adeo* VI. M. P. *ambitu ægre glauderetur*. Propius ad veritatem accedit nostra dimensio, quæ Archidiaconi auctoritate nititur. Ergo, inquies, tantum abest, ut Salona dimidio esset minor, quod tradit Porphyrogenitus, ut magnitudine par fuerit Constantinopoli, quam quindecim milliarium ambitu circumscriptam esse diximus. Sed in promptu est, quod respondeam; neque enim una est apud omnes eademque ratio dimetiendæ urbis Constantinopolitanæ, quemadmodum præclare animadvertit Martinierus; qui eam quindecim milliaribus definientes in exiguum sane gyrum compellunt, ii ab eadem secludunt non modo vicos circa urbem, sed etiam Galatam, quæ quamvis Euripo haud admodum lato interfluo sejuncta, pars erat tamen, & regio decima tertia Constantinopolis, cum scribebat Porphyrogenitus. At Turnefortius Itiner. Oriental. tom. 1. urbis citra Euripum sitæ ambitum, quem Sponius quindecim passuum millibus circumscripsit, octo auxit aut septem milliaribus; si autem, inquit, Galatam & cætera suburbia adjicias, civitas universa quatuor aut quinque supra triginta millia passuum circuitu comprehendit. Itaque Constantinus Porphyrogenitus urbem utramque cum suis utriusque suburbiis inter se comparavit, & Salonam duplo minorem esse dixit; id quod cum dimensione utriusque satis cohæret, modo ne hujusmodi comparatio, & proportio nimis exigue & exiliter ad calculos revocetur. Salona enim circiter quindecim, Constantinopolis autem amplius triginta mille passuum circumscriptione definitur.

Salonæ, suburbiis comprehensis circuitus XV., *vel* XX. M. P.

Varia urbis Constantinopolitanæ dimetiendæ ratio.

Salonam ad formam ac similitudinem quadrati oblongi descriptam & constructam fuisse tum satis indicant, quæ adhuc extant dirutarum mœnium vestigia; tum confirmat M. Annæus Lucanus in Pharsalicis, qui Salonas idcirco *longas* appellavit, quod multo longius, quam latius protenderentur: *Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas*. Latus Australe loco fere plano & æquo porrigitur; Aquilonare autem acclivi & inæquali loco productum supereminet: quæ quidem duo latera cum ab regione Orientis admodum lato intervallo disjuncta sint, quo longius in Occidentalem plagam procurrunt, hoc angustius inter se terræ spatium relinquunt, & alter ab altero propius distat; sic prorsus ut latus in Orientem spectans propemodum triplo sit productius altero in Occasum obverso. Quare latitudo urbis varia est; ac primum quidem ab Oriente latissime patet, tum vero paullatim latera contrahit, demum magis magisque in arctum coit usque adeo, ut pars urbis ad Occasum extrema multo sit contractior, quam pars ejusdem opposita ad Solem orientem respiciens. Pars autem urbis superior ad Septemtrionem collis a summo æqualiter declivis dorsum insidet; pars vero inferior ad Meridiem in planitie exporrigitur, quam ab Ortu Jader fluvius, ab Occasu mare præterluit. De Jadro flumine hæc a nobis scripta sunt par. 2. c. 5. §. 2. Fluvius Jader, cujus meminit Lucanus, e radicibus Massari montis oriens Salonam ab regione Orientis alluit, infraque eam urbem ad Meridiem in mare seu sinum Salonitanum devehitur. De hoc Vibius Sequester: *Ider juxta Salonas mare influit Adriaticum;* & Lucanus: *Qua tepidum in molles Zephyros excurrit Jader*. In Actis S. Domnii *Salonus* dicitur, & Salon apud Anonymum Ravennatem, ab urbe, quam præterfluit, nomine adscito. Ortelius ac Ferrarius auctores sunt hunc amnem a Plinio *Salonem* vel *Salon* nominari; sitne ille, quem Apollonius *Salancon* vocat, dubitat Ortelius. Is fluvius ab latere urbis Orientali varios in rivos diducitur; deinde qua cursum in Occasum detorquet, in unum alveum confluit, qui ponte lapideo jungitur, subter quem evectus olim statim in mare defluebat; sed mare in Occasum ad quadraginta vel quinquaginta passus recedens, ut periti eorum locorum affirmant, ingens reliquit spatium terræ palustris, quam Jader cursu alveoque producto interfluens, tandem in mare delabitur. Huic fluvio quinque molestrinæ nunc impositæ sunt, quarum singulæ quatuor, vel pluribus molis sive frumentariis, sive hordeaceis constant, quæ decurrentium aquarum impetu circumaguntur. Interflueretne Jader urbem ipsam, an vero ab Ortu mœnia urbis extrinsecus præterflueret, videtur dubitari posse. Thomas Archidiaconus influxisse, Micha Madius circumfluxisse urbem ajunt: *Ex orientali parte Salonitanæ urbi multum delectabiliter influebat*. Archidiaconus c. 10. *Et iste Jader, ut habetur in Chronicis antiquis, & in libro Poetarum vocatur flumen Salonæ, & quia erat delectissima aqua & serena ad bibendum, circuibat totam civitatem* (variis scilicet rivis circumductus), *& consolabatur omnes ibi stantes . . . . fuit impositum ipsi nomen fluvii Jader*. Mad. cap. 15. Fortassis ex ipso Jadro prope ab ejus fontibus derivatus fuerat, & alveo continuo supra Salonam, tractuque longo perductus exiguus ille amnis, qui ab Septemtrione in urbem ipsam influit, eamque interluens perrerat; indeque patenti inter mœnia ad Meridiem ostio egressus, infra Salonam incidit Jadro flumini, commixtusque cum eo ad mare progreditur. Ac certe quidem rivulus accersitus & ductus est ab ipso Jadro Spalatum usque, ut in Tabula Peutingeriana videre licet; idque Micha Madius etiam testatur: *Usque Spalatum*, inquit, *per conductos discurrebat*. Hujus rivi deducendi ajunt auctorem fuisse Diocletianum, qui cum tertio circiter ab Salona lapide Palatium illud ædificasset longe maximum, & magnificentissimum, ex quo postea extitit civitas Spalatensis, ab Jadro aquas, alveo manufacto & ad Imperatorias ædes perducto derivavit, sive ad suos hortos irrigandos, sive ad cæteras humanæ vitæ commoditates ac delicias, sive potissimum ne umquam Imperatoriis mensis deessent Trotæ pisces rari cujusdam & exquisitissimi saporis, quorum piscium genere Diocletianum mirifice delectatum ferunt, quorumque copiam ingentem Jader fluvius suppeditabat.

De Jadro Salonam præterfluente.

Salonæ forma & figura.


Latitudo urbis varia.

A Jadro rivulus Spalatum perductus.

Veteris Salonæ forma & circumscriptio ut oculis etiam percipi queat, hujus urbis adumbratam quamdam imaginem & conformationem in tabula incisam sub ipso Lectorum aspectu ponendam censuimus, quam Joannes Baptista Camozzinus ex iis, quæ supersunt, dirutæ urbis reliquiis ac ruderibus diligenter inspectis ac dimensis descripsit. Cum ab Occasu, & Septemtrione, & parte aliqua Orientis antiquorum mœnium vestigia adhuc solo emineant, ea perpetuo linearum ductu, nulla disjunctione interjecta in morem pinnorum adumbravit.

Salonæ exemplar ab Camozzino descriptum.

Digitized by Google


SERIES MONTIUM
OGRAPHIA
VRBIS
ET
AGRI
ALONITANI
Amphit. veteris
MARE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

bravit. Ab regione autem Meridiana, itemque extremo ad Meridiem orientali latere, cum nihil veterum murorum extet, duplici linea reliquum ambitum perfecit, urbisque aream concluſit. Nullas turres, nulla propugnacula mœnibus interpoſuit, non quod Salona hujuſcemodi munimentis, operibuſque caruerit, ſed quod eorum veſtigia aut nulla aut obſcura extent, unde illa deſcribi, & ſuis apte locis conſtitui poſſint. Cum autem diximus Salonam quadrato oblongo ſimilem eſſe, id nolim exigi ad normam dimenſionemque Mathematicam. Etenim præter quatuor illos angulos, quibus quatuor urbis latera inter ſe junguntur, latus aquilonare, ut in exemplari Camozziniano intueri licet, non illud quidem recta regione perpetuo productum, ſed parte fere media ab Septemtrione in Meridiem inflexum, rurſuſque in Occidentem directum duos angulos efficit, alterum extrinſecus prominentem, alterum intrinſecus retruſum; ex quo fit, ut totius urbis figura & compoſitio ad exagoni potius, quam ad quadranguli ſimilitudinem accedere videatur. Verum enimvero non ſunt hæc ad vivum reſecanda, neque ad regulam Mathematicorum expendenda. Nam cum Geographi urbem aut regionem aliquam eſſe dicunt quadratæ, vel rotundæ, vel triangularis figuræ, id referri volunt, non ad ſubtilem illam accuratamque menſuram, qua Mathematici utuntur, ſed ad ſenſum judiciumque oculorum, quibus urbs illa ſive regio quamdam aut quadrati, aut trianguli, aut orbiculatæ figuræ ſpeciem ac ſimilitudinem objicere videtur; quique de rebus, non ut reipſa ſunt, ſed ut ſibi apparent, ſentiunt ac judicant.

Alterum Salonæ exemplar.

Alterum exemplar breviori pagella concluſum exhibemus e Tabula Topographica Joannis Georgii Calergi deſumptum, in quo & urbis, & agri circa urbem, & confinium locorum deſcriptio continetur. Salonæ circuitus paſſibus fere quingentis dimenſionem Camozzinianam excedit, & propius ad ſpeciem ovatam, quam ad ſimilitudinem quadrati oblongi accedere videtur. Inter Cliſſam a Septemtrione, & Spalatum a Meridie media eſt Salona, paullo hinc longius, quam illinc disjuncta. Regio ſupra urbem, quæque urbi adjacet ab Occaſu, montoſa eſt ac prærupta, omniumque ferme rerum præterquam lignorum & paſcuorum ſterilis; niſi quod propius ab urbe colles utrinque facili ac molli clivo aſſurgunt, olivis vineiſque conſiti, viridiſſimo arborum veſtitu peramœni, jucundique ad aſpectum. Ab Cliſſa in Ortum protenditur mons Maſſaron e pluribus & continuatis jugis connexus, ad cujus radices olim Martyrum corpora ſepulturæ mandari ſolebant, ut ſcriptum eſt in Actis S. Domnii. A Maſſaro monte uſque ad mare planities tritici aliarumque ſegetum apprime ferax longius quam latius explicatur, amnibus frequens, & cum ſuapte natura fertilis, tum cultorum induſtria nitens, & frugum cujuſque generis copiam ferens. Infra eundem montem oritur Jader, qui alveo paullum detorto ad Occidentem decurrit, Salonamque ab Ortu præterluit. Nec longe a fontibus Jadri, Orientem verſus, viſuntur ruinæ caſtelli cujuſdam ſemidiruti, quod majores noſtri caſtrum Cucum appellabant. Regio, in qua erat Salona, cum inter Alpes, & mare, aperta ſit, pateatque Soli meridiano, cœli admodum jucunda ſalubrique temperie fruitur; nam & montium interjectu vehementiores Aquilones arcentur, & lenium a mari ventorum commodiſſimi flatus, matutinos vapores ac nebulas tempeſtive disjiciunt, Soleſque puriſſimos ac nitidiſſimos reddunt. Sed tantæ urbis nihil jam ſupereſt, præter veſtigia quædam, ut dixi, antiquorum mœnium, & rudera veterum ædificiorum lapidumque acervos, quibus adeo referta eſt atque impedita urbis funditus everſæ area, ut neque aratro perſtringi poſſit, ſubigique ac præparari ad excipienda frugum ſemina, ſuoque complexu fovenda. Cum enim ſolum illud non exile modo & macrum ſit, ſed ſalebroſum etiam, & ſaxetis aſperum, neque aratri patiens eſt, & omnem omnino ſementem reſpuit; vineis tamen aptum eſſe, atque idoneum cenſetur; quamobrem fere totum vitibus conſitum eſt, quæ, vinitorum cultura & induſtria adhibita, vini proventus ſane uberes ferunt. Cæterum omnia ita ſunt proſtrata, obruta, & a fundamentis avulſa, ut nulla extent indicia, ex quibus ſpecies aliqua & imago antiquæ Salonæ, ædificiorum forma, diſtributio, magnitudo, viarum & vicorum diſpoſitio & conformatio aut animo & mente concipi, aut verbis explicari, aut in tabulis inciſa oculis ſubjici poſſit.

Agri Salonitani deſcriptio.

Caſtrum Cucum.

Cœli ſalubritas.

Verum enim vero quamvis omnia urbis clades & ruina obruerit, temporumque vetuſtas conſumpſerit; ajunt tamen extare quædam ectypa, ſive exempla, in quibus totius urbis figura, conformatioque partium omnium, & ædificiorum, platearumque area, & viarum interjectarum deſcriptio, lineis & coloribus expreſſa videri, atque oculis perſpici queat. Ex his unum nacti ſumus ex dono Nicolai Blancovichii Epiſcopi Macarſchæ, viri eximiæ doctrinæ, & ſanctitatis, qui ante annos fere viginti ex hac vita decedens bonis omnibus ingens ſui deſiderium reliquit. Hoc exemplum Vincentius Paternus Presbyter ſumma cum fide & diligentia deſcripſit anno poſtremo proximi ſæculi ex veteri codice, qui totus ex hujuſmodi tabulis urbium antiquarum conſtabat, extabatque Venetiis in officina libraria Jacobi Zini Bibliopolæ ad Sancti Juliani. Si porticus, ſi pyramides, ſi obeliſcos, ſi ædificia ſpectes, eorumque numerum, ordinem, amplitudinem, Salonæ ſpeciem oculis tibi animoque objiciunt plane præclaram, & illa, quæ olim fuit de hujus urbis pulchritudine, & magnificentia, quæque etiamnum apud nos viget, opinione dignifſimam; ſed accidit perincommode, quod nulla appoſita ſit nota, nulla ſubjecta explicatio, qua ſacri a profanis, publici a privatis locis internoſci queant, aut intelligi poſſit, quo quiſque nomine appellaretur, vel ad quem uſum referri ſoleret. Una eſt epigraphe verbis Italicis inſcripta longis porticibus, qua docemur iis impoſitos fuiſſe canales, ſive Aquæductus, per quos aqua fiſtulis plumbeis, ſeu tubulis fictilibus incluſa confluenſque, tota urbe circumferebatur. Præterea qua civitas in Orientem ac Meridiem vergit, eſt forum ſatis amplum, ac ferme quadrangulum, egregiis a Septemtrione & Oriente porticibus circumdatum, & inſigni ab Occaſu Pyramide viſendum, quo fere in medio ædes aſſurgit longior quam latior, quatuor utrinque adjectis columnis, cum ſuo cuique impoſito ſimulachro, & magnificis operibus ornata; cui duplex A ſubter ſuprague adſcripta eſt; ſed hæc nota alphabetica quorſum ſpectet, quidve ſignificet, mihi ſane non eſt compertum.

Ectypon urbis Salonitanæ Venetiis deſcriptum ex codice antiquo.

Aquæductus Salonitani.

Urbis figura oblonga, & ab Occaſu contractior, quam ab Oriente, anguſtiorque, congruit cum utroque exemplari, quod Camozzinus & Calergus delinearunt, & cum antiquis ſcriptoribus, qui Salonam multo longius, quam latius porrectam

Digitized by Google

ſtam fuiſſe tradunt; ſed ab eodem exemplari Camozziniano in eo potiſſimum diſcrepat, quod in Orientem longius producitur. Verum Joannes Baptiſta Camozzinus, ut ſupra monui, latus urbis Orientale partim, e veſtigiis dirutorum mœnium deſcripſit, partim, ubi hæc non extant, linearum ſupplemento confecit, rectaque a Septemtrione in Meridiem perduxit. At ubi rudera deſunt, nihilque murorum, quibus ab ea parte urbs claudebatur, ſolo eminet; ibi fortaſſis mœnia deflectebant ab recta regione, longiuſque in Orientem procurrebant; tum rurſus retorta, ac deinde in Meridiem paſſus amplius quingentos prolata cum Auſtrali urbis latere, angulo intermedio, jungebantur; id quod in cctypo Blancovichiano Salonæ intueri licet. Nec vero propterea civitas in Orientem uſque eo protendebatur, ut Jadrum flumen exciperet, ſuoque ambitu clauderet. Nam in tabula Camozziniana Jader ſatis longe ab urbis mœnibus in ea deſcriptis pleno latiſſimoque alveo defluit; quod autem vel Jader ipſe, dextrorſum ripis effuſus, alios atque alios minores alveos ſibi aperuerit, per quos propius ab latere urbis Orientali Camozzinianis lineis deſignato decurrit, vel ex majori alveo manu hominum induſtriaque rivorum facta ſit deductio, id vero ad inferiores poſt excidium Salonæ ætates referendum eſſe exiſtimo. Ita fit, ut qua Salona in Ortum longius protenditur, illac Jader fluvius præterflueret, Salonæque mœnibus proxime allaberetur; id quod propter anguſtias & brevitatem Tabulæ deſignari exprimique non potuit in exemplari Blancovichiano; in eo autem, quod Calergus deſcripſit, contractis ab Oriente urbis mœnibus, indidem longius, quam exiſtimari par eſt, Jader disjungi videtur. Quod ſi Salonam in Ortum ultra lineas, quibus eam Camozzinus definivit, produxeris, ædiculam Deiparæ Virginis, in qua SS. Domnium & Anaſtaſium conditos ferunt, intra mœniorum ambitum includas neceſſe eſt; quos quidem in urbe ſepultos, & ſubter ruderum congeriem inventos, & inde Spalatum translatos fuiſſe Hiſtoria utriuſque declarat. Quare erravit Auctor tabulæ Blancovichianæ, qui eamdem ædiculam extra urbem conſtituit; idemque in ea urbis regione, quæ ad Orientem vergit, Amphitheatrum per errorem locavit, quod transferas oportet, rejiciaſque in extremum urbis angulum Occidentalem, uti teſtantur ejuſdem veſtigia in exemplari Camozziniano expreſſa. Pons Jadro impoſitus in utraque tabula Blancovichii & Calergi cum angulum reſpicit, quo inter ſe duo urbis latera Meridianum & Orientale junguntur; ſed Camozzinus Pontem eumdem hinc longius in Occaſum ſummovit, ſtatuitque contra mœnia urbis in Meridiem obverſa. Utra hujus Pontis poſitio propius ad rei veritatem accedat, mihi non liquet, neque loca illa adeundi, remque diligentius explorandi facultas ſuppetit. Quod vero Jader fluvius Pontis ejuſdem fornicibus elabens, fere ſtatim devolvatur in mare, id ſane declarat utramque illam tabulam ex antiquo aliquo exemplari deſumptam fuiſſe; nam antiquitus, ut ſupra dixi, ſinus ille maritimus in Ortum ad pontem uſque extendebatur, qui deinde Occaſum verſus magis magiſque in dies recedens, nunc ab eo ponte paſſus prope quingentos diſtat; id quod videre licet in ea Tabula, quam abhinc annos tres & viginti Joannes Baptiſta Camozzinus e Salonæ ruderibus ac veſtigiis deſcripſit.

Jader urbem non fluens, ſed præterfluens.

Pons Jadro impoſitus.

Facturuſne operæ pretium eſſem, ſi hanc veteris Salonæ tabulam Blancovichianam typis æneis committerem, & hiſtoriæ Salonitanæ intexerem, diu multumque dubitavi; huic enim, ſive autographo illi, ex quo deſcripta eſt, quantum auctoritatis & fidei tribui poſſit, decernere non auſim; neque ex aliis hujuſmodi exemplaribus Salonitanæ urbis, quæ dicuntur extare, ſæpe quidem, ſed fruſtra quæſitis, vel unum invenire ac nanciſci licuit, quocum hoc noſtrum conferrem, obſervaremque, ac notarem, ubi alterum cum altero vel diſcrepet, vel congruat; & utrum utri præferendum eſſet, ſtatuerem ac judicarem. Sed rationum momentis, quæ vel ſuaderent, vel retraherent, in utramque partem penſitatis, ſatius eſſe duxi hanc qualemcumque veteris Salonæ Iconographiam vulgare, atque in lucem proferre, quam tenebris abdere, atque in blattarum epulas ſeponere. Hæc ſiquidem, quamvis nihil afferat, unde urbis illius formam & ſpeciem, qualis reipſa fuit, animo concipere queas, tamen aliquid addere videtur ad ornatum hujus hiſtoriæ ac voluminis; eamque eo loco habeas licet, quo haberi ſolent rerum variarum effigies egregio opere cælatæ, quas typographi venuſtatis & elegantiæ cauſa variis librorum locis interſerunt. Præterea quemadmodum rerum fictarum narratio, cui nulla veritas ſubeſt, ſi apta ſit, ſi veriſimilis, ſi concinna, eos, qui audiunt, mira jucunditate perfundit; ita hæc Salonitanæ civitatis Iconographia, licet fortaſſis a prototypo plurimum differat, id tamen commodi ac voluptatis affert, ut Lectores, quando veram germanamque pulcherrimæ illius urbis effigiem ac formam intueri nequeunt, aliqua ſaltem adumbrata imagine, ejus habendæ intuendæque deſiderium quoquo modo leniant, & pictura quadam inani oculos paſcant, animoſque oblectent.

Conſilium Iconographiæ Salonitanæ vulgandæ quamvis fortaſſe non congruat vero urbis exemplari.

§. III.

Salona quinquies obſeſſa, ter capta.

DAlmatæ amiſſo everſoque Delminio, rerum ſuarum ſedem ac domicilium, ut ſæpe diximus, Salonam tranſtulerant, eamque urbem operibus præſidiiſque firmiſſimis munierant. Exinde de numero incolarum, frequentia tectorum, terreſtribus ac maritimis opibus augeri cœpit, ejuſque nomen longe lateque celebrari, ut brevi inter omnes Dalmatiæ civitates una hæc longe excellere videretur. Urbis dignitas & opulentia, ſitus arte ac natura munitus, portus egregius, & claſſis quantælibet capax, & maritimis commerciis mirifice opportunus, ejuſdem potiundæ cupiditatem exteris gentibus facile injecit. Quare cum a multis expetita eſſet, a multis itidem & obſeſſa & oppugnata eſt, quorum hoſtilibus conatibus alias ceſſit, alias reſtitit. Primus omnium, de quo quidem ſit memoriæ proditum, invadendæ redigendæque in poteſtatem Salonæ conſilium cepit L. Cæcilius Metellus Conſul, qui urbis illius adeptionem tum reipublicæ perutilem, tum ſibi præclaram in primis & glorioſam fore exiſtimavit. Itaque anno ante Chriſtum 117., cum Dalmatæ innoxii, pacatique, nullam juſti belli cauſam Romanis præbuiſſent, una bellicæ laudis adipiſcendæ, & triumphandi libidine ſtimulante, copias navibus impoſitas in Dalmatiam trajecit, ut Salonam urbem jam tum florentiſſimam terra marique obſideret. Sed oppugnationem ac bellum verius oſtendit, quam intulit; quippe Salonitani, improviſo illo exercitus hoſtilis adventu perculſi, imparatique tum a militibus, tum a cæteris

Dalmatæ Salonam mununt, ſuaque gentis ea reipublicæ caput conſtituunt.

Q. Cæcilius Metellus Salonam aggreditur.

Digitized by Google



constantiæ egregia documenta præbuerunt; quippe quamvis cum a cæteris rebus imparati es-

Illyricum Sacrum,

bant) omnibus simul locis castrorum ignem injecerunt: eas subsecuti viri multos eo tumultu excitatos, multos etiam dormientes occiderunt: ita

Digitized by Google

Digitized by Google

peris subsidiis rebusque ad sustinendam obsidionem necessariis, tempori cedendum, ac serviendum necessitati putarunt. Itaque portas referant, obviam effusi Consulem perhonorifice excipiunt, in urbem deducunt; imperasset quod vellet, quodcumque imperavisset, se æquo animo esse facturos pollicentur: nec dicta factis liberaliora; nam Consul cum apud eos hibernare statuisset, tum illi, tum militibus & ligna, & triticum, & cujusque generis cibaria large benigneque suppeditarunt. Metellus autem Romam reversus, perinde ac si bellum haud laboriosius, quam periculosius confeciſſet, de Dalmatis triumphavit, & Dalmatici cognomen sibi adscivit. *Secutis temporibus*, inquit Appianus in Illyr. *Cæcilius Metellus Consulatum adeptus, nihil delinquentibus Dalmatis, una triumphandi libidine, bellum inferre decrevit, a quibus amice susceptus, apud Salonas eorum urbem transegit hyemem, & Romam reversus triumphavit.* Et brevissime Florus: *L. Cæcilius Metellus Dalmatas obsedit.* Idem confirmat vetus inscriptio apud Gruterum capit. 1. §. 1. relata, in qua L. Cæcilio Metello & cognomen *Delmatic.* & *Procos.* titulus adjungitur, & dies triumphi de *Delmatis* acti, III. Nov. inscribitur, anno fortassis proximo post Dalmaticam expeditionem, cum perfunctus Consulatu nomen Proconsulis gerebat; nisi forte eodem anno Consulatum iniit ac deposuit, altero in ejus locum Consule suffecto. Ac tum quidem Metellus, tributo imperato, Salonam in potestate Dalmatarum reliquit; vel si urbem illam, præsidio impositio, ad ditionem populi Romani adjunxit, Salonitani haud multis post annis, copiis Romanorum ad urbis custodiam relictis, aut cæsis aut expulsis, in libertatem se vindicarunt.

quem Salonitani amice suscipiunt.

Nam anno ante Christum 78. M. Æmilio Lepido & Q. Lutatio Catulo Cos. Salonam iterum a Romanis obsessam invenio. Itaque cum Dalmatæ ac Salonitani Issensibus sociis populi Romani infensi essent, eorumque urbes in Continenti Tragurium & Epetium, agrosque circa urbem utramque assiduis e Salona decursionibus vastarent, Cn. Coscon. Proconsul e decreto Senatus cum terrestribus & navalibus copiis in Dalmatiam proficisci jussus, bellum Dalmatis intulit, quod fuit bellum Dalmaticum quartum; & cum pleraſque urbes maritimas Dalmatis ademisset, tum vero Salonam acriter obsidere, vehementerque oppugnare instituit. Hæc fuit secunda obsidio Salonæ, quam Cosconius aut ad deditionem compulit, aut per vim expugnavit. Sed aliis hæc locis satis accurate a nobis dicta sunt. Exinde Salona, libertate in perpetuum amissa, Romanis paruit; & Dalmatici Conventus civitas primaria constituta est, & Romanorum civium Coloniam excepit. Sed de Conventu & Colonia Salonitana paragrapho proximo.

Ca. Cosconius Salonam oppugnavit.

& capiam Romanorum imperio subjecit.

Bellum civile inter Cæsarem & Pompejum anno ante Christianam Epocham undequinquagesimo exortum urbes ac provincias imperii Romani in duas partes distraxit. Quo in temporum motu reique Romanæ distractione, Salona cum a Cæsare contra Pompejum constantissime steterit, diuturnam a Pompejanis ac periculosam obsidionem sustinuit; in qua & Romani seu milites, qui urbi præsidio erant, seu cives, qui huic coloniæ adscripti oppidum incolebant, & Salonitani indigenæ, suæ erga Cæsarem fidei & constantiæ egregia documenta præbuerunt; quippe quamvis cum a cæteris rebus imparati essent, tum maxime rei frumentariæ inopia laborarent, & mira esset propugnatorum paucitas; omnia tamen obsidionis incommoda tolerarunt, & in supplementum militiæ servos omnes puberes libertate donatos armarunt; & mulieres Salonitanæ crines sibi præfectos ad contexenda tormentorum sive telorum vincula contribuerunt; ac denique eruptione facta, cum quina Castra, quibus M. Octavius Pompejanæ classis Præfectus urbem circumdederat, alia ex aliis adorti expugnassent, magno hostium numero interfecto, reliquos omnes ad naves confugere coegerunt cum ipso Octavio, qui clade ingenti accepta, desperataque oppugnatione oppidi, Dyrrhachium se ad Pompejum retulit. Hanc tertiam Salonæ obsidionem egregie descripsit ipsemet Cajus Cæsar in suis Commentariis lib. 3. cap. 4. *M. Octavius cum iis, quas habebat, navibus Salonas pervenit, ibique conciliatis Dalmatis, reliquisque barbaris Issam a Cæsaris amicitia avertit: conventum Salonarum, cum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permovere posset, oppidum oppugnare instituit. Est autem oppidum, & loci natura, & colle munitum. Sed celeriter cives Romani, ligneis effectis turribus, iis sese munierunt: & cum essent infirmi ad resistendum, propter paucitatem hominum, crebris confecti vulneribus, ad extremum auxilium descenderunt: servosque omnes puberes liberaverunt: & præfectis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt. Quorum cognita sententia Octavius quinis castris oppidum circumdedit: atque uno tempore obsidione & oppugnationibus eos premere cœpit. Illi omnia perpeti parati, maxime a re frumentaria laborabant. Quare missis ad Cæsarem Legatis auxilium ab eo petebant: reliqua, ut poterant, per se incommoda sustinebant; & longo interposito spatio, cum diuturnitas oppugnationis negligentiores Octavianos effecisset, nacti occasionem meridiani temporis, discessu eorum, pueris mulieribusque in muro dispositis, ne quid quotidianæ consuetudinis desideraretur; ipsi manu facta cum iis, quos nuper manumissos liberaverant, in proxima Octavii castra irruperunt. His expugnatis, eodem impetu altera sunt adorti, inde tertia, & quarta, & deinceps reliqua: omnibusque eos castris expulerunt; & magno numero interfecto, reliquos atque ipsum Octavium in naves confugere coegerunt. Hic fuit oppugnationis exitus. Jamque hyems appropinquabat, & tantis detrimentis acceptis, Octavius, desperata oppugnatione oppidi, Dyrrhachium se se ad Pompejum recepit.*

Bello civili Salonitani partem Cæsaris sequuntur.

urbem obsessam a Pompejanis egregie defendant.

Octavianam ab urbe depulsionem & cladem paullo aliter Dio Cassius descripsit, urbisque liberatæ gloriam fœminis Salonitanis potissimum attribuit, quæ ad speciem quamdam formamque visu terribilem compositæ, piceasque tædas manu præferentes, castris ignem, hostibus terrorem fugamque injecerunt: *Is* (Octavius) *Jonium mare tenuerat, C. Antonium ceperat: multisque oppidis potitus, tamen Salonas diu frustra oppugnavit, a civibus Gabinii auxilio adjutis vi repulsus. Idem Salonenses ad extremum una cum mulieribus erumpentes, magnum facinus ediderunt. Mulieres demissis capillis, vestitu nigro indutæ, acceptis facibus, denique quam maxime terribili habitu compositæ, media nocte ad castra oppugnantium accesserunt: metuque exanimatis excubitoribus (quippe dæmonum species illis exhibebant) omnibus simul locis castrorum ignem injecerunt: eas subsecuti viri multos eo tumultu excitatos, multos etiam dormientes occiderunt: ita*

Egregium facinus mulierum Salonensium.

Digitized by Google

& caſtra & ſtationem navium, quam Octavius tenebat, confeſtim occupavere.

Thomas Archidiaconus in hiſt. Salon. cap. 2. haud dubie fallitur, cum Salonitanos ad partes Pompejanas adjungit; Cæſarem vero ait C. Antonio id negotii dediſſe, ut Salonam obſideret, redigeretque in poteſtatem; ab Antonio autem miſſum eſſe Vultejum, qui ex inſulis contra Salonam milites cogeret; ſed Salonæ obſidionem ne tentatam quidem fuiſſe, quippe Baſilius & Octavius Duces Pompejani ingenti e finitimis populis collecto exercitu, armis præſidiiſque validiſſimis urbem munierant; Vultejum vero, cum in inſulis annonæ rerumque omnium difficultate premeretur, conſilium cepiſſe in oram adverſam cum fortiſſimis quibuſque ſociorum quam occultiſſime trajiciendi: verum navigio, quo vehebantur, ab hoſtibus circumſeſſo, cum nulla exitus via, aut effugii ſpes pateret, Vultejum ſuis auctorem fuiſſe, ut priuſquam in poteſtatem hoſtium venirent, mutuis ſe vulneribus confoderent. In hac narratione Archidiaconus falſa veris immiſcet; nec ſolum ab iis diſſentit, quæ C. Cæſar in ſuis commentariis ſcripſit, ſed etiam de Antonio & Vultejo rem paullo aliter narrat, atque L. Florus, & Lucanus litteris prodiderunt. Hanc igitur Hiſtoriam ex Archidiacono deſcriptam noſtris in eam notis emendare, atque ad veterum hiſtoricorum fidem & auctoritatem exigere, ac revocare conabimur.

Error Archidiaconi.

Hæc civitas tempore bellorum civilium fidem inconcuſſam a *Romanæ reipublicæ obſervans dominium* b *Cæſaris reſpuebat. Quamobrem ad eam ſubjugandam miſit Cæſar* c *Antonium cognatum ſuum cum magno navali exercitu; ipſe vero inſequendo Pompejum a Brunduſio tranſvectus eſt in Epirum. Tunc Antonius præmiſit quemdam Ducem nomine* d *Ultejum, qui in inſulis Salonitani littoris exercitum coadunaret; ſed ex parte Pompei erant* e *in Salona duo Duces Baſilius & Octavius. Iſti coegerunt magnas populorum adjacentium* f *caterras: videlicet* g *Curetum Dalmatinorum, & Iſtriorum expectantes Cæſaris partes, ut cum eis confligerent: ſed Ultejus* h *famis ſitiſque coarctatus penuria, non potuit ulterius in inſulis commorari, & licet undique hoſtium vallatus inſidiis,* i *tamen quamdam navem cum meliori ſociorum manu conſcendens voluit latenter tranſponi in terram; ſed hoſtium inſidiis circumpoſitis, navis in medio tranſitu intercepta eſt, cumque navis hæreret immobilis, videns Ultejus, quod non pateret via divertendi, cohortatus ſuos, ut pro honore Cæſaris mori fortiter parati eſſent, antequam in hoſtiles inciderent manus; ſicque factum eſt: nam cum viderent Pompejanos jaculis, lapidibus & ſagittis inſtare, jamque paratos ad navem manus apponere, intuſque inſilire, deſeſſus jam Ultejus cum ſuis cum diutiſſime, & viriliter reſtitiſſet, ne vivi ad manus hoſtium devenirent, mutuis ſe vulneribus confoderunt, & mortui ſunt. Audiens ergo Antonius interitum Ultei, & ſuorum commilitonum, non appoſuit* k *ulterius venire Salonam, ſed ad Cæſarem* l *reverſus eſt.*

Hist. Sal. cap. 11.

a
b
c
d
e
f
g
h
i
k
l

NOTÆ.

Utraque factio Cæſariana & Pompejana profitebatur ſe cauſam agere reipublicæ ac libertatis.

a Tam Cæſar, quam Pompejus profitebantur ſe libertati reique publicæ ſtudere, ejuſque tuendæ cauſa arma ſumpſiſſe; uter vero ejuſdem commodis utilitatique ſerviret, aut officeret, temporibus illis obſcurum erat pleriſque, atque ignotum; & quemadmodum qui Pompeji, ſic etiam qui Cæſaris partes ſequebantur, ut Salonitani, ſe fidem Reipublicæ atque obſequium præſtare exiſtimabant.

b Adeo non *reſpuebat dominium Cæſaris* Salona, ut Salonitanos ab Cæſaris amicitia neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi, M. Octavius avertere potuerit, omnia perpeti paratos, ne in Pompeji poteſtatem redigerentur.

Tres fratres Antonii.

c Tres erant Antonii fratres factionis Cæſarianæ, M. Antonius, qui poſtea cum Octavio Cæſare & M. Lepido Triumviratum geſſit; L. Antonius, quem propter nonnullas interpoſitas offenſiones Octavius Cæſar Perufiæ incluſum ad deditionem compulit; C. Antonius, quem M. Brutus Cæſaris interfector in Macedonia inſidias ſibi ſtruentem interemit, ut ſcribit Appianus, vel Claudius juſſu Bruti, aut proprio uſus conſilio necavit, ut Dio Caſſius docet. Is poſtremus fuit, quem Archidiaconus cognatum Cæſaris vocat, & cum claſſe in Dalmatiam profectum eſſe ait juſſu Cæſaris. Prior vero ille Antonius, cui Marco prænomen fuit, poſtquam Cæſar Brunduſio in Epirum profectus ſeptem Legiones navibus impoſitas traduxerat, Brunduſii ſubſiſtebat, ibidem expectare juſſus, dum reliquas copias trajiciendi opportunitas adeſſet. Nec vero C. Antonius juſſus eſt *ſubjugare Salonam*, quæ jam erat in poteſtate Cæſaris; quid vero negotii Cæſar dederit C. Antonio, itemque Dolabellæ in Illyricum proficiſci juſſis, L. Florus declarat lib. 4. cap. 2. *Quippe cum fauces Adriatici Maris juſſi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo littore caſtra poſuiſſent, jam maria late tenente Pompejo, repente caſtra legatus ejus Octavius & Libo cum ingentibus copiis claſſicorum utrinque circumvenit.*

C. Antonius ad Salonam obſidere, ſed fauces Adriatici occupare juſſus a Cæſare.

d Vultejus, quem Archidiaconus Ultejum vocat, Præfectus erat navis Opitergiæ, qui non juſſu miſſuque Antonii, ut tradit Archidiaconus, ad inſulas littoris Salonitani appulerat, ut milites conſcriberet; ſed a Baſilo Cæſariano Duce cum duabus aliis ratibus miſſus fuerat, ut C. Antonio auxilium ferret, quem fame rerumque omnium inopia laborantem in littore ſeu portu aliquo Corcyræo obſeſſum tenebat C. Octavius, quemadmodum L. Florus & Lucanus docent.

Vultejus Dux Opitergiorum.

e Paucis verbis duo magna peccata; unum quod Baſilium ſeu Baſilum inter Duces factionis Pompejanæ annumerat, cum illum Florus & Lucanus Cæſarianas partes ſecutum fuiſſe affirment; alterum, quod M. Octavium Salonæ tuendæ atque a Cæſarianis defendendæ præficiat, cum contra Cæſar doceat Salonam fruſtra obſeſſam ab Octavio, irritoque conatu oppugnatam fuiſſe.

f Pompejani mare Adriaticum navibus obſidebant; id tradit Florus, *jam Maria late tenente Pompejo*; idem confirmat Cæſar in Comment. Nam M. Bibulus Pompejanæ claſſis Imperator, *totique maritimo officio præpoſitus, a Salonis ad Orici portum ſtationes littoraque omnia longe lateque claſſibus occupavit, cuſtodiiſque diligentius diſpoſitis, ipſe graviſſima hyeme in navibus excubabat &c.* Cæſ. lib. 3. cap. 3. Interea Octavius *concitatis Dalmatis, reliquiſque barbaris, cum Iſſam a Cæſaris amicitia avertiſſet*, e populis illis ab Cæſare ad Pompejum traductis exercitum collegit (ſi fides habenda ſit Archidiacono) ut copiis illis, non quidem ad defendendam, ſed ad oppugnandam Salonam uteretur.

Pompejani Duces littora, portus, ſtationes, claſſibus obtinebant.

g Milites e delectu Curetum non M. Octavio, ſed C. Antonio adjunxit Lucanus:

Illic bellaci confiſus gente Curetum,

Quos

Quos alit Adriaco tellus circumfluæ ponto,
Clauditur extrema residens Antonius ora.

Cretæ populi Dalmatiæ. Curetæ autem erant aut ex insulis Creteis, quos Plinius contra Liburnos statuit, aut ex insula Curicta adversus oram Japydiæ sita, cujus duo apud Ptolemæum oppida memorantur, Fulfinium, seu Phulfinium, & Curicum; hodie Veglam seu Vegiam insulam vocant. Ex alterutra insula Antonius copias contraxerat, quibus in littore Corcyræo impositis, fauces Adriatici tueretur.

h Quod pertinet ad C. Antonium obsessum a Pompejanis, omnique commeatu intercluſum, cui *fames deditionem extorsit*, inquit Florus; id Archidiaconus ad Vultejum Præfectum navis Opiterginæ per errorem transtulit. Lucanus de Antonio rerum omnium inopia presso hæc cecinit.

Clauditur extrema residens Antonius ora,
Cautus ab incursu belli, si sola recedat,
Expugnat que tuta, fames. Non pabula tellus
Pascendis submittit equis, non protulit ullam
Flava Ceres segetem; spoliabat gramine campum
Miles, & attonso miseris jam dentibus arvo
Castrorum siccas decerpsit vulserat herbas.

Pompejanorum Strategema. i Quæ deinde sequuntur, L. Florus paullo aliter narrat: *deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque a Basilo in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat: nova Pompejanorum arte Cilicum actis sub mare funibus captæ quasi per indaginem: duas tamen æstus explicuit: una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille juvenum manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit; & cum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vultejo mutuis ictibus in se concurrit.* Eadem Lucanus fusius & ornatius more poetico descripsit.

k Antonio numquam venit in mentem obsidere Salonam, quæ ab Cæsare contra Pompejum stabat.

l L. Florus auctor est C. Antonium fame compulsum se hostibus dedidisse; an vero dimissus a Pompejanis ad Cæsarem Brundusium redierit, incertum est. L. Vibullius Rufus, cum missus a Cæsare ad Pompejum Legatus de pace veniſſet, jussus est exponere magna utrinque incommoda ad eam diem accepta, quo facilius Pompejum ad pacem faciendam perpelleret; inter detrimenta autem, quæ Cæsar passus fuerat, enumerat *militum deditionem ad Corcyram*; quod haud dubie spectat ad deditionem illam, quam Antonio ad Corcyram insulam circumsesso *fames extorsit*, ut Florus tradit.

Rerum series Chronologica. Jam vero ut rerum ordo seriesque constet, quæ gesta sunt, antequam Cæsar Brundusio partem copiarum in oram adversam traduceret, & quæ deinceps consecuta sunt, in synopsin quamdam Chronologicam redigi oportet; & suo potissimum loco ac tempore statuenda est Octaviana obsessio, & oppugnatio Salonæ. Primum Cæsar vel e Gallia, cum Massiliam obsideret, vel ex Italia, quo venit, ubi se Dictatorem dictum a M. Lepido cognovit, jussit Dolabellam & C. Antonium fauces Adriatici obsidere. Et Antonius quidem in littore Corcyræo, Dolabella autem in littore adverso positis castris, transitum illac Pompejanis intercludunt. M. Octavius & Scribonius Libo plurimis navibus utrumque obsident. Tres naves Antonio auxilium laturæ a Basilo Cæsariano Duce missæ, per imprudentiam induunt se in laqueos, quos Pompejani sub-

Antonius & Dolabella obsessi ab Octavio & Libone.

ter aquas tetenderant: duas æstus superveniens explicuit, laqueisque exemit, tertia, qua Opitergini vehebantur, hæsit immobilis. Hi autem cum hostium, qui undique navim circumsederant, tela atque impetum diu ac fortiter sustinuissent, Vultejo Duce, & auctore maluerunt, mutuis inter se vulneribus confecti præclaram mortem oppetere, quam vivi in hostium potestatem venire. Tum Antonius fame coactus, omnisque auxilii spe destitutus, & qui cum eo erant, milites se Pompejanis dediderunt. Hæc gesta esse arbitror per Autumnum anno ante Christum 49. Sub deditionem Antonii M. Octavius eo successu lætus, cum iis, quas habebat, navibus Salonas pervenit, & cum Issam a Cæsaris amicitia abduxisset, intra finem Autumni Salonam oppugnare instituit. Hæc oppugnatio plures dies tenuit; hyeme vero appetente soluta est, & Octavius castris amissis ad naves confugit, seque Dyrrhachium ad Pompejum contulit. Solutæ obsidionis tempus diserte adcitum est in Commentariis Cæsarianis: *Hic fuit oppugnationis exitus. Jamque hyems appropinquabat &c.* Interea dum hæc in Dalmatia geruntur, Cæsar eodem anno 49. in exitum labente Romam venit, Dictaturam iniit, eoque habente comitia Consules creantur ipsemet Julius Cæsar & P. Servilius. Rebus urbanis componendis, & feriis Latinis, comitiisque omnibus perficiundis XI. dies tribuit, dictaturaque se abdicat, & ab urbe proficiscitur, Brundusiumque pervenit. Ibi cum dies aliquot consumpsisset in adornanda classe, qua copias in Epirum sive Macedoniam trajiceret, pridie Nonas Januarias an. ante Christum 48. solvit; & postridie Nonas terram attigit Cerauniorum, & ad eum locum, qui appellatur Palæste, omnibus navibus ad unam incolumibus, milites exposuit. Post menses aliquot interjectos in campis Pharsalicis debellatum est cum Pompejo, qui in Ægyptum ex fuga profectus, Ptolemæi Regis, ad quem confugiebat, jussu necatur.

Egregium facinus Opitergi-norum, & dedi-tio Antonii.

Salona ab Octavio obsessa; & hyeme appetente liberata.

Nec vero solum Salona, sed quidquid urbium ac gentium Romani obtinebant in Illyrico, Cæsaris partes sequebatur; Dalmatis tum Cæsaris, tum Romanorum imperio exemptis, qui urbibus maritimis amissis in regiones mediterraneas inter Naronem & Titium se receperant, ibique situ ac natura locorum freti, adhuc jus suum ac libertatem tuebantur. Cum enim Cæsar jam inde ab anno ante Christum 59. Illyricum cum utraque Gallia ex Senatusconsulto obtineret, easdemque provincias novem annis, ut auctor est Svetonius, administrasset; sub initium belli civilis ab eo in Illyricum missus æstate cum duabus Legionibus Q. Cornificius Cæsaris quæstor & pro prætore, provinciam illam in fide ac potestate Cæsaris retinuerat; eamque tum a Dalmatis Cæsari potissimum infensis, tum a Pompejanis non tantum sine ignominia, sed etiam cum laude summa defendit: & quamquam a Pompejanis mare infestum esset, & M. Octavius Issam, aliasque insulas atque urbes, ut Dio tradit, ab Cæsaris amicitia abduxerit, Salonamque in Pompei potestatem redigere conatus esset; tamen prudentia ac diligentia sua effecit, ut res Cæsariana in Illyrico quam minimum detrimenti caperet; quin etiam, ut Dalmatas provinciæ & Cæsari maxime infestos coerceret, complura eorum castella locis editis posita, quorum opportunitas castellanos impellebat ad decursiones faciendas, & bellum inferendum, expugnavit. Verum cum post Pharsalicum prælium, M. Oc-

Omne Illyricum in Cæsaris potestate præter Dalmatas liberos ac sui juris.

Digitized by Google

Octavius ex fuga se in sinum illum magna classe contulisset, & complures Pompejanarum partium, propter Macedoniæ propinquitatem, reliquiis ex fuga collectis, se in Illyricum recepissent; Provincia illa magno in periculo versari cepit, & præterea ingens a Dalmatis est incommodum acceptum. Quare Cæsar antequam longius Pompejum insequendo discederet, litteras ad Gabinium dedit, ut cum Legionibus tyronum proficisceretur in Illyricum, conjunctisque copiis cum Q. Cornificio, si quod periculum provinciæ inferretur, depelleret. Sed Gabinius, cum in Illyricum venisset, dimicare coactus cum Dalmatis rem infeliciter gessit. Eo prælio amplius duobus millibus militum amissis, centurionibus fere quadraginta, Tribunis quatuor, cum reliquis copiis Salonam se recepit, in urbem munitissimam, quam cives Romani fortissimi, fidelissimique incolebant, qui superiore anno singularis erga Cæsarem fidei & constantiæ testimonia dederant, M. Octavio ab ejusdem urbis obsidione depulso. Clades Gabiniana in magnam spem Octavium adduxit Illyricæ provinciæ potiundæ, *quem tamen diutius*, inquit Hirtius de bello Alex. cap. 13. *in rebus secundis & fortuna, quæ plurimum in bellis potest, diligentiaque Cornificii, & virtus Vatinii versari passa non est*. Nam Vatinium, Brundusii cum esset, Cornificius per litteras ad auxilium provinciæ ferendum, & periculum eidem ab Octavio imminens avertendum evocavit. Interea vero, dum Vatinius militibus cogendis, & classe adornanda Illyricam expeditionem apparat, quid rerum in Illyrico prospere gesserit Octavius, idem Hirtius breviter exposuit; nimirum cum barbaris, idest Dalmatis, fœdera percussit, compluribus locis militum Cæsarianorum oppugnavit præsidia partim classe per se, partim pedestribus copiis per barbaros; & præterea illud quoque, inter res secundas Octavii, huic intervallo adscribendum censeo, quod Dio Cassius refert, videlicet ab Octavio & cum hostibus feliciter pugnatum esse, & Salonam iterum obsidione tentatam fuisse. Postquam enim de priore illa obsidione Octaviana, mulierum virtute potissimum depulsa narravit, hæc statim subjecit: *Sed nec sic quidem ipsis* (Salonitanis) *quieta omnia fuerunt; elapsus enim Octavius, novis copiis coactis, prælio victos denuo obsedit. Interea temporis Gabinio morbo absumpto, omne ea regione pelagus cum obtinuisset, egressus in terram multa ipsis detrimenta intulit*. Ut autem Dio cum Hirtio concilietur, mors Gabinii antecesserit oportet res prosperas Octavianas in Illyrico, quas Hirtius commemorat, & hanc secundam, si qua fuit, obsidionem Salonitanam, cujus meminit Dio; quippe clades & mors Gabiniana, ut docet Hirtius, *in magnam spem adduxit Octavium provinciæ potiundæ; qui novis coactis copiis*, inquit Dio, *Salonitanos prælio victos denuo obsedit*.

Gabinius jussu Cæsaris subsidio Illyrici venit, sed rem male gessit.

Res prosperæ Octavii in Illyrico.

A quo Salona iterum tentata.

Itaque hæc secunda Octaviana Salonæ obsessio, cujus exitum Dio tacitum prætermisit, post prælium Pharsalicum, & Gabinianam calamitatem videtur accidisse, antequam Vatinius instructa classe in Illyricum trajiceret. Verum enim vero prospera fortuna uti Octavio haud diutius licuit. Nam Vatinius ad Illyricam oram cum appulisset, aliquot civitates maritimas, quæ defecerant, Octavioque se tradiderant, recepit; & ante adventum Vatinii Octavius iterum a Salonitanis repulsus fuerit necesse est; quippe qui, cum Vatinius advenit, terra marique Epidaurum oppugnabat, & adventu Vatinii, ut Hirtius tradit, ab oppidi oppugnatione coactus est discedere, & paullo post navali prælio victus, paucis navigiis in Græciam, vel, ut docet Dio, Corcyram se recepit. Cæterum alteram illam obsidionem Salonitanam, cujus meminit Dio, per me anteponas licet cladi Gabinianæ, cum scilicet Octavius ex fuga Pharsalici prælii magna classe in Adriaticum sinum se contulit, antequam Gabinius jussu Cæsaris proficisceretur in Illyricum. Repulsum tamen fuisse a Salonitanis urbe incolumi, illud argumento est, quod Gabinio cæso a Dalmatis, & cum reliquiis copiarum in fugam verso, Salona receptum præbuit.

Octavius navali prælio victus a Vatinio, & toto Illyrico excedere coactus.

Vatinius post Octavium ab oppugnatione Epidauri copias deducere coactum, apud Tauridem insulam navali prælio prospere cum eo conflixit, & navibus Octavianis partim captis, partim depressis, partim e toto illo sinu expulsis Issam, aliaque loca recepit, revocavitque ad fidem & amicitiam Cæsaris, quæ Octavius ceperat, vel a Cæsarianis ad Pompejanas partes abduxerat. Octavius autem parvis & paucis navigiis vento secundo regionem Græciæ petiit, inde ut Siciliam, deinde Africam caperet. Ita tum Salona, tum universa Illyrici provincia partim retenta, partim recuperata, fidelem se Cæsari obsequentemque usque ad ejus interitum præbuit. Hæc ex A. Hirtio de Bel. Alex. cap. 13. 14. & Dione lib. 42. a nobis desumpta sunt, & in ordinem temporum redacta.

Post C. Cæsarem anno ante Christianam æram 44. Idibus Martiis a Bruto, Cassio, cæterisque conjuratis in Senatu ipso interfectum, apud Illyrios rerum conversio secuta est; & Salona cum universa Illyrica provincia a Cæsarianis ad Pompejanas partes transivit. Neque enim mors Cæsaris bellum civile restinxit, aut duas illas factiones inter se conciliavit; & Salona, quemadmodum a Pompejanis, dum Cæsari addicta erat, sic deinde a Cæsarianis, a quibus defecerat, obsessa est, atque adeo capta, ut postea dicetur. Quamvis igitur, sublato Cæsare, fieri quædam ad spem libertatis ac reipublicæ recuperandæ inclinatio visa est, tamen brevi ea spes ac lætitia cunctis evanuit; siquidem M. Antonius Consul seditiosa oratione cum plebem in patriæ Liberatores concitasset, turbavit omnia, armis Senatum oppressit, nefarias leges per vim tulit, Galliam Cisalpinam invasit, D. Brutum Galliæ Prætorem Mutinæ obsedit. Itaque bellum adversus Antonium hostem Reipublicæ judicatum a Senatu, Cicerone potissimum auctore, decernitur. Cum autem Senatus M. Bruto Cæsaris interfectori Provinciam Illyricam cum exercitu Vatinii decrevisset, ut docet Appianus, tum vero Salona & Illyricum omne, præter Dalmatas, sub novo magistratu a Cæsarianis ad Pompejanos se transtulit. Ea enim erat Romanorum civium, qui Salonam incolebant, ex urbe ante annos fere triginta in eam coloniam missi, erga Senatum fides & observantia, ut quemadmodum antea Cæsarem, sic postea Brutum pari animo prompto obsequentique exceperint; quod utrique Senatus eam provinciam regendam tradidisset; & in utroque Senatus auctoritatem summumque imperium agnoscerent, cui parendum sibi esse oxistimabant. Et quamquam postea eventus docuit Cæsarem magis sua, quam reipublicæ causa bellum gerendum suscepisse, initio tamen, cum nihil aliud præseferret, atque ostentaret, nisi laudabile studium, voluntatemque exi-

Post Cæsaris necem Salona a Cæsarianis ad Pompejanos transfit.

Salona & Provincia Illyrica M. Bruto Cæsaris interfectori decreta.

Salonitanorum constans erga Reipub. fides.

Digitized by Google

eximiam tuendę juvandęque reipublicę, idcirco Salonitani, quod fidei & officii Cæsari præstabant, id se reipublicæ præstare arbitrabantur. In hanc igitur sententiam accipias velim verba Archidiaconi, qui non sine laude commemorat *fidem inconcussam* Salonæ adversus Rempublicam Romanam; eodemque referas oportet præclarum illud testimonium Hirtii, de fide ac virtute civium Romanorum Salonam incolentium, quos *fortissimos*, & *fidelissimos* vocat.

Ac Brutus quidem ex auctoritate Senatus Illyricam provinciam adeptus, ejusdem adeundæ, ac per se regendæ, neque spatium neque facultatem habuit; quippe statim profectus in Macedoniam, quæ cum Illyrico decreta illi fuerat a Senatu, ut Appianus & Dio tradunt, eam regionem una cum Græcia sibi adjunxit, suisque præsidiis munivit; tum in Asiam profectus & Dejotarum Regem sibi conciliavit, & sua cum Cassio necis Cæsarianæ socio, Syriæ Præfecto, consilia communicavit, & Xantho, Pataris, ac Myris captis, Lycios subegit. Inde in Macedoniam reversus est, cum jam bellum civile vehementius recruduisset, Philippos, quo itidem Cassius cum exercitu venerat. Uterque in Thessalia ad urbem Philippos acie decertarunt eventu vario. Cassius ab Antonio, Cæsar vicissim a Bruto victus est. Cassius ratus Brutum quoque eadem usum fortuna, ultro mortem sibi conscivit. Brutus autem paucis post diebus altero prælio victus, ut manus hostium vitaret, sibimet manus attulit, altero post interitum Cæsaris anno, qui secundus & quadragesimus ante Christi adventum numeratur. Jam vero dubitari non potest, quin quemadmodum antea Cæsar Q. Cornificium quæstorem suum pro prætore in Illyricum miserat, ut Provinciam illam suo nomine administraret ac defenderet; sic postea Brutus ejusdem Provinciæ administrationem ac tutelam, quando ipse rei Macedonicæ procuratione distentus suscipere non poterat, alteri delegaverit, qui Salonæ cæterisque Illyrici urbibus præesset; easque firmissimis præsidiis cum adversus Dalmatas, tum contra eos, qui e Cæsariana factione supererant, seque ultores necis Cæsarianæ ac vindices profitebantur. Itaque post Bruti ex Italia discessum bellum civile acrius exarserat. Nam contra Cæsaris interfectores, & Sex. Pompejum Cnei filium, cęterosque Principes Pompejanarum partium, M. Antonius cum M. Lepido societatem inierat; & paullo post Octavius Cæsar, bello contra Lepidum & Antonium a Senatu præpositus, fide ac patria prodita, amicitiam cum utroque junxerat. Ita trifariam Romano distributo imperio, Triumviri reipublicæ constituendæ facti sunt v. Kal. Decembr. anno ante Christum 43. qui proximus fuit ab interitu Cæsaris.

Bruti itinera, ac gesta.

Cassius victus, Brutus victor; ac deinde victus. Uterque mortem sibi conscivit.

Triumviratus illatus.

Postquam in Macedonia anno ante Christum quadragesimo secundo debellatum fuit cum Bruto & Cassio, ut modo dictum est, Cæsar Octavius ad recuperandam Illyricam provinciam, sive Dalmatiam, quæ tum pars erat Illyricæ provinciæ inter Naronem ac Titium Dalmatis ademptæ, eamdemque Pompejanis eripiendam animum adjecit. Id negotii dedit C. Asinio Pollioni, qui uti antea Cæsaris partes secutus fuerat, sic postea Octavio Cæsari, & M. Antonio constantem ac fidelem operam præbuit. Is cum bellicis laudibus litterarum studia conjunxit, & Poeta idem atque Historicus, tum Tragedias, tum Historiam bellorum civilium scripsit, ex qua Pollionis historia Svetonius hęc verba Cęsaris excerpsit, ab eo tum prolata, cum in campis Pharsalicis tantam civium Romanorum stragem vidisset: *Hoc voluerunt. Tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem.* Idem primus fuisse dicitur, qui *Patavinitatem* in Tito Livio Historiæ Romanæ Principe notaverit; quam quidem censuram non ad stylum Livianum aliqui referendam putant, sed ad animum quamdam Livii erga Pompejum propensionem, quam ille in describenda suorum temporum historia dissimulare non potuit, quippe cum secutus esset auctoritatem & exemplum Patavinorum popularium suorum, quos studiosos fuisse constat fautoresque Pompej. Hinc inclinatio illa voluntatis, qua Patavini omnes propendebant in Pompejum, eique impensius favebant, dicta est Patavinitas, quam Pollio Livianę historię objecit.

C. Asinius Pollio Salonam obsedit, eaque potitus est.

Ergo C. Asinius Pollio, traductis in Illyricum copiis, Salonam obsidione cinxit, quam Brutus bellicis operibus, præsidiisque muniri ac firmari jusserat, ac tamdiu tormentis quatere atque oppugnare instituit, quoad vel compulit ad deditionem, vel expugnatione captam in potestatem Octavii redegit: idem præterea quidquid Dalmatię in ditionem Romanorum erat ad ejusdem Octavii imperium adjunxit. Hęc fuit quarta obsidio Salonæ tertio captę, coactęque a Pompejanis, ad quos transierat, redire ad Cęsarianos. Cęterum Dalmatiam omnem, non solum quę Romanis parebat, sed etiam quæ adhuc sui juris erat, suisque legibus utebatur, quamvis hæc paullo post in libertatem se vindicaverit, ab Asinio Pollione subjugatam fuisse tradere videtur L. Florus: *Hos*, idest Dalmatas, *jam quidem Marcius incensa urbe Delminio detruncaverat; postea Asinius Pollio, gregibus, armis, agris multaverat.* De Salonis autem per Pollionem captis auctorem habemus Servium Virgilii Scholiasten: *Asinius Pollio Ductor Germanici exercitus, cum post capeas Salonas Dalmatiæ civitatem, primo meruisse lauream, post etiam Consulatum adeptus fuisset, eodem anno suscepit filium, quem a capta civitate Saloninum vocavit, cui nunc Virgilius Genethliacon dicit.* Idem confirmat Horatius Od. 1. lib. 2. triumphum commemorans, quem Pollio ob victos Salonitanos & Dalmatas gessit: *Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho.* Ante Consulatum & Salonas Dalmatiamque cepisse, & de Salonitanis ac Dalmatis triumphasse Servius docet: *Pervenerat autem ad Consulatum post triumphum Dalmaticum, nam vicerat Salonas Dalmatiæ civitatem.* C. Asinius Pollio cum Cn. Domitio Corvino gessit Consulatum anno ante Christum 40. Itaque ad annum superiorem referas oportet triumphum Dalmaticum; victoriam vero de Salonitanis & Dalmatis relatam conjicias licet vel in annum eumdem, vel in eum, qui huic proxime antecessit, fuitque annus 42. ante æram vulgarem, quo quidem anno Octavius Cæsar & M. Antonius Cassio & Bruto interfectis Macedoniam occuparunt. Pollioni autem jam Consuli natus est filius C. Asinius Gallus, cui parens cognomen Salonini a captis Salonis imposuit. Eodem autem anno, quo Consul fuit, & Horatius ejus laudes ode prima libri secundi celebravit, & Virgilius ejus filii natalitia Genethliaco exornavit, quod est Ecloga quarta Virgiliana, quæ inscribitur Pollio.

C. Asinius Pollio jussus ab Octavio Cæsare Provincias Illyricam recuperare.

Hinc de Salona perpetuo fuit in fide ac potestate Octavii Cæsaris, ad quem, post M. Antonium

nium navali apud Actium prælio devictum anno ante Christum altero & trigesimo, totius imperii summa pervenit. Multa deinceps bella partim per se, partim per suos Duces cum Dalmatis gessit, qui cum iterum ac sæpius ab imperio deficerent, anno æræ vulgaris sexto, Salona quintam obsidionem a Dalmatis rebellibus sustinuit. Nam Bato Dux Dalmatarum Salonam ut Romanis adimeret, de improviso adortus tumultuaria suorum manu circumsedit, & vi magis atque impressione, quam justi more belli oppugnavit. Sed dum Salonitani fortiter se defendunt, ac subeuntem hostem omni telorum genere arcent, ac repulsant, Batoni ante alios dimicanti lapis e balista emissus haud leve vulnus inflixit; quo ille ictu perculsus, ac saucius, copias ab urbis obsidione deduxit; & bifariam divisas partim apud se retinuit, partim oram maritimam depopulatum dimisit. Hæc breviter Dio lib. 55. *Interim Bato Dalmata ad Salonas agmine ducto, graviter saxo ictus, infectaque re alios emisit, qui maritimis omnibus usque ad Apolloniam vastatis, cum Romanis prælio congressi, victique primum, deinde eos ipsi vicissim superavere.* Alias deinde oppugnationes ante supremum excidium Salona pertulit, quas hic commemorare non est necessarium; quippe cum ad posteriores ætates Historiæ Salonitanæ pertineant, ad quas cum ventum erit, suis quæque locis describentur.

Bato Dux Dalmatarum dum Salonam obsidet, saucietur, & obsidionem solvere cogitur.

§. IV.

Salona eximie a Romanis culta & ornata.

ROmani Salonam adepti cum essent anno ante Christum 78. M. Æmilio Lepido, & Q. Lutatio Catulo Cos., urbis situ & forma, portus amplitudine & capacitate, agri fertilitate, cœlique temperie mirifice delectati, ad eamdem tum incolis augendam, tum ædificiis ornandam, tum denique militaribus operibus ac munitionibus firmandam plurimum studii operæque contulerunt. *Salona*, ait Topographus Magni Regni Hungariæ, *complexa est quidquid magnificentiæ in suas colonias conferre noverant Romani, uti veteres Inscriptiones a Grutero, Reinesio, aliisque collectæ abunde testantur.* Sed in primis positio urbis mire idonea & opportuna vel ad maris possessionem usurpandam retinendamque, vel ad merces sive maritimas sive mediterraneas excipiendas, & ultra mare in Italiam, Græciam, atque Asiam, ultraque alpes in Pannoniam transferendas Romanos allexit ac perpulit, ut hanc urbem & magni facerent, & summopere diligerent, in ejusque commodis atque ornamentis amplificandis multum curæ operæque impenderent. Urbis hujus situm, opportunitatem, magnificentiam egregie commendat Historicus Dalmata lib. 1. cap. 6. *Quia vero situs Salonæ Romanis opportunissimus fuit, ideo brevi tempore cæteras Illyrici civitates præcelluit, ut ruinæ ipsius demonstrant; magnificentiam vero ejusdem declarant Amphitheatri, Templorum, Æquæductus, & aliorum ædificiorum vestigia, nec non numerus pene infinitus columnarum, lapidumque sepulchralium, & varii generis marmorum per diversa Dalmatiæ loca transportatorum, inscriptionumque insignium fragmenta testantur. Hanc figuræ oblongæ fuisse, præter id, quod hæ ipsæ ruinæ per fluminis Jadri ripas sparsæ indicant, eleganter cecinit Lucanus lib. 4. Pharsalic.*

Romanorum studia in augenda ornandaque urbe Salonitana.

Situs Salonæ Romanis opportunus.

Urbis magnificentia.

Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas,
Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader.

Hic utpote in loco cæteris commodiori, navalia extiterunt, portus tutus, & ex proximo flumine in ipsum influente habitatoribus & nautis aptissimus fuit; cum Jader piscium ferax, quamvis parvo spatio navigabilis sit, pluribus tamen in locis ex saxosis ripis cadente flumine, lacus profundos & cavernosos, atque ob id piscosos, ac Molas frumentarias in promptu habuit. Ad expeditiones quoque in mediterraneas partes faciendas, & ad Danubium usque res deferendas, & inde recipiendas opportunissimo loco Salona sita erat; nam quamvis Danubio non adeo proxima fuerit, ut Narona, & Epidaurus, cum tamen inter has & Danubium ac Savi confluentem, Scardi montis asperrima juga interponantur, hæcque commeantibus difficilia sint, hinc factum est, ut relictis Salona ad Savum transitus, deinde secundo Savo ad Danubii sive Istri confluentem, omnium opportunissimus esset; & quo magis per Illyricum bella intercedebant, vel Romanorum dominium Septemtrionem versus dilatabatur, eo magis Salona frequentaretur: nam licet portus ipse præternavigantibus opportunus non sit, uti Jadræ & Epidauri, tamen in Dalmatia quidquam negotii habentibus, Salona quasi necessario adeunda erat; cum Naronam alterum conventum, difficile mari, ob Promontorii Nesti longitudinem, & non longe a Salonæ prospectu præterire oporteret, & difficilius adverso flumine perveniretur; ob id Dalmatiæ rerum summam Salonam deductam fuisse censeri debet, prout Liburniæ Jadram.

Navalia & portus Salonæ.

Urbis frequentia.

Rerum Dalmaticarum summa Salonam reducta.

Itaque Salona, cum urbs & natura loci cœlique fertili ac salubri, & situ esset tum communito, tum præclaro ad aspectum, postquam in fidem ac ditionem Romanorum concessit, descriptione ædificiorum & pulchritudine, civium & incolarum numero, bellicis opibus & præsidiis, commercio & divitiis facile reliquas omnes Dalmatiæ urbes antecelluit. Ac primum quidem ad hujus civitatis dignitatem & frequentiam augendam accessit deductio coloniæ Romanæ ibidem constitutæ, ut docent antiquæ inscriptiones. Vetus fuit apud Romanos consuetudo coloniarum deducendarum, & perpetuo retenta, & inde usque ab Romulo accepta, qui urbes bello captas, teste Dionysio lib. 2. neque diruere, neque in servitutem addicere solebat; sed plerumque in eas colonos ab urbe deduxit, iisque & sedes & agros viritim divisit. Qua quidem re, cum alias plurimas utilitates haberet, tum ad provincias urbesque armis acquisitas in potestate retinendas, imperiique fines tuendos, nihil accommodatius & sapientius excogitari potuit. Erant enim coloniæ tum quoddam veluti propugnaculum imperii Romani nationibus finitimis & nondum subactis oppositum; tum quoddam quasi frænum indigenis ad imperium recenter adjunctis injectum, quo in fide atque officio continerentur. Permagni enim Reipublicæ intererat oppida bello parta in locis tam longinquis, tam diversis, non solum militum præsidiis, sed etiam incolarum illuc missorum fide, vigilantia, virtute firmari; hos quippe communio generis & sanguinis Romani, innata erga Patriam, unde discesserant, charitas, domicilii & agri gratuita largitio admonebat, ut urbem sibi ad incolendum traditam, contra hostes intestinos pariter externosque tum suis præsidiis ac vigiliis, tum maxime sua fidelitate ac benevolentia munirent, atque intelligerent se in eo loco, tamquam in spe-

Colonia Salonam ex urbe deducta.

De Coloniis Romanis, earumque origine & utilitate.

Digitized by Google

ſpecula, collocatos eſſe, ut populum Romanum ab hac parte ſecurum redderent, perpetuas pro illo excubias agerent, ejuſque ditionem ac fines defenderent; præſertim cum id officii ac vigilantiæ ab illis non ſolum communis Reipublicæ cauſa, ſed ſuæ ipſorum utilitas poſtularet: neque enim populus Romanus urbes ac provincias jure belli adeptas amittere poterat, quin coloni in eas deducti agrorum ac ſedium, quibus donati fuerant, poſſeſſione depellerentur. Cum igitur Provincia Illyrica, & quas huic Romani adjecerant, maritimæ urbes Dalmatiæ, perpetuis Dalmatarum incurſionibus expoſitæ eſſent; Romani ſimulatque Salona potiti ſunt, nihil prius ſibi faciendum putarunt, quam ut ibidem coloniam conſtituerent, quæ tum urbi, tum univerſæ provinciæ, præſidio foret ac propugnaculo, & ferociſſimas illas gentes, atque inimiciſſimas Romani nominis a vaſtatione, incendiis, rapinis coerceret. Duplex genus coloniarum fuit; aliæ Romanæ, aliæ Latinæ dicebantur; ſunt qui tertio loco Italicas adjiciant. Romanæ Latinis dignitate præſtabant; conſtabant ſiquidem e civibus Romanis; in eas enim qui nomina dediſſent, ſi Romani eſſent, jus civitatis retinebant; ſi alienigenæ, civitate Romana donabantur; contra vero qui cives Romani in colonias Latinas, *aut ſua voluntate, aut legis multa*, ut Tullius ait, proficiſcebantur, civitatem amittebant. Romani autem coloni, cum civitatis participes eſſent, & jus ferendi in comitiis ſuffragii obtinebant, & iiſdem, quibus cives Romani, tum legibus atque oneribus ſuberant, tum privilegiis & immunitatibus fruebantur. Hujus primarii generis fuiſſe coloniam Salonitanam Hirtius de bello Alex. cap. 13. ſatis perſpicue declarat: *Salonam*, inquit, *cives Romani fortiſſimi fideliſſimique incolebant*. Itaque Coloni ex urbe Salonam deducti, cum *cives Romani* appellentur, & nomen & jura civium Romanorum retinuerunt; & colonia Salonitana inter colonias Romanas numerum ac locum obtinuit. Coloniis imponi ſolebant varia cognomina, vel ab iis, qui eas aut condiderant, aut renovaverant, vel aliunde mutuata. Extat vetus inſcriptio apud Gruterum, alioſque Salonæ reperta, in qua coloniæ Salonitanæ duo adſcripta cognomina *Martia*, & *Juliæ*; itemque apud Goltzium nummus Claudii extat, in quo grandibus litteris inciſum eſt: COL. JUL. SALONA. Martiæ nomen Salonæ a Marte bellorum Præſide honoris ergo tributum fuiſſe arbitror, eoque ſignificari puto urbem illam belliçis opibus ac laudibus floruiſſe; nam & Legio Martia ab eo Numine traxiſſe nomen Tullio viſa eſt; a quo populum Romanum generatum accepimus. Alterum Juliæ cognomen eidem videtur inditum eſſe ab Julio Cæſare, qui per plures annos e decreto Senatus Provinciam Illyricam cum utraque Gallia adminiſtravit, non quod ille hanc coloniam primum condiderit, nam ante annos fere viginti deductam fuiſſe arbitror, ſtatim atque Salona in Romanorum poteſtatem conceſſit; ſed quod eam vel renovaverit, vel civibus Romanis auxerit, vel cum antea juris Latini eſſet, jure ac civitate Romana donaverit. Negabat quidem Tullius Philip. 2. in eam coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis, coloniam novam jure deduci; ſed veteres colonias renovari, augeri, & Romanas e Latinis fieri lex nulla prohibebat. Quamobrem Romani cives, qui Salonam incolebant, Cæſare auctore atque auſpice ſeu recenter Romani illuc deducti, ſeu civitate Romana donati, in bello civili obſequentes ſe Cæſari, ac fideliſſimos præbuerunt, & memoriæ gratique animi cauſa ſuam coloniam ejuſdem nomine appellari voluerunt. Alia & plura nec minus illuſtria cognomina coloniæ Salonitanæ adſcripta exhibet nummus alter apud Ligorium cum hac epigraphe: *Col. Claudia, Auguſta, Pia Veter. Salona*. Cognomen *Claudiæ* indicio eſt Salonitanam coloniam Veteranis militibus ſuperinductis auctam & renovatam fuiſſe a Claudio vel primo vel ſecundo hujus nominis Romano Imperatore, qui eamdem non proprio ſolum, ſed communi etiam omnium Imperatorum nomine donaverit, ac titulo *Auguſtæ* impertierit, cum in urbem agrumque Salonitanum Veteranos deduxiſſet. Pedites vicenis, equites denis ſtipendiis jam confectis, viceſimo aut decimo militiæ anno dimitti, & Veterani appellari ſolebant. His præmii, honeſtique otii cauſa ſedes & agri dabantur vel in ſolo devictis hoſtibus adempto, vel in antiquis coloniis, in quibus Romani agros aut publicos, aut poſſeſſoribus vacuos, aut pecunia coemptos militibus emeritis dividebant.

Itaque Claudius Imperator, ille idem fortaſſis, qui Sicum in urbem Dalmatiæ, ut tradit Plinius, *Veteranos miſit*, apud Salonam quoque aliis militibus, poſt expleta ſtipendia juſtam debitamque miſſionem adeptis, domicilia & agros aſſignavit. Idcirco autem Colonia Salonitana dicta eſt *Pia*, quod pietatis officio functa eſſet adverſus eos, quos ſenio, belliciſque laboribus confectos ſuo veluti ſinu complexuque exceperat, iiſdemque receptum præbuerat, ubi requieſcerent a muneribus, & reliquam ætatem rebus omnibus ad victum & cultum neceſſariis inſtructi, commode pacateque tranſigerent. Cæterum illius nummi Ligoriani fidem in dubium ac ſuſpicionem vocat Harduinus; & ſpuriuſne ſit, an germanus dubitari poſſe exiſtimat.

Illud etiam ad Salonæ celebritatem ac ſplendorem pertinet, quod Romani unum e tribus Illyricis Conventibus huic civitati affixerint. Huic verbo, cum Conventum dicimus, ad rem hujus loci quod attinet, ſubjecta triplex notio eſt. Nam primum hoc vocabulo ſignificatur civitas illa, in qua, qui pro prætore aut pro conſule præerant provinciæ, conſiſtere, & conventum agere, populiſque regionis circumpoſitæ illuc ad diem præſtitutam convocatis jus dicere ſolebant: quam ſententiam huic voci ſubjecit Julius Cæſar, cum lib. 3. de Bel. Civ. cap. 3. Salonam appellavit *Conventum Salonarum*, quem M. Octavius neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi a Cæſaris amicitia avertere potuit. Deinde eodem Conventus nomine intelligi ſolet regio ipſa ſeu Diœceſis, ex qua populi in urbem, quæ totius regionis ſeu Diœceſeos caput erat, ad eum diem, quem Prætor vel Proconſul edixerat, juris petundi, agendæque ſuæ & publicæ rei cauſa confluebant. Hæc ſignificatio ſubeſt huic vocabulo, cum dicimus quamlibet provinciam antiquitus in plures Conventus diviſam fuiſſe. Demum ipſa populorum in unum locum coitio & congregatio ſive ad conſultandum de rebus publicis, ſive ad jus privatum liti atque judicio perſequendum, ſive ad creandos magiſtratus, ſive ad alia hujuſmodi negotia obeunda, magis proprie riteque appellari Conventus ſolebat. De ratione Conventuum peragendorum, ac de tribus Illyricis conventibus Naroniano, Salonitano, Scardonitano ſatis multa diximus par. 2. c. 3. §. 3. & cap. 4. §. 1.

Ante

Colonia alia Romana alia Latina.

Salonitana Colonia erat Romana, ideſt civium Romanorum;

cognominata eſt Martia & Julia cur.

Col. item Salonit. Claudia, Auguſta, Pia Veteranorum.

Veterani qui.

Claudius Veteranos milites in Coloniam Salonitanam induxit.

Conventus quid ſit.

Ante captas Salonas, & Conventum Salonarum inſtitutum, Conventus Naronianus nobilis erat multoque celeberrimus, ad quem civitates novem omnino & octoginta ventitaſſe auctor eſt M. Varro apud Plinium. Sed poſtea Salona cum propter urbis opulentiam ac dignitatem, tum maxime propter ſitus majorem ad conveniendum opportunitatem, omnes fere populos citra Naronem fluvium Naroniano ademptos ad ſuum Concilium pertraxit. Itaque quantum Naroniano detractum eſt, tantundem frequentiæ ac celebritatis conventui Salonitano accrevit. Huc revoca, quæ ſupra ex Hiſtorico Dalmata deſcripſimus de opportunitate ac neceſſitate urbis Salonitanæ adeundæ, quæ quidem *eo magis frequentabatur*, ut idem ille auctor præclare admonet, *quo magis Romanorum dominium Septemtrionem verſus dilatabatur; & in Dalmatiam quidquam negotii habentibus, Salona quaſi neceſſario adeunda erat*, ac demum *Dalmatiæ rerum ſummam Salonam deductam fuiſſe cenſeri debet*. Plinius conventui Salonitano hos populos attribuit, *deſcriptos in centurias ccclxxii. Dalmatas proprie dictos, xxii. Decumos, ccxxxix. Ditiones, lxix. Mezæos*, lii. *Sardiatas; ex inſulis Iſſæos, Colentinos, Separos, Epetinos*.

Salonitanus Illyricorum Conventum præ ſtantiſſimus.

Populi Conventus Salonitani.

Cæſar Octavianus Auguſtus poſt initum Triumviratum eodem tempore tum ad Pompejanas reliquias bello delendas, tum ad Salonam recuperandam curas omnes vireſque convertit. Itaque urbem illam a C. Aſinio Pollione acriter obſeſſam vehementerque oppugnatam demum in ſuam poteſtatem redegit; tanti ſua putabat intereſſe hujus civitatis poſſeſſionem adipiſci. Nec vero a Salonitanis aut fides erga Cæſarem, aut obſequium deſuit; quippe cum & præclaram operam illi ad reliquam Dalmatiam ſubjugandam præbuerint, & Batone Dalmatarum Duce repulſo, urbem illam in ejuſdem poteſtate retinuerunt. Quamobrem dubitari non poteſt, quin Auguſtus & Salonam, quam plurimi faciebat, & Salonitanos egregie de ſe merikos, quibuſcumque poſſet rebus perquam ſtudioſe ornaret; & quidquid ad eorum commoda utilitateſque pertineret, large ac liberaliter præſtiterit. Præterea Auguſtus, ut ædificandi moleſque exſtruendi mira tenebatur cupiditate, eratque in primis publicæ magnificentiæ ſtudioſus, cum alias urbes, tum præcipue Romam tam multis ac magnificis operibus exornavit, ut ſecundus illius conditor paterque Patriæ jure diceretur; & moriens gloriari potuerit ſe Romam e lateritia marmoream relinquere: non eſt autem verilimile, ut nullam ſuæ liberalitatis ac magnificentiæ partem in urbem Salonarum derivaverit, quam maximopere dilexit, eamque in ſua eſſe poteſtate præclarum ſibi ducebat. Quare & novis munitionibus belliciſque operibus magis magiſque ab eo firmatam, & publicis ædificiis ingenti mole ſumptuque exſtructis auctam fuiſſe exiſtimo; ac præſertim Salonitanos Aquæductus altis egregieque elaboratis porticibus impoſitos Auguſto tribuendos puto, qui maximam aquarum vim longe deductam, tubiſque plumbeis incluſam tota urbe circumferebant. Idem vero Auguſtus, cum apud Ravennam ad cuſtodiam ſuperi maris claſſem collocaverit, aliquid curæ operæque contulerit opinor ad muniendum, reddendumque commodiorem portum Salonitanum, quo eadem Ravennatium claſſis, quæ, ut tradit Svetonius, *Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa navigatione conſueverat*, ſe recipere poſſet, ſi quando vel tempeſtate aliqua ingruente, vel nautici commeatus inſtrumentique comparandi neceſſitas ad terram appellere cogeretur. Id certe utilitatis commodique Auguſtus Salonæ præſtitit, quod plures vias ex illa urbe quaquaverſum ferentes, more Romano lapidibus ſtraverit, milliaribus diſtinxerit, egregieque munierit, quæ iter expeditum, facilemque acceſſum præbebant tum Magiſtratibus conventus habendi cauſa Salonam adeuntibus, tum negotiatoribus ultro citroque commeantibus ad merces aut importandas aut evehendas; tum denique militibus vel Salonæ præſidio miſſis, vel inde in aliquam expeditionem proficiſci juſſis, a quibus denominatæ ſunt viæ militares. Id teſtantur fragmenta veterum inſcriptionum, ex quibus quamvis propter exeſas vetuſtate litteras integra & perfecta ſententia elici nequeat, ſatis tamen intelligi poteſt commemorari ibidem vias Salonitanas, quas Auguſtus, aut certe Tiberius ſucceſſor idemque filius adoptivus Auguſti, aut primus aperuit ſtravitque, aut refecit ac renovavit. Tabulas lapideas, in quibus inciſæ ſunt hujuſmodi deſcriptiones, e Salonæ ruderibus effoſſas Turri, quam vocant Campanariam, ædis Metropolitanæ Spalatenſis, poſteritas innexuit. Eas indidem exſcriptas huc transferre operæ pretium eſſe viſum eſt.

Augusti erga Salonitanos ſtudium & munificentia.

Via Salonitana ab Auguſto magnifice ſtrata.

Tab. I.

ÆSAR. D. AUG. F.
GUSTUS. IMP. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XXI. . . SIII.
VIAM. AB. SALONIS. AD. LIII. . . ASTEL.
DAESITIATIUM. PER. M. . . VUSU.
CLVI. MUNII. . . . . .
ET. IDEM. VIAM. AD. I..AI. . . ALN.
QUOD. DIVI. F. III. . . IBUS.
A. SALONIS. MUNII. . . RIB.
CIVITI.

Tab. II.

CUJUS. VIAI. MILLIA. PASSUS. SUNT.
CLXVII. MUNIT. PER. VEXILLARIOS.
LEG. VII. ET. XI.
ITBM. VIAM. GABINIANAM.
AB. SALONIS. ANDETRIUM. APERUIT
ET. MUNIT. PER. LEG. VII.

Tab. III.

MUNIT. LUM. MONTEM.
DIVONUM.
MILLIA. PASSUUM.
LXXVII. D.
A. LEG. PRO.

Tab. IV.

ESAR. DIVI. AUG. III.
USTUS. IMP. PONT. MAX.
OTEST. XIIX. CO. II.
A. COLONIA. SALONITANA.

Cæteri deinceps poſt Auguſtum Imperatores ad præſidium, utilitatem, ornatumque urbis Salonitanæ an aliquid contulerint, necne, litteris ac memoriæ proditum non eſt. Altero poſt Chriſtum ſæculo, cum conventus fieri deſierunt, ratioque illa peragrandi adminiſtrandique provincias deſuetudine paullatim exſolevit, tum veri propriique nominis Metropoles inſtitui cœpere, ad quas & totius Provincialis regiminis ſumma revocata, & Proprætoris ſeu Præſidis, aut Proconſulis ſedes perpetua ac ſtabilis affixa eſt. Metropolis quaſi mater civitas dicta eſt, ſive quod, ut docet Budæus, cum ex ea coloniæ deductæ eſſent, quales multæ Athenis, & ab urbe Roma,

Metropolis quid ſit?

Digitized by Google

mi; eorum veluti mater dici atque haberi soleret; sive quod civitas princeps esset totius provinciæ, quam cæteræ omnes urbes sic tamquam parentem colerent, ab ea & jura & leges acciperent, eique honorem atque obsequium deferrent. Quæ posterior significatio in eas Metropoles potissimum quadrat, quas post sublatos conventus, veteremque provinciarum regendarum rationem antiquatam, institutas fuisse diximus. Erat Salona temporibus illis amplitudine ambitus, frequentia incolarum, descriptione ædificiorum & magnificentia, commercio, ac divitiis totius Dalmatiæ facile princeps; eratque in Dalmatia fere media inter Arsiam ac Drilonem locata, æquali propemodum spatio utrinque disjuncta; quæ urbis regio ac situs ad Salonam undique, & ex omnibus provinciæ locis seu publici seu privati negotii causa adeundam mire opportunum se præbebat. Quare cum tot tamque præclara commoda & ornamenta in unam Salonam convenirent, nullus dubito, quin una hæc ex omnibus Dalmatiæ civitatibus delecta fuerit, quæ jus ac titulum Metropoleos obtineret. Hanc dignitatem Salonæ attribuit Constantinus Porphyrogenitus, cum cap. 30. hanc urbem *totius Dalmatiæ caput* fuisse scripsit. Hic igitur ædes Prætoriæ, sive domicilium ac sedes erat supremi Dalmatiæ Magistratus, qui primum Prætoris, deinde Præsidis, interdum etiam Proconsulis nomine ornabatur; hic ærarium, hic forum, hic curia, quo rerum omnium provincialium summa referebatur. Post conditas Metropoles, Didius Julianus, is, qui post Pertinacem anno 193. bimestre imperium tenuit, primus fortasse fuit, qui certam Salonæ ac stabilem sedem habuit, de quo Ælius Spartianus: *Inde Dalmatiam regendam accepit, eamque a consimilibus hostibus vendicavit*. Post hunc Apronianus parens Dionis Historici, tertio sæculo ineunte, residens in urbe Salona Dalmatiæ præfuit; deinde post aliquot annos interjectos, Dio Cassius Coccejus Historicus filius Aproniani; postea Constantius Chlorus pater Constantini Magni; tum imperante Diocletiano Tarquinius, qui Præses Dalmatiæ appellatur in Actis S. Felicis. Post annos amplius centum & sexaginta, labente imperio occidentali, Leo primus Imperator Constantinopolitanus, cum Dalmatiam recuperasset, hujus regimini quem ipse præfecit, eum Magistrum militum nominavit, ut tradit Pancirolus in Notit. Imp. Occid. cap. 20. citans l. 4. C. de bon. quæ liber. Is more decessorum, ut credibile est, Salonæ in urbe totius Dalmatiæ Metropoli sedem suam constituit, itemque Marcellus, qui sub finem sæculi sexti, Mauritio imperante, cum titulo Proconsulis Provinciam Dalmaticam administravit. Posterioribus vero sæculis, Imperatores Constantinopolitani Prætores mittere consueverunt, qui Salonæ jus dicerent, in eaque urbe residentes, totius Provinciæ negotia gererent ac sustinerent. Verum ad superiores ætates, unde paullisper digressi sumus, regrediamur.

Salona facta est Metropolis totius Dalmatiæ.

Præsides Salonitani.

Diocletianus genere Dalmata, rerum potitus, nihil habuit antiquius, quam ut provinciam Dalmatiæ quantis maximis posset beneficiis & ornamentis afficeret; amabat enim unice patriam & cives suos. Ac primum quidem colonias Dalmaticas renovavit, ingenti civium multitudine ex urbe illuc deducta, variaque in urbes contributa; ex quo factum est, ut cum Dalmatia Romanorum referta esset, incolæ hujus regionis præsertim maritimæ Romani deinceps appellari cœperint. Id tradit Constantinus Porphyrogenitus de Admin. cap. 29. *Diocletianus Imperator summopere Dalmatiam amavit; quare etiam populi Romani colonias eo deduxit; populique illi Romani quoque nuncupati sunt; quippe qui Roma illuc commigrassent, manetque eis cognomen istud ad hodiernum usque diem*. Præterea tertio vel quarto ab Salona lapide magnificentissimum, ac molis immensæ Palatium exstruxit, in quo post imperium depositum vitam tranquillam omnibusque copiis ac deliciis affluentem exegit. Cum vero civis esset Salonitanus, natus quippe est in vico agri Salonitani, ut alio loco declarandum erit, nemo dubitaverit, opinor, quin ad eam urbem amplificandam ornandamque omni studio operaque incubuerit. Inerat Diocletiano, ut scripsit Lactantius de Mortib. Persec. cap. 7. *infinita quædam cupiditas ædificandi*; & cum immanes sumptus, quibus integras provincias exhausit, immensamque pecuniam insumpserit in illas insanas substructiones molesque Nicomedienses; Nicomediam quippe *studebat urbi Romæ coæquare*; nihilo segnius eum laborasse arbitror, & nihilo minus pecuniarum prodegisse, ut Salonam incolarum numero, ædificiorum magnificentia, rerum omnium, quas natura desiderat, abundantia & copia, cuilibet vel maximarum urbium parem faceret. Certe Diocletianus omnes urbis partes & descripsit elegantius, & magnificentius vel restituit, vel ornavit, ut ex vetere novam quamdam urbem effecisse videretur, & ipse alter parens & conditor Salonæ dici potuerit; id quod significare voluit Constantinus Porphyrogenitus loco cit. c. 30. cum scripsit *urbem Salonæ a Diocletiano Imperatore conditam fuisse*. Ad ornatum & pulchritudinem hujus civitatis plurimum contribuisse existimandi sunt cives Romani, qui vel primo ad constituendam, vel deinde ad renovandam coloniam Salonitanam, Roma Salonam migrarunt. Ex his haud paucos fuisse in primis nobiles atque opulentos declarant lapides sepulchrales sane multi, more ac stylo Romano inscripti, inventique in agro Salonitano, qui non vulgarium, & obscuri cuiusvis tenuisque fortunæ hominum, sed maxime illustrium & locupletum sepulchris honoris ac memoriæ causa apponi solebant. His autem credibile est, pro generis nobilitate & copia divitiarum, ædes sibi peramplas, elegantes, sumptuosas construxisse, in quibus non commode solum & laxe, sed magnifice etiam ac splendide habitarent. Ex hujusmodi autem ædium privatarum descriptione & pulchritudine, urbibus ad venustatem ac magnificentiam vel plurimum accedit.

Diocletianus Salonæ ornandæ augendæque studiosus.

Colonias plures Rom. in Dalmatia invexit.

Palatium apud Salonas condidit.

Restat, ut de publicis ædificiis ac fabricis Salonitanis opere ac molitione Romana exstructis pauca dicamus. Erat hoc in more positum institutoque Romanorum, cum ex urbe colonias aliquo deducerent, ut oppidum, in quo novi coloni constituendi erant, ad similitudinem speciemque urbis Romanæ, quam possent, aptissime conformarent; ac præsertim publica & celebriora urbis ædificia ad Romanum eorumdem exemplar ibidem condebant; veluti Forum, Curiam, theatrum, Capitolium, Templa, & alia id genus opera magnifica atque præclara, ut multi scriptores eruditi ac nobiles docent. Quod eo pertinebat, ut Romani in eam coloniam missi, imagine illius civitatis, in qua orti fuerant, perpetuo ante oculos obversante, tum dulcis jucundæque patriæ, quam reliquerant, desiderium lenirent; tum vero erga illam charitatem pristinam cum grata recordatione retinerent. Atqui non est cur dubites, an idem factitatum fuerit, idemque

Ædificia & fabricæ Salonitanæ.

de magnif. Rom. Lipsius; de magnit. Rom. Thysius.

mos

mos uſurpatus, cum nobiliſſima illa civium Romanorum colonia Salonæ vel primum conſtituta, vel deinde renovata fuit. Ex antiquis Romanis ædificiis Salonæ conditis nullius extat memoria, præterquam Amphitheatri, Navalis, ac Templi Jovis fortaſſe Capitolini. Ità omnia urbis ruina obruit, ac vetuſtas oblivione abolevit. Nobile olim Salonæ Amphitheatrum fuiſſe teſtantur ejuſdem veſtigia, quæ in ſuperiore urbis angulo, quo latus Occidentale cum Aquilonari conjungitur, adhuc viſuntur. Amphitheatrum erat ædificium figuræ rotundæ, aut ovatæ, conſtans e duobus theatris ad hemicycli ſpeciem exſtructis, ſimulque commiſſis & conjunctis, introrſum variis undique ſubſelliorum graduumve ordinibus ab imo ad ſummum latiori ſemper ambitu aſſurgens, coque perfectum artificio, ut ex qualibet parte facilis eſſet deſpectus in aream ſubjectam atque intermediam: *Amphitheatrum quaſi in unum juncta duo viſoria, recte conſtat eſſe nominatum.* Caſſiodorus Var. v. 42. *Amphitheatrum dictum, quod ex duobus theatris ſit factum. Nam amphitheatrum rotundum eſt.* Iſidorus XVIII. 52. Idem Caſſiodorus Amphitheatrum ovi ſimilitudinem ac ſpeciem referre ſcripſit. *Ovi ſpeciem ejus arena concludens, ut concurrentibus aptum daretur ſpatium, & ſpectantes omnia facilius viderent, dum quædam prolixa rotunditas univerſa colligeret.* In Amphitheatris gladiatorum ac ferarum inter ſe decertantium ſpectacula populo exhiberi, ludique cujuſque generis fieri ſolebant. Hujuſmodi ædificia quandonam Romæ conſtrui cœperint, non ſatis conſtat; ſunt, qui eorum originem ad tempora fere poſtrema reipublicę libertatiſque Romanæ referendam cenſeant. Ac primum quidem lignea fuere, & cum ludos gladiatorios edi oporteret, ad tempus exſtructa. Lapideum amphitheatrum Statilius Taurus, novus homo, ſed in primis pecunioſus, auctore & impulſore Auguſto, primus ære ſuo in monte Cęlio prope Campum Martium ſtruxit, ac dedicavit. Alterum immenſæ molis amphitheatrum, quod a coloſſo ſive ſimulachro Neronis ante illud poſito, Coloſſæum vocant, inter Cœlium & Exquilinum in urbe fere media ex lapide Tiburtino ædificare cœpit Flavius Veſpaſianus, perfecit vero dedicavitque & ſuo & patris nomine Titus Veſpaſiani filius, idemque in imperio ſucceſſor. Tertium denique Amphitheatrum in Campo Martio Trajanus exædificavit; quod paucis poſt annis Adrianus, *contra omnium vota*, ut ſcripſit Spartianus, *deſtruxit*. Ad Romanorum exemplar, alia deinceps atque alia in urbibus & coloniis Romanis Amphitheatra condi cœperunt, veluti Nemauſenſe in Gallia, Polenſe in Iſtria, Placentinum, & Veronenſe in Italia. Salonitani Amphitheatri conditi neque tempus, neque auctor proditur. Si quis ejuſdem ædificationem atque originem ad Diocletianum conditorem cenſeat referendam, mea quidem ſententia non longe a veritate aberraret.

Amphitheatrum Salonitanum.

Dio lib. 57. Romę tria amphitheatra lapidea.

ad quorum exemplar exſtructum eſt Saloniticum, & alia extra urbem.

Navalis Salonitani meminit Strabo, illudque perantiquum fuiſſe, conditumque, antequam Salona in poteſtatem Romanorum veniret, idem Strabo lib. 7. declaravit, cum ſcripſit hujuſmodi navale ad Dalmatas pertinuiſſe: *Tum ora maritima Dalmatarum, & Navale eorum Salona;* perinde quaſi civitas illa nihil aliud eſſet, niſi officina quædam totius rei navalis Dalmaticæ, in quam rerum omnium nauticarum ſumma ex tota Dalmatia confluereret. Navale igitur locus eſt navibus ædificandis reficiendiſque exſtructus, naviumque ipſarum ſtationi deſtinatus. Quamvis autem Navale Salonitanum fuerit opus antiquum Dalmatarum, teſte Strabone, a Romanis tamen & amplificatum eſt, & omni cujuſque generis nautico inſtrumento atque apparatu, rebuſque omnibus ad navigia fabricanda neceſſariis egregie ornatum ac refertum. Proxime aberat a portu Salonitano, ut facile naves illuc ſubduci, & indidem in mare immitti poſſent.

Navale Salonitanum.

Salonæ templum Jovis fuiſſe, ea mole ac magnificentia exſtructum, quæ digna eſſet hujus urbis amplitudine ac celebritate, teſtatur Dedicatio Aræ Jovis in antiquo lapide Romanis litteris inciſa; & quamvis interdum aræ ſine delubris ac ſub dio, ſed ferme ad breve tempus, exſtrui ac dedicari ſolerent; vix tamen aut templum ſine ara, aut ara ſine templo intelligi poteſt; ſiquidem iſta ferme reciprocantur, ut ſi ara Jovis Salonæ erat, templum quoque Jovis fuerit, viciſſimque ſi templum erat, ara itidem Jovis extiterit. Multa in urbe fuiſſe accepimus templa Jovis nomine conſecrata, veluti templum Jovis Feretrii, Jovis Statoris, Jovis Tonantis, Jovis Victoris, & alia plura; ſed templum Jovis Capitolini, quod Tarquinius Priſcus bello Sabino vovit inchoavitque, ſed Horatius Pulvillus Conſul perfecit ac dedicavit, anno altero poſt Reges exactos, unum reliquis omnibus vel antiquitate vel religione præſtabat. Cujus eſſet cognominis Jupiter, cui templum Salonitanum dedicatum erat, non liquet; in illo enim vetuſto Epigrammate infra deſcribendo Jupiter haud alio, quam communibus illis titulis *Optimi Maximi* ornatur. Si aliquid ædificii Salonæ fuit ſpeciem gerentis ac ſimilitudinem Capitolii Romani, id quod tantę urbis dignitas, amplitudo, frequentia requirere videbatur; ut ſuus Romę, ſic ſuus Salonæ fuerit oportet Jupiter Capitolinus, & huic ſuum utrobique templum conſtitutum. In hoc igitur templo Salonitano Cn. Domitius Valens Duumvir, C. Julio Severo Pontifice præeunte, aram Jovi Optimo Maximo ſolemni ritu ac cæremonia dedicavit VII. Idus Octobres L. Ælio Adriani filio Cæſare II. & P. Cęlio Balbino Vibulio Pio Coſs., ideſt anno æræ vulgaris 137. Id declarat vetus epigraphe, quam Romanis litteris inſculptam huic loco intexendam curavimus.

Templum Jovis Salonitani.

Dedicatio aręe templi Salonitani.

L. AELIO. CAESARE. II. P. COELIO.
BALBINO. VIBVLIO PIO. COS.
VII. IDVS. OCTOBRES.
C. DOMITIVS. VALENS. II. VIR. I. D.
PRAEVNTE. C. IVLIO. SEVERO. PONTIF.
LEGEM. DIXIT. IN. EA. VERBA. QVAE.
INFRA. SCRIPTA. SVNT.
IVPITER. OPTIME. MAXIME. QVANDOQVE. TIBI. HODIE. HANC. ARAM.
DABO. DEDICABOQ. OLLIS. LEGIB.
OLLISQVE. REGIONIBVS. DABO. DEDICABOQVE, QUAS. HIC. HODIE. PALAM.
DIXERO. VT. I. Infimum. ſolum. hujus. Aræ.
EST. Si. quis. Hic. Hoſtia. Sacrum. Faxit. Quod.
Magnen. Nec. Pro. Tollat. Idcirco. Tamen.
Probe. Factum. Eſto. Caeterae LEGES. Huic. Arae.
Eædem Sunto. Quae. Arae. Dianae. ſunt. In Aventino. Monte. Dictae. Hiſce. Legibus. Hiſce. Regionibus. Sicuti. Dixi. Hanc. Tibi. Aram. Iupiter. Optime. Maxime. Dico. Dedicoque, Vti. ſis. Volens. Propitius. Mihi. Collegiſq. Meis. Decurionibus. Colonis. Incolis. Coloniae. Martiae. Iuliae. Salonae. Conjugibus. Liberiſque. Noſtris.

Cum

Digitized by Google

Cum Veteres negarent eum locum civitatis nomine dignum esse habereque oportere, in quo cives non prætorium, non gymnasium, non theatrum, non forum, non balneum haberent, nihil horum Salonæ defuerit necesse est; quin pro urbis magnitudine ac præstantia & plura ejus generis ædificia, & sumptuosa omnino ac magnifica fuisse opinari licet. Triplicis generis officinas ad usum commodumque rei publicæ Salonæ institutas esse docet Notitia Dignitatum Imperii Occidentalis, videlicet Fabricam armorum, Baphium, & Gynæcium. Plures erant hujusmodi fabricæ, in quibus arma cujusque generis, alia in aliis fieri solebant; sex Illyrico Occidentali attributas invenio, Sirmiensem *Scutorum, Baliſtarum, & Armorum*; *Acinensem scutariam*; *Cornutensem Scutariam*; *Lauriacensem Scutariam*; *Salonitanam Armorum*, ad quam Pancirolus lib. 2. cap. 31. hanc notam apposuit: *Armorum autem nomine hic non gladii, ut alias continentur, l. armorum de ver. Sig. sed cassides, cataphractæ pectus tegentes, ocreæ, manicæ ferreæ, & similia.*

Officina Salonitana.

Officina armorum.

Baphium erat officina publica eorum opificum, qui vestibus Principum seu laneis sive sericis purpureo & coccineo succo tingendis operam dabant. Huic officinæ qui præerat, Procuratorem eum vocat Notitia, & subjicit sub illustrem Comitem Sacrarum Largitionum: *Novem alii*, inquit Pancirolus cap. 39. *sub eodem Comite Largitionum Occidentis erant Procuratores Baphiorum, in quibus totidem in locis purpura ad usum Principis, lana, & Sericum tingebantur; quod a privatis fieri primus Nero prohibuit, ut auctor est Tranquillus cap. 22. post quem alii Principes id capitali pœna imposita districtius vetarunt. Gratianus in l. 1. C. quæ res ven. non poss. ad Faustum Comitem Largitionum, fucandæ, inquit, aut distrahendæ purpuræ vel in serico, vel in lana facultatem nullam habere possit privatus: sin autem aliquid supradicti muricis vellus vendiderit, fortunarum & capitis sciat se subiturum discrimen.*

Baphium.

Gynæcium seu Textrinum, eſt locus interior ædium, in quo mulieres degere, & opera textoria ac muliebria exercere consueverunt. Dicitur ἀπὸ τῶν γυναικῶν, tum quod ibidem habitarent mulieres a viris secretę; tum quod textilium confectio ad mulieres magis, quam ad viros pertineat. Hujusmodi autem Gynęcia sive Textrina publica erant, variisque in locis instituta; & suus cujusque erat Procurator sub eodem Illustri Comite sacrarum Largitionum, qui rem vestiariam Principis ac militum curabat, & velis navium, stragulis, linteis, tentoriis conficiendis præerat; ad eumque potissimum spectabat universæ rei vestiariæ providere, ne quid ad ornatum splendoremque tum Imperatoris, tum Imperatorii Palatii desiderari posset, neve militares vestes deessent, quas singulis annis Imperatores militibus donare ac distribuere solebant. Hanc textrinam Diocletianus non Salonæ, sed Spalati ideſt in suo palatio instituerat; & quemadmodum se Jovem vel Jovium, & milites suos Jovianos appellabat; ita etiam Gynæcium ab se conditum Jovense denominari jussit. Ita enim scriptum est in Notitia: *Procurator Gynæcii Jovensis Dalmatiæ a Spalato.*

Gynæcium seu Textrinum.

Spalati institutum.

An vero sicut constituti fuerunt *sub Dispositione Viri illustris Comitis sacrarum Largitionum Procuratores Monetæ Scisciane, Aquilejensis &c.* sic etiam Procurator aliquis fuerit Monetæ Salonitanæ, Notitia nusquam commemorat, neque constat, an Salonæ instituta esset officina monetæ cudendæ signandæque; & si qua fuit, certe non erat eo loco, ubi fuisse vulgo dicitur, videlicet in suburbiis propter viam, quæ Salona est Andetrium, sive ad castellum, quod nunc Clissam vocant. Nam hujusmodi officinæ non in locis suburbanis hostili direptioni expositis, sed intra urbis mœnia, & in loco egregie munito ædificari solebant.

An Salonæ aliqua fuerit officina monetalis.

Erat Salona ærarium publicum, ideſt locus, in quem pecunia vectigalis totius provinciæ inferebatur, inde in stipendia militum, magistratuum, aliosque reipublicæ usus eroganda. Hunc vocabant *Thesaurum. Exacta ex oppidorum vectigalibus pecunia*, ut docet Pancirolus cap. 36. *in munitum provinciæ locum deferebatur, inde ad Comitatum mittenda. Locus ille Thesaurus vocabatur; ejus custodes Thesaurenses; & qui præcipuam eorum curam habebant Thesaurorum Præpositi, qui XII. hic recitantur, quot erant Thesauri, seu loca, in quibus summa pecuniæ ex provincia exacta conservabatur.* In Notitia inter Præpositos Thesaurorum sub Comite sacrarum Largitionum, primum locum obtinet *Præpositus Thesaurorum Salonitanorum Dalmatiæ.*

Thesaurus Salonitanus.

Sub Dispositione Viri illustris Comitis Rerum Privatarum erant tum Rationales, tum Procuratores rei privatæ. Res privata idem est, ac Patrimonium Principis. Ut in Provinciis Rationales exactæ pecuniæ, quæ ad principem spectabat, rationes summamque in codices referebant; sic Procuratores redditus Principis & bona administrabant. Unus erat Rationalis rerum privatarum per Illyricum; unus itidem erat Procurator rei privatæ per Dalmatiam; hic vero quamvis rei privatæ curandæ administrandæq; causa statis temporibus provinciam peragraret, Salonæ tamen domicilium habuisse credibile est. Ad extremum Salonas Imperatorum hanc urbem adeuntium præsentia, ac sæpe diuturna commoratione nobilitatas fuisse, tum historia Diocletiani a nobis describenda declarabit, tum variæ leges ibidem datæ, relatæque in Codices Theodosianum & Justinianæum testantur. Sed hæc alias.

Procurator rei privatæ per Dalmatiam.

CAPUT II.

Quem gradum in Hierarchia Pontificali S. Domnius, & Ecclesia Salonitana obtinuerit. De Hierarchia ecclesiastica Episcoporum & ecclesiarum Ordinibus quatuor distincta.

PRiusquam de Salonitano S. Domnii Pontificatu dicere aggrediar, pretium operæ duxi de singulis Hierarchiæ Pontificiæ gradibus ab initio Ecclesiæ constitutis, Romanæque Sedis fastigio subjectis, pauca præfari; quæ quidem cum ab aliis eruditissimis Scriptoribus fusius & accuratius disputata fuerint, nolim tamen hoc loco videri supervacanea, minimeque necessaria. Neque enim doctis tantum hominibus, & hujusmodi rerum scientissimis scribimus, sed ad illos potissimum e nostris scriptis aliquid utilitatis derivari cupimus, quibus neque veterum ecclesiasticarum rerum cognitio inest admodum exquisita, & ex intimis antiquitatis adytis deprompta, neque ad manum esse solent doctissimorum Viro-

Digitized by Google

rum volumina, unde hæc addiscant; & præterea tanta est rerum copia & varietas, tot tantisque implexa difficultatibus, cujusvis ut hominis non sit, aut perlegere omnia, aut intelligentia complecti, aut memoria custodire; quo fit, ut complures ab hujusmodi librorum lectione abhorreant, multi epitomam aliquam desiderent, ubi quidquid est in hoc argumento maxime necessarium & dignum cognitu, breviter atque ordine comprehendatur. Id nos præstare conabimur, remque lectoribus pergratam perque jucundam fore speravimus, si quæ ab aliis late & fuse pertractata sunt, & variis libris dispersa, in unum locum summatim collecta, ratione quadam & distributione sub uno aspectu ponerentur. Nec vero ab re nostra longius digredimur, quam necesse sit, ut quæ generatim atque universe disseremus de Hierarchia Pontificali, viam sternant ad planius explicanda, lumenque præferant ad facilius intelligenda, quæ speciatim dicturi sumus de Pontificatu Salonitano S. Domnii.

Cum unus idemque in omnibus Ecclesiæ Hierarchis ordo sit atque character Episcopalis, in quo totius Christiani Sacerdotii plenitudo & perfectio continetur; multis tamen variisque gradibus distinguitur, quorum alii alios dignitate & jurisdictione supereminent. Hierarchiæ ecclesiasticæ fastigium unus tenet Romanus Pontifex, cujus œcumenicæ potestati reliquos omnes cujuscumque gradus Episcopos, & quidquid usquam Christianorum est, Christus Dominus subjecit. Huic proxime accedunt Patriarchæ & Exarchi sive Primates; inter quos id est discriminis, quod illorum latius, quam horum jurisdictio pateat; & illi quidem pluribus, hi vero paucioribus provinciis præsint. Sequuntur deinde Metropolitæ sive Archiepiscopi potestate pares inter se, & singuli singulis provinciis præpositi. Infimum Pontificii Ordinis gradum obtinent Episcopi, quorum auctoritas & potestas unam ferme civitatem, & oppida pagosve circumjectos complectitur. Ac tria quidem in hac re Pronunciata sive Dogmata ex præscripto fidei Divinæ certa mataque haberi oportet, quibus nemo repugnaverit, nisi qui inter hostes ecclesiæ catholicæ annumerari velit. Primum est Beato Petro totius rei Christianæ administrandæ summam potestatem, omniumq; ecclesiarum sollicitudinem a Christo ita collatam fuisse, ut eamdem jure veluti hæreditario ad eos transmitteret, qui deinceps in ejus locum, Romanamque cathedram succederent; alterum illud est, Episcopatum juris esse atque instituti divini; tertium denique, Episcopos cujusque gradus ex jure itidem divino, & gradu & potestate Presbyteris antecedere, quos *in secundo sacerdotio constitutos*, sive Sacerdotes *secundi Ordinis* Veteres dicebant, cum *apices & principes omnium Episcopi* appellari solerent. Quæ quidem omnia Catholici Scriptores firmissimis argumentis, partim e Sacro codice, partim e libris Sanctorum Patrum, partim ex Apostolica traditione, omniumque ætatum consensu depromptis, contra insanos hæreticorum impetus egregie communierunt. Totius itaque Christiani Sacerdotii auctor est ipsemet Christus sempiternus Dei filius, summus idem & immortalis sacerdos ac Pontifex, qui humana carne indutus, ut novam legem, novumque Sacerdotium conderet, cum Apostolos suos consecrasset Episcopos, suique muneris Pontificii Vicarios constituisset; jussit illos quidem in alios atque alios transfundere, quam ab se acceperant, sacerdotii plenitudinem ac potestatem; sed eorum arbitrio ac voluntati permisit, ut Evangelium toto orbe circumferentes, in iis locis, quos ad id aptos conferent, atque opportunos, Pontificias sedes fundarent, & Episcopos crearent: horum vero jurisdictionem, pro eo ac postularet sive nobilitas & frequentia locorum, sive utilitas & dignitas rei Christianæ, vel contraherent, certeque urbi, aut provinciæ affigerent, vel longe lateque in plures provincias extenderent. Hinc orta est, & constituta Descriptio Hierarchiæ Pontificalis, in qua post Pontificem Romanum totius Christiani Orbis Hierarcham, Patriarchæ amplissimum dignitatis & potestatis gradum obtinent, huic proximum Exarchi, tertium Metropolitæ, quartum Episcopi: nam Presbyteri, seu secundi ordinis sacerdotes, qui ad Christianam plebem erudiendam, sacrisque mysteriis impertiendam, ferme oppidis ac villis præfici solent, cum Episcopali charactere careant, non pertinent ad Hierarchiam Pontificiam, de qua nunc sermonem instituimus.

Pontifici Romano subjecti quatuor Episcoporum gradus, Patriarchæ, & Exarchi, Metropolitæ, & Episcopi.

Tria pronunciata orthodoxa.

Oportet Milevit. libr.

Origo Hierarchiæ Pontificiæ.

§. I.

De tribus Patriarchis.

Ac Petrus quidem Princeps Apostolorum, idemque totius Ecclesiæ summus Hierarcha sedes Patriarchales omnino tres instituit, Antiochenam, Romanam, Alexandrinam. Prima quindecim Orientis provincias sibi obnoxias & subjectas habuit. Altera quidquid amplissimo Occidentis vocabulo subest, Africam, Illyricum, Italiam, Galliam, Hispaniam, cum insulis vel adjacentibus vel interjectis, & cum Germania cæteras omnes Europæ ad Septemtrionem regiones, imperio suo coercet & continet: ad tertiam denique Ægyptus, Libya propria, & Pentapolis pertinebant. Sedem Antiochenam annos fere septem cum tenuisset, eam Evodio tradidit, cujus in locum aliquot post annis Ignatius Martyr successit. Ille in Occidentem profectus, Romæ secundam Cathedram collocavit, quo jure Patriarchico omnes Occidentales regiones complecteretur. Huic vero præter Patriarchalem, Oecumenicam etiam, quam a Christo acceperat, potestatem in perpetuum affixam esse voluit; quæ quidem potestas non aliis, nisi quibus Christianus Orbis, regionibus ac terminis definitur. Quare Pontifex Romanus, Divi Petri successor, omnes unus idemque Hierarchiæ Episcopalis gradus tenet, omnesque Pontificii muneris partes ac personas unus sustinet; nam idem est, vereque dicitur & Episcopus Romæ, & Metropolita Provinciæ Romanæ, & totius Italiæ Primas sive Exarchus, & Patriarcha demum universi Occidentis; quod commune illi est cum cæteris Patriarchis; cum enim nemo ignoret hos inter se gradus ita comparatos esse, ut superior inferiorem complectatur, qui Patriarchæ aut Primatis nomen ac potestatem adeptus plures provincias administrat, idem & peculiarem habet Provinciam, cui Metropolitico imperio præsidet, & propriam civitatem ac Parochiam, in qua omnia Episcopi munera & officia exsequitur. Hoc autem cæteris Patriarchis præstat Romanus Pontifex, quod illorum jurisdictio amplissimis quidem, certis tamen ac definitis regionibus continetur. Huic vero præter Patriarchalem, altera longe superior inest potestas & procuratio, eidem in persona B. Petri di-

Petrus tres sedes Patriarchales instituit.

Antiochiam per se ipse,

itemque Romam, qui œcumenicam totius Christiani orbis Principatum adiit,

Alexandrinam per Marcum suum Discipulum.

divinitus collata, quæ omnium Ecclesiarum solicitudinem complexa nullis limitibus circumscribitur. Post Patriarchatum totius Occidentis, itemque supremum Ecclesiæ universæ Principatum Romæ constitutum, quem idem Princeps Apostolorum annos ipsos quinque & viginti, ut communis fert opinio, usque ad suum ex hac vita discessum, retinuit, Marcum Evangelistam in Ægyptum misit, qui tertiam Patriarchalem Sedem Alexandrinam suo nomine fundaret ac teneret; quapropter jure meritoque hujus sedis institutio B. Petro adscribitur, cum ejus auctoritate jussuque per S. Marcum condita fuerit, eodemque atque Antiochena, & Romana titulo ac jure Patriarchali donata.

Ecclesia Romana prima omnium Patriarchalis Ecclesiarum.

Et Romana quidem Ecclesia non solum ob eam causam, quod jure divino omnium Ecclesiarum princeps sit ac magistra; sed etiam ob jus titulumque Patriarchicum, reliquis duabus itidem Patriarchalibus Ecclesiis semper prælata est, sive ob excellentiam illius civitatis, quæ totius Romani orbis caput, & omnium terrarum domina dicta est atque habita; sive quia multo latius, quam Antiochena & Alexandrina, jurisdictionem suam ac potestatem Patriarchalem explicat: quam quidem ob causam Patres Concilii Arelatensis anno 314. celebrati, in epistola ad Silvestrum, non unam, sed plures easque amplissimas diœceses eidem attribuunt: *Tu*, inquiunt, *qui majores Diœceses tenes*. Secundum Romanam Majores nostri primas honoris ac dignitatis ad sedem Alexandrinam deferebant, Antiochenæ idcirco antepositam, ut Baronius docet, *quod quantumlibet a Petro Antiochena Ecclesia ante Alexandrinam fuerit instituta, tamen quia Præfectura Alexandrina Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissime præ cæteris nobilitata, longe præstabat Syriæ Præfecturæ; ea de causa factum apparet, ut quamvis Sedes Antiochena, ante Alexandrinam a Marco nomine Petri erectam, fuerit instituta; tamen illi postposita habeatur. Sic etiam quoniam inter omnes Orientales Præfecturas Syriæ Proconsulatus præstabat, cum ejus provinciæ Metropolis esset Antiochia; inde etiam accidit, ut prima omnium Antiochena Ecclesia habeatur . . . Majores enim in instituendis sedibus Ecclesiarum non aliam inierunt rationem, quam secundum Provinciarum divisionem, & prærogativas a Romanis antea institutas*. Hactenus Baronius. Non desunt tamen, qui existiment Petrum, post Palæstinam Evangelii prædicatione peragratam, in Ægyptum venisse, & Alexandrinam Ecclesiam antea fundasse, regendamque Marco tradidisse, quam reversus in Asiam sedem Antiochenam instituerit, ac propterea huic illam honore ac dignitate prælatam fuisse.

Cur Alexandrina Antiochenæ prælata, &c.

Præter Petrum, nemo ex Apostolis Sedes Patriarchales instituit.

Nemo fuisse legitur ex Apostolis, qui Patriarchales Ecclesias fundaverit. Istuc juris ac potestatis uni Petro datum est, ut cum caput esset universæ Ecclesiæ, tria illa veluti secundaria capita Catholicæ fidei & communionis constitueret, quibus Episcopi & Christiani omnes, ubicumque terrarum essent, videlicet suo quique subderentur, sic prorsus, ut quicumque se ab suo capite sejungeret, is Ecclesia extoris, & ab universo Christianorum cœtu segregatus judicaretur; contra vero haud dubiam orthodoxæ fidei, Christianæque unitatis tesseram præ se ferre censebatur, qui cum suo Patriarcha recte sentiret, atque Ecclesiasticæ communionis vinculo necteretur. Quare Hieronymus, ut suam orthodoxiam probaret, Patriarchas appellavit in epistola ad Marcum; si enim hæreseos ipse sit damnandus, errare se ait cum Ægypto & Occidente, damnandumque esse cum Damaso Romano, & Petro Alexandrino, quibuscum ipse consentiebat: *Hæreticum me cum Occidente; hæreticum me cum Ægypto, hoc est cum Damaso Petroque condemnent*. Porro tribus illis Patriarchis id juris præcipue & honoris tributum est, ut nullum legitimum esse, haberique posset Concilium Oecumenicum, quin illi nominatim convocarentur, eidemque vel per se ipsi, vel per legatos interessent; nisi forte eorum aliquis ut aliquando Alexandrinus & Antiochenus, hæreseos compertus aditum sibi præclusisset; ut graviores controversiæ, quæ in synodis Provincialibus dirimi non potuissent, ad Patriarchas deferrentur, qui coacto Nationali Concilio de illis cognoscerent & judicarent; ut neque Metropolitis, neque Episcopis liceret aliunde, quam a suo Patriarcha, vel ab eo, cui id muneris ipse committeret, Pontificiam consecrationem petere & accipere; ut denique illorum judicio subderentur Metropolitæ, a quorum sententiis fas erat Episcopis ad Patriarchas appellare. Erant illi præterea tria veluti propugnacula Ecclesiæ Catholicæ, unum ad Orientem, alterum ad Occasum, tertium ad Meridiem; quæ in totidem amplissimis, & maximis Imperii Romani civitatibus, unus ille inter cæteros Apostolos, jure suo constituere poterat, cujus auctoritate totius Ecclesiæ moles atque ædificatio nitebatur juxta illud Christi promissum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Concors vero, & unanimis de re doctrinaque Christiana Patriarcharum consensio firmissimum erat adversus hæreticos Fidei orthodoxæ præsidium: id quod Justinianus Imperator Novel. 115. his verbis declarat: *In sacrosancta Ecclesiæ communicare, in qua omnes Patriarchæ una conspiratione & concordia fidem certissimam prædicant*.

Descriptio juris & potestatis Patriarchalis.

Cum ergo in hisce tribus sedibus constiterit Principatus omnis Sacerdotii Christioni, non ille quidem ab earum urbium amplitudine, opulentia, dignitate, sed a summo Petri, qui eas instituit, Primatu dimanavit: *alia enim ratio est rerum sæcularium*, ut præclare docet Leo primus in Epistola 54. ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, qui ex Imperatoria sede Constantinopolim translata, auctoritatis ecclesiasticæ accessionem sibi facere conabatur, suæque Pontificiæ sedis supra Antiochenam evehendæ occasionem captabat: *alia*, inquit, *est ratio rerum sæcularium: Alia divinarum. Nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio*. Monet itaque Anatolium, ut regiæ civitatis, cujus erat Episcopus, amplitudine ac splendore contentus sit, quando Ecclesiæ suæ Apostolicam, & Patriarchalem dignitatem, quam a Petro non acceperat, ipse adscifcere nequeat. Innocentius itidem primus Antiochenæ Ecclesiæ præstantiam, non illius urbis magnificentiæ, sed Petro Apostolorum Principi ejusdem conditori ac parenti acceptam refert ep. 18. *Non tam pro civitatis magnificentia hoc ei attributum, quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur*. Igitur Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ Ecclesiæ excellentissima dignitas,

Sedium Patriarchalium dignitas ab uno Petri Primatu orta.

Digitized by Google

& poteſtas tota profluxit a Principatu Apoſtolico Petri, qui eas inſtituit, & Pontificia ſua ſede cohoneſtavit, & Apoſtolicæ illius ac Sacerdotalis plenitudinis, quam ipſe a Chriſto acceperat, liberaliſſima communicatione impertiit. Quamvis autem jure ac titulo Patriarchali omnes inter ſe pares eſſent, ac propemodum æquales, ſumma tamen ac plenitudo totius Eccleſiaſticæ auctoritatis in Eccleſia Romana reſedit, propterea quod Petrus, Antiocheni & Alexandrini Patriarchatus adminiſtratione aliis tradita, cum ſedem Romanam ſibi uſque ad obitum retinuerit, huic uni Oecumenicum Primatum, & ſollicitudinem omnium Eccleſiarum ſibi divinitus concreditam annexuit, eamque in omnes ſucceſſores, ex aliis in alios transfundi voluit, qui deinceps Cathedram Romanam uſque ad rerum omnium interitum legitime obtinerent. Quapropter Innocentius I. ep. 18. Antiochenam de primatu ac dignitate eam ob cauſam Romanæ Eccleſiæ concedere ait, quod illam quidem Petrus ad tempus gubernavit, hujus vero adminiſtrationem ſemel ſuſceptam, quoad vixit, numquam depoſuit. *Quæ urbs* (Antiochia) *Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, ſuſceptum iſta apud ſe, conſummatumque gauderet.* Eodem fere pertinent, quæ de laudibus Eccleſiæ Antiochenæ ſcripſit Joannes Chryſoſtomus tom. 1. hom. 42. *Hæc eſt una noſtræ Civitatis prærogativa, quod principem Apoſtolorum ab initio Doctorem acceperit. . . . Sed cum eum Doctorem accepiſſemus, non in perpetuum retinuimus, ſed Regiæ civitati Romæ illum conceſſimus.*

Cur Primatus Oecumenicus Sedi Romanæ Patriarchali in perpetuum affixus;

Trium Patriarchalium Eccleſiarum dignitati præclarum teſtimonium tribuit ſextus Canon Nicænus, quo trium illorum Epiſcoporum excellentia & auctoritas a reliquorum Antiſtitum ordine ac cætu ſejungitur, eorumdemque juriſdictio in plures exporrigitur Provincias; cum cæteris Metropolitis, ſingulæ ſingulis aſſignentur. *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybyam, & Pentapolim; ita ut Alexandrinus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ parilis mos eſt: ſimiliter & apud Antiochiam.* Multa in hanc ſententiam teſtimonia e veterum ſcriptis, e Latinis Græciſque Scriptoribus proferri poſſunt, quæ ſatis declarant ante Synodum Nicænam, tres illos ſi minus nomine, reipſa tamen Patriarchas fuiſſe; & bene ac naviter impudentes eſſe oportet, qui nullam Epiſcopali majorem, ac ne Metropoliticam quidem ullam ſedem ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe dixerint; verum non tam hujus rei probandæ, quam magis magiſque illuſtrandæ cauſa, juvat audire quid ſenſerint, quidve ſcriptum reliquerint tres Romani Pontifices de tribus illis Patriarchalibus ſedibus. Gelaſius primus in Synodo Romana, quæ habita eſt anno 494. cum ſeptuaginta Epiſcopis hæc protulit: *Eſt ergo prima Petri Apoſtoli ſedes Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid hujuſmodi. Secunda autem ſedes apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco ejus & diſcipulo, & Evangeliſta conſecrata eſt, ipſeque a B. Petro Apoſtolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, & glorioſum conſummavit martyrium. Tertia vero ſedes apud Antiochiam ejuſdem Beatiſſimi Petri nomine habetur honorabilis, eo quod illic, priuſquam Romam veniſſet, habitavit, & illic primum nomen Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt.* Idem aliis verbis confirmat Gregorius Magnus in Epiſtola ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum (lib. 6. Epiſt. 37.): *Petro dicitur: Tibi dabo claves regni Cælorum. . . . . Itaque cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſa tamen principatu, ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unica eſt. Ipſe enim ſublimavit ſedem, in qua etiam quieſcere, & vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit ſedem, in qua Evangeliſtam Diſcipulum miſit. Ipſe firmavit ſedem, in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit.* Cum utroque conſentit Nicolaus primus in Reſpond. ad Bulgaros p. 92. *Deſideratis noſſe, quot ſint veraciter Patriarchæ? veraciter illi habendi ſunt Patriarchæ, qui ſedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificum obtinent, ideſt qui illis preſunt Eccleſiis, quas Apoſtoli inſtituiſſe probantur; Romanam videlicet, Alexandrinam, & Antiochenam; Romanam, quam ſanctorum Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus, & prædicatione ſua inſtituerunt, & pro Chriſti amore fuſo proprio ſanguine ſacraverunt; Alexandrinam, quam Evangeliſta Marcus Diſcipulus, & de Baptiſmate Petri filius, a Petro miſſus inſtituit, & Domino Chriſti cruore dicavit; Antiochenam, in qua conventu magno Sanctorum facto, primum fideles dicti ſunt Chriſtiani, & quam B. Petrus, priuſquam Romam veniret, per annos aliquot gubernavit.* His adde Hieronymum, qui libro contra Vigilantium, tres Patriarchatus breviter ac dilucide hiſce verbis diſtinxit: *Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ?* Romani vero Pontificis Patriarchalem auctoritatem toto Occidente diffuſam eſſe conſtat ex Epiſtola Innocentii primi ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, in qua perſpicuum eſſe ait nullam in Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, Sicilia, inſuliſque interjectis reperiri Chriſtianam provinciam, urbem nullam, Eccleſiam nullam, quæ ab Eccleſia Romana ortum non habuerit, quæve aut a Petro, aut ab ejus ſucceſſoribus primos Epiſcopos, Chriſtianæque religionis rudimenta non acceperit: *Quis neſciat, aut non advertat id, quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes?*

Gregorii Magni;

Nicolai I.

De Patriarchatu Occidentali Pontificis Rom. ejusque teſtimonium Innocentii I.

Alia dicta ſunt de tribus ſedibus Patriarchalibus, confirmantur auctoritate Concilii Nicæni.

Gelaſii I. & Synodi Romanæ;

§. II.

De tribus Exarchis.

AD Patriarchas vel dignitate vel auctoritate proximi accedunt tres itidem Exarchi, quaſique minorum gentium Patriarchæ, Epheſinus, Cæſarienſis, Heraclienſis, qui hoc differunt a tribus Patriarchis, quod hi plures, illi pauciores Provincias adminiſtrarent; idem tamen jus in ſuo quiſque vel Patriarchatu, vel Exarchatu obtinebant, iiſdem officiis ac muneribus fungebantur. Omnes itidem autocephali erant, ſic prorſus, neminem ut gradu ac poteſtate ſuperiorem agnoſcerent, niſi unum Romanum Oecumenicum Pontificem. Exarchatus Epheſini primordia ad Apoſtolos conditores, ideſt Paullum & Joannem, referenda eſſe haud obſcure ſigni-

Exarchi tres, provinciarum numero Patriarchis inferiores.

Digitized by Google

significant antiquissimi Patres scriptoresque Ecclesiastici. Nam Paullus quidem, cum ecclesiæ Ephesinæ Timotheum præfecit Episcopum, hujus regimini ac potestati Asiam minorem fere universam subjecit; ut Joannes Chrysostomus testatur, qui in suis Commentariis in epistolam primam ad Timotheum scripsit a Paullo Apostolo *Ephesinam ecclesiam creditam fuisse Timotheo, immo gentem fere totam Asiaticam*; itemque Theodoretus, qui Timotheo, quem Paullus (epist. 1. ad Tim.) rogaverat, *ut remaneret Ephesi*, Asiæ procurationem demandatam esse tradit. *Huic*, inquit, *Asiæ curam commisit Divinus Paullus*. Ad hunc Exarchatum instituendum suam quoque auctoritatem operamque contulit Joannes Apostolus, idemque Evangelista, cui in Apostolica orbis terrarum distributione Asia obvenit, Eusebio teste, quique, ut docet idem Eusebius lib. 3. c. 1. plurimum temporis *apud Ephesum commoratus est, & defunctus*. Sunt, qui ante Timotheum Ephesinæ ecclesiæ Joannem præfuisse tradunt; sed Eusebius lib. 3. cap. 4. ex communi opinione docet Timotheum primum fuisse, qui ecclesiæ illius Pontificatum susciperet: *Timotheus Ephesinæ ecclesiæ Episcopatum primus accepisse dicitur*. Id quod confirmari posse videretur testimonio S. Irenæi Lugdunensis Episcopi apud eumdem Eusebium cap. 23. *Ephesina ecclesia, quæ a Paullo quidem fundata est, Joannem vero usque ad Trajani tempora habuit præsidentem*; idest, post Timotheum, qui intra finem primi sæculi diem objisse traditur. Ego vero sic existimo, utrumque eodem tempore Ephesinam & Asiaticam ecclesiam administrasse; non quod duos eidem Episcopos præficiam; sed quia Joannem quidem censeo verum fuisse proprium-que Exarchum, Timotheum vero ejusdem Vicarium, sive administrum, eidem a Paullo datum, Exarchalis officii, ac præsertim Ephesini Episcopatus, cum Joannes Asiaticis ecclesiis peragrandis invisendisque discutus, Epheso identidem abesse cogeretur. Extincto Timotheo sub imperio Domitiani, ut Photius docet in Bibliotheca, vel anno primo Nervæ Imperatoris, qui fuit Christi 97., ut ejusdem acta testantur, Joannes Ephesinum Exarchatum tenuit usque ad imperium Trajani, ut Irenæus tradit, atque ad gubernandam ecclesiam Ephesinam usus est opera vicaria Onesimi, quem plerique Timotheo in ejusdem ecclesiæ regimen substituunt. Porro Joannem vere proprieque Exarchum fuisse, ex eo facile intelligi potest, quod illius ecclesiastica sollicitudo & procuratio non unam, alteramve, sed omnes Asianas provincias & ecclesias complectebatur: *Joannes*, inquit Hieronymus lib. de script. eccles. *totas Asiæ fundavit rexitque ecclesias*. Idem apud Eusebium docuisse videtur Clemens Alexandrinus, cujus testimonium paullo post subjiciam; idem confirmat auctor Anonymus apud Photium: *septem Episcoporum præsentia adjutus, Metropoleos Ephesiorum gubernationem suscepit*. Tum vero Paullus, & Joannes Ephesini Exarchatus fundamenta jecerunt, cum Ephesi ecclesiam condiderunt, Timotheo Episcopo præposito, qui ad eam regendam, aliasque ecclesias Asiaticas fundandas, gubernandasque, Joanni operam navaret.

Paullus & Joannes conditores Exarchatus Ephesini.

Timotheus primus Episcopus Ephesi.

Porro Asianam Diœcesim, cui præerant Joannes, itemque Timotheus ejusdem adjutor & Vicarius, e septem provinciis Ecclesiasticis initio conflatam fuisse colligi potest ex Apocalypsi, in qua Joannes, quod viderat, jubetur scribere & mittere *septem ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ*. Ephesus Asiæ proprie dictæ, Sardis Lydiæ, Laodicia Phrygiæ, Philadelphia Ciliciæ urbes erant facile primariæ; reliquæ itidem ea tempestate vel incolarum numero, vel divitiarum copia florentissimæ ad Asiam spectabant. Totius Asianæ Diœcesis maxima & princeps erat Ephesus, quam Plinius *Asiæ Lumen*, Aristides in orat. de Concor. ad Civ. Asiat. *commune Asiæ erarium*, Dio Nicænus lib. 51. *urbem Asiæ clarissimam*, Ulpianus lib. 1. tit. 16. *Asiæ Metropolim primam* appellant. Quod autem D. Joannes jubeatur pastoralis officii admonere Angelum, idest Episcopum Ephesi, eumdemque arguere, propterea quod de fervore pristinæ charitatis aliquid remiserit, id cum eximia Timothei Episcopi Ephesini sanctitate non pugnat; neque nobis necessitatem affert alium aliquem ejus urbis Episcopum comminiscendi, in quem illa reprehensio cadat; quod nonnulli faciunt, ut Timotheum Joannis censuræ subducant; ea quippe est humana imbecillitas, ut hominibus vel sanctissimis aliquid torporis interdum & negligentiæ obrepat; nam & reliquarum urbium Episcopi, quamvis plerique omnibus sanctimoniæ notis insignes, & postea etiam martyres futuri, ad custodiam tamen curamque provinciæ sibi concreditæ, tam sedulo ac graviter advigilare minime potuerunt, quin ob aliquam incuriam ipsi quoque in Joannis reprehensionem incurrerent. Eum locum Apocalypseos, ubi Timotheus reprehenditur, *quod charitatem primam reliquerit*, jubeturque *memor esse unde exciderit, & agere pœnitentiam*, Joannes Bollandus tom. 2. die 24. Jan. §. 2. hac præclara animadversione illustravit: *Quibus verbis veluti ad imminens martyrium adhortari Timotheum voluisse Joannes videtur. Paullus quoque multo ante, in datis ad ipsummet Timotheum litteris, monuerat, ut resuscitaret gratiam Dei &c. nec mirum in viris etiam Sanctis intepescere quandoque charitatem, & zelum remitti; præsertim si minus ex animi sententia pii conatus procedant: sed identidem suscitandas fovendasque modo pœnitentiæ operibus, modo sacrarum rerum commentatione, modo aliarum exercitatione virtutum, ardor ille animi est*. Joannes igitur, cui Asia obvenerat, totius Asianæ Diœcesis Exarchus fuit; quæ cum esset longe lateque diffusa, & operæ laborisque vel plurimum requireret; idcirco Paullus eidem Timotheum Pontificii & Exarchalis muneris adjutorem dedit, ecclesiæque Ephesinæ regimini præfecit, ut ea in urbe Episcopi officia & munera exsequeretur, dum Joannes Asiam peragraret, & antiquas inviseret, novasque fundaret ecclesias. Cum autem Joannes Domitiani jussu apud Pathmum exulavit, Timotheus totius Asianæ Diœcesis administrationem suscepit. Idem vero Joannes, postquam ab exilio Ephesum rediit, ecclesiæ Ephesinæ procuratione Timotheo relicta, alacer se retulit ad pristinum institutum lustrandæ augendæque totius ecclesiæ Asiaticæ, ut Clemens Alexandrinus testatur: *Cum Ephesum rediisset, ad finitimas gentes se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut ecclesias disponeret, ac formaret, partim ut homines sibi a divino spiritu indicatos, in Clerum quemdam, seu sortem Domini allegeret*. Ex quo illud etiam fit verisimile, ut ad septem illas, de quibus meminit in Apocalypsi, alias provincias aliosque Metropolitas Joannes post exilium adjunxerit, & E-

Timotheus Adjutor seu Vicarius Joannis vere proprieque Exarchi.

Onesimus substitutus Timotheo.

Asiana Diœcesis e septem provinciis conflata.

Joannes post exilium novis ecclesiis auxit Diœcesim Asianam.

Digitized by Google

phesinæ Exarchali ecclesiæ subjecerit. Certe quarto sæculo Diœcesis Asiana, civilis quidem decem, ecclesiastica undecim ipsas provincias complectebatur, videlicet Asiam Proconsularem, Pamphyliam, Hellespontum, Lydiam, Pisidiam, Lycaoniam, Phrygiam Pacatianam, Phrygiam Salutarem, Lyciam, Cariam, Insulas. *In notitia imperii*, ait Thomassinus part. 1. lib. 1. cap. 17. *Diœcesis Asiana habebat provincias decem, Exarchia vero ecclesiastica undecim. Item Pontica, quo ad civilia decem, & quo ad ecclesiastica undecim. Id quod ortum est a rerum civilium mutationibus, quas easdem res ecclesiastica non semper sequebantur.*

Provincia Exarchatus Ephesi sæculo quarto.

Ac tertio quidem sæculo Ephesinam ecclesiam jure ac potestate Exarchali præditam fuisse satis perspicue declarat Polycrates Episcopus Ephesinus in suis litteris ad Victorem Papam, cujus jussu ex Asia universa Synodum convocaverat, ut in ea controversia, quæ non ita pridem exorta erat de die, cui solemne Paschale affigendum esset, quid illi censerent, quæve sententia esset ecclesiæ Asiaticæ, cognosceret, atque ad Romanum Pontificem perscriberet. *Possem*, inquit, *etiam Episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, quos petistis ut convocarem, sicut & feci, quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbatur*. Extat hæc epistola apud Eusebium lib. 5. c. 24. qui Polycratem totius Asiæ Episcopis præfuisse affirmat; *Episcopis vero Asiæ, qui morem sibi a majoribus traditum retinendum esse contendebant, Polycrates præerat*. Exarchatus Ephesini illustre testimonium habemus ex Actis Concilii tertii Œcumenici, in quo sedes Ephesina inter majores Thronos annumeratur, ejusdemque immunitati cavetur, cum Patriarchæ Orientalis ditione exempta esse declaratur. In Concilio Generali quarto Chalcedonensi, actione XI. Stephanus, & Bassianus de Pontificatu Ephesino contendebant; cumque sedem illam neutri adjudicandam Patres censerent, sed utroque repulso, tertium quemdam eligere, & Chalcedone consecrare decrevissent, huic decreto ab omnibus Asianis Episcopis reclamatum est: nimis enim grave præjudicium in ecclesiam Ephesinam fore, si ejusdem Episcopus aut alibi, quam Ephesi, aut ab aliis, quam ab Asianis Episcopis eligeretur, & consecraretur; id quippe majorum institutа, & vetus consuetudo inde usque a temporibus Apostolicis deducta vetabant: *nam a S. Timotheo*, ajebat Leontius Magnesiæ Episcopus, *usque nunc viginti septem Episcopi facti, omnes in Epheso sunt ordinati*. Hinc collegit Christianus Lupus primatum ecclesiæ Ephesinæ, in Appendice ad Synodum Chalcedonensem: *Autocephala erat Ephesinorum ecclesia; adeoque ejus Primas in ipsa sua civitate & sede erat a propria Synodo eligendus & consecrandus*. Et paullo infra hanc antiquam ecclesiæ ejusdem consuetudinem Apostolis acceptam refert: *Hæc a S. Timotheo, ideoque & a Sanctis Paullo & Joanne Apostolis ducebat originem; atque ita erat Canon Apostolicus. Uti enim Apostolorum decreta, ita & gesta nobis agendi regulas esse affirmat S. Joannes Chrysostomus in libro de Compunctione Cordis.*

Diœcesis, & Synodus Asiana e plurimis Episcopis constabat tertio sæculo.

Sedes Ephesina exempta ditione Patriarchæ Antiochensi.

Ecclesia Ephesina Autocephala.

Cæsariensis ecclesia jam inde a tertio sæculo Exarchalis;

Exarchatus Cæsariensis seu Pontici initia obscuriora sunt, quam ut dignosci possit, utrum referenda sint ad institutionem, ætatemque Apostolicam. Cæsariensem ecclesiam in Cappadocia jam usque a tertio sæculo jure & auctoritate Exarchali, supra circumpositas provincias, præditam fuisse argumento est ingens Episcoporum multitudo, quos utpote suæ ditioni obnoxios Firmilianus Episcopus Cæsareæ in eam sententiam pertraxit, quam ipse adversus Stephanum Romanum Pontificem tuendam susceperat, illud mordicus tenens, obstinateque defendens, baptismum ab hæreticis collatum nullum esse, iterumque conferri oportere: qua in controversia tantum auctoritati & dignitati Cæsariensis ecclesiæ tribuit Cyprianus, ut Firmilianum ejusdem Episcopum, veluti Primatem, ea de re sibi consulendum putaverit, quemadmodum Eusebius docet, qui Firmiliano totam Cappadociam adjudicat. *Firmilianus*, inquit lib. 7. cap. 3. *cum universa Cappadocia*. Præterea Firmilianus ipse, apud eumdem Eusebium, satis indicat ad suam potestatem curamque Pontificalem spectare provincias totius Ponti & Cappadociæ, quarum calamitates commemorat deploratque in suis ad Cyprianum litteris. Universas Ponti ecclesias in ditione fuisse Cæsariensis Exarchi docet Epistola S. Basilii Episcopi Cæsareæ, inscripta Ἐπισκόποις τῆς Ποντικῆς Διοικήσεως, *Episcopis Pontica Diœcesis*, quos ad Martyrum Cæsariensium festum & anniversarium diem celebrandum, Cæsaream evocat. Bithyniam quoque intra fines hujus Exarchatus includi professus est Gerontius Nicomediensis in Bithynia Metropolita, cum ad Helladium D. Basilii successorem se contulit, ut ab eo Pontificali consecratione initiaretur, teste Sozomeno lib. 8. c. 6.; idemque lib. 7. cap. 9. Theodosii legem descripsit, quæ Ponticam Diœcesim Helladio subjectam a Bithynia usque ad Armenos protendit: nam Armenia quoque Cæsariensis Exarchi jurisdictionem ante Constantinum Magnum subierat, cum Teridates Rex Armeniæ Christianæ religioni nomen dedit, & perhonorifica legatione ad Leontium Cæsareæ Episcopum decreta, ab eodem petiit, ut Gregorium ab se cum Legatis missum Episcopum Armeniæ consecraret. Ab hoc Gregorio Armenorum Apostolo sancita lex est, valuitque apud posteros, ut Armeni non aliunde, quam a Metropolita & Exarcho Cæsariensi suos deinceps Episcopos peterent & acciperent.

cui subessent Pontus & Cappadocia, Bithynia & Armenia.

Provincia undecim Diœcesis Ponticæ seu Cæsariensis.

Cæsariensis itaque, seu Pontica Diœcesis constabat ex undecim provinciis, quas e notitia imperii descriptas hic subjicimus, Galatia, Bithynia, Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Paphlagonia, Ponto Polemoniaco, Hellenoponto, Armenia prima, Armenia secunda, Galatia salutari, & Honoriade, quæ Honorio imperante accessit.

Exarchatus Heracleensis primordia infra ætatem Apostolorum constituenda esse, & cum initio tertii sæculi colliganda censeo; cum scilicet Severus Imperator exeunte sæculo superiori, excisi deletique Byzantii jura omnia & privilegia civilia Perinthum transtulit, quæ urbs Heraclea etiam vocabatur: *Urbem omnemque regionem, quæ erat sub ejus urbis potestate, Perinthiis concessit*; ut Dio Cassius scripsit; *hi Byzantio usi sunt pro vico* &c. Erat Byzantium civitas Thraciæ in primis frequens ac nobilis, itemque ecclesia ejusdem regionis facile princeps, quam ab S. Andrea Apostolo conditam ferunt. Itaque cum civili, dignitas quoque & jurisdictio Ecclesiastica Byzantio Heracleam commigravit; & Pontificia sedes ibidem collocata jus potestatemque Exarchalem in omnes Thraciæ provincias vel tum primum usurpare cœpit, vel jampridem acquisitam, translatamque Byzantio, usque ad quintum sæculum retinuit. Heracleensis Exarchatus sex omnino continebat provincias, Europam, Thra-

Exarchatus Heracleensis post Apostolorum ætatem conditi provinciæ sex.

Digitized by Google

Thraciam, Hæmimontem, Rhodopem, Mœsiam secundam & Scythiam.

Translata Constantinopolim Imperatoria sede, Episcopi CP.

Post restitutum a Constantino Magno Byzantium, & restitutoris, seu potius conditoris nomine appellatum, ac pene totius orbis nobilitatum spoliis, sic ut Romam exæquaret, & jure meritoque altera Roma vocaretur; tum sedes Imperatoria illuc translata, regiæque illius urbis amplitudo ac magnificentia Episcopis Byzantinis, sive Constantinopolitanis, quorum Parochia subjecta erat Exarcho Heracleensi, tantos attulit spiritus, ut in omnem dignitatis augendæ propagandæque ditionis occasionem, curas animosque intenderent. Ac dignitatis quidem amplificandæ initium factum est in secundo Concilio Oecumenico, quod Constantinopoli celebratum fuit anno Christi 381. In eo quippe sancitum est Canone tertio, ut Episcopo Constantinopolitano, secundum Romanum Pontificem, primas honoris cæteri omnes Episcopi deferrent, isque Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, itemque tribus Exarchis, tum sedendi primatu in Conciliis, tum ferendi suffragii jure antecederet: *Constantinopolitanus Episcopus habeat primatus honorem post Romanum Episcopum, eo quod sit nova Roma.* Quod decretum quamvis ratum esse vetuit sedes Romana Apostolica, eo tamen innixa illorum Præsulum ambitio majora moliri cœpit, latiusque in dies jurisdictione proferenda limites transilire, quos sacri Canones Episcopis præscripserant; & non solum Metropolitis, sed etiam Exarchis trium Diœceseon infra se depressis, & quæ ad eos pertinebant, causis judiciisque ad se revocatis, potestatem Episcopos in tribus illis Diœcesibus Asiana, Pontica, Thracica constituendi atque exauctorandi seu jure, sive injuria sibi arrogavit.

In Concilio Chalcedonensi jus Patriarchale in sees Exarchatus, & secundum a Romano Pontifice locum adepti sunt, ceteriisque Patriarchis prælati.

Ac primum quidem tacitis, & occultis conatibus, per speciem vel Episcopos inter se dissidentes componendi, vel dignitatis tuendæ causa, quæ regiæ civitatis Episcopum decebat, ad summi totius Orientis primatum nitebantur Episcopi Constantinopolitani; sed deinde Anatolius palam & aperte in Concilio Chalcedonensi obtinuit a Patribus, vel extorsit jura omnia & privilegia, quæ callide ac furtim, & tum solum, cum data esset occasio, Decessores usurpaverant. Nam Canone XXVIII. novæ Romæ Episcopo eadem, quæ veteris Romæ Pontifici, secundo tamen post eum loco, jura concessa sunt, & tres eidem Diœceses Asiana, Pontica, Thracica subjectæ, Exarchis illis non repugnantibus, & de jure suo seu sponte, seu necessitate decedentibus, qui cum inanem titulum, & ab omni jurisdictione vacuum, itemque honorificentiorem post Patriarchas in Conciliis locum retinuissent, nihil præterea postularunt. Huic Canoni potissimum nititur tota moles Patriarchatus Constantinopolitani, qui cum omnium antiquarum Patriarchalium sedium recentissimus esset, atque ætate longe inferior, secundum tamen, & a Romano Patriarcha proximum honoris ac dignitatis locum invasit, Alexandrino & Antiocheno prælatus; itemque Hierosolymitano Episcopo, qui Cæsariensis Metropolitæ ditione exemptus, auctusque tribus Palæstinis ab Antiocheno Patriarchatu avulsis, post Concilium Chalcedonense Patriarcha legitimus, aut consentiente, aut non repugnante Romano Pontifice, dici haberique cœpit.

Acriter primum repugnantibus Romanis Episcopis,

At Patriarchatus Constantinopolitani ut auctores fierent approbatoresque Pontifices Romani, vix tandem aliquando impetrari potuit. Nam Leo quidem a Patribus Chalcedonensibus per litteras rogatus, ut honoris ac potestatis quod decreverant regiæ urbis Episcopo, ratum ac firmum esse juberet, præcise negavit se umquam passurum, ut labefactaretur ordo majorum sedium a Nicæna Synodo confirmatus, & Alexandrinus secundo, tertio Antiochenus honoris gradu dejiceretur: quæ Leonis Magni constantia tum Anatolii novi Patriarchæ, tum Leonis I. Imperatoris, qui Martiano successerat, consilia fregit, & conatus repressit. Nihilo segnius alii deinceps Romani Pontifices obstiterunt ambitioni, & superbiæ Constantinopolitanorum Antistitum; quæ demum eo processit, ut illis invitis ac repugnantibus per vim & injuriam in Diœceses ac jura Alexandrini & Antiocheni Patriarchæ invaderet, & utrumque in suam jurisdictionem ac potestatem redigeret. Cæterum sive pacis retinendæ, concordiæque alendæ studium, sive Imperatorum potentia, & Præsulum in eo, quod sibi arrogabant, jure usurpando pertinax contestatio tacitum quemdam consensum a Romana sede tandem expressit, ut Constantinopolitanus Episcopus & jus titulumque Patriarchæ retineret, & cæteris Patriarchis antelatus, proximum ab Romano Pontifice honoris & auctoritatis locum occuparet. Hactenus de Exarchis, quibus in ordinem Metropolitarum redactis, triplex illa Diœcesis, ante Concilium Chalcedonense autocephala cum esset, deinde in jus ditionemque Patriarchæ Constantinopolitani concessit.

sed demum pacis studio non dissentaneis.

Tres Exarchi in ordinem redacti, subjectique Patriarchæ CP.

§. III.

De Metropolitis & Episcopis.

Metropolitarum origo & institutio Apostolica.

JUris Metropolitici originem inde usque ab ætate Apostolica repetendam esse, ejusque conditores ipsos Apostolos fuisse constat inter omnes scriptores Catholicos, ne ipsis quidem hæreticis dissentientibus, qui doctrina & eruditione cæteris suis gregalibus præstant, & in oppugnandis ecclesiæ dogmatis atque institutis moderationem aliquam adhibendam putant. Nam si quis contentionis, quam veritatis cupidior, sic animo comparatus est, ut quidquid Catholicis vel maxime probatur, id potissimum ad reprehendendum arripiat, & hanc ob causam eo conatus omnes intendat, ut totam ecclesiasticam Hierarchiam jam inde ab initio Christiani nominis ubique receptam, & omnium ætatum consensu firmatam dejiciat, prorsusque convellat; huic si falsas opiniones voluntate susceptas, & studio partium obfirmatas evellere coneris, frustra labores, & ne hilum quidem profeceris.

Canone Apostolico sancito.

Antiquissimos esse Canones illos, qui vulgo tribuuntur Apostolis, nemo negaverit; in his autem erat Canon, quem alii 33, alii 35. numerant, quo Metropolitarum jurisdictioni ac dignitati nominatim cavetur: *Episcopus uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus, & existimare ut caput; & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant, quam illa solum singuli, quæ parochiæ propriæ, & villis, quæ sub ea sunt, competunt.* Cum Apostolico præclare congruit Canon Nicænus: *Ut firmitas eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* Concilium Antiochenum anno 341. habitum canone IX., cum provinciæ totius procurationem Metropolitano Episcopo attribuit, & a cæteris Episcopis honorem eidem adhibendum esse statuit, nihilque

præ-

Digitized by Google

præter ejus ſententiam ac voluntatem agendum, hanc normam, hanc regulam, hanc præſcriptionem eſſe veterum Patrum ideſt Apoſtolorum affirmat: *Per ſingulas regiones Epiſcopos convenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum totius provinciæ ſollicitudinem gerere; eò quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius, præter eum, cæteros Epiſcopos agere, ſecundum antiquam a Patribus noſtris regulam conſtitutam.* Vigebat itaque Ordo Metropolitarum ante Nicænum & Antiochenum Concilium, de quo ita ſanciunt, & loquuntur Patres utriuſque Synodi, ut non illum quidem ab ſe primum inſtitui ſignificent; ſed jam inde antiquitus conditum, invectumque in Hierarchiam eccleſiaſticam, ſuis decretis confirmant & communiunt; & præterea quid juris, quidve honoris eidem attribui oportet, ex antiqua Patrum traditione declarant. Quare dignitas & juriſdictio Metropolitica, cum omnium ætæ Chriſtianæ temporum memoriam antecedat, cum nulli Canoni aut Concilio adſcribi poſſit, cum ubique in eccleſia univerſa ſemper recepta fuerit, juxta præclaram Magni Auguſtini Regulam, ad Apoſtolos auctores referenda eſt: *Quod univerſalis tenet eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum firmiſſime creditur.*

Metropoles antiquiſſimæ & Apoſtolicæ.

Provincias & Metropoles eccleſiaſticas ab Apoſtolis inſtitutas fuiſſe, epiſtolæ declarant, quas Petrus Paulluſque ad illas ſcripſerunt. E Chriſtianis, Judæorum metu Palæſtina expulſis, totaque Aſia diſperſis, plures coaluerant aliæ in aliis civitatibus Aſiaticis eccleſiæ. Petrus non ad ſingulas ſive urbes ſive eccleſias nominatim, ſed generatim atque univerſe ad eccleſias Metropoliticas primam epiſtolam ſcripſit, nimirum ad *Electos advenas diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ.* Jam enim Petrus regiones illas, ad quas, Romæ cum eſſet, haſce litteras dedit, evangelica prædicatione peragraverat, Chriſtianis myſteriis ac præceptis imbuerat, in eiſque ex advenis indigeniſque eccleſias & provincias eccleſiaſticas compoſuerat. Paulus vero aliquot epiſtolas ad Metropoles eccleſiarum miſit, unde per eas, quæ cuique ſuberant, provincias circumlatæ, cum cæteris Epiſcopalibus eccleſiis communicarentur. Corinthus Achajæ Metropolis cum eſſet, idcirco duas epiſtolas ad Corinthios ſcripſit, quas omnibus eccleſiis Achajæ communes eſſe voluit: *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis, qui ſunt in univerſa Achaja.* Viden', ut Paullus Achajam cum ſua Metropoli conjungat? Huic inſcriptioni epiſtolari Chryſoſtomus hanc notam appoſuit homil. 1. *Cur ad Metropolim ſcribens, omnibus per eam ſcribat.* Habes igitur ex Joanne Chryſoſtomo Corinthum jure & imperio Metropolitico præfuiſſe omnibus eccleſiis Achajæ; idemque confirmat D. Ambroſius: *Achajæ, cujus eſt Metropolis Corinthus.* Duas itidem epiſtolas ad Theſſalonicenſes miſit, propterea quod eccleſia apud Theſſalonicam condita cæteris Macedoniæ eccleſiis præerat. Nempe, ut egregie animadvertit Petrus de Marca, *Achaja & Corinthus Metropoleos, & provinciæ nexu copulabantur, ut & Theſſalonica & Macedonia, quæ ratio eumdem Paullum impulit, ut ſuis litteris, & Theſſalonicenſes, & cæteros, qui erant in Macedonia, fratres admoneret.* Macedonia autem erat provincia quaſi biceps, duaſque civitates totius regionis celeberrimas & opulentiſſimas, ſive imperio, ſive dignitate ſuperiores agnoſcebat, Theſſalonicam ſcilicet ac Philippos; idcirco etiam Philippenſes per ſuas litteras admonendos inſtruendoſque cenſuit; Philippenſem autem Metropolim fuiſſe, cui plures Epiſcopi ſubeſſent, docet ipſamet inſcriptio epiſtolæ præpoſita: *omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis* (ejus provinciæ ſcilicet) *& Diaconibus.* Nec vero Epheſinam eccleſiam totius Aſiæ principem ſibi prætereundam, ſuarumque litterarum officio fraudandam putavit, ad quam una extat ſatis prolixa epiſtola Epheſiis ſcripta. Cum ad Galatas ſcripſit, plures ſimul Galatiæ eccleſias, una eademque inſcriptione conjunxit, quod omnes ſub Ancyra civitate & eccleſia primaria, communi quodam nexu, in unam eccleſiaſticam provinciam coaluiſſent: *Paullus Apoſtolus, & qui mecum ſunt, omnes fratres, eccleſiis Galatiæ.* Ac Paullus quidem ad omnes regionum illarum eccleſias inſtituendas, ordinandas, & cum ſuo quaſque capite conjungendas, multum operæ laboriſque contulerat; ſed eas fere tantummodo, quæ in unaquaque provincia cæteris præerant, ſuarum epiſtolarum officio atque honore impertiri voluit. Extat quoque Paulli ad Titum epiſtola, ex cujus cap. 1. ſatis perſpicue intelligi poteſt ab ipſomet Tito, Paulli juſſu, & inſtitutam & adminiſtratam fuiſſe provinciam eccleſiaſticam Cretenſem: *Reliqui te Cretæ, ut quæ deſunt, corrigas; & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.* Paullus Titum Epiſcopum Gortynæ civitati cum præfeciſſet, eidem totius inſulæ procurationem demandavit, quemadmodum Græcorum Menologia & Menæa, itemque ſcriptores eccleſiaſtici docent, ut ſcilicet rem Chriſtianam augeret, diſciplinam eccleſiaſticam ſtabiliret, ſi quid deeſſet, vel labaret, ſuppleret ac reſtitueret; omnemque regionem circumiens ſingulis civitatibus ſingulos Epiſcopos præponeret, quibus ipſe tum ſumma cum auctoritate præſideret, tum plebis erudiendæ officiique Paſtoralis rite obeundi rationem traderet; quos enim Paullus Presbyteros vocat, eos fuiſſe Epiſcopos, tum Paullus ipſemet mox ſignificat, cum docet, quibus virtutibus eos præditos eſſe oporteret, quibus Epiſcopale munus a Tito mandandum eſſet: *Oportet*, inquit, *Epiſcopum ſine crimine eſſe* &c. tum vero uſus loquendi ætate Apoſtolica receptus, cum primi pariter & ſecundi Ordinis Sacerdotes promiſcue & communiter Presbyteri vocabantur; tum denique unanimis Sacrorum Interpretum conſenſus confirmat cum D. Chryſoſtomo Homil. 1. in ep. ad Titum: *Niſi enim probatus eſſet* (Titus), *non univerſam inſulam Apoſtolus illius curæ mandaſſet, non eum juſſiſſet corrigere, quæ deerant, non tot Epiſcoporum cenſuram ei commiſiſſet.* Illis autem Apoſtolicis ad Titum litteris juris & officii Metropolitici deſcriptionem contineri nemo eſt, quin clare perſpiciat. Sed quæ in eumdem Paullinæ epiſtolæ locum ſcripſit Petrus de Marca lib. 1. de Concord. c. 3. digna plane ſunt, quæ hic deſcribantur: *Hoc Apoſtolorum fuiſſe propoſitum, illuſtrius ſane oſtendi non poteſt, quam ex demandata Tito Cretæ inſulæ ſollicitudine, ut Presbyteros (ſeu mavis Epiſcopos, ut ipſemet Paullus ſequenti verſiculo interpretatur) oppidatim conſtitueret. Manus imponitur Epiſcopis a Synodo Provinciæ, cui ſaltem tres Epiſcopi præſentes interſint, cæteris ſcripto conſenſum præbentibus; ſed ea lege, ut Metropolitano ὰ κῦρος, decretum, & totius negotii*

In Aſia propria;

in Galatia.

Cretenſis provincia.

cujus Metropolis Gortyna.

In Aſia minore;

In Græcia,

in Macedonia,

Digitized by Google

Ratio ordinandi Episcopos suffraganeos.

gotii auctoritas servetur juxta Canones Nicænos. Hanc formam non aliunde profectam censere par est, quam ex Apostolorum institutione, quæ a Paullo hic delineatur. Ordinatio siquidem fit a Collegio, & catu Episcoporum per impositionem manuum presbyterii; sed ea conditione, ut unus aliquis potiori jure decretum interponat ad vicem Titi, qui disponendam & ordinandam provinciam a Paullo suscepit. Unde finxit, ut Creta provincia ecclesiastica, & Gortyna civitas Metropoliticum privilegium illius insulæ eximium semper habuerit. Secundo ecclesiæ sæculo Philippum Gortynensium Episcopum omnibus Cretæ ecclesiis jure metropolitico præpositum fuisse auctor est Eusebius l. 4. c. 3. apud quem Dionysius Corinthiorum Antistes, in epistola ad Cretenses ecclesias, Philippum summis laudibus ad Cœlum effert: *Ecclesiæ Gortynensium & reliquis simul ecclesiis Cretæ literas scribens*, (Dionysius) *Episcopum ipsorum Philippum magnopere prædicat.* Hinc licet intelligi titulo ac jure Metropoleos Gortynensem ecclesiam donatam fuisse ab ipsis Apostolis, seu viris Apostolicis; cum sæculo proximo ab ætate Apostolorum id juris atque honoris, haud dubie a majoribus acceptum, obtineret Philippus ejusdem ecclesiæ Episcopus; id quod in Opusculo de Episcoporum & Metropolitarum origine fatetur ipse Usserius Armachanus his verbis: *Unde apparet tam illo tempore, quam succedente, Gortynam Metropolim, & Episcopum ejus totius insulæ fuisse Metropolitanum.*

De Episcopis vero, qui Metropolitis subditi Hierarchiæ Pontificiæ infimum gradum tenent, nihil necesse est dicere. In omnibus fere civitatibus, quocumque prædicatio Apostolica, & Religio Christiana pervaserat, pro ea, quæ tunc suppetebat, copia virorum ad Episcopale munus gerendum idoneorum, constitutos fuisse Episcopos ab ipsis Apostolis: & eos quidem, ex divina institutione, cæteris inferioris ordinis Sacerdotibus, dignitate & potestate antecedere, convenit inter omnes; ut ne ipsi quidem hæretici, si paucos excipias projectæ omnino atque effrænatæ audaciæ, qui modo Catholicis adversentur, neque dicere, neque facere quidquam pensi habent, rem tam certam, tamque testatam in dubium revocare audeant. Quemadmodum autem Metropolitarum imperio una subest provincia, quæ ex pluribus ecclesiis Episcopalibus constat; sic Episcoporum jurisdictio unius urbis & parochiæ finibus continetur, quæ aliquot oppida villasque complectitur.

§. IV.

De vocabulis Hierarchiæ Pontificalis.

Diœcesis antiquitus pars unius provinciæ; deinde provinciis pars unius Diœcesis.

QUam nunc Diœcesim dicimus ad designandam unius Episcopi ditionem, olim appellabant Parochiam, sive Paræciam, ut docet Budæus. Diœcesis vocabulum, juxta Lexicon civile pariterque ecclesiasticum, pro temporum varietate varias habuit significationes. Nam & Romana vigente Republica, & proximis post Monarchiam conditam ætatibus, provincia latius patebat quam Diœcesis; singulæ enim provinciæ constabant e pluribus Diœcesibus, quarum unaquæque unam alteramve civitatem cum oppidis pagisque circumjectis complectebatur; qua quidem in civitate Prætores, seu Proconsules, concreditam sibi provinciam cum lustrarent, juris dicendi causa consistere, & conventus agere solebant. Plura in hanc sententiam dicta sunt parte secunda Prolegomenon, ubi de Conventibus cap. 3. §. 3. & aliis locis. Cum vero Constantinus Magnus novam imperii Romani descriptionem invexit, tum Diœcesis multo latius, quam provincia suos fines explicavit; jussit quippe Constantinus plures provincias in unam Diœcesim coalescere; & cum duo antea ab Hadriano creati fuissent, quatuor ille Præfectos Prætorio instituit; Præfectum Prætorio Orientis, cui Diœceses omnino quinque subjecit, Orientis nimirum, Ægypti, Asiæ, Ponti, Thraciæ; Præfectum Prætorio Illyrici, cui plane integrum Illyricum attribuit in tres Diœceses divisum; Præfectum Prætorio Italiæ, cui duæ suberant Diœceses Italia, & Africa; Præfectum Prætorio Galliarum tribus Diœcesibus præpositum Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ. Sed aliquot post Constantinum ætatibus, cum Imperium itemque Illyricum bipartito distributum fuisset in Orientale & Occidentale; Illyricum quidem Occidentale unicam Diœcesim e sex provinciis conficiens accessit ad Præfecturam Italicam; Orientale autem e duabus Diœcesibus compositum, Dacica & Macedonica, suum retinuit proprium Præfectum, qui dictus est Præfectus Prætorio Illyrici. Exinde vocabulum Diœcesis latissime patuit, complectique cœpit plures provincias, ex quibus singulæ Diœceses constabant. Porro ecclesia, quæ quidem non pauca e civili Geographia & Lexico in suum usum commodumque derivavit, ante Constantinum fere semper Diœceseon vocabulo abstinuit, vel si aliquando usa est, illud pro more illorum temporum exiguis sane terminis circumscripsit. Illud in Actis Concilii Arelatensis primum usurpari cepisse videtur ad designandam ditionem amplissimam Patriarchæ Romani. Nam Patres illi Arelatenses in epistola ad Silvestrum, *Tu*, inquiunt, *qui majores Diœceses tenes*. Cæterum in Actis Concilii sive Nicæni, sive Antiocheni, nomen quidem provinciæ sæpe invenies, Diœcesis vero numquam. Hoc nomen Synodus secunda Oecumenica quodammodo adoptandum censuit ecclesiasticæ Hierarchiæ, & amplissima significatione donavit; quippe Canone II. cavet ac sancit, ne Episcopi, videlicet Alexandrinus, Antiochenus, Asianus, Ponticus, Thracicus, quos nominatim appellat, extra præscriptos suarum *Diœceseon* fines suam jurisdictionem proferant. Exinde vocabulum Diœcesis æque apud ecclesiasticos, ac politicos scriptores quotidiano communique in usu esse cœpit, sic prorsus, ut eidem latissimam notionem utrique subjicerent. Itaque ante Constantinum, si quando ecclesia Latina, & præsertim Africa usa est hujusmodi vocabulo, illud pro more illorum temporum unius villæ oppidive ambitu circumscribere solebat. Ex quo fit, ut duplex veterum Diœceseon genus distingui oporteat. Majores erant consociatio quædam multarum Provinciarum in unum veluti corpus, sub uno capite vel Patriarcha, vel Exarcho, seu Primate coalescentium; Minores vero dicebantur, quæ per agros dispersæ cum essent, singulæ a singulis Presbyteris regebantur. Cæterum posterioribus sæculis Diœcesis vocabulum apud Politicos sive Geographos sive Historicos paullatim exsolevit; retentum quidem est ab ecclesiasticis scriptoribus, præsertim Latinis; sed ab ea, quæ olim latissime patebat, significandi potestate detrusum, hodiernus loquendi usus intra eos terminos compulit, quibus unius Episcopi jurisdictio definitur. Parochiæ vero seu Paræciæ vocabu-

Diœceseos vocabulo usurpari cœptum in Synodo Arelatensi an. 314.

Duplex veterum Diœceseon genus.

Diœcesis quid nunc sit.

Digitized by Google

cabulum, cui olim Epiſcopales Eccleſiæ ſuberant, translatum eſt ad Eccleſias urbanas, vel campeſtres, quarum procuratio Sacerdotibus Epiſcopalis characteris expertibus, quos nunc Presbyteros dicimus, demandari ſolet, qui ex eo Parochi nominantur.

Illud vero potiſſimum hic animadverti oportet, præclara illa Patriarchæ, Exarchi, Primatis, Archiepiſcopi vocabula uſque ad quintum vel quartum Eccleſiæ ſæculum ignota fuiſſe, aut certe nullum in Hierarchia eccleſiaſtica locum habuiſſe; quamvis quæ illis dignitas ac poteſtas ſubeſt, & nota eſſet, & jam inde a principio Chriſtiani nominis in Eccleſia vigeret. In Actis Nicænæ, Antiochenæque ſynodi, nullum illuſtrius, aut honorificentius, quam Metropolitani nomen, Primoribus Epiſcoporum, ſeu Patriarchis attributum invenies. Archiepiſcopi appellatio initium traxiſſe videtur ab Epiſcopis Alexandrinis; quippe Athanaſius Alexandrinus Pontifex in Apologia ſecunda ſe ipſe appellat Archiepiſcopum; quin Epiphanius hær. 78. duos ante Athanaſium, Alexandriæ Antiſtites, Petrum & Alexandrum Archiepiſcopi nomine donavit. Inde hujuſmodi appellatio cum ortum habuiſſet, deinceps ex aliis in alias Eccleſias paullatim dimanare cepit. Sub initium quinti ſæculi Marcus Diaconus in ea Vita, quam ſcripſit, B. Porphyrii Cæſareæ in Palæſtina Metropolitani Joannem Chryſoſtomum iterum ac ſæpius Archiepiſcopi vocabulo impertivit. Hujus tituli uſurpatio, cum latius in dies propagaretur, ſtomachum movit Epiſcopis Africanis, qui rati ſub eo vocabulo neſcio quid ſubeſſe mundani faſtus, ſeu dominationis cujuſdam, arrogantiæque ab Chriſtiana modeſtia & ſimplicitate abhorrentis, illud in Concilio Carthaginienſi III. quod exeunte quarto, vel quinto ineunte ſæculo habitum eſt, proſcribendum eliminandumque ab eccleſiaſtica Hierarchia cenſuerunt. Vetuit ergo hæc ſynodus Can. 26. ne quis in poſterum *ſummus ſacerdos*, aut Princeps ſacerdotum, quod idem eſt, atque Archiepiſcopus diceretur: *Ut primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut ſummus Pontifex, ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus*. Is quippe mos apud Latinos, ac præſertim Africanos jamdudum invaluerat, tenuitque deinceps per aliquot annos, ut qui a Græcis primum Metropolita, deinde Archiepiſcopus dici ſolebat, ab illis *Primæ ſedis* Epiſcopus vocaretur. Cæterum nihil erat, cur Archiepiſcopi titulus Epiſcopis Africanis adeo diſpliceret, tantoque opere illum averſarentur; quamvis enim magnificentior in ſpeciem eſſet, quam ut videretur cum modeſtia & ſubmiſſione eccleſiaſtica congruere; reipſa tamen nihilo plus ſignificabat, quam quantum ipſi tribuebant juris ac dignitatis Epiſcopo *Primæ ſedis*. Sed Africanorum auribus huic vocabulo inſuetis tituli novitas ambitioſum quiddam invidiæque plenum ſonabat. Verum ſi licebat illis primum inter Presbyteros, vel Diaconos, Archipresbyteri, vel Archidiaconi nomine impertiri, quid cauſæ erat, cur invidioſum aut arrogans haberi deberet Archiepiſcopum dici, qui primus eſſet inter Epiſcopos? Sed brevi, cum novitate ipſa, evanuit vocis invidia, & ſuſpicio dominationis eidem afficta. Nam paucis poſt annis in tertia Oecumenica, & prima Epheſina ſynodo primariis totius Orbis Epiſcopis, nemine repugnante, Archiepiſcopi nomen attributum eſt. Cœleſtinus Pontifex Maximus, & Cyrillus Alexandrinus ſedis Apoſtolicæ Legatus, Archiepiſcopi titulo paſſim ornantur. Exinde vero non ſolum Patriarchis, & Exarchis, ſed etiam Metropolitæ cuilibet id tituli uſurpare impune licuit; quamvis ſeculo ſexto nulli fere Archiepiſcopi ſolebant appellari, nili iidem eſſent Primates & Vicarii ſedis Apoſtolicæ, quo nomine diſtinguebantur a Metropolitis; id quod Juſtinianus Imperator Novella XI. Iſidorus Orig. lib. 7. & alii confirmant.

Archiepiſcopi nomen ab Alexandrinis ortum.

Africanis diſpliciit, ac vetitum eſt in Concilio III. Carthag.

Eiuſdem tituli vis ac notio.

idem titulus in Epheſina Synodo ſanctitus.

Nomen Patriarchæ ſive ab Judaicis Patriarchis poſteriorum temporum, ſive ab antiquiſſimis, ſanctiſſimiſque illis veteris Teſtamenti Patriarchis mutuatum, in Hierarchiam eccleſiaſticam invexit Synodus Chalcedonenſis anno 451. illudque primum uni ac ſoli Leoni Romano Pontifici attribuit, ut conſtat ex libellis ſupplicibus oblatis contra Dioſcorum, cum hac inſcriptione: *Leoni Archiepiſcopo univerſali, & Patriarchæ œcumenico;* itemque ex honorificis illis fauſtiſque acclamationibus totius Concilii: *Leoni multi anni, Patriarcha multi anni*. In eodem Concilio reliquarum itidem Diœceſeon Epiſcopi cepti ſunt Exarchorum vocabulo appellari. Porro nomen Patriarchæ una voce, unoque Patrum Chalcedonenſium conſenſu uni Romano Pontifici tributum, cepit deinde communicari Alexandrino, & Antiocheno, itemque Conſtantinopolitano, & Hieroſolymitano, quatuor illis videlicet totius Orbis Chriſtiani Epiſcopis, poſt Romanum Patriarcham, primariis. In ejuſdem Patriarchalis tituli communionem vocati ſunt Exarchi & Primates, aliique deinceps, qui cum cæteris Metropolitis vel dignitate, vel juriſdictione antecellerent, Patriarcharum numerum auxerunt, quamvis eorum plerique titulo tenus Patriarchæ habiti, ab antiquorum Patriarcharum amplitudine, & longe lateque diffuſa poteſtate vel plurimum abeſſent. Prætermitto cæteros Eccleſiaſticos veluti honorarios titulos Epiſcopis cujuſque gradus ac poteſtatis, alios aliis adſcriptos; illud tantum adjiciam, Papæ nomen, cum antea Epiſcopis omnibus promiſcue & communiter attribueretur, ineunte ſeculo ſexto, proprium & ſingulare Romani Pontificis eſſe cepiſſe; eoque, veluti quadam eximiæ excellentiæ nota, ſummus totius Eccleſiæ Hierarcha ab aliis cujuſque Ordinis Epiſcopis diſtingui. Hinc præclara illa ſententia Epiſcopi Patarenſis, qui de Silverii Romani Pontificis exilio, ut refert Liberatus cap. 22. apud Imperatorem conqueritur: *Multos eſſe in hoc mundo Reges, ſed non eſſe unum ſicut ille Papa eſt, ſuper Eccleſiam mundi totius*.

In Synodo Chalcedonenſi primum Leo Magnus appellari cœpit Patriarcha.

Exarchi vero alii primarii Epiſcopi.

Deinde dicti etiam Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus &c.

Nomen Papæ poſt quintum ſeculum ſoli Romani Pontifici reſervatum.

Jam vero ut paucis omnia complectar, univerſam Pontificalem Hierarchiam, qua nihil eſt aptius, nihil deſcriptius, nihil concinnius, componunt Patriarchæ, Exarchi ſive Primates, Metropolitæ ſive Archiepiſcopi, & Epiſcopi. Unum idemque omnibus ineſt Sacerdotium a Chriſto inſtitutum, ſed ejuſdem Sacerdotii non eſt inter omnes æqualis & par poteſtas, ſed in aliis contractior, in aliis latius diffuſa. His vero omnibus & ſingulis, ex inſtituto divino, auctoritate ac dignitate præeſt, ſummumque totius Hierarchiæ faſtigium inſidet unus Romanus Pontifex, a quo tamquam a capite Chriſtiani Sacerdotii plenitudo ac poteſtas in cæteros dimanat, non integra illa quidem, & univerſalis, ſed aliis uberius, aliis parcius, pro eo, ac poſtulat cujuſque gradus ac dignitas; communicata; & cum omnes in Pontificii muneris ac regiminis partem vocentur, certis tamen limitibus

Hierarchiæ Pontificalis compendiaria deſcriptio.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROVINCIÆ, ac METROPOLIS SALONITANÆ, POSTEA SPALATENSIS.

BATI MONTES

DACIA ANTIQUA

TRANSILVANIA nunc VALACHIA

MOLDAVIA

Explicatio Notarum.

Sedes † Metropolitica. † Episcopalis.

Sedes Episcopalis
A detracta Metropoli Salonitanæ
E extincta, vel alio translata.

Sedis Suacensis, antea Salonitanæ, deinde Antibarensi Metropolitæ subjectæ incerta est positio.

Tyras fl.

Hierassus fl.

Danubius fl.

Taurunum

Castrum Nartis

OESIA SUPERIOR

nunc

Margus fl.

Aquæ

ERBLIA

Ister fl.

Dorostorum Nicopolis

SCYTHIA

PONTICA

PONTUS

Tomi

Marcianopolis

Odissus

RDANIA nunc RASCIA

MOESIA INFERIOR nunc BULGARIA

Ciabrus fl.

Ulpianum

Sardica

Ternobum

Hæmus Mons

Naissus

Scupi

Remesiana

MACEDONIA

THRACIA

EUXINUS

ALIS

ustiniana Pa deinde Achrida olim hnidus

Axius fl.

Stobi

Rhodope Mons

Hadrianopolis

Constantinopolis

Strymon fl.

Thessalonica

Sinus Thermaicus

Berrhæa

Heraclea

Hebrus fl.

Digitized by Google

tibus vel amplioribus, vel angustioribus, cujusque jurisdictio & potestas definitur; quo fit, ut omnium Ecclesiarum sollicitudo, & summa totius rei ecclesiasticæ auctoritas in uno supremo capite resideat, ac veluti refluat in unum Romanum Pontificem, unde profecta est, & quasi per partes cæteris distributa. Quod S. Leo Magnus apposita ad hanc rem tum similitudine, tum etiam exemplo desumpto ex Apostolis, inter quos unus eminebat Petrus, his verbis declarat: *Connexio totius corporis unam sanitatem, unamque pulchritudinem facit. Et hæc connexio totius quidem corporis unitatem requirit, & præcipue exigit concordiam sacerdotum; quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis. Quoniam & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præesset. De qua forma Episcoporum quoque orta est distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam a suo capite dissideret.* Ep. 84.

His ad hunc modum expositis & declaratis, nunc investigare oportet, quemnam in Hierarchia Pontificali gradum obtinuerit S. Domnius, cum a Beato Petro Episcopus Salonæ constitutus est; & Salonitana ecclesia, ab S. Domnio condita, Metropolitico ne, an Episcopali tantum jure ab initio donata fuerit.

§. V.

Ecclesia Salonitana videtur ab initio fuisse Metropolis, & S. Domnius ejusdem primus Episcopus jure ac potestate Metropolitica præditus.

Tribus prioribus sæculis vel nullus in Italia præter Romanam Metropolis,

CUm Apostoli sane multas & perinsignes in Oriente Græciaque Metropoles ecclesiasticas condidissent; in Italia totoque Occidente admodum paucas, vel etiam nullas Ecclesias, præter Romanam, jure ac dignitate Metropolitica temporibus illis præditas fuisse juniorum scriptorum plerique existimant, & Occidentalium atque Italicarum Metropoleon originem ad finem quarti sæculi rejiciunt, vel certe infra tertium Ecclesiæ sæculum detrudent. Ajunt quippe a B. Petro, ejusque successoribus multos deinceps creatos & institutos Episcopos, quos vel ad disseminandam Christianam religionem, vel ad colendam tuendamque, ubi jam adoleverat, quaquaversum in omnes tum Italiæ, & insularum adjacentium, tum Galliæ Hispaniæque partes dimisit: unum vero fuisse Romanum Pontificem, qui jure Metropolitico omnibus illis Episcopis, Ecclesiisque præsideret; sic prorsus, ut ne ipsos quidem principum Italiæ civitatum Antistites, videlicet Mediolanensem, Aquilejensem, Ravennatem, ante quartum sæculum, Metropolitica potestate auctos esse contendant. Alii tamen duos omnino Metropolitas toti Italiæ bifariam divisæ jam usque a principio Christiani nominis præfuisse affirmant, Romanum scilicet ac Mediolanensem; huic quidem sex vel septem Provincias Ecclesiasticas inter Apenninum Alpesque, illi vero decem intra Apenninum Provincias, in quibus erat Sicilia, Corsica & Sardinia, cum earum Ecclesiis & Episcopis subjiciunt, juxta bipartitam Italiæ divisionem a Constantino Magno postea constitutam, qui ad Præfectum Prætorio Italiæ duos adjunxit Vicarios; alterum Romæ, qui Tusciam, Umbriam, Picenum suburbicarium, Apuliam & Calabriam, Brutios & Lucanos, Samnium, Sardiniam, Corsicam, Valeriam; alterum Italiæ dictum, qui Venetiam & Istriam, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam & Picenum Annonarium, Alpes Cottias, Rhætiam primam & secundam jurisdictione sua imperioque complectebatur. Cæterum hanc totius Italiæ in duas partes tributæ descriptionem, ab Hadriano primum conditam, vel designatam, deinde autem a Constantino perfectam vel confirmatam aliqui docent; id quod videtur colligi posse ex Aurelio Victore, qui de Hadriano Imperatore in Epitome scripsit: *Officia sane publica & palatina, nec non militiæ in eam formam Hadrianus statuit, qua paucis per Constantinum immutatis hodie perseverat.* Horum sententiæ suam adjungunt Emanuel Schelstrate tom. 2. Antiqu. Eccl. Dissert. 4. c. 5. & Petrus de Marca. Is cum ex Episcopis universæ cis ultraque Apenninum Italiæ duas synodos conflari solitas fuisse tradat, duas itidem Italiæ Provincias ecclesiasticas adscribit, quas vocat Diœceses, & alterius quidem Romam, alterius Mediolanum Metropolim fuisse affirmat lib. 1. de Conc. sacerd. & Imp. c. 6. *Plane mihi persuadeo ipsius Cornelii tempore, in Ecclesiasticæ Disciplinæ ordine duas veluti Diœceses apud Italiam constitutas fuisse, e quibus Italica & Romana Synodus constarent: quæ liquidius patuerunt, cum Italia lege Constantini duobus Vicariis Præfecti Prætorio est assignata, quorum alteri sedes esset Mediolani, alteri Romæ*: idque alio loco Hieronymi auctoritate confirmat, qui de Viris illustribus cap. 56. hæc habet: *Cornelius . . . scripsit Epistolam ad Fabianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de synodo Romana, Italica, Africana.* Nec vero desunt, qui præter Romanam & Mediolanensem, unam alteramve in Italia, itemque in Sicilia, & Sardinia, aliquot etiam in Hispania Galliaque Metropoles Apostolorum ætati vel æquales, vel suppares fuisse arbitrentur, suamque opinionem, sive rationibus, sive conjecturis haud sane contemnendis, probare ac defendere conantur. Auctorum de hac re dissidentium sententias, & momenta rationum, quibus unaquæque nititur, non est hujus loci expendere, neque nunc necesse habeo aut refellere, aut approbare. Illud mihi videor non sine probabili conjectura & ratione affirmari posse, non si temporibus Apostolicis nulla fuit, præter Romanam, in Italia vel in Occidente Metropolis Ecclesiastica, continuo sequi jus & honorem Metropoliticum Ecclesiæ Salonitanæ a primæva & Apostolica institutione sejungendum esse, atque ad posteriora sæcula retrahendum. Nam cum sub exortum Christiani nominis nondum celeberrima illa Imperii Romani in Orientale & Occidentale divisio facta esset, in qua Dalmatia Imperio Occidentis adscripta fuit, hinc regio priscis temporibus in earum Provinciarum numero haberi solebat, quæ, Romæ Italiæque ratione habita, ad Orientem vergebant, quippe Italiæ ab ortu Solis obversa est. Neque ullo modo pertinebat ad Italiam, cujus fines Octavianus Augustus intra Arsiam extremæ Istriæ fluvium constituerat; quamvis Dalmatia posterioribus sæ-

vel duo tantum Romanus, & Mediolanensis;

Duæ Synodi Italiæ, Italica & Romana.

Non fuisse in Italia & Occidente plures Metropoles, ideirco hæc dignitas adimenda est Salonæ in Dalmatia.

Digitized by Google

fæculis dicta fit regio Italiæ ob eas cauſas, quas p. 2. Prolegom. cap. 1. §. 3. attulimus; ſed potius ad Græciam ſpectabat, & Iſidoro teſte *Pars prima Græciæ* appellari ſolebat; cujus quidem appellationis originem inde uſque ab antiquiſſimis ante Chriſtum temporibus repetendam eſſe eodem capite & paragrapho diximus; aut ſaltem hæc appellatio tum videtur uſurpari cępiſſe, cum Romani, quemadmodum antea cæteras Græciæ regiones, ita & Dalmatiam demum in ſuam poteſtatem redegerunt. Ex eo enim Dalmatæ primo quidem Græcis finitimi, deinde eodem, atque illi, Romanorum Imperio ſubjecti, commercio quoque jungi inter ſe miſcerique cęperunt; ex quo factum eſt, ut doctiſſimæ illius ac politiſſimæ nationis ſocietate ad omnem humanitatem edocti, Græcorum moribus aſſuefcerent, linguam addiſcerent, leges atque inſtituta ſibi adoptarent. Inde Dalmatia, ut videtur, vocari cępta eſt *Prima pars, ſeu prima Provincia Græciæ*. Huc revoca, quæ loco laudato fuſius a nobis paulſoque accuratius expoſita ſunt.

Dalmatia pars prima Græciæ.

Jam vero longe mihi videtur veriſimilius eſſe Eccleſiam Dalmaticam conditam fuiſſe ab Apoſtolis ad normam illarum, quas in Oriente & Græcia fundaverant, quam ab Eccleſiis Italicis vel cæteris Occidentalibus illius inſtituendæ conformandæque exemplar ſumpſiſſe; quippe cum Dalmatia in numero haberetur regionum Orientalium, Græciæque interdum nomine affici ſoleret, ac potius Græcorum, quam Italorum mores atque inſtituta ſequeretur. A Dalmatia prope aberat Græcia, ubi tres illas præclariſſimas Metropoles in totidem primariis ejus regionis civitatibus Apoſtoli inſtituerant, Corinthiacam, Theſſalonicenſem, Philippenſem. Quid cauſæ igitur excogitari poteſt, cur non eodem honore ac dignitate impertierint Dalmaticam & Salonitanam eccleſiam, haud ita longe ab Græcia disjunctam, præſertim cum Salona temporibus illis, vel civium & incolarum numero, vel deſcriptione ędificiorum, & magnificentia, vel commercio & divitiis, nulli Græcarum civitatum inferior eſſet, & cum ampliſſimis quibuſque urbibus haud immerito conferri poſſet?

Dalmatica Eccleſia inſtituta ad normam Eccleſiarum Græcarum & Orientalium, inter quas multæ erant Metropoles.

Qui negant eccleſias Mediolanenſem, Aquilejenſem, Ravennatem ab initio Metropoles fuiſſe, tempus deſignant, & cauſas afferunt collatæ eiſdem dignitatis Metropoliticæ; cum antea ejuſmodi ornamento ac titulo caruiſſe haud obſcuris indiciis probent, vel etiam certiſſimis argumentis ex antiquitate depromptis plane ad veritatem perſuadeant. Nemo autem mihi infra ætatem Apoſtolicam vel tempora definierit, vel occaſionem cauſaſque explicaverit evectæ ad Metropoleon ordinem eccleſiæ Salonitanæ; neque ex antiquis Tabulis vel Scriptoribus quidquam ſuppetit, quod indicio ſatis certo eſſe poſſit, Salonitanum Antiſtitem prioribus eccleſiæ ſeculis Metropolitanæ juriſdictionis expertem fuiſſe. Cum igitur jus Metropolitieum eccleſiæ Salonitanæ nulla vel Romanorum Pontificum Apoſtolis ætate inferiorum, vel Conciliorum decreta contulerint, de quibus quidem conſtet; neque unde aut quando ea dignitas illi obvenerit, litteris aut memoriæ proditum ſit; conjectura & ratione haud ſane improbabili confici poteſt Salonitanam Metropolim antiquiſſimam fuiſſe, ejuſque inſtitutionem ab ipſis Apoſtolicis temporibus repetendam eſſe: huc enim aliquo modo accommodari poſſe arbitror præclaram illam Reguſtinianam, qua traditiones Apoſtolicæ ab Eccleſiaſticis internoſci facile poſſunt: *Quod . . . nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Fateor equidem nihil veteris probatique illorum temporum monumenti ſupereſſe, unde id, quod volumus, plane ac dilucide effici queat; nam priorum Antiſtitum Salonę Acta cum perierint, nullum inde uſurpati ab illis Metropolitani juris exemplum afferre licet. Nullus Salonitanus Epiſcopus Arelatenſi, nullus Nicæno, nullus Sardicenſi Concilio interfuit, ex cujus ſubſcriptione fortaſſis dignoſci poſſet, quem gradum in eccleſiaſtica Hierarchia obtineret; quamquam in hujuſmodi ſubſcriptionibus Epiſcopi, neque alio honorificentiori, quam Epiſcopali vocabulo nominantur, & plerumque non eo, quem cujuſque dignitas poſtulat, ordine & loco recenſentur. Extant quidem litterę Synodicæ Conciliabuli Semiarianorum habiti anno 347. Philippis in Thracia, falſoque dicti Sardicenſis, ad Epiſcopos omnes, quibus nominatim adjungitur Maximus Salonitanus; ſed neque huic, neque aliis quidquam notæ apponitur, qua ſimplices Epiſcopi a Metropolitis diſtinguantur. Nihil monumenti ante initium quinti ſæculi litteris conſignati proferre poſſumus, in quo ſatis eluceat, ſeque omnibus conſpicuam præbeat auctoritas & dignitas Metropolitica Eccleſiæ Salonitanæ. Zoſimus Pontifex Maximus in iis litteris, quas anno 418. ad Heſychium Salonitanum Epiſcopum dedit, clare & perſpicue oſtendit eum jure ac poteſtate Metropolitica prædituni eſſe; quippe ejus juriſdictioni non unam Parochiam, quam nunc Dięceſim vocamus, ſed integram Provinciam adſcribit, jubetque illum erga Epiſcopos ſibi ſubjectos, litteris Pontificiis ad eos mittendis, officio fungi Metropolitæ. Cum enim eum docuiſſet æque Monachos ac Laicos, haud aliter, quam gradatim ab inferioribus Eccleſiæ ordinibus ad Presbyteratum provehendos eſſe, Heſychio mandat, ut pro ſuo munere ac poteſtate haſce litteras perferendas curet ad Epiſcopos ejus provinciæ, cui ipſe præerat, & inſuper etiam ad Epiſcopos finitimarum provinciarum: *Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogaremus, ad te potiſſimum ſcripta direximus, quę in omnium fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum facies ire notitiam, non tantum eorum, qui in tua PROVINCIA ſunt, ſed etiam qui vicinis dilectionis tuę provinciis adjunguntur*. Nemo autem credet, opinor, tum primum Salonitanos Antiſtites jure metropolitico uti cępiſſe, cum Zoſimus Heſychio id negotii dedit, ut epiſtolam illam ſanctionemque Pontificiam divulgaret, aliiſque Epiſcopis legendam traderet; nam idem Pontifex aperte profitetur, propterea decretum illud ab ſe Heſychio potiſſimum ac nominatim miſſum eſſe, ne *quid meritis ejus derogaret*, ideſt, ut pro eo ac merebatur ejus auctoritas ac dignitas, qua cęteris Provincialibus Epiſcopis antecellebat, debitum illi honorem tribueret, litteris Pontificiis ad eum datis, quas non aliunde ipſum decebat, niſi ab ſede Apoſtolica accipere, ut deinde earum exempla Epiſcopis ſuæ provinciæ diſpertiens officio ſuo Metropolitico fungeretur. Quare Zoſimus non contulit Heſychio jus titulumque Metropolitani, ſed in ejus poſſeſſione jam dudum & Heſychium, & ejus deceſſores conſtitutos fuiſſe facto ſuo declaravit. Præterea quid eſt, quod Zoſimus jubeat Heſychium litteras illas Apoſtolicas non ſo-

Initia Metropoleon Italicarum infra ætatem Apoſtolicam oſtendi ſolent.

Initium Salonitanæ Metropolis omni memoria antiquius.

Sæculo quinto ineunte Salonitanus Epiſcopus jure & officio Metropolitæ fęgebatur.

Epiſtola I. Zoſimi in Tomo III. Collect. Labbeanæ Venetæ Concil.

Ex Epiſtola Zoſimi Papæ colligitur Epiſcopum Salonitanum multo ante jure & titulo Metropolitico donatum fuiſſe.

Digitized by Google

ſolum ad Epiſcopos Provinciæ Salonitanæ, ſed etiam ad Epiſcopos confinium Provinciarum transmittere? Quid eſt, quamobrem Zoſimus peculiares litteras ſingillatim non dederit ad Metropolitas Dalmatiæ finitimos, quas illi cum ſuis quiſque Provincialibus Epiſcopis communicarent? Niſi me conjectura fallit, hanc cauſam fuiſſe arbitror, quod cum Zoſimus illud Apoſtolicum decretum uno litterarum exemplo ad plures Metropolitas perferri vellet, cæteris anteferendum cenſuit Antiſtitem Salonitanum, ad quem illud nominatim perſcriberet, & per quem longe lateque vulgaretur, alioſque ad Epiſcopos perveniret, propterea quia Epiſcopus & Eccleſia Salonitana juris titulique Metropolitici antiquitate Metropolitis finitimis præſtabat. Ex quo ſatis intelligitur Epiſcopos Salonitanos multis ante Pontificatum Zoſimi ætatibus & nomine & inſignibus Metropolitarum ornatos fuiſſe; & cum incertum ſit, quo auctore, quove tempore juris Metropolitici uſurpandi initium fecerint, nihil prohibet, quominus illius origo ad Apoſtolos auctores referri queat; quin conjecturæ & rationes, quæ a nobis ſunt expoſitæ, ſuadent, ut non aliunde, quam ex ætate inſtitutoque Apoſtolico id honoris ac poteſtatis in Salonitanos Antiſtites derivarum eſſe credamus. A Pontificatu autem Zoſimi, & quinti ſæculi primordiis, omnia, quæ ſuperſunt; monumenta Metropolitanam Eccleſiæ Salonitanæ excellentiam ac præſtantiam declarant, veteres Tabulæ & Acta Epiſcoporum confirmant, Litteræ Pontificum Romanorum, uſus Pallii, poteſtas convocandi ſynodos Provinciales, aliorum Dalmatiæ Epiſcoporum erga Salonitanum debitæ reverentiæ obedientiæque officia numquam intermiſſa teſtantur.

Huc accedit, quod quæ cauſæ impulerunt Apoſtolos, ut alias præ aliis in Oriente Græciaque urbes deligerent, in quibus Eccleſias Metropolitanas fundarent, eædem omnino illis eſſe potuerunt ac debuerunt, ut id muneris juriſque eccleſiaſtici Salonitanæ urbi conferrent. Qui de Originibus Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſcripſerunt, hac in re diſcrepant, & quam condendarum Metropoleon rationem Apoſtoli inierint, non omnes unam eamdemque, ſed alii aliam deſignant. Plerique exiſtimant ex Imperii Romani deſcriptione Apoſtolos exemplar ſumpſiſſe inſtituendæ conformandæque Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſic prorſus, ut in iis civitatibus Eccleſias Metropolitanas conderent, & Metropolitarum Thronos conſtituerent, quæ civiles eſſent Metropoles, ideſt Matres ac Principes aliarum urbium, Præfectoque totius Provinciæ ſtabilem ſedem, fixumque domicilium præberent. Ab his vehementer diſſentit cum pleriſque juniorum Benedictus Bacchinius, Vir eximiæ doctrinæ & eruditionis, Monachus e Caſſinenſi Benedictina familia, qui in lib. de Eccleſ. Hier. orig. formam illam Metropoleon & Provinciarum civilium haud paullo recentiorem eſſe oſtendit, quam ut cum ætate Apoſtolorum congruere, conjungique poſſit. Nulla tum erat civitas quamvis frequens ac nobilis, quæ multis circumpoſitis urbibus præeſſet, cuique totius Provinciæ Præſes ſuam ſedem certam ac perpetuam affigeret; is quippe nulli definito loco addictus, provinciam obeundo, incolis ex oppidis pagiſque in quædam loca ad id deſtinata coeuntibus jus reddebat; quippe cum provincia quælibet in plures Conventus diviſa, ac diſtributa eſſet, ideſt in urbes ſive oppida quædam, ubi Prætores ad tempus conſiſtere, Conventum agere, de rebus publicis conſulere, privatas controverſias cognoſcere ac dirimere, & cetera hujuſmodi negotia, quę ad provinciæ regimen eorumque munus pertinebant, expedire & conficere ſolebant; quibus peractis ad alia deinceps loca migrabant. Ac Dalmatiæ tres omnino Conventus adſcripſit Plinius, Naronianum, Salonitanum, Scardonitanum, de quibus parte 2. Prolegom. ſæpius dictum eſt. Quare alii, nulla Metropoleon civilium habita ratione, ajunt Apoſtolis illud propoſitum fuiſſe, ut in ampliſſimis quibuſque, ac celeberrimis Imperii Romani civitatibus Eccleſias Matres cæterarum ac Principes inſtituerent; ab his ſiquidem Evangelii propagandi initium eos plerumque feciſſe, propterea quod rei Chriſtianæ plurimum intererat, & ad vim præſentiamque divinam declarandam maxime pertinebat, ibi potiſſimum Idololatriam aggredi, ubi plus opibus, auctoritate, ac potentia valebat, & validiſſimis fulta ac munita præſidiis, longe lateque dominabatur. Haud dubia ſpes erat ſuperſtitionem nullo negotio deturbatum iri e minoribus locis, ubi ſemel e majoribus fuiſſet depulſa; lux autem veritatis e primaria cujuslibet regionis civitate, tamquam e celſa quadam illuſtrique arce in reliquas urbes facilius diffundi, & quaquaverſum propagari poſſe videbatur. Quæ cauſa fuit B. Petro, ut in maximis totius Orbis, longeque omnium præſtantiſſimis civitatibus, videlicet Romę, Alexandrię, Antiochię ſedem ſui Principatus Pontificii collocaret, itemque Paullo, ut epiſtolas ſuas ad primarias Græcię Aſięque urbes ſcriberet; quod argumento eſt eum laboris atque operę plurimum in earum ad Chriſtum converſionem impendiſſe, & præcipuas in eiſdem maximeque illuſtres Eccleſias fundaſſe. Hinc autem fiebat, ut Eccleſię in iis, quas dixi, præclariſſimis civitatibus conſtitutę, Evangelii præconibus in alias atque alias minores urbes dimiſſis, alias ex ſe in his urbibus progignerent Eccleſias, in quas jus Metropoliticum, ſive maternam quamdam auctoritatem, & dominationem exerterent. Utriuſque ſententię Auctores, quamquam inter ſe diſſidere videantur, alteri tamen cum alteris conciliari poſſunt, ſi de ſua quiſque opinione aliquid remittere velint; nec difficile arbitror, ex duabus illis, explicatione quadam adhibita, unam conflari poſſe admodum veriſimilem ſententiam. Convenit inter omnes Romanum Imperium ab Octaviano Auguſto in provincias diſtributum fuiſſe; alias quidem Proconſulares, quas Senatui Populoque Romano in poteſtatem tradidit; alias vero Prętorias, quarum adminiſtrationem ſibi ipſe retinuit. Illud quoque conveniat neceſſe eſt, unam fere alteramve in ſingulis provinciis civitatem fuiſſe, quę quamvis nihil juris imperiive in cęteras haberet, dignitate tamen, amplitudine, divitiarum copia, incolarum numero, ędificiorum magnificentia reliquis ejuſdem provincię urbibus longe multumque pręſtaret. Porro multas Eccleſias pręſertim Gręcas & Aſiaticas in hiſce primariis civitatibus conſtitutas jure & poteſtate Metropolitica ab Apoſtolis donatas fuiſſe cum vetera monumenta declarant, tum vero primę & alterius ſententię Auctores conſentiunt. Hoc inter illos diſcrepat, quod priores quidem hujuſmodi civitates & fuiſſe volunt, & habitas eſſe dictaſque Metropoles civiles, quod negant poſteriores, ab eoque vocabulo abſtinendum putant. Nec ſane video, cur ad eas urbes deſignandas uti non liceat hoc vo-

De originibus Metropoleon Eccleſiaſticarum varia ſententia.

quas alii a Metropolibus civilibus,

alii a Civitatibus primariis Imperii Romani repetunt.

Ratio utriuſque ſententiæ alteri alteri concilianda.

cabulo, modo ejus vim ac notionem exigere nolis ad formam illarum Metropoleon, quæ posterioribus temporibus inſtitui cepere, cum ſcilicet una civitas unius provinciæ caput, & multarum urbium princeps ac domina effecta eſt, eique ſtabilis ac certa ſupremi magiſtratus Provincialis ſedes affixa: non enim deſunt ſcriptores Apoſtolis æquales, vel ab eorum ætate proximi, quorum exemplis hujuſmodi appellationitatur; quippe præclariſſimas quaſque civitates, licet nullo jure in alias minores urbes aut dominatione præditas, Metropoleon tamen nomine appellarunt; id quod ipſemet Bacchinius fatetur Diſſert. de Orig. metrop. Eccl. p. p. pag. 29. & ſeq. Quamvis igitur temporibus Apoſtolicis nullæ fuerint, veri propriique nominis Metropoles, ad rei tamen veritatem ſatis apte congruenterque dici poteſt, Apoſtolicam Hierarchiæ Eccleſiaſticæ deſcriptionem, ſi non omnimodis, certe aliqua ex parte conformatam fuiſſe ad normam ac ſyſtema Imperii Romani; ut Eccleſiaſticæ quidem provinciæ, ſi non omnes, attamen pleræque, ſi non omnino, aliqua certe ratione, civilibus provinciis reſponderent; principes vero cujuſque provinciæ civitates ſedis Pontificiæ Metropolitanæ honore ac dignitate ornatæ fuerint. Hoc tantum intereſt, quod hæ civitates ex Imperatorum decretis nullas alias urbes obnoxias ſibi obſequenteſque haberent; Eccleſiæ vero in iiſdem conditæ, eorumque Epiſcopi, ex inſtituto Apoſtolorum, cæteris cujuſque provinciæ, Eccleſiis, & Epiſcopis, Metropolitico imperio præeſſent. Hæc conformatio primævæ Eccleſiæ, & Hierarchiæ ad ſimilitudinem Imperii Romani deſcripta, neque omnino abhorret ab ea, quam Auguſtus fecerat, civilium provinciarum partitione, nam quemadmodum civiles ex pluribus civitatibus, ſic Eccleſiaſticæ provinciæ ex pluribus Eccleſiis Epiſcopalibus conſtabant; neque alterutrius ſententiæ Patronis diſplicere poteſt, inter quos convenit, ampliſſimas quaſque civitates ab Apoſtolis delectas fuiſſe, in quibus Eccleſias Metropolitanas inſtituerent; urbes vero illæ fuerintne, ac dicine potuerint, non ſolum honoris, ſed etiam juriſdictionis cauſa, Metropoles civiles, cujuſmodi plures poſtea extiterunt, id in controverſia eſt.

inter Patronos utriuſque ſententiæ convenit, Metropoles Eccleſiaſticas initio fuiſſe conditas in primariis Civitatibus.

Jam vero ad rem noſtram ut propius accedamus, ratio hactenus deſcripta & conſuetudo Apoſtolica condendi Eccleſiaſticas Metropoles poſtulabat, ut id juris in univerſam Dalmatiam, poteſtatiſque Eccleſiaſticæ Apoſtoli potiſſimum urbi Salonitanæ conferrent. Inter Provincias orbis Romani haud infimum locum obtinebat Dalmatia, quam primum quidem Auguſtus Senatui ac populo adminiſtrandam tradiderat, deinde in ſuam ditionem poteſtatemque revocavit, numeroque Provinciarum Auguſtalium adſcripſit. Salona civitas erat totius Dalmatiæ facile princeps, natura & ſitu, deſcriptione ædificiorum & pulchritudine, civium & incolarum frequentia, portuque vel ad integram claſſem excipiendam idoneo & capaciſſimo, nulli Romanarum civitatum inferior: cujus quidem amplitudinem, & magnificentiam, quæ ſuperſunt etiamnum, veſtigia amphitheatri, Templorum, aquæductus, item columnarum, lapidum ſepulchralium, & inſcriptionum fragmenta teſtantur, quæ commemorat Hiſtoricus Dalmata in ſuis eruditis de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ Commentariis lib. 6. cap. 6. Huc pertinent, quæ a nobis dicta ſunt de Urbe Salona capite proxime ſuperiori. Nihil igitur ornamenti, nihil celebritatis, nihil magnificentiæ deerat Salonæ, ut digna eſſe & haberi poſſet, quæ ex more inſtitutoque Apoſtolico ad Metropolis Eccleſiaſticæ dignitatem eveheretur; & quamvis juxta civilem diſpoſitionem uni tantum Conventui ex urbibus oppidiſve haud longe disjunctis compoſito præeſſet; id nihil oberat, quo minus cæteris Eccleſiis in tota Dalmatia deinceps condendis regendiſque eam Apoſtoli præficerent: quippe qui in deſignanda componendaque Hierarchia Eccleſiaſtica non ita ſe Urbium, Provinciarum, Magiſtratuum civili deſcriptioni addictos eſſe obſtrictoſque voluerunt, ut nihil de hac immutare ſibi liceret; ſed politicæ illius deſcriptionis exemplar non ultra perſequi decreverunt, niſi qua rebus atque inſtitutis Eccleſiaſticis & cohæreret, & prodeſſet.

Conſuetudo Apoſtolica Metropoles Eccleſiaſticas condendi in urbibus primariis poſtulabat,

ut id juris ac dignitatis conferrent Eccleſiæ Salonitanæ.

Benedictus Bacchinius ſupra laudatus exiſtimat non aliunde Apoſtolos, quam ex Judaica Republica formam & exemplum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ deſcribendæ ſumpſiſſe; proinde ut in quaque civitate frequentiſſimæ eſſent Judæorum ſynanogæ cum ſuo Provinciali ſynedrio, ita in ea potiſſimum Apoſtolis auctoribus fundatas eſſe Metropoles eccleſiaſticas, id quod ille multis & rationibus, & conjecturis, & auctoritatibus docte copioſeque explicare, & ſuadere conatur. Hinc cauſam expromit, cur in Italia & Occidente nulla fuerit ab initio, ut ipſe aliique exiſtimant, præter Romanam, Metropolis Eccleſiaſtica; nempe nulla, ut ait, in Italia toroque Occidente, niſi Romam, deducta fuerat ad eam diem Colonia Judæorum; aut certe nuſquam alibi frequentius, quam Romæ, Judæi habitabant. Hæc ſententia, quam aliquibus etiam ante Bacchinium placuiſſe video, ſi forte arrideat, nullus dubito, quin Judæorum quamplurimi, ut in *Theſſaliam*, *Bæotiam*, *Macedoniam*, *Ætoliam*, *Atticam*, *Argos*, Corinthum, teſte Agrippa Rege in ſua ad Cajum Imperatorem Epiſtola, ſic in Dalmatiam haud longe ab Græcia disjunctam, & Salonam potiſſimum commigraverint, urbis illius opulentia, & commercio maritimo illecti; ex quibus Judaica ſynagoga coaluerit ſane frequens ac nobilis, & plane digna, cui ſummus ille Judaicus Magiſtratus, quem vocabant Synedrium, jure ac merito præfici poſſet. Si enim Judæorum nomen genuſque temporibus Apoſtolicis tota Græcia propagatum erat, coloniis e Paleſtina Theſſalonicam, Corinthum, aliaſque in urbes Græcorum emiſſis, in quibus ſuas cum ſynedriis ſynagogas habebant: quid eſt, quod cohibere potuerit nationem illam errabundam, quæ potiſſimum emendi ac vendendi queſtu & lucro ducitur, quominus Salonam frequentiſſime confluerit, ibique fortunarum ac rerum ſuarum ſedes ac domicilia collocaret, ut videlicet ex illius urbis copiis opibuſque diteſceret, ibique mercaturis terra marique faciendis rem ſuam familiarem & publicam augeret. Et ſane apud Salonam hodieque viſuntur rudera quædam ac veſtigia, in quibus olim, ex indigenarum traditione, Judæorum contubernia ſtetiſſe dicuntur, ex quibus celeberrima & opulentiſſima illius gentis Synagoga conſtabat, cui Provinciale ſynedrium ad cognoſcendas dirimendaſque controverſias, pœnaſque paternarum legum violatoribus infligendas præfuerit, opinari licet. Si ergo Apoſtolicam Eccleſiarum deſcriptionem ad normam reipublicæ ac magiſtratus Judaici cum

Tertia ſententia. Deſcriptio Eccleſiaſtica ad normam Judaicæ reipublicæ.

& Metropoles conſtitutæ, ubi Judæorum eſſent ſynagogæ celeberrimæ.

Salonæ colonia Judæorum frequentiſſima,

ac propterea, ſi tertiam ſententiam ſequi libeat, Metropolis eccleſiaſtica ibidem condita.

Bac-

Bacchinio exigendam cenſeas, habes Salonæ Synagogam, habes Synedrium, quod Metropolis eccleſiaſticæ Salonis condendæ cauſam Apoſtolis præbere potuerit.

4. Quarta ſententia. Hierarchia eccleſiaſtica ad normam Ethnicæ Hierarchiæ.

Thomas Archidiaconus hiſt. Salon. cap. 3. docet, ita Epiſcopos ſingulos in ſingulas civitates ab Apoſtolis deſcriptos fuiſſe, ut illis maxime urbibus Metropolitas præficerent, in quibus Primores Antiſtitum Ethnicę ſuperſtitionis delubris inanium Deorum, & impuris illis ſacrificiis cęremoniiſque præpoſiti eſſent. Hanc ille ſententiam, quæ olim haud ignobilium ſcriptorum patrociniis gaudebat, his verbis expoſuit: *Hoc B. Petrus ſtatuerat, ut Pontifices Chriſtianæ religionis ſic diſponerentur per urbes ſingulas totius orbis, quemadmodum apud Gentiles fuerat antiquitus conſtitutum; in illis enim urbibus, in quibus erant Gentiles Antiſtites, qui dicebantur Protoflamines, fecit ordinari Epiſcopos; in Metropoles vero Provinciarum, ubi erant Archiflamines, Archiepiſcopos cenſuit ſtatuendos.* Vetus ſuperſtitio inter ſacrificulos annumerabat Flamines, quorum erant ſane multi pro immenſa illa Deorum turba & multitudine, quos cæca & veſana antiquitas colebat; nam ſuus erat fere cuique Deo, cujus ſacris curandis præerat, a quo etiam cognomen ſortiebatur. Hinc Flamen Dialis, Martialis, Quirinalis &c. & cum id moris receptum eſſet apud veteres, ut Imperatores vita functos in Divorum numerum referrent, ſuum illis quoque Flamen aſſignabant, qui Flamen Auguſtalis dici ſolebat. Inter *Protoflamines*, ideſt primos Flamines, & *Archiflamines*, ideſt Principes Flaminum, quid interſit, haud ſane intelligo, cum utrique vocabulo eadem notio ſubeſſe videatur. Certe quidem hæc Flaminum diſtinctio in antiquis probatiſque ſcriptoribus, ſive Lapidibus nuſquam apparet. Haud equidem ignoro *primi Flaminis*, & *Flaminis Provincialis* mentionem fieri in Fragmento Lapidis Caſtalenſis in Hiſpania apud Ambroſium Moralem, in quo legitur: *Flamini Auguſtali in Bætica primo*; & in epigraphe illa Narbonenſi apud Petrum de Marca de Primatu Lugdun. quæ Baronio *primi Flaminis* titulum attribuit: *Tauropolium* (in quo taurorum victimę mactabantur) *Provinciæ Narbonenſis factum per C. Batonium primum Flaminem Auguſtalem pro ſalute Dominorum Imperatorum L. Septimii Severi* &c. Item Flaminem Provincialem Hiſpaniæ citeriori præpoſitum fuiſſe, qui rebus divinis faciendis præeſſet, teſtatur inſcriptio Tarraconenſis, in qua Marius quidam appellatur *Flamen provinciæ Hiſpaniæ citerioris*; & alibi, *Mœcius flaminatu provinciæ Hiſpaniæ citerioris* functus fuiſſe dicitur. Sed Archiflamines vel memoratos, vel a primis Flaminibus diſtinctos, apud veteres ſcriptores, quorum fides & auctoritas apud omnes valeat, nuſquam invenies. Vereor, ne hujuſmodi Flaminum diſtinctio, ratioque ordinandæ Hierarchiæ eccleſiaſticæ ad normam Ethnici Sacerdotii, deſumpta fuerit ex illa Clementis ad Jacobum Fratrem Domini epiſtola, quam plerique viri eruditi commentitiam ac ſuppoſitam eſſe ſine ulla dubitatione affirmant. In ea ſiquidem ſcriptum eſt: *in illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi Legis Doctores erant, Epiſcoporum primates poni, vel Patriarchas B. Petrus præcepit, qui reliquorum Epiſcoporum cauſas, & majora, quoties neceſſe foret, negotia in fide agitarent; in illis autem civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen minores tenebant, quam memoratos Primates; Archiepiſcopos inſtitui præcepit. In ſingulis vero civitatibus ſingulos & non binos, aut ternos, aut plures Epiſcopos conſtitui præcepit, qui Epiſcoporum tantum vocabulo potirentur.* Hanc Clementis ſententiam de duplici Primatum & Archiepiſcoporum ordine, ad exemplar duplicis Flaminum ordinis in eccleſia primæva conſtituto viſus eſt amplecti & approbare Gregorius Septimus Pontifex Romanus lib. 6. ep. 38. Sed eamdem Archidiaconus parum accurate ac feliciter expreſſit, cum ait ſimplices Epiſcopos Protoflaminum, Archiepiſcopos vero locum obtinere Archiflaminum, quod cum Clementis epiſtola non cohæret. Id ante nos animadverterat Hiſtoricus Dalmata, qui lib. 2. cap. 14. Archidiaconi loco ſupra laudato hanc cenſuram inflixit: *Imitatione Gentilium Antiſtites Chriſtianos in primitiva eccleſia inſtitutos Gregorius Septimus teſtatur; ſed Archidiaconus in relatione Flaminum ordinem invertit; nam quos ipſe Protoflamines vocabulo Græco vocat, hos primos Flamines a Romanis dictos, præter Gregorium, lapides antiqui a Petro de Marca relati demonſtrant; cum enim in loco Primorum Flaminum non Epiſcopos, ut Archidiaconus, ſed Primates ſeu Patriarchas ſubrogatos Gregorius refert, ideo Archidiaconum inferiore in loco Protoflamines inverſo ordine poſuiſſe apparet, quibus Epiſcopi ſingularum civitatum reſpondeant: Archiflaminum vero memoria apud antiquos non reperitur.* Cæterum ſi hanc ſententiam, quæ Canoniſtis placuit, & in corpus juris Canonici neſcio quomodo irrepſit, ſequi amplectique libeat, ex ea quoque argumentum ſumi poteſt ad probandum id, quod ſuadere conamur. Haud enim dubitari poteſt, quin Salonæ, pro urbis amplitudine ac dignitate, Antiſtites Idolorum ſaltem ſecundi ordinis, ideſt Archiflamines ſanis ac ſacrificiis præſiderent. Quare ſi ad ſimilitudinem Ethnicorum Sacerdotum Pontifices Chriſtianos inſtitui ac diſtingui viſum eſt Apoſtolis rei eccleſiaſticæ conſentaneum fore, & ex dignitate Chriſtiani nominis; oportuit Salonæ Principes Epiſcoporum conſtituere, quos ætas poſterior Archiepiſcopos appellavit; quibus ſcilicet divini cultus rerumque ſacrarum procuratio committeretur, in ea urbe nimirum, in qua veſana ſuperſtitio Principes ſuorum Sacerdotum collocaverat, qui nefariis ſacris, impuriſque cęremoniis operaretur.

Hæc quarta ſententia ſi placeat, hinc quoque efficitur eccleſiam Salonitanam Metropolim ab initio fuiſſe.

Sed conjecturis omiſſis, age nunc videamus, num quid antiqui monumenti, ſcriptique proferre poſſimus, quod ad id, quod volumus, probandum ponderis plus habeat, & auctoritatis. In ſacello Lateranenſi Venantiano, de quo plura dicenda nobis erunt in Actis S. Venantii Epiſcopi Salonitani, viſitur S. Domnius in Abſide ejuſdem ſacelli muſivo opere pictus, pulcherrimo veſtitu & ornatu Epiſcopali, cum Pallio Pontificio, quod eſt inſigne poteſtatis metropoliticæ; non quod in eccleſia primæva Pallii uſus receptus eſſet, ſed quia Joannes IV., vel Theodorus I. in ejus locum proxime ſubſtitutus, cum effigiem S. Domnii ibidem pingendam curavit, cæteris Pontificalibus inſignibus Pallium ſuperimponi juſſit, ut dignitatem Metropoliticam, qua ille præditus fuerat, declararet. Id quippe ornamentum ſive inſigne apud Latinos fere nulli Epiſcoporum concedi ſolebat, quin cæteris Epiſcopis jure ac titulo Metropolitani antecelleret. Et quamvis non deſint, qui exiſtiment Pallio promiſcue & communiter Græcos Metro-

Dignitatem metropoliticam ab Apoſtolis eccleſiæ Salonitanæ collatam fuiſſe argumento eſt Pallium Archiep. S. Domnio appictum in abſide Sacelli Lateranenſis.

politas & Episcopos uti solitos fuisse; in ecclesia tamen Occidentali paucos ex Episcopali, infra Metropoliticum, ordine invenies, quibus Romani Pontifices singulari & extraordinario privilegio usum Pallii concesserint: ut præclare animadvertit Ludovicus Thomassinus p. 1. lib. 2. Vet. & nov. eccl. disc. cap. 54. & 56. *ex quo fiebat*, inquit, *ut isti Episcopi* (pallium adepti) *in sua provincia essent Protothroni, seu primi ante omnes alios post unum Metropolitam suum considerent . . . . Præter illum primæ in sua provincia Cathedræ honorem, a sui etiam Metropolitæ jure eximebantur, & quamquam nullos sub se habebant Episcopos, Archiepiscopi dicebantur.* Cæterum apud Latinos jus Pallii usurpandi ab jure Metropolitico fere numquam disjungi solebat, ut Pallii usus ornatusque certissimum esset argumentum atque indicium Metropoliticæ dignitatis. Cum igitur sæculo septimo Joannes IV., vel Theodorus I. pro more & consuetudine illius ætatis, ecclesiæque Occidentalis, B. Domnio appingi jusserint Pallium Pontificale, id magno argumento est vulgo persuasum fuisse temporibus illis, ecclesiam Salonitanam ab ipso sui exordio Metropoleos honore auctam & ornatam esse, & primum ejusdem Antistitem inter Metropolitas annumerandum; id quod ex antiquis tabulis veterique traditione cognitum cum haberent Joannes vel Theodorus Romani Pontifices, præclaro illo monumento, illustrique testimonio declararunt, & confirmarunt.

Pallium apud Latinos fere solis Metropolitis concessum.

Decimo sæculo jam inito, cum Tamislavus principatum in Chrobatis obtinebat, Joannes hujus nominis octavus Spalati Archiepiscopus, cum Formino Jadrensi, Gregorio Nonensi, cæterisque provinciæ Spalatensis Episcopis Romam miserunt, qui & communi Episcoporum, & Tamislavi Ducis nomine postularent ab Joanne X. Pontifice Maximo Apostolicos Legatos, quorum doctrina & auctoritate controversiæ quædam componerentur, quæ ad fines Diœceseon regundos, ad divinum cultum rite peragendum, ad disciplinam ecclesiasticam sanciendam pertinebant. Eorum postulatis Pontifex morem gessit, & legationem Dalmaticam decrevit Joanni Ancónitano, & Leoni Prænestino Episcopis, qui in Dalmatiam cum venissent, Episcopis ad Synodum provincialem convocatis, de communi sententia ad controversias illas dirimendas egregios Canones condiderunt; quorum in primo diserte additum est ecclesiam Salonitanam, inde usque a B. Domnio ejusdem parente & conditore, in cæteras totius provinciæ ecclesias jurisdictione ac potestate Metropolitica potitam fuisse, ac proinde jus suum Episcopo Spalatensi sartum tectum servari debere, ut, nisi eo jubente, neque Synodos Provinciales celebrari, neque Episcopos Dalmatiæ consecrari liceat. *Quoniam antiquitus B. Domnius ab Apostolo Petro prædicare Salonam missus est, constituitque, ut ipsa ecclesia, ubi sancta ejus membra requiescunt, inter omnes ecclesias provinciæ hujus primatum habeat, & Metropolis nomen legitime sortiatur; ita statuimus, ut dumtaxat ad ejus jussionem Episcopi, qui per divinam gratiam Cathedram ipsam retinuerit, & Synodus celebretur, & consecratio Episcoporum; quia dicente Domino, ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ.* Itaque una fuit & concors Episcoporum omnium, qui ad hanc Synodum convenerunt, sententia, Apostolicorum Legatorum judicio gravissimo & maximo comprobata, ecclesiam Spalatensem simul conditam, & Metropolim totius Dalmatiæ constitutam esse; quamvis in eo Concilio non deessent, ut infra dicemus, quorum id declarari non intererat, quippe qui se illius jurisdictioni eximere conabantur. Cum autem omnes de Metropolitico primatu ecclesiæ Spalatensis, ab ejusdem ecclesiæ origine repetendo, una & mente & voce consentiant, necesse est hanc fuisse temporibus illis communem omnium opinionem, & veterem illam quidem, quę sive a majoribus velut per manus accepta ac posteris tradita, sive antiquissimis litteris monumentisque custodita, ad nostrum usque sæculum pervenerat. Hujus Concilii Provincialis & canonum in eo conditorum descriptio extat in codice quodam Historiæ majoris Salonitanæ, de quo iterum ac sæpius mentio nobis facienda erit, & Romæ servatur in Archivo sacræ Congregationis de propaganda fide. Huc refer de hujusmodi codice, quæ dicturi sumus capite proximo paragrapho tertio. Sed in Actis hujus Concilii quanta facta sit labes, & verborum ac sententiarum depravatio, ob Amanuensium insciti am vel incuriam, dici vix potest. Cum ea describenda erunt sub Pontificatu Joannis VIII. Spalatensis Archiepiscopi, omni ope operaque enitemur, ut mendis atque erroribus sublatis, correcta & quam maxime fieri possit, emendata prodeant; si quid vero ad eorum auctoritatem infirmandam videatur objici posse ex historia illorum temporum, id diligenter refellere ac diluere conabimur. Nunc ad fidem illis conciliandam satis illud adnotasse fuerit, quod personæ ac tempora inter se, & cum hujus Concilii Actis conveniunt. In idem quippe tempus & Pontificatus Romanus Joannis X., & Archiepiscopatus Spalatensis Joannis VIII., & Principatus Chrobaticus Tamislavi pariter incurrunt. Is enim Chrobatis præerat anno 914., ut infra dicetur; ab hoc eodem anno Joannes VIII. usque ad an. 940. Ecclesiam Spalatensem administravit; Joannes vero X. anno 915. Ecclesiæ Romanæ & universalis regimen suscepit; anno autem 928. vitam & Pontificatum deposuit. In ejusdem Concilii Actis additum est, Michaelem quemdam *suis finibus præfediſſe*; is fuerit oportet Banus aliquis, seu Dynasta Chrobatorum. Atqui hunc Michaelem non alium esse arbitror, nisi eum, qui proxime post Tamislavum apud Chrobatos imperavit; hunc scriptores Veneti anno circiter 920. Ducem Chrobatiæ fuisse affirmant, & fortassis ille idem est, quem Porphyrogenitus Myrosthlabum vocat. Per idem tempus Forminum ecclesiæ Jadrensi præfuisse testatur epistola ad eum, cæterosque Dalmatiæ Episcopos data Leonis VI., anno 928. in Joannis X. locum suffecti, quam Ferdinandus Ughellus in Tom. v. Italiæ sacræ transtulit, & Formino, quem inter Episcopos Jadrenses sextum numerat, subjecit. At neque Joannem Anconitanum, neque Leonem Prænestinum in Catalogis Episcopalibus sive Anconitanæ, sive Prænestinæ ecclesiæ descriptum invenies. Nimirum utriusque illius ecclesiæ series successioque Pontificalis variis locis ac temporibus interrupta est; & perincommode accidit, ut pars non, itemque hujus decimi sæculi, in quod Concilium Spalatense incidit, ingenti hiantique lacunæ subsit. Nam in Catalogo Ancónitano inter Bnolergium anni 887., & Erfermarium anni 967. Episcopos, & in Catalogo Prænestino inter Constantinum anni 826., & Theophylactum anni 963. Episcopos, nullos reperies, qui duo illa, alterum octoginta, alterum centum & fere quadraginta

Concilium Spalatense decimo sæculo habitum idem confirmat.

Hujus Concilii fides & auctoritas probatur.

ginta annorum intervalla occupent, quibus aliqua ex parte explendis interjicias licet hos duos Episcopos Joannem & Leonem, quos aliunde ignotos Concilium Spalatense nobis suppeditat.

Ad II. Concilii Spalatensis obtemperatum non est a quibusdam Episcopis.

Decretis Concilii Spalatensis, quibus cautum erat, ut omnes Dalmatiæ Episcopi debitum honorem obsequiumque Metropoli Spalatensi deferrent, neve jurisdictionis latius proferendæ studio fines cujusque Diœcesi præscriptos transilirent, nonnulli Episcoporum ut parerent, adeo adduci non poterant, ut inde acrius inter se dissidendi tumultuandique causam arriperent; præsertim Gregorius Nonensis Chrobatorum Episcopus, qui Ducum ejus gentis auctoritate & gratia fretus non solum Metropolitæ Spalatensis imperium ab se depellere conabatur, sed etiam jus titulumque Metropoliticum in universa Chrobatia sibi arrogabat. Idem de Gregorio tradit & confirmat Thomas Archidiaconus cap. 16. historiæ Salonitanæ typis Amstelodamensibus editæ: *cujus* (ideſt Nonensis ecclesiæ) *Episcopus Gregorius multas olim molestias Joannem Spalatensem Archiepiscopum sustinere fecit, debitam ei subtrahendo obedientiam, & sibi jus Metropoliticum indebite vindicando*. Et quamvis id scripserit Archidiaconus eo in loco, ubi agit de Laurentio sæculi undecimi Archiepiscopo Spalatensi; molestias tamen illas ab Gregorio illatas nolim referas ad Joannem IX., qui proxime ante Laurentium Provinciam Spalatensem administraverat, sed referendas esse ad Joannem VIII., qui ab anno 14. sæculi decimi usque ad quadragesimum eidem provinciæ & ecclesiæ præfuit, adverbium olim ibidem appositum satis declarat. Itaque cum Gregorius Nonensis ab Synodo ad sedem Apostolicam appellasset, itemque Joannes Archiepiscopus Romam misisset, qui ecclesiæ Spalatensis causam ageret, ac de quorumdam Episcoporum dissensionibus Romanum Pontificem certiorem faceret; idem Joannes X. Madalberto, sive Adalberto Episcopo, quem ad Bulgaros Legatum decreverat, negotium dedit, ut Bulgarica Legatione perfunctus Dalmatiam adiret, de controversiis illis Dalmaticis rite cognosceret, easque pro sua æquitate, & sapientia componeret. Ergo Adalbertus e Bulgaria regrediens, in Dalmatiam cum venisset, Episcopis iterum convocatis, superioris Concilii decreta confirmavit, Nonensem pariter, cæterosque omnes Episcopos alienis Parochiis abstinere jussit; & *cuncta provincia, antiquæ consuetudinis justo moderamine perscrutans, confirmavit omnia secundum veterum statuta, & in omnibus ecclesiis Episcoporum privilegia redintegravit, ita dumtaxat, ut ecclesia S. Domnii, sicut ab initio* (ideſt a prima ejusdem Apostolica institutione) *primatum obtineat*. Ita scriptum est in Codice Historiæ Salonitanæ majoris, quem Barberinianum etiam appellari licet, quod olim extaret in Bibliotheca Gentis Barberinæ, indeque in Archivum sacræ Congregationis de Propaganda translatum est. Quamvis autem auctoritas & sententia Adalberti finem controversiis illis & contentionibus non attulerit, neque Gregorius ab suo conatu destiterit, ut licet intelligi ex epistola Leonis ad Forminum Jadrensem, & Gregorium Nonensem, omnesque Episcopos Dalmatiæ; nemo tamen inventus fuit, qui adversus antiquitatem Apostolicam Primatus Metropolitici ecclesiæ Spalatensis, seu Salonitanæ *ab initio* collati reclamaret; de qua ita omnibus persuasum fuerit oportet, ut nemo illam in dubium revocare auderet.

quorum contentiones sanctam dederunt alterius Concilii celebrandi.

in quorum confirmata est antiquitas & institutio Apostolica Primatus Metropolitici Spalatensis.

Præterea extat apud me fragmentum, nescio unde excerptum, epistolæ Adriani IV., qui Pontificatum iniit anno 1154, ex quo id, quod volumus, efficitur & cogitur. *Postquam*, inquit, *Dalmatia imbre supernæ gratiæ irrigata, prædicantibus Apostolicis viris, semen verbi Dei suscepit, & juxta Evangelicum verbum fructum cœpit reddere trigesimum, sexagesimum, & centesimum, ne pontificalis ei plenitudo deesset officii, unus ibi est, qui aliis præsideret, ordinatus Antistes: & Salonitana civitas, quæ ad hoc convenientior videbatur, est Metropolis instituta*. Vides, ut primordia Metropolis Salonitanæ repetantur a primo ejus Antistite, scilicet B. Domnio, *qui aliis præsideret, ibidem ordinato*, statim atque Dalmatia, Evangelii semine ab viris Apostolicis excepto, fructus ex se aberrimos edere cœperat.

Idem confirmatur ex fragmento epistolæ Adriani IV.

Ad extremum vetus est hæc opinio multarum ætatum consensu firmata, & Dalmatarum animis penitus insita, jus ac potestatem Metropoliticam ecclesiæ Salonitanæ ab ipsis Apostolis per B. Domnium collatam fuisse, & ab hoc in alios deinceps Salonitanos Episcopos dimanatam esse: *Ab hujus ergo præeminentia Apostolicæ dignitatis*, inquit Archidiaconus c. 3. *omnes successores sui Archiepiscopalia insignia per sedem Apostolicam sortiuntur*. Quare in aliquibus Catalogis Antistitum ecclesiæ Salonitanæ B. Domnius appellatur *Archiepiscopus*, non quod Archiepiscopi, sive Metropolitæ titulum usurpaverit, quæ vocabula quarto primum sæculo invehi cœpere in Hierarchiam ecclesiasticam, cum antea primæ sedis Episcopus vocaretur is, qui postea dictus est Metropolita & Archiepiscopus; sed quia B. Domnius eam, quæ utrique titulo subest, jurisdictionem & potestatem obtinebat.

& antiqua traditione Spalatensis ecclesiæ.

Cum igitur Petrus Apostolorum Princeps Domnium Salonam misit, jure illum ac dignitate Metropolitica donavit, totiusque Dalmatiæ ecclesiasticam procurationem eidem commisit; præcipiens, ut Salonæ, in urbe totius Dalmatiæ primaria, ecclesiam ab aliis jampridem institui cœptam, ipse Christianorum numero augendo, sacris ædibus construendis, legibus & magistratibus ecclesiasticis describendis perficeret, atque ad exemplar aliarum ecclesiarum e populo variisque Clericorum ordinibus constantium, apte congruenterque componeret. Absoluta vero ecclesia illa, expletaque omnibus suis numeris & partibus, urbi Salonitanæ Metropolitanam & sedem affigeret, & auctoritatem impertiret; ex ea vero urbe Evangelii lumen per totam provinciam longe lateque diffunderet, atque in aliis civitatibus, quas Christo sibique acquireret, alias ecclesias, aliosque Episcopatus fundaret, qui in ditione forent ac potestate ecclesiæ & Episcopi Salonitani. Huc pertinent, quæ scripsimus sect. 1. c. 2. §. 4. ubi plura invenies de antiqua & Apostolica ratione instituendi provincias & Metropoles ecclesiasticas, quæ iterum hic pluribus describere pretium operæ non censeo, cum ibidem in hanc sententiam satis multa dixerimus. Illud hoc loco animadverti velim, Dalmaticæ missionis ac provinciæ Domnio demandatæ non Petrum modo, sed Paullum etiam, alterum Collegii Apostolici Principem, auctorem fuisse. Cum enim Paullus præcipuo quodam jure Dalmaticæ ecclesiæ jampridem fundari cœptæ primordia sibi vindicaret, quam per suos Discipulos Titum atque Hermem Christianis præceptis excoluerat, mysteriisque initiaverat, Petrus haud committendum putavit, prius ut Domnio Discipulo suo eam provinciam

Domnium in Dalmatiam missus a Petro Apostolo.

jussitque sedem Metropolitanam Salonæ urbi affigere.

Digitized by Google

traderet, eumque in Dalmatiam mitteret, quam Paullus missionem illam suo assensu suaque auctoritate interposita approbaret. Cum igitur eodem tempore Petrus & Paullus in urbe versarentur, Domnius ex auctoritate utriusque provinciam illam suscepit, & ab utroque creatus est Episcopus Salonæ, & Metropolita Dalmatiæ: ita fit, ut & Domnio & ecclesiæ Salonitanæ uterque Apostolorum Princeps jus potestatemque Metropoliticam contulerit.

S. Domnius amplificator ecclesiæ Dalmaticæ, & fundator sedis Salonitanæ;

Ergo Domnius Pontificia & Metropolitana sede Salonæ constitutus, partim per se, partim per suos discipulos religionem Christianam in provincia sibi commissa mirifice auxit, lateque propagavit, atque in omnibus fere pagis, oppidis, ac civitatibus incolarum quamplurimos ad Christum adjunxit; an vero in aliquibus earum civitatum, quas Christo aggregaverat, Episcopos, sedesque Episcopales constituerit, quibus jure Metropolitico præesset, memoriæ ac litteris proditum non est. Nam ex ecclesiis Salonitanæ subjectis vel antiquissimis nullam invenio, quæ suorum Antistitum seriem inde usque ab ætate B. Domnii deducere, & contexere queat; quippe omnes tabulis antiquis, idoneisque monumentis carent, ex quibus earumdem Episcopalia initia temporibus Apostolicis æqualia dignosci possint. Sed fac, B. Domnius nullam condiderit ecclesiam Episcopalem, nullos, qui sibi subessent, Episcopos instituerit; id vero argumento est, non illum quidem potestate metropolitica caruisse, sed defuisse, in quos hujusmodi potestatem exerceret. Cæterum, cum in Actis S. Domnii scriptum sit, ab eo non solum Clericos ordinum inferiorum inicistos, sed etiam Presbyteros consecratos fuisse; quid vetat Presbyterorum vocabulo juxta veterem loquendi consuetudinem intelligi Episcopos, quos ille præcipuis & frequentioribus Dalmatiæ civitatibus præposuerit? Quod enim Paullus ep. ad Tit. c. 1. Tito præcepit, cum Cretensem provinciam illi decrevit, idem & Domnio mandatum esse opinari fas est, *ut constitueret per civitates Presbyteros*, quo nomine Episcopos etiam in epistola Paullina designari interpretes fere omnes confirmant; & præcepti Paulini hanc vim esse docuit Cornelius a Lapide, *ut in singulis oppidis Titus constituat Presbyteros, puta in majoribus Episcopos, in minoribus Sacerdotes, sive Pastores*. Videsis sect. 1. c. 2. §. 4. Igitur dignitas & jurisdictio Metropolitica ecclesiæ Salonitanæ Apostolis auctoribus initium videtur duxisse a S. Domnio, ab eoque in cæteros deinceps Episcopos derivata, quasique de manu, ut ajunt, in manum tradita; quæ quidem neque temporum diuturnitate antiquari, neque rerum publicarum conversione potuit everti & labefactari; sed stabilis ad nostram usque ætatem ac firma permansit. *Ab hujus* (ideſt S. Domnii) *ergo præeminentia Apostolicæ dignitatis*, inquit Archidiaconus, *omnes successores sui Archiepiscopalia insignia per sedem Apostolicam sortiuntur*. Verum enimvero, ut incerta sint primordia Metropoleos Salonitanæ, & ea quidem Apostolica esse, non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane demonstrari nequeat; nemo tamen opinor negaverit eam esse ejusdem antiquitatem, quæ cum antiquissimis quibusque Italiæ totiusque Occidentis Metropolibus, si Romanam vel etiam Mediolanensem excipias, haud immerito conferri possit.

Licet nullam in Dalmatia ecclesiam Episcopalem condiderit, jure tamen ac potestate metropolitica polebatur.

Metropolis Salonitanæ antiquitas.

Ac jurisdictio quidem sive Episcopalis, sive Metropolitica, quam initio ecclesia Salonitana obtinuit, haud sane angustioribus terminis definita fuit, quam quibus ex Augusti descriptione continebatur Dalmatia ab Arsia usque ad Drilonem porrecta, & a mari usque ad Savum prolata, & omnes præterea insulas complexa, quæ objacent littori Dalmatico, ut superiori sect. cap. 2. paragrapho quarto diximus; hanc enim Dalmatiæ dimensionem fuisse, Octaviano Augusto imperante, demonstratum est parte secunda Prolegomenon cap. 3. §. 2. At posterioribus sæculis Metropolis Salonitana ultra Savum Dravumque usque ad Danubium fines suos propagavit, ut Tirpimirus Dux Chrobatorum in suo Diplomate testatur; quos paullatim deinde tum a Septemtrione ferme intra montes, tum vero ab Occasu & Oriente contraxit, novis Metropolibus institutis, Diocletanæ, Ragusina, Jadrensi, quibus attributum est, quod Salonitanæ seu Spalatensi Metropoli detractum fuit. In illo autem, quem dixi, amplissimo terrarum tractu ecclesiarum Episcopalium, quæ Salonitano Metropolitæ suberant, varius fuit numerus pro temporum varietate, numquam pauciorum, quam octo, aliquando plurium, quam viginti. Micha Madius in eo libro, quem *de Gestis Romanorum Imperatorum, & Summorum Pontificum* conscripsit sæculo decimo quarto, auctor est Episcopos Metropoli Salonitanæ antiquitus subjectos fuisse omnino ad viginti & quatuor. Sed ex hoc scriptore nequit dignosci, quinam fuerint, quarumve urbium, sive ecclesiarum Episcopi; quippe ne unum quidem nominatim commemorat: *Antiquo tempore*, inquit cap. 15. *Salona habebat suffraganeos XXIV. Episcopos*. Si quando provincia Salonitana tam longe fines suos lateque explicavit, ut quatuor ipsos & viginti Episcopos ad suam ditionem ac potestatem adjunxerit; id ad illa tempora referri posse arbitror, quæ post Attilanam calamitatem consecuta sunt. Etenim Attila Hunnorum Rex, cum Pannoniam omnem ferro & igne vastasset, Sirmium urbem olim opulentissimam, sedem Vicarii totius Illyrici Occidentalis, eamdemque Metropolim ecclesiasticam longe celeberrimam, obsessam, captamque funditus evertit anno altero & quadragesimo quinti sæculi. Post Sirmium excisum provincia illa ecclesiastica, ut docet Carolus a S. Paullo in Geographia sacra, tripartito divisa est, & partim Laureacensi, partim Salonitanæ, partim Achridanæ Metropoli accessit: *Sirmio*, inquit, *Attilæ temporibus deleto, auctoritas Metropolitana partim Laureaco, partim Achridæ, & partim Salonæ, quarum illa Dardaniæ, hæc Dalmatiæ civitas est, contributa fuit*. Quidquid tamen e Metropoli Sirmiensi additum fuit Archiepiscopo Achridano, id in hujus ditionem potestatemque non ante concessit, quam Justinianus Imperator, post annum fere centesimum ab clade Attilana, totius Illyrici civilis pariter atque ecclesiastici fastigium, sedemque tum Præfecti tum Primatis Illyrici e Macedonia in Dardaniam, ex urbe Thessalonica Achridam in patriam suam transtulit. Emanuel Schelstratius existimat e clade Sirmiensi etiam crevisse provinciam Aquilejensem, cui postea attributas fuisse censet Pannoniam primam, Noricum mediterraneum, & Saviam. Sed quæ de hac tripartita sive quadripartita provinciæ Sirmiensis distributione conjectura magis, quam auctoritate veterum scriptorum ac tabularum nixa traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est. Ac ne Michæ quidem Madio de quatuor illis, ac viginti Episcopis, quos olim Metropolitæ Salonitano subjectos fuisse scripsit, cum testes nullos citet, codices nullos proferat, unde id acceperit,

Ejus jurisdictio primum intra Dalmatiæ fines;

Deinde usque ad Danubium prolata.

Digitized by Google

facile crediderim. Quare ut cætera vetuſtate incomperta, hoc quoque in incerto poſitum eſt.

Sexto ſæculo Spalatenſi Metropoli ſuberant Epiſcopi ſaltem octo, Concilio Spalatenſi ſubſcripti.

De numero Epiſcoporum & eccleſiarum, quę antiquitus ſuberant Metropoli Salonitanæ, monumentum ſexto ſæculo antiquius, nullum habeo. Honorius tertius eo nomine Salonitanus Antiſtes, qui huic eccleſiæ præfuit ab anno 527. uſque ad annum 544., Epiſcopos ſuos ſuffraganeos Salonam ad Concilium Provinciale convocavit, Lampadio & Oreſte Coſs.; ideſt anno Chriſti 530., XVI. Kal. Jul., in quo multa præclare ſancita ſunt, ſive ad Simoniacam labem abolendam, ſive ad eliminandam, quæ irrepſerat, bonorum eccleſiaſticorum abalienandorum conſuetudinem, ſive denique ad varia diſciplinæ eccleſiaſticæ capita ſtabilienda & confirmanda. Acta hujus Concilii deſcripta ſunt in Codice Barberiniano hiſtoriæ Salonitanæ majoris; ſed incredibile eſt, quam multas iiſdem tenebras offuderit barbaries latini ſermonis, ſeu potius corruptela & depravatio, quæ Amanuenſis inſcitiæ haud dubie attribuenda eſt, vix ut una aut altera ſententia integra & perfecta ex verbis vitioſe ſcriptis elici poſſit. Hujus autem Concilii acta & decreta octo admodum Epiſcopi ſubſcripſerunt, ſuoque chirographo confirmarunt, poſt Honorium Archiepiſcopum, *Andreas Epiſcopus Jadertinæ eccleſiæ, Ticyanus Epiſcopus eccleſiæ Arbenſis, Joannes Epiſcopus Siſcianæ, Fabricianus Epiſcopus eccleſiæ Epitauritanæ, Conſtantinus Epiſcopus eccleſiæ Scardonitanæ, Marcellus Epiſcopus eccleſiæ Naronitanæ, Andreas Epiſcopus Beſtoenſis eccleſiæ, Victor Epiſcopus eccleſiæ Mactaritanæ.* Si huic Concilio interfuerunt omnes omnino Provinciales Epiſcopi, neceſſe eſt, temporibus illis octo haud amplius Epiſcopi Provinciam Salonitanam conſtituerint. Sed cum ea ſæpe incidant tempora, quę idoneam ac legitimam excuſationem afferunt, quominus Epiſcopi Provincialis Concilii adeundi lege teneantur; ex eorum numero, qui Synodo Spalatenſi interfuerunt, colligi nequit numerus Epiſcoporum, ex quibus Spalatenſis provincia conſtabat. Ac certe quidem aberat Epiſcopus eccleſię Diocletanę, quam Epiſcopali titulo ac ſede temporibus illis donatum fuiſſe, urbis illius antiquitas & amplitudo, frequentia ac dignitas perſuadet. Sexto ſæculo nihil de antiquis finibus Salonitanæ Metropolis uſque ad Savum porrectis detractum fuiſſe declarat ſubſcriptio Joannis Epiſcopi Siſcienſis, cujus urbem Siſciam Savus ab Septemtrione præterfluebat; & fortaſſe is Epiſcopus, cum antea ad Sirmienſem Archiepiſcopum pertineret, poſt Sirmium exciſum Salonitani Metropolitæ jus imperiumque ſubierat. Beſtoenſis urbis, cujus Epiſcopus fuiſſe dicitur Andreas, regio ac poſitio mihi nunc quidem incomperta eſt; ſed cum ad ſæculum ſextum & Pontificatum Honorii III. Archiepiſcopi Spalatenſis ventum fuerit, tum nobis inveſtiganda erit; vereor tamen ne urbis illius & eccleſiæ vocabulum mendo ſubſit. Mactaritanam eccleſiam, propter quandam affinitatem nominis, eam eſſe arbitror, quæ dicta eſt Mercanenſis, de qua Baudrandus in Lexico: *Marcana, ſeu Mercana urbecula Dalmatiæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Raguſino, cui unitus eſt Epiſcopatus Terbunienſis. Urbs autem Mercana ſita erat in inſula maris Adriatici, circuitus tantum 4. milliar. ſub dominio Reip. Raguſinæ, ſed nunc in ruderibus jacet, vix tres aut quatuor domos habens.* Sed de hac alibi diligentius inquirendum.

Eodem ſęculo Spalatenſis

Biennio poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis, ut in eodem codice Barberiniano ſcriptum eſt, ſcilicet anno Chriſti 532., qui cum a Conſulibus, uti ſuperior vacaverit, in Faſtis Conſularibus inſcribitur, *Poſt Conſulatum Lampadii ſeu Lampridii & Oreſtis ſecundus*, eodem jubente Honorio Metropolita Salonitano, Salonam convenerunt Epiſcopi Provinciales, & Nonis Maji alterum Concilium celebrarunt; de cujus ſententia tres Epiſcopatus, quibus aucta eſt Salonitana provincia, inſtituti ſunt, primus Sarſenteri, alter Mocri ſive Muccari, tertius Ludri; & ſua cuique attributa eſt Parochia ſive Diœceſis certis finibus circumſcripta. Mocrum civitas fuit maritima Dalmatiæ inter Tilurum & Naronem, ab hoc longius, quam ab illo disjuncta. Poſteritas Macarſcam vocat; quem in locum, cum jamdudum ſublata fuiſſet, ſæculo ſuperiori reſtituta eſt ſedes Epiſcopalis, urbe illa Turcis adempta & in poteſtatem Venetorum redacta. De Sarſenteri & Ludri urbium poſitione nunc inveſtigare non vacat. Huic Concilio, qui ſua poſt Honorium nomina ſubſcripſerint, hos Epiſcopos fuiſſe invenio, *Andream Jadertinum, Ticyanum Arbenſem, Conſtantinum Siſcianum*, (nam Joannes, qui ſuperiori Synodo interfuit, diem obierit neceſſe eſt) *Paullum*, fortaſſis Epitauritanum, in locum Fabriciani defuncti ſuffectum, *Marcellum Naronitanum, Savilianum* fortaſſe Scardonitanum, qui Conſtantino ſucceſſerat, *Andream Beſtoenſem, Paullinum Sarſentereuſem, Stephanum Muncarenſem, Celianum Ludroenſem*. Sed de utroque Concilio, itemque de illis eccleſiis, quarum Epiſcopi Synodo utrique interfuiſſe dicuntur, accuratam diſquiſitionem ſuis locis ac temporibus inſtitui oportebit. Illud hic animadvertas velim ab utroque Concilio abfuiſſe Epiſcopum Barcenſem; quem quidem Epiſcopatum de conſenſu provincialium Epiſcoporum conditum fuiſſe tradunt Acta Concilii poſterioris ab Honorio II. Archiepiſcopo Salonitano, qui ab anno 493. uſque ad annum 505. Provinciam Dalmaticam adminiſtravit. Nullus dubito, quin civitas & eccleſia *Barcenſis* illa eadem ſit, cujus meminit Juſtinianus Imperator Novella Conſtit. XI., & Bacenſem vocat, ſtatuitque in Pannonia ſecunda; quare vocabulo *Barcenſis* eximas oportet litteram r, quam Librarius per errorem atque imprudentiam eidem intexuit. *Pars etiam*, inquit Juſtinianus, *ſecundę Pannoniæ, quæ in civitate eſt Bacenſi*. Eſt in Pannonia ſecunda ſive inferiori *Bachienſis Comitatus, juxta Danubium fluvium*, ait Baudrandus, *& prope Coloczam urbem*; idem eſt Epiſcopatus, inquit Ferrarius, *qui nunc conjunctus eſt cum Archiepiſcopatu Colocenſi*. Lazius vero hæc ſubdit: *Eſt tractus Pannoniæ inferioris, ubi Bathia oppidum, & Bathieni Comitatus ad Sarvitiæ amnis confluentiam cum Danubio, non longe ab oſtio Drai fluvii*. Oppidum & Epiſcopatum Bachienſem aliquanto longius ab Sarvitia in Meridiem transfert Marcus Hanſizius, & collocat ad confluentes Dravi & Danubii; urbem vero Epiſcopalem, quam nunc Bacz, ſive Bathmonſterium vocant, ultra Danubium, ad ripam ejuſdem Orientalem oppoſuit, cui citra Danubium e regione propemodum objacet oppidulum fere ejuſdem nominis, quod Batham vulgo appellant, niſi quod Batha magis ad Meridiem vergit: *Perſeverat hodie*, inquit Hanſizius, *nomen Epiſcopatus Bathienſis prope confluentem Dravi & Danubii: nec longe inde ad ripam orientalem Danubii oppidum Bacz*. In hac regione Pannoniæ ſecundæ conſtitutam fuiſſe civitatem Bacenſem, cujus meminit Juſtinianus, ſatis declarant vocabula illa *Bachienſis* ſive *Bathien-*

Metropolis tota eſt tributa Epiſcopatibus.

rhienſis, Bathid, & Batha, & Bacz, quibus magna ſane affinitas, & ſimilitudo cum vocabulo Bacenſis intercedit. Si ergo *Bacenſis* Epiſcopatus, ab Honorio ſecundo inſtitutus, idem eſt atque Epiſcopatus urbis Bacenſis, quem Juſtinus Achridano Archiepiſcopo ac Primati ſubjecit, id quod mihi videtur eſſe certius, quam ut in controverſiam vocari poſſit, conſequens eſt juriſdictionem Metropoliticam Salonitani Antiſtitis ſæculo quinto uſque ad Danubium in Pannonia ſecunda prolatam fuiſſe. Quam finium ſuorum propagationem tum ille nactus fuerit oportet, cum pars provinciæ Sirmienſis poſt Sirmium funditus everſum altero & quadrageſimo ejuſdem ſæculi anno in jus poteſtatemque Metropolſticam eccleſiæ Salonitanæ migravit, ut docet Carolus a Sancto Paullo ſupra laudatus. Idem confirmat Tirpimirus, qui Principatum apud Chrobatos obtinebat anno Chriſti 838., in eo Diplomate, quo quidquid Deceſſores ſui *eccleſiæ Salonitanæ*, tunc Spalatenſi, large munificeque donaverant, id omne confirmat, & in perpetuum ratum eſſe jubet, ac novis inſuper beneficiis & largitionibus cumulat, atque adauget: *Per paginulam privilegialem ſanctæ Salonitanæ eccleſiæ dictæ mancipata in æternum permaneant; ac deinde ut in fatam matrem Eccleſiam, quæ Metropolis uſque ad ripam Danubii, & pene per totum Regnum Chroatiæ &c.* Itaque nono ſæculo eccleſia Spalatenſis adhuc in poſſeſſione ſua retinebat partem Pannoniæ ſecundæ ultra Dravum, quam ante annos fere quadringentos adepta fuerat, juſque Metropoliticum ad Danubium uſque proferebat; quod ſæculo decimo exeunte intra flumen Dravum, ſive Savum contraxit, cum Stephanus primus Hungarorum Rex Strigonienſem Metropolim inſtituit, eidemque decem Sedes Epiſcopales ab ſe in Pannonia ſive Hungaria fundatas, optimiſque vectigalibus inſtructas ſubjecit.

Juriſdictio Metropolitica Salonit. Eccl. uſque ad Danubium prolata ſæculo quinto, & quando.

Et ſæculo decimo contracta intra Savum vel Dravum.

Poſt primum itemque alterum Concilium Provinciale ſub Honorio III. Salonis habitum anno trigeſimo, & trigeſimo ſecundo ſexti ſæculi, variæ deinceps eccleſiæ Epiſcopales in Dalmatia Ciſalpina & Maritima, inſuliſque Dalmaticis, aliæ aliis poſteriores inſtitutæ ſunt, quibus aucta eſt Provincia Salonitana, quæ poſtea dicta eſt Spalatenſis. Has non chronologico, ſed alphabetico ordine hic percenſere pretium operæ duxerim, quarum aliæ ſunt extinctæ, aliæ ſuperſtites, aliæ ab ditione Archiepiſcopi Spalatenſis divulſæ; nec vero omnes uno eodemque tempore floruerunt, ſed ex his aliquæ cum vel interiiſſent, vel ab Spalatenſi disjunctæ eſſent, aliæ in earum locum ſucceſſerunt. Neque hic mihi tantum otii eſt, aut tantum operæ laboriſque ſumpſerim, ut velim aut poſſim inveſtigare ac definire tempora, quibus cujuſque vel initia, vel interitum, vel a Metropoli ſejunctionem illigari oporteat. Has igitur eccleſias Dalmaticas poſt utrumque illud Concilium ad provinciam Salonitanam ſive Spalatenſem alias aliis temporibus acceſſiſſe comperio, de quibus nulla poteſt eſſe controverſia, videlicet Abſarenſem, Antibarenſem Diocletanæ ſuffectam, Belgradenſem, Boſnenſem, Catharenſem, Dumnenſem, Modruſſienſem ſive Corbavienſem, Nonenſem, Olchinienſem, Pharenſem, Raguſinam, Sebinicenſem, Senienſem, Suacenſem, Tinienſem, Veglienſem.

Aliæ deinceps Epiſcopales eccleſiæ in Dalmatia ciſalpina inſtitutæ ſubjectæque Metropoli Salonitanæ vel Spalatenſi.

Intra finem decimi ſæculi, vel ineunte undecimo, provincia Spalatenſis detractione quatuor Epiſcopatuum ab regione Orientis diminui cœpit. Cum enim Epiſcopi Antibarenſis, Catharenſis, Olchinienſis, & Suacenſis ad Concilium Provinciale itinere maritimo Spalatum profecti ex naufragio interiiſſent, civitates illæ miſſis Romam Legatis petierunt impetraruntque ab Romano Pontifice, ut pars hæc Dalmatiæ, quæ ultra Raguſium ad Solem orientem vergit, cum quatuor illis eccleſiis juriſdictioni Metropolitæ Spalatenſis eximeretur, ne videlicet earum Epiſcopi, quibus vel ad Synodos celebrandas, vel aliis de cauſis, ſæpe ac neceſſario adeunda erat Metropolis Spalatenſis, in hujuſmodi pericula vitæque diſcrimen ſe committerent. Itaque Pontifex jure ac titulo Archiepiſcopi Antiſtitem Antibarenſem donavit, qui poſt Diocleam exciſam urbem Mediterraneam olim nobilem in primis atque opulentam, indidem Antibarim in urbem maritimam Sedem Epiſcopalem tranſtulerat, eique tres illos Epiſcopos ſubeſſe juſſit, Catharenſem, Olchinienſem, & Suacenſem, quibus alii atque alii adjecti ſunt, quos Alexander II. in ſuis litteris anno 1062. datis ad Petrum Archiepiſcopum Dioclienſis atque Antibarenſis eccleſiæ, nominatim enumerat. Rem narrat Archidiaconus Hiſt. Salon. cap. 15. *Tunc Cives urbium prædictarum miſſa relatione ad ſummum Pontificem nunciaverunt de naufragio Epiſcoporum ſuorum, ſuppliciter poſtulantes eximi a ſubjectione eccleſiæ Spalatenſis, ſatis probabilem prætendentes occaſionem, quia periculoſum illis erat tam remotam eccleſiam viſitare. Quamobrem Romanus Pontifex annuit petitioni eorum, omneſque Epiſcopos a Raguſio ſuperius abſolvit a vinculo, quo tenebantur antiquæ Metropolitanæ, ſtatuitque novam Metropolim in Civitate Antibarenſi, & omnes Epiſcopatus prædictos ei ſubjecit.*

Metropolis Spalat. quatuor Epiſcopat. detractione diminuta ſæculo circiter decimo.

Metropolis Antibarenſis inſtituta.

Haud multis poſt annis Eccleſia Raguſina jus titulumque Metropoliticum adepta ſeceſſit a provincia Spalatenſi, in ejuſque poteſtatem migrarunt Epiſcopi Naronianus, ſive Narentanus, Mercanenſis & Stagnenſis, quorum duo priores ad Spalatenſem, tertius ad Metropolitam Antibarenſem pertinebant. His adde Terbunienſem jampridem cum Mercanenſi conjunctam, Rhizinienſem, Corcyrenſem eccleſias, quæ ad Epiſcopalem dignitatem evectæ etiamnum Archiepiſcopo Raguſienſi ſubſunt. Non deſunt auctores præclari ac nobiles, qui primordia Raguſinæ Metropolis antiquiora faciant, & altius repetenda eſſe contendant; id quod in diſquiſitionem veniet, cum ad eccleſiæ hujus hiſtoriam deſcribendam aggrediemur. Ita eccleſia Metropolitana Spalatenſis in poſſeſſione ſua retentis Epiſcopis Dalmatiæ inferioris, reliquos Epiſcopatus Dalmatiæ ſuperioris ultra Naronem, partim Raguſinæ, partim Antibarenſi Metropoli conceſſit.

Raguſina Metropolis tres Epiſcopos Spalatenſi ademptos ſibi ſubjecit.

Sæculo duodecimo provincia Spalatenſis ab Occaſu fines ſuos contraxit, cum Lampridius Epiſcopus Jadertinus conceſſu & auctoritate Anaſtaſii IV. Pontificis Maximi titulum Archiepiſcopalem ſumpſit, treſque inſulares Epiſcopatus a Metropoli Spalatenſi avulſos Arbenſem, Abſarenſem, & Veglienſem in ſuam ditionem ac poteſtatem recepit anno ejuſdem ſæculi quinquageſimo quarto. Ceterum exempto Jadertino Comitatu cum tribus illis inſulis, Dalmatia inferior fere omnis inter Arſiam, & Naronem in fide manſit ac juriſdictione Metropolitæ Spalatenſis, cui nunc eccleſiæ Cathedrales omnino undecim ſubſunt, Boſnenſis, cujus ſedes Epiſcopalis eſt Diacovi in oppido Pannoniæ Saviæ ſive Slavoniæ inter Dravum & Savum, Dumnenſis, Modruſſienſis,

Tres itidem Jadrenſis Metropolis.

sis, sive Corbaviensis, & Semitensis uniti, Maccarensis, Nonensis, Pharensis, Scardonitanus, Sibenicensis, Tiniensis, Tragurien sis.

Nunc Cathedrales omnino undecim subsunt Metropolitæ Spalatensi.

Parochia, sive Diœcesis, olim Salonitana, nunc Spalatensis varios pro temporum varietate fines habuit, quos alias latius explicuit, alias angustius contraxit. In Concilio Provinciali, quod Petrus XI. Archiepiscopus Spalatensis coegit anno 1185. & sedes Apostolica approbavit, definitæ sunt nominatim regiones, in quas Archiepiscopus Spalatensis jurisdictionem Episcopalem exerceret. *Definivimus pari voto, & communi voluntate eorumdem suffraganeorum, ut Archiepiscopus Spalatensis has habeat Parochias, Clissam, Scadle, Zminam, Zetinam, totam Cleunam, totum*

Fines Parochiæ sive Diœcesis Spalatensis.

Massarum, & totam Politiam usque ad Vurullam, & ubicunque sunt terræ S. Domnii, debent dare Decimam S. Domnio. Insuper habeat has Ecclesias, S. Marthani, S. Petrum de Clobucho, S. Mariam, S. Stephanum, S. Moysen, S. Bartholomæum. Nunc vero ad jus Episcopale Spalatensis ecclesiæ pertinent *Spalatum cum toto territorio suo, videlicet insula Soltæ, insula Bua usque ad confines Tragurii; Salona olim civitas, & sedes Archiepiscopalis, nunc vicus perexiguus cum territorio suo; oppidum Almissi cum toto territorio suo usque ad Passam Vurullam; Castrum Clissii cum toto territorio suo; Comitatus Cetinæ; Comitatus Clunæ; Territorium Smiræ; Comitatus Politii; Comitatus Radobigliæ; Scopulus S. Andreæ de Pelago.*

Jura & privilegia Metropol. olim Salonitanæ, nunc Spalatensis.

Cum multa sint jura, privilegia, insignia, quibus Metropolitæ impertiri atque ornari solent, nullum ex his defuit Metropolitis Salonitanis & Spalatensibus; non usus Pallii, quod ad eos Romanum Pontificem mittere solitum fuisse plures declarant litteræ Pontificiæ; non jus Crucis præferendæ & convocandi Episcopos Suffraganeos ad Synodos Provinciales, eisdemque præsidendi; non potestas lustrandæ provinciæ, & in judicium vocandi Episcopos subditos, ac sententiam in illos ferendi, itemque dirimendi controversias omnes, quæ ab inferioribus Episcopis ad Metropolitanum, ad quem jus erat appellandi, delatæ fuissent; non denique facultas consecrandi Episcopos Provinciales, & jure jurando adigendi, quo suum eidem obedientiam ac fidem obstringerent: & cum de jure debitoque Spalatensi Metropolitæ obsequio aliquid detrahere velle viderentur Episcopi Dalmatici, Innocentius II. Pontifex Maximus, qui ab anno 1130. usque ad annum 1143. Ecclesiæ præfuit, ad Gaudium Archiepiscopum litteras dedit, quibus ejus auctoritatem tartam rectam ab omni detrimento seu diminutione conservari jubet: *Nos ita statuimus*, inquit, *ut in Dalmatia nullo alio in loco synodus præter in vestra Metropolitana Ecclesia celebretur, & ibidem omnes suffraganei præfatæ ecclesiæ Salonitanæ more solito consecrentur.*

Metropolitæ Salonitanos nulli alii, præterquam Romano Primati, seu Patriarchæ subjectos.

Cum plerique Metropolitarum præsertim transmarini & Orientales subjecti essent suo quisque vel Patriarchæ, vel Primati, hac lege obstricti, ut in ejus verba jurarent, neque aliunde, quam ab eo Pontificiam consecrationem acciperent; Metropolita Salonitanus, & deinde Spalatensis neminem unquam alium Patriarcham sive Primatem agnovit, neque Sirmiensem, neque Thessalonicensem, neque Achridanum, præter unum Romanum Pontificem, qui Primas totius Italiæ, idemque Patriarcha totius Occidentis est; ac propterea cum alij Metropolitæ ad suos quisque Primates se conferrent, a quibus solemni cæremonia ritus; initiati, in ordinem Episcopalem cooptarentur, jus confirmandi & consecrandi Metropolitas ex antiquissima consuetudine semper fuit penes Romanos Pontifices, qui vel per seipsi, vel per alios Episcopos, quibus id muneris delegabant, electis provectisque ad regimen ecclesiæ Salonitanæ consecrationem Episcopalem impertiebant, ut plures eorumdem Pontificum, præsertim S. Gregorii Magni, epistolæ testantur, idemque confirmat Innocentius II. in suis ad Gaudium litteris: *Innocentius Servus Servorum Dei Gaudio Venerabili fratri Salonitano Archiepiscopo salutem, & Apostolicam benedictionem. Sicuti B. Gregorii testatur auctoritas, & tam veterum, quam modernorum gestorum monumenta declarant, examinatio & consecratio Salonitani Archiepiscopi ex antiqua institutione ad Romanum Pontificem specialiter spectat &c.* Ac Georgius quidem Archiepiscopus Spalatensis, sive instigatione Photii, sive impulsu Basilii Imperatoris ad Constantinopolitanum ab Romano Patriarcha, cum universis Dalmatiæ Episcopis, nono sæculo desciverat, salvo tamen & indissoluto communi obedientiæ vinculo, quo Ecclesia universalis Romano Pontifici obstringitur; sed secessio illa & segregatio brevis admodum fuit; nam Georgio rebus humanis exempto, Marinus hujus nominis tertius, quem alii Maximum vocant, suffectus, Joannis VIII Pontificis Maximi litteris & cohortationibus ab Schismate revocatus, cum cæteris Dalmatiæ Episcopis ad pristinam erga Romanum Patriarcham fidem & obsequium se retulit, qui Pontificatum Spalatensem Marino collatum Apostolica auctoritate ratum habuit & confirmavit, eumdemque & Episcopali charactere insignivit, & Pallio Pontificali donavit.

Metropolita Spalatensis dignitatem titulumque Primatis obtinuit.

Principio quidem Metropolis Salonitana, secluso quocunque alio intermedio Primate, ad jus potestatemque Romani Patriarchæ ac Primatis pertinebat; verum post Salonæ excidium, & Sedem Metropolitanam Spalatum translatam Archiepiscopus Spalatensis inter Primates annumerari cœpit. Quos Græci Patriarchas & Exarchos vocarunt, eos Latini, præsertim medii ævi, Primates appellare consueverunt, eos, inquam, qui cum plures infra se haberent Metropolitas & Episcopos, neminem ordine & gradu superiorem agnoscebant, præter unum Pontificem totius Christiani orbis Hierarcham, & plerumque Legati aut Vicarii sedis Apostolicæ nomen gerebant, & officio fungebantur. Eidem vocari solebant Archiepiscopi, vocabulo ad eum, quem supra cæteros Episcopos obtinebant, principatum designandum sane apto idoneoque; quo etiam a Metropolitis distinguebantur; sed dub hæc nomina *Archiepiscopus*, & *Metropolita* jamdudum cœperunt synonyma esse, ac promiscue & communiter omnibus attribui solent, qui pluribus ejusdem ecclesiasticæ provinciæ Episcopis præsident. Isidorus Hispalensis Orig. lib. 7. c. 11. cum tres illos Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ Episcopos amplissimo Patriarcharum nomine ornasset, infra illos, & supra Metropolitas, veluti utrisque interjectos, locavit Archiepiscopos, ideſt Primates: *Archiepiscopus Græce dicitur summus Episcoporum. Tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis, quam cæteris Episcopis; Metropolitani autem singulis Provinciis præminent.* Justinianus Episcopum Justinianæ primæ, sive Achridanum, qui ut Primas esset totius Illyrici, idemque

Vica-

Vicarius Sedis Apoſtolicæ, Vigilii Romani Pontificis auctoritate ſanciendum curaverat, non alio honorificentiori, quam Archiepiſcopi vocabulo donavit Novel. 11. Tres antiquitus Primates in Illyrico alios ex aliis inſtitutos invenio, quorum tamen juriſdictione exemptos fuiſſe diximus Metropolitas Salonitanos, qui ex auctoritate nutuque Romani Patriarchæ pendebant. Antiquiſſimus omnium fuit Sirmienſis Antiſtes, qua in urbe ut Præfectus Prætorio Illyrici ex decreto Conſtantini, ſic Princeps Epiſcoporum totius Illyrici ſedem collocaverant. Quare Ammianus Sirmium appellat *Matrem urbium*, quod totius Illyrici primaria eſſet; Juſtinianus vero Novel. 11. vocat *omne Illyrici faſtigium tam in civilibus, quam Epiſcopalibus cauſis*; Anemius vero Antiſtes Sirmienſis in Concilio Aquilejenſi, quod habitum eſt anno 381. hoc præconio Sirmium cohonestavit, cæteriſque Illyrici urbibus antetulit: *Caput Illyrici nonniſi civitas eſt Sirmienſis: ego igitur Epiſcopus illius civitatis ſum*. Intra hunc quarti ſæculi Illyrico in duas partes Occidentalem & Orientalem diviſo, Theſſalonica civitas totius Macedoniæ facile princeps, Orientalis Illyrici tum civilis, tum Eccleſiaſtici principatum tenuit; nam & Præfecto Prætorio Illyrici, & Primati omnium Eccleſiarum ejuſdem Orientalis Illyrici ſedem fixam ac ſtabilem præbuit: Illyricum ſiquidem Occidentale in jus poteſtatemque conceſſit Præfecti Prætorio Italiæ, cujus Vicarius Sirmii conſtitutus univerſam ejuſdem Occidentalis Illyrici Diœceſim adminiſtrandam ſuſcepit. Itaque Epiſcopus ſeu Metropolitanus Theſſalonicenſis, cui aliquot ante annis Damaſus & Siricius Pontifices ad controverſias quaſdam eccleſiaſticas dirimendas extraordinariam auctoritatem delegaverant, exinde cœpit eſſe ordinarius ſedis Apoſtolicæ Vicarius, idemque Primas Illyrici eccleſiaſtici Orientalis, ideſt duabus eccleſiaſticis diœceſibus Macedoniæ, & Daciæ, præpoſitus, ex quibus Illyricum Orientale conſtabat. Præclare in hanc ſententiam Ludovicus Thomaſſinus diſcipl. Eccl. P. 1. l. 1. c. 18. Primatus Theſſalonicenſis, & Legationis Apoſtolicæ eidem annexæ ait *initium factum a Damaſo, & Siricio, qui reipſa Theſſalonicenſi Epiſcopo cauſas quaſdam audiendas commiſerant. Tum ventum eſt ad litteras Innocentii Primi, ubi ait, ſicut Paulus Tito & Timotheo Cretam & Aſiam regendas mandaverat, ita Epiſcopum Theſſalonicenſem adminiſtrandis provinciis decem, quas & nominatim deſignat, præfici oportere; idque fieri a ſe debere exemplo Damaſi & Siricii, qui eadem legatione ornaſſent Archolium, & Anyſium Epiſcopos Theſſalonicenſes. Litteris deinde Bonifacii I. Ruffo Epiſcopo Theſſalonicenſi dantur vices ſedis Apoſtolicæ, eædemque illi nominatim ſubduntur Provinciæ. Jecere ergo Damaſus & Siricius prima fundamenta Vicariatus Apoſtolici Theſſalonicenſis: culmen vero impoſuit Innocentius I. eo ferme tempore, quo Illyricum Orientale ab Occidentali divulſum eſt, & ab Orientis Imperatoribus uſurpatum*. Poſt Sirmium exciſum, amiſſumque, Imperium pariter & Illyricum fere totum Occidentale, e ruina Sirmii tum Præfecto, tum Primati Orientalis Illyrici & dignitas & juriſdictio ſane ingens accrevit. Nam quidquid juris ac poteſtatis Vicarius quidem in urbes, Antiſtes vero Sirmienſis in Eccleſias Illyrici Occidentalis habebant, Theſſalonicam translatum eſt, atque ad augendam civilem Præfecti Prætoriani Illyrici, Eccleſiaſticam Primatis & Legati ſeu Vicarii Apoſtolici Theſſalonicenſis auctoritatem acceſſit. Hoc docet Juſtinianus: *Cum enim in antiquis temporibus Firmi* (Sirmii) Præfectura fuerit conſtituta, *ibique omne fuerit Illyrici faſtigium tam in civilibus, quam Epiſcopalibus cauſis; poſtea autem Attilanis temporibus, ejuſdem locis devaſtatis, Appenius Præfectus Prætorio* (Vicarius Præfecti Prætorio Italiæ) *de Firmitana* (Sirmitana) *civitate in Theſſalonicam profugus venerat, tum ipſam Præfecturam & Sacerdotalis honor ſecutus eſt*. Idem vero Juſtinianus poſt Imperium & Illyricum Occidentale magna ex parte de Barbaris receptum, cum ad patriam ſuam Achridam, quam *Juſtinianam* Primam appellari juſſit, amplificandam & ornandam omni cogitatione curaque incumberet, & Præfecturam civilem, & Primatum eccleſiaſticum totius Illyrici ex Macedonia in Dardaniam, Theſſalonico Achridam tranſtulit; conſtituto ibidem Archiepiſcopo ſive Primate, qui Eccleſiis Provinciarum, quas Imperator, Macedonia ſeclusa, intra fines ab ſe Illyrico juri ac vocabulo præſtitutos permanere juſſerat, ſummo cum imperio præeſſet. Itaque Archiepiſcopus Juſtinianæ primæ in locum Theſſalonicenſis ſubſtitutus anno 535. tertius fuit Primas eccleſiarum Illyrici, cui ne quid ornamenti ac poteſtatis deeſſet, ab Vigilio Romano Pontifice Juſtinianus impetravit, ut ſuas vices eidem delegaret, eumdemque in Provinciis eccleſiaſticis Illyricis Vicarium & Legatum Sedis Apoſtolicæ inſtitueret. Itaque univerſum Illyricum eccleſiaſticum in jus ditionemque Archiepiſcopi ſeu Primatis Achridani conceſſit, Salona & Dalmatia excepta, quæ cum ſuo Metropolitano Salonitano in fide manſit ac poteſtate Patriarchæ ſeu Primatis Romani.

Poſt tres illos Illyrici Primates, ad hunc eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradum evectus eſt Metropolita Spalatenſis, ſive Salonitanus; quod ne dubitare poſſimus, maximo eſt argumento, quod is etiamnum retinet hujuſmodi titulum, cujus uſurpandi jus antiqua conſuetudine nititur, initium vero præteritarum ætatum memoriam antegreditur. Sed quo tempore, quove auctore inter Primates annumerari cœperit, incompertum eſt. Sæculo vergente duodecimo Alexander III. cum ſuas primum ad Gerardum, deinde ad Raynerium litteras daret, utraſque inſcripſit Gerardo vel Raynerio *Spalatenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato*; ac per idem tempus eumdem Raynerium Gregorius Antibarenſis Metropolita in ſuis ad eum litteris, non ſolum *Salonitanum Archiepiſcopum*, ſed etiam *Apoſtolicæ ſedis Legatum* appellat; & cum jure ac titulo metropolitico par eſſet Raynerio, tamen quia Salonitana ordine & gradu Primatiali ſuperior erat Antibarenſi, profitetur velle ſe *illam in matrem & Dominam recognoſcere, & ei debitum honorem & reverentiam ceu Dominæ ſpeciali exhibere*. Cum autem Primatus alicui Sedi Pontificiæ affixus eſſet, hujus Epiſcopum modo Vicarium, modo Legatum ſedis Apoſtolicæ vocabant; utroque enim vocabulo gaudent Primates, & quæ utrique ſubeſt dignitas ac poteſtas, ea Primatibus conferri ſolebat. Sæculo decimo tertio Hugrinus Archiepiſcopus Spalatenſis, cum juſſu Innocentii IV. ſuos Epiſcopos ſuffraganeos ad Concilium Lateranenſe primum habitum anno 1245. convocaret per litteras encicljcas, in iis ſe ipſe appellavit Legatum ſedis Apoſtolicæ. Antiquiora monumenta, in

Tres olim Primates in Illyrico.

Sirmienſis.

Theſſalonicenſis.

Tertius Illyrici Primas Antiſtites Achridæ, ſeu Juſtinianæ primæ.

Poſteriori bus ſeculis quare ſus Illyrici Primas Metropolita Spalatenſis,

idem Legatus ſedis Apoſtolicæ dictus;

cujus juriſdictio aucta eſt ex ruina & excidio Sirmienſi.

Digitized by Google

in quibus illuceſcat Primatus eccleſiæ Spalatenſis, nondum invenire licuit; nec tantum mihi otii nunc eſt, ut ſcrutandis tabulis, ſchediſque evolvendis ea diligentius perquiram. Verisimile eſt primordia Primatialis tituli ac dignitatis, quam hodieque obtinet Metropolis Spalatenſis, repetenda eſſe ab Joanne Ravennate, primo Spalatenſium Archiepiſcopo, qui legatione Apoſtolica cum fungeretur apud Dalmatas & Chrobatos, idemque Pontificatum eccleſiæ Salonitanæ Spalatum translatæ Cleri populique ſuffragiis ſibi delatum ſuſcepiſſet, titulum Legati Apoſtolici, Romano Pontifice approbante, retinuerit, eumdemque ad ſucceſſores ſuos, & Metropolitas Spalatenſes jure quaſi hereditario tranſmiſerit, qui omnes deinceps ſe appellare conſueverint Primates ſeu Vicarios & Legatos ſedis Apoſtolicæ. Verum hoc affirmare non auſim, cum ejus tituli ac juris Primatialis uſurpati exempla ante ſæculum duodecimum nulla ſupperant. Sed hujus rei diligens & accurata inveſtigatio ad hiſtoriam pertinet Antiſtitum Spalatenſium, ubi ex inſtituto, & per otium hujus dignitatis eiſdem collatæ initia & cauſas veſtigiis omnibus indagabimus, & ſi quo modo aſſequi liceat, ea ut aſſequamur, nihil diligentiæ curæque prætermittemus.

Ac nunc quidem mihi videntur Archiepiſcopi Spalatenſes ante ſæculum duodecimum adepti fuiſſe jus nomenque Primatis, ſeu Vicarii Legative Apoſtolici; ad quorum Primatialem juriſdictionem tres omnino Metropoles eccleſiaſticas pertinuiſſe invenio, Antibarenſem, Raguſinam, Jadertinam, quæ primum quidem ſuberant Metropolitæ Spalatenſi, deinde ipſæ quoque ad Metropoleon dignitatem evectæ, in fide tamen manſerunt ac poteſtate Primatis Spalatenſis. Sed Antibarenſis Archiepiſcopus, cum eſſet deinde adeptus titulum Primatis Serbliæ, divulſus eſt ab juriſdictione Primatis Spalatenſis. Jadertinam vero eccleſiam ab Primatu Spalatenſi, cui Anaſtaſius IV. eamdem jure ac nomine Metropolitico donatam attribuerat, Hadrianus IV. paucis poſt annis disjunxit, atque Gradenſi Patriarchæ ſubjecit. Una eſt Raguſina Metropolis, quam Archiepiſcopus & Primas Spalatenſis in poteſtate ſua etiamnum retinet. Cæterum titulum Primatis, quem Pontifices Romani Metropolitis Spalatenſibus conceſſerunt, honorarium quidem fuiſſe dixerim, ſed ferme inanem, & vacuum ab ea poteſtate, quæ ſane ampliſſima Primatibus antiquis tribui ac delegari ſolebat. Etenim ad jus officiumque Primatis pertinebat Metropolitarum electionem ratam habere, iiſdemque conſecrationem Epiſcopalem impertiri; ſedulo curare ac proſpicere, ne quid detrimenti caperet diſciplina eccleſiaſtica, neve quidpiam contra Canones peccaretur; Metropolitis & Provinciis, ad quas ejus juriſdictio porrigebatur, jus dicere ac leges præſcribere; Concilia, quæ vocant Nationalia, indicere, iiſdemque præſidere; de quibuslibet clauſis Eccleſiaſticis ſupremam fere ſententiam, ſecluſa omni appellatione, niſi quæ ex Majoribus cauſis eſſent, de quibus ad ſummum totius eccleſiæ Hierarcham referri oportebat, & alia id genus, quæ Ludovicus Thomaſſinus accurate perſequitur. Atqui nihil fere hujuſmodi jure ordinario præſtitiſſe Primates Spalatenſes, neque hujuſmodi poteſtate uſos, neque hujuſmodi muneribus functos eſſe reperio; niſi quod, cum Concilia ex omnibus Dalmatiæ provinciis cogerentur, his eos præſidere ſolitos fuiſſe arbitrer; niſi forte adeſſet aliquis Apoſtolicus Legatus ſpeciatim a Romano Pontifice in Dalmatiam miſſus ſive ad controverſias dirimendas, ſive ad negotia obeunda ſummi ponderis ac momenti, quæ ſedis Apoſtolicæ auctoritatem requirerent. Quare Archiepiſcopum Spalatenſem annumerandum cenſeo inter Primates honorarios, cujuſmodi poſterioribus ætatibus plures fuerunt tum Patriarchæ, tum Primates, quibus, præter nomen, nihilo fere plus auctoritatis eſt, quam quantam cæteri Metropolitæ ſive Archiepiſcopi obtinent.

Si vero cauſam quæris, quamobrem Pontifices Romani Metropolitis Spalatenſibus nomen quidem Primatum conceſſerint, poteſtatem vero, quæ huic vocabulo ſubjecta eſt, aut nullam, aut valde diminutam tribuerint; eandem cauſam fuiſſe dixerim, ob quam iidem Pontifices Romani eccleſiam & provinciam Salonitanam ac Spalatenſem neque Sirmienſi, neque Theſſalonicenſi, neque Achridano Primati ſubjecerint, ſed in ditione ac poteſtate Primatis ſeu Patriarchæ Romani perpetuo eſſe voluerunt. Provinciarum ab urbe longinqua disjunctio, & diſtantia, difficileſque ad ſedem Apoſtolicam acceſſus Romanos Pontifices impulit, ut ex earum Metropolitis unum cæteris præficerent, & ſuum in illis locis Vicarium conſtituerent, ſuamque ei auctoritatem impertirent ad quaslibet vel dirimendas controverſias, vel res tranſigendas, quæ auctoritatem Metropolitica majorem poſtulare videntur; exceptis *Majoribus Cauſis*, quæ integræ ipſimet unique Romano Pontifici ut reſerventur, Jura & Canones præcipiunt. Hæc Primatum ſeu Vicariorum ſedis Apoſtolicæ in regionibus magno intervallo disjunctis conſtituendorum ratio & conſuetudo id commodi atque utilitatis afferebat, ut Metropolitæ & Epiſcopi, ſi quando res incideren, quæſtionesque orirentur maximi momenti & ponderis, haberent in propinquo, ad quem auxilii & juris petendi cauſa confugerent, neque Romam adeundi neceſſitate obſtricti, cogerentur itineris longinqui incommoda, impenſas, pericula ſubire, & ab ſuis eccleſiis diutius abeſſe. Hanc Primatus Theſſalonicenſis inſtituendi cauſam potiſſimam fuiſſe ſcite prudenterque animadvertit Ludovicus Thomaſſinus Eccl. Diſc. p. 1. l. 1. c. 18. *Verum antiquior eſt Vicariatus Theſſalonicenſis, quam ut illius inſtitutionis hæc fuerit cauſa. Hæc ſane aliquanto ſimilior veri cauſa eſt, locorum diſtantia, ac diverſitas ſermonis. Agemus infra de Vicariatibus aliis longe pluribus, qui cauſam habuere nullam aliam, niſi locorum eorum, quibus concedebantur, diſtantiam, ut locorum commodis inſerviretur.* Hinc factum eſt ut Romani Pontifices Metropolitis ab urbe Italiaque longe gentium remotis, partes ſuas cum titulo Primatis ſeu Vicarii Legative Apoſtolici, imponerent, ſuamque auctoritatem delegarent, veluti Arelatenſi, Lugdunenſi, Viennenſi in Gallia, Moguntino in Germania, Hiſpalenſi, Tarraconenſi, Toletano in Hiſpania, ac demum Cantuarienſi in Anglia. At vero Dalmatia ab Italia prope aberat, iterque Romanum ſive terreſtre, ſive maritimum, neque ita longum erat aut difficile, & ſatis commodum, tritumque ultro citroque commeantium veſtigiis. Hanc igitur ob cauſam, quemadmodum antea Salonitanus Metropolita nullius Illyricorum Primatum juriſdictioni mancipatus fuit, ſed Romano Primati ſeu Patriarchæ obnoxius; ſic poſtea hujus poteſtati non omnino exemptus fuit, cum titulum Primatis obtinuit; & cum cæteri Primates

nulla

Tres olim Metropolitæ habuerant, Antibarenſis, Raguſinus, Jadrenſis.

Una olim Raguſina.

Titulus Primatis Spalatenſi honoris cauſa tributus, ac fere ſine poteſtate huic titulo annexa.

Primates ſeu Vicarii Apoſtolici cum plena abſolutaque poteſtate in longinquis remotiſque ab urbe regionibus conſtituti.

Dalmatia Italiæ & urbi propinquior non indigebat hujuſmodi Primatibus ſeu Vicariis Apoſtolicis cum pleno jure ac poteſtate.

Digitized by Google

nulla lege obstricti fuerint sedis Apostolicæ adeundæ, ut ab ea consecrationem & Pontificalia insignia acciperent, jus tamen confirmandi consecrandique primatis Spalatensis integrum Pontifices Romani semper sibi reservarunt. Habes igitur causam, cur iidem Romani Pontifices Metropolitis Spalatensis ecclesiæ tribuerint quidem titulum dignitatemque Primatis, seu Legati Vicariive Apostolici, ac plenitudinem potestatis, quæ huic titulo annexa est, non omnino contulerint; iique honoris causa appellati videntur, non reipsa fuisse vere properque Primates. Quamquam negari non possit cum titulo aliquid etiam Primatialis jurisdictionis iisdem collatum esse; quippe quatuor in provincias ecclesiasticas divisa cum esset Dalmatia, his omnibus titulo ac jure Primatis præerat Spalatensis Archiepiscopus, ac tribus Metropolitis Antibarensi, Ragusino, & Jadrensi, dignitate præstabat, cum supra eos evectus in Hierarchia ecclesiastica gradum superiorem obtineret; licet juris Primatialis in eos exercendi usurpandique facultas aut nulla illi fuerit, aut finibus perexiguis circumscripta. Eumdem & titulum, & honoris gradum etiamnum retinet, eoque Ragusino Metropolitæ superior est; quam ob causam hodieque *primas Dalmatiæ* rite appellatur. Cogitanti porro mihi & inquirenti, cur etiam vocari soleat primas Chrobatiæ, cum nullus in hac regione Episcopus Metropolitico jure ac nomine potiatur, ea nunc videtur esse causa, quod cum olim Episcopi Chrobatici, Regum suorum opibus & gratia freti, ecclesiæ Spalatensis ditione se ipsos eximere conarentur, eos Archiepiscopi Spalatenses ut in officio, suaque in potestate quoquo modo continerent, duplici titulo ac jure, videlicet Metropolitico, & Primatiali subjectos sibi & obnoxios reddere voluerunt. Sed hæc alias. Nunc illud præterea animadverti velim, quod etiam Gradensis, & qui in ejus locum successit, Venetus Patriarcha Primas Dalmatiæ appellari soler. Res ita se habet. Venetus quidem Patriarcha Dalmatiæ Occidentalis, sive inferioris, partem, hoc est Jadertinam Metropolim ac Provinciam, Spalatensis vero Archiepiscopus Dalmatiæ Orientalis, sive superioris partem, hoc est Ragusinam Metropolim & provinciam, Primatis nomine ac jure obtinet. Quæ hic de potestate Metropolitica ecclesiæ olim Salonitanæ nunc Spalatensis, alias aucta, alias diminuta, itemque de jure ac titulo Primatiali eidem collato, brevi-ter strictimque ac ferme conjectando attigimus, eadem diligentiori investigatione adhibita, suis deinde locis fusius & copiosius explicabimus.

Primas tamen Spalatensis præter titulum, id juris & honoris habuit, ut cæteris aliquando præfuerit Metropolitis, nunc quo Ragusino,

Cur dictus etiam Primas Chrobatiæ?

Patriarcha Venetus Primas Dalmatiæ occidentalis.

Archiepiscopus Spalatensis Primas Dalmatiæ orientalis.

CAPUT III.

De Catalogis Episcoporum Ecclesiæ Salonitanæ.

§. I.

De Diptychis Ecclesiæ Salonitanæ.

PRiusquam de Catalogis Antistitum Salonitanorum dicere aggrediar, eosque in medium proferam, pauca dicenda sunt de antiquis ecclesiarum Diptychis, ex quibus Catalogos veterum Episcoporum depromptos esse inter omnes constat. Δίπτυχον est vox Græca ex duabus composita, ἐκ τῦ δὶς σὰς, καὶ τῦ πτυχὴ, idest *plicatura*, & significat *Geminum*, sive *duplicatum*. Erant igitur Diptycha Tabellæ plicatiles, quæ duabus paginis constabant. In hujusmodi Tabulas memoriæ causa referri solebant res ferme levioris momenti, quæ in usum familiarem ac pene quotidianum inciderent. Quæ tribus constabant, vel quinque, vel etiam pluribus pagellis, ea vocabantur *Triptycha*, *Pentaptycha*, & *Polyptycha*. De multiplici apud veteres usu Diptychorum docte copioseque disseruit Heribertus Rosweydus in Onomastico ad vitas Patrum. Diptycha e profano ad usum sacrum jam inde a temporibus Apostolicis ecclesia transtulit, & piorum nominibus illic inscribendis consecravit. Joannes Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 12. Diptychorum ecclesiasticorum genera omnino tria distinxit: *Invenio autem tria fuisse genera Diptychorum, sive Tabularum, quibus nomina in singulis ecclesiis inscribebantur. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum præsertim, qui illam ecclesiam rexerunt, dummodo probitate ac sanctis moribus claruissent. Secundum vivorum, in quibus eorum nomina descripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi ecclesiæ collatis conspicui, vel alio titulo benemeriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, & proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur: postea Imperator, Principes, Magistratus, & populus fidelis. Tertium erat mortuorum, qui in Catholica communione decesserant. Usum vero Diptychorum, & eorum lectionem intra Missarum Solemnia vel ab Apostolis, vel ex illorum institutione, seu traditione ab immediatis successoribus cœpisse satis constat ex iis, quæ cap. 8. de nominum recitatione ex priscis Patribus allata sunt.* De sacris Diptychis multa & præclara scripserunt Joannes Baptista Cardona Episcopus Dertosanus in eo, quod de *Diptychis Commentarium* inscripsit, Alexander Wilthemius e Societate Jesu, qui *Diptychon Leodiense ex Consulari factum Episcopale*, commentationibus admodum eruditis illustravit; & locupletissime omnium doctissimeque Carolus du Fresne, qui in suo Glossario de scriptoribus mediæ infimæque Latinitatis, sacrorum profanorumque Diptychorum usum omnem explicavit.

Quid sint Diptycha.

Tria Diptychorum ecclesiasticorum genera.

Diptychis alterius ac tertii generis prætermissis, quæ huc non pertinent, priscis illis temporibus Episcopos vita functos in Diptychis prioris generis inscribi, idem erat, atque eos in Cœlitum cum Christo regnantium numerum referri. Hoc enim erat publicum quoddam testimonium & vitæ sanctissime actæ, & mortis sanctissime obitæ, quod illis ecclesia tribuebat, idemque ejusdem ecclesiæ judicium gravissimum & maximum erat de illorum ex hac misera & caduca ad beatam illam immortalemque vitam migratione. Idem docuit Joannes Bona loco cit. ejusque rei testem sane locupletissimum appellat Dionysium, nisi mavis alium esse auctorem librorum de *Hierarch. Eccles.* probatum quidem certe & antiquum. *Quod autem spectat ad primum genus pro solis Episcopis cum opinione sanctitatis vita functis, eam inscriptionem speciem quandam habuisse canonizationis seu beatificationis fidem facit Dionysius in theoria capitis tertii Eccles. Hierarchiæ: sacrarum, inquit, Tabularum recitatio deprædicat eos, qui sancte vixerunt, & ad studiosæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt: nos quidem illorum imitatione ad beatissimum illum statum, quietemque deiformem adhortando,*

Diptycha prioris generis, in quibus Episcopi inscripti in numero Divorum habebantur.

Digitized by Google

ac manducando; illos vero ceu viventes celebrando, quippe, ut Theologia docet, nequaquam mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos. Hæc Dionysius. Idem confirmant Episcopi Ægyptii in epistola ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, in qua acri vehementique oratione pertingunt scelera, & flagitia Timothei Aeluri, qui sedem Alexandrinam invaserat, & nomen Dioscori per summum nefas sacris Diptychis inseruerat: *Etiam*, inquiunt, *in venerabili Diptycho, in quo pia memoriæ transitum ad Cælos habentium Episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum, secundum sanctas regulas releguntur, posuit & Dioscori nomen &c.* Quare summa erat cautio & provisio, ne quis in Pontificalia Diptycha referretur, de cujus recta in Deum fide, vitaque omnibus sanctimoniæ notis insigni non constaret; ejusque nomen expungi jubebatur, si forte in eas Tabulas irrepserat, qui aut pravis moribus se, cathedramque Pontificiam inquinasset, aut ecclesiasticæ communionis expers, & a piorum cœtu segregatus, ex hac vita decessisset. Hinc graves olim & diuturnæ contentiones extiterunt de inscribendis vel abolendis quorumdam Episcoporum nominibus, quos vere Catholicos fuisse & eximiæ sanctos alii ajebant, alii negabant. Cæteris omissis unum proferam exemplum satis illustre. Innocentius primus Pontifex Maximus Joannem Chrysostomum sanctissimum virum a Theophilo Alexandrino, & ab aliis Orientalibus Episcopis semel atque iterum iniquo judicio damnatum, dejectumque Episcopatu, cum sedem Romanam appellasset, & verbis amplissimis absolverat, & sedi Constantinopolitanæ restituerat; nec mortuo defuit, cui vivo præsto fuerat; neque enim antea in suam gratiam, ecclesiæque Occidentalis communionem Atticum cæterosque Episcopos Orientis recepit, quam inustam Chrysostomo ignominiam demerent, ejus nomine in Diptycha, unde expunctum fuerat, restituto, nomenque Arsacii, qui post expulsionem Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani nomen usurpaverat, ex iisdem ecclesiasticis tabulis delerent. Primævæ autem ecclesiæ id moris erat, ut inter solemne sacrificium e Diptychis nomina Episcoporum recitarentur, sive eorum memoriæ debiti honoris adhibendi gratia, sive eorum preces apud Deum pro Christiana plebe interponendi causa. Nec vero te fallat formula illa interdum adhiberi solita, qua videntur preces & sacrificium pro illis offerri, qui beata immortalitate jam donati cum sint, neque precibus neque sacrificiis indigent. Hujusmodi erat formula Diptychorum ecclesiæ Mopsuestenæ, quæ Joannes Presbyter & Cimiliatcha jussus est a Patribus Concilii Mopsuesteni ex Armario sacrorum Vasorum proferre, & in eo conventu recitare: *Pro requiescentibus Episcopis Protogene, Zosimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Joanne, Auxentio* &c. Abest Theodorus, post Olympium ejusdem ecclesiæ Episcopus, quod is Nestoriana impietate imbutus, extorrisque ab ecclesia, diem suum obiisset; cujus in locum Diptychis Mopsuestinis Cyrillum Alexandrinum inscriptum fuisse testantur Patres ejusdem Concilii in Synodica ad Justinianum epistola. Quæ sit vis illius formulæ, quæve illi significatio subjicienda, præclare admonuit Joannes Bona sæpe laudatus: *Illud insuper advertendum, quod veteris ecclesiæ phrasi etiam pro justis & sanctis atque adeo pro ipsis Martyribus sacrificium offerri dicebatur, non quidem pro eis orando; non enim ignorabant antiqui Patres superfluum id fore, cum persuasissimum omnibus esset, Martyres Christi statim post obitum supernæ patriæ felicitate frui; sed pro illorum honore, & commemoratione. Testatur hoc Cyprianus epist. 34., in qua differens de Martyribus, qui palmas a Domino, & coronas illustri passione meruerunt, ait: sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus; quod pro illorum commemoratione intelligendum esse idemmet clarius edisserit epistola 37. dicens. Dies eorum (qui scilicet in carcere & vinculis propter Christum detenti decesserant) quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Et infra: Celebrentur hic a nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum.* Aliam eidem formulæ interpretationem adhibuit Nicolaus Cabasila apud eumdem Cardinalem Bonam in expositione Liturgiæ Græcę c. 33. ut offerri dicatur sacrificium pro sanctis in gratiarum actionem pro singularibus beneficiis, divinisque muneribus in eos collatis: *Hi enim*, (idest Sancti) *sunt ecclesiæ agendarum Deo gratiarum causę. Pro iis offert rationabilem hunc cultum, tamquam Deo gratiarum actionem, & præ cæteris omnibus, pro Beata Dei matre, ut quę omnem sanctitatem excedat. Propterea nihil pro eis orat Sacerdos, sed potius eos orat, ut ab eis in orationibus adjuvetur. Quia non ad supplicationem, sed ad gratiarum actionem, ut dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem.*

Summa veterum cautio ne quis in Diptycha referretur, cujus sanctitas non esset plane perspecta & probata.

Nomina Sanctorum Antistitum e Diptychis recitari solebant inter solemne sacrificium. Acta Syn. Mopsuest. inserta sunt Synod. Quinæ Oecum. collat. v.

Formula bene precandi Episcopis in Diptycha relatis explicatur.

Haud sane arbitror dubitari posse, quin usum Diptychorum Pontificalium ecclesię universę communem, initio statim receperit ecclesia Salonitana, quæ ut antiquitate & nobilitate, sic legibus omnibus atque institutis ecclesiasticis accurate observandis, cum præcipuis orbis Christiani ecclesiis haud immerito conferri potest. Sed quemadmodum aliarum fere omnium ecclesiarum, sic ecclesiæ Salonitanæ Diptycha jamdudum interiere; & vel majorum incuria, vel urbium ruina, & tabulariorum incensio hęc præclara sacræ antiquitatis monumenta nobis præripuit; horumque nihil nobis supereſt, nisi quoddam veluti vestigium, sive exemplum in Catalogis veterum Episcoporum. Illud quoque pro certo habeamus licet, quod jure communi ecclesiastico sancitum erat, id in ecclesia Salonitana accurate observatum ac constanter retentum fuisse, ut in sacras illas Pontificales tabulas nullius Episcopi nomen inferretur, quin & perpetuam cum ecclesia Catholica communionem ad extremum usque spiritum retinuisset, & eximia vitæ morumque sanctitate dignum se præbuisset, qui adscriberetur in numerum sanctorum Episcoporum, cujusque inter rem divinam pia ac solemnis commemoratio fieret; ex quo fit, ut Antistites Salonitani priorum sæculorum Diptychis inscripti, in numero Cœlestium habiti fuerint, iisdemque olim publici cultus honoresque adhiberi solerent, quibus Cœlites cum Christo regnantes Christiana pietas ac religio veneratur. Daniel Papebrochius in Tract. Prælim. de Episc. Mediol. ad Tom. 6. Maii docet Episcopos fere omnes priorum trium aut quatuor sæculorum, qui sacris Diptychis adscripti essent, eo loco ac numero habitos & cultos fuisse, præsertim in ecclesiis Italiæ, quo haberi & coli solent ii, quibus nunc Romani Pontifices ob egregiam riteque testatam & probatam illorum sanctitatem cum omnium virtutum ornamentis insignem, tum

Diptycha ecclesiæ Salonitanæ vetustate interciderunt.

Priorum sæculor. Episcopi ecclesiæ Salonitanæ Diptychis inscripti pro sanctis habiti.

etiam miraculis inclytam, & nomen Divorum, & cœleſtes publicoſque honores decernunt: *Inſcripti Diptychis Epiſcopi communi ſæculorum primorum uſu, ſancti & ſanctiſſimi nominabantur; nam & viventibus dabatur hic titulus. Hinc factum, etiam poſtquam vocum iſtarum notionem conſuetudo eccleſiaſtica reſtrinxit ad eos, qui propter notiſſimam vitæ ſanctitatem, & miracula inſignia, aut lauream martyrii, invocantur a fidelibus, tamquam citra dubium ullum cœleſti regno receptis; factum, inquam, ex tali uſu eſt, præſertim in eccleſiis Italiæ antiquioribus, ut omnes fere illorum Epiſcoporum, qui in communione Catholica obierunt per tria, quatuor, ac plura ſecula, cenſeantur Catalogo Sanctorum adſcripti, ſine canonizati: quemadmodum iis fere omnibus contigit, qui in hac prima parte* (Catalogi Epiſcoporum Mediolanenſium) *nominantur*. Hinc habes cauſam, cur pleræque ex illis eccleſiis, quæ ſua primordia inde uſque ab ætate Apoſtolica reperunt, veluti Mediolanenſis, Veronenſis, Brixienſis, & aliæ Epiſcopos ſuos fere omnes uſque ad ſextum, vel etiam ſeptimum ęrę Chriſtianæ ſæculum, & ſanctos appellent, & publico cultu anniverſariaque veneratione proſequantur. Si antiquiſſimis illis eccleſiis licet Epiſcopis ſuis, in ſacra Dypticha honoris & memorię cauſa olim relatis, cultus, honores, preces adhibere; nihil cauſæ eſſe video, cur idem non licuerit eccleſiæ Salonitanæ, quæ de antiquitate atque origine Apoſtolica nulli fere cæterarum eccleſiarum concedit. Et ſane prioribus illis ſæculis nemo Epiſcopatu dignus, aptuſque ei muneri cenſebatur, cujus innocentiam, doctrinam, ſanctitatem plurimis maximiſque in rebus perſpectam non haberet Clerus populuſque ad comitia Epiſcopalia convocatus; quique divinam pene virtutem & omnibus numeris abſolutam ad ſedem Pontificiam afferre non poſſet; tales omnino cum deligi ſolebant Epiſcopi, quales in ſuis ad Timotheum ac Titum litteris Paullus requirit. Nullus tum erat ambitioni locus, quippe cum ſatis conſtaret Epiſcopos illorum temporum, non ad opes aut vitæ commoda honoreſve, verum ad labores, ærumnas, & aperta vitæ pericula deſtinari; & Epiſcopatus, quamvis invitis plerumque ac repugnantibus tum imponi ſoleret, impune tamen & ſine ulla humanæ cupiditatis ſuſpicione deſiderari poterat, cum hujuſmodi deſiderio nihil aliud objectum eſſet, niſi opus bonum, & omni ex parte perfectum. In gerendo autem Epiſcopatu vitam omnem ſuam ad normam doctrinæ & ſanctitatis Apoſtolicæ omnino exigebant, *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, exhibentes ſemetipſos, tamquam Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus*, inſtructi ſemper, tamquam boni Paſtores, paratique *ad dandam*, ſi res poſceret, *animam ſuam pro ovibus ſuis*. Hujuſcemodi cum eſſent Epiſcopi priſcis eccleſiæ ætatibus, quales nimirum & ferebant, & requirebant tempora illa, cum priſtinæ fidei & charitatis ardor nondum tepuerat, aſſidueque conflictandum erat cum hoſtibus Chriſtiani nominis potentiſſimis & crudeliſſimis; nemini mirum videri debet, ſi eos religioſa quidem antiquitas pie credidit ex hac vita ad beatam immortalitatem translatos eſſe, & ſacris Tabulis adſcripſit, & ſolemni commemoratione honorandos atque invocandos cenſuit; poſteritas autem nihilo ſegnior in officiis perſolvendis, quæ ad religionem quoque modo pertinent, more & exemplo majorum eoſdem, quo dignum eſt, honore cultuque venerari, eorumque opem implorare perſeveravit. Haud minorem in Salonitana, quam in cæteris eccleſiis, curam ac diligentiam ad Epiſcopos deligendos adhibitam eſſe nullus, opinor, negaverit, ut nemo eo nomine ac munere dignus haberetur, quin cæteris omnibus in omnium virtutum genere antecelleret. Jam vero qui ad ſupremum illud Chriſtiani Sacerdotii gradum Cleri populique ſuffragiis evecti eſſent, in ipſo Epiſcopatu quales fuerint, ſi quis cognoſcere cupiat, ſecum ipſe reputet, quales eſſe conſueverint Epiſcopi illorum temporum, quos paullo ante deſcripſi; & cum eximiam quamdam antiqui Epiſcopatus ſpeciem, perfectam expletamque omnibus ſuis numeris & partibus, cogitatione depinxerit, hanc intuens, in eaque defixus, ad illius ſimilitudinem Epiſcopos Salonitanos priſcarum ætatum fingendos conformandoſque exiſtimet; nam tales reipſa fuiſſe, detractis omnibus vitiis, atque omni laude cumulatos tum ſuadent exempla tot excellentium Antiſtitum, quorum ingentem copiam priora illa ſæcula protulerunt; tum illorum Acta, quæ a nobis exponenda erunt, comprobabunt. Quare nemini dubium eſſe poteſt, quin dignos ſe prębuerint, quorum animi quidem ſtatim, atque diſceſſerant e corpore, ad Cœlum evolarent, ubi apud ſuperos rerum laudabiliter geſtarum immortali prærnio donarentur, nomina vero in Diptychis eccleſiæ Salonitanæ deſcriberentur, ut apud mortales etiam debitis laudibus honoribuſque afficerentur. Præterea ex antiquis Salonæ Epiſcopis haud paucos fuiſſe, qui præclaram pro Chriſto mortem oppetierint, facile quivis intelligat, cui cognita ſint & perſpecta tempora illa difficillima & Chriſtianis maxime infeſta; cum identidem potentiſſimi Imperatores ac tyranni ad Chriſtianum nomen ac genus uſquequaque tollendum vires omnes conatuſque expromerent. Inter cætera autem, quæ hoſtes ad eccleſiam funditus evertendam aſſidue moliebantur, illud erat vel maxime perniciofum, quod primos omnium deſignarent ad cędem Epiſcopos religionis duces ac magiſtros, juberentque in eos potiſſimum omni inveſtigatione curaque adhibita inquiri, & acerbiſſimis quibuſque ſuppliciis animadverti: percuſſis enim Paſtoribus, univerſum gregem diſperſum iri, & his veluti adminiculis ac fulcimentis ſubductis eccleſiam omnem ſponte ſua collapſuram eſſe ſperabant: ex quo exiſtimari licet, quas & quantas ubique ſtrages Epiſcoporum ediderint. Hujuſmodi autem turbulentiſſimæ tempeſtates ſane multos e Salonitanis Epiſcopis perculerint neceſſe eſt, quippe cum fere nuſquam gravius & vehementius, ut ſuo loco dicetur, quam in Illyricam & Dalmaticam eccleſiam incubuerint. Ac Salonitanos quidem Epiſcopos, qui Martyrii palmam adepti ſunt, non ſolum in Diptychis Pontificalibus inſcriptos eſſe, verum etiam ſolemni ac religioſo cultu donatos fuiſſe inter omnes conſtare debet, quippe cum eccleſia ſtatim a prima perſecutione publicos honores martyribus Chriſti decreverit. Cæteri vero ejuſdem eccleſiæ Antiſtites, qui nec mortem, nec pœnam ullam aut vincula pro Chriſto ſubiiſſent, attamen eximia quadam ſanctitate ingentique inſtructu virtutum omnium, quæ in hunc ſtatum cadere poſſent, illuſtres ex hac vita migrarunt, Diptychis quidem

Cum multæ eccleſiæ Epiſcopos ſuos olim Diptychis adſcriptos etiamnum colant; quid ni jure erit idem facere eccleſia Salonitana?

Dubitari nequit, quin Salonitani Epiſcopi priorum temporum eximia ſanctitate floruerint,

quacum multi etiã laudem martyrii conjunxerunt.

De cultu antiquitus adhibito Epiſcopis Salonitanis martyrii titulo illuſtribus nulla poteſt eſſe controverſia; cæteris vero, qui ſummę ſanctitatis laude floruerunt, vita fun-

Sitio quamvis in Diptycha relati fuerint,

nullus tamen eorum ante quartum ſæculum adhibitus.

Hos poſteriores Confeſſores appellavit.

Confeſſorum vocabulo alia olim,

dem interſeri, & commemorari inter rem divinam ſolebant; ſed nihil præterea publicæ religioſæque venerationis illis adhibitum fuit ante quartum ſæculum, quamvis de beata illorum apud ſuperos immortalitate nemo dubitaret. Nam quarto ſeculo primum promiſcue & communiter Martyres, & ii, quos nunc Confeſſores appellamus, ſolemni & publica veneratione coli cœperunt. Confeſſores autem cum dicimus, huic verbo non ea ſubjecta notio eſt, quam ſcriptores eccleſiaſtici veteres illi admodum antiqui eidem ſubjiciebant. Hi ſiquidem ut eos, qui pro Chriſto vitam & ſanguinem profudiſſent, ab illis diſtinguerent, qui multa quidem propter confeſſionem Chriſtiani nominis gravia & acerba, veluti carceres, vincula, cruciatus, exilia, jacturam bonorum pertulerunt, non tamen violentam illatamque ab carnifice, ſed communem ac naturalem mortem obierant, priores quidem Martyres, alteros vero Confeſſores appellabant. Utriuſque vocabuli uſus ac diſtinctio frequens eſt apud Cyprianum, & diſerte addita eſt in epiſtola Viennenſis & Lugdunenſis eccleſiæ ad Chriſtianos Aſiæ & Phrygiæ apud Euſebium. Verum enim vero ætas poſterior eos nominavit Confeſſores, qui

alia nunc ſignificatio ſubeſt.

non cum tyrannis, ſed cum vitiis egregie decertarunt, non vinculis & ſuppliciis perferendis, ſed pie ſancteque vivendo Chriſtum confeſſi, vitam omnibus ſanctimoniæ notis inſignem ſanctiſſima morte exornarunt. Hanc huic vocabulo ſignificationem attribui poſſe docet D. Ambroſius de Pœnit. lib. 1. cap. 3. *Diximus quid ſcriptum ſit, colligamus ſententiam: omnis, inquit, qui me confeſſus fuerit, ideſt ex quacumque vita, ex quocumque ſtatu, qui confeſſus me fuerit, habebit remunerationem ſuæ confeſſionis;* itemque D. Auguſtinus apud Florentinium in Admon. 9. præv. ad Martyr. Hieron. utrumque genus Confeſſorum diſtinxit, cum paſſim doceat in ſcripturis duplicem eſſe confeſſionis notionem, hoc eſt *gementis & laudantis;* unde qui factis & vitæ exemplo Deum laudat, is Confeſſor dici poteſt. Et in Sacramentario D. Gregorii idem S. Auguſtinus Confeſſoris titulo ornatur: intercedente *B. Auguſtino confeſſore tuo atque Pontifice* &c. Nec vero, quæ nunc confeſſionis vocabulo ſubeſt ſignificatio, antiquis omnino ignota fuit, ut ex Actis S. Sebaſtiani & Sociorum intelligi poteſt, in quibus Cajus Pontifex inducitur loquens ad hunc modum: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus præſcius fragilitatis humanæ duos credentium in ſe gradus conſtituit, confeſſionis ſcilicet, & martyrii, ut qui martyrii pondus ſe non poſſe ferre viderentur, confeſſionis gratiam tenerent.* Cum igitur mos ritusque colendorum Martyrum inde uſque ab exordio eccleſiæ receptus eſſet, venerationis tamen Confeſſoribus adhibendæ conſuetudo ante ſæculum quartum neque ſancita, neque uſurpata fuit; ut docet Innocentius III. lib. 3. de Myſteriis Miſſæ c. 10. *Eccleſia poſt tempus S. Sylveſtri cœpit ſanctorum confeſſorum memoriam venerari.*

S. Martinus primus omnium Confeſſorum coli cœptus.

Traditum eſt ex omnibus primum D. Martinum Epiſcopum Turonenſem fuiſſe, qui quamvis Martyrii laude caruit, publicum tamen in eccleſia cultum obtinuerit. Exinde Confeſſoris titulo cultuque impertiti ſunt quamplurimi, veluti Athanaſius, Baſilius, Ephremus Syrus, ut declarant orationes utriuſque Gregorii Nazianzeni, & Nyſſeni, de illorum laudibus habitæ die anniverſaria eorumdem ex hac vita deceſſus abituſque ad ſuperos; & plures alii deinceps, ad quos referri poſſunt, quæ Caſſiodorus diſtinguens duo genera Divorum, qui vel de Tyrannis, vel de ſeipſis illuſtres victorias reportarunt, apud Florentinium ſupra laudatum loco cit. ſcripſit: *Scientes*, inquit, *quia non ſolum in agone ſanguinis, aut in virginitate carnis poſitæ ſunt coronæ, ſed & omnes, qui, juvante Deo, vitia ſui corporis vincunt, rectèque credunt, palmam ſanctæ remunerationis accipiunt.*

Ergo eccleſia Salonitana Epiſcopos ſuos fere omnes, uſque ad quintum vel etiam ſextum ſæculum, more & exemplo aliarum eccleſiarum, præſertim Mediolanenſis, Veronenſis, & Brixienſis, in ſacris Pontificalibus Diptychis inſcripſit, alios quidem Martyrii laurea, alios conſpicuæ eximieque ſanctitatis nota inſignitos; utroſque cœleſtem apud Deum vitam bonisque omnibus affluentem agere pie ac religioſe credidit; utroſque, cum res divina ſolemni ritu ac cæremonia fieret, honoris cauſa nominare conſueverat. Hoc tamen interfuit inter Martyres & Confeſſores Epiſcopos, quod his quidem non ante ſæculum quartum, illis vero ſtatim a principio ætatis Chriſtianæ omnia religioſæ pietatis, ejuſque cultus, quem vocant Δουλίαν, officia Clerus populuſque Salonitanus tribuerit. Neutros tamen in ſacras illas Epiſcopales tabulas antea retulit, quam de illorum vel martyrio, vel excellenti ſanctitate miraculis etiam comprobata, diligenti inquiſitione adhibita, idoneiſque teſtibus jure jurando adactis compertum eſſet, atque penitus exploratum. Quod enim in eccleſia univerſa ſancitum erat, & communi conſuetudine firmatum, ut nemo dignus vel Diptychis Epiſcopalibus, vel titulo & cultu martyris haberetur, quin de Martyrio, de vita ejus ac moribus, deque rebus omnibus ab eo ad hominum ſalutem & exemplum laudabiliter geſtis, ex haud dubiis auctoribus, multorumque teſtimoniis conſtaret; idem exiſtimari debet factitatum & uſurpatum fuiſſe in eccleſia Salonitana, quam ab eccleſiæ univerſalis diſciplina & inſtitutis deſciviſſe credibile non eſt. Nec vero dubitari poſſe arbitror, quin priſcorum illorum Antiſtitum cultus ac religio, quamdiu Salona ſtetit, cum in ea urbe, tum etiam in reliquis Dalmatiæ civitatibus viguerit. Sed quæ rerum publicarum converſio multiplex & calamitas in pleriſque vel antiquiſſimis eccleſiis veterum Epiſcoporum ſeriem intercidit, & cultum antiquavit, eadem ferme obvenit eccleſiæ Salonitanæ; nam ſæculo ſeptimo, cum ingens barbarorum colluvies effuſa in Dalmatiam omnia vaſtavit, urbe funditus everſa, tabulariis incenſis, civibus atque incolis ex fuga diſperſis, ſanctiſſimorum illorum Antiſtitum veneratio intermiſſa paullatim, ut fit, ex hominum animis ac memoria defluere cœpit, & longa deſuetudine penitus demum abrogata eſt. Neque poſt Spalatum conditum, eoque Pontificiam Salonitanam ſedem translatam, eorumdem cultum in integrum reſtitui cœpit, ac refloreſcere, id quod poſterorum ſive incuriæ, ſive oblivioni attribui debet; nam præter Domnium primum eccleſiæ Salonitanæ Epiſcopum & conditorem, nullum ex antiquis priorum ſæculorum Epiſcopis eccleſia Spalatenſis in locum Salonitanę ſubſtituta, publico cultu & anniverſaria veneratione proſequitur; qua quidem in re major fuit aut felicitas, aut religio aliarum eccleſiarum, apud quas priſcis earum Epiſcopis ſuus etiamnum cultus atque honos conſtat & defertur, & nulla rerum varietate ac perturbatione, nulla temporum diuturnitate motuque aboleri unquam potuit.

Epiſcopi Salonitani antiqui fere omnes Diptychis inſcripti.

Eorum antiquus cultus Salonæ excidio interciſſus, ac prorſus demum abolitus.

Hæc cum ita ſe habeant, diu multumque du-

Digitized by Google

Salonitanæ eccleſiæ Epiſcopis antiquit titulus Sancti an attribuendus ſit?

bitavi, in exemplo & auctoritate Mediolanenſis, aliarumque eccleſiarum, titulum ſancti liceret attribui Epiſcopis promiſcue omnibus, qui per annos quadringentos Salonitanam eccleſiam ſanctiſſime adminiſtrarunt, quorumque nomina Epiſcopalibus Diptychis adſcripta fuiſſe declarant, qui nunc extant eorundem veterum Epiſcoporum Catalogi, non aliunde, ut diximus, niſi ex illis ſacris Diptychis deprompti. Ut ſanctos eos appellarem, impellebat me Catalogus Romanus Antiſtitum Salonenſium, in quo nullus fere invenitur Epiſcopus ante ſextum ſæculum, cui nomen ſancti non ſit præfixum. Abeſt quidem is titulus ab aliis Catalogis; ſed apud ſcriptores priorum ſæculorum neque Martyribus, neque Confeſſoribus ex hac ad vitam immortalem translatis titulus hujuſmodi apponi ſolebat, tamquam nota, qua illorum perpetua in cœlo felicitas ſignificaretur; communis quippe erat Chriſtianis omnibus, ut Paullinæ epiſtolæ teſtantur, & *viventibus etiam dabatur*, inquit Papebrochius; poſterioribus autem ſæculis, ut idem Papebrochius docet, *vocum iſtarum notionem conſuetudo eccleſiaſtica reſtrinxit ad eos, qui propter notiſſimam ſanctitatem, & miracula inſignia, aut lauream Martyrii, invocantur a fidelibus, tamquam citra dubium ullum cœleſti regno recepti*. Quare ne in ipſis quidem Diptychis inſcriptos Epiſcopos ſanctorum titulo ornatos fuiſſe arbitror, quamquam de illorum cœleſti apud ſuperos beatitate nulla eſſet dubitatio. Daniel Papebrochius in Catalogo Epiſcoporum Mediolanenſium (Tract. prælim. II. de ep. Mediol. ad Tom. 6. Maii) cum nemjnem reperiſſet, cui nomen ſancti eſſet præpoſitum, illud, littera S affixa, addendum cenſuit omnibus illis Epiſcopis priſcarum ætatum, quos Mediolanenſes, e traditione majorum, in numero cœleſtium habent, & caſte ac pie colunt: *Littera S præfixa ſignificat ſanctos; ea tamen in catalogo nuſquam apponitur, ſed pro majori decore hic adhibetur*. Si ergo licuit Papebrochio titulum *Sancti*, ubi non erat, adjicere; cur nobis non liceat, ubi appoſitus jam eſt in Catalogo Romano, intactum relinquere, & ſanctos appellare, quos ibidem honorifico eo titulo donatos invenimus? Verum enimvero ſunt quæ nobis metum injiciunt, ac prohibent, ne id nobis licere putemus. Primum anonymus eſt ignotuſque Auctor Catalogi Romani; deinde non videtur eſſe valde antiquus; demum mihi compertum non eſt, hunc titulum deſumpſeritne ex optimis probatiſque codicibus, an potius ſuo arbitratu addiderit, innixus fortaſſis ea ratiocinatione admodum probabili, qua utitur Papebrochius, nimirum quod Epiſcopi quatuor vel quinque priorum ſæculorum, ſi Diptychis Pontificiis inſerti fuerint, iidem *cenſeantur Catalogo Sanctorum adſcripti, ſive canonizati*. Quocirca vereor, ut ſatis fidei & auctoritatis, in hac re ſane graviſſima, Catalogo Romano tribui poſſit. Præterea alia eſt Mediolanenſium, alia eſt Salonitanorum Antiſtitum ratio; horum ſiquidem cultus omnis ac religio jamdudum interiit; illi vero, quem ab initio adepti ſunt, ſanctorum titulum cultumque nulla ſæculorum intercapedine abolitum aut intermiſſum etiamnum retinent; non eſt autem cujuslibet antiquos Martyres, ſive Confeſſores, quorum memoria ac veneratio abhinc multis ſæculis deſuetudine exſolevit, in priſtinam tituli cultuſque poſſeſſionem reſtituere. Quæ cum ita ſint, quamvis veterum Salonenſium Epiſcoporum ſumma ſanctitas, qualem tempora illa requirebant, & multorum probabile martyrium, & quod caput eſt, eorumdem in ſacris tabulis inſcripta nomina, magno momento mihi eſſent ad ſequendum exemplum Catalogi Romani; tamen rationibus utroque trahentibus inter ſe collatis, & in utramque partem perpenſis, ab eo titulo abſtinendum cenſui, neque cuiquam Epiſcoporum tribuere, niſi paucis illis, de quorum ſanctitate, Martyrio, cultuque immemorabili nulla eſſe poteſt controverſia. Si quid enim hujus tituli vel additione, vel detractione peccandum ſit, præſtat peccare in eam partem, quæ eſt cautior; præſertim cum extent graviſſima & ſanctiſſima Romanorum Pontificum decreta, quibus vetamur adſcribere cuiquam vel martyrii laudem, vel titulum ſanctitatis, cui diuturni cultus poſſeſſio multarum ætatum conſenſu firmata non ſuffragetur. Poteram equidem nomen ſancti, quod antiquis Epiſcopis præfixum inveneram in Catalogo Romano, ſuum cuique relinquere; neque arbitror futurum fuiſſe quempiam, qui mihi id crimini daret; nam ſi qua in eo culpa eſſet, tota reſideret penes auctorem ejuſdem Catalogi, cujus verba ſumma cum fide ac diligentia, nullum meum judicium interponens, exſcripſiſſem. Verum ne quam in offenſionem incurreret Catalogus ille, ſatius eſſe duxi titulum illum expungere, præſertim cum ejuſdem tituli vel additio, vel detractio nihil ſummæ illi, qua iidem ſanctiſſimi Epiſcopi apud Deum valent, gratiæ, ſummæque illi, qua fruuntur, felicitati ſive addat, ſive detrahat. Domnio tamen primo Salonarum Epiſcopo, Venantio, & Raynerio, quorum ſanctitati & Martyrio teſtimonium certiſſimum perhibent Martyrologia, veterum tabularum fides, perantiqua traditio, cultuſque perpetuus, titulum ſancti omnium ætatum conceſſu tributum adimere haud levioris piaculi fuiſſet, quam illis apponere, quibus an conveniat, dubitari poteſt. De reliquis vero antiquis Salonitanis Epiſcopis, cum eorum acta deſcribentur, inveſtigandum erit, diligenterque perquirendum, utrum aliquando in numero cœleſtium habiti fuerint, & cultum aliquem publicum ex inſtituto rituque eccleſiaſtico obtinuerint. Ac de Diptychis quidem Pontificalibus ſatis multa diximus; nunc de Catalogis Epiſcoporum. Hos ex illis deſcriptos fuiſſe conſtans eſt doctorum virorum opinio; ſed uſus Diptychorum perpetuus non fuit, & alibi citius, alibi ſerius, deſuetudine antiquari cœpit. Edmundus Martene antiquam illam conſuetudinem Epiſcoporum nomina ſacris tabulis inſcribendi, commemorandique inter Sacrificium Miſſæ uſque ad ſæculum duodecimum in aliquibus eccleſiis retentam eſſe affirmat lib. 1. de antiquis eccleſiæ ritibus cap. 4. artic. 7. *Imo*, inquit, *ſæculo XI. id paſſim in uſu fuiſſe, patet ex Concilio Helenenſi, ſeu Tulugienſi, ex Micrologio cap. 1., & ex Leone Oſtienſi lib. II. Chronici Caſſinenſis cap.* LXXIII. *At vero Herimanus Monachus S. Martini Tornacenſis, qui inſequenti ſæculo ſcribebat, in libro de reſtauratione ſui Monaſterii innuere videtur, hunc ritum ſuo tempore in deſuetudinem abiiſſe, Vigebat tamen adhuc in eccleſia Ambianenſi, in cujus Diptychis Gervinus, qui incunte ſæculo XII. diem clauſit extremum, commemoratur*. Itaque Catalogi Pontificales bifariam dividi poſſunt; & prima quidem pars deſumpta eſt ex antiquis Diptychis; alteram vero, cum deficerent Diptycha, aliunde mutuari ac ſuppleri oportuit, nimirum ex Necrologiis, aliiſque tabulis eccleſiaſticis, quibus Epiſcoporum recentiorum nomina ac ſe-

& veras præterea religioſas quædam cautio & debita Pontificiis Decretis obedientia.

Cur titulus Sancti antiquis Salonit. Ep. appoſitus in Catal. Rom. a nobis expunctus ſit.

Catalogi Epiſcoporum e Diptychis deſcripti.

Quæ cauſa fuit Papebrochio, ut Mediolanenſibus Ep. titul. ſancti adſcriberet, ea nobis deeſt.

Catalogorem Epiſcopalium pars prima e Diptychis, hic vero deficientibus poſterior aliunde tranſcripta.

Digitized by Google

Catalogi & Diptycha quid inter ſe differant.

ſeriem ad memoriam poſteritatis unaquæque eccleſia diligenter commendare ac tradere conſuevit. Hoc fere intereſt inter Catalogos & Diptycha, quod in his nuda Epiſcoporum nomina ex ordine deſcribi ſolebant; in illis vero ſervatis temporum ordinibus, plerumque apponitur annus ſuſcepti depoſitique Pontificatus, dies obitus, locus ſepulturæ; & interdum aliquid præterea memoria dignum, quod ad cujuſque Epiſcopatum pertinet. Ex his non omnia omnes, ſed alii plura, alii pauciora adjiciunt; & in quibuſdam Catalogis, Epiſcoporum præſertim veterum nihil præter nomen, invenies, in quibus exemplar quoddam Diptychorum intueri licet.

§. II.

De variis Catalogis Epiſcoporum Eccleſiæ Salonitanæ.

Catalogi Epiſcoporum Salonit. quorum nullum ante ſæculum 15. nanciſci potuimus, quatuor a nobis exhibentur.

ANtiſtitum Salonitanorum aliquot Catalogos nacti ſumus, alios aliis temporibus, & auctoribus confectos, ſed quod permoleſtum eſt, nullum ſæculo decimo tertio antiquiorem. Equidem non dubito, quin alii præterea vetuſtiores olim exiterint, vel etiamnum ſuperſint in Archivis aut publicis aut privatis reconditi; quos ut invenire & adipiſci poſſemus, nihil curæ a nobis diligentiæque prætermiſſum eſt, litteris iterum ac ſæpius ad amicos Dalmatas, viroſque principes datis ut ſedula inveſtigatione adhibita, aliquos hujuſmodi antiquioris notæ & characteris Catalogos nobis inveniendos curarent. Sed nihil hactenus impetrare licuit. Illos ego ſi quando nanciſci potero, non committam, ut publica luce careant. Nunc quidem his contenti erimus, quos habemus, hos edemus, hos vulgabimus. Ex omnibus, qui apud nos extant, Epiſcoporum Salonenſium Catalogis quatuor potiſſimum ſelegimus, quos Lectoribus exhibere conſtituimus, *Salonitanum*, *Acuttheanum*, *Ponzonianum*, *Romanum*. De his primum generatim, tum de ſingulis nominatim pauca diſſerere oportet. De numero ac nominibus Epiſcoporum inter ſe fere omnes congruunt, & cognomines Epiſcopos propemodum totidem ubique invenies, duos videlicet Januarios, Juſtinos, & Marinos; tres Leones & Frontinianos; quatuor Maximos, Honorios, & Martinos; quinque Theodoros; Joannes decem, vel undecim; Petros quatuordecim, vel quindecim. Siquid vero ſeu de numero, ſeu de nominibus alii ab aliis diſcrepant, pro tanta Epiſcoporum multitudine levior eſt diſcrepantia, quam ut alicujus momenti putetur, vel Catalogorum auctoritatem in aliquod diſcrimen conjiciat; quin eorumdem in percenſendis ac nominandis Epiſcopis fere perpetua conſenſio maximam illis fidem & auctoritatem adjungit. Eſt ſane, cur nobis magnopere gratulandum ſit Eccleſiæ olim Salonitanæ, nunc Spalatenſi, quod ſingulari quodam divinæ Providentiæ munere id illi datum fuerit, atque conceſſum, quod perpaucis vel nobiliſſimis eccleſiis contigit, ut Epiſcoporum ſuorum nomina ſeriemque a majoribus traditam, & fida litterarum cuſtodia ſervatam, ad hæc uſque tempora, integram, nulliſque interciſam lacunis retinuerit.

In quo tres priores a Romano diſcrepant.

Verum enimvero de ordine, & ſucceſſione chronologica Salonenſium Antiſtitum, tres illi quidem priores Catalogi fere inter ſe conſentiunt, ab illis tamen Romanus mirum quantum diſcrepat. Sed bene habet, quod Epiſcopis quibuſdam notæ quædam chronologicæ ſunt impreſſæ, quæ ſatis declarant illos omnes, quos priore loco nominavi, Catalogos, perturbatione ordinis ac temporum aberraſſe; ab Romano autem normam & regulam petendam eſſe, ad quam illos corrigi, & revocari oporteat. Ac primum quidem in percenſendis undecim Epiſcopis priorum temporum omnes pariter recte atque ordine procedunt; niſi quod Salonitanus, altero Heſychio prætermiſſo, decem tantum numerat. Horum poſtremus eſt Juſtinus, poſt quem diverſi abeunt, & diſcrepare incipiunt. Nam Salonitanus, Acutheanus, Ponzonianus ab Juſtino tranſiliunt ad Glycerium, qui anno Chriſti 474. ex Imperatore Epiſcopus, regimen Eccleſiæ Salonitanæ ſuſcepit. At Romanus Juſtino & Glycerio Epiſcopos unum & viginti interjecit, videlicet Juſtinianum, Antoninum, Maximum II. Amabilem ſive Agapitum, Joannem I. Georgium I. Theodorum I. Joannem II. Frontinianum I. Joannem III. Petrum I. Marinum I. Martinum I. Maximum III. vel Marinum II. Theodorum II. vel Theodoſium, Petrum II. Leonem I. Joannem IV. Heſychium III. Joannem V. & Petrum III. quos fere omnes nominant tres illi priores Catalogi, ſed longe infra Glycerium, atque adeo in ſæculum ſeptimum rejiciunt. Hos vero inter Juſtinum & Glycerium cum Romano Catalogo ſtatuendos eſſe vel unus admonet Amabilis ſive Agapitus, cui Catalogus Salonitanus hanc notam appoſuit: *Suo tempore Martyrium ſuſcepit B. Anaſtaſius ſub annis Chriſti 281. præſidente in Cathedram D. Petri B. Marcellino*, idemque confirmat Simon Bengnius in ſuis Collectaneis, quamvis de anno Martyrii Anaſtaſiani diſcrepet: *Amabilis Archiepiſcopus Salonitanus: tempore ſuo Martyrium ſuſcepit B. Anaſtaſius ſub annis Chriſti 302. præſidente in Cathedra D. Petri S. Marcellino*. Utrumque quidem anachroniſmi merito arguëris; nam neque Pontificatus Marcellini cum anno 281. congruit, & B. Anaſtaſius Aureliano imperante martyrio perfunctus eſt anno videlicet circiter 285. ut in Actis Agapiti declarandum erit; uterque tamen docet, Amabilem ſive Agapitum cum tribus illis, qui hunc præcedunt Epiſcopis, & cum cæteris, qui ſubſequuntur, Glycerium longe ætate antecedere, & annis centum & octoginta Glycerio antiquiorem eſſe. Præterea non eſt veriſimile Epiſcopos non amplius undecim per annos circiter quadringentos Eccleſiæ Salonitanæ præfuiſſe, præſertim temporibus illis multo difficiliimis atque aſperrimis cum Epiſcopis diuturnis ac longævis eſſe non licebat propter atrociſſima Imperatorum edicta, & acerbiſſimum Magiſtratuum & populorum in Chriſtianos odium, quibus id præcipue propoſitum erat, ut Paſtores Eccleſiarum de medio tollerent; iis enim perculſis ac ſublatis, Chriſtianum gregem nullo negotio diſperſum iri exiſtimabant. Ut vero Epiſcopi illi, quos Catalogus Romanus Juſtino, & Glycerio interpoſuit, in eas ætates utrique interjectas optime quadrant, ſic convenire nequeunt in ea poſteriora ſæcula, quibus illos cæteri Catalogi adſcribunt. Glycerio omnes Catalogi eoſdem fere Epiſcopos ſubjiciunt, videlicet Honorium, Januarium, Heſychium, Stephanum ſive Savilianum, Honorium, Frontinianum, Petrum, Probinum, ſive Proclinium, ſive Prodinum, Honorium, Damianum, Natalem, Maximum, Frontinianum, & Theodorum. Ita Catalogus

Digitized by Google

Romanus. His unum adjecit Salonitanus; quippe Stephanum a Saviliano distinxit, & quæ unius duo sunt nomina, in duos Episcopos distraxit. Acutheanus, & Ponzonianus unum prætermittunt, videlicet Hesychium. De cæteris inter se omnino congruunt. At post Theodorum, cui Romanus Catalogus subdit excidium Salonæ, & Spalatensem sedis Pontificiæ translationem, alii omnes Catalogi Episcopos illos percensent, quos Romanus inter Justinum & Glycerium constituit, a tertio videlicet, quarto, & quinto infra sextum sæculum dejectos. Ex his tamen aliquos in aliquibus Catalogis prætermissos invenies. Salonitanus quidem cum Romano plane consentit; sed Acutheanus & Ponzonianus duos ipsos ex eo numero eximunt, videlicet Frontinianum I. & Hesychium III. Itaque post Theodorum, quem omnes Frontiniano hujus nominis tertio proxime substituunt, Episcopis illis, quos tres priores Catalogi infra Theodorum rejiciunt, ante Salonitanam calamitatem locus esse non potest. Nam Natalis & Maximi, quos Catalogi omnes Frontiniano, & Theodoro præponunt, certa ac definita sunt tempora, a quibus dimoveri nequeunt; quippe alterum intra finem sexti sæculi, alterum eodem sæculo exeunte, & proximo ineunte ecclesiæ Salonitanæ præfuisse declarant epistolæ ad utrumque datæ S. Gregorii Magni, qui ab anno 90. sexti sæculi, usque ad quartum consequentis sæculi ecclesiam Romanam administravit. Ab anno autem 90. sexti sæculi, cum Natalis Episcopatum Salonitanum gerebat, usque ad eversionem Salonæ anni non amplius quinquanta numerantur; anno enim circiter quadragesimo Salonam a barbaris funditus excisam fuisse inter omnes constare debet. Adde Pontificatum Maximi, qui Natali successit, & saltem usque ad initium proximi sæculi vitam perduxit. Remanent anni circiter 40. ante Salonitanum excidium. Atqui quadraginta annorum intervallum longe angustius est, quam ut tres & viginti Episcopos, (totidem enim sunt adjecti Frontiniano & Theodoro) in illud includi possint; nisi forte singulorum Episcopatum ne unius quidem biennii spatio prorogandum putes, quod etiam a verisimilitudine, non solum a veritate abhorret. Cum igitur Episcopi illi circiter duo & viginti ætatis illius, quam cæteri Catalogi iisdem attribuunt, angustiis excludantur; multo rectius illos a septimo sæculo amotos partim ad tertium, partim ad quartum quintumque sæculum ante Glycerium revocaveris. Nec vero tres illi priores Catalogi hos solum Episcopos tres ac viginti Theodoro subjiciunt ante Salonitanum excidium, sed alios præterea ad quindecim Episcopos in easdem quinquaginta annorum angustias compellunt, videlicet Martinum, Forminum, Gregorium, Joannem, Vernaculum, Dometum, Theodorum, Vitalem, Petrum, Leonem, Ursum, Petrum, Georgium, Maximum, & Theodorum, quorum cladem Salonitanam conjungunt. Ita fit, ut fere quadraginta Episcopis annos non amplius quinquaginta adscribant, id quod omnis verisimilitudinis fines longe multumque transgreditur. Sed multo aptius ad seriem & successionem Chronologicam congruentiusque, Auctor Catalogi Romani quindecim illos Episcopos Salonæ captæ everſæque postposuit, & Salonitanæ ademptos, ecclesiæ Spalatensi restituit. Quare omnes illos fere quadraginta Antistites, quos alii Catalogi post Natalem, Maximum, Frontinianum, Theodorum recensent, & ante Salonitanam calamitatem constituunt, bifariam dividas oportet, & priores quidem, videlicet Justinianum cum reliquis supra nominatis, Glycerio præpositos ecclesiæ Salonitanæ; cæteros vero, scilicet Martinum, Forminum, quos paullo ante dixi, Salonitano excidio postpositos, ecclesiæ Spalatensi cum Romano Catalogo attribuas necesse est.

In omnibus Catalogis Theodorum Salonitanæ eversionis epocha insignem, eundemque postremum Salonæ Episcopum, Joannem vero patria Ravennatem primum Spalati Antistitem reperies: nisi quod Theodorum illum hoc nomine tertium, & numero 48. Catalogus Romanus; alii quartum vel quintum eo nomine, & in serie Episcopali fere sexagesimum numerant. Joannem vero primum Spalatensem Antistitem, Romanus sextum eo nomine, alii septimum vocant; numero autem Romanus 49. Salonitanus 63. Acutheanus 62. Ponzonianus 59. constituunt.

Post sedem Pontificiam Spalatum translatam, Joanni primo Spalatensium Episcopo Catalogi omnes proxime subjiciunt tres hosce Antistites, Petrum, Marianum, Martinum; sed tres priores a Martino transiliunt ad Leonem hujus nominis tertium in Catalogo Romano, qui Episcopos omnino duodeviginti interposuit, quos illi a Spalatensi ad Salonitanam ecclesiam translatos ante interitum Salonæ constituunt. Sunt autem hi Martinus III. Forminus, Gregorius II. Joannes VII. Vernaculus, Dometus, Theodorus IV. Vitalis I. Georgius II. Vitalis II. Petrus VI. Leo II. Ursus, Petrus VII. Justinus II. Georgius III. Marinus III. sive Maximus V. & Theodorus V. Ex his unum Acutheanus, videlicet Justinum II., tres Salonitanus, scilicet eumdem Justinum, Vitalem II. & Petrum VI. quatuor Ponzonianus nimirum Vitalem II. Justinum II. Georgium II. & Petrum VII. prætermittunt. Post Leonem III. iterum ac sæpius tres illi Catalogi cum inter se, tum a Romano de ordine atque numero Episcoporum Spalatensium discrepant; de qua discrepantia notæ cuique Catalogo appositæ Lectorem admonebunt. Quæ hactenus diximus, eo pertinent, ut ostendant, seriem ac successionem Episcoporum Salonensium, saltem usque ad Leonem III. ordinandam & exigendam esse ad normam Catalogi Romani, in quo recte atque ordine Episcopos illos usque ad finem sæculi noni dispositos esse ac distributos satis declarant notæ illæ Chronologicæ, quibus quosdam ex illis signatos ac distinctos esse demonstravimus. Qui deinceps post Leonem III. sequuntur Episcopi, non eumdem semper in omnibus Catalogis ordinem atque numerum retinent; sed alii alios vel præferunt, vel postponunt, alii alios prætereunt; id quod, ut diximus, ad calcem cujusque Catalogi annotabimus, nullo nunc quidem nostro judicio interposito; sed cum Acta singulorum Antistitum describemus, tum suus cuique locus atque ordo tribuendus erit, videndumque cujus Catalogi auctoritatem potissimum sequi, & quem cæteris præferri oporteat. De numero Episcoporum omnium, qui vel Salonæ vel Spalati sedem Pontificiam tenuerunt, tres priores Catalogi fere inter se congruunt; nam Salonitanus Episcopos numerat centum & octo usque ad Andream Cornelium, in quem definit; Acutheanus centum & septem; Ponzonianus centum & quatuor, usque ad eumdem Andream, quibus si tredecim reliquos adjicias usque

De quatuor prioribus Spalatensibus Episcopis inter omnes Catalogos convenit.

Ris Romanus subjecit, quos alii Salonitanæ eversioni male anteponunt.

ad

ad Pacificum Bizzam hodiernum Spalatenſem Archiepiſcopum, de quibus nulla poteſt eſſe controverſia, conſient omnes ſupra centum, vel viginti, vel undeviginti, vel ſeptemdecim. In tanto autem Epiſcoporum numero hoc quidquid eſt diſcrepantiæ, pro nihilo habeas licet. At vero Catalogus Romanus hunc numerum auxit, & centum illis ac viginti, quos Salonitanus percenſet, tredecim ipſos Epiſcopos adjecit, omninoque ad centum & triginta tres Epiſcopos partim Salonitanos, partim Spalatenſes numeravit. Sed nimirum in Catalogum illum Epiſcopalem Adjutores etiam, electoſque tantummodo Epiſcopos invexit, quibus detractis, reliqui facile ad eam ſummam rediguntur, quæ a cæteris non admodum diſcrepet.

Univerſi Epiſcoporum Salonit. & Spalet. numeri fere idem in omnibus Catalogis.

Poſt expoſitos Pontificales Catalogos, tria eorumdem fragmenta proferemus, in quibus non omnes, ſed aliqui ſolum Epiſcopi commemorantur, unum ex hiſtoria Salonitana typis Amſtelodamenſibus anno ſuperioris ſæculi 68. edita, alterum ex Chartulario cœnobii Spalatenſis S. Raynerii, tertium e Collectaneis Mſſ. Bengnianis. His demum ſubjiciam breve quoddam Chronicum Epiſcoporum Salonitanæ & Spalatenſis eccleſiæ, in quo multorum Pontificum Acta breviſſime deſcripta continentur. Hæc omnia ad ſeriem Pontificiam explicandam & confirmandam in medium afferri oportuit; tum quia ex his monumentis nullum eſt, quod publicam lucem adhuc viderit, unum ſi excipias fragmentum ex hiſtoria Salonitana modo laudata decerptum; tum quia ſingula aliquid conferunt vel ad illuſtrandam Chronologiam, vel ad amplificandam Hiſtoriam Pontificalem, & mutuam ſibi opem præſtant: nam quod aliis deeſt, alia ſuppeditant, & quod in aliquibus mendoſum eſt, aliorum ſubſidio facile corrigas; quo fiet, ut ex omnibus illis Catalogis accurate perpenſis, riteque inter ſe collatis confieri poſſit ordinata quædam continuatio ſerieſque Epiſcoporum, ut omnes inter ſe certis temporum ſpatiis diſtingui queant, & alii ex aliis non interrupta ſucceſſione nectantur.

Catalogis addenda tria fragmenta.

& breve Chronicon Pontificale.

§. III.

De Catalogo primo Salonitano.

HUnc primum Catalogum appellandum eſſe Salonitanum propterea cenſuimus, quod eum in codice quodam Mſ. Collegii de Propaganda Fide, cui titulus eſt: *Servia, Albania, Dalmatia, Illyricum*, hiſtoriæ Salonitanæ præfixum invenimus. Hiſtoriæ Salonitanæ, quam Thomas Archidiaconus eccleſiæ Spalatenſis ſæculo decimo tertio contexuit, duo nacti ſumus exemplaria; alterum manuſcriptum extat in eo, quem dixi, codice archivi de Propaganda Fide paginas duodequinquaginta complectens, ducenſque initium a pagina 616. ejuſdem codicis. Alterum hiſtoricus Dalmata ex antiquiſſimo exemplari, & quidem, ut ipſe putat, autographo deſcripſit, & typis Amſtelodamenſibus impreſſum *Libris ſuis De Regno Dalmatiæ & Croatiæ*, cum aliis opuſculis antea ineditis, adjunxit. Sed manuſcriptum copia & ubertate rerum longe ſuperat alterum illud, quod Amſtelodami e typographia Joannis Bleau anno 1668. in lucem prodiit. Nam præter Catalogum Pontificalem, quem mox ſubjiciemus, Acta S. Domnii primi Salonarum Epiſcopi, aliquot ſynodos Spalatenſes, aliquot epiſtolas Pontificum Romanorum, & quædam alia nobis exhibet, quæ in exemplari edito fruſtra requiras. Quare hanc quidem Amſtelodamenſem *Minorem*, illam vero in codice ſupra laudato deſcriptam *Majorem* Hiſtoriam Salonitanam, diſtinctionis gratia, appellandam eſſe duximus. Sed in eodem codice Mſ. multa deſiderantur, Amanuenſis incuria prætermiſſa, vel inde ſublata, quæ in hiſtoria Archidiaconi reperiuntur, veluti totum caput primum ſub titulo *De Dalmatia*, pars extrema capitis tertii, item caput quartum, initium capitis quinti, caput decimum *De Translatione SS. Domnii, & Anaſtaſii*, caput decimum ſextum *De Promotione Laurentii*; capiti autem decimo ſeptimo nonnulla quidem detracta ſunt, ſed plura & præclara leguntur adjecta. Nec vero codex Mſ. ultra caput XXIII. in quod deſinit, progreditur; ſed ſatis apparet, aliquot paginas indidem exemptas fuiſſe, quibus reliqua capitula omnino ad duodetriginta continebantur. Tota quippe hiſtoria Archidiaconi ex uno & quinquaginta Capitibus conſtat. Reliqua vero, quæ ſunt in utroque codice tum edito, tum manuſcripto, inter ſe fere conſentiunt, & ſi quam habent, major eſt verborum, quam rerum diſcrepantia. Auctorne ſit utriuſque Thomas Archidiaconus, qui duo hiſtoriæ ſuæ exemplaria reliquerit, alterum altero copioſius; an vero alius quiſpiam ejus hiſtoriam rerum ac monumentorum acceſſione locupletaverit, ſtatuere ac dijudicare non auſim; nec facile dixerim utrum utri anteferendum videatur. Hiſtoricus Dalmata codici Ms., cujus plura exempla circumferri affirmat, graviſſimam cenſuram inflixit; & quidquid ibidem inſertum eſt, abeſſe vero ab illo exemplari, quod ipſe præ ſe ſubjiciendum vulgandumque curavit, id totum abjudicat ac rejicit, fabuloſum & commentitium eſſe exiſtimat. Contra vero exemplar illud, ex quo hiſtoriam Salonitanam deſumptam typis conſignavit, & plurimi fecit, & ne intercideret, Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodiendum tradidit, cum hac epigraphe, in qua de utroque codice quid ſentiat, breviter, ac perſpicue declarat: *Hoc eſt*, inquit, *antiquiſſimum exemplum Hiſtoriæ Thomæ Archidiaconi Spalaten., quam poſt opus meum de Regn. Dal. & Croat, cum cæteris rerum Dalmaticarum Scriptoribus nondum impreſſis edidi: cum autem ipſe Thomas mortuus ſit anno Domini 1260. ut in notis ad eumdem animadverti, paullo poſt ejus mortem ſcriptum eſſe debuit, ut ex charactere, & charta colligitur. In ipſius autem editione ſecutus ſum exemplum manu Petri Cindrii Patritii Spalatenſis viri doctiſſimi, & accuratiſſimi exaratum, qui hoc codice, in eo exſcribendo, uſus eſt, erroreſque orthographiæ correxit. Hoc autem antiquum originale in Bibliotheca Vaticana depoſui, ut conferre volentibus pateret: id autem tum alias ob cauſas factum eſt a me, tum quod hujus operis plura exempla circumferuntur, nec ſatis caſtigata, nec admodum integræ fidei, & præſertim illud, ex quo doctiſſimus Ferdinandus Ughellus Abbas Ciſtercienſis nonnullos Epiſcopos Jadrenſes deſcripſit, & in Tomo quinto ſuæ Italiæ ſacræ poſuit, qui in germano Archidiaconi textu minime reperiuntur. Id ego exemplum vidi, & manu recenti ſcriptum reperi, contuliique cum hoc codice; & quæcumque in illo de Actis Conciliorum Dalmatiæ, epiſtolis Papalibus, & epitaphio Zuenimiri Regis ſcripta ſunt, ea omnia ficta, & ſuppoſititia ſunt: a me-*

De utroq; exemplo ſententia & cenſura Hiſtorici Dalmatæ.

Catalogus Salonitanus deſcriptus ex codice Mſ. Collegii de Propaganda Fide, & ibidem præfixus Hiſtor. Salonit.

Duo exempla Hiſt. Salonit.

Digitized by Google

a meque monitus supradictus Abbas Ughellus, visa mei codicis antiquitate, eoque cum suo exemplo, quod habebat, collato, vir ingenuus, & in antiquis characteribus versatissimus, se deceptum fassus est; novamque seriem Episcoporum Jadrensium, expunctis duobus a supradicto codice sumptis, primoque & tertio loco positis, manu propria in margine paginæ 1458. sui tomi quinti cœptam reliquit, integram de novo editurus, si morte præventus non fuisset, quod te monitum volui Lector. Vellem paullo mitius æquiusque de codice illo vir doctissimus censuisset. Fateor equidem codicem illum mendis plurimis præsertim chronologicis, & arithmeticis depravatum esse; id quod librariorum inscitiæ vel incuriæ tribuendum censeo; in libris enim exscribendis, nusquam facilius, quam in eas notas, quibus tempora & numeri designantur, errores irrepunt; sed sane non intelligo, quæ causa scriptorem eruditissimum impulerit, ut Synodos illas Dalmaticas, litterasque Pontificias tantopere contemneret, cum utraque Canones & leges sanciant, quæ cum antiqua ecclesiastica disciplina præclare consentiunt.

Exterior in Codice Ms. quam æquior.

Non deerit in hac historia locus, ubi hujus codicis auctoritatem, correctione quadam adhibita, tueri, ab omnique censura vindicare conabimur. Quamvis autem exemplum Historiæ Salonitanæ, quod in Archivo Collegii de propaganda, & alia huic similia, quæ Historicus Dalmata improbavit, manu admodum recenti descripta sint, haud tamen vereor dicere, eadem ex antiquis probatisque exemplaribus fuisse deprompta, quæ si ad manus nostras forte fortuna venirent, ex his fides illis & auctoritas conciliari posset. Nec vero dubito, quin Catalogus Pontificalis huic codici præpositus in antiquis itidem, quæ dixi, exemplaribus repertus fuerit, atque indidem descriptus; sive Archidiaconus ipse, sive alius quispiam ab ejus ætate non longe disjunctus illum contexuerit. Quare hunc Salonitanum Catalogum conjectura haud improbabili ad sæculum decimum tertium referri posse existimamus; ac proinde omnium, qui nunc quidem extent, nostrasque ad manus pervenerint, antiquissimum esse, & aliis posterioribus, sin minus auctoritate, certe loco atque ordine anteponendum censuimus. Sed illud perincommode accidit, quod præposteris temporibus, inversisque veterum Episcoporum ordinibus, ingens in hoc Catalogo facta sit Pontificiæ successionis perturbatio, & magna confusio. Multi enim ex Episcopis priorum ætatum traducti sunt ad sæcula posteriora; nec pauci ex inferioribus ad superiora tempora protrusi, ut paragrapho secundo demonstratum est, *quæ ordinis Pontificalis ac temporum perturbatio huic cum Acutheano & Ponzoniano Catalogis est communis.* Sed præsto nobis erit Catalogus Romanus, qui doceat, quo quemque loco atque ordine collocari oporteat. Si quid præterea in Catalogo Salonitano mendosum est, vel a cæteris discrepat, Notæ eidem suppositæ admonebunt. Si hunc Catalogum confectum putes sæculo decimo tertio, ejusque auctorem vel Thomam Archidiaconum, vel aliquem alium ejus ætati æqualem aut supparem fuisse existimes, ut nobis verisimile videtur, Episcopos posteriorum temporum aliena manu deinceps adjectos esse necesse est,

Catalogi Pontificalis Historiæ Salonit. Ms. pradicti auctor vel ipsemet Archidiaconus, vel alius quispiam ab ætate Archidiac. admodum recens.

Memoriæ Archiepiscoporum Salonitanæ ecclesiæ ex codice Sac. Cong. de Propaganda, qui inscribitur *Servia, Albania, Illyricum, Dalmatia*, pag. 606.

Sanctus Dominus a Archiepiscopus Salonitanus primus. a

Garganus b *Archiep. Salonit. in num.* 2. b

Sympherius c *Archiep. Salon. in num.* 3. c

Hysicius d	4	*Cæsarius*	9	d
Valentius e f	5	*Justinus*	10	e f
Onosrius g	6	*Glycerius* h i	11	g h i
Maximus	7	*Honorius*	12	
Paschasius	8	*Januarius*	13	

Hesicius k 14. *Suo tempore sanctissimus Episcopus urbis Romæ Zosimus scripsit epistolam, quod Monachi, vel Laici, nisi per gradus ecclesiæ, non debeant ad summum Sacerdotium pervenire, ut infra sub annis Domini* 413. k

Savilianus	15. l	*Natalis*	23	l
Stephanus	16	*Maximus* n *Schismaticus*		m n
Honorius m	17		24	
Fruntinianus	18	*Frontinianus*	25	
Petrus	19	*Theodorus*	26	
Procblinius	20	*Justinianus* o	27	o
Honorius	21	*Antoninus*	28	
Damianus	22	*Maximus*	29	

Amabilis p 30. *Suo tempore martyrium suscepit B. Anastasius sub annis Christi* 281. *præsidente in Cathedra D. Petri B. Marcellino.* p

Joannes r	31	*Marinus*	38	r
Georgius	32	*Martinus*	39	
Theodorus	33	*Marinus*	40	
Joannes	34	*Theodosius*	41	
Frontinianus	35	*Petrus*	42	
Joannes	36	*Leo*	43	
Petrus	37	*Joannes*	44	

Hesicius s 45. *sub annis Christi* 413. *S. Zosimus Episc. Urb. Rom. scripsit epistolam, quod Monachi vel Laici, nisi per gradus ecclesiæ debeant ad summum sacerdotium promoveri, & maxime ne in publico bibant, neque potum publice vendant, & alia multa.* s

Joannes 46 t t

Petrus 47. u *Petrus Archiep. Sal. num.* 47, *anno ejus primo fecit exercitum, & præliavit cum Rege Histrorum, & Salonarum per dies octo, ubi Regem Histrorum necavit, & magnam multitudinem Christianorum. Rex Salonarum quasi mortuus aufugit Salonam, ubi fuit magnus planctus. Totila discessit versus Istriam & Italiam. Ostroilus per Illyriam pervenit Salonam, & omnes inscriptiones Imperatorum, tam Salonæ, quam in Palatio Diocletiani delevit, guastando & diripiendo, quia hoc habebat pro magno honore.* u

Martinus x	48	*Petrus* bb	56	x
Forminus	49	*Leo*	57	aa bb
Gregorius	50	*Ursus*	58	
Joannes	51	*Petrus*	59	
Vernaculus	52	*Georgius*	60	
Dometi	53	*Maximus*	61	
Theodorus	54	*Theodorus* cc	62	cc
Vitalis aa	55			

Joannes primus Archiep. Spalatensis, patria Ravennas 63.

Petrus dd	64	*Justinus*	69	dd
Marianus	65	*Januarius*	70	
Martinus ee	66	*Frontinianus*	71	ee
Leo ff	67	*Paullus*	72	ff
Petrus	68	*Martinus*	73	

Dra-

Digitized by Google

Drabalis 74
Joannes 75
Laurentius 76
Crescentius 77
gg *Manasses* gg 78
hh ii *Gregorius* 79
Claudius hh 80
Absalon 81
Petrus 82
Bernardus ii 83
S. Raynerius 84
Petrus Hungarus 85

Petrus 86. *Hungarus anno tertio sui Pontificatus fecit Concilium extra Civitatem in Ecclesia S. Andreæ anno Domini* 1185. *primo Nonas Maii, tempore Sanctissimi Domini Lucii PP. III. regnante Hungariæ Rege Bela.*

Bernardus 87
Slavizo electus 88
Gonzelus 89 *an.* 1222
Ugrinus 90
Rogerius 91
Joannes 92
Petrus 93

Balduinus 94. *Iste sub* 1326. *statuit hoc decretum Domine Harchia Abbatisse Monasterii S. Mariæ de Taurellis, quod Moniales suas per modum, qui subsequitur, expresse faciat profiteri, videlicet: Ego N. promitto Deo & sanctis ejus, & vobis D. Abbatisse vel Prioriste, coram vobis & Conventu nostro, me perpetuo servaturam continentiam in hac domo, vel Monasterio, quantum Deus fragilitati meæ permiserit, & renuncio propriis, & vobis debitam, secundum regulam S. Benedicti, obedientiam, ac stabilitatem, & conversionem morum meorum promitto.*

Dominicus 95.
Ugulinus 96. *an.* 1365.
kk *Petrus de* kk *Pago* 97.
Franciscus Maripetro Venetus 98. *obiit Romæ* 1401.
Peregrinus de Aragona 99
ll mm *Dominicus de Judicibus* ll 100
Bartholomæus Zabarellis 101
Jacobinus Badoario 102.
Laurentius Zane Ven. 103
Joannes de Furlino mm 104
Fuscarius Cardinalis 105 *Venetus.*
Bartholomæus Averoldus 106. *Brixiensis.*
Bernardus Zane 107. *Venetus.*
Andreas Cornelius 108, *Venetus an.* 1512.

NOTÆ.

a Huic verbo, cum Archiepiscopum dicimus; quæsit notio & potestas subjecta, non ignorabat quidem ecclesia antiqua, sed ab hujusmodi vocabulo abstinuit usque ad quartum sæculum, cum primum usurpari cepit. Itaque temporibus illis erant quidem, qui unius Provinciæ Episcopis præpositi cum essent, jus ac dignitatem Archiepiscopalem, seu Metropoliticam obtinebant, sed & nomine, quo ab Episcopis sibi subjectis distinguerentur, carebant, & vel simpliciter Episcopi, vel primæ sedis Episcopi vocabantur. Quare Auctor hujus Catalogi nomen *Archiepiscopi* e sæculis posterioribus desumpsit, quod B. Domnio, & proximis ab eo Salonitanis Episcopis attribuit.

b Hunc alii Gazanum, alii melius Gajanum, sive Cajanum vocant.

c Aliis est Symphorianus.

d Hesychium rectius dixeris.

e Hesychio primo, Hesychium alterum, sive Isicium subjiciunt cæteri Catalogi.

f Cæteri omnes habent Venantium.

g Hunc *Honorium* nominant Acutheanus, & Ponzonianus, utroque nomine Romanus Catalogus appellat.

h Hic ordo seriesque Episcoporum perturbari incipit. Justino & Glycerio ex Catalogo Romano interjicias oportet Episcopos omnino ad viginti & unum, quos hic Catalogus post Theodorum n. 27. infra finem sæculum dejecit. Vide §. 2.

i Glycerius Olybrio substectus Imperium Occidentale tenuit annum unum & menses fere quatuor. Ab Julio Nepote in ordinem redactus an. 474. Salonas concessit, ejusque ecclesiæ Pontificatum adeptus est, ut tradit Jornandes.

k Hunc Hesychium Acutheanus, & Ponzonianus prætermittunt. At Romanus, & Salonitanus Januario hujus nominis primo subjiciunt. Nota autem, quam eidem Salonitanus falso apposuit, referenda est ad Hesychium tertium, qui ante Glycerium post initium quinti sæculi ecclesiæ Salonitanæ præsse cepit, ab anno 410. ad 440. ex Catalogo Romano; is enim æqualis fuit Zosimo Pontifici Maximo, qui anno 417. ad Romanam sedem evectus est. Hesychius autem tertius inter eos Episcopos locum obtinet, quos ad normam Catalogi Romani inter Justinum & Glycerium constituendos esse diximus.

l Savilianus, & qui proximus sequitur, Stephanus, non duo, sed unus est idemque Antistes binominis, quem Romanus Catalogus utroque nomine impertit; Ponzonianus, & Acutheanus altero nomine præterito, Stephanum vocant.

m Ab Stephano sive Saviliano, quem hic Catalogus ob duo nomina, quæ sunt ejusdem Episcopi, in duos Episcopos distracta, 26. Ponzonianus & Acutheanus 25. Episcopum Salonitanum nomerant, usque ad Theodorum in omnibus omnino Catalogis recte atque ordine progreditur series Episcopalis decem Episcopos complexa, quorum postremus est Theodorus.

n Natalis & Maximi certa sunt ac definita tempora, a quibus dimoveri nequeunt. Uterque enim ætate conjunctus fuit cum S. Gregorio Magno, ut hujus ad eos Epistolæ declarant. Gregorius autem Pontificatum iniit an. 590. diem obiit an. 604. ex communi Chronologorum consensu.

o Catalogus Romanus huic Theodoro, quem ejus nominis tertium vocat, subjecit excidium Salonitanum; cæteri Catalogi Episcopos illos unum & viginti subjiciunt, quo ex Catalogo Romano revocandos esse diximus ad tertium, quartum, quintumque sæculum, & Justino atque Glycerio interjiciendos. His alios adjiciunt, & Salonitanæ cladi anteponunt, quos idem Romanus Catalogus ecclesiæ Salonitanæ ademptos, inter Episcopos Spalatenses annumerat. Vide §. 2.

p Vah, quid hoc anachronismo potest absurdius excogitarier? Si Amabilis eodem tempore Salonitanum Pontificatum gessit, quo B. Anastasius pro Christo mortem oppetiit, hujusque martyrium incidit in annum Christi 281. qui fieri potest, ut Amabilis, non modo post Glycerium, qui sæculo quinto, sed etiam post Natalem & Maximum, qui sexto exeunte, & septimo ineunte sæculo Episcopi fuerunt, ecclesiam Salonitanam administraverit. Vel hinc intelligas velim Amabilem, quem alii vocant Agapitum, cum tribus, qui præcedunt, & septemdecim, qui sequuntur, Episcopis, in ordine ac serie Pontificali anteferendum esse Glycerio, retrahendumque intra finem tertii sæculi. Duo præterea peccavit Auctor hujus Catalogi, unum, quod Martyrium Anastasii, alterum, quod Pontificatum Marcellini conjunxit cum anno 281. unde utrumque vel annis minimum septem, vel annis omnino quindecim abest; nam Anastasius cognomento Cornicularius martyrium subiit anno circiter 274. cum Aurelianus Christianos exagitare

cœ-

Digitized by Google

cepit, ut in Actis Agapiti sive Amabilis Episcopi Salonitani ostendemus, & Marcellinus non ante annum 396. ecclesiæ Romanæ regimen suscepit.

r Post Amabilem ante Hesychium quatuordecim Episcopi sunt intermedii, quos itidem eodem ordine Romanus Catalogus percenset; sed illos, ut sæpe dictum est, ad superiores ante Glycerium ætates revocavit. Ex eo numero Catalogi Acutheanus & Ponzonianus unum eximunt Frontinianum, quem hujus nominis primum Joanni II. & Joanni III. Catalogus Romanus medium constituit.

s Scriptorem hujus Catalogi oblivio sumne, an somniculosum appellem? quippe duos Hesychios 14. & 45. Episcopos Salonitanos, multarum ætatum intervallo disjunctos, Zosimo Pontifici Romano æquales fecit, & cum anno Christi 413. copulavit. Utrumque prætermittunt Acutheanus, & Ponzonianus. Uterque in eumdem ordinem locumque redigendus est, quem illi Catalogus Romanus assignat. Hesychius, de quo nunc loquimur, hoc nomine tertius est in Catalogo Romano inter duos Joannes 4. & 5. interjectus, qui ab anno 410. usque ad annum 440. Ecclesiam Salonitanam administravit, cuique epistolam scripsit Zosimus Papa, *quod Monachi vel Laici &c.* Ille vero Hesychius, quem Salonitanus Catalogus inter Episcopos decimum quartum numerat, cum Januario hujus nominis primo, cui proxime subjicitur, dejiciendus est infra quintum sæculum, ejusque Pontificatus initia cum anno 515. colliganda sunt ex præscripto Catalogi Romani. Facturus operæ pretium mihi videor, si Episcopos inter utrumque Hesychium interpositos e Romano Catalogo descripserim, & sub uno aspectu posuerim. Itaque Joanni hujus nominis quarto, quem Salonitanus numerat 44., subjice Hesychium tertium, & Episcopum Salonarum tricesimum, ad quem Zosimus Papa scripsit. Hunc deinceps sequuntur

Joannes IV. Salon. Ep. tricesimus primus, in Salonit. 46.

Petrus III. Salon. Ep. 32. in Salonit. 47.

Glycerius Salon. Ep. 33. in Salonit. 11.

Honorius II. Salon. Ep. 34. in Salonit. 12.

Januarius I. Salon. Ep. 35. in Salonit. 13.

Hesychius IV. Salon. Ep. 36. in Salonit. 14.

Post Hesychium IV. Savilianus sive Stephanus, a quo, ut diximus Nota *m*, in omnibus Catalogis recte atque ordine series Episcopalis progreditur, decem Episcopos complexa, quorum postremus est Theodorus, cui Romanus epocham excidii Salonitani affixit; cæteri Justinianum subjiciunt cum aliis usque ad Petrum hujus nominis III. in Catalogo Romano, & Episcopum Salonæ 47., quos e superioribus in hæc posteriora tempora infra Glycerium, Natalem, Maximum, & Theodorum sæculi quinti sextique Episcopos reliqui Catalogi protrudunt.

t Is est Joannes V. & Ep. Sal. 31. in Catalogo Romano, & ab Hesychio tertio proximus, ad quem litteras dedit Zosimus Pontifex Maximus.

u Is est Petrus III. in Catal. Rom. & Ep. Sal. 32. Joanni V. substitutus. Quæ hic narrantur de Rege Istrorum cæso, & Rege Dalmatinorum in fugam averso, ea desumpta sunt ex Historia Presbyteri Diocleatis, & Petro Episcopo Salonarum falso attributa. Neque enim Petrus cum Rege Istrorum & Salonarum, sed Totila & Ostroylus pugnarunt, & altero cæso, altero fugato victoriam retulerunt. Ita enim scriptum est in eo libro, qui Regnum Slavorum inscribitur: *Totila, & Ostroylus, ut sibi magnum nomen facerent, consilio & voluntate primogeniti fratris congregantes exercitum magnum valde, & fortem, exierunt de terra sua, & venientes debellaverunt Pannoniam Provinciam, et bellando obtinuerunt eam: post hæc cum valida manu pervenerunt in Templana. Tunc Rex Dalmatinorum, qui in civitate magna & admirabili Salona manebat, misit nuncios & litteras ad Regem Istriæ provinciæ, ut congregaret exercitum, quatenus insimul exirent eis obviam, & defenderent se. Igitur ambo congregantes exercitum gentis suæ exierunt obviam Gotthis; venientes itaque castrametati sunt juxta eos, tunc per spatium octo dierum, quia prope erant castra ad castra, hinc inde armati procedentes per partes graviter se vulnerabant, ac trucidabant. Octavo post die omnes hinc inde Christiani, & gentiles armati exierunt, & commissum est magnum prælium ab hora dici tertia usque ad vesperam; & Dei judicio, cui nemo audet dicere, cur ita faciat, quia forte aliquod magnum peccatum latebat in Christianis, victoriam Gotthi crudeles habuerunt, ceciditque pars Christianorum, & interfectus est Rex Istriæ, & multa millia hominum Christianorum in ore gladii mortua sunt, & plurima captiva ducta sunt. Evasit autem Rex Dalmatinorum cum valde paucis militibus, & aufugit in civitatem suam Salonam.* Sed ex his pleraque minus verisimilia sunt, quem ut Viris eruditis probari possint, nisi ad examen Crisimque accuratam revocentur; & correctione aliqua adhibita, ad historiam illorum temporum, quoad ejus fieri possit, apte accommodentur; id quod suo loco ac tempore præstare conabimur.

x Petro III. Catalogus Romanus subjecit Glycerium, & post alios decem interjectos Episcopos Natalem & Maximum synchronos Gregorii magni, qui anno post Christum 604. ante cladem Salonitanam fere trigesimo sexto, mortem obiit; deinde Frontinianum III. & Theodorum IV. sub quo Salona funditus excisa est. At cæteri Catalogi præter Frontinianum & Theodorum unum & viginti, vel undeviginti Episcopos excidio Salonitano præponunt; & quasi pauciores hi essent, quam ut occupare & implere possent intervallum annorum fere viginti, qui a Maximo ad Salonam eversam intercedunt, his adjiciunt alios quindecim vel septemdecim ecclesiæ Spalatensi ereptos, qui Salonitanum Pontificatum obtinuerint, antequam Joannes patria Ravennas e diruta Salona sedem Pontificiam Spalatum transferret. Itaque Martinum 48. in Catalogo Salonitano, qui ab Joanne Ravennate quintus fuit Archiepiscopus Spalatensium, & reliquos usque ad eumdem Joannem, Salonitanæ ademptos ecclesiæ Spalatensi restituas oportet. In hac autem Episcoporum serie ordinanda tres priores Catalogi cum inter se, tum a Romano alicubi discrepant. Martinus & alii septem, qui deinceps sequuntur, in omnibus Catalogis eumdem locum atque ordinem tenent.

aa Post Vitalem in Acutheano & Romano subjiciuntur Georgius & Vitalis alter; uterque abest a Salonitano & Ponzoniano.

bb Post Vitalem alterum septem Episcopos enumerant Salonitanus & Acutheanus, Petrum, Leonem, Ursum, Petrum, Georgium, Maximum, Theodorum. His unum detraxit Ponzonia-

Digitized by Google

niamus, videlicet Petrum secundo loco nominatum, qui præterea Georgium Gregorii roncbulo appellat; Acutheanus alterum Georgium ejecit, duos inserait Romanus, videlicet Justinum II. & Georgium III. inter Petrum VII. & Maximum V.

cc Cum hoc Theodoro Catalogi perperam conjungunt urbis eversionem; cum is ex Catalogo Romano, annis amplius ducentis post Salonam eversam, ecclesiæ Spalatensi præfuerit.

dd Joanni primo Spalatensium Archiepiscopo tres eosdem Episcopos Catalogi omnes subjungunt, *Petrum*, *Marianum*, *Martinum*.

ee Huc revoca, & Martino II. Spalatensium Episcopo subnecte seriem Antistitum, quam a Martino III. incolumem tres Catalogi sæpius memorati præponunt excidio Salonitano & Joanni primo Spalatensium Archiepiscopo; hoc prorsus ordine, ut docet Catalogus Romanus, Martinum III. Forminum, Gregorium I. Joannem VII. Vernaculum, Dometum, Theodorum IV. Vitalem I. Georgium II. Vitalem II. Petrum VI. Leonem II. Ursum, Petrum VII. Justinum II. Georgium III. Maximum V. & Theodorum V.

ff Hactenus de ordine ac successione Episcoporum inter Romanum & cæteros Catalogos magna dissensio fuit, quæ tandem fere tota in hunc Leonem definit. In hunc siquidem, sic tamquam ab viarum divortiis, & ambagibus in idem compitum deducti Catalogi omnes conveniunt, ac deinde in percensendis posteriorum ætatum Episcopis, fere eumdem ordinem servant, eamdemque viam pariter insistunt, a qua si paululum aliquando, alii alio abeuntes deflectant, mox eodem redeunt, unde discesserant; & si qua deinceps inter eos est discrepantia, ad eam, in qua usque ad Leonem versantur, parvi ducenda est. Post Leonem igitur tres priores Catalogi decem eosdem omnino enumerant Episcopos, Petrum, Justinum, Januarium, Fruntinianum, Paulum, Martinum, Drabalem, Joannem, Laurentium & Crescentium. At Romanus Fruntiniano & Paullo Martinum IV. quem alii Paullo postponunt, Petrum IX. & Joannem Petri adjutorem, Drabali autem & Joanni Lampridium interjecit; decem illis duos adjiciens ab aliis prætermissos Petrum IX. videlicet, ac Lampridium.

gg Cæteri omnes Gregorium Manassi præponunt.

hh Cæteri rectius Gaudium vocant.

ii In aliis Gerardus, sive Giraldus. Ab Gerardo apud omnes duodecim recensentur Episcopi, quorum postremus est Ugolinus. His unum interserit Salonitanus Slavizonem, sive Slavizum, plures Romanus, sed omnes solum electos.

kk Post Ugolinum Catalogus Salonitanus rursus ordinem perturbat quatuor Episcoporum, quos Ugolino proxime subjecit, & unum prætermisit Andream, qui Ugolino vivis exempto successit. Ratio ordinis, & horum disponendorum Antistitum petenda est ex aliis Catalogis, quorum in hisce apte ordinandis, & suo cuique loco tribuendo consentiens auctoritas Salonitano præferri debet. Itaque Andream, quem Catalogi cæteri commemorant, adjicias necesse est, cui reliquos quatuor recte atque ordine ad normam aliorum Catalogorum ita dispositos subnecte: *Andreas*, *Peregrinus de Aragona*, *Dominicus*, *sive Dominus de Judicibus*, *Petrus de Pago*, *Franciscus Maripetro*. Post Maripetrum de numero atque ordine Episcoporum Catalogi omnes inter se consentiunt, sed de aliquorum nominibus alicubi discrepant.

ll Alii Doymum, alii Domnium vocant. mm Hunc apud alios *Anastasium*, apud alios *Zanettinum* cognominatum invenies.

§. IV.

De Catalogo scripto Acutheani.

CLara in primis Spalati fuit, ac nobilis gens A Cutheis, ex qua prodiit Marinus A Cutheis, quem Catalogus Romanus inter Archiepiscopos Spalatenses Electos annumerat; isque anno primo supra millesimum, & quadringentesimum Adjutor Pontificii muneris datus est Andreæ Gualdo, qui usque ad annum 1402. Spalatensem Pontificatum gessit. Ex eadem gente sive familia eodem sæculo decimo quinto extitit scriptor, ut temporibus illis non ignobilis, neque pœnitendus, cujus nomen ignoratur. Is res Spalatenses superioris sæculi XIV. maxime memorabiles breviter atque ordine complexus, annorum amplius viginti, ex *diversis chirographis*, de *temporibus retroactis*, ut ipse refatur, synopsim confecit, tribus capitulis distinctam, quam ab anno ojusdem sæculi 48. ultra annum 70. perduxit. Hanc Historicus Dalmata typis Amstelodamensibus tradidit, & sex libris de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, cum aliis Opusculis nondum editis, subjungendam curavit, hoc titulo inscriptam: *Incipit summa Historiarum Tabula A Cutheis, de Gestis civium Spalatinorum sub brevitate compilata ex diversis Chirographis, de temporibus retroactis, ut non præcedentes, sed posteri suis Gradatim bus narrabunt.* [De Auctore hujus Catalogi.]

Huic autem synopsi sive Tabulæ idem Anonymus A Cutheis subjecit Catalogum Episcoporum Salonitanæ, & Spalatensis ecclesiæ, quem ab ejus Auctore Acutheanum denominandum esse duximus. Catalogo is titulus præpositus est: *Memoria Archiepiscoporum Salonitanæ & Spalatinæ Ecclesiæ*. Stylus & character historiæ satis ostendit, hunc scriptorem floruisse sæculo decimo quinto, neque ad superius, cujus acta & eventa describit, referri posse, quippe cum res illorum temporum non ætate sua gestas, sed a Majoribus traditas tabulisque consignatas e *diversis chirographis* acceperit, ut ipsemet fatetur. Catalogus vero Episcoporum, quem non ultra Laurentium Zane Spalatensi ecclesiæ præpositum anno circiter 1450. secundo perduxit, docet eumdem haud multis post annis diem suum obiisse. Nam septem illos Episcopos, qui Laurentio ibidem subjuncti sunt, aliena & posteriori manu adjectos esse, variata ejusdem Catalogi conficiendi ratio & formula perspicue declarat. Cum enim plerisque superiorum Spalatensium Antistitum & patria adscripta sit, & tempus suscepti ac depositi Pontificatus, & locus sepulturæ, & aliquid etiam rerum ab ipsis gestarum, Episcopis vero ætate inferioribus nihil præter Gentilitium nomen additum sit; id satis argumento est, hos quidem ab uno juniori, illos vero ab alio vetustiori Auctore descriptos fuisse: non est enim consentaneum, qui tam accuratum in antiquis describendis, episcopis ac copiosum se præstiterit, eum in recentioribus, suæque ætati propioribus, vel æqualibus, percensendis adeo negligentem & parcum fuisse, ut ne unam quidem litteram eorum nominibus adjunxerit. Cum vero Anonymus A Cutheis neque diem neque annum obitus Laurentio apposuerit, qui ecclesiam Spalatensem administravit usque ad annum [Ætas Auctoris.]

num 1473., vix dubitari poteſt, quin ille antea obierit, quam Laurentius Pontificatu & vita decederet. Catalogus Acutheanus in perturbandis Veterum Epiſcoporum ac temporum ordinibus, eadem peccat, quæ a nobis reprehenſa ſunt in Salonitano; a quo, itemque ab aliis Catalogis ſi qua in re præterea diſſentiat, Lectorem docebunt noſtræ in eum animadverſiones, quibus notas quaſdam Hiſtorici Dalmatæ identidem interſeremus.

Memoria Archiepiſcoporum Salonitanæ, & Spalatinæ Eccleſiæ,
Ex Hiſtoria de Geſtis civium Spalatinorum, Auctore N. N. A Cutheis.

a 1. a *S. Domnius*.
2. *Gaxanus*.
3. *Symphorius*.
4. *Iſicius*.
b 5. b *Iſicius*.
6. *Venantius*.
7. *Honorius*.
8. *Maximus*.
9. *Paſcaſius*.
10. *Cæſarius*.
11. *Juſtinus*,
c 12. c *Glicerius*.
d l 13. d *Honorius*.
e m 14. *Januarius*.
15. e *Stephanus*.
16. *Honorius*.
17. *Fruntinianus*.
18. *Petrus*.
19. *Proclinius*.
20. *Honorius*.
f 21. *Damianus*.
g 22. f *Natalis*.
23. g *Maximus*.
24. *Fruntinianus*.
h 25. h *Theodorus*.
i 26. i *Juſtinianus*.
27. *Antoninus*.
k 28. *Maximus*.
29. k *Amabilis*.
30. *Joannes*.
31. *Georgius*.
32. *Theodorus*,
33. *Joannes*,
34. *Joannes*,
35. *Petrus*,
36. *Marinus*,
37. *Martinus*,
38. *Marinus*.
39. *Theodorus*.
40. *Petrus*,
41. *Leo*.
42. *Joannes*.
43. *Joannes*.
44. l *Petrus*,
45. m *Martinus*,
46. *Forminus*.
47. *Gregorius*,
48. *Joannes*.
49. *Vernaculus*,
50. *Demeti*.
51. *Theodorus*.
52. *Vitalis*.
53. *Georgius*.
54. *Vitalis*.
55. *Petrus*,
56. *Leo*.
57. *Urſus*,
58. *Petrus*,
59. *Georgius*,
60. *Maximus*.
61. *Theodorus*.

62. *Joannes primus Archiepiſcopus in Spalato. Iſte fecit templum argenteum, & edificavit eccleſiam S. Michaelis de Mari, tumulatus eſt in eccleſia S. Matthæi.*

63. *Petrus*.
64. *Marianus*.
n 65. n *Martinus*.
o 66. o *Leo*.
p 67. *Petrus*.
68. *Juſtinus*.
69. *Januarius*.
70. *Fruntinianus*.
71. p *Paullus*.

72. *Martinus. Iſte fecit calicem magnum aureum. Iſte fuit Spalatenſis, & pater ejus fuit Comes iſtius Civit.*

q 73. q *Drabalis. Etiam iſte fuit Spal., & fuit depoſitus, quia habebat uxorem, & filios, in Domo Archiepiſcopali.*

74. *Joannes. Et iſte fuit Spal., & edificavit eccleſiam S. Felicis de Rivo.*

r 75. r *Laurentius ſedit annis* XL. *Iſte tempore ſuo fecit Monaſterium S. Benedicti, & fecit Candelabra magna argentea, & multa alia bona. Obiit* IIX. *die Menſ. Julio, tumulatus in Capella S. Matthæi in tumulo ſuperiori.*

s 76. s *Creſcentius*.

t 77. t *Gregorius. Iſte fuit Jadrenſis, & edificavit eccleſiam S. Joannis, quæ eſt Capella Curiæ.*

78. *Manaſſes. Iſte fuit Hungarus, & voluit tradere iſtam civitatem.*

79. *Gaudius. Iſte fuit Spalat., & fuit depoſitus, eo tt quod consecravit Epiſcopum ſe ſecundo.* tt

80. *Abſalon Hungarus.*

81. *Petrus.*

82. *Giraldus. Iſte dimiſit eccleſiam iſtam, & præfuit eccleſiæ Spoletinæ.*

83. *S. Raynerius. Sedit annos* V. *Iſte fuit lapidatus a Sclavis de Maſſaro, eo quod circuibat terras eccleſiæ A. D.* u *MCLXXX. pridie Nonas Aug. ſepultus eſt apud Mon. S. Benedicti intus in eccleſia.* u

84. *Petrus Archiep. natione Hungarus. Iſte fuit poſtea Archiep. Colocenſis.*

85. *Petrus etiam natione Hungarus.*

86. x *Bernardus de Civ. Peruſia natione. Sedit annis* XIX. *Iſte impetravit a D. Henrico Rege Hung., & a fratre ſuo Andrea Staria Molendinorum, & territorium de Biaci, & de S. Vitale; & ſuo tempore conſecravit iſtos ſuffraganeos, in primis Treguanum Trag. Epiſcopum, Grucium Archipresbyterum unius eccleſiæ Nonenſis, Micum Tinienſem.* x

87. *Guncellus natione Hungarus ſedit annis* 22 XXIII. *Iſte tempore ſuo conſecravit iſtos ſuffraganeos; in primis Martinum Corbav. Epiſc., Boriſlaum Signien., Nicolaum Canonicum hujus eccleſiæ Scardonenſem, Nicolaum etiam Canonicum noſtrum Pharienſem, Bartholomæum Canonicum etiam Scardonenſem, Janſonem Nonenſem, Saracenum etiam Corbavienſem, & Joannem etiam Signienſem. Obiit ultimo die Menſe Majo; ſepultus eſt apud Mon. S. Stephani intus in eccleſia ſub pavimento, cum intratur per Regiam A. D. MCCXLII., tempore Tartarorum.* 22

88. bb *Hugrinus natione Hungarus præfuit* cc *anno uno, menſ. duobus, diebus* VII. *Iſte non erat uſus pallio, niſi cum delatus eſt ad ſepulchrum; obiit tertio die ante feſtum S. Andreæ Apoſtoli, ſepultus vero in eccleſia Fratrum Prædicatorum, anno Domini MCCXLIIX.* bb cc

89. *Rogerius natione Appulus ſedit annis* XVI. dd *obiit menſe April.* XIV. *die intrante, anno Domini MCCLXVI.* dd

90. cc *Joannes*. ee

91. ff *Petrus*. ff

92. gg *Balianus*. gg

93. *Dominicus civis Spalat. obiit ſub A. D.* hh *MCCCXLIIX. die* XXII. *Menſ. Martii. Sedit annis* XIX. *Hic aptavit Archiepiſcopium, vixit pompatice, magnam tenendo familiam, ſed devotus erat ad ſuam eccleſiam.* hh

94. *Hugulinus* ii. *Hic de Agubio Vir Nob., & de magna progenie, vid. de Branca, magnanimus, & ſufficiens ad plura; reditus ſui Archiepiſcopatus ampliavit, recuperavit villas, territoria, & poſſeſſiones tam ſui Archiepiſcopatus, quam etiam cæterarum eccleſiarum, debite correxit delinquentes, ſuis ſuffraganeis non pepercit, contra occupantes bona eccleſiarum viriliter ſe oppoſuit.* ii

95. *Andreas* kk *ſucceſſit, qui de partibus Marchiæ fuit.* kk

96. *Pelegrinus natione Neap. eidem ſucceſſit.* ll

97. *Doymus* ll *Spalat. fuit natione.*

98. *Petrus Archiepiſcop. natione Pagenſis. Hic multa bona ſuo tempore fecit. Erexit Capellam S. Domnii, & eam pulcherrime pavimentis edotavit; domos & poſſeſſiones Archiepiſcop. erexit, eccle-*

Digitized by Google

ecclesiam S. Domnii divinis officiis bene fulcitam tenuit. Hic sedit annos VI. *mens.* IV. *Obiit A. D.*

mm mm *MCCCCXVII. die primo Decembris; tumulatus est ante dictam Capellam S. Domnii in ecclesia ejusdem.*

nn 99. *Franciscus* nn *natione Venetus ex nobili familia Malipetro dicta. Sedit annos .... & mens. .... & ad Episcopatum Ven. translatus est.*

100. *Bartholomæus Paduanus natione, ex Do-*

oo *mo* oo *Baduaria, sedit annos ... & mens. .... & ad Archiepiscopatum Florentinum translatus est.*

pp 101. *Jacobinus* pp *natione Ven. ex Nob. Domo Baduaria, sedit annos ... & mens. ....*

qq *moritur A.* qq *MCCCCLI. die .... & sepelitur in ecclesia S. Domnii.*

rr 102. *Laurentius* rr *Zane Ven. patricia domo, & Eugenii IV. Pont. Max., ac Francisci Condulmerii Portuen. Episcopi, S. R. E. Cardinalis, & V. Canc. materno genere Nepos,* XXIII. *an. agens Spalat. ecclesiæ a Nicolao V. Rom. Pont. A. D. MCCCCLII. præficitur. Qui Romæ consecratus, Pontif. sui anno* V. *e curia Romana profectus Archiepiscopale Palatium aliqua ex parte restauravit, Abbatiam S. Stephani sibi commendatam ruinæ proximam reparavit, ornavitque.*

ss 103. *Joannes* ss *Aperoldo,*

104. *Fuscarus.*

tt 105. *Bartholomæus* tt.

uu 106. *Bernardus* uu *Zane,*

107. *Andreas Cornelio.*

xx 108. *Marcus* xx *Cornelio.*

zz 109. *Aloysius* zz *Michael.*

NOTÆ.

a In prima hujus Catalogi parte usque ad Spalatensem translationem Pontificiæ sedis, imaginem quamdam speciemque veterum Diptychorum intueri licet, ex quibus nuda Episcoporum nomina, sine ulla additione, inter solemne sacrificium recitari solebant, nisi quod hic uni Domnio titulus sancti præponitur, quod fere aberat a Diptychis, quorum quidem usus sæculo decimo quinto fere ubique jam exsoleverat; aliquod tamen exemplum adhuc fortassis extabat apud Dalmatas, unde Anonymus Acutheanus Episcopos Salonitanos descripsit.

b Huic Ificio, qui locum & numerum quintum obtinet, hanc notam apposuit Historicus Dalmata: *Baronius an. 418. n. 36. refert epistolam Zosimi PP. ad Hisichium Salonitanum Episcopum.* Sed hæc nota referenda est ad Hesychium hujus nominis tertium in Catalogo Romano, qui inter an. 410. & an. 440. ecclesiæ Salonitanæ præfuit, cuique amicitia, & commercium litterarum cum D. Augustino intercessit.

c Justino & Glycerio interjicias oportet Episcopos undevigiinti, quos hic auctor inter Theodorum n. 25., & Martinum n. 45. constituit, ab inferioribus ad superiora tempora revocandos, quibus duos adjicias velim ex Catal. Romano Frontinianum I. inter Joannem hic n. 33., & alterum Joannem n. 34., itemque Hesychium III., de quo supra, inter alios duos Joannes hic 42. & 43. Vide Not. h Catal. super.

d *Baronius an. 493. n. 23. Gelasius PP. ad Honorium in Dalmatia Episcopum.* Histor. Dalmata.

e *Baronius an. 527. n. 73. Dionysius Stephano Salonitano Episcopo.* Hist. Dalm. Huic siquidem Dionysius cognomento exiguus Canones ab se collectos, unumque in volumen redactos misit, præfixa eisdem ad Stephanum Episc. Salonit. epistola.

Illyricum Sacrum.

f *Baronius an. 592. num. 19. Natali Episcopo Salonæ Gregorius* PP. Hist. Dalm.

g *Gregorii* PP. *plures epistolæ de Maximo Schismatico intruso an. 600.* Hist. Dalm.

h Is Theodorus postremus fuit Salonarum Episcopus, idemque ob excidium Salonæ memorabilis. Vid. not. o. Catal. super.

i Hunc & reliquos usque ad Martinum n. 45. revoca ad superiores ætates inter Justinum & Glycerium.

k Vide Notam p. Catalogi super.

l Huic Petro subjice Glycerium, & reliquos, quorum postremus est Theodorus hic n. 25. Salonitanæ cladis epocha insignis.

m Hunc Martinum cum reliquis ante Joannem Ravennatem primum Antiltitem Spalatensium, a Salonitana ad Spalatensem ecclesiam transfer, & quatuor prioribus Spalatensibus Archiepiscopis subnecte. Vide Notam ee. Catal. super.

n Huic Martino quarto Spalatensium Antistiti, substitue Martinum Nota proxime sup. nominatum, cum cæteris, quos modo dicebam ab Salonitana abjudicandos esse, & Spalatensi ecclesiæ restituendos; his unum Justinum innecte ex Catal. Rom. Vide præterea Notam eamdem ee. Catal. sup.

o In hunc Leonem omnes Catalogi post longos errores tandem conveniunt, ac deinde fere pariter procedunt, & plerumque eodem Pontificiæ successionis filo reliquam seriem contexunt. Vide Not. sup. Catal. ff.

p Catalogus Romanus Frontiniano subjecit, & Paullo præposuit Martinum IV., Petrum IX., & Martinum Petri Adjutorem. Hic, & alii Catalogi Martinum Paullo postponunt, Petrum & alterum Martinum adjutorem Petri prætermittunt.

q Drabali Catalogus Romanus Lampridium ab reliquis prætermissum subnexuit. Historicus Dalmata Lampridium inter Martinum & Drabalem collocavit, hac nota ad hunc locum Catalogi Acutheani apposita: *Lampridium quemdam fuisse Archiepiscopum Spalati testatur Membrana antiqua Monasterii Monialium S. Raynerii, cujus initium tale.*

In nomine Sancte & Individue Trinitatis. Anno quoque Dominice Incarnationis MXL. per Indictione prima Regnante D. N. perpetuo hac piissimo Augusto Michaele Magno Imper. residente videl. Lampredius Archiep. una cum Nikiforio Priore sub illorum namque temporibus. Ego Niciforius Prior het breve recordacio jubeo conscribere de comparatione domorum tertia ut. In primis comparavi &c.

Hujus tamen Lampredii nulla mentio apud Archidiaconum, vel alium scriptorem reperitur, qui inter Martinum n. 74. & Drabalem 73. ponendus est. Hæc Historicus Dalmata.

r *Tumulus marmoreus in eadem ecclesia S. Matthæi extat cum sequenti inscriptione:*

Quis sim scire venis qui mortis stringor habenis,
Pastor eram urbis hujus Laurentius urbis,
Quam ego dum rexi si quid minus utile gessi,
Id prece te flagito tergas ut opifice Christo
Crimine te Sanctus rex purget Virgine natus.

Hist. Dalmata.

s *Hic aperuit Arcam S. Domnii, ut inscriptio existens a lævo latere altaris ejusdem sancti testatur, quæ ob inopiam loci scripta est in longo & angusto lapide.* Hist. Dalmata. Inscriptionem Actis S. Domnii inseremus.

Sepultus est Crescentius in Arca marmorea sita

Digitized by Google

in portico prope portam majorem ecclesiæ Metropolitanæ, ex parte læva cum tali inscriptione:

Vita salus cunctis qualis sit cernitur unis,
In quibus ossa cinis remanent de corpore vili.
Quantumcunque boni gessit, quantumq; decoris
Urbe fuit dicta Spalatum Crescentius ista
Pontificum Præsul nunc mundi floribus exul.

Ex Notis Hist. Dalm.

t Catalogus Romanus Gregorio præposuit Manassem.

tt. Non hæc fuit causa, cur Episcopali regimine amoveretur; sed quia ad consecrandum Episcopum Tragurien sem, uno tantum Episcopo adjutore usus est, contra quam Canones præcipiunt. Vide cap. XIX. Hist. Salonitanæ.

u De anno Martyrii ab Romano non dissentit.

x *Hic consecravit altare S. Anastasii, ut constat ex inscriptione sculpta in capite argenteo ejusdem sancti, quæ talis est:* A. D. N. J. Christi MCCXI. Ind. XIII. tempore D. Innocentii Papæ III. & Andreæ Regis Ung. & D. Bernardi Archiepiscopi, & Domaldi Comitis X. Kal. Junii. Hoc opus factum est & altare consecratum ad honorem Dei & Sancti Anastasii, in quo corpus requiescit, cujus caput hoc est. Ex Not. Hist. Dalm. Bernardi Pontificatui annos duos & viginti Catal. Romanus attribuit ab an. 1195. ad 1217.

aa Totidem annos Guncello adscripsit Romanus, itemque ejus obitum consignavit an. 1242.

bb Ante Hugrinum duos electos Archiepisc. Guncello subjecit Catal. Rom. Stephanum, & Thomam Archidiaconum, qui scripsit historiam Salonitan. De Stephano in suis notis hæc habet Hist. Dalmata: *Mortuo Guncello Stephanum Zagrabiensem Episcopum, qui tunc Spalati reperiebatur, electum fuisse notat Thomas Archidiaconus cap. 41., sed tum confirmationem certis conditionibus petiisset, quas Innocentius IV. Summus Pontifex admittere noluit, ideo postulationi de se factæ renunciavit, ut idem Archidiaconus refert c. 45. Hujus Stephani Archiepiscopi memoria reperitur an. 1243., qui cum Pallium non acceperit, omissa est ejus mentio in serie Archiepiscoporum.*

cc Hujus Pontificatum in quartum usque annum, qui fuit Christi 1248., perduxit Catalogus Romanus.

dd Tempus Pontificatus, atque obitus idem est in Romano Catalogo. *Hic sepultus est in eadem Arca cum Crescentio, ut inscriptio in superiori labro existens testatur.*

Præsulibus geminis præsens catagea dicatur
Nam tibi Crescenti Rogerius associatur.
A. D. MCCLXI. M. April. die XIV. intrante.

Ex Notis Hist. Dalmatæ. Sed annus Necrologicus ab eo discrepat, qui notatus est in Catalogo, nisi notam V. interjectam X. & I. Librarius aut Typographus imprudens omiserit.

ee *Joannes natione Ungarus de genere Bucad, ut habetur in privilegio Stephani Regis Ungariæ concesso ecclesiæ Nonen. die 24. Junii 1272, vixisseque constat an. 1293.* Ex Not. Hist. Dalm.

ff *Electus an. 1298.* Hist. Dalm. vel 1297., ut Catal. Rom.

gg *Balianus a Sum. Pontif. consecratus an. 1325., oriundus de Civitate Baruth, olim Archiep. Rhodicensis. Obiit 1328. Micha Madius refert cap. 25., & 26.* Hist. Dalm.

hh Idem annus Necrologicus in Catal. Rom. Huic *Pereander* cognomen fuit ex Hist. Dalm.

ii *Hic fuit Monachus Benedictinus, venitque Spalatum an. 1349.* (fere quadriennio post quam creatus fuerat Archiepiscopus, ut ex Catal. Rom. colligitur). *Tab. A cutheis cap. 2., præfuitque usque ad 1386.* (in Romano non ultra 1371.) Hist. Dalm.

kk *Hic fuit de familia Gualda, legum Doctor, præfuitque ab an. 1390.* (in Rom. 1371.) *usque ad 1400, inter quem & Peregrinum num. 96. reperitur memoria Marini de Cutheis Spalaten. Archielecti* (cujus meminit Catal. Rom.) *an. 1403, die 26. Decembris.* Hist. Dalm.

ll *De nobili domo Luccari cum esset Archidiaconus, electus fuit in Archiep. an. 1410.* (in Rom. 1418.) *die 11. Augusti. Obiit die primo Decembris 1417.* At Romanus non ultra an. 1421. ejus Pontificatum produxit. *Hujus mater sepulta est in arca marmorea existente a dextra parte portæ majoris supradictæ ecclesiæ Metropolitanæ, ut ex inscriptione patet:*

✠ Hic nobilis Franciscæ jacet piissima mater
Domini qui erat Præsul venerandus in urbe,
A. D. MCCCCXXIX. die XXV. Aprilis.

Ex Not. Hist. Dalm.

mm In Romano Catalogo Pontificatum cum vita deposuisse dicitur an. 1430.

nn *Franciscus Malipetro Abbas S. Cypriani Ordinis S. Benedicti electus anno 1427. die 27. Januarii, translatus ad ecclesiam Castellanam seu Venetam anno 1428. die 16. Augusti, cujus extat memoria in Lapide posito prope altare S. Domnii sub inscriptione suprascripti Crescentii.* Itaque corrigendus est hoc loco Catalogus Romanus, qui quadriennio electionem, & translationem Malipetri postposuit.

oo Huc mendum irrepsit; neque enim ex Baduaria, sed e Zabarella gente perantiqua & Patavii copiosa in primis ac nobili oriundus erat Bartholomæus, ut cæteri omnes Catalogi docent. *Bartholomæus Patavinus de Zabarellis Archipresbyter in patria, & sedis Apostolicæ notarius electus Archiep. Spalati die 27. Januarii 1428, translatus ad Archiep. Florentinum die 28. Decembris 1439.* Hist. Dalmat. Catalogus Romanus hujus quidem initium affixit an. 1432; sed translationem cum anno 1439. conjunxit.

pp *Hic reintegrare fecit ecclesiam Spalaten. a Petro de Thaloviz Bano Dalm. & Croat. de decimis, quæ per multos annos tempore bellorum interceptæ fuerant, ut constat ex ejusdem Privilegio an. 1442. relato inter memorias Tragurii lib. 6. cap. 5.* Hist. Dalm. Quamvis enim Spalatum & pars magna Dalmatiæ in ditione tum esset ac potestate Venetorum, Diœcesis tamen Spalatensis suum jus ac fines proferebat in regiones Regibus Hungariæ subjectas, a quibus jus percipiendi decimas ut recuperaret, necesse habuit Jacobinus fidem implorare, & auctoritatem interponere Bani Dalmatiæ & Croatiæ.

qq Catalogus Romanus Jacobini, quem Jacobum vocat, ex hac vita decessum eodem anno 1451. consignavit.

rr In hunc desinit Catalogus Acutheanus; qui deinceps sequuntur, eos alia & posterior manus adjecit.

ss In Catalogo Romano non Averoldus, sed Zanettinus, ex Ordine Fratrum Minorum, cognomento dictus.

tt Huic Catalogus Romanus Averoldi cognomen attribuit.

uu *Bernardus Zane Protonot. Apost. electus die Februarii 1503.* Hist. Dalm. Hæc epocha congruit cum Romano.

xx *Mar-*

Digitized by Google

xx *Mareus Cornelius electus die 18. Auguſti 1536. per ceſſionem Andreæ Cornelii.* Hiſt. Dalm. Andreæ & Marco e gente Cornelia Catalogus Romanus interjecit Andream alterum item Cornelium, qui electi nomen obtinuerit ab an. 1536.

zz *Aloyſius Michael electus die 19. Julii 1566,* (in Rom. 1565.) *per ceſſionem Marci Cornelii,* Hiſt. Dalm. Is poſtremus eſt adjectorum Catalogo Acutheano; ſed Hiſtoricus Dalmata quinque præterea ſubjunxit, ſeriemque Pontificalem ad ſua uſque tempora perduxit, uno Dominico Foconio prætermiſſo, quem Romanus Catalogus inter Dominicum Mariottum, & M. Antonium De Dominis locavit, ab an. 1585. uſque ad an. 1602. Itaque Aloyſio hos ſubjecit:

110. *Frater Dominicus Marotti Ordinis Prædicatorum deputatus Coadjutor Aloyſii cum futura ſucceſſione die 3. Aug.* 1575.

111. *Marcus Antonius de Dominis ex Epiſcopo Segnienſi, translatus ad Spalat. die 15. Novembris* 1602.

112. *Sforcia Ponzonus per ceſſionem M. Antonii die 22. Aug.* 1616. Congruit cum Romano.

113. *Leonardus Bondulmerius die 15. Aprilis* 1641. (in Rom. 1640.) *per mortem Sforciæ.*

114. *Bonifacius Albanus Bergomen. Presbyter Congreg. Somaſchæ die 30. Januarii* 1669. (in Rom. 1668.) *per renunciationem Leonardi,*

§. V.

De Catalogo tertio Ponzoniano.

Auctor hujus Catalogi

SForcia Ponzonius vir haud doctrina, quam virtute illuſtrior ad cathedram Pontificalem evectus anno decimo ſexto ſuperioris ſæculi, eximia prudentia ac religione eccleſiam Spalatenſem gubernavit uſque ad annum 1640. Is litterariam eccleſiaſticam ſupellectilem a deceſſoribus ſuis collectam ingenti monumentorum copia, & inſigni rerum multarum acceſſione auxit, quæ ejus potiſſimum opera, inveſtigatione, diligentiaque adeo excrevit, ut quæ paucis antea libris continebatur, eam in ſeptem vel octo juſtæ magnitudinis volumina diſtrahi oportuerit. Hæc autem fere uni Ponzonio attribui, ejuſque nomine inſcribi ſolet, propterea quod non ſolum ſummam ille manum huic collectioni impoſuit, ſed potiſſimum quod multo uberiorem, quam cæteri, rerum veterum & ſelectarum ſegetem ac materiam in eos libros congeſſit. In his Mſſ. Collectaneis deſcriptum Catalogum tertium mox exhibendum invenimus, quem eidem, cui ſubſunt illa volumina, nomini ſubjiciendum eſſe, & rite appellari poſſe *Ponzonianum* exiſtimavimus. Huic Catalogo cum duobus ſuperioribus fere ubique convenit; & præpoſteris ac perverſis Epiſcoporum atque ætatum ordinibus, æque, atque illi, multa turbat, a Catalogo Romano diſſentiens. Hunc Catalogum vel ipſemet Ponzonius contexuit, a quo illi cognomen adſcivimus, vel aliquis alius Auctor Ponzonio antiquior. Quare ſaltem quinque illos infra ætatem Ponzonii Epiſcopos, diverſa quidem ac poſteriori manu, ſed ſervata eadem phraſi, ac ſcribendi formula, ſuperadditos fuiſſe neceſſe eſt.

rerum & monumentorum Spalatenſium copiam ingentem collegit.

Nomina Archiepiſcoporum olim Salonitanæ, nunc Spalatenſis Eccleſiæ,

Ex Collectaneis Mſſ. Sforciæ Ponzoni Archiep. Spalatenſis.

1 *S. Domnius Syrus Diſcipulus S. Petri.*
2 *Gazanus.*
3 *Sympherius.*
4 *Iſicius primus circa an. a 418. tempore Zoſimi Papæ.* a
5 *Iſicius 2.*
6 *Venantius.*
7 *Honorius.*
8 *Maximus primus,*
9 *Paſcaſius.*
10 *Cæſarius.*
11 *Juſtinus primus,*
12 *Glicerius ex b Imper. fit Salonæ Epiſcopus an. 474.* b
13 *Honorius 3. circa an. 493. tempore Gelaſii Papæ.*
14 *Januarius primus,*
15 *Stephanus primus circa an. bb 527,* bb
16 *Honorius tertius.*
17 *Fruntinianus primus,*
18 *Petrus primus.*
19 *Prodianus c.* c
20 *Honorius quartus,*
21 *Damianus.*
22 *Natalis circa annum 592.*
23 *Maximus 2. circa an. 600.*
24 *Fruntinianus 2.*
25 *Theodorus d primus.* d
26 *Juſtinianus. e* e
27 *Antonius.*
28 *Maximus tertius,*
29 *Amabilis.*
30 *Joannes 1.*
31 *Georgius primus.*
32 *Theodorus 2.*
33 *Joannes 2.*
34 *Joannes tertius.*
35 *Petrus 2.*
36 *Marinus primus.*
37 *Martinus primus,*
38 *Marinus 2.*
39 *Theodorus 3.*
40 *Petrus 3.*
41 *Leo primus.*
42 *Joannes 4.*
43 *Joannes 5.*
44 f *Petrus 4.* f
45 g *Martinus 2.* g
46 *Forminus.*
47 *Gregorius 1.*
48 *Joannes 6.*
49 *Vernaculus.*
50 *Dometi.*
51 *Theodorus 4.*
52 *Vitalis.*
53 *Petrus 5.*
54 *Leo 2.*
55 *Urſus.*
56 *Gregorius 2.*
57 *Maximus 4.*
58 *Theodorus 5.*
59 *Joannes 7. Ravennas, hic primus in Spalatē ſedem fixit.*
60 *Petrus 6.*
61 *Ma-*

61 *Marianus* .
h 62 h *Martinus* 3.
i 63 i *Leo* 3.
64 *Petrus* 7.
k 65 *Juſtinus* 2. k *an.* 940.
66 *Januarius* 2.
67 *Fruntinianus* 3.
68 *Paullus*
l 69 l *Martinus* 4. *Spalat. an.* 970.
70 *Drabglis Spalat.*
m 71 m *Joannes* 8. *Spalat.*
72 *Laurentius an.* 1060. *Fundavit Monaſterium S. Benedicti an.*1063. *Huic conceſſit Privilegium Zuonimer Rex Croatiæ an.* 1067.
73 *Creſcentius Romanus an.* 1100.
n 74 n *Gregorius Jadrenſis tertius.*
75 *Manaſſes Hungarus, Hic voluit prodere civitatem an.* 1116.
76 *Gaudius Spalatenſis ; fuit tempore Innocentii II. Papæ circ. an.* 1140. *ad quem detulit Pallium Ubaldinus Diaconus Cardinalis , qui fuit deinde Lucius III.*
77 *Abſalon Hungarus*
78 *Petrus Lombardus, prius Epiſcopus Narnenſis , vel Nurſienſis , vir magnæ ſcientiæ & pietatis.*
o 79 *Giraldus Veronenſis circa an.* o 1175. *fuit Legatus Apoſtolicus Alexandri III. Pont. Max.* 1159.
80 *S. Raynerius antea Epiſcopus Callienſis in Umbria , Martyr cæſus a Slavis Montis Maſſari an.* 1180.
p 81 *Petrus* 9. *Hungarus convocavit Synodum Provincialem in eccleſiam S. Andreæ, in qua limites cujuſque Epiſcopatus definivit an.* p1183.
82 *Petrus* 10. *Hungarus*
q 83 *Bernardus* q *de Peruſia anno* 1200, *Interfuit Concilio Lateranenſi an.* 1215.
84 *Gunzellus Hungarus an.* 1219.
r 85 *Ugrinus Hungarus an.* r 1242. *fuit etiam Comes Civitatis.*
86 *Rogerius Apulus an.* 1250.
87 *Joannes* 9. *an.* 1269.
88 *Petrus* 11.
89 *Balianus Græcus, antea Archiep. Rhodienſis ,*
f *translatus Spalatum an.* f 1305.
90 *Dominicus Spalatenſis an.* 1328.
91 *Ugolinus de Agubio an.* 1349.
t 92 *Andreas de Gualda Vicentinus* t *an.* 1390. *Condidit Caſtrum S. Joannis , dictum Suſuraz. an.* 1392.
93 *Frater Peregrinus de Aragonia Neapolitanus.*
94 *Doimus Spalatenſis*
95 *Petrus* 12. *Pagenſis an.* 1421.
96 *Franciſcus Malipetrus Venetus , translatus poſtea ad Epiſcopatum Venetiarum*
97 *Bartholomæus de Zabarellis Patavinus translatus ad Eccleſiam Florentinam.*
98 *Jacobus Baduarius Venetus an.* 1442.
99 *Laurentius Zane Venetus Nepos Eugenii IV. an.* 1452. *Fuit Legatus Sixti IV. in Claſſe Fœderatorum contra Turcas an.* 1473.
u 100 *Joannes* u *Averoldus de Utino ; hic fuit Generalis Minorum de Obſervantia an.* 1474.
101 *Petrus Fuſcarus Venetus Cardinalis , & Legatus Apoſtolicus an.* 1476.
102 *Bartholomæus Averoldus Brixienſis.*
103 *Bernardus Zane Venetus ; amplificavit Caſtrum Suſuraz an.* 1509.
104 *Andreas Cornelius Venetus Cardinalis , & Epiſcopus Brixienſis.*
x 105 *Marcus Cornelius Venetus an.* x 1552.
106 *Aloyſius Michael Venetus an.* z 1563. z
107 *Frater Joannes Dominicus Foconius Venetus an.* aa 1579. *Fuit adjutor , & electus Corinthi.* aa
108 *Marcus Antonius de Dominis Arbenſis anno* 1602. *Is a fide Catholica ad Calviniſmum defecit.*
109 *Sforcia Ponzonus Venet. an.* 1617.
110 *Leonardus Bondimierus Venetus , antea Canonicus Patavinus an.* 1640, bb
111 *Bonifacius Albanus Bergomas ann.* bb. 1666 *Fuit antea Præpoſitus Generalis Congregationis de Somaſcha , & ædificavit Palatium Archiepiſcopale.*
112 *Stephanus III. Coſmus Venetus an.* 1678. *Fuit itidem Præpoſitus Generalis ejuſdem Congregationis.*
113 *Stephanus III. Cupilus Venetus e Congregatione Somaſcha electus Epiſcopus Arbenſis , poſtea Epiſcopus Tragurienſis creatus an.* 1699. *inde ad Archiepiſcopatum Spalatenſem translatus an.* 1708. *obiit undecima Decembris an.*1719
114 *Joannes Baptiſta Laghi Venetus , ex Congreg. Somaſcha electus* 13. *Martii an.* 1720.

NOTÆ.

a Is altero epochæ Chriſtianæ ſæculo præfuit eccleſiæ Salonitanæ . Annis igitur fere trecentis antiquior fuit, & Zoſimi Pontificatum antecedit, ad cujus ætatem referendus eſt Heſychius tertius hoc nomine Salonitanus Epiſcopus inter an. Chriſti 410. & 440. juxta ſeriem Pontificalem deſcriptam in Catalogo Romano.

b Hic perturbari incipit ſeries Pontificalis . Vide Notam h , Salonit. & Not. c. Acutheani Catalog.

bb Huic eidem anno 527. Stephani Salonitani Epiſcopi initium affixit Catalogus Romanus.

c Alii Proclinium , alii Prodimum , alii rectius Probinum vocant.

d Is eſt in Catalogo Romano Theodorus III. Salonitani excidii epocha inſignis.

e Hunc cum cæteris uſque ad Martinum n. 45. revoca ad ſuperiores ætates, interque Juſtinum hujus nominis primum, & Glycerium conſtitue. Vide Not. o. & i. Catal. Salon. & Acuth. His vero duos interſeri oportet ex Catalogo Romano Fruntinianum Joanni n. 33. & Joanni n. 34. itemque Heſychium duobus aliis ejuſdem itidem nominis Joanni 42. & Joanni 43. interjectos.

f Huic Petro , qui tertius hujus nominis eſt in Catalogo Romano , ſubjice Glycerium , & reliquos uſque ad Theodorum ibidem itidem tertium , ſub quo clades Salonitana . Vide not. l. Catal. Acuth. & Not. x. Catal. Salonit.

g Hunc cæteroſque uſque ad Joannem Ravennatem primum Archiep. Spalat. rejectos infra ſeptimum ſæculum Salonitanæ adimas , & Spalatenſi eccleſiæ reſtituas neceſſe eſt . Vide not. m. Catal. Acuth. & not. ee. Catal. Salonit.

h Huic ſubnecte Epiſcopos illos, quos modo diximus adjudicandos eſſe eccleſiæ Spalatenſi , quibus adde quatuor ex Romano Catalogo, Georgium & Vitalem alterum Vitali 43. & Petro 44. itemque Petrum & Juſtinum Urſo 55. & Gregorio 56. interpoſitos. Hunc Gregorium n. 56. alii Georgium vocant.

i Vide Not. ff. Catal. Salonit. & Not. q Catal. Acuth.

k In Catalogo Romano, *Præfuit inter annos* 892. & 914.

l Martinus 4. ex Romano Catalogo cum Petro IX. præferendus eſt Paullo , & illius Pontificatus ibidem cepiſſe dicitur in an. 970.

m Drabali & Joanni interjectus eſt Lampridius,

dius, ut docet Catalogus Romanus, & inscriptio cœnobii S. Raynerii.

n Catal. Rom, Gregorio Manassem præposuit, hujusq; Pontificatum non ultra an. 1113. perduxit.

o Is annus in Catal. Rom. fuit postremus Giraldi, sive Girardi.

p Is Pontificatum non initit ante annum 1185 ex Catal. Rom.

q Bernardus ecclesiam Spalatensem administravit, ut scriptum est in Romano Catalogo, ab an. 1195. ad an. 1217. Interfuit Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. quod cohæret cum an. 1215.

r Ugrini, sive Ugolini initium Catal. Rom. confert in an. 1243.

s Baliani initia Romanus in ann. 1326. conjecit, ejus consecrationem Historicus Dalmata in Notis ad Catal. Acutheanum revocavit ad annum superiorem.

t Hunc Acutheanus oriundum facit ex Marchia, ideſt Tarvisina; erat enim patria Vicetinus.

u In Romano cognominatur Zanettinus.

x Non ante annum 1563. ecclesiæ Spalatensis regimen suscepit, si fides habenda est Catalogo Romano.

z Hujus initium Catal. Rom. cum an. 1565. Historicus Dalmata cum 1566. copulavit.

aa Catalogus Rom. Foconium electum tradit an. 1585. Huic præponendus alter Dominicus cognomento Mariottus, de quo Catalog. Rom. Vide infra notam nn. ad Chron. Pontificalem.

bb Hujus initium biennio postposuit Catalogus Romanus.

§. VI.

De Catalogo quarto Romano.

Auctor hujus Catalogi anonymus.

HUjus Catalogi auctorem fuisse comperio Dalmatam quemdam, virum doctrina & eruditione insignem, qui Romæ cum esset, nomina omnium Episcoporum, qui Salonę vel Spalati Pontificatum gesserunt, e tabulariis Romanis, haud majori studio & labore, quam fide ac diligentia collegit; seriemque Pontificalem recte atque ordine distributam, & inde usque a principio Christiani nominis ad sua tempora perductam, quam accuratissime contexuit. Id docet titulus eidem Catalogo præpositus, in quo tamen Auctoris nomen reticetur; ex optimis autem tabulis, maximeque ad fidem faciendam idoneis descriptum esse declarat schedula quædam in meis Collectaneis Mss. reperta cum hac nota: *Catalogus Romanus ex Archivis Romanis, puta Indice Archivi Avenionensis, Aliis Consistorialibus antiquis, Aliis Consistorialibus novis, seu Libris Provisionum Apostolicarum.* Hunc porro Catalogum, quamvis omnium fortasse recentissimum, cæteris tamen præferendum censeo ob eam causam potissimum, quod in aliis ita confusa est series successioque veterum Episcoporum, ita perturbata, ut inferiores

In hoc Catalogo series Episcopalis recte atq; ordine disposita;

ætate atque ordine antepositi cum sint Episcopis superiorum temporum, hique in posteriora sæcula detrusi, eorum plerique in alienum locum ac numerum invaserint: contra vero in Catalogo Romano & temporum servantur gradus, & Episcoporum in ordinem Chronologicum distributio, sic apta & cohærens, nihil ut sit præposterum, nihil absurdum, nihil a recta temporum ratione discrepans. Tota enim continuatio seriesque Antistitum adeo præclare ordinata est, suisque ætatibus distincta, ut satis appareat & suum cuique locum ac numerum redditum fuisse, & neminem ab illis, quibus affixus est, temporibus dimoveri posse: omnes vero superiorum ætatum spatia sic implent occupantque, nihil ut vacuum relinquant, nullus ut prætermissus, nullus ut intrusus esse videatur.

Nam ab ecclesia Salonitana constituta usque ad Salonam eversam anni intercedunt fere sexcenti, Episcopi vero numerantur duodequinquaginta: quod quidem sæculorum intervallum in partes omnino tres dividas velim; prima trecentos annos & circiter quadraginta complectitur, desinitque in Hesychium Episcopum Salonitanum tricesimum, quem D. Augustino æqualem fuisse declarat tum consuetudo & amicitia, quæ alteri cum altero intercessit, tum epistolæ ultro citroque missæ, & acceptæ. Itaque ætas Hesychii congruit cum ætate Augustini, qui ad annum usque 430. vitam perduxit. Recte igitur Catalogus Romanus Hesychii Pontificatum inter annos 410. & 440. conjecit. Jam vero ante Hesychium idem Catalogus Episcopos Salonitanos recenset omnino ad novem & viginti: qui numerus si cui paullo major videretur esse, quam ut trecentorum & quadraginta annorum spatio concludi possit, is reputare debet lanienas illas, cædesque innumerabiles Episcoporum, quas tribus prioribus sæculis factas esse constat, cum potentissimi, fidemque acerbissimi hostes Christiani nominis, ut religionem invisam usquequaque abolerent, vires omnes nervosque contendebant, ut duces ac magistros religionis de medio tollerent. Itaque nulla extitit persecutio, quin plurimos ex ordine graduque Episcopali percolerit. Cui rei testimonio esse potest ecclesia Romana, quæ intra finem tertii sæculi triginta jam numerabat Pontifices, quos fere omnes temporum illorum calamitas oppresserat. Cæterum ut Episcoporum Salonensium numerus mensuræ illius, quod diximus, spatii proportione quadam respondeat, non est necesse ad brevitatem Pontificatus confugere, vel hanc in temporum illorum acerbitatem conferre; nam si annos trecentos & quadraginta in partes undetriginta æquabiliter dividas, Episcopis singulis annos plus undecim attribuas licet, quamvis aliorum productior, aliorum contractior Episcopatus esse potuerit. Hoc vero annorum intervallum æqualiter sive inæqualiter in singulos illos Episcopos distributum, non videtur adeo angustum esse, ut eo comprehendi nequeant plures etiam, quam novem & viginti Episcopatus, præsertim temporibus illis, cum ad ecclesiarum gubernacula admoveri ferme non solebant, nisi viri & virtute & annis graviores, quos ætas jam devergens, & labores & vigiliæ, & ærumnæ, quarum ferax tum erat Episcopalis administratio, non sinebant diu longeque post susceptum Episcopatum vitam protrahere. Ita fit, ut novem illi ac viginti Antistites neque ita multi, neque ita pauci sint, ut præfinitum illud quadraginta, supra trecentos, annorum spatium vel excedant, vel explere nequeant: quod contra accidit in aliis Catalogis, in quibus usque ad Glycerium, qui ex Imperatore factus est Episcopus Salonitanus anno 474., Episcopi non amplius undecim recensentur, multo sane pauciores, quam ut cum annis amplius quadringentis exequari possint, quamvis singulorum vitam & Pontificatum longissime protraxeris: id quod a prioribus sæculis abhorret, cum propter odium & immanitatem tyrannorum, paucis Episcopis licebat esse longævis ac diuturnis.

Episcopatus trium priorum sæculorum breves plerumq; fuerunt ob persecutiones.

Pars altera illius intervalli, quod conſtiturum eſt inter primordia eccleſiæ, & excidium urbis Salonitanæ, annis centum & quinquaginta quinque definitur, atque ab anno 440. cum Heſychius vita pariter & Pontificatu deceſſit, protenditur uſque ad annum nonageſimum quintum ſexti ſæculi; cum Maximus is, qui ob diuturnam adverſus Romanum Pontificem pertinaciam cum labe ſimoniaca conjunctam dictus eſt cognomento ſchiſmaticus, ſedem Salonitanam invaſit. Hujus ætas congruit cum Pontificatu S. Gregorii Magni, qui ab anno 595. ad an. 604. Eccleſiæ præfuit, ut ejuſdem litteræ objurgatoriæ ad *Maximum Præſumptorem* teſtantur. Porro inter Heſychium, & Maximum Epiſcopi quatuordecim interjecti ſunt, quorum nemo eſt in Catalogo Romano, qui minus biennio, vel plus annis ſeptemdecim Pontificatum obtinuerit. Is autem numerus Epiſcoporum cum illo annorum numero haud male congruere videtur. Quod vero temporum illorum Epiſcopatus paucioribus annis definiantur, quam nunc circumſcribi ſoleant, eam cauſam fuiſſe arbitror, quod olim, ut paullo ante diximus, fere nemo ad ſummum illum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradum provehi ſolebat, quin longius, quam nunc, ætate provectus eſſet, quæ quidem maturitas ætatis majorem Epiſcopis illis tum rerum gerendarum ſcientiam afferebat, tum auctoritatem apud populos conciliabat; id quod confirmari poteſt auctoritate Zoſimi Pontificis Romani, qui præcipit ac jubet in ſuis ad Heſychium Salonitanum litteris, eos quidem, qui ab incunte ætate militiæ eccleſiaſticæ nomen dediſſent, in Lectorum gradu uſque ad viceſimum annum retineri; eos vero, qui natu grandiores in Clericorum numerum cooptati fuiſſent, annos ipſos quatuordecim in Ordinibus inferioribus conſiſtere, eorumque muneribus rite fungendis exerceri probarique, antequam ad Presbyteratum promoveantur; in quo cum multa & diuturna virtutis perfectæ cumulatæque documenta præbuerint, tum demum illis ſpem fieri poſſe ſummi ſacerdotii, ſive Epiſcopatus adipiſcendi: *Hæc autem in ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora. Si ab infantia eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, inter Lectores uſque ad viceſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret; ſi major jam & grandævus acceſſerit, ita tamen, ut ſtatim poſt baptiſmum ſe divinæ militiæ deſideret mancipari, ſive inter lectores ſive inter exorciſtas quinquennio teneatur; exinde acolytus vel ſubdiaconus quatuor annis, & ſic ad benedictionem diaconatus, (ſi meretur) accedat, in quo ordine quinque annis, ſi inculpate ſe geſſerit, hærere debebit. Exinde ſuffragantibus ſtipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis, presbyterii ſacerdotium promereri. De quo (ſi eo illum exactior ad bonos mores vita perduxerit) ſummum Pontificatum ſperare debebit.* Præterea inter illos quatuordecim Epiſcopos ſunt aliqui certis quibuſdam notis ſeu characteribus chronologicis impreſſi, ex quibus dignoſci poſſit, quam recte atque ordine diſpoſiti ſint in hoc Catalogo, & ſuis quiſque locis ac temporibus affixi; veluti Glycerius, quem anno 474. Imperio depulſum, evectumque ad ſedem Salonitanam docet auctor hujus Catalogi cum accuratiſſimis quibuſque Chronologis; Honorius II., cujus Epiſcopatum ab an. 493. ad annum 503. productum confirmant litteræ Gelaſii Papæ ad eumdem ſcriptæ; Januarius primus hoc nomine inter annos 505. & 515. conſtitutus, ad quem extat apud Caſſiodorum epiſtola Theodorici Regis, qui per eos annos regnum in Italia obtinebat; Stephanus itidem primus, qui eccleſiæ Salonitanæ præfuiſſe in hoc Catalogo traditur anno 527. quo quidem tempore floruit Dionyſius Abbas cognomento Exiguus, qui Canonum collectionem latine redditam Stephano Salonitano Epiſcopo, cujus hortatu id operis laboriſque ſuſceperat, inſcripſit dedicavitque: id quod declarat Dionyſii ad eumdem Stephanum epiſtola plena officii, & ſuæ in eum obſervantiæ teſtis, quam huic collectioni præpoſuit. His adde Frontinum ab anno 544. ad an. 554. & Probinum ab an. 562. ad an. 566. Salonitanos Pontifices, patronos ac defenſores acerrimos Trium Capitulorum, de quibus ea tempeſtate graviſſima erat controverſia, quæ pertinaci multorum annorum ſchiſmate eccleſiam in duas partes diſtraxit. Hinc intelligas velim Epiſcopos, quos modo nominavi, ſic apte congruenterque ad rectam rationem ac diſtributionem chronologicam diſpoſitos eſſe, ut ab illis temporibus, quæ cuique adſcribuntur in Catalogo Romano, dimoveri nequeant. In aliis vero Catalogis invenies quidem pleroſque horum Antiſtitum continuata ſucceſſione connexos, ſed univerſe ita perturbati ſunt confuſique ætatum & Epiſcoporum præſertim Salonenſium ordines, ut dignoſcere non queas, quibus illos annis vel ſæculis attribuere oporteat.

Tertia demum pars, eademque poſtrema illius intervalli, quod annos fere ſexcentos continet, a Pontificatu Maximi ad cladem Salonitanam brevi annorum circiter viginti curriculo devolvitur. Nam Maximus diem ſuum obiiſſe traditur anno ſeptimi ſæculi vigeſimo, & anno ejuſdem ſæculi circiter quadrageſimo, vel potius ſuperiori, Salona capta everſaque funditus corruit; aliquot vero poſt annis e Palatio Diocletiani Spalatum nova civitas extitit, ubi collocata eſt ſedes Pontificia Salonitana. Maximo duos omnino & poſtremos Salonitanos Epiſcopos ſubjecit Catalogus Romanus, Fruntinianum III. & Theodorum III. quocum everſionem Salonæ conjunxit. Duo autem Epiſcopatus viginti annorum circumſcriptione ſatis commode apteque comprehendi poſſunt. Hic vero immane quantum a verisimilitudine etiam, non ſolum a veritate alii Catalogi aberrant. In hoc quippe breviſſimum viginti annorum ſpatium inter Maximum & Salonitanum excidium, confertim Epiſcopos conjiciunt fere ad quadraginta, quos partim e ſuperioribus, partim ex inferioribus ſæculis in tantas angustias compellunt, ut fere binos ſingulis annis Epiſcopatus includi oporteat; quo nihil incredibilius, nihil abſurdius excogitari poteſt.

In ordinanda ac digerenda ſerie priorum Antiſtitum, qui ſedem Pontificiam Spalatum translatam obtinuerunt, Catalogus hic noſter haud minus cum veritate hiſtorica & Chronologica congruit, quam cæteri diſcrepant. Hi quippe inter Joannem Ravennatem primum Spalatenſem Archiepiſcopum, & Juſtinum Epiſcopos haud plures, quam quinque interjiciunt. Duos autem, quibus Juſtini nomen fuit, Spalatenſes Epiſcopos invenio in Catalogo Romano, annorum circiter trigiota intervallo disjunctos. Primus abeſt a cæteris Catalogis, alter vero is eſt, quem illi ab Joanne primo ſextum numerant. Juſtini prioris Epiſcopatum Thomas Archidiaconus bonus in primis auctor cum anno 840. copu-

Epiſcopi 14 cum annis 150. cd. parati, huic intervallo non inepte reſpondent.

Series Chronologica Epiſcoporū accurate diſpoſita in Catalogo Rom.

Inter Maximum & urbis Salonæ excidium, quod eſt ab anno ad annum intervalla, duor Catalog. Rom.

alii Catalogi fere 49. Epiſcopos interjiciunt, quod incredibile eſt.

Inter Joannem primum Spalatenſem Epiſcopū,

& Juſtinū alterum ejuſdem nominis Spalat. Ep.

Digitized by Google

expulerat, eique Marinum substituit, Georgio intermedio praetermisso. Jam vero ab interitu Joannis primi Spalatensium Antistitis, qui vivere desiit anno circiter 880. & trigesimo post Salonam excisam, anni centum & sexaginta intercesserant, cum Justinus primus hoc nomine sedem Spalatensem adeptus est, anno 840. ut docet Archidiaconus: *Justinus Archiepiscopus*, in quit Hist. Salon. c. 13. *extitit anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quadragesimo. Viginti autem annos hujus sedis præfuit*; quo e numero exempto, anni elapsi sunt duo & triginta, antequam Justinus alter Pontificatum iniret, ut docet Catalogus Romanus, in quo prioris obitus an. 800., alterius initium an. 892. consignatur. Itaque annis illis centum & sexaginta, qui Joannis Ravennatis mortem & Justini primi exordia intercesserunt, addas oportet annos duos & quinquaginta, ut pervenias ad Justini ætatem, quem alii Catalogi commemorant, eique inter Spalatenses Episcopos septimum locum ac numerum adscribunt. Quare hujus Justini Episcopatum ab Joannis primi Episcopi Spalatensis obitu anni ducenti ac duodecim disjungunt. Non est autem verisimile, ut Episcopi non amplius quinque ducentorum ac 12. spatium annorum occupaverint; nam si vel singuli vitam & Pontificatum in annum usque quadragesimum perduxissent, quod non est credibile, adhuc anni duodecim vacui supererent. Quanto rectius Catalogus Romanus, congruentiusque ad illius intervalli Chronologici longinquitatem, quinque illis Episcopis undeviginti adjunxit, quos alii Catalogi e serie Antistitum Spalatensium exemptos, ad superiores ætates, & ecclesiam Salonitanam transtulerunt. Hos autem undeviginti Catalogus noster interjecit Martino quarto Spalati Episcopo, & Leoni, quem cæteri Catalogi eidem Martino proxime subjiciunt. His adde quinque illos, quos hi etiam Catalogi commemorant, conficient numerum Episcoporum quatuor & viginti, quos per annos ducentos & duodecim, ecclesiæ Spalatensi præfuisse docet Catalogus Romanus. Sic autem horum Episcopatus distribuit, suos cuique annos, aliis plures, aliis pauciores dispertiens, ut numerus Episcoporum numero annorum aptissime respondeat. Igitur Joanni Ravennati, qui sedem Salonitanam Spalati constituit, tres illos substituit Episcopos, videlicet Petrum V. Marianum, & Martinum II. qui in aliis quoque Catalogis eumdem locum occupant. His autem cæteros adjecit, quos alii ad superiora tempora retractos Salonitanæ ecclesiæ adscribunt; ac primum quidem Martinum III. Formosum, Gregorium I. Joannem VII. Vernaculum, Dometum, Theodorum IV. Vitalem I. Georgium II., Vitalem II. quorum omnium seriem ab anno circiter 680. in quem desinit Joannis Ravennatis Pontificatus, ad annum 974. perduxit. Sequitur deinde Petrus VI. Leo II. & Ursus inter annos 774. & 830. Hos excipit Petrus VII. ab anno 830. ad 840. tum Justinus primus eo nomine, cujus initium Archidiaconus cum nostro Catalogo confert in annum 840. quique vita cessit & Pontificatu anno 860. Justino subrogatur Georgius III. præfuitque usque ad annum 879. Georgio Marinus III. unius anni Episcopus, Marino Theodorus V. Theodoro Leo III. successit, quorum Pontificatus ab anno 882. non ultra 892. processit. His Petrus VIII. subrogatur paucorum mensium Episcopus, cui demum Justinus alter substituitur ecclesiæ Spalatensi præpositus anno 892. vita & Episcopatu perfunctus an. 914. Hæc continuatio seriesque Pontificum ab Joanne primo ad Justinum vicesimum quintum Archiepiscopum Spalatensem deducta, spatiis illa quidem inæqualibus distincta, sed admodum belle digesta atque ordinata, cum illo ducentorum ac duodecim annorum intervallo satis præclare cohæret, nihil ut vacuum relinquat, nihil ut in ea reprehendere possis, quod vel præfiniti temporis mensuram excedat, vel non adæquet, vel parum credibile sit, vel denique ab recta & verisimili distributione annorum & Episcopatuum abhorreat. Porro Leoni tertio hujus nominis Petrum & Justinum, ut diximus, deinde Januarium & Fruntinianum in omnibus Catalogis substitutos invenies; quare, ut sæpe dictum est, in hunc Leonem Catalogus Romanus, cæteris conveniunt, postquam inter se discrepantes distractique in Episcopali serie contexenda hi ab illo diversi abiissent, longeque aberrassent. Igitur ante hunc Leonem ætatum & Episcoporum ordines ita dispositi sunt distributique in Catalogo Romano, ut inter se perbelle congruant, & alteri alteris præclare admodum respondeant, quemadmodum a nobis demonstratum est. Jure igitur meritoque cæteris omnibus Catalogis Romanum anteferendum censemus, atque hinc normam ac regulam petendam esse, ad quam dirigi ordinarique oportet seriem Pontificiam novem priorum sæculorum, quam tres illi supra descripti, præpostera confusisque temporibus, mirum in modum perturbant. Post Leonem vero in Episcopis posteriorum ætatum ordinandis, & suo cuique loco ac tempore tribuendo, nolumus Catalogi Romani auctoritati ita nos addictos esse, eaque necessitate constrictos, ut sicubi ab eo alii dissideant, nobis integrum non sit ab Romano discedere, & hunc potius, quam illos sequi cogamur. Verum si quando alii Catalogi vel inter se, vel a Romano discrepent, cum singulorum Antistitum Acta describemus, diligenti inquisitione adhibita, & rationum momentis in partem omnem pensitatis, statuemus, cujus sententia pluris fieri, & quis cuique præferri debeat; nam nunc quidem tantum nobis otii non est, ut id oneris laborisque suscipiamus, sed satis fuerit notas aliquas apposuisse, quæ nullo nostro in alterutram partem interposito judicio, Lectorem admoneant, quo loco, quave de re alii ab aliis dissentiant.

Catalogus Romanus in eo præterea cæteris præstat, quod singulis Episcopis annum suscepti ac depositi Pontificatus adjiciat; id quod magnam sane illi perspicuitatem & fidem conciliat. Sed notas arithmeticas annorum aliquando vitiatas invenies, quod sane Librariorum incuriæ attribuendum est; verum habes ex ipsomet Catalogo, unde illis correctionem adhibeas. Siquidem ad Episcoporum sive Salonensium, sive Spalatensium tempora certius designanda, de quibus dubitare non queas, singulis adduntur Pontifices & Imperatores Romani, quibus quisque æqualis fuit. Si quando igitur numerus annorum ab eorum, qui appositi sunt, Pontificum & Imperatorum temporibus aberrat, ex horum appositione illum emendari & corrigi necesse est. Neque enim ab notis illis chronologicis & arithmeticis, in quas errores facillime subrepunt, sed ab ætate Pontificum & Imperatorum, quorum nomina minus obnoxia sunt depravationibus, regula certior & tutior suppeditatur, ad

quam

per annos 212. reliqui Catalogi Episcopos non tam plosque quinque,

Romani multo aptius ad illud 212. annorum intervallum Episcopos aptos interposuit;

quorum series rectissime in eodem Catalogo explicatur,

in qua nihil vacui nihil redundans,

Ad normam Romani Catalogi, series Episcopalis digerenda novem priorum sæculorum.

Mendæ arithmeticæ in Catalogo Romano corrigendi ratione ipse suppeditat.

quam revocari exigique oportet annos illos, quibus ſinguli Epiſcopatus circumſcribuntur. Alias præterea epochas aliunde adſcitas idem Catalogus nobis exhibet, e quibus dignoſci poſſit, ſi cubi erratum ſit in numeris annorum deſcribendis. Nam pro varietate temporum varios Reges ac Principes ad Epiſcopi cujuſque ætatem definiendam adjunxit, qui vel olim apud Dalmatas imperarunt, vel nunc etiam rerum in Dalmatia potiuntur, ac primum Reges Oſtrogothicos, qui Dalmatiam cum Italia ſub poteſtatem redegerant, deinde Duces ſeu Reges e natione Slavonica, qui inde uſque a ſeptimo ſæculo principatum in Dalmatia obtinere coperant, demum Duces Venetorum, qui ſub initium ſæculi undecimi in eam regionem imperii fines protulerunt, eorumque ditioni major & nobilior pars Dalmatiæ etiamnum ſubeſt. His adde Reges Hungariæ, quibuſcum Veneti de poſſeſſione Dalmatiæ ſæpe acriterque decertarunt, Imperatores e nobiliſſima gente Auſtriadum, itemque Imperatores Turcarum, qui aliquot Dalmatiæ urbes & regiones hodieque poſſident. Ex his autem ſive Imperatoribus, ſive Regibus ac Ducibus, quorum ætates ignorari non poſſunt, epochæ nobis ſuppetunt ſatis certæ, & exploratæ, ad quas cujuſque Epiſcopi ſive Salonitani, ſive Spalatenſis ætas referri debeat; atque ex illis ſtatuendum eſt, quibus quiſque temporibus eccleſiam illam gubernaverit; corrigendique ſunt errores, ſi qui forte in arithmeticas annorum notas irrepſerint. Hic vero admirari ſatis non poſſum exquiſitam in hoc Catalogo conficiendo auctoris diligentiam, eximiamque antiquæ pariter & recentioris chronologiæ & hiſtoriæ ſcientiam, qui obſervatis notatiſque temporibus tam accuratam Pontificum & Imperatorum omnium, & Regum inſuper ac Principum aliorum ſeriem Epiſcopis noſtris attexuit; id quod huic Catalogo ſummam auctoritatem & fidem adjungit. In eo præterea ſummopere commendanda eſt hujus auctoris ſedulitas ac diligentia, quod huic Pontificali Catalogo deſignatos etiam, ſive tantummodo electos Archiepiſcopos intexuerit, qui aut morte prærepti, aut alias ob cauſas, ſive obices interpoſitos, neque collati Epiſcopatus poſſeſſionem adire, neque jus plenum abſolutumque eccleſiæ Salonitanæ adminiſtrandæ adipiſci potuerunt. Ad hæc, Pontificia interregna inſeruit, & ſuos cuique annos adſcripſit.

Erudițio ac diligentia Auctoris in hoc Catalogo conficiendo laudatur.

Catalogus Romanus bipartitus.

Catalogus Romanus bipartito diviſus eſt. Pars prior Salonitanos, altera Spalatenſes Archiepiſcopos complectitur. Utrique notas aliquas ſubjiciendas curavimus, quibus, ſi quid erratum eſt, emendari, ſi quid obſcurum, illuſtrari, ſi quid ambiguum, declarari poſſit. Ad extremum illud hic lectoribus in mentem revocandum eſt, quod ſupra diximus, in hoc Catalogo Epiſcopis fere omnibus quinque priorum ſæculorum & quibuſdam aliis inferiorum ætatum ſanctitatis titulum præpoſitum eſſe, quem nos ob eas cauſas, quę paragrapho primo expoſitæ ſunt, delendum, omnibuſque adimendum eſſe cenſuimus, præterquam duobus, videlicet S. Domnio, & S. Raynerio; alter quippe pro Chriſtiana religione tuenda, alter pro bonis eccleſiæ recuperandis, tuendiſque juribus eccleſiaſticis præclaram mortem oppetierunt; & uterque jam inde a martyrio pie ac fortiter obito dignus habitus fuit, qui ſancti nomine, cultuque publico afficeretur; & utriuſque venerandi colendique conſuetudinem a majoribus acceptam, ac nulla ſuperiorum temporum incuria, ſive oblivione intermiſſam etiamnum retinent Spalatenſes. Venantio itidem ſexto Salonarum Epiſcopo titulum ſancti relinquere oportuit; quippe cum eſſe putamus, cujus nomen in Martyrologio Romano ad diem primam Aprilis adſcriptum eſt; ejuſdemque in Martyrologiis antiquioribus Bedæ, Uſuardi, Adonis mentio facta eſt perhonorifica.

Pontifices Salonitani & Spalatenſes a quodam Dalmata ex Archivis Romanis collecti.

S. *Domnius I. Divi Petri Apoſtolorum principis diſcipulus. Antiſtes Salonarum primus. Præfuit ab anno Chriſti* a 68. *uſque ad annum* b 104. *ſedentibus Petro Apoſtolo. Lino I. Clemente I. Anacleto I. imperantibus Domitio Nerone, Sergio Sulpitio Galba, Silvio Othone, Aulo Vitellio, Flavio Veſpaſiano, Tito Veſpaſiano, Flavio Domitiano, Nerva Coceejo, Ulpio Trajano.* a b

Cajanus Antiſtes Salonarum ſecundus. Præfuit ab anno c 104. *uſque ad an. circiter* 115. *ſedente Evariſto I. imperante Ulpio Trajano.* c

Symphorianus Antiſtes Salonarum tertius. Præfuit ab anno circ. 115. *uſque ad an.* 125. *ſedente Alexandro I. imperante Ulpio Trajano, Ælio Adriano.*

d *Iſichius I. & Iſichius II. Antiſtites Salonarum quartus, & quintus. Præfuerunt inter annos c.* 125. *&* 140. *ſedentibus Sixto I. Teleſphoro I. Imperatoribus Ælio Adriano, Antonino Pio.* d

S. e *Venantius Antiſtes Salonarum ſextus. Præfuit inter annos c.* 140. *&* 155. *ſedentibus Teleſphoro I. & Hygino I. imperante Antonino Pio.* e

Honophrius, vel Honorius I. Maximus I. Paſcaſius, Cæſarius, Juſtinus I. & Juſtinianus, Antoninus, Maximus II. qui præfuerunt ab anno Chriſti 155. *ad* g 281. *ſedentibus Pio I. Aniceto I. Sotero I. Eleutherio I. Victore I. Zephyrino I. Calliſto I. Urbano I. Pontiano I. Antero I. Fabiano I. Cornelio I. Lucio I. Stephano I. Sixto II. Dionyſio I. imperantibus M. Aurelio, Antonino, Septimio Severo, Antonino Caracalla, & aliis uſque ad Aurelianum.* f g

Amabilis, ſeu Agapitus Antiſtes Salonarum decimus quintus. Præfuit an. h 281. *ſedente Felice I. imperante Aureliano.* h

Joannes I. Georgius I. Theodorus I. Joannes II. Prontinianus I. Joannes III. Antiſtites Salonarum ſextus decimus, decimus ſeptimus, decimus octavus, undeviceſimus, vigeſimus, vigeſimus primus. Præfuerunt inter annos i 286. *&* 304. *ſedentibus Felice I. Eutychiano I. Caio I. Marcellino I. Marcello I. imperantibus Aureliano, Tacito, Floriano, Probo, Caro, Carino, & Numeriano, Diocletiano, & Maximiano.* i

Petrus I. Antiſtes Salonarum viceſimus ſecundus. Præfuit inter annos 304. k *&* 316. *ſedentibus Marcello I. Euſebio I. Melchiade I. Silveſtro I. imperantibus Diocletiano, & Maximiano; Conſtantio, & Galerio; Conſtantino Magno.* k

Marinus primus, & Martinus primus Antiſtites Salonarum viceſimus tertius, & viceſimus quartus. Præfuerunt inter annos 316. *&* 340. *ſedentibus Silveſtro primo, Marco primo, & Julio I. imperantibus Conſtantino Magno, deinde filiis ejus, Conſtantino, Conſtante, Conſtantio.*

Maximus III. alias Marinus II. Antiſtes Salonarum viceſimus quintus. Præfuit inter annos 340, *&* 350. *ſedente Julio I. imperantibus Conſtantino juniore, Conſtante, & Conſtantio fratribus.* l

Theo-

Digitized by Google

Theodorus vel Theodosius II. *Petrus* II. *Leo* I. *Joannes* IV. *Antistites Salonarum vicesimus sextus, septimus, octavus, nonus; sedentibus Julio* I. *Liberio* I. *Felice* II. *Damaso* I. *Siricio* II. *Anastasio* I. *Innocentio* I. *imperantibus Constante, Constantio, Juliano, Joviniano; deinde Orientis Imperium gubernantibus Valente, Theodosio* I. *Arcadio, Theodosio* II. *Occidentis vero Valentiniano* I. *Gratiano, Valentiniano* II. *Honorio. Ab anno* 350. *ad* 410.

m *Isichius* III. *Antistes Salonarum tricesimus. Præfuit inter an.* 410, *&* 440. *sedentibus Innocentio* I. *Zosimo* I. *Bonifacio* I. *Cœlestino* I. *Sixto* III. *imperantibus in Oriente Theodosio* II. *in Occidente Honorio, Valentiniano* III.

Joannes V. *&* *Petrus* III. *Antistites Salonarum tricesimus primus, & tricesimus secundus. Præfuerunt inter annos c.* 440, *&* 474. *sedentibus Leone* I. *Hilario* I. *Simplicio* I. *imperantibus in Oriente Theodosio* II. *Marciano, Leone* I. *in Occidente Valentiniano* III. *Maximo, Avito, Maioriano, Severano, Anthemio, Olybrio, Glycerio.*

n *Olybrius Imperator ante assumptum Occidentis Imperium, ex quadam Jacobi Goar animadversione, Salonarum Antistes, sedente Simplicio* I. *imperante in Oriente Leone* I. *in Occidente Anthemio.*

o *Glycerius ex Imperatore Salonarum Antistes tricesimus tertius. Præfuit ab an.* 474. *ad an.* 480. *sedente Simplicio* I. *imperantibus in Oriente Leone* II. *Zenone; in Occidente Julio Nepote, Augustulo: ac deinde* p *Odoacre regnante.*

q *Vacat sedes Salonitana ab anno* 480. *ad annum* 493. *sedentibus Simplicio* I. *Felice* III. *Gelasio* I. *imperantibus in Oriente Zenone, Anastasio* I. *Regnante in Italia, & Dalmatia Odoacre Herulo Idololatra.*

r *Honorius* II. *Antistes Salonarum tricesimus quartus. Præfuit ab anno* 493. *usque ad annum c.* 505. *sedente Gelasio* I. *Anastasio* II. *Symmacho* I. *imperante in Oriente Anastasio* I. *Regnante in Italia, & Dalmatia Occidentali* f *Theodorico Gottho Ariano, in Dalmatia Orientali* t *Ostroilo.*

Januarius I. *Episcopus Salonarum tricesimus quintus. Præfuit inter annos* 505. *&* 515. *sedente Symmacho* I. *imperante in Oriente Anastasio* I. *regnante in Italia, & Dalmatia Occidentali Theodorico; in Dalmatia Orientali Ostroilo Idololatra.*

u *Hesychius* IV. *Antistes Salonarum tricesimus sextus. Præfuit inter annos* 515. *&* 527. *sedentibus Hormisda* I. *Joanne* I. *Felice* IV. *imperante in Oriente Anastasio* I. *Justino* I. *regnante in Italia, & Dalmatia Occidentali* x *Theodorico, Athalarico; in Dalmatia Orientali Ostroilo.*

aa *Stephanus* I. *seu Sivilianus Antistes Salonarum tricesimus septimus præerat anno* 527. *sedente Felice* IV. *imperante in Oriente Justino* I. *dein* bb *Justiniano; regnante in Italia, & in Dalmatia Occidentali Athalarico; in Dalmatia Orientali Ostroilo.*

Honorius III. *Antistes Salonarum tricesimus octavus. Præfuit ab an. c.* 527. *usque ad an.* 544. *sedentibus Felice* IV. *Bonifacio* II. *Joanne* II. *Agapito* I. *Silverio* I. *Vigilio* I. *imperante in Oriente Justiniano; regnante in Italia, & in Dalmatia Occidentali Athalarico,* cc *Theodoto, Vitige, Hidibaldo, Evarico, Totila Ostroili fratre;* dd *in Dalmatia Orientali* dd *Ostroilo, Seviolado, Selimiro, Uladamo.*

Faustinus, vulgo Frontinus, vel Fronto, vel Frontinianus II. *Antistes Salonarum tricesimus nonus, deinde ex Schismaticorum cariphæus. Præfuit ab anno c.* 544. *usque ad an.* 554. *sedente Vigilio, imperante in Oriente Justiniano, & in Dalmatia Occidentali; regnantibus in Italia* ff *sola Totila,* gg *Teja; in Dalmatia Orientali* hh *Seviolado.*

Petrus IV. *Antistes Salonarum quadragesimus. Præfuit ab anno* 554. *usque ad an.* 562. *sedentibus Vigilio* I. *Pelagio* I. *Joanne* III. *imperante in* ii *Oriente Justiniano, & in Dalmatia Occidentali; regnante in Dalmatia Orientali Seviolado, Selimiro.*

Probinus, aliter Proclinius, vel Prodinus Antistes Salonarum XLI. Præfuit ab an. 562. *usque ad annum* 566. *sedente Joanne* III. *imperante in Oriente Justiniano, & in Dalmatia Occid. regnante in Dalmatia Orientali Selimiro.*

Honorius IV. *&* *Damianus Antistites Salonarum quadragesimus secundus, & quadragesimus tertius. Præfuerunt ab an. c.* 566. *ad an.* 580. *sedentibus Joanne* III. *Benedicto* I. *Pelagio* II. *imperantibus Justino* II. *Tiberio* II. *& in Dalmatia Occidentali; regnante in Dalmatia Orientali Uladano.* kk

Natalis Salonarum Antistes quadragesimus quartus. Præfuit ab an. c. 580. *ad an.* 595. *sedentibus Pelagio* II. *Gregorio* I. *Magno, imperantibus Tiberio* II. *&* *Mauritio; regnante in Dalmatia Orientali* ll *N. acerrimo ecclesiæ hoste, ex quatuor tyrannis ecclesiæ hostibus.*

mm *Honoratus Antistes Salonarum quadragesimus quintus, sedente Gregorio Magno, imperante Mauritio, regnante in Dalmatia Orientali N. acerrimo ecclesiæ hoste.*

nn *Maximus* IV. *Antistes Salonarum quadragesimus sextus, primum intrusus, deinde pœnitens ac legitimus. Præfuit ab anno* 595. *usque ad an. c.* 620. *sedentibus Gregorio Magno, Sabiniano* I. *Bonifacio* III., *Bonifacio* IV. *Deodato, Bonifacio* V. *Honorio* I. *imperantibus in Oriente Mauritio, Phoca,* oo *Heraclio; regnante in Dalmatia Orientali N. ex quatuor tyrannis Christianorum hostibus.*

Frontinianus III. *Antistes Salonarum quadragesimus septimus. Præfuit inter annos* 620. *&* 638. *sedentibus Honorio* I. *Severino* I. *imperante Heraclio* I. *regnantibus in Dalmatia Orientali N. N. ex quatuor tyrannis ecclesiæ hostibus.*

Theodorus pp III. *Antistes Salonarum quadragesimus octavus, & ultimus. Præerat sedente Joanne* IV. *Dalmata, imperante Heraclio* I. *regnante in Dalmatia Orientali N. postremo ex tyrannis quatuor Anonymis ecclesiæ hostibus; deinde* qq *Selimiro, qui tyrannide sublata Christianis rebus ab diuturno bello quietem attulit.*

Vacat sedes ab anno 639. *ad an.* 650. *sedentibus Joanne* IV. *Dalmata, Theodoro* I. *Martino* I. *imperantibus Heraclio* I. *Constantino* III. *Constante* II. *Constantino* IV. *Pogonato, regnantibus in Dalmatia Orientali Selimiro, Budimiro.*

PARS SECUNDA.

Joannes a *Antistes hujus nominis* VI. *Salonitanam sedem Spalatum translatam primus obtinuit ab an.* 650. *usque ad an. c.* 680. *sedentibus Martino* I. *Eugenio* I. *Vitaliano* I. *Adeodato* II. *Dono* I. *Agathone* I. *imperante Constantino* III. *Constante* II. *Constantino* IV. *Pogonato, regnante in Dalmatia Orient. sive Servia Selimiro, Budimiro* b; *Ducibus* c *Dalmatiæ Occident. sive Croatiæ* d *Corbato, Porino.*

Pe-

e *Petrus* V. *Marianus*, *Martinus* II. e *Martinus* III. *Formmus*, *ſeu Forminius*, *Gregorius* I. *Joannes* VII. *Vernaculus*, *Dometus*, *Theodorus* IV. *Vitalis* I. *Georgius* II. *Vitalis* II. *Spalatenſes Archiepiſcopi*, *qui proxime ab S. Joanne ſedem deinceps obtinuere*, *atque quondam Salonitani*, *ac Dalmatiæ*, *& Croatiæ Primates nuncupabantur*. *Præfuerunt ab anno c.* 680. *uſque ad an.* 774. *ſedentibus Leone* II. *Benedicto* II. *Joanne* V. *Cononе* I. *Sergio* I. *Joanne* VI. *Joanne* VII. *Siſinio* I. *Conſtantino* I. *Gregorio* II. *Gregorio* III. *Zacharia* I. *Stephano* II. *Paulo* I. *Stephano* III. *Adriano* I. *imperantibus Conſtantino Pogonato*, *Juſtiniano* II. *Leontio Patritio*, *Tiberio Abſimero*, *Philippico*, *Anaſtaſio* II. *Theodoſio* III. *Leone Iſaurio*, *Conſtantino Copronymo*; *regnantibus in*
f *Servia* f *Svetolico*, *Uladislavo*, *Thomislavo*, *Se-*
g *beslao*, *Rabiſuoyo*, *Uladimiro*: g *Ducum Croatiæ neque nomen*, *neque numerus conſtat*.

Petrus VI. *Leo* II. *& Urſus Archiepiſcopi Spalatenſes decimus quintus*, *decimus ſextus*, *& decimus ſeptimus*. *Salonitani etiam appellati*. *Præfuerunt inter annos circiter* 774. *& circ.* 830. *ſedentibus Adriano* I. *Leone* III. *Stephano* IV. *Paſquale* I. *Eugenio* II. *Valentino* I. *imperantibus in Oriente Conſtantino Copronymo*, *Leone* IV. *vulgo* III. *Conſtantino* VI., *Irene matre*, *Nicephoro*, *Michaele* I. *Curopalata*, *alias Rengabe*, *Leone Armeno*, *Michaele Balbo*, *ſeu Armorico*, *Theophilo*; *imperantibus in Occidente* gh *Carolo Magno*, *Ludovico Pio*; *regnantibus in Servia*
h h *Chanimero*, *Tuardislavo*, *Tolymiro*, *Pribis-*
i *lao*, *Crepimiro*; *Ducibus in Croatia* N. i *Borna*, *Ladaſclao*, *Mislao*.

Petrus VII. *Archiepiſcopus Spalatenſis decimus octavus*. *Præfuit ab anno c.* 830. *uſque ad an.* 840. *ſedente Gregorio* IV. *imperantibus in Oriente Theophilo*, *in Occidente Ludovico Pio*; *regnantibus in Servia Svetozaro*, *Rodoslao*; *Ducibus*
k *in Croatia Mislao*, k *Trepimiro*.

Juſtinus II. *Archiepiſcopus Spalatenſis decimus*
l *nonus*. *Præfuit inter an.* 840. l *&* 860. *circ. ſedentibus Gregorio* IV. *Sergio* II. *Leone* IV. *Benedicto* III. *Nicolao* I. *imperantibus in Oriente Theophilo Iconomacho*, *Michaele Porphyrogenito*; *in Occidente Lothario*, *Ludovico* II. *regnantibus*
m *in Servia Rodoslao*, *Ciaslao*, *poſt quem* m *Interregnum*; *Ducibus in Croatia Tirpimiro* I. *Dio-*
n *duro* n, *& Unuſclava*.

Georgius III. *Archiepiſcopus Spalatenſis viceſimus*. *Præfuit inter an.* 860, *&* 879. *ſedentibus Nicolao* I. *Adriano* II. *Joanne* VIII. *imperantibus in Oriente Michaele Porphyrogenito*, *& Baſilio Macedone*; *in Occidente Ludovico* II. *Carolo Calvo*, *Ludovico* III. *Balbo*. o
p *Marinus* III. *aliis Maximus* V. *Archiepiſcopus Spalatenſis viceſimus primus*. *Præfuit ab an.* 879. *ad an. c.* 880.

Theodorus V. *& Leo* III. *Archiepiſcopi Spalatenſes viceſimus ſecundus*, *& viceſimus tertius*. *Præfuerunt inter annos* 880. *&* 892. *ſedentibus Joanne* VIII. *Martino* II., *ſeu Marino*, *Adriano* III. *Stephano* V. *Formoſo*; *imperantibus in Oriente Baſilio Macedone*, *& Leone* VI. *Sapiente*; *regno Serviæ vacante uſque ad an.* 889. *dein ibi regnante Paullomiro*; *Ducibus Croatiæ Branimi-*
p *ro*, p *Michaele aliis Myroslabo*.

Petrus VIII. *Archiepiſcopus Spalatenſis viceſimus* IV. *Præerat an.* 892. *ſedente Bonifacio* VI. *imperante in Oriente Baſilio Macedone*; *regnante in Servia Paullomiro*; *Duce Croatiæ Mucimiro*.

Juſtinus III. *Archiepiſcopus Spalatenſis viceſimus quintus*. *Præfuit inter an.* 892. *&* 914. *ſedentibus Bonifacio* VI. *Stephano* VI. *Romano* I. *Theodoro* II. *Joanne* IX. *Benedicto* IV. *Leone* V. *Chriſtophoro* I. *Sergio* III. *Anaſtaſio* III. *Lando* I. *imperantibus in Oriente Leone Sapiente*, *Alexandro*, *Conſtantino Porphyrogenito* q; *regnantibus* q
in Servia Paullomiro, *Tiesimiro*; *Ducibus in* r
Croatia Mucimiro, r *Michaele*.

Joannes VIII. *aliis Januarius* II. *Archiepiſcopus Spalatenſis viceſimus ſextus*. *Præfuit ab an.* 914. *uſque ad an. c.* 940. *ſedentibus Joanne* X. *Leone* VI. *Stephano* VII. *Joanne* XI. *Leone* VII. *Stephano* VIII. *imperante in Oriente Conſtantino Porphyrogenito cum Romano Lecapeno*; *regnante*
in Servia s *Tiſcimiro*, *Ducibus in Croatia* t *Mi-* f t
chaele, *Cidomiro*, *aliis* u *Tirpimiro* II. *deinde* u
in eadem Croatia x *regnante Creſimiro* I. x

Fruntinianus IV. *Archiepiſcopus Spalatenſis viceſimus ſeptimus*. *Præfuit inter annos* 940, *&* 970. *ſedentibus Stephano* VIII. *Martino* III. *vel Marino* II. *Agapito* II. *Joanne* XII. *Leone* VIII. *Benedicto* V. *Joanne* XIII. *imperantibus in Oriente Conſtantino Porphyrogenito*, *Romano*, *Nicephoro Phoca*, *Joanne* I. *Zemniſce*; *regnante in Croatia Creſimiro* aa I. aa

Martinus bb IV. *Archiepiſcopus Spalatenſis vi-* bb
ceſimus octavus. *Præfuit ab anno* 970. *uſque ad an.* 1000. *ſedentibus Joanne* XIII. *Benedicto* VI. *Dono* II. *Benedicto* VII. *Bonifacio* VII. *Joanne* XIV. *Joanne* XV. *Gregorio* V. *Silveſtro* II. *imperante in Oriente Joanne Zemniſce*, *Baſilio cum fratre Conſtantino*; cc *regnante in Croatia* dd *Dircislao*. cc dd

Petrus ee IX. *Archiepiſcopus Spalatenſis vi-* ee
ceſimus nonus. *Præfuit ab anno* 1000. *uſque ad an.* 1015. *ſedentibus Silveſtro* II. *Joanne* XVII. *Joanne* XVIII. *Sergio* IV. *Benedicto* VII. *Joanne* XIX. *imperantibus ſimul in Oriente Baſilio*, *& Conſtantino fratribus*; *regnantibus in Croatia Dircislao*, ff *Creſimiro* II. *Patritio*, *aliis Surigna*; ff
Duce Venetorum gg *Petro* II. *Urſeolo*, *Othone* g
Urſeolo.

Martinus V. *præfuit Coadiutor Petri noni*, *& Pauli Archiepiſcoporum Spalatenſium ab an. c.* 1000. *uſque ad an. c.* 1024.

Paulus I. *Archiepiſcopus Spalatenſis triceſimus*. *Præfuit ab anno* 1015. *uſque ad an. circ.* 1030. *ſedentibus Benedicto* VIII. *Joanne* XX. *imperantibus in Oriente Baſilio*, *& Conſtantino ſimul*, *Conſtantino ſolo*, *Romano* III. *cum Zoë*; *regnante in Croatia Creſimiro* II. *Ducibus Venetorum Othone Urſeolo*, *Petro Salomonio*.

gh *Dabralis Archiepiſcopus Spalatenſis triceſi-* gh
mus primus. *Præfuit ab anno* 1030. *uſque ad an.* 1050. *ſedentibus Joanne* XX. *Benedicto* IX. *Gregorio* VI. *Clemente* II. *Leone* IX. *imperantibus Michaele Papblagone*, *Michaele Calephate*, *Conſtantino Monomacho*; *in Croatia regnante* hh
Stephano; *Ducibus Venetorum Petro Salomonio*, *Urſo Urſeolo*, *qui & Patriarcha Gradenſis*, *Dominico Flabanico*, *Dominico Contareno*.

ii *Lampridius Archiepiſcopus Spalatenſis* XXXII. ii
Joannes nonus Archiepiſcopus Spalatenſis triceſimus tertius. *Præfuit ab anno* 1050. *uſque ad an.* 1059. *ſedentibus Victore* II. *Stephano* IX. *Nicolao* II. *imperantibus in Oriente Conſtantino Monomacho*, *Theodora*, *Michaele* VI. *regnante in Croatia Creſimiro* kk III. *Duce Venetorum Dominico Contareno*. kk

ll *Laurentius* I. *Archiepiſcopus Spalatenſis tri-* ll
ceſimus quartus. *Præfuit ab anno* 1059. *uſque ad an.* 1099. *ſedentibus Nicolao* II. *Alexandro* II. *Gregorio* VII. *Victore* III. *Urbano* II. *Paſ-*

qua-

Digitized by Google

quale II. imperantibus in Oriente Conſtantino Duca, Romano Diogene, Michaele Paripanace, Nicephoro Botoniate, Alexio I. Comneno; regnantibus in Croatia Creſimiro III. Slavizzo, mm Suinimiro, & Stephano II. Ducibus Venetorum Dominico Contareno, Dominico Silvio, Vitali Falerio, Vitali Michaele I.

Creſcontius Patritius Romanus Archiepiſcopus Spalatenſis XXXV. Præfuit ab anno 1099. uſque ad ann. 1112. ſedentibus Paſquale II. Gelaſio II. imperante in Oriente Alexio I. Comneno, regnante in Croatia, propriorum Regum loco, Colomano Hungariæ Rege; Ducibus Venetorum Vitali Michaele, Ordelapho Falerio.

Manaſſes Archiepiſcopus Spalatenſis XXXVI. Præfuit ab an. 1112. uſque ad an. 1113. ſedente Gelaſio II. imperante in Oriente Alexio I. Comneno; Rege Hungariæ Colomano; Duce Venetorum Ordelapho Falerio.

Vacat ſedes ab an. 1113. uſque ad an. 1135. ſedentibus Gelaſio II. Caliſto II. Honorio II. Innocentio II. imperantibus in Oriente Alexio I. Comneno, Joanne II. Comneno; Regibus Hungariæ Colomano, Stephano II. Bela II. Ducibus Venetorum Ordelapho Falerio, Dominico Michaele, Petro Polano.

Gregorius II. Archiepiſcopus Spalatenſis XXXVII. Fuit tantum electus ſedente Innocentio II. imperante in Oriente Joanne II. Comneno; Rege Hungariæ Bela II. Venetorum Duce Petro Polano.

Gaudius, ſeu Gaudentius Archiepiſcopus Spalatenſis XXXVIII. Præfuit ab anno nn *1136. uſque ad an. 1153. Vixit vero uſque ad an. 1176. ſedentibus Innocentio II. Cæleſtino II. Lucio II., Eugenio III. Anaſtaſio IV. imperantibus Joanne II. Comneno, Manuele Comneno; Regibus Hungariæ Bela II. Geiſa II. Ducibus Venetorum Petro Polano, Dominico Mauroceno, Vitali Michaele II.*

Abſalon oo *Archiepiſcopus Spalatenſis XXXIX. Præfuit ab an. 1153. ad an. 1163. ſedentibus Anaſtaſio IV. Adriano IV. Alexandro III. imperante in Oriente Manuele Comneno; Regibus Hungariæ Geiſa II. Stephano III. Ducibus Venetorum Dominico Mauroceno, Vitali Michaele II.*

Petrus X. pp *cognomento Lombardus Archiepiſcopus Spalatenſis XXXX. Præfuit ab an. 1163 uſque ad ann. 1166. ſedente Alexandro III. imperante in Oriente Manuele Comneno; Rege Hungariæ Stephano III. Duce Venetorum Michaele II.*

Albertus qq *Cardinalis de Mora Archiepiſcopus Spalatenſis XXXXI. poſtea Romanus Pontifex Gregorius VIII. Fuit electus imperante Comneno, Rege Hungariæ Stephano III. Duce Venetorum Vitali Michaele II.*

Gerardus Archiepiſcopus Spalatenſis XLII. Præfuit ab an. 1166. uſque ad an. 1175. ſedente Alexandro III. imperante in Oriente Manuele Comneno; Regibus Hungariæ Stephano III. Bela III. Ducibus Venetorum Vitali Michaele II. Sebaſtiano Ziani.

Raynerius Archiepiſcopus Spalatenſis XLIII. Præfuit ab an. 1175. uſque ad annum 1180. ſedente Alexandro III. imperante in Oriente, & rr *Spalati Manuele Comneno. Rege Hungariæ Bela III. Ducibus Venetorum Sebaſtiano Ziani, Orio Maripetro.*

Vacat ſedes ab an. 1180. uſque ad an. 1185. ſedentibus Alexandro III. Lucio III. imperantibus in Oriente Manuele Comneno, qui & Spalati imperabat, Alexio II. Comneno, Andronico tyranno; Rege Hungariæ Bela III. Duce Venetorum Orio Maripetro.

Petrus XI. ¶ *filius Chileni Archiepiſcopus Spalatenſis XLIV. Præfuit ab an. 1185. uſque ad an. 1190. ſedentibus Lucio III. Urbano III. Gregorio VIII. Clemente III. imperante in Oriente Andronico tyranno; Rege Hungariæ Bela III. Duce Venetorum Orio Maripetro.* ¶

Petrus XII. Archiepiſcopus Spalatenſis XLV. Præfuit ab an. 1190. uſque ad an. 1195. ſedentibus Clemente III. Cæleſtino III. imperante in Oriente Andronico tyranno, & Iſaacio Angelo Comneno; Rege Hungariæ Bela III. Ducibus Venet. Orio Maripetro, Henrico Dandulo.

Bernardus I. Archiepiſcopus Spalatenſis XLVI. Præfuit ab an. tt *1195. uſque ad an. 1217. ſedentibus Cæleſtino III. Innocentio III. Honorio III.* tt *imperantibus in Oriente Iſaacio Angelo, Alexio III. Angelo Alexio IV.* uu, *Balduino I. Henrico, Petro Antiſiodorenſi; Regibus Hungariæ Bela III. Henrico, Ladislao pupillo, Andrea Hieroſolymitano; Ducibus Venetorum Henrico Dandulo, Petro Ziani.* uu

Slavizzus Archiepiſcopus Spalatenſis XLVII. Permanſit electus toto biennio per annos 1217. 1219. ſedente Honorio III. imperante in Oriente Petro Antiſiodorenſi; Rege Hungariæ Andrea Hieroſolymitano; Duce Venetorum Petro Ziani.

Guncellus Archiepiſcopus Spalatenſis XLVIII. Præfuit ab an. 1219. uſque ad annum xx *1242.* xx *ſedentibus Honorio III. Gregorio IX. Cæleſtino IV., imperantibus in Oriente Roberto, Joanne III. Brienno; Regibus Hungariæ Andrea Hieroſolymitano, Bela IV. Ducibus Venetorum Petro Ziani, Jacobo Tenpolo.*

Stephanus II. Archiepiſcopus Spalatenſis XLIX. ex Epiſcopo Zagabrienſi, Permanſit electus aaa *per annos 1242. 43. Vacante Romana ſede inter Cæleſtini IV. & Innocentii IV. Pontificatum; imperante in Oriente Balduino II. Rege Hungariæ Bela IV. Duce Venetorum Jacobo Teupolo.* aaa

Thomas bbb *Archiepiſcopus Spalatenſis L. Perſeveravit electus vertente toto fere an. 1244. ſedente Innocentio IV. imperante in Oriente Balduino II. Rege Hungariæ Bela IV. Duce Venetorum Jacobo Tenpolo.* bbb

Ugolinus I. ſeu Ugrinus Archiepiſcopus Spalatenſis LI. Præfuit ab an. ccc *1243. uſque ad an. 1248. ſedente Innocentio IV. imperante in Oriente Balduino II. Rege Hungariæ Bela IV. Duce Venetorum Jacobo Tenpolo.* ccc

Regerius Archiepiſcopus Spalatenſis LII. Præfuit ab an. 1249. uſque ad an. ddd *1266. ſedentibus Innocentio IV. Alexandro IV. Urbano IV. Clemente IV. imperantibus in Oriente Balduino II.* eee *Michaele Palæologo; Rege Hungarorum Bela IV. Ducibus Venetorum Jacobo Teupolo, Marino Mauroceno, Raynerio Zeno.* ddd eee

Joannes X. Archiepiſcopus Spalatenſis LIII. Præfuit ab an. 1266. uſque ad an. 1294. ſedentibus Clemente IV. Gregorio X. Innocentio V. Adriano V. Joanne XXI. Nicolao III. Martino II. vel IV. Honorio IV. Nicolao IV. Cæleſtino V. Bonifacio VIII. imperantibus in Oriente Michaele Palæologo, Andronico II. Palæologo; Regibus Hungariæ Bela IV. Stephano IV. Ladislao Cunno, Andrea Veneto; Ducibus Venetorum Raynerio Zeno, Laurentio Tenpolo, Jacobo Contareno, Joanne Dandulo, Petro Gradanico.

Petrus Maria XIII. Archiepiſcopus Spalatenſis LIV. Præfuit ab an. 1297. uſque ad an. 1326. ſedentibus Bonifacio VIII. Benedicto XI. vel IX. Clemente V., & Joanne XXII. imperan-

Digitized by Google

rantibus in Oriente Andronico II. *Palæologo ; Regibus Hungariæ Andrea Veneto, Carolo Umberto ; Ducibus Venetorum Petro Gradonico, Marino Georgio, Joanni Superantio.*

Balianus Archiepiſcopus Spalatenſis LV. *Præfuit ab an.* 1326. *uſque ad an.* 1328. *ſedente Joanne* XXII. *imperante in Oriente Andronico* II. *Palæologo ; Rege Hungariæ Carolo Umberto ; Duce Venetorum Joanne Superantio.*

Dominicus I. Luccari Archiepiſcopus Spalatenſis LVI. *Præfuit ab an.* 1328. *uſque ad annum* 1348. *ſedentibus Joanne* XXII. *Benedicto* XII. *Clemente* VI. *imperantibus in Oriente Andronico* III. *Joanne* V. *Cantacuzeno ; Regibus Hungariæ Carolo Umberto, Ludovico* I. *Ducibus Venetorum Joanne Superantio, Franciſco Dandulo, Bartholomæo Gradonico, Andrea Dandulo.*

Ugolinus II. *Branca, ſeu Mala-Branca Archiepiſcopus Spalatenſis* LVII. *Præfuit ab an.* 1348. *uſque ad an.* 1371. *ſedentibus Clemente* VI. *Urbano* V. *Gregorio* XI. *imperantibus in Oriente Joanne* IV. *Palæologo, Joanne* V. *Cantacuzeno ; Rege Hungariæ Ludovico* I. *Ducibus Venetorum Andrea Dandulo, Marino Falerio, Joanne Gradonico, Joanne Delphino, Laurentio Celſo, Marco Cornelio, Andrea Contareno.*

Andreas I. Gualdus Archiepiſcopus Spalatenſis LVIII. *Præfuit ab an.* 1371. *uſque ad an.* 1402. *ſedente Gregorio* XI. *Urbano* VI. *Bonifacio* IX. *imperante in Oriente Joanne* IV. *Palæologo ſolo, Manuele* II. *Palæologo, Joanne* VI. *Palæologo ; Regibus Hungariæ Ludovico* I. *Maria ejus filia, Sigiſmundo Brandeburgico ; Ducibus Venetorum Andrea Contareno, Michaele Mauroceno, Antonio Venerio, Michaele Steno.*

Marinus IV. *a Cuthois Archiepiſcopus Spalatenſis LIX. electus erat anno* 1401. *ſedente in Oriente Joanne* VI. *Palæologo ; Rege Hungariæ Sigiſmundo Brandeburgico ; Duce Venetorum Michaele Steno.*

Peregrinus de Aragonia Archiepiſcopus Spalatenſis LX. *Præfuit ab an.* 1403. *uſque ad an.* 1408. *ſedentibus Bonifacio* IX. *Innocentio* VII. *Gregorio* XII. *imperante Joanne* VI. *Palæologo ; Rege Hungariæ Sigiſmundo Brandeburgico ; Duce Venetorum Michaele Steno.*

Vacat ſedes ab anno 1408. *uſque ad annum* 1413. *ſedentibus Gregorio* XII. *Alexandro* V. *Joanne* XXIII. *imperante in Oriente Joanne* VI. *Palæologo ; Rege Hungariæ Sigiſmundo Brandeburgico ; Duce Venetorum Michaele Steno.*

Joannes XI. *de Benedictis Patritius Venetus ex Ordine Prædicatorum Archiepiſcopus Spalatenſis* LXI. *electi nomen obtinuit ab an.* 1410. *ad* 1418 *ſedentibus Joanne* XXIII. *Martino* V. *imperante in Oriente Joanne* VI. *Palæologo ; Rege Hungariæ Sigiſmundo Auguſto ; Ducibus Venetorum Michaele Steno, Thoma Mocenico.*

Dominus II. *de Judicibus Archiepiſcopus Spalatenſis LXII. Præfuit ab an.* 1418. *ad an.* 1421 *ſedente Martino V. imperante in Oriente Joanne VI. Palæologo ; Rege Hungariæ Sigiſmundo Auguſto ; Duce Venetorum Thoma Mocenico.*

Petrus XIV. *Diſcovitius, alias de Pago, ex Ordine Prædicatorum Archiepiſcopus Spalatenſis* LXIII. *Præfuit ab an.* 1421. *uſque ad an.* 1430. *ſedente Martino V. imperante in Oriente Joanne* VI. *Palæologo ; Rege Hungariæ Sigiſmundo ; Ducibus Venetorum Thoma Mocenico, Franciſco Fuſcaro.*

Franciſcus Maripetrus Patritius Venetus Archiepiſcopus Spalatenſis LXIV. *Præfuit ab an.* 1431. fff *uſque ad an.* 1432. *ſedentibus Martino* V. *Eugenio* IV. *imperante Joanne Palæologo ; Rege Hungariæ Sigiſmundo ; Duce Venetorum Franciſco Fuſcaro.* fff

Bartholomæus Zabarella S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopus Spalatenſis LXV. *Præfuit ab anno* 1432. ggg *uſque ad an.* 1439. *ſedente Eugenio* IV. *imperante in Oriente Joanne* VI. *Palæologo ; Regibus Hungariæ Sigiſmundo Auguſto, Alberto Auſtriaco Auguſto, Ladislao* V. *poſthumo ; Duce Venetorum Franciſco Fuſcaro.* ggg

Jacobus Badoarius Patritius Venetus Archiepiſcopus Spalatenſis LXVI. *Præfuit ab an.* 1439 *uſque ad an.* 1451. *ſedentibus Eugenio* IV. *Nicolao* V. *imperantibus Joanne* VI. *Palæologo, & Conſtantino* XII. *Rege Hungariæ Ladislao* V. *Poſthumo ; Duce Venetorum Franciſco Fuſcaro.*

Laurentius II. *Zane Patritius Venetus Archiepiſcopus Spalatenſis* LXVII. *Præfuit ab an.* 1451. *uſque ad an.* 1473. *ſedentibus Nicolao* V. *Calliſto* III. *Pio* II. *Paulo* II., *Sixto* IV ; *imperante in Oriente Conſtantino* XII. *Palæologo, Mahomete Turcarum Principe, hoc nomine* I. *Regibus Hungariæ Ladislao Poſthumo, Uladislao ad Uvarnam obtruncato, Matthia Corvino Illyrico ; Ducibus Venetorum Franciſco Fuſcaro, Paſchali Maripetro, Chriſtophoro Moro, & Nicolao Trono.*

Joannes XII. *Zanettinus ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Archiepiſcopus Spalatenſis* LXVIII. *Præfuit ab anno* 1473. *uſque ad an.* 1476. *ſedente Sixto* IV. *imperante in Oriente* hhh *Mahomete ; Rege Hungariæ Matthia Corvino ; Ducibus Venetorum Nicolao Marcello, Petro Mocenico.* hhh

Petrus XV. *Fuſcarus Patritius Venetus S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopus Spalatenſis* LXIX. *Præfuit ab an.* 1476. *uſque ad an.* 1479. *ſedente Sixto* IV. *imperante in Oriente Mahomete ; Rege Hungariæ Matthia Corvino Illyrico ; Duce Venetorum Andrea Vendramino.*

Bartholomæus II. *Averoldus ex Ordine D. Benedicti, Archiepiſcopus Spalatenſis* LXX. *Præfuit ab an.* 1479. *uſque ad an.* 1503. *ſedentibus Sixto* IV. *Innocentio* VIII. *Alexandro* VI. *Pio* III. *Julio* III. *imperante in Oriente Mahomete* I. *& Baiazethe* I. *Regibus Hungariæ Matthia Corvino Illyrico, Uladislao* II. *Bohemo ; Ducibus Venetorum Joanne Mocenico, Auguſtino Barbadico, Leonardo Lauredano.*

Bernardus II. *Zane Patritius Venetus Archiepiſcopus Spalatenſis* LXXI. *Præfuit ab an.* 1503. *uſque ad an.* 1515. *ſedentibus Julio* II. *Leone* X. *imperantibus in Oriente Baiazethe* I., *& Selimo* I. *Rege Hungariæ Uladislao* II. *Bohemo ; Duce Venetorum Leonardo Lauredano.*

Andreas II. *Cornelius, Patritius Venetus Archiepiſcopus Spalatenſis* LXXII. *Præfuit ab anno* 1515. *uſque ad annum* 1536. *ſedentibus Leone* X. *Adriano* VI. *Clemente* VII. *Paulo* III. *imperante in Oriente Selimo* I. *Solimano* I. *Regibus Hungariæ Ludovico, Joanne Zapolia Tranſylvano, Ferdinando* I. *Auſtriaco Auguſto ; Ducibus Venetorum Leonardo Lauredano, Antonio Grimani, Andrea Gritti.*

Andreas III. *S. R. E. Cardinalis e Domo Cornelia Veneta Archiepiſcopus Spalatenſis* LXXIII. *Electi nomen obtinuit ſub Pontificatu Andreæ Patrui.*

Marcus Cornelius Patritius Venetus Archiepiſcopus Spalatenſis LXXIV. *Præfuit ab an.* 1536. *uſque ad an.* 1566. *ſedentibus Julio* III. *Marcello* II. *Paulo* IV. *Pio* IV. *Pio* V. *imperantibus in Orien-*

Digitized by Google

Oriente Solimano, Rege Hungariæ Ferdinando I. Austriaco Augusto, Ducibus Venetorum Andrea Gritti, Petro Lando, Francisco Donato, Marco Antonio Trevisano, Laurentio Priolo.

Aloysius Michael, alias de Frangipanibus, Patritius Venetus, Archiepiscopus Spalatensis LXXV. *Præfuit ab anno 1566. usque ad annum 1575. sedentibus Pio V. Gregorio XIII. imperante in Oriente Selimo* II. *& Solimano; Rege Hungariæ Ferdinando I. Ducibus Venetorum Hieronymo Priolo, & Petro Lauredano.*

Dominicus II. *Mariottus ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopus Spalatensis* LXXVI. *Præfuit primum adjutor Aloysii Michaelis, tum Archiepiscopus ab anno 1575. usque ad annum 1585. sedente Gregorio XIII. imperante in Oriente Amurathe* II. *Regibus Hungariæ Maximiliano* II. *Austriaco, Rudolpho Austriaco; Ducibus Venetorum Aloysio I. Mocenico, Sebastiano Venerio, Nicolao de Ponte.*

Dominicus III. *Foconius ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopus Spalatensis* LXXVII. *Præfuit primum adjutor, deinde Archiepiscopus ab anno 1585. ad an. 1602. sedente Sixto V. Urbano* VII. *Gregorio* XIV. *Innocentio* IX. *Clemente* VIII. *imperante in Oriente Amurathe; Rege Hungariæ Rudolpho Austriaco Augusto; Ducibus Venetorum Nicolao de Ponte, Pasquali Ciconia, Marino Grimano.*

Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis LXXIIX. *postea Apostata, & Hæresiarcha. Præfuit ab anno 1602. usque ad annum 1616. sedentibus Clemente* VIII. *Leone* XI. *Paulo V. imperante in Oriente Mahomete* II. *Achmete* I. *Regibus Hungariæ Rudolpho, & Mathia Austriacis Augustis; Ducibus Venetorum Marino Grimani, Leonardo Donato, Marco Antonio Memo, Joanne Bembo.*

Sfortia Ponzonius Archiepiscopus Spalatensis LXXIX. *Præfuit ab an. 1616. usque ad an. 1640. sedentibus Paulo V. Gregorio XV. Urbano* VIII. *imperante in Oriente Achmete, Mustapha, Osmano, Amurathe* II. *Regibus Hungariæ Ferdinando* II. *Ferdinando* III. *Austriacis Augustis; Ducibus Venetorum Joanne Bembo, Nicolao Donato, Antonio Priolo, Francisco Contareno, Joanne Cornelio, Nicolao Contareno, Francisco Erizio.*

Leonardus Bondumerius Patritius Venetus Archiepiscopus Spalatensis LXXX. *Præfuit ab anno 1640. ad annum 1668. sedentibus Urbano* VIII. *Innocentio X. Alexandro* VII. *Clemente* IX. *imperante in Oriente Amurathe* II. *Ibrahimo, Mahomete* III. *Regibus Hungariæ Ferdinando* III. *Austriaco Augusto, Ferdinando* IV. *Austriaco Archiduce, Leopoldo I. Austriaco Augusto; Ducibus Venetorum Francisco Erizio, Francisco Molino, Carolo Contareno, Francisco Cornelio, Bertucio Valerio, Joanne Pisauro, Dominico Contareno.*

Bonifacius Albanus Archiepiscopus Spalatensis LXXXI. *Præfuit ab anno 1668. usque ad annum 1678.*

Stephanus III. *Cosmus Archiepiscopus Spalatensis* LXXXII. *Præfuit ab an. 1678. usque ad annum 1708. sedentibus Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI.*

Stephanus IV. *Cupillus Archiepiscopus Spalatensis* LXXXIII. *Præfuit ab anno 1708. usque ad annum 1719. sedente Clemente X.*

Notæ in partem primam Catalogi Romani

a Epocha institutæ sedis Salonitanæ, susceptique a B. Domnio Pontificatus vel in eum annum, quo Petrus martyrium subiit, vel in proximum superiorem conjicienda est; nam Petrus Romæ cum esset, antequam jussu Neronis extremo supplicio afficeretur, Domnium in Dalmatiam misit ad fundandam regendamque Ecclesiam Salonitanam. De anno autem ejus martyrii est inter scriptores controversia. Martyrium D. Petri Baronius, in annum æræ vulgaris 69. alii in annos superiores conferunt; Henschenius & seniores Chronologi censent affigendum esse anno 65. Hos sequi si lubeat, Domnius jussu missuque Petri Dalmatiam adiit, & Salonæ sedem Episcopalem constituit vel anno eodem 65. vel eo certo, qui hunc proxime antecessit. Vide Caput 1. §. 1. item consule Acta S. Domnii a nobis describenda.

b In Actis S. Domnii martyrium ejusdem revocandum esse censemus ad annum septimum alterius sæculi, cum Trajanus Christianos persequi cœpit, quibus initio propitium potius, quam infensum se præbuerat.

c Initium Cajani refer ad annum 107. juxta præscriptum superioris Notæ.

d Hunc, & alios ejusdem nominis Episcopos rectius Hesychium appellaveris.

e Ille est, quem Beda, Usuardus, Ado, & auctor Martyrologii Romani in diversorum fastis ad primam diem Aprilis adscribunt, quemque Baronius Dalmatiæ Episcopum fuisse opinatur; sed cujus loci Episcopus fuerit ignorat, cum Salonensium antistitum Catalogos numquam viderit.

f Hic ab recta Episcoporum serie aberrare incipiunt alii Catalogi; & Justino Glycerium proxime subjiciunt, Episcopis intermediis in posteriores ætates rejectis.

g Huic notæ arithmeticæ inest mendum Chronologicum Librarii inscitia vel incuria invectum, cui correctio adhibenda est, ex appositis Pontificibus & Imperatoribus Romanis. Itaque series illa Episcoporum neque producenda est ultra exitum Dionysii Primi Episc. Rom. qui anno 270. vita & Pontificatu cessit, & coercenda est intra initium Aureliani, qui eodem anno Imperium adeptus est; ac proinde desinat oportet in annum 270. cum Dionysius vivere desiit, & Aurelianus imperare cœpit.

h Ad id, quod modo diximus, apte congruenterque inter annos 270. & 274. vel 275. intrujicitur Agapitus sive Amabilis, qui non longius vitam perduxit, quam Felix I. & Aurelianus, quorum alter ecclesiæ Romanæ, alter Orbi Romano præfuit ab an. 270. ad an. 275. Præterea Salonitanus Catalogus cum Episcopatu Agapiti composuit martyrium S. Anastasii Cornicularii, qui Aureliano imperante pro Christo mortem oppetiit. Vide Acta Agapiti Episcopi Salonitani.

i Horum Episcoporum initium revoca ad an. 275. vel superiorem; quippe attigerit oportet saltem extremum annum Pontificatus Felicis, & imperii Aureliani; uterque enim his adscribitur.

k Hæ notæ chronologicæ præclare congruunt cum Pontificibus, & imperatoribus Romanis ibidem appositis.

l Sed Constantinus junior, cum Constanti fratri bellum intulisset, interfectus est prope Aquilejam eodem anno 340. quo Maximus III. seu Marinus II. gubernacula ecclesiæ Salonitanæ suscepit.

m Ad hunc litteras dedit Zosimus Pontifex Maximus, qui Pontificatum iniit an. 417. cum vita deposuit anno 418.

n Si Olybrius in Imperium Occidentale Anthemio suffectus an. 472. post amissum imperium creatus fuit Episcopus Salonitanus, id quod

ſuo loco inquiremus; cum Epiſcopatu admodum brevi perfunctum eſſe oportet.

o Salonitani Pontificatus Glycerio collati idoneus teſtis, auctorque optimus eſt Jornandes fere ſuppar huic ætati.

p Odoacer Herulos in Italiam invexit anno Chriſti 476. & Imperio Occidentali, una cum Momyllo Auguſtulo, extincto, Regnum Italiæ & Dalmatiæ tenuit annos ipſos ſeptemdecim.

q Cum per eos annos Odoacer Herulique Dalmatiam tyrannide oppreſſam tenuerint, & anno circiter 489. Gotthorum irruptiones in eamdem regionem fieri cœperint; poſt mortem Glycerii, quæ in annum 480. incidit, comitia Epiſcopalia Salonæ haberi non licuit. Itaque interregnum Pontificium tenuit annos fere tredecim.

r Glycerio Honorium, cæteroſque fere omnes hic deſcriptos uſque ad Theodorum poſtremum Salonitanum Epiſcopum Catalogi omnes ſubjiciunt.

ſ Theodoricus Rex Oſtrogotthorum, anno 489. Zenonis hortatu Italiam adiit, eamdemque Herulorum ſervitute exemit, Odoacre apud Ravennam extincto anno 493. unde initium duxit Gotthorum in Italia Regnum, quod poſt annos fere ſexaginta, Teja poſtremo Gotthorum Rege interfecto, Juſtinianus funditus evertit an. 553. Theodoricus autem non in Italia ſolum, ſed etiam in Dalmatia rerum potitur.

t Ab Oſtroilo initium ducit ſeries Regum Gotthorum in Dalmatia Orientali. Hanc ſeriem contexuit Presbyter Diocleas in eo libro, quod *Regnum Slavorum* inſcripſit; in quo multa ſunt præpoſteris temporibus, & confuſis regionibus deſcripta, quæ accuratam criſim & diſquiſitionem ſubeant neceſſe eſt. Oſtroilus Genuladi Gotthorum Regis filius natu minimus fuiſſe dicitur, cui duo fratres erant Brus & Totila. Brus apud populos Septemtrionales in paternum regnum ſucceſſit; Totila copias ſuas in Italiam duxit, & cum Oſtrogotthis conjunxit; & anno 541. regnum adeptus, collapſam in Italia rem Gotthicam reſtituit, fuſiſque Juſtiniani copiis Romam ipſam anno 546. recepit; ab Narſete victus acie, & fugiens e prælio obtruncatus eſt anno 552. ut narrat Procopius lib. 4. belli Gothici, cum regnaſſet annos undecim. Oſtroilus vero potitus eſſe dicitur ea Dalmatiæ parte, quæ ad Orientem vergit, & poſtea dicta eſt Serblia. Si regnum Dalmaticum Oſtroili ad hæc tempora, & ad Pontificatum Honorii II. Antiſtitis Salonitani revocandum ſit, Totilas in Italiam adverterit oportet ſæculo quinto exeunte, vel proximo ineunte; uterque enim, Totilas & Oſtroilus, eodem tempore avito regno & patria profecti primum in Pannoniam, tum in Dalmatiam veniſſe traduntur; & Oſtroilus quidem in Dalmatia principatum obtinuiſſe, Totilas vero in Italiam transgreſſus fuiſſe. Sed hæc alias.

u Hunc Heſychium Acutheanus quidem & Ponzonianus Catalogi prætermittunt; Salonitanus vero refert ad initium quinti ſæculi, & copulavit cum ætate Zoſimi Papæ, cujus extat epiſtola ad Heſychium non hunc, qui quartus fuit hoc nomine, ſed ad alium ejuſdem nominis tertium Salonitanum Epiſcopum.

x Theodorico rebus humanis exempto anno 526, regnum in Gothis obtinuit Athalaricus Amalaſunthæ a Theodorico genitæ filius.

aa Is eſt Stephanus ille, ad quem Dionyſius cognomento Exiguus Canones Apoſtolicos & eccleſiaſticos ab ſe in unum volumen collectos, & latine redditos miſit. Hujus Pontificatus unius anni angustiis circumſcribitur.

bb Juſtinianus Juſtino avunculo in imperium ſucceſſit anno 527.

cc Athalaricus deceſſit anno Chriſti 534; cujus mater Amalaſuntha ſceptrum tranſtulit in Theodatum Amalafridæ Theodorici ſororis filium, qui feminam egregie de ſe meritam per ſummum ſcelus occidit. Hujus necis ulciſcendæ, & Italiæ recuperandæ cauſa, Juſtinianus Gotthis bellum intulit, quod Belliſario egregio Duci gerendum dedit, anno 535. Anno proximo, poſt Theodatum interfectum, Vitiges regnavit, quem Belliſarius apud Ravennam cæſum captumque Conſtantinopolim abduxit anno 540. Hidibaldus Rex a Gotthis creatus, ac poſt eum Evaricus; deinde Totilas is, qui Oſtroili frater fuiſſe dicitur, vir acer & prudens regni Gotthici potitus eſt anno 541.

dd Oſtroilum in acie cæſum ab exercitu Juſtiniani tradit Presbyter Diocleas. Oſtroilo Sevioladus, ſive Senuladus ortus, Sevioladi Selimirus, Selimiro Uladanus, quem Presbyter Diocleas, & Marcus Marulus, qui Diocleatis hiſtoriam e Slavo idiomate in latinum convertit, Bladinum vocant; ac cæteri deinceps, quorum ſeriem Diocleas contexuit. Cæterum Selimiri, & Bladini regnum pertinet ad Epiſcopos ætate inferiores Honorio III., ut Catalogus docet.

ee Schiſmatici dicti habitique ſunt, qui propter obſtinatam trium capitulorum defenſionem Synodum quintam impugnabant, & ab eccleſiæ Catholicæ comunione ſe ipſi ſegregaverant.

ff Auctor hujus Catalogi propterea regnum Totilæ finibus Italiæ circumſcripſit, quod Juſtinianus Dalmatiam ſaltem Occidentalem Gotthis ereripuerat, ut tradit Procopius.

gg Anno belli Gothici 18., Chriſti 552., Narſes in locum Belliſarii huic bello gerendo ſuffectus Totilam acie vicit, qui e prælio fugiens obtruncatus eſt. Poſt hunc Tejas Gotthis præfuit; quo haud multo poſt victo cæſoque, anno belli exeunte 18., Chriſti 553., cum Gotthis debellatum eſt.

hh Sevioladi, ſeu Senuladi Regnum Presbyter Diocleas uſque ad Poloniam extendit: quod ſi verum eſt, neceſſe eſt ad regnum Dalmaticum Sevioladi adjunctum fuiſſe regnum avitum Septemtrionale, quod obtinebat Senuladus pater Oſtroili, & avus Sevioladi, qui fortaſſe nullos ſeu liberos ſeu nepotes regni hæredes reliquit.

ii Juſtinianus poſt bellum Gothicum, non in Oriente ſolum, ſed etiam in Italia rerum potiebatur; quinimo Dalmatiam quoque ſaltem Occidentalem eo bello Gotthis ademerat. Itaque fallitur Diocleas, cum Senuladi regno, uſque ad Poloniam prolato, Dalmatiam totam attribuit: *Regni ejus fines*, inquit, *de Valdevino uſque ad Poloniam*. *Valdevinum* enim oppidum, ſeu locus erat prope ab Iſtria, unde initium ducebat Dalmatia inferior, ut colligitur ex eodem Diocleate, qui haud multo poſt deſcribit Regnum Dalmaticum Sfetopeleki, in duas partes diviſum; cujus altera Dalmatia inferior ideſt Occidentalis, ſeu *Croatia alba*, altera Dalmatia ſuperior ideſt Orientalis, ſeu *Croatia rubea* vocabatur. Huc revoca, quæ diximus part. 2. Proleg. cap. 4. §. 2. Sed auctor Catalogi Romani, quamvis ex Diocleate hos Reges Gotthos acceperit, eorum tamen regnum Dalmatiæ Orientalis, ſive ſuperioris finibus ſemper circumſcribit. Itaque ſi quod in Dalmatia fuit

Got-

Digitized by Google

Gothorum imperium, illud extrema Dalmatiæ ad Orientem regione coerceri oportet, qui ab Slavis Serbiis ſæculo ſeptimo Serbiæ nomen obtinuit. Illud hic animadverti velim Diocleatem hiſtoriæ, quam de Gothis Dalmatiam adeptis ſcripſit, idcirco titulum *de regno Slavorum* præpoſuiſſe, quia Gothos & Slavos unam eſſe eamdemque nationem exiſtimavit.

kk Hunc Presbyter Diocleas, itemque Marcus Marulus ejuſdem latinus Interpres Bladinum vocant. Sed Maurus Orbinus in ſua de regno Slavorum Hiſtoria Italica Uladanum appellat.

ll Bladino ſucceſſit Ratomirus Bladini filius, ut docet Anonymus Diocleas. Hunc ſilentio præteriit Auctor Catalogi, propterea fortaſſis, quod ejus regnum Chriſtianis maxime infeſtum admodum breve fuerit. Poſt Ratomirum quatuor deinceps Reges principatum in Dalmatia obtinuerunt, Chriſtianorum hoſtes acerbiſſimi, quorum nomina ignota ſunt. *Defuncto Ratomiro*, ait Presbyter, *ex ejus progenie regnaverunt poſt eum quatuor iniqui Reges, non in uno quidem tempore, ſed unus poſt alium temporibus ſuis, quorum temporibus ſemper in perſecutione fuerunt Chriſtiani* &c.

mm Is tantummodo electus fuit, ut conſtat ex epiſtola 46. S. Gregorii. Sed ne Pontificatus poſſeſſionem adiret, obſtitit Maximus, qui præpotentium virorum opibus & gratia fretus, non ſine ſuſpicione Simoniacæ impietatis ſedem Salonitanam invaſit.

nn De hoc Maximo plura addiſci poſſunt ex epiſtolis S. Gregorii Magni.

oo Heraclius, capto Phoca & interfecto, imperare cœpit anno Chriſti 610; imperium & vitam amiſit anno 641.

pp Is poſtremus fuit Epiſcopus Salonitanus, ſub cujus initium Salona a Barbaris capta & funditus everſa eſt. Huic tamen Theodoro cæteri Catalogi plures alios ante Salonitanum excidium Epiſcopos ſubjiciunt, partim e ſuperioribus, partim ex inferioribus ſæculis in hunc locum protruſos. Vide noſtras in eos animadverſiones. Annus urbis captæ fuit vel quadrageſimus, vel ſuperior, vel octavus & trigeſimus ſeptimi hujus ſæculi; id quod ſuo loco inveſtigandum erit.

qq Hunc Presbyter Zuonimirum, M. Marulus Sarimirum, Maurus Orbinus Svetmirum vocant.

Notæ in alteram partem Catalogi Romani.

a Is Ravenna oriundus fuit, qui cum apud Dalmatas legatione Apoſtolicæ fungeretur, unanimi conſenſu Cleri populique electus eſt primus Archiepiſcopus Spalatenſis, & ſedem Pontificiam Salonitanam in urbe recenter e Palatio Diocletiani conſtructa collocavit. De quo Archidiaconus in hiſt. Salonit. cap. 11. *Interea ſummus Pontifex* (is fuit S. Martinus) *miſit quendam Legatum, Joannem nomine, patria Ravennatem, qui partes Dalmatiæ & Croatiæ peragrando, ſalutaribus monitis Chriſticolas informaret. In eccleſia autem Salonitana a tempore ſubverſionis Præſul non fuerat ordinatus. Venerabiliter ergo Joannes cœpit Clerum & populum exhortari, ut Archiepiſcopatum civitatis juxta ſe inſtaurare deberent. Quod illis valde gratum extitit & acceptum. Tunc coadunato Clero, ut moris erat, electio in perſona prædicti Joannis concorditer ab omnibus celebrata eſt. Qui per Dominum Papam conſecratione ſuſcepta, tamquam bonus Paſtor ad proprias oves acceſſit, non animo cumulandi pecunias, cum eccleſia tunc eſſet pauperrima; ſed charitatis ſtudio de animarum ſalute lucrum ſpirituale quæreret, re ſatagebat. Ipſi conceſſum eſt a ſede Apoſtolica, ut totius dignitatis privilegium, quod Salona antiquitus obtinebat, obtineret eccleſia Spalatenſis.*

b In eo Codice Diocleatis, quem Hiſtoricus Dalmata ad ſuos de Regno Dalmatiæ & Croatiæ libros adjunxit, non Budimirus, ſed Svetopelech appellatur. At Marcus Marulus in ſuo codice, quem in latinum tranſtulit, ſcriptum reperit Budimirum. Si vera ſint, quæ Diocleas ſcripſit de Concilio Delmitano, de Rege Svetopelech, ſeu Budimiro, Conſtantini Theſſalonicenſis, qui poſtea dictus eſt Cyrillus, & characteres Slavonicos invenit, viri ſanctiſſimi opera & cohortatione ad Chriſtianam religionem converſo, de Legatis Michaelis Imperatoris Conſtantinopolitani ad eumdem Regem miſſis, ut Synodo Delmitanæ intereſſent; hæc neque cum Joannis I. Spalatenſis Archiepiſcopi ætate, neque cum ſæculo ſeptimo congruere poſſunt. Nam Svetopelech ille, qui aliter Budimirus, aliter ab aliis appellatur, ſi æqualis fuit Conſtantino ſeu Cyrillo Slavorum Apoſtolo, per quem ad Chriſti cultum traductus eſſe dicitur, non floruit ante ſæculum nonum; Conſtantinus quippe, ſive Cyrillus Slavorum converſioni operam dedit, Nicolao primo Pontifice Maximo, qui anno 858. Pontificatum iniit, ut docent Acta Cyrilliana apud Hagiologos Antuerpienſis tomo 2. die IX. Martii. Nullus vero, cui nomen fuerit Michaeli, ante idem ſæculum nonum imperio potitus eſt. Huc revoca, quæ dicta ſunt parte ſecunda Prolegomenon cap. 4. §. 2. Quare auctor Catalogi Romani Budimirum, ſeu Svetopelech male conjunxit cum Pontificatu Joannis I. Archiepiſcopi Spalatenſis. Erravit igitur is auctor, omninoque in hoc omnis eſt error, quod Reges ipſos novem Oſtroilo fratri Totilæ, cujus ætas dimoveri nequit a ſæculo ſexto, & Svetopelech, cujus regnum incidit in ſæculum nonum, interjectos in angustias unius ſæculi conjecit. Itaque ſeries illa novem Regum ab Oſtroilo ad Svetopelech per annos circiter ducentos diſtribuenda eſt, & uſque ad ſæculum nonum fere dimidium perducenda. Quos ergo Reges hic auctor Epiſcopis Salonitanis æquales fecit, eorum tempora aptius diſtribue, & partim Salonitanis, partim Spalatenſibus Epiſcopis adſcribe; & Selimirum ſeu Zuonimirum, Budimirum ſeu Svetopelech, quos Joanni primo Spalatenſium Antiſtiti apposuit, eos refer ad ſæculum nonum, & cum Epiſcopis Spalatenſibus ejuſdem ſæculi conjungas oportet; id quod deinceps de aliis, qui ſequuntur, regibus in ætates poſteriores rejiciendis admonebimus.

c Hic incipit ſeries Ducum ac deinde Regum Chrobatiæ. Nam poſt Salonam exciſam Dalmatiamque mediterraneam fere omnem occupatam a barbaris, quos Abares vocat Conſtantinus Porphyrogenitus, Chrobatæ gens Slavonica, permiſſu Heraclii Imperatoris, eam Dalmatiæ partem, expulſis Abaribus, adepti ſunt, quæ ad Occaſum vergit, exceptis urbibus maritimis, quas in ſua ditione ac poteſtate retinuerunt Imperatores Conſtantinopolitani. Huic regioni deinde ab novis incolis Chrobatiæ nomen obvenit. Vide quæ ſcripſimus parte 1. Proleg. cap. 4. §. 2.

d Primum Chrobatiæ Ducem fuiſſe Corbatum neſcio quem docet Catalogus Romanus; unde id acceperit, mihi non eſt compertum. Conſtantinus Porphyrogenitus Porinum vocat Ducem illum Chrobatiæ, quo imperante Chrobatæ

Sacerdotibus ex urbe accerſitis, & a Romano Pontifice acceptis, per quos Chriſtianis myſteriis ac præceptis imbuerentur, Chriſto nomen dederunt; id quod accidiſſe potuit, cum Joannes Ravennas Apoſtolicæ apud Dalmatas legationis munus gerebat, revocarique ad tempora Heraclii, non ſenioris, quod ſignificare videtur Conſtantinus, ſed Heraclii tertii, qui dictus eſt Conſtans II., & ab anno 642. ad annum 668. imperavit; niſi baptiſmum Chrobatorum referri libeat, cum Hiſtorico Dalmata, ad Heraclium VI., quem vulgo appellant Juſtinianum II., cognomento Rhinotmetum.

e Hunc Martinum IV. ac cæteros deinceps uſque ad Theodorum IV. a poſterioribus ad ſuperiores ætates ab eccleſia Spalatenſi ad Salonitanam transferunt cæteri Catalogi.

f Hos Serviæ, ſeu Dalmatiæ Orientalis Reges, quos Presbyter Diocleas percenſet, ſi qui fuerunt, rejicias oportet ad poſteriores ætates, & ſic reliquos deinceps, ut ſupra diximus nota b. Sed Conſtantinus Porphyrogenitus lib. de Adminiſtr. Imper. cap. 32. longe alios Serbliæ Principes ſeu Reges commemorat, & initium Serbliani apud Dalmatas Orientales Principatus repetit ab Heraclio I. ad quem poſt Chrobatos Serbli, gens itidem Slavonica, oriundi profectique ab Septemtrionali ultra Danubium regione, poſt Salonam exciſam ſupplices confugerant, ut agros ſibi, quos incolerent, & terras, in quibus rerum ſuarum ſedes & domicilia conſtituerent, intra fines imperii Romani concederet. Eorum poſtulatis morem geſſit Heraclius, & partem illam Dalmatiæ, quæ ultra Tilurum, ſive Zetinam fluvium in Solem orientem ſpectat, iiſdem aſſignavit, ſub ea conditione, ut vectigales eſſent ſubjectique Imperatoribus Romanorum. Ea regio deinde denominata eſt Serblia, & quatuor in partes diviſa, quarum primam Paganiam, ſive Arentam, alteram Zachlumiam, tertiam Terbuniam, quartam Diocleam appellarunt. Deinde vero ultra Drilonem, & Scardum montem Serbliani nominis & regni finibus in Orientem prolatis, Mæſiam ſuperiorem occuparunt, quæ nomen Serbliæ inde uſque a ſeptimo ſæculo ſuſceptum etiamnum retinet. Idem Conſtantinus Serblorum Principes ſeu Reges enumerat, eorumque ſeriem uſque ad ſæculum decimum perducit, quos, per me licet, vel præferas, vel componas cum Regibus illis Serbliæ ſeu Dalmatiæ Orientalis, qui a Presbytero Diocleate percenſentur. Ac primus quidem, quem cum ſuis popularibus ad ſe venientem Heraclius excepit, & agris ac ſedibus in Dalmatia Orientali donavit, itemque ejus filius, ac nepos, carent nomine apud eumdem Porphyrogenitum: *Serbliorum Principe, qui ad Imperatorem confugerat, vita functo, filius ejus ſucceſſit, mox nepos, & ſic omnes, qui ab eo deſcenderunt.* Quartus vero, qui Principatum in Serblis obtinuit, *Boiſeſthlabus, a quo Rodoſthlabus, a quo Proſegoes, a quo Blaſtemerus.* Huic tres liberi fuerunt *Montimerus, Stroemerus*, & *Goinicus*, qui Serbliæ regnum tripartito diviſum a patre acceperunt. Sed latius imperandi cupido fratres in mutuam perniciem armavit. Montimerus natu maximus, utroque fratre depulſo, & in Bulgariam ablegato, ſolus Principatum obtinuit, & cum tres filios ſuſcepiſſet, Pribeſthlabum, Branum, & Stephanum, primum natuque majorem regni hæredem reliquit. At Petrus Goinici in Bulgaria exulis filius Pribeſthlabum patruelem cum duobus ejus fratribus victum in Chrobatiam fugere coegit, & rerum potitus eſt. Hunc Petrum Serbliæ Regem Porphyrogenitus æqualem fecit Leoni VI., qui cognomento Sapiens dictus eſt, imperiumque Orientale adminiſtravit uſque ad annum 911. Paullus filius Brani, Simeonis Bulgariæ regis copiis adjutus, Petro victo expulſoque, Serbliæ regnum eripuit. Hunc triennio poſt principatu dejecit Romanus Lecapenus Imperator, qui ab Conſtantino VIII. in ſocietatem imperii adſcitus, æquo ac pari jure cum eo regnavit uſque ad annum 944, & in locum Paulli ſubſtituit Zachariam filium Pribeſthlabi, quem Petrus regno expulerat. Poſt Zachariam a Bulgaris victum, & ad Chrobatos ex fuga ſe recipere coactum, regnavit in Serblia Tzeeſthlabus filius Clonimeri, quem ex uxore Bulgara genuerat Stroemerus, frater Montimeri, cum apud Bulgaros exulabat. Hos Serbliæ Reges ex Porphyrogenito deſcriptos, vel in locum illorum ſubſtitue, quorum genealogicam ſeriem Presbyter Diocleas contexuit, vel cum illis aliquo modo compone; ſive iidem fuerint ac binomines, ſive diſtincti, & alteri quidem in una, alteri in altera Serbliæ parte regnum obtinuerint.

g Inter hos anonymos Duces Chrobatiæ annumerandum cenſeo Porgam, quem Porphyrogenitus Porini filium vocat; iſque uſque ad finem ſæculi ſeptimi Chrobatis præfuiſſe potuit. Cæteros vero huic & Bornæ interjectos uſque ad initium noni ſæculi, vetuſtas obruit, ac oblivio poſteriorum cognitioni præripuit.

gh Carolus Magnus Rex Franciæ primus e gente Francorum imperium Occidentis obtinuit anno 800; qui cum partem Dalmatiæ ad ſuam ditionem adjunxerit, ſuiſque poſteris ac ſucceſſoribus tradiderit; deinceps in Catalogo Epiſcopis Spalatenſibus adjiciuntur nomina Imperatorum e ſtirpe Caroli Magni, qui rerum in aliqua Dalmatiæ regione potiebantur.

h Referendi ſunt, ut diximus, ad Epiſcopos ætate inferiores.

i In antiquis tabulis ac Diplomatis Borna Dux Dalmatiæ, ſcilicet Occidentalis, & Liburniæ appellabatur; traditurque is quidem anno Chriſti 818., Ladasclavus vero anno 821. Chrobatis præfuiſſe, & huic ſuffectus eſſe Mislaus.

k Tirpimirus principatum obtinebat in Chrobatis an. 838., ut conſtat ex ejus Diplomate; hunc Trepemerem vocat Porphyrogenitus; ſed Archidiaconus Tirpimirum in proximum ſæculum rejecit.

l Huic Epochæ Pontificatum Juſtini affixit Archidiaconus.

m *Poſt hæc* (ideſt poſt captum ab Hungaris interfectumque Ciaslaum Regem Serbliæ) *remanſit terra ſine Rege; & Bani cæperunt dominari terram ſuam, unuſquiſque ſuper Provincias & regiones* &c. Presbyter Diocleas.

n Diodurum & Unuſclavum apud Slavos Chrobatos uſque ad annum 864. imperaſſe Dandulus tradit in Annalibus. At Porphyrogenitus Terpemeri ſubjecit Craſemerem, ac deinde ejuſdem filium Myroſthlabum, hunc vero a Pribunia Bano interfectum fuiſſe ſcripſit. Sed hi duo ad poſteriores ætates referendi ſunt.

o His adde Duces Chrobatorum in Catalogo prætermiſſos, Diodurum, & Unusclavum, ac præterea Dominicum, vel Demogoy, & Inicum; quos quidem duos Dioduri ſucceſſores Hiſtorici Venetorum cum ætate Urſi primi Participatii,

ſive

Digitized by Google

ſive Baduarii conjungunt, qui inter annos 864, & 881, Venetum Principatum geſſit. Adde etiam Sebosclavum, ſive Sedesclavum, qui ejectis filiis Dominici, ſive Demogoii, apud Chrobatos rerum potiebatur anno circiter 870; eoque interfecto, Branimirum, quem Ducem & Comitem Dandulus vocat, & Joannes Papa VIII. in ſuis ad eum epiſtolis Ducem Croatorum appellat. Hunc itidem Thomas Archidiaconus Ducis Slavoniæ titulo impertiit, eumque refert ad tempora Caroli Craſſi, qui anno 879. regnabat, & anno 881. Imperatoris nomen & inſignia ſumpſit.

p Hunc Michaelem Ducem itidem Slavorum, ſive Chrobatorum memorant Veneti Scriptores, revocantque ejus tempora ad Principatum Urſi ſecundi Baduarii inter annos 912, & 932. Fortaſſe is Michael idem eſt, ac Myroſthlabus, cujus meminit Porphyrogenitus, eumque interfectum tradit a Pribunia Bano. Sed huic Michaeli, ſeu Myroſthlabo, duos præferri oportet Branimiro, & Michaeli interjectos, Brazlavum ex Annalibus Fuldenſibus ad an. 884, & 892, quamvis hujus Principatus Dravo & Savo definitus, in Dalmatiam fortaſſe non extenderetur; & Mucimirum, Tirpimiri filium, ut ex ejuſdem Diplomate apparet, quod confectum eſt an. 892.

q Adde Imperatores Occidentis Arnulphum & Ludovicum IV.

r Nec ſolum Michaeli præponendus eſt Mucimirus, ſed etiam Tamislavus, qui apud Chrobatos imperabat anno 914, ut docet Archidiaconus cap. 13., cum Joannes VII., qui proxime ſequitur, eccleſiam Spalatenſem adminiſtrabat. Quare principatus Michaelis rejiciendus eſt ad proximum Pontificatum Joannis VIII.

s Poſt Tiſcimirum alios atque alios deinceps Reges in Serbia dominatos eſſe docet Presbyter Diocleas, quos auctor hujus Catalogi nominare omiſit; neque tanti nobis eſt Diocleatis auctoritas, ut eos Epiſcopis, qui ſequuntur, apponendos eſſe cenſeamus.

t Michaelis Chrobaticus Principatus optime congruit cum Pontificatu Spalatenſi Joannis VIII. Vide Notas ſuperiores p & r.

u Auctor eſt Dandulus Tirpimirum per ea tempora Slavis Chrobatis præfuiſſe; quod ſi verum eſt, hunc hujus nominis ſecundum fuiſſe oportet, annorum fere centum intervallo a Tirpimiro primo disjunctum. Huic duos filios idem Dandulus tradit, Muntimirum, quem alii Mucimirum II. vocant, & Suriguram; qui poſt obitum parentis cum de principatu Chrobatico inter ſe dimicarent, Mucimirus victo fratre paternam hæreditatem adiit.

x Thomas Archidiaconus docet neminem Ducum Chrobatiæ Regis titulum uſurpaſſe ante Dircislavum, qui decimo ſæculo floruit. Sed in archivo Monachorum S. Chryſogoni Jadrenſis extat Diploma, in quo Creſimirus primus *major* dictus, & proavus Creſimiri tertii, regio nomine donatur. Vereor autem, ut Creſimirus primus ſive Dux, ſive Rex cum Joannis VIII. Pontificatu Spalatenſi componi poſſit, & huic præponendum cenſeo Mucimirum II. filium Tirpimiri ſecundi, ſi vera ſunt, quæ Dandulus ſcripſit.

aa Creſimirus Senior, & proavus Creſimiri tertii, cui Petro etiam nomen fuit, non incommode aptari poteſt hiſce temporibus, & cum Pontificatu Fruntiniani IV. ætate conjungi.

bb De hoc Martino IV. Archiepiſcopo Spalatenſi Thomas Archidiaconus hæc ſcripſit cap. 13. *Martinus Archiepiſcopus fuit anno Domini 970, tempore Theodoſii Imperatoris, & Dircislavi Regis.* In locum Theodoſii huc perperam intruſi, ſubſtitue Joannem Zemiſcem.

cc Imperatores Occidentis deinceps prætermittuntur, quod illis nihil juris eſſet in Dalmatia.

dd Creſimirus Major duos habuit filios, ut docet Hiſtoricus Dalmata, Creſimirum, & Dircislavum. Is ætate poſterior, Creſimiro fratri natu maximo, Regnum præripuit, primuſque omnium fuit, qui poſthabito Ducis titulo, Regis nomen aſſumpſit, & poſteris ſuis ac ſucceſſoribus tradidit, qui non ſolum Chrobatiæ, ſed etiam Dalmatiæ Reges ſe haberi ac dici volebant. Id docet Archidiaconus cap. 13. qui eorumdem Regni fines deſcripſit. *Ab iſto Dircislavo cæteri ſucceſſoret ejus Reges Dalmatiæ & Croatiæ appellati ſunt; recipiebant enim dignitatis inſignia ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis, & dicebantur eorum Eparchi, ſive Patritii. Habebant namque ex ſucceſſione ſuæ originis Patrum & Progvorum dominium Regni Dalmatiæ & Croatiæ. Iſtaque fuerunt Regni eorum confinia, ab Oriente Delmina, ubi fuit civitas Delmis ... Ab Occidente Carinthia verſus mare uſque ad oppidum Stridonis, quod nunc eſt confinium Dalmatiæ & Iſtriæ; ab Aquilone vero a Ripa Danubii uſque ad mare Dalmaticum, cum tota Maronia & Chulmiæ Ducatu.* Anno igitur Chriſti 970, ut tradit Archidiaconus, regnum in Chrobatis obtinebat Dircislavus; atque ut Martinus Pontificatum, ſic Dircislavus regnum cum vita perduxit uſque ad initium ſæculi undecimi; uterque enim nominatur in tabulis fundationis templi S. Michaelis, prope Amphitheatrum Salonæ conſtructi anno 1000.

ee De hoc Thomas Archidiaconus: *Petrus Archiepiſcopus fuit anno Domini milleſimo quinto decimo, tempore Baſilii & Conſtantini Imperatorum, & Creſcimiri eorum Patritii & Regis Croatorum;* quo in loco Archidiaconus annum deſignavit, ad quem uſque Petrus vitam & Pontificatum perduxit.

ff Is fuit filius Creſimiri Senioris, qui Dircislavo e vivis exempto regnum hæreditario jure ſibi debitum adeptus eſt, iſque regnabat anno 1015, ut tradit Archidiaconus.

gg Petrus II. Urſeolus, qui ab anno 990. uſque ad initium ſæculi undecimi principatum in Venetis obtinuit, primus omnium fines ditionemque imperii Veneti in Dalmatiam exeunte ſeculo decimo protulit. Exinde Spalatenſibus Archiepiſcopis Principes Veneti adjunguntur, quorum deinceps jus imperiumque Dalmaticum modo latioribus, modo anguſtioribus finibus pro temporum & rerum converſione ac varietate circumſcriptum eſt.

gh Drabalis initia etiam Archidiaconus refert ad annum 1030.

hh Is Stephanus fuit filius Creſimiri II., ut conſtat e Diplomate ſupra laudato Cœnobii Jadrenſis Monachorum Benedictinorum S. Chryſogoni, ubi Creſimirus III. Stephanum patrem, Creſimirum avum ſuum appellat.

ii Hunc a cæteris Catalogis prætermiſſum fuiſſe docet Membrana antiqua Cœnobii Spalatenſium Virginum S. Raynerii titulo inſignis; quam vide in Notis ad Catalogum Acutheanum ſub Drabali Archiepiſcopo. Is autem cum eccleſiæ Spalatenſi præfuiſſe anno 1040. dicatur in eadem membrana, annos amplius decem Drabali, ob ejus depravatos mores auctoritate Apoſtolica Epiſcopali regimine amoto, detrahas, & Lampridio attribuas oportet.

Digitized by Google

kk Is fuit Creſimirus tertius, dictus etiam Petrus, filius Stephani, nepos Creſimiri II. pronepos Creſimiri *Senioris* ſeu *Majoris*, ut teſtatur Diploma Jadrenſe ſupra dictum S. Chryſogoni, quod datum eſt anno 1067. vel 1069. Is autem Stephano parenti videtur ſuffectus eſſe anno circiter 1060. eumque regnaſſe uſque ad an. 1073. intelligi poteſt ex Diplomate Cœnobii ſacrarum Virginum S. Mariæ Jadrenſis eodem anno ſcriptum.

ll De Laurentio multa & præclara Archidiaconus cap. XVI. quem annos fere quadraginta Pontificatum geſſiſſe teſtatur.

mm Slavizum Creſimiro ſecundo in Regnum Dalmatiæ, & Chrobatiæ ſucceſſiſſe poſt annum 1073. docet Tabula Capituli Spalatenſis: *Attigit eo tempore venire in noſtris partibus Slavizo Rex &c.* Sed breve admodum ejus regnum fuit; nam anno 1075. captum fuiſſe ac regno depulſum colligi videtur poſſe ex Autographo Archivii Monialium Ss. Coſmæ & Damiani: *In anno* 1075. *ab Incarnat. D. N. J. C. menſe Novembris, & tempeſtate, qua Comes Amicus Regem Croatiæ cepit &c.* Eodem vero anno regni potitum eſſe Svinimirum, quem alii Zuonimirum vocant, ſeque ipſe in ſuis Privilegiis Demetrium appellat, ſatis declarat alterum Autographum ejuſdem Archivii. Præterea Svinimirus in Synodo Dalmatica habita anno 1076. Regis nomen & inſignia accepit a Legatis Gregorii VII. Pontificis Maximi, idque in ſuo ipſemet Diplomate perſpicue teſtatur: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Anno Dominicæ Incarnationis* 1076. *Indict.* 14. *menſis Octob. Ego Demetrius, qui & Svinimir nuncupor, D. G. Croatiæ Dalmatiæque Dux a te Domino Gebizone, ex Apoſtolicæ ſedis Legatione D. N. PP. Gregorii poteſtatem obtinente, in Salonitana Baſilica S. Petri, Synodali & concordi totius Cleri, & populi electione, de Croatorum, Dalmatinorumque Regni regimine per vexillum, enſem, ſceptrum & coronam inveſtitus &c.* Svinimirum regnaſſe uſque ad annum 1087. docet ejuſdem Privilegium eodem anno conceſſum *Eccleſiæ monialium S. Mariæ de Jadra*. Demetrium ſeu Svinimirum poſtremum Chrobatorum Regem fuiſſe ſcripſit Archidiaconus; ſed poſt Svinimirum regnaſſe apud Chrobatos Stephanum hujus nominis ſecundum, ſive is frater Svinimiri, ſive aliunde genitus fuerit, aperte declarat Diploma Stephani Regis, quo confirmat & ratum haberi jubet quidquid prædiorum Svinimirus *nuper defunctus* Cœnobio Spalatenſi Virginum ex inſtituto S. Benedicti large liberaliterque donaverat: *In Chriſti nomine Stephanus ego nutu Dei Croatorum, & Dalmatinorum Rex &c.* Et quamvis huic Diplomati nulla inſit nota Chronologica, unde dignoſci poſſit annus, quo datum fuerit, tamen cum mentio facta fuerit Svinimiri paullo ante defuncti, confectum fuerit oportet, poſtquam Svinimirus Regno ac vita deceſſerat; ac proinde non hunc, ſed Stephanum poſtremum fuiſſe Regem Chrobatiæ; & hujus interitu Regnum Chrobaticum extinctum eſſe, niſi forte Stephano ſubſtituere in regnum Chrobatorum libeat Petrum neſcio quem, Thaurocio, & Dandulo auctoribus, qui Petrum Regem Dalmatiæ vocant, eumque ineunte ſæculo duodecimo a Colomano Hungariæ Rege interfectum eſſe affirmant. Itaque poſt obitum Stephani, cum magnæ acerrimæque contentiones de Regno exortæ inter Proceres Primoreſque Chrobatorum, ex his quidam, ut tradit Archidiaconus, Uladislavum, ſive Ladislavum Regem Hungariæ ad Chrobatiam occupandam adſcivit; qui cum exercitu Alpes tranſgreſſus, aliquot ejus regionis oppida cepit, maritimis urbibus locisque intactis; nam cum ei nunciatum eſſet Hungariam ab Scythis ferro & igne vaſtari, neceſſe habuit diſcedere, ſuaſque omnes copias ac vires ad Regnum avitum tuendum, barbaroſque propulſandos convertere ac reducere. Ladislavo intra finem undecimi ſæculi rebus humanis exempto, Colomanus ſucceſſit, qui Chrobatici regni potiundi ſtimulante cupidine, exercitum in Dalmatiam traduxit, & vi aut ditione Chrobatorum urbes in ſuam poteſtatem redegit ſæculo duodecimo ineunte, inſulis & pleriſque maritimis locis in fide ac ditione Venetorum manentibus, qui deinde pro retinenda, vel recuperanda Dalmatiæ poſſeſſione, multa & gravia bella cum Hungaris geſſerunt. Cæterum cum Hungari partem aliquam Dalmatiæ occupaſſent, regiumque Dalmatiæ titulum uſurparent, Auctor Romani Catalogi præter Duces Venetorum antiquiores Dalmatiæ poſſeſſores, nomina Regum Hungariæ ad ſingulos Salonitanos Epiſcopos deinceps adjungit. Sed antequam ultra progrediar, facturum me operæ pretium duxi, ſi Ducum & Regum Chrobatiæ ſeriem ſucceſſionemque univerſam ex antiquis monumentis, optimiſque ſcriptoribus collectam hoc loco Lectorum oculis ſubjicerem.

Series Ducum & Regum Chrobatiæ.

I. Porinus Dux Chrobatiæ an. circ. 641.) Ex Porphyr.
II. Porga filius Porini an. circ. 690.) rogenito.

. . . . . .

. . . . . .

III. Borna an. circ. 818.) Ex annalibus Fran-
IV. Ladasclavus an. circ. 821.) corum
V. Miſlavus an. circ. 822. ex diplomate Tirpimiri.
VI. Tirpimirus ſeu Terpemere an. 838. Ex Porphyr. & Diplomate ejuſdem Tirpimiri.
VII. Diodurus & Unuſclavus uſq. ad an. 864. ex Annal. Danduli.
VIII. Dominicus vel Demogoy & Inicus poſt annum 864. Ex Hiſtoricis Venetis.
IX. Sedeſclavus an. circ. 870. Ex Dandulo.
X. Branimirus regnabat annis 879. & 881. ex Archidiacono & litteris Joannis Pp. VIII.
XI. Mucimirus filius Tirpimiri an. 892. ex ejuſdem Diplomate.
XII. Tamislavus anno circiter 914. Ex Archidiacono.
XIII. Michael anno circiter 920. Ex Hiſtoricis Venetis; idem fortaſſe ac Myroſthlabus Porphyrogeniti.
XIV. Tirpimirus II.) Ex Dandulo
XV. Mucimirus II.)
XVI. Creſimirus Senior ſeu Major. Ex Diplomate Creſimiri III. Hactenus Duces.
XVII. Dircislavus primus Rex Chrobatiæ ab anno circ. 970. ulque ad finem ſæculi decimi. Ex Archidiac. & Tabulis Fundat. Templi S. Michaelis apud Salonam.
XVIII. Creſimirus II. Patritius Rex Chrobatorum, & frater Dircislavi anno circ. 1015. Ex Archidiac. & Diplomate Creſimiri III.
XIX. Stephanus Rex Chrobat. anno circit. 1050. Ex Diplomate Creſimiri III.
XX. Creſimirus III. dictus etiam Petrus filius Stephani, nepos Creſimiri II. pronepos Creſimiri Senioris ab an. circ. 1060. ſaltem uſque ad annum 1073. Ex Diplomate ejuſdem Creſimi-

Digitized by Google

fimist, & Privilegio Cœnobii S. Mariæ Jedrenſis.

XXI. Slavizus Rex Chrobat. an. circiter 1073. Ex Tab. Capit. Spalatenſis.

XXII. Svinimir ſeu Demetrius ab an. 1075. ſaltem uſque ad an. 1087. Ex Autographo Cœnobii SS. Coſmæ & Damiani, & duplici Diplomate ejuſdem Svinimiri.

XXIII. Stephanus II. Rex Chrobat. an. circiter 1090. Ex Diplomate ejuſdem Stephani; is fuit poſtremus Regum Chrobat.; niſi huic alium, cui nomen Petro fuerit, ex Thaurocio & Dandulo adjicere libeat, cui Colomanus Rex Hungariæ ſæculo duodecimo ineunte vitam & regnum eripuerit.

Hæc ſeries Ducum & Regum Chrobatiæ ſuo loco ac tempore ad criſim accuratius revocanda erit, explicanda, & illuſtranda.

nn *Gaudius ordinatus fuit anno Domini* 1136. *vixit autem in Pontificatus culmine fere annis* 40. Archidiac. cap. XIX. Huic tamen detrahe annos Pontificatus fere 29. quos Epiſcopali quidem charactere inſignitus, ſed in vita privata exegit.

oo Abſalon Gaudio adhuc viventi, cum is ſive ob cenſuram Pontificiam, ſive ob incommodam afflictamque valetudinem Pontificalia munia obire non liceret, ſuffectus eſt.

pp *Abſalone defuncto, tertius quoque*, (ideſt dum adhuc Gaudius viveret) *ſubſtitutus eſt Petrus Lombardus &c.* Archidiac. cap. XIX.

qq Is Legatione Pontificia apud Dalmatas fungebatur, cum a Clero populoque Spalatenſi electus eſt. Sed jure electionis ſponte ceſſit. Archidiac. cap. XX.

rr *Eo tempore*, (ideſt cum Gerardus Pontificatum gereret) *Spalatenſes, & tota pene Dalmatia ſubjecerunt ſe Conſtantinopolitano Imperio.* Archidiac. cap. XX. *Obiit Venerabilis Raynerius II. Nonas Auguſti anno* 1180. Idem Archidiac. cap. XXII. de S. Raynerio Martyre, & ſucceſſore Gerardi.

ſſ Is fuit natione Hungarus. Poſt mortem Emanuelis Imperatoris Spalatenſes ad ditionem Hungarorum redierunt. Archidiac. cap. XXIII. Huic idem Archidiaconus duos tantum annos tribuit, & translatum fuiſſe tradit ad Epiſcopatum Colocenſem; ibidem.

tt Bernardum ab Innocentio III. conſecratum fuiſſe anno 1200. ſcripſit Archidiaconus c. XXIV.

uu Per hæc tempora, Conſtantinopoli capta, Imperium Orientale ad Latinos translatum eſt.

xx Thomas Archidiaconus Guncello Archiepiſcopo annos duos & viginti attribuit. c. XLI.

aaa Quippe Innocentius IV. an. 1243. Pontificatum adeptus, electionem Stephani ratam non habuit. Archidiac. cap. XLV.

bbb Hæc fuſe narrat ipſemet Thomas cap. XLV.

ccc Hunc aliquot annis, poſtquam electus fuit, conſecratus eſt an. 1247.

ddd Rogerio Archiep. Spalatenſi annos duodeviginti adſcripſit Thomas Archidiaconus; *obiit autem* XVIII. *Kal. Madii A. D.* MCCLXVI. Cap. LI.

eee Anno Chriſti 1261. Latinis Conſtantinopoli expulſis, Imperium Orientale ad Græcos rediit.

fff Franciſcus Maripetrus Pontificatum Spalatenſem ſuſcepit an. 1427. ut docet inſcriptio in Æde Cathedrali Spalatenſi apud Aram S. Domnii, & anno proximo translatus eſt ad Eccleſiam Caſtellanam.

ggg Bartholomæi Archiepiſcopi Spalatenſis initium revocandum ad annum 1428.

hhh Anno 1463. capta Conſtantinopoli, Imperium Orientale translatum eſt ad Turcas, qui alias atque alias Europæ provincias ſubigendo, partem quoque Dalmatiæ in ſuam poteſtatem redegerunt. Exinde Archiepiſcopis Spalatenſibus apponuntur etiam Imperatores Turcarum.

§. VII.

De Fragmentis quibuſdam Catalogi Pontificalis Salonitani.

QUatuor modo expoſitis & illuſtratis Antiſtitum ſeu Salonenſium, ſeu Spalatenſium Catalogis, numero completis integriſque, eria eorumdem fragmenta ſubjicimus; primum ex Hiſtoria Salonitana typis Amſteſodamenſibus impreſſa; alterum ex tabulario cœnobii Spalatenſis ſacrarum Virginum Ordinis Benedictini ſub titulo & clientela S. Raynerii; tertium denique ex collectaneis Manuſcriptis Simonis Bongnii Epiſcopi Modruſienſis viri doctiſſimi deſumptum. In his plerique deſiderantur Epiſcopi; in aliis plurium, in aliis pauciorum nomina deſcripta invenies. Prioris auctor eſt Thomas Archidiaconus, qui e Salonitanis quidem non amplius quatuor nominat; Spalatenſium vero ſeriem, quamvis identidem interruptam, ad ſua tamen tempora, atque ad Rogerium uſque, decimi tertii ſæculi Epiſcopum, perducit. Secundum pauciſſimos habet, ex variis ætatibus decerptos, nullaque ſucceſſionis continuatione inter ſe conjunctos. Tertium magna ex parte deſcriptum eſſe apparet ex Hiſtoria Salonitana majori, cujus exemplum extat in Archivo Sacr. Congreg. de Propaganda fide; cui præpoſitus eſt Catalogus omnium Antiſtitum Salonitanæ & Spalatenſis eccleſiæ plenus & abſolutus, quem priori loco deſcripſimus. Hoc quidem Pontificum numero cæteris longe præſtat, initioque ducto a prioribus duodecim Salonitanis Epiſcopis, ſed intermedios & Amabili Glycerioque interjectos prætermittens, non ultra ſæculum duodecimum & Petrum Chitelen Hungarum, in quem definit illud exemplar, progreditur. Hæc tria fragmenta id commodi potiſſimum præſtant, quod pleriſque Epiſcopis notas chronologicas adjiciunt, ex quibus ætas illorum dignoſci poteſt; quæ quidem notæ, cum plerumque cum ſuperioribus Catalogis cohæreant, iiſdem fidem & auctoritatem adjungunt; ſicubi vero vel inter ſe, vel ab illis diſcrepent, in Notis ſubjectis lectorem nunc admonere ſatis fuerit; cum vero ſingulorum Antiſtitum Acta explicanda erunt, tunc epochas inter ſe contrarias diligenter expendere, & aliarum cum aliis comparatione inſtituta, quæ cuique anteponenda ſit, videre ac judicare oportebit.

Tria Fragmenta Catalogi Pontificalis Salonitani

quid commodi præſtent.

FRAGMENTUM PRIMUM,

Ex Hiſtoria Salonitana Thomæ Archidiaconi impreſſa Amſtelodami anno 1668.

D*Omnius natione Syrus, patria Antiochenus; Cap.* III.

Plures Præſules ſeriatim poſt S. Domnium ſucceſſerunt 2. *Cap.* V.

Glicerius ex Imperatore, Epiſcopus Salonitanus. Cap. V.

Natalis Salonæ indigena. Cap. V.

Ma-

Digitized by Google

Maximus Schiſmaticus. Cap. VI.

Joannes Ravennas, qui ſedem Spalatum tranſtulit. XI. & XII.

b *Juſtinus An. D.* DCCCXL. b *Cap.* XIII.

c d *Marinus tempore* c *Caroli Regis*, & d *Branimiri Ducis Sclavoniæ. Cap.* XIII.

e f *Joannes An. Do.* e CMXIV. *tempore Tamislai* f *Ducis. Cap.* XIII.

g h i *Martinus An. D.* g CMLXX. *tempore Theodoſii* h *Imperatoris*, & i *Dircislavi Regis, Spalatenſis natione. Cap.* XIII.

k *Petrus A. D.* k MXV. *tempore Baſilii & Conſtantini Imperatorum* CP. *& Creſcimiri Regis Croatarum, filius Præſtantii Rectoris civitatis. Cap.* XIV.

Paulus temporibus prædictorum Principum. Cap. XIV.

l *Dabralis Paulo mortuo ſubſtitutus* l *A. D.* MXXX. *temporibus Principum prædictorum, poſtea exauctoratus. Cap.* XIV.

m *Joannes* m *ſedit poſt Dabralem; poſtea præſenectute ſponte ceſſit. Fuit Spalatenſis. Cap.* XV.

n *Laurentius ex Epiſcopo Abſarenſi an.* 1060. *Archiep. Spalaten. Præfuit annis circiter* XL. *Cap.* XVI.

Creſcentius natione Romanus a Papa ad petitionem Spalatenſium electus: pacem obtinuit civitati a Calomano Rege. Cap. XVI. & XVII.

Manaſſes de Curia Calomani Regis, qui conatus prodere civitatem, fugit, numquam reverſurus. Cap. XVIII.

Vacat ſedes pluribus annis. Cap. XVIII.

Gregorius Clericus Jadrenſis, antequam munus conſecrationis ſuſcepiſſet, morte præventus. C. XIX.

Gaudius natione Spalatenſis filius Cocini ex Plebano S. Anaſtaſii ordinatus anno Dom. MCXXXVI. *vixit in Pontificatu annis fere* XL. o *poſtea exauctoratus. Cap.* XIX.

Abſalon creatus adhuc vivente Gaudio. Cap. XIX.

Petrus Lombardus, defuncto Abſalone, & adhuc vivente Gaudio conſecratus. Fuit primo Epiſcopus Narnienſis. Mortuus in Hungaria, ſepultuſque in eccleſia S. Mariæ in Alba, ubi in magna veneratione ejus tumulus habebatur. Cap. XIX.

Vacat aliquamdiu ſedes. Cap. XX.

p *N.* p *Cardinalis Archiepiſcopus; poſtea ſummus Pontifex nomine Gregorius* VIII. *Cap.* XX.

Gerardus patria Veronenſis ab Alexandro III. *electus & conſecratus ad poſtulationem cleri Spalatenſis: deinde præfectus Eccleſiæ Sipontinæ retenta adminiſtratione Spalatinæ. Cap.* XX.

Raynerius electus ab Alexandro III. *ad petitionem cleri Spalatenſis, & ex Epiſcopatu Calenſi translatus. Obiit (Martyr) lapidatus a Sclavis A. D.* 1180. *Præfuit annis* V. *ſepultus in eccleſia S. Benedicti. Cap.* XXII.

Petrus Hungarus filius Chitilen nobili genere natus. Celebravit Concilium S. Andreæ pro limitatione Diœceſeon: poſtea ad Epiſcopatum Colocenſem translatus, cum eccleſiæ Spalatenſi præfuiſſet annis duobus. q *Cap.* XXIII.

q *Petrus etiam Hungarus ex Abbate S. Martini de Pannonia. Vixit in Pontificatu annis* V. *Cap.* XXIII.

Bernardus de provincia Tuſciæ, patria Peruſinus, Ord. S. Benedicti, conſecratus ab Innocentio III. *A. D.* 1 MCC. *Extraxit corpus S. Anaſtaſii ab altari veteri, & collocavit in eodem loco in altari novo. An. D.* MCCIX. *Obiit in paſſaggio Regis Andreæ, ſepultus juxta eccleſiam S. Domnii. Cap.* 24. 25. 26.

Vacat biennio s *eccleſia. Cap.* 27.

s *Guncellus nobilis Hungarus filius Cornelii, ex Ordine Cruciferorum, Præfuit eccleſiæ Spalatinæ an.* 22. *Cap.* 27. 41.

Stephanus ex Epiſcopo Zagabrienſi Archiepiſcopus per biennium, a ſummo Pontifice Innocentio IV. non admiſſus renuntiavit. Cap. 41. & 45.

Thomas Archidiaconus (Hiſtoriæ Salonitanæ Auctor) Archiepiſcopus pro bono pacis renuntiat. Cap. 45.

Hugrinus Ceſmenſis Præpoſitus (in Croatia). Huic Rex conceſſit comitatum civitatis; conſecratus in templo D. Domnii MCCIIII. t *Præfuit a die conſecrationis uſque ad diem ſepulturæ anno uno, menſibus duobus, diebus decem. Cap.* 47. t

Rogerius Beneventanus. Præfuit annis fere 16. *Obiit autem* 18. *Kal. Madii anno* 1266. *Cap.* 48. & 50.

FRAGMENTUM SECUNDUM.

Ex Tabulario Cœnobii Spalatenſis Virginum Ordinis Benedictini ſub titulo S. Raynerii.

ANno 1188. a *ſedebat in ſede S. Domnii Petrus Hungarus; Chaza Abbatiſſa S. Benedicti eodem anno regebat.* a

Anno 1214. b *Bernardus Archiep. Chizza Abbatiſſa.* b

Anno 1243. *ſedebat Ugrinus.*

Anno 1245. 15. *Auguſti* c *Hugolinus electus.* c

Anno 1249. d *Indict.* VII. *Joannes Archielectus Spalatenſis.* d

Anno 1276. *Rex Ladislavus, Archiepiſcopus Dominus* e *Joannes.* e

Anno 1284., *tempore Andreæ Regis Jacobus* f *Archielectus.* f

Anno 1292., *tempore Regis Andreæ ſedebat* g *Joannes Arch. Spalat.* g

Anno 1295. *Iterum Jacobus* h *Archielectus.* h

Anno 1300. *Andrea Rege Petrus Archiepiſcopus Spalatenſis.*

Anno 1321. *Carolo* i *Roberto Rege Petrus Archiep. Spalat.* i

Anno 1342. *ſedebat Archiepiſcopus* k *Dominicus.* k

Anno 1348. *ſedes vacabat Paſtore.*

Anno 1391. *Regnante Stephano Tuarko* l *Andreas* m *erat Archiepiſcopus.* l m

Anno 1420. *tempore Thomæ Mocenico ſedebat Archiep.* n *Petrus.* n

Anno 1441. o *Jacobinus Baduarius Archiep.* o

FRAGMENTUM TERTIUM.

Ex Collectaneis Reverendiſſimi D. Simonis Bengnii Epiſcopi Modruſienſis, qui habuit orationem in ſexta Seſſione Concilii Lateranenſis ſub Leone X. anno MDXIII.

1 S. *Domnius natione Syrus.*
2 *Garganus.*
3 *Symphorianus.*
4 *Irſicius.*
5 *Irſicius.*
6 *Valentius.*
7 *Honophrius.*
8 *Maximus.*
9 *Paſchalis.*
10 *Cæſarius.*
11 *Juſtinus.*
12 a *Amabilis.* a
13 *Glycerius.*

14 *He-*

Digitized by Google

14 *Honorius.*
15 *Januarius.*
16 *Savilianus.*
b 17 b *Stephanus.*
c 18 *Honorius ſedebat an.* c 513.
19 *Fruntinianus.*
20 *Petrus.*
21 *Proclianus.*
d 22 *Honorius* d *an.* 530. *celebravit Concilium Provinciale, fecitque alias ordinationes an.* 532.
e 23 *Natalis ſedebat anno* e 593, *quo factus eſt Papa S. Gregorius.*
24 *Maximus Schiſmaticus, cujus cauſa S. Gregorius M. plurimas epiſtolas dedit.*
f 25 f *Theodorus in obſidione urbis Salonæ obiit.*
Diu ſedes vacat.
26 *Joannes patria Ravennas, qui Cathedram, Salona excisa, Spalatum tranſtulit.*
g 27 *Juſtinus ſedebat anno* 890. g
28 *Martinus.*
h i 29 *Joannes ſedebat anno* h 914, *cui* i *Joannes X. duas dedit epiſtolas, & formam credendi pro Croatis tranſmiſit.*
k 30 *Martinus Spalatenſis anno* k 970. *electus.*
31 *Petrus ſedebat anno* 990.
32 *Paulus Spalatenſis filius Præſtantii Civitatis Rectoris electus* l 1015.
l 33 *Drabalis natione Spalatenſis electus anno* 1030.
34 *Joannes natione Spalat., fractus ſenio ceſſit ab onere.*
m 35 m *Creſcentius natione Romanus; ejus tempore coronatus eſt Rex Svinimirus anno* n 1076, *obiit circa an.* 1104.
n
36 Manaſſes electus a Clero; facta fuga ſe rapuit.
o *Diu o ſedes vacat.*
37 Gregorius Jadrenſis ante conſecrationem obiit.
38 Gaudius Spalat. filius Petrini, & Caroccia nepos, ordinatus anno 1136, *vixit in Pontificatu annos fere* 40.
39 *Abſalon natione Hungarus Gaudii ſeu ſubrogatus.*
40 Ven. Petrus Lotharingus ex Epiſcopo Narnienſi; alibi in Hungaria ſanctitate claruit.
Vacat p *longo tempore ſedes.*
p *41 Cardinalis de Mora electus ſtatim ſe abdicat, poſtea factus Papa Gregorius VIII.*
42 Girardus Veronenſis ab Alexandro III. petentibus Spalatinis datus, ſed multo poſt ab eisdem ad eccleſiam Sipontinam tranſlatus, retenta adminiſtratione Spalatenſis eccleſiæ.
43 S. Rayſerius ab eodem Alexandro regnum Chrobatiæ electus, ob eccleſiæ infirmitatem conſecrari nequit anno q 1175.
q
44 Petrus Chiulan Hungarus nobili genere natus, r *conſecratus a Papa Urbano III. Verona* r 1187. *celebravit Concilium a Papa confirmatum anno* 1184.

Notæ in primum Fragmentum.

a Omnino ad triginta & unum ex Catalogo Romano.

b Hanc epocham Juſtino aſſignant Catalogi Ponzonianus, & Romanus.

d Is eſt Carolus Craſſus, qui regnabat in Germania anno 879, & imperium paucis poſt annis adeptus eſt.

e Branimirus principatum in Chrobatis obtinebat inter annos 879. & 881., & per idem tempus Marinus Eccleſiam Spalatenſem adminiſtrabat, cujus initia Catalogus Romanus ad annum 879. retulit; quemque Marinum III., vel Maximum V. vocat.

e Huic anno itidem Catalogus Romanus Joannis VIII., quem ab aliis Januarium II. vocari ait, Pontificatum adſcripſit.

f Hujus ducis nulla mentio facta eſt in Catalogo Romano.

g In hunc annum 970. Catalogus Ponzonianus, & Romanus conferunt Pontificatum Martini; ſed Ponzonianus perperam eum nominat poſt Paullum Archiepiſcopum Spalatenſem. *Hic*, ait Archidiaconus, *fecit unum calicem magnum cum ſua Patena de auro puriſſimo*. Cap. 13.

h Corrige, & in locum Theodoſii ſubſtitue Joannem Zemiſcem.

i *Ab iſto Dircislavo cæteri ſucceſſores ejus Reges Dalmatiæ & Croatiæ appellati ſunt.* Archidiac. cap. 13.

k Hoc anno 1015. Petrus IX. vita & Pontificatu deceſſit, ex Catalogo Romano.

l Congruit cum Romano.

m Drabali & Joanni interjiciendus Lampridius. Vide notam ii in Catalogum Romanum.

n Nihil fere diſcrepat a Romano & Ponzoniano Catalogis.

o His annis quadraginta detrahe circiter viginti, quos in vita privata exegit. Vide Not. nn in Catalogum Romanum.

p Is fuit Albertus Cardinalis de Mora.

q Huic annos quinque attribuit Catalogus Romanus.

r Bernardi initium Catalogus Romanus ad annum 1195. retraxit: id quod non cohæret cum conſecratione ipſi impertita ab Innocentio III., qui non ante annum 1198. Pontificatum adeptus eſt.

s Huic biennio interregni Archiepiſcopalis Romanus adſcribit Slavizzo, qui electus quidem fuit, ſed collati ſibi Archiepiſcopatus poſſeſſionem numquam adiit.

t Diſcrepat ab Romano Catalogo, in quo ſcriptum eſt Hugrinum ab anno 1243., uſque ad annum 1248. eccleſiæ Spalatenſi præfuiſſe.

Notæ in ſecundum Fragmentum.

a Hæc epocha congruit cum Catalogo Romano. Is enim eſt Petrus Chiulen hujus nominis XI. in eodem Catalogo.

b Nimirum Bernardus ab an. 1195. uſque ad an. 1217. præfuiſſe dicitur in Catalogo Romano.

c Quinam fuerit iſte Hugolinus, mihi compertum non eſt. Duos hujus nominis Archiepiſcopos fuiſſe invenio in Catalogo Romano, Hugolinum primum inter annos 1243, & 1248, & Hugolinum II. de Branca, ſeu mala Branca inter annos 1346, & 1371. Idem fortaſſe atque Hugolinus primus, ſive Hugrinus, qui in hoc fragmento primum ut Pontifex nominatur, deinde ut electus die 15. Auguſti.

d Is alius eſſe non poteſt niſi Joannes X. in Catalogo Romano, cujus initium anno 1266. aſſignatur, qui annus retinendus eſt. Epocham hujus fragmenti vitiatam Amanuenſis incuria exiſtimo.

e Idem eſt ac Joannes proxime nominatus, qui uſque ad annum 1294. Pontificatum Spalatenſem geſſit.

f Nullum in cæteris Catalogis hujus nominis Archiepiſcopum, ſive electum reperies, niſi fortem Jacobinum Baduarium, quem Romanus Jacobum vocat,

g Idem

g Idem Joannes X. in Catalogo Romano, hic tertio nominatus, qui Andrea Rege Hungariæ, & anno 1292. adhuc Spalatenſem eccleſiam adminiſtrabat.

h Vide notam ſuperiorem f.

i Carolus Robertus, quem alii Umbertum vocant, regnum per ea tempora in Hungaris obtinebat. Is Petrus idem eſt, ac Petrus modo nominatus in hoc fragmento, qui Petrus Maria vocatur in Catalogo Romano, & ab anno 1292. uſque ad annum 1326. vitam & Pontificatum perduxit.

k Is eſt Dominicus Luccari Archiepiſcopus Spalatenſis inter annos 1328, & 1348. in Catalogo Romano.

l Stephanus Tuartkus fuit Rex Raſciæ & Boſnæ.

m Andreas Gualdus in Romano Catalogo, ab anno 1371. uſque ad an. 1402. Archiepiſcopus Spalatenſis.

n Petrus cognomento Diſcovitius, patria Pagenſis in Catalogo Romano, qui hujus Pontificalis regiminis primordia in annum poſteriorem conjecit, copulavitque cum anno 1421.

o Jacobinus Baduarius in Catalogo Romano eccleſiæ Spalatenſi præfuiſſe dicitur ab an. 1439. ad annum 1451.

Notæ in Fragmentum tertium.

a Amabilem, ſive Agapitum, quem tres priores Catalogi cum aliis Epiſcopis tertii & quarti ſæculi in ætates inferiores detrudunt, huic loco Simon Bengnius inſerendum cenſuit; animadverterat enim eum æqualem fuiſſe B. Anaſtaſio, qui Aureliano imperante pro Chriſto mortem oppetiit; quamvis idem in ſuis Collectaneis B. Anaſtaſii martyrium ad imperium Diocletiani, Pontificatum Marcellini, initiumque ſæculi quarti retulerit; hanc quippe notam Amabili appoſuit: *ſuo tempore martyrium ſuſcepit B. Anaſtaſius ſub annis Chriſti* 302, *præſidente in Cathedra Petri S. Marcellino, in perſecutione Diocletiani*. Atqui nos in Actis Amabilis, ſive Agapiti, oſtendemus Martyrium S. Anaſtaſii neque ab imperio Aureliani, neque ab anno ſeptuageſimo quarto ſæculi tertii dimoveri poſſe. Reliquos Epiſcopos Juſtino & Glycerio interjectos maluit omnino prætermittere, quam cum aliis Catalogis ad poſteriora ſæcula retrahere; videbat enim in tota hac Pontificali ſerie nullum poſt Glycerium locum ac tempus ſupereſſe, cui apte convenienterque accommodari poſſent.

b De hoc Stephano, quem cum Catalogo Salonitano perperam diſtinxit a Saviliano, hæc ſcripſit Simon Bengnius: *Stephanus Archiepiſcopus Salonitanus, ad quem Dionyſius Exiguus Collectionem Canonum Græcorum dedit*.

c Is eſt Honorius III. in Romano Catalogo, qui cum anno circiter 527. Spalatenſem Pontificatum ſuſcepiſſe tradit. *Iſte fecit Concilium ſolemne*, ait Raphael Levacovichius Epiſcopus Achridanus, *ſub die* XVII. *Kal. Juliarum anno* 530. Hujus Concilii acta relata ſunt in Codicem Hiſtoriæ majoris Salonitanæ, qui extat in Archivo Congregationis de propaganda.

d Is eſt Honorius IV. in Catalogo Romano, cujus initium ibidem cum anno 566. conjungitur. Non huic igitur, ſed Honorio III. & concilium illud Provinciale, & Sanctiones illas eccleſiaſticas adſcribas oportet.

e Natalis ab anno circiter 580. ad annum 595. Spalatenſem Pontificatum geſſiſſe traditur in Catalogo Romano.

f Inter Maximum Schiſmaticum, & Theodorum excidii Salonitani epocha inſignem tres prioris Catalogi plures Epiſcopos fere ad quadraginta interjiciunt, quos temporum anguſtiis excludi optime animadvertit Auctor hujus fragmenti; nam ab Epiſcopatu Maximi ne viginti quidem anni interceſſerant, cum Salona funditus everſa eſt. Itaque Maximo illis prætermiſſis cum Frontiniano III. intermedio, Theodorum ſubjecit, qui, ait, *in obſidione urbis Salonæ obiit*.

g Huic epochæ Juſtini Pontificatum Catalogus Romanus, itemque Thomas Archidiaconus affigunt.

h Congruit cum Romano, & Thoma Archidiacono.

i Si quas epiſtolas ad Joannem hunc Spalatenſem dedit Joannes X. Pontifex Maximus, hujus ætas cum illius Epiſcopatu optime cohæret.

k Martini hujus Pontificatum in annum 970. & Thomas Archidiaconus & Catalogus Romanus itidem conferunt; hoc intereſt, quod Catalogus Romanus eum produxit uſque ad annum 1000; contra vero auctor hujus fragmenti non ultra annum 990, quo eum colligavit initium Petri, qui Martino proxime ſuccefſit.

l Paullum ad Spalatenſem Cathedram evectum anno ſæculi undecimi decimo quinto docet itidem Catalogus Romanus.

m Hic prætermiſſus eſt Laurentius, ob doctrinam & ſanctitatem inſignem maxime memorabilis.

n Hoc anno Creſcentius nondum inierat Pontificatum Spalatenſem, qui non cum Regno Svinimiri, ſed cum ætate S. Ladislai & Colomani Regum Hungariæ rectius conjungitur, ut colligi poteſt ex Archidiacono, & Catalogo Romano.

o *Ab anno ſcilicet* 1113. *uſque ad annum* 1135. Ex Catal. Rom.

p Nullum hic interregnum Pontificium in Catalogo Romano, niſi forte brève admodum inter Petrum & Girardum, eam ob cauſam, quod Albertus Cardinalis de Mora, electus cum eſſet Cleri ſuffragiis, populo refragante, aſſenſum præbere noluit.

q Huic epochæ adverſantur Thomas Archidiaconus, & Catalogus Romanus; qui Raynerii Pontificalia initia cum anno 1175, Martyrium vero cum anno 1180. conjungunt.

r Hæc epocha non congruit cum Pontificatu Urbani VI., qui non ante annum 1185. Romanam Cathedram conſcendit. Rectius in Catalogo Romano Petrus Chitelen anno 1185. Epiſcopus creatus eſſe, anno autem 1190. Spalatenſis eccleſiæ regimen depoſuiſſe dicitur, translatus ad eccleſiam Colocenſem, ut docet Archidiaconus.

§. VIII.

De Chronico Pontificali Salonitano & Spalatenſi.

CHronicon Pontificale a Catalogis hoc differt, quod hi paucioribus, illud pluribus & rebus & verbis conſtat. Qui Catalogos Epiſcopales conficiunt, ſi nomina ſeriemque Epiſcoporum deſcribant, ſi annum, aut etiam diem adjiciant, quo quiſque vel ſuſcepit, vel depoſuit Pontificatum, ſi locum etiam ſepulchri, quo

Chronicon a Catalogo quid differat.

quo quisque illatus est, designent, satis eos superque suo muneri fecisse arbitramur; plura si addiderint, modum Catalogis præfinitum præterpredi videntur; quæ tamen si afferant, non respuimus; si prætermittant, nihil est, cur ab illis requiramus. At vero qui Chronica Pontificalia contexunt, id muneris atque operæ suscipiunt, ut præter illa, quæ in Catalogis continentur, res maxime memorabiles, quæ ab unoquoque gestæ fuerint, vel sub Pontificatu cujusque acciderint, observatis notatisque temporibus, breviter ac summatim perscribant. Hoc præstandum sibi censuit Auctor Chronici Pontificalis Salonitani; sed veterum Salonæ Antistitum fere omnium nomina tantum, ab omnibus rebus vacua atque nuda perxenuit, propterea quia nihil tabularum reperit, nihil litteris aut memoriæ proditum invenit, unde sumeret, quæ illis adscriberet, eorumque ætatem, genus, patriam, resque gestas depromeret; id quod ipsemet fatetur: *nec est*, inquit, *certa memoria, ex qua natione, vel patria quilibet eorum extiterit, vel quot annos in Pontificatu Salonitano vixerit, vel etiam quomodo sese in ipso gesserit*. Eorum autem, quæ in hoc Chronico descripsit, testem sæpissime citat *Chronicam*, ut ipse vocat, Capituli Spalatensis. Hæc *Chronica* quid Codicis sit, compertum mihi non est. Cum multa is auctor in suum Chronicum retulerit, quæ reperiuntur in Historia Salonitana Thomæ Archidiaconi, & sæpe verbis fere iisdem exposita, quibus ea conscripsit Archidiaconus; in hanc opinionem adducor, ut existimem *Chronicam* illam Spalatensem, vel aliquod exemplar esse ipsius Historiæ Salonitanæ manuscriptæ; vel Codicem aliquem, & autographum vetustius esse, unde ipsemet Archidiaconus multa sumpserit, ex quibus Historiam suam contexeret. Nec vero *Chronica* illius mentionem factam invenio post Rogerium Archiepiscopum Spalatensem sæculi decimi tertii, in quem desinit Historia Salonitana; verum deinceps, uti etiam interdum in superioribus ante Rogerium Episcopis, auctor hujus Chronici, ut rebus ab se narratis fidem conciliet, testes appellat tabulas Capituli Spalatensis, itemque diplomata Pontificia, & alios codices antiquos. Ac mihi quidem ignotus est hujus Chronici auctor; sed dignus mihi videtur, cui fides haberi impune possit; quippe qui in eo describendo summam diligentiam & cautionem adhibuit, ne quid proferret, quod in vetustis probatisque monumentis, quæ identidem laudat, non reperisset. De illius ætate nihil certi habeo; sed cum series Chronologica successioque Episcopalis ad nostra usque tempora perducatur, posteriorum ætatum Episcopos alius quispiam adjecit, & postremos quidem hujus sæculi subtexuit Hieronymus Bernardus Canonicus ecclesiæ Metropolitanæ Spalatensis, qui hoc Chronicon sua manu descriptum ad nos transmisit. Bipartito divisum est; pars prima Salonitanos, altera Spalatenses Episcopos complectitur. De numero, & nominibus Episcoporum, nihil ferme est in hoc Chronico, quod discrepet a Catalogis supra descriptis; sed in eo itidem quidquid peccatur, perturbatione peccatur temporum, atque ordinis successionisque Episcopalis. Auctor quippe ab tertio ad quintum sæculum, ab Justino ad Glycerium transiliit, Episcopis intermediis infra sextum sæculum rejectis, quibus statim subnectit, ante Salonitanum excidium, plures Episcopos octavi sæculi, ab ecclesia Spalatensi ad Salonitanam translatos. Sed bene habet, quod auctor ipsemet, qua erat perspicacia, non potuit non suspicari aliquid de inordinata & confusa Episcoporum serie, cujus rationem reddere se diffidebat; sed quemadmodum illam in ordinem adduceret, non inveniebat: *Ab hoc itaque S. Domnio*, inquit, *usque ad destructionem urbis Salonitanæ nonnulli successive Archipræsules numerantur, licet numeri, sicut etiam ordinis, quo collocantur, nec ita facilis potest reddi ratio, nec est certa memoria &c.* At nobis ejusdem serici & successionis Episcopalis ordinandæ, atque ad rationem chronologicam exigendæ normam & regulam Catalogus Romanus suppeditat. Si quid præterea occurrerit, quod correctione aliqua, vel peculiari animadversione dignum videatur, notæ suppositæ indicabunt.

Unde sit desumptæ Chronicon Pontificale Salonitanum.

Ejus auctor ignotus, dignus tamen, cui fides habeatur.

Chronicum Pontificale Salonitanum & Spalatense.

Domnius Sanctus, tam nomine, quam etiam ordine ac numero, primus Salonitanæ urbis a Archipræsul, qui & Apostolus Dalmatiæ merito nuncupatur. Ipse fuit Sancti Petri Principis Apostolorum Discipulus, natione Syrus, & patria Antiochenus; populisque Dalmatiæ verbum æternæ vitæ, quod a Tito Paulli Apostoli Discipulo fuerat inceptum annunciari, libere prædicavit. In qua quidem civitate Salonitana Christianam religionem diutius prædicans, multosque in tota Dalmatiæ provincia a gentilitatis errore ad Christi fidem convertens, non parvam Jesu Christi ecclesiam adunavit, ibique agonem martyrii, Nerva imperante, sub Maurilio civitatis Salonitanæ Præside anno Christi nati circiter b *105. felici cruore peregit. Ab hujus ergo Episcopalis præeminentiæ dignitate omnes successores sui Archiepiscopalia insignia per sedem Apostolicam sortiuntur. Ab hoc itaque S. Domnio usque ad destructionem urbis Salonitanæ nonnulli successive Archipræsules numerantur; licet numeri, aut etiam ordinis, quo collocantur, nec ita facilis potest reddi ratio, nec est certa memoria, ex qua natione vel patria quilibet eorum extiterit, vel quot annos in Pontificatu Salonitano vixerit, vel etiam quomodo sese in ipso gesserit; nihilominus tamen, quantum memoriæ proditum est, universorum Præsulum nomina ab ipsa S. Domnio cœpta esse intelliguntur. De hoc etiam S. Domnio dicitur, quod Joannes IV. Summus Pontifex, qui sedit* c *annis tribus, mens. 8., diebus 10., & incepit Pontificatum anno Domini 637, qui etiam Dalmata natione fuit, Romam afferri jussit ejus* d *corpus, quod Venerabilis Pontifex reverenter suscipiens, apud ecclesiam S. Joannis Lateranensis recondidit; ac ibidem jussit depingere imaginem S. Domnii cum* e *Pallio, & cæteris Pontificalibus indumentis: similiter fecit depingere imaginem B. Anastasii Martyris inter alios Sanctos. Vide de hoc fusius in Chronica Capituli Spalatensis pag. 14.*

2 *Garganus Archiepiscopus Salonitanus.*
3 *Symphorius Archiep. Salonit.*
4 *Irscicius Archiep. Salonit.*
5 *Irscicius II. hujus nominis Arch. Salon.*
6 *Valentius* f *Archiep. Salonit.* f
7 *Honofrius Archiep. Salonit.*
8 *Maximus Archiep. Salonit. & primus hujus nominis.*
9 *Paschasius Archiep. Salonit.*

10 *Cæsa-*

10 *Cæsarius Archiep. Salonit.*
11 *Justinus* g *I. hujus nominis Arch. Salon.* g
12 *Glycerius Archiep. Salonit. Iste a Leone ejus*
h *nepote Romanorum Imperatore expulsus, Salonis Dalmatiæ Episcopus fieri factus est; ipsum caute ab imperio expellens, & extra regni negotia quasi privatum manere faciens anno imperii sui secundo, qui prius in administrandis publicis rebus strenuissime se gessit; qui postea Glycerii nepos juxta Salonas in villa sua occisus est.* h
13 *Honorius* i *I. hujus nominis Arch. Salon.* i
14 *Januarius Archiep. Salon.*
15 *Stephanus Archiep. Salonit.*
16 *Savilianus Arch. Salon.*
17 *Honorius* II. *Archiep. Salon.*
18 *Fruntinianus* I. *Archiep. Salon.*
19 *Petrus* I. *Arch. Salon.*
20 *Proclinius Archiep. Salon.*
21 *Honorius* III. *Arch. Salon.*
22 *Dominianus* k *Arch. Salon.* k
23 *Natalis Archiep. Salonit. Hic fuit tempore Pelagii ac S. Gregorii Magni Roman. Pontificum. Iste Archiepiscopus fuit inops scientiæ, seseque dedit fere omnibus rebus sæcularibus; suo autem tempore erat Salonæ quidam Archidiaconus nomine Honoratus, qui suo officio contra Archiepiscopum minime defuit, & multis inter utrumque apud S. Gregorium Papam accusationibus usi sunt. Vide de hoc Archiepiscopo in Decret. dist. 74. cap. Honoratus, & Chronica capituli Spalatensis. Fuit anno Domini . . . .*
24 *Maximus* II. *Archiep. Salon. Hic non sine crimine & Simoniaca labe obtinuit Archiepiscopatus dignitatem; immo D. Gregorius Doctor scripsit Clero & populo Salonitano, præcipiens, ut nullus eidem Maximo communicaret; multi autem non audebant exsequi Papæ mandatum, nisi Honoratus Archidiaconus, & quidam Paullinus Episcopus, tamquam viri discreti, & constantes, ipsum uti Schismaticum, & excommunicatum ubique vitantes. Hic vero Maximus Archiep. præcepto D. Gregorii Papæ venit personaliter Ravennam, ibique causa illius de Simoniaca hæresi ventilata est coram D. Mariano Archiep. Ravennatis ecclesiæ, & quodam Notario D. Gregorii, ut fusius habetur in Chronica capituli Spalatensis pagina . . . .*
25 *Fruntinianus* II. *Archiep. Salon.*
26 *Theodorus* I. *Archiep.* l *Salon.* l
27 *Justinianus Archiep. Salon.*
28 *Antonius* I. *Arch. Salon.*
29 *Maximus* III. *Arch. Salon.*
30 *Amabilis Archiep. Salon.*
31 *Joannes* I. *Arch. Salon.*
32 *Gregorius* m I. *Arch. Salon.* m
33 *Theodorus* II. *Arch. Salon.*
34 *Joannes* II. *Arch. Salon.*
35 *Joannes* n III. *Arch. Salon.* n
36 *Petrus* II. *Arch. Salon.*
37 *Marinus* I. *Archiep. Salon.*
38 *Marinus* o II. *Archiep. Salon.* o
39 *Marinus* III. *Arch. Salon.*
40 *Theodorus* III. *Arch. Salon.*
41 *Petrus* III. *Arch. Salon.*
42 *Leo* I. *Archiep. Salon.*
43 *Joannes* p IV. *Arch. Salon.* p
44 *Joannes* V. *Arch. Salon.*
45 *Petrus* q IV. *Arch. Salon.* q
46 *Martinus* r I. *Arch. Salon.* r
47 *Forminius* I. *Arch. Salon. cujus arca posita est post ecclesiam S. Domnii cum hac inscriptione . . . .*
48 *Gregorius* II. *Arch. Salon.*
49 *Joannes* VI. *Archiep. Salon.*
50 *Vernaculus Arch. Salon.*
51 *Domenius* s *Archiep. Salon.* s
52 *Theodorus* IV. *Arch. Salon.*
53 *Vitalis Archiep. Salon.*
54 *Gregorius* t III. *Arch. Salon.* t
55 *Vitalis* II. *Archiep. Salon.*
56 *Petrus* V. *Archiep. Salon.*
57 *Leo* II. *Archiep. Salon.*
58 *Ursus Archiep. Salon.*
59 *Petrus* u VI. *Arch. Salon.* u
60 *Gregorius* x IV. *Arch. Salon.* x
61 *Maximus* IV. *Arch. Salon.*
62 *Theodorus* aa IV. *Arch. Salon.* aa

De Spalatensibus Episcopis.

Joannes I. hujus nominis, nec non primus Spalatensis ecclesiæ Archiepisc. Hic fuit patria Ravennates, & Legatus Dalmatiæ ac Croatiæ missus a S. Sede Apostolica post destructionem urbis Salonitanæ, & postea electus a Spalatensibus in suum primum Archiepiscopum. Huic Archiepiscopo concessum fuit a sede Apostolica, ut totius dignitatis privilegium, quod Salona antiquitus habuit, ex hoc Spalatenses obtinerent. Iste Archiepiscopus multa opera bona perfecit; transtulit die 27. & 28. Julii corpora SS. Domnii & Anastasii martyrum, eaque in cathedrali ecclesia Spalatensi collocavit, quam ipsemet consecraverat in honore Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ. Iste etiam Archiepiscopus fecit templum argenteum, & ædificavit ecclesiam S. Michaelis ad mare. Obiit Spalati, tumulatus est in ecclesia S. Matthæi in arca marmorea cum hac inscriptione: Hic requiescit fragilis peccator Joannes Archiepiscopus. Floruit circa annum Domini a *. . . . Vide de hoc in Chronica capit. Spalat.* a

2 *Petrus I. hujus nominis Archiepisc. Spalat. Hic floruit tempore Regis Slavorum. Vide Chronicam 19.*
3 *Marianus I. Arch. Spalat.*
4 *Martinus I. Arch. Spalat.*
6 *Petrus* b *II. Arch. Spalat.* b
7 *Justinus I. Arch. Spalat.*
9 *Frontinianus* c *I. Arch. Spalat.* c
10 *Paullus* d *I. Archiep. Spalat. Iste fuit patria Spalatinus. Floruit tempore Basilii & Constantini Imperatorum. Vide Chron. Capitul. Spalat. 19. Pater ejus vocabatur Præstantius* e *Rector civitatis Spalatensis.* d e
11 *Martinus* f *II. Arch. Spalat. Iste floruit tempore Caroli Regis, & Branimiri Ducis Slavoniæ. Hujus pater fuit Comes civitatis Spalatensis. Vide Chronicam ubi supra. Tumulatus est in arca lapidea prope scalam, quæ ducit in hortos D. Archiepiscopi extra ecclesiam S. Domnii.* f
12 *Joannes II. Archiep. Spalat. Iste patria Spalatinus, &* g *ædificavit ecclesiam S. Felicis in Rivo. Floruit anno Domini 914. Vide Chron. 21. Sepultusque est in arca marmorea extra ecclesiam S. Domnii, prope scalas Confratrum Corporis Christi cum hac inscriptione: In nomine Patris, & Filii & S. Spiritus. Hic requiescit fragilis peccator Joannes Archiepiscopus, qui fuit natus & nutritus in civitate Spalati, filius bonæ memoriæ Domini &c. Hic* h *Archiepiscopus pra senectute cessit oneri Archiepiscopali, & non post multum temporis vitam finivit prope eamdem ecclesiam. Vide ut supra Chronic.* g h
13 *Martinus III. Archiep. Spalat. Florvit tempore Theodori Imperatoris, & Dircislavi Regis Dalmatiæ & Croatiæ. Iste fuit patria Spalatinus; fuit anno 970.*

14 i *Dra-* i

Digitized by Google

14 i Urbabatis Archiepiscopus substituitur ecclesiæ Spalat. Iste fuit patria Spalatinus; verum postea depositus fuit, quia habebat uxorem, & liberos, tanquam laicus in domo Archiepiscopali. Fuit anno Domini 1030. k Vide Chron.

15 l Laurentius Archiep. Spalat. Hic fuit prius Episcopus Absarensis, & fuit origine Dalmatinus, statura quidem pusillus, sed sapientia magnus; floruit tempore Michaelis Imperatoris Constantinopolitani, sub Regibus Stephano, Cresimiro, & Demetrio Zuonimiro, qui unctus & coronatus in Regem Croatiæ & Dalmatiæ in Salona a Gebizzone Apocrisario Domini Papæ Gregorii VII., anno 1076, ut in registris dicti Gregorii, & in Chronica Capit. Spalat. legitur cap. m 24; qui & fuit ultimus Croatorum Rex. Tempore hujus Laurentii Adam quidam Parisiensis composuit hymnos, & historias Beatorum Domnii & Anastasii Martyrum. Hic autem Laurentius consecravit B. Joannem Tragurinensem. Vid. Chronic. cap. 22. Tempore etiam hujus Laurentii celebrata fuit Synodus in civitate Nonensi, sub Joanne Cardinale Apostolicæ sedis Legato, ubi proclamationem faciente Laurentio Archiepiscopo, illustris vir Demetrius cognomento Zuonimir Rex Croatorum restituit ecclesiæ S. Domnii ecclesias S. Stephani de Pinis, & S. Mariæ in Salona, cum omnibus eorum bonis. Has siquidem ecclesias ædificavit Helena Regina, donans eas Spalatinæ sedi jure perpetuo possidendas, quæ ob reverentiam regalium sepulcrorum concessa fuerant quibusdam Regularibus ad tempus, qui assidue in eis officiorum ministeria exercebant. Ibi namque magnificus vir Cresimirus Rex in atrio videlicet Basilicæ S. Stephani tumulatus est, secundum Chronicam cap. 22. Hic Laurentius anno 1069. construxit Monasterium Monialium S. Benedicti extra muros Spalati, illudque satis abundanter multis prædiis ditavit. Atque in eo sanctimoniales feminas ejusdem ordinis instituit, earumque Monasterium, ac ejus habitantes quibusdam regulis perpetuo obligavit, ut in omni anno ecclesiæ S. Domnii in ejus solemnitate debeant dare & sponte mittere duos cereos duarum librarum ponderis, qui die festo illius sancti cremari debeant ante sepulchrum, in quo jacet corpus illius ad honorem & reverentiam ipsius B. Domnii, prout ex institutione ab ipso domino Archiepiscopo Laurentio facta manifestum est, uti reperitur in littera NN., cum illa sublimata fuit in Abbatissam Monialium, tempore Laurentii Archiep., & Valissæ prioris. Institutio autem ista in jure nondum se habet. Iste sedit annos 40, fecit candelabra argentea, quæ postea dolose sublata sunt, & non restituta nisi ferrea deargentata. Laurentius vero multa alia bona fecit, qui florebat anno Domini 1080. De hoc Archiep. vide in privilegio S. Petri de Lumai, scripto in membranis, quod servatur in chartulario Dominorum Canonicorum Spalatens. ob futurorum memoriam. Obiit 8. die Julii, tumulatus est in ecclesia S. Matthæi prope ecclesiam S. Domnii in arca marmorea, posita super illam, in qua tumulatus jacet. Joannes primus Archiep. cum hac inscriptione:

Quis sim scire veris, qui mortis stringor habenis,
Pastor eram urbis hujus Laurentius urbis,
Quam ego dum vixi, si quid minus utile gessi,
Id prece te flagito, tergas ut opifice Christo.
Crimine te sanctus purget de Virgine natus.

16. Crescentius Archiep. Spalat. natione Romanus, vir valde egregius, successor Laurentii. Vid. Chronic. 27. Hic anno 1103. aperuit arcam, in qua Salona conditum est corpus S. Domnii primi Archiepiscopi urbis Salonitanæ, & a Salona translatum est Spalatum in eadem arca, ut manifeste constat ex quibusdam in lapide marmoreo incisis carminibus in ejus sepulchro.

Hoc habet egregio sanctus sua membra sepulchro
Domnius, antiquæ qui Christi dogma Salonæ
Monstravit Præsul, martyr quoque factus ejusdem.
Discipulus Petri pariter fuit iste Beati,
Et Spalati Præsul huc transtulit inde Joannes.
Tempore post longo, multis dubitantibus urbis
An foret hoc corpus, foret an hinc arte relatum,
Claruit id cunctis, quod perpauci putaverunt.
Hujus enim Præsul claræ Crescentius urbis
Marmora disjunxit, sanctum corpus patefecit.
Mille Dei centum tres affore credimus annos;
Tunc & Apostolicus Paschalis constitit orbi,
Claraque lux cunctis patet hac indicta doctis.

Iste Dominus Crescentius Archiepiscopus missus a Spalatensibus ad Regem Colomanum Hungarorum, ut peteret pacem, quam facile obtinuit anno Domini 1103. Chronic. 29. Obiit Spalati, & sepultus est in arca marmorea, ante fores Cathedralis ecclesiæ S. Domnii, ex parte boreali, cum hac inscriptione.

Vita salus cunctis qualis sit, cernitur urnis,
In quibus ossa, cinis remanent de corpore vili;
Quantumcumque boni gessit, quantumque decoris,
Urbe fuit dicta Spalatum Crescentius ista
Pontificum Præsul, nunc mundi floribus exul.

17. n Gregorius primus Archiep. Spalat. patria Jadrensis. n

18. Manasses Arch. Spalat. natione Hungarus, tentavit tradere civitatem Spalat. Hungaris eo tempore, quando ipse consecraturus erat oratorium in rupibus montis Kirie eleison, quod nunc vocatur Eremitorium S. Hieronymi; tamen ad sua vota non successit hoc ejus desiderium; ideo a civitate Spalatina aufugit, nec unquam ad suam ecclesiam reversus est. Vide Chron. Capituli Spalat. 32.

19. o Georgius I. Archiep. Spalat. o

20. Gaudius Clauculus Archiep. Spalat. Iste fuit patria Spalatinus, filius Cocini, & nepos Corvuculi; fuit prius Plebanus ecclesiæ S. Anastasiæ de jure Patronatus; fuit etiam statura eleganti, & inter cæteros litteratior habebatur, & gratiosus satis apud Reges Hungariæ; quippe ut elatus homo eorum curiæ frequentabat; ordinatus fuit anno p. 1133. Vixit in culmine Pontificatus ecclesiæ Spalatinæ fere 40. annis; tandem depositus fuit, eo quod Dyssum Maccarellum Episcopum Tragurinensem. cum uno tantum Episcopo consecravit. Hic longa paralysis ægritudine dissolutus apud Monasterium S. Benedicti extra muros diu jacuit, ibique vitam finivit. Hic Archiepiscopus concessit Monialibus S. Benedicti construere ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani cum domo ad dilatandum Monasterium, in qua ipsæ Moniales tempore messis, ac vindemiæ pie habitarent; & hoc habetur in libro Institutionum dictarum Monialium. Vid. Chronic. Floruit anno Domini 1150, reperitur scriptum in membranis in Chartulario Cap. Spalat. p

21. Absalon Archiep. Spalat. Iste fuit Hungarus subrogatus Gaudio Archiep., & moritur prius isto Gaudio; & alius loco ipsius nomine Petrus Lombardus subrogatus est anno Domini q 1145. Iste consecravit ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani. Lampridius Episcopus Jadrensis obtinuit pallium a Papa, & exemit se Metropoli Spalatinæ ecclesiæ. Vide Chron. 31. q

22. Petrus III. Archiep. Spalat. fuit natione Lombardus, vir magnæ scientiæ, & litteraturæ, ac bonorum morum, & præcipue Physicali scientia

tia eruditus erat ita, ut respiciendo in faciem sani hominis, prænosceret, quo ægritudinis genere laboraret, & quo medelæ antidoto posset morbos expellere. Qui, cum Gaudius gratia visitationis accederet, videns, eum adhuc Episcopalem annulum in digito gestare, eumque redargueret, ipsum annulum de ejus digito vi extraxit. Fuit prius Episcopus Narniensis; obiit in Hungaria, sepultus est in ecclesia S. Mariæ in Alba; ob ipsius laudabilis vitæ conversationem, in magna veneratione ab incolis ejus regionis tumulus illius habetur. Vid. Chronic. 31.

23. Girardus Archiep. Spalat. Vid. Chron. Capituli Spalat.; nec non lege vitam S. Raynerii.

24 Raynerius Archiep. Spalat. ac Martyr sedit annos quinque in Pontificatu ecclesiæ Spalat. Lapidatus fuit a Slavis Cacichibus de monte Massarone, eo quod circuibat terras prædictas, ac possessiones ecclesiæ S. Domnii, quæ usurpatæ a quibusdam perfidis Christianis fuerant, anno Domini 1180. sepultus est in ecclesia S. Benedicti extra muros Spalati, ubi etiam hodie ejus sepulchrum veneratur. Iste Raynerius floruit tempore Alexandri III. Papæ, & D. Emanuelis Constantinopolitani Imperatoris, ut manifeste constat in nonnullis Bullis Pontificiis in membranis, quæ reperiuntur in Chartulario cap. Spalat., & in uno instrumento descripto in libro, in quo descripta sunt jura & Donationes S. Petri de Lumai versus finem. Iste Raynerius rogatus a suis Spalatensibus, ut iret Constantinopolim ad Curiam Imperialem, benigne hoc opus suscipiens, profectus est cum nonnullis Nobilibus civitatis, & ingressus Curiam Imperialem ab ipso Emanuele Imperatore benignissime acceptus est, & postulatis ab ipso Imperatore libentissime susceptis, Spalatum rediit. Item invenitur in lectionibus, quæ leguntur in ecclesia Spalat. in die B. Raynerii, quod Alexandro Pontifice Venetias per mare properanti, cum variis itineris refocillamentis, in insula Issa, ornatissimis cymbis & celeribus instructis occurrit, magno cum Cleri, & Nobilium Spalatensium comitatu, Jaderam usque eum consecutus. Fuit vir valde constans & intrepidus; nec patiebatur aliquid de juribus, & facultatibus ecclesiæ deperire. Ad ejus instantiam dictus Papa confirmavit antiquam consuetudinem Capituli, ut reperitur in chartulario Capit. Spalatensis in membranis, & vocatur indultum. In morte ipsius Raynerii, quidam Sacerdos nomine Micha pœnas ob suam malitiam dedit miraculose, & morte subitanea obiit, bibens potum aquæ quasi superstiti Raynerio per ludibrium propinans. Chronic. 38.

25. Petrus IV. Archiep. Spalat. successor Raynerii. Fuit Hungarus ex nobili familia Chileni. Hic primo anno sui Pontificatus Kalendis Madiis 1185. convocavit universos Episcopos suffraganeos suos, Abbates, & omnes ecclesiæ Personatus habentes, cum universo Clero ad Synodum Provincialem celebrandam Spalati, tempore Lucii Papæ; in qua Synodo fuere suffraganei Episcopi sequentes, Falco Tiniensis, Matthæus Nonensis, Marinus Segniensis, Michael Scardonensis, Michael Tragurienſis, Matthæus Corbaviensis, atque Isak S. Stephani de Pinis Abbas. Qui D. Petrus Archiep. in illa Synodo ultimo die omnes invitavit, ut si quis aliquid haberet, loqueretur; tunc D. Duymus Primicerius ecclesiæ S. Domnii & universi Canonici unanimiter assurgentes petierunt ab ipso D. Archiepiscopo ipsis quædam jura confirmari, asserentes ea antiquitus a suis antecessoribus eis fuisse concessa; qui D. Archiepiscopus optime auditis & intellectis, & consideratis eorum juribus ac prætensionibus, ea approbavit, ac stabili firmitate confirmavit anno Dominicæ Incarnationis 1185., Indictione 3., Romanæ sedi præsidente Lucio Papa III., Hungariæ Regnum gubernante Bela III. Ista specialiter reperiuntur scripta in litteris patentibus in membranis, quæ conservantur in Chartulario capituli Spalat. quædam etiam in Chronica videbis. Iste D. Archiep. sedit in Pontificatu s duos annos, postea translatus est ad ecclesiam Colocensem, ibique vitam finivit.

26. Petrus V. Archiep. Spalat. natione fuit Hungarus, & prius fuit Abbas S. Martini in Pannonia; vixit in Pontificatu Spalat. annis quinque. Cum prædicto D. Petro Archiep. Capitulum Spalatense habuit nonnulla litigia super aliquibus prætensionibus apud sanctam sedem Apostolicam; & contra Archiepiscopum sententiam favorabilem reportavit. Hic Archiepiscopus nolebat ullo modo acquiescere his, quæ suus præcessor in Synodo Provinciali, Capitulo & Canonicis confirmaverat; tamen postea fecit invitus. Vide Chron. Cap. Spalat., & Bullas in membranis scriptas, quæ conservantur in Chartulario dicti Capituli.

27. Bernardus Archiep. Spalat. Hic fuit Perusinus patria ex Tuscia, eloquentia & litteratura eruditissimus. Iste D. Bernardus fuit consecratus ab Innocentio III. anno Domini 1200. Vid. Chronic. 41.

28. Slavinus. Iste fuit electus Arch. Spalat.,

29. Gonzellus Archiep. Spalat.

30. Hugrinus Archiep. Spalat. Iste fuit eruditus in divina pagina, & facundus in sermone, fuitque prius Præpositus Casinensis, deinde electus in Archiepiscopatum, fuitque consecratus in ecclesia S. Domnii anno 1247, die 20. Februarii. Iste Archiepiscopus non appetebat sapientiam, nec religiosorum consortia, sed armatorum, quibus cum stipendia domesticæ facultatis non sufficerent, tendebat manus ad aliena, & illicita; sicque fuit tam clericis, quam laicis, atque Monasteriis durus exactor, & onerosus dominator. Tentavit ipse omnia jura Canonicorum subvertere, & annihilare, ac in usus proprios retorquere, sed obstantibus DD. Archidiacono, & ceteris Canonicis non potuit. Erat autem probis viris turbulentus, & minax; pravis vero munificus & amicus; ita quidem contigit, ut intolerabilis videretur; ob eamque causam ipse semper contra cives, & cives contra ipsum malevolentiæ suspiciones gerebant, ut in Chronica.

31. Rogerius Archiep. Spalat. natione Apulus de partibus Beneventanis sedit in Pontificatu regnante Bela Serenissimo Rege Hungarorum fere annis 16. Iste ædificavit molendina in fluvio Salonæ, & pro majori parte anni residebat. Quando vero ad visitandam provinciam egrediebatur, semper volebat aliquos de Canonicis & civibus in sua societate habere. Ipse fere biennio podagra laborans in lecto jacuit alienis adjutus manibus, tantum sola lingua utebatur. Condidit suum testamentum coram multis canonicis & sæcularibus, qui & ecclesiæ S. Domnii reliquit duos annulos ob sui memoriam, qui annuli servantur in Thesauris S. Domnii; hisque præsenti tempore Archiepiscopi Spalatenses utuntur, quando divina officia solemniter celebrant. Obiit 18. Kalendis Madii id est 14. April. A. D. 1266, sepultusque est in arca marmorea cum D. Crescentio Archiepiscopo, qui floruit 1103, ante fores ecclesiæ Cathedralis ex parte Boreali cum hac inscriptione.

Præ-

Digitized by Google

Præſulibus geminis præſens Catagea dicatur;
Nam tibi, Creſcenti, Rogerius aſſociatur.

32. *Joannes* III. *Archiep. Spalat.*

33. *Petrus* VI. *Archiep. Spalat. Floruit temporibus Caroli* x *Roberti Regis Hungariæ a. D.* 1306. * *reperies in aliis Capit. ſcriptum in charta.*

34. *Balianus Archiep. Spalat. Floruit anno Domini* 1326. *ut videre eſt in chartulario Capituli Spalat. in charta pecorina, ſuper qua ſcriptum eſt* Balianus Græcus.

35. *Dominicus primus Archiep. Spalat. floruit tempore Joannis Papæ* XXII. *Iſte Præſul fuit patria Spalatinus creatus an.* aa 1331. *ſedit annis* 17. *& fuit maxime devotus ad ſuam eccleſiam. Vixit tamen in Pontificatu Spalatenſi pompatice, magnam & copioſam poſſidens familiam: obiit an.* 1348. *die* 22. *Martii,* aa

36. *Ugolinus Archiep. Spalat. Iſte fuit Monachus S. Benedicti, patria vero Augubianus, vir nobilis, & de magna progenie, ſcilicet Branca, magnanimus, & ſufficiens ad plura. Hic tandem reſignavit Archiepiſcopatum in manibus D. Papæ Innocentii* VI. *an. Domini* bb 1355. *ut clare patet in quibuſdam Bullis ſcriptis in membrana, quæ conſervantur in chartulario Capituli Spalat.* bb

37. *Petrus* cc VII. *Archiep. Spalat. patria Spalatinus.* cc

38. *Andreas* I. *Archiep. Spalat. Hic fuit de partibus Marchiæ; floruit an.* 1393. *De hoc vide in Bullis membraneis Papæ Bonifacii* IX. *conſervatis in chartulario Capit. Spalat.*

39. *Peregrinus Archiep. Spalat. de Aragonia. Fuit natione Neapolitanus. Hic Andreæ ſucceſſit, & floruit an.* 1404. *ut patet in tabulis Capit.*

40. *Duymus Archiep. Spalat. patria Spalatinus, floruit anno Dom.* dd 1416. *Tempore iſtius Pontificis Spalatenſes ſe dediderunt Dominio Venetiarum; anno vero* 1420. *Mater ejus ſepulta eſt ante fores Eccleſiæ S. Domnii, ex parte meridionali, prope pilam aquæ benedictæ luſtralis cum hac inſcriptione.* dd

Hic nobilis Franciſca jacet, piiſſima mater
Doymi, qui erat Præſul venerandus in urbe. 1429.

41. *Petrus* VIII. *Archiep. Spalat. Hic fuit patria Pagenſis, & monachus familiæ Ordinis Prædicatorum. Multa bona ſuo tempore fecit; erexit capellam in ſublimi S. Domnii, eamque pulcherrimis paramentis adornavit. Sedit in Pontificatu Spalat. ee annis* 6. *menſibus* 4. *obiit an.* 1427. *die prima menſis Decembris; tumulatus eſt in eccleſia S. Domnii, ante capellam ipſius S. Domnii, quam ipſe D. Petrus Archiep. erexerat, juxta ſepulchrum Marci Vayvodæ.* ee

42. *Franciſcus Archiep. Spalat. Venetus natione, ex nobili familia Malipetro dicta. Iſte D. Archiepiſcopus perfecit capellam S. Domnii, quam Petrus ſuus præceſſor erexerat, ut clare conſtat ex carminibus deſcriptis in tabula marmorea, prope altare S. Domnii a parte Meridionali.*

Tempore, quo Franciſcus erat Foſcarea Proles
Dux Venetum, & virtute ſua clariſſimus Orbi;
Et Cleri Maripetro ſuis dum Præſul adeſſet,
Moribus & vita Franciſcus ſemper amandus;
Et quo nunc Spalatum Jacobus ratione gubernat
Gabriel & cunctis cælorum laudibus æquus,
Mille quater centum dum Phœbus volverat annos
Et jam ter nonos Novembris menſe peractos.

Iſte D. Archiep. fuit poſtea translatus ad Epiſcopatum Venetiarum an. Domini ff 1428. *ut patet in Chronica Venetiarum.* ff

43. *Bartholomæus primus Archiep. Spalat. Patavinus natione, & familia Zabarellis. Hoc conſtat, ſuper limina veteris Archiepiſcopatus ex parte Boreali, ſculptum in Lapide. Iſte D. Bartholomæus fuit poſtea translatus ad Archiepiſcopatum Florentinum a. Dom.* 1439. *ab Eugenio* IV. *Papa. Iſtud manifeſte apparet ex Scriptis in membranis, quæ conſervantur in chartulario Capituli Spalat.*

44. *Jacobinus Archiep. Spalat. Venetus ex familia Baduaria genitus, fuit prius Canonicus Patavinus; floruit a. Domini* 1439. *Moritur Spalati* 1451. *& ſepultus eſt in eccleſia Cathedrali S. Domnii ante pulpitum. Iſte D. Archiep. pro teſtamento legavit Capit. Spalatenſi ſuam mithram pretioſam gemmatam, Paſtorale, & Crucem, quæ ante ipſum deferebatur, cum hac etiam conditione, quod Capitulum in ſua neceſſitate poſſit iſta vendere tamquam propria. Hic D. Archiepiſcopus tam in vita, quam poſt mortem, uti bonus paſtor, & optimus, agnoſcens cariſſimos filios, ipſis iſta reliquit. De hoc extant litteræ Ducales in membranis ſcriptæ ac plumbo munitæ Auguſtini Barbarici Ducis Venetiarum datæ a.* 1496. 27. *Auguſti; aliæ vero Leonardi Loredani Ducis Venetiarum, datæ anno* 1504. *die* 12. *Martii.*

45. *Laurentius* II. *Archiep. Spalat. Venetus ex familia Zane genitus, Eugenii* IV. *Pontificis nepos, a Nicolao* IV. *Pontifice Romano creatus a. Domini* gg 1452. *Ipſe Laurentius annum tertium & vicesimum agens Spalatenſi eccleſiæ præficitur.* gg

46. *Joannes* IV. *Archiep. Spalat. familia* hh *Averoldus, patria Brixienſis. Fuit ipſe Præſul Generalis Fratrum Ordinis Minorum, an. Domini* 1474. *Poſtea translatus fuit ad Epiſcopatum Tarviſinum.* hh

47. *Petrus* IX. *Archiep. Spalat. electus, patria Venetus, ex familia nobili Fuſcari. Iſte fuit Primicerius S. Marci, & S. R. E. Cardinalis creatus a Sixto* IV. 1477. ii ii

48. *Bartholomæus* II. *Arch. Spalat. ex familia Averolda Brixienſis. Iſte conſtruxit murum in ſuo Archiepiſc. caſtro, nuncupato Suſſurax, ex parte maris, ut denotant carmina ſculpta ſuper limina dicti caſtri.*

Gloria Brixigenum nullo delebilis ævo
Gentis Averoldæ Bartholomæus honor.
Antiſtes Spalati, vir jure in utroque refulgens,
Hoc mari in Adriaco ſurgere juſſit opus. 1489.

Hic D. Archiepiſcopus habuit nonnulla litigia cum Capitulo Spalat. ſuper quibuſdam juriſdictionibus, & gravaminibus, quibus ipſe Archiepiſcopus aggravabat Capitulum, ut patet in libro Capit. a. D. 1495. *tempore D. Archidiaconi Hieronymi Cipci; item ſuper mithra pretioſa gemmata, & paſtorali, & cruce, quæ præceſſor ſuus D. Jacobinus Baduarius eidem Capitulo legaverat, ut patet in Decreto Sereniſs. Ducis Auguſtini Barbadici* 1496. *die* 27. *Auguſti; & hoc conſtat in litteris Ducalibus, quæ conſervantur in chartulario Capit. Spalat. & in Cancellaria Magnificæ Civitatis.*

49. *Bernardus* II. *Archiep. Spalat. Hic fuit Doctor J. U. ex nobili proſapia Zane Venetus, floruit a.* 1502. kk *uſq. ad* 1516. kk

50. *Andreas* II. *Archiep. Spalat. Venetus patria, familia Cornelius, floruit an. Domini* 1517. *uſq. ad* ll 1563. ll

51. *Marcus Cornelius Venetus Archiep. Spalat. floruit a.* 1564.

52. *Aloyſius Archiep. Spalat. Venetus ex patritia domo Michaelia genitus. Iſte Præſul optimus & benignus, pacem conſervans cum ſuis ſubditis, floruit a. d.* 1570.

53. *Joannes Dominicus Malcotus* mm *poſtea appel-* mm

Digitized by Google

pellatus Foconius, an nec non de Seraphinis; fuit Venetus de Muratio. Is prius Monachus extitit ex familia Fratrum Prædicatorum, peroptime in divina pagina, ac muſicis artibus fere omnibus inſtructus. Habuit nonnullas lites cum ſuo Capitulo & Clero, & Nobilibus Spalaten. civitatis, tam coram Sede Apoſtolica, quam coram Sereniſs. Dominio Venetiarum. Nitebatur enim tollere, & annihilare jura, juriſdictiones, & conſuetudines approbatas, ac privilegia eorum antiquiſſima, eaque ſibi uſurpare. Tunc D. Franciſcus Roſanus Canonicus, & Archidiaconus, nec non Franciſcus Maurinus Canon. & Archipresbyter eccleſiæ Spal. ſeſe illi D. Archiep. oppoſuerunt. Immo ob hanc cauſam prohibitus eſt apud ſuam eccleſiam habitare, ac tandem Venetiis obiit. Floruit a. D. 1575. uſque ad a. 1602. die 2. Auguſti.

54. Marcus Antonius de Dominis Comes Palatinus, & nobilis Arbenſis, & Epiſcopus Senienſis a Clemente VIII. ad Archiep. Spalat. a. 1602. electus. Iſte Archiep. ſtuduit jura antiquiſſima Capituli & Canonicorum annihilare, faciens in ſua palam viſitatione Manſionarios, & Cantores, ut ſint duo corpora in Cathedrali Spalatenſi. Ob quam cauſam Rever. Capitulares miſerunt Legatos Romam, ubi obtinuerunt, auditis partibus favorabiles reſponſiones. Iſte Præſul ædificavit chorum cum Capitulo a. 1615.

55. Sfortia Ponzonius Venetus vixit in Pontificatu 24. annos; mortuus eſt Venetiis, jura eccleſiæ defendens, translatus eſt Spalatum, & ſepultus in choro S. Domnii. Pater ejus donavit Theſauro S. Domnii mithram gemmatam, duo candelabra argentea, Crucem, & calicem, & vaſculum aquæ benedictæ, cum aſperſorio, nec non multa alia a. 1640.

56. Leonardus Bondumerius patritius Venetus, Canonicus Patavinus, Urbani VIII. Cubicularius honoris; ob ejus ſingulares virtutes Pontifex ad Archiep. onus eccleſiæ Spalatinæ, videns illum eſſe dignum, cum ſuo magno honore, & multis privilegiis ornatum mandavit. An. 1640. electus fuit in Archiepiſcopum, & moritur a. 1668.

57. Bonifacius Albanus Bergomenſis e Congreg. Somaſchæ, præfuit an. 1668. & moritur fortuito veneno 1678. Ædificavit palatium Archiepiſcopale a fundamentis, nec non multa bona fecit eccleſiæ.

58. Stephanus Coſmi civis Venetus Congreg. Somaſchæ Generalis. Præfuit ab an. 1678. uſque ad an. 1708. Hic Præſul ſeminarium Archiepiſcopale conſtruxit a. Jubilæi 1700. Palatium ſuum ampliavit, & ex redditibus ſuæ menſæ Archiepiſcopalis adornavit paramentis ſuam eccleſiam.

59. Stephanus Cupilli Bellunenſis Congreg. Somaſchæ Sacerdos, electus in Archiepiſc. Spalat. a. 1708. ingreſſum fecit 13. Julii poſt prandium anno eodem; antea electus fuit ad eccleſiam Arbenſem a. 1699. factus poſtea Epiſcopus Tragur. an. eodem; deinde 11. Decembris 1719. hora 9. noctis præcedentis moritur, 13. die ejuſdem menſis ſepultus eſt. Sacrificium peregit Illuſtriſſimus & Reverend. Nicolaus Biancovich, cum aſſiſtentia Matthæi Joannicii Epiſc. Scardonitani, & Nicolai Viddovich Epiſc. Tragur. Frater ſuus donavit Sacriſtiæ S. Domnii calicem argenteum cum patena, omni meliori arte elaboratum, & paramenta quamplurima. Orationem funebrem fecit Joannes Scirotovich Canonicus Metropolitanæ.

60. Jo. Baptiſta Laghi patritius Venetus, Conſiliarius Congreg. Somaſchæ, creatus in Archiepiſcopum an. 1720. 12. Martii. Ingreſſum fecit an. eodem 21. Novembris poſt prandium. Mortuus eſt 11. Februarii 1730. die Sabbathi 2. hora noctis, die Martis ſepultus eſt. Sacrificium peregit Archipresbyter Vincentius Carunchius. Multa litigia habuit cum Capitulo & Clero. Orationem funebrem fecit Archidiaconus Canonicus Didacus Manola.

61. Antonius Kadcich Macarenſis, Archiepiſc. Spalat. prius Epiſcopus Tragur. fuit vir apprime doctus in Theologia, in Dogmatica, & in lingua Græca; creatus fuit in Archiep. per Bullam Pontificiam 18. Decembris, an. 1730. Ingreſſum fecit die Dominico 4. 1731. 6. Madii mane propter Veſperas S. Patroni Domnii. Mortuus eſt octava S. Hieronymi, 7. hora noctis Menſis Octob. 1745. Habuit nonnulla litigia cum Clero inferiori, & Nobilibus Spalati, propter Moniales S. Raynerii, & S. Mariæ de Taurilo.

62. Pacificus Bizza Nobilis Albenſis, natus 3. Madii 1695. factus Epiſc. in patria 10. die Madii a. 1738. Poſtea electus in Archiepiſc. Spalat. per Bullam Pontificis Benedicti XIV. lectam in Capitulo a. 1746. 16. Februarii, ingreſſum fecit mane poſt Miſſam majorem die 26. Junii a. 1746.

Notæ in I. partem Chronici Pontificalis.

a Re quidem & poteſtate erat *Archipræſul*, ſive *Archiepiſcopus & Metropolita*, verbo autem & appellatione non item; nondum enim ſpecioſa illa & illuſtria vocabula conſecraverat eccleſia, atque in hierarcham Pontificiam invexerat.

b Nos in Actis S. Domnii hujus martyrium in an. Chriſti 107. conferemus, Trajano imperante, & Chriſtianos perſequente; quare Auctor hujus Chronici caute prudenterque an. 105. cui martyrium S. Domnii adſcripſit, adverbium *circiter* apposuit.

c Plerique Pontificatum Joannis IV. duobus annis definiunt; nec deſunt, qui ejuſdem initia ad an. 640. referant.

d Corpus S. Domnii nuſquam e Dalmatia vel Romam vel alio evectum fuiſſe luculentiſſimis rationibus, & auctoritatibus in Actis S. Domnii demonſtrabimus.

e Itaque Sæculo 7. conſtans erat & communis opinio de poteſtate ac dignitate Metropolitica S. Domnii, ad quam declarandam Joannes IV. vel Theodorus, qui ab eo proximus ſacellum illud Lateranenſe perfecit ornavitque, juſſit eidem Pallium appingi, quod inſigne eſt juris Metropolit.

f Cæteri fere omnes habent Venantium.

g Hactenus recte proceſſit Series Epiſcopalis. Poſt Juſtinum turbari incipit, inter quem & Glycerium conſtituas oportet Juſtinianum hic n. 27. ac cæteros deinceps, quorum poſtremus eſt Martinus num. 46.

h Leo Orientis Auguſtus neque Glycerium Occidentis Imperio depulit, neque Glycerii nepos fuiſſe, aut apud Salonas interfectus eſſe traditur. Sed Julius cognomento Nepos Imperium Glycerio ademit, eumdemque ex Auguſto Epiſcopum fieri paſſus eſt, ut docet Marcellinus. Audi etiam Jornand. lib. 1. de Reg. & temp. ſucc. *Qui Nepos regno potitus legitimo, Glycerium, qui ſibi tyrannico more regnum impoſuiſſet, ab Imperio expellens, in Salona Dalmatiæ fecit Epiſcopum.* De Leone autem Imperatore Orientis hæc ſubjicit Jornandes: *Sic quoque Leo Leonem juniorem ex Ariadne filia nepotem ſuum in Imperio ordinans Orientali, anno ſui 16. obiit.* Idem confirmat Caſſiodorus in Chronico; qui addit præterea Nepotem *in Dalmatiam fugatum ab Oreſte, qui Auguſtulo filio ſuo dedit Imperium.* Julius igitur Nepos Salonas ſe recipere ab Oreſte coactus, ut docet Anonymus Cuſpinianus, & poſt annos quinque

Digitized by Google

que apud Salonam in ſua villa occiſus eſt vii. Idus Majas, an. 480. Itaque Auctor hujus Chronici confuſis perſonis, quæ in Julium Nepotem conveniunt, ea per errorem tranſtulit ad Leonem Orientis Auguſtum, & perperam Leonem vocat nepotem Glycerii.

i Ab Glycerio uſque ad Theodorum num. 26. Epiſcopos fere eoſdem enumerant cæteri Catalogi cum Romano, ex quo Heſychium addi oportet interſerique inter Januarium n. 14. & Stephanum n. 15. expuncto Saviliano, qui idem eſt ac Stephanus, ut docet idem Romanus Catalogus.

k Cæteri Catalogi: *Damianus*.

l Is eſt Theodorus ille, cujus temporibus Romanus Catalogus Salonam funditus everſam tradit. Qui deinceps ſequuntur Epiſcopi, eos bipartito diſtribuas oportet, & partim ante Glycerium colloces, partim infra Salonitanum excidium rejectas, ac Spalat. Eccleſiæ reſtituas neceſſe eſt.

m *Georgius* in Catalogo Romano.

n Utrique Joanni ex Catalogo Romano interjice Fruntinianum.

o Is eſt Martinus primus in Catalogo Romano.

p Leoni, & Joanni IV. Catalogus Rom. interpoſuit Heſychium III.

q Huic Glycerium proxime ſubjecit Catalogus Romanus.

r Hunc Martinum ac cæteros, qui ſequuntur uſque ad Joannem I. Spalat. Antiſtitem referas velim cum Catalogo Rom. ad Spalat. eccleſiam, ac ſubjicias Martino IV. Spalat. Archiepiſcopo.

ſ In Romano & aliis Catalogis Dometus.

t In Romano Georgius.

u Poſt Petrum, Juſtinus II. in Catalogo Romano, hic & in aliis prætermiſſus.

x In Romano Georgius.

aa Hunc Theodorum cum cæteris, qui huic antepoſiti ſunt uſque ad Martinum, poſtponas oportet Martino IV. Spalat. Antiſtiti, ut paullo ante admonui. Vide ſuperiorem notam u.

Notæ in II. Partem Chronici Pontificalis.

a Joannis I. Spalatenſium Archiepiſcopi initia Catalogus Romanus ad an. 650. retulit.

b Huic Catalogus Romanus præpoſuit Leonem III. hic prætermiſſum.

c Inter Juſtinum & Fruntinianum Catalogus Romanus interjecit Joannem VIII. aliis Januarium II.

d Tres hic Epiſcopi ante Paullum deſiderantur, quos Catalogus Romanus Joannem V. Petrum IX. Martinum V. nominat, ſed Martinus, itemque Joannes, & Martinus alter Paullo ante Drabalem cum aliis Catalogis hic ſubjicitur.

e Præſtantius apud Archidiaconum non Paulli, ſed Petri, quem Chronicon prætermiſit, & Catalogus Romanus commemoravit, Pater dicitur.

f Hunc Marinum vocat Archidiaconus.

g Hanc ædificationem *Eccleſiæ S. Felicis*, non huic Joanni, ſed alteri juniori attribuit Archidiaconus, qui annis circiter centum & triginta poſt Joannem ſeniorem, ſuffectus eſt Drabali.

h Hæc quoque referas ad Joannem juniorem, qui Drabali ſucceſſit.

i Martino & Drabali ex Archidiacono, & Catalogo duo ſunt locandi Antiſtites Petrus filius Præſtantii, & Paullus.

k Huic itidem an. 1030. Archidiaconus & Catalogus Romanus initia Drabalis attribuunt.

l Huc revocandus eſt inter Drabalem, & Laurentium Joannes ille, qui, ut ait Archidiaconus, *Eccleſiam S. Felicis ſuper rivum ædificavit, & præ ſenectutis oneri ceſſit*. Vide notam g. Catalogus Romanus Drabali ante hunc Joannem ſubjecit Lamprſidium, de quo in notis ejuſdem Catalogi.

m Hæc narrat Archidiaconus cap. XIV. non 24. Itaque niſi hæc nota arithmetica mendo ſubſit, *Chronica illa* Capituli Spalatenſis diverſa eſt ab Hiſtoria Archidiaconi.

n Archidiaconus & Catalogus Romanus, & Salonitanus Gregorium Manaſſi poſtponunt.

o Is Georgius abeſt a cæteris Catalogis.

p Biennio poſt ex Catalogo Romano conſecratus fuit.

q Catalogus Romanus an. 1163. ſubrogatum Abſaloni tradit.

r Obierat quidem Raynerius an. 1180. ſed non ante quinquennium eidem ſubrogatus fuit Petrus, nam Catalogus Romanus Pontificium interregnum annorum quinque interpoſuit.

ſ Duos itidem annos Petro attribuit Archidiaconus, ſed quinque Catalogus Romanus.

t Bernardi conſecrationem Epiſcop. Catal. Rom. ad an. 1195. revocavit; id quod cohærere nequit cum Pontificatu Innocentii III. qui Eccleſiæ regimen ſuſcepit an. 1198.

u Catalogus Romanus Hugrini initia in ann. 1243. conjecit.

x Ab aliis Carolus Umbertus dicitur.

aa In Catalogo Romano Dominici Archiepiſc. creatio ſubjicitur an. 1328.

bb Catalogus Romanus Pontificatum Ugolini perduxit uſque ad an. 1371.

cc Hic Petrus abeſt a Romano, & cæteris Catalogis.

dd Duymus in Catalogo Romano Pontificatum initit an. 1418. obiit triennio poſt.

ee Huic Petro annos 9. attribuit Catal. Rom.

ff Hæc Epocha retinenda; neque aſſentiendum Catalogo Romano, qui ab an. 1431. ad 1432. Franciſci Maripetri Epiſcopatum deduxit: ſiquidem an. 1428. translatus fuit ad Eccleſiam Caſtellanam, ſeu Venetam.

gg Catalogus Romanus anno uno creationem Laurentii anticipat.

hh Hunc Romanus *Zanettinum*, Salonitanus de *Furlino*, cæteri Catalogi Averoldum cognominant.

ii Hujus itidem initia Pontificalis Romanus anno uno anticipat.

kk De uno anno diſcrepat Romanus.

ll Nimirum vixit; nam Pontificatu ceſſit an. 1536.

mm *Malcotus*. Alii *Malquatum*, alii Malquetum vocant. Sed Fontana in Theatro Dominicano, cæterique Scriptores Dominicani, ſummo conſenſu Mariottum appellant.

nn *Foconius*. Auctor hujus Chronici unum è duobus conflavit Archiepiſcopum. Dominicus Mariottus an. 1575. ſucceſſit Aloyſio Michaeli, cujus Adjutor antea fuerat. Ob lites & contentiones, quæ illi erant cum Capitulo Cleroque Spalatenſi, abdicatione voluntaria Pontificatu abiit an. 1585. Huic vero ſuffectus eſt Dominicus Foconius, quem Fontana ſupra laudatus Fregonium vocat, & Sedem Metropoliticam tenuit, uſque ad an. 1602. cui quidem anno Dominici Mariotti ex Archiepiſcopatu deceſſus hic per errorem adſcribitur. Errandi cauſam præbuit idem utriuſque Archiepiſcopi nomen; & ut alius ex allo error gignitur, quæ duorum erant cognomina, uni eidemque Dominico attribuit.

oo *De Muratio*. Corrigendum, & ſubſtituendum *De Muriano*; quod quidem mendum in Librarium libentius, quam in Auctorem conjecerim.

ECCLESIA SALONITANA.

SS. TITUS, ET HERMES

Dalmatiæ Apoſtoli, & Præcurſores S. Domnii Epiſcopi Salonitani primi.

DE SANCTO TITO.

PRÆFATIO.

S. Titus Epiſcopus & Apoſtolus Dalmatiæ.

BEatus Titus genere ac patria Cretenſis, primum Chriſti, & Apoſtolorum Diſcipulus, deinde Paulli ſocius, idemque interpres, atque adjutor ad religionem Chriſtianam propagandam, miſſus ab eodem Paullo in eam Illyrici partem, quæ ad Solem occidentem vergit, primus omnium in Dalmatia eccleſiam Chriſto haud ſane ignobilem & infrequentem aggregavit. Is ſummo Dei beneficio ac munere illis gentibus natus, univerſam Dalmatiam luſtravit, permultos Chriſtianis præceptis ac myſteriis imbuit, Sacerdotes conſecravit, rei Chriſtianæ curatores ferme ubique conſtituit; id quod teſtatur Euſebius lib. 3. cap. 2. qui ait Titum abiiſſe in Dalmatiam, *ut hanc provinciam regeret*; omnia denique præclare, quæ ſui muneris eſſent, ex Paulli præſcripto & ſententia geſſit; ut jure meritoque primus Dalmatiæ Apoſtolus, & Epiſcopus quamvis nulli civitati affixus, dicendus ſit, qui tam illuſtris, atque omnium linguis olim ac litteris celebratæ eccleſiæ fundamenta jecit. Quare non committendum putavi, prius ut de Beato Domnio ſcribere inſtituerem, quam ea lectoribus exponerem, quæ ad S. Titum, ejuſque Dalmaticum Apoſtolatum pertinent. Is quippe inter omnes Dalmatiæ Epiſcopos, ſi minus dignitate, attamen tempore primum locum ſibi vindicat; neque ſine cauſa illum Præcurſorem S. Domnii primi Salonarum Antiſtitis vocamus, quippe cum hujus in Dalmatiam adventum evangelica peragratione præceſſerit, & huic viam ad Dalmatas inſtituendos, condendamque Salonitanam eccleſiam munierit, ac præparaverit.

Præcurſor S. Domnii.

Ut autem Dalmatæ intelligant, cui debeant referre accepta Chriſtianæ religionis apud ſe conſitæ primordia, & qualem ac quantum virum Deus optimus Maximus delegerit, per quem illorum patria lucis evangelicæ radiis colluſtrata ab errore & ſuperſtitione ad veri numinis notitiam cultumque revocaretur; collegimus in unum locum præclara teſtimonia & elogia, quibus Titum Martyrologi, cæterique Hagiographi, & maxime D. Paullus in ſuis epiſtolis præſertim in ſecunda ad Corinthios exornavit. Nec vero deſunt ex omni ferme ætate ſcriptores virtute ac doctrina ſingulari, qui plena, ut ajunt, manu præſtantiſſima quæque encomia in eum congeſſerint; inter quos facile eminet Andreas Epiſcopus Cretenſis, qui multis poſt ſæculis eidem in Epiſcopatum Cretenſem ſucceſſit; ex cujus oratione de laudibus S. Titi, multa & illuſtria, quibus illum extulit, elogia ampliſſimoſque titulos eidem attributos deſcripſimus. Tot vero ac tanta graviſſimorum Auctorum teſtimonia ſatis oſtendunt B. Titum ea virtutum omnium, ac rerum geſtarum gloria floruiſſe; ut ſi Apoſtolos excipias, ſanctiſſimos quoſque primævæ eccleſiæ viros Apoſtolicos omni laudum genere vel ſuperaverit, vel certe æquaverit. Hinc vero habent Dalmatæ, unde in Domino glorientur, Deoque maximas gratias agant habeantque, quod talem ac tantum Apoſtolum ad ſalutem Dalmatiæ, inferendamque illuc Chriſti religionem deſtinaverit.

Elogia D. Titi.

Ne quis vero Dalmaticam provinciam a nobis primum B. Tito impoſitam, & quaſi affictam eſſe putet, hujus rei locupletiſſimos teſtes ex prima & media ætate prodnximus, quorum in hanc ſententiam teſtimonia tranſcripſimus; ſcriptores etiam tertiæ, ac poſtremæ ætatis nobis ſubſidio vocavimus, qui non modo veterum ſententiæ ſuam adjungunt, ſed etiam multa de ſuo addunt, quibus D. Titi in Dalmatiam adventus non minus illuſtrari, quam probari poſſit. His vero acta S. Titi ſubjunximus ex Menæis, ex Andrea Cretenſi, ex Petro Equilino deſumpta, ad eaque explicanda & illuſtranda cum notas breviores ſubjecimus, tum animadverſiones aliquanto copioſiores adjunximus. Deinde inquirimus, quid tituli ac muneris in Dalmatia gerendi a Paullo acceperit, cum ejus miſſu juſſuque Dalmaticam expeditionem ſuſcepit. Huc accedent Diſquiſitiones aliquot chronologicæ, ad inveſtigandum annum ſuſceptæ, tempuſque ſtatuendum adminiſtratæ provinciæ Dalmaticæ. Neutrum autem conſtitui ac definiri poteſt, niſi etiam epiſtola ſecunda ad Corinthios, & ſecunda ad Timotheum, in quibus Titus ſæpe nominatur, itemque illa, quæ ad Titum ipſum ſcripta eſt, ſuis quæque annis illigetur; id quod rerum ac temporum illorum explicatione adhibita præſtare conabimur.

Apoſtolatus Dalmatici per Titum geſti teſtes plurimi.

Ejus acta ex variis ſumpta, notis, animadverſionibus, & Diſquiſitionibus illuſtranda.

De obitu, ſepulchro, & cultu Divi Titi, quæ ſcribamus, pauca omnino ſuppetunt, cætera longinquitas temporum, & ſcriptorum incuria poſteritati præripuit. Ejus patrocinii vim atque præſentiam in eo potiſſimum declarari, ut Chriſtianis bellum adverſus Religionis hoſtes gerentibus opituletur, intelligi poteſt ex oratione Andreæ Cretenſis Epiſcopi, unde aliqua fragmenta decerpſimus, quæ cum Chriſtianos

Patrocinium S. Titi adverſus hoſtes Religionis Chriſtianæ.

Digitized by Google

nos omnes, tum illos vel maxime, qui omnium primi Turcarum potentiæ ad prædam ac direptionem expositi sunt, admonebunt, ad quem confugere, cujus opem implorare debeant, cum a potentissimo illo Christiani nominis hoste bella & clades imminent; nec minorem in Dalmatarum, quam in Cretensium animis religionem adversus B. Titum, fiduciamque excitabunt. Quid enim sibi opis ac præsidii ab illo sperent Cretenses, quod non jure potiori sibi Dalmatæ polliceantur? Majus quippe, quam Cretenses, charitatis ac benevolentiæ pignus habere videntur Dalmatæ, quos ante Cretenses, per evangelium sibi ac Deo genuit; ut merito dubiis ac trepidis in rebus confidant numquam sibi ejus tutelam defuturam, cujus prædes vadesque ab ipso acceperint primitias Missionis Apostolicæ, jussu Pauli ab eo susceptæ. Demum chronologicam Synopsim conficimus, quæ omnia Titi acta breviter atque ordine comprehenderet, ac suis quæque annis distingueret.

In ordinandis actis S. Titi epocha Christi nobis utendum, composita cum anno æræ vulgaris.

Porro ad vitam sanctissimi hujus Episcopi, cujusque actorum seriem in ordinem chronologicum redigendam, Christi epocha, non illa quidem communi, vulgoque credita, quam ab ejus auctore Dionysianam vocant; sed vera ac germana, quæ ab anno natali Dominico, sive potius ab eo, qui hunc proxime consequitur, initium ducit, nobis utendum esse censuimus. Hanc viam nobis aperiunt, rationemque computandorum annorum porrigunt Menæa, in quibus breviter ac summatim vita ejusdem Titi describitur; nam alter & vigesimus Titi annus conjungitur cum eo anno, qui proxime Christi mortem antecessit, numeraturque tertius & trigesimus ætatis Christi; ut enim Baronius, & plerique docent, Christus anno ætatis trigesimo quarto mortem subiit, & tertio die consurgens a mortuis, quadragesimo, quam revixerat, die in Cœlum sublatus est. Ex anno trigesimo tertio Christi, cum Titus annum vicesimum primum jam inierat, hujus vitæ ordinandæ ratio desumitur; hinc fax quædam chronologica nobis affulget ad investigandum & statuendum, quo Christi anno Titus in lucem editus fuerit, quo ad Pauli disciplinam & societatem accesserit, quo Dalmaticum, quo Cretensem Episcopatum susceperit, quo tandem Christi anno mortem obierit. Itaque annum seu Titi ortu, seu re qualibet memorabili, quæ ad eum pertineat, insignem componimus cum eo Christi anno, qui vel Titi natali anno, vel rei cuique ab eo gestæ respondet, quicumque tandem is fuerit æræ vulgaris annus; quamquam plerumque cuilibet anno Christi annum æræ communis, qui cum illo cohæret, adjicere solemus. Illud præterea hic animadverti velim, res pleraque ætatis Apostolicæ ita cohærere & implicitas esse cum ea, quam diximus, epocha Christi nati mortuique, ut ab hujus annis illarum anni fere pendeant, veluti martyrium Stephani, quod in eumdem mortis Dominicæ annum, Conversio Pauli, quæ in proximum, Divisio Apostolica, quæ in duodecimum ab Christi obitu redituque ad superos annum a plerisque conferri solent. Quare quamdiu in priori ecclesiæ sæculo versabimur, non solum in actis S. Titi, sed etiam in actis S. Domnii, ad explicandos temporum & annorum ordines, æram Christi nobis adhibendam esse duximus: cum annis autem Christi annos æræ vulgaris fere semper conjungimus; ita plane, ut tribus ipsis annis æra Christi æram communem antecedat. Initium enim hujus æræ usu vulgaris jamdudum receptæ, si cum Kalendis Januariis ab ortu natalique anno Christi proximis conferatur, triennio posterius nobis videri diximus parte tertia Prolegomenon sect. 1. cap. 1. §. 1. Quæ opinio si cui minus arrideat, is facile poterit cuilibet numero annorum Christi cum annis æræ vulgaris per nos composito, annum unum, alterumve, aut adjicere, aut detrahere pro ea, quam quisque sequitur, sententia de numero annorum, quibus æra Christi eram vulgarem præcedit. Cum enim ortum Christi statui posse diximus tribus annis ante eum, qui vulgo statuitur, sive ante initium communis Epochæ, id exempli gratia, sive hypotheseos cujusdam causa posuimus; non quod hanc opinionem probabiliorem esse censeamus, aut prorsus ita esse aliis persuasum velimus; sed quod hæc fere media est inter contrarias discrepantesque auctorum sententias, idcirco hanc cæteris antetonendam duximus. Primum autem sæculum ætatemque Apostolicam prætervecti cum fuerimus, epocha Christi posthabita & relicta, una in posterum æra communi utendum nobis esse putamus. Hæc enim annorum ab ortu Christi numerandorum ratio, cum ubique & apud omnes, litteris & sermone usurpetur, tum vero ad Historiam & Chronologiam ordinandam satis idonea est ac pernilis. Nam enim necesse est ab vero natali anno Christi summam annorum Christi deduci, dum fixo & immobili ex capite pendeat; quod quidem caput fixum & immobile, ut Petavius docet ac probat, est annus Julianus 46., a quo initium sumit æra nostra vulgaris, & a quo is annus, quem nunc agimus, numeratur 1747. Nam hoc unum Chronologus inquirit, qui quidem hac æra utitur communi, quoto ante illud initium, idest ante annum Julianum 46., sive post illud, anno quælibet res inciderit, ut quanto ab nostris temporibus intervallo res eadem distet, sine errore statuat, & pronunciet. Cæterum quamvis omnes Historici pariterque Chronologi æra vulgari in rebus ad sua tempora, temporumque partes accommodandis utantur, non omnes tamen iisdem hujus æræ annis res maxime memorabiles affigunt, quæ post Christum natum acciderunt: nam exempli causa Imperatorum Romanorum, præsertim ante Diocletianum, initia & exitus, juniores Chronologi & Historici, accuratioribus calculis adhibitis, a Baronio dissentientes plerumque biennio, interdum etiam triennio & quadriennio antevertunt; itemque persecutiones ecclesiæ indictas, nonnumquam breviori, quam Baronius, annorum spatio definiunt: ex quo fit, ut res illorum temporum in alios illi, in alios Baronius anni vulgaris annos conjiciant. Quare visum est nobis identidem epochis Baronianis, recentiorum scriptorum epochas subjungere, ut quem quisque maluerit, rerum gestarum ordinem, seriemque chronologicam sequatur; id quod etiam in Præfatione præmonuimus.

Æra vulgaris posterior epocha Christi.

post primum sæculum a nobis usurpanda.

Eadem Christi epocha ad res gestas Apostolicæ distribuendas & in actis S. Domnii adhibenda.

CAPUT I.

De S. Tito Apostolo Dalmatiæ, & Episcopo Cretensi Testimonia & elogia.

§. I.

Ex Martyrologiis.

I. EX antiquo Martyr. Romano, IV. *Januarii apud Cretam Titi Apostolorum Discipuli.*

II. Ex

II. Ex Martyrologio Romano hodierno: *Pridie nonas Januarii. In Creta natalis S. Titi, qui ab Apostolo Paullo Cretensium Episcopus ordinatus, post prædicationis officium fideliſſime consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in ecclesia, ubi ab Apostolo dignus minister fuerat constitutus.*

III. Ex Additionibus ad Bedam in MS. Divionensi apud Hagiologos Antuerpienses tom. II. Martii: II. *nonas Januarii natalis B. Titi, qui ordinatus est ab Apostolo Paullo Cretensium Episcopus.*

IV. Ex Martyr. Usuardi: IV. *Januarii: Natalis B. Titi, qui ordinatus est ab Apostolo Cretensium Episcopus, ac prædicationis officium fideliſſime complens, beatum finem adeptus est; ibique sepultus apud ecclesiam, ubi fuerat dignus minister constitutus.*

V. Ex Martyr. Adonis: *Pridie nonas Januarii: Natale Beati Titi Apostolorum Discipuli, qui ordinatus est ab Apostolo Paullo Cretensium Episcopus, cui scripsit epistolam omni ecclesia Dei utiliſſimam idem Apostolus. Demum post prædicationis officium fideliſſime consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in ecclesia, ubi a Beato Paullo fuerat dignus Minister constitutus.*

VI. Ex Martyr. Notkeri. II. *nonas Januarii: Apud Cretam natalis S. Titi Apostolorum Discipuli.*

VII. Ex Martyr. Petri Galesinii: *Pridie nonas Januarii: Sancti Titi, qui a Paullo Apostolo institutus Cretensium Episcopus, & in Creta, & in aliis Creta finitimis insulis evangelica prædicationis munere perfunctus, quievit in Domino; sepultus in ea ipsa ecclesia, in qua dignus constitutus fuerat minister.*

§. II.

Ex secunda D. Paulli epistola ad Corinthios, itemque ex epistola ad Galatas.

EX cap. 2. ep. 2. ad Corinth. *Cum venissem autem Troadem propter Evangelium, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum Fratrem nostrum.*

Ex cap. 7. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi; non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me &c.*

Et paullo post: *In consolatione autem nostra abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus, sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, in veritate facta est; & viscera ejus abundantius in vobis sunt, reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore, & tremore excepistis illum.*

Ex cap. 8. *Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cæpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.* Et infra: *Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.*

Ex cap. 12. *Rogavi Titum, & misi cum illo Fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?*

Ex capite secundo epistolæ ad Galatas: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi.*

Animadversio prima in ea loca, quæ modo descripsimus ex epistola secunda Paulli ad Corinthios.

In hac epistola cum Paullus iterum ac sæpius Titi mentionem faciat, eamque semper plenam honoris ac benevolentiæ, hinc existimari licet, quanti eum fecerit. Ex ejus absentia tantum mœroris se cepisse ait, ut nullam partem quietis inveniret; ex ejusdem vero adventu tanta voluptate lætitiaque se perfusum esse, quæ omnem præteritæ tristitiæ sensum extingueret; perinde quasi, Tito absente, nulla sibi alitunde consolatio suppeditari posset. Summopere Paullus diligebat Corinthios, a quibus se plurimis & maximis amoris & obsequii officiis cumulatum meminerat. Titum itaque ex omnibus suis discipulis delegit, cui Legationem Corinthiacam semel atque iterum daret. Cum Corinthii a recto salutis tramite desiviſſent, neminem Tito magis idoneum invenit, qui eos ad officium revocare posset: adeo ille Titi prudentiæ ac virtuti confidebat. Nec sua illum opinio ac spes fefellit. Titus enim vel sanctitate vel eloquentia tantum apud Corinthios valuit, ut eos statim ad pœnitentiam, bonamque frugem reduceret, & primo suo adventu, suaque præsentia, salutarem illis metum incuteret. Quamvis Paullus summa inter suos auctoritate præstaret, atque Apostolatus amplitudine ac dignitate longe multumque Titum antecederet, cum tamen *Fratrem suum* appellare non dedignatur; neque illi pro imperio, ut jure poterat, Corinthiacam legationem imposuit; sed ad eam suscipiendam ut Titum adduceret, hortatione & precibus, quam auctoritate, & imperio uti maluit; ex quo intelligi potest, quo loco is esset apud Paullum, quantoque in honore haberetur. Habent igitur Dalmatæ, unde gaudeant, sibique gratulentur, quibus singulari Dei beneficio talis ac tantus obtigit Apostolus, cui religionis Christianæ apud se fundatæ initia accepta ferunt, quem Paullus inter Apostolos supremi ordinis, post Petrum facile princeps, & unice amabat, & plurimi faciebat. Si quis uberiores in hanc epistolam notas desiderat, adeat Hieronymum, Chrysostomum, Theodoretum, Salmeronem, Cornelium a Lapide, & plures alios sacrarum litterarum interpretes. Nos ea tantum hic breviter attigimus, quæ ad laudem Titi, & commendationem pertinent.

Animadversio secunda in caput secundum epistolæ ad Galatas.

Assumpto & Tito; non quod Titus tum primum in Paulli societatem receptus fuerit; nam ferme ante septem annos se illi comitem itinerum, & laborum Apostolicorum adjutorem adjunxerat; sed quia tum peculiari de causa Titum assumpsit, ut videlicet ad suam doctrinam, suumque Evangelium Apostolis probandum, Titi auditoris sui ac discipuli testimonio uteretur. In hunc locum hanc notam apposuit Alphonsus Salmeron;

Digitized by Google

meron: *Apostolus comitatus fuit Barnabą Hebreo, & Tito Gentili, qui erant omni exceptione majores, ut assentiret ambos convenisse in veritatem Evangelii, & non secutos honorem carnis; ut si quod de eą extitisset scandalum, eorum testimonio tolleretur; ut si Apostoli, vel Judęi dicerent, non recte illum in Gentibus prędicasse, illorum testimonio se tueretur, qui testarentur eum unum omnino, & eumdem prędicationis tenorem, quem cęteri Apostoli, tenuisse. Adduxit ergo Paulus Titum & Barnabam, ut in ore duorum, vel trium staret omne verbum.* Porro Paulus cum Tito & Barnaba Hierosolymam venit juxta Chronologiam Baronianam anno Christi 51., qui erat decimus quartus ab ejus conversione, quam Baronius anno 36. affixit. Interfuit autem Concilio Hierosolymitano, quod de ritibus ac cęremoniis veteris legis abrogandis habitum est. Sed neque *Titus, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi. Producitur in medium Titus non compulsus circumcidi*, ait Salmeron, *ut probet, quę fuerit ejus Concilii definitio? Non tantum enim verbis cęremonias legis non esse necessarias Gentili baptizato definitum est; sed etiam ipso facto. & in judicio contentioso Titum gentilem ad circumcisionem non compulsum. Nam si necessaria foret circumcisio homini Christiano, nam esset ullus incircumcisus ab Apostolis receptus, ut Christianus; sed compelleretur & ipse circumcidi, qui non tantum ut Christianus, sed etiam ut Episcopus Cretensis est ab Apostolo acceptus. Id etiam in contentione statuunt est, cum aliter fieri postularent pseudo apostoli.* Hactenus Salmeron.

§. III.

Ex ecclesiasticis scriptoribus antiquis, ac junioribus.

S. Ignatius Episcopus Antiochenus in epistola ad Philadelphios. *Viri diligite uxores vestras, ut conservas Dei, ut proprium corpus, ut fotias vitą, ut coągetatrices procreationis liberorum. Virgines solum Christum in precibus vestris ante oculos habete, & Patrem illius, illuminatę a spiritu. Fruar vestra sanctimonia, ut Jesu filii Nave, ut Melchisedechi, ut Heliązi, ut Jeremiæ, ut Baptistą Joannis, ut Dilecti illius discipuli, ut Timothei, ut Titi, ut Evodii, ut Clementis, qui in puritate exegerunt hanc vitam.* Vide, quantum Ignatius Tito tribuat, cum eum sanctissimis viris annumerat, qui intaminatę, ac perpetuo virginitatis gloria floruerunt. Hanc epistolam cum aliis quinque genuinum Ignatii fetum esse plurimis & gravissimis argumentis ex veterum Patrum testimonio petitis confirmat Nicolaus le Nourry Presbyter & Monachus Benedictinus ex Congregatione S. Mauri; eamque cum cęteris ab hęreticorum fallaciis & calumniis egregie vindicat in Appar. ad Biblior. Maximam veterum Patrum Dissertatione 7.

S. Dionysius Aręopagita epistolam ad Titum scripsit, quam germanam esse, & ab omni suppositionis nota ac suspicione immunem sibi videri affirmant Georgius Pachymeres, & Petrus Halloix e nostra societate. Dionysius hisce litteris respondet Tito, qui varias de divina sapientia quęstiones ad eum attulerat. *Sanctus*, inquit, *Timotheus, benestissime Tite, nescio, an aliquid scripserit de Theologicis signis; cujus ille ignarus abscesserit: cęterum in significativa Theologia omnia illa, quę in Divinis litteris de Deo indigne dicti plerique videntur, diligentissime inculcare curavimus.*

Eusebius Pamphilus hist. ecclesiasticę cap. 4. *Lucas*, inquit, *in Actibus Apostolorum plurimas ejus (scil. Pauli) socias memorat, & participes prędicationis; sicut Timothei meminit, & Titi: quorum alter in Epheso Episcopus, alter ordinandis apud Cretam ecclesiis ab eo profectus.* At Lucas quidem nusquam meminit Titi nostri, sed alterius generis Corinthii, quem Eusebius a Tito Cretensi Episcopo non distinxit.

Joannes Chrysostomus in cap. 18. Actorum, qui Titum ibidem laudatum eumdem esse censuit, ac nostrum: *Unus*, inquit, *ex Pauli sociis hic fuit, vir probatus, negue enim illi profecto integram insulam permisisset; neque ea, quę deerant, praecepisset implenda, ait enim, ut quę desunt, corrigas; & tam multorum Episcoporum judicium commisisset, nisi multum illi confideret; & infra: Brevem scribit epistolam, meritoque virtutis testimonium facit ipsius Titi: neque enim is ille erat, cui verbis pluribus opus esset, sufficiebatque illi tantum breviter admoneri.*

Theodoretus Cyrensis Episcopus in Commentariis epistolą ad Titum: *Divinus Apostolus Cretam divinę cognitionis luce illuminavit. Cum pietatis autem fundamenta jecisset, beatissimo Tito reliquum ędificandum credidit, quem in epistola ad Corinthios multis ornavit laudibus.* Idem in epistolam ad Galatas cap. 2. *B. Titus nam sequebatur ritum, quę circa possessionibus.*

S. Isidorus Hispalensis, nisi forte alius sit auctor ejus Opusculi, quod inscribitur, *De vita & obitu Sanctorum*, capite 7. *Titus Pauli discipulus, & in baptismo filius, natione Grecus, & ex gentibus salus a Paulo Apostolo post evangelium circumcisus, quem ad struendas Cretę ecclesias prę-fatus reliquit Apostolus, ibique in pace defunctus est, atque sepultus.* De Circumcisione Titi idem ante Isidorum scripserat Hieronymus, contra quam testatur Paulus in sua ad Galatas epistola. Utrique errandi hanc causa fuit, *quod aliqui cum Primasio*, (ait Cornelius a Lapide in caput 2. epistolę ad Galatas) *vocalem illam sed proprie adversative accipiunt, quasi velit dicere Paulus, Titum ab Apostolis quidem non fuisse compulsum circumcidi, sed tamen propter importunitatem falsorum fratrum fuisse circumcisum; plane id repugnat tum sequentibus verbis, cum ait: quibus neque ad horam cessimus; tum sanę fidei; jam enim abrogata circumcisione, & promulgato Evangelio, ac Baptismo, illicitum erat Gentilibus circumcidi. Titus autem plane utroque parente Gentilis erat, Timotheus vero Judęus saltem a Matre.*

S. Andreas Cretensis in oratione de laudibus S. Titi: *Admirabilis, & divinus Titus, primum ecclesię Cretensis fundamentum, columna veritatis, fidei firmamentum, dogmatum veritatis prę-sidium ..... Titus Evangelicarum prędicationum nescia silentii tuba, sublimis Paullinę linguę resonantia, verę scientię regula ..... Maximus Cretensis populi Pater .... Quis magnus hic, & conspicuus Titus, quem nostra duodecim gloriatus sedibus, velut Apostolico symbolice honestante numero, Creta tulit .... Primus eorum, qui magistro Epimenide crediderunt: qui se eorum primitias fecit, qui Christi baptismate conciliati sunt .... Pauli frater, solatium, & refrigerium, consolatio, gaudium, & ejus adjutor.*

Alphonsus Salmeron in secundam epistolam ad Corinth. cap. 12. *Chrysostomus testatur, quod Tito Paulus hus, quę viderat, revelaverat. Unde dixit:*

Tu

Tu ergo, fili mi, quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Idem in epiſtolam ad Titum diſputatione prima. *Cum Paullus fidei noſtræ fundamenta Cretæ jeciſſet, alio properans, ut erat non unius tantum inſulæ Paſtor, ſed univerſarum gentium Apoſtolus, Tito diſcipulo & Evangeliſtæ proſequendi operis partes mandaverat. Nam hic a Gentiliſmo converſus ad fidem fuerat, & ſuſcepta religione adeo profecerat, ut hunc inter præcipuos amicos, imo filii loco coleret Apoſtolus; idoneuſque eſt ab eo judicatus, qui magnæ huic inſulæ præficeretur quaſi Archiepiſcopus, qui poſſet per civitates Epiſcopos conſtituere. Quam autem eſſet hic Apoſtolo familiaris, liquere poteſt ex poſteriori epiſtola ad Corinthios, in qua frequenter ejus facit mentionem, ut capite 2. 7. 8. 12. & ex 2. ad Timoth. cap. 4. & ex ſecundo capite epiſtolæ ad Galatas.* Chryſoſtomus etiam homil. 1. citat *Acta Apoſtolorum, ſed profecto ex illo libro ullam de Tito mentionem factam eſſe nemo colligere poteſt, cum nomen Titi Græce non habeatur, ſed tantum juſti.*

Cornelius a Lapide in explicatione argumenti epiſtolæ Tito inſcriptæ: *Apoſtolus cum anno præcedente in Creta prædicaſſet, inde in Græciam diſcedens, Cretæ reliquit Titum, eumque creavit Archiepiſcopum, ut coeptam prædicationem, & Cretenſis eccleſiæ fundationem perficeret, ut patet cap. 1. v. 5. Itaque ſicut Timotheum duabus epiſtolis, ita Titum hac una inſtruxit, docetque, quæ ſint Epiſcopi, & Paſtoris munia: hæ enim tres epiſtolæ pontificales ſunt ejuſdem argumenti, ſibique perſimiles, adeoque videtur hæc epiſtola eſſe compendium utriuſque epiſtolæ ad Timotheum. Unde S. Aug. l. 4. de Doctrina Chriſti c. 16. cum meminiſſet epiſtolæ ad Titum, & utriuſque ad Timotheum ait: Quas tres epiſtolas ante oculos habere debet, cui eſt in eccleſia Doctoris perſona impoſita.*

Franciſcus Combefiſius ex Ordine Prædicatorum in Præfatione ad Notas, quibus præconia, Tito tributa ab Andrea Cretenſi, illuſtravit. *Vix unquam luculentius dixerit Andreas, campo ampliſſimo apoſtolicorum præconiorum, atque domeſticorum aperto. Ut enim vere omnibus mirabilis ſit Paullo cariſſimus Titus, non potuit tamen tanto ſuo ſucceſſori, & Cretenſi Archiepiſcopo non videri plane eximius.*

CAPUT II.

De Apoſtolatu Dalmatico B. Titi teſtimonia veterum.

§. I.

Ex epiſtola ſecunda D. Pauli ad Timotheum, cap. 4.

DAlmatiam B. Titi adventu nobilitatam, veſtigiis impreſſam, laboribus excultam fuiſſe auctores præcipui ſunt ex antiquis ſcriptoribus, Paullus Apoſtolus, Linus Romanus Pontifex, Euſebius Cæſarienſis, S. Hieronymus, & Theodoretus, quibuſcum conſentiunt eccleſiæ Salonitanæ monumenta. Primum igitur afferimus Paulli teſtimonium ex altera ad Timotheum epiſtola deſumptum; cujus auctoritate Titi adventus in Dalmatiam potiſſimum innititur; & nemo de Dalmatica Titi profectione mentionem fecit, quin Paullum hujus rei teſtem atque auctorem citaverit. Integrum fere hujus epiſtolæ poſtremum caput huc tranſtulimus, dempto initio, propterea quòd varios ejuſdem locos, qui nobis identidem magno ſunt uſui, in promptu omnibus eſſe oportet; & recta eorum intelligentia vel plurimum valet ad multas controverſias dirimendas, quæ de actis, & temporibus S. Titi haberi ſolent.

Ego enim jam delibor, & tempus a *reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſumavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus. Feſtina ad me venire cito:* b *Demas enim me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam:* c *Creſcens in Galatiam,* c Titus in Dalmatiam: *Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume & adduc tecum; eſt enim mihi utilis in miniſterium. Tychicum autem miſi Epheſum: Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit; reddet illi Dominus ſecundum opera ejus; quem & tu devita; valde enim reſtitit verbis noſtris. In prima* d *mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me* e *dereliquerunt; non illis imputetur. Dominus autem mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes, & liberatus ſum de ore* f *Leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo; & ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Saluta Priſcam, & Aquilam, & Oneſiphori domum. Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* g *Feſtina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Dominus Jeſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.*

NOTÆ.

a Ait imminere ſibi mortis ſuæ diem, non quod prope abeſſet a martyrio, ut aliqui interpretantur, ſed quia novem circiter annorum ſpatium, quod ſibi ad vivendum ſupereſſe divinitus intellexerat, admodum breve, & exiguum illi videbatur pro numero ac magnitudine earum rerum, quas mente, atque animo conceperat, ſibique gerendas propoſuerat. Cæterum ipſemet Deus interiori quodam inſtinctu Paullo ſignificaverat ſibi cordi eſſe, ut ex his vinculis eximeretur, & ſuſceptum evangelicæ expeditionis curſum abſolveret, quemadmodum Paullus infra teſtatur: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur.* Vide cap. 8. §. 2.

Baronius non multo aliter hunc locum expoſuit: *Quamobrem*, inquit, *non in alium ſenſum atque ſententiam ea Paulli verba de inſtanti ſuo obitu intelligi poſſe videntur, niſi quod fortaſſe fuerat ſibi divinitus revelatum, ſe ſub Nerone capite plectendum eſſe. Satis enim tempus illud inſtanti videri poterat breve, ac pene momentaneum novem, quod reliquum erat, vitæ ſuæ annorum ſpatium, ſi eadem plane menſura Salvatoris ad judicandum adventum poſt modicum temporis affore prædixit, ad Hebræos ſic ſcribens: Adhunc modicum, aliquantulumque, qui venturus eſt, veniet & non tardabit.* Nihil igitur efficiunt, qui ex his Paulli verbis hoc cogere volunt, ſecundas ad Timotheum litteras e ſecundis vinculis miſſas fuiſſe.

b Is Roma diſceſſit injuſſu Paulli; Creſcens

ac

ac Titus non item: nam uterque missus a Paullo, alter in Galatiam sive in Galliam, alter in Dalmatiam concessit. Ceterum Demas ipse non ita multo post resipuit, atque iterum se ad bonam frugem recepit; ut constat ex epistola ad Philemonem.

c Cave putes tum primum in Dalmatiam Titum profectum fuisse; jam inde ab anno quinquagesimo quarto Titus in ea provincia rei Christianæ operam navabat, ut postea ostendemus. Is igitur reditus fuit, non primus in Dalmatiam adventus. Vide caput 5. §. 2.

d Paullus semel atque iterum Neronis tribunal subiit causam dicturus; primum paullo post suum in urbem adventum, deinde biennio post, cum Neroni suam causam ita probavit, ut ejus sententia absolutus e custodia emitteretur.

e Hic inconstantiæ atque adeo defectionis notam inuritur Demæ, aliisque, qui cum ob metum, sive ob aliam causam a Paullo defeciss sent, officium, aut etiam fidem prodiderant. Titus certe ab hac reprehensione eximitur: quippe qui non sponte, sed Paulli jussu in Dalmatiam abierat; nemo enim sive Patrum, sive sanctorum interpretum Tito & Crescenti vitio unquam dedit, quod tum ex urbe discesserint.

f Hæc verba referri oportet ad primam defensionem, quæ quidem e sententia successerat. Nam in ea Paullus adeo præclare se apud Neronem purgavit, ut impositorum sibi criminum suspicionem fere omnem diluerit. Quo circa permissum ipsi fuit, adiret quoscumque vellet; pergeretque, uti cœperat, de religione Christiana ad Judæos verba facere; modo ne urbe excederet, antequam iterum de eadem causa judicium fieret, & postremam absolutionis sententiam subiret.

g Baronius aliique in hunc locum censent mendum irrepsisse, sive incuria, sive inscitia librariorum; proinde *Mileti* vocabulum expungendum esse, & in ejus locum *Melitam* substituendum existimant, quo scilicet Paullus ex naufragio appulerat. Utrum vero hæc Melita eadem sit, quæ in mari Mediterraneo sita est e regione Africæ; an vero altera illa, quæ in Adriatico mari Illyricis littoribus objacet, ut Porphyrogenitus, & alii opinantur, non satis constat. Melitæ Dalmaticæ firmis gravibusque argumentis adventum D. Paulli adjudicat D. Ignatius Georgius, Monachus Benedictinus e Congregatione Melitensi in Opusculo Venetiis impresso an. 1630, cui titulus est: *D. Paullus in mari, quod nunc Venetus sinus dicitur, naufragus, & Melita Dalmatensis insula post naufragium hospes.*

§. II.

Alia veterum in eandem sententiam testimonia.

S. Linus, is qui proximus ab Divo Petro Romanam sedem obtinuit, in eo Opusculo, quod inscripsit de passione Sanctorum Petri, & Paulli: *Cum veniisset*, inquit, *Apostolus Paullus in vinculis Romam, Lucas e Galatia, & Titus e Dalmatia expulsa veneno Paullum in urbe.* Haud improbabile est hoc opusculum, & alia quædam, quæ Lini nomen præseferunt, ab ipsomet Lino elucubrata esse, neque fuisse ab initio iis, quibus nunc scatent, erroribus referta; sed deinde exstitisse quosdam ex Ebionis, & Cerinti disciplina, qui ea depravarent, suisque eisdem hæreses inspergerent. Audiendus est Baronius: *quæ feruntur a Lino conscripta* (de Passione SS. Petri & Paulli) *fuere aliquando fortasse sincera; quæ autem modo extant, Manichæorum reperiuntur tincta fuligine . . . . . Germana illa quidem olim extitisse noscuntur, e quibus aliqua mutatus est S. Ambrosius; sed ea, quæ supra diximus, vel adjecta, vel diversa, quod verius putamus, ab illis fuisse, nulli dubium esse posse videtur.* Annal. an. 60. Proinde quæ ad mores ac fidem pertinent, ea suspecta haberi oportet, reliqua vero non item: nisi forte repugnent cum Historia Sacra; velut in hoc, quem retulimus, loco, cum dicitur Lucas e Galatia Romam venisse, ut Paulli adventum præstolaretur. Nam, ut ex Actis Apostolorum colligitur, Lucas Romam usque secutus est Paullum, neque usquam in eo itinere a Paulli comitatu discessit.

D. Hieronymus in cap. 4. secundæ ad Timotheum: *Demas me reliquit, diligens hoc seculum, & abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Illi missi sunt, non deserunt.*

Theodoretus in eumdem locum: *Demas moretur reliquit, diligens hoc seculum, & abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Hi liberi sunt ab illa reprehensione; ab eo enim missi fuerant gratia prædicationis, in Galatiam, & Dalmatiam.*

Eusebius Cæsariensis lib. 3. cap. 4. Hist. Eccl. ex Versione, qua usus est Salmeron in commentariis ad epistolam Pauli ad Galatis inscriptam. *Memoratur*, inquit, *ex comitibus Pauli Crescens quidam ad Gallias esse profectus: deinde rediens ad gentem, cui specialiter Episcopus datus erat, prout ex dictis Apostoli Pauli comperimus habemus, & usque ad beatum vitæ suæ finem in opere Domini populum confortavit. Crescens (ait) in Galatiam abiit, Titus in Dalmatiam, uterque iste, & ille istam, & illam provinciam regeret.*

Est præterea in hanc rem testimonium longe gravissimum petitum ex antiquis ecclesiæ Salonitanæ monumentis, ex quibus Historiam Salonitanam conflavit ac descripsit Thomas Archidiaconus. Juvat hic in medium afferre fragmentum capitis tertii ejusdem Historiæ Amstelodami in cudæ anno 1668. Convenit cum Codicibus Vaticano, Barberiniano, Achridano, Spalatensi, Luciano, aliisque manuscriptis.

Primus itaque B. Paullus Apostolus, qui ab a *Hierusalem, usque* b *Illyricum replevit Evangelia* b
Christi: non tamen ipse per se contra vit Illyricum c
prædicare, sed misit Titum d *discipulum suum, sicut dicit ad Timotheum. Crescens abiit in Gala-* d
tiam, & Titus in Dalmatiam; ibi ergo B. Titus e
ad Dalmatia partes adveniens, & verbum salutis f
gentibus illis prædicans, & non longo illic tempore g
mansit, sed audiens quod B. Paullus a Præside h
Festo jussus esset Romam pergere, statim omissis i
omnibus, prævenions cum expectavit in urbe, quo k
cum B. Apostolus accessisset, ibi Verbum Dei l
diutius prædicavit. Cum autem per Spiritum San- m
ctum cognosceret in eadem urbe sumum martyrium n
consummandum, de ecclesiis m *Gracia disponere cu-* o
ravit; quamobrem B. n Titum non remisit ad Dal- p
matias, sed ad Græciam, ubi magis erat o notus, q
p Pontificem eum constituens apud Insulam Cretam: cujus loco B. Petrus Apostolorum Princeps direxit quendam Discipulum suum nomine Dominum, na-
tione Syrum, patria Antiochenum, qui Dalmatia
populis verbum vitæ, quod per q Titum inchoa-
tum fuerat, prædicaret.

NOTÆ.

NOTÆ.

a In aliis Codicibus: *Ab Judæa*. Judææ atque Illyrico interjacent Syria, Asia minor, mare Ægæum, & Græciæ longe lateque per id temporis diffusi. Jam inde ante provinciarum distributionem Paullus Syriam Evangelio lustraverat; postea ab Syria Illyricum usque Christianum nomen ac fidem propagavit, regionibus intermediis iterum ac sæpius peragratis.

b Præpositio *usque* hic in eam sententiam accipi debet, ut non excludat, sed complectatur Illyricum. Paullus enim nihilominus Illyrici, quam Græciæ procurationem sui muneris atque officii esse duxit; utroque laborum & cogitationum suarum partem haud mediocrem derivavit, utrobique & ecclesias constituit, & Episcopos præfecit; quod ex utriusque ecclesiæ Græcæ atque Illyricæ Tabulis colligitur.

c Videtur Archidiaconus Illyrici appellationem contrahere intra fines Dalmatiæ; in qua Illyricum proprium continetur, unde initium duxit nomen Illyricum, & in alias deinceps provincias propagatum est. Vel certe Illyricum longe angustioribus terminis circumdedit, quam quos Paulli temporibus habuerat. Cæterum satis constat non paucas fuisse Illyrici provincias, quas Paullus & suis vestigiis impressit, & suis laboribus excoluit, ut docent Hieronymus, Petrus Damianus, Petrus de Marca, & plures alii, quorum testimonia supra retulimus.

d Non ut Legati aut Vicarii partes ad tempus ageret, sed ut Dalmatiæ certi, propriique Episcopi munere præesset. Vide caput 5. §. 3.

e Ex his Paulli verbis nihil aliud Archidiaconus effici voluit, nisi Titum fuisse in Dalmatia, & rei Christianæ operam ibidem navasse. Cæterum ille Paulli locus ex secunda ad Timotheum epistola allatus ad reditum Titi, non ad primum ejusdem adventum in Dalmatiam referri debet. Multo enim ante, quam hæc epistola scripta sit, Titus ad Dalmatas accessit: Vide cap. 6. §. 2.

f Titus ab anno 55. usque ad annum Christi 61. Dalmatiæ Pontificatum gessit, quod quidem temporis spatium minime videtur excedere indefinitam illam *temporis haud ita longi mensuram*; præsertim si comparetur cum Episcopali unius ecclesiæ procuratione, quæ suapte natura perpetua est, neque aliis temporum limitibus definitur, quam iis, quibus cujusque Episcopi vita circumscribitur. Vide caput 6. §. 2.

g Hinc promptum est colligere alteram ad Timotheum epistolam e primis vinculis scriptam fuisse. Nam quo tempore Festus Judaicam Præfecturam gerebat, Paullus in primis vinculis, Titus in Dalmatia evangelii causa versabantur. Constat autem ejusmodi litteras datas fuisse, Tito absente in Dalmatia. Igitur tum Paullus, cum in primis vinculis erat, secundam epistolam ad Timotheum scripsit. Vide cap. 8. §. 1.

h Nero Romanam Paulli custodiam in biennium extraxit; quo quidem tempore Paullus haud secus, quam si liber ac sui juris esset, Evangelio promulgando, erudiendisque Ethnicis juxta Judæisque operam dedit.

i Pauli ac Titi ex urbe discessum, & Hispanicam eorum peragrationem consulto prætermisit Archidiaconus, quippe qui ad alia properabat, quæ propius ad instituti operis argumentum accederent.

l Auctor videtur ad id alludere, quod Paullus ex urbe ad Timotheum scripsit: *Tempus resolutionis meæ instat*. Tum siquidem divino instinctus numine intellexit sibi paucis post annis Romæ subeundum esse martyrium.

m Asiaticis atque Illyricis ecclesiis jampridem a Paullo satis consultum, & provisum fuerat, suis cuique Episcopis præpositis. Restabat, ut Græciæ ecclesiis prospiceret, & idoneos pastores atque Episcopos deligeret, quibus illarum procurationem committeret.

n Paullus ecclesiæ Dalmaticæ curam ad Petrum rejecit, & Tito illinc abeunte, jussit Hermen interea ad Dalmatas proficisci, ut in ea provincia Episcopi partes tantisper ageret, dum Petrus illi ecclesiæ certum ac proprium Episcopum præficeret. Vide Appendicem.

o Titus quippe inde oriundus erat, ibi natus, sibi educatus fuerat, & pueritiam atque adolescentiam ibidem exegerat. Præterea paternam domum Gortynæ habebat, nobilem imprimis atque opulentam; neque deerant illi tum in patria, tum in aliis Cretæ urbibus amici cognatique genere, opibus, honoribus florentissimi.

p Hinc colligitur audiendos non esse, qui existimant Titum ante prima Paulli vincula Cretensem Episcopum creatum fuisse.

q Titus igitur primam evangelii sementem in Dalmatia fecit; it amplissimæ illius ecclesiæ fundamenta posuit; is demum B. Domnio Christianum gregem quæsivit atque collegit, eidemque viam ad Salonitanum Pontificatum munivit. Jure igitur meritoque & primus Dalmatiæ Apostolus, & B. Domnii Præcursor haberi dicique potest.

§. III.

Testimonia recentiorum Scriptorum de Dalmatico Titi Apostolatu.

E Scriptoribus Ecclesiasticis, qui proximo & superiori sæculo floruerunt, neminem unum inveni, qui Titi adventum in Dalmatiam, navatamque illic ab eo Christianæ religioni operam indubium, aut in controversiam vocaverit. Sed cum hac de re una sit omnium communis ac certa sententia, de cæteris valde inter se dissentiunt. Nam de genere, de patria, de conversione Titi, ac de tempore Dalmaticæ expeditionis alii alia tradunt. In quo omnes consentiunt, id unum hoc loco exponimus; reliqua, de quibus inter se diffidentes atque discordant, in alias disputationes rejicimus.

Recentiorum scriptorum agmen ducit Baronius, qui de Dalmatica Titi expeditione cum cæteris convenit, de tempore a nobis discrepat. Is anno Christi 58. hæc subjecit: *Fuisse Titum ab Apostolo Paullo ordinatum Cretensem Episcopum in confesso est apud omnes, licet alii senserint non Cretæ solum, sed & aliarum ejusdem Pelagi adjacentium insularum illi esse curam ab Apostolo demandatam: quin ex ejusdem Pauli 2. Timoth. 4. testimonio compertum habetur, eum postea in Dalmatiam Evangelii causa profectum esse*; quam Baronii opinionem sequitur Historicus Dalmatæ, suisque notis ad Historiam Salonitanam inseruit: *Baronius*, inquit, *refert anno 59. a Paullo missum in Dalmatiam fuisse Titum, cum in vinculis Romæ esset; ex quo illum prius fuisse Episcopum Cretæ, quam Paullus Romam veniret, probat.*

Alphonsus Salmeron e Societ. Jesu Tomo XV. in epistolam secundam ad Timotheum: *Titus*, inquit, *Episcopus Cretensis ab Apostolo missus fuerat in Dalmatiam; cujus opera etiam utebatur extra Diœcesim suam sine ullo scrupulo. Hinc habes Episcopos non ita alligari suis ecclesiis, quin aliquan-*

Digitized by Google

quando eis sit licitum abesse, & ad tempus per alios inserpire, ut ea quæ sunt melioris muneris implere possint, ad superioris tamen imperium.

Cornelius a Lapide ex nostra item societate, de Tito hæc scripsit in Commentario ad Pauli epistolam eidem Tito inscriptam: *Titus, utroque parente Gentilis, & Græcus, adeoque, a si credimus Chrysostomo hic homil. 1. Corintho oriundus fuit. Unde & identidem Titum nominat Apostolus scribens secundo ad Corinthios, eoque apud eos quasi populares suos administro usus fuit, ad colligendas eleemosynas, aliasque res ecclesiasticas. Titus b a Paullo conversus ad Christum & baptizatus, eidem adhæsit; ac in prædicatione fuit insignis adjutor & c interpres. Unde 2. ad Cor. 7. 13. Paullus Titum fratrem suum vocat. Hinc a Paullo creatus est d Archiepiscopus Cretæ, aliarumque vicinarum e insularum: quin & in e Dalmatiam a Paullo missus, ibidem prædicavit, ut patet 2. Timoth. 4. 10. ac tandem f multis ecclesiis erectis, & fundatis, in Cretam reversus, sancte mortuus est anno ætatis 94. ibidemque sepultus, ut docet ex S. Hieronymo, & aliis Baronius in Martyrolog. Dies ejus natalis in ecclesia colitur 4. Januarii. Apostolus ergo cum anno præcedente in Creta prædicasset, inde discedens, Cretæ reliquit Titum, eumque creavit Archiepiscopum, ut cœptam prædicationem, & ecclesiæ Cretensis fundationem perficeret, ut patet 1. 1. 7. 5.*

Notæ in Cornel. a Lapide.

a Fuisse Titum genere Corinthium neque pro certo habuit, neque asseveranter affirmavit Joannes Chrysostomus; sed subdubitans in eam sententiam propendebat, ut putaret Titum hunc Pauli comitem atque interpretem eumdem esse, atque alterum illum cognomento *justum*, de quo mentio fit in Actis Apostolicis. *Arbitror*, inquit, *ipsius* (Titi) *etiam in Actibus Apostolorum fieri mentionem: erat autem fortasse Corinthius; nisi alius aliquis apud eos fuerit hoc nomine.* Vide cap. 4. §. 1.

b Quin immo ab ipsomet Christo, ut infra docebimus cap. 4. §. 2.

c Huic appellationi quæ potestas, quidve muneris Apostolicis temporibus subesset, ostenditur cap. 4. §. 5.

d Quos nunc Archiepiscopos, & Metropolitas dicimus, primis ecclesiæ temporibus primæ sedis Episcopi appellari solebant, quod inter omnes ejusdem provinciæ Episcopos principem auctoritatis atque honoris locum tenerent.

e Imo vero primum in Dalmatiam Pauli jussu abiit, deinde Cretensem Pontificatum accepit.

f Ideſt in variis urbibus oppidisque multos Christianorum cœtus conflavit, singulisque unum aliquem rei Christianæ curatorem præfecit, qui rerum sacrarum intelligentia, gravitate vitæ, pietatis ardore, morum integritate inter cæteros emineret. Nolim enim existimes plures a Tito constitutas fuisse ecclesias suis quasque Episcopis subjectas; nam usque ad Pontificatum Lini unum eumdemque Episcopum toti Dalmatiæ præfuisse censemus.

Raphael Levacovitius Archiepiscopus Achridanus *in Introductione ad descriptionem Geographicam universæ Illyridis Provinciarum*, adhuc ineditam: *Ex Dorotheo Tyri Episcopo habemus Timotheum Ephesiorum Episcopum, Pauli Discipulum in Illyrico prædicasse; Andronicum, cujus meminit Apostolus ad Romanos, Pannoniæ factum Episcopum; Urbanum, cujus item ad eosdem facit mentionem, Macedoniæ, Hermetem Dalmatiæ, Clementem Sardicæ, Cæsarem Dyrrhachii, Carpum Berrhet in Thra-*

Illyricum Sacrum.

cia; Titum etiam ejusdem Apostoli Discipulum testatur idem, epistola ad Timotheum secunda, Dalmatis prædicasse.

Joannes Schonlebius Labacensis Archidiaconus in Annalibus provinciæ Carniolicæ ad annum Christi 54. *Dalmatis & Liburnis eodem tempore* (anno Christi 54.) *prædicat Evangelium Titus, Divi Pauli Discipulus, & multorum itinerum comes, prout ex pluribus ejusdem Apostoli epistolis colligitur: & sic fides Christi longe lateque propagatur. Verosimile est Titum in Japydiam etiam nostram Liburniæ conterminam suos promovisse labores. Imo etiam in Noricum, cujus pars hodierna Carinthia, ut arbitratur Megiserus in Annalibus Carinthiæ.*

Andreas Zmajevitius Archiepiscopus Antibarensis in tomo primo Synopsis Annalium ecclesiasticorum, qui nondum typis evulgatus in Archivo sacræ Congregationis de propaganda fide asservatur: *Anno Christi 52. S. Titus Corinthius a Paullo conversus, & baptizatus, eidem adhæsit in prædicatione singularis adjutor, & interpres. In Dalmatiam ab eo missus ibidem prædicavit, ac tandem multis ecclesiis erectis, & fundatis in Cretam, cui Paullo ante Dalmaticam expeditionem datus fuerat Episcopus, reversus, ibidem sancto fine quievit anno ætatis 92. immo 94, si Menzis fides habenda sit.*

Vincentius Peribocvius ex Ordine Prædic. in ea oratione, quam Pharix in patria sua habuit de originibus Sclavorum, quamque Joannes Antonius, & Fratres de Sabio Venetiis anno 1532. typis mandarunt, & Italice reddidit quidam Nauclerus Paræstinus: *Studia autem consuetudinesque ac leges Dalmatarum summa quadam sunt urbanitate præditæ, ut pote Christiana pietate conditæ. Nam divino beatissimorum Petri, & Pauli Apostolorum pectora spiritu agente, Titus a Paullo directus, quemadmodum secundæ ad Timotheum quarto, idem Apostolus manifestat, Domniusque jubente Apostolorum Principe Petro Salonarum Episcopus institutus, apud quas, sicut Petrus Antistes Echilinus meminit, cum octo militibus pro Christo occisus fuit, Christianum dogma Dalmatis prædicaverunt. Quod postquam semel Dalmatæ complexi sunt, nunquam ab ejus integritate deciderunt. Quin potius ex fervore spiritus divino cultui propensius incumbendo, Dalmaticarum ritum, quo genere vestium ad hanc usque diem in missarum solemniis ubique terrarum sacrosancta utitur Romana ecclesia, Dalmatæ, quemadmodum Divus testatur Thomas 4. sent. dist. 24. q. 4. q. 3. adinvenerunt.*

Stephanus Cosmius Archiep. Spalat. in eo libro, quem de statu Spalatensis ecclesiæ Italice scripsit pag. 3. Autographum extat in Archiepiscopali Archivo. *Ecclesia Dalmatica felicibus admodum auspiciis Salonæ ortum habuit, quam S. Titus Pauli discipulus condidit. Post discessum Titi cum S. Petrus ea, qua universæ ecclesiæ præerat, potestate in varias orbis partes Episcopos distribueret, atque ab urbe mitteret, tres potissimum delegit, quos tribus primariis Occidentis urbibus, Ravennæ, Aquilejæ, Salonæ, præficeret.*

Laurentius eComitibus Fondræ Jadrensis in Proœmio ad Italicam Historiam S. Simeonis Prophetæ nondum editam. *Dalmatiam, ubi Titus, deinde Dominus, alter B. Pauli, alter B. Petri discipulus primi omnium divini verbi sementem fecerunt, tot Christianorum sanguis irrigavit, ut Martyrum numero cum præcipuis Europæ, Asiæque provinciis haud immerito conferri possit.*

Tillemontius in opere Gallico, quod inscribitur, Monumenta ecclesiastica tom. 2. pag. 13. *Cum S. Paullus secundam ad Timotheum epistolam ex ur-*

be ſcriberet, S. Titus ejuſdem juſſu in Dalmatiam religionis propagandæ & ſtabiliendæ cauſa conceſſerat. Is deinde in Cretam reverſus in circumjacentes inſulas Evangelium intulit.

Godefridus Henſchenius e Societate Jeſu in actis Sanctorum Tomo II. Aprilis pag. 540. *Salonitani fuerunt a S. Tito Evangelium edocti.* Idem ibidem. *De urbe Salona, Dalmatiæ olim celeberrima, & de Salonitanis a Tito fidem Chriſti edoctis, deque Sancto Domnio Epiſcopo, ad eos a S. Petro Apoſtolo deſtinato, agimus late undecima Aprilis.*

Martinus Szentivanius e noſtra item Societate in eo opere, quod de rebus memorabilibus Hungariæ ſcripſit, ſæpius atque iterum de Dalmatico Titi Apoſtolatu mentionem facit. Decade prima parte tertia pag. 62. *Salona fuit Metropolis Dalmatiæ, urbs potens, magna & antiqua ..... S. Titus non diu manſit in Dalmatia, ſed inde evocatus fuit a B. Paullo, & ab eodem conſtitutus Epiſcopus Cretæ inſulæ: poſt diſceſſum S. Titi, in Dalmatiam a S. Petro Apoſtolo miſſus fuit Domnius nomine, ſuus diſcipulus, natione Syrus, patria Antiochenus, qui Dalmatiæ populis, verbum vitæ, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret.*

Decad. 3. parte prima pag. 177. *Conſtat S. Paullum Apoſtolum uſque ad Illyrios cum prædicatione Evangelii penetraſſe, & S. Titum ejus diſcipulum Dalmatis Chriſtum annunciaſſe, ac S. Domnium a S. Petro Apoſtolorum Principe miſsum eidem Dalmatiæ, ac reliquis partibus Illyrii verbum vitæ prædicaſſe.* Ibidem pag. 98. *S. Paullus Apoſtolus, veniendo ab Hieruſalem uſque ad Illyricum, & nominatim Dalmatiam, præcipuam partem Illyrii, prædicavit Chriſti fidem, & Evangelium Illyriis. Idem S. Apoſtolus miſit Titum diſcipulum in Dalmatiam ad propagandum Chriſti Evangelium, ut ipſemet teſtatur in epiſtola ſua ad Timotheum.* Ibidem pag. 146. *Non diu moratus eſt Titus in Dalmatia, ſed audiens B. Paullum Apoſtolum a Præſide Feſto juſſum pergere Romam, præveniens ejuſdem adventum, expectavit eumdem in urbe.* Ibidem pag. 162. *Beatus vero Paullus Apoſtolus non remiſit Titum in Dalmatiam, ſed in Græciam, & conſtituit illum Cypri (immo Cretæ) Epiſcopum. Unde B. Petrus Princeps Apoſtolorum, in locum Titi, in Dalmatiam ſubmiſit quemdam diſcipulum ſuum nomine Domnium natione Syrum, patria Antiochenum, qui Dalmatiæ, & reliquis partibus Illyrii, verbum vitæ, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret; atque hic fuit primus Epiſcopus Salonitanus, qui Epiſcopatus ſucceſſu temporis dictus eſt Archiepiſcopatus Spalatenſis.*

Emanuel a Schelſtrate Tomo primo de Antiquitatibus Eccleſiaſticis pag. 68. *Ex verbis D. Paulli 2. ad Tim. 3. patet, Titum, quem ex inſula Creta venire juſſerat Nicopolim, in Dalmatiam profectum eſſe, ſicut & Creſcentem in Galatiam, illoſque ibidem prædicaſſe.*

Laurentius Beyerlinck in Theatro Vitæ Humanæ lit. t pag. 61. h. *Titus Paullo dilectus filius, in fide ſocius, & adjutor, Græcus fuit. Corinthi evangelizavit. Mox a Paullo in Creta relictus eſt, primus Cretenſium Epiſcopus. In Creta obiit, & ſepultus eſt, prius in Dalmatiam profectus; cum Paullus Romæ ſecundo captivus teneretur.*

Seraphinus Razzius in Hiſtoria Raguſienſi Italice ſcripta. *Titus S. Paulli Diſcipulus, ac Dominius is, quem Petrus Salonarum Epiſcopum conſtituit, in Dalmatiam Chriſti fidem invexerunt; quam quidem Dalmatæ mentibus, animiſque ita imbiberit, ut ne tranſverſum quidem unguem ab ea unquam deflexerint. Quinimmo religioni diviniſque rebus adeo ſe totos manciparunt, ut ſacra quædam veſtes, quæ ad ſolemne ſacrificium adhibentur, ab Dalmatis auctoribus nomine mutuato, Dalmaticæ appellentur, quemadmodum docet Divus Thomas 4. d. 24. quæſt. 4.*

Paullus Moroni e Societate Jeſu in Topographia Magni Regni Hungariæ, quam typis edidit Viennæ Auſtriæ anno 1718. parte 3. ſegmento ſecundo pag. 190. 191. *E Dalmatia in reliquum Illyricum ab ipſis Romanæ eccleſiæ incunabulis Chriſtianam fidem propagatam noverimus. De D. Paullo Gentium Apoſtolo Euſebius lib. 3. cap. 1. tradit, quod ab Hieruſalem ad Illyricum uſque prædicaverit. Idem de ſe ipſo teſtari videtur Paullus epiſt. ad Rom. cap. 15. v. 19. ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti. Plerique tamen una cum Archidiacono Hiſt. Salonit. cap. 3. Paullum in Illyricum haud penetraſſe, ſed Titum dumtaxat ejuſdem Diſcipulum, quem ex Creta Nicopolim venire juſſerat, eo prædicationis cauſa perveniſſe contendunt, juxta illud, quod cap. 4. v. 12. Timotheo perſcripſit: cum enim monuiſſet, Feſtina ante hyemem venire, rationem mox ſubdit: Demas enim me reliquit, diligens hoc ſeculum, & abiit Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas eſt mecum ſolus. Poſtquam igitur Titus in Dalmatiam veniſſet, fidem iis Gentibus maximo fructu annunciandam ſuſcepit; novam tamen eccleſiam, cujus fundamenta jecerat, neque ipſe valuit ſtabilire. Siquidem Romam, quo Magiſtrum ſuum evocatum intellexerat, profectus, inde non in Dalmatiam, ſed in Cretam inſulam regredi juſſus eſt. Salonam, ſive quod ſub Romanis Metropolis dignitate uſa fuiſſet, ſive quod in illa urbe major Judæorum copia degeret, uti contra Petrum de Marca ſtatuit Bacchinus Caſſinenſis Monachus in diſſertatione anno 1703. edita Mutinæ, miſſus fuit Domnius D. Petri Apoſtolorum Principis diſcipulus; qui in ea civitate, ut habet Archidiaconus, diutius prædicans, multoſque per totam provinciam a gentilitatis errore convertens, non parvam Chriſto eccleſiam adunavit, ibique agonem ſui martyrii felici cruore peregit. Atque hæc Dalmaticæ eccleſiæ fuere primordia.*

CAPUT III.

Acta S. Titi Dalmatiæ Apoſtoli, & Præceſſoris S. Domnii.

§. I.

Ex Menæis & Menologio Græcorum.

B. Titus ex a Mynois Cretenſium Regis ſtirpe oriundus erat, *quemadmodum teſtatur* b Zenas juriſconſultus, *qui vitam ipſius perſcripſit. Meminit Titi etiam S. Paullus. Titus ergo primos ætatis annos litteris profanis, quæ apud Græcos in magna ſunt admiratione, conſecravit.*

c *Vicennis jam accepit e cælo vocem, quæ, Tite, inquit, hinc tibi emigrandum eſt, ut animam ſerves, parum enim tibi hæc eruditio græca, & profana proderit ad ſalutem. Cupiebat Titus hanc vocem denuo audire: norat enim etiam ex idolorum ſtatuis ſubinde voces ſuperſtitioſas mitti. Itaque totum adhuc* d *annum ſubſtitit. Tum juſſus eſt per viſum, Hebræorum volumen legere. Ergo cum Iſaiam aperuiſſet, incidit in hanc ſententiam:* e Innovamini ad me inſulæ multæ. Iſrael ſalvatur a Domino ſalute ſempiterna, *& quæ ſequuntur. Ergo* f *Pro-*

a Titi regium genus.

b Vita a Zenа l. C. deſcripta.

c

d

Sacras litteras legit.

e

f

Proconſul Cretæ, & g avunculus S. Titi, cum audiſſet de Chriſti nomine, ſalutari nativitate, & miraculis, quæ Hieroſolymis & alibi patrabat, ex virorum primariorum conſilio miſit Titum Hieroſolymam: hunc enim exiſtimarunt aptum fore, qui audiret, & loqueretur cum Chriſto, & ſibi renunciaret, quæ audiſſet ipſe. Titus ergo cum veniſſet h *Hieroſolymam, & vidiſſet, & adoraſſet Chriſtum Dominum, manſit Hieroſolymis; & miraculorum ejus ſpectator præſens factus, vidit etiam ſalutarem ejus paſſionem, & ſepulturam, & reſurrectionem, & divinam aſſumptionem, & Spiritus Sancti in Apoſtolos adventum, & deſcenſum, i credidit que, & k centum viginti, & tribus millibus accenſus eſt, qui ex prædicatione S. Petri Principis Apoſtolorum crediderunt in Chriſtum.*

Deinde conſecratur l Apoſtolus, & mittitur cum Paullo ad docendum, & conſecrandum alios, quos viſum eſt Paullo, venitque cum illo Antiochiam, tranſitque m *Seleuciam, & Cyprum, & Salaminem, & Paphum, atque inde proficiſcitur Pergen Pamphiliæ, & Antiochiam Piſidiæ, & Iconium ad Oneſiphori domum; deinde Lyſtram, & Derben: & ubique cum S. Apoſtolo Paullo verbum Dei prædicavit. Ruſtilo ergo ſoveris marito, jam alterum annum Cretæ* n *Præſidem agente, appulerunt in Cretam Paullus, & Titus, ibique Templum ædificarunt: indeque* o *digreſſi venerunt in Aſiam, atque ex Aſia peregrinatur cum illo Romam uſque, quoad Paullus a Nerone ſublatus eſt.*

Inde reverſus in Cretam, ibique Epiſcopis & Presbyteris ordinatis, vitaque ad Apoſtolorum normam peracta, in Domino quievit. Vixit ad p *annos quatuor & nonaginta. Erat enim* q *viginti cum e Creta primum Hieroſolymam profectus eſt, ibique annum uſque ad Aſcenſionem Chriſti in Cœlum, deinde* r *decem alios ibidem* ſ *manſit: tum delectus Apoſtolus a Principibus diſcipulorum Domini, abſolvit in prædicatione Evangelii decem* t, *& octo. Rurſus in Creta & aliis inſulis annos* u *ſex, & in* x *patria triginta novem exegit, ex quibus annis collectis numerus annorum nonaginta quatuor abſolvitur.*

Ex Menologio Græcorum die 25. Aug.

Item S. Titi Epiſcopi Gortynæ urbis Cretæ, diſcipuli S. Apoſtoli Paulli. Hic B. Titus annos viginti natus, venit ex Creta Hieroſolymam, & uſque ad Domini noſtri Jeſu Chriſti Aſcenſionem expleta anno uno, decem alios annos illic permanens, ordinatus eſt Apoſtolus. Prædicavit Evangelium annos decem & octo; apud Cretam & reliquas inſulas annos ſex, in patria vero . . . . . Ex quibus XCIV. *annorum colligitur numerus.*

NOTÆ.

a Is principatum in Creta obtinebat anno mundi 2575. ante Chriſtum 1409. juxta Petavium.

b Fuit Tito æqualis, & amicitia conjunctus, ut colligitur ex epiſtola Paulli ad Titum.

c Ideſt annum viceſimum inierat.

d Completo anno viceſimo, initoque altero ac viceſimo Hieroſolymam adiit; nam *vicennis* jam erat, cum vocem divinitus immiſſam accepit, & poſtea annum fere integrum in patria ſubſtitit, antequam in Judæam proficiſceretur.

e Extat hic locus apud Iſaiam cap. 41. juxta ſeptuaginta interpretum ex Hebraico in Græcum Bibliorum converſionem. In noſtra vulgata paullo aliter legitur: *Taceant ad me inſulæ, & gentes mutent fortitudinem.*

f Auguſtus cum poſt conſtitutam Monarchiam ad ſe unum omnia tranſtuliſſet, ut aliquam antiquæ libertatis ac reipublicæ ſpeciem relinqueret, provincias orbis Romani bifariam diviſit; & alias quidem maxime laborioſas hoſtibuſque expoſitas ſibi retinuit, alias vero tranquillas & pacatas Senatui tradidit; quo facto ſignificare voluit Senatui pacem & quietem dediſſe, ſibi vero bella & labores reſervaſſe. Quos Auguſtus ſuis provinciis præfecit, eos Prætores, quibus autem ſuas Senatus regendas traderet, eos Proconſules appellari juſſit. Provinciæ Senatui relictæ fuerant ex Dione lib. 53. *Africa, Numidia, Aſia, & cum Epiro Græcia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Africa, Cyrenaica, Bithynia cum Ponto finitima, Sardinia, atque Hiſpania Bætica.* Cum itaque inter provincias Senatus poteſtati ſubjectas annumeretur Creta, eum auctor vere proprieque *Proconſulem* vocavit, qui ex auctoritate Senatus hujus inſulæ adminiſtrationem gerebat.

g Hinc ſatis perſpici poteſt præclara in primis & antiquiſſima ſtirpe ortum fuiſſe Titum, quippe cum ejus parens Sororem Proconſulis in matrimonium duxiſſet.

h Uno ferme anno ante mortem Chriſti, ut infra dicetur. Sed Andreas Cretenſis in annum ab obitu Chriſti proximum Hieroſolymitanam Titi profectionem conjecit.

i Non quod tum primum crediderit; ſed quod tum perfectam in Chriſtum fidem aſſecutus fuerit.

k Hic tria illa hominum millia, quos Petrus, ut Lucas auctor eſt, ſub adventum Spiritus Sancti ad Chriſti cultum traduxit, conjunguntur cum centum illis ac viginti, quos idem Lucas in Cenaculo fuiſſe teſtatur, adveniente Spiritu Sancto, ex quorum numero atque ordine erat Titus. Perfecta autem Titi ad Chriſtum converſio non Petro ad confertiſſimam multitudinem verba facienti, ſed Spiritui Sancto in mentem animumque Titi ante concionem Petri illapſo attribuenda eſt.

l Ideſt Epiſcopus & adjutor Paulli. Primævæ eccleſiæ moris fuit, ut Epiſcopi qui eſſent, iidem vocarentur Apoſtoli. Titus igitur Epiſcopalia ſacra ſuſcepit anno Chriſti 45., æræ vulgaris 42, cum Apoſtoli terrarum orbis provincias inter ſe partiti, ex Chriſti, vel e ſuis diſcipulis adjutores minimum duos, comiteſque itinerum atque Apoſtolicarum expeditionum ſibi quiſque adſciverunt. Vide cap. 4. §. 5.

m Recenſentur regiones Aſiaticæ, quas Titus cum Paullo peragravit, uſque ad annum Chriſti 52, æræ vulgaris 49. Nihil hic de Hieroſolymitana profectione cum Paullo ſuſcepta, nihil de Græciæ provinciis, aliiſque cum eodem, nihil de duabus Titi legationibus Corinthiacis, nihil denique de Dalmatica expeditione, quæ tamen firmiſſimis argumentis aliunde aſſumptis probatur; ſed is auctor annorum circiter decem ſpatium tranſiliens, ac reliquas Paulli ac Titi peregrinationes Apoſtolicas ſilentio præteriens, Titum cum Paullo ad Cretam perduxit. Titus porro a Paulli comitatu numquam diſceſſit, antequam ejus juſſu proficiſceretur in Dalmatiam anno Chriſti 55. Vide cap. 6. §. 1. Dalmatiæ regimine amotus, poſt Hiſpaniam cum Paullo peragratam, tum demum in Cretam pervenit, exeunte anno Chriſti 62, æræ vulg. 59.

n Ideſt *Proconſulem* ab Senatu Romano Cretæ præpoſitum.

o Paulli cum Tito in Cretam adventus referendus eſt ad annum circiter 62, poſtquam cum Paullo Hiſpaniam peragraſſet. Tum vero Titum Cretæ Epiſcopum reliquit, ut *ea quæ deeſſent, corrigeret, & conſtitueret per civitates presbyteros &c.* quemadmodum Paullus in ſua ad Titum epiſtola ſcripſit. Errat itaque auctor Menæorum, qui Titum uſque ad Paulli martyrium in ejus ſocietate

Digitized by Google

fuisse ait; neque id cohæret cum annis quinque, & quadraginta, quos paullo post idem auctor Tito Episcopo in patria & insulis circumjectis Evangelio operam navanti attribuit. Ita Paullus sine Tito in Asiam trajecit; & post alias ex aliis regiones peragratas, aliquot post annis Titum per suas ad eum litteras Nicopolim accersit, quos cum Paullus Romam profectus, & a Nerone in carcerem detrudi jussus, post menses fere octo martyrium subiit. Tum vere Titus ad suam ecclesiam reversus est.

p Omnes omnino scriptores vitam Titi ad annum quartum & nonagesimum perducunt. Quid igitur in mentem venit Antibarensi Archiepiscopo duos annos ejusdem vitæ detrahere?

q Idest annum alterum & vigesimum incohaverat; ut supra dictum est.

r Decem annos completos intellige, integrosque, secluso anno mortis Dominicæ, itemque anno Divisionis Apostolicæ, cum Titus consecratus est Episcopus, & Paullo datus est socius atque adjutor. Ita fit, ut a morte Christi redituque ad Cœlum initus jam esset annus duodecimus, cum Apostoli ab Judæa in eas, quæ cuique obtigerant, provincias discesserunt; id quod tradit Apollonius apud Eusebium. Vide par. 3. Prolegom sect. 1. c. 1. §. 1. Divisio autem Apostolica incidit in annum Christi 45, æræ vulgaris 42.

s Hoc est, decem illos annos partim Hierosolymæ, partim in aliis Judææ urbibus rei Christianæ operam dedit.

t Hos duodeviginti annos tres in partes distribui oportet. Annos decem ab divisione Apostolica, & an. Christi 45., æræ vulg. 42. cum Paullo exegit, atque in Evangelicis peragrationibus insumpsit. Anno Christi 55, æræ vulg. 52. Paulli jussu in Dalmatiam abiit, & annis amplius quinque ecclesiæ Dalmaticæ præfuit. Anno Christi 61., ær. vulg. 58. Pontificatum Dalmaticum deposuit, & Paullo Romanis vinculis exempto iterum se comitem adjunxit, cumque eoque Hispaniam peragravit anno uno & mensibus circiter septem. Ita fit, ut post annos fere duodeviginti in Cretam appulerit anno Christi 62., ær. vulg. 59. exeunte.

u Hoc sexennium Titi ad tempus absentia interruptum est. Anno siquidem Christi 66. ad finem vergente decessit, ut Paullo mortem gereret, qui eum per litteras, ad se Nicopolim evocavit. Deinde anno 67. Autumno jam inito Romam cum eodem profectus est, qua in urbe, cum Paullus mense Octobri jussu Neronis detrusus esset in carcerem, ad menses circiter novem substitit, usque ad martyrium Paulli, qui a Nerone capitis damnatus præclaram pro Christo mortem oppetiit anno Christi 68, ær. vulg. 65. III. Id. Jul. Inde Titus ad suam ecclesiam reversus est.

a Idest Gortynæ in urbe amplissima & Cretæ totius Metropoli, ubi cum ecclesiam illam annos 45. sanctissime gubernasset, ex hac vita migravit, annos natus quatuor & nonaginta, quos numerari oportet ab anno Christi duodecimo, æra vulgaris nono, quique desinunt in annum Christi quidem 106, æræ autem vulgaris 103; quorum Titi mortem copulari oportet.

§. II.

Ex oratione S. Andreæ Cretensis de Laudibus B. Titi Interprete Francisco Combefisio.

Contigit, ut pellucida hæc Christi Margarita, pretiosus, inquam, lapis, non minus quam lo-

pis illa Zorobabel oculis sapientiæ ornatus, quanto & gratiarum peromnabat coronam, regionis per id tempus Proconsulem a *cognatione* b *attingeret, haberetque genere propinquos, quibus Minos, & Rhadamantus* c *Jovis filii, proavi extitissent. Cognati* d *itaque potestate fisus, nec sane veritus, si quid etiam esset perferendum, pulchre sibi ipse legem in littera positam ad Christi fidem gradum substravit. Nactus enim libros Mosis totamque Hebræorum scripturam, atque in iis studiose admodum posita opera, totusque mente tota instructus, ita brevi didicit linguam Hebraicam, ut omnibus, qui prius novissent, non is ipse videretur, qui esset nudiustertius; sed ei assimilis alius ex Hebræis probatus Hebræus. Quippe enim acri vir ingenio, externaque abunde scientia eruditus, ac vi sermonis perfecta, etiam venusto eloquio erat, quique promptissime intelligeret.*

Cum sic ergo, utrinque facto periculo, valde admirationi esset, & apud omnes spectabilis; quid agit; quidve molitur? Adit cognatum, benigneque insidentem verbis, suadet, ut benigne annuat proficisci Hierosolymam; velut nimirum ad sapientiæ e *accessionem,* f *quam ab iis, qui exponendis Judæorum scripturis præessent, studiosa disciplina colligeret. Quid vero strenuus hic, ac veræ scientiæ amans? Venit citissime in Judæam, cum fere evangelica prædicatio ortum haberet, seu ut verum dicam,* f *cum paullo ante, divini Spiritus gratia, linguis igneis adformata, supra Christi discipulos sedisset; qua nimirum etiam novis linguis gentes alloquebantur; ut tota fere civitas stupore repleretur ex spectaculi novitate, insolentiaque miraculi.*

Per id fere tempus, ac ipsa velut hora, supervenit magnus ille homo Dei, secumque collecta multitudini inferens, eis se admiscuit, de quibus lib. Act. 1. *vers.* 5. g Erat autem turba capitum simul fere centum viginti: qui omnes fuerunt conversi ad Dominum. *Una itaque ac primus eorum efficitur, qui id temporis magistro Spiritu Sancto crediderunt: Evangelicæque prædicationis primitias, ipse se eorum primitias fecit, qui Christi baptismate conciliati fuerunt. Ac vero consuetudine cum Christi discipulis inita, opportunaque sacramenti prædicatione formatus, evadit & ipse discipulus, non minus dignitatis prærogativa, quam zelo, honore, æqualis. Haud* h *diu post, etiam Paullus magnus ecclesiæ accessit Doctor: ille, inquam, Paullus, qui orbem totum a Judæa per circuitum, ad usque Illyricum, prædicatione percurrit.*

Eum tunc perspicaci spiritus oculo intuitus admirabilis Titus, effusamque ipsi divini splendoris gratiam diligentius attendens, i *tetus fit illius, qui accesserat, quique velut ipsius causa, adstitisset prædicatori. Extemplo maxime omnibus a se procul dimissis, atque iis penitus valere jussis, quæ lenocinio furantur sensum, multo comitatu ipsum adit.*

Ac primum quidem unus eorum, qui familiares, & noti essent; postmodum vero etiam commensalis, & contubernalis efficitur. Ubi autem vir mirabilis ad ulteriora procedens agnitus ei fuit, qui fuisset præagnitus Deo, & iis, qui supra modum Apostoli erant, exæquatus, sincera utique divini luminis illustratione, quid accidit? fit tandem illi socius, ac peregrinationum comes in prædicatione Evangelii.

Sic itaque eum Paullus curæ habebat, ut omni loco una circumduceret, ac velut gratissimam, plenamque divitiis prædam ferret.

NOTÆ.

a De genere ac nomine hujus Proconsulis nihil compertum habemus.

b Quid cognationis, sive affinitatis Proconsuli cum

a b Titi genus

c

d

Addiscit Hebraicas litteras, f

e Percipit mor. Hierosolymitæ credit.

g

h

i

Fit Paulli familiaris, socius, & comes.

cum Tito intercesserit, ostendunt Menæa, Titum filium erat Sotoris hujus Proconsulis.

c Tres omnino Joves in priscis Cretensium literis invenimus, qui regnum in Cretensibus obtinuerunt. Postremus cognomento Asterion, & Teustamus genuit Minoem, & Rhadamantum, unde Titus originem, & sanguinem duxisse traditur.

d Avunculi scilicet, qui Proconsulari imperio Cretam administrabat; ac per id temporis Gortynæ commorabatur.

e Erant Hierosolymæ temporibus illis permultæ Academiæ, sive Synagogæ e variis gentibus conflatæ; videlicet ex Libertinis, Cyrenensibus, Alexandrinis, aliisque, non solum sapientiæ fama inclytæ, sed etiam ob magistrorum legisque peritorum præstantiam maxime celebres; acerrimis undique ingeniis eo confluentibus, ut inde referrent eruditionis eximiæ famam.

f Discrepat a Menæis, ubi Hierosolymitana Titi profectio, uno ferme anno ante Christi obitum ponitur.

g Centum illi ac viginti, de quibus Act. cap. 1. ante adventum Spiritus Sancti, & concionem illam, quam Petrus post Spiritum Sanctum acceptum ad populum habuit, jam ad Dominum conversi erant; atque in cœnaculum convenerant cum Apostolis, ut in locum Judæ unum ex eo cœtu subrogarent. Hic itaque Andreas rerum gestarum ordinem seriemque perturbat; videtur tamen in numero 120. discipulorum Titum reponere; id quod Menæa haud obscure significant, & Petrus Equilinus sine ulla dubitatione affirmat. Vide c. 4. §. 3.

h Titus igitur ante Pauli conversionem ecclesiæ nomen dederat. Non ergo audiendi sunt, qui docent idcirco Titum a Paulo appellari filium, quod ab eo per Evangelium Christo genitus fuisset. Multo rectius Chrysostomus: *Ajunt quidam Titum juvenem fuisse, idcirco quod ad eum scribens Paulus filium vocat.*

i Præclare in hunc locum Franciscus Combefius: *Indicat Pauli conversionem fuisse Tito occasionem perfectæ conversionis, & arripiendi status sublimioris, quo expeditior fieret sacræ prædicationis ministerio, ad quod Paulus peculiarissime vocatus esset, tandemque in ejus socium promoveretur.*

§. III.

Ex Petro de Natalibus Episcopo Equilino. Lib. 8. Cap. 110.

Titus discipulus B. Pauli Apostoli fuit, cui idem Apostolus specialem epistolam dirigit. Hujus vitam scripsit Zenas legisperitus, cujus idem Apostolus in eadem epistola 3. capite mentionem a facit. Qui a Minoe Rege Cretæ generis duxit originem, in eadem insula nobilibus parentibus ortus. a Titi genus, vocatio, & conversio. *Desiderans autem Homeri, & aliorum Philosophorum poemata, vacans circa illa, cum esset annorum viginti, audivit de cœlo sibi vocem illapsam, quod oportebat eum inde recedere, & animam suam salvare. Posthæc novem* b *annis elapsis, jussum est sibi, quod librum Isajæ legeret, ubi dicit*: Renovamini a me insulæ multæ: Israel salvabitur a Domino æterna salute. *Missus est itaque ab avunculo suo Proconsule Cretæ Hierosolymam, audire, & videre de miraculis Jesu Christi. Qui abiens vidit passionem Christi, resurrectionem, atque ascensionem, & Spiritus Sancti adventum in Apostolos. Sicque perfectam certitudinem de Christo assumens, credidit, &* c *annumeratus est cum 120. discipulis, in quos Spiritus Sanctus corporaliter descendit.*

Illyricum Sacrum.

Postquam autem ab Apostolis Episcopus d *consecratus est; missus est cum Paulo ad gentes e prædicandas. Qui navigantes ad Cretam f insulam, Christum prædicabant: quos* g *Rutilius, Titi cognatus deridebat. Interea vero Rutilii filius moritur, &* a *Paulo suscitatur, sicque Rutilius credens, cum omni domo sua baptizatur. Paulus vero Titum Cretensem Episcopum* h *ordinavit, ipsumque Cretæ dimittens abiit. Post* i *duos autem annos Titus ad Paulum Romam accessit, cum quo & fuit usque ad interfectionem ejus a Nerone: corpusque ipsius una cum Luca Evangelista sepelivit.*

d Prædicat in Creta, Rutilium cognatum convertit, & creatur Cretæ Episcopus.

e

f

g

h

i

Romam venit, & Paulum sepelit.

Posthæc Titus ad Cretam devenit, ubi gratiose de fide Christi disputans, tandem cum increduli persisterent, oravit ad Dominum, statimque Idolum Dianæ, quod colebant, cecidit, & in pulverem redactus est; mox crediderunt animæ quingentæ in Christo, & baptizati sunt. Consecravit autem Titus Presbyteros, k *& Diaconos, ipse vero* l *Metropoli præsidebat. Cum die quadam* m *transiret ante palatium, quod Secundus Proconsul jussu Imperatoris a Jovis nomine construebat, maledixit illud: & statim opus funditus dissipatum est. Tunc Secundus venit ad Titum cum lacrymis rogans se indemnem ab opere conservari. Cui Titus imposuit, ut opus in nomine unius Dei Christianorum inciperet, & sic opus perficere posset: quod & factum est. Completo vero opere Secundus cum filio suo baptizatus est.*

Ad Cretam redit.

k l

m

Secundi Proconsul, profanum opus maledictione evertit.

Dum igitur B. Titus morti appropinquaret, vidit Angelos ad se missos, & resplenduit facies ejus sicut Sol: qui spiritum suum, & plebem sibi commissam Domino commendans in pace quievit, ætatis suæ anno 94. VIII. n *Kalend. Septemb. sepultusque est in Metropoli Cretæ, ubi & quiescit miraculis coruscans.*

Secundum Proconsulem convertit.

Moritur, & claret miraculis.

n

NOTÆ.

a Paulus meminit Zenæ his verbis: *Zenam jurisperitum, & Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit.* Quæ de vita & sanctitate Titi scripsit Zenas, nusquam extant.

b Librariorum errore sive incuria in locum mensium anni irrepserunt. Legendum ergo: *novem mensibus elapsis*, vel uno fere anno, ut in Menæis, unde Petrus Titi acta descripsit.

c Igitur ante adventum Spiritus Sancti Christianis sacris initiatus fuerat, atque adeo inter Discipulos Christi locum obtinebat.

d Anno a Pauli conversione fere decimo, ab ipsius Titi in Judæam adventu fere 13. qui respondet anno Christi 45. æræ vulgaris 42, in quem incidit Divisio Apostolica.

e Idest, ut Gentibus Evangelii lumen inferret. Nam Paulus, Barnabas, Titus anno Christi 52, ex auctoritate Concilii Hierosolymitani gentium curam, & patrocinium susceperunt.

f Ab Episcopali consecratione Titi ad ejusdem in patriam reditum circiter 18. anni numerantur, quos hic auctor transiliit; at eos in Menæis observatos ac notatos invenies. Annos fere decem cum Paullo in adeundis lustrandisque Asiæ & Græciæ provinciis consumpsit; quinque proximos procul a Paullo in Dalmatia Evangelii disseminandi causa exegit; duos fere in Hispaniensi peragratione posuit. Anno demum 62. in Cretam appulit. Vide notam t in Menæa.

g In Menæis vocatur Rustilus.

h Qui jam inde ab anno Christi 45. Pontificalibus sacris initiatus fuerat, eum Paullus Cretensi ecclesiæ præfecit Episcopum.

i Ab adventu in Cretam, susceptoque Cretensi Pontificatu anni fere quatuor intercesserant, cum Paullus intra finem anni 66, sive 63. æræ vulgaris,

Digitized by Google

Titum per litteras Nicopolim accersit; & post varias Apostolicas circuitiones, secum Romam deduxit anno proximo, mense circiter Septembri.

k Idest Episcopos & inferioris ordinis Sacerdotes: utrisque enim antiquitus Presbyterorum nomen promiscue, & communiter attribui solebat.

l Titum in illo Episcoporum numero fuisse, qui deinde Metropolitæ & Archiepiscopi appellari cœperunt, quorumque jurisdictioni plures civitates & Episcopi suberant, auctor est Eusebius, quem sequuntur Baronius, Salmeron, Combefisius, & plures alii, qui passim id potestatis ac nominis Tito impertiunt.

m Unde Episcopus Equilinus hanc historiam acceperit, mihi compertum non est.

n Ad hunc diem in Græcorum Fastis Titi nomen & commemoratio adscribitur. Apud Latinos dies quartus Januarii nomine Titi consecratus est. Alter dies ab ejus ad superos transitu, alter fortasse ab inito Pontificatu Cretensi religionis ac celebritatis causam accepit; sed utri diei vel ejus mors, vel Cretensis Pontificatus initium attribui debeat, non satis compertum est.

CAPUT IV.

Animadversiones in Acta & Elogia S. Titi.

§. I.

De patria ac genere S. Titi.

Titus patria Corinthius ab aliquibus falso dictus.

QUi Titum in Achaja natum esse, & Corinthum urbem olim opulentam in primis, ac nobilem eidem patriam fuisse existimant, hoc maxime argumento suam opinionem confirmant, quod in Actis Apostolorum cap. 18. mentio fiat cujusdam Titi cognomento *Justi*, in cujus domum Paullus se recepit, dum apud Corinthios diversaretur: *Et migrans inde* (inquit Lucas) *intravit in domum cujusdam nomine Titi Justi colentis Deum, cujus domus erat conjuncta Synagogæ*. At in Græcis codicibus desideratur ea vox *Titi*, in quibus cognomen *Justi* tantummodo invenies; unde autem in codicem Syrum, & in vulgata Biblia translatum fuerit, non ita facile divinari potest. Cornelius a Lapide censet Titi nomen fuisse quidem olim in Græcis codicibus, unde Syrus Interpres illud accepit, qui sacram historiam ex græco in syriacum sermonem convertit; sed deinde vel inscitia vel incuria librariorum loco motum, atque adeo ex Græcorum exemplaribus omnino deletum fuisse. Verum utcumque res se habeat, nihil nostra interest. Ut Titum nostrum Corinthiis jure adimam, & Cretensibus restituam, satis superque fuerit ostendere duos fuisse, qui eodem *Titi* nomine appellarentur. Et ne videar nimia quadam opinandi licentia abuti, habeo quos in medium appellem, testes satis idoneos, Bedam, Hugonem, Salmeronem, Cornelium a Lapide, Tillemontium, aliosque sane multos, qui Titum Pauli socium atque interpretem distinguunt ab altero Tito, de quo Lucas mentionem facit. His omnibus, ut videtur, facem prætulit ipsemet Joannes Chrysostomus, qui cum timide dubitanterque Corinthiis Titum nostrum adscripsisset, suspicari deinde se ostendit alterum aliquem fuisse apud Corinthios, qui id nominis gesserit, cuique ab integritate morum, justitiaque numeris omnibus absoluta *Justi* cognomen obvenerit: *Erat*, inquit, *fortasse Corinthius, nisi alius aliquis apud eos fuerit hoc nomine*. Id scilicet exacuit, ac novit aliorum indu-

Duo Titi, alter Corinthius, alter Cretensis.

strian, ut ea de re diligentius inquirerent; & adhibito studio, aditisque fortasse etiam, & consultis Cretensium tabulis, certum atque exploratum reddiderunt, quod Joannes Chrysostomus dubium sibi, nec satis compertum esse significaverat. Quare nihil quidquam efficiunt, qui ex eo Actorum loco, quem paullo ante citavimus, effici cogique volunt ex urbe Corinthi Titum nostrum oriundum esse; cum is alius ab eo fuerit, in cujus domum Paullus diverterat, dum esset Corinthi. Verum ad hanc controversiam dirimendam maximi ponderis, atque auctoritatis apud omnes esse debet vetus, & communis totius ecclesiæ Cretensis traditio, jam usque ab Apostolicis ducta temporibus, ut credibile est; quippe quæ constat ex antiquissimis Cretensium litteris atque monumentis. Ex his autem evidentius colligitur, quam ut in dubium revocari possit, Titum fuisse genere Cretensem, & Gortynæ, in urbe totius insulæ primaria, natalem domum, parentes, ac propinquos habuisse. Hoc asserit Andreas Cretensis Episcopus, gravis imprimis auctor, qui sæculo septimo vel octavo floruit; hoc in Menæis ac Menologiis Græcorum constanter traditur; hoc denique Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus sine ulla hæsitatione confirmat, qui Titi acta e Cretensibus tabulis desumpta in Synopsim redegit: ut de provincia ac patria, unde Titus originem duxit, nullus jam supersit dubitationi locus. Hactenus de patria S. Titi.

Titus noster haud dubie Cretensis.

Paternum Titi genus clarum in primis erat ac nobile; utpote cujus antiquitas longissima illustrium virorum serie per plures deinceps ætates propagata, initium repeteret, ut ferunt, a Minoe primo Cretensium Rege, idque Cretenses Tabulæ affirmant. Titi pater in matrimonio habuit pari ferme splendore ac nobilitate fœminam, quippe quæ soror erat Proconsulis Cretæ. Ex ea quot liberos susceperit, incompertum est; duos minimum habuisse constat, Titum videlicet & ignoti nominis filiam, quæ Rutilio sive Rustilo clarissimo viro, Cretæ itidem Proconsuli nupsit. Utriusque parentis nomen vetustas abolevit. Hæc dumtaxat colligere licuit ex monumentis Cretensibus, quæ de genere ac majoribus Titi scriberem. Ceterum vel ex iis intelligi potest, quo loco esset, quove honore apud Cretenses haberetur Titi familia, quam multis, quam illustribus cognationibus & affinitatibus floreret; præsertim cum, ut fama erat, ab antiquissima Cretensium Regum stirpe originem duceret. Quod si generis nobilitati opes quoque ac divitiæ respondebant, ut ferme generis conditionem fortunæ conditio sequitur; ex eo fit, ut nulla alia esset in toto regno familia neque clarior, neque opulentior. Et quamvis generis claritas, opum copia, propinquorum nobilitas ad Titi commendationem parum addere videatur, qui suis scilicet ac propriis, iisdemque verissimis laudibus abundat; tamen ne quid huic loco desit, quod ad ejus decus ac laudem quoquomodo referri possit; haud abs re nostra visum est de nobilissima illius stirpe hæc pauca subtexere.

Genus Titi præclarum, tum paternum, tum maternum.

Ejus familia ab regali vetustissima stirpe.

§. II.

Titi ad Christum Conversio.

HIsce ergo parentibus, & majoribus natus est Titus anno post Virginis partum 12. Nam cum adiit Hierosolymam anno Christi 33. alterum & vicesimum ætatis annum agebat, ut ex Menæis colligitur. Itaque si annos unum & viginti anno Christi 33. detraxeris, restat annus Christi duodecimus,

Digitized by Google

cimus, ad quem Titi ortum affigi oportet; is autem eſt annus æræ vulgaris fere nonus. Ab ineunte ætate Philoſophia, ceteriſque bonis artibus, quibus ſuminus tum erat honos apud Græcos, animum diligenter excoluit: Ferunt, cum annum vigeſimum attingeret, cæleſti voce admonitum eſſe, increpituſque, quod in Græcas profanaſque litteras nimio plus ſtudii conferret, cum interim æternæ ſalutis curam penitus negligeret: illi proinde e patria migrandum eſſe; nuſquam alibi viam ſalutis ab eo inventum iri, niſi illuc iter atque animum intenderet, unde communis toti Orbi ſalus affulſerat. Titus itaque ingenti metu, & horrore perfuſus, ſimulque incertus, quid ea vox portenderet, aut unde profecta eſſet; variis curis, & agitationibus in diverſa trahentibus anceps, ac dubius nutabat; Certe quod proximum fuit, & de quo ſine ulla ambiguitate admonitus fuerat, id confeſtim ſibi faciendum cenſuit, ut Græcis Magiſtris, ac diſciplinis nuncium remitteret. Anno ferme interjecto, cum per viſum eidem Deus indicaſſet, quid eum facere oporteret; totum ſe transtulit ad Sacrarum litterarum ſtudia, ex quarum aſſidua meditatione haud dubie intellexit ſibi Hieroſolymam adeundam eſſe, unde videlicet de Chriſti miraculis ac virtutibus fama Cretam uſque manaverat. Paucis igitur interpoſitis diebus, juſſu etiam Proconſulis avunculi ſui impellente, Hieroſolymam petere conteſtit. De iis, quæ hactenus diximus, quæque e Cretenſium tabulis accepimus, nihil diſcrepat inter Auctores: utrum vero Titus a Paullo, an a Petro, an ab ipſomet Chriſto converſus fuerit, id eſt in controverſia. Ac mihi quidem Titi converſio ad ipſum Chriſtum referenda eſſe videtur. Cum enim, quemadmodum docent Petrus Equilinus, Græcorum Menæa ac Menologia, quamvis ab iis diſſentiat Andreas Cretenſis, Hieroſolymam veniſſet uno ferme anno ante Chriſti obitum; quid eſt, quod dubitemus, utrum Titus in eorum numerum ſit referendus, quos Chriſtus ipſe ſuis verbis, ſuis exemplis, ſuis miraculis ſibi adjunxit, atque ad ſuum inſtitutum aggregavit? Nonne Titus per ſe ipſe Chriſtum adiit? nonne adoravit? nonne multis, quæ identidem patrabat, miraculis interfuit? Hæc omnia fateamur neceſſe eſt, niſi Cretenſibus monumentis fidem abrogare velimus. Quin igitur ſtatim in ſocietatem eorum, qui ſe in ſcholam ac diſciplinam Chriſti tradiderant, nomen dedit? quid excogitari aut fingi poteſt, quod Titi converſionem in annum ferme integrum diſtulerit? nullisne allici exemplis, nullis excitari cohortationibus, nullis miraculis adduci potuit, ut nomen ſuum in iis profiteretur, qui ſe in Chriſti diſciplinam tradiderant? an non ſatis prompto, paratoque animo ad Chriſtum acceſſerat, qui eam ob cauſam e patria diſceſſit, ut ipſomet Chriſto duce ac magiſtro ad inveſtigandam æternæ ſalutis viam uteretur? Præterea ſi Menæis, ſi Andreæ Cretenſi, ſi Petro Equilino fidem adhibere par eſt, Titus in eorum numero erat, quos ad centum & viginti in Cænaculum conveniſſe Lucas teſtatur: *erat*, inquit, *turba hominum fere centum viginti*. Igitur jam inde ab reditu Chriſti in Cælum, Titus Chriſti diſcipulis annumerabatur; jam tum pars erat ac membrum Eccleſiæ, quæ ab initio tota ferme ex centum illis ac viginti conſtabat, qui ſe in Hieroſolymitanum conclave receperant: proinde in eligendo, qui in locum Judæ ſuccederet, ſuum ipſe quoque ſuffragium tulit; & divini ſpiritus, ſub ſpecie ignis ſingulorum verticibus inſidentis, admirabilia illa dona ac munera pariter cum ceteris accepit. Verum, in-

Titus divino admonitu ab Græcis

ad Sacras litteras ſtudium transtulit.

Hieroſolymam adiit.

Ille Chriſti Diſcipulus,

In Cœnaculo Hieroſolymitano

Comitiis Apoſtolicis interfuit, & Spiritum Sanctum accepit.

quiet aliquis, Auctores ſupra citati videntur ab illis ſtare, qui Titi converſionem Petro adſcribunt. Eſto enim ante obitum Chriſti uno ferme anno Titus Hieroſolymam advenerit; tamen ut colligitur ex Menæis, quibuſcum Andreas Cretenſis, & Petrus Equilinus conſentiunt, tum demque credidit, poſteaquam Spiritus Sanctus e cælo demiſſus Eccleſiam ubique Chriſti mæſtam recreavit, ſuiſque rebus diffidentem divinis præſidiis firmavit. Atque ut opinari fas eſt, Titus in eorum numero reponi debet, quos ſub adventum Spiritus Sancti Petrus Eccleſiæ aggregavit. Is ſiquidem divini Spiritus fervorem mente atque animo conceptum cum diutius continere non poſſet, e cœnaculo in publicum prodiit; eoque orationis impetu, atque animi ardore ad circumfuſam multitudinem verba fecit, ut tria circiter hominum millia ad Chriſti fidem perduxerit. Qui hæc nobis objiciunt, perfectam Titi ad Chriſtum converſionem a primo ejus ad fidem acceſſu haud ſatis diſtinguere videntur, quod quidem verbis minime obſcuris ſignificavit Petrus Equilinus: *Sic*, inquit, *perfectam veritatis dilectionem de Chriſto aſſumens credidit*. Haud diſſimilis Titi, ac cæterorum, qui Chriſto crediderant, prima converſio fuit. Nemo ferme ab initio adeo firmiter Chriſto adhæſit, ſi Apoſtolos excipias, quin aut nutaret identidem, aut etiam ad tempus deficeret. Caligo quædam eorum mentibus offuſa videbatur, & timor neſcio quis in eorum animos obrepſerat, ut neque ſatis ea perciperent, de quibus a Chriſto edocti fuerant, neque auderent ſe Chriſti diſcipulos palam ac fidenter profiteri. Proinde neceſſe erat, ut Chriſti præceptis & cohortationibus divini Spiritus lumen ac vis accederet, qui ſcilicet amota illa caligine, inanique pavore diſcuſſo, eorum mentes animoſque & cæleſti luce perfunderet, & ſuperna virtutis præſidio firmaret. Igitur Titi converſionem, quam Chriſtus inchoaverat, Spiritus Sanctus perfecit; non quod Titus tum primum crediderit, cum cæleſtis ille Paraclytus ſupervenit, ſed quod tum demum perfecte planeque eruditus, ac divino ardore incenſus, egregios omnino, & Apoſtolico viro dignos ſpiritus concepit. Id adeo cæteris item Chriſti diſcipulis commune fuit; niſi forte obſcurum eſt vel ipſos Apoſtolos ante adventum Sancti Spiritus rerum divinarum admodum rudes, ac propemodum nutantes in fide fuiſſe; ac tum demum alios ab ſe ipſis repente extitiſſe, & in aliam quodammodo naturam migraſſe, cum ad illapſum cæleſtis illius flammæ, per omnes naſcentis Eccleſiæ ordines, clariſſimum quoddam lumen, ſpiritus, & mentium vigor ad ſubeundos quoslibet Evangelii cauſa labores, & cœpta ab ipſomet Chriſto ſtrenue promovenda pervaſit. Quod ſi Titi converſio ad Petrum referri nequit, multo minus eadem Paullo adjudicari poterit, qui uno anno poſt Chriſti obitum Eccleſiæ nomen dedit. Quod autem Paullus Titum appellet filium, id quidem ſatis argumenti non eſt, cur putemus Paulli opera Titum Evangelio credidiſſe. Ex ea appellatione hoc efficitur, & cogitur, auctore Joanne Chryſoſtomo, Titum natu minorem fuiſſe, cum in Pauli ſocietatem ac diſciplinam ſe tradidit. *Ajunt*, inquit, *Titum juvenem fuiſſe idcirco, quod ad eum ſcribens Paullus filium vocet*. Non igitur ideo filium appellat, quod eum ipſe Chriſto genuerit, ſed quod cum Titus eſſet longe inferior ætate, ſic eum tamquam filium haberet, diligeret, erudiret; quemadmodum Titus viciſſim parentis loco Paullum coluit, omniaque illi obedientiæ, & pietatis officia cumulate reddidit, quæ ab optimo filio deſi-

Poſt adventum Spiritus S. perfectionem fidei adeptus eſt

Cur Titus Paulli filius appellatus.

deſiderari poſſunt; præſertim cum, ex quo Paulli adjutor ac ſocius renunciatus fuit, totum ſe illi regendum gubernandumque tradidiſſet.

§. III.

Utrum Titus fuerit è numero LXXII. diſcipulorum.

Dorotheus infcitus quamvis infirmæ, non tamen ſemper & ubique repudiandæ.

DOrotheus Martyr in Synopſi, quam inſcripſit *de Septuaginta diſcipulis*, Titum quoque in hunc numerum adſcribit: & ſcio equidem hujus viri auctoritatem haud ita magno momento eſſe ad fidem faciendam. Cæterum ſi quæ probabilia afferat, ut multa ſæpe affert, ei quoque credamus licet; nullum ſiquidem ex hujuſmodi apocryphis ſcriptis, ſapientum virorum conſenſu jamdiu præjudicatis, & proſcriptis, ita ex omni parte fabulis ac mendaciis ſcatet, quin aliquid veri identidem intermixtum ſit. Mihi quidem veriſimile fit, Titum inter duos illos, & ſeptuaginta diſcipulos locum obtinuiſſe, ex quibus binos in ſingulas civitates atque oppida Chriſtus præmiſit; tamen pro certo affirmare non auſim unius Dorotheï teſtimonio innixus. Quare cum hoc ab aliis auctoribus tacitum prætermiſſumque ſit, cujus tandem ego rei, præter opinionem, quæ ſua cuique conjectanti eſſe poteſt, auctor ſim? Cæterum annus Chriſti 33. ad quem hanc miſſionem plerique Interpretes referunt, præclare congruit cum anno illo, quo Titus Hieroſolymam adiit. Me vero haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, qui exiſtimant non ab ipſo Chriſto, ſed ab Apoſtolis in hunc ordinem Titum cooptatum fuiſſe. Nam, ut ſcripſit Auctor Propinquii Evangelici, cum ex illis ſeptuaginta duobus ab Chriſto electis duodecim omnino poſt Chriſti obitum, ſeu metu, ſive inconſtantia ab inſtituto deſciviſſent; Apoſtoli in eorum locum totidem ſubrogandos eſſe cenſuerunt, in quibus Titus fuit; & fortaſſis hoc idem docere voluit Dorotheus, cum ſeptuaginta illis diſcipulis Titi nomen inſeruit.

Titus inter 72. Diſcipulos annumerari poteſt.

§. IV.

De Officio Interpretis, quo functus eſt Titus.

CUm Titum apud Paullum officio Interpretis functum eſſe Hieronymus & alii doceant, idque ad Titi laudem & commendationem pertineat; haud ſupervacaneum foret inquirere, quid muneris eſſet Interpretem agere; unde intelligi poteſt, quam præcipue operam Titus navaverit Paullo, cujus erat Interpres. Sed cum hac de re alii graviter copioſeque diſputaverint, quæ a pluribus fuſe atque diſerte explicata ſunt, eadem inculcari a nobis hoc loco neceſſe non eſt. Ne tamen lectores ægre ferant ſe alio remitti, unde hujuſce rei notitiam petant, huc totidem verbis tranſtulimus Onomaſticam diſſertationem Henrici Spondani, qui de Apoſtolicorum interpretum officio hæc ſcripſit:

Quod Papias apud Euſebium 3. hiſt. ult. Irenæus lib. 3. cap. 1. Hieronymus in Marco, ac denique recentiores Marcum dicunt fuiſſe interpretem Petri, ſicut & apud Paullum eodem functum eſſe munere Titum idem Hieronymus tradit epiſt. 150. quæſt. 77. & Marco Alexandriam amandato, eidem rei Glauciam inſervivſſe apud Petrum Clemens Alexandrinus Strom. lib. 7. eſt auctor: quodnam eſſet illud munus quæritur? Hieronymus illud ita intellexit, ut quia Petrus, vel alii Apoſtoli divinorum ſenſuum majeſtatem digna non poterant exterarum nationum explicare ſermone, ad eam rem indigerent interpretibus. Verum cum iſtis plane adverſari videantur, quæ de dono omnium linguarum ab Spiritu Sancto Apoſtolis impertito Lucas Act. 2. & Paulus 1. Cor. 12. 13. 14. habent; cumque reprehendens idem Paullus 1. Cor. 14. eos, qui oſtentationis ergo loquerentur linguis, demonſtrare videatur, in eorumdem Apoſtolorum, aliorumque, qui ejuſmodi donum linguarum percepiſſent, fuiſſe arbitrio collocatum loqui linguis quando, & quomodo vellent: idcirco omiſſa ejuſmodi ratione, duabus aliis de cauſis Apoſtolos eguiſſe interpretibus exiſtimamus: nempe, vel cum alicui genti ipſis loquentibus, puta, Græcis, in auditorio eſſent alii, qui Græcum ſermonem penitus ignorarent, tunc enim (ſicut & Theodoretus ait in 1. Cor. 14.) per interpretes iis ſatisfaciendum erat: vel cum difficilia captu iidem Apoſtoli locuti fuiſſent, tunc erat interpretum eadem aliis explanare. Poſſumus etiam addere Epiſtolarum interpretationem Apoſtolicarum, cum quæ ad unam, vel aliam darentur Eccleſiam, opera interpretum communes omnibus redderentur: prout de ipſis Petri Apoſtoli accidit, quæ ex Hebræo a diverſis interpretibus in aliam linguam verſæ, ut ſcribit Hieronymus Epiſt. 150. 9. 11. ſparſæ ſunt in Eccleſia; & ut dicere poſſumus de Epiſtola Pauli ad Hebræos ſcripta Hebraice, quam Barnabas, vel Lucas (ut auctor eſt Clemens Alexandrinus in Epiſtola Petri in fin.) Græce reddidit.

Officia Interpretum Apoſtolicorum.

§. V.

B. Titus multo ante creatus eſt Epiſcopus, quam in Dalmatiam proficiſceretur.

CUm multi ſint in Eccleſia ordines ſive Magiſtratus divinitus inſtituti, & ſuis quiſque titulis, officiis, inſignibus diſtincti, quorum deſcriptione totius Chriſtianæ Reipublicæ moderatio continetur; tum duo illi cæteris omnibus poteſtate ac dignitate antecellunt, quorum alter ex Epiſcopis, alter e Presbyteris conſtat: ita ſane appellemus inferioris ordinis Sacerdotes, quando aliud non ſuppetit vocabulum, quo hos ab illis diſtinguamus, niſi illud idem, quod antiquitus promiſcue & communiter utriſque attribui ſolebat. Utrumque Chriſtus inſtituit, idemque Epiſcopos Presbyteris cum auctoritate, tum officiorum & munerum præſtantia anteire juſſit; & cum unius eccleſiæ adminiſtratio majus quiddam ſit, quam quantum ab uno homine præſtari poſſit, Epiſcopis adjutores dedit Presbyteros, quorum illi opera ad rei Chriſtianæ procurationem uterentur. Quare cum idem Chriſtus duodecim conſtituiſſet Apoſtolos, qui epiſcopali munere fungerentur; alios ſeptuaginta duos e ſua diſciplina delectos eiſdem adjunxit, qui ſuam Apoſtolis operam ad evangelii propagationem impenderent, quique in ſacris litteris ſeniores ſive Presbyteri appellari ſolent. Hos enim eodem ferme loco ac numero haberi voluit, (ut præclare docet Hieronymus in epiſt. ad Evagrium) quo apud Moyſem olim fuerant illi itidem ſeptuaginta duo Majores natu, quos ipſe ex univerſo populo delegerat, ut ſibi auctores in conſiliis capiendis, adjutores in rebus agendis adeſſent. Apoſtolos ab ipſomet Chriſto creatos fuiſſe Sacerdotes, convenit inter omnes; an vero idem ipſe per ſe omnes Apoſtolos conſecraverit Epiſcopos, id in controverſia eſt. Sunt, qui exiſtimant Petrum honoris cauſa a Chriſto Epiſcopum factum eſſe; reliquos vero ab ipſo Petro Pontificalia ſacra & inſignia acce-

Duo præcipui in Eccleſia Ordines Epiſcoporum & Presbyterorum a Chriſto inſtituti.

Presbyteri adjutores Epiſcoporum.

accepisse. Ex aliis vero discipulis, in quorum numero Titum etiam quidam reponunt, satis probabile est neminem fuisse, quem Christus per se ipse sacris mysteriis initiaverit. Eos deinde Apostoli consecrarunt, & quibus quisque videbatur aptus, ministeriis addixerunt; alii Episcopalem Ordinem adepti sunt, alii Presbyterorum, alii Diaconorum gradum assecuti, alii aliis officiis ac muneribus præpositi.

Concilium Hierosolymitanum, in quo provinciarum distributio facta.

Jam vero ut propius ad rem accedamus; duodecimus fere annus post Christi obitum, ejusdemque ad superos reditum inierat, cum Petrus coacto Hierosolymis concilio, Apostolos orbem terrarum inter se distribuere, & provincias sortiri jussit, ut aliis alio proficiscentibus, ubicumque gentium Christiana religio propagaretur. Quod cum fecissent Apostoli priusquam Hierosolymis digrederentur, & in eas, quæ cuique obtigerant, regiones discederent, laborum suorum atque itinerum socios fere omnes e Christi discipulis delectos sibi quisque adscivit; si qui vero ex illis nondum sacris mysteriis initiati essent, antequam in Evangelicam expeditionem ducerentur, eos Apostoli rite consecrarunt, & suum cuique munus descripserunt. Sub idem vero tempus Titum quoque creatum fuisse Episcopum aperte docent Græcorum Menæa, quæ cum perantiqua sint, atque, ut credibile est, ex ipsis Cretensis Ecclesiæ Tabulis descripta, nihil est, cur eorum fides atque auctoritas in dubium vocari possit. *Deinde* (ita se habet locus ille, quem totidem verbis translatum ex Menæis, hic describimus) *consecratus Apostolus, & mittitur cum Paullo ad docendum & confirmandum alios, quos visum est Paullo*. Nemini dubium esse potest, quin his verbis Pontificalis Titi consecratio significetur. Primava ecclesiæ moris fuisse, ut Episcopi qui essent, iidem ordinarentur Apostoli, Theodoretus multis & gravibus argumentis docet, cui Baronius ad an. Christi 58. num. 18. aliique assentiuntur; idque facile colligitur ex Pauli epistolis, qui Epaphrodito Philippensium Antistiti Apostoli nomen impertiit; Andronicum item Episcopum imprimis *inter Apostolos nobilem* fuisse affirmat; & cum iterum ad Corinthios scribaret, Episcopos appellavit *Ecclesiarum Apostolos*. Præterea Titus id accepit potestatis ac muneris, ut alios consecraret, ac sacris Ecclesiæ Ordinibus tum majoribus, cum minoribus adscriberet; quod nemini licere, præterquam Episcopis, exploratum est, quam ut probatione indigeat.

Titum Episcopus ab Apostolis consecratus, & Paullo socius adjunctus.

Episcopi olim etiam Apostoli appellati.

Singulis Apostolis bini adjutores dati.

Atque hoc loco illud prætereundum minime censeo, quod eodem anno, antequam provinciarum distributio sive sortitio fieret, Paullus & Barnabas Antiochiæ cum essent, Spiritu Sancti jussu & auspiciis, solemni ritu ac cæremonia in Apostolorum collegium cooptati sunt, & Episcopali munere ac dignitate ornati. Huc enim spectant, quæ Lucas *Actorum* cap. 13. scripsit: *Ministrantibus autem illis Domino & jejunantibus dixit Spiritus Sanctus, Segregate mihi Paullum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*; nam Baronius & alii in eumdem omnem conjicium & consecrationem utriusque, & divisionem Apostolicam, quamvis huic illa aliquo temporis spatio præcesserit. Porro in ea, quam diximus, orbis terrarum distributione, cui etiam Paullus cum Barnaba interfuit, singulis Apostolis dati sunt adjutores animarum bini, idemque Episcopali auctoritate & potestate præditi, quorum ministerio uterentur Apostoli, tum ad omnia Apostolica munia obeunda, tum præsertim ad alios, si ubi opus foret, consecrandos Episcopos. Vetus quippe consuetudo est jam usque ab Apostolicis deducta temporibus, ut qui præest alicujus Episcopi consecrationi, quam summa Majores nostri religione confici cæremoniaque volverunt, duo eidem assideant Episcopi, qui statas solemnesque cæremonias cum eo peragant, & Pontificia sacra suscipienti manus imponant. Jam vero pervelim scire, quinam ii fuerint, quos Paullus Apostolici & Episcopalis muneris administros ac socios sibi adsciverit. Hic mihi fortasse aliquis suggeret Lucam, aut Sylam, aut Timotheum. At constat eos longo serius in Paulli societatem, atque comitatum receptos fuisse. Barnabam vero collegam potius, quam Paulli adjutorem dixerim; par erat in utroque dignitas, licet dispar potestas in hoc & illo fuit; nam Barnabas, æque ut Paullus, Apostolorum numerum, & locum obtinebat. Restat igitur, ut dicamus Titum adjunctum fuisse Paullo evangelicæ expeditionis socium, participem, adjutorem; cui jampridem cum Paullo erat prope domesticus usus & consuetudo; quique iis pietatis atque amoris vinculis Paullo devinctus fuerat, ut cum parentis loco & coleret, & diligeret, ex quo efficitur Titum Episcopalibus sacris jamtum initiatum fuisse. Hoc idem asserit Petrus Equilinus bonus imprimis auctor, cujus verba ex ejus catalogo huc transtulimus: *Postquam autem ab Apostolis Episcopus consecratus est, missus est cum Paullo ad prædicandas gentes*. Alter vero Paulli comes ac minister, ut mihi quidem fit verisimile, fuit Joannes cognomento Marcus, Barnabæ consobrinus, is quem hoc eodem an. Paullus, cum Hierosolyma profectus Antiochiam repeteret, in suam societatem recepit, quemque septem post annis propter nonnullas offensiones interpositas ab se dimisit. Ex his colligitur Pontificiam Titi consecrationem referendam esse ad quadragesimum quintum Christi ac æræ vulgaris annum. Tito autem non ante quinquagesimum quintum Christi annum, qui fere duodecimus erat ab ejus consecratione, Dalmatia decreta fuit, ut infra ostendemus. Multo igitur ante Episcopus erat, quam in Dalmatiam proficisceretur.

Paulli adjutores Titus, & Joannes.

Ac mihi videor satis, & Episcopum fuisse Titum anno fere duodecimo ante, quam Dalmaticam expeditionem susciperet, & quem in annum ejusdem consecratio incideret, ostendisse. Nunc haud alienum arbitror ab hujus disputationis instituto, si de multiplici ejusdem ordinatione pauca dixero. Quamvis Episcopi consecratio, & ordinatio promiscue usurpari soleant, atque ad eamdem significationem utrumque vocabulum referri; tamen hujusce rei, in qua versamur, explicandæ gratia, licebit nobis alteram ab altera distinguere, & diversam utrique vocí notionem subjicere. Episcopus consecrari dicitur, cum is solemni ritu inauguratus, Pontificis nomen, characterem, & insignia sumit; ordinari vero, cum certæ alicui ecclesiæ, seu Provinciæ præficitur, in qua Episcopi potestatem ac munus exerceat; quod quidem ordinandi verbum etiam apud Latinos præsertim deterioris ævi scriptores in utramque ferme sententiam accipi solet; nam si quis diceret *candidatos ordinari*, eos scilicet, quibus aliquis magistratus mandatur, aut *ordinationem* vocabulo appellaret sive Provinciæ administrationem alicui traditam, sive Præfectorum creationem, citare posset Svetonium, cujus auctoritate ejusmodi loquendi formulas tueretur. Neque Livius ipse ab hisce phrasibus omnino abhorruit; velut cum scripsit, *Scipionem, postea quam in Siciliam venit, voluntarios milites ordinasse, ac centurias fecisse*: hoc est, voluntariæ militiæ jam adscriptos, in certas quasdam classes, & centurias descripsisse.

Consecratio & Ordinatio Episcopalis aliquomodo inter se differunt.

Atque

Quadruplex Titi ordinatio.

Atque ego quidem invenio quatuor fuisse Titi ordinationes, sive quadruplicem eidem contigisse expeditionem, vel provinciam, in qua Episcopi partes ageret. Et primum quidem Titi Episcopatus latissime patuit, neque ullis regionibus definitus, neque ulli hominum generi præcipue aut nominatim addictus. Cum enim Pauli adjutor esset, & Pauli jurisdictio in provinciarum distributione, nullis neque locorum limitibus, neque hominum generibus circumscripta fuerit; consequens est Titum, ubicumque gentium ac terrarum esset, ibi ex auctoritate Pauli omnia Episcoporum munia obire potuisse. Hanc Pontificiæ potestatis amplitudinem annos circiter septem obtinuit; quo quidem temporis spatio Seleuciam, Cyprum, Pamphiliam, Pisidiam, Lycaoniam cum Paullo peragravit. Altera Titi ordinatio contigit anno æræ vulgaris quadragesimo nono, Christi 52, cum Hierosolymis Concilium habitum fuit de judaicis ritibus ac cæremoniis abrogandis. Paullus cum Barnaba ac Tito Hierosolymam venerat, ut de Antiochenis controversiis ac dissensionibus ad concilium referret, & primoribus Apostolorum suæ doctrinæ, suique evangelii rationem redderet. In eo conventu, dum Apostoli & Seniores de re Christiana in commune consulerent, Deus haud dubia significatione declaravit id sui consilii ac voluntatis esse, ut Paullus apostolici muneris curas, & labores præcipue ad gentium salutem converteret. Ita igitur inter eos, qui concilio aderant, convenit, ut Petrus quidem, Jacobus, & Joannes Judæorum salutem curarent, Paullus vero gentium curam & patrocinium susciperet, quibus operam navare tutius posset atque utilius, quam Judæis, apud quos male sane audiebat ea de causa, quod Christianos Judaicæ legis servituti eximeret, prohiberetque Gentes cum ea, quam susceperant, religione Judaicos ritus conjungere. Quemadmodum ergo Paullus Gentium Apostolus, ita etiam Titus ejusdem administer ac socius Gentium Episcopus renunciatus est; neutri tamen interdictum fuerat, ne Judæos etiam, si qua se obtulisset occasio, Christianis præceptis excolerent, ac pro viribus adjuvarent; modo uterque intelligeret Gentium curam & salutem imprimis sibi commendatam esse. Tertiam ordinationem tribus post annis Titus suscepit, cum a Paullo missus in Dalmatiam Episcopali munere ac potestate, ut paullo post ostendemus, eam provinciam administravit. Demum Dalmatiæ regimine amotus cum esset, quartam ordinationem adeptus ex Pauli auctoritate Cretensem Pontificatum suscepit, quem ad summam usque senectutem sancte, pieque gessit.

Prima universalis.

Secunda ad gentium conversionem præcipue spectans.

Tertia Dalmatica.

Quarta Cretensis.

CAPUT V.

Quid tituli ac potestatis B. Titus in Dalmatia gesserit.

QUod in omni bene constituta republica jam inde antiquitus receptum est, ut iis, qui personam publicam sustinent, pro varietate magistratuum varii honoris & excellentiæ tituli adhibeantur, quibus significetur, quid quisque muneris gerat, quemve dignitatis gradum obtineat; id majores nostri admodum sapienter in ecclesiasticam Hierarchiam transtulere; quam cum in plures ordines ac magistratus descripsissent, suos cuique titulos accommodarunt, quibus & ecclesiasticos honorum gradus distinguerent, & quid cuique oneris impositum esset, designarent. Cum autem multiplex sit, ac varium titulorum genus, quibus affici solent ecclesiastici viri pro eo, quo quisque fungitur, honore atque officio, ex omnibus eos hic recensere oportet, de quibus controversia esse potest, utrum in Sanctum Titum convenerint, cum is rem Christianam in Dalmatia gerebat. Qui autem in hanc disputationem cadere possunt, sunt hujusmodi: *Primus Apostolus Dalmatiæ; Delegatus a Paullo Episcopus; Episcopus Regionarius Dalmatiæ; Episcopus Salonæ; Archiepiscopus sive Metropolita totius Dalmatiæ.*

Hierarchia ecclesiastica in varios ordines descripta.

& varii tituli distincti.

Quemadmodum igitur, cum quæritur, quo res aliqua vocabulo appellanda sit, rei ipsius vim ac naturam investigare oportet, ex eaque statui, quid nominis eidem conveniat; ita & nobis faciendum arbitror, atque illud imprimis statuendum, quid potestatis ac muneris Tito in Dalmaticam expeditionem abeunti obtigerit; ex quo in promptu erit eos titulos elicere, qui & personæ, quam gessit in Dalmatia, & officio, quo perfunctus est, apte respondeant.

§. I.

B. Titum jure meritoque appellari primum Dalmatiæ Apostolum.

PRincipio nomen Apostoli, quamvis ejus significatio late admodum pateat, iis tantum modo singularis cujusdam excellentiæ causa attributum est, quos numero duodecim Christus ipse ex omnibus suæ disciplinæ alumnis delegit, eisdemque Apostolicum nomen, ac munus per se ipse impertiit. Eorum quippe delectus legatio, potestas ejusmodi fuit, ut quædam in iis singularia viderentur esse, quæ in nullum alium convenire possent. Qui enim divinius ad munus Apostolicum deligi poterant, quam ii, quos Deus ipse elegit? nihil ex hac electione sibi vindicat humana auctoritas ac potestas; nihil hic hominum prudentiæ, nihil ambitioni, nihil gratiæ relictum est loci. Quibus vero honorificentior legatio potuit decerni, quam quæ Apostolis obtigit? quippe quę similitudinem quamdam gerit speciemque ineffabilis ejus ac plane divinæ legationis, quam Christus a Patre acceperat, cum ab eo missus est, ut hominum genus ex inferni hostis tyrannide eximeret, atque in libertatem filiorum Dei vindicaret. Id satis declarant verba illa, quibus Apostolos in evangelicam expeditionem misit; *sicut*, inquit, *misit me Pater, & ego mitto vos*; quibus quidem verbis ex communi interpretum sententia significari voluit, se quidquid muneris ac dignitatis ad suam legationem obeundam accepisset a Patre, id ferme omne Apostolis impertiri, & cum illis communicare, quos sibi suę procurationis Vicarios atque administros adsciverat. Summa vero rerum omnium gerendarum potestas Apostolis permissa tam singularis, tam propria eorum fuit, ut neque aliis delegari, neque in Apostolorum successores, nisi multis ex partibus diminuta, derivari posset. Huc adde incredibilem illam cœlestium cujusque generis donorum vim ac præstantiam, quæ nemini unquam mortalium contigit, quæ tanta in Apostolis fuit, quanta illis opus erat, sive ut impositam sibi honoris atque excellentiæ personam pro dignitate sustinerent, sive ut laboriosam sane provinciam ac difficillimam ex ejus sententia gererent, ex cujus imperio & auctoritate susceperant. Ita enim divina providentia comparatum est, ut quemcumque Deus ad munus aliquod elegerit, eidem vires addat cum onere, & facultatem cum potestate largiatur; quippe qui non tam idoneos ad opus quærit, quam ipse deligendo facit.

Nomen Apostoli quid significet.

Potestas Apostolorum amplissima, & extraordinaria.

Digitized by Google

fecit. Quæ cum ita sint, ut qui muneris amplitudine ac dignitate reliquis omnibus longe præstabant, iidem peculiari aliquo nomine a cæteris distinguerentur, ex tacito quodam hominum consensu, latissimum Apostoli vocabulum vim suam ac notionem contraxit; & quod multis commune esse poterat, tanquam certum & proprium iis affixum est, quorum dignitas, & excellentia principem in universa ecclesia locum, & gradum obtinuit. Deinde instinctu, jussuque Spiritus Sancti, in Apostolorum collegium cooptati sunt Matthias, & Paulus, quibus ut eadem, ac cæteris, dignitas & potestas, ita idem honoris & excellentiæ titulus obvenit.

Primi ordinis Apostoli duabus notis insigniti.

Hinc colligi licet primi ordinis Apostolorum duas potissimum notas afferri posse. Prima est, ut ab ipso Deo constituti, & ordinati, munus acceperint Evangelii in omnes totius orbis regiones inferendi; quod apud Marcum Christus his verbis significavit: *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ;* cum etiam Actorum cap. 1. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Altera nota est, ut plenam ac perfectissimam ubicumque terrarum potestatem habuerint ligandi atque solvendi, ecclesias instituendi, Episcopos & Clericos ordinandi; denique ut Episcopi totius orbis essent; sed ea tamen ratione, ut infinita illa potestas in ipsis extraordinaria, in Petro autem ordinaria esset, & in ejus successores derivanda fuerit. Quod recte ac præclare Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 11. docuit. Nec vero dubitandum est, in pari, & ampliſſima illa potestate, suum Apostolo Petro constitisse *Primatum*, ut eum nominat Cyprian. lib. de unit. eccl. quo cæteris Apostolis prælatus a Christo, & præpositus fuerat; quam ob causam Princeps Apostolorum communi Patrum elogio nuncupatur.

Apostoli secundi ordinis.

Præter hos majorum, utita dixerim, gentium Apostolos, in quos solos notæ illæ proprietatesque conveniunt, eodem appellati nomine, inæquali tamen & dignitate, & potestate fuerunt secundi ordinis Apostoli, hoc est cæteri vel Christi, vel Apostolorum Discipuli, qui quod idem importandi in has vel illas regiones Evangelii munus susceperint, sive instinctu Spiritus Sancti, jussuque divino, sive majorum auctoritate Apostolorum ac mandato, Apostoli & ipsi vocati sunt. Theodoretus ad illa Pauli verba 1. Corinth. 12. *Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primum Apostolos* &c. hanc explanationem adhibuit, animadvertitque, *non solos Apostolos dici duodecim, sed & septuaginta, & eos omnes, qui eamdem postea gratiam consecuti sunt.* Chrysostomus quoque, quod Paulus 1. ad Corinthios 15. scripsit Christum apparuisse Jacobo, deinde Apostolis omnibus, id non ad primarios tantum Apostolos, sed etiam ad septuaginta Discipulos referri docet, quod his quoque cum illis commune esset nomen Apostolorum. Multum tamen a primariis Apostolis distabant, non missione tantum, sed etiam potestate. Neque enim omnia poterant, quæ majores Apostoli; & præterea eorum Apostolatus iis, ad quas mittebantur, provinciis circumscriptus erat; cum primi ordinis Apostoli jussi fuerint ire in Mundum universum, eo videlicet sensu, ut plena, & sine loci ullius ac gentis exceptione, Evangelii quocumque circumferendi, & Christianæ religionis ubique propagandæ illis potestas fieret; quam deinde in provinciarum distributione ipsimet Apostoli certis quibusdam regionibus sibi definierunt. Itaque quamvis vox Apostoli a missione originem traxerit; tamen non tam missionis sive per Deum, sive per homines Dei Vicarios injunctæ modo, quam amplitudine ordinis ac potestatis metienda est Apostoli dignitas.

Secundarii a primariis Apostolis distincti.

Hinc etiam complures viri eximiæ sanctitatis, qui gentibus ac populis quibusdam primi omnium evangelium intulerunt, eorum Apostoli passim nominantur retentioribus etiam temporibus; ut Bonifacius Moguntinæ sedis primus Antistes Germaniæ Apostolus dicitur, itemque plures alii, quos necesse non est nominari, Apostoli aliarum gentium eam ob causam appellantur. Cæterum postremis hisce temporibus Apostoli vocabulum si cui imponatur, non tam ex ejus vi ac notione, quam ex insigni quodam Apostolicæ expeditionis eventu perpenditur. Nemo enim, ut quidem nunc usus est, dignus putatur, qui tam insigni nomine ornetur, nisi cum Apostolico munere admirabilem vitæ sanctitatem, miraculorum multitudinem & excellentiam, atque imprimis multarum Gentium ad Christum conversionem conjungat; sic ut non minus Apostolicarum virtutum imitatione, & rerum gestarum gloria, quam munere & officio ad primos illos evangelii propagatores proxime videatur accedere.

His ita constitutis nemini dubium esse arbitror, quin D. Titus jure meritoque appellari possit Dalmatiæ Apostolus, atque in secundum Apostolorum ordinem referri; nam & ratio missionis, unde vox Apostoli deducta est, in eo constat; neque enim sponte sua, sed Pauli jussu, & auctoritate Dalmaticam expeditionem suscepit: & præterea evangelium illic disseminandi, quæ propria est Apostolorum functio, & ejus gentis ad Christi notitiam cultumque perducendæ munus eidem impositum fuit. Titum autem a Paullo missum esse in Dalmatiam evangelii causa, tum veteres interpretes Paullinæ secundæ ad Timotheum epistolæ, tum Thomas Archidiaconus, aliique juniores affirmant, quorum testimonia supra descripsimus. Vel secundo tamen Apostolorum ordini adscriptus, inter multos ex eo numero atque ordine excelluit. Nam si ejus, qui aliquem legat, auctoritas ac dignitas legationi pretium addit, ut certe addit, hinc vel plurimum ad Titi gloriam accedit, qui a Paullo altero Apostolici collegii Principe suam legationem accepit. Si vero ad legationis decus permagni interest, quanta sit nobilitas, & amplitudo provinciæ, quo quisque mittatur, haud equidem scio, an illustrior Tito contingere potuit provincia, quam Dalmatia, quæ temporibus illis tum urbium frequentia, & amplitudine, tum opibus, commercio, incolarum numero, rerum omnium, quas natura desiderat, abundantia, & copia cum præcipuis Europæ regionibus haud immerito conferri poterat. Nihil hic commemoro, (quod quidem ad Titi laudem & excellentiam vel maxime pertinet) quanta is fide ac sapientia, quam sedulo, quam impigre, quam sancte munus illud longe gravissimum obierit; & quam egregie Apostolico nomine rerum gestarum numero, & præstantia se dignum præbuerit. Non enim omnia uno loco dici aut debent, aut commode possunt. Nec vero audiendi sunt, qui putant, ac docent Apostolicam dignitatem ab Episcopi officio ac nomine sejungi non posse; & neminem Apostolum appellandum esse, quin idem fuerit Episcopus. Ego equidem, unde id sumpserint, non video; quin mihi arripere isti videntur quasi jure suo rem nullo modo probabilem. Episcopalem dignitatem plurimum vel splendoris vel auctoritatis Apostolicis viris conciliare nemo negaverit; si nihil aliud contendunt, id ultro ac liben-

Titus inter Apostolos secundi ordinis Apostolus Dalmatiæ.

Munus & nomen Apostoli illis etiam convenit, qui Episcopi non fuit.

libenter damus. Apoſtolatum autem ſive Epiſcopatu conſtare non poſſe ſi velint, quem hoc ſibi daturum putant? præſertim ſi verum eſt, quod Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique ſentiunt, omnes illos duos & ſeptuaginta Chriſti Diſcipulos Apoſtolatus vocabulo ac dignitate præditos fuiſſe, cum hos tamen ab Epiſcopis ſecernant, & inter Presbyteros ſimplices, quoſdam etiam inter Diaconos annumerent veterum aliqui, quos ſecutus Petrus Damianus: *ſicut Epiſcopi*, inquit, *duodecim Apoſtolorum noſcuntur obtinere primatum; ita & Sacerdotes eccleſiæ ſeptuaginta Diſcipulorum ordinem repræſentant*. Opuſc. 27. c. 3. Epiſcopalem dignitatem certe non poſtulat vis, aç ſignificatio, quæ ſubeſt huic vocabulo ſatis omnibus per ſe nota.

Hæc eo pertinent, ut perſpicuum ſit, conſtetque inter omnes, nihil admodum intereſſe ad Apoſtolicum munus ac nomen, utrum conjunctum ſit cum Epiſcopali munere atque officio, an ab eodem ſejungatur. Nam ad Titum quod attinet, ſuperiori capite §. 6. oſtendimus eum in Epiſcoporum ordinem ante cooptatum fuiſſe, quam Dalmaticam provinciam adiexit. Cæterum ſi cui forte dubium videatur, an Titus in Dalmatia Epiſcopi munus ac nomen geſſerit, utram velit ſententiam per me licet ſequatur; modo ne illi Dalmatici Apoſtolatus titulum adimat, quod a nobis hoc loco probandum erat; & ex iis, quæ diximus, ſatis ſuperque conſtat.

Titus primus Apoſtolus Dalmatiæ.

Reliquum eſt, ut probemus B. Titum primum ex omnibus fuiſſe, cui Dalmatici Apoſtolatus dignitas ac nomen obvenerit. Haud equidem negaverim fuiſſe aliquos ex Apoſtolis, eorumque diſcipulis, qui ante illum Dalmatiam luſtraverint, ibique aliquam evangelii ſementem fecerint; nemo tamen illorum Tito præripuit, ne eſſet primus Dalmatiæ Apoſtolus, atque adeo primus cum tempore, tum etiam rerum geſtarum multitudine ac præſtantia. Neque enim ſi Petrus & Paullus Apoſtolorum Principes, ut ex eorum itineribus videtur conjici poſſe, Dalmatiam peragraverint vel attigerint, obiterque prima evangelii ſemina jecerint, antequam illuc Titus accederet, idcirco eos Dalmatia jure poteſt appellare ſuos ac proprios Apoſtolos, eamque ob cauſam de ſe ipſa magnifice prædicare, & ſe cæteris nationibus ſatis glorioſe anteferre; nam in hujus gloriæ ſocietatem ſe offerunt provinciæ ac gentes quamplurimæ, e quibus aliquæ potiori ſane jure id gloriæ ſibi vendicant, quod aut primis Petri ac Paulli laboribus excultæ ſint, aut e magis diuturna eorumdem præſentia & commoratione uberiores perceperint fructus. Hi duo Apoſtolorum Principes non ita ſuas curas & cogitationes uni aut alteri provinciæ addixerant, ut proprii ejuſdem certique Apoſtoli appellari poſſent; ſed pro ea, quam ſuſceperant, totius orbis procuratione, omnes populos ac regiones mente atque animo complexi, ſuos labores, vigilias, itinera ad communem omnium gentium utilitatem contulerunt. Quod igitur latiſſime patet, eſtque commune cum omnibus, id tanquam proprium ad ſe derivare Dalmatia nequit; neque video, quid argumenti afferri poſſit, cur Petrus & Paullus potiori quodam jure Dalmatarum, quam aliarum nationum, atque adeo totius orbis Apoſtoli dicendi ſint.

Si autem alii ex Apoſtolis, ſive ex Apoſtolorum diſciplina adierunt Dalmatiam ante adventum Titi, non illi quidem nominatim ad Dalmatas erudiendos miſſi erant; ſed regionem illam ex itinere, curſim, feſtinanterque obierunt, ad alias gentes, ad quas illorum miſſio ſpectabat, properantes. Nemo eorum diutius in Dalmatia ſubſtitit, quam tranſitus atque itineris ratio poſtulabat. Nemo evangelicam legationem huic genti affixam accepit; nemini imperatum eſt, ut his præcipue populis edocendis operam daret, quamquam omnes ex Apoſtolico inſtituto, quacumque iter haberent, ſi qua ſe obtuliſſet occaſio, evangelium diſſeminabant, & obvios ex itinere populos ad Dei cultum, veramque religionem pro viribus impellebant. Contra vero uni Tito diſerte, & conceptis quodammodo verbis Dalmaticam legationem Paullus decrevit. Ille primus omnium non ſponte ſua, non ex itinere occaſionem nactus, non quaſi aliud ſpectans, aliove properans, ſed Paulli miſſu, pro muneris ſui ratione ex induſtria, ac dedita opera, hos populos Chriſtiana fide imbuendos ſuſcepit; his ſuos labores impendit, in hac provincia aliquamdiu commoratus eſt; hic denique ſuas omnes curas & cogitationes defixit.

Neque ſolum propterea Titus proprie vereque dicitur primus Dalmatiæ Apoſtolus, quod nemini ante illum Dalmatica Legatio contigerit; ſed etiam ea de cauſa, quod nemo temporibus illis tam multa, tam egregia geſſit in Dalmatia, quæ cum rebus a Tito præclare geſtis ullo modo conferri poſſint; ut is quidem Dalmatici Apoſtolatus primatum non modo temporis anteceſſione, verum etiam cujuſdam in eo genere excellentiæ cauſa obtineat. Alii ſiquidem tenui quodam, quaſique dubio evangelii lumine, quod matutinis crepuſculis non inepte comparari poſſet, Dalmatiam inſperſerant; is vero clariſſimam Chriſtianæ fidei lucem, ipſumque meridiem attulit. Quæ alii religionis, pietatiſque ſemina aliquorum animis curſim injecerant, is non modo latius eadem propagavit, ſed etiam diligenter excoluit, atque adeo ad bonam frugem perduxit. Paucos illi quidem Chriſtianos fortaſſe fecerant, quibus erudiendis, perficiendiſque neque ſatis temporis, neque ſatis diligentiæ impendere alio feſtinantes, aliiſque curis diſtracti potuerant; Titus vero, quos Chriſto aggregavit, tam diligenter excoluit, tam accurate Chriſtianis præceptis, atque inſtitutis edocuit, ut alterius paſtoris opera & diſciplina non magnopere indigerent, quamdiu apud ipſos commoratus eſt; illo vero abeunte, alium ſubmitti oportuerit ex Apoſtolorum diſciplina, qui religionem Chriſtianam Titi opera atque induſtria illic præclare fundatam tueretur, augeretque. Neque ita multis poſt annis ampliſſima illa Salonæ ſedes Epiſcopalis & eccleſia conſtituta fuit; quæ quidem quamdiu ſtetit, omni laudum genere ſic floruit, ut rerum amplitudine, & dignitatis gradu cum ampliſſimis quibuſque eccleſiis ac ſedibus Pontificiis conferri potuerit.

Res eximiæ per Titum in Dalmatia geſtæ.

S. Titus Præcurſor S. Domnii.

Ex his illud etiam conſtare arbitror, quam congruenter ad rei veritatem S. Titum B. Domnii Præcurſorem appellandum eſſe duximus; quippe qui ejuſdem in Dalmatiam adventum præcurrerat, eidemque viam ad res præclaras illic gerendas munierat. Ille Chriſtianum gregem Domnio quæſivit, quem is poſtea aleret, tueretur, propagaret; ille Dalmaticum ſolum emolliit, ac ſubegit, ut virtutis, pietatiſque ſemina, quæ Domnius deinde ſpargeret, patenti gremio, ac præparato exciperet, complexu ſuo foveret, atque uberrimos ex illis fœtus eliceret, ederetque. Ille demum re Chriſtiana apud Dalmatas bene geſta & egregie conſtituta auctor fuit, ut Herme ad tempus in ſuum locum ſubſtituto, deinde Petrus Saloniſanam ſedem fundaret, eidemque Domnium imponeret, virum imprimis idoneum, qui perficeret, quæ Titus inchoaverat, & quæ ille perfecerat, latius proferret.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

An Episcopi a Paullo delegati officio functus sit S. Titus apud Dalmatas?

SI qui in ea sint opinione, ut existiment antea Titum Cretensi ecclesiæ præpositum fuisse, eidemque Episcopali vinculo, & sacramento devinctum, quam Dalmaticam expeditionem susceperet; eos, si constare sibi velint, negaturos censeo illum dici posse proprie ac vere Dalmatiæ Episcopum; nisi vero arbitrentur ea lege Titum exemptum fuisse, qua cavetur, ut singuli Episcopi singulis præficiantur ecclesiis; neve qui se uni ecclesiæ totum addixerit (totum quippe hominem unius ecclesiæ administratio requirit), alterius procurationem suscipiat; haud secus quam si quis uni uxori se tradiderit, alteram neque ducere, neque justæ conjugis loco habere potest. Sed quid tandem argumenti illi afferent, quo probent ejusmodi lege solutum fuisse Titum, & uno eodemque tempore eidem liceret duas ecclesias obtinere; præsertim cum hæ tanto locorum intervallo disjunctæ essent, ut neque præsentiam suam, neque suas curas, & cogitationes utrique impertiri posset? Nihilo probabilius est eum jurejurando, quo se Cretensium ecclesiæ obstrinxerat, absolutum a Paullo, ritu nuncium priori sponsæ remisisse, ut alteram in Dalmatia duceret. Nam Cretensem ecclesiam ad extremam usque senectutem administravit, ibique laboribus ac senio confectus e vita decessit. Si autem illi Dalmatiæ Episcopatum Tito adimunt, attribuent eidem opinor Apostoli, & Delegati a Paullo Episcopi partes; nam si nihil ejusmodi concedant, omni eum procuratione atque actione privant, sic ut ne integrum quidem eidem relinquant usum Episcopalis, & Apostolicæ potestatis; neque facile explicare poterunt, quid ei negotii dederit Paullus, cuique eum muneri præfecerit, cum eumdem ad Dalmatas legavit. Episcopus delegatus rite nominari potest is, qui jussu alterius, a quo delegationem accepit, munera quædam atque officia Episcopalia ad tempus exsequitur. Si ergo ad eorum sententiam accedimus, qui, cum ante Dalmaticam legationem Titum ecclesiæ Cretensi præficiant, eidem Dalmaticum Episcopatum abrogent necesse est, ne cogantur dicere duas uni ecclesias administrandas traditas esse, contra quam Canones vetant; Titus in Dalmatia duas omnino personas sustinuit, Apostoli, ut jam ostendimus, & Episcopi delegati. Itaque Paullus Titum ab sua ecclesia Cretensi parumper abesse, atque in Dalmatiam proficisci jussit, ut in ea provincia, disseminando Evangelio, incolisque ad Christi notitiam cultumque traducendis, ecclesiæ Dalmaticæ fundamenta jaceret; eaque delegatione perfunctus ad suum pristinum gregem rediret. Eadem fere ratione Petrus Marcum Alexandriam legavit, ut suo nomine & auctoritate ecclesiam ac sedem Alexandrinam instituret ac fundaret. Hæc autem a Paullo mandata Titus habuerat, ut totam provinciam peragrando circumspiceret, locorum situm ac frequentiam, incolarum mores atque ingenia exploraret; simulque ad Paullum perscriberet, ubi constituendi essent sive Episcopi, sive Presbyteri; ecquid spei esset Christianæ religionis in illis locis propagandæ, quam uberes fructus ex evangelica semente perciperet, quid suis laboribus & conatibus potissimum obstaret. Præterea si quæ graviora incidissent, ut sæpe solent incidere, de quibus per se ipse decernere non auderet, probabile est Tito imperatum fuisse, ut de toto ejusmodi rerum statu Paullum per litteras edoceret; & ab eo consilium opemque postularet. Nemini vero dubium esse potest, quin multos ad Christianam religionem suscipiendam impulerit, sacro Chrismate inunxerit, quos baptismo initiaverat, Presbyteros ac Diaconos consecraverit, quos sacrarum rerum procurationi variis in locis præficeret, sacras ædes constituerit, ad quas festis diebus Christianam plebem ad verbum divinum audiendum, & sacra mysteria percipienda convocaret; omnia denique Episcopi delegati munera impigre assidueque obierit. Cum igitur isti negent fuisse proprium Dalmatiæ Episcopum, eidem attribuant, oportet, Episcopi a Paullo delegati partes, quas ad tempus susceperit, quibusque egregie peractis, jactisque fundamentis, & bene constitutis ecclesiæ Dalmaticæ initiis, ad suam Cretensem ecclesiam remigraverit.

Quid sit Episcopus delegatus.

§. III.

Titus Episcopi Regionarii Dalmatiæ munus ac nomen sustinuit.

SEd nobis longe probabilior videtur eorum opinio, qui negant B. Titum Cretensi ecclesiæ jam tum præfuisse, cum in Dalmatiam Paulli jussu trajecit. Horum sententiæ ipsi quoque nostram adscribimus, idque ex chronologicis Disquisitionibus, quas mox instituemus, satis constabit. Cum igitur Titus Dalmaticam legationem accepit; erat ille quidem Episcopalibus sacris initiatus, sed nulli ecclesiæ addictus Episcopi adjutoris munere fungebatur. Eum Paullus itinerum suorum comitem, & rei Christianæ administrum sibi adsciverat, ejusdemque vicaria opera ad omnia Episcopi officia ac munera utebatur. Quæ cum ita se habeant, quid est quod dubitemus, utrum Titus vere proprieque dici possit Dalmatarum Episcopus? At nihil de hujusmodi Episcopatu memoriæ proditum est, nulla ejus fit mentio in antiquis Dalmatiæ monumentis; nusquam ille Dalmatarum Episcopus appellatur. Quid igitur? An omnia ad Dalmaticam Titi expeditionem pertinentia iis, quæ supersunt, Dalmatiæ tabulis continentur? An non multa eademque cognitu dignissima partim scriptorum incuria, partim temporis longinquitate intercidarint necesse est, cum de tam illustri legatione tam pauca litteris consignata sint, quæ quidem ad nostram ætatem, nostrasque manus pervenerint? Non deest tamen unde suppleri possint, quæ nobis aut majorum nostrorum indiligentia subtraxit, aut oblivio ac vetustas ademit. Sunt enim argumenta, sunt conjecturæ, ut in re tam antiqua, satis graves, quæ si rite adhibeantur, permulta hominum interitu, & oblivione posteritatis obruta, partim ex iis, quæ adhuc extant, partim aliunde elici possunt.

Titus non delegatus.

Cum ergo Titus nulli ecclesiæ devinctus esset, cum jamdiu Episcopi nomen, ut ita dicam, inane gereret, cui nullius certi populi regimen ac procuratio suberat; verisimillimum puto etiam ob eam causam a Paullo missum fuisse in Dalmatiam, ut illic sibi gregem quæreret, cujus ipse curam ac patrocinium susciperet, cuique proprii Pastoris munere ac nomine præesset, & consuleret; præsertim cum ejusdem apud Dalmatas commorationem nullo, quod quidem constet, certo temporis spatio definierit, quo plerumque Episcopi Delegati officium circumscribi solet. Præterea satis constat moris fuisse Apostolorum, ut quos Evangelii causa aliquo mittebant, eosdem ils gentibus ac provinciis præficerent, quas deinde suis ipsi laboribus ad ecclesiam, atque ad suam ditionem adjunxissent,

Sed Episcopus proprius Dalmatiæ.

Digitized by Google

Ita Barnabas, ut ferunt, in Insubria, Hermagoras in Venetis, & Carnis, Andronicus in Pannonia, Apollinaris in Æmilia, Epaphroditus apud Philippenses, qui a Petro, vel a Paullo evangelicam legationem acceperant, iis ecclesiis Episcopali dignitate atque imperio præfuere, quas ipsimet sibi fundaverant. Quin igitur id muneris ac nominis Tito in Dalmatia dabimus, quod alii, quibus eadem ferme, atque illi, obtigit Legatio, in sua quisque provincia obtinuerunt? Si Cenomanis, si Carnis, ac Venetis, si Pannonibus, si Philippensibus licet, eos ecclesiarum suarum Episcopos agnoscere ac prædicare, a quibus Christianæ religionis sacra, leges, instituta se accepisse gloriantur; cur itidem Dalmatis non liceat eodem nomine B. Titum appellare, a quo suæ ad Christum conversionis initia, suæque ecclesiæ primordia repetunt? Præterea si quid valent conjecturæ ex vi verborum desumptæ, huc videtur referri posse modus ille loquendi, quem Thomas Archidiaconus adhibuit, ubi scripsit, *Domnium in Titi locum a B. Petro missum fuisse*. Ex quo haud ineptum fortasse in hanc rem argumentum duci, explicarique posset hoc modo: Eumdem fere muneris ac dignitatis locum apud Dalmatas Titus obtinuit, in quem a Petro subrogatus est Domnius; hunc autem verum ac proprium Dalmatiæ Episcopum fuisse nemo negaverit; & illum igitur fuisse oportet, cujus locum Domnius occupavit. Hæc fere habui, quæ dicerem de Dalmatico Titi Pontificatu. Restat, ut de genere hujus Pontificatus pauca dicamus.

Episcopus Regionarius quis sit,

Episcopus *Regionarius*, sive, ut alii vocant, *Apostolicus*, is vere proprieque dici potest, qui cum Episcopali jure multas sive urbes, sive provincias contineat, nulli tamen loco affixam habet Pontificiam sedem; sed hac illac discurrens ex alio in alium locum perpetua circuitione commigrat, & modo his, modo illis sive urbibus, sive provinciis suam præsentiam atque operam pro re ac tempore accommodat. Hujus generis Pontificatum Titus gessit in Dalmatia; nulla illi stabilis ac certa sedes, sed vaga quodammodo, & errabunda, quasique regionatim huc illuc circumvecta. Titus igitur universam Dalmatiam animo atque industria complexus, & nulli loco addictus, continenter omnem illam circumibat regionem, plurimos ubique Christianis sacris ac præceptis imbuens; si qua illum rei Christianæ necessitas vocaret, illuc impigre accurrebat, tamdiu inibi consistens, quamdiu suam illic præsentiam necessariam esse atque utilem existimabat. Ubi rem pulchre institutam suis jam viribus niti videbat posse, in alias urbes atque oppida commigrabat, & quocumque adibat Evangelium circumferens, vicos reliquos ac civitates lustrabat. Quas omnes ut obierat, quietis immemor, labore in orbem redeunte, ad primam urbem seu pagum revertebatur, confirmaturus, si quid forte labaret; eodemque ordine civitates atque vicos deinceps revisebat. Et vero primis illis temporibus, cum Christiana religio propagari cœpit in Dalmatia, hujusmodi plane opus erat Episcopo, qui in omnem fidei propagandæ occasionem intentus, nullis locis alligaretur, sed solutus ac liber, undecumque spes aliqua rei bene gerendæ affulgeret, illuc iter intenderet, atque ex aliis in alias urbes perpetua peragratione excurrens, ita totius provinciæ curam gereret, ut sigillatim vicos omnes atque urbes excoleret. Cum enim magnus esset in Dalmatia campus, qui ad evangelium disseminandum colendumque multorum requireret industriam, neque socios sibi adjunctos a Paullo Titus haberet, quos muneris sui vicarios in oppida atque urbes dimitteret; necesse fuit, ut ipse unus multorum vires atque animos gerens, totum se omnibus ac singulis locis impertiret, atque in varias quodammodo partes, suas curas, & labores distraheret: quod quidem satis causæ est, cur Tito *Regionarii* Episcopi titulum adscribamus; præterquamquod neminem Episcopum apud ullos auctores invenies, qui ante B. Domnium, in aliqua Dalmatiæ urbe certam fixamque sedem habuerit. De Regionariis Episcopis huc revoca, quæ scripsimus Prolegom. p. 3. sect. 1. cap. 2. §. 3.

Titus in Dalmatia Episcopi regionarii munera exsequitur,

§. IV.

Neque Episcopus Salonæ, neque Archiepiscopus, sive Metropolita Dalmatiæ appellari potest.

SI nullus fuit certus in Dalmatia ac definitus locus, in quo Titus Pontificiam sedem constituerit, necessaria consecutione efficitur eum dici non posse stabilem & fixum *Salonæ Episcopum*. Ad hæc: inter omnes convenit primum ex omnibus B. Domnium fuisse, cui Salonæ Pontificatus obtigerit; neque ullum omnino reperies ex antiquis monumentis sive Salonæ, sive Dalmatiæ, sive aliarum tum Illyrici, tum Italiæ ecclesiarum, in quo non omnibus Salonæ Episcopis Domnii nomen præponatur. Neque tamen si Tito Salonitani Episcopi titulus adimitur, idcirco eidem ecclesiæ ac sedis Salonitanæ fundatæ decus ac laus attribui nequit. Is enim cujusque operis auctor ac princeps dicitur, qui ad illud incohandum vel consilium, vel operam contulit. Titus autem adeo longe Christianæ religionis fines in Dalmatia propagavit, ut ex iis, quos ipse ad Christum adjunxerat, justæ magnitudinis ecclesia conflari potuerit, cujus principatum Salonæ urbs ea tempestate totius Dalmatiæ facile princeps obtineret. Neque longe fortasse a veritate aberit, si quis putet eumdem ipsum Titum, cum rerum ab se gestarum rationem redderet, auctorem fuisse B. Petro, ut Salonæ si minus statim, certe opportuno tempore præficeret Episcopum, qui Dalmaticam provinciam administraret. Quare qui probe noverit, quibus initiis ac fundamentis Salonitana ecclesia ac sedes excitata sit, huic dubium esse nequit, quin Titus ejusdem auctor, & parens dici haberique possit; nisi forte Baronium reprehendat, qui Aquilejensem ecclesiam a B. Marco fundatam fuisse tradidit, quod is Carnos ac Venetos ad Christi fidem converterit, quamvis ejus urbis Episcopus non fuit, in qua primus omnium Hermagoras sanctificiam sedem obtinuit.

Non Titus, sed Domnius primus Episcopus Salonæ.

Cum autem supra docuerimus B. Titum rite appellari, si minus Salonæ, certe Dalmatiæ Episcopum; postremo loco quæri potest, utrum etiam eum dici oporteat *Metropolitam* sive *Archiepiscopum* Dalmatiæ, necne: quam dignitatem, ut nobis videtur, inde usque a temporibus ecclesiæ primævæ obtinuit Salonitanus, & qui in ejus locum successit, hodieque retinet Spalatensis Antistes. Ac Titum quidem Cretensi provinciæ jure Metropolitico præfuisse multi scriptores clari imprimis ac nobiles docent. Sed in Dalmatia neque gessit nomen Archiepiscopi, quod in Hierarchiam ecclesiasticam primum invexit Synodus Ephesina; neque id potestatis aut muneris habuit, cui nunc respondet Metropolitæ sive Archiepiscopi titulus, multis ille quidem abhinc seculis usurpari cœptus, sed Titi ætate longe posterior. Ut enim Titus officio sibi injuncto rite fungeretur in ea provincia, quæ vix primos evangelii fatus acceperat, necesse non erat eum jure ac titulo Metropolitico præditum esse,

Dici tamen potest Fundatore ecclesiæ Salonitanæ.

Non fuit neque Metropolita, neque Archiepiscopus Dalmatiæ.

Hoc

Hoc illi mandatum fuerat, ut gentes illas evangelica prædicatione ad Christi cultum traduceret, baptismo expiaret, sacro chrismate inungeret, Sacerdotes secundi ordinis consecraret, quibus Neophytorum curam atque institutionem committeret; id scilicet negotii tantummodo datum fuerat Tito, ut nimirum ex populis ad Christum aggregatis Ecclesiam fundaret, cui deinde stabilis certoque loco affixus Episcopus, sive etiam Metropolita præficeretur. Has autem functiones, ut rite obire posset, satis erat eum Episcopali charactere ac potestate instructum esse.

Neque si Titus in Dalmatia creavit Presbyteros, & Ecclesias constituit, continuo existimes eum jure ac dignitate Archiepiscopali donatum fuisse. Nam sæpe apud antiquos Scriptores idem valet Presbyteros creare, & Ecclesias constituere, atque ad eum Sacerdotis ordinem, qui est infra Episcopatum, aliquos promovere; & in urbibus oppidisve, ex incolis ad Christi fidem perductis, congregationes quasdam instituere, ordinare, componere, cui nullus quidem Episcopus præsit, sed aliquis ex ordine inferiori Sacerdos ad rem Christianam proeurandam præponatur. Quæ quidem omnia cum Episcopalis potestatis atque officii modum non excedant, nihil causæ est, cur Tito Dalmaticum Pontificatum gerenti, id nominis, ac potestatis tribuatur, qua gaudent atque utuntur *Metropolitæ*, sive Archiepiscopi.

CAPUT VI.

De Episcopatu Dalmatico S. Titi Disquisitio Chronologica.

§. I.

Quo Christi, quove ætatis suæ anno Titus suscepit expeditionem Dalmaticam.

SI quis annorum ac temporum, de quibus nunc agimus, certam omnino designationem, in quam nulla dubitatio cadere possit, hoc loco expectat; is profecto majus quiddam a nobis postulat, quam quantum ab homine vel diligentissimo, & Apostolicæ Chronologiæ scientissimo præstari possit. Versamur quippe in re perantiqua ac difficili, neque Veterum litteris, pro eo atque oportuerat, satis illustrata; in qua si quid afferri poterit, quod aut probabile sit, aut ad id, quod probabile est, quam proxime accedat, æquis rerum æstimatoribus satis superque industriam nostram probatum iri confidimus; neque erit, cur nos suscepti laboris, institutæque disputationis pœniteat. Atque hoc primum constituo annos, in quorum investigatione tota hæc disputatio versabitur, non aliunde elici posse, nisi partim ex Menæis ac Menologio Græcorum, partim ex ipsa Salonitana historia. Veterum enim tabularum nihil præterea supereſt, unde aliquid opis ac præsidii ad id, quod quærimus, investigandum suppeditari queat. Quid quod ne ipsa quidem monumenta, quæ modo laudavi per se satis lucis ad hanc rem illustrandam impertiunt, sed nobis quemdam quasi filum præbent, cujus ductu sensim, atque ut ita dicam, pedetentim progrediamur; ubi hæc nos defecerint, conjecturas, & argumenta aliunde adscisci oportebit, quæ nos eo, quo intendimus, ferant deducantque. Age porro experiamur, quid e Cretensibus ac Salonitanis tabulis elici, & tamquam exprimi possit ad investigandum annum illum, quo Paullus Titum Dalmatiæ Episcopum præfecit, itemque alterum eum annum, quo Titus Dalmatiæ Pontificatu abierit. Ex Menæis, & Menologio Græcorum, (ut ab his incipiam) illud planissime constat, quod ab anno decimo completo post obitum Christi, ejusque ad Superos reditum, cum Titus Paullo socius atque adjutor datus fuit, usque ad Cretensem ejusdem Episcoparum anni circiter duodeviginti effluxerint. Annus autem ille decimus, secluso anno mortis Dominicæ, qui fuit Christi 34. itemque anno, quo Titus in Paulli societatem ac disciplinam se tradidit, & consecratus est Episcopus, est annus Christi 45. & duodecimus jam initus ab ejus obitu regressuque ad cœlum, in quem incidit divisio Apostolica, quæ facta est ipsis Kalendis Juliis. Erat autem is annus æræ vulgar. 42. cujus initium Christi ortus triennio antecedit, ut diximus par. 3. Proleg. Sect. 1. cap. 1. Illud quoque pro certo sumamus licet, Dalmaticum Titi Episcopatum neque ante annum 45. neque infra 62. Christi annum statui posse; nam Titus, antequam ad Paulum accederet, decem ipsos annos Hierosolymæ, ut Menæa tradunt, atque in Judæa transegit, qui desinunt, ut supra diximus in annum illum 45. anno vero 62. Cretensem Pontificatum accepit, cum jam antea Dalmaticum gessisset, ut infra docebimus. Igitur Dalmatica Titi expeditio conjicienda est intra illud duodeviginti annorum spatium, quod inter quadragesimum quintum, & sexagesimum secundum ab ortu Christi annum continetur. Jam vero ex hoc annorum numero septem priores annos eximi oportet, quos Titus cum Paullo Seleuciam, Cyprum, Pamphiliam, Pisidiam, Lycaoniam peragrando insumpsit; siquidem anno Christi 52. æræ vulgaris 49. quo cum Concilium Hierosolymitanum cohæret, Titus adhuc erat in comitatu Paulli, quocum profectus est Hierosolymas, ut in epistola ad Galatas Paullus ipse testatur: *Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam cum Barnaba assumpto & Tito*. Cap. 2. His detractis reliqui temporis summa decem annos complectitur a 52. ad 62. Christi annum deductos; e quibus illum annum elici oportet, quo Dalmatica Titi profectio consignanda est.

Dalmaticum Titi Pontificatus inter an. Christi 45. & 63. interjiciendus.

Neque ante ann. 52. statui potest.

Nihil præterea ex Cretensibus tabulis ratiocinando colligi potest; quæ quidem totos illos duodeviginti annos Paulli ac Titi circuitionibus indiscriminatim attribuunt, nullo temporis spatio interposito aut notato, quo Dalmaticus Episcopatus includi possit; nam de hoc ne mentio quidem illic habetur, cum ad res Cretenses nihil admodum pertineat. Neque ex Petri Equilini catalogo, quod Cretensium monumentis deest, suppleri potest. Nam is Auctor totum illud duodeviginti annorum spatium transilit, ac Titum statim ab ejus consecratione nullo temporis intervallo interjecto in Cretam transmittit. Hic igitur Cretensium tabularum præsidio destituti, historiam Salonitanam subsidio vocemus necesse est. Porro ex ea colligimus Titum antea missum fuisse in Dalmatiam, quam Paullus Hierosolymis in vincula conjiceretur; ex quo sequitur Titi adventum & Pontificatum Dalmaticum constituendum esse ante Hierosolymitana Paulli vincula, quæ ad annum Christi 58. æræ vulgaris 55. pertinent. Restat igitur, ut profectio Dalmatica Titi intra illud quinquennium compellatur, quod ab Concilio Hierosolymitano, ideſt anno 52. usque ad ann. 58. cum Paullus per vim ac tumultum ab Judæis comprehensus, & Hierosolymæ in custodiam traditus est. Hujus autem quinquennii primum & secundum & tertium annum magna ex parte, itemque anni 52. quod reliquum erat, Ti-

Vide Testimon. Archidiaconi allatum Ca. 2. §. 2.

neque post ann. 58.

tus impendit vel in peragrandis cum Paullo variis provinciis, vel procul a Paullo, in mandatis, quæ ab eodem acceperat, exsequendis. Cum enim ex decreto concilii Hierosolymitani, una cum Paullo gentium curam & patrocinium suscepisset, Syriam, Ciliciam, Macedoniam, Achajam adiit cum eodem Paullo, qui apud Corinthios commoratus est annum unum & sex ipsos menses. Deinde Paullus, cum in Asiam rediisset, semel atque iterum Titi opera apud Corinthios usus est; cui nimirum id negotii dederat, ut vel utramque, vel alteruram ad Corinthios epistolam perferret, eosque ad veterem disciplinam & sanctitatem, a qua desciverant, omni studio revocaret; ac pecuniam colligeret ad eorum inopiam sublevandam, quos Judæi Hierosolymitani religionis causa bonis omnibus ac fortunis everterant. Id adeo cognosci licet ex epistolis Paulli ad Corinthios, quarum alteram anno Christi 54. alteram anno insequenti scriptas fuisse paullo post ostendemus. Quæ cum ita sint, Titi in Dalmatiam adventus, neque ante quinquagesimum quintum ann. rejici, neque ultra quinquagesimum octavum protrahi potest. Porro quinquagesimo quarto, & quinquagesimo octavo anni circiter tres, vel quatuor interjacent, e quibus illum annum designari oportet, unde Titus Dalmatici Pontificatus initium duxerit.

neque ann. 51. vel 54.

Act. cap. 17. 18.

Ac nobis quidem verisimile videtur non antea quam in exitu jam esset annus Christi 55. æræ vulgaris 52. Titum præpositum fuisse Dalmatiæ Episcopum; siquidem majorem hujus anni partem Paulli mandatis vel litteris ad Corinthios perferendis extraxit, ut postea docebimus. Neque infra quinquagesimum quintum annum hujusmodi Episcopatus initium conjici potest, ne in angustiora spatia res ab Tito in Dalmatia gestas cogere videamur, quam ut satis commode includi possint, & suis quæque temporibus distribui. Nam unius Titi opera atque industria res Christiana in Dalmatia eo crevit, tam longe lateque propagata est, ut ex iis, quos ille ad Christum adjunxerat, haud parva ecclesia coaluerit. Quid quod, si Ludovico Schonlebio credimus, Titus eodem tempore, quo Dalmatiæ Episcopatum gerebat, Japydes etiam & Liburnos Christianis præceptis excoluit, atque adeo in Noricum usque penetravit, & Christi fidem cultumque invexit; quæ quidem omnia plus sæpe temporis requirunt, quam ut unius alteriusve anni angustiis circumscribi possint, quod eos facere necesse est, qui putant primum Titi in Dalmatiam adventum referendum esse ad annum Christi 59. æræ vulgaris 56. cum Paullus Romæ detineretur in vinculis. Ad hæc: Titus perfunctus cum esset intra finem anni 55. utraque illa Corinthiaca legatione, quam eidem Paullus mandaverat, reliquos annos usque ad annum 59. qui fuit primus Romanæ custodiæ Paullinæ, ab omni procuratione vacuos habuit, eosque in Dalmatarum conversionem ac salutem impendere potuit; cum superioribus annis, vel in circuitionibus Apostolicis, vel in exsequendis Paulli mandatis, operam assiduam Paullo navaverit. Sed huic anno potissimum Titi in Dalmatiam adventum ut adscriberem, impulit me auctoritas Ludovici Schonlebii, quem rerum Illyricarum auctorem laudare possum religiosissimum. Experientia quippe compertum habeo, illum in ejusmodi rebus vix, aut ne vix quidem falli unquam, vel decipi; neque adduci possum, ut credam, virum cæteroquin accuratissimum, & nostratium rerum scientissimum tam fidenter in hunc annum contulisse Dalmaticam Titi expeditionem, nisi hoc deprompsisset e vetustis monumentis, quorum multiplicem, atque egregiam supellectilem ille sibi ad suos annales conficiendos adornaverat. Hic igitur proxime ad nostram opinionem accessit, quippe ante Paulli vincula, & uno ante nostros calculos anno ideſt 54. Evangelicam Titi in Dalmatia prædicationem subjecit, his plane verbis: *Dalmatis & Liburnis eodem tempore prædicat Evangelium Titus D. Paulli discipulus, & multorum itinerum comes, prout ex pluribus ejusdem Apostoli epistolis colligitur: & sic fides Christi longe lateque propagatur.*

Sed intra finem an. 55. initus esse videtur.

Quem vero annum Titus ageret, cum Dalmatiæ Pontificatum iniit, ex Menais facile colligitur. Altero & vigesimo ætatis anno Hierosolymam venit. Is annus congruit cum anno Christi trigesimo tertio, qui fuit æræ vulgaris 30. nam Titi adventus uno ferme anno Christi mortem antecessit. Deinde annos undecim Hierosolymis, aut in finitimis regionibus transegit, antequam Episcopus fieret, & Paulli adjutor ac socius esset. Tum decem alios annos Adjutoris functus officio, in rei Christianæ procuratione operam Paullo navavit, antequam Dalmatiæ Episcopus præficeretur an. 55. Igitur ab Titi in Judæam adventu ad Dalmaticum ejusdem Pontificatum, ideſt ab an. 33. Christi ad 55. colliguntur anni duo & viginti, quos quidem si addideris Tito vigesimum & alterum ætatis annum agenti, cum Hierosolymam venit, necessario sequitur, illum tres, & quadraginta annos completos habuisse, cum Dalmatiæ Ecclesiam gubernandam suscepit.

Annum ætatis agebat 43. cum Dalmaticus Episcopus factus est.

§. II.

Quamdiu Titus gesſit, quove anno procurationem Dalmaticam deposuit.

SUpereſt, ut inquiramus, quamdiu Titus ecclesiam illam administraverit, quove anno Dalmaticum Pontificatum deposuerit. Titus ubi certis auctoribus cognovit Paullum Romam abduci jussum esse, quod ab Judææ Præside ad Cæsarem appellasset, nulla interposita mora, Romam petere contendit; quo cum mature perveniſſet, ibidem aliquamdiu substitit, ut Paulli adventum præstolaretur: *Audiens*, inquit Archidiaconus cap. 3. Hist. Salon., *quod B. Paulus a Præside Festo jussus est Romam pergere, statim amissis omnibus, prævenions eum expectavit in urbe.* Paulli e Judæa discessum Henschenius, Petavius, alii referunt ad ann. 55. æræ vulgaris, qui post Christum natum est 58. Paullus igitur an. Christi 58. exeunte jam Autumno, vel, ut alii putant, appetente hyeme, Cæsarea profectus cum esset, navigatione usus pericommoda, ventisque adversis multo serius, quam Italici itineris tractus postulabat, in Italiam appulit. Primum quippe navis, qua vehebatur, Asiæ oram circumvecta, longissimo circuitu in Cretam pervenit, cum jampridem idonea tempestas ventique propitii defecissent. Deinde uno alterove, quam e Creta abierat die, subito atrox tempestas coorta navim ventis ac fluctibus diu agitatam in saxa prope Melitam vi æstus abripuit; cum autem prora scopulis illata infixaque hæreret immobilis, & puppis immodica maris ventorumque jactatione dissolvi cœpisset, nautæ pariter ac vectores se incertam ad spem, ut vitæ consulerent, in mare demittunt; & partim adnando, partim disceptæ lacerætque navis tabulas complexi, omnes nemine pereunte in terram evadunt. Cum nulla navigii copia suppeteret, & hyems ita, ut cum maxime sæviret; in ea insula hybernare, ibique opportunum navigandi

Paullus in vincula Romam abductus an. 58.

Digitized by Google

di tempus opperiri conſtituunt. Tres ipſos menſes Melitæ ſubſtitit Paullus, qui vel ſanctitate vitæ, vel morum comitate adeo ſibi incolarum animos conciliavit, ut ab iiſdem victu, cæteriſque rebus ſane commode ac liberaliter habitus fuerit. Deinde vere jam inito, Alexandrinam navim conſcendit, qua in Italiam proſpero curſu delatus, anno Chriſti 59. ætæ vulgaris 56. Romam pervenit.

Romam pervenit an. 59.

Titus itaque, qui jam pridem (ut ſupra diximus) eo tranſmiſerat, ut Paullum longo intervallo reviſeret, eidemque religionis cauſa Cæſaris tribunal ac judicium ſubeunti adeſſet, Paulli adventu mirifice lætus, nullum in eum pietatis officium prætermiſit. Cæterum Paullus clementer, contra quam putabatur, ab Nerone habitus, & liberali ſane cuſtodia aſſervari juſſus, nihil admodum Titi opera indigere videbatur, atque ut ſe initia dederant, ſatis apparebat illum facile per ſe ipſum poſſe ſuam cauſam Neroni probare. Quamobrem Titus, cum perſpiceret nihil cauſæ eſſe, cur diutius Romæ maneret; ne quid detrimenti res Dalmatica per ſuam abſentiam caperet, Paulli permiſſu in Provinciam rediit. De Titi reditu quamvis in hiſtoria Salonitana nulla facta ſit mentio, nemini tamen dubium eſſe poteſt, quin redierit. modo attentius legat alteram ad Timotheum epiſtolam, ubi Paullus queritur ſibi cauſam ex vinculis dicenti neminem aſſuiſſe, & iis, qui eum longe aberant, Titum etiam annumerat: *Crescens*, inquit, *abiit in Galatiam, Titus in Dalmatiam*. Scio equidem permultos eſſe, qui hæc verba ad primum in Dalmatiam Titi adventum referant, ſed tantorum Virorum pace dixerim, parum apte congruenterque ad rei veritatem; niſi forte dicamus illos ex citato Pauli loco nihil aliud efficere voluiſſe, niſi id, quod inter omnes convenit, Titum in Dalmatia rei Chriſtianæ operam navaſſe; ſive is deinde in eam provinciam redierit, ſive tum primum advenerit; eò ſiquidem tantummodo ſpectant, ut probent Dalmatas ab Tito edoctos, ac de Chriſtianis officiis atque inſtitutis inſtructos fuiſſe; quoties autem, quove tempore Dalmatiam adierit, nihil ſane laborant. Ceterum cum ex hiſtoria Salonitana conſtet antea Titum profectum eſſe in Dalmatiam, quam Paullus conjiceretur in vincula; & ſecundam ad Timotheum epiſtolam Paullus Romæ ex primis vinculis ſcripſerit, ut poſtea probabimus; nemo dubitare poteſt, quin Paullus verbis modo allatis ſignificare voluerit, Titum iterum in Dalmatiam abiiſſe.

Titus e Dalmatia Romam profectus Paullum revertentem excepit.

Iterum eſt in Dalmatiam.

Quod autem Titus, ut Paullum propediem Romæ adfuturum inviſeret, e provincia ſua diſceſſerit, non idcirco tum eam depoſuit; neque iſthæc profectio Pontificatus abdicatio dicenda eſt; ſed potius quædam ab Dalmatica ſede non longa digreſſio, atque ad breve tempus abſentia, cum voluntate remeandi conjuncta. Et vero an Titus ſponte ſua, & injuſſu Pauli eam provinciam dimitteret, quam ex imperio & auctoritate Pauli ſuſceperat, ſeque ipſe jure jurando abſolveret, quo ſuam Dalmaticæ eccleſiæ fidem obſtrinxerat? nihil minus. Nemini quippe licet eccleſiæ, cui præſit, nuncium remittere ſine ejus auctoritate, a quo illam accepit. Qui autem fieri potuit, ut Titus, Paullo auctore, ſe Dalmatico Pontificatu abdicaret, cum non ſolum abſente, ſed etiam inſciente Paullo, quemadmodum ex hiſtoria Salonitana colligi videtur, in Italiam e Dalmatia trajecerit? Ad hæc: qui alicui provinciæ præpoſitus eſt, antequam magiſtratu abeat, aliquid temporis ſumere ſolet ſive ad ſalutandos amicos, ſive ad res publicas componendas, ut qui in ejus locum ſuccedit, nihil in ea provincia incompoſitum, nihil non recte conſtitutum offendat. Titus vero de hiſce rebus ne cogitandi quidem ſpatium habuit, quippe qui ſimul atque intellexit Paullum Romam vinctum deduci, ſtatim rebus omnibus omiſſis, ut docet Archidiaconus, omnique abjecta cunctatione Romam ire properavit, ut Pauli adventum præcurreret. Quæ cum ita ſe habeant, Dalmatici Pontificatus abdicatio conſignari nequit anno 59. cum Titus e Dalmatia diſceſſit eo conſilio, ut Paullum in Urbem venientem exciperet. Reſtat igitur, ut Dalmaticæ Eccleſiæ regimine amotus fuerit anno Chriſti 61. cum Pauli accitu iterum Romam venit.

Titus cum Pauli inviſendi cauſa Romam venit, Epiſcopatum Dalmaticum cum dimiſit.

Si quis conjecturis locus eſſe poteſt in earum rerum tractatione, quæ cum ab noſtra ætate longo intervallo diſjunctæ ſint, tum omni ferme litterarum luce carent; res hæc, qua de agimus, in hunc maxime modum contigit, aut certe contigiſſe poterit. Paullus jamdudum in animum induxerat Hiſpanias peragrare, atque in extremas uſque Occidentalis Orbis partes Evangelium inferre; cujus quidem conſilii, antequam vinctus Romam duceretur, jam per literas Romanos certiores fecerat. *Cum in Hiſpaniam*, inquit, *proficiſci cœpero, ſpero, quod præteriens videam vos, & a vobis deducar*; & paullo poſt: *Per vos in Hiſpaniam proficiſcar*. Romæ autem cum eſſet in vinculis, cæleſti admonitu accepit Deo cordi eſſe, ut quæ in animo habebat, re ipſa perficeret, & quem ſibi propoſuerat, Evangelicæ expeditionis curſum abſolveret; Deum itaque ſibi auxilio futurum, ut ſuam cauſam Neroni probaret, ab eoque liber e vinculis dimitteretur. Huc ſcilicet pertinent verba illa ad Timotheum: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio implcatur*. Divinitus itidem ſenſerat ſibi ultimum diem inſtare, non quod propediem moriturus eſſet, ſed quia ſeptem annorum ſpatium, quo reliquum ſuæ vitæ curriculum circumſcriptum eſſe intellexerat, ad earum rerum, quæ ſibi ſupererant gerendæ, numerum, ac magnitudinem, quaſi puncti inſtar eſſe arbitrabatur; ac tantum ſe abeſſe exiſtimabat a perfectione magnorum operum, quæ animo agitabat, ut vix eorum fundamenta jeciſſe ſe crederet: quæ quidem interpretatio haud ſane abſurde in eum Pauli locum accommodari poteſt, ubi Timotheum admonuit haud procul ſe ab interitu abeſſe: *Ego*, inquit, *jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*. Hæc omnia cum plane ac perſpicue intelligeret, duo, quæ imprimis cordi erant, ſibi omni feſtinatione properanda eſſe cenſuit, ne videlicet ea perficiendi tempus ac facultatem mors immatura præriperet; primum quidem, ut ſimul atque emiſſus eſſet e cuſtodia, Hiſpaniam, quo jamdiu cogitabat, cæteraſque provincias, quas nondum adierat, Evangelio luſtraret; deinde ut Græciæ Eccleſiis jampridem fundari cœptis ſupremam manum imponeret, & ſicubi deeſſent, conſtitueret Epiſcopos, nihilque ad rem Chriſtianam optime conſtituendam in iis locis relinqueret, quod non undique aptum atque perfectum, expletumque eſſet omnibus ſuis numeris, & partibus. *Cum autem* (inquit Archidiaconus) *per Spiritum Sanctum cognoſceret, in eadem urbe ſuum martyrium conſummandum de Eccleſiis Græciæ diſponere curavit*.

Epiſt. ad Rom. c. 15.

Paullus in Hiſpaniam cogitans.

Ergo Titum nondum in Dalmatiam regreſſum ad ſe accerſiri jubet, cujus opera ad hæc perficienda uti decreverat: quid ſui conſilii ſit, eidem oſtendit; eum videlicet ab ſe Hiſpanicæ profectionis ſocium, & glorioſi operis conſortem delectum eſſe; deinde ubi ſimul Hiſpaniam totam peragraſſent, in Cretam ſe tranſmiſſuros; in ea vero inſula Tito manendum eſſe ad ſuos populares excolendos, rem-

Titum Hiſpaniæ peregrinationis ſocium ſibi deſignat, & Cretenſem Epiſcopum.

que Christianam procurandam; ac se quidem jam nunc Cretensem ecclesiam illi destinare, cui Pontificis munere ac nomine præesset, quamque ad extremum usque spiritum obineret, regeret, gubernaret. Interea rediret in Dalmatiam, & Neophytos in suscepta religione confirmaret. Quidquid divinus cultus, quidquid res Christiana opis subsidiique desiderare videretur, id ne omitteret curare ac providere in tempore; ut simulatque sive per litteras, sive per nuncios evocaretur, nihil impedimento foret, quominus statim in Urbem advolaret. Titus nova sibi destinata provincia lætus, ad suam Ecclesiam revertitur, omnique festinatione, quæ jussus fuerat, præoccupavit agere, ne quid infectum relinquere cogeretur, si Hispanicæ profectionis dies citius, quam opportunius, superveniret.

Quem jubet in Dalmatiam reverti, rebusq; Dalmaticis compositis ad se in urbem redire.

Erunt fortasse, qui Salonitanam historiam hic nobis objiciant, quæ quidem, ut videtur, negat Titum rediisse in Dalmatiam: *Quamobrem B. Titum non remisit* (Paullus) *ad Dalmatias, sed ad Græciam, ubi magis erat notus, Pontificem eum constituens apud insulam Cretam*. Haud sane a nobis discrepat Auctor historiæ Salonitanæ, propterea quod scripserit Titum non fuisse iterum ad Dalmatas missum. Negat ille quidem missum fuisse, ut susceptam illius ecclesiæ curam retineret ac gereret; aliam quippe ei provinciam jam Paullus destinaverat; at minime negat Titum in Dalmatiam ad breve tempus rediisse, ut concreditum sibi gregem postremum reviseret ac lustraret, rebusque omnibus rite compositis, eam provinciam dimitteret. Hujusmodi autem reditum idcirco tacitus prætermisit Archidiaconus, quod non ejus loci esse duceret omnia singillatim persequi, quæ ad Titum pertinebant, præsertim cum ad alia properaret, quæ sibi scribenda proposuerat in illo eodem capite, quod de *S. Domnio & Sancto Domnione* inscripsit; Dalmaticam autem Titi expeditionem non ultra voluit attingere, nisi quatenus opus erat, ut viam sibi sterneret ad ea narranda, quæ cum hujus capitis titulo congruebant, & tamquam præcipuum, in quo versaretur, argumentum, huic historiæ loco subjecerat. In eam igitur, quam modo exposui, sententiam accipi oportet, quę Archidiaconus scripsit, ne videatur a Paullo dissentire, qui in secunda ad Timotheum epistola plane diserteque testatur rediisse Titum in Dalmatiam, cum ipse Romæ in vinculis detineretur.

Argumentum ex Mist. Salonit. dilucidatur.

Nunc, ut eo revertar, unde paullisper deflexit oratio, Paullus an. Christi 61. ætæ vulg. 58. e Romana custodia emissus Titum admonuit instare jam Hispanicæ expeditionis diem; proinde Dalmatis valere jussis, eique ecclesiæ nuncio remisso Romam primo quoque tempore proficisci maturaret. Titus ad eum nuncium nihil morę interposuit, ac Dalmaticis rebus compositis semet ad Romanam profectionem celeriter comparat. Dalmatas inde solatus, promittit eorum sibi salutem, ubicumque terrarum esset, cordi futuram. Ad extremum omnes ad susceptam religionem constanter retinendam exhortatus, certam illis spem ostendit, quamprimum fore, ut aliquis e Paulli disciplina mitteretur, qui eorum curam ac tutelam susciperet. Nec promissum fefellit. Ab eis digressus, ut primum Romam advenit, de totius Dalmaticæ Ecclesiæ statu Paullum edocuit, eidemque auctor fuit, ut Hermen eo destinaret, qui floreścentem illam Domini vineam, haud ita pridem conśitam excoleret. Quæ si ita se habeant, ut certe sic se habere videntur, consequens est, Titum altero & sexagesimo Christi anno Dalmatiæ Pontificatum depoluisse; quem quidem cum ab exitu anni 55, susceperit, ut supra vidimus, id quoque efficitur, eumdem annos amplius quinq; Dalmaticam ecclesiam obtinuisse. Quod vero Archidiaconus scripserit, *non longo illic tempore mansisse*, id profecto non satis est causæ, cur breviori temporis spatio Dalmaticam Titi commorationem circumscribamus. Nam cum Episcopalis administratio nullis temporum limitibus definita sit, & vinculum illud, quo quis semel alicui ecclesiæ se obstrinxit, vi sua ac natura postulet, ne unquam dissolvatur, haud secus quam nodus ille disrumpi nequit, quo suæ quisque uxori devinctus est; quinque annorum spatium haud ita longi temporis instar est, si cum eo tempore comparetur, quod per se requirit unius ecclesiæ semel susceptæ procuratio, quæ non aliis, quam quibus cujusque Episcopi vita, spatiis circumscribitur. Quamvis igitur Titus quinque ipsos annos Dalmatiæ Episcopatum gesserit; jure tamen meritoque Archidiaconus scripsit haud ita diu eum mansisse in Dalmatia, qui cęteroquin Episcoporum more atque instituto Dalmaticæ Ecclesiæ suam fidem suamque mansionem, quantum in ipso erat, in perpetuum addixerat.

Jam vero anni 61. quod supererat, & fere totum annum proximum Titus cum Paullo Hispanias peragravit. Nam Paullum Hispaniam adiisse auctores sunt Hippolytus, Athanasius, Cyrillus, Sophronius, Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, Gregorius, Isidorus, Beda, Ado, Metaphrastes, & alii plures, quos laudat & sequitur Baronius an. Christi 61. Deinde cum ex Hispania solvisset intra finem anni 62. qui fuit ætæ vulgaris 59. in Cretam appulit. Quam insulam cum diligenter lustrasset, reique Christianæ, quo firmior inibi esset, auctiorque in dies fieret, satis providisset, Titum jampridem designatum Episcopum Cretensis ecclesiæ reliquit; & Gortynam urbem totius insulæ principem Pontificia sede ornavit, cujus imperio non solum Cretenses, sed etiam insularum adjacentium incolas subesse jussit. Anno itaque 62. in exitum vergente, Cretensem Episcopatum Titus iniit, quod quidem cum Menæis præclare congruit. Nam, ut Menæa testantur, ex quo Titus in Paulli societatem adscitus fuit, anni fere duodeviginti interceśerant, antequam Cretensis Episcopus fieret. Anno autem 45. ut supra docuimus, Paulli comes, atque itinerum socius esse cœpit. Igitur anno 62. Cretensem ecclesiam regendam suscepit; nam spatium, quod ab anno 45. ad 62. sive ab anno ætæ vulgaris 42. ad 59. interfluxit, circiter duodeviginti annos complectitur. Annos autem habebat Titus fere 49. cum præpositus fuit ecclesiæ Cretensi. Rebus Cretensibus in hunc modum compositis Paullus quidem e Creta in Asiam transmisit; Titus vero primum omnium Cretensibus instituendis, erudiendisque operam dedit, deinde ad eas insulas, quæ Cretæ circumjacent, excolendas cogitationem atque animum adjecit; & singulas vicatim circumjens, Christianis mysteriis imbuere plerosque incolarum, & baptismo expiare instituit. Sex ferme annos in hisce insulis ad Christianam fidem erudiendis absumpsit, ut tradunt Menæa, ac tantum studio, & assiduitate profecit, ut qui plerosque illarum insularum partim vicos, partim oppida sane rudia accepisset, eadem probe culta, ac morata suæ disciplinæ alumnis tuenda traderet, quos muneris sui Vicarios in oppidis vicisque singulis relinquebat. Hujus sexennii anno quarto, Titus ad tempus e sua provincia digreditur accersitus a Paullo, qui eum anno 66. per litteras Nicopolim proficisci jussit, ubi ipse hyemare

Anno 62. fit Cretensis Episcopus.

Sex annos in erudiendis insulis circa Cretam insumpsit.

Anno 61. Paullus e vinculis exemptus Titum Romam revocat.

Titus anno 62. dimisso Episcopatu Dalmat.

Anno 66. Nicopolim a Paulo accersitur.

mare statuerat: *Cum misero*, inquit Paullus in ea, quam ad eumdem scripsit Epistola, *ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare*. Eo cum se Titus contulisset, numquam deinde a Paulli latere discessit, quoad is anno Christi 68. qui fuit æræ vulgaris 65. Romæ Religionis causa capite damnatus martyrium subiit. Tum Titus ad suam ecclesiam reversus duos adhuc annos Insularibus excolendis impendit, reliquum vero vitæ tempus Gortynæ exegit; unde ortum, ac genus duxerat, & ubi Pontificiam sedem constituerat. Ad extremum senio ac laboribus confectus, cum quartum, & nonagesimum annum explevisset, ibidem sanctissime obiit anno Christi 106. æræ vulgaris 103. VIII. Kal. Sept. ibique perhonorifice sepultus miraculis claruit, & ab indigenis juxta advenisque eximia veneratione celebrari coliique cœpit.

Romæ an. 68. Pauli martyrio interfuit.

Cretam reversus, ibid. obiit an. 106.

Atque hic rerum a Tito gestarum ordo, hæc temporum series ac descriptio partim Cretensium, partim Dalmaticarum tabularum auctoritate innititur; ut quivis clare admodum perspicere poterit, modo Græcorum Menæa, ac Menologium, simulque historiam Salonitanam attentius perlegerit. Video equidem permultos esse Historicos, & hos quidem magnos atque nobiles, qui putant antea Titum Cretensi ecclesiæ præpositum fuisse, quam jussu Pauli in Dalmatiam accederet; id vero unde illi acceperint, plane non video. Nihil enim probabilis conjecturæ, quod ego quidem noverim, nihil argumenti, ex antiquis sive tabulis, sive Auctoribus afferunt, quo probent ac doceant Titum post initum Cretensem Episcopatum ad Dalmatas excolendos missum fuisse. Est nobis historia Salonitana, quæ fortassis ad illorum manus numquam pervenit; sunt Græcorum Menæa ac Menologia, quæ si paullo attentius legissent, ipsi se nobis nostræ sententiæ auctores ac duces præbuissent. Auctor historiæ Salonitanæ disserte docet Titum ab Dalmatica procuratione redeuntem nequaquam jussum fuisse eodem reverti, sed ad Cretensem ecclesiam translatum esse, ut populares suos verbis & exemplis ad Christi fidem ac disciplinam institueret. Præterea si Menæorum auctoritas valet, Titus Cretensis provinciæ administrationem semel susceptam numquam dimisit. Nam ab inito Pontificatu ad ejusdem obitum quinque anni & quadraginta numerantur, e quibus primum sexennium in oppidis & urbibus Cretæ, finitimisque insulis lustrandis insumpsit; reliquos vero Gortynæ in patria egit, ubi Pontificalem sedem constituerat. Qui autem initia Provinciæ Cretensis Tito collata ante prima Pauli vincula retrahunt, ut eam expeditioni Dalmaticæ præponant; ii Pontificatum Cretensem Titi ultra quintum & quadragesimum annum producunt, contra quam scriptum est in Menæis; ac Tito Episcopatum ecclesiæ Cretensis ineunti pauciores ætatis annos attribuunt, quam eum tum habuisse ex iisdem Menæis colligitur. Si Titus annos vixit quatuor & nonaginta, si Cretensem ecclesiam administravit annos quinque & quadraginta, ut tradunt Menæa, ejus administrationem susceperit necesse est anno ætatis suæ circiter quadragesimo nono. Atqui id ætatis esse non poterat Titus, antequam Paullus Hierosolymis in vincula conjiceretur, si quidem habenda est ratio annorum, in quos ejus vitam, resque gestas Menæa distribuunt. Nam an. Christi 33. qui est 30. æræ vulgaris, cum Titus Hierosolymam venit, altevum & vicesimum ætatis annum inierat, & vicesimum secundum agebat anno proximo, quo Christus mortem obiit, Cœlumque conscendit. Addo ex Menæis annos decem Hierosolymitanæ & Judaicæ commorationis, ipsumque annos fere duodeviginti Apostolicæ cum Paullo peragrationis: quos si cum vigesimo secundo Titi anno conjunxeris, ejus ætatem ad annum 50. initum, completumque quadragesimum nonum perduxeris, cum scilicet a Paullo Apostolo constitutus est Cretensium Episcopus, ut docent Menæa. Jam vero Christi mors ejusque conscensio in Cœlum cum inciderit in annum Christi 34. æræ vulgaris 31. Tito annum ætatis vicesimum secundum agente, duodetriginta illi anni, quos Titus partim Hierosolymæ, & in Judæa, partim cum Paullo Asiaticis & Græcis provinciis Evangelio lustrandis transegit, definunt in annum Christi fere 62. Titi 49. æræ vulgaris 59. cum jam Paullus ab Romana custodia superiori anno, vere ineunte, dimissus fuerat. Itaque si Cretensis Dalmaticum Titi Pontificatum tempore antecessit, Titus nondum ætate processerat usque ad ann. 49. cum datus est Cretensibus Episcopus, & cum vitam perduxerit ad ann. 94. necesse est Cretensem ejusdem Episcopatum ultra quintum & quadragesimum annum produci, pluresque in annos prorogari: utrumque autem cum Menæis & Menologio pugnat. Quare si stare oporteat calculis accuratissimis Menæorum, administratio ecclesiæ Cretensis Tito tradita constitui antea nequit, quam Paullus in vincula conjiceretur. Titus igitur ex auctoritate Pauli primum Dalmaticæ, deinde Cretensis ecclesiæ procurationem suscepit.

Titum ante Dalmatiæ, quam Cretæ Episcop. fuisse ex Hist. Salon. & ex Menæis colligitur.

Quæ hactenus diximus, ut clarius pateant, atque ut contrariis argumentis aditus ad ea infirmanda præcludatur; illud sedulo inquiri, statuique oportet, quo tempore Paullus, quibusve annis eas epistolas scripsit, in quibus Titi mentionem fecit; nam ex his gravia sane in utramque partem argumenta duci possunt. Id igitur statim accurate, quo ad ejus fieri possit, diligenterque præstabimus.

CAPUT VII.

De prima & secunda Pauli ad Corinthios epistola Disquisitio chronologica.

§. I.

Paullus cum utriusque litteris Titum semel atque iterum ad Corinthios legavit; & unus fere annus inter epistolam utramque interfuit.

Titus vel utrasque hasce litteras ad Corinthios detulit, vel certe, ut præclare docet Tillemontius Monum. eccl. tom. 1. ar. 30. semel atque iterum, cum eædem allatæ sunt, Paulli legatus ad Corinthios venit, ut eos ad rectum salutis tramitem, unde post Pauli discessum nonnihil declinaverant, omni ratione reduceret; & ad sublevandos Hierosolymitanos pauperes, collata in commune pecunia, hortaretur; ac denique alia Pauli mandata diligenter curaret ac perficeret, quæ prima atque altera epistola continentur. Quamvis enim id colligi nequeat ex primis litteris, ubi nusquam Paullus de Tito commemorat; e secundis tamen, ubi iterum ac sæpius honorificam Titi mentionem fecit, satis superque intelligi potest Paullum Titi opera apud Corinthios usum fuisse, cum utramque ad eosdem epistolam misit. Nam in secunda epistola cap. VII. Paullus testatur se Titi adventu ex summa ægritudine in summam repente lætitiam conjectum fuisse; quod ab eo intellexerit, quam sollicitæ ac propensæ erga se voluntatis indicia Corinthii dedis-

Titus bis legatus Pauli ad Corinthios.

dediſſent; & quantum lachrymarum profuderint, quibus maculas paullo ante ſuſceptas eluerent; ut ſibi quidem gaudendum potius, quam pœnitendum cenſeat, quod eos per ſuperiores litteras caſtigaverit, & brevi quadam triſtitia ad ſalutem perduxerit: *Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi; non ſolum autem in adventu ejus, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtram emulationem pro me, ita magis ut gauderem;* cap. 7. & paullo poſt affirmat ſe mirum in modum eo gaudio gaviſum fuiſſe, quod Titus ex Corinthiorum converſione, promptaque ad parendum voluntate percepit; cujus adventus ingemuum quemdam pudorem ac ſalutarem metum eorum animis inſuſſerat. *In conſolatione autem noſtra magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis .... & viſcera ejus* (Titi) *abundantius in vobis ſunt, reminiſcentis omnium veſtrum obedientiam; quomodo cum timore, & tremore excepiſtis illum.* Et cap. XII. *Numquid per aliquem eorum*, inquit, *quos miſi ad vos, circumveni vos? Rogavi Titum, & miſi cum illo fratrem; numquid Titus vos circumvenit?* Ex quibus intelligitur Paullum, cum priores litteras ad Corinthios daret, Titum ad eoſdem legaſſe, ut ejuſdem cohortationibus monitiſque ad ſalutarem Dei metum, æternæque vitæ cogitationem excitarentur. De altera vero Titi ad Corinthios legatione nihil eſt, cur dubitari poſſit. Plerique exiſtimant ab ipſomet Tito ſecundam epiſtolam perlatam ac redditam fuiſſe Corinthiis; illud certe omni aſſeveratione affirmari poſſe arbitror, cum Paullus rurſum ad Corinthios ſcriberet, juſſum fuiſſe Titum illuc iterum ſe conferre, ut præclarum opus priore legatione ſuſceptum perficeret, & quæ ipſe pœnitentiæ ac pietatis ſemina Corinthiorum animis injecerat, ad bonam frugem perduceret. Id adeo ex ipſis Paulli verbis cognoſcere licet: *Ita ut* (inquit cap. 8.) *rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam*; ac deinde paucis interjectis, quæ huc non pertinent, hæc ſubdit: *Gratias autem Deo, qui dedit eamdem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi; quoniam exhortationem quidem ſuſcepit, ſed cum ſollicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. Miſimus autem cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio* &c. Quibus Paulli locis expoſitis, ſatis docuiſſe videor Titum duplici apud Corinthios legatione perfunctum eſſe, altera cum primam, altera cum ſecundam a Paullo epiſtolam Corinthii accepere. Illud quoque pro certo ſumamus licet, inter unam atque alteram epiſtolam non plus, quam unius anni ſpatium intercedere; quod Paullus, cum iterum ad Corinthios ſcriberet, hiſce verbis cap. 8. declaravit: *Et conſilium in hoc do; hoc enim vobis utile eſt, qui non ſolum facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore; nunc vero & facto perficite.* Corinthii autem prioribus Paulli litteris, ac Titi hortationibus permoti, nihil ferme temporis aut moræ interpoſuerant, quin ſtatim reſipiſcerent, & ſuum errorem gemebundi agnoſcerent; ſimulque profiterentur ſe in Paulli poteſtate eſſe, & quidquid ille ſive imperaſſet, ſive poſtulaſſet, impigre facturos. Cum igitur Paullus in 2. ad Corinthios epiſtola dicat eos ſuperiori anno ad ſalutarem pœnitentiam officiumque traductos, recte pieque agere ac velle cœpiſſe; conſequens eſt, non longiori, quam unius anni interpoſitu, alteram ab altera epiſtolam disjunctam eſſe. Quare ſi quis recte conſtituerit annum, quo prior epiſtola ſcripta ſit, huic per ſe ipſe occurret alter ille annus, ad quem poſterioris epiſtolæ ſcriptionem referri oporteat. Illud igitur nobis concendendum eſt, atque in hoc laborandum, ut annum illum inveſtigemus, quo Paullus priores litteras ad Coriſthios dedit.

Titus iterum ad Corinthios miſſus cum altera ad eoſdem Paulli litteris;

A priori ad 2. Corinthios epiſtolam annus fere unus interfluxit.

§. II.

Prima ad Corinthios epiſtola ſcripta eſſe nequit ante annum Chriſti 54.

ET primum quidem prioris epiſtolæ tempus ante an. 54. videtur non poſſe conſtitui; quod tum e rerum a Paullo geſtarum ſerie, tum ex ejus itinerum deſcriptione ſatis intelligitur. Cum Paullus anno Chriſti 52. æræ vulgaris 49. poſt Concilium Hieroſolymis habitum de Gentibus legis Judaicæ jugo eximendis, Gentium Apoſtolus initiatus fuerit, quidquid ejus anni ſupererat, Aſiam ac Macedoniam peragrando tranſegit. Proximo anno ineunte in Achajam profectus Corinthum adiit, qua in urbe ac provincia cum magnam atque uberem meſſem ſibi paratam eſſe divinitus intelligeret, ſuam illic commorationem in alterum annum extraxit. *Sedit*, inquit Lucas Act. 18. *annum & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei.* Anni 54. adulto jam vere, atque adeo in æſtivum tempus vergente, Paullus e Græcia in Syriam tranſmiſit, & properans, feſtinanſque ex itinere Epheſum adiit, Cæſaream luſtravit, Antiochenos reviſit: Antiochiæ diebus non ita multis abſumptis, inde diſceſſit Galatiam ac Phrygiam peragraturus.

Ratio itinerum Paulli.

Act. cap. XVIII.

Interea temporis Apollo quidam genere Alexandrinus, vir humanis diviniſque litteris apprime excultus, & eximia quadam dicendi facultate præditus Corinthum venit; ubi & publicis diſputationibus Judæorum audaciam confregit, & rei Chriſtianæ plurimum vel præſidii, vel incrementi attulit. Ad devinciendos porro hominum animos vel plurimum in eo valebat ſingularis illa eloquentia cum multiplici variaque eruditione conjuncta, & alia præclara quædam corporis atque animi ornamenta, quæ a natura inſita, a Deo ſupernis, mirificiſque muneribus cumulata, quemvis facile caperent, tenerentque. Quibus ille rebus tantam vel gratiam, vel exiſtimationem brevi conciliavit, ut ex ea urbe diſcedens magnum deſiderium ſui, memoriamque ſempiternam apud Corinthios relinqueret. Fervens autem erga virum de ſe optime meritum civitatis ſtudium adeo nihil reſtinxit ejuſdem abſentia, ut potius magis magiſque incenderit. Quid quod apud quoſdam tantum valuit concepta ſemel de ejuſdem ſapientia ac virtute opinio, ut non ſolum Apollo cum Paullo æquipararent, ſed etiam huic illum longe multumque præferrent, ac propemodum alterum præ altero contemnerent. Non deerant tamen, qui a Paullo ſtarent, ejuſque vindices ſe profiterentur; ita ut nihilo ſegnius hi, quam illi, pro ſuo quiſque duce ac magiſtro pugnarent. Quid plura? dum alii ab Apollo, alii a Paullo edoctos ſe, Chriſtianiſque myſteriis initiatos haud glorioſius, quam contentioſius prædicant, eo res proceſſit, ut jam ad ſchiſma ſpectare videretur. Hinc æmulationes, hinc rixæ, hinc voces illæ utrinque jactatæ: *Ego quidem ſum Paulli; ego autem Apollo;* quas quidem ipſemet Paullus in prima epiſtola vehementer perſtrinxit. Ad hæc: Corinthii, poſteaquam Apollo diſceſſerat, a priſtina virtute officioque paullulum deſciverant; in cuſtodienda vero diſciplina, noxiſque puniendis uſque adeo remiſſos, atque incurioſos ſe præbuerant, ut nefariam neſcio cujus libidinem inultam, impunitamque dimitterent. Atque hæc omnia contigiſſe oportet ante-

Apollo poſt Paulli diſceſſum Evangelium apud Corinthios operam dat.

Ante priman ad Cor. epiſt. Corinthii ab officio deſciverant.

Digitized by Google

antequam Paullus primam ad Corinthios epistolam scriberet, cum idem Paullus in ejusmodi Corinthiorum vitiis notandis, animadvertendisque haud modicam hujus epistolæ partem impenderit. Porro & Apollo adventum, ejusdemque discessum, & subortas inde dissensiones, eorumque ab severiori disciplina defectionem intra paucorum mensium spatium satis commode conjici posse nemo negaverit.

Act. c. 18. Dum apud Corinthios hæc geruntur, Paullus peragratis superioris Asiæ partibus, intra finem anni 54. Ephesum rediit. Cum enim paucis ante mensibus inde digrederetur, Ephesios subitum illum discessum ac præcipitem profectionem ægre admodum ferentes solatus promiserat ac receperat, sibi cordi fore, ut illos reviseret. *Iterum*, inquit, *revertar ad vos, Deo volente*. Act. cap. 18. Nihil autem est, cur existimemus eum serius, quam par erat, promisso suo ac recepto satisfeciſſe, & suum reditum in annum 55. distuliſſe. Jam vero Paullum Ephesi degentem, lætumque rei Christianæ magis magisque in dies florescentis successu, tristis de Corinthiorum schismate, & Christiana disciplina nonnihil apud eos depravata nuncius percussit; & cum aliis de causis, tum etiam ut Corinthios ad officium revocaret, primam ad eos epistolam scribendam censuit. His ita constitutis atque explicatis cum satis superque ostenderimus ante annum Christi 54. æræ vulgaris 51. hanc epistolam scriptam esse non posse, restat, ut probemus hoc eodem anno, cum ferme in exitu esset, Paullum primas litteras ad Corinthios dedisse.

Paullus intra finem anni 54. Ephesum rediit,

ubi de Schismate Corinthiaco illi nuncium accepit.

§. III.

Prima ad Corinthios epistola data est exeunte anno 54.

Mos Apostolorum epistolas scribendi ad emendat, quas paullo ante condidicerat.

ATque hoc primum constituo moris Apostolorum fuisse, ut cum aliquam alicubi ecclesiam fundassent, inde digressi, primo quoque tempore Apostolicas illuc litteras mitterent, ut Neophytos in suscepta religione confirmarent, ac præcepta eisdem voce tradita, scriptis etiam consignata relinquerent. Neque enim minor quærendi novos greges, quam tuendi, excolendique jam partos illis cura erat; & cum non modo ad præsens tempus, sed etiam in posterum rem Christianam ubique stabiliendam summopere curarent, singulis ecclesiis Christianæ institutionis disciplinæque formam, ac regulam litteris commendatam, vel relinquere, vel mittere consueverant; ad quam videlicet rudes adhuc in Christi fide, tyronesque mores suos, & pie vivendi, colendique numinis rationem exigerent. Cujus quidem consuetudinis exempla non aliunde melius, quam ab ipsomet Paullo peti possunt. Nam cum ad Galatas scripsit, pauci omnino menses ab eorum conversione, Paullique e Galatia discessu effluxerant; ut colligitur ex primo capite illius epistolæ, ubi Paullus mirari se dicebat, quod cum haud ita pridem Christiana sacra suscepissent, tam subito, tam repente, tam præter suam opinionem in Judaicos mores ac ritus abierint. *Miror*, inquit, *quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium*. Anno quinquagesimo tertio suam ad Thessalonicenses epistolam mittit, quos scilicet superiore anno ad Christianam religionem traduxerat. Triennium in fundanda constituendaque Ephesina ecclesia absumpserat, ex quo Mileti primores Ephesiorum illuc accitos postremum valere jussit, numquam eos imposterum revisurus; Hierosolymitana & Cæsareensis custodia, itemque Romanum iter impedimento fuerant, quominus statim ad eos scriberet. Romam cum venisset, nihil sibi prius faciendum putavit, quam ut Ephesios per litteras admoneret, ut sibi caverent a falsis fratribus, neve paterentur se ab Christi Evangelio ad Judaicam superstitionem abduci. Quid quod Petrus suo ipsemet exemplo ejusmodi consuetudinem sanxit, cæterisque Apostolis, ut eam sequerentur, se auctorem, principem, & ducem præbuit? Nam reliquis omnibus Apostolorum epistolis, quas in Canonem ecclesia retulit, tempore etiam, non solum dignitate illa Petri antecedit, quæ *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ*, inscribitur. Hanc autem scripsit anno Christi 46. æræ vulg. 43. simul atque Romam advenit; cum paullo ante populos illos evangelica luce collustrasset, quos hisce litteris alloquitur, eosdemque ad rectam in Deum fidem, atque ad omnia Christiani hominis munera, & officia diligenter instruit.

Quæ cum ita sint, Paullus ubi primum ex Asiatica peragratione aliquid otii nactus fuit, atque Ephesum rediit, primam inde ad Corinthios epistolam scripsit. Quid enim causæ est, cur eum suæ consuetudinis atque Apostolici instituti oblitum fuisse dicamus? Quid est, cur non ejusmodi litterarum officium Corinthiis statim persolverit, simulatque ad scribendum aliquid spatii vacuique temporis habuit? An Paullus sineret suas cohortationes, sua præcepta ac monita diutius eos desiderare, & suarum epistolarum solatio carere, quos ille imprimis amabat, carosque habebat, quibuscum diu multumque versatus fuerat, qui denique in Christiana virtute ac sapientia tantos progressus fecerant; aut ipsemet Paullus de illorum fide, pietate, supernisque donis, quibus affluebant, gloriari poterit, Deoque gratias agere, qui tantam divitiarum copiam in eos plena manu congessisset? *Gratias*, inquit 1. ad Cor. 1. *ago Deo meo semper pro vobis ... quod in omnibus divites facti estis ... ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*. Quod autem Corinthii partium studio abrepti, & in hominis cujusdam nefario scelere conniventes, pristina disciplina, mutuaque concordia paullulum defecissent, id quidem Paullus in hac epistola ad reprehendendum arripuit; sed neque solum, neque potissimum ob hanc causam ad Corinthios scripsit. Nam huic epistolæ quasi materia, quam præcipue tractet, & in qua copiosius versetur, subjecta est multiplex ac varia præceptorum traditio, quæ ad institutionem vitæ Christianæ maxime pertinent. Quæ enim hujus epistolæ pars est objurgatoria, tota illa quidem sex prioribus capitibus comprehenditur; quæ vero præcepta & suasiones continet, per decem ipsa capita varie, lateque diffunditur. Hic siquidem Paullus copiose disputat de Matrimonio, de Virginitate, de Idolothorum esu, de scandalis, de cœna Eucharistica, de divinis donis ac muneribus gratuito impertitis, aliaque ejusmodi persequitur; ut satis appareat Paullum ab reprehensione quidem initium scribendi duxisse, sed eo potissimum spectasse, ut suo more atque instituto Corinthios, a quibus non ita pridem discesserat, per litteras edoceret, quid eos sequi, quid fugere, & quemadmodum in re unaquaque se quemque gerere oporteret; ut videlicet, quæ auribus acceperant, eadem litteris tradita oculis subjicerent, atque animis, mentibusque altius defigerent.

Paullus primam ad Corinth. epist. Epheso mittit.

Prima ad Corinth. epistola non bene congruit cum an. 57.

Equidem satis mirari non possum, quæ causa fuerit, cur Baronius & alii primam hanc epistolam ad annum 57. retraxerint; sic ut eam Paullus scri-

Digitized by Google

ſcripſerit triennio poſtquam a Corinthiis diſceſſerat; contra quos inde etiam argumentum duci poteſt, quod Paullus in utraque epiſtola Corinthios hortatur Galatarum ac Macedonum exemplo propoſito, ut in ſubſidium pauperum, qui Hieroſolymis erant, pro ſe quiſque aliquid pecuniæ conferret. In concilio Hieroſolymitano inter Apoſtolos ita convenerat, ut Paullus ac Barnabas gentium procurationem ſuſciperent, atque in earum ſalutem præcipuas curas, ac labores impenderent; modo ne immemores eſſent Judæorum, qui ob ſuſceptam Chriſti religionem a popularibus ſuis afflicti, boniſque omnibus ſpoliati rerum ſuarum jacturam ſubierant. Quod quidem Judæorum inopiæ ſubveniendi munus cum Paullus ſuſcepiſſet, in eo gerendo adeo ſedulum ac ſollicitum ſe præbuit, ut quocumque Chriſti fidem inveheret, illic ſtatim collectas indiceret, atque ex omnibus, quas Chriſto aggregabat, eccleſiis eleemoſynas ad pauperes ſublevandos corrogari juberet. Id adeo ex ejuſdem ad Galatas epiſtola cognoſci licet: *Jacobus*, inquit cap. 2. *& Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem; tantum ut pauperum memores eſſemus, quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.* Quæ ſi quis diligenter perpendat, huic minime dubium eſſe debet, quin Paullus pro ea, quam ſuſceperat, pauperum cura, multo ante, quam iſti putant, Corinthios per litteras admonuerit, ut pro ſuis quiſque facultatibus aliquid eleemoſynæ nomine in pauperes diſtribuendum ſuppeditarent. Mihi certe nunquam perſuaderi poterit Paullum ſuſcepti muneris atque officii adeo immemorem, adeo incurioſum fuiſſe, ut pauperes ſuæ fidei creditos, ac rerum omnium inopia laborantes Corinthiorum eleemoſynis tamdiu carere paſſus fuerit, ut ex quo ipſe Corinthum venerat, tres anni effluxerint, anteaquam Hieroſolymitani ex Corinthiorum benignitate ac munificentia quidquam ſubſidii perciperent. An timendum erat, ne Corinthiis ad præſtandum ejuſmodi pietatis officium facultas deeſſet, aut voluntas? nihil profecto minus. Erat ea tempeſtate Corinthus totius Græciæ lumen, princeps Achajæ civitas, Emporium frequens ac nobile, Corinthius ager optimus, & fructuoſiſſimus, portus urbis celeberrimus, & pleniſſimus navium, cives opibus ac divitiis affluentes, quas ſive ex agri bonitate perceperant, ſive mercibus commutandis cum quæſtu, compendioque paraverant. Preterea Corinthii Paulli diſciplina, præceptiſque inſtituti ad veræ pietatis ſtudium adeo exarſerant, ut nihil ab illis Paullus poſtulaſſet, quamvis magnum, arduumque, ſive id ad Dei cultum, ſive ad proximorum utilitatem pertineret, cujus non facili negotio compos fieri potuiſſet. Quod ſi Paullus, quamdiu apud Corinthios manſit, nullam neque pauperum, neque collectæ mentionem fecit, ſatis profecto cauſæ habuit, cur abſens maluerit, quam præſens hortari Corinthios ad erogandam eleemoſynam; veritus, ne quem ſuſpicioni locum daret, perinde quaſi exactam ab eis pecuniam per ſpeciem juvandi alios, moliretur in ſuum uſum & commodum avertere. Sedulo quippe cavebat, ne ſi quid ſuſpicionis incommodæ, aut ſi qua dedecoris nota ab initio ſuo nomini adhæreſceret, vel omnes impoſterum ipſius conatus irritos redderet, vel certe magnum rebus gerendis impedimentum afferret. Atque ob eam cauſam, dum in ea urbe Evangelio operam dedit, illud imprimis ſibi pra cavendum putavit, ne cui civium oneri eſſet, neve ullus ſumptus in ſe a quoppiam fieret; ſed quod in tenuem victum, cultumque ſatis eſſet, vel ipſemet ſibi manuum ſuarum induſtria comparavit, vel ab aliis eccleſiis eleemoſynæ nomine accepit, ut ipſe teſtatur, cum iterum ad Corinthios ſcriberet: *Et cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui; nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo.* Cap. 11.

Paulli cura in colligendis eleemoſynis ad ſubſidium pauperum Hieroſolymit.

Cur Paullus Corinthi cum eſſet, collectam Corinthiis non indixerit.

Quibus rebus expoſitis ſatis docuiſſe videor, quanto ſit probabilius primam ad Corinthios epiſtolam ſcriptam fuiſſe intra finem anni 54. ideſt ſexto circiter menſe, quam Paullus Corintho diſceſſerat. Huc accedit, quod Paullus anno 57. cum Epheſo in Macedoniam diſcederet, Timotheum Epheſinæ eccleſiæ Epiſcopum præfecit, ut Baronius aliique exiſtimant. Qui igitur fieri poteſt, ut anno inſequenti idem Timotheus adhuc eſſet ſocius & comes Paulli, cum eoque Macedoniam ſive Epirum peragraret? Id autem ſequi neceſſe eſt, ſi Paullus (quemadmodum alii putant) primam ad Corinthios epiſtolam anno 57. alteram anno 58. ſcripſit. Nam ſive Philippis in Macedonia, ſive Nicopoli in Epiro (de loco enim auctores diſcrepant) ſecundas litteras dederit, ſatis ſuperque apparet, ubi Paullus eas ſcripſit, illic fuiſſe Timotheum Apoſtolici muneris atque officii ſocietate cum Paullo conjunctum; utriuſque enim nomine ſcriptæ ſunt; Paullus pariter ac Timotheus ſuum eiſdem nomen præfixerunt. *Paullus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi.* Cap. 1. Quem igitur Paullus haud ita pridem Epheſi reliquerat, & proprium ejus urbis ſtabilemque Epiſcopum conſtituerat, eumdem paucis poſt menſibus ab eccleſię illius procuratione abduxit, atque itinerum ſuorum & laborum ſocium ſibi denuo adſcivit; quo quid improbabilius dici aut exiſtimari poteſt? Haud equidem ignoro juſtis ſæpe de cauſis Epiſcopos ab eccleſiarum ſuarum regimine ad tempus avocari poſſe; ſed cum ſemper majores noſtri neceſſariam eſſe duxerint Chriſtiano gregi aſſiduam Paſtorum ſuorum præſentiam, atque opem; neque facile paterentur eos inde abeſſe, niſi ſi forte communis rei Chriſtianæ utilitas, aut neceſſitas eorum operam induſtriamque alibi requireret; haud ita ſæpe contingere ſolebat, ut veteres illi Epiſcopi tum cum vel maxime vigebat eccleſiaſtica diſciplina, procul ab ſua diœceſi alienis curis ac negotiis implicarentur; idque de nullo affirmari oportet, niſi evidentius conſtet, quam ut in dubium revocari poſſit. Quare ſatius fuerit utraſque litteras ad Corinthios ante an. 57. conſtituere, cum nondum Timotheus Epheſinæ eccleſiæ ſuam fidem ac præſentiam obſtrinxerat, quam eas infra eumdem annum retrahere; ex quo ſequi oporteret Timotheum ab ſua eccleſia diſceſſiſſe paucis menſibus, poſtquam illam regendam ſuſceperat; quod cum per ſe haud ſane credibile ſit, ne cogitari quidem, nedum affirmari poteſt, niſi aliunde argumenta ſuppetant, quibus id probabile fiat.

Si Paullus primam ad Corinthios ſcripſit anno 57. Timotheus eſſe non potuit cum Paullo iterum ſcribente ad Corinthios.

§. IV.

Secunda ad Corinthios epiſtola ex Macedonia ſcripta an. 55.

Maneat ergo neque citius, neque ſerius an. 54. æræ vulgaris 51. in finem vergente primam ad Corinthios epiſtolam miſſam fuiſſe; jam reliqua perſequamur. Paullus poſt datas haſce litteras, ſex fere menſes in Epheſiis inſtituendis erudiendiſque ad Chriſti fidem ac diſciplinam impendit; quippe qui, cum ſcriberet ad Corinthios, uſque ad Pentecoſten anni 55. commorari apud Epheſios conſtitue-

Digitized by Google

ſtiterat. *Permanebo*, inquit 1. ad Cor. cap. 16. *Epheſi uſque ad Pentecoſten*. Deinde Epheſo profectus in Macedoniam abiit. Hunc Pauli ab Epheſiis diſceſſum cave confundas cum alio Pauli ex eadem urbe profectione, quæ pertinet ad annum 58. cum poſt ſeditionem illam popularem ab Demetrio conflatam, Epheſiis valere juſſis, diſceſſit in Macedoniam, inde in Græciam ſe contulit; atque in Macedoniam e Græcia reverſus Hieroſolymam, uti jampridem conſtituerat, iter intendit. Primum Pauli diſceſſum, de quo hic agimus, Lucas ſilentio prætexit; alterum hiſce verbis breviter expoſuit Act. cap. 20. *Poſtquam autem ceſſavit tumultus, vocatis Paulus diſcipulis, & exhortatus eos valedixit, & profectus eſt, ut iret in Macedoniam*. Poſt hanc poſtremam profectionem Paullus nunquam Epheſum rediit; poſt primam illam iterum Epheſios inviſit, apud quos ſatis diu commoratus eſt. Nam tres fere annos in ea urbe temporibus illis ampliſſima ac celeberrima, totiuſque Aſiæ Metropoli traduxit, & aſſiduam rei Chriſtianæ illic propagandæ confirmandæque operam dedit; ut ipſemet teſtatur Act. cap. 20. *quoniam*, inquit, *per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monere unumquemque veſtrum*. Quod quidem non ſic accipi velim, ut exiſtimemus Paullum Epheſi manſiſſe tres annos continuos, nullo intervallo, nulliſque in alias provincias digreſſionibus interruptos. Fuit hoc omnino Pauli proprium, atque in eo ſingulare, ut ubicumque eſſet, non iisdem, quibus diſtinebatur, ſive locis, ſive negotiis ſuas curas, & cogitationes definiret; ſed pro ea, quam ſuſceperat, totius orbis procuratione, in omnium gentium ſalutem intentus, ſicubi ſpes aliqua rem bene gerendæ oſtenderetur, illuc ſtatim advolabat. Quod igitur Epheſi ſedem ſtabilem ac domicilium certum per triennium habuerit, non propterea ita huic uni loco eum affixum fuiſſe oportuit, quin per eos annos in alias identidem finitimas urbes atque provincias excurreret, quocumque illum, vel rei Chriſtianæ neceſſitas evocaret, vel divini cultus proferendi, hominumque juvandorum cupiditas impelleret. Itaque proprie ac vere dicitur Paullus triennium Epheſi commoratum eſſe, ſive quod per eos tres annos nunquam Epheſo diſceſſit, quin de reditu cogitaret; ſive quod, ut mihi veriſimilius videtur, univerſum tempus Epheſinæ commorationis ſæpius intermiſſæ trium omnino annorum ſpatium expleverit; quamvis Paullus illud triennium multis longiſque ab ea urbe digreſſionibus identidem interrumperet. Atque ad hoc triennium conficiendum confer etiam ſex illos menſes vel ſeptem, quos ab exitu anni 54. uſque ad Pentecoſten anni inſequentis tradunt. Hæc eo dixi, ut præcaverem, quæ ad noſtram hanc chronologiam reprehendendam ex Epheſina Paulli commoratione arripere aliqui poſſent. Nunc ad inſtituram narrationem revertamur.

Duplex Pauli ab urbe Epheſo diceſſus.

Triennis Epheſina commoratio Pauli variis in locis digreſſionibus interrupta.

Paullus itaque cum in Macedoniam veniſſet anno 55. poſt Pentecoſtes ſolemnia Epheſi peracta, Titum ex Corinthiaca legatione redeuntem ingenti gaudio excepit, cujus magno deſiderio jampridem tenebatur. Ex eo cognovit ſuis litteris, ſuis nunciis, ſuiſque cohortationibus Corinthios adeo permotos atque inconſos fuiſſe, ut ſtatim ſe non ſolum ad corrigenda quæ deliquerant, ſed etiam ad omnia pietatis ac religionis officia præſtanda promptos paratoſque exhibuerint. Qua ex re Paullus, cum antea ſummis curis, & angoribus conficeretur, ea repente animi voluptate affectus eſt, quæ prorſus omnem laborum atque ærumnarum ſenſum obruebat. Hinc alterius epiſtolæ ad Corinthios ſcribendæ occaſionem ſumpſit; quam quidem alii Philippis ex Macedonia, alii Nicopoli ex Epiro, alii aliunde miſſam fuiſſe exiſtimant. Titum iterum ad Corinthios legavit, ut quæ inchoaverat, ipſe perficeret, & quæ illorum animis injecerat pœnitentiæ ac virtutis ſemina ad maturitatem perduceret. Titus igitur cum Pauli mandatis, atque litteris Corinthum venit; ac dum in ea urbe, quæ juſſus fuerat, curare ac perficere diligenter perſequitur, interea Paullus aliquam fortaſſe Illyrici partem luſtravit, aliquas eccleſias alias alibi conſtituit; & nonnullos e ſua diſciplina Epiſcopos creavit, qui earum adminiſtrationem ſuſciperent.

Titus iterum ad Corinthios Legatus, cum altera Pauli epiſtola.

Unus aut alter menſis interceſſerat, cum Titus re Corinthiaca e ſententia geſta, atque altera apud Corinthios legatione perfunctus ad Paullum rediit, qui eum in Dalmatiam ad novam illic eccleſiam conſtituendam regendamque proficiſci juſſit intra finem anni 55. quemadmodum ſuperiori capite oſtendimus. Ac Baronius quidem ait eos errare, qui putant ſecundas ad Corinthios litteras per Titum allatas fuiſſe; exiſtimat enim Titum ante id tempus a Paullo relictum eſſe apud Cretam, & Cretenſi eccleſiæ conſtituendæ adminiſtrandæque Epiſcopum præpoſitum fuiſſe, contra quam docent Menæa, in quibus a morte Chriſti, ejuſque in cœlum reditu, ideſt ab anno 34, anni numerantur octo & viginti, antequam Cretenſem Epiſcopatum ſuſciperet; quos annos ſi ad annum 34. adjicias, conficitur annus ſexageſimus ſecundus, cui Cretenſis Pontificatus initia illigari debent. Cæterum Cornelius a Lapide, Tillemontius, & alii plerique ſine ulla dubitatione affirmant Paullum ad perferendas Corinthiis has litteras Tito tabellario uſum fuiſſe.

Corintho rediens ſecundas legatione perfunctus, fit Epiſcopus Dalmatiæ.

Conſtituto igitur, ut diximus, Tito Dalmatarum Apoſtolo & Epiſcopo, cum annus quintus & quinquageſimus jam ad exitum vergeret, Paullus anno inſequenti rediit Epheſum. Hinc vero, juxta pleroſque, initium ducit triennium illud Epheſinæ commorationis, quod Cornelius a Lapide duorum annorum, & ſex menſium ſpatio definivit; nam anno 58. Pentecoſten, uti conſtituerat, Hieroſolymis celebravit; nec multo poſt in vincula conjectus fuit. *Feſtinabat enim*, ait Lucas, *ſi poſſibile ſibi eſſet, ut diem Pentecoſten faceret Hieroſolymis*. Act. 20. Hactenus de utraque ad Corinthios epiſtola; ſequitur, ut tempus epiſtolæ ad Galatas ſcriptæ inveſtigemus.

APPENDIX.

De anno datæ ad Galatas epiſtolæ.

QUod attinet ad epiſtolam Galatis inſcriptam, in ea ſemel atque iterum Titi nomen invenio; quo tempore ſcripta fuerit, nihil eſt, cur magnopere laborem. Cum enim ex duobus ſolis hujus epiſtolæ locis dignoſci nequeat, quid rerum ageret, quo munere fungeretur, quove loco eſſet Titus, cum ejus mentionem inibi Paullus fecit, nihil inde colligi poteſt ad inveſtigandum tempus, quo Titus Dalmatiæ Pontificatum vel iniit, vel geſſit, vel depoſuit. Præterea, ut docet Cornelius a Lapide ad Galat. in hiſce litteris nullas ferme notas, ſeu veſtigia deprehenderis, ex quibus liceat conjicere, unde, aut quo anno miſſæ fuerint; ut ex omnibus quidem Pauli epiſtolis nulla alia ſit, de cujus loco ac tempore minus conſtet. *De tempore*, inquit Cornelius, *& loco ſcriptionis hujus epiſtolæ nihil certi ex ipſa, vel aliunde definiri poteſt, eſtque, quoad hoc, omnium epiſtolarum Pauli incertiſſima*. Verum ſi quid conjectura aſſequi valeo,

Titus ex prima legatione Corinthiaca in Macedoniam ad Paullum ſe contulit.

Tempus epiſtolæ ad Galatas ſcriptæ incertum.

ep. 2. ad Cor. c. 7.

leo, videor mihi ex ipſa hac epiſtola afferre poſſe aliquid, quod nobis indicio ſit, quo tempore Paullus ad Galatas ſcripſerit. Paullus in ipſo ſcribendi initio graviſſimis verbis Galatas reprehendit, quod ab ſincera, germanaque Evangelii doctrina, quam paullo ante illis tradiderat, tam cito defecerint, in eum errorem fraude neſcio quorum inducti, ut putarent Chriſti gratiam cum lege Moyſis, Chriſtianam religionem cum Judaicis ritibus ac cæremoniis, ideſt lucem cum umbra, libertatem cum ſervitute conjungi oportere: *Miror*, inquit, *quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium*. Cum igitur Paullus hæc ſcribebat, parum temporis interceſſerat, ex quo apud Galatas fuerat, eoſdemque ad Chriſti fidem traduxerat. Bis autem Paullus Galatiam adiit, & peragravit; primum anno Chriſti 52. æræ vulgaris 49. cum paullo ante Gentium Apoſtolus initiatus fuiſſet; deinde anno 54. poſtquam Antiochia diſceſſit. *Et facto ibi*, ait Lucas cap. 18. de ſecundo adventu in Galatiam *aliquanto, tempore profectus eſt perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes diſcipulos*. De primo Paulli in Galatiam, adventu hæc ſcripſerat cap. 16. *Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem vetati ſunt a Spiritu Sancto loqui verbum in Aſia*. Sed jam Paullus primo hoc ſuo adventu totam fere Galatiam circumierat, & plurimos ubique Chriſtianis ſacris ac præceptis imbuens, novam illic eccleſiam fundaverat; cum eidem Spiritus Sanctus ſilentium indixit, vetuitque ne pergeret, uti cœperat, Evangelium in Aſia divulgare. Id adeo cognoſci licet ex ipſis Lucæ verbis, quibus expoſuit, quid geſſerit in Galatia Paullus, cum illuc duobus poſt annis rediiſſet: *Confirmans*, inquit, *omnes diſcipulos*; ideſt non eos tum primum ad Chriſti fidem perduxit, ſed in ſuſcepta jampridem fide confirmavit. Quod ſi Paullus anno 52. Galatas ad Chriſtum adjunxit; ſi paullo poſtquam inde diſceſſerat, Galatæ ſanam incorruptamque religionem a Paullo acceptam Judaicis corruptelis depravarunt, unde Paullus eorum levitatis, inconſtantiæque objurgandæ occaſionem arripuit; ſatis, ut opinor, probabile eſt epiſtolam, quam Paullus ad Galatas dedit, vel eo ipſo anno 52. conſignandam, vel certe ad inſequentem annum referendam eſſe. Has litteras ex urbe miſſas fuiſſe, cum Paullus eſſet in cuſtodia Romana, exiſtimant Athanaſius, Hieronymus, Theodoretus, atque alii graviſſimi iidemque veterrimi auctores. His adde latina Biblia, Græcos codices, ac Syrum Interpretem. Sed Joannes Chryſoſtomus, Cæſar Baronius, aliique permulti diſſentiunt, eam ob cauſam potiſſimum, quod Paullus in hac epiſtola neque ſe captivum, neque vinctum appellet; qui cæteroquin nullas e vinculis ſcripſit epiſtolas, quin ſuorum vinculorum mentionem aliquam fecerit.

Hypothesis per tamen per conjecturas.

Epistola ad Galatas anno vel 51, vel 52. scripta.

Duplex Paulli in Galatiam adventus.

CAPUT VIII.

De ſecunda ad Timotheum epiſtola Diſquiſitio Chronologica.

§. I.

Secundæ ad Timotheum epiſtolæ e primis vinculis ſcriptæ. Argumentum primum & ſecundum.

HAud parvi intereſt, annum illum conſtituere ac definire, quo Paullus alteras ad Timotheum litteras dederit, ſive ad confirmandam traditam a nobis Chronologicam deſcriptionem Dalmatici Epiſcopatus, quem Titus geſſit, ſive ad præcavenda ſane multa, quibus hæc noſtra Chronologia infirmari, convellique poſſet. Nemo Dalmaticam Titi profectionem litteris conſignavit, quin ad eam probandam, inſignem illum hujus epiſtolæ locum attulerit, ubi Paullus, *Titum in Dalmatiam abiiſſe*, ſcripſit: ex quo facile apparet in hac epiſtola jactum eſſe fundamentum præcipuum, in quo Dalmatica Titi expeditio nitatur; inde etiam fit, ut uno eodemque tempore & Paullus ad Timotheum ſecundam epiſtolam miſerit, & Titus rem Chriſtianam in Dalmatia geſſerit. Eſt inter ſcriptores de tempore hujus epiſtolæ controverſia; non quod diſcrepent, quin Paullus ex urbe has litteras dederit, cum in Romana cuſtodia juſſu Neronis detineretur, ſed quia id ambigitur, utrum e primis, an e ſecundis vinculis eas ſcripſerit; nec facile eſt aut tempus tempori, aut auctores auctoribus præferre. Qui docent hanc epiſtolam exaratam fuiſſe tum, cum Paullus iterum ab Nerone comprehendi juſſus ſecunda vincula ſubiit, veterum auctoritate præcipue ſe tuentur: qui contra ſentiunt, e recentiorum ſcriptorum numero ſane quamplurimos, eoſque graviſſimos ſuæ ſententiæ aſſertores habent. Baronium vero præſertim in medium appellant, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ facile principem, quem plerique ſacrarum litterarum Interpretes, & multi præterea Chronologi haud ſane ignobiles tanti faciunt, ut ejus in hac re auctoritatem veterum teſtimoniis anteferant. Hos ut ſequar, movent me, atque adeo impellunt non ſolum communes illæ, tritæque rationes, quæ in hanc ſententiam vulgo afferri ſolent; ſed etiam aliæ quædam non ita pervulgatæ, quas e Cretenſibus, & Salonitanis tabulis deprompſimus. Quæ a pluribus fuſe ac diſerte in utramque partem diſputata ſunt, ea vix aut leviter attingam, ſive ut confirmem, ſive ut refellam, ne ſcilicet actum agere videar. Si quis cognoſcere cupiat, quibus utrique argumentis ſuam ſententiam communiant, & contrariam oppugnent, adeat Cornelium a Lapide, qui adverſam opinionem tuetur, & Alphonſum Salmeronem, qui noſtram firme graviterque defendit. Cum enim illa pateant, in promptuque ſint omnibus, non eſt operæ pretium rurſus a nobis hoc loco inculcari; & qui domi habet, unde accipiat, huic nihil neceſſe fuerit, aliena & communia de medio ſumere. Age porro ad rem veniamus.

Expeditio Dalmatica Titi potiſſimum nititur auctoritate a. Paullinæ ad Timotheum epiſt.

quam alii e primis, alii e ſecundis vinculis ſcriptam cenſent.

Nobis videtur e primis vinculis ſcripta.

Dum Paullus Romæ alteram epiſtolam ad Timotheum ſcribebat, Titus interea evangelii cauſa verſabatur in Dalmatia, quod ipſemet Paullus hiſce litteris teſtatur: *Titus*, inquit, *in Dalmatiam abiit*, non aliam ſcilicet ob cauſam, niſi ut in ea provincia rem Chriſtianam procuraret. Quæ quidem Paulli verba in eam ſententiam accipi oportere ſupra oſtendimus, ut non ad primum Titi adventum, ſed ad reditum ejuſdem in Dalmatiam referantur. Cum autem Titus in Dalmatia Chriſtianæ religioni propagandæ operam daret, per id temporis Judeæ præfecturam gerebat Pontius Feſtus is, a quo Paullus juſſus fuerat Romam abduci, ut Cæſaris, quem appellaverat, tribunal ſubiret, & eodem audiente ac diſceptante Cæſare, ſuam cauſam diceret. Id adeo colligere licet ex Hiſtoria Salonitana, quæ Judaicam Feſti Præfecturam cum Dalmatica Titi procuratione temporis utrique communis nexu conjungit. Hinc efficitur, ut Paullus eodem tempore alteras ad Timotheum litteras dederit, quo Feſtus ex auctoritate Senatus populique Romani rem Judaicam adminiſtrabat. Hujus autem Præfecturæ tempus primis Paulli vinculis reſpondet, neque uſque ad ſecunda produci poteſt, niſi forte exiſti-

Præfectura Judaica Feſti cum Dalmatico Epiſcopatu Titi, & cum a. ad Timoth. epiſt. tempore cohæret.

Digitized by Google

exiſtimemus eam provinciam in decennium Feſto prorogatam fuiſſe, quod nemo dixerit, nam Feſtus anno Chriſti 63. obiit, ut ex Joſepho colligitur. Quare ut paucis omnia complectar, ſi Paullus hanc epiſtolam ſcripſit, cum Titus religionis cauſa aberat in Dalmatia, is vero tum degebat apud Dalmatas, cum Feſtus Judææ præſidebat, & Feſto in Judæa procurante rem Romanam ac gerente, Paullus Romæ e primis vinculis cauſam dixit; quandoquidem prima cum extremis neceſſaria copulatione cohærent, ſequitur alteram ad Timotheum epiſtolam cum primis Paulli vinculis conjungi oportere. Verum fac, Paullus e ſecundis vinculis has litteras miſerit, vide jam, quo tua iſta opinio proſerpat. Titus igitur anno Chriſti 67. cum Paullus Neronis juſſu iterum in vincula conjectus eſt, nondum Dalmatiæ provinciam dimiſerat; illic quippe Chriſtianæ religioni præerat, cum Paullus eam epiſtolam ad Timotheum ſcriberet. Cum autem Titus jam inde ab anno 55. Dalmatiæ procurationem ſuſceperit, ut cap. 6. oſtendimus, ex eo fit, ut eam provinciam per quatuordecim ferme annos obtinuerit. Id vero mirum, quantum diſcrepet ab Hiſtoria Salonitana, quæ brevi ſane temporis ſpatio Dalmaticam Titi commorationem circumſcribit: *Hic ergo Titus ad Dalmatiæ partes adveniens, & verbum ſalutis gentibus illis prædicans, non longo illic tempore manſit.* Hactenus e Dalmaticis monumentis; jam vero e Cretenſibus tabulis proferamus, ſi quod inde argumentum peti poſſit ad hanc ſententiam confirmandam.

Epiſcopatus Dalmat. Titi ſuſceptus an. 51, nequit produci uſque ad ſecunda Pauli vincula.

Paullus anno Chriſti 67. æræ vulg. 64. cum iterum Romam proficiſceretur, ut Chriſti fidem, quam ubique terrarum propagaverat, in ea civitate totius orbis principe, ſanguine ſuo ſanciret, Titum itineris comitem, & glorioſi certaminis teſtem, & ſpectatorem eſſe voluit, quem haud ita pridem ex inſula Creta per litteras evocaverat. Titus autem, ex quo Paullus in carcerem conjectus eſt, nuſquam ab eo diſceſſit, eidemque & in cuſtodiam incluſo, & martyrium ſubeunti ad extremum uſque ſpiritum aſſidue adfuit; quæque illi tribuere poterat, pietatis, & charitatis officia egregie præſtitit. Hæc ferme omnia tradit Petrus Equilinus idoneus ſane auctor, qui Titi Acta in brevem Synopſim redegit, deſcripſitque, ut veriſimile videtur, vel a Menæis, vel a Zena juriſperito, qui Tito æqualis fuit, atque adeo ſocius, ejuſque res geſtas litteris mandavit. *Poſt duos autem annos*, inquit ille, *Titus ad Paullum Romam acceſſit, cum quo & fuit uſque ad interfectionem ejus a Nerone.* Eadem brevius expoſita reperies in Græcis Menæis, unde hæc accipe: *Inde digreſſi venerunt in Aſiam; atque ex Aſia peregrinatur* (Titus) *cum illo Romam uſque, quoad Paullus a Nerone ſublatus eſt.* Quod ſi Titus poſteaquam iterum cum Paullo Romam venit, nunquam ab eo receſſit, ac tamdiu cum eo in urbe manſit, quoad is pro Chriſto mortem oppetiit, qui fieri poteſt, ut Paullus per id tempus ad Timotheum ſcriberet Titum ab ſe digreſſum in Dalmatiam abiiſſe? Hæc igitur verba non ſatis cohærent cum ſecundo Paulli in urbem adventu; ac proinde totam epiſtolam, qua hujuſmodi verba continentur, ad prima Paulli vincula referri oportet.

Titus Paullo in ſecundis vinculis uſque ad ejus Martyrium adfuit.

§. II.

Alia in eamdem ſententiam argumenta.

ET vero cum Paullus Romæ ſemel atque iterum capitis diſcrimen diverſis temporibus adierit, ſi prima Paulli vincula cum ſecundis, & priora illa cum poſterioribus hiſce temporibus conferam, intelligo equidem, cur Titus ſalvo officio poſſet in Dalmatiam reverti, Paullo in primis vinculis relicto; at cum iterum Paullus in carcerem detruſus longe majori periculo ſubeſſet, nullo modo potuit eum Titus deſerere, quin ſimul officio deeſſet, & parum memoris, gratique animi notam ſubiret. Ubi Paullus Romam advenit, ut ſe ipſe Neroni ſiſteret, quem Cæſarem e vinculis appellaverat, cœleſti numine haud minus ſibi, quam rei Chriſtianæ propitio uſus eſt; adeo contra quam ſperaverat, mitem in ſe, pacatumque Neronis animum offendit, quamvis vehementer eum inſtigarent illi, quos Judæi e Palæſtina in urbem ſubmiſerant, ut Paullum per fraudes, & calumnias in diſcrimen capitis adducerent. Nondum Neronis crudelitas ac libido in omne ſcelus & flagitium eruperat; adhuc is retinebat perſonam moderati, faciliſque ad omnia principis, quam ab initio ſuſceperat, ut clementiæ famam colligeret, ſibique imperium haud multis ante annis collatum firmaret. Nihilo igitur minus quam cæteris, ſe Paullo lenem, & commodum præbuit; eamdem adverſus illum, atque alios indulgentiam, humanitatemque adhibuit. Non aliam illi cuſtodiam aſſignavit, quam quæ ipſius urbis mœnibus contineretur, neque eidem interdixit, ne Judæos populares ſuos conveniret, neve adeuntes ad ſe exciperet; neque prohibuit, quominus cum illis de Chriſtiana religione more inſtitutoque ſuo diſputaret. Quæ quidem Neronis facilitas atque indulgentia Paullum in magnam ſpem adduxerat fore, ut ſuam Cæſari cauſam facile probaret; præſertim cum Deus ipſemet interiori quodam inſtinctu ingentem eidem fiduciam animumque injecerat, ſeque illi Cæſaris tribunal ſubeunti adfuturum declaraverat: *Dominus*, inquit, *mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes* &c. 2. ad Timoth. cap. 4. Nihil igitur erat, cur Paullus Titi opera ac præſentia indigeret; nihil erat, cur Titus Romæ diutius maneret, præſertim cum diuturnior ejuſdem abſentia nonnihil detrimenti Dalmaticis rebus afferre poſſet. At cum Paullus in ſecundis vinculis detineretur, longe aliter res ſe habuit. Jam Nero non ſolum Chriſtianæ religioni, ſed univerſo propemodum hominum generi palam bellum indixerat; jam omnem humanitatem exuerat, jam Chriſtianorum ſanguinem guſtare cœperat. Huc adde inexplebilem ſitim ulciſcendæ illius ignominiæ, quam ſibi a Petro & Paullo illatam eſſe ducebat, quod ii Simonem Magum fraudis ac maleficii convictum divina vi perculiſſent; cujus quidem præſtigiis tantum ille tribuebat, ut eum in Deorum numero haberet. Quæ cum ita eſſent, nemo ignorare poterat, quanto in periculo Paulli ſalus verſaretur, quam certum eidem ab Nerone exitium immineret. An igitur Titus deſereret Magiſtrum in eo rerum vitæque diſcrimine conſtitutum? An difficillimis illis Paulli temporibus ac periculis ſe ipſe ſubduceret? an ab eo, quem parentis loco habuerat, procul in Dalmatiam diſcederet, unde oppreſſo jam deſertoque ab omnibus nihil opis afferre poſſet, eidemque animam agenti, nec illud quidem extremum ſuæ præſentiæ ſolatium præbere? Hoccine erat fidelis ſocii, bene morati diſcipuli, filiique amantiſſimi officium? Hæc in magiſtrum benevolentia; hæc adverſus parentem pietas? Nec vero tum Paullus juſſiſſet ab ſe Titum diſcedere, quem eam ob cauſam ſecum Romam adduxerat, ut ſibi martyrium ſubeunti adeſſet, & ſuum funus curaret; quod etiam Titus præſtitit, ut Menæa teſtantur. Si ergo tum Titus abiit in Dalmatiam, profecto non Paulli

Nero ab initio mitem ſe ſe hominem præbuit.

deinde crudelem ſe ac ſæviſſimum præbuit.

juſſu, ſed ſua ſponte abiit, contra quam charitas erga Paullum ac pietas poſtulabat.

Ad hæc: Paullus ab ſuis fere omnibus derelictus, aliis alio abeuntibus, Timotheum ex Aſia per haſce litteras evocavit, quem anno Chriſti 56. vel 57. Epheſi Epiſcopum conſtituerat. Timotheus ſecundis Paullis litteris ac mandatis acceptis, Romam proficiſci maturavit, antequam hyemis interventu, idonea navigandi tempeſtas, ventique propitii deficerent, uti Paullus monuerat: *Feſtina*, inquit, *ante hyemem venire*. Ex his Pauli verbis aliud in hanc ſententiam argumentum duci poteſt, idemque ſatis grave. Paullus ſub initium Octobris anno Chriſti 67. æræ vulg. 64. conjectus eſt in ſecunda vincula; deinde, ut Martyrologium Romanum, Uſuardus, & Beda teſtantur, novem poſt menſibus, martyrium cum Petro ſubiit 3. Kal. Julias. Fac igitur has litteras e carcere ſcripſerit anno Chriſti 67. intra finem Octobris, poſtquam jam ſemel Neronis tribunal ſubierat; ſerius omnino, quam oportuerat, ob ingentem locorum diſtantiam, ſerius omnino monebat Timotheum, ut ante hyemem Romanum iter ſuſciperet. Si vero contendis eas exaratas fuiſſe anno inſequenti, tempus nimis longinquum Timothei profectioni Paullus præſtituit, quippe qui multis ante menſibus obiit, quam hujus anni 68. æræ vulg. 65. hyems appeteret. Quid igitur Paullus 2. ad Timoth. cap. 4. juſſit Timotheum Romam adferre penulam, libros, membranas, quas ſibi jam morte prærepto reddere non potuiſſet? Niſi vero exiſtimemus Paullum ſpe longioris vitæ deceptum, rerumque futurarum improvidum hæc ſcripſiſſe; qui cæteroquin divinitus intellexerat præſtitutam ſuo martyrio diem haud longe abeſſe. Nullo igitur modo cum ſecundis Paulli vinculis hæc epiſtola cohærere poteſt.

Adventus Timothei per has litteras in urbem evocati nequit componi cum ſecundis Pauli vinculis.

De anno hujus ad Timotheum datæ epiſtolę, qui a nobis diſſentiunt, id potiſſimum argumenti afferunt, quod Paullus in extrema epiſtola adjecit inſtare *tempus ſuæ reſolutionis*, a quo, cum eſſet in primis vinculis, longe aberat. Ab anno enim 59, cum Paullus tribunal Cæſaris, ad quem appellaverat, ſubiturus Romam advenit, anni circiter novem numerantur, uſque ad annum 68. cui affixum eſt Pauli martyrium, eſtque vulgaris æræ annus 65. Sed huic argumento in notis ad hanc epiſtolam ſatis reſponſum eſt ex Baronio; videlicet *non in alium ſenſum atque ſententiam ea Pauli verba de inſtanti ſuo obitu intelligi poſſe videntur, niſi quod fortaſſe fuerat ſibi divinitus revelatum, ſe ſub Nerone capite plectendum eſſe. Satis enim tempus illud inſtans videri poterat breve ac pene momentaneum novem, quod reliquum erat vitæ ſuæ, annorum ſpatium; ſi eadem plane menſura Salvatoris ad judicandum adventum poſt modicum tempus affore prædixit ad Hebræos ſic ſcribens: Adhuc modicum, aliquantulumque, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.* Vide, quæ nos ibidem in eamdem ſententiam adjunximus. Hæc Baroniana reſponſio hoc propius ad veritatem accedit, quod Henſchenius martyrium Pauli ad annum æræ vulgaris 65. revocavit, quem Papebrochius, cæterique deinceps Hagiologi Antuerpienſes cum pleriſque recentioribus ſequuntur; idque gravibus ac firmiſſimis argumentis ex chronologia imperii & perſecutionis Neronianæ petitis confirmant, idque cum noſtris rationibus chronologicis coheret. Itaque cum Paullus e primis vinculis anno 56., vel 57. æræ vulgaris ad Timotheum ſcripſit, vix anni octo vel novem ad vitam propagandam illi ſupererant; quod quidem temporis ſpatium multa ac magna, quæ ad Chriſti cultum proferendum ſuſcipere decreverat, cogitanti breve admodum videri poterat, præſertim ſi conferendum ſit cum 24. annis, quos jam in circuitionibus evangelicis inſumpſerat; jure igitur meritoque ſcribere potuit inſtare diem ſuæ reſolutionis, a quo non longius, quam paucorum annorum ſpatio aberat. His adde verba illa, quæ paullo poſt ſubjecit: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore Leonis*. Igitur Paullus nondum compleverat prædicationis evangelicæ curſum; adhuc erant gentes, quas Pauli præceptis & doctrinis imbui traducique ad Chriſti religionem oportebat. Neutrius autem rei perficiundæ ſpatium & facultas Paullo fuit, poſtquam iterum juſſu Neronis in carcerem conjectus eſt, ex quo non ad Evangelium promulgandum, vel ad gentes inſtituendas, ſed ad martyrium ſubeundum eductus eſt; cum cæteroquin utrumque ſibi faciendum eſſe ex divino admonitu cognoviſſet. Præterea e prioribus vinculis exemptus cum fuerit, vere dixit *ſe liberatum ex ore Leonis*, id quod cohærere nequit cum vinculis poſterioribus, quibus non ante expeditus fuit, quam corporeis vinculis depoſitis, ex hac vita migravit. Ex his autem plane efficitur, verba hæc, itemque hanc totam epiſtolam non ad ſecunda, ſed ad prima Pauli vincula referendam eſſe, & cum anno Chriſti 59., æræ vulgaris 56., & primo cuſtodiæ Romanæ Paullinæ copulandam. Godefridus Henſchenius ut prima Pauli vincula, ſic ejus ad Timotheum ſecundam epiſtolam ad annum æræ vulgaris 56. revocavit.

Diluitur argumentum ex hac epiſtola ductum contra noſtram ſententiam.

CAPUT IX.

De epiſtola Pauli ad Titum Diſquiſitio Chronologica.

§. I.

Hanc epiſtolam datam eſſe poſt prima Pauli vincula.

HAs litteras datas fuiſſe, cum jam Titus Cretenſem Pontificatum gereret, nemo inficiari poteſt, quin ſimul hujus epiſtolæ fidem atque auctoritatem in dubium revocet. Nam Paullus hiſce litteris eum admonuit Epiſcopalis officii jam antea in Creta ſuſcepti; eidemque præcepit, ut quæ ad perfectam Chriſtianæ fidei ac diſciplinę formam deeſſent, ſuppleret ipſe, atque abſolveret. Cretenſes, eos præſertim, qui ex circumciſione ad Evangelium acceſſerant, acriter increpitos in officio contineret, ſingulos in ſingulas civitates deſcriberet Presbyteros ſive Epiſcopos, quos nimirum egregia diuque ſpectata fide, virtute, conſtantia, ſanctitate viros eſſe oportebat. *Hujus*, inquit cap. 1. *rei gratia reliqui te Cretæ, ut quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros*. Sed cum inter auctores diſcrepet, quonam tempore Titus Cretenſis eccleſiæ adminiſtrationem inierit; inde fit, ut pro ea, quam quiſque ſequitur, ſententia alii citius, alii ſerius hanc epiſtolam ſcriptam eſſe opinentur.

Hæc epiſtola ſcripta fuit ad Titum jam Epiſcopum Cretenſem.

Qui ante ſuſceptam Dalmaticam expeditionem Cretenſis Epiſcopatus initium conſtituunt, ii ferme omnes eas ad Titum litteras datas eſſe contendunt, priuſquam Paullus in prima vincula conjiceretur. Nobis vero, quando jam ſemel diſceſſimus ab eorum opinione, qui putant antea Titum Cretenſi eccleſiæ præpoſitum fuiſſe, quam Dalmatiam adierit, integrum non eſt primis Pauli vinculis hanc epiſtolam præponere. Neque ſane eſt, cur noſtræ ſententiæ nos pęniteat, cum a nobis ſint Cretenſis

eccle-

ecclesiæ monumenta, e quibus satis perspicue intelligitur, Cretonsem episcopatum pariter atque hanc epistolam primis Pauli vinculis posteriorem esse. Nam si Græcis Menæis fidem adhiberi oporteat, ex quo Titus ab Creta Hierosolymam discessit Christi adeundi, visendique causa, undetriginta omnino anni interfluxere, antequam in patriam sedierit, & Cretonsi Ecclesiæ præficeretur Episcopus; quo quidem temporis intervallo nusquam legitur in Cretam remeasse. Hierosolymam autem venit, cum annum ætatis ageret alterum & vigesimum, qui congruit cum an. Christi trigesimotertio. Huic adde annos illos undetriginta, qui inter Titi discessum, ejusque in patriam reditum intercedunt; ex quo conficitur ut Titus Cretensem Episcopatum inierit anno Christi 62. cum jam Paullus e primis vinculis emissus, Hispaniam una cum eodem Tito peragraverat.

Episcopatus Cretensis Titi primis Pauli vinculis posterior.

Titus Cretensis Episcopus factus est an. 62.

Jam vero quam Paullus ad Titum scripsit, epistolam conjici oportet intra illud sex annorum spatium, quod ab anno Christi 62. ad Pauli obitum ac martyrium effluxit. Cum autem Paullus sub finem epistolæ jubeat Titum Nicopolim quamprimum proficisci, haud equidem adduci possum, ut credam, uno alterove anno post susceptam administrationem jussum fuisse ab sua ecclesia discedere, nisi si qua necessitas, & gravissima causa abeundi urgeret; præsertim cum Cretensis ecclesia, ut tunc quidem erat, diuturniori Episcopi sui præsentia, assiduaque opera indigeret. Nam & universa Provincia lustranda erat, quæ finitimas etiam circa Cretam insulas complectebatur, & Christiana disciplina vindicanda ab Judaicis superstitionibus, quæ ubique sane multæ irrepserant; & in urbibus, oppidisve singulis Episcopi aut Presbyteri constituendi, qui rei Christianæ præessent, & alia denique perficienda ac stabilienda quamplurima, quæ Paullus rudia ac tantum inchoata reliquerat, ut ex hisce litteris colligitur; hæc autem omnia plus sane temporis, quam unius alteriusve anni spatium requirebant. Atque ego sic existimo, idque propius vero est, Titum in Cretensibus rebus ordinandis & componendis, unius ferme quadriennii curas ac labores posuisse, nulla prorsus ab sua provincia digressione interruptos. Quod etiam Menæorum auctoritate confirmari potest; nam Titus, quemadmodum Menæa testantur, sex annos proxime a suscepto Pontificatu elapsos, non illos quidem continuos, sed unius anni & aliquot mensium absentia interruptos, circumjectis Cretæ insulis lustrandis, excolendisque insumpsit, ut plane videatur numquam inde per annos priores quatuor, ne ad tempus quidem abscessisse. Quo circa non ante annum Christi 66. exeuntem; æræ vulg. 63. hasce litteras a Paullo accepit, quibus jubebatur Nicopolim proficisci. Occasio autem & causa Titi e Creta evocandi fuit hæc,

quatuor fere annos in re Christiana apud Cretenses stabiliendæ insumpsit.

Ann. 66. epist. ad Titum scripta.

§. II.

Cur Paullus Titum ad se per litteras accersierit.

NEro sive Simonis Magi præstigiis, atque instigationibus impulsus, sive ut incensæ urbis suspicionem ab se amoveret, culpa & pœna in Christianos translata, jampridem Christianæ religioni, Christique cultoribus nefarium & exitiale bellum indixerat; nusquam acerbius quam Romæ ea tempestate in Christianos sævitum est.

Paullus igitur pro ea, qua urgebatur, omnium ecclesiarum sollicitudine, suarum partium esse duxit primo quoque tempore Romam proficisci, tum ut cum Petro Simonis Magi arrogantiam, partamque malis artibus auctoritatem prosterneret, atque obtereret; tum ut Christianis religionis causa laborantibus solatio simul esset ac præsidio. Sed quoniam cælesti admonitu cognoverat Romæ propositum sibi esse, ac divinitus paratum Martyrium, anteaquam Romanum iter susciperet, decrevit postremum invisere ac lustrare ecclesias Asiæ, Syriæ, Græciæ, quas ipse fundaverat; & ubi opus esset, robus ab se præclare institutis, ac nondum perfectis supremam manum imponere. Ad id cum necessariam sibi esse Titi operam intelligeret, eam, qua de agimus, epistolam anno 66. in finem vergente scripsit vel Nicopoli, ut Auctores sane graves existimant, vel ex alia Epiri urbe, ut longe verisimilius aliis videtur. Postquam hisce litteris Titum edocuit, quæ cuique præscribi oporteat, ut pro eo, quem quisque obtinet in ecclesia locum, munere suo atque officio fungatur; eidem præcipit, ut simulatque Artemas, aut Tychicus in Cretam appulerint, ipse quamprimum Nicopolim trajiciat, ubi Paullus hyemem transigere decreverat: *Cum misero ad te*, inquit, *Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare.* Noluit Apostolus, ut recte animadvertit Bollandus, Titum e Creta prius discedere, quam eo Artemas, aut Tychicus accessisset, quorum alteruter ad tempus in ejus locum suffectus rem Christianam curaret, ne quid detrimenti caperet, dum Titus inde abesset. Titus ergo acceptis a Paullo litteris, & muneris sui Vicario, quem idem Paullus designaverat, statim profectionem adornat, & Cretensibus rebus compositis intra finem anni 66. Nicopolim trajecit. Ex eo tempore numquam a Paulli comitatu discessit, sed cum eo ecclesias Asiæ, Syriæ, Græciæ cursim lustravit post hyemem Nicopoli transactam, deinde Romam pervenit an. 67. Autumno jam inito, ubi commoratus est usque ad Pauli obitum ac Martyrium, cujus testis & spectator fuit, quodque incidit in annum Christi 68. æræ vulgaris 65. III. Kal. Julias. Mense autem Julio ejusdem anni ad suam ecclesiam reversus est.

Titus a Paullo Nicopolim accersitur.

cum eo Romam venit ejusq; martyrio interfuit anno Christi 68. III. Kal. Julias.

CAPUT X.

De Obitu & Cultu S. Titi.

§. I.

Mors, Sepulchrum, Reliquiæ, Dies, Festi.

ANnus ille, quo B. Titus ex hac vita discessit, facile colligi potest ex calculis chronologicis, quibus ejus Apostolatum & vitam Menæa definiunt. Annum alterum & vicesimum inierat, cum Hierosolymam adiit anno Christi 33. ibique annum integrum, cum se in Christi disciplinam tradidisset, Christianæ militiæ tyrocinium posuit. Ab anno 34. Christi in cœlum ascensu insignitum anni decem intercesserant, quos partim Hierosolymis, partim in aliis Judææ oppidis cum Apostolis, cæterisque Discipulis transegit; cum Apostolus & Episcopus consecratus socium se adjutoremque Paullo adjunxit, anno Christi 45. æræ vulgar. 42. quo cum annos duodeviginti Evangelicis peragrationibus extraxit. Deinde Episcopus Cretæ præpositus sex annos in excolendis insulis Cretæ circumjectis consumpsit, novem & triginta Gortynæ in urbe totius insulæ Metropoli ad cives suos Christianis præceptis ac mysteriis imbuendos, & Cretensem ecclesiam constituendam & amplificandam

Titus obiit an. 109.

Illyricum Sacrum,

contulit. Ab ejus igitur in Palæstinam adventu conficitur summa fere quatuor & septuaginta annorum, quos si enumerare incipias ab anno Christi 33. cum Hierosolymam venit, ita desinimus in annum Christi sextum ac centesimum, æræ vulgaris 103. quorum Titi ex hac vita discessum colligari oportet. Si autem quatuor & septuaginta annis viginti illos adjicias, quos jam expleverat, cum e patria profectus ad Christum concessit, vitam perduxerit necesse est usque ad annum quartum & nonagesimum. Detractis autem ex anno 106. nonaginta & fere quatuor annis, quibus Menæa vitæ ejus tempus omnes definiunt, restat annus duodecimus Christi, æræ vulgaris nonus, ad quem Titi ortum referamus licet.

Titus igitur ætate, & plurimis gravissimisque Evangelii causa susceptis laboribus confectus obiit anno, quem supradiximus, Anacleto Romano Pontifice, Trajano Imperatore. Cæterum cum nemo Veterum inter Martyres Titum annumeret, pie tranquilleque ex hac vita migravit, & ob eximiam sanctitatem, resque pro Christo præclare gestas dignus habitus fuit, qui Divorum numerum cultumque obtineret. S. Titi corpus in ædem Cathedralem illatum fuit, & funere quantis maximis, pro illorum temporum conditione potuit, studiis celebrato, ibidem honorifice conditum est. Nam cum Gortynæ *in ecclesia, ubi a B. Apostolo dignus Minister fuerat constitutus, sepulcrum esse* tradunt Martyrologia, quibuscum consentit D. Hieronymus in Catal. Script. eccl. c. 13. *Titus Episcopus Cretæ, in eadem & in circumjacentibus insulis prædicavit Evangelium Christi. Ibidem autem & dormivit, & sepultus est.*

Gortynæ in æde Cathedrali sepultus.

De illius reliquiis nihil ferme habeo, quod scribam singulari commemoratione dignum. De capite sanctissimi hujus Apostoli, antequam Creta sub Turcarum imperium ac tyrannidem cecidisset, Joannes Bollandus superiore sæculo hæc scripsit, tom. 1. 4. Januar. Porro *S. Titi venerandum caput integrum Candiæ, Archiepiscopali Cretæ urbe, asservatur, magnaque cæremonia certis temporibus spectandum populo proponitur. Estque summum templum eidem Sancto Apostolo dicatum*; ut in Peregrinatione sua Hierosolymitana epistola 1. testatur Nicolaus Christophorus Radzivilius. Sed vergente eodem sæculo, cum Candia in Turcarum potestatem concessit, Veneti urbis, totiusque ferme insulæ possessione depulsi, sacratissimum illud caput Venetias transtulerunt; ac depositum fuit in Thesauro Marciano, & Senatusconsulto constitutum est, ut singulis annis die festo S. Titi, in Basilica D. Marci populo illuc religionis causa confluenti ad spectandum, & venerandum proponatur. Ejus corpore quid factum sit; utrum adhuc apud Cretenses asservetur, an vero Turcarum impietate ac sceleri discerptum perierit, mihi non est compertum.

Caput Venetias translatum.

Festi Dies S. Titi.

Tres ipsos dies Titi nomine, & commemoratione consecratos invenio, diem quartam Januarii apud Latinos, diem vigesimam quintam Augusti apud Græcos, & diem duodevigesimam Martii in Martyrologio Coptico, ut docet Bollandus. Ex his tribus diebus haud facile est constituere, quemnam Titus pia ac pretiosa morte, suoque ad Superos transitu consecraverit. Com autem Ado, Usuardus, itemque Martyrologium Romanum quartum Januarii diem appellent Natalem D. Titi, in eam opinionem propendeo, ut putem hac ipsa die cum ad beatam immortalemque vitam migrasse; præsertim cum Menologia & Menæa Græcorum nullum titulum adscribant, unde dies quinta & vigesima Augusti causam anniversariæ commemorationis acceperit; quamvis in Menologio Metrico in latinum converso apud Hagiologos Antuerpienses tom. 1. Martii pag. 37. ad eam diem Titi ex hac vita ad Cœlum transitus videatur referri: VIII. *Kal. Sept. Cœli dat campos Tito vigesima quinta*. Ego vero, quantum conjectura assequi possum, sic existimo, idcirco apud Græcos hanc diem in honorem S. Titi celebrari, quod is ea ipsa die Cretensem Pontificatum inierit; diem vero Martii duodevigesimum propterea in Martyrologio Coptico Titi anniversario cultui decretum fuisse, quia eodem die ab Apostolis consecratus fuit Episcopus, & Paulo socius & comes Apostolicarum peregrinationum adjunctus.

§. II.

Præclara B. Titi Paræneſis ad Cretenſes, quam Dalmatæ perinde accipere debent, ſibique ad ſe ipſos excitandos accommodare, ac ſi ſanctiſſimum virum ſecum ipſis colloquentem, & ea, de quibus Cretenſes edocet, ſibimet ipſis præcipientem audirent. Ex Oratione, quam Andreas Cretenſis ipſo B. Titi feſto, & anniverſario die ad Cretenſes habuit, ubi Titum in hunc modum loquentem induxit,

Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus, morum ſcilicet perfectione. Nolite effici pueri ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote. Ne qua radix malitiæ impediat ſurſum germinans, ac rectum ſenſum obſcurans. Ne quis in veſtris cordibus exoſcatur peccati ſurculus. Ne quis in vobis amaritudinis botrus nigreſcat, ex quo ſuror draconum aſpidumve, ceu vinum diffluat. Nequis ſpreverit Dominica Chriſti mandata; neve inſtar aſpidis obturaverit aures; ne ne audiat incantantis vocem. Ne quis malitiam & vitium eligat, qui liberum ſit, ut eligat virtutem, cœleſtemque vocationem in terra inſidiatur; neve incorrupta immortalique vita exitioſam ſenſibus humilium ac terræ defixorum abundantiam miſera commutatione præoptet. Filli noviſſima hora eſt: ſunt ergo paranda ad exitum tua ſepulturam opportuna. Nobis ipſi augeamus funeris curam. Nemo ſit uſque adeo mollis, & voluptatibus diſſolutus, ut reſolutionem in Chriſtum, ſecundo loco a demoratione, & contretione cum luco habeat. Nos Chriſtus vocat in regnum Cœlorum. Dominica juſſio eſt, aſſumamus generoſam animum. Fortis eſt qui vocat; ne ſimus imbecilli mente ad divitias, quæ ſuperant cogitationem; ſcrupuloſiuſque rerum oculis ſubjectarum rationibus ſubducendis intenti ſimus. Ut quid rebus viſibilibus immoramur? ut quid contemnimus paternam domum? civitas noſtra, patriaque eſt cœleſtis Sion; Sanctiorum illa Metropolis; Patriarcharum domicilium, ubi abeſt ſerpens ſedens in via, qui calcaneum mordeat, & ingreſſu prohibeat; Sion, inquam, cujus turres in manibus Domini fixæ ſunt: cujus portæ ad beatitudinem illic loci ſibam eos, qui intrant, inducant: cujus ſpeciem, decoremque, novit ipſe, qui ædificavit Deus. Subſtantia autem fidelium vitæ eſt, ſeneſcere neſcia; lumen inenarrabile; immortale regnum; retributio bonorum dignis repoſitorum, quæ neque videri oculis poſſunt, nec corde comprehendi, quæ Deus præparavit iis, qui diligunt ipſum. Ne itaque eorum dimittamus hæreditatem, quotquot deifico baptiſmate filii rationem adepti, facti ſumus Dei filii: Dei inquam, qui nos dilexit, quique redemptionis pretium pro nobis omnibus filium ſuum Unigenitum ejuſdem ſecum ſubſtantiæ, eodemque ſublimem

Digitized by Google

limem thronp dedit. Ne gratiam adoptionis ſpernamus: ne efficiamur ſervi peccati, qui ſumus liberati in ſpiritu. Ne ſervi voluptatis ventris, vicariam ſatietate contumeliam recipientes. Ne oſtium vitiis perturbationibuſque aperuerimus, unde nobis reciproca mors ſcaturiat. Ne a contentione ad anteriora ſiſtamus, ſed curramus ſemper, ſi quomodo comprehendamus, ad bravium ſupernæ vocationis. Præſtat, ut ea, quæ ſunt retro, obliviſcentes, ad anteriora nos ipſos extendamus. Præſtat audire dicentem Chriſtum: Siquis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Præſtat ſequi Chriſtum per mundum ambulantem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Chriſtus jubet, ne renitamur, Chriſtus vocat, & quis non audierit? Divina vox eſt, quæ doceat: Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ: Et; ego lux in mundum veni. Hoc autem quid magis amicum nobis contigerit? Quippe relictis tenebris adhærere luci, vere filium lucis facit eum, qui luci adhæret. Hoc vero qua alia ratione contingat, niſi caliginoſo omni peccato, atra nos nocte configente, ſpreto? Ut autem tollamus Crucem, & Chriſtum ſequamur, quodnam fuerit evidentius ſignum, quam ut quotidie moriamur? qua bonorum repoſitorum ſpe contento animo; qua minarum metu circumacto tortoque. Crucem autem abſolute intelligas, dilecte, mortem pro Chriſto; quam vel ipſam, ſi contingat providentia divina accidere, ne detrectaverimus.

Cum enim quotidie mente moriamur peccato; quid miſere morientes vitam ducimus; qui non ſimus beatiores, præoptantes pro Chriſto mori? Moriamur ergo, ut vivamus. Bonum eſt una cum Chriſto mori, ut & vivamus cum ipſo. Qua vero quis ratione commoriatur Chriſto? Plane fallus vitiis & perturbationibus ſuperior; nulli timori prodens veritatem; aut amicitiæ humanæ reſpectui fiduciam ad Deum miſerabiliter permittens. Sic aliquis certat pro Chriſto. In hunc itaque modum, ejus cauſa moritur, qui eſt mortuus pro nobis. Qua vero ratione hæreditatem cæleſtem aliquis accipit? Nimirum relinquens terrena, quæ quidem ad modicum ſpectaculo recreant, diuturniorem vero inde cruciatum ingenerant. Dimittamus ergo, quæ vita præſenti recreant, ut hæreditate accipiamus futuram gloriam. Demus Deo vel vitæ partem. Accipiamus vitæ noſtræ comparticipem. Magnam jam partem nobis vita præteriit. Viximus carni; etiam ſpiritui vivamus. Brevi temporis ſpatio longa nobis ſæcula recondamus. Pauca eorum dimittimus præ iis, quæ ſperamus nos accepturos. Nihil iis, quæ danda ſunt, æquale intulerimus. Hæc nobis ſacer hic interpres ſpiritus. Hæc Titus clamat, magna eccleſiæ tuba, quæque univerſos per gyrum fines perſtrepuit; divinitus pulſatum organum; vox ubique tonans, quæ divinarum nobis miſerationum cataractas aperuit; quæ quotidie diluvii inſtar, quotidianos hoſtium inſultus operiat. Concluſio Andreæ Cretenſis. *Hæc nos Titus noſtra vilium opera e ſepulchro quæritans, ſpiritu docet. Agnoſcamus ergo Magiſtri documenta. Efficiamur diſcipuli non contemptores gratiæ. Scimus ſuaſibiles, non doctori immorigeri. Suſcipiamus reverenter ſermonem &c.*

§. III.

Præſentiſſimum adverſus Chriſtianæ religionis hoſtes B. Titi patrocinium Dalmatis propoſitum; ut intelligant, qui omnium primi Turcarum aggreſſionibus expoſiti ſunt, cujus opem implorare debeant, cujuſque præſidio ſe tueri, cum a potentiſſimis illis Chriſtiani nominis hoſtibus bella & clades immineat.

Ex Oratione ſæpius citata Andreæ Cretenſis.

O Titi beato vere modo a geniti pueri! Is enim vos juxta Evangelium regeneravit. State adverſus hoſtes omnes inviſibiles, doctrinæ ejus b armaturam induti. Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis. Virili animo conſiſtite adverſus execrabilem aciem Satanæ, ejuſque plagæ velut ſagittæ parvulorum videbuntur. State ſuccincti lumbos in veritate, & latera obtecti; portanteſque gladium ſpiritus; qui eſt Verbum Dei per deprecationem, & orationem. Arcum & ſagittas, & pharetram, a Deo inſpirata, Deo afflati præconis Titi induamus arma. Galea nobis, haſtaque, & gladius habeantur c Paſtoris ad Deum pro nobis ſupplicationes. Ipſe ſtabit pro nobis: ipſe d aciem inſtruet, & nos proteget, ipſe hoſtium tumorem comprimet. Ipſe ſtabit, placabitque, ac Domini furorem avertet; iræque calicem, quem manu habet, & e Condy ruinæ, furoriſque facem a nobis declinans, in f hoſtes plane exhauriet, ac confractionem quidem convertet in auram g: procellam autem ſtatuet in tranquillam ſerenitatem. Sed & magnum hoc navigium, Eccleſiam, inquam, in portum deducet divinæ voluntatis, aſſu omni, tempeſtateque liberatam, & quæ tota omnino vita pacem agat! Quis enim ſcit, ſi converſatur Deus, & eum pœniteat ſuper malitiis noſtris? Non enim quærit noſtram mortem, ſed ut convertamur, & vivamus: h turundam adhibebit, & ſedabit; nec erit aliquis, qui nos malis afficiat, & cædat, neque nos aliquis de manu ejus rapiet. Sed etſi hoſtis invaſerit, lapidabitur. Quod ſi arcum tendens gloriatur, ſuper ipſo confringentur ejus gloriationes. Quod ſi etiam vibrat arma, gladius quidem pervadet cor ejus, arcus autem in manu ejus conteretur. Ipſe enim Dominus pugnabit pro nobis; Ipſe veniet, & ſalvabit nos, veniet & non tardabit. Videbuntque Ægyptii omnes manum Domini fortem & magnam, dicentque fugiamus a facie Domini Chriſtianorum; nam Dominus pugnat pro eis adverſus Ægyptium i Amalec, matreque ſerva genus i Agar penitus exterminabit. Inimicos, inquam, Crucis Chriſti, quorum finis interitus eſt: quos maris profundo abyſſus abſorbebit, tentanteſque navali conſligere prælio, ſuis fluctibus involvet. Hic eſt Deus noſter: ipſe k coronæ ejuſdem conſortes l Imperatores, eodemque ſublimes throno victoriis coronaverit, in longas annorum revolutiones eorum conſervans imperium. Ipſe eis gentes omnes barbaras cruore gaudentes captivas ſubjecerit. Stabit enim ſequeſter propitius, verbi alumnus, & defenſor Titus: ſtabit vero, & inclyta veſtra Martyrum m Deças, ſuiſque illis paſſionibus, Dominum, qui poteſt ſalvare a morte, propitium faciet; iſque omnia conſumabit, quæ ad noſtram videt opportuna ſalutem, & ad gloriam Majeſtatis ſuæ. Utinam vero ad conſumatæ bonitatis exitum, nulla temporis mora, iſta promoveantur; ipſiſque rebus conſummationem ſuſcipiant. Sic enim, & vita nobis æquior ceſſerit, ſermoque omnis, & actio, & cogitatio, divini ſpiritus legibus peragetur; otiique compendiis quieta nobis, atque tranquilla exigetur vita.

NOTÆ.

a Hæc omnia apprime conveniunt in Dalmatas, quos his ipſis verbis alloqui, hortarique ad Titi fidem opemque implorandam rectiſſime poſſunt Dalmatiæ Epiſcopi. Quid enim ad rerum ſuarum decus ac præſidium ſibi Cretenſes ab Tito adſciſcant,

cant, cui Christi fidem & Evangelium acceptum referunt, quod non potiori jure sibi Dalmatæ vindicent; modo meminerint se ante Cretenses ab eodem Tito per Evangelium Christo progenitos, se ab illo altos, se ab illo Christianis sacris & mysteriis imbutos, se ad omnem laudem ac virtutem Christiano homine dignam educatos.

b Titus cœlestis doctrinæ præsidiis atque armis prius Dalmatas, quam Cretenses instruxit.

c Quidni Titus suis apud Deum precibus divinam opem etiam Dalmatis conciliet, quos sic dilexit, tamquam primos ab se genitos Christo filios, & evangelicæ suæ expeditionis, suorumque laborum oblatas Deo primitias?

d His ipsis verbis Dalmatæ in spem adduci possunt cœlestis auxilii per Titum impetrandi, cum bellum ab Turcis ingruit, modo ad Titi fidem, opemque suppliciter confugiant.

e Κύτυ est poculi genus admodum capax. Athen. lib. ιε ποτηριον ασιατικον, esse ait, κοτύλας χωρουν δεκα; *poculum asiaticum continens decem cotylas*. Cotyle autem est quoddam mensuræ genus liquidis pariter atque humidis metiendis aptum, quod sex omnino cyathos capit. Modus is loquendi e sacris litteris petitus est, ubi calicem iræ, calicem furoris, & alia id genus passim invenies.

f *Hostes*. Saracenos videlicet, qui ea tempestate navalibus viribus, copiisque præpotentes, Christiani imperii provincias maritimasque oras direptionibus, cædibus, incendiis infestas habebant. Igitur non secus atque olim Cretensibus contra Saracenos, nunc Dalmatis contra Turcas Titus auxilio aderit, & pestem ac perniciem, quam hostes illis machinantur, in ipsorum capita convertet.

g Σφαδασι. *Est eadem vox Ps.* 105. *v.* 23. *Nisi Moyses stetisset in confractione &c.* ἐν σφαδασι *velut tempestate furoris Domini, qui videretur Israelem totum velut comminuturus; nempe a vitulo adorato; quo videtur Andreas respicere, ut indicet futurum Titum alterum Moysem Christiano populo, in quem ira Deus desæviret immissis Saracenis, ut olim in Judæos*. Franciscus Combefisius in Notis ad hunc locum.

h Μοσχου Jer. 30. v. 17. *qua alludit, est* ἀναξω, *velut subducam, & subvehan, quod & Hebræa habent* נעלה: *fueritque ea vox Andreæ, vel ad explicationem illius eductionis, vel ut alia lectio, indendo enim linamentum vulnerarium, & turundam, velut educitur ulcus, non obducitur; eo tamen fine, ut quandoque minore incommodo obducatur, quo forte respexit* Vulg. Combefisius Not. 11.

i *Forte quia velut Ægyptiorum vindex, & Ægyptiaco animo persequebatur Israel, jam alioqui Ægypto egressum, & nihil ultra ab Ægyptiis timentem*. Combefisius Not. 12.

i *Saraceni* sive *Agareni* ex Agaris filio Ismaele oriundi, etiamque Ismaelitæ dicti.

k Ὁμοσαντι. *Adjunctis iis, quæ habent Græci de Andrea in triodio, ex quo damus liquet esse sermonem de Justiniano II. & Philippo filio, quem is statim ab imperio recuperato, & occiso Tiberio Absimaro Imperiali corona insignivit; de quo Baronius ad annum* 702. *Fuerunt ea tempora turbantibus qua Patriarchis, qua Imperatoribus CP., satis Græciæ obscura, ut non mirum sic atra nocte veluti latuisse Latinos nostri Andreæ sanctitatem, quam non consignarint, quod sciam, publicis ecclesiæ tabulis*. Combefisius Not. 13.

l Hæc transferri possunt ad Venetos, quorum in ditione ac tutela sunt Dalmatæ. Titus ergo suo nomine, suisque precibus interpositis apud Deum suorum causam aget; ille Venetorum classibus ac militibus vires animosque adjiciet, ut exultantem Turcarum audaciam comprimant; ut servitutem, cædes, incendia, rapinas a Dalmatarum vita, tectis, fortunis, corporibusque arceant; ut ab eorum templis sacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem prohibeant.

m *De his decem Martyribus Cretensibus agunt Græci* 23. *Decemb. qua eadem consignatur in Martyrologio Romano. Ad eos spectat, quod Baronius ad Cyrillum, & ipsum Cretensem Martyrem* 9. *Jul. annotat, ex epistola Martini Gortynæ in Creta Episcopi, & Collegarum ad Leonem Magnum Imperatorem de vindicata ab hæresibus patria, Deum Martyribus passionis tempore deprecantibus: qua de re in eorum gestis apud Metaphrastem, qua Lippomanus, & Surius referunt, habentque regii codices*, Combefisius Not. 14.

§. IV.

Deprecatio S. Andreæ Cretensis ad B. Titum pro salute, & incolumitate gregis sibi concrediti. Eadem uti possunt Dalmatiæ Episcopi, ut concilient sibi suisque populis B. Titi opem atque præsidium. Ex Oratione supra citata.

Hæc a nobis, o Pater, a nobis, inquam, o Domine, tuis clientulis, & supplicibus, atque successoribus tuis, quamquam indignis, hæc tibi exiguæ linguæ mentisque officio, mentis, inquam, tui amantis, & præ omnibus honori habentis angusta sunt munera. Hæc modicus ego inter Pastores, nescio qua ratione dignus habitus sacro hoc throno, & solio: quamquam vero modica illa, & quæ a meritis tuis longe absint; nihil tamen sunt accensa in te mea voluntate, minora. Placide autem, & humaniter, probe novi, vel ut tenue quoddam epitaphium susceperus es. Absolutiorem autem laudem, majori ab eo gloria postmodum quæsieris, ad quem semper immotum studium desideriumque habuisti. Nunc enim vero, o Divinum, & sacrum caput, de cœlo nos inspexeris, qui circum Deum trinum spiritu tripudies, gratiaque gratiæ assistas throno, sisque animo illustratus divino lumine; supplicans pro nobis. Si quo modo, agente te, liberemur ab ira iis impendente, qui mei instar sunt negligentes, & pigri, atque ab accensa adversum nos quotidiana vitiorum rebellione; ad hæc vero, a malevolis hostibus, palamque occulteque conantibus oppugnare, sinunt se superari; statueriisque nobis procellam in auram, fecerisque, ut illic positam beatitudinem consequamur, ut vel tunc sub tuis protecti alis, una tecum habitemus in tabernaculis, in quibus ipse habitas; purique quod est in te lumen, pure perspiciamus; ejus gratia, qui nos vocavit vocatione sancta in admirabile lumen suum: quem decet omnis gloria, honor, & potestas nunc, & semper, & in sæcula. Amen.

Chro-

A. Ch. A. Er. vulg. Chronotaxis Actorum B. Titi, omnia complectens, & suis singula temporibus dispertiens, quæ hactenus dicta sunt, quæque ex epistolis Sancti Pauli, Actis Apostolorum, tabulis Salonitanæ, & Cretensis ecclesiæ, aliisque rerum ecclesiasticarum scriptoribus deprompsimus.

18 9 Titus Gortynæ natus est, regali genere, nobilissimis parentibus in urbe totius insulæ primaria. Poetis, ac Philosophis operam dedit.

32 29 Cum annum ageret vigesimum, cœlesti voce admonitus, a profanis artibus ac disciplinis ad sacrarum litterarum studia totum se transtulit.

33 30 Cum de Christi divinitate, ac miraculis insignis ab Judæa fama in Cretam manasset, Proconsulis Avunculi sui jussu, vel permissu Hierosolymam proficiscitur. Christum venerabundus adiit; atque in ejusdem disciplina se tradidit.

34 33 Interfuit & præsens vidit summos Christi cruciatus atque ignominias; ejusdemque redivivi atque in cœlum ascendentis testis fuit ac spectator. Spiritus Sancti in cœnaculum illapsi divina munera cum cæteris Apostolis pariter accepit. Post necem Stephano illatam, prima in ecclesiam tempestas incubuit, Judæorum instinctu ac rabie concitata. Discipulis alio aliis dilabentibus, Titus quoque Hierosolyma secedit.

35 32 Saullus Tharsensis cœlesti voce perculsus ex hoste infensissimo fit repente Christi cultor & propugnator acerrimus. Titus tam subita atque admirabili hominis conversione permotus, mira cupiditate flagrat jungendæ cum eo consuetudinis, & amicitiæ. Primum in ejus congressum colloquiumque sese insinuat; tum familiariter cum illo versari cœpit; demum inter Pauli domesticos atque intimos locum obtinet; nondum tamen evangelicæ expeditionis socius rite declaratus est, sed decem ipsos annos post mortem Christi cum cæteris Apostolis ac Discipulis, partim Hierosolymæ, partim urbibus Judeæ evangelica peragratione obeundis transegit.

41 42 Titus, Paullus ac Barnabas Hierosolymam deferunt eleemosynas, quas in pauperum subsidium Antiocheni erogaverant. Inde Antiochiam repetunt, recepto in societatem Joanne, Barnabæ consanguineo, cui cognomen erat Marco. Paullus & Barnabas Spiritus Sancti jussu, & auspiciis in Apostolorum collegium cooptantur. Hierosolymis Apostoli in concilium coacti distribuunt inter se orbis terrarum provincias. Huic Concilio Titus interfuit, Episcopalibus sacris initiatur, Paulli socius atque administer ex ejusdem Concilii auctoritate renunciatur; ac decem ipsos annos in Apostolicis cum Paullo peragrationibus, vel in Paulli mandatis exsequendis transegit.

43 49 Paullus, Barnabas, Titus ad Apostolos, & Presbyteros, qui Hierosolymis erant, referre jubentur de controversiis, nuper exortis, eorumque sententias rogare. Ex itinere Phæniciam, & Samariam adeunt. Hierosolymam cum venissent, Paullus omnino vetuit Titum circumcidi, quod quidam ex Judæis omni ope atque opera contendebant. Ad dirimendas Antiochenas controversias Concilium cogitur; lex circumcisionis una cum Mosaicis ritibus ac cæremoniis abrogatur, & quamvis nondum exitialis, ac mortifera, mortua tamen atque inutilis declaratur. Paullo, Barnabæ, ac Tito Gentium salus ac procuratio committitur: iidem cum Sila, & Juda Antiochiam remissi, decretum Concilii publicis litteris consignatum ad Antiochenos deferunt. Joannes cognomento Marcus in eorum societatem iterum recipi cupit: annuit Barnabas, negat Paullus. Ea de re cum inter se dissiderent, alter ab altero digreditur. Barnabas assumpto Joanne in Cyprum transmisit. Paullus cum Tito sibi comitem adjunxit Silam, quibuscum Syriam, & Ciliciam peragravit. Deinde Lystris cum esset, tertium sibi socium adscivit, cui nomen Timotheo. Per idem ferme tempus Lucas in Paulli comitatum ac societatem recipitur. Paullus igitur tribus sociis auctus, una cum Tito Phrygiam, Galatiam, Macedoniam Evangelio lustravit, & Macedonia Athenas se contulit. Hoc eodem anno, vel certe insequenti, ad Galatas scripsit epistolam, in qua semel atque iterum Titi mentionem facit.

53 50 Hoc anno ineunte Paullus ac Titus cum sociis in Achajam migrant; Corinthum adeunt; qua in urbe ac provincia unum annum ac sex menses commorantur.

54 51 Paullus æstate jam appetente cum sociis ex Achaja in Asiam transmisit. Ephesiis ex itinere aditis, Cæsaream concessit, inde Antiochiam divertit; tum Phrygiam, & Galatiam, & superiores Asiæ provincias peragravit. Ephesum rediit, atque hinc primam ad Corinthios epistolam scripsit; eodemque tempore Titum ad Corinthios legavit, ut, quæ illuc irrepserant, corruptelas amoveret, dissidia componeret, Corinthios ad eleemosynam in pauperes Hierosolymitanos erogandam hortaretur.

55 52 Titus re Corinthiaca bene gesta ad Paullum se retulit, qui per eos dies in Macedoniam advenerat. Alterum Paullus epistolam ad Corinthios scripsit; jussitque Titum ad eos iterum proficisci. Titus morem gessit; Corinthum repetiit, omnia Paulli mandata diligenter curavit. Tum altera apud Corinthios legatione perfunctus ad Paullum rediit, qui per id temporis in Illyrico, vel in provinciis Illyrico finitimis rei Christianæ operam dabat. Intra finem hujus anni Titus a Paullo missus cum Episcopali jure ac potestate in Dalmatiam venit. Interea Paullus institutum Apostolicarum peragrationum cursum persequitur. Triennium proxime insequens partim apud Ephesios traduxit, partim finitimis ecclesiis revisendis lustrandisque extraxit.

58 55 Paullus Hierosolymam cum venisset, ab Judæis comprehensus in vincula conjicitur. Cæsaream abductus primum coram Felice Judææ Præside causam dixit; deinde coram Portio Festo, qui in Judaicam Præfecturam Felici subrogatus est; ab eo cum Paul-

lus

J. Ch.	A. Ær. vulg.	
		lus appellaſſet ad Cæſarem, Romam vinctus abducitur.
59	56	Titus ubi certis auctoribus comperit Paullum Romam deduci, illuc ex Dalmatia omni feſtinatione ire properavit, ut ejus in urbem adventum præſtolaretur.
61	58	Titus cum aliis Chriſtianis, Romæ ea tempeſtate degentibus, Paullo ad urbem venienti obviam proceſſit. Nullum in eum benevolentiæ pietatiſque officium prætermiſit, quod ab ſe deſiderari poſſet. Cæterum cum intelligeret Paullo neceſſariam non eſſe ſuam operam, atque præſentiam, paucis poſt diebus ad ſuam eccleſiam rediit. Paullus poſt Titi diſceſſum alteras ad Timotheum litteras dedit, eumdemque Romam accerſiit.
63	59	Titus rebus Dalmaticis compoſitis ac Neophytis valere juſſis, Dalmatiæ pontificatu depoſito, Romam venit, quo illum Paullus per litteras aut nuncios evocaverat. Paullus Neronis ſententia abſolutus, atque emiſſus e vinculis, una cum Tito Hiſpaniam Evangelio luſtravit. Antequam Roma excederet, Hermen ad Dalmatas proficiſci juſſit, qui eam eccleſiam regeret, & omnia Epiſcopi ac Paſtoris munia obiret.
66	63	Paullus ac Titus peragrata Hiſpania in Ægæi maris inſulas tranſmittunt, inde in Cretam appellunt. Rutilius cognatus Titi ab Idolorum cultu ad Chriſti fidem convertitur, cum ejus filium a mortuis Paullus excitaſſet. Paullus, haud ita lato maris ſpatio tranſmiſſo, in Aſiam proficiſcitur. Titus vero cum Cretenſibus inſtituendis operam aliquam dediſſet, ſuas curas, & labores ad proximas circa Cretam inſulas convertit, quibus excolendis ſex ferme annos impendit.
67	64	Paullus litteras ad Titum dedit, quibus illum de Epiſcopali munere atq; officio inſtrueret, ac moneret; ſub finem epiſtolæ eidem imperavit, ut quam primum Nicopolim contenderet, ubi ipſe hyemare decreverat. Titus e Creta ſolvit, & Nicopolim venit.
68	65	Paullus Aſiaticis primum, deinde Græcis provinciis cum Tito peragratis, Romam proficiſcitur. Titus in urbe uſque ad Paulli martyrium commoratus eſt. Nero vehementer incenſus ob interitum Simonis Magi Petrum ac Paullum in carcerem detrudi jubet.
106	103	Titus cum Luca Paulli martyrio interfuit, ejus funus curavit, corpus ſepulturæ tradidit. Deinde in patriam revertitur; Gortynæ Metropoliticam ſedem conſtituit, Cretenſem eccleſiam ad ſummam uſque ſenectutem adminiſtrat.

Titus annos natus quatuor & nonaginta in patria ſanctiſſime moritur vel pridie nonas Januarii, vel 8. Kal. Septemb. Ibidem perhonorifice ſepultus miraculis claret, ab advenis pariter indigenisque eximia veneratione & celebritate colitur.

APPENDIX

De S. Herme altero Dalmatiæ Epiſcopo, & S. Domnii Præcurſore.

Hermes ignotus Latinis; cultus a Græcis,

HErmes Latinis Martyrologis ignotus, & Græcorum Menæis atque elogiis celebratus, is, quem Paullus in ſuis ad Romanos litteris ſuo nomine ſalutari juſſit, Epiſcopus Dalmatiæ fuiſſe traditur. Duos eximiæ ſanctitatis viros ejuſdem fere nominis temporibus Apoſtolicis floruiſſe invenio; utriuſque meminit Paullus in ea, quam dixi, ad Romanos epiſtola, utrique officii ac benevolentiæ cauſa ab ſe ſalutem dici voluit, utrumque Patrobæ interjecto, non ſolum reipſa, ſed etiam aliqua nominis variatione diſtinxit: *Salutate*, inquit cap. 16. *Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen: & qui cum eis ſunt fratres*. Primus dicitur fuiſſe Epiſcopus Philippopoleos in Thracia, quem Græci nonis Martii, Latini vii. Idus Maji, anniverſario cultu venerantur: alter vero, ut diximus, Dalmatiæ Pontificatum geſſit, cujus memoriæ, ſolemnique veneration nullum quidem Latini, Græci autem diem octavum Aprilis attribuunt. Fuere deinceps haud pauci vel martyrio, vel ſanctitate & miraculis inclyti, quibus idem nomen obvenit, ab ætate Apoſtolica alii propiores, veluti Hermes frater S. Pii Papæ, & martyris; alii longius disjuncti, ex quibus duodecim ipſos in Martyrologio Hieronymiano variis diebus adſcriptos, & a noſtro plane diverſos invenio. Sunt, qui nihil intereſſe putant *Hermamne*, an *Hermen* ſcripſeris, utrove nomine duos illos Paulli Diſcipulos appellaveris. Origenes, quem lib. 10. c. 14. in epiſt. ad Romanos *Hermam* vocat, eumdem in eo libro, qui περὶ ἀρχῶν ſive *de Principiis* inſcribitur, ſemel atque iterum Hermen nominavit. In omnibus fere Uſuardini Martyrologii codicibus *Hermes* pro *Herma* ſcriptus reperitur, ut accurate notavit Sollerius in Auctar. ad Uſuard. Nec deſunt, qui Hermen Dalmatiæ Epiſcopum *Herma* vocabulo afficiant. Joannes Baptiſta Cotelerius in Scholiis ad Opera SS. Patrum Apoſtolis æqualium, promiſcuas & crebras hujus nominis variationes librariorum inſcitiæ & incuriæ adſcripſit: *Facile fuit Librariis*, inquit, *Hermam mutare in Hermen, & Hermen viceverſa in Herman; ſicque fortaſſis apud Magiſtrum ſententiarum lib. 4. diſp. 35. ex Herma factus eſt Hermes*.

commemoratus a Paullo in epiſt. ad Rom.

Cæterum ad tollendam perſonarum & nominum confuſionem nihil aptius eſſe arbitror, quam ſua quemque, & propria appellationis nota ſignare ac diſtinguere. Quare quem in Titi locum Dalmatiæ Epiſcopum ſubrogatum eſſe diximus, eum perpetuo conſtanterque *Hermen* appellabimus, præſertim cum hujuſcemodi appellationis auctorem Paullum ipſum habeamus, qui Hermen noſtrum ab Herma Philippenſium, ut ferunt, Epiſcopo, hac ipſa poſtremæ ſyllabæ variatione diſtinxit.

a nobis Hermes ſemper appellandus.

Hermam & Hermen, quorum Paullus meminit in epiſtola ſæpe laudata, in catalogum duorum & ſeptuaginta Chriſti Diſcipulorum Dorotheus & Hippolytus referunt; & quamvis horum auctoritas parvi a plerisque fieri ſolear, nihil tamen argumenti afferri poteſt, cur ex eo numero eximi debeant. Nemini dubium eſſe arbitror, quin omnes, vel plerique eorum, qui in Actis Apoſtolicis, vel in epiſtolis Canonicis commemorantur, ex eodem ordine ac numero Diſcipulorum fuerint; & ferme ex horum nominibus tum Dorotheus, tum Hippolytus ſuos catalogos confecerunt. Cum igitur Hermas

fuit e numero 72. Diſcipulorum.

multos habuit Sanctos cognomines, variis appellatos.

ma juxta Hermetique dignis habiti fuerint, qui nominarentur a Paullo in sua ad Romanos epistola: haud vero absimile est utrumque inter eos locum habuisse, quos Christus ex omnibus suæ disciplinæ alumnis delegit, & præclaris præceptis instructos, *misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus*. Luc. c. 10. Godefridus Henschenius affirmat hanc esse communem opinionem Græcorum, qui in Menæis editis & Mss. & in Menologio Cardinalis Sirleti, nec non apud Maximum Episcopum Cyrtheorum, cum die octava Aprilis celebrem memoriam SS. *Hermolai, Agabi, Rufi, Phlegontis, Asyncriti, & Hermis*, Episcopi Dalmatiæ, eos exceptos inter Christi Discipulos fuisse tradunt, & juxta morem ecclesiæ fuisse sæpe Apostolos appellatos. Si ergo Dorotheus & Hippolytus ad fidem faciendam non satis idonei videantur esse, neminem fore puto, qui velit Hermen nostrum eo loco & gradu movere, quem eidem ecclesiæ Græcæ inde usque ab antiquissimis temporibus summo consensu attribuit.

Quod si Hermes unus erat de illis septuaginta duobus Discipulis, sequitur, ut is multo ante se in disciplinam Christi tradiderit, quam in hunc ordinem adscriberetur. Cum enim illi Discipuli, secundum Apostolos, amplissimum honoris & officii gradum obtinuerint; faciamur necesse est, neminem ad hoc collegium aditum patuisse, quin diu multumque in Christi schola versatus esset, idemque non vulgari, sed eximia quadam virtute, spectata jamdiu, & cognita excelleret, isque haberetur, qui & tanto oneri ferendo esset, & imposturam sibi Apostolici muneris atque honoris personam pro dignitate tueri posset. Quapropter ejus ad Christum conversio referenda est in annum Christi 31. aut certe in eum, qui proxime consequitur, 32. ætæ vulgar. 295

Ejus ad Christum accessus.

Anno igitur Christi 33. cum Christus Dominus duos illos & septuaginta Discipulos elegit, ac binos in singulas civitates descripsit, qui universam Judæam peragrantes, sibi, ac novæ legis promulgationi viam munirent, Hermes quoque eamdem, ac cæteri, a Christo legationem accepit; eadem illi, atque aliis potestas divinitus concessa curandi infirmos, expellendi Dæmones, aliaque ejus generis miracula patrandi, quibus Christi divinitatem, ac fidem Evangelii comprobarent. Hæc igitur Hermi pariter, cæterisque Discipulis fuere divinæ missionis initia; qui in varia deinceps loca profecti, urbes atque oppida cohortationibus ac miraculis ad Evangelii fatus accipiendos præpararunt. Hac missione perfunctus cum sociis ad Christum lætus revertitur; cumque omnes summa lætitia gestirent, & in eo vel maxime sibi placerent, & gloriarentur, quod Christi nomine interposito, Dæmones fugassent, admonitus fuit id non latis, causæ esse, cur tantopere gauderent; quod autem eorum nomina Cœlitum Fastis inscripta essent, id vero sibi præclarum ducerent ac dignum, de quo sibi quisque gratularetur. Consors deinde fuit ac particeps omnium earum rerum, quas Christi jussu & auspiciis reliqui Discipuli gesserc, quippe cum idem, atque illi, munus ac nomen adeptus fuisset.

& primæ Evangelii missio.

Hermi quoque, uti cæteris, Christus ab inferis regressus, vivum se ac spectandum præbuit; & post Christi ad Patrem redeuntis ex hoc mundo discessum, Hermes adfuit cum illis centum ac viginti, qui præ metu Judæorum in cœnaculo Hierosolymitano tantum se abdiderant, Sancti Spiritus adventum præstolaturi; interfuit iis comitiis, quibus Matthias suffectus est in locum Judæ; multiplici linguarum dono, aliisque supernis muneribus cumulatus fuit, quæ Spiritus Sanctus tunc delapsus attulit, & Apostolis cæterisque Discipulis large effudit.

Cum cæteris Apostolis ac Discipulis in cœnaculo Hierosol. Spiritum S. accepit.

Sub adventum divini spiritus ecclesia mirum in modum augeri cœperat, cumque Hierosolymis vel maxime floresceret, ac majora in dies incrementa caperet, sub exitum anni 34. qui fuit ætæ vulgar. 31. ingens procella ab Judæis concitata rei Christianæ plus periculi ac terroris, quam detrimenti & calamitatis intulit. Ejus tempestatis impetum primus omnium excepit Stephanus, qui saxis obrutus, Christiani sanguinis primitias Deo ac religioni obtulit. Inita rerum ac temporum perturbatione Discipuli omnes Hierosolymis abiere, & relictis solis Apostolis, quibus curæ esset ecclesia Hierosolymitana, alii alio digressi, fidem ac nomen Christi longe lateque propagarunt: *Omnes*, ait Lucas Act. c. 8. *dispersi sunt per regiones Judææ ac Samariæ, præter Apostolos .... Illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta est sub Stephano, peramblaverunt usque Phœniciam, Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Judæis*. C. 11. Act. Quorsum iter Hermes noster intenderit, quas regiones lustrarit, quos habuerit itinerum ac laborum socios, quid rerum gesserit, quos fructus e sua peragratione collegerit, si exequi velim, divinum me esse oporteat. Quascumque tamen regiones adierit, nequit dubitari, quin ubique pro suo munere atque officio Judæis Christum annunciaverit, eosque ut ad Christi cultum traduceret, omni ope operaque enixeretur; quando nullam Apostolicæ suæ procurationis partem in Ethnicorum conversionem derivare poterat, quibus nondum ad Evangelium aditus patuerat.

Hierosolymæ discessit.

Interea dum insana illa Judæorum in ecclesiam conspiratio vehementius fervet, Saullus Christianorum hostis acerrimus, divina voce perculsus, non solum impiis & crudelibus cœptis abstinuit, verum etiam se ipse ad Christum adjunxit, nec minori animi contentione ejus fidem & causam tuendam suscepit, quam quantis antea conatibus oppugnaverat. Postquam autem odio ac furore Judæorum paullulum deferveſcente, ecclesia ex eo metu ac periculo respiravit; discipuli, quos turbo ille per varias regiones dispersérat, in Judæam deinceps reverti cœpere, ut pro eo, ac postulabat munus cuique traditum, in rei Christianæ procuratione adjuvarent Apostolos, quibus exprescripto Christi suam operam ac ministerium addixerant. Et alii quidem citius, alii vero serius rediere, prout quisque vel longius discesserat, vel propius ab Judæa substiterat. De reditu Hermis nihil comperti habemus; nullus tamen dubitat, quin ipse pariter, ut cæteri, Hierosolymam redierit: quæ enim fuerat aliis, eadem illi etiam fuit, tum abeundi, tum redeundi causa. Cum autem alii aliis Apostolis itinerum ac rerum pro Christo gerendarum administros se adjunxerint; multos jungendi se Paullo, qui inter Apostolos primi ordinis esse habebique jam cœperat, in ejusque disciplinam se tradendi cupiditas incesserit; eos videlicet sive admiranda hominis ab Christo antea longissime abhorrentis ad Christum conversio, sive spectata ejus sanctitas miraculis, & cœlestibus donis mirifice illustris, vehementer alliciebat. Inter hos Hermen fuisse arbitror, habendumque censeo inter Paulli discipulos, vel quod ipse ejus societatem ac disciplinam expeteret, vel quod ab aliis Apostolis Paullo itinerum comes reique Christianæ propagandæ adjutor datus fuerit. Argumento est, quod cum Paulli essent discipuli plerique illorum, quos Paullus scribens ad Romanos suis verbis salute impertiri cupit,

Hierosolymam reversus.

Post Paulli conversionem

Fit Paulli comes ac Discipulus.

cupit, inter eoſdem etiam Hermes annumeratur. Sane in indice ejus Menologii, quod Antonius Cardinalis Sirletus latine reddidit, typiſque mandavit, Hermes juxta, ejuſque Martyrii ſocii vocantur *Diſcipuli Paulli*. Præterea in Menæis Græcorum is pariter cum aliis, quos ad extremum certamen ſubeundum commilitones habuit, appellatur *Magiſter Gentium*; & multa alia ibidem dicuntur, ex quibus illud facile apparet, quod Hermes ex inſtituto ac munere ſuo præcipuas curas ac labores ad converſionem Ethnicorum contulerit. Is autem χαρακτὴρ eſt, & quædam quaſi nota, qua Paulli, & eorum, qui erant ex diſciplina Paulli, Apoſtolatus inſignitur ac diſtinguitur: Paullo quippe ejuſque Diſcipulis Gentium cura & converſio præcipue commendata fuerat, ut in Actis S. Titi admonuimus. An vero ſtatim ab ejus in Judæam reditu, an vero in ipſa Provinciarum diſtributione, quæ inter Apoſtolos facta eſt anno 42. æræ vulgaris, Chriſti 45. an poſt concilium Hieroſolymitanum habitum an. Chriſti 52. æræ vulg. 49. de abrogandis Judaicis ritibus ac cæremoniis, in Paulli ſocietatem ac diſciplinam adſcriptus fuerit, nobis compertum non eſt. Illud hic animadverti velim Hermen non fuiſſe ex illis Paulli Diſcipulis, qui numquam ab ejus latere diſcederent, quoſque ille per omnes fere urbes ac provincias, quas Evangelii cauſa circumibat, ſecum perpetuo circumduxit; ſed ex numero illorum, quos vel ad ſuas litteras perferendas, vel ad ſua mandata exſequenda, vel denique ad tentandos præparandoſque eorum animos, quibus Evangelii lumen inferre decreverat, identidem ab ſe alio atque alio dimittere ſolebat. Et ſane cum Paullus Corinthum rediiſſet anno Chriſti 57. æræ vulgaris 54. & eodem vel inſequenti anno ex ea urbe ſuam ad Romanos epiſtolam ſcriberet, Hermes cum plurimis aliis Diſcipulis, quos Paullus ſalutari jubet, Romæ operam rei Chriſtianæ navabat.

Alio atque alio miſſus Paulli mandata exſequitur.

Cogitanti porro mihi quænam cauſa fuerit, quæ tam multos Evangelii præcones, quorum nomina recenſet Paulus in ſuis ad Romanos litteris, per idem fere tempus Romam evocavit, non alia videtur fuiſſe, niſi abrogatio edicti Claudiani, quo Claudius Imperator Judæos pariterque Chriſtianos Roma expulit, acceſſuque ad urbem prohibuit. Poſt obitum Claudii, Nero intra finem anni 57. æræ vulg. 54. Romanum Imperium adeptus, initio cum omnibus, tum præſertim Judæis facilem ſe ac benignum præbuit. Nam præterquamquod Agrippam Judæorum Regem quatuor civitatibus donavit, ut Joſephus Antiqu. lib. 2. c. 5. eſt auctor; reſcidit, quoque, atque irritum eſſe juſſit decretum Claudii, quo cautum erat, ne quis Judæorum Romæ maneret. Hoc ſublato, liber ab omni metu & periculo urbis aditus Judæis, Chriſtianiſque patuit; nam unam eamdemque ob cauſam omnes expulſi fuerant; eadem apud Claudium ſuſpicione atque invidia omnes æque laborabant, quam ſcilicet Judæorum tumultus, & acerrimæ cum Chriſtianis concertationes utrique genti conflaverant. Simulatque de abrogato Claudii interdicto fama percrebuit, & Imperii Romani provincias peragravit, quamplurimos ex Apoſtolorum diſcipulis undique excivit, ut ad eccleſiam illam totius Chriſtiani Orbis principem fulciendam & ampliſicandam accurrerent, quam Petrus ante annos undecim fundaverat, ſed ob Claudianum edictum exulare coactus, Paſtoris præſentia ac tutela viduatam jamdudum reliquerat. Quin etiam ipſemet Paullus per idem tempus conſilium ceperat Romæ adeundæ, ut Lucas Act. cap. 19. teſtatur: *His autem expletis, propoſuit Paulus in ſpiritu, tranſita Macedonia, & Achaja ire Hieroſolymam dicens, poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.* Idem ipſemet Paullus confirmat in exordio ſuæ ad Romanos epiſtolæ: *Sæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, ſicut in cæteris Gentibus.* Sed partim obeundæ luſtrandæque Græciæ & Macedoniæ neceſſitas, partim Hieroſolymitanæ profectionis conſilium illum prohibuit, quo minus maturius Romam properaret. Cum autem Romam per ſe ipſe ſtatim ut cupiebat, proficiſci non poſſet, certe quod proximum fuit, præſtitit, & aliquot e ſua ſchola delectos viros doctrinæ & ſanctitatis eximiæ illuc miſit, qui Chriſtianis in ea urbe & præſidio eſſent, & aſſiduam utilemque operam præberent. Cum his Hermen quoque Romam a Paullo juſſum eſſe adire veriſimile eſt; quippe qui eo anno Romæ verſabatur, cum Paullus ad Romanos ſuas litteras dedit, & eum quoque nominatim ſalutari voluit. An vero diu Romæ ſubſtiterit, & Paullum expectaverit, e Cæſareenſi cuſtodia dimiſſum, & Romam abduci juſſum ad Cæſarem, quem appellaverat, incertum eſt. Roma certe aberat, cum Paullus ſecundam ad Timotheum miſit anno Chriſti 59. æræ vulg. 56. in qua ſcripſit cap. 3. neminem ſuorum ſibi cauſam e vinculis dicenti adfuiſſe præter Lucam. Quonam vero tum Hermes abierit, mihi non liquet. Nec vero propterea eidem violatæ erga Paullum fidei, deſertique officii notam inuſſerim: unus eſt Demas, de quo Paullus nominatim queritur, quod ſe dereliquerit, *Diligens hoc Sæculum*; neque enim ſi paullo infra ſubjecit, ab omnibus ſe derelictum fuiſſe, idcirco omnes in eadem culpa ſunt ac defectione ponendi; nam ne ipſe quidem Paullus eam deſertionem crimini illis dari voluit: *Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* Quemadmodum igitur *Creſcens in Galatiam*, *Titus in Dalmatiam*; ſic etiam Hermes, non ſua ſponte, ſed juſſu Paulli in aliquam provinciam, Evangelii vel inferendi vel propagandi gratia potuit abiiſſe. Cæterum ut alii plerique, cum adhuc Paullus in vinculis eſſet, Romam redierant, ita etiam Hermes vel poſt confecta Paulli mandata, vel ipſius Paulli accerſitu in urbem revertiſſe credendus eſt, ac tunc Epiſcopus Dalmatiæ creatus eſſe. Hæc ferme habui, quæ ſcriberem de rebus Actiſque noſtri Hermis, antequam Dalmatiæ Pontificatum ſuſciperet.

Poſt interitū Claudii Imper.

Romam venit juſſu Paulli.

Fit Epiſc. Dalmatiæ.

Hermen Dalmatiæ Apoſtolum fuiſſe, & Epiſcopi officio apud Dalmatas functum eſſe, ex Menæis atque Menologiis, cæteriſque Græcorum ſcriptis adeo clare & aperte colligitur, ut nemo adhuc, quod ego ſciam, ejus Dalmaticum Epiſcopatum in controverſiam vocaverit; contra vero multi graves imprimis ac nobiles Hagiologi & ſcriptores Latini hujus & ſuperioris ſæculi, de hac re Græcis valde aſſentiunt, eccleſiæque Græcæ auctoritatem ſequuntur. Godefridus Henſchenius tom. 1. die 8. April. Hermi titulum Epiſcopi *Dalmatiæ* ſine ulla dubitatione attribuit. Daniel Papebrochius to. 6. die 31. Maii, non ſatis certo, ſed quaſi dubitanter ait Hermæum Epiſcopum Sirmii, cujus nomen & commemoratio ad diem undetrigeſimam Aprilis in Synaxario Claromontano adſcribitur, non diſtingui ab Herme, quem Græci VI. Idus Aprilis anniverſario cultu proſequuntur; at vero minime dubitat hunc appellare *Dalmatiæ Apoſtolum*, ideſt Epiſcopum: *cogimur*, inquit, *inter Hermiam, & Hermæum diſtinguere: ſed laboramus, ut diſtingui ab hoc eædamus S. Hermen Dalmatiæ Apoſtolum, de quo egimus ad* VI. *Aprilis, propter commune feſtum cum aliis quinque Coapoſtolis; Dalmatiæ enim proximum adjacet in confiniis Sirmium, & no-*

De Pontificatu Dalmatico Hermæ.

Teſtimonia ſcriptorum.

Digitized by Google

& nomen Hermæ in nomen Hermæi facile convertitur.

Arnoldus Mermannius in Theatro Conversionis Gentium Antuerpiæ typis impresso pag. 41., ubi recenset Discipulos Paulli, & urbes, quarum quisque Episcopus fuit, Hermæ Episcopatum Dalmatiæ obtigisse affirmat.

Joannes Petrus Crescentius in opere Italico, quod inscribitur *Præsidium Romanum* lib. 1. pag. 139. ex Discipulis Domini eos enumerat, qui apud Illyrios vel Episcopali, vel Apostolico munere ac titulo præditi, rem Christianam administrarunt: *Timotheus Episcopus Ephesi, & Apostolus Illyrici, Andronicus Apostolus Illyrici, Hermes Episcopus Dalmatiæ, Clemens Episcopus Sardicensis.*

Joannes Baptista Ricciolius tom. 3. Chronologiæ Reformatæ pag. 11. hæc de S. Hermæ scripsit: *S. Hermas, de quo ad Romanos 16., fuit Episcopus in Dalmatia.*

Martinus Szentivanius Decade 2. & 3. de Rebus Hungaricis semel iterum ac tertio Hermen appellat *Episcopum Dalmatiæ.*

Lucretius Treus Patritius Utinensis in Antiquis Monumentis provinciæ Forojulicnsis: *S. Hermes*, inquit, *Discipulus alius S. Paulli, fuit Episcopus in Illyricis*, idest in Dalmatia.

Ac ne ipse quidem Tillemontius a Græcis dissentire, aut invenisse videtur, quod communi Græcorum sententiæ ac traditioni opponeret: *His* (scilicet Asyncrito, & Phlegonti) *Græci adjungunt Hermen, quem dicunt fuisse Episcopum in Dalmatia, & unum e septuaginta Discipulis.* Tom. 1. Mem. ecclesiastic. artic. 58.

Quid est igitur, quod dubitemus Pontificatum Dalmaticum Hermi attribuere, quem eidem veteres Græci, & Latini juniores uno consensu adjudicant? Sequitur jam, ut inquiramus, quandonam Hermes Dalmatiæ Episcopatum inierit, quotve annos illam ecclesiam administraverit. Nec sane difficilis est hujusmodi inquisitio, modo meminerit lector illius temporis, cum Titus Dalmaticæ ecclesiæ nuncium remisit, simulque prænoscat illum annum, ex quo S. Domnius sui Pontificatus initia duxit. Cum enim neque ante S. Titum, neque post S. Domnium Hermis Episcopatus constitui queat, ex eo fit, ut inter utriusque Pontificatum interjectus Hermes Episcopi munere ac nomine Dalmatis præfuerit. Titus autem ejus ecclesiæ regimine amotus discessit ex Dalmatia anno Christi 61, æræ vulg. 58, ut supra diximus; Domnius autem ejusdem provinciæ Sacerdotium a Petro sibi delatum obtinuit vel proximo ante martyrium Apostolorum anno, vel eodem ipso anno, quo martyrium Petrus & Paulus subierunt, qui fuit Christi 68., æræ vulgaris 65, alii tamen utriusque martyrium in posteriores annos rejiciunt. Hermes igitur ecclesiam Dalmatiæ regendam suscepit anno Christi 62. ejusque Pontificatus ad annum usque 67. vel 68. productus sex aut septem annorum spatio circumscribitur.

Tempus Dalmatici Episcopatus ab Hermæ susceptí ac gesti.

Ergo Paulus anno Christi 61., vel e primis vinculis jam emissus, vel cum prope jam esset, ut Neronis sententia absolveretur, Tito præcepit, ut Dalmatiæ Pontificatu abdicato, & Neophytis valere jussis, quam posset celerrime, Romam contenderet; id sibi consilii esse, ut primum eo adjutore ac socio ad Hispanicam peragrationem uteretur; deinde ut Cretensis ecclesiæ procurationem eidem mandaret. Titus igitur cum Romam venisset, nihil prius sibi faciendum putavit, quam ut Paullo rerum ab se gestarum rationem redderet. Diligenter illum edocuit, quos ad eam diem progressus fecerit in Dalmatia Christi fides ac religio, quove in statu illam discedens ipse reliquerit; ac præsertim quibus maxime præsidiis, quibusque administris opus esset ad eam tuendam & propagandam: præclare quidem jacta esse novæ illius ecclesiæ fundamenta; sed nondum eo rem perductam, ut fixam ac stabilem Dalmatici Episcopi sedem alicubi collocare aut expediat, aut deceat. Ex iis, qui Christo nomen dederint, sane esse permultos tum in civitatibus, tum in pagis oppidisve; nullam tamen urbem tot Christianis refertam esse, in qua sedes Episcopalis, & certus propriusque Episcopus pro rei ac nominis dignitate constitui posset. Hujusmodi Christianorum cœtus tota propemodum Dalmatiæ per vicos atque urbes dispersos esse, neque sane ita brevi locorum intervallo alios ab aliis disjunctos; nullum autem ex iis negligi, nulli Pastoris curam atque operam deesse oportere. Proinde, si quid ipse recte sentiret, sibi quidem videri ad stabiliendam augendamque Dalmaticam ecclesiam, ut nunc se habet, eadem via ac ratione insistendum esse, quam ipse ex Paulli præscripto inierat; quibus enim modis res unaquæque ab initio ortum habuit, iisdem ferme adolescere, propagari, atque in justam magnitudinem educi solere. Quare adhuc Dalmatiæ opus esse expedito promptoque ad omnia Episcopo, qui nulli civitati loco affixus, perpetua circuitione universam provinciam perlustret; neque unius urbis, & paucorum oppidorum finibus suam jurisdictionem atque industriam definiat, sed omnibus æque civitatibus ac pagis suas cogitationes ac labores impertiat. Nullus equidem dubito, quin Titus e Dalmatica provincia redux hæc ferme, aut iis similia Paullo suggesserit; quamvis neque veteres tabulas, neque idoneos testes proferre possim, unde illa acceperim, sed conjectura tantummodo ductus, verique similitudine, hanc orationem Tito affinxerim. Nam legibus ac more majorum ita comparatum est, ut qui ex aliquo magistratu abierint, edant atque exponant, qua ratione in sua quisque provincia se gesserit, quo in statu res publicæ inibi sint, quid opis ac subsidii postulent, ut recte se habeant, neve aliquid detrimenti patiantur. Nemini itaque dubium esse potest, quin communi more atque instituto Paullus ab Tito rationem reposceret administratæ provinciæ, gestique ab eo Episcopatus; simulque edoceri vellet de toto statu rerum Dalmaticarum, eumdemque consuleret, quid potissimum faciendum censeret, ut religio Christiana in illis regionibus auctior in dies fieret, ac firmioribus præsidiis muniretur. Idem igitur Paullus de sententia Titi, virum gnavum atque industriam e suis Discipulis delegit, quem loco Titi in Dalmatiam submitteret, diligenter antea de rebus Dalmaticis edoctum, atque in primis admonitum, ut Titi vestigiis perpetuo insisteret, neve in excolendis lustrandisque illis regionibus, ab decessoris sui instituto, atque consuetudine discederet. Is autem fuit Hermes, qui per id temporis aderat Romæ, seu sponte sua reversus, seu per litteras ab eodem Paulio revocatus, quemque ipse cum eximiis præceptis atque doctrinis, tum potissimum suis exemplis ac virtutibus ad munus Apostolicum erudierat. Hermes igitur in suam provinciam profectus, nihil potius aut antiquius habuit, quam ut Titi Decessoris sui vestigia premeret, initamque ab eo lustrandæ excolendæque Dalmatiæ rationem perpetuo retineret.

Titus Episcopalis Dalmatiæ regimine abrumpit.

Hermes substituitur.

Paullus de statu ecclesiæ Dalmaticæ edoctus.

Quamobrem Titi exemplo atque instituto, nullum certum ac definitum locum delegit, in quo potissimum consisteret, cuique sedem Episcopalem affigeret; ex quo fit, ut Hermes haud secus, quam Titus,

Digitized by Google

Qui regionarii Episcopi munus sustinuit, ac gesserit.

Titus, Episcopus *Regionarius*, quem alii Apostolicum vocant, dici possit, qui scilicet nulli civitati speciatim addictus, sed vagus solutusque ex uno in alium locum migrat, in id potissimum intentus, ut quo plebis sibi commissæ necessitas eum vocat, illuc statim accurrat. Ejusmodi plane Episcopos, ut dictum est, requirebat ab initio ecclesia Dalmatica, qui Christianorum greges hac illac dispersos lustraret identidem, atque inviseret, seseque expeditum, ubi opus esset, illico sisteret; nec diutius uno in loco hæreret, quam rei Christianæ utilitas vel necessitas postularet. Præclare igitur Græci, ut ejus, quem Hermes gessit, Episcopatus naturam ac vim exponant, similitudinem mutuantur a Sole, qui nullis regionibus suos radios, suamque efficientiam definit; sed perpetua conversione universum orbem ita complectitur, ut cuncta sua luce lustret & compleat.

Neque a consuetudine Apostolicorum temporum abhorret hæc ratio instituendorum Episcopatuum, quorum sedes nulli urbi affixa esset, jurisdictio vero iisdem, quibus integra provincia, regionibus ac terminis contineretur. Ejusmodi Episcopos habuit, opinor, Liguria, Pannonia, Noricum, Dardania, Epirus, & aliæ plures ecclesiæ, quas Petrus vel Paullus fundarunt. Cujus quidem instituti hæc etiam causa afferri potest, quod primis illis temporibus idoneorum virorum tanta copia non suppeteret, quanta opus erat, ut singulis civitatibus singulos Episcopos præponerent; præsertim cum ipsimet Apostolorum Principes multis & doctrina & sanctitate præclaris viris indiguerint, quos in Apostolicis expeditionibus socios & adjutores haberent, & quibuscum amplissimi illius Apostolatus, qui utrique obtigerat, curas & labores partirentur.

Vix Hermes in Dalmatiam trajecerat, omnemque operam vel ad convertendos Ethnicos, vel ad Neophytos confirmandos adhibere cœperat, cum Dalmaticæ ecclesiæ primordiis plurimum attulit splendoris atque utilitatis adventus S. Lucæ Evangelistæ. Is quippe post biennium Romæ cum Paullo in vinculis exactum, eo in Hispaniam abeunte, reversurus in Orientem Dalmatiam peragravit intra finem anni 61., quo itidem anno Hermes in Dalmatiam appulit. De peragratione Dalmatica S. Lucæ vide, quæ diximus in originibus ecclesiæ Dalmaticæ. Cum autem Lucas & Hermes indidem Roma profecti & eodem anno in Dalmatiam venerint, mihi videtur admodum verisimile, utrumque simul profectum esse in Dalmatiam, ipsomet jubente Paullo, qui Lucam Hermi non modo itineris comitem, sed etiam consiliarium & adjutorem dederit, illique præscripserit, ut in Dalmatia tamdiu subsisteret, quoad Hermes ejus opera & consilio sibi opus esse censeret. Nec parvi intererat Hermis Dalmatiam cum titulo & munere Episcopali adeuntis, Lucam sibi adesse, sive ut talis ac tanti viri celebre nomen, ac pervulgatum sibi apud Dalmatas & auctoritatem & gratiam conciliaret; sive ut sibi consilium & auxilium præberet ad suum Episcopatum feliciter auspicandum. Multum siquidem interest, quibus quisq; initiis magistratum ordiatur; nam & facile cuique est partam a principio populi benevolentiam & existimationem tueri; & initia optime posita felicissimi plerumque exitus consequuntur. Tamdiu autem S. Lucas in Dalmatia commoratus est, quamdiu Hermes ejus præsentiam atque operam utilem, aut necessariam esse intellexit. Deinde in alias Illyrici regiones discessit, Græciam adiit, ac demum in Asiam reversus est. Nam a Paullo id mandatum habuerat, ut rebus Dalmaticis compositis, rectoque constitutis, Græciæ & Orientis ecclesias reviseret, ac lustraret, a quibus Paullus jamdiu longe aberat; & tum iter necessarium illi erat in Hispaniam, unde anno 62. exeunte rediit in Orientem.

S. Lucas in Dalmatiam trajecit, & Hermi utilem operam præstitit.

Jam vero in Pontificatu Dalmatico Hermes quam multa & præclara gesserit, cum illius Acta vel vetustate interierint, vel nemo litteris mandaverit, universe & generatim intelligi potest ex illis sane illustribus elogiis, quibus illum Græci afficiunt, quorum quidem alia communia sunt cum ejus martyrii sociis Herodione, Agabo, Rufo, Phlegonte, & Asyncrito; alia vero propria ipsius Hermis, eique uni nominatim attribuuntur. Omnes titulis illis sane magnificis prædicantur, appellanturque *Divini Apostoli verbi*, *luminaria Mundi*, *Magistri Gentium*, nisi quod ibidem singulari quodam excellentiæ ac laudis epitheto unus inter omnes Hermes ornatur: *Prædicamus hodie Agabum, Phlegontem, & inclytum Hermen, & Herodianum, divinos verbi Apostolos, luminaria Mundi, Gentium Magistros*. Omnibus Evangelii toto propemodum orbe propagati laus communis tribuitur: *Hermes, Phlegon, & reliqui ubicumque Gentium Evangelium promulgarunt, multosque ad veram fidem traduxerunt*. Quæ vero nunc subjicimus, ea sunt Hermis nostri propria & singularia: *Mercurium falsi nominis Deum proculcans Hermes, adeptus est gloriam veri Dei*. Hic Græci more suo, ad ejus nomen alludunt; nam Mercurius græce dictus est ἑρμῆς ἀπὸ τῆς, idest ab interpretatione; id quippe muneris Mercurio datum est a Poetis, ut sit Deorum nuncius atque interpres: Græci vero id Hermi dant laudi, quod pro adipiscenda summi ac veri Dei gloria Deum falsum illum quidem, sed suum cognominem, contempserit ac profligaverit; quo in loco, ut suis argutiis viam aperiant, speciem pro genere sumunt, & Mercurii nomine generatim intelligi volunt inanes Deos, quorum simulacra Hermes obtrivit, cultumque abolevit. *Hermes præclarissimus fuit totius Dalmatiæ lux & splendor, in qua tamquam Sol exortus multiplices fudit radios, suamque legationem perficiens, hominum animos e tenebris in lucem transtulit*. Vel hinc conjici potest, qualis & quantus Hermes fuerit; & in hoc elogio brevi illo quidem, sed illustri sane ac magnifico, tamquam in speculo, intueri licet expressam ejus Pontificatus Dalmatici effigiem. Quod enim Sol exoriens terris omnibus præstat, id Hermes universæ Dalmatiæ contulit: Ille siquidem tetra caligine & nocte circumfusis mentibus clarissimum veritatis evangelicæ diem attulit; ille ignorantiæ, superstitionis, errorumq; nebulas discussit; ille innumerabilium hominum multitudinem ab inanibus & impiis Ethnicorum fabulis, Deorumq; futilium cultu ad sanam religionem ac fidem, ideſt a tenebris ad lucem traduxit. Magna profecto hæc sunt, & præclara; vix ut aliquid majus & glorioſius excogitari aut dici possit de sanctissimis quibusque Episcopis, qui ætate Apostolica floruerunt; neque in dubium revocari fas est, quod solemni ac publico totius ecclesiæ Græcæ testimonio confirmatur.

Quæ in Dalmatia Hermes præclare gesserit, ex Menæis intelligi potest.

Verum, inquies, non video, quemadmodum hæc possint cohærere cum illis, quæ scripta invenio in Actis S. Domnii, ubi Petrus Domnium abeuntem in Dalmatiam in hunc modum alloquutus esse dicitur: *Pete littus maris Adriatici, & recto cursu contra Boream vectus, venies in Dalmatiam, quæ per te non post multos annos creditura est*; perinde quasi tota adhuc Dalmatia in tetris tenebris, & caligine versaretur, & nullum Dalmatis ad eam

Ad ea, quæ contra hactenus dicta objici possunt ex Actis S. Domnii,

diem

diem Christianæ fidei lumen affulsisset. Quid igitur? an Hermes toto vel sex, vel septem annorum spatio omnino cessavit? nihilne gentibus illis evangelicæ lucis Titus impertiit? amens profecto sit, non imprudens modo, qui ita sentiat, aut cogitet. Multum sane operæ ac laboris ad ecclesiam illam constituendam uterque contulerat, multi, illis auctoribus atque impulsoribus, Christiana sacra susceperant. Quid plura? suis illi cohortationibus, exemplis, miraculis, ac perpetuis sine intermissione circuitionibus Apostolicis, eo rem

respondetur, & hoc cum illis nonnihil tamen.

Christianam in Dalmatia perduxerant, ut jam ex iis, qui Christo nomen dederant, justæ magnitudinis ecclesia conflata esset, cui certus ac stabilis Episcopus pro dignitate imponi posset, ejusque sedes Pontificia Salonæ, in urbe totius Dalmatiæ principe, constitui. Verum, ut hæc cum Actis S. Domnii concilietur, nulla ea tempestate pars erat Dalmatiæ tam exigua, tam abdita, tam ignobilis, quin frequentissime habitaretur, refertæ incolarum erant urbes, referta oppida, referti vici pagique omnes. Cum igitur plurima esset atque uberrima in Dalmatia messis, & ad eam colligendam, inferendamque, ut ita dicam, in aream ecclesiæ, non modo multorum hominum industriam, sed etiam plurium annorum curas ac labores requireret, ex eo fit, ut quamvis in eam rem multum temporis operæque Titus atque Hermes insumpserint, longe tamen plurimi adhuc colligendi superessent manipuli, sive ut clarius loquar, multo plures erant, qui adhuc a recto salutis tramite aberrabant, quam quos Hermes ac Titus ad ecclesiam aggregaverant. Cum autem ex majori parte unaquæque res denominari spectarique soleat, proprie ac vere dicitur in Actis S. Domnii, *per eum Dalmatia ereditura, quasi dives* tota esset; non quod nulli aut pauci tum essent in Dalmatia, qui rectam in Deum fidem ac religionem profiterentur; sed quia major pars incolarum adhuc avitæ superstitionis, & veteris impiæque consuetudinis vinculis constricta tenebatur.

Altera ad idem argumenti hypothesis.

Præterea sicut ferme omnes Europæ partes, ita etiam Dalmatia Judæorum colonias & Synagogas exceperat. Qui autem ex Pauli disciplina evangelii causa aliquo mittebantur, ii exemplo atque instituto Magistri, majorem curam ac diligentiam in Gentibus, quam in Judæis ad Christum convertendis adhibebant; præsertim si Judæi, ut ferme accidere solebat, Evangelium ante sibi, quam Gentibus, allatum respuissent. Tunc enim illis neglectis, omne studium operamque ad Ethnicorum salutem convertebant, haud ignari, quid Paulus Antiochiæ in Pisidia, quid Corinthi, quid alibi sæpe fecisset; quibus in locis cum repelleretur ab Judæis, pulvere in eos e calceis excusso, palam denunciaverat se ad gentes migraturum, ut his Christi nomen & Evangelium afferret, quod illi obstinatione quadam animi & sententiæ repudiabant. Hermes igitur Pauli consuetudinis, & instituti memor, quamvis non ita Judæos neglexerit, ut nullam partem in eos derivaret curæ & cogitationis suæ; tamen contentiori studio atque industria ad juvandos erudiendosque Ethnicos incubuit, sive quod Judæos Evangelio alienos atque adeo inimicissimos offenderet, sive quod apud illos parum se proficere intelligeret. Hoc nimirum est, quod appellatur a Græcis *Gentium Magister;* huc pertinent, hoc significant *tenebræ* illæ, quas Hermes discussit, e quibus *in lucem* homines transtulit. Id quippe videtur referendum esse ad inanium Deorum cultores crassis undique tenebris circumfusos, quibus vix tenue aliquid divinæ lucis affulserat; non æque convenit in Judæos, quibus veri immortalisque Dei cognitio ad suscipiendum Evangelium facem quodammodo prætulerat, atque adeo ipsa lex, si minus perfectum diem, certe crepusculum aliquod invexerat; quippe quæ rerum futurarum figuram quandam, ac significationem continebat. Nunc vero quid sibi velint verba illa, quibus Petrus Domnium profecturum in Dalmatiam ab se dimisit, paucis exponam.

Cum Petrus Domnio fore prædixit, ut per eum Dalmatia Christianam religionem susciperet, tum ille ad Judæos fortasse spectabat, qui ea tempestate cum alias Dalmatiæ urbes, tum Salonam præsertim frequentissimi incolebant, de Judæorum salute sibi potissimum commissa cogitabat, quibus haud ita multum curæ operæque impenderunt Hermes ac Titus, in conversionem Ethnicorum vel maxime intenti, pro eo ac suscepti ab ipsis Apostolatus ratio postulabat; Judæos denique in primis Domnio commendatos esse volebat; quippe cum intelligeret suas esse, ac suorum Discipulorum partes præcipuas, Judæorum saluti consulere, & omni ope atque opera eniti, ut eos ad Christum adjungerent. Quæ quidem explicatio cum ex ipso Petri officio atque instituto petita sit, nihil ex Actis S. Domnii afferri potest, quod cum iis pugnet, quæ de Sanctis Tito atque Herme hactenus scripsimus; ut nemini proinde dubitari fas sit, quin uterque multa & præclara in Dalmatia gesserit, atque e Dalmatis ad Christum conversis ecclesiam haud sane infrequentem conflaverit, quam Petrus deinde Domnio regendam & Judæorum accessione amplificandam tradidit.

Hermes ante Petri Martyrii Dalmatiæ Pontificatum deposuit.

Dalmaticus Hermis Pontificatus post martyrium Petri & Pauli, quod anno Christi 68. æræ vulgar. 65, vel uno alterove post anno contigit, differri non potest. Constat enim Domnium a B. Petro Dalmatiæ Episcopum præpositum fuisse; idque factum esse anno eodem, quo Petrus pro Christo mortem oppetiit, vel anno proxime superiori, in actis ejusdem S. Domnii ostendemus. Res in hunc modum accidisse potuit. Hermes, postquam certis auctoribus comperiisset Paullum jussu Neronis una cum Petro in carcerem conjectum fuisse, & prope jam adesse, cum illi supremum pro Christo certamen obeundum foret, nullam moram interposuit, (ut sua illum erga Magistrum pietas admonebat,) quin Romam proficisci maturaret, & Paullum in vinculis postremum revisere, eique omnia, quæ fidelem ac bene moratum discipulum decent, benevolentiæ gratique animi ultima officia præstaret: quo quidem tempore & provinciæ administratæ rationem reddidit, & Paullum diligenter edocuit de statu ecclesiæ Dalmaticæ; eo jam loci rem esse affirmans, ut Salonæ in urbe totius gentis primaria, in qua sane multi ex omni civium ordine Christiana sacra susceperant, proprius constitui posset Episcopus, qui universæ Dalmatiæ præsideret. At Paullus, seu quia Hermen in Græciam ad Christianos illos excolendos mittere decreverat, seu quia nullus præter Titum Cretensem jam Episcopum Romæ aderat e suis Discipulis, quem ei muneri ac provinciæ censeret idoneum, sive alias ob causas, cogitationem curamque præficiendi Dalmatis Episcopi ad Petrum rejecit. Is autem Domnium veterem suæ disciplinæ alumnum, cujus doctrinam & sanctitatem, eximiamque in rebus vel gravissimis gerendis prudentiam jamdiu cognitam, & perspectam habebat, in Dalmatiam trajicere jussit, susceptaque illius ecclesiæ administratione, sedem Episcopalem Salonæ fixam ac stabilem collocare. Ita fit, ut Hermes Dalmatico Episcopatu

In ejus locum Domnius a Petro subrogatus.

Digitized by Google

abierit eo anno, qui Apoſtolorum martyrium proxime anteceſſit, quod quidem alii in annum æræ vulgaris 65. alii vero in annos poſteriores conjiciunt, ut ſupra monuimus. De tempore ac modo ſive ſuſcepti, ſive depoſiti ab Herme Pontificatus Dalmatici quæ diximus, haud equidem certa, ſed tantummodo veriſimilia eſſe fateor; verum ubi deſint antiqua monumenta, unde rerum geſtarum ratio ac ſeries repeti queat, nemo opinor hiſtoricis vitio verterit, ſi ut exponant, quemadmodum res fieri potuerint, id excogitent, quod vel ad veritatem, vel ad veriſimilitudinem propius accedat. Cæterum mihi dubium non eſt, quin Pontificatum Hermis inter Titum ac Domnium collocari oporteat. Titus quippe antea Dalmaticæ, quam Cretenſi eccleſiæ præfuit, ut oſtendimus in ejus hiſtoria; Domnius vero haud multo ante, quam Petrus martyrium obiret, creatus eſt Epiſcopus Salonæ, & Dalmatiæ, ut in hujus actis probandum erit. Sequitur ergo, ut inter Pontificatum utriuſq; Hermes interjectus rei Chriſtianæ in Dalmatia procurationem ſuſceperit.

Quonam vero Hermes hujus eccleſiæ regimine amotus abierit, quove ſuas peragrationes curaſque Apoſtolicas converterit, mihi non liquet. Vero ſimile eſt eum Paulli juſſu rediiſſe in Græciam, ubi haud multo poſt vitam ſanctiſſime actam illuſtri nobilitavit martyrio, de quo hic a nobis aliqua dicenda ſunt. Præclari certaminis ſocios Hermi adjungunt Græci Herodionem, Agabum, Rufum, Aſyncritum, Phlegontem. Neque enim ſolum eodem die, qui eſt VI. Id. Aprilis, pro Chriſto mortem obierunt, ſed etiam eodem loco, ut ex Menæis facile intelligi poteſt; nam eorum elogiis hanc clauſulam ſubjiciunt: *Uno ergo die hi ab Judæis & Paganis variis tormentis excruciati, in Domino vivere deſierunt.* Hæc autem clauſula ſive concluſio eam vim habet, ut diem pariter, locumque unum & eumdem omnium martyrio communem fuiſſe ſignificet, nam & cauſa martyrii omnibus communis fuit, ſcilicet Ethnicorum ſimul & Judæorum ſceleratiſſima conſpiratio ad eos de medio tollendos, quam eodem tempore & loco factam eſſe oportet; neque enim veriſimile eſt, nec ſæpe, aut facile videtur accidiſſe, ut eodem prorſus die, locis autem diverſis, Ethnici ac Judæi, inter quos nulla eſt ſocietas & communio, ſed potius ſumma diſſenſio, & diſtractio, ejuſmodi coitiones fecerint, ſic ut alius alibi ab utriuſque gentis unanimi conſpiratione interierit. Certe Græci omnium Martyrium quemadmodum ad diem eumdem adſcribunt, ſic nulla locorum, aut Judaicæ Ethnicæque conjurationis diſtinctione diſcriminant.

Martyrii Hermæ & Sociorum eodem die ac loco.

Cum autem Herodion horum martyrum princeps & coryphæus apud novas Patras, ubi conſtitutus fuerat Epiſcopus ab Apoſtolis, Judæis ſimul & Paganis in ejus necem conſpirantibus pro Chriſto mortem occubuerit, quemadmodum ex Menæis, & Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris ſatis aperte colligitur; inde fit, ut in eadem urbe, & ab iiſdem Chriſtiani nominis hoſtibus, & eamdem ob cauſam reliqui etiam interfecti fuerint. Patræ autem urbs eſt Achajæ propriæ in Peloponneſo. Ortelius quidem in Theſauro *has Patras* a ſcriptoribus Conſtantinopolitanis *Veteres* cognominari ait; ſed civitas eadem utrumque cognomen pro temporum ac rerum viciſſitudine ſuſtinere poteſt; ſæpe enim accidit, ut & exciſa, & reſtituta fuerit; ex quo fit, ut eadem ante excidium *Vetus*, poſt reſtitutionem *Nova* rite appelletur. Quare ex varietate hujus cognominis effici nequit duas fuiſſe Patras, & alteras ab alteris diſtingui. Cæterum

Nempe apud novas Patras in Achaja.

Unde dicta Veteres & Novæ Patræ.

Laconicus apud Ortelium urbem Phthiotidis ad radices montium Larenſium circa Thermopylas appellavit Patras novas. Sed dubitat Ortelius, an Patræ *veteres* aliæ ſint ab *novis* illis, quarum meminerunt Gregoras & Nicetas. Patræ igitur, frequens olim & opulenta Achajæ, ſive Phthiotidis civitas, ut Herodioni & ceteris, ſic etiam Hermi noſtro pulcherrimum campum, quaſiq; palæſtram præbuerunt, in qua pro Chriſti nomine, ac religione, uſque ad extremum ſpiritum decertaret. Hanc ille arenam ſuo ſanguine imbuit; in hac urbe admirabilis fidei, fortitudinis, & conſtantiæ, virtutumque omnium poſtremæ veſtigia impreſſit; hinc, glorioſo certamine perfunctus, relataque ex duplici hoſte victoria ad ſuperos evolavit. Clarum enim in primis ac nobile ejus martyrium fuit, ſive ex hoſtium rabie ac furore, ſive ex acerbitate ſuppliciorum, viri ſanctiſſimi conſtantiam, animique magnitudinem ſpectes. Hermes quippe cum ſociis utriuſque illius factionis odium atque impetum excepit, ex Judæis & Paganis conflatæ, quæ infeſtis animis, ac viribus in unum collatis, ad Chriſtianum nomen in ea urbe opprimendum prorſuſque extinguendum conſpiraverat: ex horum autem immani atque inſatiabili adverſus Chriſtianos odio intelligi poteſt, quæ & quanta in eum ac ſocios crudelitatis exempla ediderint. Multiplices & acerbiſſimas pœnas Herodioni Patrarum Epiſcopo inflictas nominatim omnes in ſuis Menæis Græci perſequuntur: *Impetu enim in illum facto una cum Idololatris, primum crudeliter illum diverberarunt, & os ejus lapidibus contuderunt, deinde in equuleo ab eiſdem a capite ſuſpenſus, poſtremo ferro trajectus occubuit.* Haud diſſimili & genere & numero ſuppliciorum Hermen & reliquos excruciatos fuiſſe credibile eſt; quamvis Græci ex omnibus, quos pertulerunt, cruciatibus nullum peculiare commemorent; ſed ſolum generatim *variis affectos ſuppliciis mortem in Domino* objiſſe tradunt. Ac de martyrio Hermis nihil aliud ſubjiciunt, niſi eum *plurimas injurias paſſum obtinuiſſe gloriam magni Dei.*

Tempus & occaſio ſubeundi martyrii per conjecturam explicatur.

Hactenus de loco ac genere martyrii, nunc tempus & occaſio ejuſdem martyrii obeundi per conjecturas inquirenda eſt, quando nulla ratio, nulla via nobis aliunde ſe præbet, quæ ad utrumque inveſtigandum certoque inveniendum ferat. Herodionem translatum ex eccleſia Tarſenſi, ſi fides habenda ſit Hippolyto, qui eum Tarſi Epiſcopum fuiſſe ſcripſit, eccleſiæ Patrarum communi conſenſu præfecerant Apoſtoli, ideſt Petrus & Paullus, ut docent Menæa, & Menologium Baſilianum. Hi vero cum Romæ eſſent juſſu Neronis in carcerem conjecti, per litteras vel nuncios acceperant eccleſiam Patrenſem, Judæis atque Ethnicis eam acerrime oppugnantibus, maximo in diſcrimine verſari. Quando igitur per ſe ipſi nihil opis afferre poterant, certe quod proximum fuit, minime ſibi negligendum putarunt. Itaque Paullus de Petri conſilio Hermen ſuum diſcipulum nuper Dalmatico Epiſcopatu perfunctum juſſit in Græciam trajicere, & Patras quam celerrime poſſet feſtinare, ut Epiſcopo, illique eccleſiæ laboranti in tempore ſuppetias ferret. Atque hinc Hermi ad martyrium ſubeundum via & occaſio patuit. Eadem cauſa Patras e propinquis urbibus excivit duos illos Græciæ Epiſcopos Rufum Thebarum, & Phlegontem Marathoniorum, qui pro eo, ac ſua illos in proximos charitas urgebat, nullam moram interponendam putarunt, quin ſtatim ad Chriſtianos illos ſolandos & confirmandos, eccleſiamque collabentem ſuſtinendam accurrerent. At quam cauſam fuiſſe dicam, quæ Aſyncritum inde uſque ab Hircania, ubi

erat

erat Episcopus, per id temporis in Græciam compulerit? nulla sane mihi occurrit; nisi forte, (quod sæpe temporibus illis accidere solebat,) per vim ac tumultum populi, aut etiam Magistratus decreto, ecclesia sua expulsus, cum alias ex aliis regiones Evangelium disseminando peragraret, in Græciam venerit, ac Deo impellente, Patras se contulerit, ut ipse quoque Christianis illis afflictis ac vexatis solatio esset ac præsidio. Ad Agabum vero quod attinet, ego sic existimo hunc, quem Græci VI. Idus Aprilis colunt, longe diversum esse ab illo Agabo Propheta, cujus sit semel atque iterum mentio sane honorifica in Actis Apostolorum; quamvis Græci unum eumdemque esse censeant, ut videtur, quippequi Agabum Patrensem Martyrem vocant *Prophetam Apostolicum*. Sed Latini Martyrologi mortem Agabi Prophetæ non diei octavæ Aprilis, sed diei 13. Februarii, non Patris, sed Antiochiæ adscribunt. Neque huic, ut Prophetæ, sic Martyris titulum decusque attribuunt; quinimmo Petrus Equilinus lib. 3. cap. 118. itemque Canisius in Martyr. Germanico eum Antiochiæ *in pace* quievisse affirmant. Itaque & die, & loco, & genere mortis Agabus is ab Agabo Propheta distinguitur. Cum autem apud probatos auctores Agabum martyrem Patrensem Episcopi titulo decoratum non inveniam, haud vero absimile est, eum fuisse vel Presbyterum, vel Diaconum, quem ad regendam illam ecclesiam Herodioni adjutorem Apostoli dederint, vel ipsemet Herodion Episcopalis procurationis administrum sibi adsciverit. Hæc si vera sunt, quæ mihi conjectanti a verisimilitudine abhorrere non videntur, Hermis ac sociorum martyrium in eum annum, quem Petrus & Paullus suo martyrio nobilitarunt, vel certe in proximum conjici potest, paucis scilicet diebus, aut mensibus elapsis, postquam Hermes jussu Paulli Patras advenerat. Cæterum rectene, an secus conjecerim, aliorum velim esse judicium; rem omnem non ita fortassis, uti accidit, sed tamen ut accidere potuit, paucis exposui. Utut hæc se habuerint, nulli quidem certe dubitationi subest martyrium Hermis, cui ecclesia Græca præclaræ mortis pro defensione Evangelii exceptæ illustre testimonium tribuit. Itaque post ecclesiam Dalmaticam mirifice auctam, atque optime constitutam, illud etiam Hermes ad cumulum sanctitatis & gloriæ adjecit, ut pro Christo vitam profunderet; & religionem, quam verbis, exemplis, & miraculis propagaverat, suo ipsemet sanguine confirmaret.

Agabus martyr Patrensis diversus ab Agabo Propheta.

Martyrii Hermis cui anno collocari possit.

Exstitit autem hoc loco quæstio admodum difficilis, utri adjudicari oporteat libellum magnæ apud veteres auctoritatis, qui *Pastor* inscribitur. Hermine Dalmatiæ Episcopo, an Hermæ, quem Dorotheus, & Hippolytus Philippensium Episcopum fuisse tradunt, quemque Paullus in suis ad Romanos litteris ante *Patrobam*, & *Hermen* salutari jubet. Hujus Auctorem aliqui Hermem, plerique Hermam appellant; sed ejus nominis scribendi ratio paullulum diversa, non est satis causæ, cur alteruter alteri præferri debeat; nec vero idcirco *Hermes* noster ab hujus libri possessione depelli potest, quod illum *Hermæ* Veteres plerumque attribuerint. Cum enim inter hæc duo vocabula tanta similitudo atque affinitas intercedat, ut facillime ex uno in aliud fiat commutatio, sæpe accidit, ut Hermes in Hermam migret, atque in Hermen vicissim Hermas convertatur.

Liber Pastoris magnam apud veteres auctoritatis Hermine, an Hermæ scribendus?

Extat liber Pastoris e Græco in Latinum conversus, tum in Bibliotheca SS. Patrum, itemque apud Cotelerium inter opera Veterum Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt; tum separatim editus Parisiis, curante Fabro, apud Henricum Stephanum anno 1513. & Argentorati per Nicolaum Herbelium anno 1522. ac demum cura operaque Gasparis Barthii Cygneæ in Misnia anno 1655. in lucem prodiit. Ex partibus omnino tribus constat; prima quatuor visiones, secunda duodecim mandata, tertia decem similitudines complectitur. Quod autem Angelus *nuncius & Præpositus pœnitentiæ*, quam Hermas pro suis delictis obire, & cæteros ad eamdem subeundam hortari debebat, pastorali habitu atque vestitu ei se spectandum, ad eumque de præceptis vitæ ac pœnitentiæ Christianæ, aliisque mysticis doctrinis erudiendum obtulerit, idcirco huic libro *Pastoris* titulus inditus est. Quanti porro olim fieret, quove in honore & pretio apud veteres ejusmodi opusculum fuerit, ex eo intelligi potest, quod Patres antiqui illud in suis lucubrationibus sæpe laudaverint, atque indidem sive ad refellendos hæreticos, sive ad Christianam fidem ac disciplinam confirmandam multa testimonia protulerint; ut mihi quidem secundum libros Canonicos, vix pauci alii nominari posse videantur, qui libellum Hermæ & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superaverint: *quæ Scriptura*, ait Origenes in Epist. ad Roman. *mihi utilis videtur, & divinitus inspirata*. Quamvis autem multarum Græciæ ecclesiarum moris esset, ut ad institutionem populi Christiani statis diebus publice is liber legeretur, quemadmodum Hieronymus de Script. Eccl. & Euseb. lib. 3. Hist. c. 3. testantur; nemo tamen hoc illi tribuit, ut eum inter divinas Scripturas referendum esse censuerit. Neque enim si Rufinus Symb. p. 553. Pastoris librum eo loco ac numero haberi voluit, quem suis temporibus obtinebant libri Tobiæ, Judith & Machabæorum &c. continuo illum in Canonem Sacrarum litterarum adscripsisse putandus est; nam ii codices nondum ab ecclesia, & Conciliis œcumenicis in Canonem divinorum librorum recepti fuerant. Cæterum ex hoc libro testimonia proferunt ad confirmationem dogmatum Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Origenes Homil. 8. in Numeros, & Homil. 10. in Josue, & Homil. 36. in Lucam, & lib. 1. & 2. & 4. περὶ ἀρχῶν; Athanasius lib. de Incarnatione, Irenæus lib. adversus Hæreses cap. 37. & alii Patres Græci; nam Latinis fere ignotus fuit: *Revera utilis liber*, ait Hieronymus, *multique de eo Scriptorum veterum usurparunt testimonia; sed apud Latinos pene ignotus est*.

tres in partes distributus.

& a veteribus sæpe laudatus.

Liber Pastoris sæpius excusus.

Cæterum non defuere ex antiquis Scriptoribus, qui hunc librum nihili faciendum censerent, atque etiam, ut ait Origenes, contemnerent. Possem equidem hujusmodi reprehensiones ac censuras in alterum ejusdem nominis ac tituli librum rejicere, quo Judæus quidam, ut Salmeron Disput. XII. in cap. 16. Ep. ad Rom. docet, Leges & Acta Moysis complexus, multa non minus impia, quam inepta adversus Christianam religionem inseruit. Sed non est necesse alium quemdam Pastorem ab nostro prorsus diversum, & manifestis erroribus convictum supponere, seu potius objicere veterum illorum sententiis ac censuris, ut is videlicet sui nominis oppositu nomen Hermæ & auctoritatem protegat, & vulnera, quæ nostro Pastori ajunt inflicta, excipiat ipse, omnemque ab illo suspicionem atque invidiam in se avertat. Propius fortasse vero est, illum ipsum Pastorem, de quo nunc agimus, hæreticorum corruptelis depravatum esse, & ob eam causam apud aliquos infamia etiam, non solum contemptu laborare. Sed Nicolaus le Nourry Presbyter & Monachus Benedictinus e Congregatione S. Mauri in Appar. ad Biblioth. Max. Dis-

vindicatur a censura.

ſcit. IV. hunc, qui adhuc extat, Paſtoris librum, verum eſſe contendit ac genuinum Hermæ fœtum, purum intactumque ab omni Hæreticorum contagione, eumdemque ab omni falſitatis & hæreſeos ſuſpicione egregie vindicat. Neque ab eo diſſentit Tillemontius; argumento eſſe ajunt, quod eadem omnino loca, quæ Patres antiqui ex libro Paſtoris prolata in ſuis ſcriptis laudant, reperiuntur in hoc ipſo, qui nunc extat, Hermæ opuſculo. Quid igitur eſt, quod Hieronymus, qui cap. 21. de Script. Eccl. librum Paſtoris perutilem eſſe, ac dignum, qui apud aliquas Græciæ eccleſias publice legeretur, diſerte affirmat; idem Cap. 1. in Habac. locum quemdam ex eo adductum, ſtultitiæ & falſitatis accuſat? Quid eſt, quod Proſper Collatori Hermæ auctoritatem objicienti, reſpondet Hermæ teſtimonium nihili eſſe? Quid eſt denique, quod Gelaſius Pontifex ſcriptis apocryphis hunc etiam librum annumeravit? Illis, qui hæc objiciunt, in promptu eſt, quod reſpondeam. Hieronymus & Proſper non univerſum opus, ſed peculiarem quemdam hujus operis locum hic rejecit, ille acriori cenſura conflixit. Quod autem aliquid in uno libro videatur aliquibus minus vere, aut parum caute ſcriptum, id vero totius operis auctoritati nihil plane officit. Cæterum Hieronymus, qui poſt ſuos in Habacuc commentarios contexuit catalogum virorum illuſtrium, in hoc quanti eum librum faceret cum ſatis oſtenderit, viſus eſt reprobare & corrigere voluiſſe, ſi quid durius & aſperius in eum antea ſcripſerat. Nec deſunt, qui eum Paſtoris locum, quem Hieronymus reprehendit, vitiatum fuiſſe docent. Gelaſius autem nihil gravius in hunc ſtatuit, quam in alios multos Scriptores haud ſane ignobiles, quos cum apocryphos eſſe declaravit, non illis quidem privatam, ſed publicam fidem & auctoritatem ademit, ſic prorſus, ut neque publice in poſterum legi, neque certa ex illis fidei ac morum regula peti poſſet. Ad hanc normam decreti Gelaſiani ſunt interpretandi Proſper, aliique veteſtiores Patres, quos tacito nomine memorat Origenes. Hi ſiquidem Paſtorem merito rejiciunt, cum pugnant adverſus illos, qui hujus libri teſtimonia ſic obtrudere volebant, tamquam ſi deprompta eſſent e Canonicis ac divinis Scripturis, quibus refragari nemo auſit. Quod autem Tertullianus in libro de Pudicitia Paſtorem omnino reſpuat ac reprobet, graviſſimiſque notis inurat, id vero ad commendationem hujus operis vel plurimum addit. Cum enim Tertullianus jampridem non minus a ſeipſo, quam a ſana & catholica doctrina deſciviſſet, non poterat non improbare, quod ſibi, ſuæque ſententiæ aperte adverſari videbat. Hermas ſiquidem ſcripſerat, ne adulteros quidem ab eccleſiæ communione arceri oportere, modo ſui eos flagitii pœniteret; contra Tertullianus omnem ad pœnitentiam & eccleſiam aditum adulteris obſtruxerat, omnemque illis ſpem ſalutis ademerat; hinc irridens, & ſtomachans, illud in Paſtorem convicium jecit: *Scriptura Paſtoris ſola mœchos amat*.

Jam vero ad rem, controverſiamque propoſitam, ut veniamus; ſi conſtaret hujus opuſculi auctorem fuiſſe Hermen Dalmatiæ Epiſcopum, multum illi ad nominis ac famæ celebritatem vel hinc accederet; ſed nulla argumenta ſatis idonea, quibus id probetur, uſquam invenio. Cæterum ſi omiſſis auctoritatibus, juniorum præſertim ſcriptorum, qui hunc librum Hermæ Philippenſium Epiſcopo adjudicant, ipſa re & ratione veritas exquirenda ſit; quicquid argumenti vel conjecturæ afferri queat, quod huic Hermæ favere videatur, id non eſt tam efficax & firmum, quin eludi & labefactari poſſit. Ac primum quidem hunc librum in Italia atque adeo Romæ compoſitum & Græce ſcriptum fuiſſe intelligi poteſt, tum ex prima viſione, quæ apud Tiberim, tum ex alia, quæ ruri prope viam Campaniæ Auctori oblata fuit. Verum non minus Hermes noſter, quam alter Hermas Romæ, & in Italia aliquamdiu commoratus eſt, ut conſtat ex epiſtola Paullina ad Romanos, in qua uterque ſalutari jubetur. Quiſquis librum illum ſcripſerit, is haud levia quædam crimina, & non brevi expiatione digna in ſe admiſerat, ob quæ ab Angelo pœnitentiam ſubire juſſus, ſuis debitas peccatis, meritaſque pœnas ſuſcepit. Nondum autem pœnitentia perfunctus erat, cum Paullus anno Chriſti 57. vel 58. ad Romanos ſcripſit; cujus rei auctorem ac teſtem habeo Origenem in Com. ad Ep. ad Rom. qui docet id cauſæ fuiſſe, cur nulla omnino laude Hermam afficiat, quod nondum Deo pro ſuis delictis ſatisfeciſſet, impoſitæque ab Angelo expiationi adhuc ſubeſſet: *Quod vero Paullus nihil ei laudis adſcripſit, illa, opinor, eſt cauſa, quia videtur poſt multa peccata, ſicut Scriptura illa declarat, ad pœnitentiam fuiſſe converſus; & ideo nec opprobrium ei aliquod adſcripſit, neque laudis aliquid tribuit; didicerat enim Scripturam non improperare homini converſenti ſe a peccatis, neque laudis aliquid tribuit, quia adhuc poſitus erat ſub Angelo Pœnitentiæ, a quo, tempore opportuno, Chriſto deberet offerri*. Non quæro, utrum Origenes cauſam attulerit ſatis probabilem, cur Paullus nihil laudis Hermæ tribuerit; quæ quidem cauſa ſi valeret, multos quoque alios in eamdem & noxæ & pœnitentiæ ſocietatem includeret, quos Paullus in epiſtola illa & nominavit, & nulla ſingulari laudatione impertivit. Modo conſtet erratum Hermæ nondum, qua opus fuerat, expiatione delectum, id mihi ad rem propoſitam ſatis eſt; an inde congruens ratio peti poſſit, cur Paullus nullo præconio Hermam ornavit, ille viderit, qui hæc ſcripſit. At vero ab Herme noſtro Dalmatiæ Epiſcopo non ſolum culpam omnem, ſed etiam culpæ ſuſpicionem abfuiſſe par eſt. An enim Paullus anno 61. Tito ſingularis illibataque innocentiæ viro in Epiſcopatum Dalmatiæ hominem ſubrogaret multiplicis criminis reum, quod nondum, vel certe non multo ante, juſta meritaque expiatione eluerat; & qui Neophytos ideſt recenter ad Chriſtum converſos ſacris ordinibus initiari vetuit, is ad faſtigium Epiſcopale promoveret, regendiſque populis illum præficeret, qui multis & gravibus criminibus obnoxius cum fuiſſet, non ita pridem ad bonam frugem ſe receperat, vitamque Chriſtiano homine dignam inſtituerat? Quæ ſi quis adduci poſſit ut credat, is mihi videtur injuriam Paullo inferre, quod de illius prudentia & circumſpectione in deligendis Epiſcopis male ſentiat; niſi forte ignorat, quanti rei Chriſtianæ intereſſit, Epiſcopos & omni culpa vacare, & ab omni culpæ ſuſpicione longiſſime abeſſe; & præterea tales eſſe debere, quales ipſemet Paullus deſcribit in ſuis ad Timotheum ac Titum epiſtolis, omni laude cumulatos, quorum vita, fides, integritas, prudentia jamdudum perſpecta ſit in multis & graviſſimis rebus, atque in omnium virtutum genere diu multumque verſata. Præterea cum Hermes noſter jam inde ab an. æt. 21. in Chriſti diſciplinam ſe tradiderit, ac deinde tum Apoſtolorum, ac Pauli præſertim præceptis atque exemplis excultus, tum præcipue Divini Spiritus in eum illapſi eximiis donis ornatus, magnos in ſanctitate progreſſus feciſſet, non eſt veriſimile, ut poſtea in ea peccata lapſus fuerit, ad quorum expiationem, ſane

Quæ eadem veteres alii qui videntur inſtituiſſe.

Argumenta, quæ pro Hermæ Philippenſium Epiſcopo afferri queant, facile eludi poſſunt.

Argumentum prius pro Hermæ.

ſane diuturna aſperaque pœnitentia indigeret; nec vero crediderim, eum adhuc uxorem & filios habuiſſe, quibuſcum viveret; quique illi occaſio aliqua peccandi officiique deſerendi extiterint: quæ quidem omnia de ſe ipſe commemorat, qui Paſtoris librum compoſuit. Quare Auctor hujus libri, cum ea narret de ſe, ac fateatur, quæ nullo modo in Hermen noſtrum convenire queant, huic quidem quemadmodum & criminum admiſſorum, & ſuſceptæ ob eam cauſam pœnitentiæ notam adimit, ſic etiam conſcripti hujus libelli gloriam præripit; eamque vendicat ſibi alter Hermas Philippenſium, ut Dorotheus ſcripſit, Epiſcopus, qui fortaſſe poſt lapſum, uxore dimiſſa, multis laboribus atque ærumnis religionis cauſa ſuſceptis, editiſque omnigenarum virtutum præclariſſimis exemplis, Epiſcopali nomine atque ordine dignum tandem ſe præbuerit. Sed hoc argumentum, ex quo videtur effici Hermen noſtrum non fuiſſe Auctorem Paſtoris, nullo negotio eludi infringique poteſt, ſi dicamus eum ſibi perſonam induiſſe Chriſtiani hominis variis peccatis obſtricti, ſuaque ſcelera ſevera admodum animadverſione ulciſcentis; ut ſcilicet iis, qui deliquerunt, Chriſtianam pœnitendi rationem præſcriberet, coſque ad pœnas Deo pro commiſſis flagitiis perſolvendas excitaret. Nec deſunt Interpretes, qui in hanc ſententiam cenſent accipi oportere illa verba Paulli ſcribentis ad Romanos: *Quod operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, ago;* ajunt quippe Apoſtolum non de ſeipſo loqui, ſed naturæ depravatæ mores, a virtute averſos, ad vitium proclives ea dicendi forma deſcribere. Quid quod hanc ipſam interpretationem adhibuit Nicolaus le Nourry, ut ſanctitatem hujus Scriptoris, quicumque tandem fuerit, ab omni labe ſartam tectam tueretur? *Verum*, inquit in Appar. ad Biblioth. Maxim. Diſſert. IV. *contra tantam hujus viri ſanctitatem ea dubitationem ſcrupulumque injiciunt, quæ de ſemetipſo paſſim in ſuo libro prædicat; ſe patrem familias fuiſſe, qui nimia in uxorem & filios indulgentia, peccatis eorum non obſtiterit, ſeque ipſum multa magnaque peccaſſe, nec fere unquam ad veritatem locutum. Reſponderi tamen poteſt, Hermam non in ſua, ſed in aliorum perſona, hæc omnia dixiſſe; ut illo ſcribendi genere omnes ad agendam peccatorum ſuorum pœnitentiam facilius excitaret, eiſque oſtenderet, quanta a Chriſtianis vitæ morumque ſanctitas deſideretur.* Quæ igitur is Auctor crimina ſibi affingit, cum ea neque ſanctitati, neque Epiſcopatui noſtri Hermis officiant, nihil eſt, cur ob hanc cauſam liber Paſtoris ab illo abjudicari debeat.

Ad propoſitum argumentum reſponſio.

Alterum argumentum, quo ex ejuſdem libri poſſeſſione noſter Hermes dejici poſſet, ducitur ex tempore, quo idem liber compoſitus, vel certe abſolutus fuit. Eſt enim locus quidem animadverſione dignus, ubi Auctor jubetur duo exemplaria deſcribere, quorum alterum Graptæ, alterum Clementi traderet, deinde Clementem admoneat, ut traditum ſibi exemplar ad omnes eccleſias perferendum curet. Hunc locum Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν, ſeu de principiis, hoc modo refert: *Et ſcribes duos libellos, & dabis unum Clementi, & unum Graptæ. Et Grapte quidem commoneat viduas & orphanos, Clemens vero mittat per omnes civitates, quæ foris ſunt; tu vero annunciabis Presbyteris eccleſiæ.* Quo ex loco perſpici poteſt hunc librum eo tempore in lucem editum fuiſſe, cum Clemens univerſam eccleſiam regebat. Quorſum enim moneat Clementem, ut hunc librum per omnes eccleſias divulgari jubeat, niſi ad eum omnium eccleſiarum regimen, & cura pertineat? niſi is auctoritate ſua poſſit efficere, ut ab omnibus eccleſiis libellus ille recipiatur? Hermes autem Dalmatiæ Epiſcopus aliquot annis ante Clementem Romanum Pontificem ex hac vita migravit, ſi vera ſunt, quæ de tempore illius martyrii ſupra diximus. Sed nos nihil affirmando, ſed tantum conjectando, Hermis martyrium ante annum ſeptuageſimum conſtitui poſſe diximus; cæterum nihil prohibet necem eidem ac ſociis pro Chriſto illatam, uſque ad Pontificatum Clementis, ultraque differri. Quamquam non eſt neceſſe martyrium Hermis ab eo, quem conſtituimus, anno dimovere, ſi Clemens aut Vicarius Petri fuerit, ut cenſet Papebrochius, & Petri ſucceſſor deſignatus, ut Epiphanius aliique tradunt: poterat enim Clemens ejus nomine & auctoritate, cujus vices gerebat, publicam Paſtoris lectionem eccleſiis imperare. Quamobrem ex tempore hujus libelli conſcripti argumentum ſatis efficax ad hanc controverſiam dirimendam deſumi non poteſt.

Reſponſio

Argumentum ſecundum pro eodem Hermæ.

Verum enim vero, inquies, ſi res ſcriptorum teſtimoniis dijudicanda ſit, veterum & præſertim juniorum Scriptorum auctoritas ſtare videtur ab Hermæ Epiſcopo Philippenſium. Nam veteres quidem Auctorem Paſtoris non Hermen, ſed Hermam fere ſemper appellant. At vero cum etiam Hermes noſter dictus ſit, riteque dici poſſit Hermas, neque Patres explicent, utrum intelligant, illumne, qui primo, an illum, qui poſteriore loco nominatus eſt ab Apoſtolo, ex antiquorum teſtimoniis nihil præjudicati vel pro uno, vel contra alterutrum afferri poteſt. Si vero, qui contra ſentiunt, vim nominis urgere pergant, & contendere, non alium a Patribus, niſi quem Paullus Hermam vocat, Paſtoris auctorem fieri, & in eo ſequi voluiſſe exemplum Apoſtoli, ut Hermam ab Herme poſtremæ ſyllabæ variatione diſtinguerent, his nos ita reſponſum volumus, aliquos ex antiquis, non ex certa ſcientia, ſed opinione quadam & conjectura ductos ſcripſiſſe videri ſibi eum librum ab Herma compoſitum eſſe. Nam Origenes id putare quidem ſe ait, ſed affirmare non audet: *Puto, quod Hermas iſte ſit Scriptor libelli illius, qui Paſtor appellatur.* Hieronymus ex aliorum opinione illud opuſculum Hermæ attribuit, quid ſuæ ſententiæ ſit, nuſquam oſtendit: *aſſerunt auctorem hunc eſſe libri, qui appellatur Paſtor.*

Neque ex antiquis Scriptoribus argumentum ſatis firmum pro Hermæ famine.

At juniores Hiſtorici & Interpretes Sacrarum litterarum, veluti Baronius in Notis ad Rom. Martyr. & Tom. 2. an. 159. Annal. Cornelius a Lapide in eum epiſtolæ ad Rom. locum, aliique plures haud ambigue ſuam ſententiam explicant, & Hermam eum, quem Paullus proxime ante Patrobam & Hermen nominavit, affirmant auctorem eſſe hujus libelli. Sed ſuæ ſententiæ cum nullam rationem ſubjiciant, ſane non video, cur horum ſine ratione auctoritas tanti nobis eſſe debeat, ut propter hanc tantummodo in hac controverſia Hermen noſtrum cauſa cecidiſſe exiſtimemus. Multo cautius & ſapientius Alphonſus Salmeron in re dubia atque obſcura alienam credulitatem, quam ſuam ſententiam interponere maluit: *Hic Hermas primo loco nominatus*, inquit, *creditur auctor trium illorum librorum, prioris, qui inſcribitur Eccleſia, alterius, qui prænotatur Paſtor, tertii etiam libri, qui decem ſimilitudines continet ..... conſuetudo tamen habet, ut omnia opera ejus nomine Paſtoris veniant.* Diſput. XII. in cap. 16. Epiſt. ad Rom. Ego equidem, ut quod ſentio, ingenue fatear, Paſtoris librum alterius Hermæ, quam Hermis noſtri eſſe veriſimilius dixerim; cæterum nulla eſt ratio, nulla eſt auctoritas ſatis gravis & firma, ex qua certo effici, & concludi queat, Hermen noſtrum nullo

Hermæ favent junio-res.

prorſus modo dici haberique poſſe Auctorem ejus Opuſculi, quod Veteres & plurimi facere, & non ſine laude nominare, ejuſque teſtimoniis uti ſolebant. Quare inter cætera vetuſtate incomperta, hoc quoque in incerto relinquendum arbitror.

Rejudicata relinquitur.

Extitit alter libellus ejuſdem nominis ac tituli, quem libri Pontificales attribuunt Hermi, ſive Hermeti fratri, ut ajunt, S. Pii Romani Pontificis. In eo Auctor refert ac narrat ſe divinitus admonitum, itemque alios admonere juſſum, ut Paſcha impoſterum ubiq; die Dominico celebraretur. Cum vero hujuſmodi mandatum ab Angelo accepiſſet, qui ſibi Paſtoris figuram atque habitum induerat, propterea huic etiam libro Paſtoris titulus inditus fuit. Idem Auctoris nomen, idem titulus huic, & ſuperiori, de quo jam multa diximus, libello præpoſitus, aliquos ſcriptores graves in primis ac nobiles in eum errorem induxit, ut nihil omnino inter librum & Auctorem utrumque intereſſe putaverint; alios vero iis laqueis ac difficultatibus implicuit, ut quemadmodum ſe expedirent, non invenerint. Cæterum vel ipſa argumenti ac temporis ratio longe diverſa, ſui eos erroris admonere, & nodos omnes diſſolvere poterat. Eſt igitur duplex diſcrimen, unde veteris ab juniore Paſtore diſtinctio peti poſſit; nam primum diſſimile huic, atque illi ſubeſt argumentum; deinde multorum annorum intervallo alter ab altero disjungitur. Hermas ſive Hermes Paulli diſcipulus librum ſuum tres in partes diſtribuit; prima ad eccleſiæ eruditionem quatuor viſiones continet; altera duodecim mandata ad vitam ac pœnitentiam Chriſtianam rite inſtituendam complectitur; tertia demum ſimilitudines decem alias alio ſpectantes comprehendit; hinc fit, ut pro numero partium triplicem appellationem apud aliquos ſubierit: pars 1. *Eccleſia*, 2. *Paſtor*, 3. *de ſimilitudinibus* inſcribitur, quamquam ex veteri communique inſtituto liber totus, nulla partium ratione habita, *Paſtoris* titulo ſubjicitur. Quid autem ſibi velint, & quorſum ſpectent alii duo tituli, quos apud Rufinum in Expoſit. Symb. huic libro præfixos invenies, nimirum *duæ viæ*, vel *Judicium Petri*, plane non intelligo. Contra vero Hermes Aquilejenſis frater Pii, unum ſibi, in quo verſaretur, argumentum propoſitum habuit, & in eo totus eſt, ut ſuadeat non alio, niſi dominico die Paſcha celebrari oportere. In hanc ſententiam unicum ſcripſit mandatum ab Angelo acceptum, quod nulla partium diſtributione diſtinctum paucis pagellis facile contineri poterat; ſed is libellus vetuſtate ſic prorſus evanuit, ut ne fragmentum quidem apud Auctores invenire liceat. Celebris olim fuit, & plures annos exercuit, ac ſollicitam habuit eccleſiam de Paſchali die controverſia, quæ ſæculo ſecundo exeunte cum acrius exarſiſſet, parum abfuit, quin multas eccleſias Orientis ab eccleſiæ Romanæ communione diſtraheret, atque in apertum ſchiſma conjiceret. Orientales enim ac præſertim Aſiani arcte illud tenebant, & ſumma contentione defendebant, decima quarta luna, Judæorum more, agendum eſſe ſolemnem Paſchatis diem; quod quidem inſtitutum Joanni Apoſtolo acceptum referebant, unde ad ſe derivatum eſſe, quaſique per manus traditum vulgo dictitabant. Contra vero Occidentales negabant Chriſtianis quidquam eſſe debere in hac re cum Judæis commune; alias his atque illis celebrandi Paſchatis cauſas eſſe; eum ipſum diem omnium ſanctiſſimum ac celeberrimum apud Chriſtianos habendum eſſe, ejuſque memoriam ſolemni ritu ac religione colendam, quem ipſemet Chriſtus ſuo ab inferis reditu conſecraverat: hanc normam, hanc regulam, hanc præſcriptionem eſſe ab ipſis Apoſtolorum principibus Petro & Paullo eccleſiæ Romanæ traditam, a qua qui recederent, ut Judæorum conſuetudinem ſequerentur, eos enimvero nomine Chriſtiano parum dignos videri. Itaque anno 159. Pius Pontifex de Paſchate celebrando die dominica decretum condidit, ſalva tamen pace & communione utriuſque Orientalis & Occidentalis eccleſiæ; quam multis poſt annis, altero in eamdem ſententiam decreto per Victorem Papam edito, pervicacia quorumdam Orientalium propemodum diremit. Per idem tempus, ut divinum quoque ſuffragium ad confirmandam eccleſiæ Occidentalis conſuetudinem accederet, juſſus eſt Hermes ab Angelo mandatum conſcribere, quo gravibus idoneiſque rationibus oſtendit ac declaravit, non recte eos facere, qui Paſchale feſtum ab eo die dimoverent, quo Chriſtus ſe ipſe a mortuis excitaverat, neque alium diem, niſi Dominicum, ad colendam quotannis celebrandamque Chriſti ad vitam immortalem beatamque redeuntis memoriam conſecrari obſervarique oportere. Ferunt Pio & Hermi alium fratrem fuiſſe, cui nomen erat Paſtori, a quo veriſimilius, quam ab Angelo Paſtoris ſpeciem ac ſimilitudinem gerenti, Hermes ſuo libello titulum impoſuit; nam fratri fortaſſe id opuſculum dedicavit, ejuſque nomine inſcripſit. Ab hoc eodem Paſtore Pii & Hermis fratre, Actis S. Praxedis, ejuſque fratrum Novati ac Timothei, quæ ille deſcripſerat, itemque ſacræ ædiculæ, quam in thermis Novati Pius dedicavit, titulum *Paſtoris* obveniſſe Baronius docet. Hæc junioris Paſtoris ſcribendi occaſio fuit, hoc argumentum, quod cum longe diſcrepet ab ea materia, quam tractat, & in qua verſatur Paſtor antiquus, hunc ab illo diſtinguendum eſſe nemo non videt. Huc accedit, quod inter Paſtorem utrumque annorum ferme ſeptuaginta ſpatium interfluxit. Nam primus in lucem prodiit primo eccleſiæ ſæculo, cum Clemens Romanum Pontificatum gerebat, vel Petri Vicarius erat; alter vero ſcriptus eſt, emiſſuſque in publicum anno circiter undeſexageſimo ſecundi ſæculi, cum paucis ante annis Pius Aquilejenſis regimen univerſalis eccleſiæ ſuſcepiſſet. Ita fit, ut duo fuerint libri, qui quamvis eidem titulo, eidemque Paſtoris nomini ſubeſſent, multum tamen inter ſe vel argumenti diſſimilitudine, vel temporis intervallo differebant.

De alio libello ejuſdem nominis ac tituli;

quem aliqui cum priore perperam confundunt.

Utriuſque diſtinctio explicatur.

Controverſia de die Paſchali inter Occidentales & Orientales eccleſias.

Temporis diſtantia inter libellum utrumque.

Jam vero unde unius libelli ab altero diſtinctionem duximus, inde etiam colligitur duos fuiſſe auctores, alterum ab altero longe diverſum. Alter fuit Hermas vel Hermes æqualis temporum Apoſtolicorum, alter fuit Hermes frater S. Pii, qui poſt dimidium ſecundi ſæculi floruit. Quod enim Baronius ad an. 159. exiſtimat potuiſſe Hermam Paulli diſcipulum, & antiqui Paſtoris auctorem, vitam perducere uſque ad Pontificatum Pii, id ejuſmodi eſt, ut nullo modo prorſus aſſentiar. Is annos minimum viginti natus erat, cum Paullus anno Chriſti 57. vel 58. ad Romanos ſcribens, eum ſuis verbis ſalutari juſſit. Si ergo Hermas omnibus Apoſtolis eorumque diſcipulis ſuperſtes ad Pii Pontificatum pervenit, annos amplius centum ac viginti vixerit neceſſe eſt, quod a veriſimilitudine etiam, non ſolum a veritate abhorret. Cæterum quidquid de juniore Herme fratre S. Pii hujuſque Paſtore traditur, id omne Cotelerius & Dupinus commentitium putant, atque ad ſimilitudinem ſenioris Hermæ ac Paſtoris confictum, id quod affirmare non audet Tillemontius Tom. 2. Mon. eccl. in Notis ad Pium not. 2. Hactenus de libro Paſtoris ſatis multa, immo fortaſſis pluſquam ſatis.

& inter Auctores libelli utriuſque.

De cultu & lipſanis S. Hermis Dalmatiæ Epiſcopi

Cultus S. Hermis Episcopi Dalmatiæ apud Græcos viget,

scopi pauca sunt, quæ adjiciam. Quod ejus memoria ac religio non omnino intercideret, id accepti ferri debet ecclesiæ Græcæ, quæ nisi multos eximiæ sanctitatis viros Latinis aut ignotos, aut neglectos ab oblivione hominum atque a silentio vindicasset, non solum omni cultu ac veneratione carerent, sed ne tenuis quidem eorum fama ad nostram ætatem perveniisset. Equidem satis mirari non possum, quid causæ sit, quare in Martyrologio Romano & Asyncrito, & Phlegonti, & Herodioni,

non item apud Latinos;

& Rufo festus dies adscribatur, Hermes vero nullum in eo locum invenerit, qui cæteroquin eadem in urbe, eodem die, eamdem ob causam simul cum illis mortem oppetiit. Eadem sanctissimi hujus viri sive ignoratio, sive oblivio tenuit veteres omnes ecclesiæ Latinæ Martyrologos, quorum nemo fuit,

ejus nomen abest ab omnib. Latinis Martyrologiis,

qui illum tacitum præterierit. Nihil de illo Hieronymus, nihil Beda, nihil Florus, nihil Ado, nihil Usuardus, nihil alii ejusdem generis scriptores, qui multum operæ laborisque in hac re posuerunt, ut præclaros sanctitate viros undique conquirerent, quibus Divorum catalogos augerent; ut mirum profecto videri debeat, quod noster Hermes horum omnium inquisitionem quamvis accuratam effugerit; præsertim cum ex omnibus illis, quorum Paullus in epistola ad Rom. mentionem fecit, nullus ferme sit, de quo Veteres Martyrologi & Hagiologi nihil commemorent; & quamquam alii alios prætermiserint, haud tamen scio, an vel unus inveniatur, quem nemo ex his scriptoribus nominaverit. Verum seu nimia vetustas, seu veterum incuria notitiæ ac venerationi posterorum Hermen subtraxerit; ejus tamen nomen ac memoria apud Græcos usque ad nostram viguit ætatem, hodieque ab ecclesia illa celebratur, qua dignum est, religione cultuque: ei quippe anniversarios honores die octava Aprilis haberi decrevit, qui communes Hermi essent cum cæteris martyrii sociis Herodioni, Rufo, Phlegonti, Asyncrito, & Agabo, quos omnes eodem die, ritu, ac veneratione solemni prosequitur, eorumque laudes resque præclare gestas, odis atque hymnis more suo concelebrat.

Olim Hermes Sirmii veneratione diemque festum habuit,

Clarum olim videtur fuisse, ac celebre nomen Hermis Apostoli & Episcopi Dalmatiæ in ecclesia Sirmiensi, ejusque anniversariæ venerationi decretus dies undetrigesimus Aprilis; idque colligi potest e Synaxario Claramontano, in quo ad hunc diem ejusdem commemoratio adscripta est: *τὸ ἁγίου Μάρτυρος Ἑρμοῦ τοῦ ἐν Σιρμίῳ. Sancti Martyris Hermæi in Sirmio*. Nec te moveat variatio vocabuli; *nomen Hermæ in nomen Hermæi facillime convertitur*, inquit Daniel Papebrochius, qui ægre aut potius nullo modo adduci se posse ait, ut credat, Hermen Dalmatiæ Apostolum ab hoc Hermæo distingui. Martinus Szentivanius quoque hunc Hermæum, apud Sirmienses in honore habitum, vocat Episcopum Dalmatiæ; & cum eum Martyrem Sirmiensem appellet, videtur ejus Martyrium urbi Sirmiensi adscribere; hoc autem unde acceperit, plane ignoro. Quod autem Sirmienses Hermen Episcopum & Apostolum Dalmatiæ anniversariis sacris & honoribus olim coluerint, id magno argu-

itemque in Dalmatia, ut est verisimile.

mento est, multo magis apud Dalmatas priscis temporibus ejusdem cultum ac religionem floruisse; atque inde longe lateque per finitimas provincias Sirmium usque propagatam. Nam ut præclare animadvertit Papebrochius: *Dalmatiæ proximum adjacet in confiniis Pannoniæ Sirmium*. Cur autem diem undetrigesimum Aprilis Veteres Hermis nomine ac memoria consecraverint, alterutram ex his duabus causis fuisse arbitror, vel quod ille III. Kal. Maii Dalmaticæ ecclesiæ Pontificatum inierit, vel quod ejus corpus aliquot annis post ejusdem obitum, eodem die aut inventum, aut alio translatum fuerit. Nam Græci ejus martyrium conjiciunt in diem octavam Aprilis, a qua dimoveri non potest. Sed nemo ignorat, in quo motu temporum, quanta in conversione rerum ac perturbatione identidem versatæ fuerint regiones illæ, crebris barbarorum incursionibus expositæ; ex quo factum est, ut incolis alio atque alio fuga dilapsis, non solum in Pannonia, sed etiam in Dalmatia Apostolici hujus sanctissimique viri cultus ac veneratio partim ob interciſam majorum traditionem, partim ob incuriam posterorum, prorsus exoleverit.

Hermis sacræ exuviæ deperditæ, sepulchrum ignotum.

Eadem porro calamitas ac vetustas, qua nihil illustrium virorum famæ inimicius esse potest, cum Hermis nomini vix pepercisset, omnem ejus sepulchri memoriam abolevit; corporis vero ne particulam quidem, de qua certo constet, posteritati reliquit, seu quod sacras illas exuvias omnino absumpserit, seu quod ruina ejus urbis, in qua conditæ, vel ad aliam translatæ fuerant, aut certe oblivione hominum obruerit. Haud vero absimile est, Hermis cadaver clam raptum, hostiumque injuriis subductum fuisse a Christianis, & apud Patras in aliquo deserto loco devioque ab hominum frequentia conditum. An vero inde postea alio advectum fuerit, incertum est; certe quidem ejus sepulchri ne vestigia quidem usquam extant. Ex Græcia atque Oriente multa Divorum corpora Romam translata fuisse litteris ac memoriæ proditum est; notumque est in urbe ac celebre nomen Hermis sive Hermetis, ejusque cultus vetustissimi monumenta multis in locis hodieque cernuntur; sed quicumque hujus nominis sint, qui aut olim, aut nunc etiam apud Romanos venerationem habent, ii sane ab Herme nostro vel plurimum distant. Unus est Hermes, quem Romæ in via Salaria veteri cum Basilio, Protho & Hyacintho sepultum esse Ludovicus Bosius lib. 3. c. 6. tradit, de quo dubitari posset, an noster esset, verum nihil conjecturæ nobis suppetit, qua id probabile fieri possit. Carolus Bartholomæus Piazza in eo libro, quem de Hierarchia Cardinalium inscripsit, de quodam Hermete Presbytero commemorat, cujus corpus situm esse ait in subterraneo sacello, infra Ædem SS. Alexii & Bonifacii. Sed hunc non eum esse, de quo agimus, Dalmatiæ Episcopo ac martyre, satis declarat simplex titulus *Presbyteri*, nulla neque Pontificatus, neque martyrii nota insignis. Verisimile est ibi conditum esse corpus Hermis ecclesiæ Romanæ Presbyteri, quem S. Pii Pontificis Maximi fratrem, itemque junioris Pastoris auctorem fuisse ferunt.

Aliqui ejusdem nominis martyres Romæ conditi, & in veneratione habiti,

sed longe diversi ab Herme nostro.

Lotharius Augustus Ludovici Pii filius, ut ex Adone, aliisque Mss. tradunt Heribertus Rosweidus in suis ad eumdem Adonem animadversionibus, & Joannes Bollandus in Prætermissis ad diem 10. Februarii, anno 851. corpus S. Hermetis exurbe in Galliam transferendum curavit, & IV. Id. Januarii apud Indam, haud infrequens agri Aquisgranensis oppidum, in cœnobio S. Cornelii honorifice collocari jussit. Sed tantum abest, ut id referri possit ad corpus S. Hermis Episcopi Dalmatiæ, ut iidem, quos modo laudavi, scriptores affirment, ab Lothario advectas fuisse in Galliam reliquias Hermetis illius, cujus nomen in Martyrologio Romano ad diem duodetrigesimam Augusti appositum est, ornatumque his verbis: *Romæ Natalis S. Hermetis, viri illustris, qui primo carcerali custodiæ mancipatus, deinde cum aliis plurimis, gladio cædente, martyrium complevit sub Aureliano Judice;*

Digitized by Google

Judice; & quidem Hadriano imperante, ut auctor eſt Baronius in Notis ad hunc locum. At neque tempus & locus martyrii, neque cætera, quæ ad commendationem hujus Hermetis referuntur, in Hermen noſtrum conveniunt.

Cœmeterium Hermetis non ab Herme noſtro, ſed aliunde nomen ſortitum.

Nobile olim Romæ fuit Cœmeterium S. Hermetis, quod Pelagius alter hujus nominis Pontifex, ut docet Anaſtaſius Bibliothecarius, præclare exornavit. Sed cave putes hoc illi nomen inditum fuiſſe ab Herme Apoſtolo Dalmatiæ; nam Baronius in Notis ad Martyr. Romanum hujus appellationis cauſam repetendam eſſe cenſet ab Hermete illo, de quo mentionem modo fecimus, qui Hadriano Imperatore mortem pro Chriſto oppetiit, coliturque ab eccleſia v. Kal. Septembris. Bonínus Mombritius Hagiologus perinſignis, in Actis SS. Mm. Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, auctor eſt Portam Athenis in quinta regione, *Sanctam, & Hermis* Portam appellatam fuiſſe; ex quo conjici poſſit corpus cultuſque S. Hermis Epiſcopi Dalmatiæ Patris Athenas translatum eſſe, indeque huic Portæ cognomen impoſitum. Sed mihi videtur eſſe veriſimilius, id cognominis eidem obveniſſe ab alio Herme, qui, ut ſcriptum eſt in Menologio Sirleti die 16. & 17. Junii, Athenis natus cum eſſet, illuſtre martyrium Apolloniæ in Macedonia ſubiit cum ſociis Iſauro, Innocentio, Felice, & Peregrino, de quibus Martyrologium Romanum xv. Kal. Julii.

Porta Athenienſis ab S. Herme appellata.

Quæ cum ita ſint, quemadmodum plurimorum aliorum martyrum ſacræ exuviæ, ſic etiam corpus S. Hermis, incertum quo caſu, infortuniove, prorſus interiit, aut certe vetuſtas atque oblivio obruit, ac poſteritatis venerationi præripuit. Cum igitur nulla ſuppetat ratio inveſtigandi inveniendiq; quod vel penitus occultum eſt, vel per ſummam calamitatem amiſimus; mihi quidem ſatis ſuperque fuerit præclariſſimi hujus Epiſcopi ac martyris memoriæ ac nomini, quantum in me fuerat, conſuluiſſe. Perficiam enim fortaſſe, ut qui ad hanc diem ignotus omni apud Dalmatas cultu & honore caruit, is tamdem aliquando iterum Dalmatis venerationi eſſe incipiat, quorum gratia præcipue hunc litteris noſtris illuſtrare decrevimus; ut illi ſcilicet religioſi, gratique erga ſanctiſſimum virum, de univerſa Dalmatia egregie meritum, præteriti temporis oblivionem, atque incuriam, maximis quibuſque pietatis ac religionis officiis compenſent; eumque ſibi, uti & Titum, Patronum adoptent, duos illos Apoſtolos & Epiſcopos Dalmatiæ, eoſdemque B. Domnii Præcurſores, a quibus Chriſtianam religionem Dalmatæ acceperunt; quos vero & quantos Viros? quorum quidem eximiam Sanctitatem, reſque admirabiles pro Chriſto geſtas, nemo melius mente & cogitatione aſſequi poteſt, quam qui ſecum ipſe reputat, cujuſmodi e tyrocinio ac palæſtra uterque prodierit. Nihil enim humile, nihil vulgare de illis cogitare fas eſt, qui primum ab ipſo Chriſto ſanctiſſime vivendi agendique diſciplinam acceperint, & Apoſtolicos inde ſpiritus, animoſque hauſerint; tum in Apoſtolorum, ac præſertim Paulli ſchola diu multumque verſati, egregia illorum facta ſuiſmet oculis viderint, & illos imitando, pulcherrimam in omni genere virtutum effigiem in ſeipſis expreſſerint. Habebunt igitur, opinor, gratiam mihi aliquam Dalmatæ, quod duos præſtantiſſimos eoſque primos Apoſtolos & Epiſcopos Dalmatiæ, ignotos ipſis & neglectos, ab oblivione & ſilentio vindicaverim; a quibus illi ſuos Majores per Evangelium Chriſto genitos fuiſſe gloriari poſſint, quos parentum loco in poſterum ſingulari ſtudio & veneratione proſequantur, quorum illuſtria merita apud Deum, preceſque acceptiſſimæ, in periculis & aſperis temporibus, ſolatio ſibi ac præſidio fore certo confidant.

S. DOMNIUS PRIMUS
SALONITANUS EPISCOPUS.

DE vita, Pontificatu, martyrio, cultuque S. Domnii tam multa & præclara ſuppetunt, ut niſi me ſuſcepti operis amor fallit, nemo ex antiquis illis Apoſtolicis viris, qui ſub initium, Chriſtianæ religionis Apoſtolorum miſſu juſſuque Eccleſias fundarunt, rerum illuſtrium copia ditior, inſtructiorque hactenus in lucem prodierit. Quippe nullis neque itineribus, neque laboribus parcitum eſt, ut omnia ferme, quæ ſive in Dalmatia, ſeu Venetiis, ſeu Romæ, alibive extant, Sanctiſſimi hujus viri monumenta, e publicis tabulariis probatiſque Scriptoribus quam diligentiſſime colligerentur. Veterum Divorum Acta, ſi vel uno alterove exemplari conſignata nanciſci poſſumus, ſi germana ſint ac ſincera, ſi nullis vel pauciſſimis mendis ſcateant, præclare enimvero nobiſcum agi putamus. Eſt ſane, cur eccleſiæ Spalatenſi gratulemur, quod Actorum Beati Domnii, quem ipſa conditorem ſuum ac parentem agnoſcit, ſex omnino exempla nobis invenire licuit, ab diverſis Auctoribus conſcripta, quæ verbis quidem diſcrepant, rebus vero mirifice inter ſe congruunt; & nihil fere continent, quod vel multa correctione indigeat, vel graviori cenſura dignum videatur. Qua in re illud ſatis mirari nequeo, quod, cum plurimorum martyrum res eximiæ geſtas aut nemo ſcriptis mandaverit, aut temporis diuturnitas perpetua oblivione obruerit, ſingulari quadam Numinis providentia factum ſit, ut S. Domnii egregia facta multorum litteris tradita & cuſtodita, integra ferme atque incorrupta ad noſtram ætatem pervenerint; neque ullis aut incendiis abſumi, aut vaſtationibus diſperdi, aut ruinis conſepeliri, aut vetuſtate confici potuerint; Deo ſcilicet curante ac providente, ut antiquiſſimi hujus Martyris memoria ac religio, tot caſibus ac ſæculis ſuperſtes, univerſæ poſteritati propagaretur.

Acta S. Domnii a multis deſcripta, quorum exempla ſex nacti ſumus.

Primam S. Domnii Vitam deſcripſimus ex Hiſtoria Salonitana majori typis nondum edita, cujus tres omnino in urbe nacti ſumus Codices, unum in Archivo Collegii de propaganda fide, alterum in Archivo Georgicæo apud S. Hieronymum nationis Illyricæ, tertium in Bibliotheca Franciſci Cardinalis Barberini; qui quidem fere ex omni parte inter ſe conſentiunt. Hiſtoriæ Salonitanæ, cujus auctor eſt Thomas Archidiaconus Spalatenſis, qui floruit ſæculo decimo tertio, duo nobis exempla ſuppetunt: alterum tribus illis, quos modo recenſui, codicibus commendatum nemo adhuc in lucem protulit; alterum vero cum plurimis & opti-

Prima Vita S. Domnii ex hiſt. Salonit. Majori.

Hiſt. Salonitana altera Major, altera minor, & diſcrimen utriuſque.

Digitized by Google

optimis Mss. diligentissime collatum Historicus Dalmata Tragurienſis Amſtelodami apud Joannem Blaeu, excudi juſſit an. 1668. vulgariqne una cum aliis opuſculis, & ſex libris, quos ille de Regno Dalmatiæ & Croatiæ concinnavit. Inter utrumque hoc interest, quod alterum altori rerum copia præſtet; primum ſiquidem multa ſuppeditat, veluti Concilia, Epiſtolas Romanorum Pontificum, & alia id genus monumenta, quæ in ſecundo deſiderantur; quamvis hoc hiſtoriam perducat uſque ad Rogerium Archiepiſcopum Spalatenſem, qui diem obiit an. 1266. illud vero non progreditur ultra Petrum Archiepiſcopum eo nomine decimum, qui e vita deceſſit anno 1190. Quare pro utriuſque exemplo diverſitate Hiſtoriam Salonitanam diſtinctionis cauſa alteram majorem, alteram minoremappellamus.

Antiquitas exemplaris illius, unde hæc Vita deſumpta eſt.

Hiſt. Salonit. majoris auctoritas a cenſuris Luciani vindicata,

Historia Salonitana majoris auctoritatem in dubium ac ſuſpicionem vocavit Hiſtoricus ſupra laudatus, idemque auctor fuit Valerio a Ponte, & Ferdinando Ughello, ut non ſatis dignam putarent, qua in ſuis ſcriptis ad fidem faciendam uterentur. Sed nos ea omnia, quæ indidem ille arripuit ad reprehendendum, diligenter accuranteque perpendimus; neque viſum eſt nobis quidquam repariri, præſertim correctione quadam alicubi vel interpretatione adhibita, quod aut abhorreat a veritate, aut cum veteri hiſtoria conciliari nequeat, aut traditum non ſit ab aliis auctoribus ſatis idoneis; ut nihil cauſæ eſſe poſſit, cur falſa & commentitia judicari debeant, quæ ille acriori, quam æquum fuerat, cenſura confixit.

Simon Bengnius exemplum Hiſt. majoris inſeruit ſuis Collectaneis,

Historiam Salonitanam majorem quanti fecerit Simon Bengnius Epiſcopus Modruſienſis, vir eximiæ religionis & doctrinæ, qui in Concilio V. Lateranenſi, ſeſſ. VI. orationem habuit graviſſimis verbis ſententiiſque plenam, illud argumento eſt, quod inter multa & præclara antiquitatis monumenta, quæ ſingulari ſtudio & induſtria collegit, huic hiſtoriæ haud poſtremum locum tribuerit. Raphael Levacovichius Archiepiſcopus Achridanus Bengnii collectanea nactus ſua manu deſcripſit, & multis rebus aucta & locupletata in quatuor libros contulit; quos Dalmata Hiſtoriographus nactus cum eſſet, eoſdem una cum ſuis lucubrationibus miſcellaneis cæteraque libraria ſupellectile depoſitos in Collegio Nationis Illyricæ, quod in urbe ab S. Hieronymo cognominatur, hæredibus ſuis reliquit. Translati ſunt Spalatum, ſed paucis ante annis extabant in eodem Collegio apud Georgium Georgiecum, cujus nomine appellandum eſſe duximus *Archivum Georgicæum*, plurimis ſane, atque optimis codicibus refertum. Igitur e Collectaneis Simonis Bengnii deſumpſimus exemplum Hiſtoriæ Salonitanæ majoris, cui inſerta eſt Vita S. Domnii, quam primo loco exhibemus, ac cæteris deinceps ſubjiciendis præferendam putamus, quod hoc plus auctoritatis habere videatur, quo brevius, & dilucidius, & ſimplicius, ſine ulla exornatione, res geſtas exponit.

ab Raphaele Levacovichio ſua manu deſcripſit;

& apud Joannem Lucium, reperit.

Primus VI. ita S. Domnii Auctor ignotus.

Hujus Vitæ quisnam Auctor fuerit, nobis incompertum eſt; nam a Thoma Archidiacono compoſitam non eſſe, dicendi character ab ejus ſtylo admodum alienus ſatis declarat; neque conſtat, utrum Archidiaconus, an quis alius hiſtoriæ Salonitanæ majori eamdem vitam aliunde arreptam interſeruerit. De illius antiquitate nihil habeo, quod pro certo affirmare auſim; dictionis genus, vereor, ut referri poſſit ad priora ætæ Chriſtianæ ſæcula. Cæterum quamvis hujus Vitæ neque Auctor deſignari, neque tempus definiri queat, illud mihi facile perſuaſerim, eam deſcriptam eſſe ex antiquiſſimis S. Domnii Actis, quorum aliquot exempla Spalati adhuc extabant ſæculo undecimo, quæ cum rudia eſſent, atque inculta, unde illorum vetuſtatem facile dignoſcas, Adamus Pariſienſis verborum delectu & ſententiarum ornatu expolivit. Porro exemplar illud, ex quo prima S. Domnii Vita deprompta eſt, ſeptimo ſæculo antiquius videtur fuiſſe; nam corporis S. Domnii effoſſi e vetere ſepulchro Salonæ exciſæ ruderibus obruto, & Spalatum advecti nullam inibi mentionem factam eſſe invenies; ex quo conjici poteſt illud exaratum eſſe ante Salonæ excidium, quod anno ſeptimi ſæculi circiter 40. & ante Spalatenſem S. Domnii translationem, quæ anno circiter 80. ejuſdem ſæculi contigiſſe traditur; neutrum enim, cum memoria cæteroquin ac litteris dignum ſit, Auctor hujus Vitæ ſilentio præteriiſſet, ſi deſcriptum inveniſſet in eo codice, unde Acta S. Domnii deſumpſit; præſertim cum cæteri Scriptores recentiora exemplaria nacti, utrumque cum Vita & martyrio S. Domnii conjunxerint. Quid quod ne primæ quidem translationis meminit, cum S. Domnius haud multis poſt martyrium annis ex agro in urbem ædemque S. Mariæ illatus eſt?

Quanti hæc Vita facienda ſit.

Ac mihi quidem in hanc primam S. Domnii vitam paullo acrius intuenti veſtigia quædam videre videor, unde illud exemplar, a quo aliqua ſaltem ex parte deſcripta eſt, dignoſci poſſit. Nam & ratio quæſtionis habendæ, & reſponſa martyris, & formula prolatæ in eum ſententiæ haud ſane multum diſcrepant a vetuſtiſſimis illis tabulis, in quas Acta martyrum vel a publicis Notariis compta, vel ab ipſis Chriſtianis excepta, & Præſidum eccleſiaſticorum auctoritate recognita approbataque, referri ſolebant: quare haud abſimile vero eſt Scriptorem hujus vitæ ante oculos habuiſſe iſtiuſmodi tabulas, unde quæſtionem & martyrium S. Domnii deſcriberet; cætera vero, quæ ad ejus vitam & Pontificatum pertinent, ex aliis idoneis Auctoribus accepta adjeciſſe. Utut hæc ſunt, illud certe affirmare poſſe mihi videor, omnes huic vitæ veritatis notas ineſſe; totius narrationis ſeries apta eſt & ſecum ipſa conſentiens, aperta & brevis, & ſua ſeipſam ſimplicitate lectoribus commendat; nihil in ea artificioſe compoſitum, nihil longe accerſitum, nihil non purum ac ſincerum, nihil denique, quod cum veteri hiſtoria pugnet, quod a veritate abhorreat, quod denique vel delicatiſſimi faſtidii criticos offendere queat; non multiplices & propemodum incredibiles Ethnicorum converſiones, non conciones prolixæ, non crebra & longiuſcula colloquia interpoſita; quæ quidem omnia vel interpolatæ, vel confictæ, vel ſupra fidem exaggeratæ narrationis ſuſpicionem aliquibus præbent. Quod ſi ſeverioribus quibuſdam Criticis diſplicet nimia quædam & inuſitata pœnarum ac prodigiorum multitudo; hæc Vita præter verbera B. Domnio inflicta, & caput cervicibus abſciſſum, præterque unum cujuſdam viduæ filium ab inferis revocatum, nihil habet vel ſupplicii, vel miraculi, quod in eorum cenſuram ac reprehenſionem incurrat. Merito igitur hanc vitam primo loco Lectoribus exhibemus, quæ quo brevior eſt, dilucidior, ac ſimplicior, eo plus fidei & auctoritatis videtur habitura; eritque quædam quaſi ſedes ac fundamentum, cui rerum deinceps explicandarum veritas innitatur. Huic vitæ ſubjicimus quamdam veluti ejuſdem epitomen, quam Thomas Archidiaconus confecit, & cap. 3. Hiſtoriæ Salonitanæ minoris inſeruit; & res paullo fuſius in ſuperiori Vita deſcriptas paucis complexus eſt.

Vel acutiſſimis & ſeveriſſimis Criticis probanda.

Alteram S. Domnii Vitam ex antiquo Breviario Slavo-

Altera S. Domnii Vita.

Slavonico Ms. deſcripſit, atque in Latinum ſermonem tranſtulit Raphael Levacovichius Archiepiſcopus Achridanus. Nihil fere diſcrepat a priore, ſed nonnulla adjicit, veluti de Andronico Domnii ſocio, eodemque Sirmienſi Apoſtolo, itemque de Clementis in Dalmatiam adventu, & Epiſcopali conſecratione Cajani, & Symphoriani, quæ ad illuſtrandam Illyricæ eccleſiæ hiſtoriam pertinent. Hujus vitæ Scriptor teſtes Præfecturæ Maurelii citat tabulas Salonitanas, e quibus veriſimile eſt eamdem vitam fuiſſe deſumptam, & Slavonice redditam; in iis autem tabulis cum neque Salonæ everſæ, neque corporis S. Domnii Spalatum translati mentio facta eſſet, idcirco qui geſta S. Domnii inde accepta e Latino in Slavonicum convertit, rem utramque prætermiſit; hinc haud improbabilis conjectura fieri poteſt tabulas illas perantiquas fuiſſe, & ſaltem Salonæ excidium, itemque B. Domnii translationem ætate antecedere. Suſpicio eſt hanc Vitam e tabulis Salonitanis, quarum paullo ante memini, primum deſcriptam fuiſſe ab Heſychio Salonitano Epiſcopo xxx. Quædam enim hic invenies, quæ narrantur in Vita S. Clementis Romani Pontificis, cujus Auctor itidem fuit Heſychius, ſi fides habenda ſit Simoni Bengnio Epiſcopo Modruſienſi: idem ſane utrobique dictionis genus, characterque ſcribendi, quod indicio eſſe poteſt ab eodem Auctore utrumque compoſitum fuiſſe. Fuit deinde, qui eam, ut ad uſum lectionemque popularem traduceret, Slavonice reddidit; demum Raphael Levacovichius eamdem Latino ſermoni reſtituit.

Tertiæ vitæ conſcriptæ cauſam, tempus, Auctorem Thomas Archidiaconus cap. 16. Hiſt. Salonit. min. his verbis declarat: *His temporibus Adam quidam Pariſienſis optime in artibus elimatus, pergendo Athenas ad Græcorum ſtudia, devenit Spalatum, & cum fuiſſet a Laurentio Antiſtite honorifice exceptus, rogatus eſt ab eodem, ut Paſſiones Beatorum martyrum Domnii, & Anaſtaſii, quæ inculto fuerant antiquitus ſermone conſcriptæ, loculenta faceret compoſitione nitere. Quod ille gratanti corde conſenſit, ſumptoque themate a veteribus Hiſtoriis, legendas utriuſque martyris lepido ſatis diſtamine innovavit. Hymnos etiam compoſuit, ac quidquid de B. Domnio muſice canitur, metrico ſermone conſcripſit.* Duo hic animadverti velim; primum ſæculo undecimo, cum Laurentius Spalatenſem eccleſiam adminiſtrabat, illuc translatus e ſede Abſarenſi an. 1059. extitiſſe adhuc Spalati de vita & martyrio S. Domnii quaſdam admodum antiquas hiſtorias, agreſtes illas quidem & incomptas, ſed ob ipſam vetuſtatem barbariemque ſermonis ad fidem faciendam ſane idoneas, quas Adamus Parienſis rogatu Laurentii Archiepiſcopi ſatis culta, ut temporibus illis, elegantique dictione perpolivit. Haud longe, ut mihi videtur, a veritate abeſtraverit, qui exiſtimet hiſtorias illas ab ætate S. Domnii recentiſſimas fuiſſe, & ex ipſis Actis Proconſularibus decerptas eſſe, deſcriptaſque ab ejus Diſcipulis, qui ſcilicet aut interfuere ipſimet rebus gerendis, aut ab iis, qui interfuerant, acceperunt; & illarum exempla, ſi licuiſſet invenire, jure fortaſſis meritoque inter Acta martyrum ſincera ac germana annumerari poſſent. Alterum ſingulari animadverſione dignum illud eſt, quod prima Vita S. Domnii, de qua ſupra diximus, ſæculo undecimo aut nondum ex antiquis tabulis compoſita fuerat, aut, quod vero propius eſt, tabulariis incluſa atque abdita latebat in occulto. Si enim hæc in manibus tum fuiſſet, uſuque publico trita ac celebrata, nihil cauſæ erat, cur Laurentius antiquas illas hiſtorias rudes atque impolitas ad ſermonem cultumque nitidiorem traducendas curaret. Nam orationis genus, quo utitur Auctor primæ Vitæ, licet ſummiſſum & humile, nihil tamen habet aſperi, nihil obſoleti, nihil inconditi, unde tantopere illius ſæculi aures non admodum eruditæ abhorrere debuerint; longeque abeſt ab illa ruſticitate & barbarie, qua veteres illas hiſtorias oblitas fuiſſe tradit Archidiaconus; tota enim dicendi ratio nullo quidem artificio elaborata eſt, ſed ſatis perſpicua, juncta, cohærens, lenis, æquabiliter fluens, quæ nativa quadam pulchritudine & ſimplicitate contenta cultu omni ornatuq; aliunde adſcito facile carere poteſt. Hoc tantum inter primam & tertiam B. Domnii Vitam intereſt, quod illa brevior eſt, & verbis aptior ac preſſior, hæc paullo redundantior, & verborum ac ſententiarum luminibus ornatior. Cæterum quæ Adamus latius explicat, & pluribus amplificat, ea omnia ſtrictim attingit Scriptor prioris Vitæ, & paucioribus verbis complectitur; niſi quod Adamus S. Domnii Actis & martyrio Spalatenſis translationis hiſtoriam adjecit, quæ cum abſit a prima Vita, id poteſt indicio eſſe vel non idem exemplar utrique Scriptori propoſitum fuiſſe ad Vitam S. Domnii deſcribendam; vel quod Adamus de corpore S. Domnii Spalatum tranſvecto narravit, id ex aliis recentioribus codicibus deſumptum fuiſſe. Hanc tertiam Vitam cum hymnis, & antiphonis ab eodem Adamo compoſitis, juſſu Laurentii Archiepiſcopi inſertam Officio & Liturgiæ S. Domnii, quibus olim ad feſtum ejus diem colendum celebrandumque uti ſolebat provincia Spalatenſis, Hiſtoricus Dalmata ex urbe tranſmiſit ad P. Godefridum Henſchenium, qui eamdem tomo ſecundo Aprilis ſub die undecima ejuſdem menſis intexuit. Hujus exemplum, cum aliunde non ſuppeteret, ab eodem Henſchenio mutuati ſumus, noſtraſque in illud animadverſiones cum Henſchenianis notis permixtas adjunximus.

Ejus ſcribendæ occaſio ac tempus.

In quo tertia a prima Vita differat.

Quartam B. Domnii Vitam nobis ſuppeditavit Archivum Capituli Spalatenſis ex antiquo pergameno autographo deſcriptam; quæ ad id, quod rerum hiſtoriæ ſummam continet, nihil ſane addit; ſed rerum & ſententiarum copia ornatuque majori adhibito, & carminibus etiam interpoſitis omnia latius & fuſius perſequitur; ut qui eam concinnavit, orationem potius ſive Homiliam quamdam de laudibus S. Domnii conficere, quam res ejus geſtas ſimplici narratione exponere voluiſſe videatur; id quod ipſemet auctor videtur ſignificare his verbis: *in cujus laudem*, inquit, *ſermo hic vobis inſtitutus eſt*. Cæterum hujus Homiliæ ſive Hiſtoriæ quiſnam fuerit, & cujus ætatis auctor, nobis incompertum eſt. Illud ſatis conſtat eum habuiſſe ante oculos exemplum primæ Vitæ, unde rerum ſeriem ac materiam ſumeret; quam ipſe deinde pro ſuo ingenio ac facultate luculentius expoſuit, & uberius ac fuſius dilatavit; nam ex ea plures ſæpe ſententias integraſque periodos totidem iiſdemque verbis in ſuam lucubrationem tranſtulit. Quod autem de Salona exciſa, & corpore S. Domnii Spalatum translato commemoravit, id, cum ibi abeſſet, aliunde aſſumpſit.

Quarta Vita S. Domnii ex Archivo Capit. Spalat.

Quinta Vita ſolemne

Quinta Vita S. Domnii cum quarta & tertia congruens.

Slavonica ſcripta.

ſolemne ſacrificium, quod ſub lucis crepuſculum inter muſicos concentus peragitur. Vetus eccleſiæ catholicæ inſtitutum fuit, & inde uſque a priſcis temporibus receptum, ut eorum martyrum, quorum feſta & anniverſaria commemoratio recolebatur, præclara geſta inter rem divinam ſolemni ritu ac cæremonia peragendam pro concione legerentur, ut Chriſtianus populus & illorum exemplis ad martyrium ac difficillima quæque pro Chriſto ſubeunda excitaretur, & quæ plurimum martyres valent apud Deum gratiam, egregiaque eorum merita ad cæleſtem opem implorandam interponeret. Id moris viguiſſe in eccleſia Africana idoneus eſt & locupletis auctor Auguſtinus, cujus hac de re teſtimonia plura ſunt, & notiora, quam neceſſe ſit ea in hunc locum congerere. Extat præterea, qui idipſum confirmat, Canon 46. Codicis Africani ex diverſis Africæ Conciliis confecti, inſertique Labbeanæ Venetæ collectioni Tom. 11. Conciliorum a columna 1251. uſque ad col. 1368. *Liceat etiam legi Paſſiones martyrum, cum anniverſarii dies eorum celebrantur.* Quem quidem canonem laudat Hadrianus Pontifex in ſuis ad Carolum Magnum literis, ubi diligenter accurateque calumnias ſeptimæ Synodo illatas refellit apud eumdem Labbeum Tom. 8. Collec. Venetæ col. 1554. Hanc præclaram conſuetudinem adſciverat eccleſia Gallicana, ut colligitur e ſermone 95. S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, ubi graviter queritur de quorumdam ſegnitie ac deſidia, qui cum optime valerent, tamen inter audiendas martyrum hiſtorias longiuſculas, eamdem ſedendi facultatem ſibi permiſſam volebant, quam ipſe illis tantummodo conceſſerat, (ſi quando *Paſſiones prolixæ* legerentur,) qui aut pedibus laborarent, aut tenui incommodaque valetudine afflictarentur. Avitus Viennenſis Epiſcopus egregium idemque celeberrimum martyrum Agaunenſium certamen *ex conſuetudinis debito* lectum fuiſſe affirmat in fragmento, quod ſupereſt, ejus Homiliæ, quam habuit de laudibus eorumdem martyrum. Huc adde Liturgiam Gallicanam ab Joanne Mabillonio ex veteri codice Mſſ. Cœnobii Luxovienſis deſcriptam, ac typis mandatam, in qua aliquot martyrum Acta pſalmis ceteriſque precationibus intertexta inveniuntur: adde Aurelianum Epiſcopum Arelatenſem, qui in eo, quem præſcripſit, ordine rituque pſallendi conſtituit, ut in *martyrum feſtivitatibus tres aut quatuor Miſſæ*, (ideſt lectiones) *fiant, prima de Evangelio, reliquæ de martyrum paſſionibus*: adde Hilduinum Abbatem S. Dionyſii, qui in epiſtola ad Ludovicum Pium Areopagiticis præpoſita, laudat *antiquiſſimos, & nimia pene vetuſtate conſumptos Miſſales libros, continentes Miſſarum ordinem more Gallico, qui ab initio recepti fuere, uſu in hac Occidentali plaga eſt habitus, uſquequo tenarem, quo nunc utitur, Romanum ſuſceperit; in quibus voluminibus habentur duæ Miſſæ de Sancto Dionyſio, quæ ſic inter celebrandum .... tormenta martyris ſociorumque ejus ſuccinſte commemorant, ſicut & reliqua Miſſæ ibidem ſcripta aliorum Apoſtolorum vel martyrum, quorum paſſiones habentur, notiſſime decantant.* Hæc ratio inſtitutioque celebrandi dies feſtos anniverſarios ſanctorum martyrum ab Gallia manavit ad eccleſias Hiſpaniæ, quæ quidem eodem fere, atque Gallicana, ritu liturgico utebantur; idque confirmari poteſt luculentiſſimo teſtimonio Braulionis Epiſcopi Cæſaraugustani, qui in præfatione ad vitam S. *Æmiliani* ait ideo ab ſe res ejus præclare geſtas literis conſignatas fuiſſe, *ut poſſent in Miſſæ ejus celebratione quantocius legi.*

Mos antiquis publice legendi acta martyrū.

Idem mos viguit in eccleſia Gallicana.

Nec vero dubitari poteſt, quin eccleſia Romana omnium parens & magiſtra ad colendos honorandoſque Martyres hunc morem laudabilem ſuſceperit, & cæteris eccleſiis auctoritate, & exemplo ſuo commendaverit. Negavit quidem Gelaſius Pontifex moris eſſe eccleſiæ Romanæ, ut in ſacris publicisque conventibus Acta Martyrum legerentur, idque ſuo decreto interdictum voluit. Sed Gelaſianum decretum, ut præclare animadvertit Joannes Mabillonius in Diſquiſitione de Curſu Gallicano §. 1. vel ad ſolam Lateranenſem eccleſiam pertinet; vel, quod vero propius eſt, illas tantum hiſtorias in eccleſiaſticam concionem recipi negat, jubetque ab uſu lectioneque publica ſummoveri, quæ ſine certo auctoris nomine proferuntur. Olent enim aut levipendium hominum fraudem, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione componere; aut certe, quod Gelaſius ipſe ait, hæreticorum malitiam, qui ut ſectæ ſuæ non dogmata ſolum ac præcepta, ſed etiam res geſtas accommodarent, falſa quædam, & portentoſa aliquot Martyrum Acta confinxerant. In deligendis itaque & approbandis Divorum hiſtoriis, quæ in eccleſiaſticum cœtum proferri deberent, ſummam cautionem adhibendam cenſuit ſapientiſſimus Pontifex, ne falſæ & commentitiæ fabulæ pro veris & ſinceris Martyrum Actis Chriſtianæ plebi obtenderentur, neve impiis catholicam religionem ac pietatem irridendi occaſio præberetur. Cæterum ipſemet Gelaſius, cum aſſerit, *ideo ſecundum antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta Romana eccleſia ubi legi* (quædam Acta Martyrum), *quia & eorum, qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus & idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur; ſicut cujuſdam Quirici & Julitæ;* ſatis videtur indicare non eodem loco ac numero habendas eſſe reliquas Divorum hiſtorias a piis probatiſque auctoribus conſtanti ac gravi ratione editas; neque vetitum fuiſſe illas in eccleſia Romana publice legi; quinimmo *Vitas Patrum Antonii, Pauli, Hilarionis* &c. aliaſque hujuſmodi non ſolum dignas eſſe affirmat, quæ cum omni honore ac veneratione ſuſcipiantur, ſed etiam more inſtitutoque majorum in multis eccleſiis earum lectionem admitti his verbis ſignificat: *a multis in urbe Roma Catholicis legi cognovimus; & pro antiquo uſu multa hoc imitantur eccleſiæ.* Sed hujus egregiæ conſuetudinis antiquitus ab Romana eccleſia uſurpatæ, retentæque uſque ad octavum ſæculum teſtis eſt loculentiſſimus Hadrianus in ea, quam ſupra laudavimus, epiſtola ad Carolum Magnum: *Vitæ Patrum ſine probabilibus auctoribus minime in eccleſia leguntur. Nam ab Orthodoxis ſuntetæ, & ſuſcipiuntur, & leguntur.* Idem confirmat Joannes Diaconus in præfatione ad vitam S. Gregorii Magni ad Joannem VIII. *Nuper*, inquit, *ad vigilias beati Gregorii Romani Pontificis, Anglorum ſcilicet gentis Apoſtoli, lectione de Paulino civitatis Nolanæ Præſule conſuetudinaliter perſonante, viſus es a venerabilibus Epiſcopis requirere, cur tantus Pontifex, qui multorum Sanctorum Vitas texuerat, geſtis propriis in propria dumtaxat eccleſia careret.* Et paullo infra: *Itaque tum imperioſis auctoritatibus tandem compulſus vix primum librum Gregorianæ vitæ compleveram, quando hunc in ejuſdem vigiliis anniva vertigine revolutis tua probavit pariter & publicavit auctoritas.* Porro inſignia quædam & ſingulari laude digna martyrum facta ipſis etiam ſolemnibus Miſſæ precationibus interſeri ſolebant, ut intueri licet in antiquiſſimis Liturgiis, Gallicana, Muſarabica, & Gregoriana; ibi enim Miſſæ *Conteſtationes*, quas nunc *Præfationes* vulgo appellant, nihil aliud ſunt, niſi brevis ac di-

Et maxime in eccleſia Romana.

Gelaſiani Decreti explicatio.

Gallicanæ Liturgiæ hiſtoriis ſanctorum in eccleſiis Romanis veteri teſtimonio confirmatur.

lucida

lucida rerum a martyribus eximie geſtarum expoſitio.

Sed de his dictum eſt ſatis, aut etiam plura fortaſſe, quam hujus loci ratio poſtulat; verum non erant prætereunda, cum ad dignitatem & commendationem pertineant eccleſiæ Spalatenſis, quæ cum aliorum martyrum, tum præſertim S. Domnii colendi, ejuſque laudes celebrandi præclarum ritum inde uſque ab ultima antiquitate deductum ad hæc uſque tempora conſtantiſſime retinuit. Laudationem illam, ſive legendam Slavonicam de vita & laudibus S. Domnii latine redditam, & Spalato nobis tranſmiſſam typis vulgandam, & huic loco intexendam curavimus.

Sexta vita S. Domnii.

Sextam B. Domnii vitam omnium breviſſimam ſuperiori ſæculo compoſuit Lucas Archidiaconus e gente Gaudentia, quæ inter Patritias Spalatenſis urbis familias annumeratur. Quæ olim de vita & martyrio S. Domnii hiſtorica & metrica oratione ſcripſerat Adamus Pariſienſis, & Laurentius Archiepiſcopus ſolemni & anniverſario ejuſdem martyris officio inſeruerat, ea cum eſſent vel nimis prolixa, vel ad veterem ritum recitandi pſallendique horas canonicas accommodata, idcirco viſum

Officio S. Domnii inſerta.

eſt vitam S. Domnii ab Adamo deſcriptam contrahere, ac redigere in tres omnino lectiones haud paullo breviores, quas ſecundo ejuſdem Officii Nocturno innecti placuit, juxta illam Breviarii Romani methodum, quam primo Pius V., deinde Urbanus VIII. Pontifices Maximi præſcripſerunt. Etenim cum divini Officii recitandi ritus varii &

Breviarii Romanum correctum ac reformatum.

multiplices ubique invaluiſſent, & ſingulæ propemodum eccleſiæ ſuum haberent ac proprium ſtatarum precum codicem; ut omnes ad unam pſallendi formulam revocarent Paullus IV. & Pius itidem IV. multum ſtudii operæque poſuerunt; quod demum, viris ſapientiſſimis in eam rem adhibitis, perfecit Pius V., totamque horarias preces recitandi rationem antea ſolutam, & vagam, nulliſque legibus conſtrictam certa ſtataque orandi methodo illigavit. Sed quoniam nihil ſimul inchoatum ac perfectum eſt, ad ejuſdem Breviarii emendationem ſecundas curas adhibuit Clemens VIII.; ac demum Urbanus itidem VIII., hymnis vel de integro conditis, vel ad numeros legeſque metricas revocatis, Patrum homiliis & Divorum hiſtoriis accurate recognitis exactiſque ad veterum exemplaria, & mendis expunctis, quæ ſuperiorum Pontificum ſolertiam ſubterfugerant, ſupremam huic operi manum impoſuit. Juſſerat autem Pius V. Breviarium Ro-

Juſſumque ab omnib. adhiberi.

manum ab ſe propoſitum, & ſumma cum fide ac diligentia correctum, & priſtino nitori reſtitutum, ubique recipi, & publice privatimque ad penſum canonicum perſolvendum adhiberi; ſimulque interdixerat, ne quis alia precandi pſallendique formula uteretur; niſi forte Apoſtolicæ ſedis auctoritate & approbatione in alicujus eccleſiæ mores inducta fuiſſet, aut ducentorum annorum conſuetudine niteretur; id quod Clemens poſtea & Urbanus ſuis uterque decretis ſanciverunt.

Porro eccleſia Spalatenſis, quamvis ſuam ac propriam divinæ Pſalmodiæ recitandæ formam antiquitus uſurpatam amplius duorum ſæculorum præſcriptione tueri poſſet, jus tamen ſuum dimittere, quam retinere maluit, ut ſe ad ritum Romanum, præſcriptumque ſedis Apoſtolicæ conformaret. Cum igitur veteri abolita, novam a Romanis Pontificibus conſtitutam orandi pſallendique rationem jamdudum recepiſſet, novas lectiones ſecundi Nocturni ab Luca Gaudentio poſtea compoſitas in Officium ſolemne S. Domnii invexit, atque in earum locum ſubſtituit, quas olim Adamus Pariſienſis ſuo ſtylo deſcripſerat; & antiquas quidem Antiphonas partim retinuit, partim commutavit, hymnos vero novos veteribus ſubrogavit. Has lectiones, itemque *Officia propria trium ſanctorum Patronorum Metropolitanæ eccleſiæ Spalatenſis*, Stephanus Coſmius Archiepiſcopus anno ſuperioris ſæculi nonageſimo typis Venetis mandari juſſit.

Curæ, quæ invenire potuimus, S. Domnii vitas in hunc locum congerimus.

Erunt fortaſſe, qui exiſtiment nihil tanti fuiſſe, typographis tantum oneris, laboriſque imponere, ut quotquot ad noſtras manus pervenire potuerunt, vitas S. Domnii æneis formis committerent, præloque ſupponerent; præſertim cum nihilo fere plus ſingulæ afferant dignum ſcriptu cognituque, quam omnes ſimul contineant; & qui unam quamlibet legerit, cæteris carere facile poſſit. Verum ſingularum deſcriptio cur neque ſupervacanea, neque improbanda videri debeat, duas cauſas ſubjicio; unam, quod præter tertiam, & ſextam, reliquæ quatuor vitæ typorum luce adhuc caruerint; dignas autem cenſeo, quæ in publicum proferantur; præſertim cum nihil gratius fieri poſſit eruditis hujus ſæculi viris, quam ſi quidquid veteris inediti ique ſcripti indeptus fueris, id omne in commune conferas: qui enim antiquitatis cognoſcendæ ſtudio tenentur, avent per ſe ipſi expendere ſuperiorum temporum monumenta, quæ identidem e tenebris eruuntur, & vera diſcernere a falſis, & quanti unumquodque fieri oportet, pro ſua prudentia dijudicare. Altera cauſa hæc eſt, quod multarum tabularum conſentiens auctoritas ad fidem Actis S. Domnii conciliandam vel plurimum valet. Ac ſane illud per mihi mirum viſum eſt, quod cum multi non ſolum moribus & ſtudiis, ingenio ac ſtylo diſpares, ſed præterea temporibus, & fortaſſis etiam locis diſjuncti de vita & martyrio S. Domnii ſcripſerint; nemo tamen ab alio de rebus ipſis diſcrepat, quod contra ſæpiſſime accidere communis & quotidiana experientia docet. Quemadmodum enim, quæ fama & auditione accipimus, quo latius in ore hominum ac ſermone verſantur, eo magis vel augeri, vel imminui, vel immutari ſolent; ſic etiam quæ ſcripto traduntur, quo plurium calamos ſubierint, eo plus variationis & diſcrepantiæ ferme ſuſcipiunt; cum alii addendo, alii detrahendo, alii commutando res ipſas adeo transformant, ut eaſdem, quæ leguntur in autographo, vix eſſe agnoſcas. Nihil tale reperiri licet in exemplis, quæ in medium attulimus, vitæ S. Domnii: ſumma hiſtoriæ ubique eadem, idem ordo rerum geſtarum, eadem ratio temporum, locorum, nominum, perſonarum, quæ rebus ipſis inhærent; hoc tantum intereſt, quod alii aliis verbis, alii brevius & ſimplicius, alii copioſius & ornatius vitam eamdem deſcribunt. Quæ quidem tot ſcriptorum in rebus S. Domnii narrandis mira conſenſio, & magna concordia ſatis declarat, nihil illos antiquius habuiſſe, quam ut res eaſdem, perinde ut acceperant ex optimis codicibus, ſic poſteris ſumma cum fide traderent; ſimulque oſtendit nullam in eos vel confictæ vel adulteratæ narrationis ſuſpicionem cadere poſſe; nec dubitare ſinit, quin exemplaria illa germana fuerint atque incorrupta, unde Acta S. Domnii, veluti in varios rivos diducta, ſine ulla falſitatis admiſtione, tam pura & ſincera manarunt. Id vero quantum fidei & auctoritatis adjunget Actis ejuſdem S. Domnii, optimus quiſque rerum hujuſmodi æſtimator per ſe ipſe intelligere poteſt.

Ad ſingulas B. Domnii vitas appoſuimus Notas quaſdam, ſuas cuique ſubjectas, quibus ſi quid dubium aut obſcurum eſt, declaratur, & illuſtratur. Sed quoniam in Actis S. Domnii quædam reperiuntur, quæ longiorem diſputationem deſiderant,

Notæ in Acta S. Domnii, & Diſſertationes adjiciendæ.

quam

quam ut brevibus hiſce notis comprehendi poſſit, idcirco neceſſe fuit aliquot Diſſertationes adjungere, videlicet de nomine S. Domnii, de ætate, de Salonitana æde per eum Deiparæ Virgini conſecrata, ac demum de martyribus ſociis S. Domnii.

Multiplex translatio S. Domnii.

De multiplici translatione corporis B. Domnii ſupperunt ſane multa, de quibus diligenter accurateque diſputemus. Primum ſatis conſtat aliquot poſt ejus martyrium annis elapſis ex agro Salonitano, ubi religionis cauſa vitam profuderat, in urbem tranſvectum, atque in eadem æde, quam ipſe Virgini Deiparæ conſtruxerat, honorifice conditum; idque plerique ejus vitæ ſcriptores teſtantur. De ſecunda & tertia translatione nihil quidem habemus, quod pro certo affirmare poſſimus; utraque tamen cum ex hiſtoria Diocletianæ perſecutionis, illiſque temporibus Chriſtianæ religioni iniquiſſimis, tum ex formula quadam Martyrologii Caudienſis mire depravata, conjecturis haud ſane abſurdis elici poteſt; indidem quoque aliqua probabili ratione intelligi licet locus, quo delatum eſt, & unde Salonas revectum corpus S. Domnii; itemque annus & dies tertiæ translationis. Quarta longeque omnium celeberrima translatio ejuſdem corporis poſt Salonam exciſam ſeptimo ſæculo Spalatum tranſvecti, non ſolum antiqua & conſtanti indigenarum traditione nititur, ſed etiam multorum litteris & monumentis continetur. Triplicem hujus translationis narrationem exhibemus, primam ex hiſtoria Salonitana minori deſumptam; alteram necdum typis editam multo uberiorem, quam Apoſtolus Zeno Vir doctrinæ atque eruditionis eximiæ nobis communicavit: tertiam denique deſcriptam a Luca Gaudentio, cujus paullo ante meminimus, inſertamque Breviario eccleſiæ Spalatenſis.

Sed quoniam ſæculo ſuperiore falſa quædam opinio quorumdam ſcriptorum animis, auctore præſertim Baronio, inſederat, corpus B. Domnii una cum plurimorum martyrum lipſanis poſt calamitatem Salonitanam e Dalmatia Romam deportatum fuiſſe, & aſſervari etiamnum colique in ædicula S. Venantii, ſive S. Mariæ ad fontes, quæ Baſilicæ Lateranenſi adjacet; tum hujus loci ratio, tum res & veritas ipſa poſtulat, ut omnem, ſi quis adhuc reſideat ſuper hac re, ſcrupulum evellamus, & ſanctiſſimi hujus corporis poſſeſſi gloriam, Romanis ereptam, Spalatenſibus vendicemus. Itaque

Corpus S. Domnii nunquam e Dalmatia translatum neque Romam, neque in inſulas Diomedeas.

adverſus eorum, qui contra ſentiunt, teſtimonia, quamdam veluti aciem auctoritatum & rationum inſtruximus, quibus id, quod volumus, adeo plane & perſpicue conficitur, ut neminem poſthac futurum cenſeam, qui de re tam certa exploratague addubitare poſſit. Neque noſtram cenſuram effugiet Philippus Ferrarius, qui ſine ulla probabili ratione aut conjectura docuit corpus S. Domnii e Dalmatia advectum fuiſſe in inſulas Diomedeas, & ibidem conditum, ubi templum obtinet, & eximia veneratione ab indigenis colitur.

Sequitur deinde, ut dicamus de Imperatoriis ædibus ampliſſimis ornatiſſimiſque, quas Diocletianus prope Salonam ſibi exſtruxerat; itemque de templo ſane magnifico, quod intra caſdem Jovi dedicaverat; quodque ſæculo ſeptimo expiatum ab illis nefariæ impuræque ſuperſtitionis veſtigiis, Joannes Ravennas primus hoc nomine Spalatenſis Antiſtes Deo Optimo Maximo in honorem Deiparæ ad cœlum aſſumptæ & S. Domnii conſecravit, in eoque S. S. Domnii & Anaſtaſii corpora Salonæ ruderibus educta, & novam in urbem devecta pie honorificeque depoſuit. Conſtantinus Porphyrogenitus in eo libro, quem de adminiſtrando imperio ſcripſit ad Romanum filium, itemque Thomas Archidiaconus in hiſtoria Salonitana Minori paucis deſcripſere Palatium Diocletiani, quod numero ædificiorum, & magnitudine ambitus, ſimilitudinem quamdam ac ſpeciem gerebat civitatis, quodque a Salonitanis poſt patriam everſam non ſolum perfugii loco, ſed etiam pro urbe haberi & frequentiſſime habitari cœpit: inde Spalatum extitit, civitas ſane ampla & populoſa, quæ licet nova Salona dici poſſet, maluit tamen ab ea, quam initio ſuſceperat, forma & appellatione nomen accipere, ſeu potius retinere. A Palatio enim dictum eſt Spalatum. Utramque hujus palatii deſcriptionem hic appoſuimus. Templi vero Diocletianei in

Deſcriptiones templi, altaris, & ſepulchri S. Domnii.

ædem Cathedralem converſi, & B. Virginis ac S. Domnii titulo conſecrati tres deſcriptiones nacti ſumus huic loco interendas, quas ex Italico in Latinum ſermonem tranſtulimus. Huc accedet deſcriptio altaris, ſepulchri, cum epitaphio S. Domnii. Sed quoniam præclara hæc monumenta, & antiquæ novæque architectonices opera, niſi oculis ſubjiciantur, ratione atque intelligentia ſatis concipi comprehendique nequeunt; idcirco eadem æneis typis exprimenda curavimus, eorumque iconographiam ſcite venuſteque factam ſuis locis inſerendam, ut lectores eximia hujuſmodi operum ſpecie oculos ſuos animoſque oblectare poſſint.

Tres dies S. Domnio conſecrati.

Reſtat, ut quæ de cultu ac veneratione ſanctiſſimi hujus Epiſcopi & martyris poſtremo loco dicturi ſumus, hic paucis complectamur. Tres omnino feſtos & anniverſarios dies ad recolendam venerandamque memoriam S. Domnii a majoribus inſtitutos fuiſſe accepimus; primum eumdemque longe celeberrimum atque ſanctiſſimum nonis Maii, quem ſuo ipſemet martyrio conſecravit; alterum III. Id. Aprilis, quo quidem die quinque & quadraginta præclaros Chriſti athletas ſuis cohortationibus ac præceptis ad prælianda prælia Domini egregie inſtructos, & proprio ſanguine perfuſos, inſignique victoria potitos ad cœlum præmiſit: tertium denique IV. Kal. Sextiles, quem in diem quarta B. Domnii Salona Spalatum advecti translatio inciderat. Multa in hanc rem diſquiſitione & cognitu digna nobis ſuppeditat hujuſmodi feſtorum dierum antiquitas & origo, pompa & apparatus, ritus & cæremoniæ, itemque eorumdem celebrandorum conſuetudo vel communis toti Dalmatiæ, vel Spalatenſis provinciæ ſeu diœceſis finibus circumſcripta, vel etiam extra Dalmatiam latius propagata. Digrediemur deinde ad inſulas Diomedæas, ubi S. Domnius templum obtinet ſane pervetuſtum, & antiqua religione colitur. Hujus cultus originem auctoremque inveſtigabimus; & argumenta ſatis certa proferemus, quibus ſemel atque iterum S. Domnius vel ad ulciſcendos templi ſui violatores, vel ad incolas protegendos præſentiam ſuam ac tutelam declaravit. Neque prætereunda erunt miracula quædam, aut certis miraculis proxima, quæ præſertim poſtremis hiſce temporibus divinitus patrata eſſe feruntur ad eorum ſubſidium & ſolatium, qui vel deſperata valetudine, vel in rebus dubiis atque afflictis, ejus fidem ac patrocinium pie caſteque imploraverunt. Ad extremum, quæ diſperſe, & diffuſe dicta ſunt, ea omnia breviter atque ordine deſcripta, ſuiſque temporibus colligata ſub uno aſpectu ponentur.

Templum & cultus S. Domnii in inſulis Diomedeis.

Palatii Diocletianei deſcriptiones.

His ad hunc modum diſpoſitis, neque indiligenter explicatis, & ferme ad calcem perductis, jam prope erat, ut manus extrema accederet, cum Spalato nobis allatum eſt jamdudum exiſſe in vulgus, haberique in manibus libellum quemdam, in quo multa de S. Domnio, ejus ætate Apoſtolica, & cultu & reliquiis falſo ac temere ſcripta leguntur.

Acta S. Domnii a quodam juniore ſcriptore oppugnata.

Auctoris nomen jampridem vita functi, ut ejus famæ ac memoriæ parcam, consulto retineo. Erat ille Doctor juris utriusque, & sane ingenio acri & perspicaci, Latinis Græcisque litteris imbutus, multiplici ac varia eruditione instructus; sed inter illos annumerandum censeo, qui eruditæ ac doctrinæ præsidiis, quibus abundant, ad veteres piasque traditiones convellendas, quam ad confirmandas abuti malunt. Is igitur haud multis ante annis in publicum emisit suam quamdam lucubrationem Italice scriptam, & in duodecim animadversiones distributam, cujus caput & summa est: Domnium illum, quem ecclesia Spalatensis parentem agnoscit, neque Syrum natione, aut patria Antiochenum, neque B. Petri Discipulum fuisse, neque Salona Spalatum, sed Romam translatum esse; errare Spalatenses, qui ejusdem corpus apud se conditum existimant, falsaque opinione ducti venerantur: lectiones vero Breviarii Spalatensis de vita & martyrio S. Domnii conscriptas, ejusmodi esse, in quibus nihil veri, ac ne verisimilis quidem continetur. Ut paucis omnia complectar, quæ de S. Domnio Spalatensium litteris ac monumentis traduntur, & multarum ætatum consensu firmata sunt, ea ipse, nescio qua vetera emendandi, impugnandæque antiquitatis gloriola abreptus labefactare, & funditus evetere conatur. Quod in ipso hujus operis aditu vestibuloque contendit Domnionem illum Episcopum ac martyrem, quem Martyrologi fere omnes ad diem undecimam Aprilis adscribunt, eumdem esse ac Domnium Episcopum & Martyrem Salonitanum, quem Spalatenses nonis Maii anniversario cultu, solemnique religione concelebrant, valde illi assentior, & præter aliquam variationem nominis, nihil sane video, cur alterum ab altero distingui oporteat. Utrumque illum diem festum, alium aliam ob causam, sibi vindicat unus atque idem Episcopus & Martyr, quem alii Domnionem, alii Domnium, alii aliter appellant. Porro eam Dissertationem cum sedulo perlegissem, ne dignam quidem putavi, cujus in hoc opere mentio fieret. Eruditus ille quidem videri cupit, ob eamque causam multa congerit ex historicis, Poetis, Jurisconsultis, seu potius infercit, quæ ad rem non pertinent; quemadmodum vero id, quod concludere voluit, efficiatur, & consequens sit iis, quæ sumpsit ad suam opinionem confirmandam, non admodum laborat: acuti enimvero & perspicacis hominis laudem affectat, qui nodum in scirpo quærat; cavillari eum potius dixeris, quam disputare. Cæterum fere omnia, ex quibus tota lucubratio constat, ejusmodi sunt, quæ viris probis & doctis indignationem, & stomachum moveant, indoctis & parum cautis hominibus offendiculo esse queant.

Capita oppugnationum.

Sed mirari licet hominis confidentiam, qui B. Domnium neque a S. Petro Episcopum Dalmatis datum fuisse, & ejus Salonitanum Pontificatum ab temporibus Apostolicis in posteriores ætates rejiciendum esse perfuadere nobis non opinione solum, sed etiam, si superis placet, omnino ad veritatem se posse existimat. At quid tandem argumenti affert? Neque Auctor Martyrologii Romani, neque Cæsar Cardinalis Baronius in suis Annalibus B. Domnium in eorum numerum referunt, quos Discipulos S. Petri appellant, ab eoque Episcopos consecratos, & variis ecclesiis præpositos fuisse docent: perinde quasi continuo falsum esse haberique oporteat, quod sive in Martyrologio Romano, sive in Annalibus Baronianis tacitum est ac prætermissum. Quod autem subjecit de Domnii ætate nondum matura, neque ad gerendum Episcopatum idonea, cum illi Petrus decrevit provinciam Dalmaticam, id facile dictu potest. Non enim necesse est, ut Petrus sub primum in urbem adventum anno secundo vel tertio Claudii Imperatoris, omnes suos Discipulos eodem tempore singulos in singulas civitates Episcopos descripserit; sed alios citius, alios serius, prout res postulabat, ad eam, quam cuique destinavit, ecclesiam regendam dimisit. Domnium vero Episcopum Salonitanis haud multo ante præfecit, quam suum in urbe martyrium consummaret; cum scilicet Domnius annum ætatis ageret fere quadragesimum. Nec vero si scriptores ejus vitæ, Pancratio in Siciliam, Apollinari Ravennam misso statim subjiciunt expeditionem Dalmaticam S. Domnii, sequitur illico iisdem fere temporibus hunc Dalmatiæ, illos vero Siciliæ & Ravennæ præpositos fuisse Episcopos; nam nemo ignorat moris esse scriptorum, ut res ejusdem generis, quamvis longo temporum intervallo disjunctas, narratione tamen sæpe conjungant. Vide notas in Acta S. Domnii, & Caput IX.

Objecta quædam Actis S. Domnii illuntur.

Ad hæc: præclarus iste Animadversor, quæ sunt perspicue falsa, ea sumpsit pro certis atque concessis; veluti illud, vetustate prorsus interjisse, si quid unquam de S. Domnio litteris antiquitus proditum fuit, nullamque ejus vitam videtur agnovisse antiquiorem illa, quæ breviter a Luca Gaudentio strictimque descripta est, & Spalatensis ecclesiæ Breviario inserta; in hanc enim unam censorium stylum exacuit; in ejusque auctorem aspere & contumeliose invehitur; hunc de dolo malo & fraude accusat, fabulamque totius nullo ingenio, nulla verisimilitudine contextæ artificem fuisse existimat, quæ præterea inventorem chimærarum, mendaciorum architectum, Cleri populique Spalatensis deceptorem vocat. Verum enim vero si quid erravit Gaudentius in describenda vita S. Domnii, habuit sane, a quibus in errorem inductus est, duces ac magistros minime pœnitendos, quibuscum prudens quilibet rerum antiquarum scriptor errare malit, quam cum isthoc homine vera sentire; habuit inquam auctorem tum primæ vitæ S. Domnii, quam ex actis proconsularibus desumptam esse, tum secundæ, quam Hesychio Episcopo Salonitano tricesimo attribuendam esse censemus; habuit Adamum Parisiensem, qui sæculo 11. floruit; habuit denique autographa sive apographa quartæ, & quintæ vitæ, unde sumeret, quæ de S. Domnio scripsit, atque in quamdam Synopsim contraxit. Has autem vitas cum bonus ille vir nusquam nominet, fateatur necesse est, aut sibi ignotas fuisse, aut ab se callida quadam dissimulatione, & artificioso silentio prætermissas esse, ut id, quod volebat, conficeret, vulgoque ad credendum obtruderet, omnia nimirum, quæ de actis & martyrio S. Domnii leguntur in Breviario Spalatensi, multis post sæculis, primum inventa & conficta esse a Luca Gaudentio; neque ullum reperiri vetustiorem scriptorem, cujus testimonio, quæ ille scripsit, confirmari possent. Citat quidem Epigraphen tabulæ marmoreæ incisam apud altare S. Domnii in æde Metropolitana Spalatensi, in qua S. Domnius appellatur Discipulus B. Petri; sed auctori hujus epigraphes nihilo mitiorem, quam Gaudentio, censuram inflixit. Thomam Archidiaconum, qui diserte affirmat Domnium e schola ac disciplina S. Petri prodiisse Episcopum Salonitanum, semel atque iterum commemorat; sed hujus auctoritatem tanti non esse existimat, ut eum responsione, vel animadversione aliqua dignum censeat.

Acre Lucam Gaudentium plures alii vitam S. Domnii scripsere.

quos videtur ignorasse, aut mala fide silentio prætermisse Oppugnator Actorum S. Domnii.

Illud vero perquam ridicule reprehendit, quod Salonam Metropolim nominet, ac templum Salonitanum *sub invocatione Dei Genitricis Mariæ* con-

stru-

ſtructum eſſe dixerit. Hæc duo mirum quam abſurda homini peracuto, rerumque antiquarum ſcientiſſimo videntur. Quid ita? quia temporibus illis Salona non erat Metropolis, & neminem reperies, qui B. Virginem *Dei Genitricis* vocabulo ornaverit ante Synodum Epheſinam, a qua primum eidem is titulus haud honorificentior, quam verior decretus fuit. Non quæro, quam hæc vera ſint; ſed ſcire pervelim, an liceat ſcriptoribus junioribus res antiquas, de quibus differunt, novis titulis ac nominibus, & poſteriorum ætatum uſu receptis donare; id ſi negat, ſuo ipſum teſtimonio convincam. Ait quippe ſcriptum eſſe in lectionibus Breviarii Romani, quæ recitari ſolent die feſto S. Mariæ ad Nives, *Patricium Romanum & uxorem ejus pari nobilitate fæminam, cum nullos liberos ſuſcepiſſent, quos bonorum hæredes relinquerent, hereditatem ſuam ſanctiſſimæ Virgini Dei Matri voviſſe*. Atqui Patricius ille, qui Liberio Pontifice floruit, annis ferme octoginta Concilium Epheſinum anteceſſit. Sed parum ille attendens quod cuique conſequens ſit, quodque contrarium, quid propoſito ſuſceptoque argumento proſit, quidve obſit, avide illum locum ad reprehendendum arripuit, in quo nimirum immenſas eruditionis ſuæ divitias in oculis conſpectuque omnium exponere, lateque explicare poſſet. Multa ibi de Metropolibus civilibus & eccleſiaſticis, earumque primordiis, multa de bellis Illyricis, multa de antiquis eccleſiarum titulis, & Concilio Epheſino fuſe & copioſe diſputat; ad eaſque res illuſtrandas, e quibus cæteroquin ad probandum, quod contendit, nihil argumenti elici poteſt, veterum auctorum teſtimonia ſane multa congeſſit. Conjecturas itidem e nominibus propriis Domnii, ejuſque parentum Theodoſii & Mygdoniæ, itemque Maurilii Salonarum Præfecti deſumptas ad vitam S. Domnii oppugnandam ſubſidio vocat, quibus nihil levius, nihil imbecillius. Cæteras ejus argutias inanes ac miſeras perſequi & evolvere piget tædetque; illud affirmare poſſe mihi videor, ex hiſce animadverſionibus ſi eam partem demas, quæ nihil habet propoſiti, præter oſtentationem eruditionis, ſcientiæque veterum rerum, & ſcriptorum, haud multa ſupereſſe, quæ ad id, quod agit, & in quo verſatur, pertineant: hæc vero hujuſmodi ſunt, ex quibus id, quod concludere vellet, non neceſſario, nec eſſe conſequens, quivis ingenii non omnino obtuſi clare perſpiciat. Sed facere nequeo, quin aliquid de hominis turpiter a ſe ipſo diſſidentis levitate & inconſtantia ſubjiciam. In proœmio auctorem vitæ Domnianæ arguit malæ fidei, & impudentiæ, qui cum ſcripſerit *S. Domnium obtruncatum eſſe nonis Maii*, egregie impoſuit Synodo neſcio cui Diœceſanæ, opinor, Spalatenſi, quæ illius auctoritati tantum tribuit, ut decreverit nonis Maii ritu officioque ſolemni celebrandum eſſe martyrium S. Domnii; deinde digreditur ad reprehenſionem illius Synodi, quæ poteſtatis ſuæ limites prætergreſſa id ſtatuerit injuſſu Pontificis Romani, contra quam vetuit ſacra rituum congregatio. Jam vero animadverſione decima prorſus contraria ſubjecit; nimirum ab eodem auctore idcirco nonis Maii affixum eſſe Martyrium S. Domnii, quod eum diem jamdudum a Clero populoque Spalatenſi in honorem S. Domnii feſtum haberi, & ſumma religione cultuque anniverſario celebrari animadverterit: cujus quidem diei feſti agendi initium & conſuetudinem ipſemet Cenſor ad ſuperiores ætates refert, ejuſque inſtituti originem repetendam eſſe ceuſet ab aliquo Spalatenſi Archiepiſcopo, quam Creſcentium fuiſſe opinatur, cujus Pontificatus ſub finem undecimi ſæculi initus, uſque ad annum 12. proximi ſæculi producitur. Quid eſt aliud, amabo, ſi hoc non eſt, pugnantia ſecum frontibus adverſis componere?

Ipſe ſe ipſe diſcrepat.

Iſta ſunt arguti hujus captioſique ſcriptoris flagitia, contemptu & ſilentio, quam caſtigatione & refutatione digniora. Hominem impudentiæ audaciæque propemodum incredibilis ſatis ſuperque convincunt Acta ipſa S. Domnii ex optimis codicibus, præclariſque auctoribus mirifice inter ſe conſentientibus infra deſcribenda. Sit operæ pretium non ſit, argumentis aliunde adſcitis ea refellere, quæ temere & nulla propemodum ratione de Actis S. Domnii effutiit, quæque tot argumentorum ac teſtium auctoritate falſitatis apertiſſimæ coarguuntur. Quare ſatius eſſe ducebam hoc, quidquid eſt operis, ſilentio tegere ac præterire, quam in eo refutando tempus operamque conſumere, ne res haud dubie, ſed perſpicue falſas refellendo, ut ſæpe accidit, dubias facerem ac veriſimiles; neve hujuſcemodi falſis & commentitiis animadverſionibus referendis, auctoris jampridem defuncti memoriam refricarem, utique in eum cogerer aſperiori cenſura, quam quæ in mortuos decet. Sed poſtquam hic de S. Domnio liber jam pene eſſet perfectus & abſolutus, ab amicis admonitum ſum, quod ego ſubvereri jam cœperam, non defuturos, qui meum conſilium raperent in pejorem partem; & ſilentium noſtrum ex eo proficiſci interpretarentur, quod vel illa diſſertatio noſtram notitiam ſubterfugiſſet, vel diffiderem poſſe me ejuſdem commenta reſponſione ſatis apta diluere; quorum alterum incuriæ eſt atque ſocordiæ, quod non omnia, quæ rei noſtræ vel prodeſſe vel obeſſe poſſunt, inveſtigaverim, atque perviderim; alterum hominis eſt callidi atque verſuti, qui vulgari Sophiſtarum artificio uſus, graviora ad probandum, eademque ad refutandum difficiliora diſſimulet. Prætorea hujuſmodi opuſculum vulgatius jam eſſe ajebant, quam ut ſine ulla mentione præteriri poſſit; nam ejus exemplo per Dalmatiam, atque adeo Italiam circumlata in manibus fere omnium verſari, qui rerum Dalmaticarum ſtudio & cognitione delectantur; nec vero deeſſe quoſdam novitatis, quam veritatis cupidiores, quibus nova iſthæc, atque inaudita portenta arrideant.

Eum contemnere ſatius eſt quam refellere.

His igitur rationibus adductus, & quadam propemodum neceſſitate compulſus prætermittere non potui, quin eos, quorum in manus hæc hiſtoria pervenerit, certiores facerem libellum illum & viſum a me, & lectum eſſe diligentiſſime; ſimulque de illo, quid ſenſerim, quidve cenſuerim declararem. Neque vero propterea a propoſito ſuſceptoque conſilio omnino diſcedere videor, ſiquidem non id mihi agendum, neque in eo laborandum cenſui, ut juſtam accuratamque adverſus illum diſputationem inſtituerem, atq; ad ea omnia reſponderem, quæ parum prudenter cauteque ſcripſit. Quid enim cum illo diſputes, quidve illi reſpondeas, qui nihil probabile ad concludendum ſumpſit, nullam ſuis opinionibus rationem alicujus momenti ſubjecit, quam diluerem, nullos teſtes citavit, quos vel refellerem, vel in eam partem interpretando detorquerem, quæ cum antiquorum ſententiis monumentiſque cohæret. Nihil igitur rei, nihil diſputationis cum iſthoc homine ipſe quidem habere volo; ſed contra illum veterum tabularum, & graviſſimorum auctorum agmen inſtruam, qui cum eo congrediantur, ejuſque errorem coarguant, impudentiam confotent, commenta explodant. In hunc quippe locum multa congeram, eaque locupletiſſima teſtimonia, quæ partim ex Actis S. Domnii, partim ex auctoribus optimis, & ad fidem faciendam

Eum facta refellunt veterum tabulæ & ſcriptorum antiqui & recentiorum.

dam perquam idoneis collegi, quorum fere omnium una vox est atque sententia Beatum Domnium Apostolorum ætati supparem fuisse, & Petri Apostolorum Principis Discipulum, & Salonitanæ urbis primum Episcopum, ab cognue hujus sedis ecclesiæque primordia repetenda esse. Ita fiet, ut non ego quidem illum refellam, qui nihil mihi ad refellendum attulit; neque meis, sed alienis armis hominem confodiam; & cum tam multa plena impudentiæ & falsitatis adversus certissima veterum ac juniorum testimonia fidenter omnino, nihilque hæsitans protulerit, eum desipere, delirare, ac prope dementem esse auctoritatibus addicam necessariis.

Haud sane dubito, quin si adhuc viveret, ubi se tot ac tantorum testium nube obrui cerneret, suæ illum lucubrationis pœniteret, falsasque opiniones neque sera, neque inutili palinodia rejiceret ac reprobaret. Sed ille jampridem immaturo fato præreptus illuc concessit, ubi nullus pœnitendi locus superest; nisi forte antea respuerit, quam hinc discederet. Equidem male metuo, ne mortem ipse sibi ab irato Deo properaverit: certe hæc opinio in vulgus multorum sermone percrebuit, penitusque hominum animis insedit, cum Deo Beatoque Domnio dedisse pœnas temeritatis suæ; quippe qui haud multo post, quam opus illud tenebris publicaque censura & ignominia dignum in lucem emisit, tempore non suo, cum ætate & viribus valeret ac vigeret, præter suam omniumque expectationem, extinctus est. Verum Deus ista viderit, neque is ego sum, qui arcana ejus consilia & judicia scrutari ausim. Nunc quod instat, expediam, quæque paullo ante pollicitus sum, ex optimæ notæ codicibus, clarissimisque Scriptoribus, adversus ejusmodi deliramenta, ex ordine producam certiora & graviora testimonia, quam ut quisquam, modo sanæ sit mentis, eorum auctoritatem defugere possit.

CAPUT PRIMUM.

De Sancto Domnio Episcopo Salonitano Testimonia ex Martyrologiis, & illustrium Virorum scriptis deprompta.

§. I.

Ex Martyrologiis.

I III. Id. April. IN *Salona* * *Dalmatiæ* a *Domnionis Episcopi & b militum* c VII. & d *Dalmati*. Ex Martyr. Hieronymiano Lucensi apud Florentinium pag. 427.

II III. Id. April. *Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi & militum* e *trium, Dalmati*. Ex Apographo Hieronymiano vetustissimo S. Villibrodi apud eumdem.

III III. Id. April. *In Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi, & militum novem*. Ex Corbejensi apud eumdem.

IV III. Id. April. *Salonæ in Dalmatia SS. MM. Domnionis Episcopi, cum militibus octo*. Ex hodierno Martyr. Romano.

V III. Id. April. *In Dalmatia Civitate Salona S. Domnionis Episcopi cum militibus octo*. Ex Usuardo apud Sollerium & Henschenium ad hanc diem undecimam Aprilis.

VI III. Id. April. *In* f *Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi, & militum octo, & Dalmati*. Ex Martyr. Bedæ Barberiniano apud Bollandianos Tom. 2. Martii pag. v.

VII III. Id. April. *In Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi, & militum novem, & Dalmatæ*. Ex alio apographo Corbejensi Hieronymiano apud de Asty ad hanc diem.

VIII. III. Id. April. *In Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi, &* g *millia septem*. Ex Martyr. Blumensi apud de Aste.

IX III. Id. April. *In Dalmatiæ Civitate Salona Domnionis Episcopi cum militibus octo*. Ex Martyr. Notkeri apud Sollerium ad diem XI. April.

X h III. Id. April. *Et* h *Domnini Episcopi, & S. Dalmatii*. Ex Codicibus Atrebatensi, & Tornacensi apud Henschenium Tom. 2. Martii.

XI i k III. Id. April. *Apud* i *Dalmachiam Civitate* k *Sabario S. Domnionis Episcopi cum militibus octo*. Ex Martyr. Usuardino Bruxellensi in Auctariis Usuardinis apud Sollerium.

XII III. Id. April. *Salonæ in Dalmatia S. Domnionis Episcopi, & Sociorum octo Mm.* Ex M. Galesinii.

XIII *In Dalmatiæ civitate Salona S. Domnionis Episcopi ac militum octo*. Ex Maurolyco.

XIV Nonis Maji. l *Spalati S. Domnini Episcopi Salonensis & Martyris*. Ferrarius in Catal. General. §S. l ad diem 7. Maji.

§. II.

Ex Scriptoribus antiquis & junioribus.

I A *Christi Jesu nomine novo Christi Discipulos primum Antiochiæ cognominatos fuisse eodem die, quo Christus* II *octavo antea anno a Joanne baptizatus est, ex* m *traditione S. Domnii Discipuli B. Petri Apostoli, primi hujus nostræ ecclesiæ Antistitis, qui tunc Antiochiæ fuit, tenemus*. Hesychius Episcopus Salonitanus tricesimus, qui floruit sub initium quinti sæculi, in Vita S. Clementis Papæ §. 23.

Post hæc Petrus Apostolus benedicens fratribus cum n *Clemente, Andronico, Domnio, Marco,* n *qui & Evangelista, Evodio, Apollinare, Rufo, Martiale, Materno, Crescente, plurimis aliis ad expugnandum Simonem Magum Romam venit*. Idem ibid. §. 56.

II Huic testimonio Hesychii Salonitani Episcopi fidem atque auctoritatem adjungit Simon Bengnius Episcopus Modrusiensis, qui Concilio Lateranensi cum interesset, sess. VI. gravem elegantemque orationem habuit coram Leone X. Pontifice Maximo: *S. Ischius, qui tempore Zosimi Papæ præfuit ecclesiæ Salonitanæ, scripsit Vitam S. Clementis Papæ & martyris; ubi testatur inter cætera Salonitanam ecclesiam fundatam fuisse a S. Domnio S. Petri Discipulo*. In Collectaneis Bengnianis a Raphaele Levacovichio Achridensi Archiepiscopo repertis ac descriptis.

III o *S. Domnius* o *Archiepiscopus Salonitanus & Christi Martyr, Discipulus Petri factus, brevi Magistro suo, & condiscipulis Pancratio atque Apollinari, carissimus evasit. Deinde vero Petrus ... Pancratium destinavit in Siciliam, Apollinarem Ravennam,* p *Domnium Salonas, sui quemque loci Episcopum constituens*. Adamus Parisiensis in Vita S. Domnii, quam descripsit rogatus a Laurentio Archiepiscop. Spalatensi, qui creatus est Pontifex ann. 1059. p

B. Petrus Apostolorum Princeps hunc Pontificem B. Domnium, q *devotiorem suorum Discipulorum, suis manibus consecratum ad Salonitanum populum destinavit*. Et paucis interjectis: *Hic siquidem jussione, & hortatione paterna sui Magistri, celeri gressu recedens ab urbe, pro palma martyrii obtinenda*

Digitized by Google

da divinitus Salonam applicuit, ubi populum Idolica nebula offuscatum vera fide & doctrinæ evangelicæ semina seminans, igne divini luminis illustravit.

q Auctor anonymus in descriptione secundæ translationis.

IV *Præterea Episcopos per Dalmatiam constitutos suffraganeos, quibus Salona tempore suo rutilando urebatur, sanctæ Ecclesiæ Spalatinæ, ubi corpus S. Domnii Discipuli B. Petri requiescit, cum omni reverentia obedire sancimus.* Innocentius II. Romanam sedem adeptus anno 1130. in epistola ad

qq Gaudium Archiep. Spal. apud Lucium lib. 11. cap. 14. pag. 91. de Regn. Dal. & Croat.

r V *r Dopinus natione Syrus a B. Petro Episcopus ordinatus in Dalmatiam venit, & ecclesiam a Tito inceptam in Salona urbe Metropolitana provinciæ plurimum auget, & pro Christi nomine sacrificare*

f *renuens, a Præfecto f Mauritio, martyrio coronatus est. Hæc quidem sedes in Spalato, Salona destructa, cum corpore Pontificis translata est.* Andreas Dandulus Venet. Dux, Annal. Venet. lib. 4. cap. 2. n. 15. ex Cod. Vaticano 5842.

VI *B. Petrus per oras Adriatici Sinus tres direxit Pontifices, Apollinarem Ravennæ, quæ est Metropolis totius Æmiliæ, Marcum Evangelistam Aquilejæ, quæ præerat Venetiæ, & Istriæ; Domnium vero in*

s *Salonam direxit, quæ caput erat Dalmatiæ, & t Croatiæ.* Thomas Archidiac. in Hist. Min. Salonit. cap. 3. ex edit. Amstelodamensi, & Codice Vaticano, Marulliano, aliisque Mss. Floruit Archid. sæculo 13.

S. Domnius Episcopus natione Antiochenus; .... puer septem annorum divinitus inspiratus relictis parentibus .... secutus est Apostolum Petrum .... qui Pancratium destinavit in Siciliam, Apollinarem Ravennam, Marcum Evangelistam Aquilejam, Domnium vero in Dalmatiam. Idem in Hist. Salonit. Majori ex Codd. Barberiniano, Bengniano, & Levacovichiano.

VII *Domnius primus Salonitanæ urbis Archipræsul. Ipse fuit S. Petri Principis Apostolorum Discipulus, natione Syrus, patria Antiochenus: populisque Dalmatiæ verbum æternæ vitæ, quod a u Tito Pauli Apostoli Discipulo fuerat inceptum annunciari, libere prædicavit.* Auctor anonym. cujusdam antiqui Catalogi Ms. Pontificum Salonit. quem nobis commodavit Cl. vir Hieronymus Bernardi Presbyter Spalatinus.

VIII *Sæculum I. S. Domnius Episcopus in Dalmatiam a S. Petro missus, martyr Salonæ.* Ex Bollandianis in Indice Chronologico Tom. 2. Aprilis.

S. Domnius Antiochiæ natus a S. Petro cum parentibus conversus, cum Sanctis Pancratio, & Apollinari S. Petrum secutus Romam venit, & Episcopus Salonas mittitur, ubi multos convertit. Ex iisdem. Henschenius in Notis marginalibus in Vitam S. Domnii Tom. 2. die XI. April.

De Urbe Dalmatiæ olim celeberrima Salona, & de Salonitanis a Tito fidem Christi edoctis: deque S. Domnio Episcopo ad eos a S. Petro destinato agimus late XI. *April.* Ex iisdem ibid. die 18. April.

IX *Salonitana ecclesia martyrio S. Domnii Discipuli Petri Apostolorum Principis instituta fuit.* Historicus Dalmata de Reg. Dalm. & Croat. ex edit. Amstelodam. an. 1668. lib. 2. cap. 14.

X *Præter enumeratos a Ciacconio Episcopos, alios etiam præfecit (Petrus), Byzantio Stachin, Alexandriæ Marcum, Salonæ Dalmatarum Domnionem, &c.* Augustinus Oldoinus e Soc. Jesu in Addit. ad Vitas Pontific. Rom. & S. R. E. Cardinal. ab Alphonso Ciacconio Ord. Prædic. descriptas Tom. 1. ad an. 68.

Illyricum Sacrum.

S. Domnio Salonitanorum Præsulum coryphæus, XI *& S. Petri Apostoli Discipulus, cujus anniversaria solemnitas ab universa Dalmatia* x *Nonis Maji so-* x *lemnis habetur.* Joannes Tomco Mornavitius Episcop. Bosinensis in Opusculo Romæ excuso 1634. quod inscribitur: *S. Felix Episcopus & martyr Spalatensi urbi vindicatus*, pag. 17.

Domnius, jubente Apostolorum Principe Petro, XII *Salonarum Episcopus institutus, apud quas, sicut Petrus* aa *Echilinus meminit, cum octo* bb *mi-* aa bb *litibus pro Christo occisus fuit, Christianum dogma Dalmatis prædicavit.* Vincentius Peribœvius Ord. Prædic. in Orat. de Origine Slavorum habita Phariæ in patria sua, & Venetiis edita.

Post cc *discessum S. Titi, in Dalmatiam a S. Pe-* XIII cc *tro Apostolo missus fuit Domnius nomine, suus Discipulus, natione Syrus, patria Antiochenus, qui Dalmatiæ populis verbum vitæ, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret. Is fixit suam sedem Salonæ, adeoque fuit primus Episcopus Salonensis,* Martinus Szentivanius e Soc. Jesu rerum memorabilium Hungariæ Decade prima par. 3. pag. 61.

Constat 6. Domnium a Petro Apostolorum Principe missum, Dalmatiæ, ac reliquis partibus Illyrii verbum vitæ prædicasse. Id. Dec. 3. p. 1. pag. 177.

Salonam, sive quod dd *sub Romanis Metropolis di-* XIV dd *gnitate usa fuisset, sive quod in illa urbe* ee *major* ee *Judæorum copia degeret, uti contra Petrum de Marca statuit Bacchinus Casinensis Monachus in Dissertatione an. 1703. edita Mutinæ, missus fuit Domnius D. Petri Apostolorum Principis Discipulus, qui in ea civitate diutius prædicans, multosque per totam provinciam a gentilitatis errore convertens, non parvam Christo ecclesiam adunavit, ibique agonem sui Martyrii felici cruore peregit.* Paullus Moronius e Soc. Jesu Parte 3. Seg. 2. pag. 191. Topographiæ Magni Regni Hungariæ, Viennæ typis vulgatæ ann. 1718.

§. III.

NOTÆ.

* *In Salona Dalmatiæ urbe legendum esse clarum est, & pro Domione, Domnionis Episcopi memoriam reponendam esse clamant martyr. Rom. Notkerus, Petrus de Natal. cum aliis recentioribus.* Florentinius in Notis ad hunc locum.

a Quem alii Scriptores alias Domnium, alias Domnum, alias aliter appellant, Martyrologi fere semper Domnionem vocant. Vide Cap. 8.

b Vide Cap. XI. De Sociis S. Domnii, §. 1.

c Vide ibid.

d Vid. ibid. §. 4.

e Vid. ibid.

f Lege *Salona*.

g Vid. ibid. §. 3.

h *Domninus* & *Domnius* Synonyma.

i Mendum irrepsit; legendumque *Dalmatiam*.

k Pro *Sabaria*, substituendum *Salona*.

l Dies Maji septima est dies Natalis seu martyrii S. Domnii, ut ejus Acta, & traditio ecclesiæ Salonitanæ testantur. Id causæ est, quamobrem cæteri Martyrologi, qui commemorationem S. Domnii referunt ad diem undecimam Aprilis, numquam huic diei titulum Natalis attribuant. Cur autem dies undecima Aprilis S. Domnii nomine fit consecrata, rationem reddimus cap. 19. §. 2.

ll Juxta Baronium Christus baptizatus est anno ætatis 31. Christiani igitur appellari cœpti sunt Antiochiæ anno Christi 39. qui fuit æræ vulgaris 36.

m Hanc Traditionem a B. Petro haud dubie ac-

Digitized by Google

ceptam non solum verbis in Dalmatarum animis infixerat, sed fortasse etiam litteris S. Domnius consignaverat. Verum codex ille, in quo hujusmodi traditionem, & alia id genus descripserat, vetustate interiit,

o Hos Discipulos antiqui fere omnes B. Petro adscribunt.

p Re quidem erat *Archiepiscopus* Salonæ, nomine vero non erat. Nam id vocabuli nondum usu receptum fuerat ad designandum primum unius provinciæ Episcopum, sive, ut Græci vocant, Metropolitam. Vid. sect. 3. cap. 2. par. 3. Proleg.

p Petrus non eodem tempore Domnium in Dalmatiam proficisci jussit, atque alios in suam quemque provinciam dimisit. Vid. cap. 9. §. 3.

q Quippe Domnius a puero in disciplinam Petri traditus, eximiam erga Magistrum pietatem ac venerationem animo penitus imbiberat; nemo cum eo diutius, nemo familiarius vixit; nam ab anno septimo ætatis usque ad Petri martyrium ab ejus societate ac latere numquam discessit.

qq Is ab an. 1136. ad an. 1153. Ecclesiam Spalatensem administravit, dictus etiam *Gaudentius*.

r Ideest *Domnius*; quo in nomine scribendo mira est Auctorum varietas.

s In Actis S. Domnii legitur quidem *Maurilius*, vel *Maurelius*, nusquam vero *Mauritius*. Vero simile est hoc nomen ex duobus vocabulis prænomine scilicet ac nomine *M. Aurelius* simul conjunctis conflatum esse; quemadmodum ex duabus illis dictionibus Rictius Varus in unam coalescentibus factus est Rictiovarus Judex sub Diocletiano Christianis torquendis præpositus, de quo sæpe mentio fit in Actis Martyrum.

t Croatiæ vocabulum longe posterius est, quam ut referri possit ad S. Domnii ætatem. Septimo fere sæculo audiri cœpit in Dalmatia, illatum a Chrobatis populis Septentrionalibus, Heraclio Imperante, qui sedes in Dalmatia mediterranea illis attribuit. Præclare igitur animadvertit Historicus Dalmata lib. 2. cap. 14. *Archidiaconum de S. Domnio scribentem, vocabula sui temporis usurpando, Croatiam perperam nominasse*.

u De S. Tito, quem B. Domnii præcursorem vocamus, vide plura in ejus Actis.

x De hoc Festo die ad martyrium S. Domnii celebrandum instituto plura dicentur cap. 19. §. 1.

aa Ideest Petrus Natalis Episcopus Equilinus, qui multorum Divorum Acta collegit.

bb Nusquam id legitur in Actis S. Domnii, sed solum apud Martyrologos. Locus videtur esse depravatus, quem sic corrigi oportet: *cum sociis octavo milliario ab urbe*. Sed vide cap. 12. De Sociis S. Domnii.

cc Titus discessit e Dalmatia anno Christi 61. æræ vulgaris 58. in ejus locum subrogatus est Hermes, ut in actis utriusque dictum. Deinde vero anno æræ vulgaris circiter 65. Domnius Dalmaticum Pontificatum iniit, Episcopali sede Salonis defixa.

dd Vide Prolegom. 3. par. sect. 2. cap. 2. §. ult.

CAPUT II.

Vita & Passio S. Domnii confecta, ut videtur, ex Actis Proconsularibus, aut tabulis ecclesiæ Salonitanæ. Nos eam descripsimus ex Codice Georgiceo Historiæ Salonitanæ majoris, cum aliis Mss. collato.

§. I.

Acta S. Domnii.

Sanctus a *Domnius Episcopus, natione Antiochenus, patre Theodosio ex Syria, matre vero Mygdonia ex Græcia, quos catechumenos fecit, & baptizavit B. Petrus Apostolorum Princeps, qui primus sedit in Cathedra Episcopatus urbis Antiochenæ, ubi Domnius puer septem annorum divinitus inspiratus, relictis parentibus, & hujus Mundi divitiis secutus est Apostolum. Tempore vero* b *Claudii Cæsaris placuit B. Petro visere populum Cæsareæ, in cujus finibus quendam a Domino potestatem ligandi, atque solvendi suscepit. Inde abiens peragravit* c *Sebastem, Cappadociam, Galatiam, Pontum, Bithyniam, Ephesum, Patmos, Athenas, demum ad Ostia Tyberina applicuere,* d *Urbemque ingressi sunt,*

Ubi B. Petrus multis jam ad fidem Christi conversis, alias quoque orbis terræ partes ab erroris pernicie liberare cupiens, e *Pancratium destinavit in Siciliam, Apollinarem Ravennam, Marcum Evangelistam Aquilejam,* f *Domnium vero, multis coram positis dixit. Ecce Fili ab infantia mecum ingressus, & egressus es, omnem doctrinam catholicam didicisti: pete litus maris Adriatici, & vello cursu trans mare contra Boream vellus veniens in Dalmatiam, quæ per te non post multos annos Christo creditura est. Vade, pax Dei sit tecum. Domnius igitur satis prospero cursu mare emensus Salonas devenit, Christique mysteria publice ac palam exponere cœpit, ad cujus prædicationem multi corde compuncti Christo crediderunt, quos omnes in flumine* g *Salone baptizabat.*

Quemdam Pyrgum falsum Philosophum secum disputantem cum a suo errore non posset abducere, in sua obstinatione relinquens verbum Dei populis prædicabat Spiritu Sancto cooperante, & sermonem confirmante. h *Ecclesiam in honorem S. Dei Genitricis Mariæ in eadem urbe construxit pulcherrimo opere, ubi Sacerdos Dei* i *Presbyteros, & Levitas, cæterosque sacri Ministerii ordines in ea ordinavit. Quibus per Dalmatiam dimissis brevi omnem fere Provinciam diabolo ereptam Deo lucratus est. Post multum vero temporis cum jam Dominus servum suum ad coronam, & triumphum certaminis pervehere vellet, accidit* l *Præfectum Urbis Maurilium nomine ad prædictam civitatem Salonas venisse, missum* m a *Senatu totas provincias* n *Orientis judicare, qui cum civitatem intrasset, sacerdotes Templorum occurrerunt ei dicentes: Seductor quidem Romana urbe profugus ad hanc urbem venit, qui culturam Deorum nostrorum non cessat subvertere, & Jesum quemdam a Judæis crucifixum summum Deum adstruere.*

His superba mente Præfectus auditis, B. Domnium ad se accersiri jussit, cui & dixit: Ex quo genere es tu, aut de qua civitate oriundus? B. Domnius respondit. Patre Syro, matre vero Græca progenitus, in civitate Antiochena educatus. Ibidem lavacrum regenerationis a B. Petro Apostolo suscepi,

& ab

a Domnius Antiochenus, Petri discipulus Romam appulit.

b

c

d

e

f Evangelii causa mittitur in Dalmatiam, & Salonam multos baptizat.

g

Cum Pyrgo disputans nihil proficit.

h

i Ecclesiasticam hierarchiam constituit.

l

m n

Apud Maurilium Præfectum accusatur.

accersiri jubetur.

In carcerem conjiciur.

& ab eodem ad hanc provinciam missus pro salute animarum veni. Tunc Præfectus justit eum reclusi in carcere, quousque exquireret, quibus eum modis ad cultum Deorum revocaret, aut atrocissimis tormentis interire faceret.

Paratis quibusdam negotiis, & adducto eo de carcere, cepit multis sermonibus suadere, quatenus promissa accepta, atque inter amicos ejus adscriptus, Christum denegaret, ac diis sacrificaret. Tunc B. Domnius, igne divino succensus dixit. Insane Maurili, pecuniæ me movere speras, cum ego multo majus patrimonium sponte reliquerim, ut cum Christo pauper viverem. Non est opus Christiano divitiis istis, sed fide, atque virtute, quibus divitiæ numquam inveniuntur parentur in Lulo. Videns autem Præfectus omnia, quæ tentaverat, incassum cadere, expoliari hominem justit, & fustibus nudum cedi. Dum autem Domnius cæderetur, fit Christianorum concursus ad Prætorium, insultant Maurilio, sequentes pro dolore & opprobriantes, quod iniquè ageret hominem innocentem per ludibrium supplicijs opprimi. Ille verò ira percitus repente emissa armatorum manu, o quadringenta quinque ex his comprehensos, nolentesque idolis sacrificare statim capite truncari jussit. Quorum corpora noctu a fidelibus inde sublata ad radices p *Massaron montis humata sunt.*

Verberibus auditur.

o

P

Per eos dies, dum talia geruntur, Febronia Vindæ filius, cujus pater nomine Diginanus urbis Romæ Senator fuerat, defunctus est; de ejus morte tam Præfectus, quam cæteri Salonarum cives mœstiores facti, B. Domnium submisso capite, ac fedata voce poscebant dicentes: nunc apparebit virtus Christi tui, si in nomine ejus, quem tu dicis mortuos suscitasse, cæcos illuminasse, dæmonibus imperasse, hunc poteris mortuum suscitare. Ad hæc vir Dei respondit Præfecto. Licet noverim cor tuum a diabolo obcæcatum, ne credens salvus fias; propter eos tamen, qui crediderunt, vel qui crediturí sunt, ut agnoscant veritatem Christi, exurgere hunc faciam. Tunc juxta cadaver flexis genibus, manibus vero atque oculis in Cælum sublatis cum oraſſet, imperavit mortuo in nomine Christi, ut resumpto spiritu se in pedes erigeret, atque iterum vivere super terram inciperet. Vix verba finierat, & adolescens tam facile surrexit, ut non a morte suscitatus, sed quasi a somno expergefactus videretur. Quo viso miraculo plurimi ad fidem Christi conversi sunt.

Suscitatus Febronius ad vitam redeat.

Sacerdotes vero templorum videntes, quod tanta multitudo, turba senum, juvenum, mulierum, ac parvulorum ad hoc miraculum confluxerat, quavis theatralibus ludis vel sacrificiis olympici Jovis nix unquam convenerat, omnes majores natu, vel quorum auctoritas pollebat, in Prætorium congregare fecerunt, & data pecunia Præfecto suggessarunt ei, atque dixerunt: Non consideras, quantum hic magus præstigiis suis seducens populum, tibi quoque, nisi caveris, maximum conflat detrimentum, & certum interitum. Nam si ejus vitæ peperceris, populum usquequaque subvertentis, S. P. Q. R. judicabunt te contrarium legibus q *Augustorum, & damnabunt te proscriptioni, & morti, nec erit, qui possit succurrere tibi. Tunc Maurilius donis obcæcatus, ac perversis seductus consiliis, firmato in malum animo dedit legem: Dominum contrarium legibus Imperatorum, contemptorem Deorum jubemus capitalem subire sententiam. Mox illaretes eum apprehensum extra civitatem, ut devallaretur, eduxerunt. Ubi cum diu in oratione genuflexus procubuisset, unus ex ministris Satbana impetu facto, amputavit caput ejus,* r *Nonis Maji.*

Capite plectitur.

q

r

§. II.

Notæ in Vitam Primam S. Domnii.

a *Domnii* eamdem litteris paullulum immutatis alii aliter efferunt: nam qui hic appellatur *Domnius*, alibi *Dommio*, *Dominio*, & *Domio*, alibi *Dominus*, *Dompninus*, & *Dopinus* vocatur. Vide cap. VIII. §. 1.

b Claudius a suscepto Imperio annum secundum agebat, cum Apostoli distributis inter se orbis regionibus ex Judæa alii alio discessarunt; & Petrus relicta Antiochena sede Romam concessit. Annus autem secundo Claudii respondet anno Christi juxta Baronium 45. qui fuit æræ vulg. 42.

c In aliis codicibus *Sebasten*, in aliis *Sebastem* invenies. Cæterum itineris ratio ubique eadem; cohærentque apprime cum Geographorum tabulis, & Historicorum descriptionibus. De Romana Petri profectione, & regionibus ex itinere aditis vide quæ scripsimus Par. 3. Proleg. sect. 1. cap. 1. §. 1.

d Scilicet intra finem ejusdem anni, qui numeratur 42. æræ vulgaris. In sequenti vero, cum nondum exisset annus secundus Claudii, XV. Kalendas Februarii Romanam ecclesiam sedemque Pontificiam instituit. Male igitur juniores quidam ex verbis Lactantii libro *de Mortibus Persecutorum* perperam intellectis, primum Petri in urbem adventum referunt ad Imperium Neronis.

e Petrus anno Christi juxta Baronium 46. æræ vulgaris 43. ut videtur, Episcopos creavit Pannoniam, Apolliniensem, aliosque, & in suam quemque provinciam dimisit.

f Tò vero significat similitudinem Apostolicæ expeditionis, quæ Domnio æqua, ac cæteris Petri Discipulis obtigit, conjunctionem temporis non item. Neque enim ante annum Christi 67. æræ vulgaris 64. vel ante annum superiorem Domnius Dalmaticum Pontificatum suscepit. Vid. Cap. IX. §. 3.

g Hic fluvius ab urbe, cujus mœnia præterfluebat, nomen acceperat. Jader etiam, sive Judrus appellari solebat. De hoc Fluvio Thomas Archidiaconus hæc scripsit cap. 9. Hist. Salonit. *Judrus ex Orientali parte Salonæ multum delectabiliter influebat, de quo legitur in Lucano:*

Qua Maris Adriaci longas ferit unda Salonas,
Et tepidum in molles Zephiros exserrit Jader.

Micha Madius cap. XV. aliam rationem attulit, cur is fluvius vocetur Jader: *Iste Jader*, inquit, *ut habetur in Chronicis antiquis, & in libro Poetarum, vocabatur flumen Salonæ; & quia erat dulcissimæ aquæ, & serenæ ad bibendum, ut cuibat totam civitatem Salonæ, & consolabatur omnes ibi stantes in ea, & usque Spalatum per conductos diffundebat, fuit impositum ipsi nomen Jader.*

h Jam inde usque ab Apostolicis temporibus Sacras ædes condi cœpisse auctores sunt gravissimi, quorum aliqui docent multa templa dicata fuisse in honorem Virginis Deiparæ, itemque SS. Apostolorum, antequam e vivis excederent. Vid. Cap. X.

i Hic non solum inferioris ordinis Sacerdotes, sed fortassis etiam Episcopi, ex veteri consuetudine, Presbyterorum nomine designantur.

l Maurilius urbis Romanæ præfecturam gesserat, ut colligitur ex quarta Vita. Vide notam F. in Cap. I. §. 3.

m Juris in Oriente dicendi potestatem non a Trajano tum imperante, sed a Senatu acceperat, anno scilicet 107. nam per ea tempora Trajanus multiplici cum Armenis, Persis, aliisque Barbaris bello implicitus procul aberat in Oriente, unde

numquam in urbem rediit, sed in Cilicia decessit anno Christi 119. vel 117. Imperatore autem absente, potestas administrandi mandandique provincias ad Senatum devolvebatur. Vide c. 9. §. 5.

n Dalmatia ex instituto Geographorum Orientis provinciis annumeratur. Vide cap. 9. §. 5.

o Is numerus congruit cum reliquis codicibus; sed Adamus Parisiensis quinque hujus numero ademit. Consule notas in tertiam vitam.

p Mons altissimus haud longe ab Salona & Clissa ab Oriente.

q Idest Neronis & Domitiani, qui decretis edictisque compositis persecutionem Christianis indixerant. Nam Trajanus nihil novi edicti adversus Christianos tulit; sed ex institutis ac legibus superiorum Imperatorum Christianos persequi instituit.

r Idest VII. Maii, quo die Spalatenses celeberrimum ac primarium B. Domnii festum agere solent. Vide cap. XIX. §. 1.

§. III.

Ejusdem B. Domnii vitæ Epitome, per Thomam Archidiaconum Spalatensem descripta. Ex Hist. Salonitana Minori per Lucium edita cap. 3.

a *Hujus a Titi loco B. Petrus Apostolorum Princeps direxit quemdam Discipulum suum nomine Domnium, natione Syrum, patria Antiochenum, qui Dalmatiæ populis verbum vitæ, quod per Titum inchoatum fuerat, prædicaret. Hoc enim B. Petrus statuerat, ut* b *Pontifices Christianæ religionis sic disponerentur per urbes singulas totius orbis, quemadmodum apud Gentiles fuerat olim constitutum; in illis enim urbibus, in quibus erant Gentiles Antistites, qui dicebantur* c *Protoflamines, fecit ordinari Episcopos: in Metropoles vero Provinciarum, ubi erant Archiflamines, Archiepiscopos censuit statuendos. Unde per oras Adriatici sinus tres direxit Pontifices, Apollinarem Ravennæ, quæ est Metropolis totius provinciæ Æmiliæ; Marcum Evangelistam Aquilejæ, quæ præerat Venetiæ & Istriæ; Domnium vero in Salonam direxit, quæ caput erat Dalmatiæ &* d *Croatiæ; in qua denique civitate diutius prædicans, multosque per totam Provinciam a gentilitatis errore convertens, non parvam Christo ecclesiam adunavit, ibique agonem sui Martyrii felici cruore peregit. Ab hujus ergo præeminentia Apostolicæ dignitatis omnes successores sui Archiepiscopalia insignia per sedem Apostolicam sortiuntur. Hic autem cum* e *multis aliis passus est, qui cum* f *uno mense ad martyrii gloriam præcesserunt.*

d Salonitanam ecclesiam fundavit, ibique Martyrio perfungitur. Ab Domnio Salonitanæ Metropolis origo.

e f

NOTÆ.

a Non statim quidem, sed aliquot annis post Titi e Dalmatia discessum. Tito siquidem Romam ad Paullum vinctum anno Christi 61, æræ vulg. 58. abeunte Hermes in Dalmatia evangelio operam dedit, remque Christianam amplificavit. Deinde aliquot post annis, Domnius jussu Petri in eam regionem profectus Salonitanam ecclesiam fundavit, ibique sedem Pontificiam constituit.

b *Imitatione Gentilium Antistites Christianos in primitiva ecclesia institutos Gregorius VII. testatur lib. 6. ep. 35.* ait Historicus Dalmata lib. 2. de Reg. Dal. & Croat. cap. 14. Vide par. 3. Prolegomenon sect. 2. cap. 2. §. ultimum.

c Protoflaminum, & Archiflaminum vocabula & distinctio videntur desumpta ex epistola Clementis Papæ ad Jacobum fratrem Domini, quem plerique viri eruditi supposititiam censent. *Sed Archidiaconus*, inquit Historicus modo laudatus, *in relatione Flaminum ordinem invertit.* Nam Protoflaminum, seu primorum flaminum loco non Episcopos, ut tradit Archidiaconus, sed *Episcoporum Primates*, vel *Patriarches* institutos esse, Clemens affirmat. Cæterum *Archiflaminum memoria*, ut præclare monet idem Historicus, *sicut apud antiquos non reperitur* (præterquam in illa Clementis epistola) *ita primitiva ecclesia Archiepiscopos non habuit*, (idest nullos habuit, qui eo titulo uterentur.) *Ideo Archidiaconum de S. Domnio scribentem vocabula sui temporis usurpando, Croatiam quoque perperam nominasse constat.*

d Idest universæ illius regionis, quæ multis post sæculis bifariam divisa partim *Dalmatiæ* antiquam appellationem retinuit, partim *Croatiæ*, partim *Serbliæ* nomen subivit.

e Scilicet quadraginta quinque, quos Præcursores S. Domnii appellabimus.

f Idest uno fere mense, ut inquit Henschenius in Actis SS. 11. April. in commentario Prævio n. 4. nam ab sociorum obitu & martyrio, quod in diem 11. Aprilis incidit, sex & viginti dies intercesserant, cum B. Domnius religionis causa mortem oppetiit nonis Maii.

CAPUT III.

Secunda B. Domnii vita, Auctore, ut videtur, a Hesychio hujus nominis tricesimo Salonitano Antistite, primum e Latino in Slavonicum conversa, deinde iterum latine reddita per F. b Raphaelem Levacovichium. Ex Collectaneis Simonis Bengnii Episcopi Modrusiensis. Extat etiam in Breviario MS. Slavonico admodum vetusto.

a

b

§. I.

Acta S. Domnii.

Domnii genus & patentes.

Domnius Episcopus, Syro patre Theodosio nomine, matre Mygdonia Græca, nobili sanguine, atque opulentissimis parentibus, Antiochiæ in Syria editus, omnem pietatem, atque justitiam ab ipsa infantia colere studuit. c *Hic Jesum Cæsareæ primum ante passionem, deinde ad mare Tiberiadis post resurrectionem viderat. Post Ascensionem Domini in cœlos, cum jam Petrus Apostolorum Princeps Antiochiam venisset, atque in ea urbe sedem fundasset, cum alios multos, tum Domnii parentes, ad Christi fidem convertit: quando etiam Domnius relictis parentibus, spretisque ac neglectis paternis divitiis Petro adhæsit, atque in Christum credidit. Susceptus ab Apostolo, & comes itineris factus omnem cum illo Judæam lustravit, & cæteras Asiæ provincias peragravit. Inde Claudio Imperatore, liberatus Petrus per Angelum de manu Herodis, qui Jacobum Zebedæi, fratrem Joannis Evangelistæ sustulit, cum magno credentium numero,* d *Romam ad expugnandum Simonem Magum iter direxit. Inter cæteros Discipulos comitatus est illum Domnius Fundata Roma, sicuti Dominus præceperat, Cathedra, cum Petrus,* e *Crispino, & Tauro Consulibus, ad omnes Occidentis provincias Christi fidei præcones ablegaret, in Gallias* f *Martiale, qui Thessalonicæ in Macedonia de tribu Beniamin natus, & Stephano protomartyri, ejusdem urbis civi, consanguineus extitit, misso:* g *Marco vero Aquilejam Carniæ, &* h *Prosdocimo Patavium destinato, Domnium* i *similiter Salonas ire jussit, urbem Dalmatiæ primariam,*

St Petri Discipulus.

d Petrum Romam usque comitatur.

e

f

g

h i

& ro-

Digitized by Google

k Salonæ Episcopus præficitur.

& totius provinciæ caput. Profectus itaque k *cum Andronico antiquo Christi discipulo, quem idem Apostolus Sirmio in Pannonia præfecerat, venit Dalmatiam. Deinde urbem ingressus cœpit Christi Evangelium publice prædicare. Confluebant ad illum turbæ populorum etiam e proximis Dalmatiæ oppidis & locis fama miraculorum, quibus Deus doctrinam sui*

Plurimos Christo adjungit & baptizat. Certamen cum Pyrgo.

præconis adstruebat, permoti; & brevi tempore plurimi Christo manus dederunt, quos omnes Domnius Episcopus in Salono flumine baptizavit. Multa illi eum Pyrgo quodam pseudophilosopho disputatio fuit, quem quia ab errore, quo tenebatur, recedere noluit, in sua cæcitate reliquit. Crescente vero in dies numero Christianorum, delegit ex eis optimos, quos mysteriis edoctos, Sacerdotes ordinavit. Exstruxit et

Deiparæ Templum ædificat.

ecclesiam in honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ in ipsa Salonarum civitate, in qua cum Sacerdotibus, & Levitis, cæterisque Ministris, quos assumpserat, & ordinaverat, divina mysteria peragebat. Sed &

l Apostolica per Dalmatiam expeditio.

ad alia loca Dalmatiæ l *presbyteros a se ordinatos misit, ut Christi fidem annunciarent, & fidelibus divinam liturgiam celebrarent. Post vero, cum jam Petrus & Paullus Neronis jussu Romæ martyrium*

m n

consumassent, m *contigit S. Clementem* n *illac pertransire, quem sanctus Pontifex excepit sicut Angelum Domini. Habebat Clemens duos Episcopos secum, cum quibus, ubi opus esset, Episcopos consecrabat. Petiit ergo Domnius a S. Clemente concedi sibi præ-*

o P

fatos o *Episcopos, cum quibus idem duos ex suis sacerdotibus Episcopos ordinavit,* p *Garganum videlicet, & Symphorianum, quos & successores post mortem alterum post alterum habuit. Sed jam approximante tempore, quo Dominus servum suum vocabat ad coronam & palmam; accidit Præfectum ur-*

q Adventus Maurilii, apud quem Domnius delatus.

bis, Maurilium vocant q *tabulæ, Salonas venisse, apud quem Idolorum Sacerdotes Domnium detulerunt, ut qui culturam Deorum subverteret, & Jesum Christum verum Deum unicumque doceret. Vocatus a Præfecto palam professus est Jesum Christum Dei filium esse verum Deum, in quem quicumque non credidisset, æternæ beatitudinis expers denique esset. Ita in carcerem detruditur. Mox a Præfecto magna pecuniarum pollicitatione tentatur, si Christo renunciare vellet. Cui Sanctus invicta constantia respondit. Quid, inquit, pecunia nos oppugnas? nonne dixi tibi me ditissimum patrimonium, ut Christo paupere frueret, reliquisse? Meæ divitiæ Christus, in quo sunt omnes thesauri absconditi. Addidit & alia*

Fustibus cæditur.

blandimenta Maurilius, per quæ Domnium ad deorum cultum attraheret, quæ ubi incassum fieri videret, jubet virum Dei expoliari, & fustibus cædi. Videns autem multitudo suum Pontificem injuste percuti, concurrit ad prætorium fremebunda, Maurilio impietatem, & injustitiam objiciens. Ille ira percitus missa armatorum manu, quadraginta quinque de illius numero comprehensos, cum idolis nollent

r

sacrificare, capite truncari jubet, qui S. Pontificem sanguine purpurati r *ad cœlestia præcesserunt. Eorum corpora noctu a fidelibus e loco passionis sublata, ad radices Massaron (mons ita vocatur) honorifice tumulata sunt. Inde dies aliquot elapsi, & Febroniæ viduæ nobilis fœminæ filius, cujus pater Diginianus*

Filium Febroniæ defunctum ab inferis revocat.

urbis Romæ Senator fuerat, moritur. De illius morte cum cives, tum Præfectus vehementer contristati, sed præ omnibus mater Febronia, Domnium precabantur. Nunc, inquit, apparebit Christi tui virtus, si in nomine ejus, quem tu asseris mortuos suscitasse, cæcos illuminasse, dæmoniacos sanasse, hunc poteris mortuum suscitare. Ibi Sanctus propter eos, qui crediderant, & quos credituros non dubitabat, positis genibus, & manibus, oculisque in cœlum sublatis, facta juxta cadaver oratione, imperat defuncto in nomine Jesu Christi revivisce. Vix verba finierat Domnius, adolescens, qui mortuus fuerat, resurgit, non secus ac si de somno evigilasset. Hoc miraculo plurimi ad Christi fidem conversi sunt: quod Sacerdotes Idolorum videntes, data Præfecto pecunia, adjectisque insuper minis, eeu impellunt capitis sententiam in Domnium ferre, ceu qui legibus Imperatorum contrarius, & Deorum contemtor esset. Itaque eductus extra civitatem, posteaquam diu in oratione genuflexus procubuisset, capitis abscissione cursum complevit, nonis Maii.

Capite damnatur.

§. II.

Notæ in vitam secundam S. Domnii.

a VIde, quæ in Præfatione diximus ad secundam vitam S. Domnii.

b Is fuit genere Croata, vir religionis pariter atque doctrinæ eximiæ, e Franciscana familia, cui nomen est ab Observantia, ad sedem Achridanam evectus.

c Tò pronomen *hic* referri oportet ad Theodosium Domnii parentem. Neque enim Domnius potuit vidisse Jesum, quippe qui anno circiter tertio post Christi mortem vix septimum ætatis annum expleverat, cum Antiochiæ a Petro Christianis sacris initiatus est. Hæc porro desiderantur in aliis Codicibus. Theodosius autem, quod Christum viderat, ab eoque prima religionis ac pietatis semina susceperat, idcirco Petrum de rebus divinis diserentem libenter audiebat, & cognitæ perspectæque veritati facile manus dedit.

d Anno Christi 45. æræ vulg. 42. Claudii Imperatoris 2. Coss. Claudio Augusto II., & C. Licinio Largo, Petrus Herodianis vinculis per Angelum exemptus, & post Apostolicam terrarum distributionem, cum Domnio cæterisque Discipulis Romam profectus, anno insequenti Romanam sedem & ecclesiam fundavit xv. Kalendas Februarias. Ex Baronio.

e C. Crispini, & T. Statilii Tauri consulatum anno 46. Baronius affixit. Horum Consulatus incurrit in annum Christi 47. æræ vulg. 44. Claudii 4. Is annus Petri Discipulis Apostolicæ missionis initium fuit; alios enim hoc anno, alios deinceps & annis insequentibus ex urbe Roma in alias atque alias Italiæ Occidentisque regiones Evangelii causa Petrus dimisit.

f Fuit Episcopus Lemovicensis, dictusque Galliarum Apostolus, qui Lemovicenses, Tolosanos, Burdegalenses, Cadurcenses, Aquitanos Christianis præceptis ac mysteriis imbuit; migravit in cœlum anno tertio Vespasiani. Ex ejus actis. At Gregorius Turonensis lib. hist. cap. 30. Martialis in Galliam adventum rejecit ad tempora Decii Imperatoris.

g Aquilejensem Marci expeditionem Dandulus in Chronico ad annum 48., Joannes Baptista Sollerius in Hist. Chronologica Patriarch. Alexandrin. Tom. 5. Mensis Jun. n. 20. ad annum 46. revocavit.

h In quarta lectione Breviarii Patavini scriptum invenio Prosdocimum, cum vix annum vigesimum attigisset, creatum esse Patavinum Episcopum. Id porro mihi verisimile non fit. Nam Episcopatus virum requirit non minus ætate, quam virtute ac sapientia maturum; & graviorem personam postulat, quam ut ab adolescente id ætatis sustineri possit. Propius igitur vero est Prosdocimum factum esse Episcopum haud paucis annis post primum Petri in urbem adventum.

i Idest: eadem atque cæteri evangelica legatione, & Epi-

& Episcopali dignitate; sed non eodem tempore donatus fuit Domnius.

k Andronicus Romæ erat anno Christi 57. æræ vulg. 54. vel proximo, quem Paullus in sua ad Romanos epistola, eodem vel insequenti anno scripta, salutari jubet. Hunc Pannoniæ Episcopum fuisse tradunt.

l Fortasse Episcopos.

m Anno juxta Baronium 69. vel juxta recentiores anno 65. vel 66. æræ vulgaris.

n Inter Petri & Clementis Pontificatum duo Pontifices, Linus & Cletus interjecti sunt, juxta Baronium, vel saltem unus Linus. Huic temporis spatio statui potest Clementis in Dalmatiam adventus, nisi forte Clemens in Dalmatiam venerit post Pontificatum sponte depositum.

o Duos illos advenas Episcopos a Clemente sibi traditos fortasse præfecit duabus ecclesiis in Dalmatia ab se constitutis; nisi illos ad breve tempus Domnio commodatos in suam societatem Clemens receperit.

p Post Domnium Garganus, sive Cajanus, deinde Symphorianus ecclesiæ Salonitanæ præfuerunt. Interea Domnius, dum vixit, eosdem tamquam Episcopalis muneris adjutores ad suam ecclesiam regendam adhibuit.

q Hujusmodi tabulæ, ex quibus hæc vita fortassis descripta est, interciderunt.

r Jure igitur meritoque hos Beatos Martyres S. Domnii Præcursores appellamus.

CAPUT IV.

Tertia vita S. Domnii paullo elegantior, quam sæculo undecimo Adamus *a* Parisiensis, rogatu S. Laurentii Archiepiscopi Spalatensis concinnavit, primæ, ac postremæ translationis Appendicula adjecta. Ex Antiquo Breviario Eccl. Spalat., & Bollandianis *b* Actis SS. Tom. 2. die 11. Aprilis.

a

b

§. I.

Acta S. Domnii.

Domnii Archiepiscopi Salonitani Christi martyris vitam scripturus, non immerita a parentibus ordiar: quoniam per eos non solum natum, sed & renatum fuisse constat. Theodosius igitur Antiochiæ urbis colonus, natione Syrus, vir optimus, divitiis plenus, & morum probitate insignis, attamen colendorum deorum errore implicitus, de Mygdonia Græca uxore filium hunc suscepit. Petro autem Apostolo Antiochenam regente ecclesiam, & Christum prædicante credidit, abdicatoque idolorum cultu, una cum conjuge sua, atque filio baptizatur. Sed Domnius, accepto baptismate, licet puer adhuc septennis annis, divinitus inspiratus, & jam Christi amore fervens, parentes deseruit, & Apostolum secutus est. Non ille ad divitias, sicut mox hæres futurus erat, non ad patris, atque matris blandimenta respexit: sed contemptis omnibus, eas divitias quærere decrevit, quas neque tinea corrumpere, neque fur auferre possit.

Domnius Antiochiæ natus.

baptizatus a Petro cum Parentibus.

Discipulus ergo Petri factus, brevi & Magistro suo, & condiscipulis c Pancratio, atque d Apollinari (qui postea Ravennæ Episcopus fuit) carissimus evasit. Deinde vero Petrus, Antiochenis hominibus jam ad fidem receptis, cum iisdem discipulis Romam versus profectus est; miseratus, urbem, toto provinciarum orbe dominam, Idolorum, & Diaboli subditam esse servituti. Interim dum iter ageret, quocumque diverti contigisset, religionem audacter, & intrepide e prædicabant. Fidelis itaque prædicationis officio sollicite fungentes, peragrarunt f Cæsaream, Sebasten, Cappadociam, Galatiam, Pontum, Bithyniam, Ephesum, Pathmos, Athenas, demum ad ostia Tyberina applicuere, urbemque ingressi sunt, ubi Petrus multis jam ad fidem Christi conversis, alias quoque partes orbis terræ ab erroris pernicie liberare cupiens, Pancratium destinavit in Siciliam, Apollinarem Ravennam, Domnium Salonas, sui quemque loci Episcopum constituens. Domnius igitur, postquam satis prospero cursu mare emensus Salonas devenit, Christique mysteria publice, ac palam exponere cœpit; plerique, & veritatis argumentis, & magnitudine miraculorum permoti, contemptis Idolis, Christo adhæsere credentes: quos Domnius de proximo flumine aqua hausta baptizabat.

c d

e

f

Romam venit, &

Episcopus Salonam mittitur.

Tunc quidam Pyrgus nomine, Philosophum se profitens, sed magis sophismatum, captiuncularumque argutiis, quam Philosophiæ deditus, virum aggreditur, & quasi veritati comparari (posset) mendacium, nititur ostendere, an quoque ex Philosophiæ inventis unum Deum esse credi possit, & ab ipso mentem deditam, & genitam, ac deinde ipsam mundi animam: proinde ac si Trinitatis mysterium, quod a Domnio prædicabatur, & ipse ut audierat, teneret. Cæterum, cum Trinitatem hanc ad Unitatem substantiæ referendam didicisset, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse unum Deum; qualiter videlicet se haberet, quoniam ratione comprehendere non poterat, veluti deliramenta despexit. Dimisso itaque cum sua obstinatione Pyrgo, Domnius ad cæteros doctrina salutis imbuendos perrexit, signis, miraculisque verba confirmans: ut quia rem supra naturam adstruebat, Christum scilicet de Virgine natum, & eundem esse Deum, & hominem, & Crucifixum, ac sepultum resurrexisse, ad cœlum ascendisse, opera quoque supra naturam facta, id verissimum esse testaretur, desperatissimo quosque morbo affectos, Jesu tantum nomine invocato e vestigio sanabat. Quomodo autem talia faciendi facultatem homini dedisset Deus, nisi vera, rectaque asserenti? Exinde aucto credentium numero, ecclesiam ædificant, quam Dei genitrici Mariæ consecrarunt. Ea adhuc g extat, solaque post tantæ urbis excidium integra permanet. Tunc Domnius latius etiam propagare Christi nomen cogitans, presbyteros, levitasque ordinat: quibus per Dalmatiam dimissis brevi tempore omnem fere Provinciam Diabolo ereptam Deo lucratur.

Cum Pyrgo arroganti Philosopho disputat.

Templum S. Mariæ excitat.

g

Post tot autem veræ perfectæque charitatis labores, cum jam tempus esset, ut ad capiendum cœlestis gloriæ præmium vocaretur; dicente Domino: Euge serve bone & fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui; h Maurelius Salonarum Præfectus i pro Tribunali sedens, ipsum coram sisti jubet, accusantibus eum Idolorum sacerdotibus, quod Deos contemneret, & novam religionem contra Augustorum leges induceret, unum Deum prædicans, & filium ejus Crucifixum. Interrogatus igitur Domnius de nomine parentum, & patriæ, Maurelio indicat, & se vere Christianum esse confitetur: & ad hoc, inquit, missus sum, ut Christum prædicem, & Idola vana esse ostendam. Cumque in medium proponeretur Senatus populique Romani edictum, ut si quis intra fines Romanii imperii talia dicens repertus esset, eum nisi Diis sacrificare voluerit, capite puniri, vel multiplici suppliciorum genere absumi oportere, respondit: non me ista terrent iniqua. Christum Dei filium & colo, & prædico; Deos autem tuos contemno, minas irrideo, pœnas omnes in me unum

h

i

Coram Maurelio Præside se Christianum esse profitetur.

con-

sonfer, cuncta potius pati paratus sum, quam asserendæ veritatis mutare sententiam. Contemptum se ferens Maurelius in furorem concitatur: Domnium in carcerem trudi jubet, postea eductum largitionibus corrumpere aggreditur; multa pollicens, si Idolis thura ponere vellet. At ille, inquit, o insane Maureli, pecunia me moveri speras, cum ego multo majus Patrimonium sponte reliquerim, ut cum Christo pauper viverem? Non est opus Christiano divitiis istis, sed fide, atque virtute, quibus divitiæ nunquam interituræ parantur in cælo.

Pudibus auditur.

Videns autem Maurelius omnia, quæ tentaverat, incassum cadere, expoliari hominem jussit, & fustibus nudum cædi. Dum autem Domnius cæderetur, fit Christianorum concursus ad Prætorium: insultant Maurilio frementes præ dolore, & opprobriantes, quod iniquæ æstimum esset hominem innocentem per ludibrium supplicüs opprimi. Ille vero, his ita peractis, repente emissa armatorum manu 1, *quadraginta ex his comprehensos, nolentesque Idolis sacrificare, statim omnes capite truncari jussit: quorum corpora, a fidelibus noctu inde sublata, ad radices montis Massari* m *sepulta sunt.*

1 Quadraginta martyres.

m Adolescentem mortuum ad vitam revocat.

Intra illos dies dum talia aguntur, Fabroniæ viduæ filius vita functus est, cujus pater, nomine Dignatius, urbis Romanæ Senator fuerat. Ob id Præfectus ipse mortem ejus ægerrime ferens, nec ignarus a Christianis interdum, & mortuos ad vitam fuisse revocatos, Domnium rogare, urgere cepit, ut in eo ostenderet, quanta Christi sui esset virtus: non quod ipse quidquam virtuti Christi tribueret, qui talia magicis artibus quibusdam adscribere soleret. Voluit autem quo modo posset vitæ defuncti consulere, simulat se Christo credere dudum, si per ejus invocationem is, qui mortuus fuerat, reviviscceret. Ad hæc Domnius: quamvis, inquit, sciam te ita laqueis Diaboli colligatum, atque constrictum, ut ad sequendam veritatem explicare te omnino nequeas, illos tamen perspiciens, qui credunt, & qui credituri sunt, ne quid virtuti Christi impossibile esse arbitrentur, mortuum ipsum pristinæ sanitati restituam, & vitæ. Ecce enim, quia duo sunt præcepta charitatis, Dei amor & proximi, & scimus, quod inter duos haberi charitas dicitur, & dilectio in alterum tendit, ut esse charitas possit, binos ad prædicandum Dominus discipulos misit: quatenus hoc tacitus innuat, qui charitatem erga alterum non habebit, prædicationis officium nullatenus suscipere debet. Tunc juxta cadaver flexis genibus, manibus vero atque oculis in cælum sublatis, cum oraasset, imperavit mortuo in nomine Christi vitam, ut resumpto spiritu se se in pedes erigeret, atque iterum vivere super terram inciperet. Vix verba finierat, cum secutus est eventus, visusque est adolescens, non quasi a morte suscitatus, sed a somno expergefactus: tam facile surrexit.

Eo viso miraculo, plurimi ad fidem conversi sunt, Maurelius vero, tametsi vita adolescenti restituta esset, & vehementer gauderet, in sua tamen obstinatione Idolatriæ firmus, fraudisque permansit; jam enim ita obduratum erat cor ejus, ut nulla signorum magnitudine posset molliscere. Quin imo ab Idolorum sacerdotibus ad maturandam Domnii necem magis incitatur: dona illi plurima offerunt, atque insuper suspicionibus implent sibi jubentes cavere, ne si hominem impunitum vivumque dimitteret, & ipse tanquam augustalium legum ædictorumque contemptor pœnas dare cogatur; & imputentur factum, aut exilio, aut bonorum proscriptione, aut morte luat. His verbis Maurelius impulsus nihil cunctatus legum vultis dicens: Domnium contra leges Imperatorum nostrarum agentem, Deosque nostros contemnentem, capite puniendo. Ereptum foras extra mu-

Capitali sententia subjicitur. Obiit 7. Maii.

rum, & eductum extemplo, cum oraret, obtruncarunt. Glorioſus itaque martyr n *nonis Maii terras* n
relinquens ad cælum migravit, ab ipso conditore omnium immortalitatis coronam acceptarus, pro cujus amore mortem contempserat. In eodem autem loco, ubi expiraverat, noctu a Christianis sepelitur.

Non post o *paucos deinde annos, cessante persecutione, Martyris corpus intra urbem ad ecclesiam* Transfertur e suburbio Salonarum.
Beatæ Mariæ, quam primum positam ibi a fidelibus diximus, translatum est. Postea vero p *Gothorum* p
irruptione diruptis funditusque eversis Salonis, concines ad proximas q *insulas confugerunt; ac deinde* q
reversi in Diocletiani ædificio, quod r *tribus fermè* r
millibus a Salonis distat, Spalatum appellatum, sedem sibi posuerunt, templumque, olim Jovi dicatum, & Salona excisa Spalatum.
ejectis Idolis, per Joannem Archiepiscopum sanctæ Dei genitrici Mariæ consecrarunt, & ipsum Martyris corpus a Salonis quarto Kalend. sextiles s *transtulerunt, in eodemque templo collocarunt: ubi ad hanc usque diem in magna veneratione habetur, & colitur, miraculis clarum, & martyrii gloria conspicuum. Cujus martyris meritis, & intercessione nos Deo commendari credimus, & beatos fore speramus adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen. Finis.* s

§. II.

Notæ in vitam tertiam S. Domnii.

a DE hoc auctore diximus in Præfatione.

b Unde Bollandiani hunc codicem acceperint, docuit Godefridus Henschenius in Actis S. Domnii n. 5. *Hic*, inquit, *totum officium ecclesiasticum nobis Roma donavit Vir Cl. & eruditissimus D. Joannes Lucius; ex quo vitam S. Domnii per lectiones ad Matutinum recitari solitas divisim dedimus.*

c *Alia illustravimus*, inquit Henschenius, 3. *Aprilis, qui in MS. Græco Synaxario dicitur traxisse genus suum ex confinio Antiochiæ.*

d *Colitur S. Apollinaris*, ait Henschenius, 23. *Julii, quem etiam Antiochia Romam in comitatu S. Petri profectum acta testantur.*

e Tum Domnius annum agebat circiter decimum quintum; nondum igitur illi per ætatem licebat, ad populum pro concione verba facere. Quare Catechistæ partes sibi relictas a sociis, qui gravioribus occupationibus distinebantur, ipse sulceperat, & ex æquo loco, familiaríque sermone præcipua Religionis capita, & mysteria cognitu necessaria ad vulgi captum explanabat.

f *Notæ sunt*, ut est apud eumdem Henschenium, *hæ urbes & provinciæ. Est autem Cæsarea Metropolis Cappadociæ, uti Sebaste Armeniæ primæ ibi vicinæ. In Actis SS. Petri & Pauli ex MS. Græco apud Lippomanum & Surium plurima ex his locis notantur a S. Petro visitata. Ratio itineris hic notata satis congrua, & nusquam perturbata est; eoque majorem fidem meretur.*

g Non illa eadem, quam Domnius condiderat, quippe quam Diocletianus incendi jussit; sed alia haud paullo magnificentior ab Salonitanis eodem loco post pacem ecclesiæ redditam, restituta. Vide cap. x. §. VII.

h Quem alii Maurilium, Adamus Maurelium vocat. Vix dubium est, quin ubique legendus sit M. Aurelius.

i Satis constat Maurelium, seu Maurilium Romæ Præfectum fuisse, antequam Præfectura Orientalis illi a Senatu decerneretur, ut ex aliis hujus vitæ exemplaribus intelligi potest. Quid igitur est,

quod

quod ab Adamo *Salonarum Præfectus* appelletur? Nimirum Adamus hoc vocabulo significare voluit Magistratum quemdam extraordinarium, quem postquam Romana præfectura abiisset, tum Salonis gerebat ex auctoritate Senatus. Neque idcirco Salonarum Præfectus dicitur, quod ejus jurisdictio ac potestas Salonæ mœnibus vel Dalmatiæ finibus contineretur; neque enim uni Salonæ Dalmatiæque affixa erat, sed libera & vaga in alias quoque Orientis provincias excurrebat. Vide Cap. IX. §. 5.

l Huic numero reliqui codices quinque alios adjiciunt, quos Adamus quidem ex eo numero non rejecit, sed consulto prætermisit, more & exemplo Historicorum, qui ut memoriæ imbecillitati serviant, integris potius ac solidis, quam fractis numeris utuntur.

m *Thomas Archidiaconus*, inquit Henschenius, *apud Lucium pag. 94. parochias has conjungit, Cetinam, Clissam, Massarum, Almissam, & in Mappis Geographicis inter Clissam & Cetinam collocatur Macharis, forsan ad radices montis Massari.*

n *Hoc die* (notat Henschenius) *eum adhuc in Spalatensi ecclesia coli supra ex Ferrario diximus.*

o Idest post annos fere duodeviginti imperante Hadriano, qui anno circiter 124. litteris ad Minucium Fundanum Asiæ Proconsulem datis Christianos persequi vetuit. Vide Cap. XII. §. 2.

p *Salona subdita fuit Gotthis* (sunt verba Henschenii) *in Italia dominantibus, & muris nudata, quos Constantianus a Justiniano missus victis Gotthis restauravit: ac postmodum a Sclavis occupata fuit, & destructa, uti late describunt Thomas Archidiaconus cap. 7. & Joannes Lucius lib. 1. cap. 7. & sequentibus.*

q *Idem Thomas*, ait Henschenius, *cap. 8. vicinas Salonæ insulas appellat Solutam, Brachiam, Pharon, Lysiam, Corcyram.*

r Hæc distantia congruit cum Tabula Topographica ad nos Spalato transmissa.

s Ab Diocletiano, qui præcipuo quodam cultu Jovem prosequebatur, ex quo arrogantius quam religiosius *Jovii* cognomen sibi adscivit.

t De hac Translatione, uti etiam de priori agemus postea.

CAPUT V.

Quarta B. Domnii Vita verbis, quam rebus copiosior, novem lectionibus distincta, Auctore incerto, cum Appendice tum primæ Salonitanæ, tum postremæ Spalatensis translationis. Ex Autographo Ms. in pergameno Archivi Capitularis Spalatensis. Titulus: *Passio S. Domnii Martyris, Archiepiscopi Salonitani.*

§. I.

Acta S. Domnii.

I. *Post gloriosam ascensionem Domini nostri Jesu Christi ad cælos, Sanctorum Apostolorum cœtus per* a *universum Orbem ad prædicandum gentibus diffusus est, & quique provincias, quibus evangelizent Regnum Dei, susceperunt. Quibus temporibus B. Petrus Apostolus, Antiochenam ad regendum suscipiens ecclesiam,* b *multis temporibus in ea, gentibus regnum Dei instanter prædicavit, multosque a falsorum Deorum cultura ad veri Dei cultum revocavit. Cui Deus inter cætera cœlestium virtutum dona, tantam signorum contulit efficaciam, ut absque omni medicinali antidoto, sola nominis Christi Jesu invocatione omnem languorem pelleret, febres curans, leprosos mundans, dæmones ab obsessis corporibus expellens, cæcos curans, surdis auditum restituens, multaque præterea, quæ natura negat, operando miracula, etiam defuncta resuscitavit corpora. Nascenti quippe ecclesiæ opus congruum, vel maxime necessarium erat, ut qui hactenus variis Philosophorum argumentis, phaleratisque Poetarum abducebantur figmentis, cum mitem, ac simplicem sermonem acciperent piscatoris, miraculis attoniti ad viam reverterentur veritatis. Cum igitur infinitus populus, vel ob novam doctrinam audiendam, vel visendam miraculorum gratiam undique concurreret, contigit, & nobilem virum nomine Theodosium prædictæ civitatis accolam interesse, & per aliquos dies verba Dei tacite, attamen attentissime subauscultasse. Hic vir cum esset natione Syrus, nobilissimis utique ortus natalibus, accepit conjugem nomine Mygdoniam, Græcis parentibus, alta ideniidem genitam prosapia, ex qua elegantis formæ puerum genuit, cui Domnio nomen imposuit. Familia ejus erat multa nimis, possessio auri, & argenti infinita, prædiorum pars aliquantula, quorumcumque animalium aptorum usui hominum abundantia magna; & licet gentilitatis erroribus adhuc detentus, boni Christiani tamen exercebat opus. Docebat suos, non amare rapinam, non furta, non adulteria, vel quidquid bonæ famæ contrarium. Compatiens cunctis, viduas, & orphanos consolabatur, fraudem sociis committere, ac si toxicum, vitabat; multaque id genus, quibus facile nostri temporis Christianos superaret. Nec dixerim fideli meliorem, nec Christiano potiorem, sed magis miror in gentili homine dote naturæ tantas virtutes pullulare.*

Petrus Antiochenam sedem instituit.

II. *Talis itaque vir mox, ut verbum Dei audivit,* c *facile credidit, spretoque omni Idolatria, quam longe ante animo concepit inanem, secreto noctis tempore Apostolum Dei adiit, ut liberius cuncta, in quibus ambigebat, addisceret. Catechumenus ergo factus, fidem edidicit, credidit, & individuæ Trinitatis nomine cum uxore & filio baptizatus est, & cum eis, prater familias, Nobilium multitudo non pauca; & facta est lætitia magna in omnibus. His itaque gestis puer Domnius adhuc parvus ætate, nam* d *septimum vix dum expleverat annum, domum Apostoli quotidianis obsequiis frequentabat, tantaque in eo dilectio magistri succrescebat, ut sæpe coactus patrem revisere, nollet. Ignis itaque divini amoris eum succendit, omnemque terrenam ab ejus pectore concupiscentiam abolevit. Sancti Spiritus enim flamma extingui non potest terrenarum rerum delectatione aliqua. Die itaque noctuque pedibus adhærens Apostoli, adeo doctrina ejus ad summum provectus est, ut ab omnibus, etiam a senibus veneraretur, discipulisque omnibus carus, & a sanctissimis viris Pancratio, & Apollinari post Ravennæ Episcopo, ut frater germanus unice diligeretur. Antiochenis vero in fide catholica pleniter instructis, Beatus Apostolus viros orthodoxos, qui credentibus præessent, ibidem ordinavit: ipse quidem Romam, totius orbis monarchiam, per* e *Spiritum Sanctum adire jussus est, ut qui omnium credentium erat princeps, in domina terrarum urbe triumpharet, & usque ad finem sæculi thronum ibi possideret. Secuti sunt autem eum Apollinaris, & Pancratius, ac* f *integer ævi Domnius, in cujus laudem sermo hic nobis institutus est. Nec iter hoc viatorum more cum festinatione peragere, consilium fuit: sed in quamcumque civitatem, vel castellum intrarent, fidem Christi in-*

c

Theodosius Domnii pater baptisma expetitur cum uxore & filio.

d

Domnius in disciplinam Petri se tradit.

e

f

Digitized by Google

trepide prædicabant, & quasi sidera coruscantia, quocumque diverterent, sana doctrina cuncta illustrabant. Inter hæc placuit Beato Petro visere populum Cæsareæ, in cujus finibus quondam a Domino potestatem ligandi atque solvendi susceperat, quibus & aliquos infirmos sanitati restituit. Unde abiens peragravit Sebasteam, Cappadociam, Galatiam, Pontum, & Bithyniam, ubi hebdomada integra morabatur. Ephesso autem abiens, Pathmos insulam intravit, ubi navim ascendens, Athenas omnis doctrinæ & sapientiæ mundalis matrem pervenit, desiderioque novæ ac cœlestis doctrinæ aliquo tempore a civibus retentus est. Si quis scire velit, quid quibusque locis gesserint, petat Græcos, qui de hoc itinere proprie g librum, (an apocryphus sit nescio) diligenter composuere; illic pleniter inveniet, quæ hic brevitatis causa prætermissa sunt.

Petrus & Dominus Romæ pervenit.

III. Romam ergo venientibus, cum multitudo populi per eorum verbum Christo credidisset, Beatus Petrus pro congregandis animabus usque in finem sollicitus, concessa prædictis discipulis ligandi atque solvendi potestate, Pancratium in Siciliam, Apollinarem Ravennam Pontifices direxit. h Domnio vero, multis coram positis, dixit: Ecce, fili, ab infantia tua mecum ingressus, & egressus es, omnem doctrinam Catholicam, & Apostolicam didicisti. Tempus est, ut talentum tibi creditum erogare debeas, & multos ad salvationem pertrahas. Pete

Dominus arcetur Episcop. Salon.

litus maris Adriatici, & recto cursu a Gargano monte contra Boream trans mare vetus, venies in Dalmatiam, quæ per te non post multos annos Christo i creditura est. Vade; pax Dei sit tecum. Dum ergo mare transisset, tunc ille primo Salonam, totius terræ illius eo tempore k Metropolim applicuit, civitatem locupletem nimis, ac populosam, quam Historia tradunt a l Pollione Consule Octaviani Imperatoris temporibus subjugatam. Quam ingressus, clara voce Jesum testatus est, esse Filium Dei, qui pro humana salute in mundum venit, natus ex Virgine, crucifixus, mortuus, resurrexit, & in cœlum ascendens, ad dexteram Patris residet, in fine sæculi venturus reddere cuique pro ut gessit, sive bonum, sive malum. Ad cujus prædicationem cum multi corde compuncti Christo crederent, omnes in flumine Salono, prædictæ civitati vicino, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati sunt, & chrismate salutis inuncti.

Pyrgi Philosophi cum Domnio Disputatio.

IV. Quidam autem, maligno concitati spiritu, pseudovatem ac vanam ejus, & superstitiosam doctrinam adstruere conati sunt, inter quos quidam philosophus erat nomine Pyrgus, qui non ad veræ virtutis usum, sed ad vulgi gloriam, falsum sibi Philosophi nomen induerat. Hic, multis sibi ex turba associatis, inflatis buccis, exertisque brachiis, virum Dei aggrediens trutinatis humilem his propulsas alloquiis. Quia Philosophorum doctrinam indoctus indocti vulgi auribus inferere conaris, miramur omnes, & indignamur, unum prædicare Deum Patrem mundi, qui genuerit unicum filium, & Spiritum vivificantem omnia misceat, hunc adorandum, hunc colendum, non Idola manu facta: ex his verbis videris tibi, nova nobis annunciare. Sed quoniam

m hæc Theologorum m inventa ignoras, a nobis unum

n Deum cole, vel verbis Tullii n de Republica, cui omnis latinitas adstipulatur, disce; Deus, inquit, cujus hoc templum est omne, quod conspicis; si quidquid humano subjicitur aspectui, templum Dei vocavit, patenter ostendit, cælum ipsum, & cœlestia Deum non esse, nedum Idola artificum manibus compacta. Trinitatem quandam personarum in deitate prædicas, & nos simile o quid facimus. Nam Deus, qui prima causa & est, & vocatur, unus omnium, quæcumque sunt, quæque videntur esse, princeps atque origo est. Iste superabundanti majestatis fœcunditate de se mentem, quæ vo- vocatur, p creavit; hæc mens, qua patrem inspicit, plenam similitudinem servat auctoris. Animam vero de se creavit, posteriora respiciens, quæ Mundum hunc, sicut ille, quem tu dicis Paracletum, totum vivificat, & adimplet. Hic indocti vulgi opinionibus sculptilia adorantis, quod frivolum ventilatur, nos contemnere solemus, sicut & vos proximos Deo vestros, quamvis vocentur Dii, tamen prohibetis, ut Deum verum adorari. Ad hæc vir Dei, ex imo gemens corde, respondit. O quanta Deus Omnipotens naturæ rationalis creaturæ bona inseruisti, ut quamvis errorum tenebris involuta, se tamen verum Deum, quibusdam vimulis intueatur. O Te felicem, q Philosophe, si quam fidem limis nunc oculis per devia gradiens conspicis, doctrinam Evangelicam sequens, clara luce intuearis. In tribus personis secundum deitatem gradus ne queras, sed Filium & Spiritum Sanctum, patri semper æquales accipe; nec in Deo credas majus quid, aut minus. Quoniam autem secundum humanitatem filius patre minor sit, & quoniam Spiritus Sanctus ab utroque in Mundum mittatur, plurima librorum q apud me volumina sunt, q quibus ad plenum bis, aliisque pluribus, tantum patienter audias, pleniter instrueris. Nam res est permaxima, in qua pene nostra fides tota pendeat, ut multis verbis indigeat. Philosopho vero indurato corde librorum testimonia repudiante, ac inflato spiritu contentiose agente Vir Sanctus, eo relicto, verbum Dei populis prædicabat, Spiritu Sancto cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Nam quicumque aliqua laborabat infirmitate, per invocationem nominis Jesu Christi statim sanatus est ab eo.

Ædes Dei. pæne concrem.

V. Crescente autem multitudine credentium, placuit omnibus, ut ecclesiam in honorem Sanctæ genitricis Dei Mariæ in eadem urbe construerent, ubi populus fidelis ad audiendum verbum Dei tempore opportuno confluceret: qua pulcherrimo opere constructa, Sacerdos Dei presbyteros, & levitas, cæterosque sacri ministerii r ordines in ea ordinavit, per r quos brevi tota pene illa provincia Domino credidit. Post multum vero temporis, cum jam Dominus servum suum ad coronam, & triumphum certaminis provehere vellet, accidit Præfectum urbis Romæ, Maurilium nomine, ad prædictam civitatem Salonam venisse, s missum a Senatu totas Orientis provincias s judicare. Qui cum civitatem intrasset, Sacerdotes templorum occurrerunt ei dicentes: Ingredere, salus nostra, ingredere, templorum nostrorum tutela, ingredere, totius orbis Corona. Seductor quidam Romana urbe profugus ad hanc urbem venit, qui culturam Deorum nostrorum non cessat subvertere, & Jesum quemdam, a Judæis crucifixum, summum Deum adstruere. Ad quid vota, ad quid sacrificia pro Romana republica magno Dio t Serapioni, si Magus, & destructor templorum finitur vivere? His superbæ mentis Præfectus auditis commotus strepitu, ac importunitate vociferantium, ante omnem utilitatis Reipublicæ examinationem, B. Domnium ad se accersiri jussit, cui & dixit: Et quo genere es tu, aut de qua civitate oriundus? B. Domnius respondit: Patre Syro, matre vero Græca progenitus, in civitate Antiochena educatus, ibidem lavacrum regenerationis a Beato Petro Apostolo suscepi, & ab eodem ad hanc provinciam missus pro salute animarum veni. Præfectus dixit: Ignoras, quia u Senatus decrevit, ut ubicumque hujus doctrinæ viri, aut mulieres reperiantur, aut sacrificent, aut diversis pœnis intereant? B. Domnius respondit: Crediderim, quo-

Apud Maurilium de contempto Idolorum cultu postulatur.

niam Senatus Deum ignorans talia decreverit: sed ego neque legem Christi derelinquo, neque panas tuas timeo. Tunc iratus Praefectus jussit eum recludi in carcere, quousque exquireret, quibus eum modis, aut ad culturam Deorum revocaret, aut crudelissimis tormentis interire faceret. Peractis vero quibusdam negotiis, & educto eo de carcere, coepit multis tentationibus suadere, quatenus pecunia accepta, atque inter amicos adscriptus, Christum denegaret, & Diis sacrificaret. Tunc Dominus Beatus igne divino succensus dixit;

x x *Cur temptas fruſtra fallax promittere multa?*
Commoda ſi mundi ſectarer vana caduci,
Haec pater in Patria concederet utique plura:
Qui puer elegi pauper ſervire Tonanti,
y *Nunc, cum ſim* y *canus, ferax ut quid Apoſtata pravus?*

Crudelem in modum auditur.

VI. *Maurilius itaque videns incaſſum fore inceptum, praecepit eum expoliari, & ferme per unam horam fuſtibus caedi, inſultans ei: Senex delire, honores tibi debitos gratanter ſuſcipe, qui in curuli venerabas ſedere, nunc volutare in pulvere: qui reſutaſti veſtimenta ſerica, verberibus torquere: qui naſtras ſpreviſti amicitias, viliſſimorum calonum injurias patere. Cumque haec in praetorio agerentur, multitudo Chriſtianorum ante portas collecta eſt, cum ejulatu magno clamantium, Sanctum, ſimplicem, innocentem a truculento Judice non debere talia pati. Praefectus vero timens, nequa ex his ſeditio oriretur, juſſit armatos milites, ut, quotquot poſſent ex eis comprehenderent, ex quibus quadraginta quinque ſacrificare nolentes mox decollati ſunt. Corpora autem eorum noctu a Chriſtianis collecta ſunt, & cum*

quinque &. quadraginta eruſi pro Chriſto.

debita reverentia ad radicem montis, qui Graece Tebron, latine Maſsaron dicitur, ſepulta ſunt, ubi & multum flentes, haec Domino decantabant.

Propterea caelos pia plebs ſine fine frueris,
Quae conſtans diri ſpreviſti juſſa tyranni,
Et meritis fidei hic victrix procubuiſti:
Caetus Angelici ſibi gaudent te ſociari.
Sanguine purpureo, quae fulget proxima celſo.

VII. *Per idem tempus quaedam vidua nobilis* z *nomine* z *Febronia morabatur in civitate Salona, uxor Digniani Patricii in Romana curia dum vixit nobiliſſimi, cujus filius infirmatus morte praeventus eſt. Praefectus equidem, ſicut & caeteri Romani, de morte ejus maeſtior factus, B. Domnium ſummiſſo capite, ac ſedata voce poſcebat, dicens: Nunc apparebit virtus Chriſti tui, ſi in nomine ejus, quem tu dicis, mortuos ſuſcitaſſe, caecos illuminaſſe, daemonibus imperaſſe, hunc poteris mortuum ſuſcitare. Ad haec Vir Dei reſpondit; licet noverim cor tuum a diabolo obcaecatum, ne credens ſalvus fias, propter eos tamen, qui crediderunt, vel qui credituri ſunt, ut agnoſcant virtutem Chriſti, exſurgere hunc faciam: & flexis genibus, oratione facta ad Dominum acceſſit ad feretrum, & clara voce exclamavit, dicens:*

Per nomen Chriſti tibi praecipio Crucifixi,
Sorte carens mortis, his coram jungere vivis;
Gaudia quo juſtis ſint, & ſpes crimine lapſis.

Domnii precibus Puer reviviſcit.

Mox puer exſurgit, Sancto grateſque rependit,
Exultans retrae ſe tractum ſanctae Gehennae.

VIII. *Ex populo autem multi crediderunt in Dominum, tantaque turba ſenum, juvenum, mulierum, & parvulorum ad hoc ſpectaculum confluxerat,* aa *quanta theatralibus ludis, vel ſacrificiis* aa *Olympici Jovis vix unquam convenerit. Sacerdotes itaque templorum videntes ſuperſtitionis ſuae diſcrimen fieri, omnes majores natu,* bb *vel quorum auctoritas pollebat, in praetorium pariter congregati ſunt, & data pecunia Praeſecto, ſuggeſſerunt ei: Non conſideras, quoniam magus hic praeſtigiis ſuis ſeducens populum, tibi quoque, niſi caveris, maximum conſtat detrimentum, & certum interitum? Nam ſi ejus vitae peperceris populum uſquequaque ſubvertentis, Senatus Populuſque Romanus judicabunt te contrarium legibus Auguſtorum, & donabunt te proſcriptioni, & morti, nec erit, qui poſſit ſuccurrere tibi. Tunc Maurilius donis obcaecatus, & perverſis ſeductus conſiliis, firmato in malum animo, dedit legem: Dominum contrarium legibus Imperatorum, contemptorem Deorum, jubemus capitalem ſubire ſententiam. Mox lictores eum apprehenſum extra civitatem, ut decollaretur, eduxerunt; ubi cum diu in oratione genu flexo procubuiſſet, unus ex miniſtris Sathanae, impetu facto, amputavit caput ejus, die Nonarum Majarum. Chriſtiani vero colligentes eadem nocte corpus ejus, in ipſo loco, quo decollatus eſt, ſepelierunt illud, & poſt non multos* bb *annos, ceſſante* cc *perſecutione, tranſtulerunt illud intra muros in eccleſiam Sanctae Dei genitricis, & Virginis Mariae, quam ſuperius a fidelibus memoravimus conſtructam eſſe; ubi Dominus per eum multas virtutes operatus eſt.*

Dominus aspice damnatur.

extra urbem decollatur & ſepelitur.

bb

cc

Poſtea in urbem advehuntur.

IX. *Poſt multum vero temporis, cum praenominata civitas* dd *Salonitana, crebris ee barbarorum bellis exagitata, funditus corruiſſet, cives ipſius per diverſas mundi regiones, ut quique poterant, diſperſi ff ſunt. Quidam vero, qui ſe in adjacentibus Inſulis abdiderant, deſervente perſecutione Barbaricae gentis regreſſi, quaſi ducenta familia incluſerunt ſe in aedificio Diocletiani Caeſaris, quod erat a Salona quaſi quatuor milliaribus diſtans. Hoc quidem nobile Imperialis aedificii palanteum, quia ſpatioſum erat palatium, Spalatum incolae appellabant. Tunc cives una cum Joanne tunc Archiepiſcopo euntes Salonam, cum ſumma reverentia gg tranſtulerunt corpus B. Domnii quarto Kal. Auguſti, & locaverunt illud in templo, quod ibi erat Jovis Olympici nominato, quod idem venerabilis Praeſul, deletis omnibus idolorum figmentis, quorum magna ibi copia habebatur, in honorem Sanctae Dei genitricis Virginis Mariae paulo ante conſtruxerat, ubi Dominus per eum multa miracula operari dignatus eſt; & florent ejus merita uſque in hodiernum diem, praeſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſaecula ſaeculorum Amen.*

dd ee Salona everſa ſpatiatè craſſefertur.

ff

gg

§. II.

Notae in Vitam quartam S. Domnii.

a Apoſtolorum Diviſio duabus epochis rite configurari poteſt. Nam primum Apoſtoli paullo poſt, quam Chriſtus in Coelum redierat, terrarum inter ſe diſtributionem deſignarunt, & ſuam quiſque provinciam ſortiti ſunt; deinde anno fere duodecimo ab Chriſti obitu, quod antea deſignaverant, reipſa exſecuti, in eam, quae cuique obtigerat, provinciam diſceſſerunt. Porro Auctor hujus Vitae videtur ſpectare ad primam deſignatae diviſionis epocham; quippe qui cum Chriſti in coelum aſcenſu Apoſtolorum diviſionem conjunxit, ante Cathedram Antiochenam conſtitutam.

b Petrus Antiochenam ſedem annos fere ſeptem obtinuiſſe dicitur ab die 22. Februarii an. 39. uſque ad diem 18. Januarii an. 45. cum Romanae ſedis atque eccleſiae fundamenta jecit juxta Baronium, ſive ab anno aerae vulgaris 34. ad annum 40. quo illam dimiſit, & Romanus Pontifex eſſe haberique coepit; non quod annos omnino ſeptem Antiochenam eccleſiam adminiſtraverit; ſed quia hoc numero Chronologi comprehendi volunt tumultum annum, quo ſuſcepit, tum annum illum, quo depoſuit Pontifica-

Digitized by Google

tificatum Antiochenum. Vide par. 3. Prolegom. sect. 1. cap. 1. §. 1.

c Theodosius Petri concionibus Antiochiæ habitis assidue interfuit, ut e superioribus verbis intelligitur. Si eum ergo Petrus suis cohortationibus haud ægre perpulit, ut una cum filio Christiana sacra susciperet, consequens est Theodosii & Domnii conversionem referendam esse ad primum Antiochenæ sedis annum, qui anno Christi 37. æræ vulgaris 34. respondet.

d Si Domnius anno Christi 37. cum baptismo initiatus est, septimum agebat ætatis annum, sequitur illum in lucem editum esse anno Christi 30. æræ vulg. 27.

e Si Petrus Spiritus Sancti instinctu Romam profectus est, non igitur Jacobi Hierosolymitani Episcopi missu, neque ex auctoritate collegii Apostolici illuc se contulit ad Romanam ecclesiam fundandam, ut quidam Lactantii Interpretes ad labefactandum Petri Primatum comminiscuntur.

f Anno æræ vulgaris 42. Christi 45. quindecim annos natus erat, cum secutus est Petrum Romam Antiochia abeuntem.

g Extat etiamnum Græcus codex, unde Lipomanus & Surius Itinera & Acta SS. Apostolorum Petri & Pauli descripsere.

h Non eodem quidem tempore, quo Pancratium in Siciliam, & Apollinarem Ravennam Petrus dimisit, sed haud paucis post annis.

i Jampridem in Dalmatia Titus atque Hermes Evangelii semina jecerant; multique ex ea provincia Christianæ religioni nomen dederant, sed nondum ubique Evangelii lumen affulserat. Porro totius fere Dalmatiæ ad Christum conversæ, fundatæque sedis Salonitanæ gloria uni potissimum Domnio divinitus destinata erat.

k Idest primariam totius Dalmatiæ urbem.

l De quo Horatius: *Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho*. Lib. 2. Od. 1. & Servius in Notis ad Eclog. 4. Virg. *eodem anno suscepit filium, quem a capta civitate Salonium vocavit.*

m Satis constat Ethnicis quoque suos fuisse Theologos, qui de Deo, divinisque rebus pro suo modulo captuque differerent.

n Quem ex Tullio locum Pyrgus attulit, is libro 6. de Republica continetur, Somnio Scipionis insertus. Sex illi libri, quos Tullius de Republica inscripsit, jamdudum interiere; ex his nihil aliud superest, nisi Somnium Scipionis, & pauca quædam fragmenta indidem collecta, quæ ex vulgata Dionysii Lambini recognitione adjecta sunt operibus M. Tullii Lugduni editis anno 1599.

o Veteres Philosophi, quamvis egregiis ingenii, humanæque doctrinæ præsidiis instructi, unius tamen trinique Dei veritatem vix suspicione attingere, nedum certa cognitione assequi potuerunt, quippe quæ omnem naturalis intelligentiæ vim ac perspicaciam longe multumque excedit. Quidquid igitur de hoc Mysterio Trismegistum, Platonem, Orpheum, aliosque scripsisse ferunt, id e Sacris litteris in sua scripta derivarunt; nam hujusmodi mysterium in Veteris Instrumenti Tabulis si non luculenter exprimitur, certe per significationes arcanas, & mystica quædam exempla adumbratur; nisi forte ipsemet Deus in eorum animo atque intelligentia divinas illas rerum altissimarum notiones impresserit; quas ipsi vel satis percipere & explicare non potuerunt, vel suis commentis depravarunt.

p Arianum Dogma; cui proludere visi sunt aliqui Veteres ante Arium, qui Platoni impensius studebant.

q Haud dubium est, quin Apostoli, aliique Apostolorum ætati superares multa de augustissimo Trinitatis mysterio litteris consignaverint; quæ quidem vel temporum longinquitas, vel tyrannorum rabies, Christianique nominis penitus abolendi cupiditas posteritati præripuit.

r Hoc est Subdiaconos, Acolytos, Exorcistas &c. Hos quippe ordines, quorum descriptione totius ecclesiasticæ Hierarchiæ forma continetur, ab ipsis Apostolis constitutos fuisse testatur Baronius ad an. 44. idque confirmat non solum Dionysii, & Clementis, de quorum scriptis gravis est inter doctos viros controversia, sed etiam Ignatii Antiocheni Episcopi auctoritate.

s Maurilii in Dalmatiam adventus conjici potest in annum æræ vulg. 107. labente anno circiter quadragesimo secundo, postquam Domnius Salonitanum Pontificatum susceperat.

t Idem forsasse ac Serapis ab Ægyptiis summa religione cultus.

u Cum Trajanus per id temporis in extremo Oriente adversus Parthos, Armenos, & alios Romani Imperii hostes bellum gereret, Senatus Occidentis regiones, eique finitimas Orientis provincias Imperatoris nomine & auctoritate administrabat. Nullum quidem contra Christianos decretum Senatus fecerat, sed quæ Nero & Domitianus suis edictis sanciverunt, vinculorum, mortisque minis interpositis, ut ne quis Christianus fieret, ea ut Provinciarum Præsides cum fide & cura exsequerentur, Senatus decreverat.

x Hos versus ipsemet Auctor hujus vitæ composuit, quibus Sanctissimi viri verba & sententias exprimeret; eademque Domnio accommodavit.

y Annos fere octoginta natus erat Domnius cum Maurilii tribunal subiit.

z Fortassis id nomen accepit a Monte *Febron*, latine Massaron, quod illic prædia satis ampla haberet.

aa Id cognominis obvenit Jovi ex illo certamine, quod maxima hominum frequentia, ac totius Græciæ concursu apud urbem Olympiam quarto quoque anno in honorem Jovis celebrari solebat. Hinc agones Olympici, hinc Olympiades, hinc denique Juppiter Olympicus. Verisimile est Salonitanos haud dissimili ludorum apparatu ac magnificentia festos Jovis dies egisse. Hujus quippe Numinis cultus ac religio viguit vel maxime apud Salonitanos usque ad Imperium Diocletiani, qui haud procul Salona in eo, quod sibi amplissimum ædificaverat, Palatio augustum sane templum Jovis nomine consecravit.

bb Ab obitu S. Domnii ad primam ejus translationem anni circiter duodeviginti numerantur.

cc Quæ Trajani nomine insignitur Persecutio, ea sæpe intermissa fuit, itemque sæpe redintegrata, Vid. Cap. XII. §. 2.

dd Salona penitus excisa est Heraclio I. Imperatore, Joanne IV. Pont. Max. anno post Christum natum circiter 640. juxta computationem æræ vulgaris, sive Dionysianæ.

ee Barbarorum vocabulo comprehenduntur Gothi & Avares, cæteræque nationes ex ultima Barbarie profectæ, a quibus iterum ac sæpius Salona vehementissime oppugnata fuit; ac demum capta & incensa ab Avaribus.

ff Salonitani excisa everſaque patria alii alio commigrarunt. Plerique in proximas insulas se receperunt, qui aliquot post annis, revisendæ patriæ cupidine stimulante, Salonam regressi, novam civitatem quarto ferme ab urbe Salona lapide ædificarunt, cui Spalati nomen indiderunt.

gg De hac Translatione vide Cap. XIV.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Vita quinta S. Domnii, sive Oratio Illyrica de laudibus S. Domnii, quæ anniversario ejusdem ac natali die in æde Metropolitana Spalatensi recitari solet. Ex antiquissimo Pergameno, Interprete V. C. Andrea Carlovitio Canonico Spalatensi. Constat e tribus lectionibus.

§. I.

Acta S. Domnii.

Lectio I. Postquam Jesus Christus Salvator noster, exacto a sua gloriosa Resurrectione 40. dierum spatio, ad Cœlos conscendisset, Apostoli Spiritus Sancti igne inflammati, inter se orbem a partiti sunt universum, quisque in provincias & regna, quæ sibi obtigerant, secedens, Jesu Christi fidem evangelizaturi. Tunc temporis b B. Petrus collegii Apostolici princeps regimen Antiochenæ ecclesiæ sibi sumpsit, ibique c diu laboravit, prædicans doctrinam salutis, & viam Regni cœlorum; multosque miraculis & signis a vinculis Dæmonis eripuit, & ad cognitionem veritatis, cultumque veri Dei perduxit: necesse enim erat in illo exordio nascentis ecclesiæ, ut qui a sapientibus sæculi hominibus decepti in multos cæcos errores prolapsi fuerant, inde revocarentur, & ad viam veritatis reducerentur, B. Petri Apostoli sermonibus lenitate, & suavitate plenis permati, miraculisque & prodigiis, quæ per alios Apostolos patrabantur, incitati. Hinc factum fuit, quod in magna hominum multitudine, quæ undique convenerat, vel ad audiendam novam doctrinam, vel ad videnda signa, quæ fiebant, Theodosius civis Antiochenus honesto loco natus, sæpius B. Petri prædicationibus interesset, illiusque verba, & institutionem dudum corde & animo agitarit. Hic nobili Syriaca stirpe orsus, multisque Mundi fortunis cumulatus, in uxorem sumpsit Mygdoniam fœminam nobili Græcorum prosapia natam, ex qua unicam suscepit filium, cui Domnii nomen imposuit. Itaque Theodosius cognita ex prædicatione S. Apostoli veritate, spretaque Idolorum servitute, noctu ad S. Petrum convelabat, & quæ sibi occurrebant dubia, ab ipso dilui volebat. Hunc maxime in modum in Jesu Christi fide plane firmatus, una cum uxore & filio aqua Baptismatis regeneratus est, cujus exemplum secuti quamplurimi ex omni conditione hominum baptizati sunt; ingenti cum animi voluptate. Post hæc Domnius etiamsi adhuc puer, cum jam d septimum ageret annum, a Spiritu Sancto inflammatus, & amore Jesu Christi accensus, relictis parentibus, in S. Petri sequelam se dedit. Non respexit ad ætatem, nihil illum detinuit satis amplum patrimonium, precibus genitorum nihil indulsit, omnia hujus mundi bona nihili habuit; immo omnibus contemptis, secum constituit solum quærere bona cœlestia, quæ nec tinea potest corrumpere, nec fures furripere. Sic factus Petri discipulus, brevi tempore meruit, ut charitate fraterna illum prosequerentur & Magister, & cæteri consocii, nempe Pancratius, & Apollinaris, qui postea ad Episcopatum evecti sunt, alter Ravennæ, alter vero in Sicilia. Cum deinde Petrus ad Jesu Christi fidem e universos Antiochiæ cives perduxisset, Romam iter arripere instituit, superius memoratis Discipulis comitatus. Ægerrime enim ferebat arcem totius orbis servitute Idolorum perdite esse

a

b

c

Theodosius civis Antiochenus cum uxore Mygdonia & Domnio filio

a Petro baptizatus.

d

Domnius adhæret Petro.

e

emancipatam. Et sic concionantes peragrarunt Cæsaream, Sebasten, Cappadociam, Galatiam, Pontum, Bithyniam, Ephesum, Pathmum, & Athenas: ac demum superato Tiberis ostio, ingressi sunt urbem; ubi Petrum, postquam ad agnitionem veri Dei multos convertisset, cupido incessit, totum, quod supererat orbis, ab erroribus Gentilitatis liberare. Pancratium itaque in Siciliam, Apollinarem Ravennam, & B. Domnium Salonas misit, singulos suæ urbis Episcopos creatos. Domnius itaque post tranquillam navigationem brevi Salonas tenuit; & confestim coram omnibus mysteria & passionem Jesu Christi nota facere instituit. Tunc multi rationibus permoti veritatis, non minus quam celebritate miraculorum, contempserunt Idola, amplectentes Jesu Christi fidem, quos Domnius lavacro Baptismatis ad novam vitam regenerabat, usus aquis, quas e flumine Salonarum mœnia præterfluente hauriebat. Sub idem tempus Philosophus quidam Pyrgo nomine, inani sapientiæ fastu inflatus, & quidem potius vanitati verborum intentus, quam soliditati rationum innixus, cum veritati & mendacio par locus nequaquam esse possit, S. Domnium ad disputationem provocare, & maximopere ostendere contendit, se quoque rationibus philosophicis hoc comperisse unicum credendum esse Deum, & ex hoc genitum verbum, & ex illis processisse Spiritum, ac si esset Trinitas, quam Domnius prædicabat; seque item sic credere, prout nunciabatur. Nihilominus cum eo deducta res est, ut demonstrandum esset Trinitatem esse in Unitate, & Patrem, & filium cum Spiritu Sancto tres quidem esse Personas, sed unicum Deum; cum hoc non posset animo comprehendere, nec humano discursu assequi, tamquam quid vanum a sua mente abjecit. Obcecatum illum, & in suis erroribus perditum B. Domnius deseruit, & ad alios se convertit, ut illos ad veram fidem perduceret, & doctrina salutis imbueret, sermonibus miraculorum pondus addendo; & hoc necesse erat, cum vellet persuadere rem mirabilem, nempe Jesum Christum natum fuisse ex Maria Virgine; hunc esse Deum & hominem, qui fuit crucifixus, & sepulturæ traditus, & ipsum tertia die surrexisse a mortuis, & deinde in cœlum conscendisse; & miracula, quæ patravit, hominis opus esse non potuisse. Ut hanc veritatem in animos hominum induceret, sola nominis Jesu invocatione, pristinæ sanitati reddebat omnes, quibus cuncta humana remedia expertis erant inutilia. Et quemodo Deus ejusmodi potestatem concessisset viro, nisi veritatem annunciaret?

Creatur Episcopus Salonæ.

Pyrgi superbi Philosophi jactantia, cæcitas & pluspatio.

Lectio II. Subcrescente deinde credentium numero, B. Domnius ecclesiam construendam curavit, quam nomini Deiparæ Virginis dicavit, cujus adhuc f muri cernantur, & quæ subsistit g illæsa post Salonarum urbis eversionem. Tum S. Domnius apud se reputans, quonam modo posset melius fidem Jesu Christi vulgare, ordinavit Sacerdotes & Diaconos, illosque per Dalmatiæ provinciam misit, qui non post multum temporis illam pene universam a servitute Idolorum liberarunt, veroque Deo dederunt. His actis, cum jam tot labores fortiter exantlavisset pro veritate, & religionis zelo, sibi imminere tempus sensit recipiendi gloriam cœlorum, dicente Domino: Serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Et Maurilius quidem Salonarum Præfectus ad suum tribunal jussit S. Domnium adduci, ubi Idolorum Sacerdotes cœperunt illum criminari, quod Deos contemneret, & quod contra Cæsaris edicta novam fidem prædicaret, nempe unum esse Deum, & Jesum ejus filium crucifixum. Tum Maurilius a B. Domnio quæsivit, quomodo appellaretur, ubinam dege-

f

g

Dei Deiparæ ex structa.

De contemptu Idolorum accusatus.

Digitized by Google

degerent parentes ejus, & ubi gentium esset natus. A quo etiam intellexit, quonam nomine appellaretur; quæ patria, & ubi parentes versarentur: se insuper Christianum esse, ideoque illo missum esse, ut Jesum Christum prædicaret, & demonstraret illorum Idola falsos esse Deos. Tum Præfectus imperavit, ut Senatus, populique Romani lex exponeretur, qua dicebatur, ut si qui in ditionibus Imperii Romani invenirentur, qui talia docere auderent, nec Diis sacrificarent, plectendi essent capitis minutione, varioque tormentorum genere exercendi, donec efflarent animam. Quæ cùm audisset constans vir Dei; ne credas, inquit, me hujusmodi terriculamentis posse a proposito dimoveri, quia credo & prædico Jesum Christum filium Dei, vestros Deos contemno, & vestras minas prorsus irrideo; ne cesses in me omnia tormentorum genera experiri; sum enim potius ad omnia perpetienda paratus, quam veritatem Dei ejurare. Tum Maurilius cum animadverteret sibi a S. Domnio illudi, furenti in eum exarsit ira, jussitque illum in carcerem detrudi. Postea, ut educeretur, præcepit, & omni studio contendit illum in suam sententiam pertrahere, plurima illi & dona & dignitates pollicitans, si Idolis thus admovere vellet. Tum illi Domnius: Insane, inquit, Maurili, putasne me posse tuis muneribus a proposito dimovere? An tibi est ignotum me universa bona, quæ mihi majores congesserant, libente animo deseruisse, ut egentem vitam ducerem cum pauperibus Jesu Christi? Non vivit Christianus divitiis, sed fide & gratia Dei, quibus numquam perituræ cœlestes divitiæ comparantur. Videns tunc Maurilius omnia in irritum recidere, jubet illum, detractis vestibus, quam sævissime flagellari: cumque verberibus S. Domnium perfractum ingens Christianorum multitudo conspexisset, ad Prætorium Præsidis convolat, ibique Maurilium ob dolorem dentibus stridens vehementer objurgat, quam inique egerit, tormentis excruciando virum justum. At ille furore percitus, magnam armatorum vim accersit, & confestim ex illis, qui nullo modo sacrificare Idolis voluerunt, capite detruncandos imperat, quos eadem nocte clam Christiani sustulerunt, illorum cadaveribus ad radices Massaron tumulatis.

Verberibus tunditur. Christianorum justa indignatio.

Ex his ob religionem cæsi.

Mortuum Febronia filium h i k

Festo Illi. Illis fermè diebus, quibus hæc agebantur, viduæ Febroniæ illustris fœminæ unicus moritur filius, cujus pater nomine h Dignanus i nobilis Romanus, fuit Salonarum k Præses, ob cujus obitum & Maurilius, & vera urbis maximo dolore angebatur, constituit itaque suadere Domnio, ut in defuncto puero demonstraret, quanta esset potestas Jesu Christi, non quia videret hoc posse fieri miraculum virtute Dei, sed potius magicis artibus; nihilominus volens, ut qualicunque modo, qui obierat, ad vitam revocaretur, simulavit se velle in Jesum Christum credere, si illum mortuum resuscitaret. Ad hæc Domnius Maurilio reposuit: Etiamsi non me lateat te sic a Dæmone obcæcatum, ut nullo pacto possis credere veritati, ad consolationem tamen tum fidelium, tum illorum, qui sunt veram fidem amplexuri, & ne ulla suboriatur suspicio, id non posse fieri a Jesu Christo, agam, ut magis magisque glorificetur coram omnibus Deus. Accessit itaque ad mortuum, ibique genibus ad terram demissis, manibusque ac oculis ad cœlum elevatis, fudit preces Deo, & defuncto præcepit, ut in nomine Jesu Christi suum iterum susciperet spiritum, & vitam ducere inter mortales pergeret. Vix S. Domnius hæc erat effatus, quod adolescens, qui videbatur sibi potius a somno excitatus, quam a mortuis revocatus, statim surrexit. Ad hoc miraculum, quamvis multi veram fidem reciperent, Maurilius nihilominus, cæterum acer, quod ille adolescens revixisset, semper in sua cæcitate obstinatior remansit: tanta erat illi in sua infidelitate perversitas, ut nec signa, nec miracula ei cor ullo modo potuerint emollire. Et ut eo citius a S. Domnio supplicium sumeretur, idolorum Sacerdotes Maurilio plurima dona non solum polliceri cœperunt, verum etiam illi minitari, animadvertendum esse in illum bonorum jactura, exilio, aliisque corporis afflictationibus, si hunc virum sineret vivere, nec acriter puniret, prout jura imperialia jubebant. His adactus Maurilius sine ulla cunctatione in hunc modum tulit sententiam: Domnius, qui contra Cæsareas leges nostros Deos contemnit, esto morti destinatus. Et protinus extra mœnia civitatis pertractum post humiles preces Deo fusas, capite obtruncarunt. S. Domnius martyr gloriosus hoc modo mortales deposuit exuvias, & ad cœlos evolavit, coronam immarcescibilem accepturus ab eo, cujus amore perductus, alacer mortem subivit; & in eodem loco, ubi supplicio fuit affectus, eadem nocte a Christianis sepulturæ est traditus. Postea non post multum temporis corpus hujus B. Martyris, quiescentibus jam a persecutione Christianis, in Salonarum urbem est translatum, honorificeque conditum in ecclesia jam memorata B. M. Virg. Omnia deinde Gothis l bello vastantibus, Salonarum urbs fuit eversa, civibus se in proximas insulas fuga subducentibus: qui progressu temporis reduces, tamquam in tutum asylum se receperunt in Palatium Diocletiani, quod a Salonarum ruderibus tertio lapide distabat. Ibi templum, quod a Gentilibus Jovi excitatum erat, projectis Idolis, fuit per Joannem Archiepiscopum nomini B. Deiparæ Virginis dicatum, & in eodem corpus ipsius B. Martyris collocatum, postquam Salonis translatum fuit, ubi ad hodiernum usque diem reperitur, & colitur honorificentissime, plurima miracula & prodigia patrando, cujus precibus certo tenemus nos a malis tegi, auxiliis foveri, & ab omnipotenti Deo vitam æternam promitti.

Corpus primum Salonas,

Deinde Spalatum translatum.

ab inferis excitat.

§. II.

Nata ia quintam vitam S. Domnii.

a NOn secus hic, quam in superiori codice, Divisio Apostolorum, seu potius designatio Divisionis Apostolicæ conjungitur cum Christi Domini ad cœlum ascensu ante constitutam Antiochenam sedem.

b Ideſt per ea tempora, anno videlicet Christi 37, æræ vulgaris 34.

c Antiochena Petri sedes annorum fere septem spatio circumscribitur. Neque tamen ibidem perpetuo affixus intra illud temporis intervallum manebat; sed interea alias identidem Orientis provincias Evangelii causa peragrabat.

d De septimo ætatis anno, quem agebat Domnius, cum Christiana sacra suscepit, omnes omnino codices inter se mirifice congruunt. Erat is annus Christi 37, æræ vulg. 34.

e Non est quidem verisimile, ut Petrus omnes omnino Antiochenos ad Christianam religionem traduxerit; sed ex omni genere & ordine quamplurimos, ut civitas magna ex parte dici haberique posset Christiana.

f Non ejus quidem ædis, quam Domnius erexerat, sed alterius, quam Salonitani post Tyrannos extinctos & pacem ecclesiæ redditam, restituerant, sive in locum prioris suffecerant.

g Vide notas in tertiam vitam ab Adamo Parisiensi conscriptam.

h Hoc nomen in singulis fere codicibus paullulum variatum invenies. Nam alibi *Diginanus*, ali-

bi *Diginianus*, alibi *Dignianus*, alibi demum *Dignatius* vocatur.

i Hunc Romana nobilitate insignem fuisse omnia exemplaria affirmant, nisi quod eum alia in Patriciorum ordinem, alia in Senatorum numerum referunt.

k Id muneris ac potestatis gessit ante Maurilium; sed hujus jurisdictio latius per universam Dalmatiam, & provincias Orientis diffusa erat.

l Extremum Salonæ excidium non Gotthi, sed Avares intulerunt. Verum hic Gotthorum nomine Barbari quicunque designantur. Gotthi siquidem gentium barbararum facile principes habebantur; quippe qui & reliquas barbaricas nationes numero superabant, & majoribus, quam cæteræ, ac diuturnioribus cladibus Europam affecerant. Eodem vocabulo ad designandos Salonæ everſores alii Scriptores utuntur, quemadmodum dicetur in Historia Joannis Ravennatis primi Spalatensium Antistitis.

CAPUT VII.

Sexta vita brevior tribus comprehensa lectionibus solemnis Officii, quod nonis Maii, hoc est ipso festo ac natali die B. Domnii in provincia Spalatensi ab universo Clero recitari solet. Auctor est Lucas Gaudentius Spalaten. Archidiaconus. Ex Brev. Spalat. Venetiis excuso an. 1690.

§. I.

Acta S. Domnii.

Lectio IV.

Domnius ex Theodosio homine Syro, & Mygdonia Græca, nobilissimis, ac ditissimis, sed adhuc gentilibus, optime tamen ad virtutem propensis, ortus parentibus: puer vix septennis cum utroque parente, qui ad prædicationem Petri Apostolorum Principis Antiochiæ Christi Domini fidem susceperant, baptizatus est. Statimque capit Apostoli donum quotidianis obsequiis frequentare, atque in dies magis penes eum magistrum in eo, & erga Petrum dilectio, & erga Deum fervens amor; ac proinde terrenarum rerum contemptus succrescebat: a nec multo post penitus adhæsit Petro, simul cum sanctissimis viris Pancratio, & Apollinare.

Lectio V.

Patrum, Antiochia relicta, Romam proficiscentem simul cum Pancratio, & Apollinare secutus est Domnius. Cumque de fide Christi propaganda, ut debebat, sollicitus esset Petrus, & Pancratium b jam in Siciliam, Apollinarem vero Ravennam direxisset, concredita ipsis solvendi, atque ligandi potestate, Domnium in Dalmatiam trans mare Adriaticum navigare jubet, ut ibi Christi fidem disseminaret. Paruit jussis, vectoque primum Salonas appulit, quarum tunc maxima, & locupletissima totius Dalmatiæ Metropolis. In eam ingressus Domnius brevi tempore multos ab idolorum vano cultu revocatos ad Christi fidem convertit, quos in Salonæ flumine baptizabat: vanum quemdam Philosophum Tyrum nomine confutavit, & Deus per manus sancti viri ad solam nominis Jesu invocationem ægritudines languentium propellebat.

Lectio VI.

Excrescente multitudine credentium, placuit omnibus ecclesiam sub invocatione sanctissimæ Dei genitricis Mariæ construere, in qua ministros plures ordinavit, per quos brevi tota fere provincia Christo nomen dedit: quam ecclesiam Præsul Sanctus c satis longo tempore gubernavit. Cumque jam cœlo maturus esset, idolorum Sacerdotes in ipsum concitarunt iram Maurilii præfecti urbis, in cujus conspectu cum intrepidus Christum verum Deum prædicaret, & mortuum etiam ad vitam precibus revocasset, fuissetque occasio, ut quadraginta quinque martyrio ante ipsum coronarentur: ipse etiam datis fortiter cervicibus, Maurilii præfecti jussu obtruncatus est nonis Maii extra civitatem, ubi etiam a Christianis sepultus est: non multo post intra urbem collocatus; ac demum, urbe ipsa Salonarum a Gotthis dissipata, Spalatum simul cum metropolitana sede translatus; ibi ut ecclesiæ illius, & civitatis Patronus honorifice colitur, & celebratur.

§. II.

Notæ in vitam sextam §. Domnii.

a Dest statim fere post baptismum susceptum anno Christi 37, ætæ vulg. 34.

b Tò *jam* haud obscure significat Pancratium & alios ex Petri Discipulis in suas provincias longe ante profectos fuisse, quam Domnius jussu missusque Petri in Dalmatiam discederet, quod ex aliis codicibus non satis aperte intelligi potest. Plerique siquidem ex illis anno post Petri in urbem adventum elapso in suam quisque provinciam mitti cœperunt. Is vero, ut sæpe diximus, Dalmaticum Pontificatum adeptus in Dalmatiam trajecit anno ætæ vulg. 64., haud multo ante quam Petrus Neronis jussu vel in carcerem conjiceretur; vel anno 65. Vide cap. 9. Dis. 11. §. 3.

c Domnius Salonitanam ecclesiam administravit annos circiter duos & quadraginta ab anno ætæ vulgaris 64. aut 65, ad annum 107, sive ab anno Christi 67. vel 68. ad annum 110.

CAPUT VIII.

Animadversiones Onomastice in Acta Sancti Domnii.

Domnii nomen aliter ab aliis scribi solet.

QUamquam in Actis S. Domnii una sit, eaque demque perpetua & constans hujus nominis scribendi ratio, quia tamen idem nomen aliter ab aliis exprimi, variisque commutari solet, venit mihi in mentem interdum subvereri, ne quis variationem personarum ipsarum esse, quæ nomina est, suspicetur; nec existimet totidem fere viros huic vocabulo subjiciendos esse, quot eidem literarum mutationes obtigisse comperiet. Quam huic periculo occurrendum, & hanc suspicionem amovendam censeo; & quamvis vulgo dicitant eas quæstiones, quæ de nomine institui solent, nullius plerumque momenti esse, & plus fere tædii, quam utilitatis lectoribus afferre; huic tamen controversiæ aliqua subsunt, quæ breviter modiceque attingam, neque ad cognoscendum prorsus inutilis, neque ad legendum forte adeo injucunda; quibus efficere mihi posse videor, ut neque nos, neque eos, qui legerint, instituti operis, susceptique laboris pœniteat. Hinc certe illud colligi potest, quod ad gloriam S. Domnii haud parum pertinere arbitror, fuisse quamplurimos, qui de illius laudibus scripserunt; nam tanta in ejus nomine scribendo varietas ex eo profluxerit necesse est, quod id vocabulum malorum calamos subierit, idemque aliis aliter pro suæ

quis-

Digitized by Google

quisque arbitratu effinxerint. Omnino dividere placet totam istam de nomine quæstionem in partes quatuor. Primum docebimus, quam varia sit & multiplex ejus scribendi ac pronunciandi ratio; deinde quænam sit antiquior, quasique primigenia; tum quæ Salonitanis magis usitata, nobisque adhibenda; postremo recensebimus aliquot egregiæ sanctitatis viros B. Domnii cognomines, quibuscum ille confundi posset.

§. I.

De varia ac multiplici ratione scribendi pronunciandique nominis Domnii.

FRanciscus Maria Florentinius, Joannes Sollerius, aliique ex Hagiologis haud sane pauci multum curæ operæque in eo posuerunt, ut ex antiquis Martyrologis dissimiles inter se formas, rationesque colligerent, quibus Divorum nomina variari, & alias aliter effingi describique solent. Quas cum accurate expenderim, ac propemodum annumeraverim, haud equidem memini ullum aliud me reperire vocabulum, quod tam multas, ut nomen Domnii, tamque diversas mutationes subierit. Nam neque ab eadem syllaba semper initium ducit, & plerumque dissimili syllabarum terminatione clauditur: litteris vero intermediis nihil mutabilius, nihil inconstantius; nam & aliæ aliis subrogantur, & earum numerus alias augetur, alias imminuitur. Quid plura? tam varias formas induit sibi hoc nomen, tamque dissimiles, vix ut idem vocabulum esse agnoscas. Operæ pretium esse arbitror vel omnes, vel certe præcipuas ejusdem variationes in unum locum congerere, & sub uno aspectu ponere. Ut brevitati consulam, neque citabo Auctores, apud quos inveniuntur, neque locos, unde illas deprompserim. Sunt autem hujusmodi: *Domnus*, *Domnius*, *Domus*, *Donus*, *Domninus*, *Doumninus*, *Dopninus*, *Dompninus*, *Dopnus*, *Dypnus*, *Dypnius*, *Dopinus*, *Doninus*, *Domenæus*, *Duimus*, *Duymus*, *Doimus*, *Domio*, *Domnio*, *Dominio*, *Dominionus*. Cave autem putes aut nomina esse diversa, quæ sunt ejusdem vocabuli variationes, aut ex illis distinctionem personarum recte colligi, sic ut qui exempli causa *Domnius* dicitur, is ab *Domnione*, seu *Domnino* &c. alius atque diversus haberi debeat, & similiter atque Petrus a Paullo distingui. Unum idemque vocabulum est; nisi quod multiplici variationi subest, & alias aliis litteris exprimitur. Tantum vero abest, ut diversa ejusdem conformatio ad plures homines referenda sit, & sua cuique tribuenda; ut nihil omnino intersit, utrum *Domnium* an *Domnionem*, an *Dopinum*, an alio aliquo modo ex supra descriptis illum appelles, cui *Domnii* nomen obvenerit; & cum plures inveniantur, qui idem nomen, sed non iisdem litteris conformatum gesserint, hi omnes cognomines haberi dicique oportet. Argumento est, quod hunc ipsum, de quo agimus, B. Petri Discipulum, & primum Salonarum Antistitem alii aliter vocant; qui enim in Actis Domnius ubique dicitur, idem in Martyrologiis nunc *Domnio*, nunc *Dominio*, apud Ferrarium *Domninus*, apud Dandulum *Dopinus*, in antiquis numismatis *Domnus*, apud alios alia ejusdem vocabuli nota insignitur. Quid quod ab iisdem Auctoribus idem Salonitanus Episcopus dissimili appellationis forma affici scribique solet? Ferrarius, quem in Catalogo generali ad nonas Maii Domninum adscripsit, eumdem paullo post in Notis Domnionem appellat. Ecclesia Spalatensis, quæ tres ipsos festos dies Domnii religione consecravit, primum III. Idus Aprilis, alterum nonis Maii, tertium IV. Kal. Septembris, duos postremos Domnii, priorem vero Domnionis vocabulo insignivit. Hagiologi Antuerpienses in Prætermissis ad VII. Aprilis alias *Domninum*, alias *Domnionem*, alias *Domnum* rite appellari posse existimant unum eumdemque primum Salonæ Episcopum; idem monet Henschenius in Actis S. Domnii ad XI. Aprilis, qui *Domnii*, *Domnionis*, *Domnini* vocabula ad designandum eumdem referri, & promiscue adhiberi censet. His adde Franciscum Mariam de Aste, qui in Disceptationibus ad Martyrologium Romanum die XI. Aprilis inter hæc vocabula *Domnium*, *Dominionum*, *Domionum*, *Domnionem*, *Domninum* nihil interesse putat, præter diversam ejusdem nominis conjugationem. Nihil igitur causæ est, cur Franciscus Maria Florentinius in suo Martyrologio ad XI. Aprilis pro *Domione* Domnionem substituendum censeat; nihil est, cur Joannes Sollerius in Auctariis ad eumdem diem *Domioni*, & *Domnio Domnionem* præferat: nulla quippe ab antiquis hujus vocabuli scribendi formula perscripta est, quam necessario sequi, quamque perpetuo & constanter ad Salonitanum Episcopum nominandum nos uti oporteat. Neque vero audiendus est Joannes Tomco Marnavitius Episcopus Bosnensis, qui in Vindiciis S. Felicis primum quidem Salonarum Antistitem, cujus corpus in æde Metropolitana Spalatensi adservatur, Domnium semper appellandum censuit; Domnionis vero nomen reservandum alteri Salonitano Episcopo, qui ætate posterior cum octo militibus ibidem religionis causa interfectus fuerit, eumque aliquot post sæculis Romam esse translatum, & in sacello S. Venantii prope Basilicam Lateranensem etiamnum coli existimat; nam in Fastis Salonitanæ ecclesiæ, si primum excipias, nullus alius reperitur Episcopus, qui *Domnionis* vocabulo nuncupetur. Fuit quidem decimo quinto sæculo Archiepiscopus Spalatensis Doymus, sive Duymus, cognominatus *de Judicibus*; sed is neque habuit socios martyrii, neque ipse martyr fuit; neque umquam vel Spalati, vel Romæ Divi nomen aut cultum promeruit. Ad extremum illud addendum censeo, reliquos item B. Domnii cognomines non solum ab aliis aliter, sed etiam ab iisdem Auctoribus alias aliter appellari; cujus quidem rei quamplurima proferre possem exempla, nisi me hujus loci argumentique ratio brevitatis admoneret. Cæterum vel hinc intelligitur tot tantisque litterarum mutationibus vocabulum unum & omnino idem subesse, neque ex illis personarum discrimen duci posse; & cum multis illud idem nomen obvenerit, parvi referre, qua quemque ratione appellaveris.

Multiplex ejusdem nominis variatio.

Marnavitius Domnium a Domnione perperam distinxit.

S. Domnii posterum non solum alii aliter,

sed iidem aliter atque aliter appellant.

§. II.

Quæ sit antiquior hujus nominis forma, quasique primigenia.

EGo vero sic existimo, hujus vocabuli apud Latinos originem repeti posse a *Domino*, quod Latinis est nomen appellativum, seu commune pluribus, quos vel honoris causa, vel quod imperium in suos habeant, domive suæ præsint, *Dominos* vocamus. Inde litteris vel detractis, vel adjectis, vel immutatis, vel ex una in aliam sedem translatis oritur *Domnus*, *Domnius*, *Domnio*, *Domninus*, *Dopnus*, & cæteræ ejusdem vocabuli formæ supra descriptæ, quæ fere proprii nominis vim obtinent, atque ad singularem aliquem virum designandum adhi-

adhiberi solent: quamvis *Dominus*, qui una tantummodo litterula exempta proxime abest a *Domino*, apud scriptores præsertim ecclesiasticos appellativi communique vocabuli rationem retineat. Id nunc agimus, id inquirimus, quænam fuerit primæ hujus vocabuli forma, ex quo in numero nominum propriorum velutique personalium haberi cœpit; sive ut hanc quæstiunculam arctioribus terminis circumscribamus, quæ antiquior fuerit S. Domnii Salonitani Episcopi appellandi, ejusque nominis scribendi ratio, ex qua cæteræ tam variæ, tamque inter se dissimiles profluxerint.

Antiquior S. Domnii appellandi ratio.

Atque ego equidem *Domnum* reliquis ejusdem generis appellationibus usu & antiquitate antecedere arbitror. Cum enim ille genere Syrus esset, patria Antiochenus, verisimile est ejus nomen ab initio iisdem litteris exprimi, & eodem prorsus modo pronunciari scribique solitum fuisse, quo antiquitus appellatos esse constat reliquos e Syria oriundos, quibus idem nomen contigerit. Ex his autem neminem unum fortasse invenies, quin *Domnus* appelletur. Paucos exempli causa proferam, ex quibus conjecturam de reliquis fieri velim. Tres omnino Patriarchas Antiochenos fuisse proditum est hoc nomine insignes, quos Eusebius lib. 7. c. 26. Ephrem apud Phot. in Biblioth. Cyrillus Mon. in vita S. Euthymii, Photius, & alii scriptores Syri juxta Græcique sine ulla variatione *Domnas* appellant. Domnus Patriarcha Antiochenus primus eo nomine in locum Pauli Samosatensis suffectus est ab Antiochena Synodo anno tertii sæculi septuagesimo secundo. Alter ejusdem nominis Patriarcha præfuisse legitur Concilio, quod Antiochiæ celebratum est anno post Christum natum 449. Tertius denique quintæ Synodo interfuit, itemque formulæ, sive constituto, quod Vigilius Papa suam de tribus Capitulis sententiam aperiens, ad Justinianum miserat, nomen suum ac sententiam adjunxit. Duas præterea fœminas origine Syras, & aliam alia de causa, maxime illustres *Domnæ* vocabulo appellatas invenio. Prima hujus nominis fuit virgo quædam eximiæ sanctitatis, cujus Acta Bollandiani describunt, ejusque diem festum ad Kalendas Martias referunt. Altera uxor fuit Severi Imperatoris, quæ quidem Juliæ cognomen sibi adscivit, *Domnæ* tamen tum ab Oppiano Vate lib. 1. vers. 4. Cynegeticon, tum in Græcis numismatis inscribitur. Quæ cum ita sint, mihi sane probabile fit hunc primum Salonæ Antistitem ab initio non aliter vocitatum fuisse, quam Domnum, ea scilicet appellationis forma, qua reliqui ejusdem provinciæ viri & mulieres affici ac distingui solebant. An vero *Domni* vocabulum ad linguam Syriacam referendum sit, haud equidem scio; apud Latinos ab *Domino* ortum ducere dixi, nisi forte altius ejusdem etymologiam repetere libeat ἀπὸ τῦ δόμα, quæ vox apud Græcos idem significat, quod *Domus* apud Latinos. Ab Domo autem dicitur *Dominus*, quasi qui domi præsit, & domui imperet. Sed ex propositis exemplis illud effici volo, id moris fuisse apud Syros, ut quibus hoc nomen sive a Latinis, sive a Græcis acceptum obtigisset, eos non aliter nisi *Domnos* vulgo appellarent.

Domni vocabulum primitivum.

Etymologia Domni.

Hoc pertinet, quod cum eidem nomini proprio ex variatione litterarum variæ ac multiplices formæ obveniunt, illa cæteris antiquior habenda sit, quæ ad similitudinem communis & appellativi vocabuli, ex quo deducitur, propius accedit. Nulla autem videntur esse nomina inter se tam similia, quam *Domnus*, & *Dominus*; nam quominus una sit eademque hujus vocabuli conformatio, unum omnino jota intermedium obstat, alteri insertum, alteri exemptum; quod si alteruter vel additur, vel adimitur, unum fit prorsus idemque nomen, cæteris omnibus litteris salvis intactisque. Contra vero reliquæ ejusdem vocabuli formæ ab illius primitivi nominis similitudine hoc longius recedunt, quo plures eidem litteræ vel addi, vel detrahi, solent, vel aliæ pro aliis summutari, & ex uno in alium locum transferri. Maneat itaque S. Domnium Salonitanum Antistitem ab initio appellatum fuisse *Domnum*, & hujusmodi appellationem omnium esse antiquissimam, eamdemque primam, unde reliquæ omnes profluxerint.

§. III.

Quæ sit usitatior ejusdem nominis forma, nobisque adhibenda.

Domnii Salonitani Episcopi appellandi usus communior.

QUamquam *Domni* vocabulum reliquis id genus appellationibus antiquitate & origine antecellat, illi tamen ut præferam nomen *Domnii*, & primum Salonarum Antistitem non alio, quam hoc modo appellandum censeam, movet me, atque adeo compellit usus ferme communis jamdudum receptus, & nostratum scriptorum exemplo confirmatus. Ac primum quidem hujusce appellationis Auctores habeo illos omnes, qui res gestas S. Domnii litteris mandarunt, quorum auctoritas vel plurimum apud me valet, ut religio propemodum mihi sit ab illorum exemplis recedere. Hi vero, ut videre est in actis paullo ante descriptis, *Domnii* vocabulo ubique sine ulla litterarum variatione utuntur. Deinde Thomas Archidiaconus, quem rerum Salonitanarum auctorem laudare possum religiosissimum, cum S. Domnii mentionem quam sæpissime fecerit, numquam illum aliter, nisi *Domnium* appellavit. Et quidem exemplar historiæ Salonitanæ Amstelodami excusum hac de re præclare omninoque convenit cum codicibus Barberiniano, Vaticano, Maruliano, Frangipanico, & cum apographo Levacovichiano. Huc adde Micham Mudsum, & auctorem codicis Acutheani, qui eamdem appellationem suo exemplo & auctoritate sanciunt. His accedit Historicus Dalmata, cui perpetuum & solemne fuit ecclesiæ Salonitanæ parentem & conditorem Domnii vocabulo afficere; sic ut ne semel quidem aut Domnionis, aut Domni nomine, aliisve hujusmodi appellationibus donaverit.

Illud vero animadverti oportet, quod iidem auctores, si alium quempiam B. Domnii cognominem necesse habeant nominare, ab Domnii vocabulo abstinent, eumdemque vel Duymi nomine insigniunt, ut Archidiaconus; vel alia, & a Domnio paullulum dissimili nominatione designant. Quod quidem eo consilio mihi videntur fecisse, ut *Domnii* appellationem cæteris hominibus ademptam quodammodo consecrarent, ne imposterum communis esset, & promiscue cuique adoptaretur; sed primo Salonarum Antistiti tamquam sua & propria permaneret. Præterea quamquam aliæ non desint & temporum, & locorum, & rerum gestarum notæ, ex quibus noster Domnius discerni possit ab aliis, quibus idem nomen obvenerit, tamen si fieri potest, optimum factu arbitror, hos ab illo aliqua etiam nominis varietate distingui. Hanc vero nominis distinctionem non aliunde congruentius peti posse arbitror, quam ex perpetua constantique Domnii scribendi & appellandi consuetudine jampridem a Dalmaticis scriptoribus usurpata. Nam reliqui omnes, qui id nominis gesserint, alias aliter ab iis, quos supra recensui, scriptoribus nominari solent; & ex illis vix unum alterumve invenies, qui apud

Domnius a nobis etiam semper appellandus.

eos

vus Dominius appellatur: ex quo efficitur hanc appellationis notam vel maxime propriam esse Sancti Domnii ecclesiæ Salonitanæ conditoris; ac proinde eam nobis esse perpetuo retinendam; ut a cæteris, qui reipsa differt, aliquali etiam nominis variatione distinguatur.

§. IV.

De aliquibus SS. Viris B. Domnii cognominibus, ac præsertim de B. Domnino Juliacensi, a quo noster diligenter distinguendus.

Plures sanctitatis animæ viri vocati Domnii, a quibus notandi distinguendus.

Fuere permulti vel Sanctitatis fama, vel martyrii laude præclari, iidemque S. Domnii Episcopi de martyris Salonitani cognomines, quos in cœlitum numerum relatos culte pieque colit Christiana religio. Non tam necessarium, quam longum esset singulos commemorare, præsertim cum ad alia graviora properandum sit, & hujus dissertationis laus omnis in brevitate consistat. Ex his catalogum bene longum multa opera & labore mihi ipse confeci; quippe omnes, qui sive in Martyrologiis, sive in Diversum historiis extant hoc nomine insignes, quam diligentissime conquisivi, & memorabilium rerum ab unoquoque gestarum epitomen, suam cuique adjeci, & suis quemque temporibus circumscripsi. Ex quo illud obiter animadvertas velim longe a nobis abesse suspicionem illam, quæ alicui subirasci posset, ne forte Domnio Salonarum Episcopo multa per errorem attribuerimus, quæ ad alios eodem nomine insignitos pertinent; quippe cogniti nobis perspectique sunt quicumque olim id nomen cum egregia Sanctitatis laude conjunxerint; in omnium vitas, & acta singulorum diligenter inquisivimus, & quæ cuique conveniant, singillatim perpendimus, accurateque distinximus. Nullus autem dubito, quin ab ipso Domnio primo Salonarum Antistite, ex illis plerique, atque ii præsertim, qui propius ab ejus ætate floruerunt, id nomen vel ipsi sibi adsciverint, vel impositum a parentibus summa cum laude gesserint. Nam primis illis temporibus magnum videtur fuisse ac celebre nomen S. Domnii; quippe qui Syriam, Asiam minorem, Græciam, Italiam, aliasque provincias una cum B. Petro Apostolorum principe peragraverat, & quamcumque iter fecerat, eximiæ virtutis ac sanctitatis vestigia impressa reliquerat; præterquamquod Salonitanæ ecclesiæ conditæ & sanctissime administratæ, itemque martyrii ab eo fortiter constanterque suscepti fama Dalmatiæ fines pertegressa, multas regiones circumcirca pervaserat. Ex quo factum fuisse arbitror, ut multi ejus nomine appellari vellent, sive ut suam adversus eum religionem ac singulare studium profiterentur, sive ut ejus opem ac patrocinium sibi conciliarent. Cæterum plerosque haud invitus prætereo, paucissimos tantum proferam, eos videlicet, qui præter nomen cum alia quædam fere communia habeant cum nostro Domnio, idcirco cum eodem confundi ille possint; per fas debuerunt, qui aut duxerint, utrum eos distingui oporteret, aut nullum inter eos discrimen esse putarunt.

Dominus Syridonensis Episc. a nostro diversus.

Martinus Septentrionius e Soc. Jesu nomen & commemorationem S. Domnii vel Domni Syridonensis Episcopi refert ad diem 11. Aprilis, quo die itidem S. Domnius Salonitanus Episcopus Spalati & Romæ anniversaria celebritate colitur. Uterque præterea Dalmatiæ Episcopus inscribi solet. Sed utriusque facilis est, & prompta distinctio. Nam Syridonensis longe posterior ætate fuit, & a nostro amplius ducentorum annorum intervallo disjunctus, quippe qui & concilio Nicæno interfuit, & ejusdem Concilii Acta subscripsit. Præterea is Episcopatum obtinuit in ea Dalmatiæ parte, quæ ad Septemtrionem spectat, & Pannoniam attingit; noster vero in ipsa media Dalmatia, quæ vergit ad Meridiem.

Alii Domnii vel Domni, vel Domini nomine vocati.

Domnius Laureacensis apud Schonlebium, & Domnus Bosphorianus Episcopi itidem interfuere concilio Nicæno.

In variis apographis Hieronymianis ad diem XI. Aprilis Domnianus quidam Episcopus inter Mauritanos quosdam & Salonitanos martyres legitur interjectus ad hunc modum: III. Idus Aprilis: *In Mauritania Natalis Saloni, Maximi, Hilarii, Concessi: & Domini Episcopi. In Salona Dalmatiæ, Dominionis Episcopi, & militum ejus.* Hunc Dominionem a Domnione, sive Domnio Salonitano Antistite distinctum esse interpunctio ipsa declarat: præterea si unus idemque esset martyr & Episcopus, quid necesse erat his ejusdem eodem die commemorationem fieri? Uterum autem is Domninus Episcopus ad Mauritanos, an ad Salonitanos martyres, an vero ad neutros pertineat, non est hujus loci disquirere. Cæterum nihil est, cur miseris duos pluresve Divos cognomines in ecclesiasticis Fastis ad eumdem diem adscribi; veluti hos tres Domnios Salonitanum, Stridonensem, & alium incompertæ loci Episcopum, qui ejusdem diei undecimæ Aprilis celebritatem augent. Multa suppetunt hujusmodi exempla, quæ alibi proferam, si opus sit, & occasio ferat.

& eodem die culti, a nostro tamen diversi.

Domninus vel Durax genere Illyricus, & Clericus, idemque martyr ecclesiæ Aulonensis colitur apud Græcos XVI. Kalend. Februar.

Dominus sive Domninus cum Sociis sub Maximiano Thessalonicæ pro Christo occubuit III. Kalend. April.

Domnius ecclesiæ Singidunensis Diaconus anniversario cultu celebratur IV. Kalend. Septemb.

Huc adde Domnionem Presbyterum Romanum, itemque alios quamplurimos ex Italia, Dalmatia, Græcia, Syria, Gallia, Germania vel martyrio inclytos, vel præclaris sanctimoniæ notis insignes, quos a Domnio Salonitano & locorum & temporum intervalla distinguunt. Nihil est, cur hic subjiciam *Domnus*, alias *Domnus*, ut auctor est Onuphrius in Annot. ad ejus Vitam, dictum Pontificem Romanum Adeodato suffectum anno circit. 77. cui nulla est neque temporum, neque rerum cum Domnio nostro affinitas.

Sed nemo est, qui cum Domnio nostro facilius confundi possit, quam Domninus, sive Dominus martyr Juliacensis; cujus Acta & martyrium e codice Ms. perantiquo descripsit Laurentius Surius, & nono die Mensis Octobris subjecit. Is cubicularius cum esset Maximiani Imperatoris, Christianæ religionis causa in capitis discrimen adductus, e Germania, ubi tum versabatur Imperator, in Italiam fugam arripuit. Præclaræ confessionis socios habuerat fere quingentos, quorum alios comprehensos Maximianus extremo supplicio affici jussit; alii aliis itineribus delapsi, itidem ad partes Italiæ se recipere festinarunt. *Beatus vero Dominus*, inquiunt Acta, *pervenit via Claudia: qui cum venisset quinto decimo milliario a Julia Chrysopoli civitate, a ministris imperatoris insecutus comprehenditur; & circa fluvium Sisterionem nomine in media, quæ Claudia vocatur, via publica capite plectitur. Qui statim virtute divina abscissum caput e terra sublevans, & palmis portans, transivit per medium Sisterionem, usque ad saxum lapidis ultra progrediens substitit, ibique caput reposuit. Quo loco sacra ejus*

S. Domninus cubicularius Maximiani.

ob fidem capite plectitur.

ossa

ossa servantur. Ad cujus sepulchrum multi ægri, quacumque fuerint infirmitate detenti, sacris ejus intervenientibus meritis curantur.

Corpus S. Domnionis a Salonitanis subreptum & Salonas translatum.

B. Domnini Juliacensis nomen diemque natalitium in Martyrologio Romano ad septimum Idus Octobris adscriptum invenies: *Apud Juliam in territorio Parmensi via Claudia, S. Domnini martyris sub Maximiano Imperatore; qui cum vellet persecutionis rabiem declinare, a persequentibus gladio transverberatur, gloriose occubuit.* Eadem die Juliacenses solemni ritu officioque anniversarios honores S. Domnino persolvunt, quem sibi patronum adoptarunt, ab eoque urbi suæ nomen indiderunt, quæ nunc Oppidum seu Burgum S. Domnini appellatur, cum olim Julia Fidentia vocaretur; & mille passus fere quindecim abest ab Julia Chrysopoli, quæ veteri, magisque usitato ac trito vocabulo Parma dicitur. Hujus sanctissimum corpus miraculis inclytum, eximiaque populi frequentia ac veneratione celebratum, Juliacenses apud se asservari affirmant in templo subterraneo, cui ædes cathedralis superstat, quamvis de loco, ubi sit conditum, est aliquid inter eos controversiæ; neque satis liquet, utrum infra terram locatum sit post altare subterraneum ejusdem templi: an vero repositum sit in arca lignea huic altari superposita; hoc postremum declarare videtur epigraphe in ipsamet arca grandibus litteris incisa: *Hic jacet, & requiescit corpus S. Domnini martyris.*

S. sepultus apud Juliam Fidentiam.

Non defuerunt ergo, qui nihil interesse putaverint inter Domninum Juliacensem, & Domnium Salonitanum, atque ex duobus hisce martyribus longe inter se diversis unum conflaverint. Præter nominis similitudinem, illud errandi causam præbuit, quod scripsit Thomas Archidiaconus cap. 3. Historiæ Salonitanæ; ubi narrat Salonitanos inde usque ab Dalmatia in Italiam trajecisse, ut corpus B. Domnionis apud Juliacenses conditum raperent, idemque Salonam aveherent. Hujus verba huc transferre visum est. *Postmodum vero tempore Diocletiana, & Maximiana persecutionis alter simili nomine martyr fuit, qui Domnionis vocabulo a Pontificis Domnii nomine modicum differt. Sed hic fuit unus ex cubiculariis Maximiani tyranni. Cum ergo iste Domnio majoris dilectionis apud Imperatorem prærogativa gauderet, ipse coronam Imperii conservabat, & ipsam tempore debito super Imperatoris verticem imponebat. Erat autem occulte Christianus: & cum videret Maximianum adeo crudeliter in Christianos desævire, ut multos a sancto proposito detorqueret; ipse utpote Christianissimus, & devotissimus exhortabatur martyres in sancto proposito finaliter perdurare. Tunc fecit opportunitatem eis effugiendi tyranni rabiem, & ad Romanam urbem divertendi. Quod cum ad Maximiani devenisset notitiam, acrius in eum persecutionis desævit insania: ita ut ad propriam confessionem Christiani nominis exspoliatus regio habitu, nisi idolis immolaret, illico susciperet sententiam capitalem. Sed B. Domnio tyranni declinans sævitiam, Romam fugiens properabat: & dum iret via Claudia propecivitatem quamdam, quæ Julia Chrysopolis appellatur, Satellites Imperatoris post ipsum currentes, invaserunt eum, & strictis mucronibus circumdantes, amputaverunt caput ejus. Ipse vero martyr virtute divina propriis manibus caput suum de terra dicitur elevasse; & ibidem quemdam fluvium, qui Sytirion nominatur, firmis gressibus transvadasse: ibique sepultus aliquo tempore quievit. Cum autem Dominus multa per eum miracula operaretur, ex multis provinciis pro sanitate adipiscenda, ad locum ipsum confluebant. Tunc Salonitani cives, quia æquinominis erat B. Domnio Pontifici, abeuntes rapuerunt corpus B. Domnionis, & cum magna reverentia locaverunt Salonæ. Quæ de re propter nominis consonantiam multoties vocabulum Domnionis pro nomine Domnii, & e converso confuse describitur.*

cum Domnio Salonitano per errorem confusus.

Erroris ratio.

Quæ Archidiaconus narrat de S. Domnino, ejusque martyrio, plane congruunt cum ejusdem Actis apud Surium descriptis: sed in his ne verbum quidem de corpore S. Domnini a Salonitanis rapto avectoque in Dalmatiam, & in urbe Salona honorifice condito. Sed neque apud Juliacenses hujusmodi raptus ulla viget memoria, aut extat traditio; quin immo pro certo putant, numquam ab illa civitate sacras illas exuvias dimotas, aliove transvectas esse; sed perpetuis ibidem, maximisque miraculis floruisse, & eximia semper veneratione ab advenis juxta indigenisque cultas & celebratas esse. Godefridus Henschenius iis, quæ scripsit Archidiaconus de translatione Dalmatica S. Domnini, ipse vero Actis S. Domnii Salonitani Episcopi inseruit, cum nihil prorsus objiciat, assentiri videtur; præsertim cum haud improbabile existimet cum sanctis martyribus Dalmatis, quos jussu Joannis Papæ IV. Martinus Abbas Romam transtulit, Domninum quoque Juliacensem eodem delatum fuisse; unde postea incertum, quo tempore, quove auctore in eum locum revectus est, quem suo ipse martyrio nobilitaverat, quique ab eo nunc appellatur oppidum, seu civitas S. Domnini: *Alterius*, inquit, *ab istius Domnii* (Salonitani) *corpore censendum est S. Domnionis hujus corpus Romam translatum; sive is fuerit Cubicularius Maximiani Imperatoris, cujus Acta martyrii etiam supra retulimus, sive aliquis Episcopus &c.*

Utcumque tamen illa de S. Domnino rapto translatoque in Dalmatiam seu vere, seu falso litteris prodiderit Archidiaconus; adsunt certe insignes quædam rerum, locorum, ac temporum notæ, suæ utrique martyri, unde alter ab altero dignosci possit. Nam Salonitanus ecclesiasticæ militiæ, Juliacensis Domninus aulæ Imperatoriæ nomen dederat; ille Episcopali dignitate præditus, hic cubicularii officio apud Maximianum functus; primus secundo sæculo ineunte in Dalmatia sub Trajano martyrii palmam adeptus, alter sub initium quarti sæculi in Italia jubente Maximiano pro religione interfectus est. Si autem vera scripsit Archidiaconus, inter Salonitanum utriusque sepulchrum hoc interest, quod noster longe ante, quam alter ibidem conditus, perpetuum & constans sepulchrum apud Salonam obtinuit; ille siquidem longe ætate posterior, cum subiisset martyrium apud Juliam Parmensis provinciæ oppidum, quod a Plinio, & Ptolemæo, *Fidentia*, & *Fidentiola* appellatur, inde a Salonitanis sublatus, avectusque in Dalmatiam, aliquot post ejus obitum annis (an sæculis?) prope fortassis a S. Domnio honorifica sepultura affectus est. Nec vero diutius quam urbs illa stetit, Dalmatici sepulchri possessionem retinuit; nam post Salonæ excidium vel Juliacensibus restitutus est, vel cum aliis Dalmatiæ martyribus Romam translatus; inde vero post aliquod tempus ad Juliam Fidentiam revectus, ubi hodieque servatur, & colitur. Contra vero Domnius noster sepulcrum, quod ab initio apud Salonitanos adeptus est, etiamnum apud Spalatenses retinet: siquidem post eversam Salonam devectus est Spalatum, & honorifice conditus in eo templo, quod Diocletianus olim Jovi ædificaverat, Joannes vero primus Spalatensium Antistes Deiparæ Virginis in Cœlum assumptæ titulo ac religione consecravit.

Domnionis Juliacensis martyrii a Domnio Salonitano Episcopo dissidium.

Haud

Haud equidem negaverim & alterum illum Juliacenſem Domninum inſigni olim pietate ac religione cultum fuiſſe a Salonitanis, ut tradit Archidiaconus; illud vero, quod quidam exiſtimant, diem undecimam Aprilis ad hujus honorem, anniverſariamque commemorationem referri, nullo modo proſſus aſſentior. Nam in ejus gloriæ celebritatiſque anniverſariæ partem vocantur Socii quidam B. Domnii, in eamdem, atque ille, Martyrologicam formulam concluſi. Id autem cum noſtro præclare congruit, qui varios ac multiplices Socios habuit, quibuſcum ſolemnes illius diei honores partiatur, quemadmodum infra dicemus. Juliacenſi Domnio plures quidem Italicæ fugæ, nullos autem martyrii Socios fuiſſe conſtat; ejuſque natalis dies in oppido S. Domnini agitur VII. Idus Octobris, nulla Sociorum commemoratione facta.

Dies 11. April. non ad Juliacenſem, ſed ad Salonitanum Domnii pert. ſibet.

Cæterum ex iis, quæ ſcripſit Archidiaconus, haud recte colligas Salonitanos in ea ſententia fuiſſe, ut putarent eum, cujus ſepulchrum in oppido Juliacenſi colebatur, eſſe illum ipſum Domnium primum Salonarum Epiſcopum, a quo majores eorum Chriſtianæ religionis diſciplinam acceperant. Equidem non video, quemadmodum id ex verbis Archidiaconi effici, & conſequens eſſe poſſit: *Salonitani cives*, inquit ille, *quia æquinominis erat B. Domnio Pontifici, abeuntes rapuerunt corpus B. Domnionis, & magna reverentia locaverunt Salonæ*. Ex quibus verbis nihil aliud intelligi poſſe videtur, niſi id cauſæ fuiſſe, cur Salonitani corpus B. Domnionis rapuerint, quod is cognominis eſſet Domnio Pontifici, non quod vocabuli ſimilitudine decepti exiſtimaverint Domnium eccleſiæ ſuæ conditorem ac parentem apud Juliacenſes conditum eſſe; hujus quippe ſepulchrum extare apud ſe, colique ſumma veneratione ignorare non poterant. Sed quia illum quoque præcipua quadam religione ſibi proſequendum putabant, qui primi Salonarum Epiſcopi nomen ea tempeſtate celeberrimum pro dignitate geſſerat, idemque maxima gloria cumulaverat, rem porro gratam utrique ſe facturos exiſtimabant, ſi inter quos & nominis communio, & præclaræ mortis pro Chriſto oppetitæ ſimilitudo interceſſerat, eoſdem tum cultus, tum ſepulchri ſocietate conjungerent. Cæterum ipſemet Archidiaconus id, quod futurum erat, præſagiens, ne quemquam nominis ſimilitudo in errorem induceret, admonuit ex eo tempore *Domnionis*, & *Domnii* vocabula reciprocari, & promiſcue utrumque ex altero in alterum martyrem vulgo transferri: *Qua de re propter nominis conſonantiam, multoties vocabulum Domnionis, pro nomine Domnii, & e converſo confuſe deſcribitur*. Qua quidem admonitione id cavere voluit, ne quis ex duobus unum efficeret, propterea quia iiſdem uterque appellationibus affici ac deſignari ſolebat.

Salonitani non falſa opinione decepti.

Sed pia erga Domnionem S. Domnii fere cognominem religione adducti.

Thaddæus Donola Spoletinus J. U. D. fidenter ſane ſcripſit primum Salonæ Antiſtitem ac Diſcipulum B. Petri fuiſſe Domnionem illum, quem olim Salonitani ex oppido Juliacenſi furreptum in Dalmatiam tranſvexerunt. Ut nullius ponderis apud me ſit hujus ſcriptoris auctoritas illud facit in primis, quod Dalmaticæ topographiæ uſque adeo rudem, ignarumque ſe præbeat, ut Salonam a Spalato ne diſtinguat quidem; perinde quaſi inter has duas urbes nulla intereſſet neque temporis, neque loci diſtantia, unde utriuſque diſtinctio peti poſſet. Præterea multa alia id genus turpiſſime peccat in eodem tractatu, ubi martyrium S. Felicis Epiſcopi ex Dalmatia in Umbriam, ex urbe Spalatenſi Spellum ſive Spoletium inani molimine transferre conatur; quæ quidem plane incredibilem hominis in Dalmatica hiſtoria verſantis inſcitiam produnt. Hujus errores nihilo ſeverius, quam gravius caſtigat Joannes Tomcus Marnavitius Epiſcopus Boſnenſis in opuſculo Romanis typis edito, quod inſcribitur: *S. Felix Epiſcopus & martyr Spalatenſi urbi Dalmatiæ & veritati vindicatus*. Neque noſtram cenſuram is effugiet, cum ſuo loco proferemus, & in diſquiſitionem vocabimus Acta S. Felicis, qui inter Epiſcopos olim Mauritanos, nunc Macharſchenſes vulgo dictos annumerandus nobis videtur.

Thaddæus Donola Spoletanus arguitur.

Priorie corpus Juſtenibus ademptum.

Salonam ſtrauſolepsus.

Sed ecce tibi alius Domninus ex collegio LXXII. Diſcipulorum, Martyris titulo itidem inſignis, Domnio Salonitano æqualis, vel paullo ætate ſuperior, qui aliquid negotii nobis faceſſit; quippe quem alii cum noſtro, alii cum Domnino Juliacenſi confundunt. Hujus honorifica mentio eſt ad diem XVII. Aprilis in Martyrologio Ms. eccleſiæ Pragenſis; item apud Grevenum in Auctario Uſuardi, & Caniſium in Martyrologio Germanico; & ubique hoc fere elogio ornatur: *In Italia S. Domnini martyris, qui fuit ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis*. Petrus Lovetus ex Ms. S. Maximi, itemque ex alio codice itidem Ms. docet Lucianum Epiſc. Bellovacenſem, cum S. Clementis Romani Pontificis juſſu miſſuque in Galliam profectus, quacumque iter faceret, Evangelium diſſeminaret, haud procul ab urbe Parmenſi ab Idololatris comprehenſum fuiſſe, conjectumque in carcerem: inde vero hujus Domnini, ut ipſe narrat, opera & ſolertia clam eductus e manibus hoſtium evaſit, atque ad provinciam ſibi concreditam pervenit; quam ob cauſam ait Domninum ipſum in ea, quibus Lucianum exemerat, vincula ſuffectum, egregiam pro Chriſto mortem oppetiiſſe. Porro idem Lovetus hunc martyrem ab Juliacenſi Domnino minime diſtinguendum putat: *Erat*, inquit, *ibidem jam Chriſti Diſcipulus, Domninus nomine, qui perfectus adhuc hodie Confeſſor Chriſti in eodem loco pro talibus hujuſcemodi operibus requieſcit in corpore glorioſus. Nam & ipſe locus ex ejus nomine vocabulum ſumpſit*. Hujus ſententiæ adſtipulatur Sauſajus; niſi quod is in ipſa civitate Parmenſi & Lucianum captum, & Domninum martyrio affectum eſſe tradit. Verum Domninus Chriſti Diſcipulus ab altero Domnino Juliacenſi annorum fere ducentorum intervallo disjungitur; nam hic quidem Maximiano, ille vero Domitiano aut Trajano imperante martyrium ſubiit.

S. Domninus ex 72. Diſcipulis, cum Domnino Juliacenſi perperam confuſus.

Utriuſque diſtinctio.

Godefridus Henſchenius in Prætermiſſis ad diem XVII. Aprilis non ille quidem pro certo affirmat, ſed quadam dubitationis nota interpoſita, unum & eumdem Domnium ſeu Domninum ſibi videri ait, quem Petrus Apoſtolus in Dalmatiam miſit, & quem Martyrologia ſupra laudata inter Diſcipulos Chriſti annumerant. *S. Domninus martyr memoratus in Ms. Martyrologio Barberiniano, & Italiæ adſcribitur, diciturque unus ex LXXII. Diſcipulis in Ms. Pragenſi, & a Greveno in Auctario Uſuardi, & illud ſecuto Caniſio in Martyrol. Germanico. Forſan eſt S. Domninus Epiſcopus, qui traditur a S. Petro Apoſtolo in Dalmatia miſſus, & ibidem martyr obiiſſe, cujus corpus dicitur poſtea Romam translatum. De eo egimus XI. Aprilis*. Idem vero in Commentario prævio ad Acta S. Domnii, ad ſuam opinionem confirmandam pro argumento poſuit lectiones tertii Nocturni, quæ in ſolemni officio B. Domnii Salonitani ſumuntur ex Homilia D. Gregorii in Evangelium: *Deſignavit Dominus, & alios ſeptuaginta duos*: ex quo conjecit hunc ex numero fuiſſe illorum Diſcipulorum, ac proinde non eſſe diſtinguendum ab eo, quem Martyrologia Diſcipulum

An Domninus Chriſti diſcipulus idem ſit, ac Domnius Salonæ Antiſtes.

Henſchenii ſententia durat.

Digitized by Google

pulum Domini paſſim appellant: *Ea propter non male conjectabimus hunc eumdem ad diem* 17. *Aprilis celebrari in MS. Martyrologio eccleſiæ Pragenſis* &c.

Sed hæc hinc alter ab altero diſſignimus.

Sed mirum quantum hic noſter ab altero illo Domnino diſcrepat; de illo enim quæ narrantur, ea huic noſtro Salonarum Antiſtiti nullo modo proſus congruere poſſunt. Domnius quippe Petri Diſcipulus, quamquam in Italiam cum Magiſtro venerit, agrum tamen urbemque Parmenſem nunquam attigit, & S. Petri juſſu Roma profectus, recta in Dalmatiam maritimo itinere contendit, unde numquam in Italiam rediiſſe legitur; neque is Italiam, aut Juliam Chryſopolim, ſive Juliam Fidentiam, ſed Dalmatiam & Salonam illuſtri martyrio, ſuoque ſepulchro nobilitavit. Tantum vero abeſt, ut in collegium duorum & ſeptuaginta Chriſti Diſcipulorum cooptatus fuerit, ut ne potuerit quidem cooptari; quippe qui in lucem editus eſt biennio, antequam Chriſtus Dominus ex omnibus ſuæ diſciplinæ alumnis duos & ſeptuaginta delegit, quos ſui adventus enunciandi cauſa in alias atque alias partes & provincias dimitteret; niſi forte ab Apoſtolis in eum numerum ſubſtitutus fuerit aliqui ex illis 72., qui vel vita migraſſet, vel a religione Chriſtiana defeciſſet.

Cæterum, ut ſupra dixi, multos alios vel martyres, vel viros ſanctitate inſignes B. Domnii cognomines in medium afferre poſſem, quos idcirco prætermitto, quia neque illis cum noſtro ulla rerum, vel temporum, vel locorum ſimilitudo intercedit; & vel nemine admonente, ab Domnio Salonitano Epiſcopo facile ſecerni, dignoſcique poſſunt.

CAPUT IX.

Animadverſiones Chronologicæ in Acta S. Domnii.

EX Actis S. Domnii ſupra deſcriptis elici, conſtituique oportet quinque omnino epochas, ſeu quinque Chriſti, æreque vulgaris annos certos ac definitos, quibus præcipua quædam ejus Acta, maximeque memorabilia illigentur. In hanc igitur chronologicam diſceptationem hæc ferme veniunt in ſuos quæque annos deſtribuenda: primum ortus B. Domnii; deinde ejus ad Chriſtum converſio, cum Chriſtianis ſacris initiatus eſt, atque in diſciplinam S. Petri Apoſtolorum Principis traditus; tum Salonitani Pontificatus initium; poſtea ſeries rerum, quas ſingulari commemoratione dignas in Pontificatu geſſit; demum inquiri oportet, quonam ille anno martyrium ſubierit. Hæc ferme omnia in notis ad ejus Acta appoſitis ſtrictim, breviterque attigimus; ſed hujus loci eſt eadem confirmare, & ſuis quæque rationibus ſtabilire.

§. I.

Annus 95 menſis natalis S. Domnii.

PRimum igitur conſtituo, Domnium in lucem editum eſſe anno poſt Chriſtum natum 30, ær. vulg. 27. Menſe martio, aut certe eo, qui proxime conſequitur, menſe ineunte. Id adeo colligi poteſt ex ejus baptiſmo, quem, ut perhibent Acta, ſuſcepit, cum ſeptimum ætatis annum vel agebat, vel certe non ita pridem expleverat. *Domnius puer ſeptem annorum ſecutus eſt Apoſtolum*, ex prima ejus vita: *Septimum vix expleverat annum*, ex quarta: *Puer adhuc ſeptennis*, ex tertia. Petrus Antiochiam venit anno Chriſti 37. æræ vulg. 34. & cum Februarius menſis in exitu jam eſſet, Antiochenam ſedem conſtituit. Poſt ejus adventum haud multi dies intercеſſerant, ut colligitur ex Actis, cum Domnius una cum parentibus Chriſtiana ſacra ſuſcepit. Igitur aut tertio aut quarto menſe ejus anni, qui ab ortu Chriſti 37, ab initio æræ vulg. 34. numeratur, Petrus Chriſtianis myſteriis Dominum imbuit, & baptiſmo expiavit, cum prope erat, ut is annum ætatis ſeptimum abſolveret, niſi forte paullo ante jam abſolverat. Si autem anno trigeſimo ſeptimo, quatuor menſes nondum prætergreſſo, ſeptem annos detraxeris, retrorſum gradienti occurret annus Chriſti triceſimus, qui fuit æræ vulg. 27. ejuſdemque anni menſis Martius, vel Aprilis, unde Domnius vivendi initium duxit, cuique ejus ortum affigi oportet.

Natus ab ær. Ch. 31.

§. II.

Annus S. Domnii baptiſmo & converſione inſignis.

QUod ad converſionem Domnii, & baptiſmum attinet, ſatis conſtat, eum Chriſtianis ſacris initiatum fuiſſe non ita multo poſt, quam Petrus Antiochiam advenerat. Is ſimul atque urbem ingreſſus eccleſiam illam conſtituendam regendamque ſuſcepit, confeſtim ad cives excolendos, & Chriſtianis myſteriis ac præceptis erudiendos incubuit; cumque de rebus divinis pro concione diſſereret, incredibile dictu eſt, quam ingentes audiendi cauſa hominum concurſus fierent, quos ſeu doctrinæ novitas ac præſtantia, ſeu vis ac fama miraculorum alliciebat. Petri concionibus frequens præ cæteris intererat Theodoſius Domnii pater, genere Antiochenus, in primis inter ſuos copioſus ac nobilis, qui ſtatim ab initio auditorem Petri aſſiduum ſe præbuit, ejuſque verba non æquis modo auribus, ſed etiam prompto animo libentique excipiebat. Cujus quidem rei teſtem habeo auctorem quartæ vitæ B. Domnii: *Cum infinitus populus ob novam doctrinam audiendam undique concurreret, contigit & nobilem virum nomine Theodoſium prædictæ civitatis accolam intereſſe.* Is Petri audiendi cupiditate uſque adeo tenebatur, ut ſeorſum a cæteris Petri auditoribus cum de nocte conveniret; ab eoque privatis inſtitutionibus ad omnia virtutis ac religionis officia informabatur. Erat Theodoſio ſumma ingenii vis ac perſpicacia, cognoſcendæ veritatis mira cupiditas, multarum virtutum ſi minus perfectio, certe adumbratio quædam, ut in Ethnico homine, plane admirabilis; quibus quidem rebus ut quiſque maxime excellit, ita facillime rationem ſequitur ducem, minimeque omnium ab evangelio abhorret. Erat præterea intactus ab avaritiæ ſordibus, & a vitiis omnibus vehementer alienus, ut nihil magnopere expeteret, niſi quod eſſet cum virtute conjunctum: quæ quidem omnia ex actis ſupradeſcriptis intelligi poſſunt. Ita fiebat, ut nihil ejuſmodi in eo reperiretur, quod ferme in aliis Chriſtianæ veritati aditum obſtruxit, aut certe moram & impedimentum afferre ſolet, quominus ſtatim, atque propoſitum eſt, evangelium promptis auribus animiſque ſuſcipiant. Permagni ſiquidem refert, quam libero quiſque animo, vacuoque ab omni cupiditate ad verum inveſtigandum accedat. Petrus igitur nactus hominem hoc ingenio, his moribus, hac virtutum indole præditum haud ægre perpulit, ut divina gratia impellente, cognitæ perſpectæque veritati acquieſceret, & cum univerſa familia Chriſtianæ religioni nomen daret. Quam prompte ac celeriter Theodoſius ad Chriſtum acceſſerit, Auctor tertiæ vitæ his verbis expoſuit: *Mox ut verbum Dei audi-*

Petrus Antiochenis Chriſtum annunciat.

Theodoſius Petri auditor aſſiduus.

Ejus, & Domnii filii baptismus.

audivit, facile credidit, & cum uxore & filio baptizatus est. Itaque haud multi sane dies ab adventu Petri effluxerant, cum Domnius patris exemplo & auctoritate cum Mygdonia matre baptismum suscepit. Cum autem Petrus anno Christi 37. æræ vulg. 34., mense Februario Antiochiam venerit; (in hunc enim mensem atq; annum Antiochenæ cathedræ institutio cadit juxta nostros calculos Chronologicos) sequitur ad eumdem annum Domnii conversionem adscribi oportere; neque serius tertio, vel quarto ejusdem anni mense contigisse.

Argumentum objectum anno conversionis S. Domnii detrahit.

Verum scrupulus hic existit, quem ante amoveri oportet, quam longius progrediar: quo enim fieri potest, ut Domnius cum parentibus per baptismum ad ecclesiam accederet anno æræ vulg. 34, cum adhuc gentibus obstructus esset ad evangelium aditus, qui primum ex communi sententia patere cœpit post conversionem Cornelii Centurionis, quam Cæsar Baronius alteri & quadragesimo Christi anno adscripsit? Sed hujus, quidquid est, obicis scrupulive amoliendi non una, sed multiplex ratio suppetit. Nam primum est inter scriptores de anno conversionis Cornelianæ controversia; hanc siquidem alii ante Antiochenam Petri profectionem, veluti Petavius ac Tillemontius retrahunt; alii vero in annos, ab Cornelii conversione posteriores eamdem conjiciunt. Priorum sententiam amplecti si libeat, nihil est, cur Domnii ex Ethnicorum secta ad Christi cultum traducti baptismum ab anno Christi 37. dimoveas, eumque in tempus aliud differendum censeas.

Deinde, non si Apostoli ante Cornelium in ecclesiam receptum solis Judæis ad Christum convertendis ex instituto, & palam apertequeoperam dabant, continuo putes interdictum illis fuisse, ne quid curæ & industriæ suæ, si qua se daret occasio, in Ethnicos ad evangelium alliciendos privatim caute que derivarent. Neque enim ignorare potorant, prædicationem Evangelicam intra Palestinæ fines coercendam non esse, sed toto terrarum orbe propagandam; idque sibi datum esse negotii, ut omnibus omnino Gentibus Evangelii lumen afferrent: quod Christus Dominus ex hoc mundo migraturus ad Patrem nominatim illis, diserteque his verbis præscripserat: *Docete omnes gentes*; &: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Si autem quæras, quidnam esset, cur Apostoli prioribus illis post Christi mortem, ejusdemque ad superos reditum annis, a publica solemnique Gentium conversione abstinerent, duas causas fuisse reperio; unam, quod primum eos oportuerat omni studio curaque in salutem Judæorum incumbere, de quorum semine Christus secundum carnem prodierat, quibusque potissimum æternæ ac beatæ vitæ per Christum adipiscendæ promissiones factæ fuerant; ut si forte illi verbum salutis respuerent, justa causa esset Apostolis migrandi ad gentes, alioque Evangelii transferendi, nec Judæi queri possent se destitutos fuisse, auferrique a se regnum Dei, quod ipsimet per summam quamdam pervicaciam atque impietatem repulerant: *Vobis*, inquit Paullus Act. 13., *oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*. Altera causa hæc est, quod Apostoli ab omni alienigenarum non modo familiaritate, sed etiam congressione sibi cavendum putabant, ne incurrerent in odium offensionemque Judæorum, qui gentes circumcisionis expertes, præsertim in rebus ad religionem pertinentibus, cane pejus & angue vitabant, ne qua labes ex earum aditu congressuque sibi adhæresceret. Nec vero qui ex circumcisione Christo nomen dederant, antea adduci potuerunt, ut gentibus quoque aditum ad ecclesiam patefieri sinerent, quam Petrus post baptizatum Cornelium, facti sui rationem redditurus in conventu Hierosolymitano, narravit de viso sibi divinitus oblato lintei cujusdam omne genus animantium complectentis ter cœlo dimissi; cœleste enim illud ostentum eo valebat, ut significaret divinæ voluntatis esse atque consilii, ut gentes quoque in ecclesiam admitterentur: *His auditis*, inquit Lucas Act. xv, *tacuerunt, & glorificaverunt Deum dicentes: ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Exinde vero integra fuit Apostolis libere ac palam Christianæ religionis Ethnicis annunciandæ potestas nemine repugnante; cum antea ob eas, quas dicebam, causas hujusmodi potestate, nisi clam Judæos summaque cautione adhibita, uti non possent: *Omnia mihi licent*, ajebat Paullus, *sed non omnia ædificant*. 1. ad Corinth. 10.

Quæ in hanc sententiam præclare scripsit Cornelius a Lapide in Com. in Act. Apost. cap. 10., ea si huic loco intexerem, haud abre nostra alienum fore censeo: *Dices*, inquit, *quomodo ergo vulgo asseritur, quod per conversionem Cornelii primo gentibus apertum fuerit ostium evangelii & ecclesiæ? Resp. id accipiendum & limitandum esse ad publicam, solemnem, & ex professo apud Gentes evangelii prædicationem, quam Petrus cœlesti visione acceptæ jussus est publice Judæo-Christianis denunciare, ne ipsi Apostolis ad Gentes iturisobsisterent, & Gentes ab ecclesia repellerent. Docet id diserte hoc loco S. Chrys. scilicet S. Petrum secreto scivisse se & Apostolos debere prædicare gentibus, sed id non fecisse, ne Judæos offenderet, donec visione cœlesti admonitus hanc esse Dei voluntatem Judæis persuasit; præsertim cum ipsi viderunt visibilem Spiritus S. descensum in Cornelium, & domesticos ejus*. Idem porro Cornelius a Lapide tum aliquot locis ex historia Act. Apostol. allatis, tum aliis aliunde adscitis exemplis confirmat, ostenditque admodum esse verisimile non defuisse ex Ethnicis, qui Apostolorum verbis & miraculis permoti, cœlestique numinis instinctu Christiana sacra susceperint, antequam Petrus Cornelium Centurionem ad ecclesiam per baptismum aggregaret.

Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod proximo post mortem Christi, ejusque in cœlum consensionem anno contigit, cum Philippus, unus e septem Diaconis, baptismo initiavit Eunuchum Candacis Reginæ, quem neque Judæum, neque Proselytum, sed plane Ethnicum fuisse existimat Alphonsus Salmeron Tract. 33. in Act. Ap. ejusque facti eamdem rationem reddidit, quam modo exposuimus: *Sed objiciet aliquis, quid est, quod ob baptismum Eunuchi non sunt tumultuati, aut non cœperunt obstrepere ex Judæis credentes? nam & ille non minus erat Gentilis, quam Cornelius: imo quare ipse Philippus justus accedens ad currum Eunuchi, non horruit Gentilis commercium? Dicendum est rem illam fuisse occultam, & cum homine peregrinante factam, nec ita ad aures credentium ex Judæis pervenire potuisse; vel si ad aliquem pervenerat, existimari poterat a ministro Philippo in ea re erratum fuisse. Ipsum autem Philippum satis excusat præceptum Angeli, internaque Spiritus Sancti suggestio* &c. Quæ cum ita se habeant, nihil causæ esse video, cur Petro non licuerit ante publicum & solemnem Cornelii ad ecclesiam accessum, clanculum & seorsum a Judæis, aliquid curæ operæque conferre ad salutem Ethnicorum Antiochensium, in quibus fuit Theodosius pater Domnii, quem de Christianis mysteriis ac præceptis privatim & per

Digitized by Google

clandestina colloquia edoctum una cum uxore & filio baptizavit. Neque enim luce ac palam, si vera scripsit Auctor quartæ vitæ S. Domnii, Theodosius ad Petrum accedebat; sed, cum forte interfuisset ejusdem publicis concionibus apud Judæos Antiochenos habitis, divino instinctus numine ad domum Petri de nocte itare consueverat, ut abdito, & ab arbitris remoto loco, de fide in Christum, rebusque omnibus ad recte credendum, & vivendum necessariis eruditetur.

Præterea haud vero absimile est Theodosium, itemque ejus filium & uxorem, quamvis ex Ethnicis Deorumq; inanium cultoribus originem traherent, ex eorum tamen numero fuisse, quos Judæi Proselytos vocabant, propterea quod ab Gentium superstitione ad veri Dei cultum, rituſque Judaicos transiissent; id autem eo mihi fit verisimilius, quod tam præclaris moribus, tot tantisque virtutibus Theodosium ornatum ferunt, quæ in hominem veræ religionis ignarum, atque Idolorum impuris ac nefariis cæremoniis obstrictum vix, aut ne vix quidem cadere posse videantur. Adde, quod vel ab ipso Christo Domino, quem ab eo visum, dum ageret inter homines, affirmat Auctor secundæ vitæ, vel ab Judæis, quorum referta erat Antiochia, de uno Deo colendo, ejusdemque colendi ratione Judæis divinitus tradita edoceri potuerat, impellique, ut Judæus fieret, & inter Proselytas annumeraretur, antequam Petrus Antiochiam veniret.

Ad hæc: quid si Petrus, qui, ut facilius Judæos ad Christi fidem alliceret, circumcisionem toleravit ad tempus, Theodosium, itemque Domnium antea circumcidi, & Proselytos fieri voluerit, quam Christianis sacris initiarentur; ne scilicet Judæis aliquam sermonum & offensionis materiam præberet? Nam etiam Paullus, qui omnia factus est omnibus, ut omnes Christo lucrifaceret, eamdem ob causam circumcidisse legitur Timotheum, Judæa quidem matre, sed Ethnico patre natum; ut videlicet Judæi, quem circumcisionis expertem contemnissent, eumdem illa ritus Judaici nota insignitum æquis animis acciperent, & de Christiana religione differentem libenter audirent. Demum quamvis recta conversionem Theodosii ad Christum cum ejus baptismo conjungant, nihil prohibet dicere a Petro Theodosii itemque ejus uxoris & filii baptismum dilatum fuisse, neque antea baptizatos esse, quam gentibus ad evangelium aditus illo admirabili ostento patefactus est: ex quo fieret Domnium quidem anno ætatis septimo ad rectam in Deum fidem Christique cultum traductum fuisse anno Christi 37; sed ejus baptismum in annos posteriores rejiciendum esse. Quæ igitur de anno Theodosii itemque Domnii baptizati nobis objecta sunt, ea non una, sed multiplici, ut diximus, responsione dilui, refellique facile possunt.

Domnius S. Petri discipulus.

Jam vero ut eo revertatur, unde paullisper deflexit, oratio, Domnius aut eodem, aut proximo post suam conversionem ac baptismum anno, divino instinctus afflatu totum se Petro erudiendum, gubernandumque tradidit, cœpitque assiduus cum illo esse, ejusque domum frequens inire; ut a quo per baptismum Christo genitus fuerat, ab eodem recte pieque vivendi præcepta ac disciplinam acciperet. Nam Auctor quartæ vitæ Baptismo S. Domnii hæc statim subjecit: *His itaque gestis puer Domnius domum Apostoli frequentabat, tantaque in eo dilectio magistri subrescebat, ut patrem revisere nollet.* Neque ab eo dissentit Adamus Parisiensis, qui tertiam vitam conscripsit: *Domnius accepto baptismate, & jam Christi amore fervens parentes dereliquit, & Apostolum secutus est.* Idem scripsit Lucas Gaudentius in sexta vita: *Baptizatus statim cœpit Apostoli domum quotidianis obsequiis frequentare.* Huc adde, quod Auctor secundæ vitæ, perturbato rerum ordine, primum in Petri disciplinam traditum, deinde Christo adjunctum fuisse scripsit; ex quo, satis apparet inter baptismum Domnii, ejusque ad Petri scholam & disciplinam accessum, haud multum temporis interjectum fuisse: *Cum Apostolorum Princeps Antiochiam venisset, atque in ea urbe sedem fundasset, cum aliis, tum Domnii parentes ad Christi fidem convertit; quando etiam Domnius relictis parentibus, spretisque ac neglectis paternis divitiis, Petro adhæsit, atque in Christum credidit.* Præterea Petrus, cum ab se Domnium dimitteret in Dalmatiam, his eum verbis alloqui cœpit: *Ecce, fili, ab infantia tua mecum ingressus, & egressus &c.* Infantia autem vulgo definiri solet prima hominis ætas, quæ ex eo nomen invenit, quod homines id ætatis adhuc ferme lingua hæsitent, nondum expeditam fandi loquendive facultatem adepti. Sed hic infantiæ vocabulo nihil aliud intelligitur, nisi ætas admodum impubes, annum septimum vix prætergressa. Anno igitur Christi trigesimo octavo, ætat. vulg. 35. Domnius Petri Discipulus & Auditor assiduus esse cœpit,

Quæ deinde gessit Domnius, Discipulus idem ac socius adjutorque Petri, ante quam Episcopus Salonæ fieret, ea singillatim persequi, & observatis notatisque temporibus ad suos quæque annos revocare operæ pretium esse non arbitror. Si quis hæc scire cupiat, Apostolicos Petri labores, & circuitiones secum ipse reputet; simulque ita statuat nihil a Petro gestum esse post annum Christi 38., nullam ab eo peragratam esse provinciam, quin eidem itinerum omnium comitem atque adjutorem ad omnia se Domnius præbuerit; quippe cum, ex quo in disciplinam Petri se tradidit, numquam ab ejus latere & comitatu discesserit, antequam Salonæ Episcopus præficeretur. Hoc tantum interest, quod prioribus quidem annis Catechistæ partes ageret, ac præcipua religionis capita ac mysteria ad vulgi captum explanaret; nondum enim per ætatem licebat graviora munera capessere; deinde vero paullulum ætate provectus, Petri in omnibus adjutor esse, & maxima quæque Apostolici viri munia & officia exsequi cœpit. Hoc igitur rerum ac temporum intervallo prætermisso, venio ad tertiam hujus disputationis partem, cujus est inquirere, quonam Christi, & æræ vulgaris anno Domnius ex auctoritate Petri Salonitanum Pontificatum susceperit.

Domnius Petri comes.

& adjutor assiduus.

§. III.

Epocha Pontificatus initi.

Ex urbe Roma Salonam missus a Petro.

ATque illud primum constituo tum Petrum fuisse Romæ, cum jussit Domnium Salonam profiscisci, & Dalmaticæ ecclesiæ Episcopum præfecit; nam verba ipsa, quibus Petrus ab se Domnium dimisit, abeuntemque prosecutus est, satis indicant ejus loci positionem, unde is in Dalmatiam discessit: *Pete*, inquit, *littus maris Adriatici, & recto cursu a monte Gargano contra Boream trans mare vectus, venies in Dalmatiam.* Hæc Dalmatici itineris descriptio cum Romanæ urbis positione apprime congruit, unde scilicet profectionis hujus initium ducitur. Dalmatia enim qua parte Romam spectat, ferme vergit ad Septemtrionem, quamvis etiam ad Orientem paullulum deflectitur; itemque a Septemtrione Salona obversa est Apuliæ littori, cui mons Garganus imminet, haud ita longe a mari disjunctus. Præterquamquod si quis Auctores omnes, qui de vita & rebus S. Domnii scri-

ſcripſerunt, attentius legat, clare perſpiciat, non aliunde illum, quam ex urbe, Petri miſſu profectum eſſe in Dalmatiam, ut hac de re nulla videatur eſſe poſſe controverſia.

Ac Petrus quidem ter Romam adiit alias aliis de cauſis; primum anno Chriſti 45, æræ vulg. 42, iterum anno 58. vel 55. ær. vulg. tertium anno 67. vel 64. ær. vulg. De triplici Romana Petri profectione ſcripſimus in Prologomenis. Cum Romam venit altero Claudii Imperatoris anno, qui fuit 42. æræ vulgaris, tum Domnius annum agebat circiter decimum quintum; non eſt autem veriſimile, ut Petrus Domnio, id ætatis cum eſſet, eccleſiæ Salonitanæ procurationem committeret; præſertim cum eſſet eligendus, qui Tito atque Hermi viris jam ætate provectis in Pontificatum Dalmaticum ſuccederet. Sed neque ad an. 58, ſive æræ vulg. 55. referri poſſunt Salonitani Pontificatus initia, cum Petrus iterum urbem adiit, poſtquam Claudii Imperatoris ſuperiore anno veneno ſublati morte abrogatum eſt decretum illud, quo Judæis pariter atque Chriſtianis urbe interdictum erat; tum ſiquidem Titus nondum Dalmatico Pontificatu abierat, qui ſexennio poſt juſſu Paulli eccleſiæ illius ſtabiliendæ augendæque curam alteri tradidit. Præterea vetus eſt conſuetudo, & fortaſſe ab ipſis Apoſtolicis ducta temporibus, ut nemo ante annum trigeſimum ad ſummum Sacerdotii gradum, qui eſt Epiſcopatus, provehatur; quin etiam antiquitus ne ſimplici quidem Presbyteratu initiari poterat, qui nondum annum trigeſimum attigiſſet. Porro Domnius anno Chriſti 58, ſive æræ vulg. 55, vix ſeptimum & vigeſimum annum inierat, Pontificatui gerendo nondum idoneus; non quod ea virtute ac ſapientia careret, quam numeris omnibus abſolutam, ac prope divinam poſtulat Epiſcopatus, qua curam gerit animarum; ſed quia Epiſcopatus, qua gradus honoris eſt, & faſtigium Chriſtiani Sacerdotii, auctoritatem neſcio quam requirit, quæ plerumque abeſt juvenibus intra annum trigeſimum; quæ ſane auctoritas maturitate annorum parta mirum quantum valeat ſive ad continendam in officio multitudinem, ſive ad nomen & perſonam Epiſcopi pro dignitate ſuſtinendam.

non ante an. 45. Chriſti, neque 68.

Reſtat igitur, ut Domnius tum demum Salonitanam eccleſiam regendam ſuſceperit, cum Petrus tertio Romam advenit, ut Chriſtianis afflictis oppreſſiſque Neroniana tyrannide atque immanitate præſidio eſſet ac ſolatio. Petrus itaque, ut par. 3. Prolegomenon ſect. 1. cap. 1. §. 1. diximus Romam adiit anno æræ vulg. 64, qui fuit Chriſti 67. ac per idem fere tempus eamdemque ob cauſam illuc Paullus ſe contulit. Uterque autem eodem anno conjectus eſt in carcerem, juſſu Neronis, qui ægrius ferebat, quam ut relinquere inultum poſſet interitum Simonis nequiſſimi præſtigiatoris, quem in aera vi dæmoniaca ſublatum Petrus ſuis apud Deum interpoſitis precibus proſtravit, humique alliſum ad tartara detruſit. Interea Hermem Romam e Dalmatia Paulli magiſtri ſui in vinculis reviſendi cupiditas excivit. Hunc eccleſiæ Dalmaticæ procuratione egregie functum Paullus in Græciam proficiſci juſſit, ut eccleſias illas laborantes, variiſque turbinibus jactatas confirmaret, labantesque ſuſtineret; cogitationem autem curamque præficiendi Dalmatis Epiſcopi ad Petrum rejecit. Is vero pro ſua ſapientia cum diligenter circumſpexiſſet, quem potiſſimum e ſuis diſcipulis nominaret aptum ei muneri, nec ullum inveniſſet aptiorem Domnio ſibi jam inde ab ejus infantia cognito, cujus ſanctitatem doctrinamque exquiſitam plurimis rebus eſſet expertus, huic denique eccleſiam Dalmaticam tradere ac demandare conſtituit. Ac igitur communicata cum Paullo in eumdem carcerem incluſo, Domnium ad ſe accerſiri jubet, quem accurate de rebus Dalmaticis edoctum illius eccleſiæ Epiſcopum renunciavit, monuitque, ut nulla interpoſita mora in ſuam provinciam trajicere feſtinaret; quo cum perveniſſet, Salonæ in urbe totius regionis principe Pontificiam ſedem conſtitueret. Neque enim tam arcta ac diligenti cuſtodia & vigiliis undique obſepta Petrus tenebatur, ut nullus ad eum aditus Diſcipulis, cæteriſque Chriſtianis pateret; præſertim cum Proceſſus & Martinianus cuſtodiæ præpoſiti, ipſomet auctore & impulſore Petro, Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſent. Qui Petri Acta apud Surium legerit, is plane intelliget, quam ingentes hominum concurſus fierent ad Petri carcerem, quos ille qua verbis, qua miraculis vel ad Chriſtianam religionem alliciebat, vel in Chriſti fide jam antea ſuſcepta confirmabat. Si quis autem in annum ſuperiorem 67. Chriſti, 64. ær. vulg. antequam Petrus in vincula conjiceretur, referre velit Dalmaticam Domnii profectionem, initique Pontificatus primordia, per me licet; neque quidquam cauſæ invenio, cur ejus ſententiæ repugnem. Henſchenius Petri poſtremum in urbem adventum anno æræ vulgaris 64, martyrium anno 65. adſcripſit; is anno Chriſti 68, ille anno 67. juxta nos reſpondet; alterutri horum initium Pontificatus Salonitani Domnio collati adſignari oportet: niſi cum Tillemontio martyrium Petri in eum, qui proxime conſequitur, annum referre libeat. *Vide* cap. 1. §. 1. partis tertiæ ſect. 1. Prolegomenon.

ſed an. 67. Domnium creavit Epiſcopum Dalmatiæ.

His in hunc modum conſtitutis & expoſitis, video equidem quid objici poſſit, & ad reprehendendum arripi ex Actis S. Domnii, cui occurrere neceſſe eſt, ne ſi quis forte in hæc invaſerit, quæ ſatis ſcite nobis inſtructa, & compoſita videntur, omnia perturbet, ac diſſolvat. Quicumque res a B. Domnio geſtas litteris commendarunt, ii omnes, quemadmodum videri poteſt in actis ſupra deſcriptis, cum primo Petri in urbem adventu videntur conjungere Dalmaticam Domnii profectionem, ejuſque Epiſcopatus initium, ut inter utrumque nihil propemodum temporis interjectum eſſe appareat. Adde, quod affirmare videntur uno & eodem tempore miſſos fuiſſe & Domnium Salonas, & Apollinarem Ravennam, & Marcum Aquilejam, & alios alio, in ſuam quemque provinciam: *Per oras Adriatici ſinus*, inquit Archidiaconus Hiſt. Salon. cap. 3. *tres direxit Pontifices Apollinarem Ravennæ, Marcum Aquilejæ, Domnium vero in Salonam direxit*. Eadem ferme ſcripſit Auctor primæ vitæ, a quo reliqui nihil omnino diſcrepant: *Ubi* (ideſt Romæ) *Beatus Petrus Pancratium deſtinavit in Siciliam, Apollinarem Ravennam, Marcum Evangeliſtam Aquilejam, Domnio vero multis coram poſitis dixit: Pete littus maris Adriatici* &c. Sed qui ſecundam B. Domnii vitam conſcripſit, hujus loci difficultatem auget, & majus nobis negotium feceſſit: is quippe non ſolum cum cæteris convenit, ſed plane & perſpicue hac de re mentem ſuam ac ſententiam explicuit, vix ut integrum nobis eſſe videatur Dalmaticam Domnii expeditionem a prima Petri Romana profectione, & commoratione disjungere. Nam Conſules ipſos nominat, quibus ejuſdem miſſionem conſignari oportet, Criſpinum ſcilicet ac Taurum, qui ſi Grutero, ſi Scheſtrati, ſi Ricciolio credimus, anno æræ vulg. 44. vel 46. ſi Baronium audimus, Conſulatum geſſere: *Fundata*, inquit, *Romæ Cathedra, cum Petrus Tauro & Criſpino Coſſ. ad omnes Occidentis provincias fidei præcones ablegaret, in Gallias Martiale miſſo, Marco*

Argumentum ex Actis S. Domnii contra ea, quæ diximus de anno ſuſcepti Epiſcopatus Salonitani.

vero Aquilejam, & Proſdocimo Patavium deſtinato, Domnium ſimiliter Salonas ire juſſit, urbem Dalmatiæ primariam.

Reſpon. Fateor equidem, hæc ſi quis in eam omnino ſententiam accipi velit, quam verba ipſa præſeferunt, ægre admodum componi poſſe cum anno, cui nos Salonitani Pontificatus initium affiximus. Sed quæ tandem nos ratio, quæ neceſſitas in has verborum anguſtias compellit, & uſque adeo cogit in verbis hærere atque impediri, eorumque vim moroſius quam diligentius expendere, ut religio nobis propemodum eſſe debeat eiſdem interpretationem aliquam, non illam quidem violentam, & longe accerſitam, ſed conſentaneam, & quaſi ſponte ſua oblatam adhibere, præſertim ubi res ipſa & veritas id requirit. Ergo ad rem noſtram quod attinet, ſolemne eſt Scriptoribus, iis potiſſimum, qui multa in pauca conferunt, neque tam hiſtoriam ſe ſcribere, quam epitomam quamdam, ac ſummam rerum contexere profitentur, multos ſæpe annos rebus, de quibus agunt, interjectos tranſilire, & res ejuſdem generis in unum locum congerere, quamquam ſatis longo intervallo aliæ ab aliis disjungantur. Hunc morem, hanc conſuetudinem ſecutos fuiſſe apparet, qui res B. Domnii maxime memorabiles breviter atque ordine comprehenſas litteris conſignarunt. Nemo id ſibi oneris impoſuit, ut omnia diligenter ac ſingillatim perſequeretur; quæ Domnius geſſit, dum Salonitanæ eccleſiæ præfuit, ea ferme omnes paullo accuratius deſcribunt; ex reliquis ejuſdem Actis ante initum Pontificatum pauca quædam & præcipua ſeligunt, quæ ſummatim breviterque attingunt. Cum igitur laudati Scriptores ad eam ejus vitæ partem veniſſent, quæ maxime inſignis eſt, eminetque inter cæteras, propterea quod tum ille Salonitani Pontificis titulum ac dignitatem obtinuit, huic loco proprium & conſentaneum eſſe duxerunt de aliis quibuſdam Petri Diſcipulis commemorare, quos ille in alias provincias, & ferme finitimas Dalmatiæ miſerat; non quod exiſtimaverint his omnibus uno eodemque tempore eccleſias illas commiſſas fuiſſe; ſed quia ſignificare volebant Domnio ſimilem omnino decretam fuiſſe provinciam, idem munus impoſitum, eamdem poteſtatem traditam, quæ cæteris illius ſociis antea obtigerat. Ejuſmodi autem Apoſtolicas legationes ad primum Petri in urbem adventum, & Conſulatum Criſpini & Tauri idcirco referunt, quia ex eo tempore Petri Diſcipuli in varias Occidentis provincias mitti diſtribuique cœperunt. Tunc fundamenta ſunt jacta Occidentalis eccleſiæ, hinc ducta illius exordia, hæc fuere Petri diſcipulis Evangelicæ miſſionis initia. Cum enim Petrus intelligeret totius Occidentis procurationem præcipuo quodam nomine ac jure commiſſam eſſe Romano Pontifici, ſtatim atque ſedem Pontificiam Romæ affixit, ad conſtituendam Occidentalem eccleſiam omni cogitatione curaque incubuit. Itaque quamplurimos ex ſua diſciplina elegit ætatis pariter ac virtutis maturitate ad Epiſcopale munus idoneos, qui in varias urbes ac regiones profecti eccleſiæ Occidentalis fundamenta ponerent. Neque vero hinc ſequitur, ut Petrus omnes uno tempore in ſuam quemque provinciam dimiſerit; ſed quoad vixit, numquam deſtitit in varia loca alios ex aliis Evangelii cauſa legare, prout res ferebat, & religionis propagandæ dabatur occaſio. Neque dubium eſſe poteſt, quin in hac provinciarum & Sacerdotiorum diſtributione rationem ætatis habuerit, ſic ut qui annis eſſet maturior, hunc cæteris anteferret; reliquos vero deinceps in alias atque alias terrarum partes diſtribueret, prout cuique accedebat cum ætatis, tum ſapientiæ maturitas ad nomen & officium Pontificale ſuſtinendum apta.

Cur Scriptores miſſioni Dalmaticam S. Domnii conjunxerint cum Evangelicæ ejus expeditione, quæ illi tempore antecefſit.

Hujus Apoſtolicæ miſſionis aliquot annorum intervallis interruptæ locupletiſſimum teſtem habemus Ferdinandum Ughellium, qui multos recenſet Epiſcopos in variis Italiæ urbibus, alios aliis temporibus a Petro Paulloque conſtitutos. Nam, ut ipſe tradit, Romulus miſſus eſt Fæſulas an. 48. Britius in Umbriam an. 50. Barnabas Mediolanum an. 51. Stephanus ad Rheginos Calabriæ anno 59. anno autem 60. Protaſius Rhegium Lepidi venit, anno 62. Philemon Cæſenam adiit, an. 69. Euprepius Veronam acceſſit. Baronius quidem Petri Diſcipulorum miſſionem an. 46. ſubjecit, non quod exiſtimaverit omnes uno & eodem anno factos eſſe Epiſcopos, & ſuam cuique eccleſiam decretam fuiſſe; ſed quia conſentaneum eſſe cenſuit ei loco, in quo tum verſabatur, eorum nomina, & provincias, quæ cuique obvenerant, ſimul recenſere; ut quæ per varios annos diſperſa eſſent, congeſta in eumdem locum & contracta ſub uno aſpectu ponerentur. Cæterum & Pontificatum, & Apoſtolicam legationem aliis alio tempore concreditam fuiſſe ipſemet Baronius declarat his verbis: *Quinam*, inquit, *fuerint, qui diverſis temporibus ad diverſas conſtituendas eccleſias a Petro ſunt miſſi Diſcipuli, & ordinati Epiſcopi, licet Scriptorum inopia obſcurum pene remanſerit, aliquot tamen, quos recenſitos invenimus, hic enumerare voluimus.*

Explicatur Baron.

Quid quod Hiſtoria Salonitana minor, unde epitomam vitæ S. Domnii deſcripſimus, aperte ſignificat Dalmaticam ejuſdem expeditionem conjungi non poſſe cum primo S. Petri in urbem adventu, neque cum Apoſtolica cæterorum miſſione nexu temporis copulari; ex quo ſatis apparet interpretationem Actis Sancti Domnii adhibitam non modo cum veritate congruere, ſed etiam neceſſariam eſſe, atque adeo indidem petitam, unde contra nos argumentum ducitur. Docet igitur Auctor hiſtoriæ Salonitanæ non ante in Dalmatiam profectum eſſe Domnium, quam inde Titus diſceſſerit; Titi autem e Dalmatia diſceſſum cum primis Pauli vinculis copulavit, quorum quidem initium ſumi oportet ab anno Chriſti 59. qui decimus quartus fuit a primo Petri in urbem adventu. Si ergo Domnius poſt Titum Dalmaticam eccleſiam regendam ſuſcepit, ejus Pontificatus initium longe abeſt ab anno Chriſti 45. cum primum Petrus Romam adiit. Quod autem Archidiaconus Salonitanam Domnii expeditionem cum Apoſtolica Marci & Apollinaris miſſione conjunxerit, eo ſpectavit, ut breviter exponeret, quos habuerint conditores, quibuſve initiis ac fundamentis excitatæ ſint duæ illæ nobiliſſimæ eccleſiæ Ravennas & Aquilejenſis, de quibus aliquid commemorare operæ pretium duxit, ſive quod propeabeſſent a Salonitana provincia, ſive quod ea tempeſtate tres illæ ampliſſimæ urbes Salona, Aquileja, Ravenna multitudine ædificiorum ac magnificentia, commercio, divitiis, civium & advenarum numero cum inter ſe pares eſſent, tum reliquis omnibus, quæ Adriatico mari adjacebant, longe multumque præſtarent. Cæterum ne in cogitationem quidem venire potuit Archidiacono, ut putaret tres illos Petri Diſcipulos uno & eodem tempore ad totidem illas eccleſias fundandas miſſos fuiſſe; niſi forte parum memor, quid paullo ante ſcripſiſſet, a ſe ipſe diſſenſerit. Neque vero ignorare poterat multis ante annis, quam Paullus Hieroſolymis in vincula conjiceretur, & Marcum Aquilejam, & Apollinarem Ravennam juſſu Petri profectos fuiſſe. In hanc ferme ſententiam accipi, & eidem aut ſimili interpretationi ſubjici oportet,

Confirmatur noſtra reſponſio auctoritate Hiſtor. Salonit.

quæ

quæ de Pontificatu Domnii ſcripſere cæteri Auctores, ne a veritate diſcrepent, neve Epiſcopale onus Domnio videantur imponere, antequam illum ſuſcipere, & gerere per ætatem poſſet.

Hic venit mihi in mentem ſubvereri, ne mendum arithmeticum irrepſerit in lectiones Breviarii Patavini, in quibus traditum eſt Proſdocimum Patavii Epiſcopum conſtitutum fuiſſe, *cum vix annum vigeſimum attigerat*, non ita multo poſt, quam Petrus Antiochia Romam advenerat. Quamvis enim tum Proſdocimus quinque fere annis Domnii ætatem antecederet, haud tamen videri poterat ſatis maturus Pontificatui, quod majus quiddam eſt tum dignitate, tum officio, quam ut iis tuto mandari poſſit, qui nondum ad trigeſimum annum pervenerint. Id vero cum per ſe probabile non ſit, tum eo magis fit improbabile, ſi Ughellium audimus, qui tradit Proſdocimum antea fuiſſe Reatinorum, quam Patavii Epiſcopum, & ex illa eccleſia ad Patavinam translatum eſſe.

Non eſt verisimile S. Proſdocimum annos natum 20. Epiſc. creatum eſſe.

Verum ex hiſtoria Salonitana illud objici poteſt ad labefactandam epocham Pontificatus S. Domnii, & Salonitanæ ſedis initium a nobis præfinitum, quod Archidiaconus videatur docuiſſe, Tito Dalmatica procuratione perfuncto S. Domnium ſtatim ſubſtitutum eſſe, ideſt anno Chriſti 61. ætæ vulgar. 58. cum Paullus e Romana cuſtodia dimiſſus eſt, ſic prorſus, ut nihil ſpatii inter utrumque reliquerit, quo includi queat Hermis Epiſcopatus, quem tamen Tito ac Domnio Epiſcopis interjectum fuiſſe nunc paucis oſtendo. Primum omnium ſatis conſtat, quod principio conſtituimus, non aliunde Domnium a Petro, niſi ex urbe Roma miſſum eſſe in Dalmatiam: Romæ igitur Petrus fuerit oportet, cum Domnio Dalmaticam provinciam decrevit, ac tradidit. At nulla ſunt monumenta, nulli teſtes, nullæ conjecturæ, ex quibus elici poſſit Petrum in urbe eo anno fuiſſe, cum Paullus primis vinculis exemptus Titum eccleſiæ Dalmaticæ regimine amotum deſignavit Epiſcopum Cretenſium. In hunc igitur annum convenire non poteſt miſſio Domnii & profectio Dalmatica. Illud hic animadverti velim, quod Petrus non quemadmodum ſedem Pontificiam, ſic etiam præſentiam ſuam urbi Romanæ perpetuo affixit; ſed ex illis quinque annis ac viginti, qui Romanæ ejuſdem cathedræ attribui ſolent, multo plures tranſegit aliis atque aliis provinciis Apoſtolico ritu peragrandis, quam commorando in urbe, a qua rei Chriſtianæ cauſa cum ſæpe ac diu abeſſe cogeretur, eccleſiæ Romanæ adminiſtrationem ſuis Vicariis Lino, Clementi, & Cleto committere ſolebat. Petrum ſemel iterum ac tertio Romam veniſſe diximus, neque diutius commoratum eſſe, quam illius eccleſiæ, vel fundandæ, vel ſtabiliendæ, vel amplificandæ neceſſitas atque utilitas poſtulabat. Cum autem Pontificatus Salonitani Domnio traditi epocha neque ad primum, neque ad ſecundum Petri adventum referri poſſit, ut ſupra oſtendimus; in tertium eumdemque poſtremum rejiciatur neceſſe eſt; niſi vero aliquis confingere velit & comminiſci alios atque alios ad Romanam urbem Petri acceſſus, in quos pro ſuo arbitratu conferat expeditionem Dalmaticam S. Domnii, eamque ab anno, quem ipſi conſtituimus, temere & nulla ratione dimoveat. Si autem Petrus neque fuit Romæ, neque Domnium miſit in Dalmatiam anno Chriſti 61. cum Titus juſſus fuit illi eccleſiæ nuncium remittere, quam non eſt verisimile eccleſiam illam per plures annos orbam relictam eſſe, & ſine ullius Paſtoris tutela expoſitam lupis circumquaque frementibus; tam eſt probabile ac prope certum eo intervallo ejuſdem adminiſtrationem & cuſtodiam Hermi demandatam fuiſſe, ne quid detrimenti res Chriſtiana in illis locis caperet ex illo haud ſane brevi Pontificio interregno. Hinc vero conficitur Hermen a Tito proximum ante S. Domnium Epiſcopatum Dalmatiæ ſuſcepiſſe.

Alterum contra conſtitutam hypotheſin argumentum ex Hiſtor. Salonit.

Reſpondetur.

Jamvero ut argumento ex hiſtoria Salonitana contra nos deprompto reſpondeam; non ſi Archidiaconus hujus intermedii Pontificatus mentionem prætermiſit, continuo dicendus eſt eumdem excludere voluiſſe. Scripſit quidem Domnium in locum Titi ſuffectum, nuſquam tamen aſſeruit ſubrogatum eſſe Domnium ſtatim atque Titus diſceſſit e Dalmatia: *Titum*, inquit cap. 3. *non remiſit ad Dalmaticam, ſed ad Græciam, ubi magis erat notus, Pontificem eum conſtituens apud Inſulam Cretam. Cujus loco B. Petrus Princeps Apoſtolorum direxit quemdam Diſcipulum ſuum nomine Domnium, &c.* Quæ quidem verba non eſt neceſſe perinde accipere, quaſi nihil temporis locive intermedii relinquant, cui poſſit interſeri Dalmaticus Hermis Pontificatus, Titum inter atque Domnium interjectus. Laudatus igitur Archidiaconi locus vetat ille quidem Domnium in ejus eccleſiæ adminiſtratione Tito præponere, at non prohibet vel Hermen utrique interjicere, vel collati Domnio Epiſcopatus initium ad tertium Petri Romanum adventum, ſive ad annum huic proximum, quo martyrium ſubiit, revocare, cum ſcilicet Domnius annum ferme quadrageſimum agebat; quæ nimirum ætas & graviſſimam Epiſcopi perſonam ſumma cum dignitate ſuſtinere, & munera omnia atque officia Epiſcopalia præclare exſequi poteſt. Cæterum controverſia eſt inter Scriptores, ut alias monuimus, de martyrio Apoſtolorum, quod alii in alios annos conjiciunt. Ac Baronius quidem illud anno 69. ſubjecit. Sed Henſchenius & plerique recentiores ad annum ætæ vulgaris 65. retrahendum cenſent, tum antiqui Pontificalis libri auctoritate innixi, tum hoc maxime argumento ducti, quod Nero an. 66. in Græciam profectus, inde anno 68. Romam regrediens, cum ſe in odium ſuorum contemptumque veniſſe animadverteret, deſtitutus ab omnibus, & ad ſupplicium quæſitus, ſibi ipſe necem conſcivit v. Idus Junii; ex quo fit, ut intereſſe nequiverit martyrio Apoſtolorum, quod eo præſente, ſententiamque in eos ferente peractum eſſe antiqua monumenta teſtantur, ſi illud cum anno ætæ vulg. 68. vel 69. & die 29. Junii copuletur. Domnius itaque vel eodem anno, quo Petrus tertio Romam venit, ideſt an. Chriſti 67. ætæ vulgaris 64. vel anno proximo, cum Petrus martyrio perfunctus eſt, Pontificatum Salonitanum a Petro traditum ſuſcepit.

De anno martyrii Apoſtolorum Scriptores inter ſe diſcrepant.

Quæ hactenus diximus, ſatis declarant, quanta fuerit inſcitia & impudentia cujuſdam, qui Salonitanum S. Domnii Pontificatum ex Petri auctoritate ſuſceptum non ſolum in dubium vocavit, ſed etiam ludibrio atque irriſione dignum cenſuit. Quid ita? Quia Acta S. Domnii inter primum Petri in urbem adventum, & Domnii ad Dalmatas expeditionem nihil temporis interjiciunt. En fabulam! en portentum! Domnius itaque ne vigeſimum quidem annum attingens Epiſcopi nomen & inſignia ſumpſit; quo nihil incredibilius, nihil abſurdius. Actum igitur de Salonitano ejuſdem Pontificatu ex Apoſtolorum Principis auctoritate ſuſcepto; nulla ejus Actis habenda eſt fides. Acute ſcilicet ac ſapienter, quaſi vero neceſſe ſit tempora etiam conjuncta eſſe, quæ Scriptores oratione conjungunt; neque iis liceat multos ſæpe annos rebus, de quibus agunt, interjectos impune tranſilire; aut ſi quid etiam perturbatione ordinis ac temporis peccaverint,

Caſtigatur cujuſdam impudentia ac temeritas.

Digitized by Google

rint, nihil illis ignoſci; omnem illis fidem continuo abrogari oporteat. Satis ſuperque oſtendimus in iis Actorum locis, qui nobis objecti ſunt, nihil eſſe falſum, nihil abſonum fidei, nihil adeo obſcurum & ambiguum, quod facili explanatione adhibita, cum ætate S. Domnii ad Epiſcopatum idonea componi nequeat; niſi forte aliquis contentionis quam veritatis cupidior rapere velit in pejorem partem, quæ cum veritate conciliari facillime poſſunt. Cæterum mos iſte jamdudum invaluit, & tanta pleroſque inceſſit cupiditas omnia in dubium incertumque revocandi, ut nihil jam propemodum ſit tam ſanctum, nihil tam veteri, tam conſtanti hominum opinione approbatum, quod iſti non ſtatim abjudicent, atque rejiciant, ſi quid forte vitii deprehenderint, aut ſe putent deprehendiſſe. Quin eam præcipue ob cauſam nonnulli videntur ingenii aciem acuere, ut vel in ſcirpo nodum quærant, & qualibet de re controverſias moveant, ac dubitationes injiciant, cum ſatius profecto eſſet, & Chriſtianæ religioni ac pietati longe utilius, id eos potiſſimum agere, in id omni ſtudio curaque incumbere, ut verendæ antiquitatis monumenta excutiendo, illuſtrando, interpretando ſarta tecta tuerentur, & ſacra cum profanis componerent, tempora temporibus, nomina nominibus, facta factis conciliarent; quod quidem præſtare nemo queat, niſi qui multa legerint, audierint, perceperint ex omni vetuſta recentique doctrina, & cum ſummo ingenio ſummam diligentiam, & acerrimam in meditando ac veſtigando contentionem conjunxerint.

Mos quorumdam Criticorū reprehenditur.

& ad regulas æquioris Critices revocatur.

§. IV.

Actorum Pontificalium Chronotaxis.

CUm multa Domnius, ex quo Salonitanum Pontificatum ſuſcepit, ad eccleſiam illam conſtituendam & amplificandam præclare geſſerit, tamen admodum pauca ſeu litteris conſignata, ſeu fama & ſermonibus propagata, quaſique per manus tradita, ad nos uſque pervenerunt. Quæ memoratu digna in primis videntur, juvat hic breviter complecti, & in ſuos quæque annos diſtribuere.

Anno igitur Chriſti 68. æræ vulgaris 65. vel ſuperiore Domnius, Salonam cum appuliſſet, nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut in unum locum convocatis, quos Titus atque Hermes Chriſtianis myſteriis ac præceptis imbuerant, tamquam bonus Paſtor ſuas oves agnoſceret, & ſalutari cœleſtis doctrinæ, ac ſacramentorum pabulo recrearet. Deinde poſt Neronianam perſecutionem Imperatoris interitu reſtinctam anno Chriſti 71. æræ vulgaris 68. progreſſus in publicum de Chriſtiana religione apud populum diſſerere cœpit; & monere, hortari, impellere nunc ſingulos, nunc univerſos non antea deſtitit, quam ſane multos ad Chriſti fidem cultumque aggregaſſet, quos ille ad Salonum amnem, qui præter urbis mœnia fluebat, baptiſmo expiavit, & ſacro chriſmate inunxit. Cum itaque paucorum menſium ſpatio multi jam, cœleſtis numinis inſtinctu, Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſent, plures etiam ad Chriſti religionem perſpecta veritas pelliceret; non defuere, qui ſecundum Evangelii ſine ulla adhuc offenſione curſum avertere conarentur. Erat Salonæ temporibus illis Philoſophus quidam, cui nomen Pyrgo, idemque nobilis Sophiſtes, qui non ſolum interiores Græcorum litteras apprime callebat, ſed multa etiam de Chriſtianæ fidei myſteriis neſcio unde cognoverat ac didicerat. Is ergo, ſive ut Evangelio fidem & auctoritatem adimeret, ſive ut ſibi gloriæ materiem quæreret, Domnium ad ſingulare certamen provocavit. Multis verbis ultro citroque habitis, is demum exitus certaminis fuit, ut homo arrogans, cum neque haberet quid Domnii argumentis objiceret, neque cogitatione aſſequi poſſet, quæ longe a nobis poſita humanæ intelligentiæ vim & aciem effugiunt, maluerit obſtinatione quadam ſententiæ, hærere in eadem commorarique opinionum inſania, quam victus videri, & ſubmittere ſe in obſequium Fidei, cujus myſteria curioſius, quam ſtudioſius inveſtigare immoderati ingenii eſt, & plus ſibi arrogantis, quam quantum cogitatione ſua conſequi queat. Ejuſmodi Diſputatio revocari poteſt ad eumdem an. Chriſti 71. æræ vulg. 68. niſi cui forte videatur ad annum proxime inſequentem referenda eſſe.

Domnius Salonam cum veniſſet,

Sedulum religioni operam navavit.

Cum Pyrgo Philoſopho diſputat.

Diſputationis exitus.

Exinde Domnius eo cogitationes omnes, omnemque operam convertit, ut Salonitanos a vana Deorum ſuperſtitione traductos ad Chriſtum adjungeret; qua in re cum duos ferme annos poſuiſſet, tantum qua verbis, qua miraculis profecit, ut anno Chriſti 72. cum Nerone jampridem extincto eccleſia erigere animum, & paullulum reſpirare a metu cœperat, certatim ad Domnium accurrerent, qui nomina religioni darent, & Chriſtianis ſacris initiarentur. Cum igitur Salonis res Chriſtiana auctior in dies fieret, anno, ut videtur Chriſti 73. æræ vulgaris 70. cœptum eſt ædificari templum, quo ingens Chriſtianorum multitudo ad ſacra myſteria obeunda ſtatis diebus conveniret. Intra unius alteriuſve anni ſpatium, & perduci ad ſummum uſque parietes, & faſtigium eidem ac tectum imponi facile potuit.

Multi ad Chriſtum converſi.

Templum Deiparæ condit.

Itaque Domnius an. Chriſti 75. templum abſolutum jam ac perfectum Deiparæ Virginis nomine & auſpiciis conſecravit. Tum ad conſtituendam, deſcribendamque hierarchiam eccleſiaſticam animum adjecit; & aliquot ex iis, quos vel a Petro Evangelicæ expeditionis Socios acceperat, vel ipſemet ab inani ſuperſtitione ad religionem Chriſtianam traduxerat, ſacris initiavit, alios Presbyteros, alios Diaconos inſtituit, alios aliis eccleſiæ ordinibus adſcripſit, quorum opera ad Neophytorum inſtitutionem, converſionemque Ethnicorum uteretur.

Interea, Clemens Petri diſcipulus in Dalmatiam cum veniſſet, duos ex illius comitatu Domnius impetravit Epiſcopos, qui præſentiam ſuam atque operam præberent ad Epiſcopos conſecrandos, Gajanum, & Symphorianum, quos a B. Petro Diaconos ac miniſtros eidem in Dalmatiam abeunti datos fuiſſe ex eorum Actis colligitur. Clementis in Dalmatiam adventus vel an. æræ vulg. 66. qui fuit Chriſti 69. ante ſuſceptum, vel cum an. 78. æræ vulg. Chriſti 81. poſt depoſitum Romanum Pontificatum, conjungendus eſt. Vide Sect. 1. cap. 2. §. 1. Partis 3. Proleg. ſed vide potiſſimum Acta Cajani & Symphoriani cap. 2. §. 1. Sub idem tempus Domnius in univerſam provinciam curas & cogitationes extendere cœpit, quas ad eum diem ferme Salonæ mœnibus, & circumjecti agri finibus continuerat. Proinde ex ſua diſciplina elegit quamplurimos, & in ſingulas civitates atque oppida ſingulos binoſve deſcripſit, qui diſciplinæ Chriſtianæ intelligentia, gravitate vitæ, religionis ardore, morum ſanctitate inter cæteros eminerent, ut uno & eodem tempore omnibus in locis Chriſti nomen & cultus propagaretur. Horum opera atque induſtria incredibile dictu eſt, quam aucta ſit res Chriſtiana, & longe lateque diffuſa. Ex eo Salonitanæ eccleſiæ jus ac nomen Metropoliticum acquiri, & confirmari cœptum eſt; quippe cum ex illa urbe

Gajanus & Symphorianus creati Epiſc.

Mittit per omnes Dalmat. urbes, qui Evangelium diſſeminarent.

totius

Unde jus Metropoliticum Episcopis Salonitanis acquisitum?

actus Dalmatiæ princeps ac domitor Christianæ fidei ac disciplinæ Magistros, reliquæ civitates acceperint, per quos variæ fundatæ sunt ecclesiæ, quæ Salonitanam tanquam parentem ac magistram agnoscerent colerentque, & multi deinceps constituti Episcopi, quibus metropolitico imperio Salonitanus Antistes præesset. Hæc conjectura magis, quam certa ratione adducti, chronologicis notis consignavimus, & suis quæque annis affiximus, eumdem ordinem quam accuratissime persecuti, quo in Actis S. Domnii descripta inveniuntur.

Persecutio Domitiani rei Christianæ cursum retardavit.

Dum Religio Christiana in Dalmatia floreret, eamque majores quotidie progressus facerent, anno æræ vulg. 92. Christi 95, vel anno insequente juxta Baronium, vel triennio serius, ut alii putant, vehemens procella ab Domitiano concitata prosperum rei Christianæ cursum inhibuit, & rebus præclare cœptis moram atque impedimentum intulit. Fere quinque, vel tres quatuorve annos ea tempestas tenuit; quo temporis intervallo & Dalmatarum alacritas ad Christi fidem amplectendam paullisper deferbuit, & hostium immanitas coegit Apostolicos viros latebras subire, carere publico, & privatis ferme congressibus, occultisque conventibus industriam suam atque operam cohibere. Cæterum simulatque Domitiani furor anno æræ vulg. 98. sive 96. pacem ecclesiæ reddidit, statim Dalmatis eo metu levatis, pristinus vigor & alacritas rediit, ut certatim quamplurimi, animis a patria superstitione aversis, alius alio cupidius nomina profiterentur, & Christiana sacra susciperent. Nihilo segnius Evangelii præcones, Actis Domitiani Nervæ & Senatus decreto rescissis, ad institutum redierunt, atque e latebris in publicum prodeuntes, minum quantum Dalmaticæ ecclesiæ incrementum attulerint: horum quippe studio & assiduitate res Christiana usque adeo crevit, ut Domnius, antequam e vita excederet, multas & sæpe frequentes in universa provincia ecclesias Christo aggregatas reliquerit. Hæc ferme habui, quæ ex Actis S. Domnii colligerem, & suis quæque temporibus distinguerem; multo plura nobis ad scribendum suppeterent, nisi vetustas, aut majorum nostrorum in hujusmodi rebus memoriæ prodendis incuria præripuisset. Jam vero hujus loci institutum postulat, ut de martyrio S. Domnii aliquid dicamus. Et quoniam nec causa, nec ratio mortis ignota esse potest iis, qui ejus Acta legerint, illud inquiri oportet, quo tempore, quove anno religionis causa mortem obierit.

Domitiano extincto Religio Christiana in Dalmatia augetur, & floret.

§. V.

Tempus Martyrii.

Primum omnium satis constat occasionem & causam martyrii subeundi eumdem fuisse Domnio, quæ aliis quamplurimis, videlicet persecutionem aliquam auctoritate publica, & Imperatorum vobis Magistratuum nomine Christianis indictam. Cum autem primo & altero ecclesiæ sæculo plures inventi sint Imperatores, qui nefarium Christianis bellum intulerint, investigandum est, quinam imperium Romanum gerens, idemque Christianos divexaret tum, cum Domnius pro Christo mortem oppetiit. Primus omnium Nero edictis ac supplicis Christianum nomen vehementissime afflixit; sed innumerabilibus Christianorum gregibus ea tempestate mactatis, superstitem fuisse Domnium serium ab eo deinceps gestarum series declarat. Ab Neronis interitu anni amplius viginti intercessere, cum iterum Domitianus Christianorum vitam, & fortunas, ecclesiamque totam ad vastitatem & exitium vocavit. Verum ab hac etiam clade incolumis evasit Domnius, quippe qui maximis in laboribus ad summam usque senectutem vixerit. Anno autem æræ vulg. 98. sive 96. cum Domitianus interiit, Domnius annum vel alterum & septuagesimum, vel sexagesimum nonum agebat; quæ quidem ætas longe aberat ab extrema senectute, præsertim temporibus illis, cum multi inveniebantur, qui vitam ad centesimum annum perducerent. Extat illius effigies in absida Romani Sacelli, quod proxime adjacet Basilicæ Lateranensi, ea specie habituque otis expresse, ut si ætatis conjecturam hinc facere velis, hominem octoginta circiter annos natum facile agnoscas.

Neque persecutio Neroniana neque Domitianea Domnii martyrium adscribendum.

Cum igitur Domnius neque Nerone, neque Domitiano imperante pro Christo mortem obierit, restat, ut ejus martyrium referamus ad ætatem imperiumque Trajani, cujus nomine tertia ecclesiæ persecutio insignitur; quamvis non desint, qui hanc a superiore non distinguant; quippe quæ sub Domitiano inchoata, & post ejus mortem paullisper intermissa, acrius recruduit sub Trajano, & ferme usque ad ejus obitum perduravit: neque vero ultra Imperium Trajani vita & Pontificatus S. Domnii produci potest. Nomen quidem Trajani abest ab Actis S. Domnii, neque ejus mortis auctor Trajanus, sed Maurilius dicitur, qui nomine, & auctoritate Senatus Orientis Præfecturam gerebat; sed ex aliis maximeque idoneis auctoribus colligimus eum, Trajano rerum potiente, martyrio perfunctum esse. Nam in tabulis Ponzonianis, quæ quidem ad fidem faciendam maximi momenti & ponderis esse debent, ut alio loco ostendemus, hoc scriptum invenio: *Domnius martyrizatus fuit temporibus Sternæ Trajani sub annis Domini* 104. Hujus autem verbi *Sternæ* interpretatio fortasse petenda est ab Slavonica lingua, unde, ut mihi videtur, originem traxit, quid autem apud Slavos valeat, nondum ab ejus linguæ peritis, ex quibus per literas explicationem scisciatus sum, rescire potui. Eadem ferme docuit Stephanus Colmius Archiepiscopus Spalatensis, diligentissimus investigator Salonitanæ antiquitatis; hoc tantum a tabulis illis discrepat, quod martyrium Domnii anno septimo secundi sæculi consignavit: *S. Domnius discipulus S. Petri, idemque primus Salonæ Episcopus mortuus est, cum Trajanus persequebatur ecclesiam, anno* 107. Hæc ille tradit in codice manuscripto de rebus ecclesiæ Spalatensis, qui in Archiepiscopali tabulario asservatur. Nulla igitur controversia videtur esse, quin S. Domnius sub imperio Trajani martyrium subierit. Sed cum de anno martyrii non conveniat inter Colmium, & auctorem codicis Ponzoniani, & bellum Christianis illatum, sive continuatum a Trajano, quamvis aliquo temporis intervallo remissus gestum, non conquieverit tamen ante obitum Trajani, qui annos undeviginti imperium tenuit, adhuc in incerto est annus, qui Domnii martyrium illigari oporteat.

Trajanus imperans & Christianos persequens.

Ulpius Trajanus post Nervam Coccejum, anno centesimo ineunte ex chronologia Baroniana, vel 98. sæculi superioris, ut receptiores volunt, Imperium adeptus, nihil quidem adversus Christianos decreti fecisse dicitur, quo novam illis persecutionem indiceret; sed cum generatim vetuisset privatas coitiones, & clandestinos conventus fieri, haud difficile fuit Christiani nominis hostibus, quibus omnia referta erant, ejusmodi interdicto abuti ad perniciem Christianorum, quibus id moris erat, præsertim cum aliqua persecutio ingrueret, ut ad divina mysteria celebranda, & mutua charitatis

Trajanus clandestinos conventus Christianos iterum dirimit.

officia

Domnius martyrii palmam adeptus.

officia inter se peragenda, clanculum convenirent. Hinc in eos inquirendi animadvertendique oblata populis, & magistratibus occasio, hinc illis invidia, hinc crimen, hinc periculum conflatum; hinc denique initium duxit persecutio, quam plerique tertiam appellant. Verum inter omnes constare video remisse admodum ac leniter initio sævitum esse, & tum prima veluti semina, seu quosdam quasi igniculos jactos fuisse acerbissimæ illius persecutionis, quæ deinde acrius excitata magno impetu in Christianorum fortunas ac vitam erupit, & latissime pervagata omnes Romani orbis provincias pervasit. Cum igitur prioribus sub Trajano annis plus periculi, quam damni ecclesiæ ingrueret ab insito implacabilique odio Ethnicorum, qui permissu potius, quam auctoritate, vel exemplo Principis, jus persequendi Christianos usurpabant; haud sane probabile videtur Domnium ante quartum Trajani annum, qui fuit quartus vel secundus alterius sæculi, religionis causa extinctum fuisse. Tantum vero abest, ut quarto eo anno martyrio affectus fuerit, ut hoc ipso anno Trajanus populis ac magistratibus in Christianorum exitium conspirantibus aliquid fræni injecerit; nam a Plinio Bithyniæ Proconsule per litteras edoctus de multitudine atque innocentia Christianorum, inquiri in eos vetuit, puniri tamen jussit oblatos. Hoc rescriptum ad quartum Trajani imperantis annum plerique referunt, qui Baronio est quartus, Petavio & aliis, qui initium Trajani in annum 98. conferunt, est secundus alterius sæculi annus. Exinde pacis aliquid ecclesiæ per triennium fuit. Quare sane vereor, ne Amanuensium incuria mendum Arithmeticum in tabulas Ponzonianas irrepserit, in quibus anno 104. Martyrium S. Domnii adscriptum invenio.

Martyrium S. Domnii nequit referri ad an. 4. Trajani.

Ex Præfectura Maurilii annus ejusdem martyrii conjici potest.

Quamquam vero qui Acta S. Domnii litteris commendarunt, nullum certum martyrii tempus adjiciant, aliquid tamen lucis ad illud investigandum suppeditant. Nam scriptores primæ & quartæ vitæ tradunt, illi quæstioni ac judicio, quo Domnius capite damnatus est, præfuisse Maurilium quendam, cui Romanæ urbis Præfectura abeunti Senatus Romanus totius Orientis extraordinariam procurationem commiserat. *Accidit Præfectum urbis, Maurilium nomine, ad prædictam civitatem Salonas venisse, missum a Senatu totas provincias Orientis judicare.* Ex prima vita. *Accidit Præfectum urbis Romæ, Maurilium nomine, ad prædictam civitatem Salonam venisse, missum a Senatu totas Orientis provincias judicare.* Ex vita 4. At vero priusquam ex hisce verbis tempus elicere aggredior, cui affigi oporteat martyrium S. Domnii, sunt quædam nobis explicanda, quæ nisi explanentur, is locus Actorum S. Domnii vel obscurus videri, vel etiam falsitatis argui posset.

Illud igitur in primis animadverti velim, nondum per ea tempora imperii Romani *Orientalis & Occidentalis* partitionem factam fuisse; neque ad politicam terrarum descriptionem mos ille pertinebat, qui postea invaluit, ut Romanæ provinciæ aliæ quidem *Orientali*, aliæ *Occidentali* imperio attribuerentur. Octavianus Augustus, cum orbem Romanum in plures provincias distribuit, usus quidem est *Orientis* vocabulo; sed illud iis finibus circumscripsit, quibus regiones ab Syria usque ad Euphratem porrectæ continentur; quæ deinde proprio quodam & peculiari jure apud posteros *Orientis* nomen sibi retinuerunt. Cum igitur Acta S. Domnii *totas Orientis provincias* potestati Maurilio ab Senatu traditæ subjiciunt, *Orientis* vocabulum ad civilem imperii Occidentalis & Orientalis divisionem, quæ fuit ætate multo posterior, referri nequit; sed explicari intelligique oportet ex instituto Geographorum, quibus nihil antiquius & usitatius fuit, quam a quatuor cœli plagis regionem unamquamque denominare; quique *Orientales* provincias vocant, quæ in Solem orientem spectant. Quare sub hac voce *Orientis* quæ sit subjicienda significatio, & quatenus pateat, ex antiquis Geographis addisci necesse est. Cum autem veteres, ac præsertim Græci, non solum Hispaniam, sed etiam Italiam appellent *Hesperiam*, idest regionem, Macrobio interprete, *Occasui subjectam*, ex eo fit, ut alias regiones ab Solis ortu Italiæ obversas in numero Orientalium provinciarum habuerint: in his autem est Dalmatia, Macedonia, Græcia, & quidquid deinceps in Europa Asiaque gentium ac terrarum usque ad Euphratem Romanorum imperio tum suberat. Itaque Maurilii jurisdictio Dalmatiam, Macedoniam, Græciam complexa, in alias præterea atque alias ad Orientem regiones intra fines tamen Europæ extendebatur: id autem muneris ei datum fuerat a Senatu, ut provincias illas peragraret, in singulis conventus ageret, publicas privatasque controversias cognosceret ac dirimeret.

Orientis nomen aliud apud politicos, aliud apud Geographos naturales figuræ.

Cum autem in descriptione Romanorum Magistratuum, qui per id temporis mandari solebant, nullus inveniatur, cujus potestas tam ampla esset, ac longe lateque per Orientem diffusa; hujusmodi Orientalis jurisdictio videtur extra ordinem collata fuisse Maurilio, & inter Magistratus extraordinarios annumeranda esse; id tum fortassis postulabat reipublicæ necessitas, cum Trajanus Imperator in extremis Orientis partibus, multiplici & gravissimo cum hostibus imperii Romani bello distinebatur. Neque vero Maurilianus Magistratus idem fuisse videtur, ac Præfectura Prætoriana. Tradit Herodianus in Commodo duos, auctore Commodo, institutos fuisse Præfectos Prætorio, qui æquo & pari jure omnibus Romani orbis provinciis præessent; cum antea unus esset, qui hoc munus amplissimum, & hanc personam plenam honoris & auctoritatis, eamque tum dignitate, tum potestate ab Imperatore proximam sustineret: *Commodus duos constituit Præfectos, tutius fore ratus illam potestatem, non uni dumtaxat credere, sed dissectam in partes imbecilliorem eo pacto contra Principem reddere.* Sed præterquamquod alia erant officia & munera Præfecturæ Prætorianæ annexa, alia vero, quæ Maurilio Senatus commiserat; hujus jurisdictio Orientis regionibus affixa erat, & circumscripta, potestas autem Præfecti Prætorio nullis erat definita limitibus, nullaque erat imperii provincia, quin ille juri suo imperioque obnoxiam haberet. Neque porro verisimile est, ut Imperatores Senatui permiserint facultatem creandi hujusmodi magistratum tanta auctoritate præditum, quæ vel ipsis Imperatoribus metum ac formidinem incutiebat.

Præfectura Maurilii extraordinaria.

Verum, inquies, cum Imperatores Romani omnia ad se revocassent, quid tandem juris in Dalmatiam omnesque Orientis provincias reliquum erat Senatui populoque Romano, ut illarum administrationem delectis a se magistratibus arbitratu suo mandare possent? Ex quo enim, oppressa Republica, ad unum imperii summa pervenit, Senatus auctoritas magis magisque in dies imminui cœpit, vix ut Senatores pristinæ dignitatis nomen retinerent. Octavianus quidem Augustus visus est imperium cum Senatu partiri, cum Romano orbe bifariam diviso, provincias pacatas tranquillasque hujus potestati permisit; laboriosas, & bellis, hostibusque expositas sibi retinuit. Sed eo ille spectabat,

Digitized by Google

bat, ut per ſpeciem conſulendi commodis & quieti Senatus, ſibi labores & pericula reſervandi, reipſa tamen, ut translatis ad ſe armis atque exercitibus, illum quidem inermem, imbellemque redderet, ſuas autem opes firmaret, augeretque: id quod præclare animadvertit Dio lib. 53. Cæterum Dalmatia cum pleriſque Orientis provinciis in ditione erat & poteſtate Auguſti, quæ ideireo Auguſtalis dicta eſt; itemque Prætoria nuncupata, quia nimirum Auguſtus Proprætores appellari juſſerat, quos ſuis ipſe provinciis præfecerat; cum reliquæ Senatui traditæ dicerentur Proconſulares, quod illarum adminiſtratio ad Proconſules a Senatu creatos pertineret. Quamvis igitur Auguſti conceſſu, & beneficio jus habuerit Senatus Proconſules deligendi, quibus ſuarum provinciarum regimen committeret; ab ejus tamen poteſtate, ut aliæ multæ Orientis regiones, ſic Dalmatia exempta erat, immuniſque, cujus proinde adminiſtrationi Maurilius præfici a Senatu non poterat.

Dalmatia ad jus Auguſtale pertinebat.

Huic argumento, quo aliquis uti poſſet ad fidem Actorum S. Domnii infirmandam, ſic reſpondeo, ut ex ipſa reſponſione elici queat, dignoſcique tempus & Maurelianæ Præfecturæ, & martyrii S. Domnii. Nulla quidem Senatui poteſtas relicta fuerat adminiſtrandi provincias Auguſtales, mandandique pro ſuo arbitratu. Magiſtratus Prætorios; verum ſi qua cauſa gravior intercederet, quæ Imperatores longiſſime ab urbe Italiaque avocaret, tunc ſane, ut in omni bene inſtituta Republica fieri ſolet, ſummam rerum ad Senatum devolvi neceſſe fuerat; eique permiſſum erat, ut ea omnia, tamquam juris Imperatorii Vicarius exſequeretur, quæ Imperatores longinquis bellis impliciti, reique publicæ cauſa abſentes per ſe ipſi præſtare non poterant; & Prætores etiam deligeret, ſi opus eſſet, qui Auguſtales provincias gubernarent. Potuit igitur Senatus, cum Trajanus longe gentium abeſſet, potuit, inquam, Dalmatiam, potuit alias Orientis provincias Maurilio decernere, quæ cæteroquin ad jus imperiumque Auguſtale pertinebant. Nunc vero explicata actorum Trajani, atque itinerum ſerie chronologica, inveſtigari oportet tempus illud, quod propter longinquam ac diuturnam Trajani abſentiam, Senatui Romano juris Imperatorii uſurpandi facultatem præbuit: huic enim tempori, quemadmodum Dalmatica & Orientalis Maurilii Præfectura, ſic etiam martyrium S. Domnii illigari neceſſe eſt.

Abſente Imperatore, jus demandandi provincias Imperatorias ad Senatum devolvi ſolebat.

Dalmatiæ & alias Orientis provincias Senatus Maurilio decrevit.

Trajanus ergo ſex vel octo priores annos a ſuſcepto imperio aut in urbe, aut non ita procul a Dalmatia, & finitimis Dalmatiæ provinciis exegit, ut per eos annos numquam ad Senatum devoluta fuerit poteſtas eligendi magiſtratus, quos Dalmatiæ, cæteriſque Orientis provinciis præficeret. Nam altero imperii anno Trajanus in urbem venit, profectus ex Germania, ubi Imperatoris nomen & inſignia ſumpſerat. Duobus ferme annis interjectis Roma diſceſſit, & copias ultra Danubium traductis haud procul a Pannonia Dalmatiaque pugnavit cum Decebalo Dacorum Rege, quem aſſiduis prœliis fractum ſub imperium ditionemque populi Romani ſubjunxit. Dacico bello celeriter atque e ſententia confecto, hæc Trajani abſentia neque diuturna, neque longinqua nullum Senatui aut tempus aut jus tribuit Orientalis Præfecturæ cuiquam decernendæ. Vix annus interceſſerat, cum ſubita Decebali defectio Trajanum in Daciam iterum evocavit. Nihilo ſegnius, quam antea, aut minus feliciter rem cum hoſtibus geſſit; pontem ingenti mole, admirandoque artificio factum Danubio injecit, exercitum traduxit, tot ac tantis cladibus Decebalum attrivit, ut uno alterove prælio cum Dacis debellatum fuerit, & univerſa Dacia in provinciæ formam redacta, populi Romani leges ac dominatum ſubierit. Quo bello Trajanus perfunctus confeſtim Romam reverſus eſt, eodemque anno 106. juxta Baronium, vel juxta alios 104. æræ vulgaris, de Dacis triumphavit: ex quo ſequitur, ut neque hujus abſentiæ intervallo Senatus ullam Imperatorii juris uſurpandi facultatem habuerit. Reſtat igitur, ut tum demum Senatus Auguſtalium provinciarum decernendarum poteſtatem nactus fuerit, cum Trajanus anno Chriſti 106, vel 105. menſe Octobri Armenis ac Parthis bellum intulit. Tunc in extremis Orientis partibus non ſolum ab Italia, ſed etiam a Dalmatia longiſſime aberat; neque umquam poſtea in Italiam rediit.

Trajani expeditiones, reſque geſtæ.

Anno 106. Trajanus in Aſiam duxit exercitum,

Armeniam recepit de Parthis, Perſidem, Seleuciam, Babyloniam, aliaſque Aſiæ regiones Romano adjunxit imperio; ac poſtremum rebellantibus Parthis, qui ab eo datum ſibi Regem expulerant, dum in eos arma molitur, in ægritudinem incidit, ob quam Selinuntem in Ciliciam delatus ibidem obiit IV. Id. Auguſti anno æræ vulgaris ſecundum Baronium 119, ſecundum alios 117. cum anno ſuperiori, admonitu, ut ferunt, atque hortatu Tiberiani Præfecti Palæſtinæ, ab Chriſtianorum cædibus abſtineri juſſiſſet. Sunt tamen, qui paullo aliter res & bella Trajani in ordinem chronologicum redigant.

numquam in Italiam reverſurus.

Ex hac deſcriptione itinerum atque expeditionum militarium Trajani, ſatis apparet neque Maurilii Præfecturam decretam a Senatu, neque Domnii martyrium ante ſeptimum & centeſimum ſecundi ſæculi annum conſtitui poſſe. Hoc autem fere tempore Trajanus, dum in extremis Orientis partibus pugnaret cum hoſtibus Romani imperii, bellum quoque adverſus Chriſtianos redintegraſſe videtur triennio ante aliqua ex parte intermiſſum. Nam ſeptimo, ut aliqui docent, ſive, ut Baronio placet, octavo ſecundi ſæculi anno, cum luſtraret exercitum, comperit undecim millia militum eſſe, qui Chriſtianæ religioni nomen dediſſent; quique nullis neque minis, neque pollicitationibus adduci potuere, ut ad patriam ſuperſtitionem redirent, & militaria ſtipendia atque inſignia Chriſtiano cultui ac nomini præferrent. Quæ res hominem ſponte ſua Chriſtianis infenſum uſque adeo permovit, ut cæſo Romulo Præpoſito Domus Imperatoriæ, qui cum eſſet Chriſtianus, Chriſtianorum militum cauſam apud Imperatorem egregie dixit, omnes ad unum militaribus veſtibus exutos, inſigniique ignominia notatos in Armeniam relegaverit. Exinde velut ſi tempus induciarum exiſſet, tam atrox undique bellum in Chriſtianos coortum eſt, tantæ ubique cædes factæ, ut plerique ſcriptores præclari ac nobiles hinc tertiæ perſecutionis initium duxerint; perinde quaſi ludum jocumque exiſtiment fuiſſe, quidquid antea acerbitatis ſub Trajani imperio eccleſia pertulerat, ſi cum poſterioribus hiſce calamitoſiſſimis temporibus conferatur. Ad hoc tempus referri poteſt, quod ſcripſit Euſebius lib. 3. cap. 33. *Imperatoris exemplo peculiarem quamdam perſecutionem per ſingulas civitates populari motu excitatam fuiſſe*. Nihil vero commodi aut præſidii Chriſtianis afferebat reſcriptum illud, quod triennio ante Trajanus ad Plinium dederat; nam quamvis ex auctoritate publica non liceret Chriſtianos inquirere, eos tamen in judicium, & crimen vocare cuilibet licebat; in eos autem, qui accuſati fuiſſent, ſupplíciis omnibus animadvertendi ampla & nullis circumſcripta limitibus poteſtas Magiſtratibus dabatur; qui, ut perhibent Acta S. Ignatii Martyris,

Ante 107. annum, Maurilii Præfectura conſtitui nequit.

Anno 107. recruduit perſecutio.

omnes aut sacrificare, aut mori cogebant. Ad hæc: Trajanus, ex quo rabiem suam in Christianos, litteris Plinii aliquantulum compressam, iterum expromere cœpit, documento fuit cæteris, ne a divexandis perdendisque Christianis eo rescripto absterrerentur; *quin ex occasione hujus rescripti*, ut ait Eusebius lib. 3. cap. 27. *plurimi Fidelium multiplicis martyrii certamen subierunt.* Jure igitur meritoque Tertullianus in Apologet. cap. 2. ejusdem rescripti vanitatem atque injustitiam gravissimis verbis insectatur: *O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos ut innocentes, mandat puniri ut nocentes. Si damnas, cur non & inquiris? si non inquiris, cur non & absolvis?* Ac Domnius quidem ex formula hujus rescripti, non inquisitus Præsidis jussu, sed delatus ab Idolorum Sacerdotibus Maurilii tribunal subiit, & capite damnatus egregium Christianæ religioni testimonium dedit.

Hæc persecutio multis exitio fuit,

Cum itaque post triennales inducias vehementior in ecclesiam persecutio recrudesceret, tum innumerabiles alii, tum Ignatius Antiochenus Episcopus martyrii palmam obtinuit, qui Trajani jussu Romam ex Asia perductus, & in Amphitheatro Leonibus objectus gloriosam pro Christo mortem oppetiit. Præterea constat inter septimum & duodecimum alterius sæculi annum in omnes ferme Illyrico finitimas ecclesias acerbe sævitum esse, & multos ubique, ac præsertim Dyrrhachii religionis causa obtruncatos; inter quos Astii Dyrrhachiensis Episcopi fides & constantia, morsque pro Christo fortiter alacriterque obita eminuit. Eadem temporis procella perculit Zosimum & Rufum Philippis in Macedonia eximios Martyres, quorum meminit Polycarpus in epistola ad Philippenses. Cum igitur per id temporis gravissimo adversus Christianos bello tota circum regio arderet, nemini dubium esse potest, quin ejusmodi persecutionis incendio Dalmatia, & Salona conflagraverit. Quare cum intra illud quinquennium ab anno septimo ad duodecimum secundi sæculi perductum, & Orientalis Maurilii Præfectura non incommode includi possit absente Trajano eidem ab Senatu decreta, & nihilo remissius in Dalmatia, quam in aliis provinciis Trajani persecutio efferbuerit; id satis causæ est, cur S. Domnii martyrium in aliquem ejusdem quinquennii annum conferri debeat; quamquam ex iis, quæ diximus, certus ac definitus martyrii annus colligi nequeat. Me quidem in hac controversia haud pœnitet sequi Stephanum Cosmium Archiepiscopum Spalatensem, auctorem sane gravem, & rerum Salonitanarum scientissimum, qui Domnii martyrium an. Christi 107. illigavit. Neque enim video, quid huic sententiæ obesse possit; & præterea illud hoc loco præcavendum est, ne ultra quam ratio aut necessitas postulat, Domnii vita & Pontificatus prorogetur; ex quo id incommodi sequi posset, ut necesse esset, angustioribus, quam oporteat, terminis circumscribi quatuordecim omnino Episcopos, qui ab Domnio deinceps usque ad alterum & septuagesimum tertii sæculi annum numerantur. Cæterum si quis velit paullo diutius Domnii vitam proferre, per me licet, modo ne quinquennii nuper constituti fines transiliat, neve ejus martyrium infra duodecimum ac centesimum æræ vulgaris annum conjiciat.

quæ in Dalmatiis quamque, & Salonam pervasit.

Martyrii S. Domnii consignari potest an. 107.

sed non ultra an. 112. differri.

CAPUT X.

De Salonitana Æde Virginis Deiparæ titulo per S. Domnium consecrata.

De Templo Salonitano B. M. V. erecto testimonia.

TEmplum præclaro opere, & magnitudine haud sane exigua conditum fuisse Salonis consilio jussuque S. Domnii, idemque sub titulo Sanctissimæ Dei Parentis solemni ritu ac cæremonia, ex veteri ecclesiæ instituto dedicatum esse, adeo plane aperteque testantur, qui Acta S. Domnii litteris consignarunt, nulli ut dubitationi aut controversiæ locum relinquant. Auctor primæ vitæ hæc scripsit: *S. Domnius ecclesiam in honorem S. Dei genitricis Mariæ in eadem urbe construxit pulcherrimo opere, ubi Sacerdos Dei Presbyteros, & Levitas, cæterosque sacri ministerii ordines in ea ordinavit.* Idem testatur Scriptor alterius vitæ: *Crescente vero in dies Christianorum numero, delegit ex eis optimos, quos mysteriis edoctos Sacerdotes ordinavit. Exstruxit etiam ecclesiam in honorem S. Dei genitricis Mariæ in ipsa Salonarum civitate, in qua cum Sacerdotibus & Levitis, cæterisque ministris, quos assumpserat, & ordinaverat, divina ministeria peragebat.* Cum his consentiunt, quæ Adamus Parisiensis in tertia vita commemorat: *Aucto credentium numero, ecclesiam ædificant, quam Dei genitrici Mariæ consecrarunt. Ea adhuc extat, solaque post tantæ urbis excidium integra permanet.* Huc itidem spectant, quæ refert Auctor quartæ vitæ: *Crescente autem multitudine credentium placuit omnibus, ut ecclesiam in honorem S. Genitricis Dei Mariæ in eadem urbe construerent, ubi populus fidelis ad audiendum verbum Dei tempore opportuno conflueret: qua pulcherrimo opere constructa, Sacerdos Dei Presbyteros & Levitas, cæterosque sacri ministerii ordines in ea ordinavit, per quos tota pene illa provincia Domino credidit.* Demum his plane similia leguntur in oratione Illyrica de laudibus S. Domnii, itemque in sexta postremaque illius vita. Cum itaque id summo consensu tradant tum Acta S. Domnii, tum omnes fere Dalmatici Scriptores, & præterea constans indigenarum opinio a majoribus accepta, quasique per manus tradita confirmet; res hæc usque eo certa exploratague haberi debet, ut de ea ambigere aut dubitare nemo possit, quin veterrimas quasque ecclesiarum historias & traditiones in magnum discrimen conjiciat. Quamquam vero, ut antiquissimæ Salonitanæ ædis origini fidem conciliarem, satis fuerat fontes indicare, unde id acceperim, lectoresque ad S. Domnii Acta supra descripta rejicere; visum tamen est operæ pretium esse, desumpta indidem hac de re testimonia in hunc locum congerere, & legentium oculis iterum subjicere; propterea quod multa inde ad cognoscendum haud inutilia hauriri possunt, & variam nobis ac multiplicem ad disputandum materiam præbent, quæ in tredecim omnino paragraphos distribui satis commode potest.

§. I.

Ante conditum S. Mariæ templum privatis ædibus ad rem divinam Salonitanos usos fuisse.

AC primum quidem illud constituo non esse verisimile, ut Domnius templum illud ædificari jusserit statim atque Salonam appulit, & illius Sedis ecclesiæque fundamenta jacere instituit; sed aliquot post annis, cum Christianorum numerus co crevit,

Templum Salonitanum aliquot annis post advectum S. Domnii ædificatum.

Digitized by Google

ærevit, ut ad sacros conventus agendos privatarum ædium angustiis contineri non posset, tum demum ad ejus templi ædificationem animum adjecit; *Auctis credentium numero ecclesiam ædificant*, inquit Adamus Parisiensis, cui alii fere omnes consentiunt. Ex quibus satis certo colligitur Domnium, antequam de novi templi molitione cogitaret, unam alteramve ædiculam dedicasse tum ad rem divinam faciendam, tum ad convocandos Neophytos, eosdemque & præceptis Evangelicis instituendos, & divinis mysteriis imperriendos. Etenim si antequam tanta esset Christianorum multitudo, ut in unam justæ magnitudinis ecclesiam coalescerent, non deerant Salonæ, qui Christianam fidem ac religionem profiterentur, neque illis defuisse credibile est certum aliquem locum, quo statis diebus convenirent, ibique & rebus divinis operam darent, & sacris concionibus interessent. Itaque ubi primum Christiana religio Salonæ disseminari coliique cœpit, statim oportuit templum aliquod consecrari; nam sine templis, altaribus, & sacrificiis ne apud barbaras quidem gentes religio consistere potest. Utrum autem ædiculæ, quas Domnius ab initio dedicavit, ante omnium oculos expositæ fuerint, an vero sejunctæ a communi via, privatorum parietum tenebris obtegerentur, non satis liquet. Verisimilius puto eas fuisse occultas secretasque a publica luce, populique aspectu; quin neque existimo a fundamentis tum excitatas fuisse, sed arbitror primos illos Christianos privatæ alicujus ædis abditis & penetralibus locis usos fuisse ad religionis officia peragenda, quos Domnius ara posita in formam sacelli redegerat, riteque consecraverat. Nam in illa rerum inopia & temporum perturbatione, neque erat, unde in ædificationem templi sumptus fierent, & Neronis in Christianos odium atque sævitia ubique eos cogebat latebras quærere, & orandi colendique numinis causa hominum aspectum ac lucem vitare. Id quoque ab initio factum fuisse accepimus tum Romæ, tum in aliis civitatibus, præsertim ubi acerbissimis Imperatorum & Magistratuum edictis atque insectationibus Christiani premerentur. Hinc consecrationes privatarum ædium a Pontificibus Romanis sæpius factæ; hinc cæmeteria, hinc clandestini conventus, hinc subterraneæ illæ cryptæ, quas Catacumbas vocant, quæque adhuc in urbe extant, & ab advenis juxta indigenisque religionis causa pie & caste visuntur.

Ab initio ædes privatæ in templa converti solebant.

§. II.

Ædem S. Mariæ in publico & propatulo loco positam fuisse.

Neronis interitum sedes Salonitana S. Mariæ.

NErone extincto, ubi a cladibus metuque paululum respirare Christianis licuit, statim religio e tenebris lucubrisque emergere, & in publicam prodire cœpit. Hinc mihi verisimile fit templum illud, quod S. Domnius post Neronem sublatum Salonis exstruxit, in conspectu totius urbis constitutum, expositumque omnibus ac manifestum fuisse; præsertim cum ab interitu Neronis ad Imperium Domitiani, qui ecclesiæ alteram persecutionem indixit, res Christiana cursum latis prosperum tenuerit, & mirifice ubique propagata est. Id adeo ex Actis S. Domnii intelligi potest. Nam novi templi molienda eam causam, & consilium fuisse legimus, ut loci amplitudo responderet Christianorum multitudini, quæ in dies magis magisque augebatur.

Nullum autem in privatis ædibus templum tantæ magnitudinis potuisse condi videtur, qui tantam hominum frequentiam exciperet, caperetque. Ad hæc: Si licebat Salonitanis luce palam, nemine prohibente, veterem superstitionem ejurare, & certatim nomina profiteri, ut ad Christianam religionem aggregarentur; (neque enim tanti civium ad S. Domnium concursus celari poterant;) quid causæ excogitari potest, cur iisdem non licuerit & publicum habere templum, & publicos conventus, ex præscripto institutoque primævæ ecclesiæ celebrare? Huc adde, quod Adamus Parisiensis, qui undecimo sæculo floruit, itemque Auctor orationis Illyricæ testantur, ædem illam a B. Domnio constructam Salonæ excidio superstitem fuisse, atque adeo etiam tum vel integram, vel certe ejusdem parietes extitisse, dum hæc illi scriberent. Ea, inquit Adamus Parisiensis, *adhuc extat, solaque post tantæ urbis excidium integra permanet*; idem ferme asserit, qui de laudibus S. Domnii Illyrice scripsit: *Cujus adhuc muri cernuntur, & quæ subsistit illæsa post Salonarum urbis eversionem*. Quæ quidem verba nolim in eam sententiam accipi, ut existimemus illam ipsam ædem, quam Domnius condiderat, integram intactamque ab omni cum temporum tum hostium injuria ad undecimum usque sæculum constitisse; dubitari enim vix potest, quin eam Diocletianus haud Christianis, quam eorum templis infestior demoliri jusserit. Sed ejusmodi verba referri oportet ad illam ædem Virgini Deiparæ itidem sacram, quam Salonitani post extinctos Religionis hostes, eodem loco excitaverant, seu potius restituerant, ut infra dicemus. Jam vero si ex omnibus antiquæ illius urbis ædificiis una extabat undecimo sæculo ædes Salonitana, quam Domnius primum condiderat, Salonitani deinde dirutam instauraverant, id magno argumento est eam jam inde ab initio disjunctam fuisse ab cæteris domiciliis circumjacentibus, atque adeo viæ publicæ impositam, obvium cuique aditum præbuisse. Hoc templum, recepto jamdudum vulgatoque vocabulo *Ædes Cathedralis* rite appellari potest. Nam haud secus, quam nostra ætate in primario cujusque civitatis templo fieri solet, illic Domnius solemni pompa ac Pontificali ritu sacris operabatur, Presbyteros, aliosque rei divinæ administros consecrabat, & sanctissima quæque Episcopi officia ac munera peragebat: *Sacerdos Dei*, inquit Auctor primæ Vitæ, *Presbyteros & Levitas, cæterosque sacri ministerii ordines in ea ordinavit*.

& quidem in publico exstrui cœpta.

cujus vestigia.

adhuc extabant sæculo undecimo.

§. III.

Publicorum templorum usum jam usque a primis ecclesiæ temporibus repetendum esse.

VIdeo equidem fore, quibus hæc minime probentur, eosque etiam, si superis placet, nimiæ credulitatis levitatisque arguent, quod mores & consuetudines posterioribus ætatibus receptas ad prima ecclesiæ tempora insicite admodum inepteque transferimus. Negant enim primævis Christianis publicorum templorum usum fuisse, atque adeo ne esse quidem potuisse, prohibente scilicet iniquissima temporum illorum conditione, & acerbissimis Imperatorum edictis, ac perquisitionibus, quibus identidem ecclesia conflictabatur. Neque deerunt fortasse, qui ob eam causam universa S. Domnii Acta in suspicionem vocent, nec digna esse putent, quibus fides adhibeatur. Est enim quoddam genus hominum adeo emuncta naris, ut cum singula lente ac fastidiose probent, tum si quid forte vitii videantur sibi deprehendisse, omnia statim abjudicent,

Digitized by Google

cent, atque rejiciant. Quid facias istis hominibus, quibus nihil persuadere possis, nisi quod ipsis arrideat? quosque ita comparatos invenias, ut non dubitent vel probatissima ecclesiæ monumenta explodere, si quid in illis ab suis opinionibus discrepet. Quare ne qua lectorum animis hac de re suspicio, aut dubitatio resideat, paulo altius ordienda res est, ut simul & publicus omnibusque expositus templi Salonitani usus, & Acta S. Domnii, unde id colligitur, ab omni calumnia vindicentur.

Ædes sacræ a Christianis primævis conditæ, & frequentatæ,

Atque illud in primis inter omnes constare arbitror, jam usque a principio ecclesiæ moris fuisse Christianorum, ut loca quædam in singulis civitatibus oppidisque rei divinæ faciendæ addicerent, Deique immortalis nomine ac religione consecrarent; quæ quidem loca ex eo ecclesiæ dici jam inde antiquitus cœperunt, quod illuc Christiani statis horis ac diebus ad sacra mysteria celebranda convocari solerent: cui sane rei testimonio esse possunt Imperatorum decreta, in quibus nominatim cautum erat, ne Christianis hetærias seu conventus agere, neve in unum locum coire ad officia religionis obeunda liceret. Cum primum quidem Evangelium promulgari cœpit, Christianorum templa, ut conjectari fas est, privatis ferme occultisque ædibus continebantur; sed cum paullatim res Christiana melior in dies & auctior ubique fieret, e latebris ac tenebris in solem ac publicum religio processit; & ubi aliquid pacis, sive induciarum nacta esset, in mediis urbibus in re conspectuque omnium sua sibi templa construebat; quamquam redintegrato identidem bello in cryptas iterum se abdere, & privatorum parietum latibulis se tegere cogebatur. Certe publicus erat, Lampridio teste, locus ille, de cujus possessione Caupones litem Christianis intenderant, quemque Alexander Severus Christianis adjudicavit eam ob causam, quod duceret satius esse illic Deum quoquo ritu ac religione coli, quam ibidem compotationibus & comessationibus operam dari. Huc pertinent, quæ in epitome Baroniana leguntur ad an. 245. *Fabianus Papa multa ædificia fieri in cæmeteriis jussit, quæ enim subtus terram latebant in cryptis arenariis sepulchra martyrum, erectis desuper ædificiis reddita sunt clara & conspicua. Idem tum fecerunt in provinciis alii Episcopi, qui immenso civium suorum ad fidem converso numero, nobiles erexerunt ecclesias, universo populo fideli pecuniam & operam conferente.* Præterea Eusebius bonus imprimis auctor scribit, cum longe ante imperium Diocletiani eo crevisset Christianorum multitudo, tantique concursus festis præcipue diebus ad templa fierent, ut nulla ædes, quamvis ampla, concioni frequentissimæ recipiendæ idonea foret, *antiquas orationum Domos* laxari cœpisse, atque in eam amplitudinem explicari, ut publicorum ædificiorum speciem quamdam ac similitudinem præferrent; quas quidem Christiani luce palam, nemine prohibente, frequentabant. Cum vero Diocletianus imperare occœpit, nulla provincia, ut tradit Eusebius, nulla civitas erat, quin esset Christianorum referta; quibus proinde & templa in publico habere, & inspectante populo magna frequentia celebrare libere etiam, non modo impune licebat. Id adeo cognosci potest ex Nicomediensi Christianorum templo. Erat Nicomedia urbs temporibus illis & magnitudine amplissima, & incolarum numero frequentissima, ubi Diocletianus domicilium ac sedem Imperii collocaverat; idque moliebatur omni ope atque opera, quemadmodum docet Lactantius De mortibus persec. ut eam ædificiorum magnificentia, divitiarum copia, civium multitudine Romanæ urbi æquaret. Porro in hac civitate, ut auctor est idem Lactantius, Christiani templum obtinebant, non illud quidem abditum remotumque ab hominum coëtu, sed omnium oculis expositum, idemque *editissimum*, quod subjectis circum domibus imminebat, quodque ex omni parte, atque adeo ex ipsomet Diocletiani palatio conspici poterat. Ex quo conjecturam fieri velim, quanto plus in aliis urbibus liceret Christianis, qui quo magis aberant ab Imperatorum oculis ac præsentia, eo minus offensioni ac periculo patebant.

primo privatis & occultis,

deinde publicis in locis.

Usus per antiquos templorum publicorum exemplis illustratur.

Verum, inquiet aliquis, non negant isti publica templa a Christianis frequentari cœpisse post Imperium Alexandri Severi anno ferme trigesimo tertii sæculi; at hujusmodi templa Christianis in usu fuisse ante Severum, id vero pernegant. Equidem non video, quid interfit inter ea tempora, quæ præcesserunt, & ea, quæ consecuta sunt imperium Severi, ut publica habere templa Christianis licuerit post Severi ætatem, antea non item. Nam a prima Neronis persecutione usque ad Constantinum Magnum nusquam ecclesia ab omni metu quievit, nusquam Christianis nisi per intervalla otiosis omnino, & pacatis esse licuit. Annis amplius trecentis ecclesia sub Ethnicis Imperatoribus inter temporum varietates, rerumque vicissitudines versata, inter spem metumque adolevit. Gravissimis bellis, quibus sæpissime urgebatur, induciæ quidem interpositæ pauxillum moræ quietisque afferebant, numquam vero ante Constantinum pax certa finem attulit, quæ stabilis, quæ tranquilla, quæ diuturna esset, quæ nihil metus, nihil periculi, nihil insidiarum haberet. Si quis autem cum primo & altero ecclesiæ sæculo tertium conferat, is profecto ita constituet, nihilo mitiores, immo etiam immaniores fuisse, qui post Severum, quam qui ante illius imperium ecclesiam exagitarunt. Hæc siquidem ætas ab Severo proxima tulit Maximinos, Decios, Diocletianos, Galerios, qui crudelitate & barbarie, sitique insatiabili Christiani sanguinis Nerones & Domitianos, cæterosque ecclesiæ hostes non æquarunt modo, sed etiam superarunt. Nec solum posterioribus hisce, sed multo plures superioribus illis temporibus, boni identidem malis Imperatoribus interjecti fuerant; quorum quidem aliqui adeo nihil acerbitatis odiique adversus Christianos exprompsere, ut iis etiam favisse videantur; quamvis a magistratuum rabie, & populari furore nihil uspiam satis tutum esset Christianis. Adde, quod ecclesia intra nonagesimum ferme annum, quam Alexander Severus obierat, totidem fere persecutiones sustinuit, quot antea ducentorum annorum spatio pertulerat. Jam vero pervelim scire, quidnam causæ isti afferant, cur post Severum, quamquam urgentibus adhuc, & vel acerrime in nos sævientibus Imperatoribus, potuerint tamen Christiani publica templa ædificare; antea vero non potuerint, cum vel mitiori, vel certe nihilo deteriori fortuna utebantur? Nam ut omittam, quæ præteriere post Domnium Salonitanum Episcopum constitutum tempora; a prima persecutione Neronis interitu restincta ad alterem Domitiani jussu excitatam anni ferme tredecim numerantur, quo temporis intervallo res Christiana mirifice aucta prosperum sine ulla fere offensione cursum tenuit. Nihil adversus Christianos Galba, nihil Otho, nihil Vitellius statuit, nullum a Vespasiano, nullum a Tito periculum ecclesiæ fuit; quæ cum tempestate adeo propitia, pacatisque sibi Imperatoribus uteretur, tam longe lateque fines suos protulit, ut nulla propemodum esset regio tam longinqua, tam barbara, tam inhospitalis, quo

Si Christianis tertio sæculo licuit habere templa publica,

cur ante non licuit?

Status ecclesiæ ab interitu Neronis usque ad Domitianum.

non

non Chriſti nomen & Evangelium pervaſerit. Cujus quidem rei locupletiſſimum teſtem habeo Firmianum Lactantium, qui cap. 3. de mortibus perſecutorum, cum de illa ætate loqueretur, hæc ſcripſit: *Eccleſia temporibus, quibus multi & boni Principes Romani Imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus paſſa, manus ſuas in Orientem Occidentemque porrexit, ut jam nullus eſſet terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetraſſet.* Quæ quidem verba, quamvis ad ea tempora referat Lactantius, quæ poſt Domitianum conſecuta ſunt, multo magis tamen, veriuſque congruunt cum annis illis Neronem Domitianumque interjectis, ad quos potiſſimum pertinent, quæ Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 3. c. 18. de ſtatu florentiſſimo rei Chriſtianæ ſcripſit: *Intantum vero per idem tempus fidei noſtræ inſtituta florebant, ut etiam nonnulli alieni a religione noſtra Scriptores hiſtoriarum ſuarum tradiderint vel de perſecutionibus, vel de martyribus illius temporis;* quod poſtea ſcilicet, imperante Domitiano, eccleſiæ pacem interturbavit. Quin igitur per ea tempora Chriſtianis licuerit tum Salonæ, tum alibi religionem libere aperteque profiteri, ac proinde ſacras etiam ædes propalam habere, in quibus caute quidem, foribus obductis, fidenter tamen tranquilleque rebus divinis vacarent? Cur ii prohiberentur Chriſtianæ religionis officia luce ac palam colere, quos nemo ex publica auctoritate vetare poterat, quominus Chriſtiani fierent? Præterea tertio vertente ſæculo, Chriſtianorum numerus mirum in modum ubique auctus cauſa fuit, Euſebio teſte, ut Chriſtiani veterum templorum ædificia latius explicarent. Eadem igitur de cauſa intra finem primi ſæculi neceſſe fuit publica templa, eademque ſatis ampla excitari, cum uſque eo creviſſet Chriſtianorum multitudo, quemadmodum diximus, ut nullius privatæ domus, aut cryptæ ſubterraneæ anguſtiis contineri poſſet. Quæ quidem omnia ad ſecundum itidem ſæculum referri poſſunt; ex quo fit, ut fere jam inde a principio Chriſtiani nominis, numquam religio noſtra ſacris publiciſque ædibus caruerit; niſi quod identidem, cum perſecutiones ingruerent, publicorum templorum uſu adituque prohiberi ſolebant Chriſtiani, & ſe in latebras & cryptas recipere cogebantur. Cui quidem rei illud etiam argumento eſſe poteſt, quod Euſebius *Orationum Domos*, quas ante Imperium Diocletiani ob auctum Chriſtianorum numerum laxari oportuit, quæque in publico poſitæ fuiſſe videntur, appellavit *Antiquas*; ex quo colligitur ejuſmodi Domos multo ante, quam Severus imperaret, conditas fuiſſe, cum ab Severo ad Dioeletianum ne quinquaginta quidem anni interceſſerint; quod quidem temporis ſpatium brevius videtur eſſe, quam ut ex eo ædificia denominari poſſint *Antiqua*. Ac Romæ quidem templa Chriſtianorum, ſive eccleſias, ſi minus a fundamentis erectas, certe in ædibus vel ſponte ad divinum cultum ab aliquo collatis, vel æræ communi coemptis conditas, eatenus ſaltem publicas fuiſſe jam a principio nominis Chriſtiani, ut earum notitia fere neminem ſubterfugeret, nec regiones, locive in vulgus ignoti eſſent, quo religionis cauſa convenire Chriſtiani ſolebant, ex antiquis monumentis & Scriptoribus facile perſpici poteſt. Auctor Martyrologii Hieronymiani, Beda, Notkerus, Rabanus docent primam in Urbe eccleſiam & conſtructam & conſeeratam fuiſſe a B. Petro Apoſtolorum principe, hujuſque dedicationis anniverſariam commemorationem Kalendis Auguſti ſubjiciunt. Franciſcus Florentinius Diſſert. XII. ad Kal. Aug. exiſtimat hanc eccleſiam in Exquiliis prope a Palatio Cæſariano ædificatam fuiſſe, & hunc locum a Petro ſapienter delectum ait, *ubi ex populorum, & nobilium frequentia in plebem Evangelium facilius diffunderetur. In Exquilino enim colle nobiliorum plurimæ ædes, & ad ejus radices ex Patricia gente illum inhabitante, nuncupatus Patricius Vicus erat.* Quî autem fieri poterat, ut hæc eccleſia, cujus ædificationem vel ad tempora Claudii, cum Petrus primum Romam venit, vel ad initium Neroniani Imperii Chriſtianis innoxii referri licet, in ampliſſimo ac celeberrimo urbis loco poſita, communem vulgaremque notitiam falleret? Hieronymus ad eum locum epiſtolæ Pauli ad Philemonem: *Simul autem & para mihi hoſpitium*, hanc notam appoſuit, & quale hoſpitium, quove in loco ſibi adornari cuperet, his verbis explicavit: *Venturus ad Romanam civitatem, prædicaturus Crucifixum, & inaudita dogmata delaturus, ſciebat ad ſe plurimos concurſuros, & neceſſe erat primum, ut domus eſſet in celebri urbis loco, ad quam facile convenirent, deinde ab omni importunitate vacua, & ampla, quæ plurimos caperet audientium, nec proxima ſpectaculorum locis, nec turpi vicinia deteſtabilis.* At celebritas loci ac frequentia, ingenteſque ex omni urbis parte illuc adeuntium concurſus, hoſpitium illud, quod ſibi Paullus ad Evangelium explicandum, remque divinam faciendam apparari juſſerat, obvium omnibus, expoſitum, & manifeſtum reddebat. Quid quod ipſa Ethnicorum delubra, quæ in aperto ac propatulo loco erant, a Chriſtianis, ut ea ad cultum divinum converterent, conducta, ſeu potius empta fuiſſe haud obſcure ſignificat Juvenalis, qui quamvis ſub Trajano ſcripſit, plerumque tamen Neroniani temporis res geſtas libertate ſatyrica perſtrinxit:

Delubra Ethnicorum in eccleſias converſa.

Nunc ſacri Fontis nemus, & delubra locantur
Judæis; quorum cophinus, fœnumque ſupellex.

Judæorum autem nomine Chriſtianos initio naſcentis Romanæ eccleſiæ comprehenſos fuiſſe & docet Svetonius, & omnes eruditi norunt. Petrus autem non modo apud Tiberim, quod tradit Tertullianus, ſed etiam in Aventino ad fontes Faunorum, ad quos alludere videtur Juvenalis, catechumenos baptizabat, id quod Vetus traditio confirmat, in æde S. Priſcæ marmori inſculpta, & conſignata diſtichis omnino quatuor, quorum duo poſtrema huic loco attexere libet:

Nam Petrus id colnit, populos dum ſæpe doceret,
Dum faceret magno ſacraque ſæpe Deo.
Dum quos Faunorum fontis deceperat error,
Hic melius ſacra purificaret aqua.

Ex his facile colligere poſſumus Romæ ante Alexandrum Severum, atque adeo ipſomet imperante Claudio, ante quam ſcilicet Chriſtianos pariter atque Judæos urbe expelleret, Chriſtianis non defuiſſe publica templa, ideſt vel in publicis locis conſtructa, vel certe cognitioni publicæ ſubjecta, cum ſcilicet nemo Chriſtianis negotium faceſſeret, ac nemini fraudi eſſet aut noxæ, Chriſtianam religionem ſuſcipere ac profiteri. Præclare in noſtram ſententiam Baronius ad an. 57. n. 111. *Nam & nos utique dicimus caruiſſe Chriſtianos crebro perſecutionibus agitatos Templis illis inſtar Fanorum Gentilium, vel templi Judaici: temporum enim ratio id minus poſſe fieri permittebat: cum clanculum ſæpius, ſive in privatis domibus, ſive interdum in cryptis (ut docent fidelia Sanctorum martyrum Acta) eos oportuit convenire: quibus ceſſantibus, habuiſſe eos loca publica, quo æque omnes convenirent, citata a nobis nuper Principum reſcripta teſtantur; quæ tamen non dicebantur templa, ſed more majorum & Paulli exem-*

Numquam fere Chriſtiani publicis templis caruerunt, niſi ſi qua ingrueret perſecutio.

Romæ eccleſiis ferme publicis Chriſtianos uſos eſſe probabile eſt.

exemplo, nominabantur eccleſiæ, tunc inſtar domorum potius, quam templorum. Quod ſi pacatis propitiiſque temporibus Romæ, in urbe totius ſuperſtitionis principe, Imperatoribus ac Magiſtratibus non invitis, licebat Chriſtianis condere atque habere publicas hujuſmodi eccleſias, ſane non video, cur idem eiſdem non licuerit Salonæ, qua in civitate ab oculis auribuſque Imperatorum procul ſemoti, liberius ac tutius divinis rebus ac myſteriis operam dare potuerunt. Nec vero Decretum Trajani, quo is generatim clandeſtinos conventus fieri vetabat, Chriſtianos idcirco potiſſimum feriebat, quod illi occultis tantum abditiſque locis ad conveniendum uterentur; ſed quia apud illos maxime ea conſuetudo vigebat, ut cum aliquid calamitatis aut periculi vel a Magiſtratibus, vel a plebe Idolorum inſaniæ dedita imminebat, ad ſacra myſteria celebranda in latebras atque cryptas coirent; id autem argumento eſt eos, cum ab hoſtibus quies eſſet ac tranquillitas, haud veritos fuiſſe in luce verſari, & palam ante oculos omnium ad conſueta loca ſtatis diebus confluere, quæ ad rem divinam faciendam, ac cætera religionis officia obeunda conſtruxerant, Deoque conſecraverant.

Si Chriſtianis Romæ habere licuit templa publica, multo magis Salonæ.

antiqua Chriſtianorum templa fere vulgaris ſtructuræ.

Haud tamen auſim dicere hujuſmodi templa, quamvis publica, ubique fuiſſe ingenti mole cultuque magnifico exſtructa. Veriſimilius arbitror ab initio Chriſtianos contentos fuiſſe templis admodum paucis, iiſdemque magnitudine mediocri, opere tenui vulgarique; ſeu ne offenſionis invidiæque materiam Ethnicis præberent; ſive quod non ubique Chriſtiani iis copiis atque opibus abundarent, ut ad ſacrarum ædium amplitudinem ac magnificentiam ſatis pecuniæ contribuere poſſent. Hinc conjicio vulgaria quædam & anguſta ædificia plerumque fuiſſe, quæ Veteres *Oratoria*, *Memorias*, *Titulos* vocabant, quæque ſanctorum Martyrum ſepulchris imponebant; cujuſmodi fuiſſe arbitror, quę Anacletus quintus a S. Petro Romanus Pontifex in urbe excitavit. Cæterum haud negaverim in illis civitatibus, in quibus copia & facultas ad id ſuppeteret, ædificata eſſe templa mole ornatuque haud ſane contemnendo, quale fuiſſe templum Salonitanum infra oſtendemus. Hęc eo dixi, ne quis ſacram ædem a B. Domnio exſtructam in dubium aut controverſiam adduceret, propterea quod non in privatis domiciliis retruſam atque abditam, ſed in aperto ac propatulo loco poſitam fuiſſe diximus, idque ex Actis ejuſdem S. Domnii collegimus; perinde quaſi nulli fuerint in primæva eccleſia certi ac definiti loci, iidemque publici, quibus Chriſtiani ad ſacros conventus celebrandos, ac divina myſteria ſuſcipienda uterentur; quod quidem tam longe abeſt a veritate, ut ſi quis plura in hanc rem teſtimonia & argumenta proferre velit, mihi quidem videatur rem minime dubiam, argumentando dubiam facere.

§. IV.

Titulus S. Mariæ Salonitano templo impoſitus propugnatur & illuſtratur.

Convenit inter omnes, qui Acta S. Domnii memoriæ ac litteris prodiderunt, Salonitanam ædem ab eodem exſtructam, S. Mariæ titulo inſcriptam fuiſſe, ut ex eorum teſtimoniis ſupra prolatis ſatis ſuperque conſtat. Neque vero Salonitanum templum idcirco mihi in ſuſpicionem vocaveris, quod Deo in honorem Deiparæ Virginis dedicatum fuerit, quaſi vero hujuſmodi dedicatio a primi ſæculi conſuetudine abhorreret. Non deſunt Auctores graves in primis ac nobiles, qui tradant haud paucas ædes B. Virginis adhuc viventis nomine & auſpiciis conſecrari cœpiſſe. Nihil enim prohibet religioſo cultu, templiſque, dum adhuc viveret, dignam habitam fuiſſe, quam Deus tot tamque mirificis muneribus ac privilegiis cumulaverat, ut infra Deum, nihil ea majus, nihil ſanctius, nihil, ut ita dicam, divinius eſſet. Si quis hac de re plura cupiat, adeat Petrum Curcierum, qui in Opuſculo, quod inſcripſit: *Negotium ſæculorum Majia*, multis argumentis, & graviſſimorum ſcriptorum auctoritate innixus, contendit ſanctiſſimam Dei parentem, quamvis nondum mortali vita exemptam, dignam tamen fuiſſe, quæ & ſacrarum ædium dedicatione, & aliis honorariæ pietatis officiis coleretur. Plura in hanc rem exempla proferre poſſem, niſi proſpicerem cum illis mihi rem fore, quibus nihil magis in promptu eſt, quam præciſe negare, quidquid ſuis opinionibus adverſatur, ſic ut ab iis, quas ſemel animo imbiberint ſententias, ne veterrimis quidem eccleſiarum traditionibus dimoveri poſſint. Cæterum hujuſce adverſus ſanctiſſimam Virginem adhuc ſuperſtitem religionis auctores fuiſſe ipſos Apoſtolorum Principes tradunt. Natalem B. Virginis domum in oppido Nazaretho ab Apoſtolis, antequam ſcilicet ex Judæa in ſuas quiſque provincias diſcederent, rite conſecratam ferunt. Petrus etiam in Syria ædiculam B. Virgini nondum e vivis digreſſæ nomine inſcripſit, riteque conſecravit, ut auctor eſt Guillelmus Tyri Archiepiſcopus lib. XII. de Bello Sacro apud Beyerlinck litt. M pag. 230. Huc adde Jacobum Cardinalem Vitriacum, qui lib. II. cap. 14. de Hiſtoria Orientis hæc ſcribit: *Ad civitatem quoque Calaritanam appellens* (Petrus) *templum ibidem in honorem B. M. Virginis ſuperſtitis ædificavit.* Adde etiam, ut omittam cæteros, Dionyſium Bonifacium, qui *in Triumpho SS. Virginis* idem multis exemplis gravibuſque rationibus confirmat. Neque ſane intelligo, cur aliqui tam fidenter rejiciant, & fabulę loco habeant, quod multarum ætatum conſenſu firmatum eſt, ac totius Hiſpaniæ ſermonibus ac litteris celebratur, videlicet Jacobum Apoſtolum profectum in eam regionem Evangelii propagandi cauſa, Deiparæ Virgini adhuc viventi templum atque aram in Gallecia poſuiſſe; quod quidem etiamnum extat, & ejus vetuſtatis fidem facit, locique religionem mirifice auget incredibilis tum votorum copia, tum ex univerſa Europa peregre viſentium frequentia. Sed hac de re in Hiſtoria Sirmienſis eccleſiæ fuſius & accuratius.

Ædes ſacræ Deiparæ Virginis, dum viveret, condi cœptæ.

Verum enimvero ut Deiparæ Virginis titulum Salonitanæ ædi impoſitum propugnem, neceſſe non eſt inde uſque ab ætate Virginis nondum defunctæ, antiquiſſimæ hujus, religioſæque conſuetudinis exempla repetere. Nam ab ejuſdem obitu tredecim minimum anni interceſſerant, cum Domnius Salonitanum Pontificatum accepit; etenim qui ejus vitam longius producunt, eam e vivis migraſſe tradunt anno æræ vulgaris quinquageſimo ſexto. Jam vero poſt Virginis ex hoc mundo diſceſſum, eamdemque in cœlum ſublatam, quæ res, quæve cauſa Chriſtianorum pietati ac religioni morum & impedimentum afferre potuit, quominus ſtatim eidem templa, aras, ſolemneſque honores ex præſcripto Chriſtianæ religionis decernerent? Primęvæ eccleſiæ id moris fuiſſe, ut plurima ubique in honorem cultumque Martyrum ſacra monumenta excitarent, nemo opinor inficiabitur, niſi qui veterrimis quibuſque, iiſdemque ſanctiſſimis traditionibus nefarium bellum indixerit. Quis enim tam ignarus ac rudis in Eccleſiaſtica Hiſtoria eſſe poteſt, quin ſciat

Poſt Deiparam ab ſuperos translatam,

nulla erat ſa excogitari poteſt, cur in ejus honorem templa conſecrari non potuerint.

anti-

antiquiſſima conſuetudine receptum & ſancitum eſſe, ut ad colendam celebrandamque martyrum memoriam & altaria eorum tumulis impoſita erigerentur, & templa eorum nomine appellata ædificarentur; quæ quidem ex eo *memoriæ* appellari ſolebant, ut Auguſtinus auctor eſt, idemque loculentiſſimus teſtis, qui hac appellatione ſæpiſſime utitur. *Nos*, inquit, *Martyribus noſtris non templa ſicuti Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus.* Et lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat & ad exeitandam imitationem, & ut eorum meritis conſocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen ut nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, conſtituamus altaria.* Qua in re nihil ab Auguſtino diſcrepat hodierna Cœlites colendi conſuetudo: neque enim uſque adeo deſipimus, ut divis ac divorum Reginæ templa & altaria vere proprieque dicari poſſe exiſtimemus, quæ quidem uni Deo in honorem Dei parentis, ſeu Divorum conſecrari oportere dicimus; quamquam ad id ſignificandum minus aptis fortaſſe vocabulis interdum abutimur ex vulgi conſuetudine jamdudum recepta; parum enim refert, quibus quidque verbis exprimas, modo quid ſentias, docti pariter, indoctique intelligant: quare nulla poteſt eſſe hac in re, niſi de modo loquendi controverſia. Jam vero ad propoſitum revertamur. Hujus itaque honorificæ piæque adverſus martyres conſuetudinis ad nos uſque propagatæ initium cum infra ætatem Apoſtolorum reperiri nequeat, omnemque ſæculorum Chriſtianorum memoriam antecedat, conſequens eſt illud ad tempora atque inſtituta Apoſtolica referri oportere. Scio equidem ab initio nullos alios quamvis eximia ſanctitate præditos, præter martyres, dignos habitos eſſe, quibus ſolemnes publicique honores decernerentur; ac proinde quos nunc vulgo appellamus Confeſſores, nullo tum religionis officio cultuque impertiri ſolitos fuiſſe. Quid igitur? An erit quiſquam, qui neget Virginis colendæ venerandæque conſuetudinem a primis eccleſiæ temporibus repetendam eſſe, propterea quod neque mortem, neque ulla ſupplicia Religionis tuendæ retinendæque cauſa pertulerit? quaſi vero quam præpotens Deus cœleſtium donorum copia, & ſingulari divinaque dignitate, Patriarchis, Apoſtolis, Martyribus, diviſque omnibus longe multumque antecedere voluit, eamdem eccleſia ne martyribus quidem, honorario illo cultu rituque, equiparandam putaverit. Si lege etiam eccleſiaſtica, non conſuetudine ſolum, vetitum fuiſſet, ne cui, niſi martyrii laudem adepto, religioſi cultus adhiberentur; nonne oportuiſſet communi hac lege illam eximi, quæ juris omnis divini humanique arbitrum peperit, & Dei Mater eſſe dicique meruerat?

Beata Virgo, quamvis Martyr non fuerit,

Quæ cum ita ſint, ſi Chriſtianorum adverſus Sanctos Martyres pietas ac religio eumdem ferme, atque eccleſia ortum habuit, & una pariter cum eccleſia adolevit; quid eſt, cur dubitemus, utrum ſanctiſſimæ Dei parenti eumdem, immo longe majorem cultum honoremque primæva eccleſia detulerit, & ſacras quoque ædes ad eam colendam venerandamque Deo Optimo Maximo dicaverit, præſertim cum totius eccleſiæ erga ſacroſanctam Dei Matrem religionem, quod veterrima ſit, quod altiſſimis ſit defixa radicibus, cernamus per tot jam ſæcula auctiorem in dies fieri celebrioremque. Tantum igitur abeſt, ut primi ſæculi conſuetudo ædi Salonitanæ Virginis titulo conſecratæ officiat, ut potius eidem ſuffragetur, mirificeque faveat. Sed cum hæc minus ferme probentur, cum ſine appoſitione exemplorum lentius diſputantur, multa ſane habeo, quæ proferam, eaſdemque ex auctoribus non contemnendis deprompta.

templa tamen ſuo nomine conſecrata obtinuit.

Melchior Inchofferius, ubi ſcripſit de Mariæ Virginis epiſtola ad Meſſanenſes, quam tamen plerique commentitiam putant, accurate docet probatque, neminem fere Apoſtolorum fuiſſe, quin poſt Deiparam in Cœlum aſſumptam, aliquod eidem ſacellum honoris cauſa in ſua quiſque provincia excitaverit. Apoſtolorum inde auctoritas apud Diſcipulos valuit, eos præſertim, qui ab ipſis Apoſtolorum principibus Petro Paulloque Chriſtianæ fidei diſciplinam, & ſcilicet honorandæ colendæque Virginis exemplum acceperant. Itaque ad ejus gloriam augendam, opemque implorandam ſacras ædes condiderunt Evodius Antiochiæ, Aſprenus Neapoli, Brittius Spoleti, Paullinus Lucæ, Proſdocimus Paravii, Apollinaris Ravennæ, Hermagoras Aquilejæ, Maximinus in Britannia, Maternus in Germania; in Gallia vero Sabinianus, Potentianus, Georgius, Martialis, Trophimus, Fronto, Altinus, Urſinus, aliique illuc a B. Petro, ut ferunt, Evangelii cauſa miſſi; quamvis non deſunt, qui putant aliquanto ſerius Chriſtianam Religionem in Gallias invectam fuiſſe. Ex his quidem exemplis unum alterumve in dubium revocari poſſe facile conceſſerim; omnia vero falſa eſſe & commentitia, nemo prudens & cordatus, ut credat, aut ſuſpicetur, adduci poterit; præſertim cum non recenti vulgi rumore, incertaque opinione nitantur, ſed antiqua traditione fulciantur, aut veterrimis illarum eccleſiarum monumentis contineantur, quorum de auctoritate & fide dubitandum eſſe non videtur, cum ea plurimi ſapientiſſimique viri probaverint, & laudaverint; indeque ad hanc rem confirmandam teſtimonia ſumpſerint. Hujuſmodi auctores recenſent Ughellius, Maraccius, Curcierus, Beyerlink, Sammarthani, Inchofferius; apud quos ea ſapientia & gravitate viros citatos invenies, ut qui eos inſcitiæ vel nimiæ credulitatis arguerit, is prudentum reprehenſionem vitare nequeat.

Plura variis in locis templa B. Virgini condita tradantur a Diſcipulis Apoſtolorum.

Cum igitur conſtet jam inde a primo eccleſiæ ſæculo multa ubique templa Deo in honorem ſanctiſſimæ Dei parentis dedicata eſſe, & hujuſmodi dedicationis auctores fuiſſe Apoſtolos eorumque Diſcipulos, qui ingenti eam honore coluerunt, & ab aliis pari religione cultam voluerunt; quid eſt, cur ex æde Salonitana ejuſdem Virginis titulum expungi oporteat? perinde ac ſi a primæva eccleſiæ inſtitutis id abhorreret, quod Apoſtoli virique Apoſtolici in eccleſiæ morem & conſuetudinem invexerunt. Quin immo auctoritas & exemplum eorum, e quibus alii magiſtri, alii condiſcipuli S. Domnii fuerunt, magno ſane incitamento huic eſſe debuit, ut ipſe quoque mortalium pariter ac Cœlitum Reginam præcipua quadam veneratione proſequeretur, & primum eccleſiæ Salonitanæ templum ejuſdem nomine & patrocinio conſecraret; ſive ut ſuæ erga illam pietatis ac religionis perenne ad poſteros monumentum tranſmitteret; ſive ut ſtatim ab initio ſummam adverſus eamdem & venerationem & fiduciam Neophytorum animis inſereret, penituſque defigeret. Satis igitur probatum eſſe arbitror & publicum fuiſſe, & Virginis Deiparæ titulo inſcriptum templum Salonitanum, quod B. Domnius paucis annis poſt initum Pontificatum ædificavit. Nunc de illius amplitudine, ornatuque egregio pauca dicamus.

§. V.

De magnitudine atque ornatu templi Salonitani.

Multitudo pagana Christianorum Salonæ, ex quibus multi nobiles, & opulenti.

DUo in primis hoc loco ſtabilienda eſſe arbitror; primum quidem hujuſce templi ædificandi eam præcipue cauſam fuiſſe, quod Salonitana eccleſia mirum in modum aucta & propagata, ingens ſane, quo capi poſſet, ſpatium locumve requireret; alterum vero multos ex illis, qui in eccleſiam nomen dederant, ab re familiari præclare inſtructos, fortuniſque maximis præditos fuiſſe; quod conjectari licet ex ipſamet urbis celebritate atque opulentia, quæ quidem temporibus illis, cum propter ſitum opportunitatemque ampliſſimi portus commercio maritimiſque quæſtibus floreret, opulentiſſimum idemque frequentiſſimum totius Dalmatiæ emporium habebatur. Ex quibus ſequitur, ut neceſſe fuerit templum ædificare pro multitudine Chriſtianorum ſatis amplum capaxque; neque Salonitanis defuerit pecuniæ quod ſatis eſſet ad ejus templi molitionem ornatumque.

Magnitudo templi Salonis exſtructi.

Ergo ingens areæ ſpatium ad eam rem vel pecunia coemptum eſt, vel a piis hominibus, in quorum ditione erat, ſponte oblatum; diſturbatiſque, ſi quæ forte ædificationi oberant, privatis ædibus, templum publico ære a fundamentis exſtructum fuit, non humile illud quidem, & pro modulo privati cujuſdam ſacelli, quod ad eos tantum excipiendos idoneum eſſet, qui ex una alterave civitatis regione confluerent, ſed longe lateque porrectum, quo ſcilicet capi continerive poſſet, quicquid Chriſtianorum ſive in urbe degeret, ſive ſuburbia & agros circumjacentes incoleret. Nam initio neque Salonæ, neque in vicis oppidiſve circa Salonam alius locus erat præter ædem Cathedralem, ubi res divinæ fierent, ſacriſque myſteriis Chriſtiani interirentur. Id S. Juſtini Martyris teſtimonio Apolog. 2. confirmari poteſt: *Die Solis* (ideſt Dominico) *omnium, qui in urbibus vel in agris degunt, in eumdem locum fit conventus &c. Præpoſitus preces, & Euchariſtias facit &c. Diſtributio fit cuique præſenti, abſentibus per Diaconos mittitur*. Quocirca, ut præclare docet Ludovicus Thomaſinus eccleſiaſticæ antiquitatis diligentiſſimus inveſtigator, p. 1. lib. 2. cap. 21. ſatis conſtat trium priorum ſæculorum moris fuiſſe, ut unum ferme in ſingulis civitatibus templum eſſet, unum altare, unum ſacrificium, ad quod ſolemnibus ac ſtatis diebus ex omnibus urbis partibus, agriſque circumjectis Chriſtiani ad divina myſteria percipienda convenirent.

Elegantia, & magnificentia.

Salonitani templi magnitudini operis elegantia, cultuſque magnificentia reſpondet, nam *pulcherrimo opere conſtructum* fuiſſe primæ & quartæ vitæ auctores teſtantur: ex quo intelligi poteſt Salonitanorum in novo templo non ſolum condendo, ſed etiam ornando religionem ac munificentiam enituiſſe. Cum Salonitani ea tempeſtate, ut diximus, copiis opibuſque abunderent, illud ſatis veriſimile eſt, ut ingentem pecuniarum vim ad templi ædificationem atque ornatum pro ſua quiſque parte ultro alacriterque contulerint. Fuit enim is fervor, hæc alacritas primorum Chriſtianorum vel maxime propria, ut ubi de ſacrarum ædium ornamentis, divinique cultus magnificentia ac ſplendore ageretur, nullis neque laboribus, neque ſumptibus parcerent; quod Joannes Gabriel Biſciola in Epitome Baroniana confirmat ad an. 245. *Idem*, inquit, *fecerunt in provinciis alii Epiſcopi; & inter alios Gregorius Thaumaturgus immenſo civium ſuorum ad fidem converſo numero nobilem erexit eccleſiam, univerſo fideli populo pecuniam & operam conferente*. Hinc Chriſtianorum templa auro argentoque nitentia, ut ipſemet Lucianus auctor eſt in Pſeudomante, religionis cæteroquin deſertor idemque acerrimus impugnator: hinc ad uſum ſacrificii, aræque ornatum vaſa quamplurima ex auro ſolidoque argento, eximia magnitudine ac ſpecie, magnificiſque operibus cælata: hinc ſacra ſupellex lauta inprimis & copioſa, veſteſque ingentis pretii, præclarique operis, quibus Epiſcopus, cum ſacris operabatur, reique divinæ adminiſtri uterentur: hinc denique tanta ſacri ærarii copia, & opulentia, ut ex eo tum ad Sacerdotes alendos, tum ad ſuſtentandam egenorum inopiam abunde pecuniarum ſuppeteret. Quare magna erat Ethnicorum opinio de theſauris eccleſiæ; quod illorum apud Prudentium querelæ ad conflandam Chriſtianis invidiam jactari ſolitæ ſatis declarant. *Argenteis ſcyphis ferunt fumare ſanguinem .... Libare auro Antiſtites* &c. Felicem Quæſtorem Juliani Apoſtatæ baſilicam Antiochenam ingreſſum, ut eam Imperatoris juſſu diriperet, ubi tam multa, tam magnifice ac pretioſe cælata vaſa conſpexit, tanta cœpit admiratio pariter indignatioque, ut continere ſe non potuerit, quin voces illas emitteret plenas ſtomachi & querelarum: *Ecce quam ſumptuoſis vaſis filio Mariæ miniſtratur*. Rem narrant Chryſoſtomus in orat. contra Gent. Sozomenus lib. 1. cap. 7. Theodoretus lib. 2. cap. 11, aliique. Quapropter ſi quos forte ærarii ſacri Præfectos aut miniſtros Ethnici comprehendiſſent, rati ſcilicet ingentem avaritiæ explendæ materiam ſibi oblatam, eo plus minarum ac ſuppliciorum adhibere ſolebant, quo vehementius illos urgerent, impellerentque ad ſacram pecuniam prodendam; quemadmodum ex Actis S. Laurentii cognoſci licet. De pretioſo ac magnifico veterum templorum ornatu, atque eccleſiarum opulentia vide, quæ Optatus in lib. contra Parmenianum, quæque ſcripſit Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 29. Huc accedit, quod antiquorum Chriſtianorum, ut monet Euſebius lib. 8. cap. 1. ea ſemper fuerit aſſidua, & perpetua cura, vel inter perſecutionum tumultus ac cædes, ut ſacras ædes amplificandi ornandique nullam, ſi quæ oblata eſſet, occaſionem prætermitterent: *Mos*, inquit, *fidelium fuit vel primarum perſecutionum tempore, ſemper cum licuit, eccleſias reſtaurare, quin etiam dirutas ampliare*. Quæ cum ita ſint, nihil cauſæ eſſe video, cur de templi Salonitani magnitudine, ejuſdemque ſtructura eleganti ac magnifica dubitari poſſit.

Opulentia eccleſiæ primitivæ.

Ethnici eccleſiæ theſauris inhiabant.

§. VI.

De ſepulchro S. Domnii in æde S. Mariæ.

QUod curæ operæque ad Salonitanum Virginis Deiparæ templum condendum ornandumque Dominus contulerat, id ut in ipſius conditoris honorem gloriamque redundaret, divinæ providentiæ, ſuperiorumque conſilii fuit. Nam haud ita multis annis ab ejus martyrio elapſis, cives Salonitani ſacras B. Domnii exuvias ex eo loco, ubi ſepulturæ ejus corpus mandatum fuerat, in urbem advectas perquam honorifice condiderunt in eodem templo, quod ipſe beatiſſimæ Virginis nomine ac religione conſecraverat. Hujus rei totidem fere auctores habeo, quot ſcripſere, qui Acta S. Domnii litteris conſignarunt: *Tranſtulerunt illud*, intra muros, ut legitur in quarta vita, *in eccleſiam S. genitricis, & Virginis Mariæ, quam ſuperius a fidelibus memoravimus conſtructam eſſe. Martyris corpus*

Corpus S. Domnii in templi ab eo conditum e ſuburbio illatum.

intra

intra urbem ad eccleſiam Beatæ Mariæ, quam primum poſitam ibi a fidelibus diximus, translatum eſt. Adamus Pariſienſis. *Poſtea non poſt multum temporis corpus hujus B. Martyris, quieſcentibus jam a perſecutione Chriſtianis, in Salonarum urbem eſt translatum, honorificeque conditum in eccleſia jam memorata B. M. Virginis.* Ex legenda Slavonica. *Non multo poſt intra urbem collocatus.* Lucas Gaudentius in lectionibus Breviar. Spalat.

Corpus S. Domnii illic pie honorificeque conditum per annos fere ducentos Salonitani, qua dignum erat, religione ac frequentia coluerunt, antequam ingruente Diocletiani perſecutione alio aſportaretur, ac ſacrilegis hoſtium manibus atque injuriis ſubeſſet. Et hominum in eo colendo venerandoque ſtudia Deus ſibi grata fuiſſe oſtendit; quippe qui ejuſdem ſepulchrum multis illuſtribuſque adornavit miraculis: *ubi Dominus per eum multas virtutes operatus eſt*, ſcriptum reliquit auctor quartæ vitæ. Nullus dubito, quin Salonitani hujuſmodi miracula ad ejus tumulum divinitus edita in publicas illius eccleſiæ tabulas retulerint. Sed hę tabulæ nuſquam extant; ſeu nimia vetuſtate interciderint, ſeu flammis abſumptæ fuerint, eodem prorſus fato, quo multi ſacri codices perierunt ea tempeſtate, cum Dioclerianus publica eccleſiarum tabularia incendi juſſit.

Miracula ad ejus ſepulchrum divinitus edita.

§. VII.

Templi Salonitani everſio ac reſtitutio.

SAlonitanum templum ducenteſimo fere anno, quam conditum fuerat, aut funditus everſum eſt, aut magna ex parte dirutum ex edicto Diocletiani, qui & Chriſtianis teterrimum bellum, & ſacris ædibus incendium ac vaſtitatem indixerat. Sacrilegæ incenſionis initium a templo Nicomedienſi factum cum eſſet, perinde quaſi ea flamma uno tempore, unaque Imperialium litterarum ſignificatione omnes Romani orbis civitates peragraſſet, multa ubique ſanctiſſima Religionis noſtræ monumenta conflagrarunt; eoque veluti ſigno dato, magiſtratuum juſſu, ſatellites immiſſi, qui divinis ædibus faces ſubjicerent. Non eſt autem veriſimile, ut Chriſtianorum hoſtes, quibus omnia referta erant, Salonitano templo pepercerint, igneſque ab eo abſtinuerint, quod æque ac Nicomedienſe, in civitate maxima ac frequentiſſima ſitum erat, idemque non ſecus, atque illud, Ethnicorum oculis furorique expoſitum.

Ex edicto Diocletiani templum Salonitanum conflagravit.

Quod vero teſtatur Adamus Pariſienſis, qui undecimo ſæculo floruit, ædem B. Mariæ ab S. Domnio conditam fuiſſe intactam ab excidio Salonitano, atque adeo extare adhuc, dum hæc ille ſcriberet, id referri oportet ad ædem illam, quam Salonitani poſt pacem eccleſiæ redditam vel reſtauraverant, vel eodem loco, iiſdemque innixam fundamentis iterum excitaverant, quæ quidem captæ a barbaris incenſæque urbi ſuperſtes fuit. Nam Conſtantinus Magnus extinctis Chriſtiani nominis hoſtibus cum certam ac ſtabilem eccleſiæ pacem ubique conſtituiſſet, ſuiſque decretis firmaſſet, publicum templorum uſum ab Diocletiano ademptum Chriſtianis reſtituit, quorum ea prima fuit ac præcipua cura, ut ſacras ædes vel antiquas reficerent, vel novas conderent. Itaque Salonitani nihil moræ interpoſuerunt, quin ſtatim ad collapſam ſanctiſſimæ Dei parentis ædem reſtituendam curas omnes animoſque converterent. Si quid veterum parietum adhuc extabat, id ne demolirentur, ampliſoris templi ædificandi gratia, eorum ſanctitas, & præſertim primi conditoris nomen ac religio vetuit. Igitur antiqui ædificii quod ſupererat, hoc ſancte ac religioſe retento, nova ædes Deiparæ item dicata, in iiſdem, atque antiqua, ſtetit veſtigiis, iiſdemque fundamentis incubuit. Credibile etiam eſt eamdem ſtructuram ac formam religionis ac memoriæ cauſa ſervatam fuiſſe, ut ſcilicet, quoad ejus fieri poſſet, cum antiqua ædes nova congrueret; niſi quod hæc, ut eſt veriſimile, pro ratione meliorum temporum, pluribus ornamentis, operibuſque magnificentioribus abundabat. Quod autem hæc ædes in locum veteris ſubſtituta eſſet, quod eidem ſolo inſiſteret, quod eamdem formam ac ſpeciem præſeferret, quod denique eodem ſanctiſſimæ Virginis titulo inſcriberetur; idcirco Adamus Pariſienſis veterem ac novam eccleſiam unam eamdemque haberi dicique poſſe exiſtimavit; itemque Domnium appellari poſſe tam ſecundæ, quam primæ conditorem, cum utriuſque fundamenta jecerit, & utriuſque in honorem cultumque Virginis dedicandæ auctor fuerit. Hoc tamen inter utramque intereſt, quod in illa depoſitum fuerit corpus S. Domnii, in hac non item. Nam, ut poſtea dicemus, poſt tertiam translationem conditus fuit S. Domnius, una cum S. Anaſtaſio in Sacello, prope novam baſilicam alſo in loco a Salonitanis per ea tempora exſtructam, quæ deinde ædis Cathedralis titulum ac dignitatem obtinuit.

Sub Conſtantino Magno reſtituta.

Thomas Archidiaconus Hiſt. Salonit. cap. 16., quod inſcribitur, *De promotione Laurentii Archiepiſcopi*, meminit cujuſdam templi S. Mariæ, quod Helena Regina proprio ære ſumptuque inter rudera diſperſaſque antiquæ Salonæ macerias ædificare juſſit, ampliſſimiſque vectigalibus inſtruxit, & una cum æde S. Stephani ibidem ab ipſa condita, cujus atrium Principum ſepulturæ deſtinatum erat, Spalatenſis eccleſiæ ditioni ſubjecit. Sed procedente tempore, cum ad templi utriuſque cuſtodiam & procurationem acciti eſſent Monachi ex Benedictina familia, Spalatenſis Archiepiſcopi juriſdictioni templa illa exempta in Monachorum poteſtatem devenerant. Demum undecimo ſæculo in eo Concilio, quod celebratum eſt Nonæ in urbe Epiſcopali Spalatenſis provinciæ, Demetrius cognomento Zuonimirus ſeu Svinimirus Rex Dalmatię atque Chrobatię ędes S. Mariæ itemque S. Stephani reſtitui juſſit eccleſiæ Spalatenſi, unde multis ante annis diſtractæ fuerant. Juvat rem totam ex ipſomet Archidiacono cognoſcere: *His temporibus celebrata fuit Synodus in civitate Nonenſi, ſub Joanne Cardinali Apoſtolicæ ſedis Legato: ubi proclamationem faciente Laurentio Archiepiſcopo, Illuſtris Vir Demetrius cognomento Svinimir Rex Chroatorum reſtituit eccleſiæ S. Domnii eccleſias S. Stephani, & S. Mariæ in Salona cum omnibus earum bonis. Has ſiquidem eccleſias ædificavit & dotavit quædam Helena Regina, donans eas Spalatinæ ſedi jure perpetuo poſſidendas. Quæ ob reverentiam regalium ſepulchrorum conceſſæ fuerant quibuſdam regularibus ad tempus, qui aſſidue in eis officiorum miniſteria exercebant.*

Helena Regina Chrobat. in veteri Salona excita ædem S. Mariæ conſtruxit, & Monachis donavit.

eamdem Demetrius Svinimir reſtituit Archiep. Spalat.

De hac Helena Regina, ejuſque ætate, nihil habeo in præſentia, quod pro certo affirmare poſſim. Aliam eſſe diſtinctamque ab Helena Regina, eademque conjuge Demetrii Regis, qui Salonitanas ædes S. Mariæ, ſanctique Stephani, in poteſtatem Spalatenſis eccleſiæ redire juſſit, nec paullo ætate ſuperiorem fuiſſe ſatis liquet. Ante Demetrium, qui & Zuonimirus, ſeu Svinimirus dictus eſt, quinque omnino fuiſſe invenio, qui cum regali titulo ac poteſtate Chrobatis ac Dalmatis præfuerunt a medio fere decimo ſæculo uſque ad ſæculi inſequentis

Helena Regina, cujus meminit Archidiaconus, quæ fuerit.

annum 75, quo Demetrius regnare occepit; scilicet Cresimirum I. Dirscislavum, Stephanum, Cresimirum alterum, & Slavizonem, cui Demetrius successit. Verisimile autem est Helenam illam, quam Archidiaconus regio titulo exornat, cuique ædificationem utriusque illius apud veterem Salonam templi attribuit, nuptam fuisse Cresimiro I. vel II. vel alii cuipiam e Regibus posterioribus, qui regnum in Chrobatis & Dalmatis ante Demetrium obtinuerunt. Vide seriem Ducum & Regum Dalmatiæ part. 3. Prolegom. sect. 2. cap. 3. in notis ad Catalogum Pontificalem Romanum.

Ædes S. Mariæ ab Helena condita fortasse eadem fuit atque antequa illa per S. Domnium extructa, & per Salonitanos restaurata.

Jam vero, quid si ædes S. Mariæ, de qua modo Archidiaconus, eadem fuerit atque illa, quæ primum a S. Domnio condita, deinde a Salonitanis refecta fuit, ac demum ab Helena Regina restaurata, adhuc extabat undecimo sæculo, quemadmodum Adamus Parisiensis testatur? Id mihi quidem haud vero absimile videtur, & ratio temporis huic opinioni non nihil probabilitatis conciliat. Nam Adamus Parisiensis, qui tradit adhuc superstitem fuisse, dum scriberet, ædem S. Mariæ a B. Domnio extructam, æqualis fuit Laurentio Archiepiscopo Spalatensi, cui Demetrii Regis decreto restituta fuisse legitur ædes Salonitana S. Mariæ, quam Helena Regina multis ante annis ædificasse dicitur; præsertim cum Adamus nullam aliam ædem S. Mariæ dicatam in antiqua Salona supereſſe commemoret. Præterea templum illud, cujus mentionem facit sive Adamus, sive Archidiaconus, intra veteris dirutæque Salonæ mœnia situm erat; & apud utrumque uni eidemque S. Mariæ titulo subjicitur. In eo tamen inter se discrepant, quod Adamus Parisiensis a S. Domnio, Thomas Archidiaconus ab Helena Regina hujusmodi templum ædificatum fuisse scripsit. Sed in promptu est alterius cum altero conciliandi ratio. Nihil enim prohibet, quo minus verbum *ædificandi* a propria vulgarique significatione paullum detorquere possimus, ut idem valeat, atque ædem collabentem firmare ac resarcire, & lautius ac magnificentius restituere. In hanc ferme sententiam hujusmodi verbum accommodasse videtur Tullius, cum lib. 2. de legibus hæc scripsit: *Vides pillam, ut nunc quidem est, lautius ædificatam patris nostri studio*. Quæ si vera sunt, ut vero videntur similia, ecclesiam S. Mariæ, cujus primus auctor conditorque fuerat S. Domnius, quam post sublatos Religionis hostes Salonitani restituerant, quod fortassis labente decimo seculo præ nimia vetustate nutaret, vitiumve fecisset, Helena primum resarciendam curavit, tum multis ornamentis auxit, deinde optimis prædiis, annuisque proventibus locupletavit: quod quidem satis causa fuit, cur Helena hanc ædem, licet a fundamentis non excitaverit, ædificasse tamen, ideſt restituisse, sumptuosius ornasse, & regia munificentia dotasse dicatur.

Hujus ædis Salonitanæ ab S. Domnio conditæ, ac primum a Salonitanis, tum ab Helena restitutæ ne vestigia quidem nunc dignosci possunt, & nihil admodum neque de illius situ, neque de forma ac descriptione e Salonæ ruderibus conjectari licet. Haud improbabile est funditus eversam esse a Turcis, cum Salonitanum agrum incendiis, & populationibus devastarunt. Extat adhuc visiturque ædicula quædam S. Mariæ, vulgo dicta de Salona, quæ, ut mihi per litteras significatum fuit, sita est propter fluvium Salonæ, proximeque adjacet ponti & molendinis eidem fluvio impositis. Ædis descriptio ac forma non est admodum vetus. Nascentis Deiparæ titulum præfert, estque in ditione ecclesiæ Parochialis Uragniacensis, quæ haud procul inde abest; Spalato distat millia passuum fermè quatuor. Atque huic quidem sacello nihil videtur esse commune cum æde antiqua S. Mariæ, quam Domnius exstruxit. Diversa utriusque est positio; nova hæc haud paullo recentior constituta est in agro suburbano, illa vero intra Salonæ mœnia includebatur, nisi forte ab hac parte Salona longius in Orientem protenderetur. Dissimilis utriusque forma; hæc siquidem humilis admodum & angusta, illa autem satis ampla erat & magnifica. Demum alius huic atque illi titulus, nam hæc ab nata, illa ab Virgine in cœlum assumpta, ut conjectari licet, nomen & consecrationem accepit. Quod enim S. Domnius templum ab se positum Virginis in cœlum sublatæ titulo consecraverit, id quidem ex eo videtur posse intelligi, quod Joannes cognomento Ravennas primus Spalatensium Archiepiscopus, antiquo Jovis templo rite expiato eumdem titulum imposuerit. Cum autem in eo templo dedicando id consilium Joanni fuerit, ut illud in locum ædis Salonitanæ olim a S. Domnio dedicatæ substitueret, satis verisimile est ab hac mutuari voluisse titulum, quem fano illi ad divinum cultum traducto adscriberet. Huic titulo hodieque subest Spalatensis basilica; quamquam nomen a S. Domnio, cujus corpus ibi servatur & colitur, eidem superinditum, repudiata sanctiori appellatione, communis vulgi consensus recepit, & pertinax quædam consuetudo in hanc usque diem retinuit.

Ædicula S. Mariæ, quæ nunc visitur, longe diversa ab antiquo templo Salonitano.

§. VIII.

Post Tyrannorum interitum Salonitani novam Basilicam condunt, ædis Cathedralis titulo in eam translato.

CONstantinus Magnus cum ecclesiæ pacem Tyrannorum cede atque interitu sanxisset, amplissimis insuper decretis sacras ædes, quas persecutionis turbo perculerat, reficiendi, & alias præterea a fundamentis excitandi potestatem Christianis fecit; quin etiam per litteras Episcopos admonuit, ut veteres dirutasque restaurandas curarent, & novas etiam, sicubi opus esset, idque Christianorum multitudo requireret, easque ampliores exstitarent. Id adeo cognosci licet ex ejusdem epistola ad Episcopos inserta lib. 2. de vita Constantini cap. 46, quam laudat Florentinius pag. 728, ex quo hæc pauca verba in hanc sententiam decerpsimus: *Cunctos admonet, ut in opere ecclesiarum omni studio ac diligentia incumbant, quo aut reparentur, aut augeantur in majus, aut siquibi usus postularet, nova ædificentur*. Nec Imperatoris edicta magnificentiora factis fuere; nam ut suo ipsemet exemplo ad sacra ædificia construenda cæteris ardorem injiceret, multas tum Romæ, tum in aliis civitatibus basilicas ædificavit opere cultuque magnifico. Ergo Salonitani partim suamet religione ac pietate incensi, partim Constantini cohortationibus & exemplis excitati ad novam condendam basilicam animum adjiciunt, quæ antiquam S. Mariæ ecclesiam paullo ante restitutam, mole & magnificentia longe multumque superaret. Sed quamvis in eo præclaro opere exstruendo civium alacritas, & studia ferverent, tamen aliunde ex alio intervenit impedimentum, quo minus perfici absolviique posset, nisi multorum annorum labore sumptuque, ut paullo post explicabimus. Hanc a Salonitanis basilicam conditam fuisse, eamque aliam esse, longeque diversam a templo S. Mariæ, quod olim S. Domnius ædificaverat, illud certissimo argumento est, quod ædes quidem Mariana suis ipsa casibus ac ruinis superper-

Salonitani novam condunt basilicam diversam ab ea qua S. Mariæ, quam receperat.

Digitized by Google

perstet, post Salonæ excidium adhuc extabat undecimo sæculo, ut Adamus Parisiensis testis oculatus affirmat; contra vero basilicæ hujus, de qua nunc agimus, post eversam incensamque urbem nihil superfuit, præter ruderа congestaque lapidum, forsitan inlubia quidem ingentis ædificii vestigia, sed magna ex parte virgultis ac vepretis jam tum obducta, cum vix quadringentos annos ab urbe capta diruptaque interceperat, ut refellatur Auctor Historiæ quartæ translationis, quam infra describemus: idemque confirmat Thomas Archidiaconus cap. 12. *Ingredientes*, inquit, *Basilicam Episcopii, confusa & dissipata omnia penitus repererunt; repletus enim erat locus ille ruinosis saltis, congestisque incendiorum cineres pepres jam & virgulta produxerant*. Unam enim ex omnibus Salonitanis ædificiis publicis privatisque ædem a S. Domnio conditam communi excidio exemptam permansisse, & temporibus suis adhuc extare Adamus affirmat; ad quod congruere nequit cum basilica Episcopii, quam una cum urbe funditus excisam tradunt Acta quartæ translationis. *Ea adhuc extat*, inquit Adamus, *solaque post tantæ urbis excidium integra permanet*. Præterea, quantum conjectura assequi possumus, alia jam atque alteri positio fuit; neque idem titulus utrique impositus est, ut infra ostendemus.

Illud etiam ex Actis quartæ translationis colligitur, hanc Salonitanam Basilicam primarii templi, sive ædis Cathedralis nomen ac dignitatem obtinuisse, in qua scilicet Salonitani Antistites Episcopalem sedem collocarunt, & Pontificia sacra, omnesque Episcopalis officii functiones solemni pompa rituque peragebant. Nam cum hoc templum appellitur *Basilica Episcopii*, hoc vocabulum declarat hanc Basilicam totius urbis principem fuisse, ornatamque jure ac titulo ædis Cathedralis seu Metropolitanæ; nam Episcopium idem significat, atque Episcopi palatium seu domicilium. Veteri autem hodiernaque consuetudine receptum ac sancitum est, ut ab æde Cathedrali ædes pontificiæ quam proxime absint. Nulla igitur dubitatio esse potest, quin ea Basilica, quæ ad Episcopum peculiari quodam jure pertinebat, eratque cum ipso Episcopio conjuncta, unde cognominata est Basilica Episcopii, ædes primariæ seu Cathedralis & Metropolitanæ locum teneret. Ex quo sequitur titulum ædis Cathedralis, seu Pontificiæ ex templo S. Mariæ, quod S. Domnius ante annos amplius 500. exstruxerat, & Salonitanis restituerant, translatum fuisse ad novam Basilicam, quæ in ejusdem templi Mariani locum ac primatum successit.

Titulum ædis Cathedralis, sedemque Pontificiam ædem antiqui Mariani S. Domnii in novam Basilicam transfecerunt.

§. IX.

Huic templo Salonitano pacatis jam tranquillisque ecclesiæ rebus constituto nomen Basilicæ jure congruit.

NUlla controversia esse potest, quin hoc templum Salonitanum & præclaro opere ornatumque extiterit, & sedis Pontificiæ dignitate decoratum, olim Basilicæ magnifico sane vocabulo appellaretur. Nam qui Acta quartæ translationis nec mendose ac leviora prodiderant, ii omnes hanc eidem appellationem attribuunt, ac nemo est, quin *Basilicam* vocet: *Adierunt Salonam, ingredientesque Basilicam Episcopii, confusa & dissipata omnia reperiunt* &c. Thomas Archid. *Convocata populi multitudine ad Salonarum ruinas, ubi Basilica fuerat, se alacer confert*. Ex hist. 3. ejusdem Translat. Verum tam ample illustrique nomini res ipsa responderet, id vero in controversia esse potest, ac plane dignum est, de quo hic paullo accuratius disputetur. Huic verbo, cum Basilicam dicimus, nunc hæc ferme notio subjecta est: *Templum ingens, augustum, opere magnifico, & cultu plane regio constructum*. Basilica siquidem idem valet ac *Regia*, quippe cum ἀπὸ τῆ Βασιλέως vocis hujus etymologia ducatur. Numquam memini legisse me solitos fuisse Ethnicos Deorum templa appellare Basilicas; quare cum huic vocabulo nihil sacri ac religiosi subesset, vim & locum profani nominis apud eos fere semper obtinuit. Itaque Basilicas vocabant veteres ampla quædam ædificia, ingentibus columnis fulta, quæ continuis porticibus constabant, longius quam latius porrectis. Ea ferme publici juris erant, & cum foro conjuncta, quorum alia ad jus dicendum, causasque agendas; alia ad res venales explicandas proponendasque & mercatorum conventus celebrandos ære publico erigebantur; ut ex Seneca, Plinio, Vitruvio, & Ausonio Gallo Baronius in Not. ad Martyr. Rom. die 5. Aug. collegit. Neque privatis viris, qui paullo sumptuosius habitarent, suæ deerant Basilicæ, quas deambulationis gratia excitare, & regio plane apparatu ac magnificentia exornare solebant. Huc scilicet spectant, quæ D. Hieronymus ad Marcellam scripsit Epist. 18. *Ubi*, idest Romæ, *instar palatii privatorum Basilicæ exstructæ, ut vile corpusculum hominis pretiosius inambulet; & quasi mundo quidquam possit esse ornatius, tecta sua magis velit aspicere, quam cælum*.

Quid sit Basilica.

Post pacem ecclesiæ amplissimis Constantini Magni decretis ubique constitutam, satis constat quamplurimas veterum Basilicas in templa esse conversas; quæ pristino profanoque usu amisso, nihilo secius antiquum nomen retinuerunt; ex quo factum est, ut si quæ deinde templa raræ magnitudinis, eximiæque structuræ Christiani conderent, eadem Basilicas appellarent, & hujusmodi vocabulum profanis ædificiis ademptum consecrarent, eidemque sacram & religiosam significationem subjicerent. Primis ecclesiæ sæculis pauças admodum ædes sacras licuisse Christianis ea molitione sumptuque exstruere, quæ ad Basilicæ formam ac magnificentiam accederent, inter omnes constare arbitror, & cuique perspicuum esse potest, qui secum ipse reputet iniquissimam temporum illorum conditionem, & acerbissimas vexationes, quibus idemtidem ecclesia conflictabatur. Cæterum sævientibus adhuc Christiani nominis hostibus, templa quamvis exiguæ magnitudinis nominatas fuisse aliquando Basilicas in antiquis monumentis reperio, sive quod id nomen inditum illis fuerit a templo Hierosolymitano, cujus atrium magnum dicebatur Basilica Paralipom. 2. cap. 4. sive quod in iis Deo Optimo Maximo, Regique sæculorum immortali sacrificia fierent, unde Isidorus lib. 15. Originum, hujus appellationis causam repetit; sive demum, quod olim nullæ essent ædes sacræ, quin Sanctorum martyrum, qui *cum Christo regnant*, exuvias continerent; veteri siquidem ecclesiæ seu consuetudine, seu decreto sancitum erat, ne ulla templa ædificarentur, nisi ubi martyris alicujus sepulchrum esset. Hujus generis erant Basilicæ illæ, quas ad quadraginta commemorat Optatus jam tum fuisse in urbe, cum Cornelius Papa Romanam sedem obtinebat. Ac ne post quidem, nedum ante redditam ecclesiæ pacem credibile est omnia, quæ tum in urbe erant Christianorum templa, ea mole ac magnificentia fuisse, ut amplissimum Basilicæ nomen pro dignitate sustinerent. Quare nisi dicamus ejusmodi vocabulum usurpari quidem cœpisse posterioribus ætatibus, sed ab iis auctoribus, qui infra tertium

Basilicæ profanæ in ecclesiæ conversæ.

Nova ecclesia per Salonitanos condita appellatur Basilica.

Unde & cur ecclesiæ dictæ Basilicæ.

tertium ecclesiæ sæculum floruerunt, ad usum & consuetudinem superiorum temporum translatum fuisse (sæpe enim accidit, ut rebus antiquis ea, quæ nobis sunt in usu, vocabula imponamus) fateri oportet Basilicæ nomen viguisse apud Christianos jam inde a priscis ecclesiæ temporibus, sic prorsus, ut ante sublatos extinctosque religionis hostes illud consecraverint, & omnibus fere sacris ædibus ob eas, quas modo recensui, causas promiscue & communiter attribuerint. Illud tamen satis exploratum est, posterioribus sæculis hujus vocabuli significationem catenus contractam esse, ut iis dumtaxat templis, quæ amplitudine, dignitate, magnificentia cæteris antecellerent, Basilicæ nomen adscriberetur.

Quæ nunc vere dicantur Basilicæ.

Duplex igitur templorum genus distingui oportet. Alia minora erant, quæ neque magnitudine, neque operis specie & elegantia, sacelli cujusdam descriptionem modumque excederent; hæc veteres vulgo appellabant *Oratoria*, *Titulos*, *Memorias*, *Confessiones &c.* quæ quidem memoriæ ac venerationis causa martyrum sepulchris imponi solebant sive in publicis cœmeteriis, sive in privatis domiciliis. Alia majora erant, ingenti molitione, sumptuque, quæ nos alias templum maximum, alias ædem Cathedralem nuncupamus, vel quod cæteris ejusdem civitatis oppidive templis magnitudine ac dignitate præstent, vel quod in iis Episcopi Pontificalia sacra & munera solemni cæremonia rituque peragere soleant. Atque hæc olim suo quidem jure Basilicæ nomen sibi vindicabant; quamquam sive ante, sive etiam post tertium ecclesiæ sæculum id nominis tributum fuerit etiam minoribus illis sacellis, quæ a Basilicæ forma & amplitudine longe aberant. Cæterum loquendi usus, qui nunc viget, quique multis abhinc sæculis invaluit, Basilicæ vocabulum angustis sane terminis circumscripsit. Ex omnibus quippe sacris ædibus quamquam amplis & magnificis, nullas satis dignas esse putamus, quæ tam præclaro nomine decorentur; nisi eas, quibus aut plurium sæculorum vetustas cum magnificentia & sanctitate loci conjuncta, aut certe immensa quædam amplitudo, eximiam quamdam majestatem ac religionem conciliant.

Templa duplicis generis, minora, ac majora.

Jam vero ad rem nostram veniamus. Ego vero sic existimo, Salonitanum templum, de quo nunc agimus, ea forma, amplitudine, magnificentia exstructum fuisse, ut jure meritoque vocari posset Basilica, neque vocabulum esset, quam res ipsa, excellentius. Nam cum Thomas Archidiaconus aliique Scriptores quartæ translationis eam summo consensu Basilicam vocent, quid est, cur hujusmodi verbum oporteat a propria plenaque dignitatis significatione detorquere; eidemque vulgare quoddam ædificium neque molis, neque operis excellentia visendum subjicere, quod mirum quantum ab ejus nominis majestate & amplitudine abhorret; præsertim cum laudati Auctores iis temporibus scripserint, cum nomen Basilicæ eo loco honoris ac dignitatis habebatur, ut non nisi magnificentissimis quibusque templis impertiri soleret. Mihi certe dubium esse non potest, quin Salonitani opibus copiisque ea tempestate affluentes, eam templi formam ac molitionem conciperent animo, reque ipsa efficerent, quæ digna esset civium pietate ac munificentia, digna ipsius urbis opulentia, & celebritate, digna denique mysteriorum & sacrorum illic peragendorum majestate ac religione, quoad humanæ opes viresque paterentur. Huc accedit, quod, ex quo condi cœperat, ut mox dicetur, sexaginta ferme anni effluxere, antequam ad culmen fastigiumque perduci potuerit. Id vero operis summ-

Templum Salonitanum rite appellatur Basilica.

ptum ac magnificentiam satis declarat; quamquam enim gravissimæ sæpius causæ ex aliis aliæ intercesserint, quæ inchoatam ædificationem interrumpere cogerent, nullum tamen sive ex temporum difficultate, sive ex aliis gravioribus curis tam multiplex impedimentum existere potuit, quin ædificium illud, si vulgare fuisset, minimeque sumptuosum, intra paucos annos commode perfici absolvique posset. Ad hæc: ingentes tectorum ruinæ, lapidumque immensa congeries, quæ, ut scriptum est in Hist. quartæ translationis, adhuc visebatur, cum inde translatum est corpus S. Domnii, indicio sunt hujusmodi templum ea mole ac magnificentia constructum fuisse, ut amplissimum Basilicæ nomen pro dignitate sustineret.

§. X.

Operosa hujus Basilicæ moles perfici non potuit ante finem quarti sæculi.

HUjus Basilicæ magnifica sane moles ac descriptio cum longi pacatique temporis indigebat; tum multa eademque difficillima tempora inciderunt, quæ necesse est huic ædificationi moram identidem atque impedimentum attulerint. Quamquam enim ecclesia Dei munificentissimis Constantini Magni decretis aucta & ornata non solum a cædibus & Tyrannorum metu respirasset, sed etiam latius in dies propagaretur, tamen neque Salonæ, neque in aliis Romani imperii civitatibus res Christiana adeo tranquilla & pacata erat, ut prosperum ubique sine ulla offensione cursum teneret. Cum nondum enim Magistratus veterem superstitionem exuissent, pristinum in Christianos odium adhuc retinebant, ut nullam elabi sinerent, si qua eos multandi, vexandique occasio undecumque oblata aut arrepta esset. Præterea ex plebe sane permulti adhuc sacrilego Deorum cultu, insanaque superstitione constricti tenebantur, eoque vehementius a Christianis adhorrebant, quod eorum religionem latius extendi, & augeri, suam vero magis magisque in dies contrahi diminuique cernerent. Quare tum Prætorum improbitas, tum populi rabies & crudelitas haud leviter etiam temporibus illis, quoad licuit, rem Christianam affixit, nemine scilicet prohibente; seu quod Constantinus aliquid dissimulandum censeret, ne vehementius Ethnicorum animos exasperaret; seu quod longinquis gravissimisque bellis implicitus neque illorum injurias ab Christianis omnino prohibere, neque quod suis ipse decretis sanciverat, reipsa perficere posset. Quapropter ne in ipsamet quidem pace Christianis licuit esse pacatis, quietisque ab Ethnicorum odiis atque insidiis. Ex quo colligitur, atque adeo aliunde constat Basilicas illas, quæ recensentur in eo libro, qui de magnificentia Constantini inscribitur, haud paucis annis post susceptum ab eo imperium excitatas & absolutas fuisse. Nihilo meliori rerum ac temporum conditione Salonis, quam in aliis provinciis Christiani ea tempestate utebantur, quibus identidem cum Magistratuum nequitia, populique invidia ac furore conflictandum erat; ex quo illud perincommode accidit, ut templi ædificatio segnius procederet, quam ut eorum optatis studiisque responderet.

Basilicæ Salonitanæ ædificatio sæpe interrupta & in plures annos protracta.

Constantini mortem excepit turbulentissimum illud tempus, cum Ariani male pressum ad eam diem virus opinionum suarum palam ac fidenter in vulgus spargere cœperunt, depositaque larva, quam Constantini metu ad tempus susceperant, publicum Catholicæ veritati, Nicænæque fidei bellum indixere,

sent. Minum quem celeriter res hæc, favente Constantio Imperatore, totum pene terrarum orbem pervaserat. Tum vero Antistites Clerique Salonitani cura & industria ab domesticis rebus eo versa, ut ejus provinciæ fines undique communirent, ne quo Arianis aditus pateret. Adde, quod Arianorum referta erat Pannonia Dalmatiæ finitima auctoribus ac magistris Ursacio Mursaensi, & Valente Singidunensi Episcopis, acerrimis Nicænæ Synodi hostibus, qui omni ope atque opera enitebantur, ut Arianam sectam, quocumque possent, seu vi, seu fraude introderent, & quam latissime propagarent. Quibus quidem calamitatissimis rei Christianæ temporibus Salonitanorum Antistitum vel fides, vel constantia in primis eminuit, ut alibi ostendemus. Ea quoque res impedimento fuit, ne cœpta jampridem Salonitana Basilica ædificatio finem tandem urgeri, perducique ad fastigium posset.

Bellum ab Juliano Apostata Christianis infelicem Salonitanæ Basilicæ constructionem retardabat;

Nondum ab eo domestico civilique bello ecclesia quieverat, cum ecce tibi alterum bellum longe gravissimum extrinsecus ab Juliano illatum, qui per summum nefas a Christiana religione ad impiam superstitionem defecerat. Is nihilo minus, quam Ethnici Imperatores, Christianos vexavit, quibus non solum templa, & omnia pietatis officia, sed etiam studia bonarum artium, libris & magistris ademptis, interdixerat. Quo temporis intervallo, quamquam sane brevi, sacrorum ædificiorum constructionem intermitti necesse fuit. Neque Juliano extincto pax usquequaque & otium ecclesiis fuit. Nam paullo post exortus Valens Imperator, non modo Ariana labe infectus ipse, verum etiam mira cupidine ejusdem longe lateque vulgandæ, Catholicos in Oriente vexavit ferdum in modum. Præterea eadem hæresis in Pannonia, iis, quos dixi, saporibus culmoribusque, altius radices defixerat, latiusque prorepserat, quam ut intra paucos annos posset eorum interitum omnino extirpari posset, aut ab ea cura & vigilantia Salonitanos Episcopos eximere, quam ab initio adhibuerunt, ne quid pestiferæ illius propaginis in Dalmatiam irrepereret. Ita aliis ex aliis impedimentis injectis serius omnino, quam oportuit, Salonitanæ Basilicæ fastigium impositum est. Quare, ut postea dicemus, hujus templi ædificatio multis de causis alias intermissa, alias lente progrediens, absolvi perficique non potuit ante annum circiter nongentesimum quartum sæculi, cum rerum potiebatur Gratianus bonus imprimis Imperator, idemque catholicæ religionis appulsæ tenax, fautorque eximius, qui sublato Valente patruo imperium adeptus anno 378. stabilem ac diuturnam ecclesiis pacem constituit. Hæc porro mirifice congruunt cum formulis Martyrologii Caudiensis, quæ S. Domnii translationem ex insula Pharia in urbem & Basilicam Salonitanam ex nostra interpretatione refert ad annum Christi 589. Quam formulam suo loco expendemus, & explanabimus.

Ejusdem Valentis Imperatoris & Arianæ impietatis propagationem erudimus.

Basilica Salonitana an. circiter 390. imperante Gratiano demum perfecta & absoluta.

§. XI.

De titulo novæ Basilicæ imposito.

Titulus novæ basilicæ a S. Domnio & S. Anastasio,

Et antiquum monumentum mihi visum est, explorati quæ suppeditat, quod nobis declarat, cujus nomine & auspiciis Salonitana basilica insignita esset; Deoque optimo maximo dedicata. Cum autem sanctissimæ Dei parentis templum satis amplum ornatumque Salonæ obtinerent, paullo ante civium pietate ac munificentia restitutorum, egregiisque ornamentis auctum; non est verisimile, ut Salonitani novam quoque basilicam ejusdem nomine ac religione confecraverint, aut in eam quemadmodum ædis cathedralis dignitatem, sic etiam S. Mariæ titulum veteri templo ademptum transtulerint. Propius vero est, Salonitanos, cum hujus basilicæ ædificandæ consilium cœpissent, eo potissimum spectasse, ut id monumenti exstaret in honorem cultumque S. Domnii, quem ecclesiæ suæ parentem & conditorem agnoscebant, cujusque præsidio erga se meritis, eximiæque sanctitati nullum ad eam diem, quod quidem memoriæ proditum sit, neque sacellum, neque templum in ea urbe statuerant; idque eo videtur verisimilius, quod illuc ejus sanctissimas exuvias inferre, & quas dignum erant, honorifica sepultura afficere decreverant. Neque vero absimile est S. Domnii titulo hanc basilicæ impositum, alterum adjectum fuisse ab S. Anastasio, qui sub Diocletiano egregiam pro Christo mortem Salonis oppetiit, quemque una cum S. Domnio apud novam basilicam perhonorifice conditum fuisse accepimus. Neque solum ab his duobus Salonitanis martyribus, sed etiam a SS. Cosma & Damiano religionis ac celebritatis causam accepisse videtur Salonitana basilica. Non enim desunt Spalatenses tabulæ, unde conjectari licet secundum illos primarios, quasque domesticos civitatis patronos, hos quoque duos exteros martyres, & abinde ad urbis præsidium adscitos, ibidem eximia veneratione cultos fuisse, & amborum etiam nomine templum illud dedicatum. Exstat siquidem amplissimum diploma Tirpimiri Chrobatarum Ducis datum an. 838. quod Historicus Dalm. lib. 2. de Regno Dalm. & Croat. cap. 2. inseruit. In eo diplomate Tirpimirus *Sanctam Salonitanam ecclesiam, & cœnobium SS. Martyrum Domnii, & Anastasii, Cosmæ & Damiani* locupletis fane optimisque prædiis donavit, atque interposita *divarum* obsecratione interdixit, ne quisquam ea per vim aut fraudem interverteret. Nemo est, qui in iisce posteriorum temporum monis fuisse, ut inter eos, qui in Clericorum Ordinem adscripti essent, addictique sacris functionibus & ministeriis, rerum omnium communio, & societas quædam intercederet; iidemque ritu Monachorum eadem ædes incolerent, eidem accumberent mensæ, una eademque vivendi ratione, ac disciplina continerentur. Hoc sane præclarum vitæ clericalis communisque institutum plerique referunt ad quartum sæculum, auctore vel Augustino Hipponensi, vel Eusebio Vercellensi Episcopo; quamvis Eusebius quos secum in ejusdem domicilii, victus, cultusque societatem aggregaverat, eos potius, quam Clericos, Monachos dixerim, quoniam illi opera ad omnia, quæ a Clericis præstari solent, ministeria & officia exsequenda utebatur. Exinde posterioribus sæculis vitæ clericalis communitas ac societas in Italiam, Galliam, Hispaniam, aliasque regiones longe ac late propagata. Inde factum est, ut Monachorum juxta & Clericorum contubernia alias cœnobia, alias Monasteria promiscue, & communiter appellarentur. Dubium autem non est, quin cœnobium illud, de quo in diplomate Tirpimiri mentio fit, in eam sententiam accipi oporteat, ut significet collegium cleri Salonitani, postea Spalatensis; quippe quod ecclesiæ Salonitanæ, sive ædi Cathedrali compactum fuisse apparet; neque uspiam literis aut memoriæ proditum est viguisse cœnobium aliquod Monachorum vel Salonæ, vel Spalati, quod illorum martyrum titulo ac patrocinio subesset. Hujusmodi autem Clericorum collegia fere semper eandem Cathedrali, cui proxime adjacebant, cuique ad sacra officia & ministeria operam suam Clerici illi addixerant, nomen sibi titulumque adsciscere

Clerici olim domicilii vitæque communis societate conjuncti.

Digitized by Google

fcere ſolebant; ſic prorſus, ut quorum in honorem conſecrata eſſet ædes Cathedralis, eorumdem Divorum fidei ac tutelæ Clericorum domicilia commendarentur.

Jam vero *Collegium Spalatenſe SS. Mm. Domnii & Anaſtaſii, Coſmæ & Damiani* id tituli ac patrocinii mutuare non potuit ab ęde Cathedrali Spalatenſi, cui Joannes Ravennas primus Spalatenſium Archiepiſcopus neque a S. Domnio vel Anaſtaſio, neque a SS. Coſma & Damiano, ſed a Deipara Virgine in cœlum aſſumpta titulum indiderat; quamquam poſtea vulgaris loquendi conſuetudo obtinuit, & quod S. Mariæ dicatum erat, templum S. Domnii vocaretur, quod ibidem ejus corpus honorifice conditum ſumma populi religione & frequentia coleretur; idque cognomen aliquando etiam in eas tabulas irrepſit, quibus privilegia & dona Spalatenſi eccleſiæ a Regibus, & Principibus viris collata continentur. Ex omni autem ſuperiorum temporum memoria nullas tabulas, ſi Tirpimiri diploma excipias, nullam traditionem, ne veſtigium quidem ullum invenies, unde colligi poſſit, Spalati aliquando fuiſſe cœnobium aliquod Monachorum aut templum SS. Domnii & Anaſtaſii, Coſmæ & Damiani titulo ac patrocinio ſubjectum, ex quo Spalatenſe Clericorum collegium id nomen ſumpſerit. Quæ cum ita ſint, niſi ab ipſa Salonitana baſilica originem repetas, cauſamque tituli huic collegio attributi, nunquam alibi eam inveneris; quorſum enim hujus appellationis initium referri poteſt, niſi ex antiqua illa baſilica ducatur? Itaque Salonitani, cum baſilicam illam ea, qua diximus, amplitudine ac magnificentia exſtruerent una cum Pontificiis ædibus proxime adjectis, contubernium pariter Cleri ſeu capituli Salonitani pro more illorum temporum ære ſumptuque publico excitandum curarunt. Cum vero ejuſmodi collegia, ut diximus, ſibi ferme nomen adoptarent a proxima primaria æde, cui ad ſacras functiones operam navabant Clerici illi, qui ibidem adſcripti erant, quibuſque ex eccleſiæ proventibus res ad victum cultumque neceſſariæ ſuppeditari ſolebant; ex eo fit, ut quemadmodum collegium illud, ita etiam baſilica eumdem SS. Martyrum Domnii & Anaſtaſii, Coſmæ & Damiani titulum præferret.

Collegii Cleri Salonitani Spalatum translati veterem titulum retinuit, ædes Cathedralis Spalatenſis non item.

Poſt captam dirutamque Salonam, una cum ęde Cathedrali collegium Cleri Salonitani Spalatum migravit; & Cathedralis quidem ædes Sanctorum illorum Martyrum nomine poſthabito, auctore Joanne primo Spalatenſium Antiſtite, recepit antiquiſſimum S. Mariæ titulum, quem publico primoque Salonitano templo S. Domnius impoſuerat; collegium vero Clericorum, incertum quibus de cauſis, priſtinum SS. Domnii & Anaſtaſii, Coſmæ & Damiani cognomen retinuit, ut apparet ex diplomate Tirpimiri. Ad hæc: cum Tirpimirus in eo privilegio Spalatenſem eccleſiam vocet *Salonitanam*, hanc appellationem profecto ex antiqua Salona deſumpſit; hinc autem ſequi videtur, ut cum Spalatenſis Cleri cœnobium *SS. Domnii & Anaſtaſii, Coſmæ, & Damiani cognomine affecerit*, id quoque vocabulum ex antiquo Salonitano collegio adſciverit, cui quidem non aliunde id cognominis obtigiſſe probabile eſt, niſi a baſilica Salonitana, cujus gratia inſtitutum fuerat, cuique Salonitani Presbyteri & Clerici in eum locum congregati, vitæque communis jure ſociati vel canendis divinis laudibus, vel ſacris functionibus obeundis, pro ſuo quiſque munere inſerviebant.

Porro Spalatenſe collegium retinuit hunc titulum, quamdiu ſtetit; ſed vel regnante Tirpimiro, vel non multis poſt ejus obitum annis, communis illa vivendi ratio ac diſciplina per deſuetudinem antiquari cœpit; ſublata vero Spalatenſis Cleri ſocietate, cum re nomen quoque SS. Martyrum exolevit, ut colligitur ex eo Diplomate, quo Murcimirus Tirpimiri filius anno 892. parentis donationes ratas habuit, aliiſque præterea privilegiis ac muneribus eccleſiam Spalatenſem cumulavit, in quo de collegio SS. Domnii & Anaſtaſii, Coſmæ & Damiani nulla prorſus fit mentio; ſed ex vulgari loquendi formula eccleſia ipſa ſive ædes Cathedralis SS. Domnii & Anaſtaſii titulo exornatur.

Quando Spalatenſe collegium Clericorum deſierit.

Cæterum veroſimilius videtur, ut cætera hujuſmodi Clericalia collegia, ſic etiam Spalatenſe, frequentari incolique deſiiſſe vel exeunte decimo, vel undecimo ſæculo ineunte; idque ex eo intelligi poteſt, quod Alexander II. anno 1063. in Concilio Romano, ut diſſolutos ac diffluentes eccleſiaſticorum mores coerceret, Canone IV. graviſſimis verbis hortatur Clericos ſacris ordinibus initiatos, admonetque, ut ſe ad priſtinum communis vitæ inſtitutum referant; *& juxta eccleſias, quibus ordinati ſunt, ſicut oportet religioſos Clericos, ſimul manducent & dormiant, & quidquid eis ab eccleſia competit, communiter habeant*. Hunc Canonem integrum alio loco deſcripſimus. Tunc reſtitui cœpta eſt in Capitulis collegialibus & collegiatis vita communis, quæ præſidio eſſet cum adverſus alias corruptelas, tum præſertim contra incontinentiam, quæ jamdudum in eccleſias & Clerum fere omnem fœdum in modum graſſabatur.

Cur Salonitani novæ baſilicæ, & Conpiſcopii collegio a SS. Coſma & Damiano titulum ad jungerint.

Nuſquam invenire licuit, quæ ratio Salonitanos impulerit, ut novæ baſilicæ, adjunctoque Clericorum collegio titulum ac patrocinium non ſolum a SS. Domnio, & Anaſtaſio, ſed etiam a ſanctis illis Martyribus Coſma & Damiano adſcriberent; niſi forte id cauſæ fuerit, quod ab recenti memoria celeberrimi martyrii, quod ſub Diocletiano ſubierant, magnum ubique nomen, ea tempeſtate, ſummamque venerationem apud Chriſtianos haberent.

§. XII.

De Sacello SS. Domnii & Anaſtaſii ſepulturæ deſtinato.

Sacellum ſepulchro SS. Domnii & Anaſtaſii extructum ac baſilicæ adjectum.

PRope a baſilica, cum ædibus Pontificiis & collegio Clericorum, Salonitani ſacellum condiderunt, in quo corpora SS. Domnii & Anaſtaſii collocarent; quæ quidem omnia, cum eadem area, eodemque ambitu continerentur, in unum veluti corpus coaluerunt, & unius ædificii ſpeciem formamque præſeferebant: adeo inter ſe apta & connexa erant, & ſingula ſingulis proportione quadam & deſcriptione partium reſpondebant. Quamquam autem corpori S. Domnii excipiendo condendoque unicum ſacellum deſtinatum eſſet, tamen non eſt dubium, quin totum illud ædificium ad cultum honoremque S. Domnii ſpectaret. Ab eo ſiquidem tum baſilicæ, tum collegio Clericorum titulus primarius inditus, illius ibidem ſanctiſſimæ reliquiæ depoſitæ, Epiſcopalis ſedes per eum fundata ibidem conſtituta, ſucceſſorum ejuſdem domicilium ibidem collocatum; præterquamquod principem ſanctitatis ac religionis locum inibi obtinebat ſacellum illud S. Domnii reliquiis & ſepulchro inclytum, cui ut decori eſſet & ornamento, magnificentiſſimam illam baſilicam Salonitani excitaverant. Et vero quamdiu illic ſitum fuit corpus S. Domnii, floruit vel maxime hujus ſanctuarii celebritas ac religio, ut cognoſci licet ex litteris Theodorici Regis ad Januarium Salonitanum Antiſtitem, quæ apud Caſſiodorum extant; inde ſiquidem

appa-

Digitized by Google

apparet, quam ingenti locus ille honore, quantaque munificentia ac pietate ab indigenis pariter, adveniſque celebraretur.

In quo condita fuerunt corpora SS. Anaſtaſii & Domnii,

Nulla eſt controverſia, quin perfecta ornataque univerſa baſilica, illuc translatum fuerit corpus S. Domnii, itemque S. Anaſtaſii, & in ſacello ſepulchroque ad id deſtinato pie & honorifice conditum; nam Acta quartæ translationis palam aperteque declarant illic, poſt everſam Salonam, a Spalatenſibus ſubter rudera diruta baſilicæ inventum eſſe, inde effoſſum, atque in novam urbem delatum. Id vero dubium controverſumque eſſe poteſt, utrum illud ſacellum, in quo antea S. Domnius cum S. Anaſtaſio ſepultus fuerat, conjunctum eſſet cum ipſamet baſilica, ſive æde Cathedrali, nullo neque ſpatio, neque pariete interjecto, an vero modico ab illa intervallo disjungeretur. Ac mihi quidem antiquam eorum temporum conſuetudinem animo & cogitatione repetenti propius vero videtur a baſilica ſejunctum fuiſſe. Veteris enim moris atque inſtituti fuit ſacras ædiculas exſtruere in eo ſpatio, quod muris undique aut ſepibus clauſum circumjacebat baſilicæ, & cœmeterium vocabatur. Ejuſmodi ſacella ex decreto concilii Carthaginenſis, ut refert Cyrillus Catecheſi 16. in illis ferme locis erigebantur, quæ Martyres aut ſuis exuviis illic depoſitis, aut morte ibidem pro Chriſto conſtanter pieque obita conſecraverant. Varias his ſacellis appellationes tributas invenio; alias enim vocabantur *Oratoria*, quod illuc Chriſtiani orationis cauſa itare conſueverant; alias *Tituli*, quod Presbyteri, penes quos eorum cura erat, titulum inde ducerent ac nomen; alias *memoriæ*, quo vocabulo ſæpiſſime utitur Auguſtinus, quod præclara martyrum certamina in memoriam redigerent, poſteroſque ad eorum cultum & imitationem allicerent; alias denique *Confeſſiones*, quod ſancti Martyres publica liberaque confeſſione egregium Chriſtianæ religioni teſtimonium tribuerint. Ut prætermittam ſacellum illud, ſive Oratorium, quod Anacletus B. Petro Apoſtolorum principi dicavit, & illa permulta, quæ Fabianus Pontifex in cœmeteriis, & Fabiani exemplo cæteri Epiſcopi in ſuis quiſque civitatibus excitanda curarunt, teſte Baronio ad an. 245; alia nobis ſuppetunt antiquæ hujus religioſæque conſuetudinis monumenta, eaque paullo magis ad rem noſtram accommodata. S. Petronius Bononienſis Epiſcopus templo S. Stephani, quod in ea urbe haud minori pietate, quam elegantia ſumptuque ædificaverat, ſeptem alias ædiculas circumdedit, quæ adhuc extant, & eximia populi Bononienſis frequentia ac religione celebrantur. S. Donatus Jadrenſis Epiſcopus templo ejus civitatis primario adjecit Sacellum ſcite, venuſteque deſcriptum, qui titulum Auguſtiſſimæ Trinitatis inſcripſit. Et ne a domeſticis exemplis longius digrediantur, ſacellum S. Venantii Epiſcopi & Martyris Salonitani ab Joanne quarto Pontifice excitari juſſum, nonæ baſilicæ Conſtantinianæ ſive Lateranenſis ambitu continetur, cui tres itidem alias ædiculas ejuſdem fere operis ac ſtructuræ circumjectas conſpicimus? Erant autem hæc ſacella quaſi quædam appendiculæ totius baſilicæ, quæ minora circumpoſita templa longe multumque ſupereminebat. Quicquid autem ædificii erat intra fines ac ſepta cœmeterii, id omne communi baſilicæ nomine comprehendi ſolebat; velut cum dicimus *Baſilicam Lateranenſem*, his vocibus non modo templum illud longe auguſtiſſimum ſubeſt, ſed etiam ædiculæ circa templum exſtructæ continentur.

Veteris conſuetudo parva quædam ſacella conſtruendi, in quibus Martyres conderentur;

eorum variæ appellationes;

Hæc cum ita ſe habeant, ſi de rebus antiquis cum agitur, veterum temporum & conſuetudinum ratio habenda eſt, vix dubitationi locus eſſe poteſt, quin ædicula ſepulchro SS. Domnii & Anaſtaſii deſtinata ex veteri more atque inſtituto ſejungeretur a Salonitana baſilica, & inter utramque aliquantum ſpatii intereſſet. Id præterea ex ipſamet ſacelli poſitione intelligi facile poteſt. Haud exiguo ſpatio a ponte, quem ſubterlabitur fluvius Salonus, ſive Jader, viſitur ædicula SS. Domnio & Anaſtaſio ſacra, quæ mollis faciliſque clivi dorſum inſidet. Hanc indigenæ ex majorum traditione perhibent ſubſtitutam fuiſſe in locum veteris illius ſacelli, ubi ſacræ eorumdem Martyrum exuviæ conditæ fuerant, cultæque, qua dignum erat religione populique frequentia, antequam inde Spalatum, poſt incenſam exciſamque Salonam, aſportarentur; eam vero inibi poſitam idcirco eſſe, ne loci illius ſanctitas ac memoria hominum interitu, & poſteritatis oblivione obrueretur. Præterea, qui ex veſtigiis Salonitanæ baſilicæ diligenter notarunt ejus ſitum, formam, circumſcriptionem, affirmant hanc in planitie eidem clivo ſubjecta locatam fuiſſe, quamquam cœmeterii, & circumjectorum ædificiorum ambitu proximi ſibique imminentis collis partem complecteretur. Ex quo id, quod volumus, quodque vir clariſſimus Borgeſicchius ejuſmodi locorum oculatus inveſtigator contendit, efficitur, ſacellum illud a templo disjunctum fuiſſe, ea parte clivi deorſum vergentis interjecta, quæ a planitie paullatim attollitur, & uſque ad illam ædiculam pertinet. Hæc ſiquidem eſt loco præcelſo atque edito, templum vero in agro plano ſitum fuerat; niſi vero pars altera templi eſſet in planitie, altera vero clivi dorſo incumberet, quod cum ejuſdem forma & deſcriptione non ſatis cohæret. Prope tamen a templo aberat ſacellum, ut ſæpe diximus, & ex hiſtoria quartæ translationis intelligi poteſt; nam locus ille, unde Spalatenſes effoderant corpora SS. Martyrum, includebatur intra ſepta *Baſilicæ ſive Epiſcopii*; quibus quidem vocabulis & Cathedralis ædes, & Epiſcopi domus, & Clericorum cœnobium, & ſacella contigua ſignificantur. Sed quia hæc obſcuriora ferme videntur, quam ut ſatis percipi comprehendive poſſint, niſi ſacelli ſitus ac deſcriptio lectorum animis ac ferme oculis ſubjiciatur, id nunc diligenter accurateque exſequi operæ pretium duximus.

Poſitio novi ſacelli Salonitani

in antiqui locum ſubſtituti.

§. XIII.

Situs & deſcriptio ſacelli in eo loco exſtructi, unde ſublata ſunt, & Spalatum advecta corpora SS. Domnii & Anaſtaſii, Patavium tranſmiſſa olim ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Pacifico Bizza nunc Archiep. Spalatenſi, a nobis latine reddita.

Sacellum SS. Domnii & Anaſtaſii a

Ædicula S. Domnii, unde Spalatum ejuſdem corpus una cum corpore S. Anaſtaſii translatum ferunt, a mille ferme paſſus abeſt ab eo ponte, quo Saloni, vel Jadri fluvii utraque ripa conjungitur. Dorſum inſidet cujuſdam collis, qui in Auſtrum obverſus molli facilique clivo aſſurgit; eique ab Oriente proxime ſubſunt ingentes perantiqui ædificii ruinæ, ubi inſigne olim cœnobium fuiſſe perhibent, hodieque locum illum indigenæ retento veteri vocabulo b *Monaſterium appellant. Hinc paſſus fere centum in Orientem diſtant* c *reliquiæ ſemiruti parietis, qui modo ſe tollit a terra altius, modo depreſſius humi ſerpit, vix ut e ſolo emineat. Is paries e clivo vergit in planitiem, indeque in longitudinem paullulum porrectus conjungitur cum veteri quodam ædificio ingentis olim magnitudinis, eximiique operis, quod totum ex lapide quadrato conſtat mira arte conſtructum.*

in colle poſitum.

b

c

Digitized by Google

tium. Vel quod supereſt hujus ædificii indicio eſſe poteſt, quantæ molis, cujuſque ſtructuræ fuerit, hodieque d *Amphitheatri nomen retinet.*

d

e Idem ſacellum duobus agris interjectum,

Sacello S. Domnii hinc atque hinc adjacent duo agri e *ſepibus clauſi, ac muniti, qui per clivum longius quam latius porrecti in planitiem uſque procurrunt. Alter ad Orientem patet, multoſque ſepulchrales lapides antiqui cujuſdam cæmeterii indices oſtentat. Alter in Solem occidentem ſpectat vacuus omnino & incultus; nam veteri quadam ejus loci religione impediri agricolas ferunt, ne ſolum illud ferro proſcindant, aut vitibus conſerant. Hæc ſiquidem opinio jamdudum invaluit, quiſquis id auderet, haud impune ſcilicet auſurum. Igitur cæleſtis iræ metus ab eo colendo ſerendoque incolas abſterret; nec vanum eſſe metum docuit eventus, ac repentinus multorum interitus, qui ſacrum illum agrum defodere, raſtriſque infectari aggreſſi, contra quam poſtulabat ſanctitas loci, religionis temere violatæ pœnas dederunt.*

f A quo prope abeſſe tria Monaſteria.

In f *ea planitie, quæ colli proxime ſubeſt, tria olim cœnobia fuiſſe memorant. Primum, de quo ſupra diximus, propius abeſt ab ædicula S. Domnii. Alterius* g *reliquiæ aliquot viſuntur in eo loco, quem Slavi indigenæ* Supglia Criqua *vernaculo idiomate appellant, cujus vocabuli ea vis eſt, ut ſignificet* Templum detectum. h *Tertii vero cum nullum extet veſtigium, neque ſitus oſtendi, dignoſcique poteſt.*

g

h

i Deſcriptio ſacelli,

i *Sacellum ſimilitudinem gerit ſpeciemque figuræ quadrangulæ oblongæ, e rudi vulgarique ſtructum lapide, ab recenti ædificiorum forma & ſtructura haud ſane abhorrens. Ædis longitudo cubitos circiter decem, latitudo non amplius quinque complectitur, ſic prorſus, ut centum homines, & quinquaginta facile capiat. Tecti faſtigio utrinque declivi, pro tegulis informia quadra ex impolito lapide ad pluviam arcendam ſuperjecta. Pavimentum glarea, minutiſque lapillis ruſtice admodum inſciteque compactum. In ſacelli lateribus duæ omnino ſunt, quibus lumen immittitur, feneſtræ oblongæ, neque ita magnæ, altera alteri e regione reſpondens. Janua, mari obverſa, ſpectat in Meridiem, pro magnitudine ædis ſatis ampla, nullo artificio, nulloque opere inſignis.*

k Altaris

In media templi area quatuor omnino gradus aſſurgunt e ſimplici illaborataque materia, quibus aſcenditur in ſuperiorem ſacelli partem, ubi ara SS. Domnii & Anaſtaſii viſitur, ſane humilis, tenuiſque opere, ut cætera, vulgari. Duo, quibus hi gradus interjacent, ſolo proſtant hinc atque hinc oſtiola, & ſuum cuique operculum ex lapide, quod facile amoveri poteſt, haud ſecus quam lapides noſtratibus ſepulchris impoſiti, quorum formam ac ſimilitudinem exhibet. Suæ utrique oſtiolo ſcalæ adhærent, quæ ab anteriore in poſticam templi partem averſæ, infra pavimentum deorſum verſum feruntur. Infimum utriuſque ſcalæ gradum duo item oſtia utrinque excipiunt, quæ præbent introitum ad cryptam ſubterraneam k *in ipſa rupe perfoſſam, cui templum incumbit, in modum cameræ* l *exſtructam.*

& Cryptæ ſubterraneæ,

k

l

Tenet fama, & vetus traditio eſt, conſtanti indigenarum ſermone, & conſenſu celebrata, illic ſubter pavimentum in marmoreo loculo ſitos fuiſſe ſanctos Martyres Domnium & Anaſtaſium, antequam Salona exciſa, Spalatum translati eſſent. Illud quoque ex veteri traditione affirmant ad m *lævam corpus S. Domnii locatum fuiſſe, eique ad dexteram appoſitum corpus S. Anaſtaſii; ſic ut hoc lateri dextero aræ, quod cornu Evangelii, illud lateri ſiniſtro reſponderet, quod cornu Epiſtolæ vulgo dicitur. Altare cryptæ ſuperimpoſitum eſt, ubi viſitur effigies S. Domnii, itemque S. Anaſtaſii recenti opere manuque picta; in ea autem tabula dexteram quidem S. Domnius, ſiniſtram vero S. Anaſtaſius obtinet.*

m in qua condebantur SS. Domnius, & Anaſtaſius;

Ac demenſio quidem ſubterranei fornicis videtur omnino congruere cum magnitudine utriuſque n *Arcæ marmoreæ, quarum altera S. Domnii, altera S. Anaſtaſii corpus includitur; nam ſuum cuique ſpatium ſuppetit ſatis capax: totius quippe cryptæ altitudo juſtam hominis menſuram æquat, longitudo octo circiter cubitos protenditur, latitudo minus quidem patet, proportione tamen longitudini reſpondet. Extat utraque arca, viſiturque in æde maxima Spalatenſi S. Mariæ; quæ Domnii corpus continet, Altaris in ejus honorem exſtructi menſam ſuſtinet; qua vero S. Anaſtaſii lipſana includuntur, huic quoque impoſita eſt ara ejuſdem Martyris nomine conſecrata. Ab latere ſiniſtro cryptæ, ubi ſitus fuerat S. Domnius, multa eſſe ajunt* o *oſſa cadaverum; inter quæ calva quædam humani capitis viſitur, quæ adhuc enſis impacti veſtigia oſtentat.*

n Demenſio fornicis ſubterranei.

o

Utriuſque ſuperni oſtii forma quadrata eſt, quæ latitudine unum fere cubitum exæquat. Lapis utrique obductus ferreo peſſulo clauſtroque diligenter obſeratur. Clavis eſt penes Parochum pagi Uragnicenſis, in cujus ſcilicet ditione eſt tum ſacellum, tum quidquid veteris Salonæ ſpatio ambituque continetur.

Janua hujus ædiculæ fere ſemper clauſa; ſemel atque iterum quotannis patet, die ſcilicet vigeſimo octavo, & undetrigeſimo Auguſti, quorum altero S. Anaſtaſii, altero S. Domnii illic reperti, & Spalatum advecti ſolemnis memoria celebratur: quibus quidem diebus maximi concurſus fiunt ex agris, & vicis, ex urbibus, oppidiſve circumjectis. Populi frequentiam allicit tum pietas ac religio, tum etiam ludorum ac nundinarum apparatus haud ſane ignobilis.

Ad ſacelli magna populi frequentia ac religione celebratur 28. & 29. Auguſti.

Notæ in hanc deſcriptionem.

a Anno circiter ſexageſimo ſeptimi ſæculi corpus S. Domnii, itemque S. Anaſtaſii Spalatum una cum ſede Epiſcopali translatum eſt ab Joanne primo Spalatenſium Archiepiſcopo.

b Monaſterii vocabulo hic fortaſſis deſignatur ædes Capituli Clericique Salonitani. Canonici enim, ut diximus, haud aliter, quam monachi, ſub eodem tecto, communi victus cultuſque ratione utebantur. Hujuſmodi Monaſterium ab æde Cathedrali titulum SS. Domnii, & Anaſtaſii, Coſmæ & Damiani ſibi adſciverat, quem etiam retinuit Spalati, poſt Salonam everſam, illuc translatum.

c Hæ ſunt reliquiæ mœniorum, quibus antiquæ Salonæ latus ab Oriente muniebatur. Hæc civitas, ut memoriæ proditum eſt, plura millia paſſuum circuitu comprehendebat, multo longius, quam latius exporrecta. Hinc longas Salonas apud Lucanum invenies. Hinc intelligi licet ſacellum S. Domnii cum cæteris ædificiis baſilicæ Salonitanæ intra urbis mœnia fuiſſe conſtitutum.

d Cum multa erant Salonæ publica ædificia magnifico opere ſumptuque exſtructa, quæ alibi deſcripſimus, tum inter omnia mole & amplitudine eminebat Amphitheatrum, opus vel in ipſa Romanæ urbis magnificentia conſpiciendum. Sed Amphitheatri poſitio videtur in extremam Occidentalem urbis partem rejicienda.

e Uterque campus primum in ipſo colle, tum in planitie explicabatur. Qui ad Ortum ſpectabat, complectabatur tum cœnobium Capituli Salonitani, tum cœmeterium proxime cœnobio adjectum, cui ſunt indicio ſepulchrales lapides, qui adhuc inibi paſſim extant.

f Salona partim collis dorſum inſidebat, partim in ſubjecta planitie longiſſimo mœniorum tractu excurrebat. Baſilica item, quamquam planiſſimo

loco

loco explicata, circumjectis tamen ædificiis partem collis, partemque planitiei occupabat.

g Haud vero absimile est ædem ibidem fuisse olim ad honorem cultumque S. Stephani ab Helena Regina constructam, cujus meminit Archidiaconus; quæ fortassis in locum veteris Salonitanæ basilicæ substituta, iisdem ferme, atque illa, vestigiis ac fundamentis insederit. Ex eo vero *Monasterium* appellatur, quod post obitum Helenæ hujus templi custodia & procuratio commissa est Monachis ex præclara D. Benedicti familia, quibus ibidem cœnobium conditum est assignatum. Hujus templi, seu Monasterii nihil supereſt, præter parietes vetustate exesos, ac semirutos; nam rectum jampridem corruit.

h Hoc fortasse situm erat in altero illo campo, qui ab sacello S. Domnii ad Solis occasum vergebat. Suspicio est hic fuisse primam illam ædem Salonitanam, quam S. Domnius Deiparæ Virgini excitavit, Salonitani deinde restauraverant; neque ab ea valde procul novam ædem Cathedralem seu basilicam condiderant. Eamdem multis post saculis collabentem Helena Regina restituendam magnificeque ornandam curavit, & S. Mariæ titulum eidem a S. Domnio impositum retinere voluit. Huic quoque Monasterii nomen obvenit ex proximo Benedictinorum cœnobio, quos itidem huic ædi tuendæ curandæque præpositos fuisse constat, ut supra diximus. De situ veteris Episcopii, seu palatii Episcopalis nihil ex hac descriptione colligi potest.

i Hujus sacelli descriptio satis declarat ejus ædificationem aut proximo, aut superiori sæculo adscribi oportere; nam recentis operis structura, eademque humilis ac vulgaris longe abest tum a vetustate, tum a magnificentia ejus sacelli, quod olim Salonitani condiderant, ut in eo S Domnii corpus, quo dignum erat, honore cultuque collocarent. Eodem tamen loco, ubi nunc nova illa ædes visitur, veterem quoque sitam fuisse a Salonitanis longe magnificentius exstructam, argumento est crypta illa subterranea, qua SS. Domnii & Anastasii sipsana condebantur, antequam ea Spalatenses inde abstuliſſent. Verisimile est antiquam illam ædem primum ab Avaribus, qui Salonam cœperant, eversam, deinde iterum ac sæpius collabentem, ab indigenis iterum pariter ac sæpius restitutam esse, sive ad retinendam ejus loci religionem, sive ne adeo memorabilis sanctæque antiquitatis memoria interiret. Auctor est supra laudatus Borgesicchius sacellum, quod nunc extat, pii cujusdam Sacerdotis ære sumptuque ædificatum fuisse, postquam scilicet Salonæ vicus agrique circumjacentes Turcarum dominatu exempti in Christianorum potestatem redierunt.

k Sublatis Christianorum hostibus, & restituta ecclesiæ tranquillitate, Salonitani ingenti labore conatuque perfossa rupe, cui sacellum impositum fuit, cryptam hanc concamerato opere ædificarunt eo consilio, ut reliquias SS. Domnii & Anastasii sive ab incendiis, sive ab Ethnicorum injuriis tuerentur, intactasque ad posteros transmitterent. Nec eorum consilium fefellit eventus. Nam Salona ab Avaribus incensa dirutaque sacrum illud receptaculum rupis, cui suberat, munimine obtectum omnem a sacris lipsanis violationem injuriamque prohibuit.

l Hæc descriptio omnino congruit cum historia Salonitana. Scribit enim Archidiaconus cap. 12. arcam S. Domnii subterraneis fornicibus inclusam fuisse, atque inde post urbis eversionem, a Spalatensibus eductam, & Spalatum transvectam: *Quia*, inquit, *tumba ipsius subterraneis fornicibus absconsa latuerat, nec facile discerni poterat.*

Illyricum Sacrum.

m Id præclare cohæret cum veteri historia, atque illorum temporum consuetudine. Quarto vertente sæculo Dalmatia cum adhuc Orientis & Græciæ provinciis adscripta esset, Græcorum ritus atque instituta ad suum morem usumque jampridem translata adhuc retinebat. Hæc autem apud Græcos viguit consuetudo jam usque ab antiquissimis ducta temporibus, ut si cui primas illi tribuerent, hunc ad lævam locarent, & sinistram præ dextera in pretio haberent. Salonitani igitur ex institutis Græcorum, parte dextera S. Anastasio relicta, S. Domnium ejus ecclesiæ parentem, urbisque patronum primarium ad sinistram honoris causa condiderunt. Spalatenses itidem, cum septimo sæculo corpus utriusque in novam ædem Cathedralem intulissent, ad sinistrum aræ maximæ latus arcam & altare S. Domnii locarunt, ad dexterum vero loculum cum ara S. Anastasii posuerunt; atque eumdem uterque locum etiamnum retinet; quod Græcorum instituti, veterisque consuetudinis ignaris admirationi esse solet. Quamquam autem sæculo septimo Græcorum mores ritusque apud Dalmatas magna ex parte exsoleviſſent, visum tamen est, cum utrique locum Spalati reddere, quem quisque Salonæ obtinebat, ut scilicet veteri consuetudini, religioseque antiquitati is honos haberetur.

n Utriusque arcæ descriptionem suis locis inseremus.

o In hunc locum vel maxime convenit illud Ezechielis: *Vaticinare de ossibus istis*. Cum enim de his nihil memoriæ proditum sit, nullus hic, nisi opinandi & vaticinandi locus relinquitur. Sunt, qui putent reliquias fuisse Salonitanorum Antistitum, quorum cadavera illuc fortassis inferri solebant; atque in hanc sententiam propendet Spalatensium opinio. Verisimilius forsitan videtur (nam id affirmare difficile est) situm illic fuisse aliquid ex reliquiis illorum quinque & quadraginta martyrum, quos uno fere mense ante martyrium S. Domnii religionis causa interemptos fuisse constat. Nam fortassis cum illis S. Domnius quoque ab initio conditus fuit ad radices montis Massari; & ex illis quoque aliqui post restinctam persecutionem cum S. Domnio a Salonitanis in ædem S. Mariæ translati sunt; unde pariter sublati fuerint, sæviente Diocletiano, ac demum in hoc sacellum cum S. Domnio revecti; cui quidem rei argumento esse potest calva illa, quæ recepti olim vulneris haud dubia signa retinet.

CAPUT XI.

De Numero Sociorum S. Domnii.

CUm multæ res antiquæ & longo temporum intervallo a nobis disjunctæ, neque satis adhuc explicatæ sunt, & contrariis Auctorum inter se dissidentium opinionibus implicitæ; tum perdifficilis est, ſicubi forte incidat, & perobscura quæstio de numero quorumdam martyrum, qui præclari certaminis societate inita, uno consilio atque animo, uno tempore, uno ferme eodemque supplicii genere egregiam pro Christo mortem oppetierunt; præsertim cum hasce martyrum turmas alii alio numero definiant. Velut in hac quæstione, quam de sociis S. Domnii posuimus, tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiæ, ut ex Divorum historiis nulla res in controversiam adduci posse videatur, de qua tantopere non solum Martyrologi, sed etiam eorum Interpretes dissentiant: quorum opiniones cum in contrarias partes

De Numero Sociorum S. Domnii scriptores valde inter se discrepant.

Digitized by Google

diſtrahantur, alterum fieri profecto poteſt, ut eorum nulla, alterum certe non poteſt, ut plus una vera ſit. Sunt enim, qui numerum illorum, quos B. Domnio ſocios adjiciunt, uſque adeo extenuant, ut nihilo plures, quam tres fuiſſe affirment: contra alii ſic adaugent, ut ex illis non ſolum centurias & cohortes, ſed juſtum prope exercitum conflaverint; tradunt enim ad ſeptem vel octo millia fuiſſe. Plerique Martyrologi viam quamdam intermediam ineunt, multo tamen propius ad priores, quam ad ſecundos accedunt; ſed hi quoque unum alterumve comitatui S. Domnii vel detrahunt, vel adjungunt.

In Martyrologio Hieronymiano Lucenſi ſeptem omnino ſocios S. Domnio adſcriptos invenies, quibus unum adjiciunt cum Martyrologio Romano Apographa Hieronymiana, Bruxellenſe, Barberinianum, & alia ſane multa, hiſque aſſentiunt Béda, Uſuardus, Petrus de Natalibus, Joannes Severanus, Cæſar Raſponius, Petrus Galeſinius, & quod huic ſententiæ plurimum momenti addit, Cæſar Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum. In Martyrologio Corbejenſi, & in codice Vaticano 5949. recenſentur novem, & in aliis quibuſdam Hieronymianis apographis alibi octo, alibi novem. Adamus Pariſienſis in Vita S. Domnii quadragenos fuiſſe teſtatur, quibus quinque ſuperaddunt cæteri Scriptores, qui Acta ejuſdem martyris litteris conſignarunt. Refert Archiepiſcopus Achridanus in quodam perantiquo codice amplius ſexaginta & ducentos in eum numerum ac ſocietatem adſcribi. Qui vero inter ſe vel maxime diſcrepant, præcipue ſunt: Antuerpienſe veteſtiſſimum a S. Willibrodo cognominatum, in quo univerſus S. Domnii comitatus ad pauciſſimos redigitur, ac tres omnino fuiſſe ſcribuntur, & Scriptor codicis Blumenſis, qui ſeptem millibus, itemque Notkerus, qui octo millibus ſociis B. Domnium præponunt.

Hæc tanta, tamque multiplex & varia veterum Scriptorum diſſenſio eo rem adducit, ut neque alios cum aliis conciliandi locum relinquere videatur; nec facile ſit aut numerum numero, aut Auctorem Auctori præferre. Conabimur tamen rem hanc tot ambagibus ac diſſenſionibus involutam evolvere, & certa ab incertis ſecernentes, haud ita difficilem ejuſdem explicandæ rationem inire. Sed priuſquam id aggredior, illud præmonco, quos promiſcue & communiter appellant S. Domnii ſocios, eos non omnes eſſe ejuſdem generis atque ordinis. Quocirca, ut hinc ad propoſitam controverſiam dirimendam via certa & expeditior pateat, univerſos S. Domnii ſocios, in tres ordines ſive claſſes diſtribui oportet. Prima claſſis tota conſtat ex ſociis martyrii; in alteram conjicimus ſocios ſepulchri Salonitani; ad tertiam pertinent ſocii cultus Lateranenſis.

Socii S. Domnii in tres Claſſes diſtributi.

§. I.

De Sociis Martyrii.

Quadraginta & quinque ſocii Martyrii.

HUc pertinent ſocii ſive præcurſores S. Domnii, qui uno circiter menſe ejus martyrium antegreſſi, III. Idus April. Chriſti fidem ac diſciplinam ab ipſomet Domnio ſuſceptam ſuo ſanguine ſanxerunt. Quod enim eos S. Domnius ad Chriſtianam religionem traduxerit, quod verbis atque exemplis ad præclarum illud certamen inſtruxerit, excitaverit, confirmaverit, idcirco ejuſdem diſcipuli ac ſocii jure vel optimo nuncupari poſſunt; præterquamquod ex verberibus ſanctiſſimo Duci ac Magiſtro inflictis martyrii ſubeundi occaſio illis præter ſpem oblata fuit; cum enim illum fuſtibus multari cædique indignum in modum viderent, continere ſe minime potuerunt, quin liberam vocem juſti doloris, juſtæque indignationis indicem emitterent, & Maurilio Præfecto immanitatem ac ſævitiam exprobrarent. Id ſcilicet cauſæ fuit, cur Maurilius inflammatus ſcelere & furore in eos lege agi juberet, eoſdemque martyrii palma donaverit. Cum autem perſpicuum ſit, conſtetque inter omnes, qui Acta S. Domnii memoriæ ac litteris prodiderunt, hunc manipulum ex quinque omnino & quadraginta Chriſti athletis conflatum fuiſſe, de illorum numero nulla videtur eſſe poſſe controverſia. Adamus quidem Pariſienſis huic ſociorum claſſi quinque detraxit, cum quadraginta fuiſſe ſcripſit, quos Maurilius comprehendi necarique juſſit. Mihi vero numquam perſuaderi poterit eam ob cauſam ab Adamo quinque illos e numero ſociorum exemptos fuiſſe, quod is putaverit veterrima S. Domnii Acta, & multarum ætatum approbatione confirmata correctione aliqua indigere; dixerim potius id feciſſe optimi cujuſque Scriptoris exemplo atque inſtituto, & integris, quam fractis, ut ajunt, numeris uti maluiſſe; quippe is numerus perfectus undique ac rotundus memoriæ facilius mandari, & altius infligi ſolet, minuſque obnoxius eſt depravationibus librariorum, quibus ſæpe oſcitantibus & aliud agentibus facillimum eſt & promptiſſimum in numeris deſcribendis errare vel turpiſſime. In Hiſtoria Salonitana minori multi fuiſſe leguntur, qui martyrium uno menſe ante B. Domnium ſubierint; ſed nullo eos numero definitos invenies. At hiſtoria Salonitana major, unde primam S. Domnii vitam deſcripſimus, ejus ſociis numerum certum apoſuit, eoſque omnino ad quadraginta & quinque fuiſſe teſtatur. *Ille vero* (ideſt Maurilius) *emiſſa armatorum manu quadraginta quinque ex his Chriſtianis, qui ad Prætorium convenerant, nolenteſque Idolis ſacrificare, ſtatim capite truncari juſſit.* Cum igitur eorum omnium, qui res geſtas S. Domnii ſcriptis mandarunt, ſumma ſit conſenſio in uno & eodem numero definiendo, dubitari nequit, quin prima claſſis quinque ipſos & quadraginta ſocios martyrii contineat.

Cur Adamus Pariſienſis huic numero quinque ademerit.

Verum ex formulis Martyrologicis, de quibus ſupra diximus, argumentum haud facile ad diluendum elici poſſe video, quod tum Actis S. Domnii fidem abroget, tum vero ſociorum numerum hactenus conſtitutum magnum in diſcrimen conjiciat.

cum hoc numero, & cum Actis S. Domnii videntur pugnare Martyrologia.

Nam cum illæ formulæ cohærere nequeant, ut infra declarabitur, neque cum ſecunda, neque cum tertia ſociorum claſſe, reſtat, ut ad primum ſociorum ordinem numerumque referantur. Et vero cum ad diem 11. Aprilis nomen S. Domnionis ſeu Domnii, & ſociorum omnes illæ formulæ adſcribant, equidem non intelligo quorſum pertineant, aut quibuſcum aptius congruere poſſint, quam cum iis, qui eodem die, ideſt III. Id. April. Domnio Duce ſive hortatore vitam pro Chriſto & ſanguinem profuderint. Jam vero prima hæc claſſis in omnibus fere Martyrologiis exiguo ſane numero circumſcribitur, alibi enim ſeptenos, alibi octonos, alibi novenos tantum ſocios eidem adjunctos invenies, nam quæ aut pauciores attribuunt, aut ad ſeptem vel octo millia fuiſſe tradunt, ſi ad primam claſſem ſpectare velis, ea vix arbitror digna eſſe, de quibus iterum mentio fiat: tantum abeſt, ut inde aliquid probabilis argumenti ad fidem faciendam depromi queat; neque vero dubium eſt, quin vel inſcitia vel incuria librariorum depravata fuerint. Cæterum ſive octo, ſive novem fuiſſe dicas, hi pro-

profecto longe pauciores ſunt, quam quot numerantur in Actis S. Domnii; novenus enim numerus nimium quantum a quadrageſimo quinto diſtat, cujus ne quartam quidem partem exæquat; hinc vero efficitur vel Actis S. Domnii, vel nobiliſſimis quibuſque Martyrologiis fidem abrogandam eſſe.

Video equidem facile ac promptum cuique fore aliam quamdam ſociorum claſſem comminiſci, in quos ſcilicet illæ formulæ conveniant; & noſtræ tripartitæ diviſionis quartam claſſem adjicere, ex octo vel novem B. Domnii commilitonibus conflatam, qui eodem atque ipſe loco ac die, eamdemque ob cauſam interfecti ad extremum uſque ſpiritum pro religione decertaverint: ita fieret, ut & præclariſſimis illis Martyrologis, & Actis S. Domnii ſua fides conſtaret. Verum unde id colligi, quibuſve argumentis probari poſſit, plane non video. Qui enim de vita & rebus S. Domnii ſcripſere, ne unum quidem ſocium eidem adjungunt, quo cum martyrium ſubierit; quod prætermiſſuros fuiſſe non arbitror, præſertim cum alia permulta levioris momenti ſane diligenter copioſeque perſequantur. Præterea Nonas Majas S. Domnii martyrio & religione jam inde antiquitus conſecratas hodieque ab univerſa Spalatenſi Provincia ſolemni pompa rituque celebrari ſcimus. Atqui tum Salonitana, tum Spalatenſis eccleſia hunc diem uni B. Domnio dicavit, & præterea neminem in ejus cultus honoriſque ſocietatem adſcripſit, qui forte olim eidem ſe comitem ad martyrium, ſociumque adjunxerit. Unus eo die Domnius invocatur & colitur; unum illum totius cleri ac populi religio ſpectat; illi uni publica & ſolemnis ſupplicatio inſtituitur; ad eum denique unum totius precationis horariæ divinæque liturgiæ ratio accommodatur ac refertur. Si quos vero commilitones & ſuſcepti pro Chriſto certaminis ſocios habuiſſet, dubium non eſt, quin eoſdem ex veteri & pervulgato eccleſiæ inſtituto in ejuſdem dici gloriæque ſocietatem reciperet. Adde, quod omnibus illis formulis dies undecima Aprilis inſcribitur, ad quam diem referri non poſſet eorum martyrium & commemoratio, ſi forent qui pariter cum S. Domnio religionis cauſa mortem oppetiiſſent; revocandi ſiquidem eſſent ad Nonas Majas, quippe cum eodem, ac S. Domnius, die obiiſſent, eumdemque diem martyrio ſuo ac nomine conſecraſſent. Cum igitur hæc reſponſio neque cum Actis S. Domnii cohæreat, & diſcrepet ab eo die, cujus celebritatem unus ille ſibi proprio privatoque jure vindicat, aliam aliunde peti neceſſe eſt.

Quos Domnio ſocios adſcribunt Martyrologia, ni non eodem, atque ille, die ac loco interfecti ſunt.

Franciſcus Maria Florentinius eccleſiaſticæ antiquitatis, reique Martyrologicæ valde peritus argumenti nobis objecti refellendi viam munivit, facilem illam quidem atque expeditam, ſed quam timide dubitanterque ingredior, non quod ejus ſapientiæ & auctoritati diffidam, ſed quia ducem ipſum paullulum hæſitantem video, vereorque, ut plane omninoque ad rem noſtram accommodari poſſint, quæ ille acute ſapienterque excogitavit. Juvat tamen præclariſſimi hujus viri veſtigiis inſiſtere. Is itaque cum ex Martyrologio Hieronymiano Lucenſi hanc formulam in medium attuliſſet: *In Africa Natalis Sanctorum Januarii, Marini, Naboris & Felicis & Militum* XII. primum quidem ait hunc locum videri ſibi depravatum, deinde vero hanc eidem correctionem adhibet: *An librariorum vitio ſcriptum ſit in libris mutilis militibus pro milliariis* XII. *anſam præbet dubitandi vetuſtiſſimum S. Villibrodi Martyrologium, in quo poſt quatuor Africanos martyres legitur: & Primitigavi via Penetri milia* XII. *Corrupta hæc verba ita reſtituerem. Primitivi, Gavi via Præneſtina milliario* XII. *Erat autem civitas Gavi, Gabis, ſive Gabii ad viam Præneſtinam millia* XI. *vel* XII. *ut patet ex tabulis Itinerariis, & Ferrarius in Lexico Geographico* XII. *habet.* Hactenus Florentinius.

Martyrologicas quaſdam formulas corrigendi ratio a Florentinio uſurpata & tradita.

Nemo cautius, nemo religioſius, quam ego, in veteres codices, lectioneſque, emendandi cauſa manus injecerit. Audendum tamen in loco eſt, præſertim cum neceſſitas poſtulet, neque deſit, cujus auctoritate & exemplo teipſum tueaſis. Igitur ex allato Florentinii loco correctionem ſive interpretationem accipiam, quam formulis ſupra commemoratis adhibeam. Nihil certi habeo, quod plane affirmem, exponam, quod mihi veriſimilius videtur, dubitans plerumque & mihi ipſe diffidens. Prima Martyrologii Hieronymiani formula e veteriſſimo apographo deſcripta eſt hujuſmodi: *In Salona Dalmatiæ Domnionis, ſive Dominionis Epiſcopi & militum* VIII. *ſive* IX. Hæc ad normam & exemplum Florentinianæ correctionis exigi, corrigique ad hunc modum poſſe videtur. Mendo ſubeſt vox illa *Militum*, quæ fortaſſis in autographo mutila erat, & prioribus tantum litteris deſignata hoc fere pacto *Mil.* poſteriores litteras arbitratu ſuo Librarius adjecit, ex quo factum eſt, ut ſyllaba *Mil.* in nomen *Militum* migraverit. Liceat igitur nobis, quod ſibi licere voluit Florentinius in locis utriuſque Martyrologii tum Lucenſis, tum S. Villibrodi reſtituendis, atque in locum *& Militum* VIII. *ſive* IX. ſubſtituere *& milliario* VIII. *ſive* IX. Ne vero ſocius S. Domnii ab hiſce formulis excludere videamur, illud de noſtro addi oportet inter conjunctionem *Et* atque ſyllabam *Mil.* litteras aliquas interjectas fuiſſe, quas vel temporis vetuſtas abraſerat, vel Amanuenſium incuria prætermiſit; nam aut particula *Et* redundat, aut certe aliquid deeſt, quod illa cum præcedentibus verbis conjungat; neque enim cum iis verbum a nobis ſubrogatum connecti poteſt, ut facile eſt cuique intelligere. Probabile itaque videtur illic deſiderari aut litteram *S.* ſive ſimplicem ſive geminatam hoc modo SS. aut vocabulum *Sociorum* non illud quidem integrum, ſed una alterave ſyllaba mutilatum, & hiſce litteris fortaſſe expreſſum: *& Soc.* Utraque autem nota ſocios S. Domnii deſignat. Et Galeſinius quidem bonus auctor in primis militum nomen expunxit, & ſocios maluit, quam milites ſcribere, ut in ejus Martyrologio videre eſt, ubi ad diem undecimam Aprilis hæc verba adſcripſit: *Salonæ in Dalmatia S. Domnionis Epiſcopi, & ſociorum octo mm.* Uno igitur verbo immutato, & altero adjecto, cæteris omnibus ſalvis intactiſque prima Hieronymiani Martyrologii formula vindicatur ab omni mendo, ſi cui forte ſubeſt; & cum in autographo codice ad hunc fere modum deſcripta eſſet: *In Salona Dalmatiæ Domnionis, ſive Dominionis Epiſcopi, & ſoc. Mil.* VIII. *ſive* IX. nos eamdem ſic interpretandam, atque explicandam cenſemus: *In Salona Dalmatiæ Domnionis, ſive Dominionis Epiſcopi, & ſociorum, Milliario* VIII. *ſive* IX. ideſt milliario ab urbe Salona VIII. ſive IX. Ad exemplar hujus corrigi, reſtituique facile poſſunt reliquæ aliorum Martyrologiorum formulæ, quippe cum & indidem profluxerint, ut eodem ſpectent, & ad eumdem diem pertineant. Verum hæc interpretatio non ſatis congruere videtur, cum eo loco, ad radices Montis Maſſari, ubi ſocii ſive præcurſores S. Domnii ſi non extremo ſupplicio affecti, certe ſepulti eſſe dicuntur, & veriſimile eſt ibidem S. Domnium etiam uno poſt menſe & interfectum, & conditum eſſe, ut ſuo loco docebimus. Nam Mons Maſſaron haud amplius tria paſſuum millia abeſt Salo-

quam & nos ſequimur.

Vox militum expungenda,

& vox milliarium pro ea ſubſtituenda.

interjecta littera S. quæ ſocios ſignificat.

Formula martyr. Hieronymiani ad genuinam ac veterem lectionem revocata,

quam confirmat poſitio Montis Maſſari;

Digitized by Google

na, ut intelligi poteſt ex tabula topographica agri Salonitani, quam Spalato nobis tranſmiſſam, ſupra typis inciſam exhibuimus. Montis Maſſari vocabulo non ſubeſt mons unicus, ſed carena quædam ſerieſque montium, qui ſeſe ab Occaſu in Orientem exporrigunt, & Salona alii propius, alii longius abſunt. Si horum extremus ad Solis ortum vergens ſeptem vel plura millia paſſuum ab urbe diſtaret, ad hujus radices quinque illos & quadraginta martyres ſepulturę mandatos fuiſſe dicerem juxta emendationem, quam antiquis Martyrologiis adhibuimus, milliaria in locum militum ſubſtituentes; quod autem Martyrologi de uno alterove milliario inter ſe diſſentiant, id vel librarii vitio dandum eſt, quibus nihil familiarius eſſe ſolet, quam in notis arithmeticis errare, & unam alteramve ſive adjicere, ſive prætermittere; vel ad ipſos auctores referendum eſt, qui non ſatis perſpectam & cognitam habuerint ejus loci ab urbe diſtantiam, eamque propterea vel majori vel minori milliarium numero definierint. Sed cum tabula topographica ſupra laudata anguſtior ſit, neque totam longitudinem montis Maſſari comprehendat, ex ea intelligi nequit, quatenus mons idem Orientem verſus extendatur, quotoque milliario montium illorum poſtremus ab urbe disjungitur. Cantellius a Vignola Geographus ſane accuratiſſimus, in tabula Dalmatiæ apud Jacobum Rubeum Romæ impreſſa, inter Salonam, & montem Maſſarum, quem Moſſorem vocat, tantumdem interjecit diſtantiæ, quantum ſeptem vel octo milliarium ſpatio comprehenditur; & præterea hunc montem continuis jugis longiſſime in ortum perducit uſque ad fluvium Tilurum, quem nunc Cetinam vulgo appellant: quæ quidem poſitio ac diſtantia præclare congruit cum noſtra illa Martyrologica correctione. Verum ex his duabus Tabulis utra utri præferenda ſit, ſtatuere non auſim. Cæterum ſi mons Maſſaron ex deſcriptione Cantellii uſque ad Tilurum protenditur, eo loco ad hujus radices martyres illi conditi ſunt, qui ſeptem aut octo mille paſſus ab Salona diſtabat. In antiquiſſimo apographo Hieronymiano S. Villibrodi apud Florentinium *tres tantum milites*, ideſt, ut nos interpretamur, *tres mille paſſus ab urbe* numerantur; id quod cohæret cum diſtantia, quam inter Salonam & initium montis Maſſari, exhibet tabula topographica Salonitana iterum ac ſæpius commemorata. Porro ad noſtram ſive emendationem, ſive interpretationem confirmandam, illud pertinet, quod ſolemne eſt Martyrologis locum adjungere, quem ſuo quiſque ſanguine imbuerit & conſecraverit, vel etiam ſepulchro ſuo nobilitaverit; & ſi forte extra urbem eductus ſit ad ſupplicium, notare ſolent, qua via, & quoto ab urbe milliario vel martyrium ſubierit, vel ſepulchrum obtinuerit. Quæ cum ita ſe habeant, ſi arithmeticas notas formulis ſæpius citatis adjectas removeas ab ſociis S. Domnii, eaſdemque ad milliaria transferas, jam nihil ſupereſt, in quo Martyrologi ab Actis S. Domnii diſſideant: hæc ſiquidem quadraginta & quinque martyrii ſocios fuiſſe perhibent, illi vero nullum eiſdem numerum adſcribunt. Hinc vero illud efficitur, quod hujus loci caput erat, ſartum & tectum ab omni falſitatis ſuſpicione ſervari numerum quadrageſimum quintum, quo nos veterum tabularum auctoritate freti, ſocios ſive præcurſores S. Domnii circumſcripſimus.

Martyrologorum exemplis noſtra interpretatio confirmatur.

Illud hic animadverti velim a me non idcirco ex *militibus in milliaria* commutationem fieri, quod ea vox *militum* formulis illis inferta minus mihi probetur, ſed quia numerus militum illic appoſitus minor eſt, quam ut cum ſociis S. Domnii cohærere poſſe videatur: quæ cauſa fuit, ut *milliaria* pro *militibus* ſubroganda putaverim. Cæterum ſi juxta vulgarem lectionem *milites* retinendi eſſent, non eos intelligi vellem, qui profanæ militiæ nomen dederint, ſed id vocabulum accipiendum putarem in aliam quamdam ſententiam a vulgari communique intelligentia diverſam. Nam mihi quidem veriſimile non fit, ſocios ſeu præcurſores S. Domnii vere proprieque vita inſtitutoque militari addictos fuiſſe; cum hujus rei ſane inſignis, minimeque prætermittendæ ne leve quidem indicium extet apud Auctores, qui de rebus S. Domnii adeo diligenter accurateque ſcripſerunt, ut nihil, quod memoria dignum eſſet ac litteris, tacitum præteriiſſe videantur; præterquamquod ex ejuſdem Actis haud obſcure apparet eos fuiſſe aliquos de populo, qui cum inflicta optimo parenti verbera peracerbe ferrent, & vehementius in Maurilii crudelitatem inveherentur, impotentis hominis odium furoremque in ſeipſos averterunt. Atque id cauſæ fuiſſe arbitror, cur Galeſinius in ſuo Martyrologio ſocios, quam milites, malueris S. Domnio adſcribere. Cæterum nemo eſt tam rudis, qui neſciat haud infrequentem hujus vocis uſum eſſe hagiographis, qui tamen eidem aliam vim notionemque frequentiſſime ſubjiciunt, atque vulgaris loquendi conſuetudo tribuere ſolet; ſæpe enim militum vocabulo martyres appellant, quippe cum adverſus Tyrannos pro fide ac religione pugnaverint, & præclaras de iiſdem victorias retulerint. Præterea qui ad rem Chriſtianam amplificandam pro viribus incumbunt, ſive ad Evangelium tuendum, & propagandum operam ſuam alteri navant, hi Milites, & Commilitones rite nuncupantur, velut Archippus, quem Paullus commilitonem ſuum appellavit eam ob cauſam, quod is Apoſtolicorum itinerum ac laborum comitem ſe Paullo ſociumque adjunxerat. Sæpius etiam apud Scriptores invenies eos nominatos eſſe milites, qui in Clericorum ordinem cooptati, eccleſiaſticæ, ut ita dicam, militiæ nomen ſuum adſcripſerint. Hujuſce appellationis exemplum petere licet ex epiſtola Gennadii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad S. Eleutherium martyrem jam apud Deum regnantem, quam Nicephorus libro XV. cap. 25. inſeruit: *Iſte Gennadius*, inquit, *ad Eleutherium martyrem, cujuſdam ex illius Clericis diſſolutam vitam coarguens epiſtolam dedit in hæc verba: Sancte Martyr Dei Eleutheri, miles tuus diſſolutam agit vitam; vel corrigendus ille tibi eſt, vel abjiciendus. Clericus autem ille ſtatim eſt mortuus.*

Martyres ſæpe milites appellati, non quod profanæ, ſed Chriſtianæ militiæ nomen dederint.

Chriſtiani & Clerici interdum milites dicti.

Non igitur ex illis locis vocabulum militum eo delendum cenſui, quod minus idoneum ſit, quam ut ad ſocios S. Domnii accommodari poſſit; ſed quia arithmeticæ notæ eidem adjectæ ejus ſociorum numero minime reſpondent. Verum ſi quis contenderet hanc vocem omnino retinendam eſſe, neque de formulis illis quicquam immutandum, huic ita reſponſum volumus. Non ſi Martyrologia octo vel novem ſocios S. Domnio attribuunt, idcirco negant plures fuiſſe: neque enim aliquos in ejus ſocietatem includere idem eſt, atque alios indidem excludere. Non fatis fortaſſe conſtabat de illorum numero apud illos Martyrologos; hinc factum eſt, ut alium alii numerum apponerent; & minorem majori præferrent, quod ſatius eſſe ducerent citra verum numerum conſiſtere, quam longius progredi, quorum alterum nihil veritati officit, alterum falſitatis periculo ſubeſt. Ita fit, ut in eam partem potius peccent, quæ eſt cautior, quæque ab errore longius abeſt. Si cui vero neque hæc, neque prior illa reſponſio ſatis arrideat; aliam ipſe

Alia ratio conciliandi martyrologia cum Actis S. Domn.

ſibi

ſibi excogitet, per me licet: modo hæc duo maneant fixa & certa: & omnes illas formulas ad primam ſociorum claſſem pertinere, quod infra oſtendemus; & ſocios Martyrii, ex quibus conſtat prima claſſis, neque plures, neque pauciores numero fuiſſe, quam quinque & quadraginta, quod Acta S. Domnii apertiſſime declarant.

§. II.

De ſociis ſepulchri Salonitani.

CORpus S. Domnii pro rerum ac temporum varietate in alia ex aliis loca translatum, iterum ac ſæpius ſepulchralem ſedem mutavit. Qui ejus Acta litteris conſignarunt, ſummo conſenſu tradunt extra urbem & martyrio perfunctum, & ſepulturæ mandatum fuiſſe, ibidem loci, ut nos putamus, ubi humatos accepimus quinque illos & quadraginta, quos fere unum ante menſem religionis cauſa interfectos ad radices montis Maſſari Chriſtiani ſepelierunt. Inde aliquot poſt annis in urbem translatum fuiſſe conſtat, conditumque in æde, quam ipſemet Virgini Deiparæ conſtruxerat: nec vero abſimile eſt aliquos itidem ex illis martyribus, quos modo diximus, in civitatem una cum S. Domnio delatos eſſe, eademque ſepultura intra templum Salonitanum affectos. Sub initium quarti ſæculi, cum Diocletianus Chriſtianum omne genus ad exitium & vaſtitatem vocavit, juſſitque eccleſias dirui, divinos libros ad incendium tradi, & omnia ubique religionis noſtræ veſtigia aboleri, vix dubium eſſe poteſt, quin Chriſtiani corpus S. Domnii cum aliorum Martyrum ſacris exuviis hoſtili direptioni, & Salonitani templi ruinæ ſubduxerint, devectumque in aliquam ex inſulis Dalmatiæ, ibidem procul ab hoſtium oculis atque indagine abdiderint. Illud quoque extra controverſiam poſitum eſſe videtur poſt Licinium interfectum, & pacem univerſalis eccleſiæ opera & favore Conſtantini Magni conſtitutam, S. Domnium una cum pleriſque Martyrum, quos Diocletianæ perſecutionis turbo perculerat, revectum fuiſſe Salonas, & in Salonitanam baſilicam a fundamentis excitatam illatum, conditumque in ſacello, ſepulchro ad id magnifice exſtructo, unde numquam dimotum fuit, antequam Salona capta ſeptimo ſæculo a barbaris, atque incenſa diruereturr. Cum autem de ſociis ſepulchri quæſtionem inſtituo, non eos intelligi velim, quibus itidem, ut S. Domnio locus ſepulturæ intra urbem, ædemque Salonitanam ante perſecutionem Diocletiani obtigerat; ſed illos tantum huic controverſiæ ſubjicio, qui poſtquam atrociſſima illa tempeſtas conquievit, ex inſulis pariter cum S. Domnio in urbem relati, fixum cum eo ac ſtabile in baſilica Salonitana ſepulchrum uſque ad tempus civitatis everſæ obtinuerunt.

S. Domnius extra urbem cruſus & ſepultus, deinde in urbem translatus & cum eo aliqui fortaſſe ex illis 45. ſociis Martyrii.

Diocletiano imperante ex urbe clam evehitur in aliquam inſulam.

Salonam revectus cum aliis martyribus, & in nova baſilica conditus.

Hæc igitur ſecunda claſſis ſociorum, quibus poſt Licinium aliosque Chriſtiani nominis hoſtes extinctos communis ſepulchri locus cum S. Domnio Salonæ fuit, certo ac definito numero caret. Eorum quoque nomen, genus, patria, itemque Martyrii locus ignoratur. Unus eſt, de cujus nomine, patria, martyrio conſtet, Anaſtaſius Aquilejenſis, cui Fulloni cognomen fuit, quem poſt Salonam exciſam, pridie quam S. Domnii corpus, inventum translatumque in urbem Spalatenſem vetera monumenta docent. Extant adhuc, hodieque viſuntur in ſubterranea illa crypta oſſa cadaverum ſane multa, ſeu fortaſſis etiam integra corpora, quas eſſe reliquias Martyrum illic olim cum S. Domnio conditorum & nota martyrii aliquibus, ut ajunt, impreſſa declarat, & vetus conſtanſque indigenarum opinio confirmat. Verum neque ex iis, quæ ſuperſunt, reliquiis certus aliquis eorum numerus colligi facile poteſt; neque ſi vel facillime poſſet, numero ac ſumma ſua oſtenderent, quot B. Domnio in eo ſepulchro aut intra Salonitanæ baſilicæ ambitum ſocii obtigerint. Nam ſatis veriſimile eſt ex iis quamplurimos aut latere altius in terram depreſſos, aut religionis cauſa alio aſportatos, & honorificentius conditos fuiſſe. Neque vero ad hanc claſſem referri poſſe videtur formula illa, quam Achridanus Archiepiſcopus in ſua Collectanea e veteriſſimo quodam codice ſe tranſtuliſſe teſtatur; quæ quidem ſex e §. Domnii ſociis nominatim recenſet, & alios præterea ducentos & quadraginta eidem aſſignat: eſt autem his verbis conceptis apud Achridanum expoſita: *Aprilis* XI. *In Salona Dalmatiæ Sanctorum Domnionis Epiſcopi, Fortunati, Euſtorgii, Neſtorii, Maximæ, Donati, Siagri, & aliorum* CCXL. Non eſt hujus diſputationis hanc formulam expendere. Cæterum vereor equidem, ne forte aliquis plures Divos vel martyrio vel ſanctitate inclytos, qui eodem quidem die coluntur, ſed ad loca diverſa pertinent, ex variis Martyrologiis collectos Salonæ adſcripſerit, & cum B. Domnione, ſeu Domnio Epiſcopo in unam eamdemque formulam concluſerit. Nam Fortunatum & Donatum martyres cum aliis 240. Africæ attribuunt tria Apographa Hieronymiana, Notkerus, Grevenus, aliique Mſs. codices apud Henſchenium. Nicomediæ affixit Uſuardus commemorationem S. Euſtorgii Presbyteri, quem alii titulo Martyris exornant; huic vero tres adjungunt eodem die ac loco paſſos Neſtorem, Filonem, Ceremonium tria itidem Apographa Martyrologii Hieronymiani, e quibus illud vel antiquiſſimum eſt, a S. Villibrodo nuncupatum, in quo ſub die 11. Aprilis hæc leguntur: *Lugduno Galliæ Siagrii & Patricii*. Unde vero in eam formulam ab Achridano repertam irrepſerit *Maxima*, quove pertineat, nobis adhuc incompertum.

Reliquorum neque numerus exactus, neque nomina comperta.

Tomo 2. Aprilis ad diem undecimam.

§. III.

De Sociis cultus Lateranenſis.

DE numero ac multitudine illorum, quibus communes cum S. Domnio, & anniverſarios honores eccleſia Lateranenſis decrevit, perſolvitque ſingulis annis III. Idus Aprilis, nihil cognitum, nihil compertum habeo; nam qui de martyribus ex Dalmatia & Iſtria Joannis IV. Pontificis juſſu poſt Salonæ excidium ſeptimo ſæculo Romam translatis & in æde S. Venantii apud baſilicam Lateranenſem conditis, ſcripſere, nullo eos certo numero definiunt. Id unum conſtat plures fuiſſe, quam ut exiguo numero circumſcribi poſſint. De illis hæc ſcripſit Thomas Archidiaconus cap. 8. Hiſt. Salon. *Abbas Martinus ex Apoſtolica juſſione multorum SS. reliquias accepit in partibus Dalmatiæ & Iſtriæ, & detulit eas Romam ad Papam Joannem; qui venerabilis Pontifex reverenter ſuſcipiens recondidit apud eccleſiam B. Joannis Lateranenſis*. Itaque hæc ſocietas S. Domnii latiſſime patet, & plurimos Martyres locis ac temporibus disjunctiſſimos ex Iſtria & Dalmatia collectos complectitur; quorum princeps, quaſique anteſignanus jure habetur ac dicitur S. Domnius, quippe quem Lateranenſis eccleſia III. Id. Aprilis in ſolemni officio ac liturgia cæteris præfert, eique primos ejusdiei cultuſque honores tribuit. Cæterum, quæ loca Iſtriæ ſive Dalmatiæ Martinus Abbas adierit, quæve Martyrum in illis re-

Martyres ex Dalmatia & Iſtria Romam advecti nullo certo numero definiri poſſunt.

Soeli ſepulchri quinam dicendi ſint.

Unus ex illis S. Anaſtaſius Aquilejenſis.

Digitized by Google

Neque Domnius, neque Anastasius in urbem translatus.

gionibus sepulchra lustraverit, nemo litteris prodidit. Satis probabile est Salonitanum sepulchrum S. Domnii & aliorum ibidem conditorum Martyrum ab hujusmodi perquisitione intactum fuisse; illud certissime constat, neque S. Domnii, neque S. Anastasii corpora inde sublata esse, aut Romam devecta, cum utrumque haud multis post annis ibidem repertum fuerit, atque in urbem Spalatensem translatum.

Non deerit fortasse qui suspicetur ad hanc classem referri oportere formulam illam Martyrologii Blumensis: *In Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi, & millia septem*; vel locum illum Martyrologi Notkeriani, ubi octo millia sociorum Domnioni Episcopo attributa invenies: *In Dalmatia civitate Salona Domnionis Episcopi cum millibus octo*. Verum Joannes Sollerius in Auctariis ad Usuardum admonet lectorem, ut sibi caveat a mendo, quod procul dubio in eas formulas irrepsit, neve putet quæ nominis est, numeri notam esse: *Si Domnionis nomen inquit mavis cum Notkero præ Domnio, caveßs, ne etiam millibus octo scribas, pro militum octo*. Nos autem supra diximus, neque millibus octo, neque militum octo recte scribi, & milliarii vocabulum substituendum esse. Haud equidem dubito, quin toto eo calamitosissimi temporis intervallo, quod a Nerone, qui primus omnium Romanorum Imperatorum ecclesiæ bellum indixit, usque ad Licinium effluxit, permulta Christianorum millia in Istria Dalmatiaque interempta fuerint; quod autem Martinus Abbas in ea rerum ac temporum perturbatione, cum adhuc barbari eam regionem excursionibus & latrociniis infestam haberent, ex Dalmatiæ Istriæque urbibus colligere potuerit, atque in urbem advehere tam ingentem sacrorum corporum multitudinem, quæ arithmeticis illis notis sive in Blumensi, sive in Notkeriano Martyrologio descriptis respondeat; id vero longius a veritate abest, quam ut cuiquam credibile videri possit.

Domnius plures habet socios cultus Lateranensis, quam novem illi, qui cum eo picti cernuntur.

Neque vero si de numero ac summa sociorum, quos B. Domnio Notkerus, auctorque Martyrologii Blumensis, sive librarii attribuerunt, detrahendos censeo vel plurimos, idcirco illos tantummodo in societatem cultus Lateranensis eidem adscriptos volo, qui in sacello Venantiano basilicæ Lateranensis cum eodem S. Domnio depicti visuntur. Sunt autem hi novem omnino. Primus est S. Venantius Episcopus, qui e regione oppositus S. Domnio, cæteris Martyribus Dalmaticis loci dignitate antecedit. Reliqui octo quadrifariam partiti hinc atque hinc vel S. Domnio, vel S. Venantio adstant alii aliis ex adverso constituti, videlicet ex una parte Maurus, Septimius, Antiochianus, Cajanus; ex altera Anastasius, Asterius, Telius, Paullinianus. Fateor equidem hos omnes, quorum effigies in eo hemicyclo, cui altare subest, musivo opere expressæ cernuntur, & corpora subter aram quiescunt, Martyres esse Dalmaticos, olim per Martinum Abbatem Romam delatos; sed his alios longe plures addendos censeo, quos una cum illis ex Istria Dalmatiaque idem Abbas in urbem advexit, & Joannes IV. Pontifex Max. in eo sacello recondidit, quosque Lateranensis ecclesia tri. Id. Aprilis anniversario cultu solemnique officio veneratur. Nullo eos numero definivit Anastasius Bibliothecarius, sed cum tres tantum nominet, multo tamen plures fuisse significat in eo libro, quem de Vitis Pontificum scripsit: *Eodem tempore Joannes Papa IV. fecit ecclesiam beatis Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & aliis multis, quorum reliquias de Dalmatia & Istria adduci præceperat, & recondidit eas in ecclesia suprascripta, juxta fontem Lateranensem &c.* Novem illis, de quorum nominibus vitæque instituto constabat, id honoris decrevit, ut in ea ab se constituta ædicula pingerentur: ac de his nos quoque plura dicturi sumus in Actis S. Venantii. Cæteros autem, quorum nomina ignota erant, commune cum illis sepulchrum habere, & ejusdem cultus participes esse voluit. Cum autem idem Pontifex præcipua quadam eximiaque religione coleret B. Domnium Apostolum Dalmatiæ, ex qua ipse oriundus erat, & conditorem ecclesiæ Salonitanæ; propterea huic, quamvis ejus corpus inde abesset, principem inter Martyres Dalmaticos in ea pictura locum designavit, & solemnis officii cultusque primas deferri jussit.

Car illi novem potissimū ibidem picti.

Auctor est Baronius octo illos S. Domnio, itemque S. Venantio inferiores loco atque ordine positos comprehendi formula illa Martyrologii Romani, quæ est hujusmodi: *Salonæ in Dalmatia S. Domnionis Episcopi cum militibus octo*; hanc enim explanationem eidem adhibuit: *Sociorum*, inquit, *nomina hæc sunt Paullianus, Telius, Asterius, Anastasius, Maurus, Septimius, Antiochianus, & Cajanus*. Baronii sententiæ suam adscripsit Florentinius, qui aliorum Martyrologorum formulas inter se discrepantes, ac depravatas esse existimat, ac proinde corrigi oportere, omnesque ad unam eamdemque arithmeticam notam redigendas; sic ut neque plures, neque pauciores, quam octo socii B. Domnio adjungantur. Florentinii sententiam haud parvi facit Sollerius; quippe qui in Auctariis ad Usuardum xi. Aprilis, lectores suos adire jubet Florentinium, a quo hac de re doceantur: *Sine vero hic octonus numerus ad veritatem exactus, docebit te Florentinius*.

Octo milites, quos Martyr. Rom. Domnioni adjungit; Illos non esse, quorum effigies ac nomina cernuntur in sacello Lateranensi,

Fateor equidem nihil mihi molestius accidere posse, quam si quis aliquando locus inciderit, ubi vel invitus cogar cum præstantissimis Auctoribus, communi omnium suffragio comprobatis dissentire, præsertim cum Baronio, quem tamquam Historiæ ecclesiasticæ parentem ac principem, pro eo ac debeo, revereor colоque. Verum si forte aliquem ratio haud sane levis in contrariam sententiam vocaverit, quidni eidem liceat, quod vero propius sibi videtur, id libentius sequi; & ab illorum opinione ita discedere ac dissentire, ut vel in dissentiendo summam erga eosdem reverentiam atque observantiam præferat? Quid igitur meæ sententiæ vel opinionis sit, quam potero brevissime ostendam. Formula illa Martyrologii Romani, quam supra protulimus, ut Baronius & alii docent, decerpta est ex Usuardo, Beda, aliisque perveteris Martyrologis; quos quidem eamdem formulam ex antiquissimo Hieronymiano Martyrologio descripsisse constat. Nemo enim est, quin sciat Martyrologiorum fere omnium originem, & quamdam veluti genealogicam seriem ab illo uno omnium vetustissimo Martyrologio duci; idemque quasi fontem esse, unde Beda cæterique quidquid haurire libuit, in sua Martyrologia derivarunt. Jam vero sive Eusebio, sive Hieronymo, sive alii cuipiam hoc Martyrologium adjudices, is certe illud contexuit trecentis fere annis, antequam vel Joannes IV., vel Theodorus, qui proximus ab illo universæ ecclesiæ præfuit, B. Domnii, sociorumque effigies in ædicula Lateranensi pingendas curaret. Nullo igitur modo Hieronymiana formula, neque cæteræ ex ea prognatæ referri possunt ad hanc tertiam classem sociorum, quos vel Joannes vel Theodorus ibidem S. Domnio adjunxit; nisi forte auctor illius Martyrologii tanto ante præscierit fore, ut S. Domnius octo illosdive novem Socios in sacello Ve-

Socii S. Domnio in Martyrologiis attributi nequeunt esse Lateranenses,

nan-

mentiano sibi applictos adipisceretur. Nusquam vero alibi, præterquam in Laterano Sanctos illos Martyres Paulinianum, Felicem & cæteros cum S. Domnio conjunctos invenies; & nulla alia excogitari potest horum cum eodem societas, vel conjunctio Lateranensi antiquior, ad quam Hieronymus spectare potuerit. Nam primum quidem nulla supposunt monumenta, unde satis certo colligi queat Lateranensibus illis sociis, priusquam e Dalmatia vel Istria in urbem translati essent, commune cum S. Domnio aut sepulchrum, aut diem festum fuisse; quam quidem sive sepulchri sive anniversarii cultûs societatem Conditor Martyrologii Hieronymiani significari voluerit. Deinde Martyres illi, quos nominat Baronius, inter socios Martyrii, ut ipse & alii constat, annumerari minime possunt; nam si non omnes, certe aliquos tum inter se, tum a B. Domnio ætate disjunctos fuisse constat, veluti Anastasium, ut alios nunc præteream, qui tertio sæculo, sub Aureliano, Martyrii palmam adeptus est, de quo in Actis Agapiti Salonitani Antistitis. Huc adde, quod neminem unum reperies in Actis S. Domnii, qui cum eo Martyrium obierit; nam quos Martyrii socios appellavimus, hos Domnius uno fere mense ante se illustri certamine perfunctos in cœlum præmisit: ex his autem an aliquis Romam translatus sit, pictusque in Lateranensi sacello, incertum est. Porro ad illos quinque & quadraginta ante Domnium ob religionem cæsos Hieronymianam formulam referri illud argumento est, quod eorum commemoratio ad diem undecimam Aprilis, urbemque Salonitanam affigitur. Atqui eo die Salonæ, ut suo loco ostendemus, non alii B. Domnii socii ritu officioque solemni cum eorum duce ac magistro celebrari solebant, nisi quos eidem uno fere mense ad Martyrium præviisse Acta testantur. Et vero cum horum martyrium in hunc ipsum diem inciderit, nihil causæ est, cur hujus diei cultum ac celebritatem in Martyrologium Hieronymianum relatam illis abrogemus, transferamusque ad alios B. Domnii socios, quos ille primum sibi acquisivit in sacello Lateranensi, quando nullia horum cum S. Domnio societas & conjunctio hac vetustior inveniri potest. Cur autem ecclesia Lateranensis diem undecimam Aprilis quinque illorum & quadraginta Martyrum nomine consecratam, ad recolendam venerandamque memoriam Martyrum in sacello Venantiano conditorum transtulerit, non est hujus loci, neque temporis inquirere; propterea que hanc disquisitionem in alium locum rejicimus. Itaque juxta nostram correctionem adhibitam Hieronymianæ cæterisque hujc similibus Martyrologicis formulis ob librariorum inscitiam vel incogitantiam depravatis, in his designantur, taciris nominibus, & nullo numero præfinito, socii Martyrii, ideſt illi quadraginta & quinque Martyres, quos Maximilius religionis causa interfici jussit, antequam S. Domnium capite damnatet. Illi vero, quos Baronius nominatim recenset, quorumque imagines in aedicula Venantiana apud Lateranum visuntur, aut omnes, aut plerique diversi sunt, eoque non martyrii, sed cultus Lateranensis socios appellari oportet.

sed sunt illi 45. Martyres ante S. Domnium martyrio perfuncti.

Haud equidem ignoro esse permultos, qui ab D. Hieronymo Martyrologium ejus nomini subjectum abjudicent; inter omnes tamen constare video, quicunque fuerit hujus Martyrologii auctor, hunc antiquissimum esse; nec paullo ætate posteriorem fuisse Joannem IV. Pontificem, qui septimo sæculo Dalmaticos Martyres Romam transferri jussit, & aliquos ex illis cum B. Domnio pingi in absida sacelli Lateranensis; nisi forte ea pictura, ut supra indicavi, referenda sit ad Theodorum, qui post Joannem ecclesiæ Romanæ administrationem suscepit. Quod si Hieronymus, sive quis alius fuerit ejus Martyrologii auctor, in eo loco, ubi S. Domnionis Episcopi, & sociorum commemorationem intexuit, nihil minus, quam de istis Lateranensibus sociis S. Domnii cogitavit; neque Usuardus, neque Beda, neque Auctor Martyrologii Romani ad eos respexisse videntur; sed longe alios ab illis cum S. Domnio, vel Domnione ad diem undecimam Aprilis adscripsisse. Quo enim spectat Hieronymiana formula, illuc quoque pertineant necesse est aliæ aliorum formulæ ad ejus exemplar conformatæ ac descriptæ, sic prorsus, ut omnes idem significent, & eamdem omnibus interpretationem adhiberi oporteat. Cæterum præter eos, quos nominavit Baronius, in eamdem cultus Lateranensis societatem cum B. Domnio conjiciamus licet alios longe plures ignoti nominis Martyres, ibidem conditos, & ex Istria Dalmatiaque advectos, quibus itidem, ut Domnio, ecclesia Lateranensis III. Idus Aprilis, anniversarios honores persolvit. Nec vero S. Venantium hoc numero eximi velim; eodem enim, quo cæteri, Lateranensis cultus jure ac societate gaudet; quamvis hujc Clerus Lateranensis præter diem cæteris communem, alium peculiarem ac proprium diem festum decreverit, quo die seorsum ab aliis, officio rituque solemni celebratur.

Ad societatem cultus Lateranensis præter nominatos a Baronio alii plures pertinent,

ac præsertim S. Venantius.

§. IV.

Utrum Dalmatius adjungendus sit sociis S. Domnii.

IN antiquis apographis Martyrologii Hieronymiani, S. Domnio, ejusque sociis vocabulum quoddam adjicitur, quod utrum chorographicum sit, & omnibus illis Martyribus commune, an proprium & peculiare alicujus viri religionis causa cum illis interempti, non satis liquet. Primam ejus formulæ Martyrologicæ partem hic apponere necesse est, ut extat apud Henschenium Tom. 2. die 11. April. III. *Idus Aprilis. In Mauritania natalis Saloni, Maximi, Hilarii, Conessi: & Domnini Episcopi. In Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi, & militum octo Dalmati.* Godefridus Henschenius existimat hoc postremum vocabulum *Dalmati* esse chorographicum, & cum Domnino conjungi oportere ad ejus patriam designandam; hunc vero quamvis e classe Martyrum Mauritanorum dejectum inter Martyres Salonitanos annumeret, tamen a Domnione Salonarum Episcopo distinguendum constet. Itaque formulam illam Hieronymianam, translatione quadam verborum adhibita, ad hunc modum corrigi posse ac debere existimat: *Quæ verbis transpositis, inquit, posse immo debere sic legi arbitramur: In Salona Dalmatiæ S. Domnionis Episcopi, & militum octo, sive novem, & Domnini Dalmati.* Ita quem Hieronymus cum Mauritanis, Henschenius cum Salonitanis martyribus Domninum conjunxit. Cæterum hac de re aliter, atque ipse sentiat, judicare integrum cuilibet esse ait Henschenius, modo tabulas ac testes idoneos habeat, quibus suam opinionem confirmet: *Si qui malint Domnium sive Domninum Episcopum jungere martyribus Mauritaniæ, & a Domnio Episcopo Salonitano, & Domnione Maximiani Imperatoris Cubiculario alium constituere, & Dalmatum, sive Dalmatium Martyrem dicere alibi, quam in Dalmatia possum, per nos licebit, modo id fiat propter monumenta antiqua, & jam allegatis meliora.* Tantum vero abest, ut opinioni suæ satis sibi fidendum putaverit Henschenius, ut in Prætermissis & ab undecimo

Vocem Dalmati Hieronymianæ formulæ adjectam, putat Henschenius esse chorographicam,

Digitized by Google

cimo Aprilis in alios dies rejectis, lectorem præmonuerit, sibi incertum esse, utrum vocabulum *Dalmati* appellative sumi ad significandam Dalmaticam regionem, an vero proprie accipi ad martyrem ab aliis distinctum designandum oporteat: *Celebramus hoc die plures martyres in Dalmatia passos, ad quorum Acta dubitamus, an Dalmatus, seu Dalmata debeat appellative sumi, & in titulo propositum malimus expungi*. Cæterum in titulo, quem præposuit Actis S. Domnii, & reliquorum martyrum Dalmatiæ, *Dalmatum* retinuit, & ab aliis martyribus distinxit.

Henscheniana correctio non probatur.

Ac mihi quidem Henscheniana illa interpolatio, sive correctio paullo audacior videtur esse, quam ut impune possit, & sine aliqua reprehensione adhiberi antiquis codicibus, præsertim cum hujus loci restituendi, emendandique alia ratio magis idonea supperat, quæ de formula Hieronymiana minus aliquid immutet. Nam si in eo perstare velis, ut contendas vocem *Dalmati* omnino referri debere ad declarandam provinciam, unde originem traxerant illustres illi Athletæ, qui Salonæ pro Christo decertarunt; addas licet huic vocabulo unicam diphthongum *ae*, vel illud duabus postremis syllabis augeas, unde levi admodum mutatione efficies, ut *Dalmatiæ*, vel *Dalmatarum* pro *Dalmati* legatur ad hunc modum: *In Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi & militum octo Dalmatiæ, sive Dalmatarum*. Sed hujusmodi additamentum videtur habere illud incommodi, quod ejusdem loci positionem bis in eamdem formulam intrudat. Quod qui nobis objiciat, huic ita respondsum volumus, illius chorographici vocabuli iterationem non esse supervacaneam; priore enim loco significat, qua in provincia sita esset urbs Salonitana horum martyrum palæstra; deinde regionem declarat, unde oriundi fuerint, qui socii dicuntur B. Domnii patria Antiocheni & Antistitis Salonitani.

In ejus locum altera subjicitur correctio.

Nomen Dalmati esse nomen martyris a reliquis S. Domnii sociis distincti.

Verum enimvero longe verisimilius mihi videtur extremum illud esse nomen martyris a cæteris distincti. Si quid mendi in aliquem codicem irrepserit, alia ejusdem Auctoris exemplaria inspici consulique oportet, unde correctio illius & emendatio peti possit. Habemus Ms. Barberinianum sane pervetustum, itemque apographa Lucense, & Corbejense, quæ ab illis octo militibus sive sociis S. Domnii, conjunctione & interposita Dalmatum planissime distinguunt: *Domnionis Episcopi, & militum octo, & Dalmati*. His adde Mss. duo Atrebatensia, quæ Dalmatum non modo ab aliis martyribus diversum faciunt, sed eumdem præterea titulo *Sancti* exornant: *In Salona Domnionis Episcopi, & militum octo, & Domnini Episcopi, & S. Dalmatii*. Quorsum vero pertinuat Domninus Episcopus, & a Domnione Episcopo haud dubie distinguendus, non est hujus loci operosius inquirere; vereor equidem, ne illuc fortassis librariorum culpa irrepserit; sed nunc id affirmare non ausim. Habes itaque plura exemplaria, unde corrigi, suppleri, restituique in integrum possit Hieronymiana illa apud Henschenium formula, ex qua non satis liquet, utrum vox *Dalmati* provinciam significet, an martyrem ab aliis distinctum. Hujusmodi lectio, quæ ad normam supra dictorum exemplarium emendata cæteris martyribus Dalmatium adjungit, præclare congruit cum aliis locis Hieronymiani Martyrologii, cujus Auctor sæpenumero post nomen alicujus Sancti, & plures alios anonymos eidem adjectos, simulque commemoratos, unum alterumve nominatim subjicere solet, singulari fortasse commemoratione dignum: veluti in hac formula, in qua tacitis prætermissisque nominibus sociorum B. Domnii Episcopi, expressa & honorifica Dalmatii mentio postremo loco subnectitur. Porro Hieronymianam formulam, correctione quadam adhibita, quam §. 1. declaravimus, cæterasque indidem in alia atque alia Martyrologia derivatas, adjudicandas esse censuimus quinque illis & quadraginta martyribus, quos uno fere mense ante S. Domnium pro Christo interfectos fuisse Acta testantur; quosque socios martyrii appellavimus; in horum autem numerum ac societatem Dalmatium adscribimus, qui quidem inter Anonymos illos idcirco nominatus est, quod vel de illius proprio nomine constaret, vel speciali commemoratione dignus haberetur. Illud hic admoneo apud Bedam, Usuardum, Notkerum, Bellinum, Maurolycum, & in hodierno Martyrologio Romano, itemque in aliis tum vocem illam *Dalmati*, tum Dalmatium martyrem desiderari.

Dalmatius 45. martyribus S. Domnii sociis annumeratus.

§. V.

De S. Septimio socio fortassis ac Diacono S. Domnii, & Victorico.

AD diem duodevigesimam Aprilis apographa Hieronymiana fere omnia adscribunt S. Septimium Diaconum, una cum Victorico, Salonæ martyrio perfunctum: XIV. *Kalend. Maji: Salona civitate natalis Sancti Septimii Diaconi, Victorici*; ex Apographo *Corbejensi*, quo cum fere congruunt Lucense, & Antuerpiense. Pro *Victorico* legitur *Victurus* in Ms. Reginæ Sveciæ; & in locum *Victorici Mauritium* substituit Ms. Augustanum. Apud Grevenum his duobus tertius socius accedit Donatus, teste Sollerio, in Actariis ad Usuardum, qui vocat hanc *disparatorum ex Hieronymianis conjunctionem*. De hoc martyre Septimio præter nomen, & officium, nihil omnino suppetit neque ex Martyrologiis, neque ex Actis S. Domnii, neque ex aliis antiquis monumentis. Hunc Henschenius tom. 2. die 18. April. alium esse arbitratur, longeque diversum a Septimo sive Septimio, quem inter socios S. Domnii annumerat, quique cum aliis Dalmatiæ martyribus Romam delatus in Basilica Lateranensi colitur III. Idus Aprilis, visiturque in sacello Venantiano ejusdem Basilicæ musivo opere depictus: *Inter milites cum S. Domnio Salonæ* XI. *Aprilis martyrio coronatos est aliquis Septimus, quem ab hoc Diacono diversum arbitramur*. Sed in eo certissime fallitur Henschenius, quod martyrium S. Domnii ad diem undecimam Aprilis affixit, contra quam perhibent Scriptores Actorum S. Domnii, qui eum martyrio affectum fuisse tradunt die septima Maji; cum ejusdem socii fere unum ante mensem, idest III. Idus Aprilis, præclaram pro Christo mortem oppetiissent; id quod antea in Actis S. Domnii monuerat ipsemet Henschenius: *Infra in Actis ad num. 5. asseruntur quadraginta comprehensi, nolentesque Idolis sacrificare, statim omnes trucidari jussi; quod ad hunc* XI. *Aprilis factum videtur; ac dein fere mense lapso dicitur S. Domnius Nonis Maji ad cœlum migravisse*. Vereor etiam, ut illud concedi possit Henschenio, quod ipse pro certo sumpsit, socios S. Domnii militari vitæ atque instituto addictos fuisse; ac propterea Septimum Diaconum a Septimo milite distinguendum censuit. Nos vero supra diximus apud Hagiologos & Martyrologos militum vocabulo donari non solum eos, qui profanæ militiæ nomen dederint, sed eos etiam, qui usque ad extremum spiritum pro Christiana religione decertarunt; & præterea pro *militibus*, quos for-

Henschenius dent Septimios alium Diaconum, alium militem fuisse censet.

Errata Henschenii

Digitized by Google

formulæ Martyrologicæ Domnio tamquam socios martyrii adjungunt, *milliarii* vocem substitui posse, & fortassis etiam debere existimavimus: Ad hæc: non video, quid causæ sit, cur Septimum illum, quem ab hoc Diacono diversum esse putat Henschenius, in eorum numerum referri oporteat, quos Domnius socios, & consortes gloriosi certaminis habuisse dicitur. Nemo enim ex Martyrologiis est, qui nomen vel unius ex illis memoriæ prodiderit, aut aliquem ex illis Septimi nomine appellaverit. Illud induxit, opinor, in hanc opinionem Henschenium, quod cum Baronio putaverit martyres in ædicula Venantiana depictos, inter quos est Septimius, fuisse illos ipsos, ut ajunt, novem milites, qui cum S. Domnio martyrium subiisse dicuntur: quod quidem nullis neque tabulis, neque testibus satis idoneis probari potest; præterquamquod satis constat neque Maurum, neque Asterium, quorum effigies Sacerdotali habitu atque vestitu ibidem cernuntur, in eorum militum numero habendos esse, quos cum S. Domnio, vel ante illum pro Christo interemptos ferunt. Ac mihi quidem verisimilius videtur Septimium Diaconum, cujus nomen in sacris Fastis ad diem 18. Aprilis adscriptum invenitur, & Septimium pictum cultumque in sacello Lateranensi unum esse & eumdem martyrem Salonitanum. Argumento est, quod Septimius Lateranensis eo vestitu ornatuque insignis apparet, qui albæ Dalmaticæ similitudinem quamdam ac speciem gerit, ut Joannes Ciampinus Vet. monum. Par. II. animadvertit, ex quo colligitur & efficitur eum Diaconi dignitate & officio præditum fuisse. Quid igitur necesse est duos Septimios confingere, cum idem nomen, eadem dignitas, idem locus martyrii satis superque declaret non esse distinguendum, quem Lateranenses colunt III. Id. April. ab eo, qui a Martyrologis XIV. Kal. Majas commemoratur?

Unus est Septimius, qui die 18. Aprilis commemoratur in Martyr. & colitur in Laterano, idemque est Diaconus.

Utrum vero Septimius is, qui XIV. Kal. Majas pro religione sanguinem ac vitam profudit, Diaconus fuerit S. Domnii, an alius Salonitani post Domnium Episcopi, incertum sibi esse ait Henschenius: *An fuerit dicti Domnii Episcopi Diaconus, quem nunc colimus, septimo die post illius martyrium occisus* (iterum hic aberrat a die martyrii S. Domnii), *in defectu Aliorum, non potest certo statui.* Si quemadmodum dies, sic annus martyrii in antiquas tabulas relatus fuisset, hæc controversia nullo negotio dirimi posset. Si enim Septimius duobus, vel aliquot diebus ante obitum S. Domnii, vel uno alterove post anno Salonæ pro Christo mortem occubuit, haud dubium est, quin habendus sit, dicendusque ejus Diaconus. Si vero multis annis post Pontificatum Domnii elapsis ex hac vita migravit, Septimii Diaconatus referendus est ad illum Antistitem, qui per id temporis Salonitanam ecclesiam administrabat. Sed cum nusquam adscriptum inveniam sive annum, sive sæculum, quocum colligari oporteat martyrium S. Septimii Diaconi, incertum est, utrum B. Domnio, an ejus successoribus Episcopis in eo gradu hierarchiæ ecclesiasticæ operam navaverit. Illud solum affirmare mihi videor posse Septimum Diaconum Salonæ pro Christo interfectum in numero illorum habendum esse, quos B. Domnius socios habet ac participes cultus Lateranensis. Martyribus Salonitanis adde Victoricum, de quo præter nomen, nihil habeo compertum; hujus quippe martyrium Salonæ adscribunt apographa Hieronymiana. Hermogenem vero, quem cum Septimio & *Victorico* Greventus conjunxit, in classem martyrum Africanorum eadem apographa Hieronymiana conjiciunt, ex qua illum ad martyres Salonitanos Greventius transtulit.

An Septimius fuerit Diaconus S. Domnii, non constat.

Victoricus Martyr Salonitan. Hermogenes non item.

CAPUT XII.

De prima Translatione S. Domnii.

JAm usque a primis ecclesiæ temporibus laudabili piaque consuetudine receptum est, ut sanctorum martyrum corpora ex ignobili tumulo locisque defertis effossa in ampliorem sedem, & frequentiora loca transferrentur, sive ne cum eorum exuviis nomen quoque ac memoria vetustate obrueretur, sive ut quorum funus inter cædes ac tumultus Christianæ pietatis officiis, proh dolor! ornari non potuit, eorum corporibus, ubi primum aliquid pacis atque otii esset, debitus honos cultusque adhiberetur. Cujus quidem ritus atque instituti tam antiqui, tam ubique propagati Deus ipse haud dubius est auctor, qui cum in Sanctis suis admirabilis & munificentissimus prædicari velit, vel eorum cadavera sibi curæ & cordi esse ostendit: ex quo conjectari liceat, cujusmodi tandem honore beatissimos eorum animos in cœlo afficiat, quorum ne extincta quidem corpora sine honore in terris esse, & neglecta inter squallorem ac sordes jacere patitur. Divini igitur consilii & providentiæ fuit, ut idem quoque honos sanctissimis B. Domnii reliquiis haberetur. Nam Salonitani sive optimi Pastoris desiderio, sive divina potius visione, nonnisi multis annis post ejus martyrium interjectis sacrum B. Domnii corpus exeo, quo conditum fuerat, loco intra urbis mœnia asportarunt; ut videlicet quem vivum summa caritate dilexerant, eumdem mortuum apud se haberent, & perpetua veneratione colerent. Ex iis, quæ ad primam translationem pertinent, tria potissimum digna sunt investigatione, quæque hoc loco in disquisitionem veniant. Nam primum quidem inquiri potest, ubinam S. Domnius post martyrium conditus fuerit, sive unde Salonam translatus; deinde quonam æræ, communis anno, demum quo mense quove die hujusmodi translatio facta fuerit.

Martyrum corpora ex obscuris in amplissima loca transferri frequens mos veterum.

§. I.

Ubinam corpus S. Domnii ab ejus martyrio usque ad primam translationem situm fuerit, sive unde Salonam translatum sit.

QUi martyrum certamina pro Christo fusa, mortemque religionis causa fortiter pieque obitam litteris mandant, iidem adjicere solent certum ac definitum sepulchri locum, in quem Christiani clanculum & raptim ob metum hostium ingruentium sacras exuvias intulerint, vel si minus locum ipsum proprio certoque vocabulo designant, eidem tamen notas aliquas sepulchri indices apponunt; ut si quis deinde, ubi persecutio deferbuerit, eorum reliquias pietatis ac religionis ergo quæreret, illis indiciis admonitus facilius reperire posset. Nam vel declarant, quoto ab urbe lapide conditi fuerint, vel proprio nomine signant urbis portam, extra quam constitutus fuit sepulturæ locus, vel admonent deviæ, cui proxime sepulchrum adjacet, vel nominatim exprimunt nobilis piique viri alicujus prædium, ubi sacrum corpus situm sit ac locatum, vel certam cœli plagam designant, ad quam tumulus spectat, vel denique alia ejusmodi signa & notas exhibent, quæ posteros admoneant, ubi reposita sint, & perquiri oporteat SS. mar-

Martyrum sepulchris aliqua nota apponi solebat, unde possent dignosci.

SS. martyrum cadavera, ne ſcilicet eodem tumulo, quo illorum corpora conteguntur, nomen etiam ac memoria in perpetuum obruatur. At nihil ejuſmodi invenire licet in Actis S. Domnii, quod vel tenui indicio eſſe poſſit ad eum locum inveſtigandum, qui primus omnium beatiſſimi martyris exanguia membra exceperit, quique cum talis ac tanti depoſiti cuſtodia conſecratus eſſet, dignus plane fuerat, qui totius Dalmatiæ concurſu ac religione celebraretur. Id unum conſtat, in quo omnes omnino codices conſentiunt, extra urbem eductum fuiſſe, ut capite plecteretur, & ibidem fere loci nocte intempeſta conditum eſſe, ubi extremum ſupplicium pro Chriſto ſubierat: *Littores eum apprehenſum extra civitatem, ut decollaretur, eduxerunt &c.* ex prima Vita. Idem in aliis codicibus ſcriptum eſt. Adamus Pariſienſis locum ſepulturæ adjecit, nomen loci ſilentio præteriit: *In eodem autem loco, ubi expiraverat, noctu a Chriſtianis ſepelitur*; quod confirmant quartæ vitæ, & Legendæ Slavonicæ Auctores. Qui primam, itemque qui alteram vitam deſcripſit, locum martyrii extra urbem fuiſſe uterque tradit, neuter tamen de ſepulchro mentionem fecit. Verum ex locis modo allatis ne illud quidem colligi licet, utrum S. Domnius longe, an prope ab urbe ſupplicio affectus fuerit, & ſepulturæ traditus.

S. Domnius extra urbē martyrio & ſepultura affectus;

Si quid loci in hiſce rebus cognitu & inveſtigatu difficillimis conjecturis eſſe poteſt, mihi quidem haud improbabile videtur ab Chriſtianis conditum fuiſſe B. Domnium ſub ipſis radicibus montis Maſſari, ubi haud multo ante ſepultura affecerant quinque illos & quadraginta martyres, quos Maurilius religionis cauſa interfici juſſerat; ſive quod hunc locum martyrum ſepulchro deſtinaſſent; ſive quod ducem ac magiſtrum cum diſcipulis & commilitonibus communis ſepulturæ honore conjungendum putarent, quos ipſe Chriſtianis præceptis ac myſteriis imbuerat, & ad extremum pro Chriſto certamen ineundum inſtruxerat. De montis Maſſari poſitione, ejuſque ab Salona diſtantia ſatis diximus cap. XI. §. 1. nec vero abſimile eſt illuc perduci juſſum S. Antiſtitem ad ſubeundum martyrium, propterea quod Maurilius metueret, ne ſi vel in urbe, vel prope ab urbe capitali ſupplicio afficeretur, Chriſtianorum indignationem optimi parentis nece vehementius commotam, adverſus ſe concitaret, cujus clamores & objurgationes paullo ante ferre non potuit, cum idem B. Præſul verberibus cæderetur. Itaque ex agro, qui eſt ad radices montis Maſſari, ubi martyrio perfunctus, & ſepultus fuiſſe videtur, Chriſtiani S. Domnium in civitatem tranſtulere. Locum vero, ubi ejus ſacratiſſimæ exuviæ poſt primam translationem repoſitæ ſunt, Acta ejuſdem apertius declarant, quam ut res hæc majori explicatione indigeat. Nam & in Salonitanam urbem illatas fuiſſe, & in ipſa illa æde honorifice conditas, quam S. Domnius Deiparæ Virginis nomine & auſpiciis conſecraverat, plane diſerteque affirmant; ejuſque corpus ac ſepulchrum Deus ipſe ita multis illuſtribuſque adornavit miraculis, quemadmodum tradunt ejus vitæ Scriptores, ut æquis iniquiſque omnibus Animi beati, ſummaque apud Deum gratia præditi fidem facerent.

Videtur ſepultus fuiſſe ad radicem Montis Maſſari.

Inde in urbē tranſlatus,

& in eccleſia S. Mariæ ab ipſo exſtructa collocatus.

§. II.

Teſtimonia ex Actis S. Domnii, unde primæ translationis tempus & annus dignoſci poteſt.

NOn poſt paucos deinde annos, ceſſante perſecutione, martyris corpus intra urbem, ad eccleſiam B. Mariæ, quam primum poſitam ibidem a fidelibus diximus, translatum eſt. Ex Adamo Pariſienſi.

Chriſtiani vero colligentes eadem nocte corpus ejus, in ipſo loco, in quo decollatus eſt, ſepelierunt illud; & poſt non multos annos, ceſſante perſecutione, tranſtulerunt illud intra muros in eccleſiam Dei genitricis, & Virginis Mariæ &c. Ex Auctore quartæ Vitæ.

Poſtea non poſt multum temporis corpus hujus B. Martyris, quieſcentibus jam a perſecutione Chriſtianis, in Salonarum urbem eſt translatum, honorificeque conditum in eccleſia jam memorata B. Mariæ Virginis. Ex Oratione Illyrica.

Non multo poſt intra urbem collocatus. Ex Lect. Breviarii Spalat.

Quos locos modo produximus ex codicibus ſupra deſcriptis, ii ſatis aperte docent B. Domnii corpus non antea in urbem fuiſſe tranſvectum, quam atrox illa perſecutio deferbuit, quæ huic ſanctiſſimo viro ſimul vitam eripuit, & decus palmamque attulit martyrii. Nam ibi ſcriptum invenies corpus beati Martyris intra Salonæ mœnia delatum eſſe, *ceſſante perſecutione*. Porro tempeſtas illa, quæ ab Trajano concitata rei Chriſtianæ ingentem ſane calamitatem attulit, ne ipſius quidem Trajani morte ſedata eſt. Satis quippe conſtat poſt ejuſdem obitum eam temporis Chriſtianis iniquiſſimi procellam tenuiſſe annos ferme novem imperante Ælio Hadriano, qui proximus a Trajano Romanum imperium obtinuit, inivitque anno Chriſti 119. juxta Baronium, vel 117. ut alii tradunt. Atque Hadrianus nullum quidem Decretum adverſus Chriſtianos fecit, ſed quæ Deceſſores crudeliter impieque ſanciverant, ea rata eſſe voluit, exemploque ſuo firmavit. Præterquamquod ut omnia deeſſent Imperatorum edicta, nimis grave præjudicium in Chriſtianos erant Senatus populique Romani antiquæ leges, quibus interdictum erat, ne quid novæ religionis in urbem, Romanique Imperii provincias reciperetur. Itaque Hadrianus nihilo mitius rem Chriſtianam afflixit, quam illi, qui antea compoſitis edictis, conceptiſque verbis religioni noſtræ bellum indixerant. Quare plerique Auctores graves ſane ac nobiles perſecutionem ab Trajano excitatam, ne nomine quidem, nedum reipſa diſtinguunt ab illa, quam in Chriſtianos exercuit Hadrianus impietatis pariter imperiique hæres a Trajano relictus; unam eamdemque eſſe tradunt, & ab Neroniana tertiam appellari oportere contendunt; quippe primis Hadriani temporibus nihil de acerbitate ac ſævitia remiſit, ac ne punctum quidem temporis conquievit.

Poſt perſecutionē Trajani exſtinctā,

imperante Hadriano, qui primū Chriſtianis infeſtus,

Anno Chriſti 128. vel 126. Hadrianus, cum Athenis eſſet, duas orationes accepit pro defenſione Chriſtianorum graviſſime ſcriptas; alteram Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, idemque Athenienſis Epiſcopus, alteram Ariſtides nobilis Philoſophus & civis Athenienſis obtulerant. Uterque adeo præclare Chriſtianæ religionis cauſam egit, ut calumnias falſo eidem impoſitas diſcuſſerit; & Chriſtianis Imperatoris animum ſi minus conciliavit, certe placavit. Huc accedebat, quod ſuperiori anno in eamdem ſententiam litteras ad Hadrianum dederat Serenius Granianus Aſiæ Proconſul: caput autem litterarum erat, ſibi quidem indignum videri tot innocentiſſimos homines nullius criminis objectu, ſolius nominis ac religionis cauſa ad ſupplicium rapi. Videret ipſe pro ſua æquitate ac ſapientia, num æquum eſſet tantum innoxii ſanguinis ubique locorum effundi, ut concitatæ multitudinis immani odio, inſaniſque clamoribus

ſatiſ-

Digitized by Google

satisfieret. His Hadrianus permotus, ut auctor est Eusebius in Chronico, rescripsit hoc anno 128. sive ante biennium, ut alii volunt, ad Minucium Fundanum, qui Serenio in Asiæ proconsulatum successerat, id suæ voluntatis esse, ne cui imposterum Christiana religio fraudi esset, neve quisquam solius religionis nomine in judicium vocaretur. Si quis vero ejus generis crimina Christianis inferret, quæ probare non posset, huic ne impunita esset illata calumnia. Ita demum a cladibus respiratum est, & pax aliqua & tranquillitas ecclesiæ restituta. Cum itaque Hadriani rescripto acerbissima illa insectatio magna ex parte conquieverit, & auctoritate publica nostrorum incolumitati cautum sit, jure ac merito annus Christi centesimus & duodetrigesimus, *vel vigesimus* sextus is fuisse dicitur, qui huic persecutioni finem attulit, quamvis eamdem Cassiodorus in trigesimum secundum hujus sæculi annum extraxerit. Atqui hoc tempus fuit, si quidem allatis supra codicibus fides adhibenda est, cum Salonitani temporis satis propitii opportunitatem nacti, corpus B. Domnii in urbem transtulerunt; sive ea translatio in hunc ipsum annum 128. inciderit; sive referenda sit ad annum insequentem, propterea quod aliquid temporis interesse oportuerit inter compositas datasque ad Minucium Fundanum Hadriani litteras, easque primum in Asia promulgatas, tum ad alios Romani orbis Præsides vel scripto vel fama & auditione perlatas, antequam vim suam effectumque obtinerent. Illud pro certo haberi potest hujusmodi translationem neque ante 28. aut certe 26. retrahi, neque infra 29. secundi sæculi annum deprimi posse. Etenim ab interitu S. Domnii usque ad Hadriani rescriptum persecutio illa numquam quievit, nihil inducarum fuit, ne tantulum quidem spatii ad respirandum habuit ecclesia. Nequit igitur hæc translatio constitui ante annum 126. aut 128, cum adhuc fervebat persecutio, qua demum restincta, tum primum avectas in urbem fuisse B. Domnii reliquias Acta testantur. Nihilo probabilius est eamdem contigisse post annum 129; siquidem inter omnes codices convenit id factum esse *cessante persecutione*, idest simul atque proposito & promulgato Hadriani rescripto cessatum a Christianorum cædibus est; cum autem id acciderit anno vel 28. ejusdem sæculi, vel biennio ante, infra eumdem annum 129. nequit revocari hæc translatio, quam sub finem persecutionis, aut certe non multo post secutam fuisse Acta declarant. Huc accedit, quod a Martyrio S. Domnii haud ita multi interceserant anni, cum ejus corpus Salonas delatum est. Id adeo ex ipsis Actis cognosci licet, ubi breve hoc temporis intervallum hisce verbis declaratur. *Post non multos annos. Non multo post. Postea non post multum temporis.* Domnius martyrium subiit anno æræ vulg. 107; hinc vero ad annum 129. duo & viginti anni numerantur: quod quidem temporis spatium neque ita longum est, ut excedat, neque ita breve, quin expleat incertam illam minimeque definitam temporis mensuram, quæ illis loquendi formulis modo expositis comprehenditur. Adamus Parisiensis videtur ille quidem a cæteris dissentire, quippe qui *non post paucos deinde annos* translationem factam fuisse scripserit; sed esto verbis discrepet, re tamen ipsa cum aliis congruit. Nam duo & viginti anni aliis *non multi*, aliis *non pauci* videri possunt; ex quo fit, ut eumdem numerum alii aliis verbis designent. Cæterum ejusmodi notis incerti numeri ac temporis, quamquam in speciem inter se contrariis, juxta vulgarem intelligentiam una eademque subjici potest significatio; sic prorsus, ut idem sit *non multos, sive non paucos annos* dicere, ac si quis diceret inter martyrium & translationem S. Domnii interjectos fuisse *aliquot annos*, cui quidem numero indefinito anni duo & viginti satis congruenter convenienterque ad rei veritatem respondent.

deinde eos inquiri pœnisque affici vetuit.

Corpus S. Domnii Salonam translatum est

anno circiter 128.

Ex his illud quoque constare arbitror hanc translationem revocari non posse ad quinquagesimum quartum *vel* secundum hujus sæculi annum, cum Antoninus cognomento Pius ecclesiæ rursus exagitatæ pacem reddidit. Nam post obitum Hadriani Christiana res Prætorum improbitate vehementer afflicta est, Imperatore vel consentiente, vel permittente, ac multi Christianorum greges cum alibi, tum Romæ præsertim mactati. Quare permulti sane historici persecutionem Trajani, quamvis ob rescriptum Hadriani paucorum annorum induciæ intercesserint, longius producunt, neque ante annum 154. vel 152. restinctam fuisse affirmant, cum Antoninus sive Justini Christiani Philosophi oratione motus, sive magis quibusdam Romani imperii cladibus & calamitatibus perterritus legem tulit, ut si quis hoc solo nomine, quod Christianus esset, postularetur, in accusatorem supplicium verteretur. Sed quominus in hoc usque tempus B. Domnii translatio differri possit, prohibent acta iterum ac sæpius citata, quæ translationem ab obitu S. Domnii haud multorum annorum intervallo disjungunt. Ab anno autem 107, cum S. Domnius perfunctus est martyrio, ad annum ejusdem sæculi 54. effluxerunt anni septem & quadraginta, numero sane plures, quam ut paucorum annorum spatio comprehendi aut significari possint. Præterquamquod nihil causæ est, cur verba illa *cessante persecutione* ad Antonini potius, quam ad Hadriani edictum referri debeant. Quemadmodum enim Hadriani rescripto sopita potius persecutio, quam extincta fuit, quippe paucis post annis iterum exarsit; sic etiam brevis admodum fuit restituta per Antoninum ecclesiæ tranquillitas, quam decennio post Imperatoribus M. Aurelio, & Lucio Vero turbulentissimum bellum excepit. Maneat igitur certus ac fixus annus secundi sæculi 26. vel 29. cui prima S. Domnii ex agro in urbem translatio affigi debet.

Hæc translatio revocari nequit in annum 146. vel 152.

Mensis ac dies incertus primæ translationis.

De mense ac die, in quem inciderit prima hæc translatio, nihil memoriæ proditum est. Acta B. Domnii, quamvis huic rei nullum certum ac definitum tempus apposuerint, signa tamen quædam & notas exhibent, e quibus dignosci potest annus ille, cui hanc translationem innecti oporteat, ut supra vidimus. Sed in iisdem actis ne vestigia quidem usquam apparent, quæ ad mensem ac diem inquirendum ferant, sic ut is prorsus lateat, & ne conjectura quidem attingi, nedum certa ratione comprehendi possit. Neque e fastis hodiernis ecclesiæ Salonitanæ, in quos festi dies referri solebant, id colligi licet, cum nullus inibi dies ad recolendam celebrandamque hujus primæ translationis memoriam designetur.

CAPUT XIII.

De secunda & tertia Translatione S. Domnii.

§. I.

Cur, & quando facta sit secunda & tertia translatio.

ALterius & tertiæ translationis ne vestigium quidem in Actis S. Domnii, vel in Dalmaticis tabulis reperire licuit. Aliunde igitur utriusque argumenta mutuari oportet; quæ quidem ad fidem

fidem faciendam ſi minus evidentia, certe ſint ſatis idonea, quippe cum ex illorum temporum hiſtoria ducantur. Utramque hic conjungimus; nam alteram ab altera disjungi, temporum ordo, rerumque ſeries & connexio vetat.

Edictum Diocletiani de ſacris ædibus diruendis.

Anno Chriſti 303. Diocletianus Imperator, inſtigante potiſſimum Maximiano Galerio ex adoptione filio, imperiique deſignato hærede, Nicomediæ cum eſſet, Chriſtianæ religioni bellum omnium, quæ ad eam diem exarſerant, acerbiſſimum indixit; & cum nominatim decreviſſet, ut eccleſiæ omnes diruerentur, hujus cladis initium fieri juſſit ab Nicomedienſi Chriſtianorum templo, quod ferro ac ſecuribus excifum, egregium ſane vel magnitudine vel ſtructura ædificium funditus corruit. Neque ea clades Nicomediæ mœnibus ſeſe continuit, ſed cum imperatorio edicto longe lateque pervagata, omnes imperii Romani provincias, urbeſque primarias pervaſit, & ſacris ædibus vaſtitatem excidiumque intulit. Nullus dubito, quin etiam Salonitanum templum olim a B. Domnio conditum, ac Deiparæ Virginis nomine conſecratum eadem ruina obrutum conciderit. Erat Salona perampla civitas, cujus opulentia, pulchritudine, & ſitu manu & natura egregie communito, præclaroque ad aſpectum, Diocletianus mirifice delectabatur; ad quam ſæpius vel commorandi, vel juris dicundi cauſa divertere ſolebat, quamque jamdudum ſuæ vitæ privatæ portum receptumque tutiſſimum animo deſignaverat; hic magnificentiſſimum Jovis fanum, hic Imperatorias ædes ampliſſimas ipſemet Diocletianus ingenti mole ſumptuque ſibi exſtruxit; hic denique frequens verſabatur Galerius poſt Auguſtale imperium a Diocletiano acceptum, acerrimus Chriſtianorum hoſtis; quæ quidem cauſæ fuere, ut Diocletiani perſecutio vel maximas in hac urbe ſtrages ediderit. Non eſt autem veriſimile, ut Salonitana ædes S. Mariæ Imperatorum oculos rabiemque ſubterfugerit.

Templum Salonitanum, a B. Domnio exſtructum, excifum.

In ea rerum ac temporum perturbatione par eſt credere, nihil antiquius Chriſtianos habuiſſe, quam ut B. Domnii exuvias ſumma apud eos religione cultas flammis præriperent, eaſdemque alio translatas ſibi ac poſteris incolumes ſervarent. Haud ſatis exploratum eſt, quæ civitas, quæve regio ſacris illis lipſanis perfugium, tutumque ab hoſtibus receptum præbuerit. Ex iis tamen, quæ infra dicturi ſumus, conjicere licet corpus S. Domnii per id temporis avectum fuiſſe in eam Dalmatiæ inſulam, quæ nunc quidem *Leſina*, antiquitus vero *Pharia* vocabatur, quæque deinde unius litteræ additione, cepta eſt dici *Apharia*; tum ex prava corruptaque ſcriptione, vel pronunciatione *Africæ* nomen interdum obtinuit. Huic inſulæ, ut nobis quidem videtur, Chriſtianorum pietas ac religio *ſacræ* cognomentum indidit, propterea quod ibidem plurimi martyres vel ſepulturæ traditi, vel ærumnis ac macie & pedore confecti fuerant.

Tunc corpus S. Domnii ruinæ ſubductum, & ut videtur in Phariam inſulam tranſlatum.

Anno 318. tandem conquievit turbulentiſſima illa tempeſtas, quam Diocletianus concitaverat, Galerius & Maximinus in decimum tertium uſque annum perduxerant. Sed quam eccleſiæ attulit Galerii & Maximini interitus, brevis ea tranquillitas fuit. Nam pauci interceſſerant anni, cum nefarium bellum Licinius redintegravit, qui in Illyricas etiam eccleſias ſuam crudelitatem ac rabiem exprompſit. Oppreſſo interfectoque Licinio, Conſtantinus Magnus anno quarti ſæculi 25. perpetuam ac diuturnam eccleſiæ pacem ubique conſtituit. Exinde res Chriſtiana mirum in modum florere, ac latius in dies propagari cœpit. Per idem tempus ſacræ ædes igni ac ferro collapſæ reſtitui, nova templa atque adeo baſilicæ immortali Deo in omnibus provinciis atque urbibus condi ædificarique cœperunt, eo ſumptu ac magnificentia, ut Idolorum fanis vel ampliſſimis non ſolum magnitudine, ſed etiam operis elegantia longe multumque antecellerent. Qua in re Salonitanorum pietas ac religio in primis enituit. Nam, ut ſupra diximus, duo templa Salonæ ea tempeſtate erecta ſunt, pecunia curaque publica. Primum S. Mariæ iiſdem incubuit veſtigiis, quibus antea ſteterat ædes Mariana ab S. Domnio condita; ſed veteri illa æde cum ſpecie, tum ornatu haud paullo elegantius. Alterum ad celebrandam colendamque memoriam SS. Martyrum Domnii & Anaſtaſii, Coſmæ & Damiani; quod cum eſſet priori illo longe majus & auguſtius, viſum eſt illuc transferri oportere ſedem Epiſcopalem, quam S. Domnius in antiqua Mariana æde conſtituerat. Hoc templum olim baſilica dicta eſt, ædiſque Cathedralis, ſeu Metropolitanæ titulo ac jure donata. Huic adjectum eſt ſacellum, parvum illud quidem, ſed perpulchre ornateque deſcriptum, ubi ſepulchro locus conſtitutus eſt, quo corpora SS. Domnii & Anaſtaſii pro dignitate conderentur. Verum ex quo jacta ſunt hujus baſilicæ fundamenta, multum temporis interceſſit, antequam inchoata ædificatio perfici potuerit, ſeu quod majus eſſet opus, & majoris impendii, quam ut intra paucos annos abſolvi poſſet, præſertim quod per ea tempora Epiſcopi & Clerus Salonitanus gravioribus rebus alio diſtracti eo præcipue curas, & cogitationes omnes intenderent, ut Arianam luem in provincias finitimas graſſantem a progreſſu arcerent, eidemque ad eccleſiam Dalmaticam omnem undique aditum intercluderent. Quæ quidem omnia paullo fuſius & copioſius ſupra explicuimus.

Poſt pacem eccleſiæ redditam duo templa Salonæ ædificata.

Tandem anno fere 90. quarti ſæculi, ut veriſimile fit ex iis, quæ dicturi ſumus, perductis ad ſummum uſque parietibus, & faſtigio ac tecto impoſito, univerſum opus abſolutum eſt, egregium ſane, & vel in hac Chriſtianarum ædium magnificentia conſpiciendum. Condita vero ornataque baſilica, & Chriſtianis ſacris rite initiata, Clerus populuſque Salonitanus nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut S. Domnii reliquias inde repeterent, quo illas perfugii ac tutelæ cauſa multos ante annos tranſtulerant; eaſdemque intra urbis mœnia referrent. Igitur quanta maxima fieri potuit pompa ac celebritate ex inſula Pharia iterum Salonam advectæ ſunt exeunte quarto ſæculo; & in ſacello prope baſilicam ad id conſtructo honorificentiſſime collocatæ; eiſque appoſitum eſt corpus S. Anaſtaſii patria quidem Aquilejenſis, martyrio autem Salonitani.

Anno circiter 390. corpus S. Domnii ex inſula Pharia Salonam revectum.

Jam vero ne a nobis hæc conficta eſſe videantur, hic aliquid argumenti ſeu conjecturæ afferri oportet, quod narrationem noſtram veriſimilem reddat, atque probabilem. Primum omnium illud pro certo haberi poſſe arbitror veterem illam ædem Deiparæ Virginis, quam S. Domnius exſtruxerat, flammis abſumptam concidiſſe, cum Diocletianus religioni pariter, templiſque Chriſtianis, & ſacris monumentis ſacrilegum bellum indixit, id quod ſupra oſtendimus. Illud quoque clarius patet, quam ut in dubium revocari queat, corpus S. Domnii ab ea clade exemptum fuiſſe, alioque translatum, cum adhuc extet, ac Spalati, ut dicetur, ſumma veneratione colatur. Ad hæc: nulla controverſia eſſe poteſt, quin idem corpus aliquando translatum fuerit in illud ſacellum, quod baſilicæ SS. Martyrum proxime adjacebat; nam illinc cum S. Anaſtaſio poſt Salonam exciſam, in urbem Spalatenſem allatum fuiſſe conſtat. Hæc tria fere certa cum ſint,

de ſe-

Digitized by Google

de ſecunda & tertia translatione vix ulla poteſt eſſe dubitatio. Duo in hac re ſuperſunt, quæ cum dubia ſint & controverſa, diligentem inquiſitionem poſtulant: alterum eſt, utrum Diocletiano in Chriſtianos ſæviente, inſula Pharia exceperit reliquias S. Domnii flammis ſubreptas, eiſdemque perfugio ac præſidio fuerit; alterum, quo anno ex ea inſula Salonitani corpus S. Domnii Salonam revexerint. Utrumque autem ſi minus certo & evidenter, probabili tamen conjectura mihi videtur elici poſſe ex depravato quodam Martyrologii Caudiacenſis loco, quem ex Auctariis Uſuardinis Joannis Baptiſtæ Sollerii ad diem 21. Julii deſcripſimus.

§. II.

Annus & dies tertiæ translationis, itemque locus, unde corpus S. Domnii revectum eſt Salonas, ex Martyrologio Caudiacenſi per conjecturam elicitur.

Formula Martyrologii Caudiacenſis.

M. Caudiacenſe 21. Julii, *In Galliis adventus & ſuſceptio corporis S. Domnini, vel Doumini M. ex ſacra Aquitaniæ provincia translatum in Selula, in pago Toloricenſi, in loco antiquitus Magno-loco dein nomine dicto anno Inc. Dom. DCCCLXXXIX.* Ita ſcriptum inveni apud Sollerium in Auctariis nuper indicatis. Mirum, quam fœda ſit hujus loci labes ac depravatio. Hinc Sollerius, ubi hæc verba retuliſſet: *Quid*, inquit, *hæc omnia ſignificent, fateor me non ſatis clare intelligere.* Quid ſi ad hunc locum explicandum & corrigendum vetus Salonitana Chorographia aliquid lucis impertiat, quod ex Gallicanis tabulis fruſtra fortaſſe requiras? Quid ſi vocabula illa, quæ cum Gallia minus cohærent, paullulum immutata cum Dalmatia haud inepte congruant? Quid denique ſi tota hæc enunciatio, correctione quadam adhibita, Salonitanæ civitati, inſulæ Phariæ, S. Domnio primo Salonarum Antiſtiti ſatis apte conveniat? Nemo eſt, quin ſciat, quantas identidem corruptelas in antiqua monumenta invexerit vel incuria librariorum, vel Criticorum quorumdam inſcitia, qui ea, quæ non intelligunt, quæque corrigere volunt, quam turpiſſime depravant. Haud dubium eſt, quin ex alterutra cauſa tam inſignis depravatio in hunc Martyrologii Caudiacenſis locum irrepſerit, quem proinde reſtituere & corrigere oportet. Nemo cautius, nemo religioſius in antiquos codices emendandi cauſa manus injecerit, quam ego. Scio enim ſua quemque opinione ſæpe falli, & rebus per ſe obſcuris verborum additione, vel immutatione majores interdum tenebras affundi. Video, quam periculoſum & plenum aleæ opus ſit, veterum tabulatum correctorem agere, ut ſæpe quidem vel ipſa correctio majori correctione indigeat. Verum ſi quis, dum vetera ſcripta evolvit, in locum aliquem inciderit adeo fœde corruptum, & male ſibi cohærentem, ut per ſe ipſe nullo pacto intelligi & declarari poſſit, quid prohibet eidem correctionem aliquam parce ac prudenter adhibere? Dabunt igitur mihi hanc veniam lectores, vel gratiam potius habebunt, quod veterem Caudiacenſis Martyrologii lectionem vitioſam, & corruptam emendare conor, non rerum novandarum ſtudio, ſed neceſſitate adductus, ne locum illum perpetuis rerum ac verborum ambagibus implicitum, & inexplicatum relinquam. Verecunde dubitanterque id facio; neque huic emendationi plus fidei & auctoritatis arrogo, quam quantum conjecturis, quæ ſæpe fallunt, adhiberi ſolet. Antiquæ igitur formulæ aliam ipſe ſubjiciam non omnino diſſimilem, certe quidem probabiliorem. Tum meas in eam notas adjiciam, quibus illuſtretur; & rationem reddam, cur nonnulla vocabula immutaverim, & alia pro aliis ſubſtituerim. Itaque locum illum Martyrologii Caudiacenſis ad hunc modum reſtitui poſſe cenſeo.

Factum in modum depravatus.

Ejus formulæ emendandæ conatus noſter timidus ac verecundus.

M. a *Caudienſe* 21. b *Julii*. *In* c *Galonis adventus* a b c
& ſuſceptio d *corporis S. Domnini, vel Doumini M. ex* d
e *ſacra* f *Apharie, ſeu Africanæ* g *provincia translatum, in* h *Eccleſiola, in Pago* i *Solonicenſi in loco* e f g h i
antiquitus k *Magno loco dein nomine dicto, An. Incarn. Dom.* l *CCCLXXXIX.* k l

Notæ in formulam Martyrologii Caudiacenſis per nos reſtitutam.

a Cum barbari Dalmatiam incendiis atque excurſionibus infeſtam haberent, ſatis conſtat multos Dalmatas patria profugos in Italiam aliaſque regiones commigraſſe. Hi fortaſſe Salonitanum aliquem codicem ſecum attulere, unde hæc formula tranſcripta eſt, & Caudiacenſi Martyrologio inſerta.

b Hoc igitur die, ut nobis videtur, corpus S. Domnii ex inſula Pharia revectum, & Salonitanæ urbi reſtitutum fuit.

c Veriſimile eſt in autographo ſcriptum fuiſſe *Sal.* nihil enim frequentius in antiquis codicibus invenies, quam ejuſmodi verborum mutilationes. Tum facile fuerit librariis imperitis, & parum operi intentis primam hujus ſyllabæ litteram cum altera haud omnino diſſimili commutare, & pro Sal. deſcribere Gal. Inventi ſunt deinde, qui quod litterarum huic voci deeſſet, ſupplere vellent, & ut inſtitis extrema reſponderent ex *Gal. Galliis* ſatis commode ſciteque effingi poſſe putarunt. Quare veterem ac germanam lectionem ita reſtitui poſſe cenſuimus, ſi pro *In Galliis* legeretur *in Salonis*.

d Domnii nomen multiforme eſſe, & varias litterarum mutationes ſubire ſæpius diximus, quam ut hic rurſus neceſſe ſit declarare.

e Apharia idem eſt ac Pharia, quæ quidem inſula vulgo appellatur *Leſina*. Pharia igitur eſt Adriatici maris inſula, quæ millia paſſuum ferme decem ab antiqua Salona, ſeptem vero ab ora Spalatenſi, Bractia interjecta, disjungitur, vergitque ad Orientem hyemalem. Ante Slavorum adventum Græca pariter & Latina lingua uſu vigebat apud Dalmatas; Latinis autem Græciſque id moris fuit, ut vocabulis, quæ a conſonantibus litteris inciperent, vocalem præfigerent, & pro *Scodra Iſcodram*, pro *Lexio Alexium*, pro *Spalato Aſpalatum*, pro *Sciſcia Aſciſciam*, pro *Spetio Eſpetium* ſive *Epetium* dicerent. Hinc etiam *Apharia*, pro *Pharia*. Hoc deinde vocabulum depravari cœpit, & litteris intermediis varie commutatis eo demum adducta res eſt, ut *Apharia* in *Africam*, & *Apharii* in *Afros*, & *Africanos* migraverint. Hujus depravationis exempla bene multa cum ex Actis S. Anaſtaſii Martyris, tum ex aliis Dalmatiæ tabulis peti poſſunt, quæ nos ſuo loco proferemus. Qui autem in locum Africæ, ſeu Africanæ, Aquitaniam ſubſtituit, is ea ratione ductus eſſe videtur, quod exiſtimaverit non ſatis cohærere cum Galliis Africam, ſive Africanam provinciam, quæ tam vaſto maris tractu a Gallia ſejungitur. Cum vero aliqua vocis, ac ſoni ſimilitudo Africanam inter & Aquitaniam intercedat, facile adduci potuit, ut crederet *Africanam* in locum *Aquitaniæ* per errorem ſubrogatam fuiſſe, ac proinde in priſtinum locum, unde cenſuit expunctum, Aquitaniæ vocabulum reſtituendum putavit.

f Pharia inſula ex eo *ſacra* cognomentum invenit, quod plurimorum Martyrum ſanguine imbu-

Digitized by Google

ta, & quodammodo conſecrata fuerit. Nam, ut ex antiqua hiſtoria & Dalmaticæ eccleſiæ monumentis colligitur, in hanc inſulam Chriſtiani amandari ſolebant ex propinquis Dalmatiæ urbibus, ut inibi vel extremum ſupplicium religionis cauſa ſubirent, vel perpetuam in cuſtodiam incluſi, carcere, pedore, inedia, lentaque tabe conficerentur. Qua de re alibi plura. Id quoque moris fuit tum Sirmienſibus, tum Romanis, ut hi quidem in Pontiam inſulam, illi vero in inſulam Palmariam Martyres relegarent. Ac de inſula Palmaria multa nobis ſuppetunt digniſſima cognitu, quæ ad hiſtoriam Sirmienſem pertinent, quæque in Actis S. Anaſtaſiæ fuſe lateque explicabimus. Alia præterea cauſa eſſe poteſt, unde huic inſulæ *ſacræ* cognomen obvenerit. Solebant enim Chriſtiani undique Martyrum corpora colligere, & ne hoſtium injuriis expoſita eſſent, ex Dalmatiæ urbibus in hanc inſulam aſportare, ibique procul ab Ethnicorum oculis conſpectuque injecta humo contegere: ex quo factum eſt, ut terra illa, quæ tot ſanctiſſimas exuvias gremio ſuo excepiſſet, complexu foveret, tutaſque ab hoſtibus Chriſtiani nominis præſtaret, jure meritoque ſacra diceretur. Cæterum haud equidem ſcio, an id cognomenti longe aptius quadret in Alexiam inſulam, vulgo *Liſſam*, olim Chriſtianorum certaminibus ac ſuppliciis admodum inſignem. Nam hodieque ibidem viſuntur ſubterraneæ cryptæ, quas Catacumbas vocant, quæque turbulentiſſimis illis temporibus perfugium ac præſidium afflictis vexatiſque Chriſtianis præbebant. Quare ſi quis pro Pharia reſtituere mallet inſulam Alexianã, ex qua in Aquitaniam facta ſit commutatio, is haud fortaſſe a veri ſimilitudine aberraverit.

g Quas regiones extra Italiam bello ſubactas populus Rom. imperio adjecerat, eas appellabat provincias, quaſi *procul* ab Italia *victas*. Ejuſmodi erat Dalmatia, ad quam Pharia inſula pertinet. Eam Romani ut in ſuam poteſtatem redigerent, incredibile eſt quantum temporis, laboris, & ſanguinis inſumpſerint.

h Scriptum erat in *Selula*, quid ſibi velit, quidve ſignificet hujuſmodi vocabulum, plane incompertum eſt. Nihil aptius reſtitui potuit, quam *in Eccleſiola*. Affinitas & ſimilitudo, quæ inter utramque vocem intercedit, & ſacellum S. Domnii ſane exiguum, in quo ejus corpus poſt tertiam translationem depoſitum fuit, correctionem noſtram ſatis tuetur.

i Solonicenſis a Toloricenſi, quod ſcriptum erat in Martyrologio Caudiacenſi, duabus tantum litterulis diſcrepat; quod alterum irrepſerit in locum alterius, id attribui poteſt librariis ſcribendo defeſſis, ac propterea in id, quod a dictantibus excipiebant, minus intentis, operique indormientibus; nec mirum debet videri; tanta eſt vocis utriuſque ſimilitudo. In antiquis Martyrologiis haud ſemel pro *Salona* ſcriptum invenies *Solonam*, ex quo vocabulo primigenio, *Solonicenſe* derivari facile potuiſſe video; ſed cum tabulas fere omnes Geographiæ Gallicanæ veteris ac novæ inſpexerim atque luſtraverim, nuſquam reperire licuit vel oppidum, vel urbem, vel pagum, cui nomen eſſet Tolorico, ex quo gigni, ad cujuſque ſimilitudinem formari potuerit vocabulum Toloricenſe. Martyrologium Caudiacenſe, in quo Uſuardinum interpolatum exhibetur, deſcriptum eſſe non potuit, niſi poſt ſæculum octavum, cum Salona ante annos fere trecentos everſa, vix exiguæ villæ ſpeciem, nomenque retinebat. Hinc peti ratio ac reddi poteſt, cur civitas illa olim ampliſſima pagi vocabulo appelletur.

k Poſt conditas ibidem S. Domnii reliquias, locus ille *Magni* cognomentum obtinuit. Incredibile dictu eſt, quantum religionis eidem ac celebritatis adſciverint cum plurium martyrum lipſana, tum præſertim S. Domnii corpus illuc illatum. Ex eo non ſolum ab indigenis, ſed etiam ab advenis locus ille egregiis muneribus ornari, celebrarique cœpit, qua dignum erat, frequentia cultuque. Cum itaque inter cætera urbis Sanctuaria locus ille & religione & ſanctitate emineret, ex eo factum eſt, ut vulgo *Magnus locus* diceretur. Id etiam cauſæ afferri poteſt, cur *Magnus* ille locus dictus ſit, quod videlicet ejuſmodi appellatio non iiſdem, quibus S. Domnii ſacellum parietibus contineretur, ſed præterea baſilicam univerſam, ideſt ædem Cathedralem, Pontificias ædes, cœnobium Cleri Spalatenſis complecteretur: quæ quidem omnia cum in unum veluti ædificium Divino cultui, rerumque divinarum adminiſtris addictum coaleſcerent, & ingentem ſane aream occuparent, jure meritoque locus ille Magnus appellari potuit.

l Haud improbabile eſt in germano & autographo codice hanc epocham in hunc modum deſcriptam fuiſſe: *Anno Inc. D.CCCLXXXIX.* quæ quidem cum correctione noſtra omnino congruit. Verum qui eam in Martyrologium Caudiacenſe tranſtulit, litteram D. fortaſſe per incogitantiam duplicavit; nuſquam enim facilius, quam in arithmeticas notas, vel invitis Amanuenſibus errores irrepunt. Fuit deinde, qui primam D. haud inſcite interpretatus cum proximo ſuperiori vocabulo conjunxit; unde extitit hæc lectio ſane optima: *Anno Incarn. Dominicæ;* alteram vero cum cenſeret ad numerum annorum referendam eſſe, cum inſequentibus arithmeticis notis, omni interpunctione ſublata copulavit: ex quo factum eſt, ut annus tercenteſimus undenonageſimus quingentis ipſis annis augeretur. Hinc vero apparet hujuſmodi formulam haud eſſe poſſe antiquiorem ſexto ſæculo; neque enim antea id moris apud Chriſtianos fuit, ut anni numerarentur ab *Incarnatione Dominica*; niſi quis forte veterem temporum ſupputandorum rationem antiquiſſimæ huic formulæ appoſitam, ad Incarnationis Dominicæ epocham recentius adhiberi cœptam accommodaverit.

Hæc formulæ Caudiacenſis emendatio ac reſtitutio, ſi cui forte paullo audacior videatur, is illud ſecum ipſe reputet, ſæpe aliquos veterum codicum locos uſque adeo depravatos eſſe, ut fere nihil in eis ſanum, nihil integrum, nihil ſincerum ſit; quos proinde ſi quis ſanare aggreditur, huic imitanda eſt conſuetudo Medicorum, qui ubi deprehendunt partem aliquam corporis infectam eſſe, ſic prorſus, ut nihil propemodum ab ea tabe intactum ſit; omnia omnino reſecant, & preſentiſſimis quibuſque remediis adhibitis efficiunt, ut nova carne ſuccreſcente, tota illa pars priſtinæ valetudini atque integritati reſtituatur. Cæterum in ea formula corrigenda reſtituendaque id potiſſimum ſecuti ſumus, quod nobis veroſimilius videbatur; recte an ſecus, alii viderint.

Hæc ferme habui de ſecunda & tertia S. Domnii translatione quæ ſcriberem. Video equidem pleraque conjecturis niti, quibus ſæpe falſitas ſubeſt. Sed in hac veterum monumentorum inopia, in tanto rerum ac temporum intervallo, ultra quo progrediar, quam ut veriſimilia afferam, non habeo.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De quarta Translatione S. Domnii.

§. I.

Historia prima translationis quartæ S. Domnii post eversam Salonam Spalatum transvecti. Ex Hist. Salonit. Cap. XII.

a b Episcopus cum civibus deliberat de transferendis reliquiis S. Domnii.

EOdem a *tempore* b *reverendus Antistes cœpit tractare cum civibus, ut corpus B. Domnii Pontificis, quod Salonæ remanserat, levaretur, translatumque in ecclesia, quæ nuper dedicata fuerat, locaretur; & valde placuit omnibus. Explorata itaque temporum vice, quando possent hoc commode attentare, abierunt Salonam, ingredientesque* c *Basilicam Episcopii, confusa & dissipata omnia reperierunt; repletus enim erat locus* d *ille ruinosis tectis, congestique incendiorum cineres, vepres jam & virgulta produxerant; ita ut quamvis adhuc aliqui superessent, qui locum sciebant, tamen quia tumba ipsius* e *subterraneis fornicibus absconsa latuerat, non facile discerni poterat, unde corpus B. Domnii tolleretur; effodientes autem terram, locumque discooperientes arcam, quæ primo apparuit, levaverunt, & metuentes ne forte impedirentur a Sclavis, cum celeritate magna Spalatum detulerunt; quam aperientes non corpus B. Domnii, sed corpus* f *B. Anastasii martyris invenerunt. Protinus ergo die sequenti revertentes Salonam, de eodem loco* g *sarcophagum B. Domnii effoderunt, & cum summa festinatione Spalatum transferentes, devotione nimia amborum martyrum pignora pretiosa locaverunt in prænominata Dei genitricis ecclesia, ubi dante Domino usque hodie requiescunt.*

c
d
e Area effossa, in qua non Domnii, sed Anastasii corpus.
f
g Redeunt Salonam, & S. Domnii reliquias inventas Spalatum transferunt.

§. II.

Altera ejusdem translationis historia multo copiosior, & accuratior, Auctore incerto, quam nobis perhumaniter exhibuit e suis Mss. depromptam Apostolus Zeno vir Cl. deque omni re litteraria in primis egregie meritus.

I. *MIrabilis in majestate sua Deus Pater misericordiarum, & totius consolationis, cujus altitudo ineffabilis sapientiæ, & scientiæ nullis inclusa limitibus, nec comprehensa terminis quibuscumque, recte censura judicii, cœlestia pariter & terrena disponit. Ille namque gloriosus in Sanctis suis, pietate fulta faciens prodigia, atque signa, gratiarum præmia suis fidelibus largifluæ tribuit, & benigne providet. Et si suos ministros altis magnificet, & decoret honoribus, constituens cœlestis beatitudinis possessores: illos tamen, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum, ut dignis digna impendat, potioribus attollit insigniis dignitatum, & uberiori retributione prosequitur præmiorum. Quia igitur divina potentia creaturarum omnium est gubernatrix, & custos; diversis tamen provinciis, & urbibus singulares destinavit Patronos, ut ipsas custodiant, & gubernent, voluit sanctos suos inter se, & homines, quasi mediatores existere, ut acta eorum, quæ pro mole criminum ascendere in altum non poterant, quibusdam Sanctorum mediantibus precibus levarentur in cœlum. Ne vero Spalatinus populus absque pastore solivagus lupinis faucibus forberetur, noluit eum fore tanti expertem beneficii, athletas venerandos patronos ei constituit, quorum intercessionibus & declinet a noxiis, & ad salutaria dirigatur; quos tanto honoratius venerari debemus, quanto pretiosiori devotione datos nobis fuisse gaudemus. Si enim cæteros Sanctos in regnis cœlestibus constitutos studiis honorare sollicitis, & canoris laudare præconiis anhelamus, ipsos tamen martyres gloriosos Domnium, & Anastasium Evangelicæ doctrinæ imitatores præcipuos, quorum a hodierna die translationem miram recolimus, summis congruit extollere vocibus, laudibus personare, & specialibus honoribus venerari: ut a nobis tanto propensius celeberrima veneratione se sentiant memorandos, quanto etiam nos diuturnis beneficiis, & gratiis munierunt.*

Cœlestes patroni singulis provinciis divinitus destinati.

Spalatensium patroni primarii, Domnius, & Anastasius.

II. *Si enim ad historiam transeamus, &* b *nostræ credulitatis primordia scrutari velimus, Beato Petro Apostolorum principi, qui hunc Pontificem B. Domnium devotiorem suorum discipulorum, suis consecratum manibus ad Salonitanum populum destinavit, laudes continuas debemus impendere, & gratiarum devotissimas actiones. Hic siquidem jussione, & hortatione paterna sui magistri, gressu celeri recedens ab urbe pro palma martyrii obtinenda divinitus Salonam applicuit, ubi populum Idolica nebula obfuscatum, veræ fidei, & doctrinæ Evangelicæ semina seminans, igne divini luminis illustravit: adeo ut relictis Idolorum culturis & præsagiis dæmonum sceleratis, ad unius veri Dei cognitionem, & fidei orthodoxæ, cœlica gubernante dextera, perveniret: ibique norma Pontificum, atque gemma agonem suscipiens sui pretiosi martyrii, in Polorum coronatus sedibus a Domino collocatur. Post cujus vero transitum gloriosum, Diocletiani Imperatoris dira contra Christianos persecutione durante, B. Anastasius sanctitatis eximiæ, Christi charactere communitus, velut miles fortis, coronam martyrii avide concupiscens, relicto suæ* c *patriæ portu, littora Salonitana applicuit,* d *ubi invaluisse perceperat tyranni-*

b

Domnius Salonis Evangelii lumen intulit.

c
d

a Anno Christi circiter 660. Hanc translationem ad annum circiter 60. septimi sæculi satis commode referri posse putamus: quam epocham nunc quidem tamquam verisimilem constituimus; postea vero in Actis Joannis primi Spalatensium Antistitis confirmabimus atque illustrabimus.

b Is erat Joannes patria & cognomento Ravennas, primus Spalati, sive novæ urbis in locum Salonarum conditæ Archiepiscopus.

c Idest ædem Cathedralem SS. Domnii & Anastasii, Cosmæ & Damiani titulo inscriptam, & pariter cum urbe incensam, atque eversam.

d Ubi erat sacellum prope Basilicam situm, in quo post tertiam translationem S. Domnius conditus fuerat; de quo supra cap. XIII. §. 2.

e Quippe sepulchrum subter rupem excisam opere concamerato constructum erat. Vid. cap. X. §. XIII.

f Is erat patria Aquilejensis, ab ea, quam exercebat, arte cognominatus Fullo, qui Diocletiano imperante, Salonæ pro Christo mortem oppetiit. Cave illum confundas cum seniore Anastasio Romana nobilitate, & Cornicularii dignitate inclyto, qui item Salonis martyrium subiit Aureliano imperante.

g Hujus formam ac figuram ære incisam suo loco exhibebimus. Sarcophagus est genus quoddam lapidis, quo veteres ad condenda mortuorum corpora utebantur; huic enim hanc vim esse perhibent, ut cadavera intra quadraginta dies exedat, atque conficiat.

Illyricum Sacrum.

Digitized by Google

Anaſtaſius martyrii laudem Salonæ quærit.

dem perſecutorum immanem, ſuperno auxilio confortatus, invocando nomen Chriſti, & Crucis myſterium prædicando per e *diverſa genera tormentorum affectatam palmam meruit ſuis dignis meritis obtinere. Qua etenim provincia, qua natione, atque patria, quibuſque parentibus editi fuerint, quos etiam tormentorum acculeos ſubierint, hic quærere ſupervacaneum exiſtimamus, cum legenda paſſionis eorum ſeriatim cuncta declaret. Qualiter autem pretioſus theſaurus miraculoſe deductus in lucem fuerit martyrum Deutorum, poſteros latere non patimur, ne temporum varietate, & pravitate ac ſegnitia repugnante inimica memoriæ eorum, tam fructuoſa translatio in oblivionem devotionis novercam ſalutiferæ verteretur.*

e

f Joanni I. Archiep. Spalat.

III. *Joanne igitur* f *primo Archiepiſcopo tunc temporis Spalatinæ eccleſiæ reſidente, viro religioſo, ad Dei ſervitia toto niſibus anhelanti, crevit fervens deſiderium, divina prius eidem gratia* g *revelante, corpora ipſorum glorioſiſſimorum martyrum quærere, & inventa, ſi voluntati poſſibilitas miniſtraret, in eccleſia, quam noviter dictus Præſul dedicaverat in honorem B. Virginis, quæ ante magnum Jovis templum erat, honorifice collocare. Et quia ipſorum martyrum major notitia, & memoria, quam cæterorum habebatur Sanctorum Salonæ exiſtentium,* h *poſt ejus diram deſtructionem, & deteſtabilem everſionem, eoſdem ardentius invenire nitebatur. Igitur ne tam pretioſa gemmæ vili tegmine remanerent incluſæ, cultu eccleſiaſtico alienæ, verum ſuæ præclaræ ſanctitatis radiis in Dei eccleſia rutilarent, affectum optabilem perduxit ad actum Archiepiſcopus memoratus. Cujus quidem votis ſaluberrimis cito Dominus ex alto proſpiciens, vias proſperas præparavit: cum ipſius pietatis exiſtat, dignis annuere deſideriis, & ſupplicationes fidelium miſericorditer exaudire: ut ii, quos ſuo pretioſo redemit cruore, pretioſitatis ejuſdem ſatiarentur dulcedine, & mentis oculos ad cœleſtis patriæ aperirent amorem.*

Deſiderium divinitus injectum martyrum reliquias inveſtigandi.

g

h

Tam itaque bonum, & laudandum propoſitum bonus Paſtor pio gregi communicat, mentis ſuæ aciem armat, ſacram hujuſmodi deliberationem deducere ad effectum. Sciebat enim tale negotium ejus ope, & conſilio indigere. Placet audientibus ſanum, & ſalubre propoſitum, ſinguli auxilium pollicentur: tantus enim ardor inerat animis, ut annuum viderentur emergere ſpatium, ſi differretur per diem: quia quanto diutius opus delectabile differtur, tanto acrius cruciat expectantem. Augetur propterea animus Præſulis ex devotione populi ad divina ſervitia æſtuantis. Igitur tam pium deſiderium Deus eorum cordibus inſpiravit, quoniam Sanctorum ſuorum martyrum reliquias nolebat ulterius occultari, volens eas in lucem gentium provehi in mira devotionis, & honoris eximii continuum incrementum. Explorata itaque vice temporum, & ſagaciter ſiſcitata, quando poſſent, opus ſacratiſſimum attentando ſalubrius, fine conſequi peroptato;

Quidi ſui conſilii ſui cum civibus communicat.

Salonam accedunt.

IV. *Memoratus Præſul, multitudine populi convocata, Salonam accedunt, & ingredientes ruinas Baſilicæ Epiſcopii, confuſa, & diſſipata omnia penitus repererunt. Repletus enim erat locus* i *illo ruinoſis teſtis, congeſtique incendiorum cineres, vepres jam, & virgulta produxerant: ita ut quamvis aliqui ſupereſſent, qui locum ſciebant, tamen quia ipſorum* l *tumbæ ſubterraneis* m *fornicibus latitabant, non facile diſcerni, vel videri poterant; unde corpora Beatorum martyrum tollerentur. Demum primus omnium ad opus Divinæ revelationis fidelis Paſtor accingitur, oves ſequuntur Paſtorem: hi ligonibus & inſtrumentis cæteris terram cavant, revolvunt lapides de cavernis, colla ad portandum, & humeros oneribus ſubmittentes. Nulla igitur dignitas, nulla ætas aliquem excuſabat ab opere affectato, cum vires deſiderantium animorum in proſecutione ſui operis ferventius invaleſcant; nam ibi juxta Prophetam claudus ſaliebat, ut cervus; ſenum, & puerorum debilitas juvenilem fortitudinem aſſumebat, & nihilominus juvenum potentia duplicatur: quiſquis enim ſtudet in opere cunctos præcedere, cupiens inter cæteros reputari beatior, quos poteſt vincere in labore. Sed omnibus mens una, operum labor omnibus unus; quia nihil ſatisfit animo anhelanti ferventer, niſi prius ſuis affectibus ſatietur: feſtinare incipiunt cum reliquis favoribus, reperire ſeparata. Effodientes autem profunditatem non modicam, perquam jam prope præſumebantur corpora glorioſa, quoſdam bonæ vitæ puras manus habentes paratas ad tantum detegendum theſaurum, ordinaverunt profundius effodere, ut ipſi immaculati martyres ab immaculatis manibus permitterentur detegi, Divina providentia miniſtrante: evaneſcunt enim bono inchoata principio, & vileſcunt, ſi ſuos non conſequuntur terminos peroptatos. Cum ergo aliquantulum fodiſſent in altum, ſentire cæperunt miræ ſuavitatis odorem; ſiſtunt ab opere, capita erigunt, circumſpicientes naribus* n *avigentibus olfactare cæperunt, ut cauſam poſſent invenire odoris; ubi dum fruſtra laborare credebant, ex ſuavitate ipſius reficiuntur odoris, inſtituunt operi iterum fodiendo, & quanto altius, tanto majori ſuavitate replentur. Detegitur interea tumba, in cujus detectione creſcente odore, ratum quaſi ipſum cæperunt habere de monumento procedere, ad Pontificem ſubito clamando voces erigunt gaudioſas. Ipſe quidem cum omnibus, & præ omnibus ore laborabat, & manu, ore ſingulos incitando, manu provocans ad exemplum, ut Paſtoralis curæ ad inſtar in eodem ſervitio cæteros efficeret promptiores. Pontifex vero vocatus ſentire cæpit odorem, & intuitus monumentum, ut erat diſcretus, & prudens concepit animo in inſtanti, quod a reliquiis intus habitis odor ille ſuaviſſimus procedebat. Clerus currit, populus properat, omnis ætas accelerat, non tam vocibus, quam ſuavitate invitantis odoris: quia unus animus omnibus, unicum erat deſiderium, ſacrum corpus aſpicere, quod jacebat in tumba. Sed metuentes, ne forte a Sclavis ſuis impedirentur* o *æmulis, cum celeritate magna Spalatum arcam prædictam, quæ primo apparuit, detulerunt, laudes cum jubilo decantando: quam quidem aperientes, non corpus B. Domnii, ut ſperabant, ſed B. Martyris Anaſtaſii invenerunt.*

l m

Joannes omnium primus manum operi admovit.

Suavitas odoris index lætis theſauri.

n

Arca detegitur.

Unde odor afflatur.

o Metu Slavorum celeriter Spalatum arca devehitur,

V. *Protinus igitur die ſequenti revertentes Salonam, de eodem loco ſarcophagum B. Domnii effoderunt, quod cum omni feſtinatione Spalatum ſatagentes transferre,* p *ſubſtitit, & tam fortiter hæſit, ut juvenum multitudo eumdem de loco movere nequirent. Volens namque Divina gratia præmonſtrare, ut ſicut ſuum martyrem fecerat ab immaculatis manibus de terræ profunditate producere, ita a manibus innocentum traduceretur ad locum ordinatum a Deo. Tunc Præſul attendens miram Dei clementiam, virtute mirabili properare turbam puerorum imbecillem, quæ ibi aderat puerili more ad ſpectaculum, in auxilium convocavit; ut virtus eadem ad laudem ipſius martyris, & gloriam gentibus, & populis mirabilius elucefcat. Mox mirum in modum ut apprehendiſſent manualem laborem viribus deſtituti, ipſum traxerunt ſarcophagum veloci curſu ſine aliqua gravitate laboris: videbatur enim eis non virtute manuum, ſed propria proſilire; ſicque opus mirabile innotuit credentibus luculenter. Perventientibus autem eis ad locum nuncupatum* q *Saline, inter Salo-*

in qua corpus Anaſtaſii repertum.

Invenitum corpus S. Domnii loco moveri nequit.

p

Pueri ad id adhibiti

Sarcophagum facili ductu ſequentem trahunt.

q

Digitized by Google

Ab usu & via siti laborant.

nam, & Spalatum, ubi via saxosa objicitur transeuntibus, Solis fervido æstuati calore pueri ardenter sitire incipiunt; quærunt haustum, pandunt ora siti, diris suspiriis anxiati. Itaque Christi misericordia, & gratia suffragante immensæ pietatis dona insignia, meritis pretiosi sui martyris volens Deus adstantibus Christicolis demonstrare, ut sicut sitienti populo Israelitico per Moysem suum famulum in deserto aquam de petra sicca produxit, sic lympham de silice fecit, cunctis cernentibus emanare. Hæc siquidem hodierno die miraculose apparet producta r; *& a vulgo ex tunc aqua B. Domnii appellatur, quam in suæ translationis die devote potantes a diversis infirmitatibus liberantur. Tunc squammosis linguis ora pueri irrigantes, lymphæ dulcedine recreati, vires assumunt, immensas Deo gratias referunt, & martyri glorioso cum prædicto Præsule, & populo circumstanti, arcam trahere incipiunt velocius cum hymnidicis melodiis. Accedentibus vero cunctis ad suam civitatem cum pretioso desiderato thesauro, occurrunt senes, infantes & Virgines, cæterique, qui remanserant in præsidio civitatis, corpus beatissimum cernere cupientes, de tam dono fertili Deo gratias referentes. Idem vero Præsul ferramento arrepto tumbam aperit, non ferens alios in sacro opere laborem subire, paratus solus cuncta facere, si vires* s *attenderent puritati: apertoque sarcophago omnes adstantes miro perfunduntur odore, vident reliquias martyris glorioso corporea* t *integritate gaudere. Interea librum* u *Evangeliorum invenerunt in pectore ejus,* x *tectis argenteis decoratum, litteris Apostolicis antiquo more formatis, qui ejus manu propria narratur conscriptus, gestans sui nominis titulum; & usque in præsentem diem loco reliquiarum pro thesauro ecclesiæ conservatur. Paratur repente processio, cereorum lampades accenduntur, diversi generis cremantur aromata, odores adjiciuntur, sed odorifera suavitas a reliquiis prodiens omnes longe superabat odores. Ingens oritur gaudium, præ gaudio lacrymæ generantur, osculantur reliquias omni reverentia debita & honore: gratias Deo referunt pro tam inextimabili reperto thesauro. Quia ratio exigis, ut muniti tanto munere pretioso, devotæ familiaritatis obsequia impendere satagant suis benefactoribus affluenter.*

Aquæ silice divinitus profluæ.

r perennis, & ad morbos curandos efficax.

Detectus sarcophagus miro adstantes odore perfundit.

t u x Evangeliorum codex Domnii manu conscriptus.

Honor sacris reliquiis adhibitus.

VI. *Fidelis Pontifex cum Clero & Populo laudes dulcissimas decantando, imitatus B. Joseph, qui nostrum Redemptorem carne mortuum involvit sindone, in eadem ecclesia sacras reliquias pannis pretiosissimis involutas ex parte* aa *meridiana pro altari, sub duplici sarcophago* bb, *cum gratiarum actione recondidit. Corpus vero B. Anastasii martyris in Aquilonari parte ejusdem ecclesiæ sub ara sacrificiorum cum psalmodia devotissima reponentes, ubi reverenter, ac honorifice usque hodie præservatur, & honorabilius veneratur. Sicque utrique Christi martyres, quos natura ministra Divinæ providentiæ in diversis nasci provinciis protulerat, una fides, sed diversa supplicia tormentorum; hunc* cc *ab Oriente, illum ab Occidente: isti caput a speculatoribus amputatur, illi mola collo ligata in undis æquoreis submergitur, in una & eadem ecclesia collocavit. Ubi suffragante gratia bonorum omnium largitoris, ipsorum martyrum gloriosissimorum pignora pretiosa innumerabilium miraculorum titulis insignita, in maxima reverentia requiescunt. Per quæ urbs egregia Spalatina, privilegiato charactere Romani Pontificis cum universis libertatibus, donis, & gratiis, Salonitani honoris apice præmunita largiflue Metropolis dominans Dalmatiæ atque* dd *Croatiæ jure* ee *Primatico est affecta. Noluit tamen Divina pietas tam devotum suis martyribus absque mer-*

Corpus S. Domnii ad Meridiem conditum, & corpus S. Anastasii ad Septentrionem.

aa bb

cc

dd

ee

cede officium impensum relinquere: sed digna restauratione compensat: pro servitio enim Sanctis exhibito, multos languidos, variis languoribus occupatos, suffragium Christi martyrum liberavit, & continue non desinit liberare. Ad quorum rutilantia merita declaranda, Divina potentia reduplicat miranda succedentia dona in testimonium sempiternum; quia quos prius suavitate sanctissima manifestos fecit odore, manifestiores redait postea innumerum miraculorum effectu. Ex quo eadem ecclesia largitione Regum ff, *& Principum, aliorumque fidelium immensis beneficiis, & præmiis extitit prædotata. Pictate itaque solita martyres inclyti, tam sanctitatis splendidæ fulgidi, & decori, estote plebi vestræ inexpugnabilis murus, impenetrabilis clypeus, inviolabilis cassis, lorica indeficiens, quotidiana munitio, patrocinium sempiternum. Augete salutem precibus, pacem impetrate, quæque salutaria ministrate, noxia removete, veniam obtinete delictorum, reddite exorabilem Judicem, quem sæpe irritamus ad iram. Quia etsi plures sunt delinquentium culpæ, tamen vestra merita, & suffragia possunt nobis veniam adipisci. Date itaque atque concedite, ut purgati criminibus, placeamus cui placetis, Redemptori nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

Miracula ad eorum sepulchrū edita.

ff Regum ac Principum in ecclesiam Spalat. munificentia.

NOTÆ.

a Olim uno eodemque die Domnii pariter atque Anastasii translatio anniversario cultu celebrari solebat, ut hinc colligitor, nunc vero sua utrique dies decreta, Anastasio quidem 28. Domnio autem 29. Julii.

b Idest, Christianæ fidei ac religionis initia, quæ Salonitani ab ipsis Apostolorum principibus, Petro Paulloque repetunt.

c Idest Aquileja, unde erat oriundus Anastasius, cui ab ea, quam exercebat, arte cognomen Fullonis obvenit. Longe alius est ab Anastasio seniore patria Romano, & Corniculatii dignitate prædito, qui Salonis item præclaro martyrio perfunctus est, Aureliano imperante. De hoc agemus in Actis Agapiti Salonitani Antistitis.

d Igitur Diocletiani persecutio fervebat Salonis vel maxime, cum illuc Anastasius martyrii cupiditate incensus, hujus palmæ adipiscendæ causa se contulerit.

e Acta & martyrium S. Anastasii suo loco describentur. Hæc apud se esse testatur *ex Cod. Ms. Monasterii S. Michaelis in periculo maris* Theodoricus Ruinart in Præf. ad Selecta Martyrum Acta.

f Tò *Primo* referendum est ad seriem eorum Antistitum, qui deinceps Spalati sederunt, postquam Joannes Ravennas sedem Metropolitanam Salona translatam in ea civitate collocavit.

g Hinc licet intelligi Joannem divinitus admonitum fuisse de transferendis in novam urbem SS. Martyrum reliquiis.

h Quæ contigit anno Christi circiter 640. anno scilicet vigesimo ante quam S. Domnii corpus ex veteri Salonitano sepulchro transferretur. Nam Domnii atque Anastasii inventionem referendam esse censemus ad annum 60. septimi sæculi; id quod nunc tamquam verisimile ponimus, postea vero probabimus in Actis Joannis primi Spalatensium Archiepiscopi.

i Ubi scilicet Basilica & Sacellum fuerat Basilicæ adjectum, in quo S. Domnius, itemque S. Anastasius siti erant.

l Idest, arcæ marmoreæ, in quibus etiamnum condita SS. Martyrum corpora servantur.

Digitized by Google

m Hi fornices hodieque viſuntur, & Spalatenſium concurſu ac religione celebrantur.

n Fortaſſis legendum *varibus ſe arrigentibus*, ideſt arrectis. Sic apud optimos Latinitatis auctores invenies aures, mentem, animum arrigere, & apud Virgilium *arrectiſque auribus adſtant* 1. Æneid. & apud Plautum *ſuo mihi ſermone arrexit aures*. Rud. 326. Nares igitur arrigebant, ideſt huc illuc circumferebant, atque intendebant, ut explorarent, unde illa odoris ſuavitas afflaretur.

o Ex quo Slavi ſeu potius Abares Salonæ everſores in Dalmatiam irruperant, numquam deſierant vias atque agros excurſionibus infeſtos habere; quare perpetuæ illis aſſiduæque cum Dalmatis fuerant inimicitiæ. Tum vero hoc gravius ab illis imminebat periculum, quo propius aberant, ſedes nacti Salonæ propinquas.

p Id miraculi in hujuſmodi ſacrorum corporum translationibus ſæpe accidiſſe legitur. Nec vero ejuſdem prodigii alias peracti renovatio huic hiſtoriæ fidem detrahit; quin potius conciliat; quippe Deus, qui *mirabilis eſt in Sanctis ſuis*, Divorum corpora, templa, dum viverent, Spiritus Sancti, poſt mortem miraculis ejuſdem fere generis illuſtrat.

q Locus erat prope oram maritimam, ubi ſal fieri ſolebat.

r Hujuſmodi aqua vim ſibi divinitus inditam ad morbos propulſandos adhuc retinebat, dum hæc ſcripſit Auctor hujus hiſtoriæ.

ſ Ideſt, ſi puro animo piaque voluntate id facere conanti vires ſuppeterent.

t Hanc corporis integritatem nulla naturalis cauſa miraculo eximere queat. Quid enim mirabilius, & vires naturæ longius excedens, quam corpus quingentos jam annos vacans animo ab omni tabe alienum atque immune perſtare, & cum odore quidem jucundo ſuavique, ut neque ex longinqui temporis injuriis, neque ex multiplici ab uno in alium locum translatione quidquam detrimenti acceperit.

u Is liber una cum Domnii corpore in eadem arca reconditus, etiamnum ibidem aſſervari creditur. Moris id fuit antiquis Chriſtianis, ut Epiſcopis, cum eos ſepulturæ mandabant, Evangeliorum codicem pectori imponerent; idemque codex apponi ſolebat Epiſcopis, cum in templis eorum imagines vel in marmore inciſæ, vel in tabulis deſcriptæ collocabantur; ut intueri licet B. Domnium in Lateranenſi ſacello cum libro Evangeliorum muſivo opere depictum.

x Fortaſſe ſcriptum erat *Thecis argenteis*, ideſt vel argentea lamina totus obductus erat, vel bracteolis argenteis hac illac inditis ſcite venuſteque diſtinctus.

aa Cum Spalatenſis templi facies Occidenti obverſa ſit, alterum ejus latus, quod in Meridiem ſpectat, lævum erat ratione habita altaris principis ac maximi totius baſilicæ. Servatus igitur eſt mos antiquus, ut S. Domnius ad lævam, S. Anaſtaſius conderetur ad dexteram, quæ in Septemtrionem ſpectat. Nam apud veteres pars ſiniſtra in honore fuit, iiſque tribui ſolebat, qui cæteris dignitate antecellerent. Hinc factum eſt, ut in abſide Lateranenſis ſacelli S. Domnius lævam, S. Venantius dexteram partem obtinuerit.

bb Arcæ marmoreæ incluſa fuit altera arca itidem lapidea, qua corpus S. Domnii continebatur.

cc Domnius quidem Antiochiæ in Syria, Anaſtaſius vero Aquilejæ in Carnis natus erat. Syntaxis, ſive ordo dictionis paullulum perturbatus.

dd Utriuſque videlicet Dalmatiæ. Septimo vergente ſæculo cum inter Græcos & Slavos pax conſtituta eſſet, Dalmatia bifariam diviſa eſt. Altera pars fere maritima in Græcorum poteſtate manſit, retinuitque Dalmatiæ nomen; pars altera ferme mediterranea Slavorum imperium, & Chrobatiæ Serbliæque vocabulum ſubiit.

ee Eccleſia Spalatenſis primatiale jus ac nomen obtinuit eodem fortaſſis ſæculo, cum Joannes Ravennas eidem præerat. Vide ſect. 2. cap. 2. Part. 3. Prolegom.

ff Regum Chrobatiæ inſignem adverſus S. Domnium religionem ac munificentiam hoc loco ſignificare voluit Auctor.

§. III.

Hiſtoria tertia ejuſdem translationis, quam Lucas Gaudentius ſæculo ſuperiori deſcripſit ex codice pergameno eccleſiæ Spalatenſis. Ex editione Veneta Breviarii Spalaten. & ex Actis Antuerpienſibus SS. Tomo II., XI. Aprilis.

Joannes a hujus nominis primus Archiepiſcopus eccleſiæ Spalatenſis, cum dedicaſſet in honorem B. Virginis Mariæ inſigne fanum Jovi a Diocletiano Imperatore in ipſius palatio olim exſtructum, cupiens ſacras reliquias SS. Martyrum b *Domnii & Anaſtaſii ex ruinis celeberrimæ urbis Salonarum ernere, & in templo a ſe repurgato collocare; convocata pii populi multitudine, ad Salonarum ruinas, ubi c baſilica fuerat, ſe alacer confert. Locus, in quo ſacri loculi latitabant, ſubterraneis fornicibus incluſus, etſi notus quibuſdam eſſet, vepres tamen & virgulta illum maxime contegebant.*

Primus omnium ad pium opus fidelis Paſtor accingitur, oves Paſtorem imitantes certatim omnes laborі incumbunt: virgulta & vepres amovent, cumenta & lapides ingentes aſportant, ſuggerente Deo vires laborantibus. Effoſſa jam aliqua profunditate, miræ ſuavitatis odor exhalat: loculus unus detegitur, & odor augetur: accurrit pius Pontifex cum Clero, metuenteſque, ne forte a Slavis turbarentur ſuis æmulis, magna cum celeritate loculum, qui prius apparuit, ita ut erat, clauſum Spalatum detuleruns: quem quidem aperientes non corpus S. Domnii, ut ſperabant, ſed ſancti Martyris d *Anaſtaſii invenerunt.*

Sequenti die Salonas revertuntur, inſtant operi, paullo altius locum eumdem effodiunt, & ſarcophagum S. Domnii inveniunt: ipſum quoque pari cum ſollicitudine & feſtinatione Spalatum convehere ſatagunt; ſubſtitit tamen & hæſit pondere graviſſimo, fortiſſimis quibuſque & robuſtiſſimis viris redditum immobile. Ab innocentibus igitur & immaculatis manibus convehi velle ſacrum pondus ratus pius Antiſtes, imbecillem puerorum turbam cogit, & oneri ferendo ſupponit, quod leve factum a pueris alacriter rebebatur. Cum tamen Solis æſtu fatigarentur, ardore nimio maximæ ſitis affligi cæperunt, in loco aridiſſimo, qui Salina nuncupatur. Mirum dictu! erumpit ex ſilice latex vivus, apparetque novus fons numquam antea viſus, adhuc etiam B. Domnii aqua nomen retinens, & virtutem e in anniverſario hodiernæ translationis præſtans. Refocillati pueri inferunt arcam in locum paratum; qua aperta mirus odor effunditur. Reliquiæ ſancti Martyris integræ inveniuntur, & in pectore liber erat Evangeliorum thecis argenteis incluſus, litteris Apoſtolicis antiquo more, ipſiuſmet, ut fertur, manibus formatis. Horum duorum Martyrum ſacra f *corpora adhuc in eccleſia Metropolitana Spalatenſi honorifice recondita conquieſcunt.*

a

b Sacra corpora interruinas Salonenſes inquirunt.

c

Primum invenitur S. Anaſtaſii,

d

cum S. Domnii corpus;

immobile

a pueris transfertur;

fontes ultro erumpunt.

e

integritas corporis;

f Codex Evangelii pectori impoſitus.

Anno-

Digitized by Google

Annotata Godefridi Henſchenii.

a *Joannis hujus laudes late deſcribuntur a Thoma Archidiacono cap.* 11., *& Joanne Lucio lib.* 2. *cap.* 13. *At quando ipſe patria Ravennas Legatus a ſummo Pontifice, & quo anno ad partes Dalmatiæ miſſus fuerit, & in Archiepiſcopum ordinatus, non indicatur. Videtur a ſæculo* VIII. *pixiſſe, quia poſt ipſum dicuntur ſediſſe Petrus, Marianus, Martinus, Leo, Petrus; ac dein circa annum* 840. *Juſtinus; ut de hoc Thomas cap.* 13. *tradit, & omnes referuntur in*
b *memoria Archiepiſcoporum Salonitanæ, & Spalatenſis eccleſiæ apud Lucium pag.* 385.

b *Imo ſolius Domnii reliquias levare voluiſſe innuit Thomas cap.* 12, *ubi de hac tranſlatione agit; & hic infra innuitur inventionem S. Anaſtaſii præter ſpem fuiſſe.*

c *Addit Thomas*: Baſilicam Epiſcopii ingredientes confuſa & diſſipata omnia repererunt.

d *S. Anaſtaſii tranſlatio celebratur a Spalatenſi-*
e *bus* 28. *Julii, at martyrii c natalitius* 21. *Auguſti, quo die inſcriptus eſt Martyrologiis Uſuardi, Adonis, & aliorum cum hodierno Romano; & dicitur*
d d Cornicularius, *paſſus ſub Imperatore* Aureliano, *aliis* Aurelio, *Galeſinio* Alexandro, *quod ad dictum diem erit diſcutiendum. Fuiſſe autem* corpus B. Anaſtaſii anno 1209. a Bernardo Archiepiſcopo ab altari veteri extractum, & in novo altari in eodem loco collocatum *teſtatur Thomas Archidiaconus cap.* 25.

e Quarto Kalendas *ſextiles indicatus ſupra ab Adamo, is eſt* 29. *Julii.*

f *Idem indicat Thomas cap.* 12, *qui ſæculo* 13. *ſuam hiſtoriam ſcripſit.*

Notæ in notas Henſchenii.

a Uno plane ſæculo aberravit Henſchenius ab ætate Joannis Ravennatis, quem inter ſextum & octavum ſæculum ab anno fere 650. ad annum circiter 681. floruiſſe conſtat.

b Hujus codicis auctor fuit quidam admodum eruditus e gente Acutheana inter Dalmatas in primis antiqua & nobili.

c Henſchenius Anaſtaſium Cornicularium ſubſtituit in locum Anaſtaſii cognomento Fullonis, de cujus tranſlatione hic agitur. Hunc Spalatenſes patronum ſibi adoptarunt, ejuſdemque corpus in æde Metropolitana, quo olim tranſlatum fuit, etiamnum ſervatur, & ſumma religione colitur; natalis ac feſtus dies Spalati celebratur ſub ritu dupl. II. Claſ. 26. Auguſti. Florus etiam in ſuo Martyrologio Anaſtaſii Salonitani ſeu Salonenſis nomen ad diem 26. Auguſti adſcripſit; quamquam librariorum incuria in eum locum mendum irrepſerit, & ſcriptum ſit: *In civitate Theſſalonica*, ubi reſtitui oportet *in civitate Salona*.

d Iterum ac ſæpius monui duos fuiſſe Anaſtaſios, qui Salonæ martyrio perfuncti ſunt. Alter genere Romanus, inſtituto militari Cornicularius, qui ſub Aureliano Imperatore religionis cauſa Salonis interemptus eſt, de quo hodiernum Martyrologium Romanum, aliique veteres Martyrologi. Hujus feſta & anniverſaria memoria conſignatur die 21. Auguſti. Alter Aquilejenſis, cui Fulloni cognomen fuit, quique Imperante Diocletiano Salonæ martyrium ſubiit. Hujus nomine conſecrata eſt dies 26. Auguſti, quæ a Spalatenſibus ſolemni ritu officioque colitur. Jam vero Joannes Archiepiſcopus Spalatum tranſtulit corpus Anaſtaſii Fullonis; corpus autem Anaſtaſii Cornicularii aliquot ante annis Romam advexerat Martinus Abbas; & Joannes Papa IV. cum aliis martyribus ex Iſtria & Dalmatia per eumdem Martinum advectis, in Sacello Lateranenſi perhonorifice condiderat.

CAPUT XV.

Corpus S. Domnii numquam e Dalmatia vel Romam vel alio evectum fuiſſe.

Traditio Spalatenſis eccleſiæ de tranſlatione Spalatenſi S. Domnii, cur ab aliquibus vocetur in dubium.

VEtus eſt Spalatenſis eccleſiæ traditio, quæ conſtat ex antiquiſſimis Dalmatarum litteris atque monumentis, corpus S. Domnii aliquot poſt Salonæ excidium annis elapſis, in urbem Spalati paullo ante conditam tranſvectum fuiſſe; ut de re tam teſtata exploratague addubitare nemo poſſit, quin certiſſimis quibuſque verendæ antiquitatis teſtimoniis fidem omnem & auctoritatem abrogare velit. Non deſunt tamen auctores clari in primis ac nobiles, qui ejuſmodi tranſlationem in dubium controverſiamque adduxerint, propterea quod exiſtimarent corpus S. Domnii poſt cladem Salonitanam, allatum fuiſſe Romam, conditumque in eo ſacello, quod a S. Venantio nomen accepit, & Lateranenſi Baſilicæ proxime adjacet. Quorum quidem ſententiam cum paullo accuratius expenderem, ita mecum ipſe ſtatui, numquam in eorum manus incidiſſe præclariſſima illa Spalatenſis eccleſiæ monumenta, quæ ſuperioribus capitibus ad fidem hujus tranſlationis faciendam produximus. Sane Henſchenius noſter, cum antea ad iſtorum opinionem videretur eſſe propenſior, ubi ejuſmodi codices inſpiciendi copiam nactus eſt, ſtatim ſe ipſe revocavit, continuitque ab aſſenſu huic opinioni præbendo; & corpus S. Domnii Spalatenſibus, unde illi abſtulerant, omni dubitatione abjecta adjudicavit. Juvat autem hic paucis exponere, unde iſti cauſam & occaſionem errandi arripuerint.

Unde orta de S. Domnio in urbem tranſlato opinio?

Joannes Romanus Pontifex IV. eo nomine, qui anno circiter 640. Pontificatum iniit, oriundus e Dalmatia, cum poſt expugnatam Salonam fama & auditione accepiſſet inter tumultum ac direptionem devictæ urbis Dalmatarum plurimos a Barbaris captos, & in ſervitutem abductos fuiſſe, popularium ſuorum vicem miſeratus, ſuarum partium eſſe duxit, omni ope atque opera eorum calamitati ſuccurrere. Itaque Martinum Abbatem egregiæ fidei ac prudentiæ virum cum ingenti pecunia in Dalmatiam trajicere juſſit, ut captivos ex hoſtium tyrannide ac ſervitute eximeret. Huic præterea id negotii dedit, ut SS. Martyrum corpora undique conquiſita in urbem deferret, ne ſcilicet aut neglecta, aut contempta inter barbaros jacerent. Is porro Pontificiis mandatis diligenter & ex fide confectis, Romam rediit; & quæ Martyrum reliquiæ in ea rerum ac temporum perturbatione perquiri effodique ex ruderibus captæ urbis, aliiſque Dalmatiæ & Iſtriæ locis potuerant, eas ſecum in urbem aſportavit. Quas Joannes ea, qua par erat, veneratione ac lætitia cum excepiſſet, in ſacello S. Venantii perhonorifice condidit. Tum ne martyrum cultum ac memoriam vetuſtas aboleret, paucos ex iis, de quorum nominibus conſtabat, in abſide ejuſdem ſacelli, muſivo opere depingi juſſit, quibus addendam curavit effigiem S. Domnii, ut ſuæ erga illum pietatis ac religionis perenne monumentum poſteritati propagaret. Quæ quidem omnia cum doctiſſimis viris cognita, & perſpecta eſſent, facile in eam opinionem adducti ſunt, ut putaverint corpus S. Domnii una cum aliis SS. Martyrum reliquiis per idem tempus Romam delatum fuiſſe, præſertim cum ex ejus effigie illic depicta id ſatis tuto conjicere poſſe exiſtimarent. Verum nihil hac conjectura infirmius, nihil eorum opinione incertius. Quid enim? an omnium SS. Martyrum

Digitized by Google

tyrum corpora, quorum cultus ac religio vigebat in Dalmatia, tum Romam transvecta sunt, ut necesse sit in eorum numerum S. Domnii corpus pariter includi? vel si non omnia in urbem allata sunt, ut certe non sunt, quid argumenti afferri potest, cur iis, quæ Dalmatia Romam per id tempus transmisit, annumerandum sit etiam corpus S. Domnii? præsertim cum neque Thomas Archidiaconus, qui de hac translatione satis luculente scripsit, neque ullus alius ex antiquis scriptoribus id memoriæ prodiderit. Quod vero Joannes Pontifex in absside ejus sacelli B. Domnium pariter cum aliquot ex illis Martyribus, quorum reliquias ibidem condiderat, pingendum curaverit, id profecto tanti non est, ut obtundat elevetque Spalatensium codicum auctoritatem. Causa longe alia esse potuit Joanni, cur S. Domnium illic appingi vellet; sive quod suam adversus illum religionem, pietatemque eximiam posteritati notam esse cuperet; sive quod non putaverit disjungendum esse a Salonitanis & Dalmaticis Martyribus B. Domnium, qui ecclesiam illam fundaverat, quique omnium Dalmatiæ Martyrum coryphæus esset ac princeps; ex quo etiam factum est, ut in basilica Lateranensi una eademque die cum aliorum Martyrum, quorum corpora illic asservantur, tum præcipue S. Domnii cultus ac memoria solemni officio rituque celebretur. Sed ubi agendum erit de festis S. Domnii diebus, ibi investigabimus, quid causæ fuerit, cur ea dies, quæ est undecima Aprilis, in fastis Lateranensis ecclesiæ nomen S. Domnii adscriptum sit. Quamquam haud invitus concesserim Joannem in ea opinione fuisse, quæ deinde in vulgus percrebuit, ut putaret S. Domnium iis Martyribus annumerandum esse, quos e Dalmatia Martinus Abbas advexerat; nam plures erant ignoti nominis, quibuscum permixtus esse S. Domnius facile existimari poterat; & nondum ejus corpus, quod sub Salonæ ruderibus latebat, manifesto compertum atque deprehensum fuerat, idemque a Spalatensibus in novam urbem publica solemnique pompa translatum. Cæterum Thomas Archidiaconus, licet non ignoraverit S. Domnium pictum esse in absside sacelli Lateranensis, idque ipse testatus fuerit cap. 8. Histor. Salonit., adeo tamen non existimavit monumentum illud S. Domnio positum, indicium esse corporis ibidem conditi, ut capite 12. longe aliud ab istorum opinione docuerit, & clare diserteque tradiderit corpus S. Domnii in urbe Spalatensi asservari; eoque translatum fuisse ab Joanne primo Spalatensium Archiepiscopo, vigesimo fere anno postquam Martinus Abbas ex Istria atque Dalmatia aliorum Martyrum corpora Romam transtulerat. Cohærent igitur inter se hæc duo, nimirum in eo sacello effigiem esse S. Domnii, & ejusdem corpus inde vel longissime abesse. Quæ cum ita se habeant, nemo non videt, quam imbecilla sint istorum argumenta, atque adeo prorsus nulla, si cum auctoritate Spalatensium codicum, veterumque scriptorum testimoniis conferantur. Operæ pretium esse arbitror afferre, quidquid auctores illius opinionis hac de re scripserint, eorum que sententias totidem verbis descriptas lectorum judicio subjicere.

Effigies Lateranensis S. Domnii non est indicium ejusdem corporis ibidem conditi,

In eodem errore fortasse fuit Joannes IV.

Sed non Thomas Archidiaconus.

§. I.

Auctores pro Romana S. Domnii translatione.

I. CÆsar Cardinalis Baronius in Not. ad Martyr. Romanum die 11. Aprilis: *Corpus S. Venantii Episcopi & Martyris asservatur in Oratorio, quod dicitur S. Venantii apud Baptisterium Constantini, a una cum corporibus S. Domnionis Episcopi, & aliorum SS. Mm., quorum omnium dies anniversaria agitur hoc eodem mense, tertio Idus Aprilis: cum autem ea omnia translata fuerint e Dalmatia & Istria a Joanne Papa IV., par est credere S. Venantium alicujus illarum provinciarum civitatis fuisse Episcopum &c.* a

II. Cæsar Cardinalis Rasponius de basilica & Patriarchio Lateranensi lib. 3. cap. 12. pag. 239. ex editione Romana an. 1656. *Joannes IV. Dalmatiam provinciam suam duplici memorandæ pietatis significatione, post adeptum R. E. Pontificatum est prosecutus. Cum enim a Sclavis barbaris adhuc, & infidelibus populis per ea maxime tempora miserabiliter premeretur, eversamque Salonam, Epidaurum, & reliquas penes omnes ejus tractus civitates, ac gentem pene universam vel trucidatam, vel servitute indigna oppressam lugeret, ablegatis idoneis in eam regionem hominibus, quam maximum populorum suorum numerum libertate, præsenti pecunia a barbaris redemptum donavit, (in quod opus thesauris ab Isacio Exarcho in Laterano relictis usum fuisse perhibent) sanctorumque reliquias, ne Christianæ religionis hostibus ludibrio esse possent, plurimas eisdem e terris exportandas, Romamque adducendas curavit: fuerunt autem S. Venantii, b Domnionis, Anastasii, Mauri, Asterii, Sulpiciani, Theli, Antiocheni, Pauliani; inque Oratorio, de quo nunc agimus, ab eodem sunt condita, quod S. Stephani, ut diximus, olim notatum verisimile est, suadente c id, ut dixi, vetustissimo codice Ms., qui in Archivo Lateranensi asservatur, cujus verba ad hanc sententiam facientia hæc ferme sunt: Joannes IV. natione Dalmata corpora SS. Venantii, & sociorum reddidit in ecclesiam S. Stephani, juxta fontem Lateranensem, juxta Oratorium S. Joannis Evangelistæ, quod ornavit, & diversa dona obtulit.* b c

III. Godefridus Henschenius in prætermissis ad diem 17. Aprilis: *S. Domninus Martyr in Ms. Martyrologio Barberiniano, & Italia adscribitur, dicturque unus e 72. Discipulis in Ms. Pragensi, & a Greveno in Auctariis Usuardi, & illud secuto Canisio in Martyrologio Germanico. Forsan est S. Domninus Episcopus, qui traditur a B. Petro Apostolo in Dalmatiam missus, & ibidem Martyr obiisse,* d *cujus corpus dicitur postea Romam translatum. De eo egimus* XI. *Aprilis.* d

Idem XI. Aprilis de S. Domnio in Analectis §. 11. *Corpora S. Domnionis & aliorum Romam e delata. In sacrosancta Lateranensi ecclesia, omnium urbis & orbis ecclesiarum matre ac capite, hoc die* XI. *Aprilis recitatur Officium ecclesiasticum sub ritu duplici de S. Domnione Episcopo & Martyre, & sociis,* f *quorum corpora habentur in proprio altari, in Oratorio B. Virginis Mariæ ad fontes, & festum duplex S. Leonis Papæ Romani transfertur in proximum diem, cujus in secundis Vesperis solum fit commemoratio, nisi contingat ulterius differri. Omnia autem fiunt de communi plurimorum Martyrum, & in Missa dicitur Credo; uti refertur in ordine Officiorum, qui pro dicta ecclesia solet excudi. E quibus colligimus antiquissimam ibi vigere consuetudinem officio ecclesiastico colendi S. Domnionem, & alios Martyres, quorum corpora, inquit* g *Baronius in notis Martyrologii ad hunc diem* XI. *Aprilis, Joannes Papa IV. Dalmata translata e Dalmatia, in Oratorio prope Baptisterium Constantini recondidit a se decentissime exornato.* e f g

IV. Joannes Tomco Marnavitius Episcopus Bosinensis in Vindiciis S. Felicis adversus Thaddæum Donnolam pag. 17. *Licet Domnio Salonis federit, ibique cum* h *octo militibus Martyrium subierit, non tamen Spalati, sed Romæ prope Constantinianum Baptiste-* h

ptiſterium in eccleſia S. Venantii a Joanne IV. Papa Dalmata excitata in hunc finem ab eodem Pontifice, cum ſociis, planibuſque aliis Sanctorum Dalmatarum corporibus operoſe muſivo in dicta eccleſia & abſida & paniculis expreſſorum requieſcit, ab ipſa Salonarum everſione, ſicut & ex i *Lateranenſis baſilicæ archivis, & ex Cardinalis Baronii notis in Romanum Martyrologium ad 3. Idus Aprilis apertiſſima conſtat.*

V. Floravantius Martinellus in opere Italico, quod inſcribitur *Roma ricercata*, ad diem decimum pag. 167. ex Veneta editione an. 1664. *Deinde adi-* k *bis ſacellum ſive ædiculam S. Venantii, quam* k *Joannes Papa IV. exſtruxit an. 638, ejuſque abſidam mu-ſivis operibus ornavit, in honorem Sanctorum Venantii, Domnionis, Anaſtaſii, Mauri, Aſterii, Septimii, Sulpiciani, Thelii, Antiocheni, Paulli-niani, & Cajani, quorum corpora huc tranſferri juſſit ex Dalmatia, & ſubter aram recondi.*

VI. Joannes Maria Creſcimbenius S. Mariæ Cosmedin Canonicus lib. 2. cap. 7. pag. 145. Hiſtoriæ eccleſiæ S. Joannis ante Portam Latinam: *Quatuor ſunt oratoria penes S. Joannem Lateranenſem, & dicuntur oratoria ad fontes. Unum ex his ſub abſida unicam aram habet, ſub qua ſunt recondita pretioſa ſanctorum corpora. Iſta ſunt nomina, S. Venantius, S. Domnicus, S. Anaſtaſius, S. Maurus, S. Aſterius, S. Septimius, S. Theſbius, S. Antiochianus, S. Paullinianus, S. Gazonius.* Et paullo poſt teſtatur horum Sanctorum reliquias ab Alexandro VII. recognitas fuiſſe.

VII. Carolus Bartholomæus Piazza in Sanctuario ſeu Martyrologio Romano Italice deſcripto pag. 124. XI. *Aprilis. S. Domnionis cum militibus octo, Paulliano, Thelio, Aſterio, Anaſtaſio, Mauro, Septimio, Antiocheno, & Cajano. Feſtum apud S. Venantium penes S. Joannem ad fontem, & prope Conſtantini Baptiſterium, ubi ſub altare eorum corpora requieſcunt.*

VIII. Marius Luiginus Archibaſilicæ Lateranenſis Beneficiarius & Cæremoniarius in ordine officii divini pro capitulo Romano & Clero ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Papalis Lateranenſis, pro anno 1718. XI. *Aprilis. Domnionis Epiſcopi & ſociorum* l *Martyrum. Duplex.* l *Habemus corpora in Oratorio S. Mariæ ad fontem. Lect. 1. Noct. de Script. 2. Prop. 3. Aſſig.*

IX. His addi poteſt Philippus Ferrarius, qui in Catalogo Generali Sanctorum, corpus S. Domnii Spalatenſibus & Romanis adimit, & apud inſulas Diomedeas ſepultum eſſe, aſſervarique tradit: VII. *Maii. Spalati S. Domnii Epiſcopi Salonenſis & Martyris ex tabulis eccleſiæ Spalatenſis. Corpus illius* m *in inſula una ex Diomedeis, quæ ex eo nominatur, aſſervatur, ac precipue colitur.* Idem ibidem ſed paullo poſt: VII. *Maii. De inſulis Diomedeis S. Domnii Epiſcopi & Martyris. Ex monumentis Canonicorum Regularium, qui inſulas memoratas, vulgo de Tremiti, poſſident.*

NOTÆ.

a In Baronium. Henſchenius noſter, ut falſæ hujus opinionis notam & ſuſpicionem amoveat a Baronio, exiſtimat ejus verba ſatis commode referri poſſe ad alium quempiam Domnionem, qui diverſus omnino ſit a Domnio Salonitano Epiſcopo. Verum, Henſchenii pace dixerim, Baronius ſententiam ſuam clarius expoſuit, quam ut ejus verba interpretationem ullam ſubire, aliove detorqueri poſſint. Satis enim apparet eum locutum fuiſſe de illo Domnio, cujus effigies extat in ſacello illo Lateranenſi, quique ibidem XI. Aprilis officio rituque anniverſario celebratur. Hunc autem non alium eſſe a Domnio primo Salonarum Antiſtite tum Lateranenſis eccleſiæ vetus traditio, tum Epiſcopalia inſignia ejus imagini appicta ſatis declarant. Nullus igitur dubito, quin Baronius in ea ſententia fuerit, ut putaret illic ſitum eſſe S. Domnii Salonitani corpus; nam cui ignota erant Spalatenſis eccleſiæ monumenta, is facile decipi potuit iis indiciis, quibus alii in eumdem errorem adducti ſunt.

b In Raſponium. Neque hujus ſententiæ adhiberi poteſt Henſcheniana interpretatio. Quod ſi cum aliis doctiſſimis viris lapſus fuerit, id propo neceſſarium fuit; nullam enim Spalatenſium tabularum copiam habuit, quarum ope ab hujuſmodi errore ſibi caveret.

c Haud equidem vetuſtiſſimi hujus codicis auctoritatem defugio, ſed in eo loco, quem Raſponius citat, nullam S. Domnii mentionem invenio.

d In Henſchenium. Caute ac prudenter. Suum quippe aſſenſum in re nondum ſibi ſatis nota ſuſtinuit Henſchenius, ſic prorſus, ut neque ſuam ſententiam interpoſuerit, neque alienam improbaverit. Cæterum ubi paullo accuratius rem expendit, aditis conſultiſque Spalatenſium monumentis, ſe ipſe noſtræ ſententiæ adſtipulatorem & patronum præbuit, ut infra videbimus.

e Ex auctoris mente modo expoſita, videtur addenda hæc parenthelis (*ut dicitur*).

f Tò *quorum* referendum eſt ad ſocios cultus Lateranenſis, non ad S. Domnium, ne Henſchenius a ſe ipſo diſcrepare videatur.

g Iterum huic opinioni alienam auctoritatem præfodit, nihil de ſuo neque ad eam confirmandam, neque ad refellendam adjiciens. Nec tamen negaverim Henſchenium ab initio propenſiorem fuiſſe in ſententiam Baronii, & aliorum, quos ſupra citavimus.

h In Marnavitium. *Cum octo*, inquit, *militibus*. Octo autem? immo quinque & quadraginta, totidem enim perhibent fuiſſe Acta S. Domnii; ſed venia ei tribuenda, quod in eo cum viris gravibus erraverit.

i Vellem attuliſſet aliquem Lateranenſis archivi codicem, ex quo id, quod contendit, probari poſſet. Nos vero ex uno alterove ejuſdem archivi codice Ms. contrarium plane conſtare, atque elici poſſe oſtendemus §. inſequenti.

k In Martinellium. Corrige *quam Joannes Papa IV. inchoavit anno circiter 641.* Joannes immaturo morte præreptus opus, quod inchoaverat, perficere, atque ornare non potuit. Id præſtitit Theodorus, qui Joanni in Pontificatum ſucceſſit. Sed de his fuſius in Actis S. Venantii. Sunt, qui Joannis IV. initia ad an. 638. referunt.

l In Luiginum. Haud equidem ſcio, an Magiſtri Cæremoniarum auctoritas, quæ ſacrorum rituum diſciplina & ſcientia continetur, magni momenti eſſe debeat ad conciliandam huic ſententiæ fidem. Certe nihil de corpore S. Domnii Romam tranſlato commemorat Lateranenſis Liturgiæ ratio, edita anno 1690, quam ſacra rituum Congregatio approbavit.

m In Ferrarium. De inſulis Diomedæis copioſe, doſteque diſſerit Gabriel Pennotus lib. 3. Hiſtoriæ tripartitæ Canonicorum cap. 13. Sed corporis S. Domnii illuc tranſlati ne meminit quidem. Porro ex tribus illis inſulis unam eſſe, quæ ex nomine S. Domnii appelletur, ultro damus atque concedimus; illud vero, quod Ferrarius ait, *ibidem ejus corpus aſſervari, & præcipue coli*, ejuſmodi eſt, ut numquam nobis probare poſſit. *Ut ſummum*, inquit Henſchenius §. 1. Analectorum n. 5.) *arbitramur ibidem aliqua corporis oſſa ex eccleſia Spalatenſi*

tensi delata in honore fuisse, & adhuc esse. De sententia Ferrarii postea plura dicemus.

§. II.

Auctores & argumenta pro Spalatensi sepulchro S. Domnii.

Quanti sit facienda sit traditio eccl. Spalat.

QUamquam ecclesiæ Spalatensis traditio jam usque a primis conditæ urbis ducta temporibus, & antiquissimis ejusdem ecclesiæ tabulis consignata, tanti ponderis ac momenti sit, ut eorum, qui nobis contrarii sunt, auctoritatem prorsus elidat; juvat tamen huc alia aliunde argumenta congerere; non illa quidem ad rem minime dubiam probandam necessaria, sed vel cujusdam ornamenti, vel gravioris etiam confirmationis causa in hunc locum accersita; quo clarius & evidentius pateat corpus S. Domnii post exidium Salonæ, nusquam alio, nisi Spalatum fuisse devectum, atque inde numquam dimotum esse, hodieque ibidem servari, qua dignum est religione cultuque. De monumentis ecclesiæ Spalatensis, quibus sententia nostra potissimum innititur, nihil est, quod huic loco adjiciam: habes illa tum in historia translationis Spalatensis tribus superioris capitis paragraphis descripta, tum in tertia vita B. Domnii, & reliquis, quæ deinde sequuntur. Primum igitur auctoribus, qui adversæ opinionis patrocinium susceperunt, quosque supra recensuimus, alios auctores nihilo inferioris ordinis ac nominis opponimus, quorum auctoritas ad fidem faciendam hoc gravior esse debet, quod eorum sententia, non conjectura, aut probabili quadam opinione nititur, sed veterrimis, iisdemque certissimis Spalatensium monumentis fulcitur. Alia deinde argumenta duximus ex insigni indigenarum pariter atque advenarum pietate ac religione, qua ædes Metropolitana Spalatensis, ubi S. Domnii exuvias conditas esse dicimus, jam inde ab hujus urbis exordio celebratur & colitur. Quod enim multæ deinceps ætates, quod summa populorum frequentia, quod hominum ex omni ordine atque genere consensus ad hoc templum ornandum colendumque divino utique instinctu conspiraverint, id profecto satis declarat magnam hujus loci religionem ac sanctitatem esse, atque adeo semper fuisse tum apud vulgus, tum apud principes viros singulari nobilitate ac dignitate conspicuos; quæ quidem sanctitas & religio tam vetusta, tam pervagata, tam illustris, unde huic templo obvenerit, plane non video, nisi accersenda sit ex ipsomet S. Domnii corpore ibidem condito, quod ad sui cultum ac venerationem, incolas pariter, advenasque excitet, eorumque animos occulta quadam religione perfundat. Huc pertinent pia Spalatensium Archiepiscoporum studia in id vel maxime intenta, ut templi hujus celebritatem augerent, cultumque S. Domnii latius propagarent. Huc spectant Regum ac Ducum pietas & munificentia, qui amplissimis decretis, egregiisque muneribus idem templum ornarunt. Huc præcipue referri oportet summorum ac principum virorum peregrinationes voti ac religionis causa susceptas, quæ quidem argumento sunt in hac basilica tot peregre visentium frequentia, donisque celebrata, corpus S. Domnii contineri. Neque enim hujusmodi peregrinationes institui solent habericque, nisi ad ea loca, quibus vel insignes Divorum reliquiæ, vel aliquod præclarum religionis nostræ monumentum venerationem conciliat. Hæc aliaque id genus argumenta, sive B. Domnii apud Spalatenses conditi perpetuoque asservati indicia ex ordine recensebimus, & suo quæque loco exponemus. Primum itaque illustrium auctorum, qui nostræ sententiæ favent, testimonia proferamus. Horum agmen ducit Thomas Archidiaconus, qui ex antiquissimis Salonitanæ & Spalatensis ecclesiæ codicibus Historiam Salonitanam descripsit & concinnavit. Hujus testimonium ex capite XIV. desumptum paullo ante attulimus, eoque quartæ translationis brevis descriptio continetur. Alterum ex c. 8. ejusdem Historiæ petitum hic producimus, ubi ille quidem nihil commemorat de translatione S. Domnii in urbem Spalatensem, sed paucis exponit translationem illam, quæ fere viginti annis hanc, de qua nunc agimus, antecessit; cum scilicet Joannis Pontificis jussu Martinus Abbas ex Istria & Dalmatia multorum Martyrum corpora in urbem advexit. Hoc autem testimonium eo pertinet, ut appareat, quam alienus fuerit Archidiaconus ab eorum sententia, qui existimant S. Domnium per idem tempus cum aliis Dalmatiæ Martyribus Romam translatum fuisse; quippe cum neque S. Domnii Romam translati usquam meminit, & apertissime eumdem Salonæ ruderibus effossum, atque in urbem Spalatensem invectum capite XII. affirmat.

quam confirmant scriptores gravissimi,

ipsemque Archiep. Spalat. studia & Principum virorum munificentia ad ornandam basilicam S. Domnii,

& peregrinationes illuc susceptæ,

ARGUMENTUM PRIMUM.

Illustrium virorum testimonia ex variis eorum scriptis.

I. THomas Archidiaconus in Historia Salonitana Minori cap. VIII. *Eodem tempore*, (quo scilicet Salonitani ærumnosam vitam ducentes, multo tempore in insulis commorati sunt post captam a Gothis Salonam) *Joannes summus Pontifex Apostolicæ sedis, cum esset Dalmatinus natione, audiens suæ gentis miserabilem casum, valde condoluit, misitque quemdam Abbatem Martinum nomine, cum multa pecuniæ quantitate pro redimendis captivis. Qui veniens ad partes Dalmatiæ, multos redemit captivos a Sclavis, eosque ad parentes suos remisit. Iste Martinus ex Apostolica jussione multorum Sanctorum reliquias accepit in partibus Dalmatiæ & Istriæ, & detulit eas Romam ad prædictum Papam Joannem, qui venerabilis Pontifex eas reverenter suscipiens recondidit apud ecclesiam B. Joannis Lateranensis, ubi est fons Baptisterii, & a ibidem juxta fecit depingi imaginem B. Domnii,* (Salonæ relicti) *cum pallio, & b cæteris Pontificalibus indumentis; totum ex musivo aureo; similiter fecit imaginem B. c Anastasii inter alios sanctos.*

Idem Thomas Hist. Salonit. cap. 16. *Hunc* (Ulfonem) *hæreticum Gerardus Archiepiscopus Siponti nus Gregorii VII. Legatus fecit absolvi, dicens quia Dominus Alexander II. Papa felicis memoriæ in suo decessu præcepit universos suo jussu incarceratos absolvi. Prius tamen fecit eum supra Evangelium, & super corpus S. Domnii subire corporaliter juramentum, ut in abjuratam hæresim numquam relabi deberet.*

II. Constantinus Porphyrogenitus Imperator d C. P. De administrando imperio ad Romanum filium cap. 29. *Aspalathi urbem, quæ parvum Palatium significat, Imperator Diocletianus condidit: habuit illam, ut domum propriam; aulamque ibi exstruxit, & palatia, quorum pleraque perierunt; quæ autem etiamnum supersunt, valde pauca sunt, ex quibus Episcopium urbis, & templum S. Domnii, ubi ille ipse Sanctus depositus fuit, quod cubiculum erat ejusdem Imperatoris.*

III. Andreas Dandulus Dux Venetorum e Annal. Ven. lib. 4. c. 2. n. 15. ex codice Vaticano 5842, & Collect. Joan. Lucii, *Hæc quidem sedes* (Salonitana) *in Spa-*

in Spalato, destructa Salona, cum corpore Pontificis (Dopini) *translata est.*

IV. Godefridus Henschenius in Actis Sanctorum ad XI. April. in S. Domnio §. 2. *Domnionis, vel Domnii corpus non est tempore Joannis Papæ Romam delatum, sed* f *integro sæculo serius a Joanne Archiepiscopo Spalatensi una cum corpore alicujus Anastasii ad suam sedem Spalatensem translatum est; & in ecclesia S. Mariæ Deiparæ, nunc S. Domnii dicta depositum, & hactenus summa veneratione asservatur.*

Idem ibid. ad XI. April. Analectorum §. 1. *Ecclesia S. Genitricis Dei Spalatensis, in quam 56. Martyrum Domnii, & Anastasii corpora fuissa illata in Actis dicuntur, assumpsit nomen S. Domnii, quod sæpe memoratus Archidiaconus confirmat, cap. 13.*

V. Franciscus Maria de Aste Archiep. Hydruntinus in Disceptationibus ad Martyr. Roman. ad diem XI. Aprilis: *Cardinalis Baronius in Notis, corpora, ait, Domnionis Episcopi & Sociorum Joannes IV. Dalmata translata e Dalmatia prope Baptisterium Constantini recondidit. At Holstenius in Animadverss. Corpus Domnionis requiescebat Aspalathi in propria ecclesia an. 949. teste Constantino Porphyrogenito. Studiosus ipsos eruditos consulat.*

VI. Franciscus Maria Florentinius in Martyrologio Lucensi ad XI. April. *S. Domnio, ut Holstenius monet (in notis ad Martyrolog. Romanum) adhuc anno Christi 949. requiescebat in propria ecclesia Aspalatensi, teste Constantino Porphyrogenito Imperatore de Administr. Imperii cap. 29.*

His addi possunt alii, qui cum nominatim recenseant Sanctos Martyres ex Dalmatia Illyrique in urbem advectos Joannis IV. Romani Pontificis jussu, Domnium silentio præterierunt, quod argumento est, illis martyribus annumerandum non esse Domnium ex horum sententia.

VII. Anastasius Bibliothecarius Domnium præteriit in lib. Rom. Pont. g *Joannes Pontifex fecit* g *ecclesiam beatis Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & aliis pluribus martyribus, quorum reliquias &c.*

VIII. Eadem fere scripta reperies in codice pervetusto superioris Archivi Lateranensis signato littera A, quod inscribitur Passionale Sanctorum Christi Martyrum, pag. 124. g *Eadem tempore fecit ecclesiam* (idest Joannes IV.) *B. Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & aliorum nonnullorum martyrum, quorum reliquias de Dalmatia & de Histria adduci præceperat &c.*

IX. Ratio Liturgiæ Lateranensis, seu Proprium Sanctorum Rom. Pontificum, & aliorum pro Sacrosancta Romana cathedrali ecclesia Lateranensi a sacra Rituum Congregatione approbatum Romæ Typis Tinassi an. 1690. pag. 152. Hic quoque nulla est mentio S. Domnii in urbem translati. *Die XI. Aprilis.* h *In Festo Sanctorum Domnionis Episcopi & Sociorum martyrum, Duplex. Omnia ut in com. plurim. martyr. exceptis sequentibus. Oratio, Deus, qui nos concedis, In 1. Nocturno: Fratres debitores. In 2. Sermo S. Ambrosii Ep. In 3. Cum audieritis prælia.*

X. Joannes Severanus Divis e Dalmatia Romam transvectis Domnium non annumerat, teste Henschenio in Actis S. Domnii XI. April. n. 12. *Joannes Severanus in Memoria sacra septem ecclesiarum Romanarum an. 1630. Romæ excusa pag. 101. conjungit nomen sacros his nominibus, Anastasius, Maurus, Asterius, Septimius, Sulpicianus, Lelius, supra* Thelius, *Antiochianus, Paullianus & Cajanus.*

XI. Demum si quid adhuc controversiæ hac de re superesset, plane dirimitur & profligatur auctoritate Innocentii II. Pontificis Maximi, quem huic loco postremo propterea reservavimus, quod is unus nobis instar est omnium. Ille igitur in i suis ad Gaudium Ep. Salonitanum litteris corpus S. Domnii sine ulla dubitatione Spalatensibus adjudicat: l *Propterea Episcopos per Dalmatiam constitutos* j *suffraganeos, quibus Salona tempore suo metropolitanus utebatur, Sanctæ ecclesiæ Spalatinæ, ubi corpus S. Domnii Discipuli B. Petri requiescit, cum omni reverentia obedire sancimus.*

Extat hæc epistola data anno 1240. apud Lucium de Regno Dalm. lib. 2. cap. 14. pag. 91. a.

NOTÆ.

a In Thomam Archidiaconum. a. Hoc est S. Dalmaticis martyribus in absside ejus sacelli depictis, quorum corpora Martinus Abbas in urbem detulerat, effigiem quoque Sancti Domnii jussit adjungi, quamquam illius corpus procul inde abesset, & inter diruta immensæque Salonæ rudera adhuc incompertum jaceret; quod viginti fere annis ab hac translatione elapsis ab Spalatensibus inventum fuit, atque in novam urbem illatum. Quare parenthesis a nobis adjecta, *Salonæ solitis*, eo pertinet, ut Auctoris mentem & sententiam dilucidius explicet, quæ cæteroquin ex orationis contextu, & ex iis, quæ scripsit cap. 21. satis apparet.

b Episcopalia insignia indicio sunt, cujus sit illa effigies, & nullum dubitationis locum relinquit, quin ea sit referenda ad S. Domnium Salonitanum Antistitem; quamquam non desint, qui conentur tum illam effigiem, tum honorem cultumque in Basilica Lateranensi nostro Domnio adhibitum, alio detorquere, atque in alium ejusdem nominis, itemque exitus sanctitatis virum transferre.

c Non utique ea erat effigies Anastasii Fullonis, ut existimasse videtur Archidiaconus, sed Anastasii Cornicularii, ut nos ostendemus in Actis S. Venantii, ubi Lateranensis sacelli descriptio infertur. Cæterum ex ipsomet Archidiaconi errore colligitur eum in ea sententia fuisse, ut putaverit, quemadmodum Anastasii Fullonis, ita & Domnii corpus ab Laterano abesse, quamvis ibidem utriusque pictam esse imaginem crederet. Perinde enim est, ac si diceret. Sicut Joannes Papa cum cæteris Dalmatiæ martyribus B. Domnium pingendum curavit, non quod illic ejus corpus situm esset, sed quia omnium eorum martyrum veluti coryphæus esset ac princeps, ita etiam similibus ferme de causis S. Anastasii effigiem adjici jussit; cujus quidem corpus longe inde aberat, sed ejus nomen ac religio vel maxime per id temporis florebat, ut is quidem secundum S. Domnium inter omnes Salonitanos martyres, fama cultuque celeberrimus haberetur.

d In Constantinum Porphyrogenitum. d. Holstenius in Notis ad Martyrol. Rom. existimat librum de Administratione Imperii conscriptum fuisse anno 949. cui Franciscus Maria de Aste, & Florentinius assentium.

e In Andream Dandulum. e. Is Principatum in Venetis obtinuit, & summa cum fide ac diligentia de rebus Venetorum historiam scripsit anno circiter 1340.

In Henschenium f. *Integro*, inquit, *sæculo serius*: immo ne dimidio quidem. Nam ut alibi ostendimus, a Romana Dalmaticorum martyrum translatione vigesimus fere annus intercesserat, cum S. Domnii, itemque S. Anastasii corpora inventa sunt, & in urbem Spalatensem translata.

In Anastasium Biblioth. & Auctorem codicis Late-

teranenſis g. Cum hi nominatim recenſeant aliquos ex illis martyribus, quos in ſacello Lateranenſi depoſitos eſſe conſtat, Domnium vero, cæteroquin ſingulari commemoratione dignum prætereant, id argumento eſt, iis olim minime perſuaſum fuiſſe ibidem S. Domnii corpus aſſervari. Nam hac de re ſi quid Majoribus noſtris innotuiſſet, id ſane litteris commendaſſent. Non eſt enim veriſimile, ut illos quidem nominarent, Domnium vero, qui omnibus ætate pariter ac dignitate antecedebat, ſi eum ibidem ſitum eſſe cenſuiſſent, ſilentio prætermiſerint. Recens igitur eſt iſtorum opinio de S. Domnio in urbem translato, neque veteris traditionis auctoritate nititur.

In Officium prop. Liturgiæ Lateran. h. Huic facile aſſenſerim, quippe cui approbatio ſacræ Rituum Congregationis fidem & auctoritatem adjunxit; ſed nulla hic mentio de reliquiis S. Domnii in Lateranenſi ſacello conditis. Contra vero Marii Luigini Præfecti Cæremoniarum auctoritas mihi tanti non eſt, ut ejus opinionem antiquiſſimis eccleſiæ Spalatenſis monumentis præferendam putem.

In Epiſtolam Innocentii II. i. Exemplar litterarum, quas Innocentius ad Gaudium, ſive Gaudentium Archiepiſcopum Spalatenſem dedit, hujus Antiſtitis actis inſeremus.

g Sunt qui legi malunt *præterea*, quam *propterea*.

ARGUMENTUM II.

Archiepiſcoporum Spalatenſium perpetua cura, & ſtudium eximium Baſilicæ S. Domnii locupletandæ, tuendæ, ornandaque. Ex variis Hiſt. Salonit. locis, & eccleſiæ Spalat. monumentis.

I. LAurentius Archiep. Spalatenſ. XXXV. ab an. 1059. ad an. 1099. *Laurentius tempore ſuo fecit Candelabra magna argentea, & multa alia bona* (pro templo S. Domnii). A Cutheis in Mem. Archiep. Salonit. & Spalat. apud Lucium de Regno &c. pag. 186.

Tantum ſtudioſus extitit ad amplificandum & decorandum eccleſiæ theſaurum, ut quemdam proprium ſervum Antiochiam ad diſcendum fabrilia opera argenti & auri dirigeret; qui cum bene inſtructus rediiſſet, fecit venerandus Pontifex excudi ab ipſo candelabra magna de argento, & alia candelabra manualia: fecit etiam urceum magnum, & alium
a *parvum, & a ciminile manicatum, calicem & capſam, unum Paſtoralem, & crucem, & alia quædam, quæ omnia perfecit opere ſculptorio artis ingenio Antiochenæ.* Thom. Arch. Hiſt. Salonit. cap. 16.

His temporibus Adam quidam Pariſienſis optime in artibus elimatus, pergendo Athenas ad Græcorum ſtudia, devenit Spalatum; & cum fuiſſet a Laurentio Antiſtite honorifice ſuſceptus, rogatus eſt ab eodem, ut Paſſiones BB. Martyrum Domnii & Anaſtaſii,
b *quæ inculto fuerant antiquitus ſermone conſcripta,* b *luculenta faceret compoſitione nitere. Quod ille gratanti corde conſenſit, ſumptoque themate e vete-*
c *ribus hiſtoriis,* c *legendas utriuſque martyris lepi-*
d *do ſatis dictamine innovavit.* d *Hymnos etiam compoſuit, ac quidquid de B. Domnio muſice canitur, metrico ſermone conſcripſit.* Id. Ibid.

II. S. Raynerius Archiep. Spalat. XXXXIV. ab an. 1175. ad 1180. *Fuit Raynerius vir valde conſtans, & intrepidus, nec patiebatur aliquid de juribus & facultatibus eccleſiæ deperire. Unde factum eſt, ut quodam tempore iret ad montem Maſſarum, ut exquireret quædam prædia eccleſiæ, quæ a Sclavis occupata detinebantur; & cum faceret circuitum cum iis, qui terrarum illarum habebant notitiam, ambiendo & limitando eas per ſuas extremitates, ecce Nicolaus quidam cum fratribus, & parentela ſua, qui erant ex genere Cacitorum, de facto Archiepiſcopi valde dolere cœpit, & convocata populari multitudine, in magno furoris impetu Raynerium circumdantes exclamaverunt: Quid tu peſſime Præſul & inique contra nos agere conaris? numquid putas poſſe nos ejicere de poſſeſſionibus territorii patrum, & anteceſſorum noſtrorum; niſi in continenti recedas, hic dies vitæ tuæ ultimus erit. Raynerius autem, ut erat conſtantiſſimus, nihil eorum minis perterritus libera & intenſa ſatis voce reſpondit dicens: Non veſtrum eſt territorium, ut aſſeritis; ſed poſſeſſio eccleſiæ B. Domnii, a vobis hactenus uſurpata. Ad hanc vocem omnis multitudo Sclavorum, arreptis lapidibus, in eum unanimiter projecerunt; tamdiu dextris furentibus debacchantes, donec exanime corpus ſub magno acervo lapidum dimitterent, & abirent.* Hiſt. Salon. cap. 22.

III. Bernardus Archiep. Spalat. XLVII. ab an. 1190. uſque ad an. 1217. *Ad Bernardi petitionem donavit* f *Rex eccleſiæ S. Domnii* g *Sextariolos Molendinorum Salonitani fluminis, qui ſeptimanaliter pertinebant ad* h *Banum.* Hiſt. Salon. cap. 25. f g h

Bernardus de civitate Peruſia impetravit a D. Rege Henrico, & a fratre ſuo Andrea Staria Molendinorum, & territorium de i *Biacie, & de S. Vitale eccleſiæ S. Domnii.* A Cutheis in Memor. &c. apud Luc. pag. 186. i

Anno poſt Chriſtum natum k 1214. *Idibus Aprilis, Bernardi opera curaque perfecta ſunt magnificentiſſimæ valvæ cathedralis ædis, in quibus Chriſti naſcentis ac patientis hiſtoria ſcite, venuſteque cælata viſitur. Præclari hujus operis deſcriptionem deſignavit & confecit Andreas Gavina Spalatenſis celeberrimus ea tempeſtate ſculptor, idemque pictor egregius.* Ex libro Italico de rebus Spalat. Auctor. anonymo. k

IV. Guncellus Archiep. Spalat. XLVII. ab an. 1219. ad an. 1242. *Memorato Bernardo ſucceſſit in Epiſcopatu* kk *Guncellus, cujus tempore contra Malduci cujuſdam Pirati inſolentiam pugnaturi Spalatenſes, exhortatione cujuſdam Præfecti exhilarati, omnes cœperunt commendare ſe Deo & B. Domnio. Et tunc ordinantes ſe cœperunt contra hoſtes audacter incedere, & inſignem de hoſtibus victoriam reportarunt.* Ex Actis Bollandian. SS. Tomo II. April. ad diem 11. & cap. 36. Hiſt. Salonitanæ. kk

V. Petrus l Archiep. Spalat. LXIV. ab an. 1421. ad an. 1430. *Petrus Archiepiſcopus natione Pagenſis erexit capellam S. Domnii, & eam pulcherrime pavimentis edolavit, domos & poſſeſſiones Archiepiſcopales erexit, eccleſiam S. Domnii divinis officiis bene fulcitam tenuit.* A Cutheis in Mem. apud Luc. l

VI. Franciſcus Maripetrus Archiep. Spal. LXV. ab an. 1431. ad 1438. *Franciſcus Malipetro Abbas S. Cypriani Ord. S. Benedicti electus an.* m 1427. *translatus eſt ad eccleſiam Caſtellanam, ſeu Venetam an. 1428. cujus exſtat Memoria in lapide poſito ſupra Altare S. Domnii ſub inſcriptione ſupraſcripti* n *Creſcentii:* m n

Tempore quo Franciſcus erat Fuſcarea proles
Dux Venetorum, virtute ſua cariſſimus Orbi,
Et Clero Maripetro ſuis dum o *Præſul adeſſet.* o

Hiſtoricus Dalmata in additionibus variis ad Tragurienſem Hiſtoriam pag. 68. *Is altare S. Domnii a Petro Archiep. inchoatum perfecit.* Ne longior ſim, prætermitto cæteros Archiepiſcopos, quorum præclara & operoſa adverſus baſilicam & eccleſiam S. Dom-

Digitized by Google

Domnii religio ejuſdem ibidem conditi corporis fidem facit.

NOTÆ.

Ad Laurentium. a. *Cimile* manicatum videtur eſſe genus cujuſdam vaſis cum anſulis utrinque adjectis, quod ad rem divinam adhiberi ſolebat.

b Ideſt, amæna cultaque oratione.

c Acta S. Domnii ab Adamo Pariſienſi compoſita deſcripſimus cap. IV. Acta vero S. Anaſtaſii, ſi ea nancilci poterimus, ſuo loco inferemus. Utriuſque vero Spalatum translati hiſtoriam ſupra deſcriptam, Anonymo Auctore, habes cap. 14. §. 3.

d Ideſt, antiphonas certo numero, metricaque lege ad muſicam rationem devinctas.

Ad Bernardum. f. Is Bela II. genitus regnum in Hungaris obtinuit ab an. 1196. ad an. 1204. Ex omnibus Hungariæ Regibus unus omnino fuit, qui Henrici nomen geſſerit. Sunt, qui eum Emericum appellant.

g Sextam fortaſſe partem ex proventibus Molendini.

h Ideſt, proregem Chrobatiæ, qui per ea tempora Dalmatiæ partem adminiſtrabat, quæ ſuberat Regibus Hungariæ.

i Biacium Dalmatiæ oppidum pervetus, idemque nobiliſſimum fuit, quo olim Duces Regeſque Chrobatiæ regiam ſedem ac domicilium tranſtulerant. Apud ſcriptores alias Aulam Regiam, alias Pagum, alias oppidum appellatum invenies. Situm erat Salonam inter & Tragurium introrſus a mari in edito præruptoque loco, cui proxime ſubjacet Caſtrum, oppidulum haud ſane ignobile, quod nunc *Cyppicum* vulgo dicitur; nec longe abeſt a mari. Nec Biacii nomen apud ſcriptores prorſus exolevit, neque ibi deſunt regiæ magnificentiæ veſtigia. Porro id oppidum conſtat eſſe vetuſtiſſimum, quippe cujus origo incomperta eſt, & omni memoria antiquior. Mirum igitur quam fallantur ii, qui nihil intereſſe putant inter Biacium Dalmaticum, & alterum ejuſdem nominis oppidum in Chrobatia haud paullo ætate poſterius; hoc quippe conditum ferunt duodecimo ſæculo a Bela Chrobatarum Rege hujus nominis quarto, qui a Tartaris omnia ferro & igne vaſtantibus in fugam conjectus illuc ſe recepit, eumque locum egregiis operibus ſepſit, & præclare communitum barbarorum irruptionibus oppoſuit. Hæc epocha congruit cum Pontificatu Bernardi, qui biennio poſt e vivis exceſſit an. 1217.

k Ad Guncellum. Non quidem proxime, ſed poſt Slavizzum, Bernardo & Guncello interjectum.

Ad Petrum. l Huic a Pago oppido, unde erat oriundus, Pagenſis cognomen fuit.

Ad Maripetrum. m. Hujus tempora aliter Catalogus Romanus ſupputavit.

n De Creſcentio Archiepiſcopo, ejuſque inſcriptione infra dicemus.

o Ideſt, dum Maripetrus Spalatenſem eccleſiam regebat, abſolutum & perfectum fuit ſacellum & altare S. Domnii, quod jampridem inchoaverat Petrus Pagenſis, de quo ſupra.

ARGUMENTUM III.

Religio & munificentia Regum ac Principum erga baſilicam, & ſepulchrum S. Domnii. Ex eorum Diplomatis, aliiſque monumentis & ſcriptoribus.

a I. *Miſlaus a Dux Croatarum quaſdam decimas donavit eccleſiæ S. Domnii; cujus donationis mentio fit in privilegio Tirpimiri ſucceſſoris Illyricum Sacrum.*

dato eidem eccleſiæ his verbis: In augmento S. Salonitanæ eccleſiæ proferentes firmamus, & ſingulis annis de omnia naſcentia terræ in curte noſtra, quæ Cluſan dicitur, Decimæ inferantur in memoratam eccleſiam, quas Decimas Anteceſſor noſter Miſlaus dare cepit. Ex Hiſt. Dalmata de Reg. lib. 2. c. 2.

II. *Privilegium Tirpimiri Croatarum Ducis extat apud eumdem Lucium loco citato, ſignatum quarto Nonas Martii, regnante* b *Lothario Francorum Rege, Indict. 5.* is fuit annus 839., *& in dicto privilegio offert plurima bona, & poſſeſſiones S. eccleſiæ Salonitanæ in cœnobio SS. MM. Domnii, & Anaſtaſii, Coſmæ & Damiani; & ſignant Tirpimirus Dux,* c *varii Juppani, & Presbyteri, & indicantur nomina Servorum de Maſſaro in S. Matre eccleſia S. Domnii.* Ex Bollandianis Actis SS. Tomo II. April. ad diem XI. & ex Hiſtorico Dalmata lib. II. de Regno.

III. *Cum poſtmodum dicto Tirpimiro Croatarum Duce mortuo lis de* d *ea donatione fuiſſet exorta, filius ejus Mucimir Dux Croatarum novo privilegio* IV. *Kal. Octobris an.* 890, *Indictione* XI. *tunc cœpta in honorem SS. MM. Domnii &* e *Anaſtaſii ſignato, eamdem Patris ſui donationem confirmavit, & poſt variorum ſignaturam ipſe Dux illa ſubjunxit: ſequenti die, quæ eſt* III. *Kal. Octob., veniens ego ſæpe fatus Dux in civitate Spalati, ante ſanctiſſimorum dictorum altaria, & privilegii paginulam manu propria inter cætera munuſcula, quæ manus noſtræ invenire valuerunt, ſuper ſacroſancti Domnii f altario objeci, & donatione prædicti à mancipata S. Domnii abivi.* Ex Act. Bolland. ibid. & Hiſt. Dalmat. ibid.

IV. *His temporibus celebrata fuit* g *Synodus in civitate Nonenſi ſub Joanne Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato; ubi proclamationem faciente Laurentio Archiepiſcopo illuſtris Vir Demetrius cognomento Svinimir Rex Croatarum, reſtituit eccleſiæ S. Domnii* h *eccleſias S. Stephani & Sanctæ Mariæ in Salona cum omnibus earum bonis.* Hiſt. Salonit. cap. 16.

Has ſiquidem eccleſias (ideſt S. Stephani, & S. Mariæ) *ædificavit, & donavit quædam* i *Helena Regina, donans eas Spalatinæ ſedi jure perpetuo poſſidendas. Quæ ob reverentiam Regalium ſepulchrorum conceſſæ fuerant quibuſdam Regularibus ad tempus, qui aſſidue in eis officiorum miniſteria exercebant, ibi namque magnificus vir* k *Creſimirus Rex, in Atrio videlicet Baſilicæ S. Stephani tumulatus eſt, cum pluribus aliis Regibus & Reginis.* Hiſt. Salonit. ib.

Igitur Duces Sclavoniæ habere cœperunt in magna veneratione eccleſiam B. Domnii donantes ei prædia, & poſſeſſiones multas, decimas, & oblationes corde hilari offerentes. Hiſt. Salonit. cap. 13.

Laurentius Archiepiſcopus Dalmatinus origine cepit ſua vigilanti induſtria eccleſiam in temporalibus ſublevare, per totam provinciam prædicando diſcurrere, & ſicut bonus Paſtor ſuper gregis ſui cuſtodia tota ſollicitudine inſiſtere, & quia talis erat vir, in magna reverentia habebatur a Regibus & Principibus l *Sclavoniæ; tribuebantque eccleſiæ S. Domnii villas & prædia multa, facientes confirmationes & privilegia ſuper novis collationibus & antiquis.* Hiſt. Salon. cap. 16.

Rex Hungariæ Henricus donavit eccleſiæ S. Domnii Sextariolos Molendinorum Salonitani fluminis, qui ſeptimanaliter pertinebant ad Banum, Hiſt. Salon. cap. 24.

Anno Redemptionis noſtræ 1217, *menſe Auguſto die* 23. *advenit Rex Andreas ad civitatem Spalatenſem .... Ipſe viſo proceſſionis cœtu ſolemni univerſorum civium, deſcendit de equo, magnaque ſuorum Principum vallatus caterva, tenentibus eum hinc inde Epiſcopis, qui convenerant, pedes uſque ad eccle-*

siam S. Domnii processit; ubi celebrato Missarum officio, & data oblatione super altare ad hospitium secessit. Hist. Salon. cap. 26.

Quotannis, quo die solemne B. Domnii natale Spalati recurrebat, Legati Reip. m Narentanæ magna cum pompa eo conveniebant, & ad ejusdem sanctum templum accedentes, ibidem super sanctissimi Præsulis, quem loco Patroni tota gens illa venerabatur, altare, munera non contemnenda nomine Senatus populique Narentani humiliter devovebant. Ex pervetusto codice, qui extat in Bibliotheca Antonii Cavagnini Patritii Spalatensis, rerum antiquarum solertissimi investigatoris.

Huc pertinent Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, ejusque Principum egregia studia, & eximia munificentia erga S. Domnium, singulari commemoratione digna. Anno decimi sæculi circiter 98. primum Veneti Dalmatiæ possessionem adierunt, victis debellatisque Narentanis, qui piratarum instar omnem oram maritimam incendiis & depopulationibus infestam habebant. Ea tempestate Dalmatia sui juris erat, nec dominationi cujusquam parens suis legibus & magistratibus utebatur. Ac primum quidem cum Venetis adversus Narentanos fœdus pepigit, deinde ultro in eorum jus potestatemque concessit, ea lege, & conditione interposita, ut ii sibi auxilio essent ac præsidio, seque a barbarorum tyrannide, & vexatione eximerent, quod Veneti egregie feliciterque præstiterunt.

Ex quo igitur Respublica Veneta in Dalmatiam jus dictum, imperiumque protulit, mira prorsus ac singularis extitit Venetorum Principum adversus S. Domnium pietas ac religio, quibus nihil videtur fuisse antiquius, quam ut ejus basilicam, & sepulchrum immunitatibus, donationibus, & quibuscumque possent, rebus ornarent. Id adeo colligitur ex Chronico & Annalibus Andreæ Dandulf, itemque extabulariis Archiepiscopatus & Capituli Spalatensis, aliisque codicibus & monumentis, e quibus pauca quædam nunc profero.

Petrus Orseolus Dux Venetorum eo nomine secundus is, qui Dalmatiam in deditionem populique Veneti fidem ac clientelam recepit, antequam in Narentanos classem educeret, sepulchrum S. Domnii pie casteque adiit, vota fecit, auxilium imploravit, ut præsens, ac propitius, pio justoque bello piratas persequi inbientem juvaret. Nec sua illum pietas frustrata est. Hostium naves partim depressæ, partim incensæ, partim in fugam conjectæ; & Dalmatarum interfumitati quietique abunde consultum est. Religiosissimi Principis exemplum, & egregia de Narentanis ope S. Domnii relata victoria valuit apud posteros: incitamento quippe fuit reliquis deinceps Venetorum Ducibus, ut si qua oblata esset occasio, nullam S. Domnii ornandi curam prætermitterent, ad ejusque cultum augendum & propagandum operam, pecuniam, auctoritatemque publicam conferrent. Ex Actis Petri IX. Spalatensis Archiepiscopi, qui Pontificatum gessit sub finem decimi sæculi.

Franciscus Foscarus Dux Venetiarum ecclesiæ S. Domnii immunitati diligenter cavit, itemque Archiepiscoporum auctoritatem fartam rectam esse jussit, honorificentissimo in hanc sententiam diplomate. Ejusdem Ducis consilio & auctoritate effectum est, ut altare sancti Domnii sane magnificum absolveretur. Ex Actis Francisci Maripetri Archiep. Spalat. LXIII.; qui anno 1427. Pontificatum suscepit, & anno insequenti deposuit.

Idem Franciscus Foscarus, litteris datis ad Victorem Delphinum Spalati Prætorem sanxit, ex auctoritate Senatus, ut liceat cuicumque bona sua B. Domnii templo, aliisque sacris locis & pietatis causa institutis addicere, & testamento legare. Ex authent. in Regist. Archiepisc. & ex Actis Jacobini Baduarii Archiep. Spalat. LXVII. ab an. 1439. ad an. 1451.

Idem decreto jussit pretiosam supellectilem ab Jacobino Baduario ædi Metropolitanæ legatam Spalatensibus Canonicis restitui ab iis, qui eam per fraudem interverterant. Ex authent. ut supra, & ex Actis Jacobini, ut supra.

Andreas Vendramenus Venetiarum Princeps jubet quamprimum absolvi ædificationem jampridem intermissam & centum ante annos inceptam turris S. Domnii; opus insigne prorsus ac magnificum. Ex Actis Joannis Zabettini Archiep. Spalat. LXIX. ab an. 1473. ad an. 1476.

Joannes Mocenicus Dux Venetorum decrevit, ut agris & colonis ecclesiæ Spalatensis S. Domnii cautum esset, neve novis præter consuetudinem oneribus opprimerentur. Ex Act. Petri Card. Fuscari Archiep. Spalat. LXX. ab 1476. ad an. 1479.

Leonardus Lauredanus Princeps Venetiarum, Venetusque Senatus, Bernardo Zane Archiep. Spalat. ad Concilium Lateranense proficiscenti pollicentur se omni ope ac præsidio tum ecclesiæ Spalaten. tum templo S. Domnii adfuturos, ne quid absente Pastore detrimenti capiant. Ex Autographo & Act. Bernardi Zane Archiep. Spalat. LXXII. ab an. 1503. ad an. 1515.

NOTÆ.

a Mislaus Principatum in Chrobatis obtinuit ineunte sæculo nono.

b Ea tempestate apud Duces Chrobatiæ id moris erat, ut in publicis actis ac diplomatis Reges Galliæ honoris & præsidii causa nominarent; quippe in eorum fidem ac clientelam se ipsi contulerant, illisque jure, ut vocant, fiduciario subditi erant jam inde a Carolo Magno, manseruntque in eorum tutela ac potestate annos amplius centum, usque ad imperium a Francis ad Germanos translatum.

c *Juppani* aliter Zuppani.

d Tirpimiri Donatio supra descripta designatur.

e Ædes Metropolitana Spalatensis Deiparæ Virgini ab initio dedicata, ab SS. Domnio & Anastasio appellari vulgo solebat. Consecutis deinde temporibus abolito Anastasii, unicum ab S. Domnio titulum retinuit, hodieque retinet. Cur vero in superiori privilegio Tirpimiri positum sit cœnobium SS. MM. Domnii, & Anastasii, Cosmæ & Damiani, vide quæ diximus de cœnobio Capituli Clerique Spalatensis Cap. x. §. xi.

f In antiquis Diplomatis *Altarium* pro Altare, haud raro invenies.

g Anno circiter 1074.

h Utrumque templum vetustas adeo abolevit, ut ne vestigia quidem satis certa supersint.

i Ante Demetrium sive Svinimirum Chrobatiæ Regem, quinque fuisse comperio, qui cum regali titulo ac potestate Chrobatis ac Dalmatis præfuerunt. Ex his incertum quinam fuerit, cujus uxor esset Helena Regina. Nec vero absimile est Helenam ante horum Regum ætatem nuptam fuisse alicui e Ducibus Chrobatiæ; eamque Archidiaconus Reginæ titulo impertiit propterea, quod respexit ad consuetudinem posteriorum temporum, cum Principes Chrobatiæ regio nomine ac potestate utebantur; vel certe uxor fuit alicujus Regis ex Decessoribus Demetrii.

k Ante Demetrium duos Cresimiros regali titulo præditos invenio, quorum primus posthabito Ducis vocabulo, Regis nomen atque insignia assum-

ſumpſit. Haud ſatis mihi compertum, quinam ex illis conditus dicatur in atrio baſilicæ S. Stephani.

l Qui antea Chrobatiæ Reges, etiam Duces Sclavoniæ appellari cœperunt.

m Narentanorum Reſpublica florebat decimo ſæculo.

ARGUMENTUM IV.

Summorum Pontificum, S. R. E. Cardinalium, Regum ac Principum ſacræ peregrinationes ad ſepulchrum S. Domnii,

LEo IX. *anno* 1052. *acceſſit D. Domnii templum, dum in Hungariam proficiſceretur, ut Regem Andream cum Imperatore Henrico paternis officiis conciliaret.* Timon in Rege Andrea.

Alexander III. an. 1177. cum Venetias ex Apulia trajiciens ad Liſſam inſulam appuliſſet, tum ſponte ſua, tum præſertim S. Raynerii Spalatenſis Archiepiſcopi hortatione atque impulſu conſilium cœperat S. Domnii ex itinere inviſendi; ſed Venetæ profectionis maturandæ neceſſitas pium Pontificis votum conſiliumque diſcuſſit. Ex Actis ſancti Raynerii.

Gregorius VIII. cui antea nomen fuit Albertus de Mora, cum adhuc eſſet in Cardinalium numero, voti ac religionis cauſa Spalatum profectus, ædes S. Domnii pie caſteque adiit. In ea urbe dum verſaretur, præter ſpem & expectationem Spalatenſis Archiepiſcopus renunciatur ann. 1166. ſed cum ejus electioni populus vehementer interceſſiſſet, collato Pontificatu ſponte ſe abdicavit. Ex ejus Actis.

Cardinales S.R.E. & Epiſcopi, dum in Dalmatia fungebantur Apoſtolica Legatione, pios atque honorificos ſe præbuerunt erga ſepulchrum S. Domnij, cujus venerandi colendique cauſa Spalatum adire, ædemque Cathedralem inviſere ſolebant. Ex his non omnes quidem, ſed aliquos vel doctrina, vel religione illuſtriores commemorandos eſſe duximus, quorum nomina ex catalogo legatorum Apoſtolicorum ad Dalmatas deſcripſimus.

Leo Barbus ſive Andalbertus Prænestinus Epiſcopus S. Leonis IX. Legatus in Dalmatia an. circiter 1051.

Mainardus Nicolai II. Legatus an. circit. 1059.

Acuzo Legatus ejuſdem Nicolai an. circit. 1060.

Joannes Cardinalis Legatus Alexandri II. ann. circiter 1065.

Gerardus Sipontinus Epiſcopus Legatus Gregorii VII. an. circiter 1080.

Ubaldinus Cardinalis Diaconus Legatus Innocentii II. an. 113..

Raymundus de Capella Subdiaconus Legatus Alexandri III. an. circit. 116..

S. Joannes de Mattha Fundator Ord. Redempt. Capt. Legatus Innocentii III. an. 1200.

Aconcius Præpoſitus Sacelli Pontificii Legatus Honorii III. an. 1220.

Honorius Archiepiſcopus Legatus Honorii III. an. 1222.

Thomas Card. Gentilis Legatus Bonifacii VIII. an. 1300.

Bertramus Epiſcopus Oſtienſis Legatus Joannis XXII. 1330.

Raymundus Abbas S. Nicolai de Littore Legatus Innocentii VI. an. 1355.

Auguſtinus Cardinalis Valerius Ep. Veronenſis Gregorii XIII. Legatus an. 1577.

Reges ac Dynaſtæ, qui ad S. Domnii ſepulchrum ac Baſilicam venerationis cauſa adjerunt. Ex codice Hieronymi Papalis adjecto Salonitanæ Hiſtoriæ.

Mucimirus Dux Chrobatiæ an. 890.

Calomannus Rex Hungariæ an. 1102.

Andreas filius Belæ III. Rex Hungariæ an. 1227.

Calomannus filius Andreæ Regis Dux Sclavoniæ an. 1229.

Conradus filius Friderici II. Imperatoris an. circiter 1251.

Bela IV. Rex Hungariæ an. 1257.

Bela IV. iterum an. 12..

Carolus nepos Caroli Regis Siciliæ an. 1300.

Nicolaus Prorex Dalmatiæ & Chrobatiæ a. 1323.

Hervoya Harvatizius Boſſinæ Staroſta, ſeu Prorex & Spalat. Dux an. ...

Ladislaus Rex Neapolis an. 14..

Neque hoc loco prætercunda eſt S. Leitberti Cameracenſis Epiſcopi Hieroſolymam proficiſcentis ad ſepulchrum B. Domnii ſuſcepta peregrinatio. Hunc igitur eximiæ ſanctitatis virum æque Deo & hominibus carum, ſacra Palæſtinæ loca religionis cauſa inviſendi cupiditas inceſſerat. Ubi tota urbe percrebuit Leitbertum in Palæſtinam cogitare, cives trepido nuncio exciti, & metu Paſtoris optimi in perpetuum amittendi ſtimulante, frequentes ad eum coeunt, eumdemque a tam periculoſo conſilio deterrere conantes, plurima ac maxima tam longinquæ, & ignotæ peregrinationis pericula commemorant; ac præſertim loca, per quæ illi tranſeundum erat, montuoſa & alpeſtria, imperviis ſaltibus ac fluminibus intercluſa, vaſta, inculta, deſerta, & fœdis latrociniis infeſta, atque ab immanibus Chriſtiani nominis hoſtibus obſeſſa; aliaque hujuſmodi ſubjiciunt, quæ illi quidem redeundi, ſibi vero parentis amantiſſimi reviſendi ſpem omnem adimerent; cumque nihil hiſce periculis ac terroribus denunciandis proficerent, ad extremum manantibus lacrymis etiam atque etiam orare obteſtarique cœperunt, ne gregem ſuum ſpiritali cuſtode orbatum, & luporum inſidiis atque aggreſſionibus expoſitum deſereret; neve in apertum diſcrimen, certumque exitium ſuam pariter, communemque omnium ſalutem objiceret. Civium pietas gratior Leitberto, quam jucundior fuit; & cum eorum fidei ac benevolentiæ grates egiſſet, ſibi certum ac deliberatum eſſe ait in Palæſtinam Deum vocantem ſequi, illum ſibi fuiſſe ſacræ hujus peregrinationis ſuſcipiendæ auctorem, cujus præſidio tectum nihil omnino ſe pertimeſcere: cui enim melius ſe, vitamque ſuam committat, quam ei, qui mortalium tempora vitaſque diſponit? Demum eos dulciſſimis verbis conſolatus, juſſit ſpem omnem ac fiduciam in Deo reponere, cujus fidei ac poteſtati commiſſam eccleſiam ſuam relinquebat; ſibi vero cordi futurum, ne illorum memoria, ubicumque gentium eſſet, animo ſuo umquam excideret; neve eorum in ſuis apud Deum precibus ac ſacrificiis obliviſceretur. Itaque cum eum cœleſti patrocinio innixum obfirmato animo eſſe cernerent; quod unum reſtabat, plerique ſe in ejuſdem peregrinationis ſocietatem obtulerunt, ex quibus paucos e Clero, plures e populo delegit, quos ſecum in Palæſtinam deduceret. His ſociis aſſumptis in viam ſe dedit anno Chriſti ſupra milleſimum quinquageſimo quarto.

Leitbertus a ſuſcepto Hieroſolymit. peregrinationis conſilio, Cameracenſes,

plurimis & graviſſimis periculis commemorandis,

& precibus ac lacrymis,

deterrere fruſtra conantur.

Civibus in Deo ſpem reponere juſſis valedicit,

multi ſe illi adjungunt ſocios peregrinationis.

Ex itinere non ſolum obvias, ſed etiam devias regiones urbeſque adiit, alicujus martyris, vel Divi ſanctitate ac miraculis inclyti ſepulchro ac reliquiis inſignes. Hanc certe ob cauſam iter deflexit in Dalmatiam, quo ſcilicet ſua illum pietas erga B.

ex itinere diverſit in Dalmatiâ.

Digitized by Google

ad invisendum sepulchrum S. Domnii.

Domnium invitabat; quod quamvis in ejus Actis tacitum sit ac prætermissum, haud tamen credibile est sanctissimum virum thermas & ædificia Diocletiani, resque alias visu & cognitu dignas, quæ advenarum oculos allicere solent, curiose inspiciundi cupiditate impulsum fuisse, ut tam longo viarum dispendio in Dalmatiam digrederetur; quippe qui non voluptatis, sed religionis causa hujusmodi peregrinationem inierat; & satis apparet illud ei propositum fuisse, ut loca omnia, quæ in via occurrerent, aut longius etiam ab recto itinere cursuque recederent, Divorum vestigiis aut exuviis nobilitata pie casteque inviseret. Quam ob rem & Sabariæ in Pannonia ædem S. Martini supplex adiit, & Corinthum usque progressus est, ut S. Demetrium veneratus in ejusdem martyris fidem ac clientelam se conferret. Præterea Acta ipsa declarant ea Dalmatiæ loca ab ipso peragrata fuisse, in quibus Diocletianus martyres acerbissimis suppliciis affecerat: non est autem verisimile, ut ejus religio cæterorum Dalmatiæ martyrum loca perlustrans, S. Domnii sepulchrum miraculis celebre, & ab advenis juxta indigenisque eximia veneratione cultum præterierit. Non alienum ab re nostra duxerim huic loco intexerere B. Lietberti profectionem Hierosolymitanam, descriptam ab Auctore æquali temporum illorum, atque adeo, ut videtur, socio ejusdem peregrinationis. Henschenianis in eam Notis animadversiones nostras subjecimus, in quibus aliqua erunt ad cognoscendum neque inutilia, neque injucunda, quæ ad Geographiam Illyricam illustrandam pertinent. Extat hujusmodi descriptio apud Bollandistas Tom. IV. Junii ad diem 23. inserta vitæ B. Lietberti cap. 5. quam compo suit Radulphus Monachus S. Sepulchri.

S. Martini Sabariæ S. Demetrii Corinthi pie casteq; invisit.

Millesimo quinquagesimo quarto Dominicæ Incarnationis anno, permissione tam Cleri, quam populi vix impetrata, libertas patriæ, decus ecclesiæ, Deo dignus Pontifex Lietbertus, egreditur a civitate sua Cameraco, tenens iter Hierosolymam versus. Prosequitur eum fere ad tria milliaria, non sine lacrymis, & immensis gemitibus, omnis ætas utriusque sexus. Præterlegens civitates, & oppida, civitatum regiones & provincias, montium discrimina, silvarum pericula, cultu, moribus, & lingua barbaram, quam colunt Hunni, transmeat patriam. Et, ut prolixioris viæ lucraretur compendium, transvadato Danubio penetrat Pannoniam, A Martini sancti beata nativitate præclaram.

Ann. 1054. egressus Lietbertus

A

a

Nunciatur a Rege ab exteris partibus, habitu peregrino quosdam venisse homines, regni sui fines transire volentes: qui mox accitos sibi jussit præsentari. B Videns itaque Rex Pontificem, Dei nutu, mutata mente pristina, surgit citius a solio; nec non officiosissime salutatum invitat in consistorio. Quærit causas itineris: miratur auditis. Miratur talem ac tantum virum tam difficilis pondus subiisse laboris. Sed quoniam illis diebus vix quilibet, aut pene C nullus hoc iter arripiebat, cogitabat, ne simularent id alterius negotii gratia: unde clam vocatis suis, jubet eos e vestigio diligenter observari, ne moliantur quidlibet sinistri. Explorata per aliquot dies religiosa Pontificis sanctitate, simul audita in stipendiis pauperum liberalissima largitate, in vigiliis, orationibus, jejuniis assiduitate: devotus D Rex impendit obsequium, quodque petebat sibi, suisque Pontifex, præstat libens auxilium: jam quippe sub ejus contubernio tanta tamque multiplex copia populi coierat, ut exercitus Domini diceretur. Sic usque in extremos fines regni sui dato duce, Dei procurante misericordia, securum concessit abire.

B

a Rege Hungariæ benigne excipitur.

C

D

Prætergressus Pannoniorum E fines limitaneos, ingreditur solitudines F saltuosas, quas deserta Bulgariæ nominant, quasque latrunculi b Scythicæ gentis inhabitant. Hi degentes more ferarum nullis coercentur legibus, nullis continentur urbibus. Sub dio manent, quas nox coegerit, sedes habent: prætereuntes obsident, obvios interficiunt, cæteros deprædantur: gregatim vadunt, omnia sua secum portantes cum tota supellectile, parvulis, & uxoribus. Nullius hæresis nominata secta, nullius religionis divino cultu tenentur: tamen, sicut ex eorum interfectis c vidimus, more Saracenorum circumciduntur: barbari, crudeles, homicidæ, sine affectu, sine pietate. Has mortiferas Præsul ingrediens cum illo suo comitatu solitudines, obvius fuit quibusdam refugientibus, suique refugii causam flebiliter intimantibus. Quamplures terrentur, pariterque retrocedere cum refugientibus meditantur. Narrabant sese latronum cuneos incurrisse, suorum plurimos oppetiisse; cæteros ad internecionem vulneratos (ut videre erat) vix evasisse. Conturbantur omnes, divinique respectus misericordiam flebiliter implorant; quoniam quid facto opus sit, ignorant. Audita Dominus Pontifex turbatæ multitudinis flebili lamentatione (pedes enim subsequebatur solus, ut attentius psalmis, & orationibus vacaret) substitit, & cur lamentarentur, inquirit. Cognito casu, signum sibi sanctæ crucis indidit: erectaque dextera, qua iturus erat parte, signavit. Post recolligens secum verba Psalmi, quibus orabat, invenit hunc versum: Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salva me. Sic miles Christi paullulum progreditur, eunctosque, qui aderant, breviter alloquitur: Commilitones mei, non vos deterreat adversarius vester diabolus, qui tamquam leo circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide, quoniam si Deus pro nobis, quis contra nos? Quapropter induite vos armaturam Dei, ut possitis stare, & in omnibus perfecti esse: quoniam tentat vos Deus vester, ut sciat, si diligitis eum: sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere. Properantes iter, quod arripuistis, accelerate: quia nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Ita miles Christi, cum suo familiari, & domestico comitatu, princeps graditur, exercitumque Dei, ne paveat, hortatur. Decem, & eo amplius diebus peragrant eas solitudines: per quas (ut dictum est) semper Saraceni sedibus incertis huc illuc que vagantur.

F

b

ingressus solitudines,

c

territos barbarorum metu socios,

animat.

Psal. 58. 3.

Cumque jam die septimo crederent evasisse periculum, vident subito sessores equorum camelorumque latrunculos, inter condensa silvarum, cristatis vittatisque capitibus, ac seminudo corpore pallia trahentes, & latas caligas. Pendebant ex humeris pharetræ, & laxos arcus, & hastilia longa ferebant. Quibus visis terrentur ceteri: sed Dominus Pontifex fit hilarior, sperans comprehendere bravium, pro quo tanti cursus subierat laborem. Hoc erat in votis, hoc toto mentis amore sedulus orabat, ut ab his interimeretur; vel captivus in exteras, & barbaras nationes, propter nomen Christi, distrahendus duceretur. Proponebat sibi devotæ mentis affectu, felici commercio pro redemptione generis humani distractum Salvatorem; utque jura mortis destrueret, vivificæ Crucis subjisse passionem. Unde præoptans existere martyrii, & calicis Christi particeps, & communicare Christi passionibus, ut in revelatione gloriæ ejus gauderet, dicebat: In me sunt Deus vota tua: quæ reddam laudationes tibi. Sed qui regit orbem terrarum in æquitate, Cameracensis ecclesiæ precibus attendens, quibus ei suum deponebat die noctuque Pontificem, in hoc tanto mortis discrimine cum suis omnibus eum conservavit incolumem. Vi-

Ardet ipse Martyrii desiderio,

& per medios illos transit inoffensus,

deres in adventu Pontificis obrigescere miseros, inque suos conatus deficere, quodque magis stupeas, cedendo loco viam transeuntibus quodammodo demonstrare. Hoc modo dignus Deo Pontifex cum suis comitibus mortiferam regionem latronumque domicilia pertransiit indemnis.

d G H I *Ingressus* d *Dalmatiam*, G *lociſque* H *peragratis, in quibus olim Diocletianus* I *thermas ædificando diversa mortis intulerat supplicia Christi Martyribus, cursum flexit* L *Isauriam versus. Quam præteriens devenit* e *Corinthum* M, *illicque audiens Demetrii sancti inter Martyres præclari corpus quiescere, sepulchrum ejus expetiit, totoque mentis affectu meritis ipsius divinum auxilium quærit. Inde progressus, ubi ad Laodiceam Syriæ pervenit, comperiens ecclesiam* N *Dominici sepulchri Christianis ejectis a Rege Babyloniorum violenter obseratam, viamque Paganorum metu per terram penitus intercluſam* f *per tres menses in eadem civitate moras fecit. Sed cæteris de profectione desperantibus, ac ubique locorum dispersis; ipse, cum suo nobili, familiarique comitatu, perstitit; & quia per terram non poterat ire, marino itineri sese commisit. Littoribus prospectis, naviumque magistris diligenter inquisitis, pretiorum numerus computatur, victualia convehuntur, ne signo dato quælibet mora fieret in eundo.*

L *Invisit S. Demetrii corpus.*

e M

N

f *Laodicea tribus mensibus manet.*

ANNOTATA G. H.

a *Is erat* Andreas I., *qui regnavit ab anno* 1047. *ad annum* 1059., *sed variis intricatus sæpe bellis intestinis: hinc ejus suspiciones indicantur.*

b *Bulgaria inter Danubium, pontum Euxinum, & Thraciam, olim Mysia, ubi Scythæ, ac deinde Gothi habitarunt, ptbpe Pontum: Tartari vero crebris incursionibus infesta habebant ibidem omnia: & tales omnino sunt, qui hic describuntur.*

c *Ita scriptum inveniens auctor ab aliquo itineris istius comite, ipse diu post hanc vitam colligens, ut apponit num.* 25.

d *Hic apparet aliqua ignorantia auctoris circa loca indicata, dum* Dalmatia, *&* Isauria *cum* Corintho *seu* Thessalonica *junguntur. Fuit* Dalmatia *procul a Bulgaria ad mare Adriaticum. Et* Isauria *est regio Asiæ versus Ciliciam: nec in Dalmatia Thermas, sed Romæ Diocletianus exstruxit, Martyribus labore macerandis intentus.*

e *Apud Bacherium loco* Corinthi *legitur* Chorinerum *pro* Chorintum, *quod est in Ms. aspiratione in primam translata. At corpus* Demetrii *fuit* Thessalonicæ *magno populorum concursu honoratum, quod ex eo unguentum medicum scaturiret; an autem inde Corinthum sit translatum disquiretur ad ejus vitam* 8. *Octobris. Poterat autem commode iter ex Bulgaria Thessalonicam dirigi, atque inde ex portu aptissimo navigari in Syriam, ad urbem maritimam Laodiceam, uti mox indicatur.*

f *Huc facit, quod Theodoricus Paulí in Catalogo Patriarcharum sanctæ urbis scribit de* Sophronio, *hujus temporis Episcopo, scilicet*, quod sub ipso efferbuit gravissima persecutio Christianorum in Jerusalem, & Terra Sancta: *donec anno* 1086. *Saracenis pulsis eam occuparunt Turci, sicut patet ex dictis ante tom.* 3. *Maii num.* 195.

Notæ in Peregrinationem Hierosolymitanam B. Lietberti Episcopi Cameracensis.

A Patria S. Martini fuit Sabaria frequens olim ac nobilis civitas Pannoniæ superioris, quæ Dravum inter ac Danubium interjecta Austriam inferiorem ab Occidente attingit, estque hodiernæ Hungariæ portio perinsignis.

Illyricum Sacrum,

B Per id temporis rerum potiebatur in Pannonia Andreas Rex primus eo nomine, qui ab anno 47. ad 59. undecimi sæculi regnum in Pannonibus obtinuit: quo temporis intervallo variis identidem atque intestinis bellis ea regio conflictata est. Hinc Regi suspiciones obortæ de Lietberto, ejusque numeroso comitatu, quem interrogandi, ejusque animum explorandi gratia ad suum conspectum adduci jussit, veritus, ne quid insidiarum moliretur, quemadmodum præclare animadvertit Henschenius in Notis ad Acta S. Lietberti.

C Cum enim bello arderet tota illa regio, viæ omnes, qua obsessæ a militibus, qua infestæ cædibus ac latrociniis erant. Hinc Regi aucta suspicio.

D Hoc præconio jure meritoque Andreas ornatur; ex quo tum Regis pietas ac religio, tum scriptoris rerum ac temporum illorum scientissimi fides & integritas dignosci potest; quamquam enim Andreas inter initia principatus Ethnicis quam Christianis æquiorem se præbuisset, se ipse tamen paucis post susceptum imperium annis ad bonam, ut dicitur, frugem recepit; & si quid detrimenti Christianis intulerat, id ampliſſimis maximisque beneficiis compensavit; sic prorsus, ut nemo illo vehementius Ethnicam superstitionem afflixerit, nemo illo studiosius rem Christianam auxerit, atque ornaverit.

E Pannoniæ, ejus scilicet, quæ Danubio & Dravo interjacet, limes erat ipsemet Dravus, qui Hunnos haud ita pridem ad Christianam religionem conversos separabat ab Slavis, qui tum Interamniam, sive regionem Dravo & Savo interjectam incolebant, quæ vocatur Slavonia.

F Pannoniam ab Ortu Danubius ab Jazygibus Metanastis, & Dacis antiquis, quos nunc Transilvanos vocant, a Meridie Dravus ab Slavis Interamnie sive Slavoniæ propriæ incolis sejungebat. Longe itaque a Pannonia aberat Bulgaria; hanc siquidem a Pannonia, Dacia vetus ultra Danubium, seu Transilvania & Moldavia, Mæsia superior citra Danubium, sive Serblia, regiones intermediæ dirimebant. Leitbertum igitur Pannoniorum fines prætergressum statim accipere non potuit Bulgaria illa Mæsiæ superiori, sive Serbliæ finitima, inter Danubium, Pontum Euxinum, & Thraciam sita, quæ olim dicta est Mæsia inferior; sed verisimilius est Leitbertum e Pannonia, Dravo trajecto, in Slavoniam sive Interamniam progressum fuisse, quæ ob eam causam, quam mox subjiciam, dici etiam potuit Bulgaria. Et sane cum Sabariam Pannoniæ superioris urbem adjisset, ex ea civitate iter erat in Slavoniam minime devium, sed plane directum, unde postea digressus est in Dalmatiam. Illa vero solitudo & vastitas optime congruit cum Interamnia. Quanta enim tum esset ab incolis solitudo, quam deserta & inculta, ac propemodum relicta omnia fuerint, ex eo colligi potest, quod per ea tempora Scythæ loca illa depopulati nihil igne ac ferro intactum reliquerant. Porro hi Scythæ iidem sunt ac Tartari Dobracienses, qui Bulgariæ partem extremam ad Euxinum incolebant, antiquitus appellatam Scythiam Ponticam. Hi enim prædandi cupidine stimulante, post Bulgariam & Serbliam vastatas in Slavoniam irruperant, ac diu ibidem commorati, totam regionem latrociniis, ac cædibus infestam habebant; quæ quidem regio a barbaris illis, sub quorum imperium ac tyrannidem ceciderat, ex ultima Bulgaria profectis, fortassis Bulgariæ nomen acceperat. Dicitur hæc eadem regio saltuosa; nam Slavonia, qua vergit ad Meridiem, & a Dalmatia propius abest, montibus ac saltibus intercisa est, atque impedita. Non erat igi-

Digitized by Google

cur neceſſe Henſchenio huc referre ac pertrahere alteram illam Bulgariam Danubio, Ponto Euxino, & Thraciæ interjectam, qua iter Lietberti deduceret, ut illic ſaltus, nemora, ſolitudines, & incolarum barbariem quæreret; quæ quidem omnia in hac recentiori Bulgaria abunde ſuppetebant; fruſtra item conatus eſt hanc Bulgariam Pannoniæ finitimam transferre in alteram illam longo terrarum tractu hinc ſejunctam, ut inde uſque hujus loci interpretationem peteret. Præterea, ne dicamus Lietbertum e Pannonia profectum fuiſſe in longinquam illam Bulgariam, itineris in Dalmatiam deflexi ratio prohibet, quæ illud ab Oriente iterum in Occidentem revocaſſet, contra quam Hieroſolymitana peregrinatio poſtulabat. Nimium vero quantum ab Dalmatia abſit Bulgaria illa, unde Lietbertum iter in partes Palæſtinæ adverſas detorquere oportuiſſet.

G Hic Dalmatiæ vocabulo comprehendi poteſt etiam Chrobatia & Boſſina regiones citra Savum, quibus olim itidem nomen fuit Dalmatiæ. Hæ duæ provinciæ una cum Dalmatia mediterranea in unum Regnum coaluerunt, quod per id temporis obtinebat Petrus Creſimirus Rex pietate ac religione prorſus ſingulari.

H Eo ſcilicet conſilio in Dalmatiam ex itinere diverterat, ut loca illa vel Martyrum reliquiis, vel eorumdem certaminibus pro Chriſto ſuſceptis conſecrata voti ac religionis cauſa inviſeret.

I Hæc haud dubie referenda ſunt ad Palatium illud longe magnificentiſſimum, quod olim Diocletianus ſibi exſtruxerat. Hic ædes Imperatoriæ, hic thermæ, hic Jovis Fanum, quod deinde Chriſtiana religio, translatis illuc S. Domnii exuviis, Deo Optimo Maximo conſecraverat; hic alia hujuſmodi ædificia, inſanæque ſubſtructiones, ad quorum operum ædificationem Diocletianus Chriſtianorum miniſterio & patientia abutebatur, quos videlicet pœnæ ac ſupplicii nomine huic laborioſæ ærumnoſæque vitæ addixerat. Nec vero deerant carceres, in quos conjecti Martyres aut inedia ſituque conficiebantur, aut exquiſitiſſimis quibuſque ſuppliciis necabantur. Quæ quidem omnia ex Porphyrogenito, aliiſque idoneis auctoribus ac monumentis, atque adeo ex ipſis hujuſmodi ædificiorum veſtigiis nondum omnino abolitis cognoſci poſſunt. Dubitari autem nequit, quin S. Lietbertus ædem Cathedralem Spalatenſem & ſacroſanctis B. Domnii reliquiis, & tot inſignium virorum peregre viſentium frequentia maxime inclytam, (ut eum loci ſanctitas, ac ſua pietas admonebat) peregrini ritu & ſumma cum religione adierit; quippe cum inter cetera veterum Martyrum monumenta ſepulchrum S. Domnii magnum ſemper nomen, venerationemque apud Dalmatas habuerit.

L Nactus itaque Spalati navigium in Achaiam iter cum intendiſſet, *Iſauriam præteriit*. Hanc inſulam ſitam eſſe in Adriatico mari, nemo opinor negaverit, cui prorſus ignota non ſit navigatio Adriatica e Spalatenſi portu in Achajam ſuſcepta. Iſſum fuiſſe arbitror, quæ haud ita brevi maris ſpatio intermedio, ipſi ferme urbi oræque Spalatenſi ex adverſo objacet. Hæc antiquitus Iſſa cum vocaretur, primum in Iſariam, deinde in Iſauriam corrupto paullatim depravatoque vocabulo immigravit. Lietbertus igitur e portu Spalatenſi in altum navigio provectus hanc inſulam ex itinere attigit. Satius quippe ac tutius eſſe duxit maritimo uti, quam terreſtri itinere, ut ſcilicet ab regione Narentanorum declinaret, qui prædis ac rapinis, unde victitabant, aſſueti vias omnes adituſque obſidebant. Neminem eſſe puto tam rudem ignarumque Geographiæ, qui huc velit intrudere Iſauriam illam inde uſque e Ciliciæ finibus evocatam, quam Lietbertus ex Dalmatia profectus adierit, inde vero Corinthum advenerit, quaſi vero ex longinqua illa Iſauria Corinthus adeunda eſſet iis, quibus e Dalmatia iter eſt in Palæſtinam; quo nihil imperitius dici poteſt. Ut igitur itineris ratio conſtet, *Iſauriæ* nomine *Iſſam* intelligi oportet; unde facilis, neque ita longa in Achajam navigatio; & ex Achaja haud incommoda in Syriam profectio: hinc vero ſatis tritum & breve iter in Palæſtinam. Nihil igitur erat, cur Henſchenius huic loco ſcriptoris ignorantiam objiceret, quaſi vero is Dalmatiæ & Corintho Iſauriam illam Aſiaticam interjeciſſet.

M Henſchenius pro Corintho Theſſalonicam ſubſtituendam putat, ubi celebre erat nomen ac ſepulchrum S. Demetrii, quod Lietbertus cupide pieque inviſit: verum nihil eſt cauſæ, cur veterem hanc lectionem amoveat. Vel enim corpus hujus Martyris Theſſalonica Corinthum fuerat translatum, ut ipſemet Henſchenius occaſionem ſuſpicandi præbet, vel alterius cujuſdam Demetrii ſanctitatis item eximiæ fama conſpicui ſepulchrum Corinthi tum extabat; & ab indigenis pariter advenisque ſumma frequentia ac veneratione colebatur.

N Hoc præclare congruit cum Hiſtoria & Chronologia illorum temporum. Saraceni quippe jampridem Syria ac Hieroſolymis potiti, Chriſtianum nomen indignis modis vexabant: quæ res deinde Urbanum II. Pontif. Max. ad indicendum novo inſtituto ſacrum bellum accendit. Inde initium ductum ſacrarum expeditionum ad Palæſtinam ſæpe captam, ſæpe itidem amiſſam, recuperandam.

Quod S. Lietbertus vir haud dignitate, quam ſanctimonia illuſtrior, Hieroſolymam profecturus, non mediocri temporis atque itineris diſpendio, in Dalmatiam digreſſus fuerit, ut ſupplex ac venerabundus S. Domnii ſepulchrum adiret; id magno ſane argumento eſt celebre tum fuiſſe ac longe lateque vulgatum ejuſdem nomen ac patrocinium; quod ad ſuam opem implorandam, ſuique ſepulchri venerationem, non ſolum e finitimis locis, ſed e remotiſſimis etiam regionibus viros tam inſignes cum frequenti comitatu evocaret. Hujuſmodi ſacrarum peregrinationum exempla multa nobis atque illuſtria ſuppeterent, ſi Æditui Spalatenſis baſilicæ diligenter eas notaſſent, atque in codicem ad id comparatum retuliſſent nomina principum ac ſummorum virorum, qui ſepulchrum S. Domnii peregre adierunt, multiſque muneribus cumularunt. Verum tam præclara exempla ad excitandam poſterorum adverſus S. Domnium religionem in primis idonea, vel majorum noſtrorum in talibus rebus memoriæ prodendis incuria nobis ſubtraxit, vel certe ſi forte ab illis fuerint deſcripta, vetuſtas abolevit.

Hæc B. Lietberti peregrinatio opportune incidit in idem ferme tempus, cum Romanus Pontifex certis de cauſis, quas alibi exponemus, ab eccleſiæ Spalatenſis ditione omnes propemodum ſuperioris Dalmatiæ Epiſcopos disjunxit. Neque enim dubito, quin divino prorſus conſilio atque inſtinctu Lietbertus ad ſepulchrum S. Domnii ritu habituque peregrini acceſſerit, cum ab annua ejus invisendi conſuetudine ac lege tot Epiſcopi exempti fuiſſent; ne quid ſcilicet detrimenti inde caperet ejus loci ſanctitas ac religio; neve paullatim apud vulgus imminui inciperet. Divinæ ſiquidem providentiæ fuit, ut ad ejuſmodi periculum avertendum ex ultimis Galliæ partibus tantæ ſanctitatis, & auctoritatis Antiſtitem exciret, qui hujus ſanctuarii cultum ac religionem tum longinquæ, illuſtriſque peregrinationis exemplo ſanciret.

A R.

Digitized by Google

ARGUMENTUM V.

Inventio corporis S. Domnii duodecimo ſæculo ineuntę, ſub Creſcentio Archiepiſcopo.

Dubitationem de corpore S. Domnii

A Translatione Spalatenſi S. Domnii interceſſerant anni amplius quadringenti, cum dubitari cœptum eſt, utrum ejus corpus adhuc eodem requieſceret loco, quo poſt excidium Salonæ illatum fuerat, an vero ſubreptum indidem, alioque translatum eſſet. Spalatenſium dubitatio rem non certiorem modo, verum etiam illuſtriorem fecit, ſic prorſus, ut omnem deinceps ſcrupulum ſollicitis atque anxiis civium animis eximeret. Nam Creſcentius Archiepiſcopus, qui eccleſiæ Spalatenſis regimen ſuſcepit anno 1099, rem eam pro ſuo munere cognoſcendam & explorandam ratus, idoneis ad fidem faciendam teſtimoniis adhibitis arcam aperiri juſſit, corpus, exeſa quidem carne, nudiſque oſſibus conſtans, ſed integrum tamen, nihilque ex eo detractum reperit; iterumque in eodem loculo diligenter occluſum rite obſignavit; & inventi, ſervatique ibidem corporis teſtem epigraphem ſepulchro inciſam adjecit. De hac inventione paullo fuſius infra dicemus, ubi de altari, & arca S. Domnii. Nunc ſatis fuerit, quæ de corpore S. Domnii invento breviſſime ſcripſit Hiſtoricus Dalmata in additionibus variis ad Hiſtoriam Tragurienſem pag. 67., huic loco intexere cum epigraphe Creſcentiana: *Creſcentius aperuit arcam S. Domnii, ut inſcriptio exiſtens a lævo latere Altaris ejuſdem Sancti teſtatur, quæ ſic habet:*

Eiusdem inventio prorsus exemit.

Tempore poſt longo multis dubitantibus urbis,
a *Num foret hic corpus, a an hinc arte relatum;*
Claruit id cunctis, quod perpauci putaverunt.
Hujus enim Præſul claræ Creſcentius urbis
Marmora diſjunxit; ſanctum corpus patefecit.
b *Mille Dei centum tres affore credimus annos;*
c *Tunc & Apoſtolicus c Paſchalis conſtitit orbi,*
Claraque lux cunctis patet hæc indiſſio doctis.

Notæ in Epigraphem.

a Spalatenſium animos hæc dubitatio inceſſerat, utrum Græci, an Veneti, qui permultos annos Spalatenſem urbem obtinuerant, & in ejuſdem poſſeſſionem alii aliis ſucceſſerant, corpus S. Domnii furtim ablatum alio detuliſſent. Cæterum numquam venit illis in mentem ſubvereri, ne forte idem corpus Joannis Romani Pontificis juſſu Romam translatum fuiſſet ante, quam Spalatum condi habitarique cœperat. Nam præter alia vetera monumenta, tum recens erat, verſabaturque in omnium manibus hiſtoria translationis Spalatenſis ab Adamo Pariſienſi paucis ante annis conſcripta, quæ nullum ea de re dubitandi locum relinquebat.

b Ideſt anno Chriſti 1103.

c Cum Epiſcopatu Creſcentii præclare congruit Pontificatus Paſchalis II., qui anno 1099. Sedem Apoſtolicam adeptus tenuit uſque ad an. 1118.

ARGUMENTUM VI.

Ex Reliquiis S. Domnii inter ſacra baſilicæ Spalatenſis lipſana pie honorificeque aſſervatis.

Reliquiæ S. Domnii

S. Domnii apud Spalatenſes conditi fidem inſuper facium multiplices ac variæ, eædemque perinſignes reliquiæ, quas ex ejuſdem corpore olim avulſas, & thecis argenteis incluſas, Capitulum Clerumque Spalatenſis in ſacro ædis Metropolitanæ theſauro depoſitas & conditas habet, ſervatque religioſiſſime. Ex his aliæ Spalatenſi populo ad veneration̄em proponi, aliæ ad ægrotos ſolatii ac levaminis cauſa circumferri ſolent: quippe eiſdem ad propulſandos morbos vim divinitus ineſſe, multis certiſque argumentis compertum eſt. Ego vero nequeo ſatis intelligere, quemadmodum cot tamque præclaras reliquias nanciſci potuerint Spalatenſes, niſi apud ſe, ſuaque in poteſtate habuerint, hodieque retineant corpus S. Domnii, unde quidquid reliquiarum vellent, ſuo commodo & arbitratu decerpere poſſent. Nam cum Martinus Abbas ob ingruentium barbarorum metum raptim feſtinanterque Dalmaticorum Martyrum corpora colligeret, & in urbem convehere properaret; neque S. Domnius, quamvis in illorum numero fuiſſet, ab cæteris facile dignoſci ſecernique potuit; neque fortaſſis aderant, aut qui poſtularent, ut aliquid ex ejus corpore ad patriæ ſolatium ac præſidium relinqueretur; aut quibus pignora tam præclara recte committi poſſent; quippe tum erat in Dalmatia mira ab indigenis incoliſque ſolitudo, quos ſcilicet fuga diſtraxerat, & alios alio compulerat. Nihilo veriſimilius eſt hujuſmodi reliquias ex urbe in Dalmatiam relatas fuiſſe; etenim ne Romæ quidem ſatis liquebat, utrum Domnius cum aliis martyribus illuc invectus eſſet, ex quo fit, ut ab aliis internoſci, diſcernique nequiverit. Præterea fac doceas, quo tempore, quove auctore, & per quem in Dalmatiam revectæ ſint; nihil enim horum invenio in tabulis publica auctoritate obſignatis, in quibus hæc omnia perſcribi ſolent, quo Divorum reliquiæ & fidei plus habeant, & venerationis. Reſtat igitur, ut dicamus haſce reliquias tum demum e ſepulchro excemptas fuiſſe, ac ſeparatim coli cœpiſſe, cum Creſcentius Archiepiſcopus, iis de cauſis, quas ſupra diximus, S. Domnii arcam recludi juſſit, & corporis membrorumque compagem diſſolutam invenit. Nam cum illud Spalatenſes in novam urbem tranſtulerunt, prorſus integrum adhuc erat, omniſque plane tabis expers, ut quartæ tranſlationis acta declarant. Quod igitur & multæ & inſignes Reliquiæ S. Domnii in æde Spalatenſi aſſerventur, id haud levi argumento eſt ejus quoque corpus ibidem aſſervari.

ex ejus corpore decerptæ.

APPENDIX AD ARGUMENTA.

Ferrarii ſententia de corpore S. Domnii ad inſulas Diomedæas tranſlato explodituꝛ.

ROmanos igitur, qui S. Domnium apud ſe conditum eſſe putant, ſua opinione falſos eſſe ſatis ſuperque oſtendimus. Sed ecce tibi Philippus Ferrarius, qui hac de re Romanis pariter ac Spalatenſibus litem intendit, corpus S. Domnii utriſque adimit, ejuſque poſſeſſionem ſuo arbitratu inſulis Diomedæis ſive Tremitanis adjudicat. Verum cum nullam ille rationem ſuæ ſententiæ ſubjiciat, nihil teſtium, nihil tabularum proferat, in eo refellendo ne verbum quidem inſumpſerim. Juvat tamen ad ea, quæ hactenus diximus, cujuſdam quaſi appendiculæ loco adjungere hac de re, quid ſcripſerit, quidve cenſuerit Godefridus Henſchenius, qui tomo II. die IX. Aprilis, Analectorum §. I. n. 5. Ferrarii ſententiam paucis expoſuit, pariterque improbavit.

Hactenus egimus de cultu & veneratione S. Domnii eidem exhibita in Dalmatia, & potiſſimum in eccleſia Spalatenſi, ubi ſacrum ejus corpus aſſervatur: ſubjungimus aliqua de honore, ipſi in inſulis Tremitanis exhibeti ſolito. Vulgo creduntur ab antiquis Diomedæa inſula dicta, quamvis & Tacitus lib. 4.

lib. 4. Annalium cap. 71. memorat Juliam neptem Auguſti, convictam adulterii, ab hoc fuiſſe damnatam, & projectam in Inſulam Trimetum, haud procul Apulis littoribus. Spalatenſes ad hæc littora navigaturi, in conſpectu ſuo dictas inſulas habent, ex adverſo Capitanatæ Provinciæ ſexdecim Italicis a littore milliaribus diſtantes. Eæ accurate in Mappis Geographicis Regni Neapolitani exhibentur, quarum præcipua appellatur Sancto Niccola *de Tremito, altera* San-Domino, *de qua hic agimus. Ferrarius in Catalogo generali ad diem VII. Maji, quo S. Domnium Epiſcopum martyrio fuiſſe coronatum Acta indicant, iſta addit: In inſulis Diomedæis S. Domnii Epiſcopi & martyris. Et annotat ex monumentis Canonicorum Regularium, qui inſulas memoratas vulgo de Tremiti poſſident, ſe iſta tradere. Late de iis agit Gabriel Pennotus lib. 3. hiſt. tripartitæ Canonicorum cap. 13. ſed abſque mentione S. Domnii. Quod autem Ferrarius eodem die, cum primo omnium de eodem S. Domnio ut Patrono Spalatenſium ageret, annotet corpus illius in inſula una ex Diomedæis, quæ ex eo nominatur, aſſervari & præcipue coli, nullo modo probamus. Ut ſummum arbitramur, ibidem aliqua corporis oſſa ex eccleſia Spalatenſi delata in honore fuiſſe, & adhuc eſſe.*

CAPUT XVI.

De Templo magnifico, quod Diocletianus Jovi dedicavit; deinde Joannes Ravennas primus Spalatenſis Antiſtes Deo Optimo Maximo in honorem Deiparæ Virginis, & S. Domnii conſecravit, in eoque corpora SS. Domnii & Anaſtaſii depoſuit.

Palatium Diocletiani & Templum Jovis.

DIocletianus tertio vel quarto ab Salona lapide Regias ſibi ædes ingenti mole ſumptuque exſtruxerat, in quas deinde poſt depoſitum Nicomediæ Imperium, vitam privatam acturus ſe recepit. In his templum Jovi condidit, opere præclaro atque magnifico: Jovem quippe præcipuo quodam cultu venerabatur, a quo ſive arrogantiæ, ſive religionis cauſa Jovii cognomen ſibi adſciverat. Ex Palatio Diocletiani, & circumjectis eidem ædificiis civitas extitit Spalatenſis, quæ Salonitanis, incenſa patria profugis, perfugium ac domicilium præbuit. Sed hæc alias pluribus; nunc de Fano Jovis, quod ab illis impuræ ſuperſtitionis veſtigiis expiatum, & e præſcripto Chriſtianæ religionis, ſacris diviniſque cæremoniis initiatum, una cum ſede Pontificia corpus S. Domnii e Salonitano ſepulchro translatum excepit. Hujus formam ac magnificentiam & ſcriptorum calamo, & ſculptorum ſtylo expreſſam lecto um animis oculiſque infra ſubjicimus. Huic tamen loco viſum eſt antea intexere, quæ de Palatio ac templo Diocletiani breviter ſcripſerunt Conſtantinus Porphyrogenitus, & Thom. Archid.

Aſpalathi urbem, inquit Porphyrogenitus, *quæ* a *parvum Palatium ſignificat, Imperator Diocletianus condidit. Habuit illam ut domum propriam, aulamque illi exſtruxit, & b palatia, quorum pleraque periere. Quæ autem etiamnum ſuperſunt, valde c parva ſunt, ex quibus Epiſcopium urbis, & templum S. Domnii, ubi ille ipſe Sanctus depoſitus fuit, quod d cubiculum erat ejuſdem Imperatoris Diocletiani. Subter illo ſunt rotundi fornices, olim cuſtodiæ, in quibus Sanctos immaniter a ſe cruciatos compingebat. In eadem autem urbe depoſitus etiam fuit S. Anaſtaſius.* De adminiſtran. Imp. ad Romanum filium cap. 29.

NOTÆ.

a Si nomen *Aſpalati* recte interpretatur Conſtantinus, certe hujuſmodi interpretatio non congruit cum Palatio Diocletiani, quod ampliſſimum erat, idemque magnificentiſſimum; quin immo, ut paullo poſt ipſemet videtur innuere, ex multis Palatiis conſtabat.

b Palatio Imperatorio Diocletianus adjecerat ædes aulicorum, domicilia mercatorum, hoſpitum diverſoria, tabernas, officinas, aliaque hujuſmodi privata & publica ædificia, quæ viis ac plateis intermediis disjuncta, & affabre pulchreque deſcripta, urbis cujuſdam ſpeciem ac ſimilitudinem gerebant.

c Veterum ædificiorum quod ſupererat Conſtantini ætate, modicum & exiguum fuiſſe haud negaverim, ſed inter vulgaria & parva ædificia neque Epiſcopium, neque templum S. Domnii annumerandum cenſeo.

d Hujus templi deſcriptio & amplitudo cujuslibet, quamvis Imperatorii, cubiculi modum ac formam longe multumque videtur excedere.

Severus domicilium ſuum, quod in Spalato fortitus fuerat, quando de inſulis redierunt, donavit Eccleſiæ cum turri angulari & palatio, Epiſcopium ibi fieri ſtatuens. Ibique venerabilis Præſul Joannes primitus habitare cœpit. Videns ergo populum in divini cultus amore ſuccreſcere, ſtatim aggredi cœpit opus laudabile, & templum Jovis, quod in ipſo Auguſtali ædificio excelſioribus fuerat ſtructuris erectum ab Idolorum mundavit figmentis, januas in eo feraſque conſtituens. Tunc ſolemnitate dedicationis indicta, magnus undique populus coadunatus eſt. Fecit ergo ex fano illo eccleſiam, conſecrans eam in magna devotione & tripudio omnium, qui convenerant, ad honorem Dei & genitricis Virginis Mariæ. Clerum autem ibi ſtatuit, qui divini cultus obſequia diebus ſingulis exerceret. Thomas Archidiac. Hiſt. Salonit. cap. 11.

§. I.

Deſcriptio prima Baſilicæ Spalatenſis Deiparæ in cœlum aſſumptæ, & B. Domnio conſecratæ. Ex Codice Ms. quem ex Italico in Latinum tranſtulimus.

Ædes Cathedralis Spalat. ex templo Jovis.

IN extrema Spalatenſis urbis regione a *ſitum eſt in Meridiem templum rotundæ figuræ, cujus facies & ſtructura oſtentat quicquid ſeu venuſtatis, ſeu magnificentiæ veteri Romanorum architectura continetur. Olim cum Romanum Imperium ſtaret, fanum Jovis fuit, nunc ædis Cathedralis dignitatem ac nomen obtinet, dicatæ* b *S. Domnio S. Petri Diſcipulo, & primo Salonarum Antiſtiti. Octogoni formam tum extrinſecus, tum* c *intrinſecus refert. Amplis undique porticibus circumdatur, marmoreæ cruſta intectis, innixiſque quatuor &* d *viginti columnis Corinthiis ex Ægyptio marmore. Spatium columnis interjectum* e *quatuordecim omnino pedes longitudine, ac ferme decem latitudine complectitur. Janua* f *quatuor ipſos pedes patet. Marmorei gradus* g *januæ adjecti, quibus e platea in templum aſcenditur, magnifico ſane fornici ſubſunt, cui turris innititur. Præcipuus interiorque Baſilicæ ornatus conſtat ex duplici columnarum ordine, quarum aliæ aliis incumbunt: octo majores totidem minoribus pro fulcimento ſubſtructæ; inter quas ſpecie & pretio eminent quatuor ex Ægyptio, itemque quatuor ex Porphyretico marmore. Columnarum baſes, pariterque capitula ſcite venuſteque Corinthiaco opere perfecta. Ingens teſtudo columnis ſuperjecta eſt, quæ circuitu ſubjectam ac mediam templi aream æquat.*

a
b
c
d
e
f
g

Digitized by Google

aditus. Templi facies externa in latitudinem aequè patet, atque ipsa platea planissimo in loco ante Basilicam explicata. Frontis, ut ita dicam, supercilium quatuor ex Ægyptio marmore columnis insidet, e quibus duæ hinc atque hinc foribus adjectæ superliminare fulciant, cui arcus concinne venustèque descriptus, & januæ superimpositus innititur.

§. II.

Descriptio secunda a nobis itidem Latine reddita. Ex opere Italico Ms. Petri Nicolini Spalatensis, quod inscribitur *Summarium rerum memorabilium* urbis Spalatensis.

2 Altera ejusdem rei descriptio.

Diocletianus in eo palatio, quod in modum formamque perfecti a quadrati construxit, templum magnificentissimum ædificavit. Illud deinde Christiana pietas ac religio Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ nomini consecravit, & Cathedralis ædis titulo ac dignitate ornavit. Quod autem scripsit Platina, id olim Cybelis fanum fuisse, longe abest a veritate; nemini quippe dubium esse potest, quin vetus & profana superstitio illud Jovi dedicaverit. Jovis simulachrum, quod intùs colebatur, adhuc extat, pisturque in Musæo gentis Capellæ inter Patricias Venetorum familias antiquæ & conspicuæ. In hoc templo nunc corpus S. Domnii primi Salonarum Episcopi, quem Petrus Apostolorum princeps, idemque Christi Vicarius in eam urbem Evangelii propagandi causa miserat, itemque corpus S. Anastasii martyris summa religione servatur, & a Spalatensibus eximia veneratione colitur.

Universum opus, egregium enimvero ac mirabile, quod si minus magnitudine, certe structura artificioque pulcherrimo intuentium oculos animosque in admirationem convertit, atque insatiabili voluptate perfundit. Totum constat ex lapide solido; interior templi forma plane rotunda est, nullisque angulis intercisa; octo extrinsecus anguli prominent, qui octogoni figuram speciemque referunt. Septem minora sacella mediam templi aream circumstant, in ipsomet mirâ crassitudinis pariete condita ac retrusa; sic prorsus, ut ne transversum quidem unguem extra parietem promineant. Ex his tria in quadrum redacta, suum quæque fornicem sustinent in modum semicirculi arcuatum; quatuor reliqua cum orbiculari Basilicæ figura congruunt, ad formam hemicycli exstructa, quibus superfectus fornix conchæ marinæ similitudinem speciemque exhibet. Janua templi maxima spectat in occidentem Solem. Huic amplissimæ subjacent
b *scalæ, quæ ex uno & b viginti gradibus lapideis constant, decem fere pedes in longitudinem porrectis; & cum templi aditum ac vestibulum magnificè exornant, tum vero commodum facilemque subeuntibus accessum præbent. Universum templum unicâ testudine obtegitur, quæ constat e lapidibus lateritiis tanto artificio inter se aptis, & connexis, ut tanta moles ex una solidâque lapidea gleba constare videatur. Tegulæ item lateritiæ testudini obductæ, quarum ea est crassitudo ac firmitas, ut nullo turbinum, vel tempestatum impetu quati, aut dimoveri possint. Circa medium templi aream octo columnæ dispositæ, ac pari inter se spatio disjunctæ; quarum altitudo novem fere ulnas assurgit, & pro altitudinis modo crassitudo satis ampla: sua cuique basis, itemque epystilium opere Corinthio pulcherrimè elaboratum. His totidem aliæ minores columnæ impositæ, quæ subjectarum magnitudinem materiæ præstantia longè multumque superant; aliæ siquidem ex lapide porphyretico, aliæ ex marmore hujus illi quidem in speciem dissimili, sed pretii longè imparis constant.*

Universum templum ambit extrinsecus ingens porticus, egregium sane totius ædificii decus: quippe & magnificè descripta est, & perfectâ solerter. Totum opus duodeviginti c columnis e saxo Arabico fulcitur; quadratis lapidibus integitur, & octo cubitorum altitudinem facile adæquat. Ac ne quid sive ad ornatum, sive ad munimentum porticus desit, prægrandis corona e solido marmore superducta est, quæ perpetuo quodam quasi nexu subjectas columnas cum aliis alias colligat, suæque molis gravitate firmat; adeo porro scitè venustèque universum peristylium circumit, ut non magis firmitas, quam species quæsita videatur. c

Basilicæ fronti in Occidentem obversæ, mirum quantum sive ad majestatem, sive ad ornamentum addat platea, quadratis lapidibus constrata, magnitudinis quidem mediocris, sed operis elegantis pulcherrimique. Universam plateæ aream ab Oriente, Meridie, & Occasu sexdecim columnæ ex Arabico lapide, quadrato ferme ordine definiunt. Epistylia porro columnarum egregiè facta opere Corinthio marmoream coronidem sustentant, quæ ipsæ inter se columnæ apte concinneque colligantur. Tradunt superjectam olim fuisse hisce columnis testudinem miræ amplitudinis, plumbeis obductam lapidibus, quæ undique plateam obtegeret: argumento est, quod adhuc nexus quidem, & commissuræ apparent, quibus testudo quondam inhærebat. Qua in Meridiem prospicitur, quatuor ingentes columnæ consurgunt, quæ quidem altitudine reliquas duodecim circa plateam dispositas longè multumque superant. His fastigium superstat latè conspicuum, quod in pyramidis modum acuitur. In ipso medio intercolumnio janua patet satis ampla, eademque marmoreis cælatisque operibus admodum insignis. Ab hoc aditu januaque introitus est in id sacrarium, quod olim a Marte, cui dicatum fuerat, nomen ac religionis causam acceperat. Totum opus est e saxo lateritio, & orbicularis figuræ. Variis circum loculamentis distinguitur, in quibus olim varia Idolorum signa collocata erant. Quatuor nunc habet sacella, æquo inter se spatio disjuncta, atque in ipsamet parietis crassitie in modum hemicycli arcuata.

Tertium quoddam Fanum Basilicæ e regione objacet ab Occidente, quondam d Æsculapio sacrum. d *Sacelli forma quadrata est, uno fornice lapideo obtegitur, mirâ arte cælato. Carcer est infra pavimentum, in altitudinem haud mediocrem depressus, quem Spalatenses S. Thomæ Apostoli nomine ac religione consecrarunt,*

§. III.

Descriptio tertia Gallica in Latinum a nobis conversa. Ex libro D. Sponii, quem de ratione suorum itinerum Gallice scripsit anno circiter 1676. & Cresimirus Freschotus Italice reddidit, & Bononiensibus typis editus est an. 1688.

Ædes Cathedralis Spalatensis a exiguum olim fanum erat, in medio ferme Diocletiani palatio situm. Externa templi structura Octogoni formam exhibet, interior nullis angulis incisa in orbem perfectum circumagitur. Totum est e solido eodemque pulcherrimo lapide quadrato; nisi quod testudo ex lateribus compacta est. Testudini subest venustissimus columellarum ordo, qui ambulationem undique perviam præbet, quemque sustinent octo ipsæ columnæ molis sanè ingentis, partim e Porphyretico, partim e Numidico marmore, operè Corinthio perfectæ. Inter testudinem, & eum, quem dixi, columellarum ordinem zona quædam interjecta est, & in

a Descriptio tertia.

orbem

orbem circumducta; eademque animalium figuris, prodigialibus larvis, humanis capitibus, quæ rudis vulgus interpretatur esse capita Diocletiani, aliisque hujusmodi ornamentis distinguitur. Externum templi ambitum complectitur ambulacrum dissecto lapide, eodemque scite disposito, & affabre elaborato obtectum, quod assurgens ad mediam ejusdem templi
b *altitudinem, octo* b *marmoreis columnis ad normam architecturæ Corinthiæ perfectis incumbit. Epistylia porro columnarum coronæ item marmorea egregie facta conjungit, circuitque. Olim alia quædam ædicu-*
c *la* c *figura quadrangulæ oblongæ proxime adjacebat, unde ad templum aditus ascensusque porrigebatur,*
d *itemque ad* d *tertium quoddam fanum formæ orbicularis indidem accessus patebat, eidemque situm erat*
e *ad dexteram quartum* e *sacellum admodum exiguum, quod S. Joannis Baptistæ titulo inscribitur.*

Totius ædificii forma & descriptio hujusmodi est, ut architecti ea tempestate haud ignobilis opus esse facile appareat; nisi quod corollæ, epistylia, aliaque id genus ornamenta rudiori opera artificioque calata esse videantur, quam ut illorum temporum solertiam, & architecturam plane singularem imitentur. Postquam hujusmodi templum abolitis, expiatisque nefariæ superstitionis vestigiis, Deo optimo maximo consecratum est, necesse fuit summum templi, januaque obversum parietem perfodere ac patefacere, ut cum eo conjungi posset, recipique intra complexum templi, quod satis esset spatii ad ædificationem novi Odæi, quo Capitulum, Cleruque Spalatensis ad divinas laudes canendas singulis diebus hodieque utitur. Adjecta sunt Odæo fenestræ satis amplæ, quæ toti Basilicæ lumen præberent; antea siquidem, præterquam ab janua maxima, nihil aliunde lucis recipiebat. Ethnici quippe cæcis fere templis, omnique propemodum luce carentibus utebantur; sive quod putarent hujuscemodi obscuritate majestatem quamdam ac religionem suis fanis conciliari; sive quod nefas esse ducerent vulgi oculis exposita in promptuque esse Deorum suorum mysteria, quæ profanorum hominum conspectibus violari existimabant. Hinc factum est, ut ad sacrificia, cæteraque illas nefarias cæremonias, lychnos & cereos adhiberent.

Fornix miræ crassitudinis ac firmitatis, scalæ ante ipsam januam porrectæ super inductus, sustentat campanariam turrim vel molis altitudine, vel operis elegantia visendam. Tota constat e solidis quadratisque marmoribus, quibus identidem interjecti sunt veteres lapides, quos e Salonæ ruinis effossos fuisse docent antiquæ Salonitanæ inscriptiones, in eisdem grandibus litteris incisæ. Unam e veteribus Salonitanis inscriptionibus exempli causa proferunt Appianus & Gruterus; quæ adhuc extat in proxima ædicula formæ, ut diximus, quadrangulæ, eamque tradunt prope esse ab simulacro Cybeles, quod ibidem visitur. Inscriptionem equidem legi, sed Cybeles simulachrum nusquam vidi; quod enim isti putant esse Cybeles, est signum cujusdam f *Sphingis ex marmore Ægyptio pulcherrime factum; constantque ex eodem Ægyptiaco marmore columnæ, quæ hanc ædiculam circumeunt.*

Notæ in 1. Descriptionem.

a Cum civitas quadrangula sit, templum S. Domnii non in urbe media situm est, sed haud ita lato interjecto spatio distat a mœnibus, quibus ab Oriente civitas definitur; propius etiam abest ab altero urbis latere, quod in Meridiem spectat. Hæc autem est ejusdem politio prospectusque in quatuor cœli plagas. Faciem ad Occasum exporrigit, a tergo solem Orientem respicit; dexterum latus in Aquilonem, sinistrum in Meridiem obvertit.

b Titulus primarius huic Basilicæ inditus est a Deipara in cœlum assumpta; sed vulgo appellari solet templum S. Domnii.

c Interior templi figura angulis nihil incisum habet; externis autem angulis intrinsecus respondent pilæ sacellis interpositæ, quibus sacelli cujusque arcus innititur.

d Non amplius viginti, idest decem utrimque columnæ templi ambitum circumcludunt.

e Vix octo pedes Venetos distant inter se bases columnarum, spatium vero his & templo interjectum decem pedes itidem Venetos patet.

f Immo pedes octo, & amplius ostium latitudine complectitur.

g Scala, quæ ascensum ad templi vestibulum præbet, quindecim ipsis gradibus constat.

Notæ in 2. Descriptionem.

a Hoc quadratum latius a Septemtrione in Meridiem, quam longius ab Oriente in Occasum patet.

b In exemplo typis excuso, & infra subjiciendo, quod nobis Spalati ab solerti artifice describendum curavimus, hujus scalæ quindecim tantum gradus notantur.

c In eodem exemplo bases omnino viginti cernuntur, quibus totidem columnæ incumbant necesse est.

d Diocletianus non solum Jovi hoc magnificentissimum templum dedicavit, sed etiam in sua palatio fanum construxit Æsculapio, ut docet Archidiaconus cap. IV. Hist. Salonit. qui eum vocat *Asclepium*; quo etiam nomine donatum Æsculapium invenies in Homerico versu, quem apud Theodoritum Cyrenensem Zenobius Acciajolus in Latinum convertit: *Huic pater est Asclepius arte medendi clarus. In quo palatio*, inquit Archidiaconus, *templa facta sunt Idolorum Jovis, Asclepei, sicut apparet usque in hodiernum diem.* Cum Diocletianus post depositum Imperium se recepit in hoc palatium, ægra admodum afflictaque valetudine utebatur. Itaque homini superstitioso, & corporis infirmitate laboranti fanum aliquod exstruere visum est ad cultum honoremque Æsculapii, qui ab antiquis habitus est dictusque inventor ac Deus medicinæ, ut nimirum hujus ope ac præsidio sanitatem recuperaret. Cæterum Æsculapii cultus antiquissimus fuit apud Dalmatas, ac præsertim apud Epidaurios; unde simulachrum Æsculapii, in figuram speciemque serpentis formatum, Romam advectum fuisse, ejusque adventu pestem sævissimam, quæ tum in urbe grassabatur, depulsam esse tradit Valerius Max. lib. 1. cap. 8.

Notæ in 3. Descriptionem.

a Exiguum vero? immo sane amplum & magnificum.

b Immo viginti.


c Hujus ædiculæ situs ac vestigia non extant in exemplo Spalatensi, quod typis impressum infra subjicimus.

d Hoc fanum figuræ orbicularis longe abest a templo maximo; & plateæ, quam appellant S. Domnii, adjacet a Meridie. Itaque descriptio Sponiana non cohæret cum hujus fani positione.

e Hoc sacellum, quod a S. Joanne titulum accepit, neque dexterum, neque sinistrum latus templi maximi respicit, sed huic e regione objacet, longissime in Occidentem sejunctum, platea, & præterea spatio satis amplo interjecto.

f Ea Sphinx pedibus anterioribus complectitur basim quamdam, cui signum illud insidebat, quod Venetias translatum dicitur nunc asservari in

ædibus




Digitized by Google


quod Veiosis translatum dicitur nunc asservari in
ædibus


Digitized by Google

PROSPECTUS SACELLI S. JOANNIS BAPTISTÆ E REGIONE ÆDIS MET




SERIES COLUMNARUM CIRCA PLATEAM.






Digitized by Google

Digitized by Google




…US ANTE ÆDEM SPALATENSEM METROPOLITANAM SCALA TURRI SUBJECTA
QUÆ AD JANUAM TEMPLI
ASCENSUM PRÆBET



TURRIS S. DOMNII

STINENS EXTRUCTA SUPRA FORNICEM JANUÆ MAXIMÆ
QUA TEMPLUM INGREDITUR



ædibus gentis Capellæ Patritiæ Veneræ; nec Cybeles, sed Isidis simulachrum est.

§. IV.

Descriptio Turris S. Domnii.

Porticus ante basilicam,

QUa faciem in occasum Solis Basilica obvertit, eidem adhæret porticus opere concamerato exstructa, quam octo ex Ægyptiaco marmore columnæ in altitudinem pedes Venetos ferme tredecim erectæ sustentant, septemque intercolumnia cum totidem fornicibus super injectis distinguunt. In eo intercolumnio, quod ante januam templi maximam prostat, duo firmissimi parietes, alterum hinc, alterum illinc, e solido saxo partim albo, partim cineraceo, fundamentis altius effossis, validisque substructionibus suffulti consurgunt, quibus fornix miræ crassitudinis ac firmitatis, & super imposito oneri ferendo sane idoneus innititur. Hujus fornicis dorsum insidet turris in mirandam altitudinem elata, figuræ quadrangulæ, saxis lateribusque firmissime compacta, quibus aliquot tabulas lapideas e ruderibus Salonitanis erutas, & antiquis litteris incisas solers artificum manus intexuit. Opus enimveco egregium, & in eo genere molis ac structuræ vix elegantius quidquam aut magnificentius invenies. Totum e quinque ordinibus constat, miro varioque artificio ornatis, quos fascia marmorea singulis imposita, & apte sciteque circumducta, inter se conjungit. Quatuor turris latera hisce ordinibus sive spatiis inclusa aliquot columellæ magnitudinis ac formæ inæqualis, numero impari, mira varietate dispositæ cum suo cuique arcu super inducto adornant. In ipsis porro intercolumniis, ipsemque superne ad epistylia alii atque alii ornatus adjecti sunt, quos pleribus describere pretium operæ non duco, cum in tabula subjecta spectare liceat. Quod spatii intermedii complectitur quinta ademque suprema turris contignatio, id occupant ærea tintinnabula, quas vulgo appellant Campanas, quarum pulsatione fonituque Christianus populus ad concionem, ad sacrificium, ad Psalmodiam, ad precationem convocari solet. Hujus ordinis sive contignationis cornicem superpositam sustinent senæ columnæ structiles, seu pilæ lateritiæ, & tres arcus interjecti, binisque pilis singuli superstructi. Medius arcus cum intercolumnio latius patet, ac paullo altius assurgit, quam reliqui duo, alter a dextera, alter a sinistra adjunctus. Cætera itidem intera suprema hujus contignationis totidem arcus & pilæ & intercolumnia intersecant, & singula singulis e regione respondent, quibus & lux immittitur, & sonitus Campanarum diffunditur. Aiunt olim duos præterea ordines sive contignationes superstructas fuisse; sed superiores sæculo exeunte, ictu fulminis dissectæ cum essent, aut certe admodum labefactatæ, latius visum est, quam illas restituere, eoque onere subjectam molem prægravare, nihil superaddere, præter fastigium, quod octogoni cujusdam orbiculati similitudinem ac speciem gerit; & cum ab ima parte solarium stationi campanariæ impositum circuitu adæquet, quo consurgit altius, eo magis tenuatur, atque in modum pyramidis acuitur. Summo cacumini crux ferrea infixa eminet, longe lateque conspicua. Porro subter ipsum fornicem, cui turris incumbit, scala patens in latitudinem pedes circiter decem, & quindecim gradibus constans subeuntibus e platea sive foro S. Domnii ascensum præbet ad januam templi, cujus valvas ex antiquo ligno mira solidatæ ad tineam & cariem arcendam prædito, anno 1214. Andreas Buvina eximius ea tempestate sculptor, vesselliato opere cælavit. Parvis quippe quadratisque ex eodem ligno tabulis duodecim grigma exstinctum exstruxit, in quibus seriem totius vitæ, quam Christus inter homines vixit, concinne venusteque dispositam insculpsit; ubi ejusdem Christi conceptu, nascentis, circumcisi, a Magis supplicater culti, patria profugi, in templo inter Doctores considentis, miracula patrantis, capti a satellitibus, flagellis cæsi, in crucem sublati, ac denique resurgentis, redeuntisque in cælum, atque in augustissimum ad dexteram Dei Patris solium recepti admirabilium operum humanorum juxta divinorumque argumenta, simulacris exigua formæ egregie factis undique eminentibus, pulcherrime celate miraculo suo. Opus omnino videndum, cujus eximiam pulchritudinem, artemque exquisitam nemo concipere animo potest, qui non oculis ante subjecerit.

Turris ornamenta.

Descriptio scalæ, qua ad templum ascenditur.

§. V.

De arca S. Domnii, & sepulchrali inscriptione, cum utriusque iconographia typis incisa.

PRimum omnium satis constat, ut mihi videtur, corpus S. Domnii jam inde a prima translatione in hanc eamdem arcam inclusum fuisse, ubi etiamnum servatur, & a Spalatensibus pariter accolisque exima veneratione colitur. Nam post ejus martyrium haud sane multi anni intercesserant, cum sedata Trajani persecutione, Salonitani venerabundi ejus corpus inde sublatum, ubi extremum supplicium subierat, in urbem intulerunt, locarunique in æde Virgini Deiparæ sacra, quam ipsemet S. Domnius paucis annis post initam Pontificatum exædificaverat. Eadem porro arca etiamnum contineri, qua primum conditum fuerat, argumento esse potest arca ipsamet, quæ cum perantiqua sit, tum veteris superstitionis haud dubia signa ostendit, ut facile appareat, eam e vetustis Ethnicorum sepulchretis petitam fuisse.

Antiquitas Urnæ S. Domnii,

Est igitur arca pro modulo humani corporis satis ampla & capax: tota constat e candido lapide, nisi quod superne Græco marmore obtegitur. Patet in longitudinem pedes quinque, ac totidem ferme uncias; altitudo non amplius duos pedes, & quinque uncias assurgit; cujus altitudinis dimensione continetur ipsum quoque operculum, in cujus exitimis lateribus incisa est litteris majusculis inscriptio sepulchralis, de qua infra dicemus.

& dimensio.

Joannes cognomento Ravennas is, qui Spalatum transtulit sedem Archiepiscopalem, auctor fuit corporis S. Domnii in eamdem urbem transferendi. Itaque anno septimi sæculi ferme sexagesimo universa propemodum civitas e suis sedibus effusa, & Episcopum, Clerumque præeuntem secuta in eum locum confluxit, quem veteris basilicæ incensio ac ruina lapidum ac cinerum congerie obduxerat. Ibi cum terra altius effoderetur, tandem hæc arca, qua S. Domnii corpus includebatur, reperta est, ac deinde summa cum gratulatione civium ac lætitia in urbem translata. Quam quidem translationem multis Deus illustribusque adornavit miraculis, quæ cum in historia ejusdem translationis descripta sint, nihil necesse est hoc loco iterum commemorare.

Translatio Spalatensis S. Domnii,

Sacrum depositum in urbem advectum Joannes locavit in eodem templo, quod Diocletianus quatuor ante sæculis Jovi magnificentissime extruxerat; quodque ipsemet Joannes haud ita pridem ab illis nefariis superstitionis vestigiis expiatum solemni ritu, & sanctissimis cæremoniis consecraverat,

atque

atque ad cultum honoremque augustissimæ Dei parentis traduxerat.

Arca reposita fuit ad eam templi partem, quæ respondet lateri sinistro aræ maximæ, quod cornu epistolæ vulgo dicitur. Huic e regione locata fuit ad latus dexterum summi altaris altera illa arca, qua continebatur corpus B. Anastasii cognomento Fullonis, quod itidem e ruderibus Salonitanæ basilicæ effossum pridie ante inventionem S. Domnii, idem Joannes Archiepiscopus Spalatum transvexerat. Hunc utrique locum Joannes assignavit non temere, neque casu, sed de industria, habitaque ratione utriusque martyris, ut scilicet, quem cuique debebat, honorem cultumque tribueret. Nam apud veteres sinistra, quam dextera honorificentior fuit, & cui primas honoris ac dignitatis deferebant, hunc ad sinistram locabant. Quam ob causam in eo loculo subterraneo, qui suberat basilicæ Salonitanæ, S. Anastasio dextrorsum condito, S. Domnius honoris & excellentiæ causa ad lævum locatus fuerat. Joannes igitur veterem consuetudinem retinendam duxit; & habuit præterea, unde hujusce moris exemplum sumeret. Joannes siquidem Romanus Pontifex quartus hoc nomine, sive Theodorus ejus successor, cum pro sua erga Salonitanos Martyres eximia religione, eos opere musivo pingendos curasset in absside sacelli Lateranensis, justis S. Venantium Episcopum & Martyrem Salonitanum ad dexteram, S. vero Domnium ad sinistram statui, propterea quod is Venantio ætate, & Salonitanæ ecclesiæ conditæ gloria anteçederet.

Domnius ad sinistram, Anastasius ad dexteram locatus.

Arca S. Domnii eumdem honoris atque præstantiæ locum etiamnum obtinet, quem eidem Joannes Archiepiscopus olim decreverat. Hanc sustentat supremi gradus area, supra quam, dum ad aram faciunt, pedibus Sacerdotes consistunt, introrsum rejecta & substrata. Urnæ operculum altari vicem præstat sacræ mensæ, supra quam res divina fieri solet. In ejusdem Arcæ anteriori parte, eaque fere media simulachrum quoddam visitur opere anaglyptico egregie factum, quod signum esse Dianæ venationum sylvarumque præsidis indicio sunt duo canes venatici, alter a dextera, alter a sinistra eidem ad pedes appositi, eodem opere & ex eadem materia cælati; itemque pharetra illi ex humero lævo pendens a tergo, & arcus, quem sinistra, & duplex funiculus ad collum utriusque canis alligatus, quem dextera manu tenet. Ex quo conjectari licet in eo loculo conditum antea fuisse cadaver Ethnici alicujus viri vel genere, vel dignitate primarii, qui cum Dianam præcipuo quodam cultu forsasse veneraretur, ejus effigiem in suo sepulchro incidi jussit. Neque enim Salonitanis, quamquam caverent sedulo, ne quid Ethnicæ superstitionis cum Christianis ritibus conjungerent, religio esse potuit, quominus ad condendas sanctissimi Episcopi exuvias eodem sepulchro uterentur, quod olim profani cujusdam hominis, nefariis Idolorum sacris addicti membra exceperat. Nemo enim negaverit jam inde a quarto ecclesiæ sæculo Christianorum moris fuisse, ut fana Idolorum in ædes sacras converterent; & profanis hominibus sacrilegisque inanium Deorum cultoribus magnificentissima sepulchra adimerent, in quibus SS. MM. reliquias honorifice locarent, Deo scilicet in suam gloriam, suorumque Martyrum honorem vertente, quod antea vesanis gentium ritibus, impuræque superstitioni infervierat.

Descriptio arcæ.

Mos antiquus ad Deos Divosque cultum transferendi, quem veterum superstitioni inservisse.

Corpus S. Domnii in hoc loco & sepulchro occlusum annos jacuit amplius quadringentos, integris prorsus intactisque iisdem signis, quibus Joannes primus Spalatensium Antistes arcam obsignaverat; ac nemo per id temporis spatium inventus est, qui aut corporis illic conditi præsentiam in dubium vocaret, aut explorandi causa loculum resignaverit. Sæculo duodecimo ineunte Colomannus Rex Hungariæ Spalatum ingenti militum multitudine adveniens, urbem in deditionem accepit. Ea civitas tum erat in ditione vel clientela Venetorum, qui cum classem viris armisque instructissimam ad sacras expeditiones in Orientem trajecissent, neque satis haberent virium & copiarum ad Hungaros urbis aditu prohibendos, tempori cedere, & præsidia deducere decreverunt. Paucis diebus interjectis postquam Veneti discesserant, Spalatenses, animis simul ac viribus debilitati, cum in tanta propugnatorum paucitate contra tantas hostium copias urbem defendi non posse diutius intelligerent, ultro in Regis fidem ac potestatem æquis sane conditionibus se suaque omnia tradiderunt. Tum enim vero dubitari cœptum est, utrum Veneti ex urbis possessione abeuntes corpus S. Domnii clam sublatum alio secum asportassent. Nec deerant dubitandi causæ haud improbabiles: nota enim erat Venetorum pietas ac religio erga Divorum reliquias; nam si quando necessitate subigente ex oppidis præsidia detrahere, & civitates in hostium potestate relinquere cogerentur, nihil magis cavebant, quam ne sacra ipsa simul cum locorum possessione amitterent; quæ propterea ut hostibus præriperent, sibique retinerent, clam in naves imponere, atque in aliqua Venetæ ditionis oppida secum avehere consueverant. De ablatis igitur S. Domnii reliquiis suspicio ac rumor, quamquam nullo auctore satis certo, magis magisque in dies increbuerat; jamque altius civium animis insederat, quam ut evelli posset, nisi re ipsa explorata, & cognita. Erat per id temporis Archiepiscopus ecclesiæ Spalatensis Crescentius, genere Romanus, summo loco natus, vir pietate ac prudentia singulari. Is ergo pro sua sapientia veritus, ne S. Domnii cultus ac religio defervesceret, nisi mature huic periculo ipse-met occurreret, injectamque dubitationem Spalatensium animis funditus eximeret; decrevit rem per se ipse sedulo explorare, & omnibus claram facere, riteque testatam posteris relinquere. Quocirca testibus atque arbitris adhibitis S. Domnii sepulchrum adiit, apertaque palam arca, invenit corpus integrum, nullaque ex parte diminutum. Id accidit anno Christi 1103, ut epigraphes per Crescentium adjecta declarat. Itaque re satis perspecta atque vulgata, omnis dubitatio evanuit; pristinus S. Domnii sepulchro cultus ac frequentia rediit; neque ullus ex eo tempore usque in hanc diem scrupulus hac de re vel suspicio in animis Spalatensium resedit. Nam idem Crescentius, ut perenne tantæ rei monumentum extaret, inscriptionem in ipso sepulchro insculpi jussit, quæ & corporis ibidem conditi occlusique fidem faceret; & translationis Spalatensis ab Joanne Ravennate, inventionis autem ab ipsomet Crescentio factæ posteros admoneret. Ergo incisa est hujusmodi inscriptio in ipso arcæ operculo, idest in extimis lateribus quatuor digitos altis ejus marmoris, quo sepulchrum obtegitur. Distributa est in duas omnino lineas, seu versus, quia tria tantum latera circumeunt; altera alteri subjicitur; uterque versus primum in fronte operculi deducitur, deinde vergit in sinistrum latus, tum ab hoc latere deflectens in extremam usque postici lateris partem excurrit; neuter in dexterum latus exporrigitur, quod cornu Evangelii vulgo dicitur. Totam epigraphem æneis typis impressam infra lectorum oculis subjicimus; quæ quidem non solum verba, sed etiam litterarum formam

De furreptio corpore S. Domnii.

Dubitatio post Spalatum captum ab Hungaris exorta.


quæ per Crescentium Archiep. sublata est.

Inscriptio sepulchralis per Crescentium insculpi jussa.

ac

Digitized by Google

ALTARE ET SEPULCRUM S. DOMNII PRIMI SALONARUM EPISCOPI ET MARTYRIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. IV.

INSCRIPTIO INCISA IN TABULA LAPIDEA AFFIXA PARIETI AD CORNU EPISTOLÆ ALTARIS S. DOMNII.

✠ HOC HĀBET EGREGIO SANCTUS SUB MEMBRA SEPULCRO DOMUS
ANTIQUE QUI XPI DOGMA SALONE
MONSTRAVIT PRESUL MARTIR QUOQ
FACTUS EIUDEM
DISCIPULUS PETRI PARITER FUIT
ISTE BEATI
ET SPATI PRESUL HUC
TRANSTULIT INDE IOHANES
TEMPORE POST LONGO MULTIS
DUBITANTIBUS URBIS
ANCORAT HOC CORPUS NORAT
ANSIT ANTE RELATUM
CLARUIT ID CUNCTIS QUOD
PERPAUCI PUTAVERUNT
HUIUS ECCL PRESUL CLARE
CRESCENTIBUS URBIS
MEMORA DISIUNXIT SANCTUM
CORPUS PATERE FECIT
MILLE DECI CENTUM TRES A A NORE
CREVIMUS ANNOS
TUNC ET APOSTOLICUS PASCALIS
CONSTITIT ORBI
CLARA QUI LUX CUNCTIS PATET HEIC
INDICIO DOCTIS

DUM PRESUL ADESSET
MORIBUS ET VITA FRANCISCUS
SEMPER AMANDUS
ET QUO SPALETUM IACOBUS
RACIONE GUBERNAT
GABRIEL ET CUNCTIS CELORUM
LAUDIBUS EQUUS
MILLE QUATERCENTUM DUM
PHEBUS VOLVERET ANNOS
ET IAM TER NONOS NOVEMBRIS
MENSE PERACTUM
✠ M BONINVS DE MILANO FECIT ISTAM.
CAPELAM. ET. SEPOLTVRAM ...

Tab. III.

INSCRIPTIO RECENS INCISA IN MARMORE PULCHERRIME CÆLATO, QUO PARS ANTERIOR ARCÆ S. DOMNII PAUCIS ANTE ANNIS CIRCUMVESTITA EST.

S DOMNIUS M.
PMUS SALO. PONT.
APLORUM PNPIS
DISCIPULUS
HIC IACET

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. I.

INSCRIPTIO SEPULCHRALIS CIRCA OPERCULUM ARCÆ EXTERIORIS S. DOMNII INSCULPTA.

A fronte Altaris.

† HOC HABET EGREGIO SCS SUA MEMBRA SEPULCRO · DOMNIUS
ANTIQUA QUI XPI DOGMA SALONÆ CONSTAVIT PSUL QUOQ · MAR-
TIR.... *A cornu Epistolæ* · FACTUS EIUSDEM CISCIPULUS PETRI PARITER FUIT
ISTA BEATI.... *A tergo Altaris* · HAC SPALATI PSUL HUC TRANSTULIT INDE
IOHS TEMPORE POST LONGO CUM NONNULI DUBITARENT ANFORET
HIC CORPUS AN HINC FORET ARTE RELATU.... *A fronte Altaris* · CLARUIT
ID CUNCTIS PERPAUCI PUTAVERUNT ARCHIPSUL ENI
HUIUS CRESCENTIUS URBIS. MARMORA DISIUNXIT SCM
CORP.... *A cornu Epistolæ* · PATEFECIT MILLE DCENTUM
TRES AFFORE CREDIMUS AN.... *A tergo Altaris* · NOS TUNC
ET APOSTOLICUS PASCALIS CONSTITIT ORBIS
DENA FUIT MULTIS PATET HOC INDI-
CTIO DOCTIS AMEN · ....

Hic inhæret Signatura libri, apponenda.

Tab. II.

INSCRIPTIO INSCULPTA IN OPERCULO MEDIO ARCÆ INTERIORIS S. DOMNII.

† HIC REQUIESCIT CORPUS BEATI DOMNII
SALONITANI ARCHIEPISCOPI DISCIPULI
SANCTI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS
TRANSLATUM AB SALONA IN SPALATUM
A IOHANNE [illegible]

Digitized by Google

ac ſimilitudinem ductam ex ipſo autographo exhibet. Ut autem dignoſci poſſit, ubi verſus ſive a fronte ad ſiniſtrum latus, ſive hinc ad tergum deflectit, hanc notam [illegible] cujuſdam quaſi Hermæ loco appoſuimus. Illud tamen lectorem admonitum velim, formam litterarum ab tergo deſcriptarum in tabulam æneam referendam videri primum non potuiſſe; nam cum pars arcæ poſterior parieti ferme adhæreat, nihil ſpatii interjectum eſt, qua adiri aut inſpici poſſit. Sed peropportune factum eſt, ut anno hujus ſæculi 1730, cum arcam S. Domnii ſelectis pretioſiſque marmoribus conveſtiri placuiſſet, eam loco dimoveri oportuerit; hinc copia & facultas oblata per otium inſpiciundi deſcribendique duos illos verſus retro atque a tergo inciſos, qui antea oculis ſubducti latebant. Secundum verſum fere medium interſecat ſigillum quoddam ex cera rubra Hiſpanienſi, figuræ ovatæ, longitudine quatuor ferme digitos, latitudine duos cum dimidio complectens, ſed vetuſtate exeſum; quod S. Domnii olim ibidem impreſſi veſtigia quædam ſubobſcura, cum quatuor litteris *Domn.* adhuc retinet. Quæ omnia ſpectare licet in Tabula I. Per eam occaſionem incruſtandæ ornandæque arcæ S. Domnii, hujus operculum amotum cum eſſet, altera interior arcula patefacta eſt, itidem lapidea, in qua continetur corpus S. Domnii: id quod præclare cohæret cum Hiſtoria quartæ translationis, in qua ſcriptum eſt reliquias S. Domnii Salona tranſvectas, illataſque in ædem Cathedralem Spalatenſem, *pannis pretioſiſſimis involutas ex parte meridiana ſub duplici ſarcophago cum gratiarum actione reconditas fuiſſe*: Arca interna, quæ ut altitudine, & latitudine, ſic etiam longitudine, haud paullo minor eſt, quam externa, hujus quidem lateri dextero, quod eſt ad cornu Evangelii, proxime adhæret; ſed minime uſque ad lævum ejuſdem latus ſubter cornu Epiſtolæ protenditur; quin aliquid ſpatii intermedii vacuum relinquit, interpoſita lapidea tabula, in qua patet feneſtella, cui olim major altera e regione reſpondebat in adverſo latere Epiſtolari arcæ exterioris perforata, unde ſiniſtrum latus intimæ arculæ admota facula introſpici poterat; ſed nunc obſtructa cum ſit, omnem interioris loculi conſpectum adimit. In eo, quod dixi, vacuo intermedioque ſpatio, inventa eſt capſa eburnea, in qua nihil erat præter ſcruta ſeu fragmenta ſerica cyanei & rubri coloris, ac folia lauri partim arida omnino, partim flacceſcentia quidem, ſed nativa viriditate adhuc prædita; itemque tripus æneum, vaſculo, quod atramentarium vocant, haud abſimile, cum paucis granis thureis, & carbunculis extinctis; huic ſuperpoſita erat capſula lignea, ubi ſacrarum reliquiarum fruſtula quædam ſunt reperta cum duabus ſchedulis, altera pergamena, altera plumbea, in quibus eorum Martyrum, quorum erant illæ reliquiæ, nomina inſcripta legebantur. In medio operculo, quo clauditur arcula interior, inciſa eſt grandibus litteris, quæ ſunt ejuſdem formæ, atque illæ in arca externa inſculptæ, inſcriptio S. Domnii ab Joanne primo Spalatenſium Archiepiſcopo Salona translati, & ibidem conditi teſtis, quam in Tabulam II. referendam curavimus. Porro ad extimam majoremque arcam ut ſermonem revocemus, hujus pars anterior nunc incruſtata eſt pulcherrimis marmoribus præclaro opere elaboratis, in ejuſque media facie nova epigraphes recens inſculpta legitur; quam in Tabula III. Lectorum oculis ſubjecimus.

In arca exteriori alia interior arcula inventa corpus S. Domnii continens.

Arculæ internæ dimenſio

& deſcriptio

& epigraphe.

§. VI.

De Altari & Epitaphio S. Domnii.

PArs ſuperna ſepulchri, quo continetur corpus S. Domnii, quodque ſupra deſcripſimus, æqua eſt ac plana, adeo longe lateque porrecta, ut juſtæ magnitudinis menſam, eamdemque ſatis commodam ad ſacrificandum exhibeat. Inde aſſurgit pars aræ ſuperior opere magnifico, cultuque eleganti conſtructa. Hanc Petrus Diſcovitius, cui a Pago cognomen fuit, ex inclyta D. Dominici familia ad Spalatenſem Pontificatum evectus anno altero & vigeſimo decimi quinti ſæculi, ære proprio ſumptuque inchoaverat; ſed cum præclaris cœptis mors immatura interveniſſet, pecuniæ quod ſatis eſſet ad perficiendum altare, eccleſiæ Spalatenſi teſtamento legavit. Egregium opus abſolvit Franciſcus Maripetrus, qui Petro in Epiſcopatum proxime ſucceſſit an. 1427, cum Franciſcus Fuſcarus Principatum in Venetis obtinebat, & Jacobus Gabriel Patritius Venetus Spalatenſem Præfecturam gerebat. Totius altaris moles ac deſcriptio tres in partes diſtribui poteſt. Prima eſt ipſamet arca, qua S. Domnii conduntur exuviæ; quæ quidem, ut ſæpe diximus, obtinet locum menſæ, ſupra quam res divina fieri ſolet. Huic ſuperimpoſita eminet pars altera longe lateque conſpicua, quæ cum ab altaris menſa introrſum recedat, ſpatii quod ſatis eſt, ad ſacrificandum relinquit. Hæc alterius cujuſdam ſepulchri ſeu potius Mauſolei aut Cenotaphii ſpeciem ac ſimilitudinem gerit. Tota conſtat e marmore ſolido, præclaro & ſummo artificio perfecta; atque ad omnem architecturæ regulam adeo exacta, ut nihil aptius in eo genere, nihil deſcriptius eſſe poſſe videatur. Variis præterea coloribus mira arte permixtis oblita eſt, & corollis, arabiciſque operibus auro interlitis ornata. Ipſa porro Mauſolei facies quinque loculamentis diſtinguitur; e quibus quatuor viſuntur ejuſdem ferme magnitudinis, oblongæque figuræ: intermedium cum magnitudine cæteris præſtat, tum ad formam perfecti quadrati proxime accedit. Sua cuique ſtatua ex marmore, anaglyptico opere pulcherrime cælata. Ab cornu Evangelii primum & alterum locum obtinent ſimulachra S. Anaſtaſii & S. Domnii; ab cornu epiſtolæ quartam & quintam ſedem S. Marcus, & S. Petrus occupant. In medio loculamento B. Mariæ ſedentis, & puerum Jeſum ſiniſtra manu amplexantis effigies cernitur, mortali ſpecie auguſtior, & mira oris pulchritudine ac majeſtate inſignis. In baſi ſubter pedes Deiparæ majuſculis litteris inſcriptum eſt.

Deſcriptio altaris.

Area ſuperior vacua.

Effigies Divorum in ea cælatæ.

URSÆ . . . d SEOGOMI . . .
ALBERTIS DESPONSATÆ PI. . . .
EMPENSA.

Litteras, quæ interjectis lacunis continebantur, injuria temporis & vetuſtas delevit. Ejuſmodi epigraphes honoris ac memoriæ cauſa adjecta fuit, ut indicio eſſet ejus potiſſimum ære & conſilio hanc molem exſtructam fuiſſe, cujus nomen ibidem inſcriptum erat. Hinc enim colligitur piam quamdam Matronam, cui nomen erat Urſæ, opulentam in primis ac nobilem, id conſilii dediſſe Petro Archiepiſcopo, ut S. Domnio ſepulchrum magnificentius exſtruendum curaret, atque in eam rem de ſuo pecuniam contuliſſe: ita autem inter eos convenerat, ut reliquiæ S. Domnii ex inferno veterique loculo exemptæ, & in ſupernam altaris partem elatæ, in novo illo, & honorificentiori monumento locarentur. Verum mors immatura utriuſque pium

Digitized by Google

æque, & præclarum conſilium diſcuſſit. Nam Franciſcus Maripetrus Spalatenſis Archiepiſcopus, idemque Petri ſucceſſor, cui & perficiundi operis relicta cura, & transferendi corporis arbitrium erat, ſatius duxit Mauſoleum ab ſe perfectum vacuum relinquere, quam veterem aream reſignare, & venerandas exuvias inde educere, ubi mille ferme ac trecentos annos requieverant. Ita opus illud egregium in primis ac magnificum ſummam quidem majeſtatem ornatumque toti aræ conciliat; ſed cum inane ſit, careatque ſacratiſſimis illis lipſanis, cenotaphii locum & nomen obtinet.

S. Domnii Pontificalibus veſtibus indutus cenotaphio impoſitus.

Pars tertia altaris eademque ſuprema, cum ſublimi loco eminet, tum eximia quadam ſpecie ac magnificentia reliquas facile ſuperat. S. Domnii cenotaphio impoſiti porrectique in morem cubantis ſimulachrum egregie ſculptum viſitur; idemque procera ſtatura eſt, atque humana ferme majus. Simulachro ſatis amplum ex marmore ſtragulum ſubſternitur, ab lateribus undique regio ſane luxu diffluens. Totum corpus obtegunt Pontificiæ veſtes præclaris operibus inſignes. Mitra capiti infixa; annulus Epiſcopalis digito inſertus; pedum Paſtorale ad dexteram appoſitum, cum cæteris Pontificiis inſignibus atque ornamentis in eodem

Deſcriptio Cenopæi,

ſaxo cælatis, pictiſque. Ingens porro conopeum ſuperinductum impenſe auget totius operis majeſtatem. Nam a ſummo deorſum vergens longe lateque explicatur, & utrumque Mauſolei latus dexterum ac ſiniſtrum amplectitur. Duo ſimulachra pulcherrime cælata virili habitu atque veſtitu hinc atque hinc erecta proceraque ſtatura conſiſtunt, quæ utraque manu conopæi projecturas fluenteſque ſinus ſuſtinere videntur. Tertium in celſiſſimo medioque totius altaris faſtigio, pectore tenus ſupereminet; & ſumma ejuſdem conopæi capita manu pariter utraque ſuſtentat. Tota moles eſt e ſaxo ſolido mira arte elaborato, coloribus ſcite venuſteque diſpoſitis obducto. Pluribus præclarum hoc opus deſcribere non eſt neceſſe, cum illud in tabula infra poſita ſpectare liceat. Hactenus de altari. Epitaphium S. Domnii grandibus litteris inſculptum eſt in tabula marmorea figuræ oblongæ, coloris cinerei, ab ſiniſtro altaris latere, ſive a cornu Epiſtolæ, loco

Epitaphii a cornu Epiſtolæ tabellæ lapidea inciſum,

ſublimi & conſpicuo, in pariete affixa. Epigraphem potius, quam epitaphium dixerim; nam hæc inſcriptio neque in ſepulchro inciſa eſt, & epitaphii limites prætergreſſa, multa præterea commemorat, quæ neque ad S. Domnii laudes, neque ad ejus memoriam excitandam per ſeipſa referuntur. Juvat tamen vulgarem, & jamdudum receptam, inditamque appellationem retinere, quod enim communi loquendi uſu ſancitum eſt, explicare potius, quam mutare vel corrigere præſtat; præſertim cum ubi de rebus convenit, parvi referat, quo quidque vocabulo expreſſeris.

Hujuſmodi epitaphium alii tripartitum, alii bipartitum vocant, perinde ut quiſque in pauciores pluresve partes illud diſtribuit. Quibus tripartita diviſio placet, hac potiſſimum ratione duci videntur, quod exiſtiment totius epitaphii argumentum tres in partes tribuendum eſſe. Primæ parti ſubjiciunt inventionem, ac translationem S. Domnii, conſilio atque opera Joannis Ravenatis primi Spalatenſium Antiſtitis factam. Ad ſecundam partem referunt, quæ ad alteram inventionem ſpectant, cum Creſcentius itidem Archiepiſcopus Spalatenſis, ut quæ increbuerat de ablatis S. Domnii reliquiis opinionem evelleret, arca patefacta, ejuſdem corpus integrum invenit, idque adhibitis teſtibus & publica auctoritate interpoſita confirmavit. Tertia demum parte continetur altaris a Petro Diſcovitio inchoati abſolutio & perfectio, cum Spalatenſi eccleſiæ Franciſcus Maripetrus præerat, & Franciſcus Venetorum principatum obtinebat. Qui autem epitaphium bifariam dividunt, ii nulla argumenti materiæque, quæ eidem ſubeſt, ratione habita, ex vacuo quodam ſpatio mediæ ferme inſcriptioni interjecto, bipartitæ hujus diviſionis rationem petendam eſſe exiſtimant. Scalptor enim ſive alieno impulſu & auctoritate, ſive arbitrio & ſponte ſua univerſam epigraphem in duo quaſi membra diſtraxit, modico intervallo inter utrumque relicto, & quibuſdam lineis ſive Arabicis operibus interpoſitis. Hinc duæ partes exiſtunt, quarum altera corporis Spalatum advecti ab Joanne Ravennate, ejuſdemque inventi a Creſcentio Archiepiſcopo brevis deſcriptio comprehenditur; in altera vero inſcriptus eſt annus ac menſis, quo ara S. Domnii ad culmen ac faſtigium perducta fuit, Franciſco Maripetro Archiepiſcopo Spalatenſi, & Franciſco Fuſcaro Venetorum Duce. Fuit autem annus circiter 1437. menſis November.

bifariam ligeo quodam interjecto diviſum,

Sunt, qui exiſtimant totum hoc epitaphium uno & eodem tempore, & ab uno Auctore concinnatum fuiſſe, & a Creſcentii Pontificatu tribus ferme ſæculis abeſſe, referrique oportere ad ſæculum decimum quintum, cum Franciſcus Maripetrus Spalatenſem eccleſiam adminiſtrabat. Quod quidem tempus, & temporis notam pars extrema epitaphii indicat. Nam, ut inquiunt iſti, & conformatio litterarum, quæ in tabula illa marmorea inſculptæ ſunt, eſt omnino eadem, & una pariter eſt forma totius orationis, & idem ſtylus, ac dicendi character: ex quo colligitur neque epitaphii partes temporibus diſtingui, neque eas diverſis, & alias aliis auctoribus attribui poſſe. Verum in promptu eſt, quod iſtis reſpondeam. Fateor equidem univerſum epitaphium in eo lapide ad parietem affixo perſcriptum fuiſſe, cum Franciſcus Maripetrus aram S. Domnii, quam ejus Deceſſor ædificare cœperat, ad faſtigium perduxit, quod quidem accidit tertio ferme ſæculo, poſtquam Creſcentius obierat. Id ſiquidem & hiſtoriæ monumenta teſtantur, & litterarum forma ac figura, & temporis nota poſtremo epitaphii membro adjecta ſatis declarant. Hac igitur de re nulla nobis eſt cum iſtis controverſia. Quod autem putant totum epitaphium & unius temporis, & unius Auctoris unum eſſe opus, in eo valde mihi videntur errare; omninoque in hoc omnis eſt error, quod inter duas priores epitaphii partes & poſtremam nihil intereſſe exiſtimant. Verum prima pars atque altera, de qua ſuperiori paragrapho diximus, longe ante in ſepulchro inciſa fuerat, quam in eo marmore incideretur. Eam ſiquidem Creſcentius ſæculo XII. ineunte confici inſcribique juſſerat, ut corporis primum illuc ab Joanne translati, deinde ibidem ab ſe inventi index eſſet ac teſtis. Ab obitu Creſcentii interceſſerant anni ferme trecenti, cum Franciſcus Maripetrus, abſoluto ornatoque altari, utramque illam epitaphii partem e ſepulchro deſcribendam, atque in tabulam marmoream referendam curavit; eidemque tertiam partem in eodem lapide inciſam adjecit. Hinc efficitur primam, atque alteram partem ad Creſcentii Pontificatum revocari oportere; tertiam autem Franciſco Maripetro ibidem Spalatenſi Archiepiſcopo adſcribendam eſſe.

juſſum in eo lapide inſculpi a Franciſco Maripetro.

Creſcentius auctor primæ & alterius partis,

tertia vero Maripetrus.

Verum, inquiet aliquis, quid ſi Maripetrus, qui totum epitaphium in eo lapide incidi juſſerat, idem duas illius priores partes in arca vetere deſcribendas curaverit? Sed nihil inſcitius dici poteſt. Nam præterquamquod id pro arbitrio dicitur, neque ulla, cur ita dicatur probabilis

ratio

ratio reddi poteſt; tota hæc reſponſio uno argumento eoque ſatis firmo evertitur. Etenim litteræ ſepulchro inſcriptæ forma & figura longe diſcrepant ab litteris in marmore inciſis: quæ quidem diſcrepantia aperte indicat inſcriptionem illam multo ante in ſepulchro, quam in marmorea tabula inſculptam fuiſſe. Nam duæ priores epitaphii partes in monumento expreſſæ ſunt antiquis Romanorum characteribus, qui ſub initium ſæculi duodecimi adhuc uſu vigebant: contra vero in tabula lapidea totum epitaphium perſcriptum eſt litteris ſane inconcinnis ac rudibus, quæ ſimilitudine quadam accedunt ad notas Gothicas, quæ ſæculo decimo quinto nondum exſoleverant. Ut autem utramque litterarum formam lector dignoſcere, & alteram cum altera conferre poſſit, & quæ ſit utriuſque diſſimilitudo per ſe ipſe animadvertere, exemplum totius epitaphii ex illa tabella marmorea egregii artificis manu deſcriptum in tab. IV. ſub lectorum aſpectu ſubjicimus, poſt exhibitum in alia tabula ſepulchralis inſcriptionis apographum. Neutrum porro neque verbis, neque forma alphabetica ab exemplari ſuo diſcrepat. Quin etiam ut exemplum epitaphii tripartiti undique perfectum eſſet, ut omnia cum autographo cohærerent, verſus ipſos, e quibus conſtat epitaphium bifariam diviſos deſcripſimus, alternis lineis longiuſculos; ita enim extant in lapide illo parieti affixo, qui anguſtior eſt, quam ut integrum verſum latitudine complecti poſſit.

Prior & ſecunda pars longe aliis in ſepulchro, aliis in lapide litteris inciſæ.

Qui ex epigraphe ſepulchrali primam & alteram epitaphii partem in tabulam marmoream tranſtulit, quædam immutanda cenſuit, nonnulla correxit, aliqua etiam, dum emendare voluit, depravavit. Utroque labes aliquas & corruptelas vel incuria, vel inſcitia Scalpographi invexit; in hunc enim, quam in auctores utriuſque culpam conferre præſtat. Sed bene habet, quod non eadem utrobique depravata ſunt, & quod in alterutra epigraphe emendatione indiget, alterius collatione & ope adhibita facile corrigi poteſt. Hoc igitur tripartitum epitaphium ex autographo marmoreo nobis accurate deſcripſit, & litteris quam ſimillimis expreſſit Joannes Baptiſta Camocinus egregius architectus, cui ab Senatu Veneto id negotii ac muneris datum eſt, ut publica Dalmatica ædificia delineet, earumque formam ac deſcriptionem in tabulas referat. Apographum ad nos tranſmiſſum fere congruit cum exemplo, quod Hiſtoricus Dalmata ſuis Collectaneis inſeruit; ſed hoc haud paucioribus, immo pluribus quam noſtrum mendis ſcatet. Extat in Opuſculis ejuſdem, quæ Venetiis prodierunt ex Typographia Stephani Curtii anno 1673. itaque epitaphii hujus bifariam divili partem priorem Creſcentio pag. 67. poſteriorem Maripetro pag. 68. attribuit.

Utraque inſcriptio, cum ſepulchro tum parieti affixa, mendis ſcatet.

Extat apud Joannem Lucium itidem mendoſa.

Cur vero totius epitaphii unus omnino ſit, idemque ſtylus, ac dicendi character, id cauſæ fuit, quod qui tertiam partem adjecit, e duabus prioribus ſtyli ſimilitudinem atque exemplum duxerit; omni opera atque induſtria enixus, ut eamdem dictionis formam, quo ad ejus fieri poſſet, verborum & carminum contextu exprimeret. Cum enim in eodem lapide cum prima atque altera tertiam partem conjungi oporteret, ſic ut ſingulæ in unam epigraphem coaleſcerent, neceſſe fuit orationis quoque ac ſtyli ſimilitudine omnes inter ſe aptas & connexas eſſe. Cæterum vacui ſpatii quod relictum eſt in lapide, interjectumque ſcriptioni, ut ſupra diximus, ſatis indicat illic conſulto, deditaque opera disjunctum atque interruptum fuiſſe epitaphium, ut poſteri dignoſcerent, quæ pars ejuſdem ad Creſcentium auctorem referenda eſſet, quæque Maripetri juſſu tribus ferme poſt ſæculis compoſita & adjuncta fuerit. Illam etiam epigraphem in operculo interioris arculæ inſculptam, de qua ſuperiori paragrapho lectorem monuimus, Creſcentio attribuendam cenſeo; eſt quippe litteris Romanis pulcherrime inciſa, quarum conformatio omnino congruit cum figura & forma illarum litterarum, quibus inciſa eſt ſepulchralis inſcriptio circa operculum Urnæ exterioris.

Creſcentius auctor inſcriptionis arculæ interioris operculo impreſſæ.

CAPUT XVII.

Sacri ac ſolemnes dies, quibus olim ſtatis anni temporibus eccleſiaſtico ritu colebatur, hodieque colitur S. Domnius, Salonæ, Romæ, Spalati, atque in univerſa Dalmatia.

§. I.

Primus dies B. Domnio ſacer, idemque omnium celeberrimus aſſignatus ad Nonas Majas.

Hanc diem, quæ ſeptima eſt menſis Maji, B. Domnius ad extremum uſque ſpiritum pro religione decertans, præclara morte pie conſtanterque obita conſecravit. Jure igitur ac merito ex omnibus diebus, quos ſingulis annis celeberrimos, lætiſſimoſque agit Spalatenſis eccleſia, hunc ſanctiſſimi ſui parentis & conditoris martyrio ac nomine inſignem in primis colere, & ſumma religione, maximaque pompa & apparatu celebrare conſuevit. Hiſtoria Salonitana B. Domnii martyrio neque annum, neque menſem, neque diem certum adſcribit. Id ſolum commemorat eum martyrii palmam adeptum fuiſſe uno fere menſe, poſtquam ejuſdem ſocii religionis cauſa extremum ſupplicium ſubierunt. Verum enimvero ex omnibus, qui res geſtas B. Domnii litteris mandarunt, ſi Legendæ Slavonicæ auctorem excipias, nemo unus eſt, quin ejus martyrium Nonis Maji, ſeu ſeptimæ ejuſdem menſis dici ſubjiciat. Primæ vitæ Auctor hæc ſcripſit: *Unus ex Miniſtris Sathanæ, impetu facto, amputavit caput eius Nonis Maji.* Diem eumdem adnotavit alterius vitæ Scriptor: *Capitis abſciſſione curſum complevit Nonis Maji.* Ab his nihil diſcrepat Adamus Pariſienſis in tertia vita: *Glorioſus martyr Nonis Maji terras relinquens ad cœlum migravit.* Huc adde: quæ in quarta vita ſcripta ſunt: *amputavit caput ejus die Nonarum Majarum*; itemque apud Lucam Gaudentium ſextæ vitæ Auctorem: *Præfecti juſſu obtruncatus eſt Nonis Maji.* Qui vero de laudibus S. Domnii orationem Illyricam ſcripſit, martyrii diem tacitum prætermiſit; ſed vel ex hac colligi poteſt B. Domnium die ſeptima Maji perfunctum eſſe martyrio; cum antiquiſſima conſuetudine receptum ac ſancitum ſit, ut ſingulis annis ipſo Nonarum Majarum die hanc legendam ſive orationem Illyricam aliquis e Clero ante ſolemne ſacrificium matutinum clara voce, eademque ad muſicos modos inflexa ad frequentiſſimam concionem e ſcripto recitet; quæ quidem oratio cujuſdam Panegyrici locum obtinet, quo Divorum laudes celebrari, eorumque feſti dies ornari ſolent.

Dies Maji ſeptima Domnii martyrio conſecrata.

Acta S. Domnii ad eam diem ejus martyrium adſcribunt.

Operæ pretium duxi omnia hæc teſtimonia in unum locum colligere, ut hac in re omnium Scriptorum ſumma conſenſio inſcitiæ aut impudentiæ eos coargueret, qui martyrium S. Domnii ad Nonas Majas adſcriptum in dubium revocare audeant. Qui enim exiſtimet nihil ab antiquis memoriæ proditum

apud Spalatenſes religioſiſſima & celeberrima.

ditum esse, unde certo colligi possit natalem Beati Domnii diem Nonis Maji affigi oportere, aut si quid proditum fuerit, non satis esse dignum, quod credatur; hunc profecto aut insigni veterum monumentorum inscitia laborare necesse est, aut certe in eorum numero habendum esse, qui antiquissimis ecclesiarum historiis fidem omnem abrogare conantur.

Quid si aliquis eo progrederetur audaciæ, ut festum solemnemque diem B. Domnii martyrio consecratum in contemptum etiam, non modo in controversiam adduceret, perinde quasi recens inventum esset, aut certe hujus diei consecratio antiquior non esset undecimo sæculo, adscribendaque foret Crescentio Spalatensi Archiepiscopo, qui extremo ejusdem sæculi anno Pontificatum adeptus primus omnium Nonas Majas S. Domnio dedicaverit, easque in festorum dierum numerum retulerit? Hæc qui sentiat, aut dicat, is enimvero, nisi impudentissimi mendacii reus fieri ac prædicari velit, utatur oportet excusatione summæ ignorantiæ, seu potius incredibilis cujusdam stuporis. Quis enim tam rudis in historia Salonitana, tam peregrinus atque hospes esse potest, quin sciat S. Laurentium Spalatensem Archiepiscopum, qui proxime ante Crescentium ecclesiam illam administravit, hujus diei ad honorem cultumque S. Domnii celebrandæ consuetudinem jam inde antiquitus inductam invenisse? Tantum igitur abest, ut eam primus omnium Crescentius invexerit, ut multo ante viguerit, quam Crescentii Decessor Pontificatum susciperet; argumento est, quod idem Laurentius, ut Thomas Archidiaconus Hist. Salonit. cap. 16. scripsit, Adamum Parisiensem Græcis Latinisque litteris apprime excultum rogaverit, ut veteres lectiones, hymnos, antiphonas nullo dicendi artificio elaboratas, sed admodum impolitas ac plane rudes, quibus ad festum S. Domnii diem celebrandum Spalatensis Clerus jampridem utebatur, in formam elegantiorem ipse redigeret, eisdemque verborum ac sententiarum ornatum quemdam & nitorem adsciscere. Adamus itaque, ut Laurentio morem gereret, hymnos atque antiphonas numeris haud paullo concinnioribus illigavit, & universam Liturgiam, horasque canonicas satis compto, nitidoque, ut temporibus illis, orationis genere illustravit. Festum vero S. Domnii diem, ejusque martyrio sacrum ac solemnem ipse quoque ad Nonas Majas affixit; nec dubium, quin id e vetustissimis illius officii lectionibus acceperit: *Gloriosus*, inquit, *martyr nonis Maji terras relinquens ad cælum migravit*. Hinc evidentius apparet, quam ut in dubium vocari possit, longe ante S. Laurentii ætatem Nonas Majas ad S. Domnii, ejusque martyrii memoriam celebrandam consecratas fuisse; atque adeo hujus consecrationis initium a primis Salonitanæ ecclesiæ temporibus repetendum esse; quod quidem præter cætera argumenta, rude illud inornatumque dicendi genus, quod nitidius & luculentius Adami Parisiensis stylo redditum est, satis superque declarat. Et vero nisi hujus diei celebritas perantiqua esset, nisi authentica, nisi multorum sæculorum usu approbata, numquam adduci potuissent gravissimi Viri, iidemque antiquitatum ecclesiasticarum scientissimi, ut eum diem & S. Domnii Salonitani Episcopi & martyris commemoratione insignirent, & in sua Kalendaria referrent. Huc adde vetustissima plurium Ecclesiarum monumenta, in quibus ad eamdem diem S. Domnii nomen & martyrium adscriptum invenies. Juvat paucas in hanc rem enunciationes ex antiquis Kalendariis, probatisque Scriptoribus describere, quorum auctoritatem si quis contempserit, & nihilo verecundius, quam antea, festi hujus diei antiquitatem ludibrio & irrisione dignam habuerit, eum profecto bene ac noviter impudentem ac temerarium esse oportet.

Dubitari non potest, quin ab his multis ante Laurentii sæculis in veneratione apud Spalatenses fuerit.

VII. *Maji*. *S. Domnii Episcopi & martyris. Duplex primæ Classis cum octava*. E Kalendariis pervetustis ecclesiæ Spalatensis. — Id confirmant Kalendaria pervetusta, & gravissimi auctores.

VII. *Maji*. *Domnii Episcopi Spalatensis*. E Kalendariis Jadrensis, & aliarum ecclesiarum Dalmatiæ.

VII. *Maji*. *S. Domnus Episcopus Salonensis Spalati*. Bollandistæ in Prætermissis ad hanc diem.

VII. *Maji*. *Spalati S. Domnii Episcopi Salonensis & martyris*. Ferrarius in Catal. gen. SS.

VII. *Maji*. *In Insulis Diomedæis S. Domnii Episcopi & martyris*. Ex monumentis Canonicorum Regularium, qui memoratas insulas vulgo *de Tremiti* dictas incolunt. Ferrarius ibid.

S. Domnio Salonitanorum Præsulum coryphæus, & S. Petri Apostoli Discipulus, cujus anniversaria solemnitas ab universa Dalmatia Nonis Maji solemnis habetur. Joannes Tomco Marnavitius Episcopus Bossinensis in Vindiciis S. Felicis pag. 17.

Recte ac præclare scripsit Bossinensis Episcopus proxime laudatus hunc diem *ab universa Dalmatia* sanctum ac solemnem haberi. Etenim ejus celebritas ac religio neque diœcesis, neque provinciæ Spalatensis finibus circumscribitur, sed per omnes Dalmatiæ ecclesias jam inde antiquitus propagata, hodieque solemni officio rituque colitur; & quamquam Spalatensis Metropolitæ ditioni exemptæ aut sui, aut alieni juris jamdudum esse cœperint, veterem tamen consuetudinem hujus diei celebrandæ a majoribus acceptam, neque unquam intermissam adhuc retinent. Satis quippe constat hanc consuetudinem omni memoria antiquiorem esse; & cum Spalatensis ecclesiæ jurisdictio iisdem, quibus universa Dalmatia, regionibus ac terminis contineretur, quatuor & viginti ecclesias, si vera scripsit Michas Madius, in sua potestate haberet, nulla ex illis erat, quin diem septimam Maji nomine & martyrio S. Domnii consecratam insigni cultu ac religione prosequeretur. — Tum consuetudo antiquissima communis universæ Dalmatiæ.

Is porro dies in urbe Spalatensi clausis officinis, veritisque lege ecclesiastica servilibus operibus, ritu solemni *Primæ Classis* agitur; ejusque commemoratio ac celebritas in octavum usque diem producitur; quippe cum Spalatenses B. Domnium, ut par erat, civitati suæ ac diœcesi patronum primarium adoptaverint. Multæ præterea in Dalmatia urbes eodem ac Spalatenses ritu cultuque hunc diem celebrant, ejusdemque solemnia in septem dies proxime insequentes extendunt. Quid vero dicam effusiones hominum ex oppidis & propinquis civitatibus, ex agris & vicis, quos commovet evocatque Spalatum hujus diei solemnitas ac religio? præsertim cum ad sacram & ecclesiasticam pompam accedant etiam profani ac civiles ludorum ac nundinarum apparatus, iidemque magnificentissimi, ut toto quidem anno nulla dies urbi lætior, nulla celebrior, nulla augustior illucescat. Hujus diei celebritatem auget solemnis eademque frequentissima supplicatio, quæ per vias urbis celeberrimas quanta maxima fieri potest pompa peragitur; in eaque particula insignis ex reliquiis S. Domnii magnifice exornata, & in argenteam ipsanothecam inclusa circumfertur, quam quidem Prætor, idemque Præfectus urbis cum sua cohorte, & primarii Magistratus, & universa propemodum civitas pie honorificeque prosequitur. Ad sanctissimi hujus diei honorem, cultumque anniversarium S. Domnii illud — Ritus solemnis ejusdem diei celebrandi. — Solemnis supplicatio.

Digitized by Google

lud quoque pertinet, quod memoriæ proditum est de Narentanis, qui liberi cum essent, nec dominationi cujusquam obnoxii, Spalatum tamen legare quotannis solebant Ducem suum cum Primoribus civitatis, qui ipso festo S. Domnii die, ejus sepulchrum annuis muneribus coleret, totamque Narentanam Rempublicam in ejus fidem ac tutelam committeret.

Item Episcopi suffraganei ad celebrandum diem festum S. Domnii Spalatum convenire solebant.

Præterea quemadmodum more institutoque majorum sancitum est, ut omnes Italiæ Episcopi tertio quoque anno Romam se conferant ad sacra Apostolorum limina veneranda; sic etiam ecclesiastica lege vel consuetudine præscriptum olim erat suffraganeis ecclesiæ Spalatensis, ut singulis annis ad festum solemnemque diem S. Domnii celebrandum universi Spalatum convenirent, suppliceſque ad sepulchrum ejusdem annuæ debitæque religionis officia persolverent. Hujus rei auctorem habeo Michaem Madium, cujus verba e capite 16. Historiæ Spalatensis desumpta, hic adscribere operæ pretium duxi: *Archiepiscopus Spalatensis vocatur Primas totius Dalmatiæ, habens sub se suffraganeos suos Episcopos decem, qui tenentur ex vinculo sacramenti obedire ipsi Archiepiscopo, & respondere ecclesiæ Metropolitanæ Spalatensi, & venire omni anno ad festum S. Domnii ad ecclesiam prædictam, salvo justo impedimento.* Tot vero Episcoporum concursus conventusque quantum vel huic diei pompæ ac celebritatis adderet, vel solemnibus sacris ac cæremoniis, splendoris ac majestatis conciliaret, nemo est, quin facile intelligat. Cæterum ipsimet Episcopi, ut recte admonet Michas Madius, cum a Spalatensi Archiepiscopo solemni ritu consecrarentur, ab eoque jura & insignia Pontificalia acciperent; eodem jurejurando, quo se in fide ac potestate sui Metropolitæ perpetuo mansuros, ejusque dicto obedientes fore pollicebantur, se quoque, adjungere solebant, nisi quibus impedimentum justum esset ac legitimum, numquam prætermissuros, quin singulis annis festo & anniversario die S. Domnii Spalatum adirent, ejusque sepulchrum pie & caste inviserent. Hujus sacramenti formulæ adhuc extant in tabulariis ecclesiarum Dalmatiæ: verbis quidem discrepant; rebus vero ac sententiis inter se fere congruunt. Paucas exempli causa proferam, ex quibus, cujusmodi sint reliquæ, dignosci facile potest.

Jurejurando adacti.

§. II.

Formula solemnis Sacramenti, in quam olim jurabant ecclesiæ Spalatensis suffraganei adituros se singulis annis limina S. Domnii, anniversario festoque ejus die recurrente.

Formula juramenti.

Formula jurisjurandi præstiti a Joanne Episcopo Signiensi.

a b IN *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Ego* a *Joannes* b *Signiensis Episcopus spondeo, polliceor, atque promitto, atque juro per* c *lignum* c *vivificæ Crucis, & sancta quatuor Evangelia, & has Sanctorum reliquias, quod ab hac die in antea obediens ero, & fidelis B. Domnio, & vobis* d *Domine* d *Bernarde Archiepiscope, & omnibus successoribus vestris catholice intrantibus secundum omnia ea, quæ continentur in Canone de forma fidelitatis. Et quod vocatus ad Synodum, vel ad consecrandos Episcopos veniam, nisi fuero impeditus canonico impedimento; & quod in propria persona, vel per proprium & honestum nuncium, ecclesiam B. Domnii* g *in festo ipsius* f *annuatim visitabo, &* e f *privilegia ejusdem ecclesiæ, & omnia jura sua secundum posse meum defendam, & manutenebo. Res vero, quæ pertinent ad mensam Signiensis ecclesiæ, nonnisi in cautis concessis alienabo. Hæc omnia observabo bona fide, & sine fraude; sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.* Ex Evangelistario ecclesiæ Spalatensis in Pergameno.

Formula jurisjurandi præstiti a Micha Episcopo Pharensi.

Ego g *Micha* h *Farensis Episcopus* i *juro* k *super altare Sancti Domnii, quod ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens Spalatensi ecclesiæ, & ejus Archiepiscopis canonice intrantibus, secundum meum ordinem. Ad detrimentum quoque eorum, vel diminutionem ecclesiæ vel Archiepiscopatus nullo modo consentiam, nec consilium præstabo: eorum mandata pura intentione conservabo.* l *Litteris, vel verbo vocatus veniam, præcipue in solemnitate S. Domnii, nisi fuero manifeste impeditus, venire curabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Ex cod. Evangeliſt.

g h i k

l

Formula jurisjurandi præstiti a Treguano Episcopo Tragurienſi.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Ego m *Treguanus Tragurienſis* n *Episcopus* p *spondeo, polliceor, & promitto, atque juro per lignum vivificæ Crucis, & sancta quatuor Evangelia, & has Sanctorum reliquias, quod ab hac die in antea obediens ero, & fidelis B. Domnio, & vobis Domine Bernarde Archiepiscope, & omnibus successoribus vestris catholice intrantibus secundum omnia, quæ continentur in Canone de forma fidelitatis; & quod vocatus ad Synodum, vel ad consecrandos Episcopos veniam, nisi fuero impeditus canonico impedimento; & quod in propria persona, vel per proprium & honestum nuncium ecclesiam B. Domnii in festo ipsius annuatim visitabo; & privilegia ejusdem ecclesiæ, & omnia jura sua secundum posse meum defendam, & manutenebo. Res vero, quæ pertinent ad mensam ecclesiæ Tragurienſis, nonnisi in cautis concessis, alienabo. Hæc omnia observabo bona fide, & sine fraude. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta* q *Patrocinia.* Ex eodem r Evangeliſt.

m n p

q r

NOTÆ.

a Is tertium locum obtinet in Catalogo Episcoporum Signiensium, quorum notitia ad nos pervenit: Post Hiræum, & Borislaum electus est sub initium sæculi decimi tertii.

b Segnia urbs pervetus est, eademque Episcopalis in Liburnia, sita in ora maritima sinus Flanatici, cui Veglia insula e regione objacet.

c Hæc sacratissimi ligni particula, cujus religione interposita jurabant suffraganei Spalatensis ecclesiæ se quotannis adituros basiliçam & sepulchrum S. Domnii, præsens aderat cum cæteris SS. reliquiis; sed jampridem vel aliq allata est, vel certe vetustate interiit.

d Bernardus Archiepiscopus Spalatensis XLV., primus hoc nomine Spalatensem ecclesiam administravit ab anno 1195. ad an. 1207.

e Idest ipso Natali S. Domnii die, qui ejus martyrio sacer est, & in universa Spalatensi provincia nonis Maii, ut diximus, solemni ritu & pompa celebratur.

f Nullo communi jure sancitum est, ut suffraganei singulis annis ecclesiam Metropolitanam adeant, ne ipso quidem anniversario festoque die, quo primarii ejusdem ecclesiæ patroni memoria celebratur & colitur. Igitur Episcopi Dalmatæ ultro hac lege se ipsi jurati obstrinxerant, ut scilicet suam erga B. Domnium religionem declararent.

g Is quartus numeratur inter Episcopos Pharenses, electus a Bernardo Archiepiscopo Spalatensi anno circiter 1199.

h Quæ nunc *Lesina* olim *Pharia* vocabatur, tum adjecta initiali vocali *Apharia*, demum immutato corruptoque fœdum in modum vocabulo *Africa* appellari interdum cœpit. Est insula maris Adriatici incolis viciſque admodum frequens, Dalmatiæ littoribus objacens.

i Hæc formula paullum diversa est a prima & tertia; ex quo intelligi potest nullam satis certam stabilemque formulam, in quam jurarent, præscriptam fuisse suffraganeis ecclesiæ Spalatensis; sed alios aliis uti solitos fuisse verbis, quibus suam fidem obedientiamque metropolitæ Spalatensi obstringerent.

k Idest arcam, qua corpus S. Domnii continebatur; nam qui solemni jurejurando fidem suam devinciunt, iis ferme altaribus manus imponere solent, quibus præclarę insigneſque Divorum reliquiæ subsunt.

l Hinc fortassis colligi posse videtur Spalatensium Antistitum moris fuisse, ut cum prope adesset festus S. Domnii dies, per litteras, ut vocant, encyclicas suffraganeos convocarent, monerentque jurisjurandi, quo se ipsi constrinxerant.

m Is tertius ab Sancto Joanne Ursino, de cujus vita & sanctitate libellum composuit, Tragurien-sem sedem obtinuit.

n Tragurium urbs perantiqua & nobilis, quæ proxime adjacet mari. Abest Spalato passuum millia fere duodecim ad Solis occasum obversa.

p Hæc sacramenti formula cum prima omnino congruit.

q Error fortassis irrepsit, & pro *Patrocinia*, legendum *Evangelia*.

r Est liber Evangeliorum in Pergameno perpulchre descriptus, in cujus margine adjectæ sunt hujusmodi tres formulæ, cum aliis ejusdem juramenti præstiti ab aliis Episcopis Dalmatiæ Occidentalis post decimum sæculum, videlicet Absarensi, Nonensi, Ottacensi, Veglensi, Jadertino, & Arbensi. Nam Episcopos Dalmatiæ Orientalis & jurisdictione Metropolitæ Spalatensis, & ea lege S. Domnii quotannis invisendi Romanus Pontifex exemerat, propterea quod per ea tempora horum plerique, cum ad Provincialem Synodum convocati Spalatum navigarent, naufragio periissent.

Capitulum IV. Synod. Spalat. ex Cod. Levacovichiano *Hist. Maj. Jesuit.*

Extat præterea Decretum Synodi cujusdam Provincialis Salonitanæ, sive Spalatensis, quo sancitur, ut scilicet singulis annis ad concilium provinciale Spalatum, vel per se ipsi conveniant, vel si qua causa gravior obstiterit, suos quisque Procuratores seu Vicarios delegare ne omittat. De adeundo, invisendoque S. Domnii templo nihil inibi decernitur; ex quo intelligi potest hanc legem ipsos sibi Episcopos ultro imposuisse, atque in eam, qua se devinxerant, legem conceptis verbis juraſſe, ut sanctissimis B. Domnii exuviis id honoris atque officii præstarent.

§. III.

Alter dies B. Domnio sacer III. *Idus Aprilis.*

Alter dies festus S. Domnii Episcopi

HOc item solemne B. Domnio institutum ab ultima propemodum antiquitate initium duxit; idemque olim apud Salonitanos sanctissimum fuisse ac celeberrimum satis superque declarant pervetusta Martyrologia, in quibus ad diem undecimam Aprilis nomen S. Domnii, seu Domnionis Episcopi adscriptum est, ac deinde ex antiquis in recentiora quoque Martyrologia relatum. Varias festi hujus diei enunciandi formulas diligenter collectas capite primo descripsimus, quas huic loco iterum intexere supervacaneum arbitror. Unam hic subjicere satis fuerit, ex Martyrologio Hieronymiano Lucensi depromptam: III. *Idus Aprilis* .... *In Salona Dalmatiæ Domnionis Episcopi, & militum septem.* in antiquissimis *Martyrologiis notatur,*

Illud in illis formulis animadverti oportet numquam S. Domnium nominari, quin eidem Episcopi titulus adscribatur; ex quo sequitur audiendos non esse, qui putant in locis allatis mentionem fieri S. Domnionis Cubicularii, cujus nomine ac religione diem Aprilis undecimam consecraverint Salonitani, cum illius corpus, ut narrat Archidiaconus, ex oppido Juliacensi sublatum Salonam transtulerunt. Tantum quippe abest, ut is Episcopus fuerit, & ne primos quidem ecclesiastici ordinis gradus umquam attigerit; nam cum aulæ Cæsareæ nomen dedisset, in qua Cubicularii nomen ac dignitatem apud Maximianum Imperatorem adeptus est, alienam omnino ab ecclesiastico instituto vivendi rationem instituerat. nequit referri ad alios Divos eiusdem nominis;

Joannes Tomcus Marnavitius Episcopus Bossinensis in Vindic. S. Felicis in ea sententia videtur esse, ut existimet festum hunc diem referendum esse ad cultum ac memoriam alterius cujusdam Domnionis itidem Salonitani Episcopi, qui ab ætate S. Domnii longo interyallo disjunctus illam ecclesiam gubernaverit; argumento esse ait, quod is *Domnionis* vocabulo afficiatur; ut si minus aliunde, certe ex diversa utriusque appellandi ratione alterius ab altero distinguendi ratio peti possit. Sed nimium quantum aberrat a veritate. Nam, ut alias sæpe diximus, in Catalogis Salonitanorum Antistitum tam accurate diligenterque confectis, ut Episcoporum series & continuatio jam inde a principio Christiani nominis deducta nullis lacunis interjectis usque ad Salonæ excidium perveniat, neminem unum inveneris præter primum hujus ecclesiæ Episcopum & conditorem, qui Domnii, aut Domnionis vocabulo appelletur. Neque vero credibile est hunc prætermissum fuisse scriptorum incuria; cum enim reliquos omnes tam accurate recenseant, quid incuriæ aut causæ excogitari potest, cur hujus nomen tot scriptorum diligentiam notitiamque subterfugerit? præterquam quod Episcoporum inibi descriptorum ea est distributio seriesque, ut annorum, qui cuique respondent, mensuram satis superque expleat; ut si quem præterea illuc intrudere velis, vix satis temporis locique invenies, quo illius Pontificatus interjici & contineri queat. Quod vero Bossinensis Episcopus pro argumento sumpsit, id nullo prorsus modo probabile est; nam suo loco ostendimus *Domnionis ac Domnii* unum esse idemque vocabulum; hoc tantum interest, quod extremis litteris immutatis alias aliter inflectitur; & qui ab aliis *Domnio*, idem ab aliis *Domnius* vocatur. Maneat ergo diem undecimam Aprilis non aliunde habere causam celebritatis & consecrationis, nisi a S. Domnio primo Salonarum Episcopo acceptam. Nunc illud inquirendum est, unde festi hujus diei institutionem repetere oporteat, aut quæ causa potissimum Salonitanos impulerit, ut diem Aprilis undecimam B. Domnio, ejusque veneration decernerent. quem Marnavitius alteri Domnioni Ep. Salonitano perperam adscripsit,

Petrus Natalis Episcopus Equilinus in Catalogo SS. lib. 4. cap. ultimo, docuit id solemne institutum fuisse ad recolendam celebrandamque ejus martyrii memoriam; quippe cum existimet B. Domnium ob religionem cum sociis cæsum esse III. Idus Aprilis: *Domnus Episcopus, & milites octo Martyres in Dalmatia, civitate Salona passi sunt* III. *Idus Aprilis.* De die Martyrii S. Domnii ex Petri Natalis.

Digitized by Google

Aprilis. Sed Acta B. Domnii nonas Majas ejus martyrio consecratas fuisse apertius declarant, quam ut in controversiam id adduci possit. Ex multis porro sanctissimi ejus corporis translationibus nullam invenies, quæ in diem undecimam Aprilis inciderit. Nam, ut alibi monuimus, de prima & secunda nihil omnino proditum est, unde eorum dies per conjecturam aliquam dignosci liceat. Tertiam vero XI. Kal. Augusti contigisse quamquam affirmare non ausim, mihi tamen non deesse conjecturas ostendi, ex quibus id suspicari possem. De quarta eademque postrema translatione nulla est controversia, quin revocanda sit ad diem undetrigesimam mensis Julii, cum ea die factam esse ejusdem translationis Acta testentur. Cum igitur neque martyrium, neque ulla translatio S. Domnii ad diem undecimam Aprilis adscribi possit, aliunde hujus diei consecrationem ac titulum repetere necesse est.

Causa hujus diei festi repetenda ab illic 45. Martyrib. uno fere mense ante Domnium gestis.

Ego sic existimo Salonitanos præcipuam hujus diei consecrandæ causam accepisse ab illis quinque & quadraginta Martyribus Domnii sociis, seu potius præcursoribus, quos ille per Evangelium Christo genuerat, egregieque instructos ad mortem pro Christo contemnendam, ad cœlum præmisit. Cum autem discipulos ac socios ab Duce & Magistro disjungi non oportere existimaverint, huic pariter atque illis solemnes communesque honores una & eadem die quotannis ab universo Clero populoque Salonitano haberi decreverunt. Argumento est, quod illorum Martyrium satis commode conferri possit in diem undecimam Aprilis, quippe qui uno fere mense ad præclarum certamen ac supplicium B. Domnio præiverint. Hos & B. Domnii socios esse dicique posse, & ante ejus martyrium uno fere mense mortem religionis causa appetiisse auctor est Thomas Archidiaconus cap. 3. Historiæ Salonitanæ: *Hic*, inquit, *cum multis aliis passus est, qui cum uno mense ad martyrium præcesserunt*. Scio equidem inter diem tertium ante Idus Apriles, & nonas Majas pauciores dies interjectos esse, quam ut integri absolutique mensis spatium implere possint; verum ut præclare monet Henschenius ad diem XI. April. in Comm. prav. ad Acta S. Domnii, communis, & vulgi sermone satis trita loquendi ratio minime postulat, ut cum annum, vel mensem effluxisse dicimus, totidem dies prorsus effluxerint, quot unius anni vel mensis omnino exacti ambitu continentur: hæc quidem esset nimis exigue & exiliter ad calculos revocare temporum computationes; neque ignotum esse potest veteres in subducendis chronologicis rationibus non adeo minutos ac propemodum religiosos fuisse, ut temporum dimensionem auricilæ statera, ut dicitur, & non potius populari quadam trutina examinarent. Quocirca, ut satis proprie verèque dicatur mensis elapsus esse, nihilo plus requiritur, quam ut subducta præteritorum dierum summa ab extrema die integri mensis communique lege definiti prope absit. Ad rem vero nostram quod attinet, ab XI. Aprilis ad septimam Maii comprehensis utrimque terminis septem omnino & viginti dies numerantur; qui quidem numerus triduo tantum minor est, quam menstrui spatii circumscriptio postulat. Cum igitur vigesimo ac octavo die post socios pro Christo interfectos S. Domnius Martyrium subierit, satis congruenter ad communem loquendi usum is dicitur *uno post mense* persunctum esse martyrio: quæ omnia paucis Henschenius ad hunc modum expositi: *Quod ad hanc diem* XI. *Aprilis factum videtur, ac deinde fere elapso mense dicitur S. Domnius nonis Maii ad cœlum migrasse*.

Quod si quinque illi & quadraginta martyres vitam pro Christiana religione tuenda profuderunt III. Id. Aprilis; vix dubium esse potest, quin hunc diem Salonitani eorum præcipue martyrio ac memoriæ consecraverint; quod autem S. Domnius præclari hujus agminis ductor esset ac princeps, idcirco communes eidem ac sociis honores decreverunt; ille siquidem egregios illos athletas in Christi militiam adscripserat, ille qua verbis qua exemplis ad pugnam instruxerat, ille ad martyrium inflammaverat, ejusque laudis potiundæ mira quadam cupiditate incenderat. Itaque S. Domnius nonas Majas proprio ac privato quodam jure sibi uni vindicat sic prorsus, ut neminem in ejus diei, & gloriæ societatem recipiat; alterius vero diei, qui est III. Idus Aprilis, cultus & celebritas communis eidem est cum sociis, quos ille ad martyrium præmisit, quique solemnes honores sibi delatos non solum cum illo communicant; sed etiam primarium hujus diei cultum eidem tamquam parenti ac magistro relinquunt, cui præcipue secundum Deum martyrii nomen ac decus acceptum ferunt. Quare ille unus proprie & nominatim, socii promiscue & communiter eo die coluntur.

Diei XI. Aprilis tum illorum 45. Martyrum, tum præcipue S. Domnii nomine consecratus.

Verum, inquies, Martyrologi supra laudati hujus diei, honorisque anniversarii socios ac participes adjungunt B. Domnio septem, vel octo, vel novem milites, quos & numerus exiguus, & vitæ militaris institutum ab illis quadraginta & quinque ejusdem præcursoribus longe diversos esse declarat; ex quo sequitur annui hujus festi causam, si aliunde quam a S. Domnio repeti debeat, ad hos potius milites, quam ad illos martyres referendam esse, quorum illustria certamina uno propemodum mense B. Domnii Martyrium præcesserant. Hæc qui nobis objiciunt, meminerint oportet, quod supra monuimus cap. XI. §. 1. *De sociis martyrii*, has formulas nobis depravatas videri, & factum esse vel inscitia, vel oscitantia librariorum, ut pro *milliariis milites* substituerent. Nusquam enim legitur B. Domnius socios habuisse milites, quos ad martyrium vel præmiserit, vel secum ipse duxerit. Huc revoca, quæ ibidem uberius ac fusius hac de re disseruimus. Certe si consuli placeat fastos ecclesiæ Spalatensis, cujus auctoritas veteri traditioni innixa magni momenti esse debet ad hanc controversiam dirimendam, socios B. Domnii neque milites appellatos, neque certo numero definitos ibidem invenies: nam in vetustissimo ejusdem ecclesiæ Kalendario ad diem undecimam Aprilis B. Domnium & socios in hunc modum adscriptos videre licet: *Domnionis, & sociorum martyrum*. *Duplex*. Eamdem formulam sacrosancta Romana ecclesia Lateranensis ex antiquissima hujus diei celebrandi consuetudine suis Kalendariis inseruit, nihil vel de numero, vel de instituto militari sociorum adjiciens. Quare si locos illos Martyrologicos exigi oporteret ad normam antiquissimæ hujus formulæ Spalatensis & Lateranensis, quemadmodum hinc abest, sic etiam illinc vox *militum* expungi deberet.

Martyrologia, quæ 7. vel plures milites S. Domnio adjungunt, corrigenda, & revocanda ad exemplar fastorum Spalat.

Olim igitur Salonitani hunc diem festum in honorem B. Domnii ejusque sociorum, quos præcursores etiam appellamus, singulis annis agere solebant, ejusdemque religio ac celebritas non aliis fortasse circumscripta erat limitibus, nisi quibus definiebatur jus Metropoliticum ecclesiæ Salonitanæ, quod quidem antiquitus ab civitate Polensi Alexium usque tota fere Dalmatia porrigebatur. Id adeo intelligi potest ex allatis Martyrologiciis formulis. Ubique enim anniversariæ hujus venerationis præcipua sedes constituitur Salonæ, unde credibile est in omnes ecclesias Salonitani Archiepi-

Is dies festus olim toti provinciæ Salonitanæ communis.

scopi

ſcopi juriſdictioni obnoxias dimanaſſe. Id quoque videtur conjici poſſe ex quodam loco haud ſane facili ad intelligendum codicis Vaticani 1949, quem laudat Sollerius in Auctariis ad Uſuardum. Ibi ſiquidem S. Domnii nomen ad diem undecimam Aprilis afficitur, ſed loci nomen variatur: *In Mauritania S. Domnini Epiſcopi, & militum novem.* Atqui Mauritania idem eſt ac Dalmatia; id quod accurate docebimus in hiſtoria eccleſiæ Martanenſis, quæ nunc Macarſchenſis dicitur. Nam, ut ibidem fuſius explicabitur, Dalmatia olim appellari ſolebat *Mauritania*, vocabulo ab antiquiſſimis uſque temporibus repetito, quod quidem uſu vigebat, antequam hæc regio Dalmatiæ nomen ſubiret. Si ergo Mauritaniæ vocabulo Dalmatia ſubeſt, ex verbis Vaticani codicis illud, quod volumus, effici videtur, receptam fuiſſe ab omnibus fere Dalmatiæ eccleſiis conſuetudinem S. Domnii & ejus ſociorum memoriæ colendæ celebrandæque III. Idus Aprilis: neque enim formula illa e codice Vaticano deſcripta hujus diei celebritatem Salonitanæ urbis aut diœceſis finibus circumſcribit.

Dalmatia antiquitus dicta eſt Mauritania.

Nunc Spalatenſis urbis agrique finibus circumſcriptus.

Nunc anniverſarium hoc ſolemne proprium eſt ac peculiare eccleſiæ Spalatenſis, quæ in locum ac dignitatem Metropolis Salonitanæ ſucceſſit; neque hujus civitatis, & agri circumjecti limites prætergreditur. Extat, quam ſupra etiam deſcripſimus, hujus feſti annunciandi præſcribendique ratio in antiquo feſtorum dierum catalogo his plane verbis: *Domnionis, & Sociorum Mm. Duplex.* Quod in hac formula ad nomen S. Domnionis adjuncta ſit commemoratio ſociorum, id magno argumento eſt hujus diei religionem nuſquam alio referri poſſe, quam ad S. Domnium primum Salonitanæ eccleſiæ Epiſcopum ac B. Petri Diſcipulum, qui egregiam ſociorum manum ad martyrium præmiſit. Nam alter ille Domnio, quem aliqui comminiſcuntur, inferuntque in catalogum Salonitanorum Antiſtitum, unde abeſt, neque an extiterit umquam, neque an Martyr fuerit, neque an ſocios martyrii habuerit, conſtare poteſt. Hunc eumdem feſtum diem B. Domnio Salonitano adſcripſit Martinus Szentivanius in ſuo Martyrologio ſive Ephemeride Pannonica: *S. Domnio Epiſcopus & Martyr, Spalati in Dalmatia primus Epiſcopus.* Rerum memorab. Hung. parte prima Dec. 3. pag. 153.

Romæ etiam in Baſilica Lateranenſi celebratur.

Præterea hujus diei cultus ac religio Romæ viget, celebraturque ſingulis annis in Baſilica Lateranenſi. In eo Kalendario, qui ad uſum Capituli Clerique Lateranenſis quotannis typis mandari ſolet, ad undecimam Aprilis diem B. Domnionis & ſociorum Martyrum ſtatis conſuetiſque horariis precationibus colendorum ritus ad hunc modum præſcribitur: *Officium eccleſiaſticum ſub ritu duplici de S. Domnione Epiſcopo & Martyre, & ſociorum, quorum corpora habentur in proprio altari in Oratorio B. Virginis ad Fontes: & feſtum duplex S. Leonis transfertur.* In eo libello, qui Romæ ex Tinaſii typographia prodiit anno 1690, quique inſcribitur: *Proprium Sanctorum Romanorum Pontificum, & aliorum pro ſacroſancta Romana Cathedrali eccleſia Lateranenſi, a ſacra Rituum Congregatione approbatum*, hæc Officii eccleſiaſtici, divinæque liturgiæ ratio traditur pro feſto S. Domnii & ſociorum martyrum: Die XI. Aprilis: *In feſto Sanctorum Domnionis Epiſcopi, & ſociorum Mm. Duplex. Omnia ut in Com. plurim. Mm. exceptis ſeqq. Oratio: Deus qui nos concedis. In I. Nocturno: Fratres Debitores. In ſecundo; ſermo S. Ambroſii Epiſcopi Serm. 776. ad Rom. Exemplo Martyrum didicimus Chriſto credere. In tertio; Cum audieritis prælia.* Alius præterea libellus, qui ſingulis item annis excudi ſolet, ſubjicique huic titulo: *Ordo officii Divini pro Capitulo Romano, & Clero ſacroſanctæ Rom. Eccl. Cathedralis Papalis Lateranenſis*, modum rationemque perſolvendi B. Domnii & ſociis eccleſiaſtici officii his verbis præcipit: *Domnionis Epiſcopi & ſociorum Mm. Habemus corpora in Oratorio S. Mariæ ad Fontem. Lect. I. Noct. de ſcript. ſecundi & tertii in proprio aſſignantur.*

Eo die alios Spalatenſes.

Sed neque eodem omnino ſpectat, neque iiſdem e cauſis originem duxit hujus diei celebrandi conſuetudo, quæ Romæ, quæque Spalati viget: idem S. Domnius utrobique colitur, non iidem S. Domnii ſocii coluntur utrobique. In eccleſia atque urbe Spalatenſi, ut diximus, ejus diei cultum ac religionem ſibi vindicant, communicantque cum S. Domnio duce ſuo ac magiſtro quadraginta illi, & quinque Martyres, qui ante illum uno fere menſe martyrii palmam adepti ſunt. Cum enim hiſce Martyribus ſolemnes eo die honores Salonitani decreverint, dubitari nequit, quin Spalatenſes ad eorumdem venerationem hujus feſti pſalmodiam, ceteraque religionis officia referant; quippe qui a Salonitanis cum Metropolitanæ ſedis dignitate cæteros illius eccleſiæ ritus atque inſtituta, & ſcilicet hujus diei celebrandi cauſam & conſuetudinem acceperint. Contra vero Capitulum Cleruſque Lateranenſis III. Idus Aprilis ſolemni officio ac Liturgia veneratur primum quidem S. Domnium, deinde vero ejuſdem ſocios, non illos quidem, quos Spalatenſis colit eccleſia, ſed eos tantummodo, quorum corpora ex Iſtria Dalmatiaque per Martinum Abbatem in urbem invecta Joannes Papa IV. in ſacello proximo perhonorifice collocavit; quoſque ipſi *ſocios cultus Lateranenſis* appellavimus. Haud igitur dubium eſt, quin Martinus plurima Sanctorum Martyrum corpora undique ex partibus illis tranſmarinis raptim & confuſe collecta Romam advexerit; ſed eorum omnium nomina vel ne tum quidem cognita erant, vel certe hominum memoria excideruntt. Cum his immixtas fuiſſe reliquias aliquas ex illis quinque & quadraginta Martyribus, quibus hoc eodem die honor cultuſque a Spalatenſibus adhibetur, facile eſt ſuſpicari, affirmare non item. Martyres in ſacello Lateranenſi conditi, cultique anniverſario hujus diei officio, de quorum nominibus conſtet, novem omnino ſunt: Venantius Salonitanus Epiſcopus, Anaſtaſius Saloniranus Martyr, is quem Cornicularium vocant, longe alius ab eo, cui ex arte, quam exercebat, Fullonis cognomentum obvenit, Aſterius primus, ut nobis veriſimile nunc videtur, Epetii, ſive Martitanæ Antiſtes, Maurus Presbyter, Septimius, Antiochianus, Tellius, Paulinianus Diaconi, Gajanus, quos quidem omnes Joannes Papa, vel Theodorus proximus ab Joanne Romanus Pontifex in hemicyclo ſuperno ejuſdem ſacelli depingi juſſit una cum B. Domnio. His decimum adjunxit Cæſar Cardinalis Raſponius lib. 3. Baſil. ſeu Patriarchii Lateranenſis cap. 12, & Joannes Severanus in eo libro, qui inſcribitur *memoria ſeptem Eccleſ. Rom.* Romæ excuſo an. 1630., huic nomen eſt Sulpiciano. Unde is Raſponio, & Severano innotuerit, mihi plane incompertum eſt; neuter eidem aut martyrii titulum, aut vitæ inſtitutum adjecit. Reliquorum nomina vetuſtas abolevit. Igitur III. Idus Aprilis ex iis, qui ſocii S. Domnii appellantur, alios Spalatenſis, alios Lateranenſis eccleſia colit. Neque eadem eſt Spalatenſi, ac Lateranenſi hujus dici colendæ celebrandæque cauſa. Spalatenſes, ut diximus, Salonitanorum exemplo atque inſtituto diem undecimam Aprilis in honore ac veneratione habent propterea, quod eam ſocii ſeu præcurſores

alios Lateranenſis eccleſia colit ſocios S. Domnii.

S. Do-

Digitized by Google

S. Domnii glorioſo ſanguine pro tuenda religione profuſo conſecraverint; & quia rerum a militibus fortiter ac præclare geſtarum gloria cum Ducibus communicari ſolet, idcirco in partem hujus feſti, ſolemnisque cultus vocatur S. Domnius; idemque pro eo ac decebat, in anniverſaria & perhonorifica ſociorum ſuorum commemoratione primas honoris officiique eccleſiaſtici partes ſibi vindicat: ex quo perſpici poteſt hujus diei colendæ venerandæque conſuetudinem a Salonitanis inſtitutam, traditamque Spalatenſibus omni memoria antiquiorem eſſe. At vero ſatis conſtat receptum in Baſilica Lateranenſi morem S. Domnii una cum ſociis III. Idus April. colendi, longe recentiorem eſſe, & aliunde originem traxiſſe. Neque enim hoc feſtum Romæ apud Lateranenſes agi cœpit ante annum circiter quadrageſimum ſeptimi ſæculi, cum Martinus Abbas Dalmatica legatione perfunctus plurimorum Divorum corpora partim ex Iſtria, partim ex Dalmatia Romam advexit, quibus condendis, & quo dignum erat, honore cultuque afficiendis Joannes Papa prope Lateranenſem Baſilicam ſacellum egregie ornatum exſtruere cœpit, Theodorus vero Joanni in Pontificatum ſublectus extremam eidem operam manumque impoſuit. Quamvis autem corpus S. Domnii obrutum Salonæ ruderibus relictum fuerit in Dalmatia, quod vigeſimo ferme poſt anno Joannes cognomento Ravennas una cum Epiſcopali ſede Spalatum tranſtulit; tamen ſive Joannes Papa oriundus e Dalmatia pro ſua erga S. Domnium religione eximia, ſive Theodorus Deceſſoris religioni favens, & pia cogitata perficiens, in abſide ſacelli Lateranenſis S. Domnium cum aliis martyribus, ſeu Divis e Dalmatia allatis opere muſivo depingi juſſit, eidemque primum inter illos honoris locum attribui voluit. Adhuc extat ea effigies abſidi ſuperducta, & B. Domnium Pontificalibus ornatum inſignibus etiamnum exhibet. Totum opus Joanni Papæ adſcripſit Thomas Archidiaconus cap. 8. hiſt. Salonit. *Ibidem*, inquit, *juxta fecit depingi imaginem S. Domnii cum Pallio, & cæteris Pontificalibus, totum ex muſivo auro*. Hinc initium, hinc occaſionem cauſamque ſumpſit Lateranenſis eccleſia anniverſarii diei ad cultum honoremque S. Domnii & ſociorum celebrandi, ſeu deinde ad Joannem, ſive ad Theodorum, ſive ad alios Pontifices ab ea ætate recentes, hujus ſolemnis inſtituti gloria referatur. Quod vero hoc feſtum ad diem undecimam Aprilis affixerit, id exiſtimo ab Salonitana ſeu Spalatenſi eccleſia accepiſſe, quæ ab antiquiſſimis temporibus, quamquam alias ob cauſas, hanc eamdem diem B. Domnio, ejuſque ſociis conſecraverat.

Ii feſtus dies apud Lateranenſes vigere cœpit ſeptimo ſæculo.

B. Salonit. vel Spalat. faſtis in Lateranenſes relatus.

Suſpicio eſſe poteſt, Romanos ab initio anniverſarium cultum, ſolemnesque honores B. Domnio decreviſſe, hoc errore ductos, quod putarent ſacras ejuſdem exuvias una cum aliis Sanctorum martyrum corporibus e Dalmatia in urbem per Martinum Abbatem advectas fuiſſe; atque ex eo errandi occaſionem oblatam eſſe, quod in iis multorum eſſent reliquiæ, de quorum nomine, patria, vitæ genere atque inſtituto minime conſtabat; ac proinde facillimum fuit in eum numerum referre corpus S. Domnii; quod tum Salonæ ruinis obductum latebat, & ejuſdem fere omnis notitia ac memoria ob fugam & diſperſionem incolarum evanuerat. Anno deinde ſæculi ſeptimi fere ſexageſimo inventio S. Domnii, ejuſdemque in urbem Spalatenſem tranſlatio hunc erroncm diſcuſſit; ac tum demum patuit falſo vulgatam fuiſſe opinionem de corpore S. Domnii Romam devecto, conditoque in ſacello Lateranenſi. Verum Cleros Lateranenſis nihilo ſecius, quam antea, anniverſarium diem jampridem S. Domnii nomine conſecratum celebrare inſtitit, cautius eſſe ratus ſilentio rem totam ſupprimere, ac tacite diſſimulare, quam quidquam de veteri inſtituto immutare; ne ſcilicet conſuetudinis jampridem receptæ abrogatio indoctiſque imperitiſque offenſioni eſſet, & ſermonum materiam præberet.

Vel ex falſa opinione de S. Domnio ibidem condito,

Cæterum propius vero eſt numquam olim creditum fuiſſe, ne ab illis quidem, qui ſolemnem hunc diem B. Domnio inſtituerant, ſacras ejuſdem reliquias ex Dalmatia in urbem delatas eſſe; ſed hunc eidem honorem cultumque idcirco ſingulis annis adhiberi eos voluiſſe, ut ſanctiſſimi hujus & Apoſtolici viri nomen ac memoriam ab oblivione poſteritatis vindicarent; eidemque in urbe monumentum perenne ſtatuerent, quando nihil propius eſſe videbatur, quam ut Barbari, qui pleraque Dalmatiæ loca inſederant, totamque regionem rapinis & incendiis vaſtabant, omnia illic Chriſtianæ religionis veſtigia, non ſolum B. Domnii reliquias & ſepulchrum, ferro & flammis abſumerent. Præterea cum S. Domnius princeps eſſet atque anteſignanus omnium martyrum advectorum e Dalmatia, idemque parens & conditor illius eccleſiæ, unde tam illuſtres Chriſti athletæ exiterant, fas non eſſe exiſtimarunt ab eorum cultu ac veneratione S. Domnium ſegregari; quin immo tantum eidem honoris præ cæteris habuerunt, ut in abſide ſacelli nobiliorem, quam reliquis, locum ejus imagini tribuerent, & primas anniverſarii illius cultus officiique eccleſiaſtici partes eidem deferrent. Quare in allatis Kalendariorum formulis unus Domnius nominatur, tamquam præclari illius agminis ductor & princeps; cæteri omnes communi ſociorum vocabulo ſubjiciuntur, propriis cujuſque nominibus prætermiſſis.

vel ex aliis cauſis orta eſt apud Lateranenſes

conſuetudo colendi S. Domnii una cum ejus ſociis die XI. Aprilis.

§. IV.

Tertius dies feſtus S. Domnii, qui eſt undetrigeſimus Menſis Julii.

JOannes primus Spalatenſium Antiſtes ex patria cognominatus Ravennas, qui anno circiter vigeſimo poſt everſam Salonam, corpus S. Domnii inventum, ſublatumque e crypta ſubterranea, ubi tercentos ferme annos jacuerat, in urbem & baſilicam Spalatenſem invexit, idem auctor fuit, ut anniverſaria hujus tranſlationis memoria impoſterum celebraretur IV. Kal. Auguſti, ipſo ſcilicet peractæ tranſlationis die; niſi forte aliquis alius e primis Spalatenſium Archiepiſcopis, idemque ab Joannis ætate proximus hoc ſolemne inſtituerit, ut inventi tranſlatique corporis memoriam & cultum poſteritati propagaret. Cæterum feſti hujus diei conſecrationem perantiquam eſſe declarat hiſtoria quartæ hujus ac poſtremæ tranſlationis cap. XIV. deſcripta; quamque in tres lectiones diſtributam eccleſia Spalatenſis ſolemni hujus diei Pſalmodiæ inſeruit.

Joannes primus Spalatenſium Antiſtes corpus S. Domnii Spalatum tranſtulit, & Feſtum tranſlationis inſtituit.

Solemne hoc B. Domnii, ejuſque tranſlationis titulo inſignitum feſti duplicis ritu agitur tum in æde Cathedrali Spalatenſi, tum in univerſa dioceſi; & in catalogo feſtorum dierum eccleſiæ Metropolitanæ Spalatenſis hiſce verbis indicitur: XXIX. *Julii. Tranſlatio S. Domnii martyris. Duplex.* Item ratio divini officii propria ejuſdem eccleſiæ, Venetiis excuſa an. 1690. pag. 29. quæ ad eum diem celebrandum adhibenda ſit eccleſiaſtici officii ratio, in hunc modum præſcribit. Die XXIX. *Julii: In feſto tranſlationis S. Domnii Epiſcopi & martyris. Duplex. Omnia de Communi unius martyris extra tempus Paſchale exceptis iis, quæ hic habentur propria.*

Ratio officii recitandi ipſo Feſto tranſlationis die.

Sacel-

Digitized by Google

Frequens hominum concursus ad aedicu-lam, & cryptam subterra-neam, unde corpus S. Domnii translatũ est Spalat.

Sacellum S. Domnii, quod cap. x. §. XIII. descripsimus ab urbe Spalatensi passuum millia ferme tria aut quatuor disjunctum, situmque inter Salonę rudera, ubi subterranea crypta, sepulchrum olim S. Domnii, adhuc extat, hac die a Spalatensibus juxta, finitimisque populis eximia veneratione ac frequentia colitur. Huc quippe maximi ex urbibus Spalati, Tragurii, Clissæ, & circumjectis agris oppidisque hominum concursus fiunt, popularibus plausibus, studiisque B. Domnii nomen & sepulchrum celebrantium. Plurima ibidem sacrificia matutinis horis fieri solent; & cryptæ sanctissimi martyris reliquiis olim insignis subeundæ, ac per otium contemplandæ omnibus facultas datur, ostio patefacto, amotoque lapide; quo diligenter occluso, nullis aliis anni temporibus patet. Ac ne quid ad popularem ejus diei celebritatem lętitiamque desit, publici etiam ludi indici ac fieri solent veteri more atque instituto: ac satis constat, memoriæque proditum est hanc solemnem pompam & frequentiam, ne tum quidem intermissam fuisse, cum ea loca in Turcarum erant ditione ac potestate.

Aquæ S. Domnii ad pellendos morbos mire efficaces.

Qui historiam scripsit quartæ translationis auctor est, ne sua quidem ætate miracula defuisse, quibus anniversaria hujus translationis ac festa gratulatio illustrior lętiorque redderetur. Nam post quam narravit fontem illum e silice repente ac divinitus profiluisse, ut pueri sarcophagum S. Domnii trahentes, vehementerque ab solis æstu, viaque laborantes inde aquam ad levandam sitim hauirent; illud quoque adjecit, numquam ex eo tempore cessasse latices illos profluere, quibus ab S. Domnio nomen obvenit; ea enim aqua S. Domnii dicitur; ac præterea cœlestem vim eidem fonti ad propulsandos morbos inditam esse, ut si quis incommoda valetudine affectus anniversario translationis die inde pauxillum aquæ ad potandum pari pietate ac fiducia sumeret, statim ab omni prorsus morbo convalesceret: *Hæc siquidem*, inquit ille, *hodierno die miraculose apparet producta, & a vulgo ex tunc aqua S. Domnii appellatur, quam in suæ translationis die devote potantes a diversis infirmitatibus liberantur*. Ex quo sequitur, ut solemnis hujus initium a primis proximisque translationi temporibus deduci oporteat, cum jam inde ab ipsa translatione, singulis annis, quo die anniversaria ejusdem memoria recurrebat, illius aquæ miracula iterari solerent.

Illud lectores ad extremum admoneo, nunc quidem unum omnino festum diem B. Domnii translati nomine ac religione insignem celebrari in urbe pariter ac diœcesi Spalatensi: sed cum ante hanc translationem, ut alibi diximus, semel, iterum ac tertio S. Domnii venerandum corpus in alia ex aliis loca translatum fuerit, satis verisimile est tribus hisce antiquioribus translationibus recolendis celebrandisque totidem olim dies assignatos fuisse, suum cuique, inscriptosque in fastis ecclesiæ Salonitanæ; & nos diem tertiæ translationis ex antiquo Caudiacensi Martyrologio per conjecturas elicere curavimus. Verum post excisam Salonam, & Pontificiam cathedram Spalatum invectam, triplex illa solemnitas per desuetudinem abrogata est: nisi forte qui quartam eamque postremam translationem in catalogum dierum festorum referri jussit, eo spectavit, ut IV. Kalend. Augusti omnium omnino translationum memoria, una & eadem die celebraretur.

§. V.

Tres hymni perantiqui de Laudibus S. Domnii, Auctore fortassis Adamo Parisiensi. E Psalteriis vetustis in pergameno ecclesiæ Spalatensis.

Hymnus I.

Armoniæ fidibus Domnio
Carmina pangite melliflua,
Organa tangite melodica,
Ecce dies celebris rutilat,
Dulcisonis jubilanda modis
Qua pius ad Dominum properat
Domnius, ut bravium referat,
Sanguine quod sibi quæsierat.
Æthera transmeat ad polica,
Agmina jam videt Angelica,
Gaudia cum quibus almifica
Perpetuo meritis habeat.
Martyrio dedit articulos,
Curriculos spuit aureolos,
Omnia carnis & illicita
Funditus expulit ut vacua.
Pyrgia verba philosophica
Ventilat, adstruit, & reputat,
Disputat, injicit, atque probat
Arte politus Apostolica.
Abdita scripta Theologico
Physica protulit armario
Pyrgus, & in ratione procax
Incipit, & trutinans memorat,
Rhetoricum Ciceronis opus
Primitus objicit, ut potius
Hinc referans ubi templa Deus
Ad species generale genus.
Inde parat nominis argolicum
Dans laqueum sibi Syllogicum,
Ut triplicet Deitatis opus,
Quo piget ecclesiale decus.
Spiritus ancipiti gladio
Domnius armiger haud timidus
Plantificos revocans gemitus
Protexit horrificos strepitus.
In Deitate gradus varios,
Non referas minus, aut nimios,
Nam Deitatis honor parilis
Semper adest, fuit, & fuerat.
Unde sophistica dicta fugat,
Perfida contudit, & jaculat,
Pyrgus ut inde nihil valuit,
Namque perire magis placuit.
Sancte Pater, pie Pastor ovans
Hierusalem colis ætheream,
Attribue famulis Patriam
Cœlica gaudia quo teneas.
Gloria multiplicata Patri,
Laus sit Emanuel Domino,
Spiritui decus atque sacro
Qui monos atque trinus Deus est. Amen.

Hymnus II.

Laudes eximias, dignaque prælia
Vexillum strenui militis excitat
Pangere, psallere competat auream
Fuso sanguine lauream.
Almo lorificans pectora spiritu
Ad lævam Fidei tegmine muniit
Dextram lanceola fulgida pectora
Spei viribus adjuvat.
Adest prævalidus terror in hostibus,
Nam celsus meritis præminet omnibus,

Quem

Digitized by Google

Quem Chriſti pietas firmiter innovat,
Ne miles ſuus excidat.
Regi ſummo opere munia præbuit,
Hoſtiles acies undique terruit,
Cujus præſidio pervolat integer
Centenos ſimul ordines.
Eventus varii non timet exitus,
Nam cum Maurilius verbera & acria
Cordis ſævitia præparat, aggerit,
Durat, ſpernit, & incitat.
Nam tendit ſuperos viſere cælicos,
Percurrens ſtadium fortiter anxium
Turbæ ſacrilegum reſpuit ydolum,
Vir damnat pius impium.
Tolli Maurilius imperat ocius
Te, Chriſti famulus ſic petit horrida
Ac ſi delicias carceris obſita
Præ ſola Jeſu gratia.
Inhauſtans iter prælia contemnax
Sanctum cæſareo carcere liberat
Ter mittens onera, ut colat idola,
Sed martyr fugit, aurea.
Vernans ſtellivomo paſtor in æthere
Votivas preculas ſedulus accipe,
Quas fundunt famuli ſuppliciter tui,
Nec nos ſcandere ſydera.
Sublimi Domino gloria, laus, honor,
Qui Sanctos pugiles laureat, elevat,
Hoſtem dum ſuperant roſcido ſanguine,
Regnans trinitas unitas. Amen.

Hymnus III.

Auroræ ſulgor radiat,
Jubar phœbi jam rutilat,
Cum dies feſta redeat,
Clara reducens gaudia,
Dignanter pſallat hodie
Plebs tota Regi gloriæ,
Qui Domnium in æthere
Stolis ornat victoriæ.
Athleta venerabilis
Deo multum amabilis
Largire tuis famulis
Bonis gaudere cælicis,
Magna ſit laus Patri Deo,
Poteſtas Unigenito
Summa virtus Paraclito
In tempore perpetuo,

§. VI.

Pro Feſto S. Domnii

Ratio Officii eccleſiaſtici, & nunc antiquati. Ex Cod. Ms. Archivi Archiep. Spalat. cui titulus: *Officia SS. Patronorum eccleſiæ Spalatenſis.*

Ad Veſp. Pſalm. conſueti de comm. unius martyris.
Expoſuit primus fidei qui ſacra Salonis,
Commigrat e terris hac ſuper aſtra die. Alleluja.
Antiph.
Intrepidus Chriſtum clara dum voce fatetur
Domnius, exſecuit ſæva machæra caput. Allel.
Antiph.
Cuncta Saloniadum reſonant te littora Domni,
Te noſter cœtus ſentiat uſque pium. Alleluja.
Antiph.
Nos tua feſta, pater, plena veneramur aſcetra,
Domni ne nobis cælica dona nages. Allel.
Antiph.
Ad te confugimus nos, qui jactamur in undis:
Tu Domni e portu dirige tutus iter. Allel.

Capit.
Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua, multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua a ſæculo. Deo &c.

Hymnus.
Domnium plectro canimus ſonoro
Præſulem ſacrum, veneranda cujus
Hæc dies fulget, rutilatque noſtra
Clara cohorti.
Qua parens noſter nitido cruore
Penitus fuſo, pia membra in oris
Hiſce deponens, animam coruſcis
Intulit aſtris.
Domnio patri date ſerta nati,
Texite æternas vario corollas
Flore, nam noſtri redolet Parentis
Undique virtus.
Domnius natos aluit labore,
Tradidit nobis fidei nitorem,
Lactis effudit fidei Sacerdos
Ubera primum.
Mox dapes cretis alias miniſtrat,
Dum docet fortis tolerare mortem,
Colla dum ſubdit gladio micanti,
Sanguine pavit.
Inde translatus ſuper aſtra cœli,
Et comes factus ſuperis, benigne
Nos fovet natos precibus ſereni
Cultor Olympi.
Paſtor o Domni memor eſto Noſtri
Reſpice ex alto, Spalatum tuere,
Perfrui tecum queat ut beata
Luce per ævum.
Sit Deo Trino decus, & poteſtas,
Laus ſit & Sanctis, ope nos miſellos
Adjuvent, ſævas orbi procellas.
Ne timeamus. Amen.
℣. *Induit eum Dominus ſtolam gloriæ. Allel.* Ecc. 45.
℟. *Et coronavit eum in vaſis virtutis. Allel.*

Ad Magn. Antiph. Ecc. 50.
Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena, & ſicut Sol refulgens Beatus Dominus. Alleluja.

Oratio.
Omnipotens ſempiterne Deus eccleſiæ tuæ votis propitius aſpira, ut B. Domnii Pontificis, & M. tui precibus adjuvemur, cujus natalitia celebramus. Per Dominum noſtrum &c.

Ad Matut. Invitatorium.
Regem Chriſtum, qui Beatum ad nos deſtinavit Domnium, venite adoremus. Allel.

Hymnus.
Præclara claro Antiſtiti
Promenda laus eſt Domnio,
Noſtræ cohortis inclyto
Parenti, & optimo Duci.
Primus phalanges inſtruit
Miſſus Salonas a Petro,
Ut ſigna Chriſti fulgida
Deferret ipſe Dalmatis.
Quanto labore muniat
Veram fidem, quam cœlitus
In carne Verbum detulit,
Acres nec horret dæmones,
Conatur hoſtem expellere
Ex arce Regni nobilis,
Cruenta bella præparat
In ſæva monſtra Tartari.
Aſpirat ipſi præpotens
Cœleſtis aulæ ſceptriger
Dum mira in ægris efficit,
Majora vero in mortuis.

Prater

Prætor furit Maurilius
Ditis minister impius,
Ferit securi Domnium,
Ut victor in Cœlum evolet.
Onustus hic victoriis
Ereptus imis sordibus
Jam splendet inter cœlites
Clarus corona gloriæ.
Summo Parenti gloria
Sit, & Parentis filio
Cum Spiritu Paraclyto
In sempiterna sæcula. Amen.

In primo Nocl. Antiph.

Hilares colimus festa Patroni: Par est lætas promere voces. Domnius alta scandit ad astra. Allel.

Psalm. unius Martyr.

Ecc. 45. ℣. *Induit eum Dominus stolam gloriæ. Allel.*
℟. *Et coronavit eum in vasis virtutis. Allel.*

Lect. de lib. Ecclesiastici. Laudemus viros &c.
Respons. ex Com. Mart. temp. Pasch.

In 2. Nocl. Antiph.

Celebris Præsul Domnius istas Roseo tinxit sanguine terras. Cura vigili vexerat ante. Allel.

Psalm. unius Mart.

Ecc. 47. ℣. *De omni corde suo laudavit Dominum. Allel.*
℟. *Et dilexit eum, qui fecit illum. Allel.*

Lectiones 2. Nocl. uti modo recitantur in die festo. Resp. de Com.

In 3. Nocl. Antiph.

Quantus fuerit Domnius, infer, quem formavit puerum sanctis monitis Petrus pluribus annis. All.

Ecc. 49. ℣. *Directus est divinitus in pœnitentiam gentis. All.*
℟. *Et tulit abominationem impietatis. Allel.*

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Cap. 10. *In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Euntes prædicate docentes, quia appropinquavit regnum cœlorum, & reliqua. Homilia S. Jo: Chrysostomi. Jam quæritur, quare Christus contraria præceperit, nam &c.*

Ad Laudes Antiph. & Cap. ut in 1. Vesp.

Hymnus.

Exaltent alii saxa minacia
Turrita, & Spalati mœnia nobilis,
Templum mirificum, magnificas domos,
Priscam gentis originem.
Tollant ast alii Cæsaris impii
Hostis Christiadum culta palatia,
Robur, divitias, marmora, & imperi
Fasces, stemmata, gloriam.
Nos splendore alio fulgere cernimus
Claram urbem Spalati, dum tenet insulam
Primæ Metropolis, gaudet & optimo
Patrono sibi Domnio.
Splendescit melius nomine Domnii,
Nec non sarcophago, quod Cineres sacros
Claudit, quam Scythicis plena lapillulis
Si passim jubar ederet.
Longe nobilior Præsule Domnio,
Quam cunctis Ducibus, tutior insuper;
Felix o Spalatum sub Duce Domnio
Hinc fulget tua gloria.
Supremo Domino Cœlitum Patri
Sit laus, qui celebri nos decorat viro.
Huic grates bilari pectore fundimus.
Huic sit laus sine termino. Amen.
℣. *Statuit ei Dominus testamentum æternum. All.*
℟. *Et dedit illi Sacerdotium gentis. Allel.*

Ad Ben. Antiph.

Quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia in transitu aquæ, & sicut thus redolens in diebus æstatis Beatus Domnius. Allel.

Ad Tertiam.

Capitulum, Laudemus &c.
℟. *Induit eum Dominus stola gloriæ. Allel.*
℣. *Et coronavit eum in vasis virtutis. Allel.*
℣. *De omni corde suo laudavit Dominum. Allel.*
℟. *Et dilexit Deum, qui fecit illum. Allel.*

Ad Sextam Capit.

Semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur, corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem. Ecc. 44.
℟. *De omni corde suo laudavit Dominum. Allel.* Ecc. 47.
℣. *Et dilexit Deum, qui fecit illum. Allel.*
℣. *Directus est divinitus in pœnitentiam gentis. All.*
℟. *Et tulit abominationem impietatis. Allel.* 49.

Ad Nonam Capit.

In tentatione inventus est fidelis, ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente sua crescere illum quasi terræ cumulum. Ecc. 44.
℟. *Directus est divinitus in pœnitentiam gentis. All.* Ecc. 49.
℣. *Et tulit abominationem impietatis. Allel.*
℣. *Statuit ei Dominus testamentum æternum. Allel.*
℟. *Et dedit illi Sacerdotium gentis, Allel.* 45.

In 2. Vesp. Antiph. & Capit. & Versic. ut in 1. Vesp.

Ad Magn. Antiph.

Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso, & sicut oliva pullulans, & Cipressus in altitudine se extollens Beatus Domnius. Allel. Ecc. 50.

§. VII.

Ratio Officii ecclesiastici hodierni pro ecclesia & Diœcesi Spalatensi, die VII. Maii. In festo S. Domnii Episcopi & Martyris. Dupl. 1. class. cum octava. Ex proprio libello SS. Patronorum ecclesiæ Metropolitanæ Spalatensis, Venetiis excuso an. 1690.

Ad Vesperas Antiphonæ.

Lætamini in Domino diem sacrum recolentes, in quo Beatus Domnius Pontifex & Martyr inclytus ad cœlos ascendit. Alleluja. Psal. Dixit Dominus &c.

O invictum virum, quem neque promissa Tyranni, neque minæ moverunt, ne confiteri vellet Christum Dominum. Allel. Psalm. Confitebor &c.

Pœnas constanter pertulit, & in Domino consolatus est, mortem contempsit, & vitam invenit. All. Psal. Beatus vir &c.

Gratias agamus Deo, qui nobis talem dedit Patronum; & merita nos juvant, & tuentur. Allel. Psal. Laudate pueri &c.

Laudetur Dominus, & honoretur Petrus Apostolus, qui per Domnium suum Discipulum, nos fecit Dei populum. Alleluja. Psal. Laudate Dominum omnes &c,

Capitulum Stabunt Justi.

Hymnus.

Eja sancte Discipule
Apostolorum Principis
Faveto nobis hodie
Laudes tuas canentibus.
Ab ipso missus Præside
Primus Salonas Pontifex
Et fide Christi reparas
Errore malo perditos.
Infirma quoque corpora
Verbo sanas, & mortuum
Matri ploranti filium
Ad vitæ lucem revocas.
Cum Pyrgo palam disputas,
Qui videbatur sapiens
Sibi, sed vere nescium
Religionis approbans,

Non

Non furens Maurilius
Prætor te minis terruit,
Spernis sæva supplicia,
Dum Christum cunctis prædicas.
Ille cervicem gladio
Secare quidem potuit,
Sed separare minime
Te nunc a tuo Domino.
Nunc coronatus gloria
Nos Præsul noster aspice,
Per te adepti gratiam
Ut vivamus perenniter. Amen.
℣. Ora pro nobis Beate Domni. Allel.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. Al.

Ad Magnificat. Antiphona.

Salve clara dies, qua nostræ Domnius urbis
Præsul ad æthereas se tandem sustulit arces,
Et vitio lætus percepit dona Tyranno,
Syderea semper radiantem luce coronam. Al.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, ecclesiæ tuæ votis propitius aspira, ut B. Domnii Pontificis, & Martyris tui precibus adjuvemur, cujus natalitium celebramus. Per Dominum &c.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Exultent in Domino Sancti. All.
Venite exultemus &c.

Hymnus.

Domni Beate Pontifex,
Martyrque Christi inclyte,
Adesto nobis protinus
Natalem tuum colentibus.
Hic sacer ille dies est,
Quo terras victor deseris,
Et cæli clara sydera
Mundum triumphans penetras.
Inde nostras ut audias
Preces, oramus supplices,
Et commendatos facias
Uni trinoque Domino.
Qui nos transferre satagat
De valle plena lacrymis
Ad Beatorum gaudia
Per infinita sæcula. Amen.

In tribus nocturnis Antiphonæ, Versiculi, Responsoria ex communi MM. tempore Paschali.

Lectiones primi Nocturni.

De libro Ecclesiastici cap. 44.
Laudemus viros gloriosos &c.

Lectiones secundi Nocturni.

Ex vita S. Domnii VI.

In tertio Nocturno.

Evangelium. Designavit Dominus &c. *Lectiones ex Homilia S. Gregorii Papæ 17. in Evangelia.*

Ad Laudes & per horas;
Antiphonæ, ut in primis Vesperis.

Capitulum
Stabunt justi, ut sup.

Hymnus.

Laudes innovamus Domnio
Oris, & cordis jubilo,
Cum puræ mentis gaudio
Grates agamus Domino.
Natalem sacrum colimus
Eius, quem nobis cælitus
Bonis ornatum omnibus
Pastorem datum credimus.
In fide firmus perstitit,
Nec prædicare destitit
Christum, qui mortem pertulit,
Et vitam nobis contulit.
Nil minas gentis perfidæ
Timens, subjecit cupide
Cervicem frameæ infidæ
Laudis amore solidæ.
Martyr profuso sanguine
Pro Christi Jesu nomine,
Multo repletus lumine,
Ascendit regnum gloriæ.
Relicto mundo labili
Sedet in sede stabili,
Et modo non effabili
Fulget luce mirabili.
Ante stellatum solium,
Et vultum Regis omnium,
Suscepit post martyrium
Perennis gaudii præmium.
Per hujus ergo merita
Deus, & gesta inclyta
Cum pietate solita
Dimitte nobis debita.
In multis te offendimus,
Sed parce confitentibus,
Et nos placatus precibus
Libera malis omnibus.
Faveto nostris Dominis
In pace, & bello Venetis,
Ut rebus sibi redditis
Te laudent totis animis.
Frange Turcarum rabiem
Tuorum tuens aciem,
Lætam ostende faciem,
Et nobis dona requiem.
Morbum pelle pestiferum;
Languoremque mortiferum,
Et repentinæ liberum
Mortis hunc redde populum.
Repressa semper grandine,
Riga secundo flumine,
Et reple frugum germine
Nostros agellos, Domine.
Post hæc purgatos sordibus
Nos redde cæli sedibus,
Ut cum beatis omnibus
Te extollamus laudibus.
Sit tibi semper gloria;
Qui surgens cum victoria
Sedes in Patris dextera
Per sempiterna sæcula. Amen.
℣. Ora pro nobis &c.

Ad Benedictus. Antiphona.

Pontificum norma, splendor, pretiosaque gemma,
Serta venustatis retinens cum martyrizatis,
Scandere celsorum da nobis regna polorum,
Qui barathri claustris puerum precibus revocasti. Al.

In secundis Vesperis omnia, ut in primis: ultimus Psal. Credidi &c.

Ad Magnificat. Antiphona.

Magnificate Deum, Petro quoque solvite grates,
Namque ducem nobis misit, qui nocte fugata
Erroris, circumfudit nos lumine veri,
Ne quis posset iter stabilis non nosse salutis. Allel.

Infra octavam.

Ad Magnificat. Antiphona.

O quam Sancta dies, o quam festiva refulget
Viribus o totis, castis celebrandaque votis,
Qua bonitate bonus noster meat astra Patronus
Domnius ad vitæ gaudia perpetuæ. Allel.

Pro die octava. Oratio.

Deus, qui nos Sancti Domnii Martyris atque Pontificis natalis concedis diem celebrare octavum, præsta quæsumus, ut cujus recolimus festa, per ejus gradiamur exempla. Per Dominum &c.

Digitized by Google

Missa propria pro festo S. Domnii Episcopi & Martyris.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore B. Domnii Martyris, de cujus passione gaudent Angeli, & collaudant filium Dei Allel. Alleluja. Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. Gloria &c.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus ecclesiæ tuæ votis propitius aspira, ut Beati Domnii Pontificis, & Martyris tui precibus adjuvemur, cujus natalitia celebramus. Per Dominum &c.

Epist.

Stabunt justi &c.

Graduale.

Beatus Domnius Petri Apostoli discipulus ab ipso Salonas missus, primus nobis Christum evangelizavit, & viam salutis ostendit. Hodie B. Domnius migravit ad Dominum, dupliciaque ab ipso accepit, & Pontificalis dignitatis cœlestem stolam, & immarcescibilem coronam glorioſi martyrii. All. All. Ave Beate Domni unica spes gentis tuæ. Ave Pontifex, & Apostole credulitatis nostræ. Ave speculum sanctitatis, & justitiæ. Per te Christo credidimus. Per te in Christo salvemur. Ora pro populo, interveni pro Clero, ut nullus de tuis præda fiat hostis. Allel. Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso. Alleluja.

Evangelium.

Designavit Dominus &c. Credo.

Offertorium.

Ave Beate Domni unica spes Spalati. Ave gemma fidei nostræ. Ave lumen Dalmatiæ. Ora pro nobis Christum omni tempore. Allel.

Secreta.

Hostias tibi, quæsumus Domine, B. Domnii Pontificis & Martyris tui dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue proficere subsidium. Per Dominum &c.

Communio.

Te summe Præsul poscimus, corde, ore & vocibus, ut nos venturo Judici commendes prece supplici. Alleluja.

Postcom.

B. Domnii Pontificis & Martyris tui, Domine, precibus confidentes, præsta quæsumus, ut per ea, quæ sumpsimus, æterna remedia sentiamus. Per Dominum nostrum &c.

In die octava Missa sicut in die festo, præter orationes; quæ sequuntur.

Deus, qui nos S. Domnii Martyris atque Pontificis natalis concedis diem celebrare octavum: præsta quæsumus, ut cujus recolimus festa, per ejus gradiamur exempla. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Suscipe Domine sacrificium placationis & laudis, quod nos interventionibus S. Domnii Martyris meritis, cujus recolimus festa, & perducat ad veniam, & ad perpetuam gratiarum actionem conformat. Per Dominum &c.

Postcom.

S. Domnii Martyris tui, atque Pontificis natalitia recolentes, te supplices deprecamur, ut ejusdem precibus, hoc idem nobis semper indulgentiæ causa sit & salutis. Per Dominum.

Die XXIX. Julii.

In festo translationis S. Domnii Ep. et Martyr. Duplex.

Omnia ut Com. unius Martyr. extra tempus Paschale, exceptis iis, quæ hic habentur propria.

Ad Vesper. Antiph.

Qui me confessus fuerit &c. Dixit &c. cum reliquis Psalmis de Dominica, & loco ultimi, Psal. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitul. Beatus Vir &c.

Hymnus.

Dies refulget annua
Nobis reducens gaudia
Translationis Domnii
Pignore sacro celebris.
Odas fundat mellifluas,
Laudes expromat debitas
Cœtus noster pro munere,
Ejus suscepto corpore.
Miraculis innumeris
Suis præclaris meritis
Diem signavit nobilem,
Quæ colitur solemniter.
Infantum turmam fatiat,
Dum tua membra bajulant,
Aqua sicco de lapide
Quæ mire manat hodie.
Non sunt reperta corpora
Morbis oppressa gravibus,
Quæ remanerent cælica
Privata dono gratiæ.
Imbrem effunde desuper
Divinum Martyr inclyte,
Tui favore meriti
Quo fatientur famuli.
Custodi tuos Servulos
Canentes tibi modulos,
Eisque Pater gloriam
Efflagita perpetuam.
Urbem, & plebem Spalati
Aspectu perenni recrea,
Cui tua membra conferunt
Et decus, & præsidium.
Sit Genitori, Genito
Laus & jubilatio
Cum spiritu Paraclyto
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. *Ora pro nobis B. Domni,*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Antiph. ad Magnificat: O quam sancta dies &c. ut in ejus festo natali.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in hac translatione anniversaria B. Domnium Apostolicum virum innumeris virtutibus decoratum, pium Pontificem, & magnum Patronum populo tuo ordinari voluisti; concede propitius, ut apud misericordiam paternæ pietatis tuæ, meritis ejus & intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum &c.

Ad Matut. Invit. Hym. Antiph. Psal. de Com. un. Mart. Lect. 1. Noct. Ex lib. Sap. Laudemus Viros glorioſos *&c. ut in die festo Natali. Lect. 4. Ex hist. Translationis, 5. & 6. Ex Serm. S. Augustini:* Triumphalis *&c. In 3. Noct. Homilia S. Gregorii in Evang.* Si quis venit ad me.

Ad Laud. Antiph. Qui me confessus fuerit *&c. ut in Com. un. Martyr.*

Ad Benedictus Antiph. Pontificum norma, *&c. ut in die festo Natali.*

In 2. Vesp. Hym. Dies refulget *&c. ut supra. Versic. Ora pro nobis &c. Antiphona ad Magnif.* O quam sancta dies, *ut supra &c. in 1. Vesp.*

Missa ut in Com. un. Martyr. & Pontificis Statuit *exceptis orationibus, quæ sequuntur.*

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in hac Translatione anniversaria &c. ut supra.

Digitized by Google

Secreta.

His, quæsumus Domine, muneribus intende placatus, & tribue supplicatione glorioſi Pontificis, & Martyris tui Domnii, nos a peccatis omnibus abſolvi, & cœleſti gratia ditari. Per Dominum noſtrum &c.

Poſticom.

Refecti vitalibus alimoniis, quæſumus Domine Deus noſter, ut intercedente B. Domnio Pontifice & Martyre tuo, quod ore ſumpſimus, pura mente capiamus: Per Dominum noſtrum &c.

Alter Hymnus

De Translatione SS. Anaſtaſii & Domnii,

Sacra ſcrutantur pignora,
Pia Sanctorum corpora
Domnii, & Anaſtaſii
Juſſu devoti populi.
At Præſul venerabilis
Joannes Deo amabilis
Confortat cives nobiles,
Ac laudat & ignobiles,
Inter ruinas vepribus
Condenſus atque frondibus
Urbis Salonæ fodere,
Nutu divinæ gratiæ.
Muneris tanti præmium
Repertum Anaſtaſium
Primo transferunt Spalatum,
Deinde Patrem Domnium.
Ubi multa miracula,
Virtutes, & prodigia
Eorum fiunt meritis
Ad ſalutem Chriſticolis.
Lætetur urbs egregia,
Devota ſumat gaudia,
Theſauro tam perfulgido
Suſcepto cum tripudio.
Catervam Chriſti Martyres
Noſtras ad ſedes ſtabiles,
Ferte frui cœleſtibus,
Veſtris Orationibus.
Deo Patri ſit gloria,
Laus quoque ſit perpetua
Filio Unigenito
Cum Spiritu Paraclito. Amen.

CAPUT XVIII.

De templo & cultu S. Domnii in inſulis Diomedæis.

§. I.

Cultus S. Domnii per B. Joannem e Fulgineo Monachum ac Martyrem in Diomedeas inſulas allatus eſſe videtur.

Joannes a Fulgineo in Diomedeas inſulas ſe recepit.

B. Joannes natus eſt Fulginei anno ſecundi ſæculi circiter vigeſimo, loco honeſto, & oppido Umbriæ in primis nobili, unde illi a Fulgineo cognomen obvenit. Is anno quarto & ſexageſimo ejuſdem ſæculi cum eccleſia ſub Marco Aurelio crudelem in modum exagitari rurſus cœpiſſet, patria profugus ſe recepit in haſce inſulas, ab littore Apuliæ haud ita late interjecto mari disjunctas, quas olim Veteres appellabant Diomedæas, quod illuc Diomedes Rex Ætoliæ poſt Trojam excidiſam appulerit, ibique, poſtquam aliquot annos regnaſſet, ut ferunt, diem ſuum obierit. Deinde vero cum tres numero eſſent, modico interfluente Euripo diſcretæ, ex eo *Trimitum*, ſeu *Trimitarum* inſulæ nominari cœperunt; quamquam verius eas *Illyricum Sacrum*, hoc vocabulo appellatas dixeris ab una earum principe, quam Tacitus Annal. lib. 4. *Trimerum* vocat. Tenet fama, litteriſque multorum eſt memoriæ traditum, hunc Joannem a Fulgineo fuiſſe illium ipſum Eremicolam, de quo in tabulis Trimitanis mentio ſit ſane honorifica. Hujc ergo, ut illæ tabulæ memorant, nocte quadam vigilanti auguſtiſſima ſpecie, ac beatiſſimo lumine fulgens Virgo Deipara ieſe palam oſtendit, eumdemque juſſit in haſce inſulas trajicere, ubi ſolitariam vitam ageret, Deique parentis nomen ac religionem propagaret. Quo illi viſo, juſſuque mirifice lætus nihil moræ interpoſuit, quin extemplo Virginis mandata exſequeretur. Ergo ſimulatque in locum ſibi divinitus oſtenſum pervenit, nihil prius ſibi faciendum cenſuit, quam ut templum exſtrueret, quod Deiparæ in cœlum aſſumptæ titulo exornavit. Templum ibidem Deiparæ condit. Hoc templum deinde ſæculo quarto jam inito Alexander quidam Epiſcopus veteri ſolemnique ritu conſecravit, cum S. Sylveſter Romanum Pontificatum gereret, imperium vero Conſtantinus Magnus adminiſtraret. Joannes autem aſperrimæ vitæ inſtitutum aggreſſus brevi apud incolas magnam virtutis & ſanctimoniæ laudem ſibi conciliavit. Quocirca celebritatem hominum, famamque ſanctitatis ut vitaret, in patriam redeundi conſilium cepit; quo cum veniſſet, egregiam religionis cauſa mortem oppetiit. Ex Antonio Beatillo de Sanctis Umbriæ Tom. 1. pag. 63. & Tomo 3. pag. 239. ſub die 29. Decembris. Redit in patriam, & Martyrii palmam adipiſcitur.

Jam vero haud eſt improbabile B. Joannem a Fulgineo virum eximia religione & ſanctitate primum auctorem Trimitanis fuiſſe, ut S. Domnium præcipuo quodam ſtudio ac veneratione proſequerentur. Etenim cum antiquiſſimus ſit cultus, qui ab illarum inſularum incolis S. Domnio hodieque adhibetur, & omnem ſuperiorum temporum memoriam antecedat; niſi ejus initium ad B. Joannem referatur, nihil uſquam reperies, unde ejuſdem originem repetere poſſis. Quocirca conjectari licet ab ipſomet Joanne una cum Deiparæ templo ædiculam exſtructam fuiſſe S. Domnio, quem & ipſe ingenti honore coleret, & ab aliis pari religione cultum eſſe vellet. Joannis inde auctoritas & exemplum apud poſteros valuit. Credibile porro eſt ipſimet Joanni Salonitanos auctores fuiſſe colendi S. Domnii, quippe cum ad eas inſulas e regione obverſas littori urbique Salonitanæ, ſive commercii cauſa, ſive ex itinere appellere conſueverint. Præterea a quibus de ſanctitate & miraculis S. Domnii multa & præclara accepiſſet, ab iiſdem, ut opinari fas eſt, exemplum ſumpſit ejuſdem cultus cum Deiparæ Virginis religione conjungendi. Nam Salonitani jampridem corpus S. Domnii in urbem illatum in eodem templo perhonorifice condiderunt, quod & auſpiciis auguſtiſſimæ Cœlitum Reginæ ab ipſomet S. Domnio conſecratum fuerat. Huc accedit, quod per idem tempus S. Domnii ſepulchrum, ut ejus Acta teſtantur, multorum atque illuſtrium miraculorum gloria florebat, quorum celebritas & fama longe lateque vulgata, in has inſulas ab ipſis Salonitanis ultro citroque commeantibus deferri potuit. Joannes auctor cultus S. Domnii in Diomedeis inſulis, cui etiam conſtruxit ædiculam.

§. II.

Inſulæ Diomedeæ antiqua S. Domnii religione inſignes a viris ſanctiſſimis cultæ & nobilitatæ.

Diomedæis inſulis vel ad religionis incrementum, vel ad nominis celebritatem plurimum addidit vetus ac perilluſtre cœnobium S. Benedicti, Cœnobium S. Benedicti.

Digitized by Google

virorum ſanctitate inſignium admodum ferax, qui cum omnibus ipſi virtutibus florerent, & ad ſanctiſſimi illius inſtituti leges ſe ipſi ſuamque vitam componerent, tum præterea procurandis incolarum animis, iiſdemque ad mores Chriſtiano homine dignos informandis aſſiduam ſedulamque operam navabant. Inter omnes in omni genere virtutum unus eminuit Petrus ille patria & cognomento Raguſinus, qui ſub finem decimi ſæculi, Baſilio & Conſtantino imperantibus, vitam illic vivebat omnibus ſanctimoniæ notis inſignem. Cœnobiarcha, ſive Abbas per id temporis erat quidam nomine Roccius, vir egregie pius doctuſque, in cujus diſciplinam Petrus ſeſe tradiderat. Porro cum de Petri virtute ac ſanctitate inſigni fama Raguſium uſque inde manaſſet, Vitalem Raguſinum Epiſcopum, & primarios illius civitatis viros mira cupiditas inceſſit ſanctiſſimi hujus Monachi in patriam evocandi, ut quæ divinitus acceperat bona cum ſuis civibus communicaret, populareſque ſuos & verbo & exemplo ad ſtudium virtutis ac religionis accenderet. Ille quamquam ab initio acriter repugnaret, moleſteque ferret ab jucundiſſima Sociorum conſuetudine, ac ſolitaria vita divelli, tamen ſive Epiſcopi auctoritate permotus, ſive Abbatis juſſu coactus, civium ſuorum voluntati morem geſſit. Raguſii cum eſſet, atque in proximorum ſalutem, ac divini cultus amplificationem omni cogitatione curaque incumberet, prope ab urbe in inſula Croma Monachis Benedictinis fundavit cœnobium illud, celebre olim ac frequens, cui *S. Maria de Croma* nomen inditum eſt, ex quo præclariſſimi vel ſanctitate vel doctrina viri prodierunt. Ex inſtrumento ejus fundationis in pergameno, quod extat in archivo Reip. Raguſinæ; & ex tabulario Monaſterii Cromenſis; itemque ex Colleſtanei Hiſtorici Dalmatæ apud Comitem Hieronymum de Soppe Patritium Jadertinum.

ex quo Viri ſanctitate inſignes.

Petrus Eremita in inſulis Trimitanis,

Sæculo decimo quinto ineunte in inſulam S. Domnii ſeceſſit alter Petrus eximiæ item ſanctitatis eremita; cognomen non proditur. Aſperrimam illic vivendi rationem iniit, perpetuis jejuniis, creberiſque verberationibus corpus afflictans; ac proinde apud illas gentes magna virtutis & ſanctitatis opinione florebat. Per ea tempora inſulas Diomedæas jure ac titulo Commendatitio obtinebat B. Joannes de Dominicis vir haud dignitate, quam ſanctitate nobilior, Archiepiſcopus Raguſinus, idemque S. R. E. Cardinalis, cui ab S. Sixto titulus erat. Is cum optimi hujus Eremitæ innocentia ac virtute mirifice captus eſſet, eumque præcipua benevolentia ac veneratione proſequeretur, quidquid juris in eas inſulas habebat, id omne, abdicato Commendatarii titulo, in Petrum transtulit cum univerſis prædiis ædibuſque ad Commendam pertinentibus, eo videlicet conſilio, ut ille ſocios ſibi aſciſceret, atque ad ſuum inſtitutum aggregaret. Sed Petrus, quam ejus humilitas & modeſtia erat ſingularis, ſubeſſe aliis, quam præeſſe maluit, tutius eſſe ratus aliorum veſtigia ſequi, quam in ipſum aliis ducem præbere. Itaque ad ſacrorum illorum locorum cuſtodiam & procurationem Canonicos Lateranenſes accivit, quibus ad victum cultumque tribuit, quidquid agrorum ac vectigalium ab Joanne ſibi collatum acceperat. Anno deinde 1412. ipſe quoque in eorum præclaram ſodalitatem ac diſciplinam nomen dedit; in qua ita vixit, ut omnibus ſeipſum virtutum omnium exemplar præbuerit. Ex Chronico Trimitano, quod conſcripſit Benedictus Cocarella Vercellenſis ex Congregatione Canonicorum Regular. Lateran. lib. 4. cap. 4.

ſibi tradit per inſulas ab Joan. de Dominicis Abbate Commend.

donatis Canonicis Lateranenſibus,

§. III.

Pœna graviſſima Piratis Almiſſanis divinitus inflicta, ob templum ac cœnobium S. Mariæ, Sanctique Domnii in Diomedæis inſulis direptum.

CUm Patres Benedictini ex Diomedæis inſulis diſceſſiſſent, in eorum locum acciti ſunt Monachi Ciſtercienſes ex præclara D. Bernardi diſciplina, qui relictum ab illis cœnobium incolerent, ſacratum ædium procurationem ſuſciperent, & incolarum animis erudiendis expiandiſque operam darent. Hi munus curamque ſuſceptam non ante depoſuere, quam ſacrilega quorumdam ac fere ad eam diem inaudita crudelitas cœnobio ſacriſque locis direptionem ac vaſtitatem, vim nefariam Monachis cædemque intuliſſent. Quidam ex Almiſſanis Dalmatiæ Piratis, inſana prædandi cupidine ſtimulante ad inſulas Diomedæas appulerunt; & Monachos nihil tale metuentes adorti, omnes ad unum contrucidarunt. Inde ad prædam verſi templum ac cœnobium expilarunt, & rebus omnibus ad victum cultumque Monachorum neceſſariis exhauſtis direptiſque omnem in poſterum illuc redeundi facultatem ac ſpem Patribus Ciſtercienſibus ademerunt. Ita quos S. Domnii nomen ac religio vel a cogitatione facinoris tam nefarii abſterrere debuerat, ii adverſus S. Domnium ſuæ eccleſiæ conditorem, gentiſque patronum primarium ſe impios ac ſacrilegos præbuerunt. Magno tamen ſua illis impietas ſtetit; Deus quippe immanis ſacrilegii acerrimus vindex illatam S. Domnio, cæteriſque Divis, in quorum tutela ea loca erant, injuriam haud impunitam prætermiſit. Nam primum quidem agros, quos Almiſſani colebant, antea optimos & fertiles tanta repente ſterilitas ac vaſtitas invaſit, ut nihil ſerrent quamvis multa cultura, & labore quæſitum. Deinde Romanus Pontifex ſacrilegi facinoris auctores ac ſocios anathemate perculit, atque ab eccleſiæ ſocietate disjunxit, quibus id quoque longe graviſſimum ad pœnam, Deo vindice, acceſſit, ut ſuomet ſcelere obcæcati, obduratique in perpetuum, numquam ad reſipiſcendum oculos aperuerint, animumque ſalutari pœnitentia expiaverint. Ita ſacrificiis ac templis, piorumque congreſſu prohibiti, ſuperis hominibuſque inviſi, alii alio lethi genere miſerandum in modum periere. Neque ſatis pœnarum per ſe ipſi dederunt; nam divinæ ultionis plane fuit, ut parentum immane ſacrilegium in eorum liberis vindicaretur, quorum aliis videndi, aliis loquendi, aliis audiendi facultas ademta; plerique incurvi ac gibboſi, omnes ab irato Deo inſigni aliqua deformitatis nota inuſti, poſteris fuerunt haud leve divinæ providentiæ erga res B. Domnio cæteriſque Divis conſecratas documentum. Cæterum ne ſacrorum locorum religio, & B. Domnii cultus in illis inſulis hominum incuria & oblivione exſoleſceret, Divino conſilio factum eſt, ut Diomedea inſulæ in poſſeſſatem juſque commendatitium B. Joannis Cardinalis & Epiſcopi Raguſini venirent, qui ea Petro ſanctiſſimo Anachoretæ, is Canonicis Lateranenſibus in fidem ac tutelam tradidit. Ex eo iterum efflorescere cepit, vigueruntque in poſterum B. Domnii cultus, & ſanctorum illorum locorum celeritas ac religio. Ex eodem Chronico Trimitano.

Monachi Ciſtercienſes Benedictinis in cœnobium poſſeſſionemque earum inſularum ſubrogati.

A Piratis Almiſſanis Monachi cæſi,

cœnobium ac templum direptum.

Pœnæ acerbiſſimæ Sacrilegis homicidis & expilatoribus,

eorumque liberis divinitus inflictæ.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Turcarum incurſiones ab inſulis Diomedeis Deiparæ Virginis & S. Domnii præſidio divinitus arcentur.

Turcæ Diomedeas inſulas expilare conantes,

terrore divinitus immiſſo,

repulſi re infecta diſcedunt.

DIomedeæ inſulæ Virgin. Deip. S. Domnii aliorumque Divorum nomine ac religione ſacræ quam ſibi cordi eſſent, haud dubiis argumentis Deus oſtendit. Solimanus Turcarum Imperator anno 1565. ab obſidione Melitenſis urbis pari cæde atque ignominia repulſus, bellici illius apparatus terrorem atq; impetum alio convertere decreverat. Anno igitur inſequenti, illius juſſu miſſuque, ingens Turcarum claſſis, centum & quinquaginta triremibus inſtructa in Adriaticum vela fecit; & prædæ non contemnendæ ſpe invitante ad haſce inſulas appulit; jamque deſcenſione facta ad cœnobium ſacraſque ædes diripiendas inflammatis ſtudiis contendebant. Sed nihilo felicius tantum facinus tentarunt, quam Melitam anno ſuperiore obſederant. Nam deſertas immortalibus propugnatoribus inſulas, a cœleſtibus defendi propugnarique ſenſerunt. Quippe tantus illis terror injectus eſt divinitus, ut e veſtigio attoniti trepidique repeterent claſſem, haud dubitantes, quin dilectæ illæ Cœlitibus inſulæ cœleſti præſidio tegerentur. Nemo igitur fuit, quin tam ſubitam Turcarum fugam & depulſionem beatiſſimæ Virgini in primis, deinde B. Domnio, aliiſque divis, quorum fidei ac patrocinio ſubſunt inſulæ Diomedeæ, acceptam retulerit. Totam rem fuſe, & eleganter deſcripſit idem Benedictus Cocarella lib. 11. Chron. Trimit.

§. V.

Deſcriptio inſulæ Diomedeæ, cui nomen eſt a S. Domnio.

Tres inſulæ Diomedeæ.

Deſcriptio inſulæ S. Domnii.

UBi nunc tres viſuntur inſulæ brevi admodum ſpatio diſcretæ, ibidem unam olim & eamdem inſulam fuiſſe tradunt, quam deinde Euripus interfluens disjunxit, ac tripartito diviſit. Prima inſula Deiparæ Virgini & S. Nicolao, altera S. Jacobo Apoſtolo, & S. Domnio Salonitano Epiſcopo ſacra eſt. Ab iis, in quorum tutela ſunt, ſuum quæque nomen accepit. Tertia omnino inculta ac deſerta, a capparibus, quarum feraciſſima eſt, Capparia ſive Capraria nominatur. Inſula S. Domnii obverſa eſt ad Solis Occaſum, huic ab Oriente Capraria, a Meridie inſula S. Mariæ adjacet; Spalatum e regione proſpectat, ubi Sancti Domnii corpus conditum eſt. Inibi ædes SS. Jacobo & Domnio dicata, magnitudinis fere mediocris, neque inelegantis ſtructuræ viſitur. Hæc inſula colitur & habitatur frequentiſſime, rerumque omnium, quas natura deſiderat, abundantiam & copiam ſuppeditat. Hanc inſulam pluribus deſcribere non vacat. Eam Latine deſcripſit Benedictus Cocarella ſupra laudatus, cujus Chronicon in ſermonem Italicum convertit Petrus de Ribera ex eadem Lateranenſi Cong. Canonicus Regularis.

Illyricum Sacrum,

SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

	An. Chr.	Æt. Vulg.
DOmnius nobili genere natus eſt Antiochiæ, Theodoſio patre, Mygdonia matre, illuſtribus in primis inter ſuos & copioſis.	30	27
Annum ſeptimum ætatis cum ageret, Chriſtianæ religioni una cum parentibus nomen dedit, a B. Petro Apoſtolorum principe ſacris myſteriis initiatus, qui hoc anno, VIII. Kal. Martias eccleſiam & ſedem Antiochenam fundavit.	37	34
Parentibus & rebus humanis nuncio remiſſo, cum jampridem egregiis Petri monitis ac præceptis ad omnem Chriſtianæ virtutis perfectionem inſtrui cœpiſſet, totum denique ſe in ejus diſciplinam, vitæque apoſtolicæ ſocietatem tradidit.	38	35
Petrus Herodianis vinculis divinitus exemptus Domnium una cum cæteris diſcipulis Romam ſecum adduxit. Ex itinere Cæſaream adiit, Sebaſtem, Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Epheſum, Pathmum, Athenas evangelica prædicatione petragravit.	45	42
Petrus Romanæ & Occidentalis eccleſiæ fundamenta jecit; ibique XIV. Kalendas Februar. Chriſti Vicario æternam poſuit ſedem.	46	43
C. Criſpino ſecundum, & T. Statilio Tauro Coſſ. Petrus diſcipulos ſuos quaquaverſum dimittere cœpit ad conſtituendas Italiæ atque Occidentis eccleſias; Domnium vero apud ſe retinuit.	47	44
Edicto Claudii Imperatoris Judæis pariter atque Chriſtianis Roma depulſis, Domnius ſecutus eſt Petrum in Palæſtinam revertentem, & interfuit concilio Hieroſolymitano coacto ad dirimendam controverſiam de neceſſitate Circumciſionis ſubortam.	52	49
Edictum, ut ne quis in urbe ſive Judæus, ſive Chriſtianus maneret, Claudii morte abrogatum cum eſſet, Petrus anno proximo cum Domnio Romam rediit Nerone jam imperante. Uno alterove poſt anno Roma digreſſus laborum atque itinerum apoſtolicorum habuit Domnium adjutorem ac ſocium.	57	54
Titus e Dalmatia diſceſſit, Romam adiit, ut Paullum in vinculis Romam abductum ibidem præſtolaretur; nec multis poſt Pauli adventum diebus in Dalmatiam rediit.	59	56
Titus eccleſiæ Dalmaticæ procuratione Hermi relicta, Pauli accerſitu juſſuque iterum Romam venit; ab eoque Cretenſi eccleſiæ præpoſitus fuit.	61	58
Nero urbis ab ſe incenſæ culpam pœnamque in Chriſtianos tranſtulit, quos Romæ infectatus eſt primus, ut Chriſtianorum cauſam ſatis probaret infectatoris improbitas.	67	64
Fervet in Chriſtianos perſecutio, quæ quidem non unius urbis mœnibus ſe continuit, ſed per omnes fere orbis Romani provincias pervagata, egregios ubique & eccleſiæ propugnatores, & Chriſto martyres dedit.		
Petrus cum Domnio Romam tertio venit, ut Chriſtianis Neroniana crudelitate afflictis & oppreſſis ſolatio eſſet ac præſidio.		

Digitized by Google

An. Chr.	Ær. vulg.		An. Chr.	Ær. vulg.
		Neronis jussu in carcerem conjicitur cum Paullo, qui eamdem ob causam in urbem advenerat.		
68	65	Cum Hermes, qui rem Christianam in Dalmatia curabat, Romam veniſſet, Petrus e carcere Domnium in eam provinciam jussit proficiſci, eumdemque Salonitanum Episcopum creavit; nisi placeat Domnii missionem Dalmaticam ad superiorem annum revocare. Eodem anno III. Kal. Jul. Petrus inversis vestigiis cruci suffixus, Paullus gladio obtruncatus, Romanam fidem atque ecclesiam sanguine suo sanciverunt. Domnius in Dalmatiam cum appuliſſet, sedem Pontificiam jure ac titulo Metropolitico ornatam Salonæ affixit.		
71	68	Post Neronianam persecutionem Imperatoris interitu restinctam, Domnius libere ac palam Christum Salonitanis annunciat, & complures eorum ab impura Idolorum superstitione ad Christianam religionem conversos baptismo expiavit, & sacro chrismate inunxit. Cum Pyrgo Philosopho disputat.		
72	69	Christianorum numerus Salonæ mirum in modum augetur.		
73	70	Templum Salonæ ædificari cœpit.		
75	72	Conditum jam absolutumque Salonitanum templum Deo Optimo Maximo in honorem Deiparæ Virginis Domnius solemni ritu consecravit. Tum ad constituendam Hierarchiam ecclesiasticam animum adjecit, & multos, quos antea Christianos fecerat, alios minoribus, alios majoribus ordinibus initiatos in Clerum cooptavit. Hi sive ad Neophytos instituendos, sive ad Ethnicos convertendos assiduam egregiamque operam Domnio navarunt.		
81	78	Cum res Christiana Salonæ auctior in dies fieret, Clemens Orientis provincias Evangelii causa peragraturus Dalmatiam ex itinere adiit. Ab eo Domnius duos ex illius comitatu Episcopos impetravit, quorum præsentia ac ministerio ad Cajanum, seu Symphorianum rite consecrandos, & Episcopali charactere insigniendos uteretur: nisi Clementis adventum & consecrationem Episcopalem Cajani, & Symphoriani, conferre libeat in annum Christi 69. æræ vulgaris 66.		
		Domnius e suo Clero Presbyteris, & verbi divini præconibus quaquaversum dimissis, intra paucos annos totam fere Dalmatiam ad Christum adjunxit.		
95 vel 96	92 vel 93	Domitianus Imperator secundam persecutionem Christianis indixit, quæ cum ecclesiæ universæ ingentem intulit calamitatem, tum in Dalmatia prosperum ad eam diem Evangelii cursum retardavit, & incolarum ad Christiana sacra suscipienda alacritatem repressit.		
101 vel 99	98 vel 96	Domitiano extincto, ejusque actis Nervæ Imperatoris & Senatus auctoritate rescissis, religio Christiana in Dalmatia reflorescere, & latius quotidie propagari cepit.		
103 vel 101	100 vel 98	Trajanus Imperium adeptus clandestinos conventus fieri vetuit; hinc crimen & periculum Christianis conflatum, qui ad divina mysteria celebranda clanculum convenire solebant.		
107 vel 105	104 vel 103	E Trajani ad Plinium Bithyniæ Proconsulem rescripto, quo Christianos inquiri vetuit, oblatos puniri jussit, aliquid pacis ecclesiæ per triennium fuit.		
		Trajano longe gentium absente, atque in extremis partibus Orientis diuturnis gravissimisque bellis implicito, Senatus Romanus Dalmatiæ aliarumque Orientalium provinciarum Præfecturam extraordinariam Maurelio sive M. Aurelio decrevit. Per Idem tempus persecutio in Christianos ubique, ac præsertim in Illyrios vehementius exarsit. Domnius religionis causa ad Maurelium delatus, cum nullis neque pollicitationibus, neque minis, neque verberibus ab sententia dimoveri posset, egregiam pro Christo mortem oppetiit Nonis Maji, sepultusque est a Christianis extra urbem ad radices Montis Massari, quo itidem quinque & quadraginta martyres translati, conditique fuerant, qui uno fere ante Domnium mense, ejusdem Maurelii jussu, extremum, ob tuendam Christi fidem, supplicium subierunt.	110	107
		Post Trajanum extinctum adeptus est Romanum Imperium Hadrianus, qui nihilo mitius Christianos exagitavit.		Anni Christi ad normam æræ vulgaris.
		Hadriani Rescripto ad Minucium Fundanum Asiæ Proconsulem, Christianorum vitæ & fortunis cautum cum esset, tertia persecutio deferbuit.	117 vel 119	
		Cessante Persecutione corpus S. Domnii ex agro in urbem translatum, & in æde sanctissimæ Dei genitricis pie honorificeque depositum est, quod Deus multis illustribusque adornavit miraculis.	126 vel 128	
		Per ea tempora cultus ac religio S. Domnii apud insulas Diomedeas florescere cœpit, auctore, ut videtur, B. Joanne martyre, cui a Fulgineo, unde oriundus erat, cognomen fuit.	139	
		Templum Salonitanum ex edicto Diocletiani incensum ac dirutum. Corpus S. Domnii flammis subductum, atque in insulam Phariam vel Alexiam a Christianis translatum.	179	
		Post ecclesiæ pacem amplissimis Constantini Magni decretis ubique constitutam, templum S. Mariæ olim a S. Domnio conditum, paullo ante jussu Diocletiani eversum Salonitani magnificentius restituunt.	303	
		Salonitani Basilicam SS. Martyribus Domnio & Anastasio, Cosmæ & Damiano jamdudum ædificari cœptam absolvunt una cum ædibus Episcopalibus & collegio Clericorum, eoque ædis Cathedralis, seu Metropolitanæ titulum templo Mariano ademptum pariter cum sede Pontificia transferunt. Sub idem tempus corpus S. Domnii ex insula Pharia revectum est Salonas, & cum S. Anastasio martyre conditum in sacello prope Basilicam ædemque Cathedralem extructo.	324	
		Salonæ ab Avaribus captæ incensæque excidium. Martinus Abbas jussu Joannis Papæ IV. in Dalmatiam profectus Dalmatas captivos ex Barbarorum servitute redemit, & multa Sanctorum martyrum corpora ex Dalmatia Istriaque Romam advexit, intacto immotoque corpore S. Domnii.	389	
		Joannes patria & cognomento Ravennas, Spalato nova urbe condita, primus Spalatensium Archiepiscopus creatur.	640	
		Joannes Archiep. ædes Pontificias condit.	650	
			656	

Digitized by Google

An. Ch. ad annum usu vulg.

dit. Templum Jovis in antiquo palatio Diocletiani exstructum Deo optimo maximo in honorem Sanctissimæ Dei genitricis in cœlum assumptæ solemni ritu ac cæremonia consecrat, in eoque sedem Pontificiam constituit.

660 Corpora SS. Domnii & Anastasii e ruderibus Salonitanis effossa ingenti civium frequentia ac lætitia transferuntur in novam ædem Cathedralem Spalatensem.

1070 Ædes Salonitana S. Mariæ primum a S. Domnio condita, deinde a Salonitanis post Diocletiani persecutionem restituta, demum iterum post Salonæ eversionem ab Helena Regina restaurata, & Monachis Benedictinis tradita, rediit in potestatem Archiepiscopi Spalatensis ex diplomate Demetrii Chrobatiæ Regis.

1103 Crescentius Archiepiscopus Spalatensis arca recluſa, recognitoque S. Domnii corpore, omnem, quæ de illo ablato percrebuerat, dubitationem sustulit.

1427 Altare S. Domnii a Petro Discovitio Spalatensi Archiepiscopo inchoatum absolvit Franciscus Maripetrus Archiepiscopus itidem Spalatensis.

APPENDIX.

De quibusdam eximiis, planeque admirandis beneficiis per S. Domnium Pontificem ac martyrem Salonitanum, & Patronum primarium urbis Spalatensis in multos mortales divinitus collatis.

DEus optimus maximus, cui honos cultusque Sanctorum suorum vel maxime cordi est, ut animos hominum ad colendum impensius implorandumque S. Domnium alliceret, proximis superioribus annis haud pauca, ejus nomine ac præsidio pie fidenterque invocato, & singularia & sane miranda beneficia mortalium generi præstitit, quæ si minus dici possunt miracula, certe a miraculis proxime absunt: & majus quiddam videntur esse, quam ut ad vim & efficientiam causarum naturalium referri queant. Multi siquidem morbis difficillimis & mortiferis affecti, quorum de salute actum omnino credebatur, simul ac B. Domnium supplices advocarunt, auxilio ut sibi esset, extemplo pristinam valetudinem receperunt; Medicis etiam, non solum cæteris, qui aderant, admiratione perculsis & stupore defixis, cum inter preces effusas & spiritum recuperatam nihil moræ interjectum esset; vel certe citius omnium expectationem eis, quibus laborabant, morbis relevati fuerint, prorsusque convaluerint. Alii præterea gravissimis maximisque periculis, quæ nulla hominum industria consultuque caveri, aut depelli posse videbantur, divinitus exempti sunt, opem B. Domnii, ad quam confugerant, præsentissimam experti: ex quo apparet, quanta apud Deum valeat gratia hic martyr ac Pontifex Sanctissimus, & quantum spei ac præsidii in ejus patrocinio collocari oporteat. Hæc sive miracula, sive beneficia admodum insignia, & inusitata planeque admiranda, Deo auctore, B. Domnio deprecatore, mortalibus collata, cum in ore ac sermone omnium versarentur, Antonius Kadcich Archiepiscopus Spalatensis vir singulari pietate ac sapientia, qui abhinc annos fere duos vita functus, triste sui desiderium bonis omnibus reliquit, rem hanc pertinere ad munus suum ratus, viros aliquos fide, prudentia, doctrina præstantes delegit, qui de illis eventis admirabilibus, quæ per S. Domnium patrata esse fama vulgaverat, ex juris formula, diligenter, riteque cognoscerent; atque iis, quibus ea divinitus contigerant, in quæstionem ac judicium vocatis, testibusque jure jurando adactis, quæ vera comperissent, in tabulas publicas referrent; easque tabulas suo ipsi chirographo subscriberent, annuloque Pontificali obsignarent, ut B. Domnii effusa in suos clientes promptæque beneficentiæ perpetuum extaret monumentum; quo magis in dies mortalium religio ad ejus auxilium rebus in dubiis & afflictis implorandum, ejusque patrocinio fidendum excitaretur. Harum tabularum exemplar rite obsignatum, & Francisci Antonii Burghesichii Canonici, & Cancellarii curiæ Archiep. Spalet. manu subscriptum, haud ita pridem Spalato nobis transmissum fuit; quod in Latinum sermonem ex Italico vertendum curavimus; atque hanc Actis hujus præclarissimi martyris veluti appendiculam subjungendam esse censuimus.

XVIII. *Kal. Febr. A. D. CIↃ. IↃ. CC. XL. Dominus Mazuccatus vir cum primis honestus, annum agens ætatis circiter XL. testatus est, Helenam Mazuccatam, Petri fratris filiam, annos natam fere* XVI, *cum in quartanam incidisset vehementissimam exeunte sextili, ejus valetudinem graviter fuisse lacessitam. Quam cum ipse in dies confici videret, evenit, ut per idem tempus Beati Domnii tumulus aperiretur. Proinde ab Andrea Meneghetto Canonico de Sanctissimi hujus martyris cinere donum attulit, quantum extremis digitis capi potest. Itaque fratris filiam bene sperare jussit, quod præsentissimum pharmacum illi afferret, nempe exiguum illum pulverem, Deoque opt. max. ac ejus famulo Domnio fideret: ter Pater Noster, ave Maria, Gloria patri conceptis verbis recitaret: mirificum pulverem caperet: procul dubio fore, ut Divo Domnio Deum exorante pristinam valetudinem recuperaret. Quæ cum illa rite omnia præstitisset, miscuit aquam, & pulverem in scypho. Quo hausto, quamvis eo ipso tempore febris aggredi soleret, quam etiam præsentisceret caperat, repente convaluit. Quamobrem & cum aliis accubuit mensæ, & de ferculis omnibus cibum sumpsit, nec a quartana, morbove ullo se amplius tentari sensit.*

XVI. *Kal. Feb. Matthæus Lisicichus natus an. circ. L. juratus affirmavit Helenam Paulli fratris uxorem, postquam peperisset, & puerperii molestias omnes abegisset, morbo nescio quo laborasse, adeo gravi ac violento, ut vita periclitaretur. Cum ad dies sex in lectulo jacuisset, & præ valetudine nec cibum, nec somnum capere posset, Paullus Lullichius hujus vici pro Parocho, quem honoris causa nomino, ipsam invisit. Is me adhortatus est, inquit Matthæus, ut aliquantulum ejus aquæ male habenti miscerem, quæ cum Archiepiscopus S. Domnii Patroni hujus urbis ossa laverat. Itaque sumpto liquore, die postero melius habuit, & lectum valere jussit. Quamobrem hoc tantum beneficium sine ulla dubitatione hujus sanctissimi martyris precibus acceptum refero. Rogatus, an ad morbum hujusmodi Medicos adhibuisset; an recuperatam a muliere valetudinem Proparochus sciret, an fratris uxor ægre vires recepisset; omnia negavit; imo statim atque convaluit, perinde pollere viribus cepisse ait, ac si numquam ægrotasset. Rogatus, quampridem res gesta esset, respondit, quatuordecim ab hinc ipsis diebus.*

IV. *Nonas Febr. Ego Matthæus Dimnichus, ætatis anno* 25. *testor, Margaritam socrum meam, cum annum ageret septuagesimum, in morbum incidisse* VIII. *Idus Decemb. Eam vero fuisse vim morbi, ut tamquam ex hac vita jam migratura, & piaculari confessione, & sacra synaxi se muniverit. Nam*

præ-

præcipue occulto dolore lateris premebatur, & mox epoto vino, jacuit a sensibus alienata. At cum Paullum Lullichium Proparochum Idibus Decembribus accersiissem, ut ipsi mysticam adhiberet unctionem, Domnium sanctum vocavit, ut sibi opem ferret, inquiens, Beate Domni mihi adsis. Hic eam laudatus Paulius rogavit, an probe nosset quid diceret? at illa, enimvero Domnium voco, ut mihi opituletur. Igitur quæsivit ex ea, an bibere vellet aquam D. Domnii? Ipsa vero rursus rogavit, an aquam Duimoviæ, aut D. Luciæ præbiturus esset? (quæ quidem etiam in æde D. Domnii habetur, eaque Clerici ædis Cathedralis ad multos illudendos abuti consuevere.) Contra illa, nequaquam: sed ipsam dabo, quæ sanctissimi viri ossa lavit. Tum illa incensa maximo desiderio, enimvero se omnem spem in D. Domnio collocare, dixit. Quamobrem illa solemnes precationes, Pater noster, Ave Maria, Credo, cum ipso Proparocho rite recitavit. Hinc me ad aquam sumendam cum eo contuli, allatamque in parva quadam phiala, cum prius ad ignem aliquantulum admovissem, tepidam propinavi. Itaque statim alacriter hausit, & e vestigio visa est revixisse; cibum sumpsit, cum antea nil esitaret. Sed tum propter ætatem devexam, tum quod dies aliquot cibo admodum tenui victitasset, de strato membra corripere non potuit, nisi VII. Kal. Jan. domo vero pedem non extulit, ante XIII. Kal. Februarias.

III. Nonas Febr. Ego Antonius Caliterna, ætatis anno fere XXX. affirmo Michaelem filium annos natum sex VII. Id. Jan. febri tam vehemente, ex verminatione, fuisse correptum, ut vitæ periculum adiverit. Cibum recipere non quibat; tantum crebris potionibus vini, aut aquæ ex vino distillato delectabatur; utrumvis autem hauriret, statim regerebat, & inter vomendum etiam vermiculum egesserat. Omnino cum ei tam male esset, Paullum Proparochum adivi die postero, ut puerum viseret, ac Deo optimo max. commendaret. Sed ea luce non adfuit, credo, quod illi mente exciderit. Adivi etiam Orbosuem medicum, ut ex eo audirem, quid medicino puero faciendum esset, modo liquata res foret, nam solidam non erat esurus. Ob eam rem præcepit, ut e radice graminis, & e prunis cum aqua in lebete commixtis & fervefactis decoctum conficerem: fore nempe, ut pharmacum vini colorem duceret. Peracta omnia: sed nil opis allatum. Quamobrem rursus die proximo Proparochum rogavi, ut puerum inviseret. Is autem peracta re sacra in tempore adfuit, & secum detulit aquam D. Domnii: atque precibus ad supremum numen effusis, eam filio bibendam in scutula dedi. Immo ego cum anopyrite miscendam dixeram. Nam si puer animadvertisset esse puram, non videbatur hausturus. Cui quidem meæ sententiæ Proparochus assensit, & vero partem anopyritis immiscuit. Itaque aquam sic permixtam tum puero tradidi, a cujus potu statim meliuscule habuit: mox autem comedit malum punicum, nec amplius quidquam regessit. Vesperi vero panis intritam cænavit. Die autem altero, aut proximo ab illo vomuit vermiculos: tantam vero eorum copiam ejecit ex alvo, ut morbi causa depulsa III. Id. Jan. optime habens stratum reliquerit: largiente valetudinem Deo, impetrante Domnio.

VII. Id. Febr. adfuit coram nobis Antonius Mangonus Bernardus annum agens XXX. circiter, atque hæc narravit. Cum Vincentius Andreas filiolus meus mensibus quindecim jam decursis, totum mensem ita ægrotasset, ut nec dentire, nec lactere posset, nec cibum, nec somnum capere, adeo confectus est, ut jam morti proximus videretur. Ecce autem Petrus Sacerdos ejus frater detulit ad eum aquam D. Domnii, ipso festo Nominis Jesu. Qua pota, continuo melius habere cœpit sic plane, ut ea luce quieverit, & dormiverit: postera vero quæcumque præbita sunt, comederit: atque adeo more infantum balbutiendo loqui potuerit, quum prius lingua fuisset impedita, & tantum plangore domum compleret. Quarto post die dentes etiam cœpit emittere: omni prorsus morbo B. Domnii deprecatione discusso.

V. Id. Febr. Joannes Josephi Ranneli fabri filius, expletis annis fere XIX. ante diem VI. nonas Jan. febri laboravit, capite doluit, totis artubus contremiscebat. Auctor ei fuit Jacobus Dudanus Canonicus, & Doctoris titulo atque insignibus ornatus, ut salutiferam sumeret aquam D. Domnii. Allata est in phiala, XVII. Kal. Febr. mane novo: proinde fidens D. Domnio, eique se commendans, aquam cum jure in patera mixtam hausit. Nec mora: statim convaluit sic prorsus, ut eodem die surrexerit e lectulo; & cum se dies aliquot, viresque firmasset, etiam domo egredi potuit.

IV. Id. Febr. Ego Antonius Tesolattus cæmentarius, anno ætatis L. testor, Magdalenam uxorem meam menses novem morbo nescio quo fuisse vexatam, ut bolum in faucibus habere sibi videretur, timeretque, ne vomica sibi aliqua crearetur. Quamvis autem & multis pharmacis, & mel in primis usa esset, id tamen nihil levaminis attulerat. Verum tandem a fœmina quadam, quæ familiaris erat Dudano Canonico, & in proximo habitabat, audivi infantem domi suæ febri laborasse, & per aquam mirificam D. Domnii ejectis vermibus, quibus torquebatur, convaluisse. Itaque Dudanum Canonicum rogavi, ut pauxillum illius aquæ mihi traderet. Quam cum tulissem, & Dominicam precationem cum Angelica salutatione sæpius recitassem, Magdalenæ uxori propinavi. Statim tussis est excitata adeo vehemens, ut bolum illum ipsum exspuerit, qui tam molestus ipsi fuerat, quin tamen animadverterit, quanam materie constaret: id autem accidit fere XIV. Cal. Jan. ac deinde penitus convaluit.

IV. Id. Febr. Petrus Dudanus, honesto cum primis loco, & annos natus sex & XX. hæc testatus est cum uxore Hieronyma. Antonius filius exactis mensibus tredecim, verminatione, papulis, febri sic correptus est, ut ejus vitæ valde mœsteretur. Verum ab Jacobo Dudano Canonico allatam salutarem D. Domnii aquam, implorato ejus patrocinio, puero obtuli. Nec mora: statim quasi revixit, & sumpsit cibum, & perendie surrexit. Atque id evenit altero die, postquam D. Domnii ossa retecta fuerant. Nam laudatus Canonicus, qui suismet digitis terram e sepulchro rapuisset, eam unda perluerat. Eidem vero Hieronymæ nescio quid morbi fauces angebat, ita ut vererentur, ne penitus clauderentur. VII. Cal. Jan. aquam eamdem hausit, & statim melius habuit, cibum sumpsit, noctem quievit, & placide dormivit, mane optime illi fuit.

IV. Id. Febr. Margarita Petri Mistruzzi Comitis, & scribæ uxor, annum agens ætatis XXXIIX: sic narrare instituit. VII. Id. hujus mensis filiolam meam, quæ vix annum nonum attigit, vehementissima febris eo adduxerat, ut secuta præterea vomitio, mentisque a sensibus alienatio prope in extremum vitæ periculum conjecerint. Attulit mihi filius meus aquam illam plane admirandam D. Domnii, quam acceperat a Petro Boscicho Sacerdote, & meo compatre. Eam lunæ die sub Solis occasum illi propinavimus; & statim primum flavi liquoris vim grandem rejecit, tum nigri semel atque iterum: quamobrem sic se a morbo recepit, ut heri stratum reliquerit, & hodie jam valeat.

Item Gratia de Lætis nutrix, annum agens sextum & tri-

& vigesimum, cum aliquot ante diebus vehementissimo dolore stomachi vexata esset, ac febri; atque ipsam laudata matrona impulisset, ut vel guttulam ex aqua S. Domnii sumeret precibus ad eum rite præmissis, paruit illa; mirum dictu! dolore pariter omni cum febri depulso statim convaluit.

Ad III. Id. Febr. A. D. CIↃ. IↃ. CC. XL. Ego Andreas Joannitius Sacerdos ad id præcipue ex juris formula delegatus contuli me domum Nicolai Bartulovichii, qui diversatur in urbe apud Joannem Christophorum. Is mihi narravit, quemadmodum XII. Cal. Nov., cum stratum petivisset, in quo etiam recumbebat ejus uxor Margarita, hæc de more Deum rogabat, & præterea D. Domnium, ut sibi adesset, Opportune ad cubile aderat effigies D. Domnii, quam fratres sodalitatis D. Domnii tribuerant. Lecti pedes ad orientem Solem, caput vergit ad Occidentem: ad pedes autem scamnum est e nuce ad genua flectenda, super quo imago Christi Crucifixi, & juxta eam effigies D. Domnii confixa glutine triticeo sex, septemve in locis. Postquam igitur illi cubitum issent, ancilla, cum lucerna perquirere instituit muscinum sub toro, atque adeo præsertim ad lecti pedes, & scamnum, & culcitram stramentitiam; illuc aliquæ favilla excidere oportet; accidit autem, ut laudata Margarita intempesta nocte excitari se senserit a sene quodam alba fascia præcincto: ac proinde in toro sedens viderit anguium lecti jam ardentem, qui magnum incendium minabatur. Virum statim expergefecit; & surgens uterque ad ignem extinguendum operam dedit. Interea demirantes animadvertunt, arsisse jam memorata effigiei parerga circum circa, insalla ipsa Divi imagine: quod ego hisce oculis vidi. Hoc vero videtur mirabilius; non amplius affixa eidem loco est inventa, sed super scamno quasi pedibus suis insistens, extincto igne divinitus. Id vero B. Domnii patrocinio tribuendum putabant; & quod suam ipsorum salutem servasset apertissime periclitantem: & quod pretiosissimas quaque, atque in primis tabulas & autographa magni pretii ac momenti, quæ duabus in capsulis ejusdem scamni continebantur, ab igne prohibuisset, quo jam conflagrare cœperat pars illa scamni, quæ spectabat anguium tori: sed Deo Opt. Max. Divoque Domnio propitiis, omnia salva perstiterunt, quadam tantummodo caligine fumi effusa, quæ hodie quoque cernitur. Hæc omnia retulit, qui &c.

Postrid. Kal. Febr. ejusd. anni. Anna Chrisolica tertii Ord. D. Dominici annum agens ætatis circiter XXX. narravit, cum more muliercularum se contulisset ad domum Barbara Vucasovichia, quæ III. Non. Octob. peste confecta occubuerat, in qua etiam pestis se prodiderat, quæ eodem anno grassata est, eamque fuisset osculata, quippe ejus mortis causa tantum die postero fuit evulgata, videlicet prid. nonas Octobris, domum reversisse, & paucis post diebus gravi capitis dolore fuisse vexatam: & in secretis præsertim partibus duos sibi bubones exortos esse. Quare mortem præsentem nimium timens, ac tam terribilem, D. Domnium sic vocavit: D. Domni hujus urbis ac provinciæ patrone mihi adsis, ac tanto morbo me liberes. Hinc templum petens, sacerdotem rogavit Antonium Bracchium, ut pro se faceret: qui cum sacrum peregisset ad aram Sancti Martyris, ejusque Anna interfuisset, omni prorsus pestis indicio se carere reperit, ac dolore. Præterea non multis post diebus tertiana illam invasit tam obstinata & vehemens, ut annum totum decubuerit, & ad extremum fere vitæ articulum deducta fuerit, nempe usque ad IV. Cal. Aug. qua translata sunt ossa D. Domnii. Itaque fidens Deo, sanctoque Domnio stratum reliquit, cum pridie Papotio medico dixisset certum sibi ac deliberatum esse postridie surgere, ac templum petere, seu vivendum esset, sive moriendum. Itaque ad eadem Cathedralem venit, piacolari confessione culpas eluit, divina mysteria suscepit; inde regressa est domum valetudine prorsus recuperata, viribus pristinis receptis, morbique omnibus reliquiis depulsis.

XIV. Kal. Apr. ejusdem anni. Catharina conjux Josephi Genuitii, annum agens XXVIII. narravit, Camillam filiam, natam annos & menses sex, tam acerbis vehementibusque doloribus, qui toto corpore serpebant, ineunte Februario laborare cœpisse, ut nec cibum, nec somnum capere posset; & quamvis multa illi remedia adhibita essent, die 15. ad extremum vitæ periculum adductam fuisse. Ibi admiranda beneficia audivit, quæ per aquam benedictam D. Domnii agris conferebantur, pauxillum ejusdem aquæ, invocato vitæ numine, ac Beato Domnio pocula propinavit, ter tres guttas ejus ori infundens: nec sua illam spes fefellit; Puella statim convaluit, ac pristinam recepit sanitatem.

Prid. Kal. Apr. ejusd. anni. Zanetta conjux Alexandri Barbieri retulit, annis ipsis XIV. sibi solitum oculum fluere, veluti si inesset fistula, ut diebus V. vel VI. non posset tollere palpebram, nec per eum tueri quidquam. Per eas dies accidit, ut retogerentur ossa D. Domnii VII. Id. Decembris An. D. CIↃ. IↃ. CC. XXXIX. ex quibus particula quædam ipsi allata cum esset a Petro Ribolo Subdiacono ejus consanguineo, eam oculo laboranti statim admovit, & nullam totum oculum appositam tanta cum fiducia tenuit, ut mane proximo pristina ophthalmia ne vestigium quidem superesset, & nunc utroque oculo quam bene utitur. Præterea cum VIII. Cal. Apr. in aula Cathedrali adesset, excepturus benedictionem, quæ sacra Eucharistia populo impertiri solet, dolor eum adeo vehemens aggressus est, ut animam ducere non posset; ac proinde domum, & stratum petivit. Diebus ipsis V. sic jacuit dolore pressa, ut ex uno in alterum latus agre admodum vertere se posset. Ecce autem sexto die vidit eam Hieronymus Bernardus Canonicus consobrinus ejus, & aquam attulit D. Domnii. Itaque invocato prius vitæ Deo O. M. atque Domnio aquam sumpsit; & statim evanuit dolor, atque optime habuit.

Præterea septem ab hinc annis Id. Maii, gravis omnino ac letalis morbus invaserat ejus filium annos natum circiter decem; cucurbitulæ & acriores Sinapismi, ægrotanti ac nihil prorsus sentienti adhibiti sunt. Itaque actum de illo jam esse Medici affirmaverant; sed hortata ejusdem Canonici consobrini sui, vix pro filii valetudine sacrum voverat D. Domnio, cum statim melius habere cœpit, & citius omnium opinione morbus cum omni reliquit.

IV. Id. Apr. A. D. CIↃ. IↃ. CC. XL. Michael Lampiga vir honestissimus narravit, Domnum F. annum agentem ætatis quartum, toto corpore obductum fuisse rubeis maculis mense proximo Septembri, quo morbi genere per id temporis complures pueli morirebantur; die sacro D. Michaeli pastillos esitavisse, inde secuta est vomitio, & solutio alvi; ut macie confectus mortis fores jam pulsaret, atque vita illius desperata erat e sententia Castelli Medici. Quamobrem pater pro valetudine filii sacrum vovit, & fieri curavit D. Domnio ab Giurichievichio Canonico: qui comite domum revertens invenit filium multo melius habentem, & die postero nihil reliquum morbi fuit.

Cum Nicolaus Maliacichius Sacerdos Spalatinus exeunte Julio, A. D. CIↃIↃCXL. solvens ex sferia Venetias navigaret cum Antonio Marino Patricio Veneto, Præfectura Clissensi in Dalmatia haud ita pridem perfuncto, atque a portu S. Nicolai distaret millia passuum circiter duodecim, repentina ab Oc-

caſu

casu tempestas exorta est, fulgure, tonitrua, pluviam, grandinem ferens: nec mitius navim vexabat maris fluxus, austro in brevia impellente; cum ecce sibi ater atque horribilis turbo extremum exitium intentans, primum duobus millibus passuum a navigio contra proram stetit; tum propius accedere, vehementius furere, atque in ipsam navim propemodum irruere visus est. Huic appropinquanti, & magis magisque sævienti, particulam e corpore S. Domnii argentea theca inclusam sacerdos supra laudatus objecit, pie fidenterque Sancti Martyris opem implorans. Sensit auditas preces, & turbo ille objectu sacrarum reliquiarum depulsus extemplo evanuit. Sed paullo post iterum prope ab navigio nubes terribilis coorta cum magno impetu ac fragore immanes fluctus volvebat procellasque, quibus jactata navicula apertum naufragii adibat periculum: quippe navim crebris undarum assultibus nunc a prora, nunc a puppi, nunc a lateribus adoriens, in eamque inferens vim aquarum immensam, jam in ultimum discrimen adduxerat. Ingens omnium mentes desperatio incesserat, cum mortis imminentis species omnium obversaretur animis. Ibi tum Presbyter Muliacichius sacram thecam rursus exprompsit, statuitque contra impetum insanientis turbinis, qui quoties irruere in navim conabatur, toties Sanctarum reliquiarum conspectu quasi deterritus resiliebat. Tandem nubes illa terrifica, postquam diu multumque debacchata est tanto impetu ac furore, ut vi diabolica circumagi impellique creditum fuerit, B. Domnio deprecante, Deo maris ac ventorum domino imperante, alio conversa, ex omnium oculis se provipuit. Ita navis, tempestate omnino sedata, incolumis destinatum tenuit portum. Hæc Nicolaus Muliacichius exposuit fusius & luculentius, firmavitque jurejurando.

Epistola Mariæ Gabrielæ Verleræ, quæ præsidet Monasterio D. Blasii Justinopoli, ad Cl. V. Sane hoc Monasterium præstantiori munere ditari non poterat, quam quo donatum est; pretiosa videlicet particula corporis D. Domnii, quæ simul atque huc illata est, mira illico præstare cæpit. Namque acerbissimis doloribus levavit monialem natam annos VI. & LXXX., quæ improviso casu adeo fracta & debilitata fuerat, ut se ne movere quidem posset. Fidens præcipue D. Domnio sacram particulam jussit sibi afferri, eamque manu apprehensam, & per modum Crucis a capite infra pectus, ab humero dextro ad sinistrum perductam cum sibi applicuisset, statim motum recepit, & nocte eadem e lectulo se proripuit. III. Cal. Sept. 1740.

Epistola Mariæ Electæ Rigæ Monialis S. Blasii Justinopoli, ad Virum Clarissimum. Accepi litteras tuas, præstantissime vir, atque munus pretiosum, nempe particulam corporis D. Domnii; quo tamquam advocato præsentissimo & nostris litibus, & angustiis rebus cæteris adfuturo, cuncta mirifice gavisa sumus: ac lætitia crevit præcipue, quod beneficium sanctus vir contulit hujus familiæ moniali; quæ cum per hos dies ad terram prolapsa esset, dextrorsum se movere non poterat, ne jacens quidem. Sed per mirificam particulam signo crucis munita repente se movit, atque surrexit, maximas agens gratias Deo Opt. Max. Divoque Domnio. III. Cal. Sept. Fateor ego infrascriptus duas hasce supranotatas Epistolas me de Originali sumpsisse penes nobilem Virum Antonium Marin existente; & quidem fideliter, dum Venetiis in domo ejusdem commorarer: easque de superioris licentia ad majorem S. Domnii gloriam, in hac Archiepiscopali Cancellaria præsentasse octavo Kal. Decembris An. Sal. MDCCXL. Spalati.

Nicolaus Mugliacich manu propria.

Nonis Octob. ejusd. anni Franciscus a Cruce Placentinus, atque Centurio annum agens sextum supra quadragesimum juravit, se octo atque viginti ab hinc annis patria discessisse magno dolore stomachi affectum, quod natans in rivo Refuda ad portam D. Lazari Placentiæ, toto pectore offendisset graviter in quodam equi mortui cadaver projectum in undam: & cum medicos consuluisset, variamque medicinam adhibuisset, nihil profeciisse: sed coactum tolerare dolorem usque ad proximum Julium, annis ipsis triginta. Jamque cum præter morem dolore, ac febri quasi continua & nausea laboraret, Natalem filium misit ad Præsulem Spalatensem, ut sibi largiretur aquam D. Domnii; atque adeo confisus beneficio Patrono, & rite invocato numine, quod optimus eum monuit Præsul, aquam hausit, ac repente persensit revelli a stomacho quasi bolum quemdam crassum, qui sibi fuerat molestissimus: statimque levatus est non dolore solum, sed etiam febri. Morbi omnino depulsi fidem fecit habitus oris & vultus colore optime renidens, cum antea facies tota pallore effusa esset.

Eodem die Matthæi famula memorati Centurionis cognomine Negherovichia, orta Lesinæ in vico S. Georgii, annum agens XIV. narravit, duos dies totos atque perpetuos febri se laboravisse, & XII. Cal. Aug., cum ab hero aqua S. Domnii sibi esset allata, statim sanitatem recuperasse, dieque postero reliquisse stratum. Idque firmavit jure jurando.

Postrid. Cal. Febr. A. D. CIↃIↃCCXLI. Clara conjux Comitis Antonii Cruscevichii centurionis, annos nata triginta, narravit, anno superiore parvum ejus filium repentino morbo nescio quo fuisse correptum: atque adeo a medico statim accersito plura adhibita esse fomenta: quæ tamen nihil profuerunt: eoque adductum fuisse, ut loqui præ dolore non posset. Itaque ad opem divinam parens uterque confugiens aquam curavit D. Domnii, quem largitus est Paullus Lullichius Sacerdos, atque Proparochus: quamque, ut puer bibit, statim verba facere cæpit, ac die postero habuit optime. Idque Clara jurejurando testata est.

Postrid. Non. Feb. ejusd. anni Antonia Uxor Francisci Cambi Veneti honesto loco nati, annum agens quartum supra trigesimum juravit, anno superiore se fuisse febri vexatam, gravique capitis dolore, ac præcipue pituita in guttur defluente, fauces ulceribus ac quatuor præsertim pustulis scatere cæpisse toto anno. Quamobrem Castellus Medicus eam jussit crebra uti gargarizatione, aliisque opportunis pharmacis, quæ tamen frustra fuerunt: ac proinde gravius in dies vita periclitabatur. Tandem D. Coicala Antistita Cœnobii S. Raynerii, & Laura Chrysogona nobilis femina sunt eam adhortatæ, ut aquam sumeret D. Domnii. Itaque adhibitis rite precibus, & hausta aqua, valetudinem brevi recuperavit, ac optime valet: cujus quidem rei conscia est Joanna soror ejus.

VII. Id. Febr. ejusd. anni Maria Ancilla filia Stephani Becichii comitis atque tribuni militum nata Budvæ ad oram Dalmatiæ, annum agens ætatis tertium supra trigesimum, e familia D. Benedicti in Monasterio S. Raynerii, juravit se anno quinto postquam in eam familiam nomen dederat, tussi molesta, & dolore pectoris urgeri cæpisse, ac morbum persistisse annos ferme quinque. Post omnia, quæ adhiberi potuerint, remedia frustra suscepta, cum sapius extremo chrismate inuncta mortis fores pulsasset, tandem novit, si restituta esset sibi valetudo, se sacrum solemne curaturam cum actione gratiarum D. Domnio, & ejus pervigilio præter panem & aquam, nihil cibi potusque sumpturam; ac præterea tabellam argenteam ejus aræ dedicaturam. Itaque hausta aqua D. Domnii, pristinam valetudinem recuperavit: extemplo siquidem & febris, & nausea,

ſcit, & expuitio purulenta, & macies extrema corporis abſceſſit.

XIII. *Cal. Apr. ejuſd. anni Spalati. Margarita filia Hieronymi Menegatti Veronenſis, uxor Georgii Michaëli Eutychii decurtatis, annum agens ſextum ſupra quinquageſimum, juravit, Franciſcum Joannem filium, quem e priore conjuge ſuſceperat, annos natum IV. & XX. correptum ſaiſſe febrile nescio quæ, vel potius lepra, ut ne mediti quidem vel illam interroſcere, vel abigere poſſent, atque adeo languens & dolens jacebat. Interea temporis Spalati ad eadem Cathedralem Margarita ſe contulit XIII. Cal. Jan. anni ſuperioris: ubi cum ſacro intereſſet ante imaginem D. Anaſtaſii Martyris atque hujus urbis patroni, eam ſibi mentem divinitus injectam ſenſit, ut ab eo potiſſimum ſuppliciter implorato valetudinem filio reſtitutum iri ſperaret. Itaque ſtatim vovit, ſacrum curaturam ad ipſius aram, & tabellam, atque candelas duas. Ubi domum perlit, filium rogat, quomodo haberet? Reſpondit, non tam male, ut antea: Illa vero ſubdit; commoda valetudinis tuæ, fili mi, D. Anaſtaſio: nam pro certo habeo, redditurum: jamque paucos ad dies meliuſcule illi eſſe cæpit; deinde lectulum reliquit; & nunc bene habet, ac melius in dies.*

III. *Id. Jun. ejuſd. anni. Hieronymus Acoſta Pharmacopola annum agens XLI. juravit, ſe, cum V. Cal. Aug. ejuſdem anni Signii diverſaretur, maxime laborare cæpiſſe dextero pede, quemadmodum alias conſueverat: ac cum particulam haberet decerptam e corpore S. Domnii, rogavit Petrum Knezevichium e ſacra Minorum Franciſcana familia, ut eam pedi laboranti admoveret, ſacroſanctæ crucis forma expreſſa, & D. Domnii imploratione interpoſita ſupremum numen ſibi propitium redderet. Itaque cum prius multa remedia fruſtra adhibuiſſet, & dolor per totas noctes ne punctum quidem temporis intermittere ſoleret; tum coram Nicolao Baretio Sacerdote, & Octavio Comite Fenicio, cæteriſque aliis, qui aderant, e lecto ſe proripuit, & plurimum fidens B. Domnio inambulare cæpit; exinde penitus cum morbus reliquit.*

Eod. die, & anno. Anna Franciſci de Franciſcis centurionis vidua egens annum XXIIX. edita Moſtapli, & Almiſſæ habitans juravit, filium ſuum natu minimum in Seminario Antiſtitis Spalatenſis in febrim incidiſſe adeo gravem, ac peſtiferam, ut emiſſo de vena ſanguine, admoto fortiore ſinapiſmo, aliiſque medicamentis, deteriore ſtatu eſſet, quam antea. Tandem epota aqua D. Domnii ſtatim placido ſopore captus eſt, & morbo aliquantulum levari cæpit. Intra biduum, ſacro facto ad ejus altare, periculum omne diſcuſſum eſt: & tribus poſt diebus e lecto proſiliit, atque habuit optime. Nec multo poſt Laurentius Tulieſius Almiſſenſis Sacerdos, atque Præfectus Seminarii Spalatenſis adfuit, atque juravit, ſe vaviſſe modicam ſtipem D. Domnio pro valetudine ejuſdem pueri ſemel iterumque pauperibus erogandam; ac ſtatim ut primam ſolviſſet, puerum morbi periculo exemptum eſſe.

IV. *Id. Jul. A. D. CIↃ. IↃ. CC. XLII. Georgius Protomartas, publicus armorum curator Spalati anno ætatis LXIV. juravit, ſe novem circiter ab hinc menſibus urinam emittere non ſine ſummo dolore, & aegerrime potuiſſe, quod de ſententia medicorum herpete inteſtino laboraret. Impulſus autem a Marco Paullino ſororis filio, ut ſuam valetudinem commendaret D. Domnio, ac biberet ejus aquam, miſit ipſum, qui eam ſibi curaret a Præſule. Quam allatam, cum ſummis maximiſque cruciatibus conflictaretur, omni ſpe in D. Martyre collocata potavit; ac ſtatim levari ſe doloribus ſenſit, & facilius, nitidiuſque lotium emittere cæpit ne minimo quidem ſenſu doloris. Itaque cum prius multa remedia fruſtra fuiſſent, atque tanta vis eſſet doloris, ut ſæpe hominem de ſtatu mentis dejiceret, jam bene ſe habere teſtatur.*

VII. *Cal. Aug. ejuſdem anni. Catharina uxor Andreæ Fuardichii e majori hujus civitatis ſuburbio, anno ætatis circiter IV. ſupra XX. juravit, anno ſuperiore XIII. Cal. Jun. ſe fuiſſe oppreſſam morbo gravißimo, cum per eos dies peſtis etiam neſcio quæ graſſaretur, ne & abortum feceris, & creſcente in dies morbo, omnium judicio vitam cum morte commutatura videretur. Ecce autem Antonius Carzatovichius Spalatenſis Canonicus, qui, cum excepiſſet ejus piaculatem confeſſionem, mulieris vicem miſertus, auctor illi fuit, ut aquam S. Domnii ab ſe allatam, quam maxima poſſet cum fiducia ſumeret. Cum autem vix loqui poſſet, aut piarum precum carmina recitare, propinqui & amici, qui aderant, pium officium ipſi præſtiterunt: atque adeo aqua epota, repente meliuſcule ſibi eſſe perſenſit. Eadem vero nocte mortis periculum diſcuſſiſſe reperta eſt; ac paucos poſt dies, poſtquam recepit vires, & præterito morbo, & intempeſto partu fractas, lecto valedixit.*

Prid. Non. Dec. anni ejuſd. Catharina, quæ uxor fuerat Matthæi Ratagli jampridem mortui Spalatenſis incolæ ſuburbani, anno ætatis VIII. & L. jurejurando teſtata eſt, tribus ab hinc annis conflictatam ſe fuiſſe morbo inuſitato, ut per artus exoriretur bubones magnitudinem mali fere æquantes; inter quos quidam eminebat in ventris latere dextero tamquam hominis caput; quamquam revera compertum plane non erat, hunc eſſe de genere bubonum, nam carnis ſpeciem referebat. Forte unus ex illis erupit medius, ex eaque folliculum quaſi quendam, tumidum, & ſatis longum edixit. Interea multa ſanies defluebat: ſed cum mulierecula paupertate premeretur, medicum accerſere non eſt auſa: tantum ab amicis docta ſe mellis nunc unguine, nunc herbarum foliis ad curandum ulcus utebatur. Tandem illud oſtendit etiam Caſtello medico; ſed nil aliud reſponſi tulit, niſi ut præ magnitudine illius ulceris & aliorum, quæ circa aderant, ad mortem naviter & pie oppetendam ſe ipſa compararet. Quamobrem humanarum rerum ſpem omnem abjiciens, & divinis præſidiis unice fidens, ad aram D. Domnii adibat, & plurima ipſi vota faciebat, & oleo ſumpto ex lampade, quæ ante ipſius ardet ſepulchrum, ulcera linebat. Jamque Deo ipſo, Divoque Domnio faventibus, intra paucos dies cicatrix obducta eſt, ac valetudinem omnino priſtinam recuperavit.

V. *Id. Mart. Thocius Thocotocus Tribunus militum, patricliſque Corcyræus ætatis anno III. & LXX. juravit, Lactantium nepotem natum annos duos, menſeſque ſex, XIII. Cal. Febr. poſt aliquot dies, ex quo morbo preſſus jacuerat, pedibus fuiſſe contractum miſerabilem in modum. Jamque adhibitis fruſtra medicinæ ſubſidiis, & ipſe, & uxor, & parentes ejus, ſimul omnes confugerunt ad opem D. Domnii. Delatus eſt puer in ædem Antonii Kadcichi Pontificis Spalatenſis; eique Joſeph Chieſa Presbyter Societatis Jeſu bibendam tradidit aquam S. Domnii, qua etiam illius genua & crura conſperſit. Extemplo ille crura explicare, ſuiſque inſiſtere pedibus cæpit; ipſomet puello elata voce teſtante, non amplius eſſe opus medicorum unguinibus, quod dante Deo opt. max., & exorante D. Domnio, jam valeret.*

XV. *Cal. Apr. A. D. CIↃ. IↃ. CC. XLIII. Laurentius Bernardus J. U. D. anno ætatis XL. juravit, anno ſuperiore menſe Decembri ſe graviter vexatum eryſipe-*

ſipelate, quod a capite ad ventrem toto corpore ſerpſerat. Optavit, ut ad ſe deferretur particula corporis D. Domnii, quæ ab Hieronymo Bernardo ejus patruo delata eſt, hora nullis tertia, cum nempe ſic clauſæ fauces ipſius forent, ut cochlear aqua plenum vix ſex, ſeptemve hauſtibus ſorbillando exhaurire poſſet. Caſtellus Medicus, itemque Antonius Arabaſtus Chirurgus prædixerant haud dubium fore, quin eadem nocte, occupatis omnino faucibus, moriturus eſſet. Tum vero D. Domnii opem implorans, particulam ex ejus corpore vertici impoſuit; ac repente dilabi morbus, tumor pectoris evaneſcere, detumeſcere caput, fauces aperiri, & cum neſcio quid expuiſſet materiæ craſſæ & purulentæ, omnibus omnino, quibus afflictabatur, incommodis relevatus eſt.

Prid. Cal. Sept. ejuſdem anni. Dominicus Menegbetti, honeſto loco Spalati natus, annum agens ætatis XL. jure jurando teſtatus eſt, ineunte Martio cepiſſe tumere, & rubeſcere ſiniſtram genam Catharinæ filiæ fere trimæ; Calendis vero Maji etiam guttur valde inflatum apparuiſſe. Quo quidem tempore medici fruſtra experti multa & varia remedia, ſtatuerant, ferro viam patefecere, qua ſanies incluſa effluere poſſet. Hic vero ipſo die D. Domnio ſacro matri ejus venit in mentem D. Domnii opem implorare, atque oleo lampadis, quæ ante aram ipſius ardet, filiolam morbidam linire. Quod quum die poſtero peregiſſet, luce tertia tumor omnis penitus evanuit.

CAJANUS ET SYMPHORIANUS II. ET III.

EPISCOPI SALONITANI.

DE Cajano & Symphoriano, præter nomen & Salonitanum Pontificatum, nihil fere aliud memoriæ ac litteris proditum eſt. In omnibus catalogis Antiſtitum Salonenſium, quos Romæ & Spalati ex variis codicibus deſcripſimus, proximus a S. Domnio Cajanus, tertius deinde Symphorianus collocatur; ſed quos in aliquibus apographis Cajanum & Symphorianum, in aliis Gazanum vel Garganum, & Sympherium nominatos invenies. Cum præclara utriuſque acta oblivio ac vetuſtas interceperit, ex communi illorum temporum hiſtoria, veteriſque eccleſiaſticæ hierarchiæ ac diſciplinæ deſcriptione, quod de illorum propriis geſtis eximiiſque virtutibus deperditum eſt, ſuppleri oportet, ne prorſus inornati, rerumque omnium inopes in lucem prodeant. Primum itaque differendum nobis erit de Diaconatu, quem geſſere, antequam Epiſcopi fierent; tum de Pontificali utriuſque conſecratione; deinde doceamus neceſſe eſt, quid Pontificii muneris obierint, qualve Epiſcopi partes egerint ante ſuſceptam eccleſiæ Salonitanæ adminiſtrationem; poſtea quamdiu Salonæ Pontificatum geſſerint, quive per eos annos fuerit ſtatus Chriſtianæ reipublicæ; demum de illorum martyrio & cultu quid ſentiendum ſit, ex diptychis Salonitanis, & calamitoſiſſimis illis eccleſiæ temporibus facile exiſtimari poterit. Ex iis igitur, quæ de Hierarchia eccleſiaſtica rebuſque Chriſtianis alterius ſæculi generatim atque univerſe traduntur, pauca quædam ſeligimus, quorum participes cum fuerint, & conſortes Cajanus pariter, ac Symphorianus, ea utrique tamquam propria & ſingularia accommodari poſſunt ac debent. Alterum cum altero propterea conjunximus, quod, de alterutro quidquid dixeris, id fere totum utrique conveniat. Qui vitam ſecundam S. Domnii litteris conſignavit, perbrevem utriuſque & honorificam mentionem intexuit his verbis: *Petiit ergo Domnius a S. Clemente concedi ſibi præfatos Epiſcopos, cum quibus idem duos ex ſuis Sacerdotibus Epiſcopos ordinavit Garganum videlicet & Symphorianum, quos & ſucceſſores poſt mortem, alterum poſt alterum habuit.* Pauca quidem hæc ſunt, communia & vulgaria; ſed quando nihil præterea aliunde ſuppetit, his contenti erimus, hæc commentationibus noſtris locupletabimus, his aliquid lucis & ornatus ex antiquitate eccleſiaſtica adſciſcere conabimur.

Ratio & ſyrtes rerum explicandarum.

CAPUT PRIMUM.

De Diaconatu Cajani & Symphoriani.

§. I.

De triplici gradu Hierarchiæ eccleſiaſticæ.

VEtuſtiſſima res eſt, & jam inde a principio Chriſtiani nominis conſtituta Ordinum illa diſtinctio, ex quibus eccleſiaſtica Hierarchia componitur; quos inter Ordines, tres illi poteſtate ac dignitate longe plurimum eminent, Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus. Triplicis hujus magiſtratus deſcriptionem, qua potiſſimum omnis Chriſtianæ reipublicæ moderatio continetur, referendam eſſe ad Chriſtum auctorem, conditoreſque Apoſtolos, illud certiſſime argumento eſt, quod antiquiſſimi Patres Apoſtolicis temporibus vel æquales, vel ſuppares nominatim ac diſerte tres illos eccleſiæ Ordines diſtinguunt, & alios aliis præſtantiores eſſe apertiſſime declarant: veluti Ignatius Martyr in epiſtola ad Smyrmenſes, ubi docet, quo loco eos haberi oporteat, qui aliquem ex illis gradibus aſſecuti ſunt, & qua quemque ratione coli atque honorari deceat: *Epiſcopum ſequimini, ut Chriſtus Patrem, Presbyterium, ut Apoſtolos, Diaconos, ut Dei mandatum*; quibus poſtremis verbis fortaſſe intelligi voluit divinum de inſtituendis Diaconis mandatum a Chriſto Apoſtolis traditum; & paullo poſt a Laicis, gradatim per omnes ſacros majoreſque eccleſiæ Ordines ad Chriſtum principem Sacerdotum aſcendit: *Laici Diaconis ſubditi ſint, Diaconi Presbytero, Presbyteri Epiſcopo, Epiſcopus Chriſto.* Tres itidem illos præcipuos in eccleſia gradus ordineſque percenſet Clemens Alexandrinus Pædag. l. 3. c. ult., & ſua cuique præcepta impoſita eſſe ait, ut ſuo quiſque officio rite fungatur: *In ſanctis libris ſcripta ſunt hæc quidem præcepta Presbyteris, alia Epiſcopis, alia Diaconis.* Idem libro 6. Stromateon ſcripſit eccleſiaſticam Hierarchiam ex Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis conflatam, eſſe adumbrationem atque imaginem quamdam cœleſtis illius Hierarchiæ, quæ ex variis Beatorum ſpirituum ordinibus conſtat: *Quandoquidem & hic eccleſiaſtici gradus Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, imitationes quædam ſunt, opinor, Angelicæ gloriæ, & illius adminiſtrationis.*

Antiquitas hierarchiæ eccleſ. ex tribus potiſſimum ordinibus compoſitæ, Chriſto auctore.

Patres

Ap. Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 30.

Patres Concilii II. Antiocheni adverſus Paullum Samoſatenum coacti an. 270, epiſtolam Synodicam ad Dionyſium Papam, totamque eccleſiam cum hac inſcriptione miſerunt: *Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & eccleſiæ toti Catholicæ*. Canones Apoſtolici 5. 6. 7. 37. tres plerumque ſuperiores Ordines commemorant, & univerſæ eccleſiæ præponunt; ſuum cuique munus attribuunt, iiſdem fere diſciplinæ & ſanctimoniæ legibus adſtringunt. Huc adde Origenem, Cyrillum Epiſcopum Hieroſolymitanum, Joannem Chryſoſtomum, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, cæteroſque deinceps Patres Græcos juxta & Latinos, quorum nemo eſt, quin ſemper in eccleſia Dei & Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos agnoverit, eoſque & poteſtate & officio diſtinxerit; ut ſi quis trium horum Ordinum inſtitutionem ac diſtinctionem aliunde, quam a Chriſto Domino, Apoſtolicisque temporibus repetendam cenſeat, is ſane cum tota antiquitate pugnare cogatur.

Apud Patres inferiorum etiam ordinum frequens eſt mentio.

Nec vero ſi quos laudavi, Patres de Epiſcopis tantum, Presbyteris, & Diaconis meminere, continuo putes reliquos inferioris gradus Clericos ab eccleſiaſtica Hierarchia ſubmovendos eſſe; nam apud eoſdem aliis in locis Hypodiaconos, Lectores, Exorciſtas, Cantores, Oſtiarios, Acolytos invenies, quamvis nec eorum numerum definiant, nec quem cuique vel anteponi, vel ſubjici oporteat, ſatis declarent, & alii alios recenſent, alii alios prætermittunt. Idcirco autem tres illi ſuperiores Ordines & ſæpius & honorificentius ab antiquis Patribus commemorari ſolent, quod cæteris & dignitate & officio longe multumque antecellunt; & qui ad eos promovendi eſſent, ſolemniori quodam ritu ac cæremonia Deo conſecrarentur, ac divino cultui eccleſiæque in perpetuum addicti, ad ſanctiſſimas quaſque religionis Chriſtianæ functiones obeundas deſtinarentur; quare nemo dubitat, quin non ſolum Epiſcopi & Presbyteri, ſed etiam Diaconi ad divinam inſtitutionem pertineant: nam Subdiaconatum nec per ſe juris eſſe atque inſtituti divini cenſent aliqui, & antiquitus inter minores Ordines annumeratum fuiſſe plerique exiſtimant. Cæterum Diaconi vocabulo etiam reliqui Ordines inferiores interdum comprehendi ſolent: cum enim Diaconus idem apud Græcos valeat, quod apud Latinos Miniſter, huic verbo duplex notio ſubjecta eſt; altera propria, & ſingularis, cum certum in eccleſia Ordinem ſignificat, qui tertius eſt, & a Presbytero proximus; atque in hanc fere ſententiam hoc vocabulum Patres ſupra laudati accipiunt, cum Diaconos Epiſcopis & Presbyteris adjungunt. Altera, quæ ſubeſt huic voci poteſtas, latius patet, omneſque inferioris loci ac nominis Clericos alicui eccleſiaſtico miniſterio ex certa quadam formula, ritèque addictos complectitur. Quapropter ſacroſancta Tridentina Synodus Canone 6. Seſſionis 23; cum Hierarchiam deſcribit, eamque divinitus ordinatam atque inſtitutam eſſe declarat, Epiſcopis ac Presbyteris nominatim prolatis, ambigua Diaconorum voce poſthabita, miniſtrorum vocabulum adhibuit, quo Clericos omnes cujuſcumque gradus atque officii contineri, & eccleſiaſticæ Hierarchiæ adſcribi voluit: *Si quis dixerit in eccleſia catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit*. Porro cæteri infra Diaconatum Ordines idcirco ad inſtitutionem divinam referri poſſunt, ac debent, quod ſint quædam portiones ipſiuſmet Diaconatus divinitus inſtituti; ex quo, veluti quædam rivulorum ex fonte deductio, minorum Ordinum facta ſunt divortia. In illo autem fonte & capite totius eccleſiaſtici miniſterii, in quo reliqui inferiores Ordines excellentiori quadam ratione continentur, vim quodammodo obtinent inſtitutionis divinæ; & cum ad Sacerdotium altariſque miniſterium, cujus gratia potiſſimum omnes inſtituti ſunt, Diaconatus per ſe & proxime referatur; cæteri quoque, medio tamen interjectoque Diaconi officio, eodem operam ſuam conferunt, & pro ſuo quiſque gradu vel magis, vel minus prope accedunt. Quare idem Chriſtus Dominus, cujus inſtinctu & præſcripto Apoſtoli ſeptem illos Diaconos primarios rei divinæ adminiſtros conſecrarunt, iiſdem etiam præceperat, ut alios quoque inferioris gradus Miniſtros in Clerum adoptarent; ſed illis eccleſiæque permiſit, eligerent quos vellent, & plures paucioreſve arbitratu ſuo adſciſcerent. Hinc factum eſt, ut prioribus ſæculis non una eſſet apud omnes eccleſias eademque Ordinum minorum deſcriptio, & Concilia atque Patres cum de tribus illis ſuperioribus Ordinibus ad unum omnes conſentiant, de reliquorum numero, nomine, officio, ferme inter ſe diſcrepent: ab aliis enim alios admitti conſtat, quos poſteri non acceperunt, alios rejici, quos ætas poſterior probavit; nam in eccleſiæ poteſtate ſitum eſſe diximus Ordinum minorum numerum vel diminuere, vel augere, vel etiam duorum officia in unum contrahere. Cæterum omnes omnino Cleri inferioris gradus ſi minus nominatim, certe generatim divina ſuperiorum Ordinum inſtitutione comprehendi recte dicuntur: quamobrem Patres Tridentini definiunt ac declarant univerſam Hierarchiam eccleſiaſticam ex Epiſcopis, Presbyteris, Miniſtris conflatam ad divinam ordinationem referri oportere. Jam vero ad rem noſtram ut propius accedamus; de Epiſcopatu quidem ejuſque gradibus, e quibus conſtat Hierarchia Pontificia, ſatis multa diximus Part. 3. Proleg. ſect. 2. cap. 2. de Presbyteris autem, aliiſque infra Diaconum eccleſiæ miniſtris nihil eſt, quod in præſentia dicamus. Hujus loci ratio poſtulat, ut differamus de Diaconatu, quo præditi erant Cajanus & Symphorianus, antequam Epiſcopali conſecratione initiarentur.

Diaconi vocabulo cæteros minores Ordines comprehendi.

Diaconatus caput & fons cæterorum Ordinum inferiorum.

§. II.

Cajanum & Symphorianum Diaconos fuiſſe, antequam fierent Epiſcopi.

IN Collectaneis noſtris hoc ſcriptum invenio: *Cajanus fuit S. Domnii diſcipulus & Diaconus, eſque demque in ſede Salonitana proximus ſucceſſor*. Sed neque ipſe memini, neque ulla nota appoſita indicat locum, unde id exſcripſerim. Cæterum cum in conficiendo hujus hiſtoriæ apparatu non tam operam dederim, ut multa, quam ut optima ex optimis codicibus & auctoribus colligerem; locus ille e noſtris manuſcriptis prolatus apud me quidem auctoritatem habet ſatis idoneam ad fidem faciendam. Huic addit ponderis vel plurimum Simon Begnius Epiſcopus Modruſienſis, qui haud dubie ex antiquis monumentis in ſuas ſchedas ab Raphaele Levacovichio Epiſcopo Achridano collectas hæc refert: *S. Cajanus, & S. Symphorianus fuerunt Diaconi S. Domnii principis Apoſtolorum diſcipuli, atque eidem in eccleſiæ Salonitanæ regimine alius poſt alium ſucceſſerunt*. Ac mihi quidem videtur initio Cajanus Diaconus, Symphorianus vero Subdiaconus fuiſſe; is ergo primum in ordine Subdiaconatus operam navavit S. Domnio; & poſtea, cum in eo gradu fidem ſuam atque induſtriam ſanctiſſimo Antiſtiti probaſſet, dignus habitus, qui ad Diacona-

Cajanus Diaconus S. Domnii,

Symphorianus primum Subdiaconus,

Deinde Diaconus.

conatum proveheretur. Nam Symphorianum Diaconi & charactere præditum, & officio functum fuisse, antequam Episcopus fieret, illud satis argumento est, quod ex antiqua ecclesiastica disciplina cautum erat, ne ex ordine Subdiaconorum eligerentur Episcopi, nisi quæ causa gravior subesset, aut necessitas postularet: quæ quidem consuetudo adhuc vigebat undecimo sæculo, cum Subdiaconatus nondum ad dignitatem sacrorum ordinum videtur fuisse provectus. Id adeo intelligi potest ex Canone concilii Beneventani, quem Gratianus attribuit Urbano II., qui eidem concilio præfuit anno 1091. *Nullus in Episcopatum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens fuerit inventus. Sacros autem ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse ecclesia. Subdiaconos vero, quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus, si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ. Quod ipsum non sine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia fieri concedimus.* Hunc Canonem Urbani II. nomine & auctoritate insignitum Innocentius III. suis Decretalibus intexuit, eumque cum antiquis ecclesiæ institutis congruere affirmat hac nota eidem apposita: *Urbanus*, inquit, *ad statum primitivæ ecclesiæ se referens*: quibus verbis negat moris fuisse primævæ ecclesiæ, ut Subdiaconis ad Episcopatum aditus pateret. Idem vero Innocentius cum ibidem decrevit, ut æque in posterum Subdiaconis, quam antea Diaconis & Presbyteris Episcopatus mandari possit: *Statuimus*, inquit, *ut Subdiaconus in Episcopum valeat libere eligi, sicut Diaconus vel Sacerdos*; quo decreto non ille quidem abrogavit antiquam illam legem, quæ vetabat ex ordinibus non sacris Episcoporum electionem fieri; sed Subdiaconatum ipsum & multis onavit, quibus antea carebat, auxitque privilegiis, & præterea in numerum sacrorum ordinum retulit; quamvis enim inde usque a quinto sæculo Subdiaconus perpetui cælibatus lege obstrinxerat Leo Magnus, idque ratum esse & observari jussit Gregorius item Magnus, non tamen propterea, si quidem Urbanus cum Beneventano concilio audiendus est, Subdiaconatus inter sacros & majores ordines locum obtinuerat. Quæ cum ita sint, Symphorianus Subdiaconorum numero exemptus, & Diaconatum adeptus fuerit, oportet, in eoque gradu pie ac laudabiliter versatus, antequam Episcopali consecratione initiaretur. Ex hoc præterea conjicere possumus Cajanum pariter & Symphorianum fuisse Diaconos, quod antiquitus Episcopi e Subdiaconis quidem fere nunquam, ut diximus, e Diaconis vero sæpius, quam e Presbyteris deligi solebant, id quod postea multis exemplis declarabimus.

Subdiaconi non eligendi Episcopi.

Innocentius III. Subdiaconorum in classem Ordinum sacrorum retulit.

At vero Auctor secundæ vitæ S. Domnii Cajanum & Symphorianum non e Diaconis, sed e Sacerdotibus Episcopos factos esse affirmat: *Duos e suis Sacerdotibus Episcopos ordinavit, Gargarum videlicet & Symphorianum.* Verum Sacerdotis nomen apud antiquos Diaconis etiam, non Episcopis solum & Presbyteris commune fuit. Optatus Mileviatanus in Africa Episcopus lib. 1. contra Parmenianum, cum universum Sacerdotium triplici gradu distinxerit, in tertio Diaconos locavit: *Quid commemorem laicos? quid ministros plurimos? quid Diaconos in tertio? quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos?* Ibi enim Sacerdotii vocabulum idem significat, atque Ordo sacer, quem Græci vocant ἱερατικὸν λειτουργίαν: ex quo intelligi potest, quæ sit subjicienda sententia Ancyrano Canoni secundo, ubi Diaconorum functio appellatur ἱερατικὴ λειτουργία, quod Sacerdotale ministerium aliqui interpretantur, quamvis alii legendum putant οὐκ ἱερᾶς λειτουργίας, & latine reddendum *ab omni sacro ministerio* prohiberi Diaconos, qui, cum Idolis hostias antea immolassent, postea reliquerant. Huc accedit, quod Canones Apostolici non solum Diaconos, sed etiam inferiores Clericos *Sacerdotali catalogo* vel *numero* adscribunt. Can. 8. & 50. Quibus igitur Sacerdotale ministerium attribuitur, iisdem & nomen Sacerdotii rite accommodari potest. Non ergo Symphorianus & Cajanus Diaconorum albo propterea expungendi sunt, quod e Sacerdotio ad Pontificatum assumpti fuisse dicantur, & Sacerdotum vocabulo donentur.

Diaconi dicti interdum Sacerdotes.

Cajanum & Symphorianum vel e Neophytis Salonitanis delectos B. Domnius in Clerum cooptavit; vel, quod propius vero est, antea ecclesiasticis Ordinibus initiatos, sibique a B. Petro muneris Pontificii adjutores traditos Roma secum deduxit in Dalmatiam. Hoc siquidem proprium erat Apostolorum Principis, ut si quos alicujus loci constitueret Episcopos, eisdem ecclesiasticæ procurationis administros ac socios adjungeret, quorum opera ad conversionem Ethnicorum, atque ad functiones Episcopales obeundas uterentur. Duo in hanc rem proferam exempla, alterum ex Simeone Metaphraste, alterum ex libris Recognitionum, quæ S. Clementi vulgo tribuuntur: non enim continuo, si quæ in apocryphis continentur, falsa sunt & commentitia: nam multa in illis invenies, quæ neque religioni, neque historiæ adversantur, & rationi etiam ac veritati consentanea esse videntur. Apud Britannos, ut tradit Metaphrastes, Petrus cum ecclesias & Episcopos instituisset, Presbyteros quoque iisdem & Diaconos dedit. *Maronem*, inquit Auctor Recognitionum, *Tripoli in Phœnicia constituit Episcopum, & duodecim cum eo Presbyteros, simulque Diaconos ordinat.* Hinc conjecturam fieri velim de cæteris Episcopis, quos Petrus in alias atque alias Occidentis regiones ad novas ecclesias fundandas, cum suis quemque vel Presbyteris vel Diaconis dimisit. Cum itaque B. Domnium in Dalmatiam trajicere jussit, ut sede Pontificia apud Salonitanos constituta ex iis, quos Titus atque Hermes ad Christianam religionem traduxerant, quosque ipse per Evangelium Christo peperisset, Dalmaticam ecclesiam componeret, non est verisimile, ut nihil ecclesiastici ministerii eidem ad rem bene gerendam addiderit. Si quos autem adjutores dedit, inter eos unum alterumque fuisse oportet, qui Diaconatus charactere insignitus esset: ex omnibus enim ecclesiæ Ministris nullus est tam Episcopo necessarius, quam Diaconus, ut sine Diaconis neque ecclesia constare, neque Episcopus munera sua atque officia exsequi possit: *Sine Diacono*, inquit Epiphanius hær. 79. *Episcopus esse non potest.* Quam ob causam Paullus Apostolus in percensendis ecclesiasticis Ordinibus Presbyteros interdum tacite præteriit, Diaconos vero, & Episcopos nunquam prætermisit: veluti in epistola ad Philippenses, quæ inscripta est Episcopis & Diaconis; itemque in prima ad Timotheum, ubi præcepta Episcopis tantum ac Diaconis tradit, quæ sunt cuique necessaria ad suum munus rite fungendum: id quod præclare animadvertit Amalarius Fortunatus lib. 3. c. 6. cum scripsit Apostolum in suis ad Timotheum litteris *eos tantum Ordines denominasse, & eorum mores depinxisse, qui potissimum necessarii sunt in ecclesia, sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, scilicet sine Sacerdote & Diacono.* Quare & Justinus Martyr in Apologetico, ubi agit de Synaxibus Christianorum & celebrandi sacrificii

Cajanus & Symphorianus adjutores Domnio traditi fuisse videntur a B. Petro.

Diaconus Episcopo necessarius.

ritu

Digitized by Google

ritu meminit quidem τῶ προεστῶτος, ideſt Præſidis ſive Epiſcopi, pariterque Diaconi, Presbyteri vero non item; quia videlicet eos tantum Ordines ſibi commemorandos cenſuit, qui ad ſacrificium ſolemni ritu ac cæremonia obeundum neceſſarii ſunt.

Epiſcopus ſine Presbyteris eſſe poteſt, ſine Diaconis non poteſt.

Itaque Epiſcopus Presbyteris quidem carere poteſt, cum per ſe ipſe, quæ Presbyteri ſunt, præſtare queat; at carere Diacono non poteſt, nam ut rite ſive Epiſcopi ſive Presbyteri publicum & ſolemne munus exſequantur, tertii Ordinis adminiculo & opera utuntur. Quare Epiphanius ad cujuslibet eccleſiæ initia conſtituenda alterutrum ex duobus illis ſuperioribus Ordinibus requiri & ſufficere exiſtimat; Diaconos vero abſolute neceſſarios eſſe dixit; nam Epiſcopus, cum totius Chriſtiani Sacerdotii plenitudo ac perfectio in eo reſideat, jure ſuo omnia Presbyteri officia & munera exſequitur; nihil enim habent propriæ functionis Sacerdotes ſecundi Ordinis, quod illis non ſit commune cum Epiſcopis. Presbyteris autem, quamvis non omnia poſſint, quæ poteſt Epiſcopus, ineſt tamen jus ac poteſtas exercendi ſacras functiones maxime neceſſarias & quotidianas, cujuſmodi ſunt Sacramentorum, ſine quibus æterna ſalus obtineri nequit, adminiſtratio, Baptiſmi & Pœnitentiæ, tum etiam Euchariſtiæ, itidemque cæterorum, duobus dumtaxat exceptis Ordinationis & Confirmationis, quorum omnium vel ſolus, vel certe ordinarius miniſter eſt ſimplex Sacerdos; ex quo fit, ut particulares & locales eccleſiæ ſaltem ad tempus & propria Epiſcopi functione carere, & a ſolis Presbyteris curari interim poſſint. Contra vero neutet illorum Ordinum ſine Diacono eſſe, aut animorum procurationi, rebuſque divinis, quo decet ritu apparatuque operam dare poteſt: cum enim ſacrificia & ſacramenta ſumma majores noſtri religione confici cæremoniaque voluerint, ad id opus eſt Diacono, qui Epiſcopo vel Presbytero ritu ac pompa ſolemni ſacris operanti inſerviat; quamvis enim Presbyter Diaconi partes agere poſſit, more tamen majorum ita comparatum erat, ut in ſuo quiſque ordine conſiſteret; neve alter in alterius officium invaderet.

Neque Epiſcopus, neque Presbyter extra poteſt Diacono.

Inſtitutum Apoſtolicum in conſtituendis eccleſiis.

Idem vero Epiphanius ſupra laudatus docet Apoſtolos certæ & uniuſmodi formulæ conſtituendarum eccleſiarum, & Cleri in iis ordinandi non ita adſcriptos & obligatos fuiſſe, ut ubique tres illos Ordines inſtituerent, ex quibus integra hierarchia componitur; ſed pro re nata, & ut rudis adhuc & incohatæ eccleſiæ primordia ferebant, in quibuſdam locis unum Epiſcopum cum Miniſtris ſive Diaconis, in aliis nullum Epiſcopum, ſed Presbyteros plures pauciores ve cum Diaconis collocaſſe: neque vero formam illam ac diſpoſitionem eccleſiarum ab Apoſtolis initio deſcriptam in pleriſque illis locis perpetuam fuiſſe; ſed paullatim perfectam eſſe expletamque omnibus ſuis numeris & partibus; nam in majoribus civitatibus, ubi ſoli cum Diaconis conſtituti erant Presbyteri, poſtea impoſiti ſunt Epiſcopi; ubi autem ſolus cum Diaconis Epiſcopus præerat, ibi adjuncti ſunt ſecundi Ordinis Sacerdotes, ideſt Presbyteri. Verba Epiphanii hæreſ. 75. digna ſunt, quæ hic deſcribantur: *Cum recens adhuc eſſet Chriſtiani dogmatis prædicatio, prout res ferebant, Sanctus Apoſtolus ſcribebat; atque ubi conſtituti jam erant Epiſcopi, ad Epiſcopos & Diaconos ſcribebat. Neque enim Apoſtoli ſtatim ordinare omnia poterant. Et quidem Presbyteris & Diaconis in primis opus erat, ſiquidem ab his duobus eccleſiaſticæ functiones obiri poſſunt. At ubi nemo inventus eſt Epiſcopatu dignus, nullus ei loco præpoſitus; ſed ubi & neceſſitas poſtulabat, & eorum, qui Epiſcopatu digni eſſent, copia ſuppetebat, conſtituti ſunt Epiſcopi. Cum autem haud magna multitudo eſſet, reperiri nulli potuerunt, qui Presbyteri ordinari poſſent; unde ſolo Epiſcopo illo in loco contenti fuerunt. Sine Diacono vero Epiſcopus eſſe non poteſt.* Jure igitur meritoque Iſidorus Peluſiota *venerandos altaris Diaconos Epiſcopi oculos* appellat: quæ quidem appellatio, quam ſit neceſſarius Epiſcopo Diaconus ſatis declarat, idque confirmari poteſt multis exemplis prolatis ex hiſtoria eccleſiaſtica, in qua fere ſemper Diaconus Epiſcopo ſuus cuique adjungitur, & Epiſcopi ſæpius cum ſuis Diaconis, quam cum Presbyteris, conciliis interfuiſſe leguntur.

Epiſcopus numquam disjunctus a ſuo Diacono.

Hæc cum ita ſe habeant; ſi Petrus Domnio in Dalmatiam abeunti ſocios adjutoreſque Pontificii muneris dedit, ut dediſſe ſine dubio affirmari poteſt, nemo non intelligit, quam ſit verisimile unum alterumve ex illis fuiſſe Diaconum, & hunc quidem fuiſſe Cajanum, de cujus Diaconatu conſtat; cui adjunctus eſt Symphorianus, qui tum fortaſſis nondum adeptus erat Diaconatus Ordinem, ſed tantum hypodiaconatus titulo & charactere inſignitus. Porro uterque antequam ſummum Sacerdotii gradum aſſequeretur, propriis ſui Ordinis miniſteriis rite & cum fide obeundis aſſiduam ac ſtrenuam operam B. Domnio navavit cum ad cæteras Pontificales functiones, tum præſertim ad eccleſiam illam conſtituendam & augendam, atque ad Presbyteros, Diaconos, reliquoſque inferioris ordinis Clericos initiandos, ex quibus Clerum Salonitanum B. Domnius conflavit, ut ſcriptum eſt in ejuſdem actis: *Sacerdos Dei Presbyteros & Levitas, cæteroſque ſacri miniſterii Ordines ordinavit*: adhibitis ad ſolemnem illam conſecrationem adminiſtris Cajano, & Symphoriano. Utriuſque autem in Salonitana eccleſia quænam fuerint partes atque officia, ut dignoſci poſſit, videndum eſt, quid olim Diaconis negotii dederint Patres & Canones antiqui, quibuſque eos muneribus vellent eſſe præpoſitos: nam nullo prorſus modo audiendi ſunt, qui Diaconos ab omni ſacra functione ſummovent, eoſque tantum modo in miniſteria menſarum, pauperumque, tamquam in aliquod piſtrinum detrudi & compingi volunt. Lucas enim Evangeliſta, a quo Act. cap. 9. Diaconorum origo traditur, tametſi inſtituendorum ſeptem illius Ordinis principum captam occaſionem refert ex quotidianis in viduas egenoſque curandis ſumptibus & menſarum præfectura; non hoc ſolum munus injunctum illis eſſe ſcripſit, ſed myſtica quadam conſecratione initiatos fuiſſe, atque ad alia divina miniſteria deſtinatos tum effuſæ ad Deum preces, antequam in eum Ordinem cooptarentur, tum Apoſtolicas manus ſingulis impoſitæ declarant.

Cajanus Diaconus, Symphorianus hypodiaconus a B. Petro adjutores Domnio dati.

Officia Diaconorum.

Primum igitur Diaconis illud præſcriptum fuerat, ut Epiſcopo ſolemni ritu celebranti, aliaſque ſacras functiones obeunti præſto adeſſent; & quod ipſo eorum vocabulo ſignificatur, ad omnia, quæ ad Chriſtianæ reipublicæ adminiſtrationem pertinent, ſe fideles ac ſtrenuos Miniſtros Epiſcopo præberent. Id adeo intelligi licet ex Apoſtolicis Conſtitutionibus lib. 2. cap. 44. ubi Diaconus in omnibus, quoad poteſt, jubetur adjuvare Epiſcopum, idemque eſſe quodammodo *Epiſcopi auris & oculus, & item os, cor, & anima, ne Epiſcopus ſollicitudine multarum rerum, ſed graviorum tantum augeatur*. Deinde illis commiſſa erat Divini Verbi prædicatio, qua Stephanum unum e ſeptem primis Diaconis, nec non Philippum ex eodem ordine functos eſſe Acta Apoſtolorum commemorant: cujus muneris pars erat haud poſtrema, ut carceres perluſtrarent, & religionis cauſa in vincula conjectos

Verbum Divinum annunciare.

Chriſtianos in carceribus invitere.

ctos ſolarentur & confirmarent, eoſque Martyrii cupiditate incenderent. *In præteritum ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt*, inquit Cyprianus, *ut Diaconi ad carceres commeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis, & ſcripturarum præceptis gubernarent*. Præterea inter præcipua Diaconorum officia annumerandam eſſe Dominici corporis & ſanguinis adminiſtrationem auctor eſt locupletiſſimus, idemque Apoſtolicorum æqualis temporum, Ignatius Martyr in epiſtola ad Trallianos, qui Diaconos ait *miniſtros eſſe myſteriorum Jeſu Chriſti*; & ne quis ex grege Calvini contenderet id profanum quodpiam eſſe ac vulgare miniſterium, omnem ſua verba aliorſum, atque ille retulit, detorquendi facultatem hac explicatione adhibita præripuit: *Non enim ciborum & potuum miniſtri ſunt, ſed eccleſiæ Dei*. Paullo poſt addidit, Diaconos Epiſcopis functionem exhibere, qualem Angeli Deo præſtant, cujuſmodi Stephanus Jacobo, Timotheus, & Linus Paullo, Anacletus & Clemens Petro præſtiterunt. Juſtinus Martyr in Apologetico poſteriore docet Diaconos in eccleſia, poſtquam ab Sacerdote conſecratio facta eſt panis & vini, hoc eſt Euchariſtiæ, hanc ipſam Laicis, qui aderant, diſtribuere, iis vero, qui abeſſent, deferre: *qui apud nos Diaconi vocantur, unicuique adſtantium diſtribuunt ex illo pane & vino, & aqua benedictione conſecratis, & ad abſentes deferunt*: quem quidem panem vinumque pro communibus habere vetant illa verba, quæ de utroque proxime adjunxit: *Non enim*, inquit, *tamquam communem panem, neque tamquam commune vinum hæc accipimus*. Atque hoc perdiu poſtea obſervatum in eccleſia fuiſſe, ut Diaconi corpus & ſanguinem Domini Chriſtiano populo miniſtrarent, veteres canones & hiſtoriæ teſtantur. His adde munus Baptiſmi conferendi, quod jure quidem ordinario, ſed ex auctoritate Epiſcopi obiiſſe Diaconos ex iiſdem antiquitatis monumentis accepimus. Nam & Philippus Eunuchum baptizavit; & Tertullianus id officii Diaconis attribuit in libro de Baptiſmo; cujus *dandi quidem habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter eccleſiæ honorem*. Idem confirmatur canone 77. concilii Eliberitani, ubi & Parochiæ interdum videntur creditæ fuiſſe Diaconis: *Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos per benedictionem Epiſcopus perficere* (ideſt ſacro chriſmate imbuere) *debebit*.

Eucharistiam impertiri.

conferre baptiſmum ritu ſolemni.

Pœnitentibus manus imponere.

Quid quod jus aliquando uſurpatum a Diaconis fuiſſe invenies Pœnitentes in extremo periculo conſtitutos per manuum impoſitionem cum eccleſia reconciliandi, ſi neque Epiſcopi, neque Presbyteri adeundi vel evocandi copia eſſet, eoſdemque divina Euchariſtia impertiendi? *Si urgere exitus cœperit* (inquit Cyprianus ep. 13.) *apud Diaconum exomologeſin facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſiderayerint*. Eodem pertinet canon trigeſimus ſecundus concilii Eliberitani: *Cogente neceſſitate, neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos*. Huic manuum impoſitioni ſive abſolutioni per Diaconum factæ non inerat ea virtus & efficacitas delendorum criminum, qua illam præditam eſſe conſtat, quam Epiſcopus & Presbyter in conferendo Pœnitentiæ Sacramento adhibent; ſed erat quædam cæremonia & precatio, quæ lethalis peccati reos, dum prius omni ope enitterentur doloris amoriſque vi ante actæ vitæ ſordes eluere, ad ſuſcipiendam Euchariſtiam præparabat. Quare ſancitum erat, ut quos in ultimum vitæ diſcrimen adductos Diaconi abſolviſſent, & ſacro Viatico inſtructos cum eccleſia in gratiam reſtituiſſent; ii poſtea, ſi convaleſcerent, juberentur Epiſcopalis vel Presbyteralis manus impoſitionem ſubire, cui ſolummodo ligandi ac ſolvendi poteſtatem ampliſſimam Chriſtus commiſerat; & ſuſcepta peractaque ex antiquorum canonum preſcripto pœnitentia, pro admiſſis delictis eccleſiæ ac Deo pie & caſte ſatisfacere. Id decrevit concilium Carthaginenſe IV. can. 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint*, (a Diaconis ſcilicet) *non ſe credant abſolutos, ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint*.

Quæ quidem munera plena dignitatis atque honorificentiæ, cum præſertim & gratia & miniſterio plurimum apud Epiſcopos Diaconi poſſent, illos nimis extulerunt, eiſdemque neſcio quos ſpiritus attulere, ut ob eam cauſam adverſus Presbyteros nonnumquam ſe inſolentius efferrent; ac propterea Synodicis decretis coercendi fuerint: nam eorum audacia uſque eo proceſſerat, ut jus inter Presbyteros ſedendi ſibi arrogarent, Presbyteris nollent ſubeſſe, quod dictitarent ſe non Presbyterorum, ſed Epiſcoporum miniſtros eſſe, & in ea miniſteria invaderent, quorum uſurpatione videbantur ſibi Presbyteros ſubjicere. Diaconorum arrogantiæ frœnum injecit concilium Arelatenſe canone 18. quo *de Diaconibus urbicis* ſtatutum eſt, *ut non aliquid per ſe præſumant, ſed honor Presbyteris reſervetur*. Nicæni Patres can. 18. interdicunt, *ne Diaconi Euchariſtiam Presbyteris adminiſtrarent, ne ejus participes fierent ante Presbyteros: ne in conſeſſu Presbyterorum ſederent*. Concilium Laodicenum cavet, ac ſancit, *ne preſente Presbytero, ſederent Diaconi, niſi ab eo invitarentur*. Concilium quoque Carthaginenſe IV. Can. 37. 38. 39. 40. ut Diaconorum audaciam frangeret, multa ſecundum Presbyteros decrevit: jubet Diaconum meminiſſe, ita ſe Presbyteri, ut Epiſcopi miniſtrum eſſe: prohibet, ne coram Presbytero, niſi eo jubente, ſedeat, neve in conventu Presbyterorum, niſi interrogatus loquatur; & cum Presbyter adeſt, vetat Euchariſtiam ab Diaconis populo impertiri, niſi de illius permiſſu, & cogente neceſſitate. Cum autem quibuſdam in locis Diaconi tantum ſibi tribuerent, ut abſente Sacerdote vel ipſius incruenti ſacrificii faciendi poteſtatem uſurpare auderent, temerarium & ſacrilegum facinus compreſſit concilium primum Arelatenſe canone 15. *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere*; cujus interdicti rationem reddidit concilium IV. Carthaginienſe can. 4. *quia Diaconus*, inquit, *non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur*: quamquam Canon Arelatenſis fortaſſe intelligi debet, non de ſacrificio, ſed de aliis rebus per Diaconos ſolemni ritu Deo oblatis; alioquin Patres illi tantum ſcelus, & verbis gravioribus, & ſeveriori cenſura confixiſſent. Sed ad ſuperbiam Diaconorum retundendam vehementius ſtylum exacuit Div. Hieronymus in epiſtola ad Evagrium, ubi juſtæ reprehenſionis fines propemodum tranſgreſſus, Presbyteros quidem altius evehere, quam eorum gradus poſtulat, Diaconos vero infra, quam hujus Ordinis excellentia requirit, dejicere videtur, & horum fere totum miniſterium a ſacris ad profanas menſas, ab omni eccleſiaſtico actu, ad pauperum ac viduarum procurationem ablegare. Cæterum ipſemet Hieronymus aliis in locis de Diaconis & ſentit & loquitur multo honorificentius; nec vero in eorum efferenda dignitate, commemorandiſque privilegiis ac mune-

quid de Presbyteris ac Diaconis ſenſerit Hieronymus.

muneribus vel tantillum ab aliis Patribus dissentit. Nec vero negaverim id quoque oneris impositum fuisse Diaconis, ut egenorum ac viduarum curam susciperent, quam tamen Joannes Chrysostomus Hom. 14. negat ita propriam esse Diaconorum, ut hujusmodi οἰκονομία sive rei temporariæ administratio aliis committi non possit, cum ejus ætate in ecclesia CP. pauperum procuratio non ab Diaconis geri consueverit, sed a quibusdam Presbyteris, qui eam ob causam dicebantur Oeconomi. Verum eos turpissime falli affirmo, qui munus Diaconorum profanæ mensæ ministerio, & viduarum atque inopum cura circumscribunt: quæ quidem occasio fuit Apostolis septemviros illos eligendi, non autem Diaconici muneris circumscriptio. Quæ de gradu atque officio Diaconorum breviter scripsi, eo pertinent, ut cognosci liceat, quid magistratus ac dignitatis gesserint in ecclesia Salonitana Cajanus & Symphorianus, quibusque muneribus fungerentur, antequam ad summum Sacerdotii apicem ascenderent.

quid Chrysostomus.

§. III.

Cajanum inter Diaconos Salonitanos Primum sive Archidiaconum fuisse.

Septem in quavis ecclesia Diaconi electi.

Diaconos in omnibus vel primariis ecclesiis ad septem omnino creari præcepit concilium Neocæsariense proposito exemplo & auctoritate Apostolorum, qui totidem sanctitate ac sapientia præstantissimis viris ex omni Discipulorum numero delectis, septemvirale Diaconorum collegium Hierosolymæ instituerunt. Id quippe canone XV. in hæc verba decrevit: *Diaconi septem esse debent ex canone, etiamsi magna sit civitas; ejus autem fidem facit liber Actorum.* Quem quidem Diaconorum numerum ex Apostolico instituto, ante hanc præscriptionem Neocæsariensem, accurate servabat, ac deinceps perdiu retinuit ecclesia Romana, quemadmodum intelligi potest ex Epistola Cornelii apud Eusebium lib. 6. cap. 43. in qua Clerum Romanum constare ait e Presbyteris sex & quadraginta, e Diaconis septem, Subdiaconis itidem septem, Acolytis vero duobus & quadraginta, quibus Exorcistas, Lectores, Ostiarios ad quinquaginta duos adjungit. Cæterum ut septenus Diaconorum numerus ex regula & traditione Apostolica statutus neque imminui neque augeri solebat, ita Presbyteri ac cæteri inferiorum Ordinum Clerici nullo certo stabilique numero definiebantur. Hanc consuetudinem septenos in singulis civitatibus Diaconos creandi inde usque ab Apostolicis temporibus usurpatum fuisse affirmat Auctor Commentarii in priorem ad Timotheum epistolam, Ambrosii titulo inscripti, qui ea tempestate, cum Paullus ad Timotheum eas litteras dedit, *unum in civitate Episcopum fuisse* ait, *cum septem Diaconos esse oporteret, & aliquantos Presbyteros.* Scio equidem quinto vergente sæculo, aliquas Orientales ecclesias in eligendis Diaconis hunc numerum longius prætergressas fuisse, quam postulabat regula & præscriptio Apostolica: unam in Edessena, de qua mentio est in concilio Chalcedonensi, duodequadraginta Diaconi fuisse traduntur; & Justinianus decrevit, ut in ecclesia CP. pro urbis illius amplitudine ac dignitate Diaconi ad centum omnino crearentur. Verum dubitari nequit, quin prioribus ecclesiæ sæculis id moris in omnibus fere ecclesiis receptum fuerit, ut non plures quam septem in unaquaque ecclesia in ordinem Diaconorum cooptarentur.

Presbyteri cæterique inferiores Ministri nullo certo numero definiti.

Quemadmodum autem Archiepiscopus sive Metropolita unus omnibus unius provinciæ Episcopis, & unus itidem Archipresbyter omnibus unius ecclesiæ Presbyteris præfici solebat, sic etiam inter omnes unius ecclesiæ Diaconos unus auctoritate ac dignitate eminebat Archidiaconus, quamquam, ut tum ferebat modus loquendi Christianæ demissioni ac modestiæ magis consentaneus, non eos honorificis hujusmodi titulis afficiebant, nec sui-quemque ordinis principem, sed in suo quemque ordine Primum vocabant: primus enim Episcoporum, primus Presbyterorum, primus Diaconorum dici solebant, quos nunc magnificentiore vocabulo Archiepiscopos, Archipresbyteros, Archidiaconos vulgo appellamus. Hieronymus ad ordinis ecclesiastici unitatem, rectamque descriptionem pertinere docet, quod tria in singulis ecclesiis capita constituta sint, alia aliis obnoxia: *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi; & omnis ordo ecclesiasticus suis Rectoribus mititur.* Epist. ad Rusticum.

E septem Diaconis unus cæteris dignitate præerat.

Jam vero ut paucis exsequar, quod hujus loci caput est, cum Domnius duos aut plures annos Salonæ versatus in salutem institutionemque indigenarum haud laboriosius, quam felicius incubuisset, & Christianorum numerus eo crevisset, ut in unius ecclesiæ corpus jam coalescere descriptis legibus, præpositisque magistratibus posset, ad Clerum Salonitanum constituendum cogitationem curamque convertit: *Presbyteros, & Levitas, cæterosque sacri ministerii ordines ordinavit.* Ex prima Vita S. Domnii. *Crescente vero numero Christianorum delegit ex eis optimos, quos mysteriis edoctos Sacerdotes ordinavit.* Ex Vita secunda. Idem Adamus Parisiensis, cæterique ejusdem vitæ Scriptores tradiderunt. Nec vero dubitari potest, quin totius ecclesiasticæ Hierarchiæ descriptionem ad exemplum institutumque Apostolorum exegerit; & cum Presbyteros, atque inferioris ordinis ministros sive arbitratu suo, sive pro rei necessitate plures paucioresve initiasset, Diaconorum collegium septenario numero definivit: id quippe & constitutio Apostolica, & dignitas ecclesiæ Salonitanæ, & urbis illius amplitudo ac frequentia postulabat. In hoc amplissimo septemviratu cæteris auctoritate ac dignitate præesse jussit Cajanum, eique Primi Diaconi & titulum attribuit, & partes imposuit. Nam unum Cajanum ex omnibus delectum fuisse, cui is honos ac magistratus mandaretur, satis argumenti est, quod cum antiquus esset B. Domnii discipulus, & fortassis ex ipsamet B. Petri schola veluti ex quadam omnium virtutum officina prodiisset, vix dubitari potest, quin ob vitæ sanctimoniam, & rerum ecclesiasticarum scientiam ad id munus gerendum omnibus aptior videretur. Præterea qui dignus postea visus fuit tum Domnio, ut ad Episcopatum eveheretur; tum Clero populoque Salonitano, ut ipsimet S. Domnio in ecclesiæ illius regimen succederet, cum antea præditum fuisse oportet ea doctrina & sanctitate, ut judicari posset idoneus ad sustinendam personam Archidiaconi, quæ multiplicium ac variarum rerum procuratione ad Episcopum proxime accedit. Cum igitur in omnium virtutum genere inter omnes Beati Domnii discipulos unus Cajanus emineret, haud dubium videtur esse, quin huic Domnius primum inter Diaconos Salonitanos locum tribuerit. Magnum fuit olim in ecclesia Archidiaconi nomen, eximia dignitas, jurisdictio ac potestas longe ac late diffusa, ut nemo nisi egregiis vel perspicaciæ & doctrinæ, vel prudentiæ, & cæterarum virtutum præsidiis instructus tantam personam, tam gravem, tam difficilem suscipere ac tueri posset. Primus Dia-

Cajanus primus Diaconus, sive Archidiaconus.

Illyricum Sacrum.

Digitized by Google

Diversa officia Archidiac.

conorum ſive Archidiaconus auctoritate proximus erat Epiſcopo, qui vicaria ejuſdem opera ad totius rei eccleſiaſticæ ac temporariæ adminiſtrationem utebatur; idque cognoſci poteſt ex Epiſt. 57. Leonis I. ad Anatolium CP. ubi ait *diſpenſationem totius cauſæ, & curæ eccleſiaſticæ* ab Anatolio concreditam fuiſſe Ætio Archidiacono ſuo; itemque ex Anatolii ad Leonem litteris, quibus reſpondet Ætium, ut Pontifex mandaverat, ab ſe in priſtinum dignitatis locum reſtitutum fuiſſe, & controverſiis cauſiſque omnibus, quæ ad contentioſam Epiſcopi juriſdictionem pertinent, præpoſitum eſſe: *Et reverendus quidem Ætius in priore loco atque honore a nobis eſt reſtitutus, omne, quod Epiſcopii noſtri eſt, modeſte faciens ipſe reſponſum.* Quam ob cauſam Archidiaconus potiſſimum appellari ſolebat Epiſcopi *oculus, & manus*; quin immo Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 29. jubet Archidiaconum eſſe *plenum oculorum*, ut nihil eum lateat, quod ad curam & inſpectionem eccleſiaſticam pertinet, & omnibus eccleſiæ neceſſitatibus proſpicere, & commodis utilitatique providere poſſit. *Si venerandi Altaris Diaconi Epiſcopi oculi ſunt, cum tu Dei permiſſu ipſis præſis, totus oculus ὅλος ὀφθαλμὸς eſſe debes, quemadmodum animalia illa plurimis oculis prædita.* Patres concilii Toletani I. id præterea oneris imponunt Archidiaconis, ut quæ de moribus ac diſciplina Clericorum ſanciverant, ea ipſi tum Epiſcopis, tum Presbyteris identidem in memoriam redigant, curentque ſedulo, ut ſarta tecta ab omnibus ſerventur. *Hujuſmodi conſtitutionem ſemper meminerit Archidiaconus vel præſentibus vel abſentibus Epiſcopis ſuggerere, ut eam Epiſcopi cuſtodiant, & Presbyteri non relinquant.* Ex quo ſatis intelligi poteſt, quanti olim fieret Archidiaconi dignitas & auctoritas, cui ſecundum Epiſcopum primas deferunt etiam juniores Canoniſtæ: *Archidiaconalem dignitatem de jure communi poſt Epiſcopalem eſſe majorem dignitatem quacumque alia in eccleſia Dei, & per conſequens majorem Abbatiali.* Fagnan. lib. 1. Decret. par. 2. Omnia fere Archidiaconorum munera & officia præclare deſcripſit Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in epiſt. ad Luidfredum Ep. cujus verba hic adſcribere haud piget: *Archidiaconus imperat Subdiaconis, & Levitis.... Quis Levitarum Apoſtolum & Evangelium legat, quis preces dicat ſeu Reſponſoria in Dominicis diebus aut Solamnitatibus decantet, præſcribit. Sollicitudo quoque Paræciarum, & ordinatio, & jurgia ad ejuſdem pertinent curam. Pro reparandis Diœceſanis baſilicis ipſe ſuggerit Sacerdoti: ipſe inquirit paracias cum juſſione Epiſcopi, & ornamenta, vel res baſilicarum, & paræciarum geſta, & libertatum eccleſiaſticarum Epiſcopo ipſe refert. Collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & Clericis partes proprias idem diſtribuit. Ab Archidiacono nunciantur Epiſcopo exceſſus Diaconorum. Ipſe denunciat Sacerdoti in ſacrario jejuniorum dies, atque ſolemnitatum, & ab ipſo publice in eccleſia prædicantur. Quando vero Archidiaconus abſens eſt, vicem ejus Diaconus ſequens adimplet.* Venantius Fortunatus Poemat. lib. 3. delegatam ab Epiſcopo Archidiaconis poteſtatem nullis limitibus circumſcripſit: *Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli, de grege Pontificis magni Miniſter habes.* Nec vero Archidiaconus ſolum in Clericos ordinis inferioris, quos pietate ac litteris imbuere, atque ad omne ſui quemque officii munus inſtruere debebat ex præſcripto concilii IV. Carthaginenſis; ſed etiam in Parochos ac Presbyteros, ut docet Iſidorus, ſuam juriſdictionem exſerebat, quibus quamvis de loci primatu concederet, cum ordinis gradu inferior eſſet, auctoritate tamen ac rerum gerendarum poteſtate eoſdem antecedebat. Quid quod ne ipſos quidem Archipresbyteros Archidiaconi imperio ac juriſdictione exemptos fuiſſe tradit Iſidorus in eadem epiſt. ad Luitfredum Ep. jubetque illos huic non ſecus atque Epiſcopo ſuo ſe morigeros atque obedientes præbere: *Archipresbyter vero ſe eſſe ſub Archidiacono, ejuſque præceptis, ſicuti Epiſcopi ſui, ſciat obedire.* Quare nullus erat eccleſiaſticæ poteſtatis gradus ſuperior, quo Archidiaconus poſſet conſcendere, niſi ad Epiſcopatum eveheretur; ei ſiquidem Presbyteratum adepto, tantundem neceſſe erat de imperio & auctoritate detrahi, quantum ad characteris dignitatem amplificandam acceſſerat. Sidonius Apollinaris refert Joannem Archidiaconum Cabillonenſem ob ſuam eximiam induſtriam ac ſolertiam diu retineri oportuiſſe in gradu Diaconorum, ne ſi ad ſuperiorem aſcendiſſet, dignitate auctus, poteſtate diminutus operam ſuam perutilem ac neceſſariam eccleſiæ & Epiſcopo ſubducere cogeretur; neque enim Presbyteratu initiatus Archidiaconi officio fungi potuiſſet: *In quo Archidiaconi ſeu gradu, ſeu miniſterio*, inquit Sidonius lib. 4. epiſt. 25. *multum retentus propter induſtriam, diu dignitate non potuit augeri, ne poteſtate poſſet abſolvi.* Quapropter Archidiaconi, ne munus ſuum gradumque dimitterent, vix aut ne vix quidem adduci poterant, ut ſe Presbyteros fieri paterentur; Epiſcopi autem male & injuſte facere putabantur, qui Archidiaconos ſuos Presbyteratum ſuſcipere cogerent. *Certe*, inquit Hieronymus, *qui primus fuerit Miniſtrorum, quia per ſingula concionatur in populos, & a Pontificis latere non recedit, injuriam putat, ſi Presbyter ordinatur.* Jure igitur meritoque Leo Magnus Anatolium Conſtantinopolitanum, & Gregorius itidem Magnus Natalem Salonitanum Antiſtitem reprehendunt graviſſimis ad utrumque ſcriptis epiſtolis, quod alter Ætium jam provexerat, alter Honoratum ad Presbyteratum provehere conabatur, ut Archidiaconatu utrumque moverent; jubentque eos in priſtinum gradum reſtitui. De poteſtate, electione, officioque Diaconorum quæ præterea dici poſſunt, brevius ac diſtinctius explicabimus in actis Natalis Salonitani Epiſcopi, cui multæ & magnæ contentiones fuerunt cum Honorato Archidiacono, quas ut dirimeret, Gregorius Magnus auctoritatem ſuam interponendam cenſuit. Cum igitur totius fere eccleſiaſticæ adminiſtrationis multis operoſiſque negotiis implicatæ molem unus Archidiaconus partim ex ſuo officio, partim ex Epiſcopi delegatione ſuſtineret, non ætas, non opes, non gratia, non denique ſuſcepti ordinis antiquitas ad hunc æque difficillimum atque ampliſſimum Magiſtratum viam muniebat; ſed id oneris atque honoris illi potiſſimum mandari ſolebat, quem virtus, doctrina, & præſertim diſciplinæ eccleſiaſticæ ſcientia rerumque gerendarum ſolertia commendabat; cum alia eſſet ratio Archipresbyteri eligendi, ut quiſque enim antiquitate Sacerdotalis conſecrationis antecedebat, ita primum inter Presbyteros locum ac nomen obtinebat. Cum ergo Cajanus cæteris B. Domnii Diſcipulis, ut diximus, omni virtutum genere facile præſtaret, idcirco inter omnes maxime idoneus ac dignus habitus eſt, qui Diaconis Cleroque Salonitano ſecundum Epiſcopum præeſſet, & Primi Diaconi titulo ac dignitate ornaretur.

Archidiaconi eccleſiaſticæ diſciplinæ tuendæ præpoſiti.

Munera Archidiaconi ex Iſidoro Hiſpalen.

Archidiaconi officia inferiorum.

Auctoritas tamen Presbyteris, & Archipresbyteris præſtita.

Archidiaconi ad Presbyteratum nec ipſi volebant, nec ſinebant ex inferiori promoveri poterant.

C A-

CAPUT III.

De Conſecratione Epiſcopali Cajani, & Symphoriani.

§. I.

Adventus S. Clementis in Dalmatiam.

DE Apoſtolica B. Clementis peregrinatione, acceſſuque ad urbem Salonitanam, teſtis eſt fatis idoneus, qui vitam S. Domnii ſecundo loco a nobis probatum deſcripſit: *Poſt vero cum jam Petrus & Paulus Neronis juſſu Roma martyrium conſummaſſent, contigit S. Clementem illac pertranſire, quem Sanctus Pontifex excepit ſicut Angelum Domini. Habebat Clemens duos Epiſcopos ſecum, cum quibus, ubi opus eſſet, Epiſcopos conſecrabat. Petiit ergo Domnius a S. Clemente concedi ſibi præfatos Epiſcopos, cum quibus idem duos ex ſuis Sacerdotibus Epiſcopos ordinavit, Garganum videlicet, & Symphorianum, quos & ſucceſſores poſt mortem, alterum poſt alterum habuit.*

Quo tempore Clemens venerit in Dalmatiæ.

Quo tempore S. Clemens Dalmatiam, cæteraſque regiones Apoſtolico ritu luſtraverit, & Salonam advenerit, intelligi nequit, niſi antea definiatur illud annorum intervallum, quo Romanam Clementis Pontificatum circumſcribi, includique oportet. De ordine ſucceſſionis, quo priores quatuor poſt Petrum Pontifices catholicæ eccleſiæ præfuerint, diſcrepant Latini pariter Græcique Scriptores. Nullo prorſus modo illis aſſentiendum eſt, qui proximum a B. Petro in Romana cathedra Clementem conſtituunt, Lino expuncto, quem ad eccleſiam regendam navaſſe quidem ipſimet Petro vicariam operam putant, ſed Neronis juſſu ante occubuiſſe, quam Petrus Paulluſque, eodem Nerone imperante, egregiam pro Chriſto mortem oppeterent. Quæ iſtos in hunc errorem induxerint, cauſas reperio duas; unam, quod in Actis Græcis SS. Petri & Pauli apud Metaphraſtem diſerte ſcriptum eſt Linum antea morte præreptum, quam Petrus Romam rediret, martyrium paullo poſt ſubiturus: altera eſt hæc, quod eadem Acta, & liber Pontificalis Damaſo Papæ attributus, itemque alii Romanorum Pontificum catalogi tradunt Clementem a B. Petro, qui ſuum ab hac vita diſceſſum prope abeſſe divinitus cognoverat, rite ordinatum, & Pontificiæ cathedræ ſucceſſorem deſignatum fuiſſe. Verum quod Acta illa perhibent de morte Lini intempeſtiva, veterum omnium Scriptorum teſtimoniis refellitur; illud vero de Clemente ſucceſſore Petri deſignato, quod traditur, non repugnat contra Lini Pontificatum: potuit enim Clemens certis gravisſimiſque de cauſis, quas infra explicabimus, loco cedere, & oblatum ſibi, traditumque Sacerdotium in Linum transferre. Cæterum de Lino in Petri ſedem proxime ſuffecto omnes fere Scriptores eccleſiaſtici veteres pariter juniorеſque conſentiunt; ut de tam teſtata exploratagque re addubitare non poſſit, niſi qui cum nova propemodum antiquitate diſſentire, & ex hominum genere humanam fidem eximere velit.

non fuit Petri proximus ſucceſſor.

Lino extincto Optatus, Auguſtinus, aliique haud multi Clementem, longe vero plures, videlicet Ignatius, Irenæus, Epiphanius, Euſebius, Hieronymus, Proſper, Iſidorus, Liber Pontificalis, cum pleriſque Catalogis, & Martyrologiis Cletum vel Anacletum ſubjiciunt. Auctor Carmi-

Lino alii Clementem, alii Cletum ſubſtituunt.

num adverſus Marcionem, quibus Tertulliani nomen præfigitur, Cleto & Clementi Anacletum interjecit, quem plerique Latinorum quintum a Petro numerant. De Cleto & Anacleto eſt aliquid controverſiæ. Sunt enim, qui ex his duobus unum tantummodo Pontificem conflandum cenſent, propterea quod non ſolum Græci omnes, ſed etiam aliqui ex Latinis alterutrum prætermittunt. Ignatius, Irenæus, Euſebius, quem tertium a B. Petro conſtituunt, eum, non ut alii Cletum, ſed Anacletum vocant, Cleti vero nuſquam meminere; ſed Clementi Evariſtum ſuffectum tradunt; alii contra Cletum quidem commemorant, Anacletum vero non item. Cæterum Latini fere omnes, *quibus*, ait Baronius, *in iis, quæ ſunt Romanæ eccleſiæ, majorem eſſe adhibendam fidem, quam cæteris*, a Cleto Anacletum diſtinguunt, & utrique Clementem interjiciunt. Quare ad communem & magis receptam apud Latinos ſententiam exigere placet ordinem ſeriemque quatuor horum Pontificum, & huic loco innectere, Chronologicis calculis ex Baronio adjectis, quos ad eam, quam quiſque malit ſequi, computandorum temporum rationem revocare poterit.

Cletum ab Anacleto Latini diſtinguunt, & Clementem utrique interjiciunt.

Linus ab an. 69. ad an. 80.
Cletus ab an. 80. ad an. 93.
Clemens ab an. 93. ad an. 102.
Anacletus ab an. 103. ad an. 112.

Godefridus Henſchenius *in Diatriba Præliminari ad tomum primum Aprilis*, ad contexendam horum quatuor, & deinceps conſequentium Pontificum ſucceſſionem uſus eſt pervetuſto quodam Indiculo, quem notæ longe optimæ ait eſſe, & libro Pontificali, cæteriſque hujuſmodi Catalogis præferendum cenſet, eumdemque a Damaſo Papa vel compoſitum, vel certe approbatum, & S. Hieronymo miſſum fuiſſe exiſtimat; ut colligitur ex utriuſque alterius ad alterum Epiſtola. In eo Catalogo, ſive ut Petavius lib. 5. Ration. temp. cap. 5. vocat, Indiculo continuatio ſerieſque Pontificum Romanorum ad Liberium uſque perducitur, qui proximus ante Damaſum eccleſiæ præfuit. Id vero potiſſimum huic catalogo pretium & auctoritatem conciliat, quod ſingulorum Pontificum tempora ſuis cujuſque adjectis conſulibus deſignantur; & ut initium, ſic exitus cujuſque Pontificatus, eorum, qui Conſulatum per id temporis geſſere, nominibus ſubjicitur: quæ quidem Conſulum adſcriptio cæteris omnibus chronologicis notis certior habetur atque expeditior ad veterum temporum ordines & inveſtigandos & explicandos.

De Pontificatu Lini ſententia Henſchenii.

Henſchenius igitur hujus Catalogi auctoritate nixus annos duodecim cum aliquot præterea menſibus ac diebus Lino ibidem attributos numerare incipit a Conſulatu Q. Voluſii Saturnini, & P. Cornelii Scipionis, cui initium Lini adſcribitur, quique cum anno æræ vulgaris 56. juxta computationem ejuſdem Henſchenii cohæret: non quod illo anno vel Petrus obierit, vel Linus in ejus locum ſubrogatus fuerit, ſed quia tum a B. Petro Epiſcopus conſecratus, & Pontificii muneris Vicarius adlectus eccleſiam Romanam auctoritate ſibi delegata adminiſtrare cœpit. Poſt Petri martyrium, quod refert ad annum æræ vulgaris 65. Linus veri Pontificis nomen ac dignitatem adeptus ampliius duos annos eccleſiæ præfuit, martyrio perfunctus 23. Septembris Coſſ. L. Fontejo Capitone, & C. Julio Rufo, ideſt anno 67. Ita Henſchenius duodecim illos annos Lino adſcriptos bifariam diviſit, novem cum aliquot menſibus eidem tamquam Petri Vicario, reliquos cum aliquot itidem menſibus eidem jam Pontifici maximo attribuit.

Lino

Lino Clementem ſubjecit.

Lino ſublectus Clemens Pontificatum iniit anno 67. qui fuit proximus ante Conſulatum C. Silii Italici, & M. Galerii Trachali, geſſit annos fere decem, ultro depoſuit an. 77. Abdicati a Clemente Pontificatus teſtem citat Henſchenius primam ejuſdem Clementis ad Corinthios epiſtolam, in cujus extrema parte de ſe ipſe videtur loqui, cum ait: *Si propter me ſeditio, contentio, & ſchiſmata orta ſunt, emigrabo, abibo quocumque volueritis.* Epiphanius quoque hær. 27. affirmat ab aliquibus tradi *S. Clementem ab omni adminiſtratione ceſſaſſe, & eum in quadam epiſtola ſcripſiſſe: Recedo, ex eo; bene ſtabiliatur populus Dei.* Exinde Clemens nulli ſedi affixus, Epiſcopi Apoſtolici, ſive Evangelici, qui etiam Regionarius dici poteſt, titulo ac munere ſuſcepto, vitæ, quod illi ſupererat, Eccleſiis Orientis Apoſtolico more rituque luſtrandis exegit uſque ad annum Trajani tertium, æræ vulgaris centeſimum, quo trans Pontum in exilium pulſus, apud Tauricam Cherſoneſum pro religione occubuit.

Clementi Pontificatum abeunti Cletus,

Romanam Cathedram voluntaria Clementis deceſſione vacuam Cletus conſcendit anno 77. Coſſ. Veſpaſiano VIII. & Domitiano VI. tenuit ſex annos, & duos præterea menſes, dieſque ſeptem uſque ad Conſulatum Domitiani nonum, & Rufi, & pro Chriſto interemptus eſt anno proximo 84.

Cleto exſtincto Anacletus ſuccedit.

Cleto rebus humanis exempto ſucceſſit Anacletus anno 84. Conſulibus Domitiano X. & Sabino; cumque annos fere duodecim eccleſiam ſanctiſſime gubernaſſet, uſque ad Conſulatum Domitiani XVII. & Titi Clementis Flavii, martyrio perfunctus eſt anno 95. Hunc a ſuperiore omnino diſtinguendum eſſe cenſet Henſchenius; cum Cletus Romanus fuerit, patre Æmiliano natus, Anacletus vero Græcus Athenis oriundus ex patre Antiocho; & alius alias res geſſerit, alius aliis temporibus Pontificatum obtinuerit. Neque hic prætereundum eſt, quod Henſchenius animadvertit ac monuit, in priore parte hujus catalogi uſque ad Urbanum, & annum tertii ſæculi trigeſimum deducta, nullos Conſules bis apponi; *quamvis*, inquit, *ſub iiſdem, ſub quibus ſedere incæperant quidam, fuerint vita functi, aut martyrio coronati eorum Dæceſſores.*

Chronologia Pontificia Henſcheniana præter cæteras utilitates id commodi affert, quod ſi ad ejus normam & Catalogi Henſcheniani regulam librum Pontificalem exigere, emendare, interpretari velis, nihil eſt, quod tantopere de illius libri auctore Baronius aliique Scriptores Eccleſiaſtici querantur, quem turpiſſime a ſeipſo diſſidere, & tota temporum diſtributione erraſſe affirmant. Si enim Lino Pontifici novem annos detractos eidem Pontificii Vicarii, dum Petrus viveret, partes agenti reddideris; ſi Clementis Pontificatum a poſtremis prioris ſæculi annis retroactum inter annos 67. & 77. ejuſdem ſæculi collocaveris; immanes illi anachroniſmi Pontificum libro affecti protinus evaneſcunt, & ſua quoque huic Catalogo conſtabit auctoritas; quod autem de numero annorum, quo ſinguli Pontificatus definiuntur, ab Henſcheniano codice aliquando diſcrepet, id librariorum incuriæ tribui facile poteſt. Si vero in ordinandis digerendiſque temporibus Imperatorum & Conſulum ratio potiſſimum eſt habenda, iidem fere Imperatores & Conſules in utroque Catalogo unicuique Pontifici adſcribuntur. In eo præterea diſſentit ab Henſchenii Catalogo liber Pontificalis, quod Cletum Clementi, Pium Aniceto præpoſuit. Cæterum illud quoque ad Pontificii codicis Henſcheniani auctoritatem ſtabiliendam maxime pertinet, quod fere congruit cum altero Ms. Codice in Bibliotheca Chriſtinæ Reginæ Svecorum invento, & uſque ad Felicem IV. atque Imperium Juſtiniani deducto, quem Henſchenius plurimi fecit, ac dignum cenſuit, quem minuſculis litteris exaratum ſuo Catalogo ſubjiceret.

Chronologia Pontificia Henſchenii cum libro Pontificali codice Henſcheniano facile conſiliat.

Chronologia Pontificia Papebrochii cum Henſcheniana partim conſentiens, partim diſſentiens.

Henſchenii veſtigiis ferme inſiſtit Daniel Papebrochius in contexenda Pontificia Chronotaxi, quam ut accuratiorem & meliorem faciat, diligentius notatis interſtitiis Pontificalibus, & diebus, quibus unuſquiſque Pontifex vel obiit, vel electus, vel conſecratus eſt, multa variat a ſuo Magiſtro diſſentiens. Illud ad rem noſtram pertinet, ſingularique animadverſione dignum eſt, quod Cletum & Anacletum unum eſſe voluit eumdemque Pontificem, ſed ejus Pontificatum bifariam diſſecuit. Nam Cletus Lino in Romanam ſedem ſubſtiturus anno 67. poſtquam ſex annos & duos menſes, dieſque octo præfuiſſet eccleſiæ, cum Philoſophis, quos Veſpaſianus urbe expulerat, coactus exulare, anno 73. Pontificatum dimiſit.

Cleto abeunti Clemens ſubrogatus anno 73, novem annos, duos menſes, dies duodecim rem Chriſtianam adminiſtravit. A Domitiano conſanguineo ſuo, qui Sabinum Conſulem Clementis patruum, & patruelem Domitiani necari juſſerat, vel in carcerem conjectus, vel exulare juſſus, Pontificatu ſe abdicavit anno 83. Exinde oleum diu invium diſque Chriſtiani orbis eccleſiis, Epiſcopi Apoſtolici partes peregit uſque ad imperium Trajani, a quo in Cherſoneſum Tauricam relegatus, ibidem egregio martyrio perfunctus eſt.

Poſt Clementis diſceſſum cathedræ regimen iterum ſuſcepit Cletus, dictus propterea Anacletus: idem Revocatus; qui anno decimo tertio, quam Pontificatum receperat, jubente Domitiano ob Chriſti religionem interemptus eſt anno 96. Ejuſdem commemoratio in faſtis eccleſiaſticis ſemel atque iterum adſcripta legitur, primum ad diem XXVI. Aprilis illius Martyrio inſignem, deinde ad XIV. Julii, quem in diem aliqua fortaſſis ejus translatio incidit: illic vero *Cleti*, hic *Anacleti* nomine affi-citur. Hæc Papebrochius.

Probabilior ſententia Clementem Cleto ſubjicientis, deſignatum quidem a Petro ſucceſſorem,

Quos de Clementis Pontificatu auctorum opiniones expoſui, eo potiſſimum pertinent, ut ex illis elici dignoſcique poſſit tempus, quo cum Clementis in Dalmatiam adventus apte cohæreat. Si ordinem ſeriemque chronologicam Pontificum Romanorum ab Henſchenio vel Papebrochio contextam amplecti libeat; admodum verisimile eſt tum Clementem appuliſſe in Dalmatiam, cum abdicato Pontificatu, ſuſceptoque Epiſcopi Apoſtolici titulo atque officio, Chriſti nomen & cultum, qua nondum pervaſerat, circumferre, atque eccleſias jam conditas inviſere, ac ſtabilire inſtituit. Hanc autem abdicationem Henſchenius cum anno 77., Papebrochius autem cum anno 83. copulavit. Me vero haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, qui non ſolum Lino, ſed etiam Cleto Clementem poſtponunt, hujuſque Pontificatum in annos extremos ſæculi primi conjiciunt: hanc enim ſententiam pleriſque tum Græcis tum Latinis probari video, & multorum veterum conſenſu firmatam eſſe, quam Baronius ſequendam eſſe cenſuit. Nec vero ab illis diſſentio, qui docent a Petro haud ignaro ſibi propediem e vita migrandum, Clementem accerſiri juſſum, eique quamvis invito ac repugnanti tandem perſuaſum, ut Romanæ urbis Epiſcopum ſe decerni, ipſiuſque Petri ſucceſſorem deſignari pateretur. Id quippe tradunt Tertullianus de præſcript. cap. 32. Epiphanius hæreſ. 27. Ruffinus, liber Pontificalis, quibuſcum conſentiunt alii Romanorum Pontificum Catalogi & Acta S. App. Petri & Pauli

apud

apud Surium e Simeone Metaphraſte, ut ajunt, deſcripta. Cæterum Clemens ſive Chriſtianæ modeſtiæ & ſubmiſſionis cauſa, ſive ne quod perniciosſum exemplum deligendi Romani Pontificis poſteris proderetur, ſeu denique ut quamlibet ſchiſmatis occaſionem Clero populoque præriperet, cui deſignatam illam ſucceſſionem non ſatis probari intelligebat, de jure ſuo *ceſſit*, integra ut eſſet iis, ad quos pertinebat, & libera poteſtas Epiſcopi, quem vellent, eligendi, præficiendique in locum Petri, qui paullo ante martyrium ſubierat. Itaque Clemente poſthabito delectus eſt Linus, qui eccleſiæ catholicæ præeſſet. Huc referri poſſe videntur quædam verba illius epiſtolæ, quam Clemens ad Corinthios ſcripſit, ut eos ad concordiam revocaret. Cum enim quoſdam e Clero ob cauſas neſcio quas loco ſuo officioque amotos alii vellent, alii nollent in priſtinum gradum reſtitui, pertinax & implacabile ſchiſma Corinthiacam eccleſiam in duas factiones diſtraxerat: *Qui igitur inter vos ſtrenuus eſt*, inquit Clemens, *qui miſericors & charitate plenus, dicat: Si propter me ſeditio, contentio, & ſchiſmata orta ſunt, emigrabo, abibo, quocumque volueritis; & quæ a plebe mandantur, faciam; ſolum Chriſti ovile, cum conſtitutis ſupra ſe Presbyteris, in pace degat.* Hic Clemens tacito quodammodo obſcureque Pontificiæ ſuæ abdicationis exemplo propoſito hortatur eos, quorum cauſa graves illæ contentiones exarſerant, ut pacis revocandæ ſtudio malint cedere tempori, juſque ſuum remittere, quam amiſſi gradus recuperandi cupiditate materiam jurgiorum & ſchiſmatis Corinthiis ſuppeditare. Illis plane verbis aliquos adductos fuiſſe ait S. Epiphanius, ut crederent *S. Clementem ab omni adminiſtratione vacaſſe, & eum in quadam epiſtola ſcripſiſſe*: Recedo, exeo; *bene ſtabiliatur populus Dei, nonnullis hoc modo conſulentem; nam in quibuſdam Commentariis ita ſcriptum reperimus.* Huc pertinent, quæ de abdicatione Clementis ſcripſit Godefridus Vendelinus in Commentar. ad epiſtolas Clemen. *Cum Romæ inter fideles orta eſſet (qualis poſtea Corinthi) magna diſſenſio ſuper honore Pontificatus, Clemens, ne quaſi ex teſtamento Petri ſucceſſiſſe videretur, ac ne poſteris hæc Principatus ambitio pernicioſi exempli haberetur, ultro ſe Pontificatu abdicavit.* Eamdem fere cauſam, quæ Clementem impulit, ut traditum ſibi Pontificatum dimitteret, paullo copioſius expoſuit Natalis Alexander Diſſert. 3. *Licet Clementem a Petro ordinatum tradant quamplurimi, non ſequitur, quod Romanam ſedem immediate poſt illum aſcenderit. Deſignatus quidem fuerat a Petro Romanæ & univerſalis eccleſiæ Epiſcopus; ſed ad exempli perniciem devitandam, Clero ſuo (ut credere par eſt) conſentiente, ſingulari Spiritus Sancti afflatu jure ſuo ceſſit... Enimvero peſſimum exemplum præberi animadvertebat, ſi ex vi deſignationis & ordinationis de ſe factæ a S. Petro (quantumvis juſta eſſet) exerceret Pontificium, quia futurum prævidebat, ut ſi Pontifici liceret ſibi deſignare ſucceſſorem, plures in cathedram Petri ſubvecti, ſed Petri veſtigia non ſecuti, revelationem carnis, & ſanguinis, non Sancti Spiritus afflatum attenderent .... Sicque ſummum eccleſiæ Sacerdotium ab ordine Melchiſedech in ordinem Aaronis deſcenderet; nec dignatio cœleſtis gratiæ faceret Antiſtitem, ſed carnalis ſucceſſio generaret Sacerdotem.*

ſed ſponte ſe abdicantem Pontificatu.

Clemens poſt depoſitum Pontificatum Epiſcopus Apoſtolicus.

Quid igitur? an Clemens totos illos viginti ac tres annos, antequam collatum a Clero populoque Romano Pontificatum reciperet, ab omni curatione & adminiſtratione rei Chriſtianæ vacaverit? Minime vero. Nam, ut Henſchenius, Papebrochius, & alii docent, Epiſcopi Apoſtolici ſive Evangelici partes ſuſcepit. Etenim prima illa eccleſiæ orientis ætate, cum pro meſſis ubertate & copia mira eſſet operarum paucitas, neceſſe erat id genus Operarios eſſe quamplurimos, qui nulli cuipiam loco addicti affixique, ſed Apoſtolico ritu ſoluti ac liberi, regiones alias ex aliis peragrarent; & vel novas inſtituerent eccleſias, vel jam incohatas perficerent, & ſuum cuique Epiſcopum præponerent; ad eamque potiſſimum reipublicæ Chriſtianæ partem ſublevandam accurrerent, quam maxime laborare, & firmiſſimis præſidiis indigere cognoviſſent. Hoc inſtitutum munuſque Apoſtolicum Euſebius ad hunc modum deſcripſit: *Sed & alii plurimi per idem tempus Apoſtolorum diſcipuli ſuperſtites erant, qui eccleſiæ fundamentis, quæ ab illis jacta fuerant, digniſſima deſuper fidei ædificia conſtruebant, augentes in omnibus prædicationem verbi Dei, & ſalutaria ſemina regni cœlorum per omnem terram latius differentes. Denique nonnulli ex his ardentiore divinæ Philoſophiæ cupiditate ſuccenſi animas ſuas verbo Dei conſecrabant, explentes perfectionis ſalutare præceptum, ut facultates ſuas primo indigentibus dividentes, expediti ad prædicandum Evangelium fierent, ut ſi quibus forte provinciis nomen fidei eſſet incognitum, prædicarent. Primaque apud eos Evangelii fundamenta collocantes, atque electis quibuſdam ex ipſis, officium regendæ eccleſiæ, quam fundaverant, committentes, ipſi rurſum ad alias gentes, aliaſque provincias properabant, & Evangeliſtarum fungebantur officio.* His verbis ſatis opinor accurate deſcripta eſt Apoſtolica Clementis peragratio. Cum autem inter annum 65. vel 69, quo Pontificatu ceſſit, & annum 93., quo illum a Clero populoque oblatum ſuſcepit, anni fere tres ac viginti, aut etiam plures interfluxerint, ex hoc intervallo annum illum elicere ac deſignare oportet, quo Clemens Salonam advenit, & duorum Epiſcoporum, quos ſibi ſocios adſciverat, operam commodavit B. Domnio, ut illis ad ſolemnem Cajani & Symphoriani conſecrationem uteretur.

Neronis, na perſecutione furente, Chriſtiana res in Dalmatia lentos progreſſus habuit.

Neque anno 65. vel 69. æræ vulgaris, cum Clemens ſedis Pontificiæ poſſeſſionem Lino ceſſit, neque quamdiu Nero vixit, res Chriſtiana in Dalmatia uſque eo augeri, & propagari potuit, ut præter Domnium aliis quoque Epiſcopis indigeret. Domnius Salonam cum veniſſet vel paucis menſibus ante martyrium Petri, vel anno ſuperiore, reperit Chriſtianos omnes ſollicitos expectatione, & ſuſpenſos metu Neronianæ perſecutionis, quæ longe lateque pervagata multas ubique Chriſtianorum cædes ediderat: ea cauſa fuit, cur civitatem quoque ac provinciam univerſam ab Evangelio prorſus alienam offenderit. Itaque averſis ab Chriſtiano nomine auribus animiſque Ethnicorum omnium, quoad vixit Nero, eccleſiamque exagitavit, publico fere caruit, & omnem ſuam operam atque induſtriam ad Chriſtianos erudiendos, ſuſceptaque in fide confirmandos, conventibus clandeſtinis continuit. Poſt illam perſecutionem interitu Neronis extinctam, proſperæ res deinceps multæ conſecutæ ſunt, & tempora Chriſtianæ religioni ſatis propitia, imperantibus Galba, Othone, Vitellio, Veſpaſiano, Tito, quibus vel brevitas imperii, vel rerum graviorum cura, divexandæ eccleſiæ facultatem & voluntatem ademit; quamvis identidem ab improbitate & ſævitia Prætorum pericula & cædes ingruerent. Domnius pacati tranquillique temporis opportunitatem nactus ad converſionem Ethnicorum omni cogitatione ſtudioque incubuit, & ſalutarem Chriſti legem in publicum proferre, ac Salonitanis promulgare inſtituit. Permulti

multi cognoſcendæ novæ religionis avidi ad eum audiendum confluebant, ejuſque verbis & miraculis permoti, paullatim Evangelio nomina dare cœperunt. Pluribus jam ad Chriſti ovile congregatis, Salonitana eccleſia augebatur in dies, cum Domnius ad ſacram ædem ædificandam animum adjecit; quæ condita perfectaque probatiſſimos quoſque Neophytorum delegit, ex quibus Clerum Salonitanum componeret, & alios aliis eccleſiæ Ordinibus, cui quiſque aptus erat & idoneus, adſcriberet. Ex horum deinde numero, qui cæteris & vitæ ſanctitate, & Chriſtianæ legis ſcientia antecellerent, eos Evangelii præcones inſtituit, & quaquaverſum dimiſſos Chriſti nomen tota Dalmatia circumferre juſſit. Hi vero urbes inter ſe, ac regiones partiti plurimos ubique ab inanium Deorum ſuperſtitione ad unius verique Dei cultum traductos Chriſtianis myſteriis ac præceptis imbuerunt. Quæ omnia in Actis S. Domnii deſcripta, ut peragi perficique poſſent, unius ſaltem quinquennii ſpatium requirebant: quo quidem temporis intervallo res Chriſtiana in Dalmatia & Salonis uſque adeo creſcere potuit & dignitate & numero, ut B. Domnio ad univerſam provinciam regendam uno alterove Epiſcopo opus eſſet, quo cum Pontificiæ adminiſtrationis curas & officia partiretur. Quare ante exactum poſt cædem Neronis quinquennium, ſive ante annum vel quartum, vel quintum ſupra ſeptuageſimum primi ſæculi, neque Clementis in Dalmatiam adventus, neq; Cajani & Symphoriani Epiſcopalis conſecratio collocari poteſt. Præterea tantum abeſt, ut Clemens ſtatim atq; Pontificatu ceſſit, in Dalmatiam appulerit, ut niſi mea me fallit opinio, aliquot annos Romæ ſubſtiterit, antequam Epiſcopi Apoſtolici munus ſuſciperet; & quemadmodum antea Linus Petro, ſic poſtea Clemens Lino Vicarii Pontificii operam navavit. Id mihi videtur conjici poſſe ex ejuſdem Clementis ad Corinthios epiſtola fere ab omnibus recepta, cujus datæ epocham licet plerique aut fere omnes ad Clementis Pontificatum referant, titulus tamen eidem præpoſitus, & quidam ex ea mox proferendus locus indicio eſſe poteſt, illam multo ante, & cum Clemens Lini Vicarium agebat, ſcriptam fuiſſe. Nam ſi tum Clemens, cum eas litteras dedit, Romana ſede potiebatur, quid eſt, quod præter morem inſtitutumque Apoſtolicum eccleſiæ Romanę nomen, ſuo prætermiſſo, huic epiſtolæ præfigere maluerit? Nimirum a Lino Pontifice, & a primoribus Romani Cleri id negotium Clementi datum fuerat, ut per eas litteras communi omnium nomine Corinthios ad pacem & concordiam cohortaretur. Cur autem epiſtola non urbis Epiſcopo, ſed eccleſiæ Corinthiorum inſcripta ſit, hæc ratio reddi poteſt, quod ſcilicet nullæ Epiſcopo cum Corinthiis contentiones erant, ſed diſſidium illud ac diſſenſio plebem Corinthiacam in duas partes diſtraxerat. Venio nunc ad locum quemdam ejuſdem epiſtolæ, qui ſatis declarat illam ante Clementis Pontificatum exaratam fuiſſe. *Non in omni loco*, inquit, *fratres, offeruntur ſacrificia perpetua & diurna, vel pro gratiarum actione, vel pro peccatis & delictis, ſed Hieroſolymis tantum; neque illic in quovis loco ſit oblatio, ſed in atrio Templi ad altare, diligenter prius inſpecto ſacrificio, a ſummo ſacerdote, & prædictis miniſtris.* Stabat igitur templum Hieroſolymitanum, & perpetuis diurniſque ſacrificiis adhuc calebat, cum Clemens haſce litteras ad Corinthios dedit. Idem vero templum, cum urbe ab Tito Veſpaſiani filio capta & funditus exciſa, anno circiter 70. vel 72. æræ vulgaris corruerat, tribus & viginti juxta calculos Baronianos, aut uno & viginti annis, antequam Clemens anno tertio & nonageſimo eccleſiæ Romanæ præſidere cœpit. Non igitur cum Pontificatu Clementis cohæret prima ejuſdem ad Corinthios epiſtola. Si ergo Clemens per aliquot annos Romæ apud Linum Pontificem Maximum Vicarii officio functus eſt, antequam Epiſcopi Apoſtolici titulo & munere ſuſcepto, eccleſias circumire ac luſtrare inciperet, ejus in Dalmatiam profectio, itemque Pontificalis Cajani & Symphoriani conſecratio ad æræ vulgaris annum circiter 76. revocari poteſt: niſi forte malueris utrumque in poſteriores annos, Clementiſque ad urbem regreſſum conjicere.

Romam autem videtur rediiſſe Clemens anno 92, cum Domitianus ex Chronologia Baroniana ſecundam perſecutionem Chriſtianis indixit, fortaſſis a Cleto Pontifice per litteras accerſitus, ut eccleſiæ laboranti ſuccurreret; quod putaretur Clementis interventu mitigare poſſe Imperatoris adverſus Chriſtianos odium, ob affinitatem, ſeu cognationem, quæ illi cum Domitiano, itemque cum Flavio Clemente Domitiani patruele, & patruo Clementis, quem idem Domitianus ſummopere dilexit, tantique eum fecit, ut eum poſtremi ſui Conſulatus Collegam adſciverit, quamvis eumdem eodem anno Chriſtianæ religionis cauſa interfici juſſerit. Anno autem inſequenti 93., ob Chriſti religionem Cleto interempto, ſubrogatus eſt Clemens, qui Pontificatum tenuit uſque ad annum tertium Trajani, quo & ipſe martyrii palmam adeptus eſt. Hæc ſucceſſio ſerieſque Pontificum Lini, Cleti, & Clementis, quamvis a Baronio, aliiſque tradita, illud habet incommodi, quod non cohæret cum illis Conſulibus, quibuſcum hos Pontifices compoſuit Catalogus Henſchenianus. Quare ſi cum Henſchenio, vel etiam Papebrochio exiſtimes Pontificatum Clementis ad ſuperiores annos retrahendum eſſe, eumque, cum decem aut novem annos eccleſiæ præfuiſſet, Pontificatu ſe abdicaſſe vel anno 77, ut cenſet Henſchenius, vel anno 83, ut opinatur Papebrochius; Clementis in Dalmatiam adventum referas licet ad annum vel 78., vel 84, quo Epiſcopi Apoſtolici partes agere, & provincias ritu Apoſtolico obire ac luſtrare cœpit. De adventu Clementis in Dalmatia vide etiam, quæ ſcripſimus part. 3. Prolegom. ſect. 1. cap. 2. §. 1. ubi de illius Pontificatu Romano abdicato ſuſceptoque Henſchenii ſententiam ſecuti ſumus.

Sacrementa eccleſiæ Salonitanæ.

Clementem Lini Vicarium fuiſſe ex ejus ad Corinthios epiſtola colligi poteſt.

Adventus Clementis in Dalmatiam vel anno 76, vel 92.

§. II.

Cajanum & Symphorianum ex ordine Diaconorum ad Epiſcopatum provectos eſſe.

ERgo Clemens Epiſcopi Apoſtolici titulo ac poteſtate præditus, ſive ante ſuſceptam eccleſiæ Romanæ adminiſtrationem anno 76, cum Roma profectus in Orientem cogitaret, vel anno 92, cum e partibus Orientis rediret, ſive poſt depoſitum Pontificatum anno 78., vel 84., Dalmatiam circumiens ex itinere Salonam advenit; quem Domnius tamquam Angelum Cœlo delapſum, qua dignum erat, reverentia & charitate excepit, nullumque honoris erga illum, & benevolentiæ officium prætermiſit. Præter cæteros inferioris ordinis Miniſtros, Apoſtolicorum itinerum & laborum ſocios ſibi Clemens adjunxerat duos Epiſcopos, quorum miniſterio ad alios, ſicubi opus eſſet, conſecrandos Epiſcopos uteretur. Jus vero cum Clemens haberet, poteſtatemque ampliſſimam Evangelii ubicumque gentium propagandi, eccleſias inſtituendi, Epiſcopos & Clericos ordinandi, dubi-

Clemens honorifice a Domnio excepit.

dubitari non potest, quin eam sibi delegatam vel a Lino summo totius ecclesiæ Hierarcha, vel a Clero acceperit. Neque enim Apostolorum Discipulis, sed solis Apostolis plenam illam ac perfectissimam ubique terrarum ligandi atque solvendi, rerumque omnium gerendarum potestatem, & jurisdictionem ecclesiasticam nullis limitibus circumscriptam Christus Dominus contulerat; quæ quidem cum in cæteris Apostolis extraordinaria esset, & illorum interitu abolenda, voluit tamen idem Christus eamdem unius Petri propriam esse & ordinariam, ejusque sedi Pontificiæ perpetuo affixam, & ab eo in suos dejnceps successores usque ad extremum mundi exitium transmitti. Hoc enim interest inter Episcopos Apostolis substitutos, & Romanum Pontificem, qui Apostolorum Principis cathedram tenet; quod qui Apostolis successisse dicuntur Episcopi, non amplissimæ illius in universam ecclesiam potestatis ac jurisdictionis, quæ cum illis mortua est & extincta; sed peculiaris cujusdam hæredes sunt ac participes potestatis, quæ ex infinita amplitudine in angustam adducta illos certæ alicui civitati ac regioni curandæ administrandæque addixit & coercet, ne ultra terminos cujusque dictioni præscriptos jus suum proferre possint. Contra vero cum œcumenica Petri potestas ordinaria esset, & in ejus successores derivanda, hujus qui succedunt Romani Pontifices, jus in universam, qua qua patet, ecclesiam, ac plenitudinem auctoritatis consequuntur. Porro Discipuli, sive adjutores Apostolorum, si alicujus loci & civitatis Antistites fierent, nihilo latius, quam cæteri Episcopi, jurisdictionem curamque Episcopalem extendere poterant; si vero in Evangelicam expeditionem mitterentur, tantumdem potestatis ecclesiasticæ obtinebant, quantum a quibus mittebantur, acceperant. Ex horum autem numero atque ordine cum esset Clemens, Evangelii quaquaversum circumferendi, & ecclesias ubique perlustrandi facultatem non aliunde sibi traditam habuit, quam a Romano Pontifice, cujus est de plenitudine suæ potestatis Apostolicæ & œcumenicæ quantum velit, alias parcius, alias uberius in suos Ministros derivare. Ex his intelligi potest Clementem non solum Episcopi Apostolici, sive Evangelici, sed etiam Romanæ sedis Legati auctoritate ac titulo præditum atque ornatum fuisse.

Evangelii ubicumque propagandi potestatem delegatam habuit a Lino.

Nec Domnio lætus solum jucunduſque, sed peropportunus etiam fuit Clementis cum duobus Episcopis in Dalmatiam adventus. Cum enim Christiana religio in dies auctior fieret, & late per totam provinciam disseminata uberiores quotidie fructus ederet, administratio quoque illius ecclesiæ gravior fiebat & laboriosior, quam ut tanto oneri Episcopus unicus ferendo esset. Itaque jampridem Domnius cogitare cœperat de adjutoribus sibi adscisendis, quos in partem vocaret Pontificalis officii & laboris; quocirca hujusmodi subsidium sibi comparandi ex adventu Clementis occasionem nactus, petiit ab eo, ut sibi ad initiandos duos e Clero Salonitano Episcopos, illorum Antistitum, quos in suo comitatu habebat, operam commodaret. Nam consecratio Episcopalis, quam summa majores nostri religione confici cæremoniaque voluerunt, rite ac pro rei dignitate peragi non potest, nisi trium Episcoporum interventu, quorum unus primas in ea sanctissima functione partes sustineat, & legitimo proprioque consecrandi munere fungatur; reliqui duo consecrationis ministros se adjutoresque præbeant, & suarum manuum impositionem ipsi quoque adjungant. Id quippe antiquissimo ecclesiæ instituto sancitum est; & primus Apostolicus canon præscribit, ut duo saltem Episcopi, si tres haberi non possint, ad consecrandum Episcopum adhibeantur: *Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur*. Concilium vero primum Arelatense can. 21. itemque Synodus Nicæna can. 4. volunt quempiam paucioribus, quam a tribus Episcopis, Pontificia consecratione initiari; quin immo, si fieri possit, illud quidem septem, hæc vero omnes provinciales Episcopos ad unius Episcopi consecrationem convocari jubet.

Domnii consilium de adjungendis sibi adjutoribus duobus Episcopis.

Cum igitur Domnius duos e Clero Salonitano Pontificiæ procurationis administros sibi adjungere statuisset, circumspectis diligenter omnibus & personis, & rebus, & temporibus, aptiores huic muneri nullos invenit Cajano & Symphoriano, quorum fidem, sanctitatem, doctrinamque exquisitam plurimis rebus esset expertus. Nec solum præclarum Domnii de his duobus judicium, sed Ordo præterea Diaconorum, cui erant adscripti, viam illis ad dignitatem Episcopalem, & summum Sacerdotii apicem proxime munibat. Vetus ecclesiæ consuetudo hæc fuit, a primis usque deducta temporibus, ut sæpius fortassis e Diaconorum, quam e Presbyterorum collegio Episcopi deligerentur. Cujus consuetudinis atque instituti hæc ratio afferri potest, quod cum Episcopi Diaconis ad omnem ferme rei temporariæ & ecclesiasticæ administrationem uterentur, ii ob rerum gerendarum scientiam longo usu assiduaque exercitatione partam, & diu multumque probatam, & perspectam, omnium maxime idonei ad pastorale munus sustinendum censerentur. Exempla vero hujusce rei suppetunt quamplurima tum ex universa historia ecclesiastica, tum ex epistolis S. Gregorii Magni, in quibus Constantius Mediolani, Numerianus Nuceriæ, Joannes Balnei regii, & alii aliarum civitatum Episcopi e Diaconis facti leguntur. Quare Patres Maurini epistolæ ejusdem Gregorii 34. lib. 10. ad Ecclesium Clusii Episcopum hanc notam scitissime apponunt: *Diaconos non raro ad Episcopatum promotos legimus*. Sed nullis ex ordine Diaconorum promptior & expeditior, quam Archidiaconis, aditus ad Episcopatum patebat, propterea quod hi propius & officio & auctoritate ad Episcopum accedebant; nec solum Episcopi erant intimi consiliarii, sed etiam ad sacra munia obeunda, atque ad gravissima quæque negotia gerenda, vel adjutores proximi, vel ministri delegati. Cæcilianus ecclesiæ Carthaginiensis, Honoratus Salonitanæ, Joannes Cabillonensis Archidiaconi erant, cum Episcopi titulum atque insignia sumpserunt. Quid quod ecclesiæ Romanæ tabulis proditum est multos ex cœtu Diaconorum ad summi Pontificatus fastigium evectos fuisse. Quærit Daniel Papebrochius in conatu Chron. Hist. ad Catal. Rom. par. 1. *cur ex Diacono potius, quam Presbytero fuerint S. Leo Papa.* Huic interrogationi responsionem adhibet cujusdam Anonymi eximia doctrina atque eruditione viri, dignam sane, quæ huic loco subjiciatur. *Observat vir eruditus* (inquit Papebrochius) *quod & sequentibus exemplis pluribus posthac patebit (nam de præcedentibus cura non fuit Antiquis Catalogorum notare, ex quo Cleri gradu quisque ad Pontificatum assumptus fuerit) pluries accidisse, ut Diaconi, qualis Leo fuit, quam ut Presbyteri ad ecclesiæ supremum regimen assumerentur: primo quia Diaconi ecclesiæ res non temporales tantum, sed etiam spirituales penitus noverant; est enim Diaconus Episcopi oculus, & adjutor. Deinde notiores erant omnibus civitatis ordinibus. Postea cum haberent omnia in potestate, devinciebant sibi facile Clericorum animos. Denique ut plurimum plus offerebant dignitatis,*

Cajanus & Symphorianus Diaconi digni habiti Episcopatu.

Mos aliquot deligendi Episcopos e Collegio Diaconorum.

Archidiaconi præsertim Episcopi electi.

tatis, quam alii. Siquidem Archidiaconi, qui nomine Diaconorum hic intelligendi sunt, si bene se gessissent, ostenderant omnibus se animi dotibus ad animorum regimen utilibus excellere. Jure igitur meritoque S. Domnius ex omnibus Salonitani Cleri ordinibus duos Diaconici gradus elegit, quos crearet Episcopos, & rei pontificiæ atque ecclesiasticæ administros sibi adscisceret, Cajanum scilicet Primum, ut credibile est, inter Diaconos sive Archidiaconum, & Symphorianum, qui Subdiaconus cum antea fuisset, in Diaconorum collegium cooptatus jam erat, cum eum B. Domnius ad Episcopatum provexit: nisi forte cum is dicitur *Subdiaconus*, huic voci ea notio sit subjicienda, quæ *secundum Diaconum* significet, propterea quod is proximum a Cajano & dignitatis & officii locum obtineret.

Diaconos antea Presbyteros, quam Episcopos creari oportebat.

Neque vero existimes velim eos ex gradu Diaconorum ad Episcopale fastigium transiliisse, præterito, qui utrique ordini interjectus est, Presbyteratu. Enimvero facile concesserim nulla lege aut consuetudine ecclesiastica antiquitus sancitum fuisse, ut nemo, nisi per omnes omnino inferiorum ordinum gradus ad superiores & sacros ordines ascenderet. Cum enim de numero minorum ordinum veteres inter se discrepent, & aliiplures, alii pauciores commemorent, alii alios vel percenseant, vel prætermittant; nulla certa lege constitui poterat, quibus quemque & quot gradibus ad majores ordines venire oporteret. Siricius ep. 1. tres gradus, nimirum Lectoris, Acolyti, Subdiaconi, Innocentius ep. 4. duos tantum, scilicet Lectoris & Acolyti enumerant, quibus emensis ad Diaconatum ascensus cuique permitti videtur. His duos interjecit Gelasius ep. 9. Notarii, & Defensoris, quos jamdudum sustulit atque abolevit desuetudo. Nihil autem est, cur objicias decretum quoddam Sylvestri Papæ in concilio Romano editum, in quo minorum ordinum series & successio explicatur, & Subdiacono adjicitur *Custos Martyrum*, sive Præpositus custodiæ sacrarum ædium, quæ Martyria vocari solebant: quo quidem ex ordine gradum fieri posse ad Diaconatum Pontifex decrevit. Nam Acta hujus concilii non satis probantur eruditis viris, & temporum longe posteriorum fœtus esse creditur. Igitur qui militiæ ecclesiasticæ nomen dedissent, non omnes omnium minorum ordinum charactere insigniri, & officia suscipere solebant; sed in his ordinibus conferendis, qui cuique aptus esset, is cuique decernebatur: id quod Ambrosius lib. 1. cap. 44. his verbis declarat: *Alius distinguendæ lectioni aptior, alius Psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet Sacerdos, & quod cuique congruit, id officii deputet. Quo etenim unumquemque suum ducit ingenium, & quod officium decet, id majore implet gratia.* Quem vero quique ordinem adeptus esset, vel non ultra progrediens huic infenescebat; vel cum diuturnum suæ virtutis atque industriæ specimen præbuisset, ex eo ad majores ordines efferebatur. Refert Sidonius Apollinaris lib. 4. ep. 25. Joannem illum, qui postea fuit Episcopus Cabillonensis, cum ab ineunte ætate Lectoris officio egregie functus fuisset, dignum habitum esse, qui ex eo gradu ad Archidiaconatum proveheretur. Quid quod Hilarius Episcopus Pictavensis B. Martinum, qui tum ferme Neophytus adhuc erat, ac postea fuit Turonensium Antistes, ex Laico Diaconum facere constituerat, ut eum sibi, suæque ecclesiæ devinciret; sed cum frustra iterum ac sæpius tentasset ejus animum in studio Christianæ humilitatis penitus defixum, & ab honorum insignibus ac titulis admittendis omnino alienum, illum Exorcistam creavit. *Quam ille ordinationem*, inquit Severus Sulpitius in vita S. Mart. *ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiavit.* Quo quidem facto, seu conatu, Hilarius videtur existimasse nulla tum lege vel consuetudine vetitum fuisse eum Diaconum fieri, qui ne primum quidem ecclesiasticæ Hierarchiæ gradum attigisset.

Nemini ad Presbyteratum, nisi Diacono, nemini ad Episcopatum, nisi Presbytero aditus patere poterat.

At vero sacros illos & majores ordines ex antiquissima ecclesiæ præscriptione & consuetudine sic inter se aptos & connexos fuisse arbitror, ut gradatim ex uno ad alium progressio fieri deberet, ac nemini umquam ad Episcopatum nisi Presbytero, nemini ad Presbyteratum nisi Diacono aditus legitimus patuerit. Qui autem docent Barnabam, Silam, Barsabam, Titum, Timotheum, aliosque Apostolorum discipulos, antequam Diaconi & Presbyteri fierent, Episcopali consecratione initiatos fuisse, iis ut assentiar, haud facile adduci possum. Non enim continuo, si quid in sacris litteris silentio prætermissum est, id pro non facto haberi oportet. Quod igitur nihil scriptum sit de illorum, quos exempli causa commemorant, vel Diaconica, vel Presbyterali consecratione, id non est satis argumenti, neutram illis antea collatam fuisse, quam Episcopi solemni ritu inaugurarentur. Cæterum, nisi opinari velis id Apostolos feciſſe extraordinaria quadam potestate, sic prorsus, ut quemadmodum ipsi a Christo acceperant, ita cæteris cum solo Episcopatu integrum ac pleniſſimum Sacerdotium contulerint; satius fuerit communi sententiæ adhærere, & illud cuique persuasissimum esse, actionum & institutionum Apostolicarum interpretem esse optimam antiquam ecclesiæ consuetudinem, usumque perpetuum, quo sancitum est nullis Presbyteratum, nisi Diaconis, nullis Episcopatum, nisi Presbyteris impertiri oportere. Hanc normam, hanc regulam, hanc præscriptionem esse totius ecclesiæ declaravit Synodus Sardicensis, quæ canone 13. gradus descripsit, quibus quisque necesse est ad Episcopatum perveniat: *Ut non prius ordinetur Episcopus, nisi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi aut Presbyteri fuerit perfunctus; & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus.* Particulam illam *aut* Diaconum inter atque Presbyterum positam pro more quorumdam temporum idem valere, atque conjunctionem &, neque disjungendi, sed copulandi vim habere intelligi potest e Græcis exemplaribus, in quibus quæ conjunctio ἢ Lectori Diaconum, eadem ἢ Diacono Presbyterum annectit: ἢ ἀναγνώστου, ἢ διακόνου, ἢ πρεσβυτέρου. Nec sane verisimile est Patres Sardicenses, ubi profitentur se nominatim persequi omnes gradus, quos necessario percurri oportet, antequam ad Episcopatum accessus pateat, ibidem Presbyteratum convellere, aut labefactare, qui inter omnes illos gradus eminet, & proxime abest a fastigio Episcopali. Consecrationem Episcopalem Diaconi nullam esse iidem Patres Sardicenses declararunt in epistola Synodica, in qua negant Ischyram impudentissimum illum Athanasii calumniatorem dici posse haberique Episcopum, qui præter morem, præterque instituta majorum, antequam Presbyteratu initiaretur, in Episcopalem thronum insilierat: idque confirmat ipsemet Athanasius in Apol. 2. *Hominem*, inquit, *qui ne Presbyter quidem erat, præter majorum traditionem, Episcopum scilicet appellaverunt, non quidem ignari, ne quidem ipsi, quam hoc absurdum esset; sed prænissis redemptæ calumniæ adalti, etiam illud sustinendum putaverunt &c. Inane ille Episcopi nomen retinet*

Canon Sardicensis jubet Diaconi & Presbyteri officio functum esse, qui Episcopus fieri debeat.

Ischyram non Presbyteri Episcopatus arcitus,

Digitized by Google

riet &c. Eadem cenſura Synodus Ægyptiaca confixit, atque irritum habuit Epiſcopatum Timothei Æluri, qui Proterio ſanctiſſimo Antiſtite per ſummam immanitatem contrucidato, in ſedem Alexandrinam inveſerat; non ſolum quia homo ille temerarius & ſacrilegus nullam manus Epiſcopalis impoſitionem ſubierat: ſed etiam quia charactere & dignitate Presbyterali carebat: *Epiſcopus ſine manus impoſitione exiſtens, ſed neque priorem habens Presbyteratus ordinem.* Huc adde epiſtolam Synodicam concilii Illyricani ad Epiſcopos Aſiæ, in qua diſerte ſcriptum eſt, *non eſſe eligendos Epiſcopos, niſi ex Presbyteris;* ideſt neminem ad Epiſcopatum evehi oportere, quin antea Presbyterii gradum aſſecutus fuerit. Extat hæc epiſtola apud Theodoret. lib. 4. cap. 8.

Item Timothei Æluri.

At vero Gregorius Nazianzenus Orat. 20. ait quidem Baſilium & Lectoris officio functum, & poſtea Presbyterum, ac tandem Epiſcopum factum eſſe; ſed Diaconorum ordinem adeptum fuiſſe nuſquam commemorat; id quod virum eruditiſſimum D. Hermant in vita S. Baſil. lib. 2. cap. 20. in eam opinionem induxit, ut putaret, *ea ætate nec ullo fuiſſe canone præceptum, nec moribus receptum per ſingulos ordinum gradus ad Epiſcopatum pervenire. In Lectorum numero per aliquot annos militabant. Hinc ad Diaconatus adminiſtrationem, vel Presbyterii dignitatem promovebantur: tum ex alterutro ordine creabantur ſummi Sacerdotes.* Hujus ſententiæ ſuam adſcribit Morinus de Sac. ordin. p. 3. exercit. 3. ſed ab utroque magnopere diſſentit Ludovicus Thomaſſinus, qui p. 1. lib. 2. c. 36. de vet. & nova eccl. diſcipl. negat moris fuiſſe priorum eccleſiæ ſæculorum, ut quiſpiam aut Presbyter ante Diaconatum, aut Epiſcopus ante Presbyteratum ſuſceptum conſecraretur. Itaque de Diaconatu Baſilii, quod ſcribere omiſit Nazianzenus, id ſupplevit Socrates ſane locuples auctor, idoneuſque teſtis Diaconatus Baſilio collati, qui tamen ejuſdem Presbyteralem conſecrationem ſilentio præterlit: *Ac Baſilius*, inquit lib. 4. c. 26. *primum a Meletio Antiochena urbis Epiſcopo ad officium Diaconi promotus, inde ad patriæ ſuæ Cæſareæ ſcilicet Cappadociæ Epiſcopatum evectus, eccleſiarum curam ſuſcepit.* Idcirco autem Baſilii Diaconatum a Nazianzeno prætermiſſum eſſe dixerim, quod vel breviſſimo tempore Diaconi officio perfunctus, vel eodem die Diaconus pariter & Presbyter factus fuerit: id quod illuſtrari poteſt exemplo Epiphanii, quem Pappus Epiſcopus inter unius ejuſdemque ſacrificii celebrationem & Diaconum fecit, & Presbyteri charactere impreſſit, & Epiſcopali conſecratione impertiit: *Eum itaque ordinat Diaconum, & rurſus dat ei pacem, & ipſum ordinat Presbyterum;* rurſus fit ἀκολουθία, (ideſt conſequentia, ſeu Miſſæ continuatio), *& eum ordinat Epiſcopum.* In Vita Epiph. apud Sur. 12. Maji. Idem vero Epiphanius narrat Epiſt. 60. inter Epiſt. Hieron. ab ſe quoque inter unius Miſſæ ſolemnia Paullinianum S. Hieronymi fratrem & Diaconum factum eſſe, & Presbyterum: ex quo intelligi licet, in more poſitum fuiſſe inſtitutoque majorum, ut ſi quem in Presbyterium adſcribi neceſſe eſſet, is prius Diaconatu donaretur; itemque, ut nemo ad Epiſcopatum conſcenderet, quin antea Presbyteratum ſuſcepiſſet. Si qua vero exempla alterutrius ordinis prætermiſſi ab eo, qui vel Epiſcopus vel Presbyter fieri vellet, aut juſſus eſſet, ex antiquitate proferri poſſint, ea facta ſunt hominum privatorum, ignoratione juris peccantium, non argumenta, ex quibus effici queat id aliquando licuiſſe, & legitime factum eſſe, quod receptiſſimo juri, communique conſuetudini, Patrum & Conciliorum Decretis firmatæ adverſatur. Domum, quæ ſupra laudavimus, Pontificum & Synodorum ſtatuta ſatis indicant integrum cuique fuiſſe ac liberum, ex ordinibus minoribus quos velit vel prætermittere, vel ſuſcipere; & nullum eſſe fortaſſis, quem impune prætervolare non licuerit; contra vero cum iidem Pontifices & concilia de ordinibus majoribus leges condunt, ita illos inter ſe componunt, ut ex uno ad alium progreſſionem fieri jubeant, ac nemini vel ex inferioribus gradibus ad Presbyteratum, vel ex Diaconatu ad Epiſcopatum tranſiliendi poteſtatem faciant. Hoc tamen intereſt inter Presbyteralem non Diaconi, & Epiſcopalem non Presbyteri conſecrationem, quod illa ſolum eccleſiaſtico, hæc etiam juri divino adverſari videatur; ex quo ſequitur priorem quidem ratam eſſe, ſed legibus contrariam; poſteriorem vero neque legitimam neque ratam haberi, propterea quod cum Epiſcopatus non ſit novus ordo, ſed quædam Presbyteralis characteris & poteſtatis, ut ajunt, *extenſio*, ac perfectio, hæc profecto intelligi nequit, niſi antea id exiſtat, quod extendi ac perfici debet. Cæterum non deſunt præſertim e Canoniſtis, qui cenſent Epiſcopatum per ſeipſum eſſe verum ordinem a Presbyteratu omnino diſtinctum; & quemlibet e Laico fieri poſſe Epiſcopum non legitime quidem, rite tamen, *valideque*, ut vulgo loquuntur.

Si Nazianzenus præteremiſit Diaconalem Baſilii conſecrationem,

eam Socrates diſerte expreſſit.

De minoribus ordinibus ſuſcipiendis ante ſuſceptionem majorum nihil ſtatutum.

Cum autem & Concilia, & Pontifices, & Patres vetant quempiam ad Epiſcopatum promoveri, quin antea Diaconi, & Presbyteri dignitatem adeptus fuerit, non illi quidem jus novum condunt, ſed vetus confirmant, uberiuſque explicant præſcriptis temporum intervallis, quibus quemque in unoquoque gradu detineri probarique oportet, antequam ad ſuperiorem conſcendat. Jus vero illud ab eccleſia perpetuo retentum, quo tres illos majores ordines gradatim ſuſcipi jubentur, vel divinum eſſe, vel certe Apoſtolicum nemo opinor inficiabitur. Itaque dubitari non poteſt, quin B. Domnius ex jure præſcriptoque ab Apoſtolis tradito, Cajanum & Symphorianum antea e Diaconis fecerit Presbyteros, quam Epiſcopali charactere & poteſtate donaret. Vel enim poſt collatum illis Presbyteratum aliquot diebus interpoſitis, eos creavit Epiſcopos, vel una eademque die, quemadmodum de Epiphanio litteris proditum eſt, atque inter unius Miſſæ celebrationem primum Presbyteros fecit, deinde Epiſcopos conſecravit, ſolemni duorum Epiſcoporum miniſterio adhibito, quos a S. Clemente ad eam functionem rite peragendam poſtulaverat.

Lex de tribus majoribus ordinibus gradatim ſuſcipiendis vel divina, vel certe Apoſtolica.

§. III.

Quid tituli & muneris Epiſcopalis habuerint Cajanus & Symphorianus ante ſuſceptum Pontificatum Salonitanum.

HAud plures eſſe oportere, quam ſingulos in ſingulis civitatibus Epiſcopos, decrevit Nicæna Synodus canone VIII. quod quidem non a Patribus Nicænis ſancitum fuiſſe, ſed ab ipſis Apoſtolis conſtitutum & traditum eſſe conſtans & perpetua priorum eccleſiæ temporum conſuetudo declarat. Quid igitur de his duobus Epiſcopis faciemus, aut quid eis negotii dabimus, quos lex vetabat in eadem urbe pariter cum S. Domnio rem eccleſiaſticam adminiſtrare? Verum neque conſtitutio Apoſtolica, neque canon Nicænus eo valebat, ut plus uno Epiſcopo in eadem hærere commorarique civitate prohiberet: id cautum erat, ne plures æquo

Unicus in ſingulis civitatibus Epiſcopus.

Digitized by Google

Plures quidem esse poterant, sed jurisdictionis Episcopalis expertes.

& pari jure uni ecclesiæ præficerentur; nihil autem interest multi, an pauci sint in urbe qualibet Episcopi, nudo unus inter omnes eminebat, & summo cum imperio præsit: huc spectabant, hoc interdictum esse volebant Patres Nicæni, cum canonem illum de recipiendis in ecclesiam Episcopis, qui Catharorum Sectæ nuncium remittere, & cum ecclesia catholica in gratiam restitui vellent. Cathari eum se puros esse intactosque ab omni crimine profiterentur, quod neque a fide Christiana, hostibus urgentibus, desciviſſent, & a secundis nuptiis abstinerent, Digamos pariter & lapsos, quamvis cum ecclesia reconciliatos ab suo congressu adituque arcebant; ac propterea secessione facta se ipsi a numero cœtuque Catholicorum segregaverant, & suos habebant Episcopos, & suos seorsum conventus agebant. Itaque sacrosancta Synodus decrevit hujusmodi Episcopos, si qui forte resipiscerent, in urbe atque in Clero retinendos esse; Episcopi vero nomen atque insignia illis permitti posse, modo Presbyterorum loco atque officio contenti nullam jurisdictionis potestatisque Episcopalis partem attingerent: *ne in una civitate*, inquit, *duo esse Episcopi probentur*, vel ex interpretatione Dionysii Exigui, *ne in civitate duo sint Episcopi*.

Collegii Presbyterorum ex Episcopis olim constitutum.

Sub initium Christiani nominis Seniorum seu Presbyterorum collegium in quibusdam ecclesiis sic institutum fuisse, ut totum ex iis constaret, qui Episcopi simul essent & Presbyteri, Auctores multi & graves imprimis existimant; non quod ex instituto Christi divinoque jure Episcopatus a Presbyterato nulla esset distinctio, sed quod utraque illa potestas ac dignitas in unam eamdemque personam conferri soleret. Illud quoque longe maximum inter Episcopos & simplices Presbyteros discrimen omnium Patrum & sæculorum consensu intercedit, quod illi χειροτονίας, ideſt Sacerdotes, per manuum impositionem ordinandi jus habeant, quo hi penitus carent; illis patres ideſt Presbyteros ecclesiæ gignendi, his tantummodo filios ideſt Christianos procreandi vis indita sit ac potestas. Porro, quos supra laudavi, Auctores sententiæ suæ patrocinium adscisceant, auctoritatemque adjungunt ex Actis & Epistolis Apostolicis. Nam Actorum vicesimo capite Paulus, Mileti cum esset, τοὺς πρεσβυτέρους illuc Epheso convocasse dicitur; quos deinde in unum coactos alloquens, paullo post τοὺς ἐπισκόπους nominat, & a Spiritu Sancto constitutos ait ad regendam ecclesiam Dei. Idem suam ad Philippenses Epistolam, *Episcopis & Diaconis* inscripsit, nulla interjectorum Presbyterorum mentione facta. Rursus in prioribus ad Timotheum litteris capite tertio, postquam Episcopis, quæ officii erant Episcopalis, præscripsit, subinde transit ad Diaconos, eisque præcepta tradit, nullo ordine interposito. Quibus ex locis efficere volunt tum Epheſi in Asia, tum Philippis in Macedonia, tum denique in aliis civitatibus eosdem Presbyteros pariter fuisse & Episcopos. Idcirco autem Apostolos in quibusdam ecclesiis Clerum majorem constituisse ajunt ex Presbyteris Episcopali charactere & potestate præditis, ut esset parata copia Præsidum & Episcoporum, quos ad alias, quas deinceps fundarent, ecclesias administrandas destinare possent. Cum enim perpetuo fore hic illic Evangelii causa discurrerent Apostoli, nec loco eodem consisterent, non facile potuerant ad conferendos, ubi opus esset, Episcopos, duo tresve convenire. Itaque expedivit visum est, in quibusdam ecclesiis aliquot Episcopos constituere, quos in promptu haberent, & ad loca varia, in quibus nova coalescerent ecclesiæ, sine mora destinare possent. Hinc factum est, ut ad quem Ecclesias ita scribebat Apostolus, duos & tamen modo commemoraret ordines, in singulis essent simplices Presbyteri, sed ex quibus Presbyterium constabat, iidem erant Presbyteri simul & Episcopi; quorum more illorum temporum promiscue Presbyteros & Episcopos appellat. Solebant enim tum primi & alterius ordinis Sacerdotes utroque vocabulo affici, quorum vocabulorum posterius quidem ab *inspectione & curatione*, prius vero non tam ab ætatis prærogativa, quam ad dignitate ac veneratione originem traxit. Utrumque enim nomen in illos optime quadrabat, qui honore ac functione cæteris antecellebant, Christiani populi curam gerebant, eumque verbo Dei & Sacramentis pascebant; quæ quidem & alia id genus officia præstabant duo illi ordines primarii, quorum alter Episcopi postea proprium sibi nomen fecit, alter Presbyteri.

Primi & alterius ordinis sacerdotes, modo Presbyteri, modo Episcopi appellati.

Alii tamen verisimilius putant simplices fuisse Presbyteros, qui in Actis & epistolis Apostolicis nominantur Episcopi. Nam Apostolos ajunt plerisque in ecclesiis recenter conditis non statim Episcopos, hoc est ordinis primi gubernatores & pastores, sed secundi dumtaxat hoc est Presbyteros instituisse, qui curationem illarum ecclesiarum caperent, & utroque nomine conferentur. Hi ergo in administranda ecclesia, quæ sibi cum Episcopis communis esset, officia & munia præstabant, quæ quidem, præsenti necessitate, magis urgebant, nec differri longius poterant. Cætera, quæ majoris erant potestatis, in Apostolorum, aut Episcoporum adventum reservabant. Sed utcumque res ecclesiastica ab Apostolis ordinata fuerit, illud inter omnes convenit, unum fuisse & unicum in qualibet civitate, qui Presbyterio e Sacerdotibus seu primi, seu secundi ordinis constato, totique parochiæ jure & potestate Episcopali præsideret: id quod Episcoporum in ecclesiis primariis, alius post alium, successiones diligentius custoditæ, ac litteris traditæ declarant.

Cur Presbyteri idem ac Episc.

Quæ cum ita sint, nihil præter institutum, præterque consuetudinem ecclesiasticam Dominus fecisse arguitur, qui summo imperio, totiusque ecclesiæ Salonitanæ gubernaculo penes se retento, duos in eadem urbe Episcopos muneris Pontificii administros sibi adjunxit. Quin id fecisse videtur exemplo & auctoritate D. Petri magistri sui, & Hierarchæ universalis ecclesiæ, qui, ut docent Henschenius & Papebrochius, tres Episcopos non illos quidem simul, sed alium post alium, pro eo ut postulabat rei Christianæ utilitas ac necessitas, ordinavit, Linum, Clementem, & Cletum; eosque ad regendam Romanam ecclesiam juris & officii Episcopalis Vicarios constituit. Cum enim tum Romæ, tum in urbibus oppidisque circumjectis augeretur indies Christianorum multitudo, plures ac strenui ecclesiastici regiminis adjutores opus erant Petro; præsertim cum ipse curas & cogitationes suas alio distrahere, & in omnes universalis ecclesiæ partes derivare cogeretur. Nec vero ille omnium ecclesiarum sollicitudinem sibi divinitus traditam Romæ Italiæque finibus circumscribere debuit, aut uni seipsum urbi ac regioni affigere, unde nusquam pedem efferret; ac proinde quoad vixit, nunquam destitit Orientis atque Occidentis ecclesias peragrare, ad eamque potissimum reipublicæ Christianæ partem sublevandam accurrere, quam maxime laborare, suaque præsentia atque opera indigere cognosceret. Magni autem interfuit ecclesiæ Romanæ, dum Petrus longe gentium abesset, Petri Vicarios adesse, qui sanctos ac manentes in urbis vigilia, Episcopi partes susciperent,

Cajanus & Symphorianus creati Episcopi adjutores B. Dominici exemplo D. Petri.

officio-

officioque fungerentur, ne quid detrimenti per absentiam pastoris caperet Christiana respublica. Id causæ præterea potuit esse Petro, cur tresillos muneris sui Vicarios Episcopali charactere ac dignitate insigniret, ut videlicet, se mortuo, necesse non esset peregrinos Episcopos ad Romanum Pontificem consecrandum aliunde accersiri, qui haud facile, referta cum essent omnia hostibus Christiani nominis, in urbem convenire potuissent; id quod postea declaravit diuturnum illud interregnum Pontificium, ultra quadriennium ab obitu Marcellini productum, cujus eam causam fuisse putat Papebrochius, quia ob temporum illorum acerbitatem ad solemnem successoris consecrationem, quot requirebantur, Episcopi adesse nequiverant: *Adeo*, inquit Papebrochius, *non solum utiliter, sed pene etiam necessario provisa fuit, & exemplo S. Petri, tempore persecutionis præsertim usurpata Vicariorum Episcoporum ordinatio*. Quare idem Papebrochius docet omnes fere, aut certe plerosque, qui deinceps Romanam cathedram tenuerunt, antequam Pontifices eligerentur, Episcopos adjutores fuisse, & sui quemque decessoris Vicarios.

Ex Vet. Catalogo Rom. Pontif. apud Henschen.

Exemplum Petri cæteri deinceps Romani Episcopi sunt secuti.

Quæ autem causæ Petrum impulerant, ut tres illos sibi Vicarios adscisceret, eosdemque Episcopali consecratione impertiret, eædem videntur fuisse Domnio, ut Cajanum & Symphorianum ex Diaconorum collegio ad Episcopatum proveheret, eisdemque Vicarii munus delegaret; nimirum Christianorum numerus mirifice auctus, ecclesiæque Dalmaticæ propagatio admirabilis, cujus regimen varie lateque diffusum adjutorum operam requirebat; necessitas lustrandæ invisendæque provinciæ, quæ Domnium a cura gregis Salonitani identidem avocabat; denique infelix temporum illorum conditio, & Christianis periniqua Domnio in posterum prospicienti necessitatem attulit duos illos Episcopos consecrandi, ut si alteruter sibi e vivis erepto subrogaretur, opus non esset ad novi Antistitis consecrationem Episcopis advenis, quibus haud foret tutum per infestas & hostibus obseptas vias Salonam accedere. Ergo Cajanus & Symphorianus, cum essent Vicarii Episcopales, iidemque Episcopi, Pontificalia munera & officia exsequi solebant, quæ per se obire non posset Domnius sive absens, sive gravioribus negotiis curisque distentus, veluti initiare Presbyteros, aliosque inferioris Ordinis Ministros, Pontificali ritu ac cæremonia rem divinam facere, sacramenta impertiri, conciones habere, continere in officio Clericos, sartam tectam tueri disciplinam ecclesiasticam, aliaque hujusmodi implere ac diligenter præstare, quæ Vicariis Episcoporum demandari solent.

Quæ causa Domnium impulerint, ut duos illos Episcopos sibi asciscerent.

An dicendi sint Chorepiscopi.

Quod autem Henschenius censuit Linum S. Petri Vicarium appellari posse *Chorepiscopum* vocabulo e sæculis posterioribus desumpto, vereor fane, ut quæ huic verbo subest notio, ad illos seu Petri seu Domnii Vicarios accommodari possit. Fateor equidem Chorepiscopos dictos fuisse habitosque Vicarios Episcoporum; hanc siquidem huic verbo interpretationem adhibuit Ferrandus Diaconus in Breviatione Canonum num. 79. *Ut Chorepiscopi, ideſt Vicarii Episcoporum* &c., & Crescionius in sua collectione num. 96. *De Chorepiscopo, ideſt Vicario Episcopi*, & Capitulare Aquisgranense n. 9. *Vicariis Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt*. Sed Vicarios Urbanos ab rusticanis Episcopi Vicariis distingui oportet; atque hos quidem Chorepiscopos dictos fuisse assentior, illos non item. Diœcesis, sive, ut antiquo utar vocabulo, Parochia præter urbem unam, multos circa urbem pagos villasque complectebatur, quas Græci χώρας appellant. Est ergo χώρα ager urbi contributus, sive villa & regio, sive pars territorii, quod unius Diœcesis seu Parochiæ finibus continetur. Rusticanis igitur ecclesiis præpositi ἀπὸ τῆς χώρας, cui præerant, Chorepiscopi dicebantur. Hanc notionem Chorepiscopi vocabulo subjecit Canon decimus Antiochenus: *Si qui sunt in vicis, vel pagis, qui nominantur Chorepiscopi*. Horum potestati ac regimini non una, sed plures committebantur agrestes ecclesiæ, earumque curatores, quibus delegata sibi ab Episcopo auctoritate præsidebant; atque in locis sibi subjectis omnia fere Episcoporum officia præstabant, excepta Presbyterorum & Diaconorum consecratione, quam illis Synodus Ancyrana canone 13. penitus interdixit. Id muneris præcipue illis datum erat, ut rusticanas suæ ditionis ecclesias obirent, & obeundo ac lustrando disciplinam constituerent, & ordinarent; quæ inspiciundi invisendique functio *Visitatorum* nomen illis peperit; eos quippe concilium Laodicenum Περιοδευτὰς appellat canone 57., quo vetat *in villulis vel in agris constitui Episcopos, sed Periodeutas, ex eo vocatos*, inquit Zonaras ad can. 57. Laodicen. *quod circumeunt, & fideles in officio continent*; & Balsamon ait nominatos ætate sua ἐκδίκους; quorum officium erat, inquit, *animarum observare delicta, & fideles perficere*. Hujusmodi sunt, quos *Visitatores* hodieque nuncupant, qui ab Episcopo ad inspiciundam & ordinandam diœcesim cum potestate mittuntur. His jura sua & munera descripsit concilium Antiochenum canone 10., utque intra illa se contineant, eos graviter admonet. *Si qui sunt in vicis, vel pagis, qui nominantur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi ordinationem, manuumque impositionem acceperint, visum est, ut suum modum sciant, & sibi subjectas ecclesias administrent, earumque cura & sollicitudine contenti sint. Constituant autem Lectores, Hypodiaconos, Exorcistas, & eorum promotione contenti sint. Nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant, absque urbis Episcopo, cui subjicitur Ipse & regio*. Eadem fere officia illis attribuit Isidorus Hispalensis de Offic. Eccles. l. 2. c. 6. & præterea egenorum curam adjecit. *Chorepiscopi, ideſt Vicarii Episcoporum ad exemplum* LXX. *Seniorum, tamquam Sacerdotes propter sollicitudinem pauperum. Hi in villis, & vicis instituti gubernant sibi commissas ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos* &c.

Munia Chorepiscoporum.

Itaque cum Petri itemque Domnii Vicariis nulla agrestium ecclesiarum procuratio demandata fuerit, satis apparet eos appellari non posse Chorepiscopos, qui non ante quintum sæculum primum quidem in Oriente, tum in Occidente institui cœperunt; hujusque ecclesiastici magistratus creandi, præficiendique rusticanis ecclesiis consuetudo annos fere quingentos tenuit, & nono labente sæculo apud Latinos sublata est; in eorumque locum suffecti primum Archipresbyteri, seu Decani campestres, ac demum Vicarii, qui nunc Foranei vulgo dicuntur; quamvis horum sit angustior, quam Chorepiscoporum potestas.

Neque Petri, neque Domnii Vicarii possunt appellari Chorepiscopi.

Præterea non desunt viri eximia doctrina & eruditione præditi, qui existimant Chorepiscopos consecrationis Episcopalis omnino expertes fuisse, eosque Episcopis & Presbyteris interjectos, & tamquam medios constituunt; non quod Chorepiscopatus singularis fuerit Ordo a cæteris distinctus, sed quod Chorepiscopi pares quidem essent Presbyteris potestate & charactere sacramentali, jurisdictione tamen & dignitate ecclesiastica Presbyteris longe præstarent, propiusque ad Episcopos accederent. Quod si canones jus ordinandi Presbyteros atque

Chorepiscopi consecrationis Episcopalis expertes.

Digitized by Google

Diaconos juſſu vel permiſſu Epiſcopi Chorepiſcopis tribuere aliquando videantur, id ad eos referri debet, qui Epiſcopali charactere præditi cum eſſent, Chorepiſcoporum officio fungebantur. Quemadmodum enim inter Presbyteros, ſic etiam inter Chorepiſcopos quidam erant, qui Epiſcopalem conſecrationem ſuſceperant; veluti illi, qui ante concilium Laodicenum in pagis ac villis Epiſcopi præpoſiti erant, quod idem concilium in inferiorem, ideſt Chorepiſcoporum ordinem detruſit, vertuitque partem ullam Epiſcopalis officii attingere, niſi conſcio & permittente civitatis Epiſcopo: *Non oportere* ait can. 17. *in pilulis vel in agris conſtituere Epiſcopos, ſed Viſitatores. Hos autem, qui ante hac ordinati ſunt, nihil agere ſine conſcientia Epiſcopi civitatis.* Præterea ſæpe accidit, ut qui ad urbes aliquas regendas ordinati eſſent Epiſcopi, vel a populis non reciperentur; vel ipſi eorum, quibus præerant, perditiſſimis moribus, & inſanabili pervicacia offenſi, cum de curatione deſperaſſent, ultro cederent, ac ſe ſponte in ordinem redigerent. Ut ille quondam Antiochenſis Epiſcopus Martyrius, qui Leone imperante Marciani ſucceſſore, cum ab hæreſi, pravaque opinionum inſania civitatem revocare fruſtra conatus eſſet, & inſolitis ſeditioſorum civium tumultibus agitaretur, convocata multitudine palam ſe Pontificatu abdicavit his utens vocibus: *Clero immorigero, & populo rebelli, & eccleſiæ contaminatæ renuncio, Sacerdotii mihi honorem reſervans;* quam hiſtoriam pluribus narrant Theophanes, Cedrenus, Nicephorus. Hujuſmodi ergo quacumque tandem de cauſa Epiſcopali ſede vel pulſi, vel ſponte cedentes, retento charactere Epiſcopali alias ad presbyterium redibant, alias Chorepiſcoporum titulo ac dignitate donabantur; & ſi quando opus eſſet, Epiſcoporum permiſſu & auctoritate Pontificales functiones obibant, & jus manuum imponendarum ad Epiſcopos & Presbyteros initiandos uſurpabant. Huc pertinet canon ille octavus, quem ſupra laudavimus, Concilii Nicæni, quo ſancitum eſt, ut ab Catharorum hæreſi & ſchiſmate reverſi ad eccleſiam in eumdem, quo antea potiebantur, gradum reſtituerentur; ac ſi quidem nullus in urbe eſſet Epiſcopus, illi ipſi locum occuparent: ſin jam aliquis ſedem illam teneret, qui ab Catharorum parte rediret Epiſcopus, vel Presbyterorum collegio adſcriberetur, vel Chorepiſcopi nomen ac munus ſubiret: niſi forte Epiſcopatus titulum ei communicare vellet Epiſcopus catholicus: *Is autem, qui nominatur apud eos, (qui Cathari dicuntur,) Epiſcopus honorem presbyterii poſſidebit: niſi forte placuerit Epiſcopo nomini eum honore conferi. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero paorſus eſſe videatur.* Cum igitur canones permittunt Chorepiſcopos adhiberi ab Epiſcopo civitatis ad munia Pontificalia obeunda, id de illis Chorepiſcopis intelligi debet, qui præter titulum Chorepiſcopi, Epiſcoporum Ordinem dignitatemque adepti fuerant. Cæterum quemadmodum Epiſcopatus & Presbyteratus, quamvis aliquando in unam perſonam convenerint, re tamen ipſa alter ab altero diſtinguitur; nec re ſolum, ſed etiam perſonis disjungi poſſunt; ſic etiam non continuo, ſi quis Chorepiſcopatum obtineat, Epiſcopus eſſe dicique debet; quamvis interdum acciderit, ut qui Chorepiſcopus erat, idem Epiſcopali charactere ac poteſtate inſignitus fuiſſet. Horum ſententia, quæ negat Chorepiſcopos in numerum atque ordinem Epiſcoporum referendos eſſe, ſi vera eſt, equidem non intelligo, cur Cajanus & Symphorianus ſummi Sacerdotii gradum adepti, in ordinem Chorepiſcoporum redigendi ſint, appellandique, ut Henſchenio placet, Chorepiſcopi.

aliquando tamen Epiſcopali charactere inſignes erant.

& permiſſu Epiſcopi Pontificales functiones obibant.

Habes igitur, quid tituli ac muneris Epiſcopalis habuerint Cajanus, & Symphorianus ante ſuſceptum Salonitanum Pontificatum, quos Vicarios S. Domnii fuiſſe diximus; eidemque ad illam eccleſiam regendam, atque ad Pontificales functiones peragendas ſuam operam navaſſe: niſi forte placeat alicujus eccleſiæ titulo donatos fuiſſe, & ſuam cuique urbem commiſſam, cui jure & dignitate Epiſcopali præeſſet: idque probabile fieri poteſt ex eo, quod ſimile quidpiam alibi factum fuiſſe a S. Clemente legitur in ejus vita ab Iſichio Salonitano deſcripta. Is enim, cum ex illa peragratione Apoſtolica Sirmium divertiſſet, Andronico illius urbis Antiſtiti duos adjunxit Epiſcopos, quorum alterum Singiduno, alterum Murſæ, ad duas illas eccleſias Sirmienſi ſubjectas fundandas præfecit. Quænam vero ex univerſis Dalmatiæ urbibus decretæ fuerint Cajano & Symphoriano, incompertum eſt. Si quis in hac re locus conjecturæ eſſe queat, videntur hi duo Epiſcopi Naronæ & Scardonæ adjudicari poſſe. Utrique interjecta eſt Salona, nec longo, & pari ferme intervallo ab utraque diſtat. Propinquitas locorum id commodi afferebat, ut B. Domnio, ſi qua neceſſitas poſtularet, opera & conſilio in tempore adeſſent; & poſt ejus obitum ad novum Antiſtitem conſecrandum via brevi & expedita Salonam convenire poſſent. Ita fieret, ut eccleſia Salonitana Epiſcopos ſubditos, quos ſuffraganeos vocant, inde uſque ab ſuis primordiis habuerit, in quos B. Domnius Metropoliticam, qua præditus erat, poteſtatem exerceret.

Cajanus & Symphorianus fortaſſis alter alteri, alter alteri Dalmatiæ urbi cum juriſdictione Epiſcopali præpoſitus.

CAPUT III.

De Pontificatu Salonitano Cajani & Symphoriani.

§. I.

De utriuſque ad eccleſiam Salonitanam regendam electione.

Triplex Lini ordinatio.

DAniel Papebrochius in par. 1. Conatus Chron. hiſt. ad Catal. Rom. PP. Diſſert. 4. triplicem ait conſtitui poſſe Lini proximi a Petro Romani Pontificis electionem, ſive ut, ipſe vocat, *Ordinationem*; unam, cum adeptus eſt gradum Epiſcopalem, quo fiebat, ut principem locum auctoritatemque in Romano Presbyterio teneret, & Evangelici Epiſcopi partes in urbe locisque urbi finitimis ageret: alteram, cum Petrus anno 56, juxta eam, quam iniit Papebrochius, annorum ſupputandorum rationem, illum Pontificii muneris Vicarium adſcivit, & ſibi in cathedram Romanam ſuccedendi jure impertiit: id enim fieri ſolebat, cum Romani Pontificis vel diuturna abſentia, vel captivitas, vel morbus, vel exilium neceſſitatem afferret alterius ſubrogandi, qui ejus vice fungeretur. Ab hac autem ſecunda electione annos duodecim Lino Pontifici attributos antiqui Catalogi numerare incipiunt. Tertia demum Lini electio ſive ordinatio hæc eſt, cum poſt Petri Martyrium, Cleri populique Romani ſuffragiis ad Romanam ſedem evectus eſt.

Cletus itidem & Clemens Epiſcopi a Petro conſecrati & ejus Vicarii.

Docet præterea Cletum & Clementem itidem Vicarios Petri fuiſſe, ab eodem Epiſcopos conſecratos, ut pro dignitate ac magnitudine illius urbis ac provinciæ, ſibi vel abſenti, vel eccleſiæ univerſalis cura & ſollicitudine diſtento aſſiduam atilemque ope-

operam, una cum Lino, ad omnia Episcopi munera & officia exsequenda conferrent; atque hos fuisse ait *tres illos Episcopos*, qui a B. Petro consecrati fuisse dicuntur, in secundo Catalogo Henschenianо: *Omnes hi*, ait Papebrochius, *pro urbe Roma intelliguntur consecrati . . . . . quis enim ignoret ab Apostolo Petro longe plurimos pro diversis locis ordinatos Episcopos*. Lini, Cleti, & Clementis consecrationem Episcopalem Petro arrribuit auctor libri Pontificalis: *Hic ordinavit duos Episcopos Linum & Cletum . . . . . Hic B. Clementem Episcopum consecravit* &c. Neque Epiphanius hær. 27. c. 6. ab hac opinione abhorruit, eique hanc rationem subjecit: *poterant viventibus adhuc Apostolis, Petro scilicet ac Paullo, Episcopi alii subrogari; quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia in alias urbes regionesque profectionem susciperent, carere autem Episcopo Roma non posset. Siquidem Paullus in Hispaniam pervenit, Petrus vero Pontum & Bithyniam sæpenumero peragravit*. Illud vero Papebrochius observari animadvertique jubet, quod traditum est in libro Pontificali, & in Actis Græcis SS. Apostolorum Petri & Pauli, Petrum videlicet, enim sibi supremum diem imminere intelligeret, mutata repente voluntate, & Lino posthabito, Pontificatum Clementi, quamvis invito ac repugnanti, quasi per manus tradidisse, & in eum jus proximæ successionis transtulisse; consilii autem mutandi causam rationemque hanc fuisse ait, quod Clemens, temporibus illis difficillimis ecclesiæ utilior videretur futurus; quippe qui Romæ ortus cum esset stirpe nobilissima, apud principes viros, ac magistratus affinitate & gratia plurimum valebat, ob eamque causam contra Ethnicorum in Christianos odium furoremque ecclesiæ laboranti magno præsidio atque adjumento esse poterat. Cæterum Clemens, ut diximus, justis gravissimisque de causis, jure suo, si quod habuerat, sponte decessit, & Romani Pontificis eligendi plenam integramque potestatem Clero populoque Romano permisit.

Lino posthabito, Clemens Petri successor designatus.

Quod de triplici consecratione Lini scripsit Papebrochius, accommodari potest ad Cajanum & Symphorianum.

Jam vero quod de Vicariis Petri, Linique triplici electione sapienter eruditeque Papebrochius scripsit, idem etiam, atque eadem fere aut simili ratione ad duos illos B. Domnii Vicarios referri posse existimo. Primum enim instituti sunt Episcopi, & Vicariorum titulo ac dignitate aucti; deinde verisimile est decretam illis fuisse in locum S. Domnii successionem; quod Domnius facere poterat exemplo D. Petri cum sui, tum omnium Episcoporum principis ac magistri; quodque postea factum esse constat a sanctissimis viris, qui antequam ex hac vita migrarent, vel successores suos nominarunt, vel quos optarent sibi in Pontificiam sedem subrogari, & ad pastorale munus omnium aptissimos censerent, eos illis impense commendarunt, ad quos jus Episcopi eligendi pertinebat. Demum post obitum B. Domnii, quod ille decreverat, ratum habuit ecclesia Salonitana; & Domnio Cajanum, huic vero Symphorianum in Episcopalem cathedram substituit.

Electio Episcopi olim pertinebat ad Clerum & populum; quibus invitis Episcopum obtrudi non licebat.

Illud tamen animadverti oportet, Episcopi designationem a decessore factam irritam ac nullam fuisse, nisi postea Cleri populique consensus accederet. Sunt enim gravissima Pontificum & conciliorum scita, quæ vetant populis invitis ac repugnantibus Episcopos obtrudi. Celebris in hanc sententiam, ac frequenti communique usu tritus est canon ille ab Cœlestino I. conditus in epist. ad Narbon. Episc. can. 3. *Nullus invitis detur Episcopus; Cleri, plebis, & ordinis consensus ac desiderium requiratur*. Id ipsum & Carthaginiense IV. canone 1. statuit, & Arelatense II. can. 54. cujus quidem sapientissimi decreti rationem reddidit Leo Magnus in suis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum litteris: *ne plebs invita Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa, quam convenit, cui non habere licuit, quem voluit*. Ep. 103. cap. 4. Hunc Episcoporum Cleri ac populi suffragiis sive approbatione eligendorum morem pariter cum ecclesia ortum habuisse, atque ab instituto & traditione Apostolica dimanasse tradit Cyprianus ep. 68. *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis & Deum metuens a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maximam habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur*. Mox id exemplo adstruit tum Eleazari, qui filius fuit idemque successor Aaronis, qui universa Synagoga præsente atque approbante in locum patris summus Sacerdos constitutus est; tum Matthiæ, de quo in locum Judæ & Apostolatum subrogando Petrus ad Christianam plebem retulit. *Quod utique*, ait, *idcirco tam diligenter & caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad Sacerdotii locum indignus obreperet &c. Propter quod diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione observandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit*. Hactenus Cyprianus, qui *traditionem illam* idcirco divinam vocat, non quod a Christo ipso præscripta sit, sed quod ratio illa probatissimi cujusque e familia Aaronis deligendi ad summum Sacerdotium in lege veteri usurpata est auctore Deo, & per Apostolos a Synagoga in ecclesiam translata. Hoc ipsum in Cornelii Papæ, qui Fabiano successit, creatione factum esse testatur idem Cyprianus ep. 52. *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio*. Ipsemet vero Cyprianus, Pontio Diacono teste in ejus vita, *judicio plebis, & favore ad officium Sacerdotii, & Episcopatus gradum adhuc neophytus, & ut putabatur, novellus electus est*. Sunt & alia non pauca in historiis exempla ecclesiæ primævæ plebem cum Clero ad Episcopalia comitia convocantis; qui mos creandorum Antistitum in jus deinceps legemque communem migravit, & Conciliorum decretis ubique receptis sancitus cum viguisset usque ad sæculum fere undecimum, nominationes Episcoporum paullatim populo adimi, & vel ad Reges, vel ad Romanum Pontificem, vel ad collegia canonicorum revocari cœperunt.

Episcopi non prærogativa antiquitatis, sed electione creati.

Hinc apparet, quam longe a veritate aberrent, qui existimant Apostolorum ætate, & proximis ab ea temporibus Episcopos non electione creatos esse, sed ex antiquitatis prærogativa, rato certoque successionis ordine substitutos: quemadmodum in locum primi Presbyteri, is, qui proximo ab eo cooptatus fuerat, antiquitatis jure succedebat. Neque huic opinioni patrocinium adsciscit potest ex quodam commentario in epistolam ad Ephesios, quem certo constat non esse Ambrosii, cujus nomini falso suppositus est, sed obscuri cujusdam ignotique scriptoris, quem alii Luciferiani schismatis Ante-

dignanum, alii Pelagiana labe infectum fuisse censent. Hæc igitur habet mentitus ille Ambrosius: *Primum*, inquit, *Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente uno sequens ei succederet; denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio prospiciente Concilio, ut non Ordo, sed meritum crearet Episcopum multorum Sacerdotum judicio constitutum; ne indignus temere usurparet, & esset multis scandalum.* Sed quamquam hujus larvati scriptoris, & vel schismatis, vel hæreseos nomine suspecti nulla esse debeat apud cordatos Viros auctoritas, id tamen, quod isti concludere volunt, non effici ex ejus verbis, nec esse consequens, facile ostendi potest. Quod enim ille ait Episcopos apud Alexandriam ita creatos fuisse, *ut recedente uno sequens ei succederet*, id in eam sententiam accipi oportet, ut ex solo Presbyterorum Ordine tum Episcopi Alexandrini eligerentur; hoc est, *uno recedente*, atque e medio sublato, *sequens* idest alter ejusdem ordinis succederet. Neque enim idcirco *sequens* dicitur, quod ei, in cujus locum suffectus est, antiquitate Presbyterii esset proximus, sed quia in Episcopali sede eum, qui præcesserat, proxime sequebatur. Idem enim *sequens* est, atque *alter*; veluti si dicam ex solo Cardinalium collegio Romanum Pontificem ita fieri, *ut uno recedente sequens ei succedat*, nihil aliud intelligi velim, nisi alterum ei Cardinalem substitui; minime vero inde consequitur eum, qui cooptationis tempore totius collegii primus est, jure antiquitatis, non electionis subrogari. At postea *immutata est ratio*, inquit, *ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum*; idest sapientissime cautum ac provisum est, ut in posterum cum Episcopus creandus esset, non tam Ordinis Presbyteralis, quam meriti, ut ajunt, personalis ratio haberetur. Nam fieri poterat, ut in Presbyterio nemo esset Episcopatu dignus, esset autem in Diaconorum Ordine, aut in hoc certe longe, quam in illo digniores Episcopali sede inveniri rentur. Cum igitur antea Alexandriæ non aliunde, quam ex collegio Presbyterorum deligendus esset Episcopus, sæpe accidebat, ut vel indignum, vel huic muneri minus aptum illius ecclesiæ regimini præfici oporteret. Id merito displicuit, & alia Episcoporum eligendorum formula præscribenda fuit. Itaque *multorum Sacerdotum judicio constitui* placuit Episcopum non ex *Ordine*, sed ex *merito*; sic prorsus, ut non dignitas Presbyteralis, sed virtus ac doctrina multorum testimonio comprobata viam certam atque expeditam ad summum Sacerdotium cuique munire. Cæterum incerta ac futili falsi hujus Ambrosii sententia abjudicata ac rejecta, unus nobis instar omnium esse debet Hieronymus, qui a Marco ecclesiæ Alexandrinæ conditore usque ad Heraclam & Dionysium, hoc est usque ad tertium sæculum fere medium in creandis Episcopis morem hunc Alexandriæ retentum fuisse dicit, ut e suo collegio Presbyteri, quem utique vellent, maximeque idoneum judicarent, Episcopum facerent: non igitur alter alteri, ut quisque antiquitatis prærogativa antecedebat, ita succedebat ex ordine. *Nam & Alexandriæ*, inquit ep. 85. ad Evagrium, *a Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat.* Nec vero si Hieronymus Alexandrinum Episcopum a Presbyteris, & e Presbyterorum Senatu electum fuisse tradit, continuo ab comitiis Episcopalibus Cleri inferioris, populique suffragia exclusit; sed Presbyteros propterea commemorat, quod penes illos Episcopi nominandi potestas esset; quæ tamen nominatio irrita fuisset, nisi plebis consensione approbaretur. Post interitum Heraclæ ac Dionysii vetus hæc consuetudo ideo antiquata fuisse dicitur, quod in posterum ex Diaconis etiam, & aliunde, non e Presbyterio Alexandrino solum Episcopus deligi cœperit. Cæterum morem apud Alexandrinos receptum Episcopi e Presbyterio eligendi referas nolim ad alias ecclesias, in quibus e collegio Diaconorum plerumque Episcopus deligi & creari solebat, ut supra diximus.

Locus ex Pseudo-Ambrosio prolatus explicatur.

De creatione Episcopi Alexandrini sententia Hieronymi.

Sunt, qui existiment, Balsamone, & Zonara auctoribus, jus eligendi Episcopi, præsertim in ecclesiis Orientalibus, Clero populoque ademptum fuisse canone quarto & sexto Synodi Nicænæ, itemque duodecimo Laodicæni, & undevigesimo canone Antiocheni concilii, quibus Antistites, nulla Cleri plebisve facta mentione, ab Episcopis provinciæ creari & ordinari jubentur. Verum si quis diligenter canonum illorum verba perpendat, & quo potissimum spectent, animadvertatur, vereor sane, ut ex iis, quod isti volunt, confici possit. Nam Episcopis provincialibus, cum ad creandum Episcopum conveniunt, quæ sint eorum partes, Canones illis præscribunt: horum sane ac præsertim Metropolitani in hisce comitiis prima & præcipua erat auctoritas, &, ut Græci dicunt, τὸ κῦρος τῶν γινομένων. Itaque popularibus istis concionibus & suffragiis præerant Episcopi, sine quibus fieri nihil poterat. Episcopi enim, quos omnium ad pastorale munus aptissimos censerent, Clero ac populo convocato nominabant; id quod servandum esse decrevit Arelatensis II. Synodus canone 54: *ut tres ab Episcopis nominarentur, de quibus Clerus vel cives unum eligendi haberent potestatem*; quod tamen non ubique servatum est, cum alicubi populi suffragia præcederent, quibus Episcoporum, maxime Metropolitani, auctoritas accedebat. De vita autem & moribus eorum, qui nominati erant, populus una cum Clero testimonium secundum fidem ac religionem gravissime dicebat; ne quis videlicet vel ecclesiastica censura inustus, vel canonico impedimento illigatus, aut alias ob causas indignus eo nomine atque gradu ad Episcopatum proveheretur; multa enim latere poterant Episcopos advenas, quæ civium cognitionem effugere non poterant, in quorum oculis conspectuque ii, de quorum electione agebatur, vitam exegerant. *Coram omni Synagoga*, inquit Cyprianus ep. 68. *jubet Deus constitui Sacerdotem; idest instruit, & ostendit Ordinationes Sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Si Cleri & populi testimonia ac suffragia inter se discreparent, Episcoporum ac præsertim Metropolitani erat in ejus, de quo ambigebatur, vitam & mores inquirere, testimonia pro illo, & contra illum allata perpendere, ac rebus omnibus diligenter circumspectis, pro eo ut veritas æquitasque postulabat, sententiam ferre. Quod his verbis declarat Leo Magnus in epistola ad Anastasium Thessalonicensem: *ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis.* Epist. 103. cap. 4. Itaque Episcopi quidem judices erant arbitrique comitiorum Episcopalium, Clerici vero & Laici tamquam testes & suffragatores adhibebantur, & quod illi de constituendo Episcopo decretum fecissent, id ratum esse

In Comitiis Episcopalibus quid Episcopus, quid populo juris & potestatis tributum.

non

non poterat, nisi ejusdem auctores & approbatores fierent Clerus pariter populusque. *Nullus*, inquit Cœlestinus, *detur Episcopus invitis, Cleri, plebis, & ordinis consensus ac desiderium requiratur*. Cum igitur præcipua quidem eligendi, tota vero consecrandi novi Episcopi potestas esset penes Episcopos, idcirco canones supra laudati illorum tantummodo meminerunt, quorum primæ sunt partes in Episcopis creandis; de Clericis vero & Laicis nihil Patres illi sanciendum censuerunt, propterea quia quid juris ac suffragii in hujusmodi comitiis ecclesia illis permitteret, satis constabat. Tantum porro abest, ut concilia illa Clero populoque Comitiis Episcopalibus interdixerint, aut haud multis post Nicænam annis, Sardicensis Synodus canone 6. eum jubeat Episcopum constitui, quem plebs postularit in unum collecta; quin imo epistola Synodica concilii Nicæni monet, ac præcipit, ut Meletianæ partis Episcopi in eorum, qui decesserant, locum subrogentur: *Si tamen digni habeantur, & populus eligat*. Quare cum eadem Synodus canone 4. κατάστασθαι, idest *ordinari*, ut vertit Dionysius, Episcopum jubet ab omnibus, vel a tribus saltem Episcopis provinciæ, aut de sola consecratione loquitur, aut certe populorem conventum, & Cleri plebisque suffragia non excludit. Nec desunt quamplurima, quæ proferri possunt, exempla populares in eligendis Episcopis suffragii ac testimonii in utraque ecclesia Græca Latinaque etiam post Nicænam Synodum usurpati, quibus supersedendum censeo, ne in re minime dubia testibus non necessariis abuti videar.

Paucis ergo diebus post martyrium B. Domnii interpositis, cum Clerus populusque Salonitanus in unum locum convenissent, una omnium voce datus est ei successor Cajanus; quo aliquot post annis extincto, communi itidem omnium consensu renunciatus est Symphorianus ejusdem ecclesiæ Episcopus. Ac prioribus quidem comitiis Symphorianum præfuisse verisimile est, alteris vero utrum Episcopi aliqui, unus pluresve præfuerint, incertum est; neutrum enim nobis liquet, seu sum fuisse, seu non fuisse alios in Dalmatia constitutos Episcopos, qui ad Metropolitani electionem convocarentur. Exteros autem Episcopos & longinquos accersiri nec sinebat ejus negotii celeriter conficiendi necessitas, & vetabant tempora illa calamitosissima, quibus nihil uspiam tutum erat Christianis, nihil pacatum, nihil ab hostibus non infestum. Præterquamquod cum uterque jam præditus esset Episcopali charactere, ac dignitate, non admodum necessaria videbatur aliorum Episcoporum præsentia atque opera, qui eam ob causam præcipue advocari solebant, ut Episcopum electum consecrarent. Porro præclarum illud & gravissimum judicium, quod de Cajano & Symphoriano fecerat Domnius, cum eos ad Pontificatum provexit, sibique Vicarios substituit, ac deinde successores etiam suos fortasse designavit, apud Clerum & populum Salonitanum tantum habuit auctoritatis & gratiæ, ut cum de altero ac tertio subrogando Episcopo comitia haberentur, omnium vota & suffragia, nullo dissentiente, in eos convenerint, quibus Domnius tam singularem eximiamque suæ voluntatis ac sententiæ prærogativam dederat. Præterea nemo ignorat priscorum ecclesiæ temporum morin fuisse, ut Episcopis decedentibus ii ferme substituerentur, quos illi Vicarios sibi suffecerant; quo facto satis declarabant, quem Episcopali oneri & secum, & post se ferendo magis idoneum judicarent. Credi enim par est ab Episcopo optimum quemque sumptum esse ex Presbyteris Diaconisve, cui Pontificiæ procurationis partes multas sane, & gravissimas committeret. In Episcopatu Cæsariensi Eusebium Basilius excepit, in Mediolanensi Ambrosium Simplicianus, in Hipponensi Valerium Augustinus, Augustinum Heraclius, ut de aliis omittam commemorare, quos eorum, qui decesserunt, antea Vicarios fuisse accepimus. An enim potest quispiam institui fingique aptior ad ecclesiam regendam, quam is, quem Episcopalis fungendæ vicis necessitas & rerum ecclesiasticarum cognitione penitus imbuit, & ad omne pastoralis officii munus longo usu, & assidua exercitatione instruxit? Quod igitur Cajanus & Symphorianus B. Domnio ad ecclesiam administrandam diu ac diligenter vicariam operam navaverint, id scilicet magno momento esse potuit ad omnium voluntates in electionem utriusque impellendas. Si autem verisimilius putes illos alicui ecclesiæ præpositos fuisse affixosque Episcopos, & Salonitanæ Metropoli obnoxios, exempla suppetunt quamplurima vetusta pariter, ac recentia, quæ doceant sæpissime accidisse, ut suffraganei ad ecclesiæ Metropolitanæ regimen & Pontificatum evecherentur. Hæc autem eo pertinent, ut ostendam & multas & justissimas causas fuisse Salonitanis, ut in locum B. Domnii primum quidem Cajanum, deinde vero Symphorianum subrogarent.

Domnio Cajanus, huic Symphorianus in sedem Pontificii suffectus. Cleri populique Salonitani consensu.

Episcopi sapissime illorum Vicarii subrogati.

§. II.

Acta Episcopalia Cajani & Symphoriani, martyrium utriusque, anni Pontificatus.

EPiscopos ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς, sive ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς idest ab inspectione, seu curatione dictos fuisse nemo ignorat; quæ vox sui illos officii admonet, ut intelligant se in quodam veluti ecclesiæ specula collocatos esse, unde omnes reipublicæ ecclesiasticæ partes circumspiciant, & Christianæ plebis commodis utilitatique advigilent, eidemque ad recte vivendum, æternamque salutem adipiscendam, quæ sunt necessaria, adjumenta ac præsidia subministrent. Nec vero existimes Episcopi nomen curationis tantum & officii, non vero jurisdictionis ac dignitatis nomen esse, perinde ac si Episcopum ex prima institutione nihil aliud fuisse velles, nisi Curatorem nullo magisterio, nulla auctoritate præditum, quasique opificem quendam ac ministrum. An enim esse potest absurdius quidquam, atque ab institutis Christianæ antiquitatis alienius, ac divinis litteris magis adversum, quam Episcopis auctoritatem ac dignitatem eripere? Est enim Episcopus Magistratus quidam ecclesiasticus, qui sine potestate ac jurisdictione ne intelligi quidem potest, cum hæc sit Magistratus definitio ab Cujacio lib. 3. de orig. juris tradita: *qui juri dicundo, & assidua jurisdictione servando præest*. Jubendi vero & vetandi jus ac potestatem penes Episcopos numquam non fuisse, tum pleraque Scripturæ testimonia persuadent, tum antiqua concilia & canones declarant, tum denique usus ecclesiæ perpetuus veterum monumentis ad posteritatis memoriam proditus confirmat. Paulus Act. cap. 20. ait potestatem *regendi ecclesiam Dei* Episcopis divinitus traditam esse; & cum ad Hebr. cap. 13. Christianos jubeat se obedientes præbere ac subjectos Præpositis, idest Episcopis, consequens est, ut his jus imperandi insit, ac præsidendi. Qui ejusdem Pauli ad Timotheum ac Titum epistolas legat, clare perspiciet non nudam sine potestate atque imperio curationem, sed jus & auctoritatem non solum jubendi, sed etiam coercendi duobus illis Episcopis attribui.

Undecidit Episcopi.

Episcopis inest potestas & jurisdictio.

Insi-

Digitized by Google

Infinita proferam, si sit otium. Patrum & Conciliorum testimonia, quæ spiritalem quamdam & ecclesiasticam jurisdictionem Christiano sacerdotio annexam esse declarant, & quatenus pateat, quibusve in rebus versetur, diligenter docent. Hinc extitit bipartita illa divisio juris civilis & canonici, qua politica & ecclesiastica potestas distinguitur, & suis quæque finibus circumscribitur. Nam inde usque ab ætate Apostolica jus adimendæ alicui vel restituendæ communionis ecclesiasticæ ad Pastores & Episcopos pertinet. Quare tribunal & illi suum habent, e quo sententiam dicunt, multo & majus & præstantius, quam cathedra Mosis illa, supra quam sedentibus Judæorum magistris ac præpositis obtemperari Christus voluit.

Duplex cujusque Episcopi & præcipua potestas.

Duo autem sunt juris atque ordinis Episcopalis maxime propria & singularia; alterum quidem est potestas conferendi ordines sacros, quam neque umquam amittere Episcopus, neque ulli gradus inferioris Sacerdoti delegare potest; alterum vero sacrarum rerum administrandarum in ea, quam quisque regit, ecclesia auctoritas summa, & nemini, præterquam Romano Pontifici, vel etiam Patriarchæ, aut Metropolitæ, cujus quisque ditione continetur, obnoxia. *Quid est Episcopus*, inquit Ignatius ad Tral. scribens, *nisi supra omnem principatum, & potestatem omnibus imperans, quatenus homo imperare potest*. Quibus ex verbis conficitur Episcopum semper ecclesiæ suæ ac Clericis omnibus ita præfuisse, ut nulla pars ecclesiasticæ rei sine illius auctoritate tractaretur. Ac sæpe illud diligenterque commendat Ignatius, & in suis fere singulis epistolis repetit, ut Episcopo pareant universi, præsertim Presbyteri & Diaconi; neque quidquam, nisi ex ejus arbitrio & voluntate faciant; sicut enim Christus nihil absque Patre operatur; *ita & vos sine Episcopo nihil agite*, scribit ad Magnesios, *non Presbyter, non Diaconus, non Laicus; neque res ulla vobis consentanea rationi videatur, præter illius sententiam. Id enim prævum est & invisum*. Iterum idem inculcat in epistola ad Smyrnæos: *Nemo sine Episcopo quidquam agat eorum, quæ ad ecclesiam spectant*. Hujus vero Episcopalis auctoritatis, qua cujusque ecclesiæ administratio continetur, cum variæ sint ac multiplices functiones, quamvis earum pleræque etiam Presbyterorum propriæ essent, tamen priscis illis temporibus ab Episcopi peragi solebant, vel certe peculiari quodam jure ad illos spectabant, neque Episcoporum injussu earum partem ullam attingere Presbyteris licebat. Justinus Martyr Apostolorum ætati suppar, in Apologia secunda ecclesiæ Christianę instituta cæremoniasque describens, præsertim quæ in sacris Synaxibus ac Sacramentis conficiendis usurpari tum solebant, omnia per unum ecclesiæ Præsidem, idest Episcopum, gesta & administrata esse confirmat; eumdem principem tum in populo erudiendo, tum in Sacramentis impertiendis, itemque pecuniæ ecclesiasticæ curatorem, rerumque omnium sacrarum moderatorem fuisse docet. Tertullianus item in lib. de Corona Milit. cap. 3. penes Episcopos proprie fuisse tradit jus Eucharistiæ distribuendæ, & Baptismi conferendi; nam *Eucharistiæ Sacramentum* (Christianos ait) *non de aliorum manu sumere, quam præsidentium*. Etenim per illa tempora Episcopi ipsi fere semper, cum Missa celebranda erat solemni ritu, sacris operabantur, & Eucharistiam, iis, qui aderant, ipsi præbebant. Sed Baptismum etiam jure quodam proprio administrabant; cæteris neque rem divinam facere præsertim festis diebus, neque baptizare licebat, nisi ex Episcopi auctoritate. Id docet Tertullianus ipse in libro de Baptismo cap. 17. *cujus dandi habet jus*, inquit, *summus Sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est*. Idem confirmat Ignatius Apostolicorum temporum æqualis in epistola ad Smyrnæos: *Non*, inquit, *absque Episcopo, neque baptizare, neque offerre, neque sacrificium celebrare, neque convivium instituere licet: sed quidquid illi visum fuerit, secundum beneplacitum Dei, ut sit tutum, & stabile quidquid agetis*.

Olim Episcopi ea etiam per se ipsi exsequi solebant, quæ præstari possunt a Presbyteris.

Eadem veteris ecclesiæ disciplina ex Apostolicis constitutionibus & canonibus, conciliorumque decretis adstruitur, quæ Episcopi unius judicio ac potestati summam ecclesiasticarum rerum omnium permittunt. Etenim docendi, & concionandi munus, Clericorum & Ordinum omnium gubernatio, & præsertim solvendi atque ligandi potestas, qua pœnarum modus, & publicæ pœnitentiæ functio, jusque ad percipienda Sacramenta, vel concessum vel ademptum continetur, Synodorum auctoritate passim in Episcopos confertur. Consulantur canones Nicænæ Synodi v. xi. xii. in quibus largiendæ communionis facultas Episcopo tribuitur, ut pro arbitrio legitimum tempus vel contrahat, vel proroget iis, qui pœnitentiam obeunt. Huc addi possent, nisi brevitati consulendum esset, vetera exempla plurimorum Episcoporum, quæ declarant & divini verbi & ecclesiasticarum omnium functionum jus omne penes Episcopos fuisse; Presbyteris vero sacri ministerii reique ecclesiasticæ, nisi quatenus Episcopus permitteret, nihil attingere licuisse. Itaque ut paucis omnia complectar, nullum erat Sacerdotale officium, quo non per se ipsi fungerentur Episcopi, vel certe illorum Vicarii, aut Archidiaconi, quibus suam ipsi personam suasque partes imponebant. Cæteris vero Presbyteris baptismi conferendi, Pœnitentes reconciliandi, conciones habendi, & cætera Sacramenta impertiendi tum potestatem dabant, cum auctus in urbe oppidisve Christianorum numerus multorum operam atque industriam requirebat.

Veteres Canones omnia Episcopi potestati subjiciunt & attribuunt.

Cajanus & Symphor. Episcopalibus officiis egregie functi.

Sanctitas eximia priscorum Antistitum, & quæ tum maxime vigebat disciplina ecclesiastica, dubitare non sinit, quin Cajanus & Symphorianus omnia hactenus descripta Episcoporum munera & officia naviter accurateque exsecuti fuerint; sed quæ præclara & singularia uterque gessit ob stabiliendam vel propagandam rem Christianam in Dalmatia, in tenebris latent, Scriptorum magis inopia, quam quia ex eorum Actis nihil dignum extaret, quod litteris ac memoriæ proderetur. Illud satis constat Episcopatum utriusque in difficillima ecclesiæ tempora incidisse, cum terrores undique ac cædes Christianis ingruerent; propterea que nihil eo laboriosius, aut magis sollicitum, aut gravioribus curis ac periculis exercitum dici aut fingi potest. Nam persecutio illa, quæ inscribitur nomine Trajani, cum post litteras Plinii de Christianorum multitudine & innocentia ad Imperatorem e Bithynia scriptas aliquantisper deferbuisset, acrius multo vehementiusque exarsit anno septimo alterius sæculi, quo Domnius martyrium subiit; & longe lateque in vitam fortunasque Christianorum grassata, non antea sævire, quam Trajanus vivere desiit, anno videlicet 119. vel 117. nisi forte anno superiori ipsemet Trajanus, ut docet Suidas in hist. de Trajan. Imp. ab Christianorum cædibus abstineri jusserit, postquam Tribonianus Palæstinæ primæ Præfectus eum per litteras edocuit frustra tempus conteri, operamque in Christianis persequendis consumi; se quidem in excogitandis inferendisque suppliciis defati-

Digitized by Google

fatigatum esse, & Imperatoris mandata exsequi se posse diffidere; ac multo plures superasse, qui ultro avideque mortem expeterent, quam quos ipse occiderat. Verum de hujusmodi litteris dubitant eruditi Viri, nec ad fidem faciendam satis idoneas esse putant. Trajani persecutionem & acerbissimam fuisse, & per omnes Imperii Romani provincias pervagatam intelligi potest tum ex Actis S. Ignatii, in quibus dicitur *Trajanus omnes aut sacrificare, aut mori coegisse*; tum ex Historia Eusebii, *qui plurimos ex fidelibus martyrii certamine perfunctos esse tradit*; & Imperatoris exemplo *peculiarem quamdam persecutionem per singulas civitates populari motu excitatam fuisse*. Certe Philippis in Macedonia Dalmatiæ finitima Rufus & Zoeinus, cum aliis sane multis, ut colligitur ex Polycarpi ad Philippenses epistola, Romæ Anacletus Papa, in Epiro Astius Dirrhachiensis Episcopus pro Christiana religione mortem oppetierunt.

Sub Hadriano vehementius exarsit Persecutio.

Ælius Hadrianus nihilo mitius, quam Trajanus ecclesiam exagitavit, & Christianorum complures extremo supplicio affecit, inter quos præstantissimi martyrii palmam adepti sunt Eustachius cum uxore & filiis, Faustinus & Jovita Brixienses, Evaristus & Alexander Romani Pontifices, Hero Episcopus Antiochenus, Symphorosa Tiburtina cum filiis septem, aliique quamplurimi. Hadriano imperante, jus in Christianos ubique animadvertendi datum fuisse Magistratibus Romanis ex eo cognosci licet, quod Tertullianus narrat de Arrio Antonino Asiæ Proconsule, qui cum Bithyniam lustraret, & in quadam ejus provinciæ civitate quæstiones de Christianis habere instituisset, Christianorum se ultro morti offerentium multitudine deterritus, incœpto destitit; & paucis comprehendi jussis, in quos lege ageretur, cæteros dimisit illa objurgatione increpitos; si tanta eos pereundi libido incesserat, non defore præcipitia & laqueos, a quibus interirent. Sunt tamen, qui Asianum Antonini Proconsulatum ad imperium Trajani revocandum existimant. Cæterum Hadriani ecclesiam ferro & igne persequentis exemplum, & auctoritas, tantum odium furoremque populorum animis injecit, ut nullo objecto crimine, nulla servata juris formula, sed solius vulgi veluti rabie quadam contacti insanis clamoribus Christiani ad necem raperentur. Quod cum ab omni non solum æquitate, sed etiam humanitate alienum esset, Serenius Granianus itidem Asiæ Proconsul, antequam e provincia decederet, Hadrianum ea de re per litteras admonendum putavit. Quare Hadrianus anno secundi sæculi 28. vel biennio ante, ut alii volunt, ad Minutium Fundanum Serenii successorem rescribens legem tulit, ut ne quis hoc solo nomine, quod Christianus esset, in judicium vocaretur, neve cuiquam imposterum religio fraudi foret probrove; si quid vero calumniæ quispiam in Christianos intenderet, in calumniatorem supplicium verteretur. Ita ecclesia ex illa magna & diuturna jactatione erigere animum, & paullum respirare a metu cœpit.

Hadrianus Christianos persequi vetat.

Nemini autem dubium esse potest, quin ea calamitas ecclesiam fere universam pervagata in Dalmatiam quoque invaserit; præsertim cum Italia atque Græcia, totaque regio circumjecta, hujusmodi adversus Christianos bello arderet. Hinc intelligi velim, quanta Cajano & Symphoriano sollicitudine, vigilantia, contentione opus fuerit, ut in ea rerum ac temporum perturbatione ecclesiam sibi traditam conservarent, ut vexatis afflictisque Christianis assiduam opem ferrent, jacentes erigerent, labantes confirmarent, omnibus & singulis cum præsidio esse tutissimum, cum ad mortem pro Christo subeundam, si res posceret, animos adderent, & alacritatem injicerent. Indestiam conjici potest, quam sit verisimile eadem temporis procella, quæ sub Trajano & Hadriano in Christianum nomen late incubuerat, Cajanum & Symphorianum perculsos & extinctos fuisse, idque illis singulari Dei beneficio datum esse, ut quam religionem suis verbis & exemplis illustrarant, eamdem proprio etiam sanguine sanciret, & uterque eam-quam *bonus Pastor animam suam daret pro ovibus suis*. Cum enim Ethnicorum principum ac magistratuum ea mens idque consilium esset, ut Christi ecclesiam funditus everterent, ad impia cogitata perficienda nihil erat opportunius, aut magis necessarium, quam Rectores ecclesiarum de medio tollere; iis enim sublatis, Christianam religionem corruere necesse erat, quæ illorum sanctitate ac doctrina potissimum nitebatur; & percussis Pastoribus consequens erat oves dispergi, & Christianum gregem, circumquaque frementibus lupis, penitus interire. Quam ob causam, si qua persecutio adversus Christianos vel Imperatorum edicto, vel populi tumultu concitaretur, primi omnium ad cædem designabantur Episcopi; eos præcipue ut inquirerent, comprehenderent, in vincula conjicerent, & acerbissimis quibusque supplicis necarent, omnem operamque conatumque adhibebant; neque ulla persecutio ecclesiæ indicta fuit, quin plurimos Episcopos alios alibi sustulerit; quod clare perspiciet, qui Martyrum fastos accuratius legerit. Præterea simulatque suspicio persecutionis alicujus increbuisset, licebat Christianis publico carere, in cryptas se abdere, fuga saluti consulere; Episcopis vero non licebat, quibus cum e divino præcepto imposita sit necessitas animam suam ponendi pro ovibus suis, Christianis vel in custodiam inclusis, vel extremum supplicium subeuntibus nullo loco aut tempore, nulla re operave deesse poterant, nullumque defugere periculum, quominus omnia, quæ necessaria essent, religionis & charitatis officia illis præstarent. Cum igitur consensus & conspiratio omnium ordinum ad extinguendum Christianum nomen in Episcopos potissimum spectaret; cum pastoralis officii ratio Episcopos in publico versari identidem cogeret, vitæque periculis certissimis objiceret; vix videtur fieri potuisse, ut Cajanus & Symphorianus oculos hostium, rabiemque subterfugerint. Cæterum de illorum martyrio nihil aut memoriæ prodidum, aut litteris consignatum invenio. In antiquis Martyrologiis aliquot reperiuntur martyres, qui vel Cajani, vel Symphoriani vocabulo subsunt. Utrum in aliquo eorum lateat Symphorianus vel Cajanus noster dubitari quidem licet, sed nullæ illis appositæ sunt notæ satis certæ, unde hi dum dignosci possint. Verum eas formulas Martyrologicas paullo post in disquisitionem vocabimus.

Utriusque martyrii probabilis.

Episcopi omnium primi hostium perquisitionibus exposiii.

Cajani & Symphorii studium in tuendis & confirmandis Christianis.

De numero annorum, quibus Cajani & Symphoriani Pontificatum circumscribi oportet, cum alioude non constet, id statuamus licet, quod notatum invenimus in Catalogo Antistitum Salonitanorum & Spalatensium, Romæ confecto, quem vir quidam eruditus natione Dalmata ex optimis tabulis, quibus archiva Romana abundant, scite accurateque collegit. Utrum ex conjectura, an ex aliquo vetusto codice suos cuique Pontifici annos adscripserit, mihi non satis liquet. Illud affirmare posse videor explicationem illam seriemque annorum neque a veteri Chronologia discrepare, & cum Episcoporum Salonensium numero satis apte congruere. Is igitur Cajani Pontificatum ab anno quarto ad

Cajanus usque ad annum 115.

to ad annum decimum quintum ſecundi ſæculi perduxit. Sed cum conjecturæ rationeſque ſatis graves nos impulerint, ut martyrium S. Domnii ab anno quarto ad ſeptimum ejuſdem ſæculi annum revocarémus, huic itidem anno initium Pontificatus Cajani aſſignamus neceſſe eſt. Idem Symphoriano annos ipſos decem attribuit, ejuſque ex hac vita diſceſſum anno 125. illigavit, cum adhuc Hadriani adverſus Chriſtianos perſecutio arderet, quæ triennio poſt vel anno proximo deferbuit, cum idem Hadrianus litteris ad Minutium datis Chriſtianos ſolius religionis nomine damnari vexarique vetuit. Itaque Cajanus cum annos fere octo, Symphorianus decem ipſos annos Salonitanum Pontificatum geſſiſſent, ex hac vita migrarunt, alter quidem anno 115. ſub Trajano, alter anno 125. ſub Hadriano; cum utroque illo anno, graviſſima perſecutio ſæviret, ac multas ubique Chriſtianorum ſtrages ederet.

Symphorianus usque ad annum 125.

Salonitanam eccleſiæ præfuerunt.

CAPUT IV.

De cultu Cajani & Symphoriani.

§. I.

Nomen utriuſque in Diptychis eccleſiæ Salonitanæ adſcriptum eſſe.

Quid ſint Diptycha.

QUæ de Diptychis part. 3. Prolegom. ſect. 2. c. 3. ſcripſimus, liceat hic nobis in memoriam lectoribus redigere, & ſupplere, ſi quid eo loco prætermiſimus, & paullo forteſſe dilucidius explicare. Diptychorum vocabulum ἀπὸ τῆς πτυχῆς ideſt a plicatura originem traxit; *erantque*, ait Svidas, *tabellæ plicatiles, quæ duabus conſtabant paginis*; ſive ut Joannes Cardinalis Bona explicat: *Diptycha tabulæ ſunt, quæ duas habent plicas*. Erat igitur libellus alias e buxu, alias ex ebore, alias ex alia materia confectus, binas omnino habens paginas cera illitas, in quibus ſtylo adhibito, quo veteres ad ſcribendum utebantur, litteræ imprimi ſolebant: utraque pagella complicata id commodi afferebat, ut loci vel minimum occuparet, atque in ſinu vel in ſacculo facile geſtari poſſet. In hunc ſiquidem codicem, ſi quid forte notatu dignum accideret, ac res eas præſertim, quæ in uſum familiarem & quotidianum cadere ſolent, memoriæ cauſa referebant. Quod autem in rebus & negotiis profanis antea veriabatur, nomen uſumque Diptychorum Chriſtiana religio conſecravit, cum pleræque eccleſiæ libellos ejuſdem fere generis ac formæ uſurpare cœperunt, in his ut deſcriberent nomina ſuorum Epiſcoporum, qui pie ſancteque obierunt, eaque diligenter cuſtodirent, & immortalitati commendarent. Hos autem codices, ſive tabulas, retento priſco vocabulo, Majores noſtri Diptycha appellarunt. Ex his deinde libellis, qui olim extabant in omnibus antiquis eccleſiis, deſcripti ſunt veterum Epiſcoporum catalogi, in quibus præter nomina ex Diptychis deſumpta, ſolet notari annorum numerus, quo cujuſque Pontificatus definitur, dies obitus, & locus ſepulturæ; & interdum etiam adjici ſuum cuique elogium, aliaque id genus, quæ notatione & laude digna viderentur.

Daniel Papebrochius in part. 1. Chronol. epp. Mediol. tom. 6. Maii, docet Epiſcopos omnes primævæ eccleſiæ Diptychis inſcriptos titulo *Sancti*, vel *Sanctiſſimi*, dignos habitos eſſe, quo quidem etiam dum viverent, pro more illorum temporum vulgo affici ſolebant. Cum autem is titulus vere proprieque conveniat priſcis illis Epiſcopis, non ſolum ob Pontificiam dignitatem, ſed etiam ob vitam omnibus ſanctimoniæ notis inſignem, præclaramque mortem, quam pro Chriſto plerique oppetierunt, hinc factum eſt, ut trium aut quatuor priorum ſæculorum Epiſcopi ab eccleſia univerſa in numero Cœlitum haberi ſoleant, & cultui ac veneratione digni cenſeantur, non ſecus atque illi, quos eadem eccleſia poſterioribus temporibus ſolemni ritu Divorum faſtis adſcripſit. Quæ in hanc ſententiam præclare docuit Papebrochius, operæ pretium duxi in hunc locum iterum transferre. *Inſcripti Diptychis Epiſcopi, communi ſæculorum primorum uſu Sancti & Sanctiſſimi nominabantur; nam & viventibus dabatur hic titulus. Hinc factum, etiam poſtquam vocum iſtarum notionem conſuetudo eccleſiaſtica reſtrinxit ad eos, qui propter notiſſimam vitæ ſanctitatem, & miracula inſignia, aut lauream Martyrii invocantur a fidelibus, tamquam citra dubium ullum cœleſti regno recepti; factum, inquam, ex tali uſu eſt, præſertim in eccleſiis Italiæ antiquioribus, ut omnes fere illorum Epiſcopi, qui in communione catholica obierunt per tria, quatuor, ac plura ſæcula, cenſeantur Catalogo Sanctorum adſcripti, ſive canonizati: quemadmodum iis fere omnibus contigit, qui in hac prima parte nominantur.*

Epiſcopi priorum ſæculorum habiti dum viverent, dictique Sancti, & poſt mortem cultu publico donati.

Nemini dubium eſſe arbitror, quin præclarus hujuſmodi Diptychorum uſus viguerit in eccleſia Salonitana, quæ antiquitate ac dignitate cum præcipuis Chriſtiani orbis eccleſiis haud immerito conferri poteſt. Haud enim credibile eſt ab hujus eccleſiæ conſuetudine alienum fuiſſe, quod commune erat omnium fere eccleſiarum inſtitutum, ut Epiſcoporum ſuorum memoriam hiſce tabulis impreſſam conſecrarent. Præterea plures, qui apud nos ſunt, Epiſcoporum Salonæ catalogi idem confirmant; neque enim aliunde veterum Antiſtitum nomina, quam e Diptychis eccleſiæ Salonitanæ deſcripta fuiſſe conſtat. Hujuſmodi autem Pontificii Catalogi bipartito dividi poſſunt. Pars prima complectitur priorum ſæculorum Epiſcopos, qui cum ex antiquis Diptychis deſumpti fuerint, iis cultus tituluſque divorum initio attributus, & jure videtur deberi. His in altera parte ſeries annectitur reliquorum deinceps Epiſcoporum mediæ & poſtremæ ætatis, quibus honores & preces adhibere non licet, niſi acceſſerit eccleſiæ auctoritas, vel populari ſuffragio & acclamatione, vel ſolemni Pontificis Maximi decreto ſignificata, quæ aliquot ex illis ſanctimonia & miraculis inclytos publica veneratione cultuque dignos cenſuit. Cum igitur Diptychis Salonitanis Cajanus & Symphorianus ſecundum a B. Domnio, tertiumque locum obtinuerint, de illorum ſanctitate dubitare non auſim; & niſi oblivio ac deſuetudo veterem eorum cultum antiquaſſet, jure ac merito utrumque in eorum numero haberi poſſent, quos Chriſtiana religio pie & caſte colit, & tamquam gratioſos apud Deum patronos adhibet, ut eorum precibus interpoſitis, cœleſte numen ſibi conciliet.

Uſus Diptychorum in eccleſia Salonit. Ex his Salon. epp. catalogi,

& biſariam diviſi.

Cajanus & Symphorianus ad priorem hujuſmodi Catalogi partem pertinent.

Joannes Cardinalis Bona tria diſtinxit genera Diptychorum eccleſiaſticorum. Primum illud erat, in quo non omnes promiſcue Epiſcopi, ſed illi tantummodo deſcribi ſolebant, quos inter Cœlites cum Chriſto regnare, aut martyrium, aut vitæ ſanctitas eximia, cum miraculis conjuncta, non dubiam fidem faciebat; in hunc vero Catalogum referri idem erat, atque in numero divorum reponi. Horum mentio inter rem divinam celebrandam fiebat, uti nunc fieri ſolet illorum, qui in Canone Miſſæ continentur; ſive ut illis honos debitus haberetur, ſive ut illorum preces ac merita ad divi-

Triplex genus Diptychorum Bona auctore.

In priori Martyrum tantummodo ac divorum, nomina inſcripta.

nam

memoriæ inscribendam adhiberentur. Huc videtur pertinere Diptychon illud Alexandrinum, in quod Timotheus Ælurus, is, qui Episcopatum ibidem fedem invaserat, Dioscori, Eutychianæ latæ insectum, & quarta Synodi auctoritate Alexandrino Pontificatu exutum, per sublimem audaciam invexit: id quod tamquam impium ac detestabile exsecrati sunt Episcopi Ægyptii in epistola ad Anatolium Antistitem CP. *Etiam, inquiunt, in venerabili Diptycho, in quo piæ memoriæ transitum ad cælos habentium Episcoporum nomina continentur, quæ tempore sanctorum Mysteriorum secundum sanctas regulas relegantur, pejus & Dioscori nomen &c.*

In alterum quorundam adhuc viventium nomina referri solebant.

Alterius generis Diptycha erant, in quibus inscribebantur nomina quorundam virorum vel dignitate vel religiosa munificentia illustrium, qui nomulla divis exstruxerant. Inter quos principem totum obtinebat Romanus Pontifex, cujus in rebus divinis commemoratio ad testificandam cum supremo ecclesiæ capite conjunctionem necessaria erat; tum sequebantur Patriarchæ veluti quidam curyphæi ecclesiæ & communionis catholicæ; itemque Antistites proprius, & alii præterea Episcopi, qui peculiari charitatis nexu inter se jungi, & hujusmodi honoris ac benevolentiæ officium sibi mutuo præstare solebant. His adjungebantur Imperatores, Reges, Principes, Magistratus, & e Christiana plebe ii nonnulli, qui ecclesias vel ære suo fundaverant, vel prædiis & vectigalibus auxerant, vel ampliſſimis beneficiis & muneribus cumulaverant. Qui vero ad rem liturgicam conficiendam, vel collectæ nomine aliquid obtulissent, eorum non perpetuo, sed eo tantum die, quo quisque oblationem fecerat, nomina e scripto recitabantur. Horum autem omnium publica illa & solemnis commemoratio non solum honoris gratique animi causa fiebat, sed etiam ut illi nominatim vocarentur in partem copiosissimi illius divinique fructus, qui e Missæ sacrificio generatim in ecclesiam universam redundat. Hujusmodi erat Diptychum ecclesiæ CP. inde per summum, & antea inauditum, scelus Acacius ejus urbis Episcopus erasit nomen Felicis III. Romani Pontificis, ut ei vicem rependeret, a quo justis & gravissimis de causis anathemate percussus, & a piorum coetu segregatus fuerat. Huc itidem pertinet, quod Gregorius Magnus lib. 2. ep. 37. rescripsit ad Constantium Mediolani Episcopum, nihil esse causæ, cur ille, dum sacris operanti adsit, mentionem faceret Joannis Episcopi Ravennatis, quando neque Joannes Constantium in sacris tabulis inscripserat, ejusque inter sacrificandum nominatim mentionem fieri solere esset. Concilium Emeritanum can. 19. jubet in sacrificio omnia nomina commemorari, qui ecclesias vel dotaverant, vel construxerant. *Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per se Episcopi visitationem præsto, prius singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre; & eorum nomina, a quibus ecclesiæ cultui esse constructæ, vel quæ aliquid hic sanctis ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse . . . . . ante altare recitentur tempore missæ.* Illud quoque more majorum constitutum esse, ut eorum commemoratio fieret, qui munera & oblata ad rem sacram, divinumque cultum conferebant, testatur Hieronymus in Commentario in Ezechielem: *Publice Ecclesiæ in ecclesia offerentium nomina recitat*; itemque Innocentius in epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum: *Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tum eorum nomina, quorum sunt, edicenda: ut inter sacra mysteria nominentur, nominentur alia, quæ altaris præclarissimi, nostri ipsius mysteriis nostris futuris precibus aperiamur.*

Ad tertii generis Diptychorum commemoratio Antistitum defunctorum pertinebat.

Tertium denique genus Diptychorum, quæ magis apte proprioque vocabulo dicebantur Necrologia, sibi vindicabant nomina Episcoporum ecclesiæ cujusque, qui fidei & charitatis vinculo cum ecclesia universali conjuncti ex hac vita decesserant. Horum inter sacrificandum commemoratio eo pertinebat, ut si qua purgatione indigerent, ad lucem viæ aeternæ maculas expiandas illis quoque sacrificium prodesset. Hujus generis Diptychon illud fortasse erat, in quod Innocentius I. Pontifex Maximus restituendum curavit nomen Joannis Chrysostomi, quod adversariorum Antistitum iniqua rescissione ipsidem fuerat; idemque ex iisdem ecclesiasticis tabulis expungi jussit nomen Arcadii, qui pulsi expulsionem Chrysostomi in sedem CP. invaserat. Ex hisce etiam Diptychis docent viri eruditissimi prodisse veterum Episcoporum Catalogos, qui in ecclesiarum fere omnium tabulariis diligenter adservari, & custodiri solebant, ut ordo seriesque Antistitum, qui ecclesiæ cuique præfuerant, certo constaret, & ptolatis hinc tabulis, signa necessitas requireret, probari posset. Hujus rei exemplum illustre Acta Concilii Mopsuestiæ Synodo quintæ œcumenicæ inferta nobis suppeditant. Compellatus Joannes Presbyter & Cimiliarcha, jussusque a Patribus Mopsuestiæ Catalogos Episcoporum in medium proferre, retulit se omnium sacrorum vasorum, unde illos deprompsit inquam: *Secundum jussionem vestræ sanctitatis inter sacra vasa, quæ a me servantur, habentes Diptycha, illa protuli, & ad vestitatem vestram porrigo. Habeo & alios libros membranaceos quaterniones vetustiores illis, qui nunc sunt, & recitantur.* Quænam essent illa Diptycha, quidve continerent, adjuncta ibidem Patrum interrogatio declarat: *Recitentur sacra Diptycha, quæ declarent sanctæ memoriæ commemorationem sacerdotum hujus Mopsuestenæ civitatis, ex quo immaculatæ, & orthodoxa fides prædicatur, usque ad hoc sacerdotium, qui in præsenti tertia decima indictione defunctus est.* Postea ex illis Diptychis recitari cœpta sunt nomina Episcoporum ad hunc modum: *Pii requiescentibus Episcopis Protogene, Zosimo, Olympio &c.* Qui vero in hisce Diptychis sive Necrologiis adscripti ob eximiam sanctitatem, & miracula eam in vita, tum post mortem edita religioso cultu, & publica veneratione digni esse probarentur, eos Clero populoque approbante Episcopus transferebat in Diptychon primum, sive in catalogum Divorum Antistitum; quod tum fieri solebat, cum eorum corpora ex humili communique sepultura in sublimem & conspicuum locum sublimi honoris sententia conderebantur. Siquidem tribus prioribus sæculis, ut communis est opinio, nemini, nisi martyribus, publicum & solemnem cultum adhiberi licebat, aut in Diptychis prioris generis locus esse poterat; alii vero, quamvis singulari sanctitate floruissent, & miraculis claruerint, ad tertium tamen Diptychorum genus pertinebant, unde postea, ut diximus, translati sunt ad Diptycha primi ordinis, idest in numerum Divorum adscripti.

ex quo potissimum Catalogi Episcoporum deserpti sunt.

Diptychorum inter sacram actionem legendorum morem antiquissimum esse, & inde usque a primis ecclesiæ temporibus usurpari cœptum colligitur ex Dionysio Areopagita, qui hunc in modum scribit: *Cum se mutuo osculati fuerint, mysticæ illius συναξεως divinissacrarum tabularum recitatio fit; tum e Liturgiis Jacobi Apostoli, Basilii, & Joannis Chrysostomi, in quorum postremam adscriptam inve-*

Ecclesia primæva consuetudo suum Diptychon sanctorum hominum memoriæ dedicandi.

invenio: *Diaconus sacram mensam thure adolet per circuitum, & diptycha tam viventium, quam eorum, qui dormierunt.* Et primum quidem eorum, qui adhuc in numero vivorum erant, deinde eorum, qui diem suum obierant, nomina e Diptychis recitari solebant e præscripto concilii Emeritani supra laudati can. 19. *Si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ; quod si ab hac luce discesserint, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine.* Id moris in aliquibus ecclesiis post decimum sæculum adhuc viguisse testatur Edmundus Martene lib. 1. de antiquis ecclesiæ ritibus cap. 4. *Imo*, inquit, *sæculo XI. id passim in usu fuisse patet ex Concilio Helenensi, seu Tulugiensi, ex Micrologo cap. XIII. ex Leone Ostiensi lib. II. Chronici Casinensis cap. 73.* At vero *Herimannus Monachus S. Martini Tornacensis, qui insequenti sæculo scribebat, in libro de restauratione sui Monasterii innuere videtur, hunc ritum suo tempore in desuetudinem abiisse. Vigebat tamen adhuc in ecclesia Ambianensi, in cujus Diptychis Gervinus, qui ineunte sæculo XII. diem clausit extremum, commemoratur.* Tum hujusmodi Diptychorum exemplum sumptum ex eadem Ambianensi ecclesia lectorum oculis subjicit: *Memento etiam Domine eorum, nempe Firmini Confessoris, Honorati, Salvii, Berbundi &c. Rorgonis, Gervini, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Cæterum aucto Episcoporum numero, ne actio Liturgica diutius protraheretur, is ritus paullatim cœpit exsolescere, ac demum per desuetudinem omnino abrogatus est. Antiquæ hujus consuetudinis vestigia adhuc intueri licet in quibusdam ecclesiis, quarum rituales libri semel singulis annis, statо aliquo ac festo die, Episcoporum suorum nomina ante solemne sacrificium e tabulis recitari jubent.

Is ritus viguit usque ad sæculum XI. in aliquibus ecclesiis.

Demum obsolevit.

Quæ de triplici Diptychorum genere exemplorum appositione explicavimus, paucis hisce verbis complectitur Joannes Cardinalis Bona: *Invenio*, inquit lib. 2. rerum Liturg. cap. 12. *tria fuisse genera Diptychorum sive tabularum, quibus nomina in singulis ecclesiis inscribebantur. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum præsertim, qui illam ecclesiam rexerant, dummodo probitate ac sanctis moribus claruissent. Secundum vivorum, in quibus eorum nomina adscripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi ecclesiæ collatis, vel alio titulo benemeriti essent. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ & proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur: postea Imperator, Magistratus, & populus fidelis. Tertium erat mortuorum, qui in catholica communione decesserant. Usum vero Diptychorum, eorumque lectionem intra Missarum solemnia vel ab Apostolis, vel ex illorum institutione seu traditione ab immediatis successoribus cœpisse satis constat ex iis, quæ supra cap. VIII. de nominum recitatione ex priscis Patribus allata sunt. Quod autem spectat ad primum genus pro solis Episcopis cum opinione sanctitatis vita functis, eam inscriptionem speciem quamdam habuisse canonizationis, seu beatificationis fidem facit Dionysius in theoria capitis tertii Eccles. Hierarchiæ.* Hactenus Card. Bona, qui plura deinde subjicit in eamdem sententiam dictu cognituque dignissima.

Si hæc placeat tripartita divisio Diptychorum ecclesiasticorum, nihil est, cur dubitemus affirmare Cajanum & Symphorianum Episcopos Salonitanos in prioris generis Diptycha relatos fuisse; cum utriusque vita omnibus sanctimoniæ notis insignis, & mors præclara pro Christo, ut verisimile videtur, susceptа, argumento esse possit eos dignos habitos esse, quibus honores cultusque religiosi decernerentur, eorumque nomina adscriberentur in iisdem tabulis, in quas neminem referri licebat, nisi quem eximia sanctitas humanis divinisque testimoniis comprobata fidem faceret apud Deum regnare, & beata immortalique vita potitum esse, ut testatur Dionysius his verbis: *Sacrarum*, inquit cap. 3. Hierarch. Eccl. *Tabularum recitatio deprædicat eos, qui sancti pixerunt, & ad studiosa vitæ perfectionem constanter pervenerunt. Nos quidem eorum imitatione ad beatissimum illum statum, quietemque deiformem adhortando ac manuducendo; illos vero ceu viventes celebrando; quippe, ut Theologia docet, nequaquam mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos.* Quid vero interfit inter horum, qui ex hisce tabulis, & aliorum, qui ex alterius & tertii generis Diptychis nominari solebant, commemorationem Augustinus Tract. 84. in Joan. his verbis declarat: *Ideo ad mensam Domini non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut ipsi orent pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus.* Et Serm. 17. de verbis Apost. *Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur;* itemque pro illis, qui cum adhuc in hac vita mortali degerent, eorum nomina ex Diptychis secundi generis recitari solebant. Huc etiam pertinent, quæ diximus par. 3. Proleg. sect. 2. c. 3.

Cajanus & Symphorianus in Diptycha prioris generis relati.

§. II.

De variis formulis Martyrologicis, in quibus Cajani, vel Symphoriani nomen inscriptum est.

EX antiquis ecclesiarum Diptychis, quemadmodum Episcoporum indiculos, sic etiam Divorum fastos magna ex parte dimanatos ferunt, in quibus Martyrum & Confessorum commemoratio aut nuda & simplex, aut brevi aliquo elogio ornata ad eum diem & locum adscribitur, quem quisque suo vel obitu, vel sepulchro, vel translatione nobilitavit. In hisce tabulis ecclesiasticis, quę vulgo appellamus Martyrologia, Cajani & Symphoriani nomen iterum ac sæpius occurrit; sed nihil usquam notæ satis certæ appositum invenies, unde hi duo, de quibus agimus, Salonitani Antistites clare aperteque dignosci possint. Non desunt tamen conjecturæ, quibus aliquo modo verisimile fiat, unam alteramve ex illis formulis Martyrologicis, in quibus id nomen legitur, ad nostros Episcopos Cajanum & Symphorianum pertinere; sed aut librariorum vitio, aut veteris topographiæ ignoratione factum esse, ut quonam certo & reipsa pertineant, discerni nequeat.

In Martyrologiis Cajani & Symphoriani plures invenientur.

In variis apographis Martyrologii Hieronymiani Cajanum alias Daciæ, alias Alexandriæ, alias Thessalonicæ, alias Barbariæ, nusquam Salonæ aut Dalmatiæ adscriptum invenio; sed suspicio est sub his vocabulis vel subesse aliquod mendum, vel latere urbes aliquas regionesque Dalmatiæ, quarum olim ea nomina vulgari usu trita essent, deinde autem vetustate obsoleverint. Itaque in exemplari Lucensi ejus Martyrologii, quod D. Hieronymum auctorem præfert, ac typis commisit, suisque animadversionibus & commentariis illustravit Franciscus Maria Florentinius, quatuor ipsos Cajanos, suo quemque die, commemoratos reperio præter alios plures, de quibus investigare supersedendum censui. In illis unum aliquem esse, qui ut vocabulo non differt, sic etiam reipsa idem sit, ac noster Cajanus Salonæ Episcopus, suspicari quidem possum,

In Martyrologio Hieronymiano

Cajani quatuor.

positum, affirmare certe non ausim. Omnis conjectura nostra ducitur expositione loci, cui Auctor illius Martyrologii Cajanum affixit: quæ quidem conjectura tantum apud me valebit, quanti faciendam esse Lector æquus & prudens judicabit. Illas igitur formulas Hieronymianas hic describi, & nostras cuique animadversiones subjici oportet, in quibus Cajanus alias cum pluribus, alias cum paucioribus Martyrii sociis conjunctus invenitur.

Cajanus Thessalonicæ adscriptus in apographis Hieronymianis.

III. *Kal. Martii. In Thessalonica natalis sanctorum Alexandri. Antinogumi. Abundanti. Titiani. Magari. Severiani. GAJANI. Fortunionis. Januarii.* Ex Apog. Lucensi.

In exemplari Antuerpiensi pro *Cajano Calanus* legitur. Hujus vocabuli variæ descripti causam in librarios facile conjecerim, ne quis distinctionem Martyrum ipsorum esse, quæ nominum est, putet. Cæterum de horum Martyrum *numero, & loco martyrii*, ut præclare monet Henschenius tom. 3. die 24. Febr. *non parva in Martyrologiis tam manu exaratis, quam excusis, diversitas est*. Alia enim alios prætereunt, alia illos Alexandriæ, alia Romæ adscribunt: quæ veterum codicum discrepantia ab omni nos vel temeritatis vel audaciæ nota liberat, si conjectura ducimur ad suspicandum Martyres illos si non omnes, at certe aliquos, aut saltem Cajanum ad Salonam pertinere; præsertim cum plane constet insignem hujus nominis Episcopum ecclesiæ Salonitanæ priscis illis temporibus præfuisse. Suspicandi occasionem præbet vocabulum *Thessalonicæ*, quo in antiquis tabulis interdum Salonam designatam invenimus; neque viris doctis ignotum esse arbitror, aliquando in Codicibus Mss. vel etiam prælo suppositis, hæc vocabula, *Salona, Salonica, Thessalonica* pro Synonymis accipi oportere, & aliud pro alio, modo ad Salonam, modo ad Thessalonicam designandam usurpari: id quod alibi in Historia nostra animadvertere licebit. Res ita contingere potuit; cum Librarii Cajanum nostrum *Thessalonicæ*, quod idem est ac *Salonæ*, adscriptum legissent, illum suo loco ademptum cum cæteris Thessalonicensibus Martyribus conjungendum putarunt; nisi forte omnes illi Martyres ad Salonam referendi esse videantur; quod in ea formula juxta veterem Synonymiam, vel per errorem in locum Salonæ vocabulum Thessalonicæ substitutum fuerit. Nunc ad explicationem alterius formulæ progrediamur.

Thessalonica, & Salonica pro Salona.

IV. *Idus Aprilis. Alexandriæ Apolloni Presbyteri . . . . . In Thracia Gajani. In Africa* XVII. *Martyrum. In Dacia Gaviani Diaconi*. Ex apographo Hieronymiano Antuerpiensi, quo cum convenit Corbejense, Barberinum, Notkerus, & Grevenus; nisi quod ab his abest *Gavianus Diaconus*. Lucense vero Alexandriæ *Gajanum* cum Apollonio & quinque aliis Martyribus adscribit.

Gajanus Thraciæ, & Gavianus Daciæ adscriptus.

Gajani, & *Gaviani* unum idemque esse vocabulum facile mihi persuaserim. Existit autem hoc loco quæstio quædam subdifficilis, an eidem vocabulo semel atque iterum eidem formulæ inserto duos Martyres subjiciat apographum Antuerpiense, alterum in Thracia, alterum in Dacia martyrio perfunctum. Sed cum cætera omnia Hieronymiana exemplaria unum tantummodo Gajanum sive Gavianum hoc die commemorent, unius Antuerpiensis auctoritas haud tanti mihi est, ut hoc unum reliquis omnibus præferendum putem. Ita plane hanc controversiam diremit Henschenius tom. 1. die 10. Apr. *Quia tamen in hoc unico* (ideſt Antuerpiensi) *videmus bis unum idemque nomen repeti, quod adhuc subinde notavimus contigisse, hac præmonitione facta, unicum solum ponimus Gajanum, sive is passus fuerit in Thracia, sive in Dacia*. Ego vero hujus martyrium malim *Daciæ*, quam *Thraciæ* affigere. Nam duo apographa Hieronymiana apud eundem Henschenium huic regioni, quam Gajanus martyrio suo illustravit, cognomen adjiciunt *Ripensis*, quo quidem vocabulo Thraciam apud veteres appellatam nusquam inveni; nemini autem ignota esse potest *Daciæ mediterraneæ, & Ripensis* bipartita divisio. *Ms. Rhinoviense in Helvetia*, ait Henschenius, *ista habet hoc die: Alexandriæ Apollonii Presbyteri, & in Tacia Repensi, Gajani Diaconi. Hæc in Ms. Richonoviensi sive Augiæ divitis prope Constantiam ita exprimuntur: Alexandriæ Apollonii Presbyteri. Et in Datia Ripensi Gajani Diaconi, Helari*. Suspicio mihi est pro *Dalmatia Datiam* compendiaria quadam nota scriptam fuisse, hujusmodi enim notis refertos esse codices antiquos, nemo est quin sciat; velut in apographo Lucensi legitur, *In Salona Dalmiæ Domionis Episcopi*; in Antuerpiensi vetustissimo S. Villibrodi: *In Salona Dalmaï Domnionis Episcopi*; & in aliis *Damatia* sæpe in oculos legentium incurrit; ubique tamen intelligendam esse *Dalmatiam* nemo negaverit. In eo Ms. Richonoviensi ex *Dalmatia* in *Datiam* brevitatis causa commutationem factam esse indicio est littera *T* huic contractiori vocabulo interjecta, quam quidam Dalmatia recipit, Dacia vero respuit, cui ex propria germanaque orthographia, littera *C* inferi solet. Quod autem in aliis exemplaribus non *Datiam*, sed Daciam scriptam legamus, id librariorum vel insciliæ, vel incuriæ attribuendum arbitror. Nec vero cognomen *Ripensis* ab Dalmatia abhorret; cum enim Dalmatia olim ultra alpes fere usque ad Savum fines suos, nomenque protenderet, ejus pars alpina, & transalpina Mediterranea, pars vero citra montes mari adjacens, maritima & *Ripensis* rite appellari potuit: nisi forte placeat Dalmatiam idcirco dictam esse *Ripensem*, ut distingueretur a Dalmatia *supra mare*, quæ juxta Geographiam ecclesiasticam complectebatur provinciam Aquilejensem, cujus pars major & præcipua in locis mediterraneis longe ac late diffusa procul a mari recedit. Sed de hac divisione Dalmatiæ *ultra mare*, & Dalmatiæ *supra mare* alio loco fusius & accuratius dictum est. At cum Cajanus Episcopali nomine ac dignitate præditus esset, quid est, quod in apographis laudatis *Diaconus* appelletur? Hujus appellationis duplex ratio reddi potest, quod Auctor hujus Martyrologii vel ad tertium illum ecclesiasticæ Hierarchiæ gradum spectaverit, in quo Cajanus constitutus per annos aliquot se B. Domnio procurationis ecclesiasticæ administrum & adjutorem præbuit; vel quæ huic vocabulo, cum Diaconum dicimus, proprie subest notio, eam latius explicaverit, ex antiquo usu loquendi, cum Diaconi vocabulo interdum impertiri solebat quilibet ex majoribus ecclesiæ Ministris, sive Episcopus esset, sive Presbyter, sive Diaconus; nam id, ut præclare docet Benedictus Bacchinius part. 1. de eccles. Hierarch. pag. 260. *advertendum esse dudum monuit Chrysostomus in epist. ad Philippenses, nomina Episcopi, & Presbyteri, sed & Diaconi, Episcopis, Presbyteris, Diaconibus fuisse communia & promiscue usurpata, licet promiscua non essent officia*.

retinendus, alter expungendus; & posterior Daciæ, quam Thraciæ attribuendus.

Pro Dalmatia videtur scripta esse Data contractione vocabuli.

Duplex Dalmatia, ripensis & mediterranea.

Cur Gajanus Episcopus appelletur Diaconus.

Nec vero si *Datiæ* seu *Dalmatiæ* Hieronymiana exemplaria fere omnia Cajani martyrium attribuunt, idcirco illud dimovendum arbitror ab Alexandria, cui affixum est in apographo Lucensi & Corbejensi: hæc duo siquidem urbem, illa vero exemplaria provinciam Cajani martyrio insignem commemorant. Est enim in Adriatico mari insula & civitas olim frequens ac nobilis, interdum Alexan-

Cajanus adscribi etiam potest Alexandriæ.

Vnus Gajanus sive Gavianus in formula Hieron. ad 10. Aprilis

xandria dicta, quæ abest Salona millia passuum sex vigiuti; & cum proprio germanoque vocabulo Issa antiquitus diceretur, aliis deinceps atque aliis litteris aucta, alias *Lissa*, & Alissæ, alias *Alexiæ*, alias *Alexandriæ* nomen subiit; quæ varia & multiplex appellatio tum ex Actis martyrum, tum ex aliis vetustis monumentis eruitur. Itaque si locus ille Hieronymiani Martyrologii ad Cajanum nostrum sit referendus, illum in ea insula pro Christo necatum fuisse conjici potest. Martyres enim præsertim illustriores solebant in insulas seu loca deserta relegari, in quibus aut illuvie & fame conficerentur, aut supplicium extremum subirent; ne illorum cædes populare adversus Tyrannos odium concitarent.

quæ interdum aliquando est pro Issa sive Alexia insula Dalmatiæ.

Huc etiam referri posset tertia quædam formula apographi Lucensis, in qua *Gajanus* cum aliis quamplurimis itidem *Alexandriæ* ad diem 30. Aprilis adscribitur. Sed cum exemplar Antuerpiense præclaros illos athletas in plures classes distribuat; & classem illam, cui insertus est Gajanus, *alibi* ideat loco incerto constituat, ex loci positione nihil conjecturæ elici potest ad Gajanum hunc nobis vindicandum. Præterea hujus classis sive agminis ductor est Secundinus vel Secundianus Episcopus cum Jacobo Diacono & Mariano Lectore, quorum Acta apud Surium docent eos variis & acerbissimis cruciatibus necatos fuisse in Numidia apud Cirthensem coloniam cum aliis martyrii sociis, in quibus numerandus videtur Cajanus is, quem Martyrologia cum Secundino, Jacobo, Mariano, aliisque ejusdem classis martyribus conjungunt. Cæterum si uspiam in Martyrologio D. Hieronymi mentio facta est Cajani Episcopi Salonensis, certe ille includi videtur in hanc quartam formulam ex apographo Lucensi descriptam, quæ diei decimo quinto mensis Junii subjicitur his verbis: XVII. *Kalend. Julii. In Doroſtori Natalis S. Iſici .... In civitate Barbariæ Gajani, Joviani, Philippi. In Lucana &c.*

Cajanus cum duobus sociis civitati Barbariæ adscriptus.

Quænam sit civitas ista *Barbariæ*, aut ubi gentium ac terrarum sita, clam me, clam omnes Hagiographos habet. Franciscus Maria Florentinius huic formulæ hanc notam apposuit: *Ita Barbaram urbem constanter hic etiam exhibent MM. Corbejense & Antuerpiense. Barbani urbs est Ptolemæo, & Arriano in Asia ad Indi fluvii ostia, quam Berber vel Meti hodie dictam notat Ortelius. Est etiam Provincia Thraciæ Barbaria, sicut Gellius lib. 19. cap. 19. dixit hominem quemdam esse Thracium ex ultima Barbaria. Et Barbaricæ regionis meminit Lampridius in vita Severi, ut nisi urbs Barbari in insula posita fuerit, aliqua esse possit regionis Thraciæ, in qua vel passi fuerint, vel venerati sint Gajanus, Jovianus & Philippus, cum nostro pariter vetustiori in aliis adductis MM. indicati.*

Haud operosius, quam inutilius in hac urbe investiganda laboravit Henschenius tom. 2. die 15. Jun. qui, quamvis omnem suam indagationem ac solertiam ejus civitatis positio subterfugerit, nihil tamen de illa formula immutandum censuit: *Quæ palæstra eorumdem fuerit, & civitas Barbaria ubi sita, omnino nos latet. Fortassis in Mauritania, idque dederit posteris occasionem illam regionem appellandi Barbariam. Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico arbitratur hujus Barbariæ regionis meminisse Lampridium in vita Severi. Est apud Ptolemæum lib. IV. Geographiæ cap. 7. in Æthiopia, quæ sub Ægypto est, legitur situs Barbaricus, & Rapta Metropolis Barbariæ, paulum a mari distans. Apud Gellium lib. 19. cap. 19. Thracius homo ex ultima Barbaria appellatur. Sed hic videtur Barbaria pro Thracia accipi eo sensu, quo Thraces passim Græcis vocantur Barbari. Interim intelligitur hanc lectionem Martyrologiorum non esse mutandam, licet quæ fuerit hæc civitas Barbaria, non possimus accurate designare. Si aliquando Acta inveniantur, lux major accedet caligini tantæ.*

Ita cum ventum est ad hujus loci Hieronymiani explicationem nobilissimis Hagiographis aqua hæret, ut ajunt; & cum omnes fere Geographicas tabulas peragraverint, nusquam inveniunt, ubi consistant, & suam *Barbariæ* civitati positionem designent. Haud equidem ignoro regiones fere omnes præter Italiam & Græciam, a Romanis Græcisque communi *Barbariæ* vocabulo appellatas fuisse, quod a gentibus, litterarum & omnis fere humanitatis expertibus, vitæque communis ignaris incolerentur; veluti nunc ora Africana maritima ab freto Herculis usque ad Nili ostia porrecta vulgo dicitur *Barbaria*. Sed fueritne olim ulla civitas, aut regio, quæ proprio & singulari nomine vocaretur Barbaria, ex antiquis Geographis atque historicis haud satis perspicue dignosci potest. Cum igitur incertum sit, quo civitas *Barbaria*, ac martyres eidem adscripti pertineant, & rem hanc veluti in medio relictam alii alio, non affirmando, sed dubitando pertrahant; quin nobis afferre licet, si quid est conjecturæ, vel argumenti, cur formula illa Hieronymiana Dalmatiæ adjudicanda esse videatur. Est insula in mari Adriatico prope ab urbe & peninsula Tragurii, qua cum ponte versatili jungitur; hanc apud Plinium pro varietate codicum alias Bubum, alias Bubuam, alias Bovom appellatam invenies. Ammianus *Boas* vocat, nunc Bua vulgo dicitur. Suspicio est a Bubo, vel Bubua dictam esse insulam & urbem in ea sitam *Bubariam*, quod pascua optima, & Bubus alendis idonea suppeditaret. Nihil vero facilius accidere potuit, quam ut vel Librariorum oscitantium culpa, vel populari depravatione vocabuli ex *Bubaria* in *Barbariam* commutatio fieret. Huic igitur insulæ & Barbariam urbem, & Gajanum cum sociis ascribuendam esse verisimile putamus. Neque ab hac opinione dissentirent Florentinius & Henschenius, quorum alter inclinatione sententiæ eo videtur propendere, ut libentius insulæ cuipiam, si quæ illi cogitanti opportuna se obtulisset, quam Thraciæ, vel alii provinciæ urbem Barbariæ adjudicasset, *ut nisi*, inquit, *urbs Barbariæ in insula posita fuerit, aliqua esse possit regionis Thraciæ*; alter vero censet *Palæstram eorum martyrum, & civitatem Barbariam sitam esse in Mauritania, idque dedisse occasionem, posteris illam regionum appellandi Barbariam*. Nos vero insulam ac civitatem a Florentinio frustra quæsitam videmus inveniſſe, cui vel error Amanuensium, vel corrupta vocabuli *Barbariæ* nomen fecerit; & præterea cum Henschenio palæstram sive arenam, in qua Cajanus cum sociis pro Christo decertavit, in Mauritania constituimus; nam aliis locis ostendimus Dalmatiæ partem quamdam cum objectis e regione insulis antiquitus appellatam esse Mauritaniam, quæ deinde *Maronia* & *Neronia* sive *Narona* dicta est. Illud etiam conjecturæ nostræ suffragatur, quod ex veteri instituto in hanc insulam, quæ nunc Bua dicitur, relegationis & supplicii causa deportari solebant facinorosi homines, præsertim qui hæreseos nomine damnati essent; veluti Jovianus hæresiarcha, quem in eam insulam jussu Theodosii relegatum fuisse accepimus. Huc spectant verba illa legis LIII. codicis Theodosiani de Hereticis: *Præcipimus ipsum Machinatorem in insulam Boam festina celeritate deduci*. Ante Theodosium Juliano imperante locum eumdem pro exilio & ergastulo graviorum criminum reis constitutum fuisse

Barbaria civitas videtur ista fuisse

in insula Dalmatiæ Bubus, Bubua dicta, unde Bubaria, Barbaria.

aui attribui potest martyrium Cajani.

Veteres consuetudo in Buam sive Bubariam & Barbariam insulam facinorosos

Homines & hæreticos eligendi.

fuiſſe ex Ammiano Marcellino lib. 22. in Juliano intelligi poteſt: *Florentius*, inquit, *Magiſter officiorum, Nigritiani filius, contruſus eſt in inſulam Dalmatiæ Boas*. Idem Ammianus lib. 27. in Valentino & Valente narrat Valentinianum hujus nominis primum illud ægre tuliſſe, quod Senatus, quem de cauſa cujuſdam Hymetii cognoſcere, & ſententiam ferre juſſerat, mitiori hunc in eum pœna animadvertiſſet, quam læſa Imperatoris majeſtas requirebat; *cum illum ad Boas Dalmatiæ locum exterminaſſet*. Haud dubito, quin hujuſmodi conſuetudo altius repetenda ſit, & ab Ethnicis Imperatoribus ad Chriſtianos puniendos uſurpata; præſertim cum ex antiquis monumentis conſtet id moris fuiſſe Præfectis Dalmatiæ Chriſtianorum hoſtibus, ut pleroſque martyres Dalmatas in inſulas, vel ſupplicii, vel ergaſtuli cauſa abduci juberent, ubi aut ſummis cruciatibus ad mortem uſque torquerentur, aut perpetuo carceri, & ſervilibus laborioſiſque operibus addicti tabe ac pedore, fame ac ſiti, ærumniſque omnibus confecti, lenta quadam morte conſummerentur. Nec vero abſimile eſt Cajanum Salonæ Antiſtitem una cum Joviano ac Philippo ejuſdem vel Diaconis, vel certe glorioſi certaminis ſociis in hanc inſulam *Bubariam* ſive *Barbariam* contruſum, ibidem aut celeri & cruento, aut diuturno & ærumnoſo martyrio præclaram pro Chriſto mortem obiiſſe. Eadem in loco ignobili communique ſepultura affectus cum annos fere ducentos omni honore cultuque caruiſſet, demum poſt Tyranos ſublatos, pacemque uſquequaque eccleſiæ partam, credibile eſt Cajanum cum ſociis Salonam relatum fuiſſe, ubi ejus memoriam ac ſepulchrum, quamdiu illa civitas ſtetit, qua dignum erat, veneratione & frequentia Salonitani coluerint.

Vero ſimile eſt Cajanum in inſula Barbaria ſen lenta morte, ſen gladio periiſſe.

Quæ Martyrologii Hieronymiani formulæ ad Cajanum noſtrum quoquomodo accommodari poſſe videbantur, eas hactenus expoſui, res cum vetuſtate nimia, tum locorum ac nominum confuſione ſubobſcuras, quibus niſi aliunde lux major affulgeat, omnia incerta & dubitationi obnoxia reliquere neceſſe eſt. Nihilo clariora in antiquis Martyrologiis certioraque invenire licuit veſtigia, unde Symphorianus tertius Salonæ Epiſcopus agnoſci poſſit. Hujus nominis martyres omnino tres aliis alios diebus Martyrologio Romano inſcriptos reperio; unum Nonis Julii cum Claudio Commentarienſi, Nicoſtrato Primiſerinio, Caſtorio, & Victorino, quos S. Sebaſtianus ad Chriſtum adjunxerat, Romæ martyrio ſublatum; alterum XI. Kal. Septemb. Auguſtoduni ſub Aureliano Imperatore per ſummos cruciatus religionis cauſa interfectum; tertium denique VI. Idus Novembris imperante Diocletiano cum aliis quatuor ſociis Romæ glorioſa pro Chriſto morte perfunctum. Sed hos alios eſſe longeque diverſos ab Symphoriano Epiſcopo, qui ſub initium ſecundi ſæculi Salonitanæ eccleſiæ Pontificatum iniit, cum locorum, tum temporum disjunctio ſatis declarat.

Symphorianus in Apog. Antuerpienſi Siciliæ & civitati Ateinentii adſcriptus.

In apographo Hieronymiano Antuerpienſi die altera & trigeſima Decembris Symphorianus cum aliis viginti commemoratur, & *Siciliæ ac civitati Ateinentium* adſcribitur. Quænam fuerit, & ubinam ſita civitas iſta *Ateinentium* nuſquam terrarum, nedum in Sicilia, reperio. Beda & Auctor Martyrologii Romani cum apographis Lucenſi & Corbienſi hos præclaros Chriſti athletas Catanæ Siculorum urbi attribuunt; de numero fere omnes diſcrepant; omnia itidem exemplaria in eorum nominibus deſcribendis mire variant: & idem alibi Symphorianus, alibi Simplicianus dicitur, quæ diſcrepantia & varietas totius formulæ corruptæ ſuſpicionem affert, ſic prorſus, ut non ſolum numerus & nomina horum martyrum, ſed etiam poſitio loci in dubium revocari merito poſſit. Philippus Ferrarius valde aſſeveranter affirmat nullos his martyribus Catanæ honores anniverſarios decretos, nulla horum Acta, nullam apud Catanenſes extare memoriam; ex quo haud levis dubitatio oriri poteſt, utrum ad Siciliam urbemque Catanam, an verius alio pertineant martyres illi, de quibus nihil aut litteris traditum, aut fama & auditione a majoribus acceptum indigenæ oſtentare poſſunt. Quare illud ſatis admirari non queo, quod in hunc Martyrologii Romani locum ſcripſit Baronius, cum hanc eidem notam appoſuit: *De his tabulæ eccleſiæ Catanenſis, ubi celebris eſt eorum memoria*. Vereor equidem, ne id Baronius ex auctoribus parum idoneis acceperit, quod ſi verum eſſet, bene ac naviter impudentem fuiſſe Ferrarium oportet, qui contra Baronium, remque ipſam non in opinione dubiam, ſed in præſentia atque ante oculos integræ civitatis propoſitam, tam fidenter ac ſine ulla dubitatione negaverit, aut diem feſtum ad cultum honoremque horum martyrum a Catanenſibus celebrari, aut quidquam in tabulis ejus eccleſiæ de illorum martyrio aut veteri cultu inveniri. Quod autem Joannes Baptiſta Groſſius de Notit. Catanen. Eccl. ſcripſit eos an. Chriſti 304. martyrii palmam adeptos eſſe, id nimirum de ſuo adjecit; nullum enim ſive ex antiquis, ſive ex junioribus Scriptoribus teſtimonium profert, qui huic anno eorumdem illuſtre pro Chriſto certamen ſubjecerit, cum alioquin cætera omnia, quæ de hiſce martyribus narrat, partim ex Martyrologio Romano, partim ex Philippo Ferrario, partim ex Camillo Borello, & Octavio Cajetano ſe ſumpſiſſe fateatur. Rocchus Pirrus *in Sicilia Sacra* hos itidem martyres Catanæ adſcripſit; ſed præter martyrologium Roman. Ferrarium, & Cajetanum, nullas eccleſiæ Catanenſis tabulas teſtes citat.

Ego vero, niſi licentius, quam par eſt, conjecturis indulgere videar, haud improbabile eſſe dixerim, hos martyres Siculos, aut ſaltem eorum aliquos cum Symphoriano ad Dalmatiam pertinere; hanc ſiquidem provinciam aliquot ſæculis ante Chriſtum natum Liburnis ademptam Siculi ex aliqua parte occuparunt: quemadmodum autem antea a Liburnis dicta fuerat Liburnia, ſic tum a Siculis rerum Dominis illatum Siciliæ nomen ſubiiſſe videtur; nam etiam Italiæ pars extrema ad Meridiem vergens hodieque appellari ſolet Sicilia altera, ſive Sicilia cis Pharum, propterea quod antiquis temporibus in Siculorum poteſtatem ditionemque devenerat. De Siculorum in Illyriam maritimam adventu, Liburnisque per eos ſubactis fuſe accurateque differendum erit in ætate Siculorum, a quibus Tragurium, Epetium, aliaſque civitates in Dalmatia conditas ferunt? aliqua breviter attigimus 1. Parte Prolegomenon. Quod vero attinet ad civitatem *Ateinentium*, cui hos martyres adſcripſit codex Antuerpienſis, quamque nuſquam gentium reperiri diximus, convenit mihi cum cæteris Hagiologis vocabulum illud depravatum eſſe. Suſpicor autem urbem *Adrienſium* in urbem *Ateinentium* Librariorum culpa converſam fuiſſe, nam alterius verbi cum altero eſt aliqua affinitas & ſimilitudo; certe quidem nomen *Ateinentium* propius ab *Adrienſium*, quam a *Catanenſium* vocabulo abeſt, ut non hinc, ſed illinc primo derivatum eſſe facile intelligas. Porro Adriam urbem Stephanus in Dalmatia locavit; & in Chorographia Dalmatica vocabulum Adriæ & Ardiæ ſatis celebre fuiſſe in Prolegomenis oſtendimus. Hinc populos illos, &

Quid ſi ad Dalmatiæ pertinent Symphor. de quo Antuerpienſes Hieronymianum?

Dalmatia olim a Siculis ibidem rerum potiti dicta fortaſſe Sicilia.

Digitized by Google

Montes, quibus ea regio ſubeſt; *Ardiæos*, *Adrios*, *Adrienſes*, denominatos fuiſſe conſtat. In antiquis autem Martyrologiis aliiſque perveteribus monumentis uſurpata interdum invenies hujuſmodi priſca & obſoleta vocabula, & ab uſu illius ætatis, qua adhibita ſunt, longiſſime remota; quæ quidem, ſi vetuſtiſſimæ & jamdudum antiquatæ nomenclaturæ ſubſidio deſtitutus interpretari coneris, fruſtra labores; hujus autem nomenclaturæ ignoratione ſæpiſſime fit, ut Auctores & codices optimæ notæ vel intelligi nequeant, vel etiam tamquam adulterini & commentitii rejiciantur. Qui Martyrologium Hieronymianum deſcripſere, iis Siciliam Dalmaticam incognitam fuiſſe oportet; hac vero ignorata, conſequens erat, ut urbem illam Hieronymianam obſcuri vocabuli, inſertæque poſitionis, Siciliæ adſcriptam, non alibi, quam in Sicilia omnibus nota & pervulgata collocandam putarent. Quibus autem conjecturis adducti ſint, ut pro urbe illa incomperti ſitus ac nominis civitatem Catanenſem ſubſtituerent, haud facile dixerim. Hæc fortaſſe illis videbatur magis, quam aliæ Siculorum civitates, congruere cum ignoto illo vocabulo *Aseinentium*, ſive *Adrienſium*; niſi forte in autographo ipſo martyres illos adſcriptos invenerint *Braſſiæ*, ſive *Braſſianæ* (quæ inſula eſt & civitas Siciliæ Dalmaticæ) ex qua vocabuli ſimilitudinem quamdam ſecuti, *Catanam* effinxerint. Nec vero abſimile eſt Siculos rerum in Dalmatia potitos, ut toti ferme provinciæ nomen Siciliæ, ſic etiam alicui civitati ab ipſis conditæ nomen Catanæ, utrumque ex patria allatum impoſuiſſe; ex quo ſequeretur, nihil quidem de poſitione illa Hieronymiana immutandum eſſe, ſed tum *Siciliæ*, tum *Catanenſis civitatis* vocabula ad Dalmatiam referenda. Porro noſtris hiſce conjecturis nihilo plus tribui velim, quam quantum iiſdem docti ac prudentes viri tribuendum putaverint, quibus ſi non probentur, ſuos martyres retineant, per me licet, Siculi & Catanenſes, eorumque patrocinio & fruantur, & glorieptur. Cæterum ut Symphorianum Dalmatis vindicem, neceſſe non eſt Catanenſibus adimere omnes illos Hieronymianos martyres, in quorum claſſem fortaſſe Symphorianus noſter per errorem irrepſit, e Sicilia Dalmatica translatus, & Siculis Martyribus interjectus: idque propterea mihi fit veriſimile, quod, ſi Ferrario credere libeat, nullius Symphoriani martyris memoria extet in tabulis eccleſiæ Catanenſis; contra vero in Diptychis eccleſiæ Salonitanæ, & in Actis S. Domnii celebre eſt, & Pontificali titulo inſigne nomen Symphoriani, qui tertius a B. Domnio ejuſdem urbis Epiſcopus in antiquis hiſce monumentis appellatur. Si quod conjecturæ quoquo modo probabile reddunt, id certis etiam rationibus ſuaderi poſſet, haud nos lateret locus, ubi nunc corpus Symphoriani noſtri conditum quo dignum eſt honore cultuque afficitur. Nam Joannes Bollandus tom. 2. Jan. ad diem 24. Peregrino Merula auctore, tradit corpus S. Symphoriani, quem Martyrologium Romanum vocat Simplicianum, ejuſque anniverſariæ memoriæ cum Hieronymianis apographis proximum ante Kalendas Januarias diem aſſignat, conditum eſſe una cum reliquiis S. Babylæ Epiſcopi ac martyris Antiocheni in æde cathedrali eccleſiæ Cremonenſis, & ſolemnes utrique honores perſolvi IX. Kal. Februarias. Mathildis illa princeps fœmina, tot tamque præclaris in eccleſiam meritis omni ævo memoranda, quæ ditionem ſuam univerſam Apoſtolo Petro, Romanæque ſedi moriens legavit, corpus utriuſque martyris ineunte ſæculo duodecimo honorifice condendum curavit in eccleſia cujuſdam pagi, qui Epiſcopo Cremonenſi ſubeſt, & *Plebs S. Jacobi* vulgo dicitur. Unde illa ſacras hujuſmodi reliquias acceperit, non ſatis liquet. Veriſimile eſt illuſtri fœminæ ac de re catholica optime imprimis meritæ ab Romano Pontifice dono datum fuiſſe corpus Symphoriani, quod poſt cladem Salonitanam Romam tranſvectum prope Baſilicam Lateranenſem cum aliis Dalmatiæ martyribus in æde S. Venantii ante annos fere quingentos depoſitum fuerat. Anno 1460. Bernardus Epiſcopus Cremonenſis ex pago S. Jacobi corpora SS. Babylæ, & Symphoriani, ſive Simpliciani in urbem tranſtulit, atque in Baſilica cathedrali cum aliis Divorum reliquiis pie honorificeque collocavit. Hunc autem Simplicianum vel Symphorianum Epiſcopali charactere præditum fuiſſe docet Ludovicus Cavitellius in Annal. Cremonenſibus, ſed cujus civitatis Epiſcopus fuerit, quo loco, quove tempore martyrium ſubierit, ſibi incompertum eſſe fatetur. Epiſcopalis autem dignitas huic attributa cum Symphoriano noſtro, præclare congruit. Itaque ſi quem Martyrologia fere omnia pridie Kalendas Januarias commemorant, is eſſet Symphorianus Salonæ Epiſcopus, hujus corpus ac ſepulchrum eſſe apud Cremonenſes certius conſtaret, quam ut in dubium revocari poſſet. Hactenus de formulis veterum Martyrologiorum, quæ aliquo modo referri poſſe videntur ad Cajanum, vel Symphorianum Epiſcopos Salonitanos.

Scio equidem conjectura, quæ ex vocabulis ducitur, nihil eſſe levius, nihil eſſe imbecillius; ſed cum plures conjecturæ eodem conveniunt, ex his aliquid probabilis argumenti elici poſſe nullus credo negaverit. Ad noſtras conjecturas quod attinet, varias & multiplices priſcorum nominum commutationes aut depravationes factas eſſe conſtat, & quotidie fieri videmus, ut de re tam certa exploratague addubitare nemo poſſit: vel in Geographiam Illyricam quot, & quantæ vocabulorum corruptelæ irrepſerunt, quæ unum idemque nomen litteris vel adjectis, vel diminutis, vel variatis ita deformarunt, ut de primigenia forma vix aliquid retineat. Hujuſmodi depravationum exempla vix numero comprehendi poſſunt; pauca hic brevitatis cauſa proferam. Alias enim ex aliis mutationes ſubeundo Salona primum in *Saloniam*, deinde in *Theſſalonicam*, itemque in *Aſſalonicam*, & *Aſcalonam*; Iſſa in *Liſſam*, *Aliſſam*, *Alexiam*, *Alexandriam*, & præterea in *Iſſariam*, & *Iſauriam*; Pharia in *Afariam*, *Afram*, *Africam*; Mauritania Dalmatica in *Maroniam*, *Naronam*, *Narbonam*, *Aronam*; Siſcia in *Aſiſciam*, & *Aſiam* paullatim migrarunt: ex quo factum eſt, ut cum Illyricarum urbium ac gentium vocabula in aliarum urbium ac gentium nomina abiiſſent, rerum quoque Illyricarum ad alias urbes genteſque facta fuerit translatio; & quæ pertinebant exempli cauſa ad Phariam vel Iſſam inſulas Dalmatiæ, eadem aut Africæ, aut Alexandriæ, aut Iſauriæ vulgo attribuantur: hinc neceſſitas nobis impoſita res noſtras aliunde & ſæpe quidem repetendi. Quare quod aliis Illyrici atque Dalmatiæ Divis contigit, ut ob eam, quam dixi, cauſam alio transferrentur, idem Cajano etiam ac Symphoriano Dalmaticis Epiſcopis accidiſſe veriſimile eſt, præſertim cum nullus in Martyrologiis locus iis attribui poſſit, niſi ad eos pertineat aliquis ex illis locis, quos ipſi indicavimus; nec videtur eſſe probabile, utrumque ab antiquis Martyrologis omnino præteritum fuiſſe.

Sed quoniam hiſce conjecturis ex depravatione vocum deductis modum aliquem adhibere oportet, nihil

Q. id ſi ut Siciliæ, ſic & Catanæ urbis nomen Siculi in Dalmatiam invexerint?

Nominum Illyricorum crebra, & multiplex corruptela,

Corpus Symphoriani Simpliciani conditi in æde Cathedrali Cremonæ

unde facta eſt Divorum Illyricorum ad alias regiones translatio,

nihil in vetuſtis codicibus aut Martyrologiis ſuo loco movendum putamus, niſi cum ſubeſt cauſa probabilis ſuſpicandi, id aliunde illuc invectum eſſe, aut certe cum ea, cui adſcribitur, civitate aut provincia non ſatis cohærere. Hoc vero conjecturalis cujuſdam argumenti loco eſſe poteſt, cur videatur nobis in aliqua ex allatis formulis Cajani vel Symphoriani noſtri mentio fieri; neque enim deeſt ratio dubitandi, utrum ad eas urbes, vel provincias, quibus attribui videntur Cajanus & Symphorianus, vere pertineant.

Huc addo, quod ſi vetuſtiſſimum illud Martyrologium, & cæterorum veluti parentem, ad D. Hieronymum auctorem, quemadmodum præpoſitus eidem titulus indicat, referri oporteat, non eſt veriſimile, ut maximus ille Doctor, & magiſter eccleſiæ, oriundus e Dalmatia, & rerum omnium Dalmaticarum ſcientiſſimus nihil loci in ſuo Martyrologio tribuerit duobus illis Salonitanis Epiſcopis, quorum magnum fuerit opinor temporibus illis in Dalmatia ac celebre nomen; cultum vero & memoriam uſque ad Salonæ excidium viguiſſe exiſtimo. Siquibi autem eorum in ſuo Martyrologio meminit, certe in iis locis eum meminiſſe oportet, quos ipſi ſupra deſcripſimus, & interpretatione quadam adhibita ad Cajanum & Symphorianum Salonæ Epiſcopos accommodari poſſe oſtendimus.

Cajanus & Symphorianus poſt extinctos Tyrannos egregie cultus a Salonitanis,

Haud dubitari videtur poſſe, quin imperante Conſtantino Magno, remque Chriſtianam, ſublatis pœnis, omni ſtudio operaque amplificante, Salonitani utrumque Epiſcopum ac fortaſſe Martyrem, ut ſua illos pietas ac religio admonebat, & honorifica ſepultura affecerint, & ſuum cuique diem feſtum atque honores anniverſarios decreverint. Nec vero abſimile eſt poſt Salonam exciſam, eorum corpora, cum aliis Dalmaticorum Martyrum exuviis Romam per Martinum Abbatem tranſlata eſſe, ac depoſita in ædicula S. Venantii prope a Baſilica Lateranenſi. In eo Venantiano ſacello effigies viſitur S. Cajani opere muſivo depicta; ſed tantum abeſt, ut referenda ſit ad Cajanum Salonenſem Epiſcopum, ut Chlamys militaris, qua illa conſpicitur indutus, ſatis declaret, eam eſſe alicujus militis, qui pro Chriſto mortem ſubierit.

& poſt excidium Salonæ Romam fortaſſe tranſlati.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

	An. æræ vulgar.
CAjanus Diaconus, & Symphorianus Subdiaconus fortaſſis a B. Petro comites reique Chriſtianæ adminiſtri dati S. Domnio in Dalmatiam abeunti.	65. vel 69.
Poſt Neronianam perſecutionem B. Domnio ad condendam & amplificandam Salonitanam eccleſiam ſtrenue operam navant.	70
Cajanus Primus Diaconorum ſive Archidiaconus conſtitutus; Symphorianus in collegium Diaconorum coopratus.	71
Adventus S. Clementis in Dalmatiam cum duobus Epiſcopis, quorum præſentiam ac miniſterium Domnius adhibuit ad Cajanum & Symphorianum Epiſcopali conſecratione inaugurandos, ut vel eos ſollicitudinis curæque Pontificiæ adminiſtros & Vicarios ſibi adjungeret, vel duas illis eccleſias Dalmaticas recens conditas, & jure ac ſede Epiſcopali donatas, ſuam cuique demandaret; niſi forte alterum alicui civitati Epiſcopum præfecit, alterum apud ſe retinuit, ut ad Epiſcopalia munera obeunda vicariam ſibi operam præberet.	76, vel 92, vel 78, vel 84.
Poſt Martyrium S. Domnii, Cleri populique ſuffragiis Cajanus eligitur Epiſcopus Salonæ, qui difficiliimis illis temporibus, pro ſalute gregis ſibi concrediti, nullum defugit periculum, nullis pepercit laboribus, nullum boni Paſtoris officium prætermiſit.	107
Cajano vel religionis cauſa interfecto, vel naturali morte extincto, ſubrogatus eſt Symphorianus, qui annos decem in magna rei Chriſtianæ perturbatione & calamitate eccleſiam Salonitanam ſanctiſſime adminiſtravit.	115
Symphorianus Hadriano imperante, & Chriſtianos crudeliter divexante, ad ſuperos migravit, vel martyrii palmam adeptus, vel plurimis pro Chriſto laboribus & ærumnis perfunctus, eximiæque ſanctitatis laude admodum inſignis.	125

DE HESYCHIO I. ET HESYCHIO II.

EPISCOPIS SALONITANIS.

SYmphoriano rebus humanis exempto Heſychium ſubjiciunt omnes, qui apud nos extant, Epiſcoporum Salonenſium Catalogi, ut de hujus Pontificatu Salonitano nullus ſit relictus ambigendi locus. Illud in primis cavendum præmoneo, ne hunc Heſychium, qui proximus Symphoriano Epiſcopatum geſſit, eumdem eſſe putes, atque alium ejuſdem nominis Antiſtitem, qui B. Auguſtino æqualis fuit, & magna cum eo neceſſitudine conjunctus, quique eccleſiæ Salonitanæ adminiſtrationem ſub initium quinti ſæculi ſuſcepit. Huic Heſychio alterum, qui ante Venantium eccleſiæ Salonitanæ præfuit, ejuſdem nominis Epiſcopum Catalogus ex optimæ notæ codicibus Romæ deſcriptus, cum aliis pleriſque Catalogis ſubjecit, & utrique annos ipſos 15. attribuit; quamvis unus aut alter Catalogus Symphoriano & Venantio unum omnino Heſychium interjiciat. Cæterum parvi refert, unus fuerit, an duo Heſychii, alter alteri in ſedem Salonitanam ſubrogatus, nam Acta & tempora illis attributa cum in duos diſpertiri, tum etiam in unum conferri facile poſſunt. Heſychii ſcribendi, appellandique, non una eſt, & ſimplex, ſed varia & multiplex ratio; nam qui magis uſitato ac trito vocabulo dici ſolet Heſychius, eumdem alias Iſichium, alias Iſicium vel Eſcium, vel aſpiratione præpoſita Heſicium, alias Hiſcum, Iſcium, Iſſum apud auctores ſcriptum & nominatum invenies.

Symphoriano pleriique Catalogi Heſychios duos, alterum poſt alterum; aliqui unum tantummodo ſubſtituunt.

Quæ priſcis Salonæ Epiſcopis, eadem huic noſtro ſive uni, ſive duplici Heſychio obvenit calamitas, nihil ut de illo nobis ſupereſſet, præter nomen ac Pontificatum; & idipſum niſi eſſet Catalogorum teſtimonio cognitum, utrumque vetuſtas, ut alios fortaſſe multos aliarum Dalmatiæ civitatum Epiſcopos, penitus oblivione obruiſſet. Cogitanti porro mihi de antiquarum tabularum jactura, & memoria vetera repetenti occurrebat imprimis immane illud Edictum Diocletiani, qui ne ullum religionis noſtræ veſtigium uſpiam relinqueret, non ſolum Chriſtianos omnes de medio tolli, ſed ſacros etiam libros flammis aboleri juſſerat. Quas hujuſmodi codicum ſtrages ediderint, præſertim in Dalmatia, hoſtes Chriſtiani nominis, quam multa & præclara Antiſtitum & Martyrum Dalmaticorum

Acta Heſychiana deperdita.

Jactura veterum codicum Dalmaticorum partim edicto Diocletiani,

tum Acta conflagraverint, ex eo intelligi velim, quod crudeliſſimæ illius perſecutionis turbo in eccleſiam Dalmaticam potiſſimum incubuit. Permagni enim ad decus ac ſalutem ſuam intereſſe putabat Diocletianus, quidquid Chriſtianorum erat exterminare ab ea regione, a qua ipſe originem traxerat, & quam ſperabat ſenectuti ſuæ, vitæque privatæ perfugium, ac ſedem tranquillam olim futuram, ſi quando, quod cogitare jam cœperat, imperium deponeret.

Nec vero pax eccleſiæ uſquequaque conſtituta poſt Tyrannos extinctos Dalmatica tabularia tuta ab direptionibus atque incendiis præſtare potuit. Nam ab Conſtantino uſque ad Carolum Magnum, eam regionem vaſtavit fedum in modum quidquid exterarum gentium ex ultima ſeptemtrionali barbarie cupiditas prædandi, ſolique mutandi, ad perniciem Orientis & Occidentis excivit. Qui temporum illorum hiſtoriam legat, clare perſpiciat, quas & quantas clades Dalmatiæ attulerint Gotthi, Avares, Slavi, ut cæteros prætermittam, quorum alii indigenis expulſis ſedes in ea regione ac domicilia ſibi collocarunt; alii vero longius progreſſi, antequam Italiam, Galliam, Hiſpaniam occuparent, Dalmatiam urendo vaſtandoque peragrarunt. Ita per annos fere quingentos hæc provincia perpetuis barbarorum direptionibus expoſita fuit; & nulla fere gens ex illa Borealium nationum colluvione in Italiam, niſi per Dalmatiam irrupit, quæ quidem quacumque incedebat, ut quædam calamitas, pervadere videbatur. Hinc exiſtimari velim, quanta facta ſit jactura optimorum codicum, tabulariis Dalmatiæ pariter cum urbibus oppidiſve aut incenſis, aut expilatis: ſi quid vero hujuſmodi tabularum vel flammis civium ſolertia ſubduxit, vel reliquum fecit clades illa barbarica, id fere omne alio aſportatum eſt. Nam adventantibus barbaris, cum e Dalmatia undique fuga incolarum & migratio fieret, quemadmodum e ſupellectili domeſtica res quaſque pretioſiſſimas, ſic etiam e publica & privata memoria quidquid veterum monumentorum rapcim colligere poterant, hoſtium furori atque aviditati præripere feſtinarunt, ut in eas regiones ſecum transferrent, ad quas quiſque ſeu caſu, ſeu conſilio delatus fuiſſet. Satis conſtat per illam fugam ac diſperſionem haud pauca hujuſmodi monumenta in Italiam tranſvecta eſſe, & in privatis publiciſque urbium Italicarum archivis aſſervari. Hæc quippe regio pleroſque e Dalmatia profugos excepit, eorumque fortunæ miſeræ atque jactatæ portum ac perfugium præbuit. Quid quod in Hiſpaniam uſque e Dalmatia totoque Illyrico vis maxima veterum codicum migravit, translata vel a Dalmatis & Illyriis illuc ſoli mutandi cauſa profectis, vel ab ipſis Gotthis Illyricarum provinciarum direptoribus regnum in Hiſpania adeptis. Nam Viſigothos, antequam rerum in Hiſpania potirentur, Mæſiam, Græciam, Epirum populatos eſſe conſtat; nec vero ab eorum excurſionibus & rapinis intactam fuiſſe Dalmatiam veriſimile eſt. Deinde in Italiam tranſgreſſi poſt urbem Romanam ſemel atque iterum direptam, Illyricis atque Italicis ſpoliis opuſti, Duce Ataulpho in Hiſpaniam commigrarunt anno quinti ſæculi fere decimo quarto, & Gotthici regni fundamenta ibidem poſuerunt. Ab adventu Viſigothorum in Hiſpaniam anni interceſſerant fere octoginta, cum Theodoricus itidem per Illyricas provincias Oſtrogothos in Italiam traduxit, Odoacrem Regem Herulorum triplici prælio victum ad Ravennam oppreſſit, Oſtrogothorum in Italia regnum condidit, cui Dalmatiam, Siciliam, aliſque adjacentes Italiæ inſulas adjunxit anno 493. & præterea quæcis Rhenum erant, hoc eſt Galliam Narbonenſem ſecundam, Alpeſque maritimas occupavit. Is porro ad firmandas opes, ſtabiliendumque ſibi novum Italiæ regnum, affinitatem cum Clodoveo Francorum Rege junxit, Audeflenda Regis ſorore aut filia in matrimonium ducta: filiarum autem, quas ipſe e concubina ſuſceperat, alteram Alarico Viſegotthorum Hiſpanienſium Regi, alteram Sigiſmundo Burgundionum Regi collocavit. Nec multo poſt Hiſpania quoque, & Gallia prima Narbonenſis, quæ Viſegotthici juris erat, in Theoderici fidem ac poteſtatem ad tempus conceſſit. Nam Alarico extincto, quem acie victum anno 507. Clodovæus ſua manu interfecerat, Theodoricus Amalarici nepotis, quem ex ejuſdem filia Alaricus genuerat, tutela ſuſcepta, annis fere 15. Hiſpaniam, cæteramque Viſegotthicam ditionem tum per ſe ipſum, tum per præfectos ſuos adminiſtravit, ut refert Iſidorus. In tanta rerum omnium converſione, motuque populorum, multas cum cæterarum rerum, tum veterum monumentorum translationes ex Illyrico, Italia, Galliaque in Hiſpaniam factas eſſe nemo opinor negaverit; nam cum barbaræ illæ gentes raptim omnia, ut fieri ſolet, nulloque habito delectu compilarent, multa quoque e tabulariis publicis privatiſque in eorum manus inciderint oportet, quæ ſecum deinde, cum cætera præda, in Hiſpaniam aſportarunt.

Huc adde, quod ipſimet Gotthi cœlum mitius, & cultiora, quibuſcum verſarentur, hominum ingenia nacti, barbariem innatam exuere, & litterarum ſtudio affici paullatim cœperunt; ex quo factum eſt, ut deinde hujuſmodi monumenta, quibus veterum temporum ac rerum doctrina continetur, ſedulo perquirerent, magnique facerent; ſi qua vero nanciſci poſſent, ea in Hiſpaniam deferre aut tranſmittere ſolitos fuiſſe veriſimile eſt; præterea quod illic ſedes eſſet primaria imperii Gothici, & veluti arx omnium Gotthicarum gentium, iis opibus innixa, iiſque præſidiis firmata, quam nullæ deinceps temporum varietates, fortunæque viciſſitudines evertere aut labefactare potuerunt; cum cæteroquin in Italia genus omne nomenque Gotthorum anno, quam regnare cœperat, ſeptuageſimo funditus interierit. Ad hæc: cum multi ex Illyrico & Italia vel ſponte Gotthos victores ſecuti, vel in eam expeditionem barbaricam nomina dare coacti fuerint; probabile eſt, eos id feciſſe, quod facere ſolent ii, quos vertendi ſoli aut cupiditas inceſſit, aut neceſſitas urget, ut ſcilicet rerum mobilium quod quiſque poterat, ſecum averherent, profugis olim vel ſubſidio, vel ſolatio futurum. His autem rebus, quas quiſque domo ſua patriave extulit, ſuſpicari licet admixtum fuiſſe aliquid antiquorum codicum, quos ex archivis aut publicis, aut domeſticis arripuerint. Præterea Theodorico regnante cum Illyria, Italia, Gallia, Hiſpania magna ex parte ſub Gotthorum imperium ditionemque cecidiſſent, inter has nationes, ut legum & juris communio, ſic etiam rerum omnium commercium interceſſerit neceſſe eſt, & multas ultro citroque migrationes factas fuiſſe oportet. Haud vero aliunde frequentius, quam ex Illyrico in Hiſpaniam commigratum eſt, præſertim temporibus illis, cum ibidem rem Hiſpanienſem pro Amalarico nepote curabat Theodoricus, vir non paucis regiis virtutibus clarus, qui moderatione, prudentia, liberalitate, juſtitia ſummam populorum benevolentiam, ac fidem ſibi conciliaverat; quamvis idem poſtea, inclinante jam ætate, ad crudelitatem ac barbariem deflexerit. Cum enim Illyriis haud

partim barbaricis incurſionibus, & incendiis.

partim incolarum alio migrantium fuga ad ſcribenda eſt.

Codices Dalmatici in Italiam,

atque in Hiſpaniam tranſlati.

Multa veterum ſcripta quæ in Hiſpaniam per Gothorum tranſvecta.

Alia per ipſos Illyrios egmen Gothorum ſecutos illuc illata.

haud ſatis in patria tutis ac quietis eſſe liceret, propterea quod Græci iniquo animo ferrent florentiſſimas illas regiones ſibi ereptas in Gotthorum poteſtatem deveniſſe, & in omnem Dalmatiæ totiuſque Illyrici armis recuperandi occaſionem imminerent, multi ex illis populis, ut ſuæ ſaluti, & tranquillitati conſulerent, cum familiis rebuſque omnibus, quæ moveri poterant, in Hiſpaniam tranſmigrarunt; eos ſcilicet alliciente juſto moderatoque imperio Theodorici, ſub quo pacata ſibi omnia ac tranquilla fore pollicebantur. Cum his autem veterum tabularum ſupellectilem haud ſane exiguam illuc tranſvectam fuiſſe credibilius eſt, quam ut cuiquam aut dubium, aut falſum videri poſſit. Porro tum eccleſiaſticæ, tum profanæ antiquitatis monumenta ex omnibus fere Imperii Romani provinciis collecta apud Hiſpanos extare adhuc quamplurima, Joanni Bollando fidem fecit vir ampliſſimæ dignitatis, eximiæque doctrinæ, quem hujuſce rei ſatis idoneum, ſatis gravem teſtem idem Bollandus produxit in Præfatione ad vitas Sanctorum menſis Februarii tom. 1. *Quidam vir doctiſſimus, inque ampliſſima conſtitutus dignitate, nobis aliquando retulit plurima eſſe per omnem Hiſpaniam monumenta antiquitatis tum Romanæ, tum Chriſtianæ, ſed pleraque ignorata.* Quæ viri graviſſimi auctoritas dubitari non ſinit, quin plurimi & lectiſſimi vetuſtarum ætatum codices ex Græcia, Illyrico, Italia, aliiſque regionibus in Hiſpaniam tranſlati fuerint; idque cum iis, quas modo attulimus, conjecturis probabile eſt, tum quibuſdam etiam veſtigiis indicatur, quæ intueri licet in Chronicis Hiſpanienſibus proximo & ſuperiore ſæculo, neſcio unde, in lucem prolatis, ubi multa reperiuntur Hiſpaniæ rebus, urbibus, & eccleſiis immixta affictaque eſſe, quæ ex hiſtoriis & tabulis aliarum gentium ſurrepta fuiſſe convincunt ſcriptores præclari in primis ac nobiles; idque apparet ex indiciis clarioribus, quam ut plagiarii hujus operis mala fides & ſumma impudentia ullo modo celari poſſit.

Multa adhuc extant in Hiſpania monumenta aliunde invecta.

Hinc multa, quæ alio pertinent, inſerta & immixta rebus & Chronicis Hiſpanienſibus.

Hi codices igitur, varii enimvero ac multiplices, in Hiſpaniam ex aliis atque aliis Europæ partibus delati, cum per annos circiter mille in tenebris atque oblivione jacuiſſent, altero abhinc ſæculo in lucem malis ominibus producti ad manus quorumdam pervenerunt, quos patriæ hiſtoriæ locupletandæ ornandæque inſana quædam libido ad id facinoris ſane audacis perpulit, ut præclara illa verendæ antiquitatis monumenta compilare non dubitaverint, in gentis ſuæ laudem convertere conantes, quidquid rerum atque hominum illuſtrium aliis provinciis ac nationibus detractum ad Hiſpaniam pertrahere quoquomodo licuiſſet: quod quidem eo liberius atque impunius facere ſe poſſe arbitrati ſunt, quod illarum tabularum nulla jam extaret memoria, nulla ſuppeterent exemplaria, quibus in medium prolatis, de dolo malo ac fraude poſtulari poſſent.

Chronica Hiſpanienſia ex rebus alio pertinentibus conflata.

Opus itaque conſarcinarunt ingens ſane ac laboriоſum, quod explicatis temporum ordinibus, & rebus ſcitu ac memoria dignis, ſuo quaque anno adſcriptis a Chriſto nato uſque ad ſæculum duodecimum perducitur. Hujus Chronici quicumque fuerint Auctores, id quidem ſuſcepiſſe ac profiteri videntur, ut hiſtoriam quamdam univerſalem præſertim eccleſiaſticam deſcribant; rem tamen propoſitam ita exſequuntur, ut ſatis appareat illorum ſtudia & conatus ad gloriam nominis & generis Hiſpani exaggerandam potiſſimum referri. Materiam ſuppeditarunt partim communes & pervulgatæ illorum temporum hiſtoriæ, partim illi, quos dixi, codices, unde multa ſumpſerunt, quæ cum alio pertinerent, ut interverti, transferrique poſſent ad rem Hiſpanienſem, neceſſe fuit, eo quo minime ſpectabant, vocabulorum depravatione, aliiſque malis artibus detorqueri. Ut vero huic operi, qua carebat, vetuſtatem & auctoritatem adſciſcerent, veterum ſcriptorum illuſtria quædam nomina, quibus illud ſupponerent, ab antiquitate ſibi mutuanda eſſe cenſuerunt; inter hos autem ſcriptores totius operis conficiendi curam laboremque partiti, alias aliis partes attribuerunt, ſic prorſus, ut ab eo anno, in quem quiſque deſierat, alii deinceps, atque alii initium ſcribendi facerent.

& antiquis ſcriptoribus ſuppoſita.

Porro cum indicia rerum multarum, & complurium vocabulorum, ex Illyrico in Hiſpaniam tranſvectorum comperiiſſe manifeſto in hiſce Chronicis, & manu propemodum tenere nobis videamur; identidem cum larvatis hiſce ſcriptoribus de iis repetundis, quæ Dalmatiæ atque Illyrico ademerint, actio nobis inſtituenda erit. Quare neceſſarium eſſe arbitror, antequam ultra progrediar, de plagiariis iſtis, atque mentiti nominis Hiſtoricis lectorem paullo accuratius edocere; & de illis quid ſentiendum cordati & ſapientes viri cenſeant, admonere, ne quis exiſtimet de rebus ac Divis Illyricæ gentis ſurreptis temere a nobis, & ſine ulla ratione item illis intendi. Neque vero ab hujus loci inſtituto id alienum videtur eſſe; haud enim levibus conjecturis ducor ad ſuſpicandum affictum eſſe aliquid adſcriptumque Heſychio Divi Jacobi diſcipulo & Carceſæ in Hiſpania Epiſcopo, quod ad Heſychium noſtrum Salonitanum vel alterutrum, vel utrumque pertineat, idque deſumptum fuiſſe arbitror ex antiquis eorum Actis, quæ cum aliis ejuſdem generis codicibus in Hiſpaniam fortaſſis immigrarunt. Itaque ſi quid hujuſmodi apud Hiſpanos illos Chronologos reperiemus immixtum Actis Heſychii Hiſpanienſis, quod ex aliquibus indiciis appareat noſtro vel noſtris potius Heſychiis ademptum eſſe, id diligenter annotabimus; & quam ſit veriſimile Salonitani eſſe, quæ Hiſpano tribuuntur Heſychio, conjecturis quibuſdam haud omnino abſurdis oſtendemus. Deinde ex univerſali illorum temporum hiſtoria conjiciemus, qui fuerit tum ſtatus eccleſiæ Salonitanæ, quidve ab utroque Heſychio laudabiliter geſtum exiſtimari poſſit. Demum varias Martyrologiorum formulas, in quibus Heſychii nomen adſcriptum eſt, in diſquiſitionem vocare oportebit, atque expendere, num aliqua illarum in alterutrum, vel in utrumque Salonitanum Heſychium conveniat,

CAPUT PRIMUM.

De Chronicis Hiſpanienſibus.

CHronicorum Hiſpanienſium, quibus continetur duodecim fere ſæculorum hiſtoria cum civilis, tum præſertim eccleſiaſtica, auctores eſſe falſo feruntur illuſtres quidam, nec doctrina ſolum, ſed etiam dignitate & ſanctimonia celebres viri, inter quos facile primas tenent Flavius Lucius Dexter, M. Maximus Cæſarauguſtanus Epiſcopus, Luithprandus, & Julianus. His ut majorem fidem & auctoritatem conciliarent, adjuncti ſunt Haubertus Monachus Dumienſis, Gregorius, Anciſtes Eliberitanus, Liberatus Monachus Gerundenſis, Braulio & Heleca Epiſcopi Cæſarauguſtani, qui & ſuperiorum invenia confirmarunt, & rerum inſuper novarum acceſſione locupletarunt. Nunc ſingulorum ætates & ſcripta ſeu legitima, ſive adulterina breviter atque ordine perſequamur;

Nomina ſcriptorum illuſtrium,

quibus falſo adſcripta Chronica Hiſpanienſia.

nec

nec prætereundi erunt, qui fœtus commentitios illis ſuppoſitos vulgaverint, defenderint, illuſtraverint.

§. I.

De primariis falſo dictis auctoribus hiſtoriæ ſeu Chronici Hiſpanienſis.

Flavius Lucius Dexter Præfectus Prætorio ſcriptor hiſtoriæ cujuſdam;

FLavius Lucius Dexter genere Hiſpanus, filius Paciani viri clariſſimi, & poſtea Epiſcopi Barcinonenſis, idemque doctrina & ſanctimonia inſignis, & eccleſiæ ſcriptor egregius, cum parentem virtutum omnium imitatione propemodum æquaſſet, tum vero illum eruditione, eloquentia, omniumque optimarum artium ſtudiis facile ſuperavit. Is cum ad rempublicam acceſſiſſet, per omnes honorum gradus ad ſummum imperii Romani magiſtratum pervenit, Prætorianam Præfecturam adeptus anno Chriſti circiter 394, Theodoſio imperante; extantque in Codice Theodoſiano leges aliquot ad Fl. Dextrum Præfectum Prætorio perſcriptæ ſub initium anni 395. Coſſ. Olybrio, & Probino. Sed cum egregio eſſet ingenio, eruditione varia ac multiplici, & nimirum dicendi politeque ſcribendi arte, plurimum excelleret, veterum ſuorumque temporum memoriam litteris complexus, hiſtoriam quamdam univerſalem confecit, quam D. Hieronymo mittere decreverat, quo cum ei amicitia & ſumma neceſſitudo interceſſit. Hujus rei completiſſimum teſtem habemus ipſum Hieronymum in libro de illuſtr. Eccleſ. Scriptor. cap. 132. *Dexter*, inquit, *Paciani, de quo ſupra dixi, filius, clarus apud ſæculum, & fidei deditus, fertur ad nec omnimodam hiſtoriam texuiſſe.* Et in Proœmio hujus libri, quem honoris cauſa ipſius Dextri nomine inſcriptum voluit, ſatis aperte ſignificat eum Tullianæ dictionis, & eloquentiæ ſtudioſum atque imitatorem fuiſſe: *Quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ eloquentiæ ſtetit, non facere dedignatus in Bruto, Oratorum Latinæ linguæ texens catalogum* &c. Idem in Apologia ſecunda adverſus Rufinum fatetur Dextrum auctorem ſibi fuiſſe & hortatorem, ut ſcriptorum eccleſiaſticorum ordinem, ſeriemque contexeret: *Ante annos ferme decem, cum Dexter amicus meus, qui Præfecturam adminiſtravit Prætorii, me rogaſſet* &c.

pro qua deperdita, falſa quædam in lucem prodiit.

Porro hanc Dextri *omnimodam hiſtoriam*, ut alia permulta hujuſmodi monumenta, aut urbium ruinis obrutam, aut vetuſtate conſumptam, aut certe retruſam & penitus abditam in tenebris archivorum, jamdudum deploraverant homines eruditi, habuerantque in rebus perditis ac deſperatis; cum ecce tibi neſcio quibus e latebris in lucem prodiit, verſari ique cœpit in hominum manibus *Chronicon Dextri, ſive Hiſtoria omnimoda*: hoc enim titulo inſcriptus apparuit codex quidam, quem ſub finem ſæculi decimi ſexti, tamquam haud ita pridem in Germania inventum, & quibus latebat, tabulariis eductum, homines quidam verſuti ac fallaces venditare ſe poſſe ſperarunt pro vera illa & germana hiſtoria, quam a Dextro conſcriptam fuiſſe teſtatur D. Hieronymus; cum cæteroquin, ſi vel omnia alia fallaciæ ac fraudis indicia deeſſent, ſtylus ipſe incomptus ac barbarus longe abſit ab Tulliana illa ſcribendi ratione, quam in Dextro idem Hieronymus tantopere commendat. Auctor hujus Chronici, quicumque is fuerit, conſervatis notatiſque temporibus, annorum a Chriſto nato quadringentorum & triginta memoriam ſacram profanamque uno hoc volumine colligavit.

Nec vero defuerunt præclari ex Hiſpania & doctiſſimi viri, qui hujuſmodi Chronicon, nihil doli aut fraudis ſubeſſe ſuſpicati, pro vero ac legitimo Dextri fœtu habuerint; illudque & typis conſignandum curarunt, atque in eo vel notis illuſtrando, vel ab omni ſuſpicione vindicando plurimum ſtudii operæque poſuerunt. ab aliquibus incaute excepta, & defenſa.

Thomas Tamayus de Vargas Matritenſis Regius Hiſtoricus Dextriani Chronici patrocinium ſuſcepit, & ejuſdem Apologiam Hiſpanico ſermone conſcriptam cum aliis duobus id genus opuſculis prælo ſubjecit Matriti anno 1624. Idem *Flavii Lucii Dextri Barcinonenſis Hiſtoriæ omnimodæ fragmentum denuo recenſitum, ad veterum Codicum fidem caſtigatum, & commentario perpetuo illuſtratum* Lugduni edidit anno 1627.

Franciſcus Bivarius Monachus Ciſtercienſis vir eximiæ doctrinæ eodem anno 1627. typis itidem Lugdunenſibus idem Chronicon vulgavit cum ſuis in eum animadverſionibus, itemque libro Apologetico; quæ omnia huic titulo ſubjecit: *Fl. Lucii Dextri Barcinonenſis Chronicon omnimodæ Hiſtoriæ commentariis apodicticis illuſtratum, ſimulque Apologeticus pro eodem Dextro contra Gabrielem Pennottum Canonicum Regularem Hiſtoriæ tripartitæ auctorem. Lugduni apud Carolum Landry* 1627.

Per idem tempus Chronicon Dextri cum Chronico M. Maximi &c. e typographia Hiſpalenſi cum notis ſubjectis prodiit cura operaque Roderici Cari Sacerdotis Hiſpalenſis hoc titulo inſcriptum: *Flavii Lucii Dextri omnimodæ Hiſtoriæ, quæ extant, fragmenta cum Chronico M. Maximi, Helecæ, & S. Braulionis, notis illuſtrata.* Hiſpali apud Matthæum Clavium an. 1627. Cæterum Cornelius a Lapide ad calcem Chronotax. Act. Apoſt. auctor eſt primam hujus codicis editionem attribuendam eſſe typis Cæſarauguſtanis in Hiſpania; quod quidem Chronicon cum aliis ejuſdem notæ Chronicis, de quibus infra, iterum ac ſæpius recuſum eſt in Hiſpania.

Maximi Epiſcopi Cæſaraugustæ opera pericerunt.

S. Maximus Cæſarauguſtanus in Hiſpania Epiſcopus egregia vel doctrina vel ſanctitate inclytus florebat ſexto exeunte ſæculo, & vitam ad annum fere decimum ſextum inſequentis ſæculi perduxit. Tribus interfuit Hiſpaniæ conciliis, ſuumque chirographum iiſdem appoſuit, Barcinonenſi an. 599, Toletano an. 610, Egarenſi an. 614. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus æqualis illorum temporum de Maximo adhuc ſuperſtite mentionem perhonorificam fecit in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis: *Maximus*, ait, *Cæſarauguſtanæ civitatis Epiſcopus multa verſu proſaque componere dicitur. Scripſit & brevi ſtylo hiſtoriam de his, quæ temporibus Gothorum in Hiſpaniis acta ſunt, hiſtorico & compoſito ſermone. Sed & multa alia ſcribere dicitur, quæ nondum legi.*

Chronicon eidem affictum.

Nihil quidem ſupereſt eorum, quæ Maximus, Iſidoro teſte, vel ſoluta vel aſtricta numeris oratione ſcripſit; ſed inventi ſunt, qui Maximo pro ſinceris germaniſque ejus operibus jamdudum deperditis, neſcio quid Chronici affingerent, illudque Chronico Dextri veluti quandam ejus continuationem ſuperſtruerent, quod annos complectitur præter centum ſex omnino & ſeptuaginta; rerumque geſtarum ſeriem ab anno Chriſti 430, ubi deſiiſſe fingitur *Hiſtoria omnimoda* Dextri, uſque ad annum 606. perducit; manifeſto autem apparet, quę ſex & viginti prioribus annis ſubjiciuntur, ea omnia, ſi pauca excipias, ex Chronico Proſperi Tyronis mutuata eſſe. Hoc Chronicon eodem anno atque Chronicon Dextri, iiſdem ex latibulis, & eorumdem totius fabuloſæ Hiſtoriæ architectorum opera, in publicum proceſſit; quod primum Rodericus

Digitized by Google

dericus Caro una cum Helecæ & Braulionis Chronicorum adjecta Fragmentis Historiæ Dextrianæ, Hispalensibus typis mandavit anno 1627. ut supra diximus; deinde cura & impensis Abbatis & Monasterii Nucalensis cum aliorum additamentis, & Bivarii commentariis e typographia Matritensi emissum est an. 1652. eique titulus præfixus est hujusmodi: *Marci Maximi Episcopi Cæsaraugustani Continuatio Chronici Il. L. Dextri, una cum additionibus S. Braulionis, Tajonis, & Valderedi Cæsaraugustanorum item Episcoporum, commentariis apodicticis illustrata. Matriti apud Didacum Diaz de la Carrera 1652.*

Nicolaus Antonius Hispalensis Tomo I. posthumo Biblioth. veteris Hispaniæ lib. v. cap. 2. tria de Maximo Cæsaraugustano Episcopo, cui Chronicon illud falso attributum est, lectores admonendos censuit; primo eum non fuisse Monachum Benedictinum, qualem confingunt, qui se illius Chronici inventores haberi volunt; deinde adimendum illi esse prænomen Marci, quod vero Maximo nusquam attributum invenitur; tertio denique ab hoc longe diversum esse Marcum Maximum virum egregium ex inclyta S. Benedicti familia, qui sanctissimi parentis virtutes ac laudes carminibus celebravit. Ne quis vero dubitare posset, an esset Maximi Cæsaraugustani Chronicon illud, quod sub ejus nomine prodiit, ea de re testem prædicunt satis idoneum, satis gravem, ipsum nempe Maximum, conficta quadam ejus epistola ad Argebatum Episcopum Portugallensem, cujus hortatu atque impulsu se id operis scribendum suscepisse profitetur: *Efflagitasti*, inquit, *a me satis verecunde, ut tibi continuarem Chronicon illud, quod nomine Dextri Barchinonensis circumfertur. . . . Utinam vani diligenter fecerim imperata tua beatissime Pater, quam conatus sum facere libenter. Perduxi namque rerum narrationem ab æra CDLXIX.* (is est annus Christi 431.) *ubi finem facit Dexter, produxique ad æram DCXLIV.* (ad annum videlicet æræ vulgaris 606.) *hoc est usque ad mortem Regis Gundemari. Tu me Pater in orationibus tuis Christo commenda, Vale.*

Maximus, Monachus Benedictinus falso dictus,

distinguendus a Marco Maximo Benedictino,

Luitprandus primum Diaconus Ticinensis, deinde Episcopus Cremonensis, historicus decimi sæculi, bonus in primis ac nobilis, scripsit rerum gestarum ab Europæ Imperatoribus & Regibus libros sex; itemque librum singularem de legatione Constantinopolitana, qua ipse personibus est apud Nicephorum Phocam Imperatorem, ad quem de maximis gravissimisque rebus missus fuerat ab utroque Ottone parente ac filio Augustis, eorumque uxore & matre Adeleida. Is quoque ad continuationem Chronicorum Hispaniensium aliquid de suo contulisse fingitur; ejusque nomini subjicitur fragmentum quoddam historiæ ab anno 606. ad annum 629. perductæ, una cum Adversariis eidem falso adscriptis. Ad Chronicum Maximi trium omnino ac viginti annorum res memoria dignæ ac litteris adjiciuntur. At vero cum Hispania & Chronologis Hispaniensibus quid negotii erat homini Italo, ut Dextro Maximoque ad confectionem Annalium Hispaniensium suam operam substituendam putaret? Id ne cui mirum, & minus credibile videatur, aliquid mendacii confingere & comminisci oportuit; ac propterea Subdiaconatus Toletanus, Hispana commoratio, necessitudo ac familiaritas cum Tractemundo Episcopo Illiberitano affingitur Luitprando: quod mihi quidem hercle non fit verisimile, atque ipsis tamen commentum placuit, aliisque probabile reddi posse putarunt, duplici epistola Luitprandino Chronico præfixa, altera Tractemundi ad Luitprandum, altera Luitprandi ad Tractemundum, quæ sane nihil est verisimilior, cum utraque non solum ab doctrina & gravitate utriusque abhorreat, sed etiam res perspicue falsas, planeque absurdas contineat. Chronicon & Adversaria Luitprandi cura operaque Thomæ Tamayi de Vargas cum ejusdem in Christicum animadversionibus prodierunt e typographia Matritensi an. 1635. sub hoc titulo: *Luitprandi sive Extrandi e Subdiacono Toletano, & Ticinensi Diacono Episcopi Cremonensis Chronicon ad Tractemundum Illiberitanum in Hispania Episcopum cum Notis. Matriti 1635. apud Franciscum Martinez.* Quinquennio post omnia Luitprandi opera, quæ extant, una cum Chronico & Adversariis, Laurentius Ramirez de Prado Eques S. Jacobi suis pariter, alienisque notis illustravit, ac typis Plantinianis edenda curavit an. 1640.

Luitprandi Opera genuina,

Chronicum Hispaniense Continuationi eidem suppositum.

Ac priores quidem fabulosæ hujus historiæ partes satis belle processisse videbantur, cum in scenam productus est nescio quis larvatus Julianus, qui actum extremum adjiceret, & rerum annorumque seriem ad annum Christi 1160. perduceret. Itaque, si Superis placet, totius propemodum Christianæ profanæque antiquitatis historiam Hispanis auctoribus & inventoribus acceptam referre debemus, quæ scilicet res maxime memorabiles duodecim fere sæculorum, recte atque ordine scriptas complectitur. Fuit autem Julianus, si de se ipso scribentem audire libeat, Nonnii Petri filius, Toleti natus medio fere sæculo decimo, quippe cum se baptismo initiatum affirmet a Paschali Toletano Archiepiscopo, qui, eodem Juliano auctore, Pontificatum iniit anno 1055. diem supremum obiit anno 1070. Clericali militiæ cum nomen dedisset, primum Archidiaconi officio functus est, deinde in collegium Presbyterorum S. Justæ Toletanæ cooptatus Archipresbyteri titulum ac dignitatem obtinuit. Ultra annum centesimum longe provectus ætate, ut ex ejus scriptis colligi licet, migravit ex hac vita anno circiter 1193. Sub Juliani nomine prodierunt *Chronicon*, & *Adversaria*, itemque *de Eremitoriis Hispanis* brevis quædam Dissertatio, & Collectio *Variorum Carminum*; quæ omnia in unum volumen congessit Laurentius Ramirez de Prado, & Lutetiæ typis evulgavit an. 1628. cum hoc titulo: *Juliani Petri Archipresbyteri S. Justæ Chronicon, cum ejusdem Adversariis, & de Eremitoriis Hispanis brevis descriptio, & variorum carminum collectio ex Bibliotheca Otivariensi desumpta. Parisiis apud Laurentium Sonnium 1628.* Thomas etiam Tamayus de Vargas Matriti excudendas curavit an. 1635. *Animadversiones in Juliani cognomento Petri, Toletani, dum Mauri rerum potirentur, Archipresbyteri, & D. Bernardi primi Toletanorum, post exactum urbe perfidium, Præsulis asceretis & studiis, Chronicon & Adversaria.*

De Juliano Toletano Auctore quarto Chronicorum Hispaniæ falso dicitur.

§. II.

De reliquis Pseudochronologis Hispaniensibus.

TOta igitur Chronicorum Hispaniensium moles quatuor illis, de quibus hactenus dixi, Auctoribus potissimum innititur, magni sane nominis, eximiæque doctrinæ viris, atque ad fidem faciendam prorsus idoneis, si vere scripsissent, quæ ab illis scripta esse falso produntur. Julianum excipio, de quo, an usquam gentium extiterit, merito dubitari potest. Quamquam nescio quomodo fit, ut fraus & fallacia, licet speciosis nominibus obtegere se atque occultare studeat, numquam sibi satis tuta videatur; nusquam secura, ne intumbra quidem & patrocinio adscripticio virorum illustrium

ſtrium conquieſcat. Quam ob cauſam neceſſe fuit annalium illorum parum inter ſe cohærentium ſtructuram male materiatam & ruinoſam, aliis atque aliis adminiculis fulcire; ſcilicet alia quædam virorum inſignium nomina vel conſingere, vel ab antiquitate mutuari oportuit, quæ rebus illis commentitiis fidem & auctoritatem adjungerent; ut lectorum animis hac veluti nube ſcriptorum ac teſtium offuſis, nulla falſitatis ſuſpicio, aut veri inquirendi cogitatio oboriri poſſet. Itaque ex eadem falſorum chirographorum officina, & eodem fere tempore prodierunt Gregorius Epiſcopus Illiberitanus, Braulio & Heleca Epiſcopi Cæſarauguſtæ, Haubertus & Liberatus Monachi Benedictini, quorum conficta lucubrationes co pertinent, ut quæ ab illis quatuor prioribus Chronologis memoriæ prodita eſſe dicuntur, plurium eadem ſcribentium teſtimonio confirment, luculentius explanent, & aliarum ſuper alias accuratarum rerum additione amplificent. Hanc ſuperior ætas copiam adulterinorum ſcriptorum effudit, ex qua cum Hiſpanæ gravitati, & ſapientiæ aliqua labes adhæſit, tum vero depravatio ſecuta eſt ſacræ profanæque hiſtoriæ, & magna confuſio.

Quatuor illis Pſeudo-chronologis alii atque alii adjuncti;

Gregorius Epiſcopus Illiberitanus, cui Bætico a patria cognomen fuit, haud doctrina quam ſanctitate clarior floruit ſæculo quarto, fidei Nicænæ propugnator acerrimus, qui tum in Synodo Sirmienſi reſtitit vehementer Oſio Cordubenſi Epiſcopo, qui cum initio conſtanter Arianæ formulæ obſtitiſſet, plagis ac terroribus infractus eidem ſubſcripſit; tum in Ariminenſi concilio pro fide catholica egregie decertavit adverſus Valentem & Urſacium Arianæ perfidiæ Anteſignanos, qui pleroſque Epiſcoporum fraude ac dolo ad ſuas partes pertraxerant; id quod teſtatur Euſebius Vercellenſis in ſuam ad eumdem Gregorium epiſtola, quam ex Bibliotheca Pithœana Nicolaus Faber Pariſiis edidit 1598. cum fragmentis S. Hilarii Epiſcopi Pictavienſis. Hunc D. Hieronymus inter Scriptores Eccleſiaſticos annumerat, illumque exornat hoc elogio: *Gregorius Bæticus Eliberi Epiſcopus uſque ad extremam ſenectutem diverſos mediocri ſermone tractatus compoſuit; & de fide elegantem librum, qui hodieque ſupereſſe dicitur.* De Script. Eccl. cap. 105. Præclariſſimi hujus Epiſcopi nomen cum ſanctimoniæ tum doctrinæ fama inclytum viſum eſt ſane idoneum ad conciliandam auctoritatem Martyrologio cuidam, quod totum conſtat ex Hiſpanis Martyribus, qui ſub Diocletiano & Maximiano pro Chriſtiana religione interempti dicuntur. Hujus Martyrologii Auctor, quicumque fuerit, pleraque deſumpſit e Chronico Pſeudo-Dextri, & Hauberti Hiſpalenſis, de quo infra; nec pauca de ſuo adjecit. Nihil eo ineptius, nihil inſulſius, nihil magis a veritate alienum. Gregorius Araizius Monachus Benedictinus illud una cum Chronico Huberti evulgavit Matriti anno 1667. hoc titulo inſcriptum: *Collectio martyrum, qui ſub Diocletiani, & Maximiani Imperio in Hiſpania martyrium paſſi ſunt.*

Gregorius Epiſcopus Illiberitanus Nicænæ fidei vindex.

Et Martyrologium Hiſpaniense attributum.

Braulio Epiſcopus doctrina præclarus, & eximia ſanctitate præditus eccleſiam Cæſarauguſtanam ſeptimo ſæculo incunte adminiſtrabat, æqualis Iſidoro Hiſpalenſi, qui virtutis egregiæ teſtimonium Braulioni tribuit. Auctor fuiſſe dicitur quarumdam *Additionum* ad Chronicon Maximi, quæ Bivarianis animadverſionibus illuſtratæ una cum eodem Chronico cura & ſumptu Abbatis ac Monaſterii Nucalenſis e typographia Matritenſi prodierunt anno 1652. Eodem pertinet Fragmentum ſive Appendix ad Chronicon Maximi, quæ ſub nomine Helecæ Epiſcopi itidem Cæſarauguſtani apparuit anno 1627. Hiſpali excuſa, operam ad id conferente Roderico Caro, qui iiſdem typis Hiſpalenſibus Dextri & Maximi Chronica cum Additionibus Braulionis edenda curavit. Eadem Braulionis & Helecæ, itemque Tajonis & Valdredi Epiſcoporum Cæſarauguſtæ opuſcula cum Chronico Maximi prælo Matritenſi ſubjecit Thomas Tamayus de Vargas anno 1635.

Braulionis Epiſcopi Cæſaraugustani

Additiones ad Chronicon Maximi confictæ, & vulgatæ Matriti ann. 1651.

Aliorum Epiſcoporum Cæſaraugustæ opera ſpuria.

Qui hactenus producti ſunt in hoc quaſi theatrum hiſtoricum, ſuam quiſque perſonam egregie ſuſtinuerant, & impoſitas ſibi partes haud indiligenter peregerant; cum in medium ſe protulit Haubertus neſcio quis ex diſciplina S. Benedicti, qui cum cæteris ingenio, eruditione, & dicendi copia antecelleret, unus omnium partes ſibi ſumpſit, & totum omnino ævum, quantum quantum eſt, ingenti ſane ac laborioſo volumine explicavit. Quid hominis fuerit iſte Haubertus, quem tota ignoravit antiquitas, haud certius aliunde, quam ex verbis ipſius, quibus ſuos annales concluſit, dignoſci poteſt: *Cum hæc ſcriberem*, inquit, *regnabat in Legione Ordonius, Cordubæ Abderachmen, in Caſtella & Aucæ Didacus Senex, concurrente æra Cæſaris 957. Et ego Haubertus Hiſpalenſis, Monachus Dumienſis in Monaſterio Dumienſi accepi habitum Benedictinum anno Domini 877. Fui patria Hiſpalenſis ex genere Germanorum, qui venerunt ad Hiſpanias in ſocietate Imperatoris Caroli Magni. Scripſi iſtud Chronicon in Monaſterio meo in Gallecia, ætatis meæ LXXIX.* Hæc de ſe ipſo ille, qui in ſcena ſub Hauberti perſona ſpectari voluit. Itaque Hauberti nomen præfert Hiſtoria Chronologica bipartita; cujus pars altera a mundi primordio ad Chriſtum natum, altera ab initio æræ vulgaris ad annum 919. rerum ac virorum illuſtrium ætates ac tempora perſequitur. Hanc typis conſignavit Gregorius Argaizius Monachus Benedictinus, cum accurata ejuſdem defenſione adverſus ea, quæ Haubertino Chronico objecerat Franciſcus Andreas de Palacios. Sed cum Hauberti fides nutaret, & leviora eſſent Argaizii argumenta, quam ut illis ſatis firme inniti poſſet; ad eam fulciendam qui ſuos veluti humeros ſupponeret, accitus eſt neſcio unde Liberatus quidam Monachus Gerundenſis, nihilo majoris, quam Haubertus, auctoritatis; nihilo minus, quam ille, commentitius & fabuloſus; æque vero, atque ille, ſuperioribus ſæculis ignotus. Suum is quoque Chronicon ſcripſiſſe dicitur, quod recenti, ut ſatis apparet, manu procuſum ab initio rerum conditarum uſque ad annum 610. æræ vulgaris perducitur. Quæ ſcripſit Haubertus, confirmat Liberatus, eadem fere in utroque leguntur; & qui utrumvis recte novit, ambos noverit. Hoc autem eo pertinet, ut ad fidem faciendam alter alteri ſubſidio eſſe poſſit, & conſentiens utriuſque auctoritas nullum de hujuſmodi Chronicorum veritate dubitandi locum relinquat. Cum Hauberti Chronico aliiſque ejuſdem opuſculis Argaizius conjunxit Chronicum Liberati, itemque Martyrologium Gregorii Bætici, Chronicon utrumque Dextri & Maximi, cum notis & commentariis Apologeticis. Totum opus ex quatuor voluminibus conſtat. Auctorum ac rerum, quæ in unoquoque continentur, ordinem ſeriemque expoſuit Nicolaus Antonius Hiſpalenſis Tom. I. poſthumo Biblioth. Vet. Hiſp. lib. VI. cap. 22.

Monachus Benedictinus Hiſpalenſis.

anteſignanus,

ſcripſiſſe fingitur Hiſtoriam ab exordio mundi uſque ad ſua tempora.

Hoc additus Liberatus itidem Monach. & Auctor alterius Hiſtoriæ univerſalis.

Utrumque cum aliis in unum corpuscol legit, & vulgavit Argaizius.

Primum, inquit, *volumen continet vitam & notitiam Hauberti, atque ejus Scriptorum. Deinde catalogum Martyrum, qui in perſecutione Diocletiani, & Maximiani in Hiſpania paſſi ſunt, ordinatum a Gregorio Granatenſi (Illiberitanum dicere Interpres*

perit voluit) *Episcopo cum Argaizii notis sive commentario. De quo Catalogo Gregorii, ut fingitur, Betici, satis multa nec in Scriptoribus quæsita sæculi, quo Gregorius floruit, nec inutiliter observavimus. Sequitur jam in hoc volumine, quod descriptum imus, Catalogus ecclesiarum Hispaniæ cathedralium, & notitia Episcoporum, qui eis præfuerant, auctore Hauberto Monacho, auctio tamen eorum numero ex aliis auctoribus, Scripturis, & conciliis. Adjunguntur Additiones ad Hauberti Catalogum ex ejus Chronico desumpta. Subjicitur inde Hauberti Hispalensis Chronicon. Pars prima. A creatione Mundi usque ad Gratianum. Incipit: Deus Trinus in Personis. Sequuntur notæ Argaizii prolixæ.*

Secundo volumine, altera pars Chronici ejusdem a Virginis partu usque ad an. 919. & appendicis loco Wallambosi Marii additio ad superius Chronicon, & ad utrumque auctorem notæ comprehenduntur.

Tertium volumen, totius ut judicii Systematis conspectum demus, Dextri Chronici translationem Hispanam cum notis continet.

Quartum tandem simile aliam Chronici Marii, ut appellant, Maximi versionem, & ad hunc notas; & post apologetica quædam auctoris adversus hæc omnia impugnantes scripta, Chronicon de rebus Hispaniæ novissime inventum Liberati Gerundensis Monachi & Abbatis Pampilonensis S. P. N. Benedicti, e duabus partibus ab anno scilicet Mundi primo, usque ad an. 610. de quo jam antea egimus.

Nihilo plus auctoritatis obtinent apud eordatos viros *Topographia SS. Christi Martyrum* Venetiis edita cum Martyrologio Maurolyci an. 1568. sub nomine Primi Cabilonensis Episcopi ac Theologi; item *Collectio Conciliorum Hispanicensium cum notis & emendationibus, cura operaque Garziæ de Loaysa Archiepiscopi Toletani*, typis Matritensibus consignata anno 1593. cui adjecta est *Chronologia Toletanorum Antistitum: itemque Martyrologium Hispanicum cum notis Apodicticis ad methodum Romani Martyrologii* in sex tomos distributum, auctore Joanne Tamayo de Salazar; qui non tam operam dedit, ut res veras certasque ex idoneis Auctoribus tabulisque depromptas scriberet, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in falsis illis & commentitiis Chronologis reperiret. Hoc Martyrologium typis Lugdunensibus imprimi cœpit altero & quinquagesimo superioris sæculi anno; ejusque editio in annum nonum protracta cum esset, demum absoluta est an. 1659.

Alia ejusdem generis opera.

Quid quod felix illa ætas tot egregiorum, ut ajunt, codicum inventrix, seu potius artifex, alios præterea, longeque pretiosiores, si libet credere, sacræ antiquitatis thesauros recluserit, ante omnem memoriam reconditos, alteque abditos in Hispaniæ visceribus, ac penitus abstrusos. Anno siquidem 1595. prope ab urbe Illiberi in Bætica, sive Granatensi provincia, perfossa spelunca quadam miræ altitudinis, atque in intimo sinu montis Illipulitani retrusa, tabulæ pervetustæ, itemque laminæ plumbeæ repertæ sunt partim Arabico, partim Latino sermone conscriptæ de rebus divinis & ecclesiasticis; quarum Auctores D. Jacobum, ejusque discipulos fuisse cippi singulis inscripti declarabant. Ibidem latebant sacri cineres ossaque semiusta tum aliorum, tum præsertim Cæcilii, & Ephesii, quos e Divi Jacobi disciplina, a B. Petro in Hispaniam Evangelii propagandi causa missos, & Episcopos institutos ferunt. Sua utrique inscriptio opposita, plumbeisque laminis incisa, quæ nomen cujusque, & martyrium, resque gestas pro amplificanda religione breviter & summatim continebat. Præterea haud multo ante turrim quamdam perantiquam, cui nomen Turpiana, in sodom agro Granatensi demolientibus, ut templo ædificando spatia laxarent, immanus venerunt Commentarii quidam in Prophetias D. Joannis, Hispano, si superis placet, idiomate, & antiquissimis litteris conscripti, quorum Auctor fuisse dicitur Cæcilius S. Jacobi discipulus, quosque Septentrius & Patricius, antequam cum S. Cæcilio magistro suo præclaram pro Christo mortem oppeterent, intra summos ejusdem turris parietes abdiderant. Inventorum hujusmodi operum seu Codicum catalogum contexuit Antonius Possevinus noster in Apparatu sacro, his verbis: *Cæcilii & sociorum nomine, Concilia Apostolorum jussu in Hispaniis habita, & lingua Arabica sive Æthiopica scripta, novissime apparuere, quasi inventa sint in Hispaniis (arcingle scriptum est), in Monte Santico Granatæ. Unde ad Clementem VIII. Pont. Max. allata sunt, cuncta plumbo, & æneo filo colligata: de quorum tamen fide nondum aliquid est certi, quod sciam. Et quidem erat inter hæc Concilium prænotatum, Primum Illiberitanum, secundum Illipulitanum, unumquodque sexdecim magna folia continens. Tertium situ & miracula S. Jacobi 16. foliorum. Quartum de regno, & domo Infernι 16. foliorum. Ejusdem de summa providentia, alter de misericordia, tertium de justitia, ac de omnibus, quæ Deus fecit creans Mundum, qui videntur Theologiam continere. Quartus de creatione Angelorum, unusquisque 16. folia continens. Porro ab ejusdem S. Cæcilii nomine versus ex Arabico, & 12. foliis contentus est liber inscriptus, Miracula fidei, ac de annulo Regis Salomonis, dictatus a B. Virgine Maria S. Jacobo Zebedæi, quem esse apocryphum vix est, qui non cogitet.* Hactenus Possevinus.

Tabulæ & laminæ plumbeæ confictæ.

De quibus Antonius Possevinus.

Eundem Catalogum, titulis paulum immutatis, paullo aliter descripsit Franciscus Bivarius Comment. in Dextri Chronicon ad an. Christi 54. n. 4. *De excellentiis, & miraculis Christi Domini ac Matris ejus ab Incarnatione Verbi usque ad Ascensionem liber 1. De summa providentia, misericordia & justitia, quas Deus in opere Incarnationis exercuit libri 2. De natura Angelica liber 1. De pœna & gloria liber 1. De Vita, peregrinatione & miraculis S. Jacobi lib. 1. Quibus adde miraculosa plane Commentaria ab eodem (Cæcilio) elaborata super D. Joannis Prophetias, quæ in sublimi parte inhabitabilis turris Turpianæ inventa an. 1595. non quidem Hebraica lingua, Græca, aut Latina, sed Hispanæ vulgari, qua nunc post tot tantasque vocum variationem utimur.* Quæ postrema Bivarii verba Joannes Bollandus tom 1. Febr. pag. 12. hac censura perstrinxit: *Quod Marci 16. v. 17. promisit Christus, qui crederent, linguis locuturos, novis, id in hoc egregio opere, Prophetiis inquam S. Joannis (an Evangelistæ ambigitur) diversis ab Apocalypsi, Hispanica lingua, quæ nondum extabat, a S. Cæcilio interpretatis & commentario illustratis evenit.* Ut autem hujusmodi Scriptorum specimen quoddam Lectorum oculis subjiciam, juvat huic loco intexere epigraphem ad corpus S. Cæcilii appositam, & in plumbea lamina, Latinis litteris, ut ajunt, vetustissimis insculptam: *Anno 2. Neronis Imperat. Kal. Febr. passus est martyrium in hoc loco Illipulitano D. Cæcilius, S. Jacobi Discipulus, vir litteris, linguis, & sanctitate præditus: Prophetias D. Joan. commentavit, quæ sunt positæ cum aliis reliquiis in sublimi parte inhabitabilis turris Turpiliana; sicut dixerunt mihi sui Discipuli D. Septentrius & Patricius, qui cum illo passi sunt. Quorum pulveres jacent in hujus sacri montis cavernis, qui eorum memoriam venerentur.* Ex laudatis Bivarii com-

Item Commentarii auctore Cæcilio Discipulo S. Jacobi.

& Francisci Bivarii.

Epigraphe sepulchro S. Cæcilii incisa.

commentariis in Chronicon Dextri. Quorsum vero, aut cur tandem istiusmodi tabulæ laminæque excogitatæ sunt & confictæ? Ut nimirum si quis in animum induxisset, Hispanienses Chronologos per idem tempus inventos, obstinatione quadam sententiæ repudiare, cum pleraque ab illis tradita in luis quoque laminis antiquo sermone & charactere insculpta legeret, harum testimonio convictus illis quoque assentiri cogeretur.

§. III.

De Chronicis, & Chronologis Hispanicnsibus Doctorum virorum judicia.

Chronica Hispaniensia initio excepta & approbata.

INitio Chronica illa, cum in lucem prodiissent, nemo fuit, qui in dubium aut suspicionem vocaret; sed quemadmodum olim Phidiæ signa, simul aspecta & probata sunt; nec facile dictu est, quantis plausibus, quantaque hominum approbatione cum ubique, tum in Hispania præsertim excepta fuerint. Nec solum vulgi assensu fides illis & auctoritas parta, sed præclaris etiam judiciis illustrium virorum, quibus non ingenium quidem aut doctrina, sed criticum ingenium & doctrina defuit: præsertim cum ii bonitate quadam naturæ ad credendum proni essent; & cum ex sua indole cæteros fingerent, haud putabant reperiri posse homines tantæ malitiæ audaciæque, ut tot veterum Auctorum, seu veri fuerint, seu ficti, nomine & auctoritate ad fallendum abuterentur: credulitas autem error est magis, quam culpa, & quidem in optimi cujusque mentem facillime irrepit. Hos Chronographos egregie laudant, eorumque testimonia ad fidem faciendam utuntur Gaspar Sanchez, Christophorus a Castro, Vincentius Fassarius, Franciscus Guerra, Joannes Baptista Novatus, Velasquez, Mendo, Strozzius, aliique quamplurimi. Qui vero ad illos typis edendos, commentariis illustrandos, & libris apologeticis defendendos, nihil subesse fraudis dolive suspicantes, operam, studium, atque ingenium bona fide contulerunt, eos proximo & superiore paragrapho recensuimus.

sed ab aliquibus in suspicionem adducta, præsertim Hispanis.

Cæterum non defuere, quibus animi quædam major sagacitas, acriorque in judicando prudentia cum esset, fraus & impostura, licet eruditæ simulationis artificio composita, statim suboluerit. Atque hujus fallaciæ animadversæ detectæque gloria prima debetur Hispaniæ, cujus habitum fuit semper prudens de rebus omnibus sincerumque judicium; & hoc in genere ejus gravitas ac sapientia sic elucet, ut paucorum quorumdam ex ea natione hominum impudentia ac levitate obscurari non possit. Puduit enimvero doctissimos quosque & gravissimos Hispanorum, istiusmodi figmenta plena inscitiæ & mendaciorum ab Hispanis ingeniis prodiisse, a quibus nihil vulgo expectari solet, nisi grave & severum, nihil a veritate discrepans, nihil non subtili multaque cura perfectum, & industria elaboratum. Non autem decebat rerum Hispaniensium memoriam fictis & commentitiis fabulis contaminari: quasi vero præstantissima Hispanorum natio, quæ veris in omni genere & plurimis ac maximis laudibus abundat, ad sui nominis commendationem vel falsis, vel aliunde adscitis ornamentis indigeret; præterquam quod qui futilibus ac mendacibus scriptis famam alicujus ac celebritatem augere volunt, hi nihil aliud agere videntur, nisi ut veris ejusdem laudibus propter falsas admixtas adimatur fides; & quæ graviter severeque ab auctoribus plane veracibus edita sunt, ea etiam revocentur in dubium. Hæc erat justissima prudentum virorum querela de illis Chronicis & Chronologis; quam intimis sensibus abditam ne expromerent, neve liberam vocem emitterent, obstabat præjudicata popularis opinio, & nobilium Scriptorum consentiens cum vulgo auctoritas, quorum studiis & approbationibus obstrepere adversarique, idem fuisset, ac frustra obniti contra impetum multitudinis, & in odia multorum offensionemque incurrere. Initio igitur qui recte sentiebant, ad fidem illorum chronicorum elevandam, labemque illam eluendam, quam Hispanorum nomen ex hujusmodi scriptis contraxisse videbatur, non in ea quidem directo aperteque invadere, sed oblique, & quasi per cuniculos eorumdem male partam auctoritatem subruere cœperunt. In his non sine laude commemorandi sunt Petrus Ribadeneira, & Joannes Mariana Societatis nostræ eximii Scriptores; quorum alter de Vitis Sanctorum, alter de rebus Hispaniensibus historiam constanti & gravi ratione conscriptam falsis illis & adulterinis annalibus opposuit: eo nimirum uterque consilio, ut primum lectores intelligerent nihili faciendos esse commentitios illos Auctores, e quorum impuris fontibus nihil omnino in suos libros derivare voluerunt; deinde ut ostenderent non universæ sapientissimæque Hispaniensi nationi, sed paucis quibusdam male feriatis hominibus nugas hujusmodi anilesque fabulas attribuendas esse: ab his vero longissime abhorrere homines nostræ Societatis; quamquam unus ex illis seu vere seu falso creditus sit illarum præcipuus Architectus. Ac Ribadeneira sane de supposititiis illis Chronicis ne meminit quidem, perinde ac nusquam gentium extarent; Mariana vero continere se non potuit, quin iterum ac sæpius Pseudodextrum cæterosque ejusdem notæ Chronologos leviter carperet, eorumque fidem in suspicionem vocaret. Horum vestigia cæteri illius ætatis Scriptores secuti, leni admodum mitique censura spurios illos annales perstringunt, ut potius de illorum veritate dubitare, quam omnem illis fidem abrogare videantur, veluti Cornelius a Lapide, qui cum hac de re judicium tulit, maluit videri nimis timidus, quam parum prudens. *Ante annos fere* 1200. inquit, in calce Chronot. Act. Apost. *ævo S. Hieronymi & Augustini Fl. Lucius Dexter, filius S. Paciani, postea Episcopi Barcinonensis, Præfectus Prætorio Orientis sub Theodosio Imperatore, Hispanus & Hispanorum encomiastes scripsit Chronicon a Natali Christi usque ad annum Christi* 430. *quo mortuus est S. Augustinus, illud dedicavit S. Hieronymo (& eo vita functo, Paulo Orosio) ut ipse testatur lib. de Script. Eccles. in fine, quem librum S. Hieronymus vicissim eidem L. Dextro inscripsit. Quæsivit illud Card. Baronius, sed non reperit: post mortem ejus inventum est in Bibliotheca Barcinonensi eo olim translatum ex Bibliotheca Fuldensi, ut ferunt, typisque editum est in Hispania Cesaraugustæ anno Domini* 1619. *cum appendicibus Maximi, Braulionis, & Helecæ, Episcoporum Cesaraugustanorum, qui illud alternatim & successive usque ad sua tempora continuarunt & prorogarunt. Multi viri docti præsertim Hispani, illud avide arripiunt citantque. Nonnulli tamen eruditi, quibus acris est crisis, spurium censent, vel certe aliorum laciniis assutum & vitiatum: tum quia varia ejus circumferantur exemplaria, quæ inter se variant, & dissonant: tum quia stylus rudior Dextri stylum non æquat: tum quia paradoxis, & parachronismis insperſum videtur: tum quia ubi, quando, & a quo post tot sæcula primo repertum sit, ignoratur. Sane Fuldæ illud studiose perquisi-*

Petrus Ribadeneira & Joannes Mariana suam quisque historiæ Chronicis illis opposuit.

Cornelii a Lapide censura admodum mitis.

quisivi, nec inveni. Nolim ego in hac lite sedere arbiter; nec tanti auctoris judicium mihi vindicare, ut fidem illi derogem, vel arrogem. Audio esse in Hispania, qui illud recusuri, & limaturi, eique fidem arrogaturi sint. Subinde, sed parce, illud citabo, præsertim ubi verisimiliora, & veriora narrans, aliorum gravium auctorum testimonio fulcitur, & roboratur.

item Joannis Bollandi,

Nihilo minorem adhibuit Joannes Bollandus moderationem modestiamque in dicenda sententia de Chronico Flavii Dextri, cujus gratia negat se velle in certamen cum gente bellicosa descendere; & postquam varias rationes attulit, cur sibi scriptum illud non probetur, quid sui consilii ac judicii sit, his verbis explicat in Præfat. Gen. ad Vit. SS. cap. 2. §. 7. *Sed tamen sentiat quisque ut volet: ego Chronicon illud nec esse Dextri asservero, neque contentiose pernego: ejus auctoritate non temere nitor, præsertim si alii melioris notæ scriptores refragentur.* De Chronico vero, & Adversariis Luitprandi hæc subjecit: *Audio dubitare viros Doctos, an Luitprandi esse videantur, quamque mereantur fidem. Ego id examinare nolui.*

sed Bollandi successores multo liberius de Chronicis illis sententiam suam dixerunt,

Sed cæteri Antuerpienses Hagiologi, qui Bollando in præclarum illud opus de Vitis Sanctorum deinceps successerunt, de Chronico Dextri, itemque aliorum Chronicis, Adversariis, Appendicibus, quæ ad manus notitiamque Bollandi non pervenerant, multo liberius severiusque judicarunt; idque eo fidentius atque impunius facere potuerunt, quod primus ille ardor conspiratioque hominum ad hujusmodi Chronica defendenda & evulganda paullatim defervescere, & animis studiisque sedatioribus scripta illa expendi cœpissent. Falsitas quippe, quamvis ambagibus se involvere & veri speciem imitari studeat, diu tamen occultari non potest: opinionum enim commenta delet dies, vera autem hominum judicia confirmat. Cum itaque Chronicorum illorum fides & auctoritas multitudinis atque illustrium virorum patrociniis destituti, quasique diuturnitate & neglectu extabescere inciperet; tum enimvero undique exorti sunt, qui veluti impetu facto totam illam mendaciorum, & fabularum coagmentationem dissolverent, ac funditus subruerent. Exinde falsis illis Chronologis, quam sibi induerant, antiquitatis larva, & insignium virorum persona detracta, & vocabulorum depravationes, temporum ordines præposteri, rerum, locorum, personarum discrepantiæ patefactæ; ac denique criticis sapientissimorum hominum animadversionibus eo res adducta est, ut jam certo constet, quos libros Dextri, Maximi, & aliorum nomine inscriptos, ætas illa hujusmodi nugarum ferax protulit, nec Dextri, nec Maximi esse, nec vero aliorum, quibus titulo mentito attribuuntur. Qui Chronica illa palam aperteque rejiciunt, & suppositicia esse, fabulis ac mendaciis referta, & vix digna lucubratione anicularum, plurimis gravissimisque rationibus convincunt, hi præcipue sunt Hugo Menardus, Georgius Cardosus, Joseph Cardinalis Aghirre, Gabriel Pennottus, Hagiologi Antuerpienses, & ut paucis omnes complectar, nunc quidem universa litteratorum natio commentitios illos Chronologos explodit. Sed contra eos

Communis Doctorum hominum ad Chronologos illos explodendos conspiratio,

Ex his facile primas tulit Antonius Nicolaus Hispalensis.

nemo copiosius scripsit, nemo eruditius disseruit, nemo vehementius censorium stylum acuit, quam Nicolaus Antonius Hispalensis, Jurisconsultus, Eques Ordinis S. Jacobi, Canonicus ecclesiæ Hispalensis, idemque Regiorum negotiorum in Urbe & curia Romana Procurator generalis. Bibliothecam Scriptorum Hispaniensium composuit duobus voluminibus comprehensam; quorum alterum ipse typis Romanis tradidit anno 1672., alterum post obitum Antonii vulgavit Joseph Card. Aghirre, & præclaris adjectis ad marginem notis illustravit. Is itaque omnia illa scripta falsis nominibus suppositia in disquisitionem vocavit, omnes mendaciorum latebras excussit, Architectorum hujus operis indolem, consilia, fallacias omnes sic prorsus evolvit, atque in apertum protulit, ut lectores totius fraudis non solum vestigia, sed etiam cubilia videre possint. Non est hujus loci atque instituti omnia persequi, quæ vir ille egregius, singulari doctrina atque ingenio præditus, hac de re graviter & copiose disputat, quæque in singulis falsa reperit, & insulsæ vanitatis, impudentisque mendacii coarguit. Operæ tamen pretium duxi capita quædam describere, quæ in Luitprando & Juliano digna castigatione acrique censura annotavit; ex quæ quid de reliquis censendum sit, facile cognosci potest: eædem enim in omnes & singulos censuræ cadunt, & qui unum alterumve probe novit, omnes noverit: non ita dissimili sunt & artificio & fraude compositi. Luitprandum igitur his censoriis animadversionibus Nicolaus Antonius confixit.

I. *Viros sanctitate illustres, qui alio Natales referunt, in Hispania constituit, sicut & res ab illis gestas; æquivoco nominum, aut locorum abusus. Quod ipsum facit in exteris conciliis Hispaniæ tribuendis.*

II. *Etiam absque æquivocis, locorum aut nominum prætextu, virorum sanctitate illustrium, in fastis ecclesiasticis celebratorum, patriam aut mortem Hispaniæ adjudicat.*

III. *Rebus apud nos in historia controversis ambiguisque solvendis, ac determinandis, judicem sese invocatus & importunus ingerit; affectationem ubique & vanitatem manifestans.*

IV. *Iis autem, quæ non satis expressa sunt in veteribus monumentis, lucem declarationemque gestit inferre, quo locis personisque a se nominatis honorem & splendorem, sibique fidem & obnoxiis conciliet.*

V. *Eventibus, quorum in veteribus inscriptionibus, apud nos extantibus, obscurior aliqua memoria supersit, clariorem pseudo-historiæ facem immittere conatur.*

VI. *Carmina a se composita pro sustinendis suis fictionibus, nomine antiquorum inscripta, signataque commendat, quo tutius fallat.*

Uniuscujusque horum locorum, seu capitum exempla quædam non omnia, sed conspicua magis, subjicere est animus. Ludit inquam in æquivoco nominum vel virorum, vel locorum, ut aliarum gentium homines sanctitate celebres in Martyrologiis laudatos ad nostram gentem referat.

Plura vero nec leviora flagitia Juliano idem Antonius objecit, quæ ad capita duodeviginti revocavit.

I. *Anachronismos sæpe committit, ea, quæ infra tempora ejus contigere, aut non eo tempore, quo contigere, incaute memorans.*

II. *Contradicit sibi ipsi & aliis authenticis scriptoribus, quorum fides non lubrica.*

III. *Desiderantur in his scriptis ea ejus testimonia, quæ ex iisdem scriptis, priusquam ederentur, scriptores in publicum laudavere, aut non ea faciunt in publicum prodierunt, quam præferebant apud laudatores.*

IV. *Depromit auctor ea, quæ dicit ex scriptoribus recentioribus, & ubi illi a vero deviant, cum his & ille fallitur.*

V. *Errores crassissimos, falsa, absurda multa passim continet.*

VI. *Impiis narrationibus piorum aures offendit, & ſanctitatem iis tribuit, de quorum ſanctitate aliunde non conſtat.*

VII. *Homines duos in unum coagmentat, aut unum in duos dividit, ad conciliandas variantes ſententias.*

VIII. *Sanctis, quorum ignoretur natalis locus, Hiſpanos natales temere aſſerit: atque item æquivoco uſus, aſſignata his martyrii loca in Martyrologiis, cum Hiſpaniæ aliis eadem facit.*

IX. *Eundem æquivocationis ludum in locis ludens, peregre facta quæque in Hiſpania contigiſſe ridiculo auſu ſcribit.*

X. *Archiepiſcopatus Toletani primatialem dignitatem a prima Evangelii apud nos promulgatione ſæpiſſime ac fere omnibus paginis ridicule, & importune inculcat.*

XI. *Hiſpanis Epiſcopis, qui non eo venere, conflare facit aliarum nationum Concilia.*

XII. *Hiſpanis Epiſcopis nuncupatas Decretales ſummorum Pontificum fingit epiſtolas.*

XIII. *Quibuſnam ſcripta ſint Martialis Epigrammata, ridicule anxius eſt.*

XIV. *Ex iis, quæ vidit, monumentorum veterum inſcriptionibus, aut recentiorum Auctorum obſervationibus, ſuas procudit.*

XV. *Ut emergat e difficultatibus heri aut nudius tertius, ut ſic dicam, ſuſcitatis, ſe in affectatas effundit expreſſiones.*

XVI. *Certis incerta addit & fabuloſa.*

XVII. *Nova, inaudita, inveriſimiliaque, & ab aliis indicta refert.*

XVIII. *Quibus ut fidem adſtruat, fingit ſe ex nunquam alias auditis, aut viſis auctoribus, quorum opera laudat, profeciſſe. Inquiritur in ea omnia, quæ ex hiſce derivavit fontibus. In re geographica Hiſpaniæ, multa is temere, multa inepte, & antiquitati contraria excogitanda, & dicenda ſibi indulſit.*

Hactenus Nicolaus Antonius Hiſpalenſis, ex quo ſpecimen habes, unde Hiſpanienſium Chronographorum indoles, & artificium dignoſci poſſit. De laminis vero ſeu tabulis Illipulitanis nihil aliud hic adjiciendum puto, niſi quod anno 1641. Urbanus VIII. Romanus Pontifex judicio ſuo graviſſimo & maximo omnem illis fidem abrogavit, & eccleſiaſticis comminationibus ac cenſuris interpoſitis interdixit, ne quis illas typis ederet, aut apud ſe retineret; neve illas aut tueri, aut interpretari, aut commentariis illuſtrare auderet. Decreti Pontificii apographum extat apud Hagiologos Antuerpienſes tomo 1. Februarii ad diem 1. ejuſdem Menſis, §. 11. Commentarii hiſtorici de S. Cecilio Epiſcopo Illiberitano. Sequitur, ut exploremus, num forte aliquid e noſtris Heſychiis Salonitanis ad ſuum Heſychium Hiſpanienſes illi Chronologi tranſtulerint.

Tabulæ Illipulitanæ Pontificio decreto confixæ.

CAPUT II.

De Actis & Martyrio, reliquiis & cultu utriuſque Heſychii Salonitani.

QUæ titulo propoſito continentur, non ea quidem ſumi aut deſcribi poſſunt e certis auctoribus, probatiſque monumentis, quorum nihil ſupereſt; ſed aliunde per conjecturam repeti eliciique oportet. Inquirendum igitur eſt in falſos illos Chronologos Hiſpanienſes, videndumque, an forte fortuna alterutri, vel utrique Heſychio Salonitano aliquid ſurripuerint, quod Heſychio ſuo, Divi Jacobi, ut ajunt, diſcipulo, & Carceſæ in Hiſpania Epiſcopo affingerent. Nimis grave præjudicium in eos, ſeu plane judicium factum eſt ab Hiſpanis ipſis, ſingulari prudentia & doctrina viris, quorum ſententiis manifeſtarii fures ac plagiarii eſſe convincuntur, qui aliarum gentium hiſtorias ac tabulas compilarunt, ut rebus perſonisque alio pertinentibus Annales illos Hiſpanienſes locupletarent: ac proinde ſi quis ſuſpicetur ſuffuratos eſſe ab Heſychiis Salonitanis ea, quæ minus apte conveniunt in Hiſpanum Heſychium, huic ego quidem nullam temeritatis notam inuri poſſe exiſtimo. Veriſſima quippe eſt in Luitprandum, itemque in Julianum Nicolai Antonii animadverſio: ab iis ſcilicet, *viros ſanctitate illuſtres, qui alio natales referunt, ſicut & res ab illis geſtas in Hiſpania conſtitui*: id quod in alios ejuſdem generis ſcriptores aptiſſime quadrat, in Dextrum præſertim, cujus Chronicon, *mihi*, ait Joannes Bollandus in Præf. Gen. in Vit. SS. cap. 2. §. 6. *opus videtur ſcriptoris non indiligentis, ſed qui obtorto collo in Hiſpaniam trahat quoquot poteſt viros illuſtres.* Id præterea crimini datum eſt iſtiuſmodi Chronicorum artificibus callidis oppido ac ingeniosis, quod ſi quæ reperiſſent locorum atque hominum alio ſpectantium nomina, quibus ſimilitudo aliqua eſſet cum nominibus locorum itidem, atque hominum Hiſpanienſium, ea levi facilique litterarum immutatione in vocabula Hiſpana transformarunt. Hujus fraudis, verborumque depravationis reum fecit Luitprandum Nicolaus Antonius quem, ait, *æquivoco nominum aut locorum abuſum*; & paullo infra: *Ludit in æquivoco nominum, vel virorum, vel locorum, ut aliarum gentium homines ſanctitate celebres in Martyrologiis laudatos ad noſtram gentem referat.* Nec diſſimili cenſura Julianum perſtrinxit: *Eundem æquivocationis ludum in locis ludens, peregre facta quæque in Hiſpania contigiſſe ridiculo ſcribit.* In Geographia autem Illyrica multa identidem occurrunt vocabula, quæ affinia ſunt vocabulis Hiſpanæ Geographiæ, vel ab his parum admodum diſcrepant. Hæc illi cum in Hiſpaniam tranſtuliſſent, fere totam Geographiam Hiſpanienſem fœdum in modum depravarunt: id quod Juliano objecit Nicolaus Antonius. *In re geographica Hiſpaniæ multa is temere, multa inepte, & antiquitati contraria excogitanda, & dicenda ſibi indulſit.* Ab Divis autem aliarum nationum ad Divos Hiſpanienſes, quibus idem, atque illis, nomen eſſet, quidquid libuiſſet transferendi liberam ſibi plenamque poteſtatem arrogarunt; ex quo factum eſt, ut ſæpe unum e duobus Divis conflaverint, rebus utriuſque in unum congeſtis. Hæc vero idcirco præmoni, ne quis exiſtimet temere nos & ſine cauſa ſuſpicari ac vereri, ne more ſuo hac homonymia ſeu nominum ſimilitudine abutentes, quæ pertinebant ad noſtros, ad ſuum Heſychium, fallente mendacio, pertraxerint: quod an veriſimile ac probabile ſit, ex his, quas ſubjicio, conjecturis atque indiciis cognoſci poterit.

Suſpicio eſt aliquid ab alterutro vel utroque Salonitano ad Hiſpanum Heſychii eſſe tranſlatum.

Illyrica geographiæ vocabulorum cum vocabulis Hiſpanicæ Geographiæ ſimilitudo.

§. I.

Quædam Heſychio Hiſpanienſi ex Actis Heſychii Salonitani accommodata videri.

DE rebus illis, quas Martyrologia, probati ſcriptores, majorum traditiones S. Heſychio Hiſpanienſi attribuunt, nullam item Hiſpanis Chronologis intendo. Itaque, quod Beda, quod Uſuardus, quod Ado, aliique veteres tradunt, id haud invitus aſſentior; videlicet S. Heſychium, & cum

Hesychius cum sex aliis Evangelii propagandi causa in Hispaniam missus.

cum eo sex alios doctrinæ & sanctitatis eximiæ viros a Beatis Apostolis Petro Paulloque Episcopos Romæ consecratos fuisse, & Evangelii propagandi causa in Hispaniam missos, qui distributis inter se amplissimi illius regni provinciis, gentem illam propemodum universam ab vesana superstitione ad veri numinis cultum & Christianam religionem traduxerunt; & alii alias urbes Christi mysteriis ac præceptis cum imbuissent, eadem suo vel obitu, vel sepulchro nobilitarunt. Idem confirmat Gregorius Papa VII. in epistola 64. ad Alphonsum VI. Castellæ, & Sanctium IV. Aragoniæ Reges, data anno MLXXIV. Indict. XII. XIV. Kal. April. *Cum Beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adisse significet; ac postea septem Episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro & Paullo Apostolis directos fuisse, qui destructa Idololatria, Christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem & officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo ecclesias dedicaverunt, vestra diligentia non ignorat &c.* De illorum martyrio neque ajunt, neque negant veteres Martyrologi, quos supra laudavimus. Cæterum non dubito, quin aliqui ex illis, si non omnes, vitam pro Christo & sanguinem profuderint, quod ex verbis modo relatis Gregorii VII. satis aperte colligitur. Juvat huc transferre ex Martyrologio Romano elogium Hesychio & sociis attributum, quod fere totidem verbis descriptum legitur apud Usuardum: *In Hispania Sanctorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Cæcilii, Hesychii, & Euphrasii, qui Roma a Sanctis Apostolis Episcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei in Hispanias directi sunt: cumque variis urbibus evangelizassent, & innumeras multitudines Christi fidei subjugassent, in ea provincia diversis locis quieverunt; Torquatus Acci, Ctesiphon Vergi, Secundus Abulæ, Indaletius Urci, Cæcilius Illiberi, Hesychius Carthesa, & Euphrasius Illiturgi.* Cum autem omnes Martyrologi ad Idus Majas anniversariam omnium memoriam adscripserint, huic dici ab eorum primo in Hispaniam adventu celebritatis ac religionis causam obvenisse existimant Hagiologi Antuerpienses tom. 1. Martii ad diem 1. cæterum aliis præterea diebus, suo quisque, & aliis in urbibus, religione ac ritu solemni coluntur. De illorum ad Urbem Accitanam accessu, quem Deus insigni miraculo, & omnium fere civium ad Christum conversione illustravit, Ado in Martyr. ad XV. Maii, cui B. Notkerus, aliique adstipulantur, hæc scripsit: *Cum propter laborem itineris modicum quiescentes, causa victus emendi, discipulos in urbem misissent, mox pagorum multitudo, quę tunc forte Diis suis festa celebrabant, eos usque ad fluvium persecuta est: in quo pons mirę magnitudinis, & firmitatis exstructus, transeuntibus Sanctis, Dei nutu, cum omni insequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum cæteri territi, & cujusdam magnæ Senatricis Luparię, quæ divinitus inspirata, eos benigne suscipiens credidit, exemplum secuti, relictis Idolis Christo Domino crediderunt.*

Quæ veteres scriptores tradunt de Hispaniensi Hesychio, huic adimere nos licet;

Quæ igitur veteres Martyrologi, aliique idonei Auctores de Hesychio & sociis memoriæ prodiderunt, ea in dubium revocare non ausim; nihil horum, ut Salonitanis arrogem, Hispano Hesychio detraxerim: illud etiam ut credam, adduci facile possum, septem illos Episcopos ab Divo Jacobo in sua peregrinatione Hispaniensi ad Christum adjunctos fuisse, & Hierosolymam deductos; qui deinde post Magistrum Herodis jussu interfectum, Romam cum venissent, Episcopali consecratione initiari, Apostolorum missu cum exuviis S. Jacobi ad Christianam religionem disseminandam in Hispaniam rediisse dicuntur, quamvis non desint, qui hac de re aut omnino dissentiant, aut certe dubitent: nam ut præclare admonet Joannes Mariana lib. 4. cap. 2. *quoniam rerum antiquitas certam scriptioni derogat fidem, neque quid certi de Jacobi Apostoli discipulis afferri potest, liberum lectori judicium de tota re relinqui oportet.* Si quæ primævis illis Hispaniæ Episcopis communis traditio, gravesque auctores attribuunt, iis contenti esse voluissent Chronologi Hispanienses, nihil erat, quod illorum fides in dubium vocaretur; sed cum multa de suo adjecerint, neque a majoribus tradita, & minus apte congruenterque ad veri similitudinem conficta, jure ac merito contemnuntur a viris eruditis; & quidquid adjectum esse ab illis dignoscitur, id totum vel omnino commentitium, vel aliunde surreptum esse censetur. Jam vero ad rem nostram, ut propius accedamus, de S. Hesychio Hispaniensi præter urbem, cujus Episcopus fuisse dicitur, nihil ab antiquis scriptoribus traditum est, quod illi commune non sit cum aliis sex Episcopis, quos S. Petrus ex urbe in Hispaniam misit. Nihil igitur habemus, quod satis probabiliter affirmare de illo possimus, nisi quod Hagiologi Antuerpienses *perbrevi* hoc elogio complectuntur: *Sanctus Hesychius, sive Ischius Episc. Carcesæ sive Cazorlæ, a S. Petro Apostolo cum aliis sex Episcopis in Hispaniam missus circa annum Christi LVIII., aut sequentem, post sacri Evangelii prædicationem Martyrio perfunctus est 1. Martii.* His addamus, per me licet, Hesychium fuisse genere Hispanum, Divi Jacobi discipulum, cum eo Hierosolymam profectum, inde Romam, tum in Hispaniam reversum; itemque cætera, quæ de illius & sociorum in Hispaniam adventu Ado & Notkerus litteris consignarunt.

Quæ Hesychio Hispaniensi certo, vel probabiliter attribui possunt.

Cætera eidem attributa sunt dubiæ fidei.

Sed quæ cum his seu veris, seu vero proximis admiscuit Chronologus ille, falso creditus Flavius Dexter, quæque adjungunt tabulæ Illipulitanæ, ea sane mihi suspicionem movent, & nisi me fallit, videri possunt ex Actis alterutrius, vel utriusque Hesychii Salonitani desumpta. Ac primum expendamus velim, quæ scripsit commentitius iste Dexter de suo Iscio (ita enim Hesychium vocat), & ex formula æræ Christianæ quatuor fere sæculis post Dextrum receptæ, anno Christi LII. subjecit: *Anno Christi LII.*

Iscius Cartejæ prope fretum prædicat, totamque oram maris interni pervenit: & Alonæ & Cartejæ alteri in Mediterraneo mari, non procul Carthagine Spartaria prædicat. Mirum quam multa paucis verbis errata subsint. Nota Chronologica neutiquam cohæret cum iis, qui de consecratione, & profectione Hispaniensi septem illorum Episcoporum scripserunt, Beda, Usuardus, Ado, Gregorius VII., aliique. Tradunt enim illos Romæ & consecratos Episcopos, & in Hispaniam missos, non solum a Petro, sed etiam a Paullo, qui Romam numquam adiit ante secundum Neronis annum, qui congruit cum anno Christi vel LVIII. juxta Baronium, vel LVI. juxta aliorum calculos. Eo quippe anno Paullus, cum superiori anno ab Præside Palæstinæ ad Cæsarem appellasset, in urbem advenit, suam apud Neronem causam ex vinculis dicturus. Biennio Romæ transacto, Hispaniam peragravit, ut ex ejus ad Romanos epistola Gregorius septimus, & plerique veterum auctorum affirmant. Hispana expeditione perfunctus cum an. vel 64., vel 68. in urbem revertisset, tum demum Hesychius cum sociis, ab utroque Apostolo & Episco-

Modum Chronologicum.

Digitized by Google

pus initiatus est, & in Hispaniam proficisci jussus, ut ibidem rei Christianæ operam navaret. Tantum igitur abest, ut anno Christi LII. Hesychius Evangelio disseminando Hispanos divinis mysteriis ac præceptis imbueret, ut non ante quintum, vel octavum supra sexagesimum primi sæculi annum, eam illi provinciam Petrus Paulusque decreverint, septem vel octo mensibus antequam uterque Neronis jussu morte afficeretur.

Mendum Chorographicum.

Ante Chronicum Flavii Dextri in lucem editum neminem reperies, qui sedem Episcopalem, vel Apostolicos labores Hesychii Cartejæ urbi adscripserit. Hagiologi Antuerpienses tom. 1. Martii die 1. §. 2. cum plura & varia nacti essent exemplaria Martyrologiorum Bedæ, Adonis, Usuardi, in aliis quidem Carthesæ seu Cartelæ, in aliis Carcesi seu Carcesæ, in aliis Carceræ, seu Carteræ, nusquam vero Cartejæ Hesychium aut Episcopum fuisse, aut Evangelio operam dedisse invenerunt. Ejus Apostolatum primus Cartejæ adjudicavit, qui Flavii Dextri Chronicon protrusit. Exinde id vocabulum auctore nescio quo irrepsit in Martyrologium Romanum editionis Antuerpiensis, quæ duplex prodiit, prior an. 1608. absque Baronii annotationibus, altera anno 1613. cum ejusdem notis, utraque post obitum Baronii, cum idem Martyrologium Gregorii XIII. jussu correctum & vulgatum a Baronio Hesychium *Carthesæ* attribuat; quæ quidem lectio in illud ipsum Martyrologium, post utramque editionem Antuerpiensem, Urbani VIII. auctoritate recognitum, restituta est. Franciscus Bivarius in Commentariis in Chronicon Dextri ad an. LII. parvi interesse ait, utram utri lectionem præferas, cum urbs eadem pro varietate temporum varias appellationes subire potuerit. At cum Cartejæ nomen usitatum ac tritum sit apud Livium, Strabonem, Plinium, aliosque veteres, mirum sane videri debet id vocabuli numquam usurpatum fuisse ab antiquis Martyrologis, & neminem e Geographis reperiri, qui *Carcesam*, aut *Carcesam*, sive *Carcesum* pro *Carteja* scripserit: quod sane argumento est *Carcesam*, & *Cartejam* non vocabulo solum, sed etiam reipsa differre. Positio Cartejæ ex Livio dignosci facile potest, ut infra dicetur; sed paullo difficilior investigatu est regio situsque Carcesæ, quæ quidem civitas veterum omnium consensu Hesychio obtigit. Sunt, qui Carcesam, sive Carthesam in Asturia locant Breviarii Cordubensis auctoritatem secuti, a quibus magnopere dissentit Franciscus Bivarius, & *errare*, ait, *eos tota Hispania, quia apud antiquos probatosque auctores in toto Asturicensi tractu non extat urbs Carthesia dicta*: quasi vero ipse *Carcesam* vel *Carthesiam* pro *Carteja* apud antiquos probatosque auctores uspiam invenisset. Perplacet mihi opinio Godefridi Henschenii, qui veterem Carcesam eamdem esse, atque hodiernam Cazorlam, urbem in Beticæ, Murciæque & Castellæ confinibus sitam haud sane absurdis conjecturis existimat. Idem ante Henschenium docuit Antonius Cianca, qui lib. 1. hist. S. Secundi c. 15. scripsit Cazorlam olim *Carcesam* vulgo dictam fuisse; idque ex vetustis tabulis & monumentis, quæ illic asservantur, admodum verisimile fieri. Huc accedit constans & communis indigenarum opinio, qui urbem suam ac regionem a S. Hesychio tum Christianis sacris ac præceptis excultam, tum etiam proprio cruore religionis causa profuso imbutam esse confirmant. Quocirca ejusdem festum solemni ritu, & eximia veneratione concelebrant; plurimique ex oppidanis accolisque, ut sanctissimi viri patrocinium sibi adsciscant, Hesychii nomine appellantur. Ab Cazorla urbe mediterranea longe terrarum abest Carteja, in ipsis Oceani faucibus, ad fretum Herculeum locata, quæ nunc *Algezira* vulgo dicitur, non vero *Tarifa*, ut aliqui putant, quæ introrsum recedit ab angustiis freti; neque *Conil*, ut alii docent apud Ortelium, quæ ab eodem freto longius distat. Cartejæ positionem Livius his verbis descripsit Dec. 3. lib. 8. *Lælius interim freto in Oceanum vectus, ad Cartejam classe accessit: Urbs ea in ora Oceani sita est, ubi primum e faucibus angustis panditur mare.*

Civitas Hesychii Episcopatu insignis variæ appellata,

Quid autem est, quod Dexter ille pseudonymus Hesychii Episcopatum Carcesa dimotum translatumque Cartejam e mediterraneis in loca maritima protrusit? Suspicio mihi est id desumptum esse ex Actis Hesychii Salonitani, cujus sedes Episcopalis Salona fuit, civitas mari adjacens, cujusque jurisdictioni ora Dalmatica suberat. Hinc vero factum est, ut Apostolicas totius oræ maritimæ peragrationes, quæ in nostrum optime conveniunt, Hesychio Hispanienſi attribueret, cum cæteroquin hujus Parochia mediterraneis regionibus contineretur: *Totamque*, inquit, *oram maris interni percurrit*. Scio equidem Mediterraneum mare appellari *Internum*, sive *Interius*, propterea quod quamvis latissime pateat, tamen intra fretum Herculeum Europæ, Asiæ, Africæque littoribus concluditur; contra vero Oceanus dici solet *mare exterius*, quod extra Fretum in immensum propemodum exporrigitur. Cæterum *Interni* maris appellatio, quæ toti mediterraneo communis est, magis apte proprieque videtur congruere cum mari Adriatico, quod haud ita late interjectum Illyricæ Italicæque oræ complexu continetur. Certe extremus hujus maris ad Septemtrionem recessus vocari solet *sinus intimus*, quo quidem vocabulo totum Adriaticum a summa seu præcipua ejus parte olim cognominatum fuisse verisimile est; neque aliam ob causam *Regna Liburnorum* a Virgilio *intima* appellari dixerim, nisi quia sita erant in intimo sive interno mari, quod undique clausum faucibus admodum angustis in mare Jonium illabitur. Huc pertinet, quod in tabulis Salonitanis & Raguſinis vocari solet mare *Internum*, quod oram Illyricam, & insulas oræ adversas interfluit; & qui littus navigio legit, is interno mari navigare dicitur; contra vero naves in altum provectæ, pelago, ideſt libero apertoque mari ferri dicuntur. Præterea ne ὑπερβολικῶς quidem, nedum vere proprieque dici potest, *Totam maris interni oram* peragratam fuisse ab Hesychio Hispanienſi, quamvis oram omnem Hispaniæ, quæ mediterraneo alluitur, Apostolicis excursionibus lustrasse credatur; nisi vero existimemus aut eum mare internum universum circumjisse, aut *interni* maris appellationem non ultra extendi, nisi qua Hispaniam maritimam ab Oriente præterfluit. Contra vero satis apte vereque dicitur Hesychius Salonitanus totam interni Adriatici marjs oram percurrisse, cum totam ejusdem maris longitudinem littorea illa Apostolicaque peragratione emensus fuerit; neque enim longius mare Adriaticum, quam ora Illyrica protenditur. Cum igitur æque Adriaticum, ac Mediterraneum rite cognominari possit *mare internum*, vereor equidem, ne commentitius iste Dexter hujusmodi cognomen ab uno ad alterum mare, itemque maritimam & apostolicam circuitionem a Salonitano ad Hispanum Hesychium transtulerit.

Videtur ab ora maritima Dalmatiæ & Salonæ, ad Cartejam Apostolatus Hesychii Salonit. translatus, & Hesych. Hispan. affictus.

Verius, quam Hesychium Hispanien. oram interni maris peragrasse dicitur Hesychius Salonitanus.

Alonæ etiam Hesychius Carcesæ Episcopus verbi divini sementem fecisse dicitur. Nihil autem est unum uni tam simile, quam Alona Salonæ. Haud sane ignoro Alonem urbem esse Hispaniæ Tarraconen-

Cartejæ distantia a Carceta ubi sita.

nusquam Carcesa, nisi apud Dextrum.

nensis, quam Geographorum vulgus nunc *Alicante* dici putat, dissentiente Isaaco Vossio in suis ad Melam animadversionibus perquam accuratis, qui Alonam asserit oppidum esse, quod olim Arabes *Tudimir*, nunc Hispani Guardamar appellant, situm in peninsula ad ostium fluvii, qui vulgo *Segura* dicitur. Hanc urbem statuit Pomponius Mela lib. 2. cap. 6. in ora maritima, quam praeterluit Sinus Illicitanus; ab eaque proximam locat Lucentiam, quae Vossio eadem est atque *Alicante*: *Sequens Illicitanus Alonem habet, & Lucentinus, & unde ei nomen Illicitano*: Sed cum nemo veterum Alonam ab Hesychio Evangelicis praeceptis instituta tam tradat, nemo erit opinor, qui falli hujus Dexteri testimonio standum esse censeat. *De Alone*, inquit Henschenius, *cum solus id pronunciet, tam fluxa in Lectoris auctoritate, nec assentiri secure illicet; nec libet redarguere*. Tanta porro est Alonae cum Salona similitudo & affinitas, ut dubitari vix possit, quin Auctor hujus Chronici more suo Salonam unica dempta litera cum Alona commutaverit, & ad Hispaniensem Alonam, Hesychiumque transtulerit, quod de Salona, nostroque Hesychio in ejus Actis descriptum invenerat; praesertim cum dolo ac fraudi occasionem daret similis ac fere ejusdem vocabuli sinus, quo utraque civitas alluitur: Salonam quippe *Illyricanus*, Alonam vero *Illicitanus* sinus praeterlabitur.

Salona in Alonam,

& Illyricanus in suum Illicitanum forsan converso.

Do altera quoque *Carteja ab Carthagine Spartaria* haud longe disjuncta, quo itidem Christianam religionem intulisse Hesychius dicitur, aliquid subpicari licet. Hanc urbem Bivarius minime dissimilem conjecerat a Cartaja, *quamvis est*, inquit, *ipsi maris littore, sed interius littora a mari aliquantulum separata*. Sed Cartaja, de qua Bivarius, nimium quantum distat ab Carthagine nova, cujus Sparti copia Spartariae cognomen ab. Cartaja quippe extra fretum Gaditanum procul summota, leucis fere duodeviginti a Gadibus in Occasum abest prope ab Ana fluvio constituta, a quo longissime Carthago in Oriente distat. Quare Rodericus Cerus in suis Commentariis ad Flavium Dextrum auctoritati hujus Chronici hic diffidere videtur. *De Carteja prope Carthaginem Spartariam ambigo. Est hodie oppidum Cartaja, sed longe ab eo tractu dissitum, extra fretum Gaditani fauces, non procul a Lepia*. Apud Livium Dec. 3. lib. 1. praeter Cartejam illam, quae adjacet Freto Herculeo, altera Carteja in Oleadibus sita est, urbs sane opulenta & caput gentis ejus, quam idem Livius expugnatam tradit ab Hannibale, direptamque. Sive Oleades cum Livio ultra Iberum, sive cum Stephano prope Iberum, sive cum Polybio in Ocania circa Tagum collocari placeat, longe distant tum a Carthagine Spartaria, tum a mediterraneo mari; ex quo fit, ut etiam Carteja civitas illorum primaria utrinque absit, contra quam docuit artifex Chronici Dextriani.

Alterius Cartejae positio male constituta a Bivario,

Cum itaque nulla sit altera illa Carteja propel Carthaginem ad mare mediterraneum, suspicio est eam effictam esse ex aliquo affini vocabulo Dalmaticae chorographiae corrupto detortoque ad urbem Hispaniensem significandam. *Carteja*, sive ut in aliquibus Adonianis apographis Heribertus Rosweydus scriptum invenit, *Carcera* vocabuli similitudine haud longe abest a *Corcyra* urbe & insula Dalmatica. Sane vereor, ne vafer ille transformandorum nominum artifex ex utriusque loci homonymia aliquid in rem suam derivandi occasionem captaverit; & perinde ac si nihil *Corcyram* inter & Carceram, sive Cartejam, praeter paucarum litterarum varietatem interesset, unam e duabus civitatibus conflaverit; quam quidem Hispaniae attribuit, ejusque ad Christi cultum traductae laudem Hesychio Hispaniensi adscripsit. *Cartejam* autem, quam *Carceram* scribere maluit, ne duarum vocum *Carcera & Corcyra* similitudo aliquam depravati vocabuli suspicionem moveret, nam & eamdem ob causam fortasis *Iscium*, non *Hesychium*, Discipulum illum S. Jacobi appellavit. Sed quasdam veluti moras Corcyrensis urbis ad suam Cartejam per imprudentiam transtulit, unde Corcyram Dalmaticam dignoscere facile queas. Ait enim Cartejam esse *ad mare mediterraneum*, quod cum de Carteja, & Carcera urbibus Hispaniensibus a mari admodum remotis falso dictum sit, optime congruit cum positione maritima Corcyrae, urbis insulaeque Dalmaticae; totam enim mare circumfluit, & quidem mediterraneum: quis enim nesciat aeque superum mare atque inferum partes esse mediterranei, quod vocabulum maria omnia intra fretum Gaditanum complectitur. Nec minus vere proprieque Corcyra nostra *altera* dicitur. Duae enim sunt ejusdem nominis insulae: una in Jonio mari adjacens Epiro, & haud Poetarum carminibus, quam historicorum monumentis clarior; altera sita est in Adriatico mari, hinc a Pharia, illinc a Melite insulis itidem Dalmaticis brevi Euripo interfluo disjuncta, quae ad jus proconsulare Hesychii Episcopi Salonitani pertinebat. Quod igitur Pseudodexter scripsit Hesychium *Cartejae alteri in mediterraneo mari non procul Carthagine Spartaria praedicasse*, id saltem licet delumptum fuisse ex Actis Hesychii Salonitani, variatione aliqua topographice adhibita, ut ea, quae aliunde sumpserat, ut Hispaniam Geographiam accommodaret, in locum Corcyrae Cartejam substituit, & Carthaginis Spartariae propinquitatem perperam adjunxit. Haec sunt veluti quaedam indicia rerum ab nostro ad Hispaniensem Hesychium translatarum, non illa quidem adeo manifesta, ut rem ita esse, non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane persuadeant; sed contra eos plurimum valent, quos satis constat non tam dedisse operam, ut res verae certaque describerent, quam ut omnes, quas nacti essent, tabulas, veterumque monumenta excuterent, unde aliquid ad Hispaniensem historiam augendam & ornandam arripere possent. Si Acta utriusque Hesychii Salonitani, quae adhuc fortasse incorrupta & sincera in Hispaniae archivis latent, ad nostras manus pervenissent, haud dubito, quin plura nobis de utroque Hesychio nostro & clariora suppeterent, quae auctor Flaviani Chronici aut omnino praetermisit, aut breviter attigit; quippe cum illi propositum esset non historiam conscribere, sed epitomen quamdam Chronologicam contexere. Restat, ut inquiramus in tabulas Arabicas Illipolitanas, in quibus de Hesychio Cartesano Antistite haec scripta reperiuntur.

Carteja per depravationem vocabuli

forsasis ex Corcyra Dalmatica conficto.

Anno secundo Neronis imperii, Martii Kalendis, passus fuit Martyrium in hoc loco Illipulitano, electus ad hunc effectum S. Iscius, Apostoli Jacobi discipulus, cum suis discipulis Turillo, Pannuntio, Maronio, Centulio, per medium ignem, in quo vivi combusti fuerunt, utpotpe vitam petentibus transivere: ut lapides in calcem conversi fuerint, quorum pulveres in hujus sacri montis cavernis jacent: qui (ut ratio postulat) in eorum memoriam venerentur. Multa sunt, quae hujusmodi tabulis omnem omnino fidem & auctoritatem derogant; barbaries inconditae perturbataeque locutionis, quam tamen Interpreti sermonis Arabici Latinique ignaro faciledam adscripserim; epocha S. Iscii Martyrio affixa, quae juxta nostram in Dextrum animadversionem

Tabulae Illipulitanae,

inepta omnino ad fidem faciendam.

Digitized by Google

Chronologicam ſupra expoſitam, non modo martyrium, ſed etiam Hiſpanienſem S. Heſychii adventum præceſſit; & quod caput eſt, judicium longe maximum & graviſſimum ſedis Apoſtolicæ, quæ commination bus & pœnis eccleſiaſticis interpoſitis, vetuit tabulas illas vulgari, legi, retineri, haberique dignas, quibus fides adhibeatur. Sed hæc miſſa facio. In eo paragrapho ex plumbeis illis laminis ſupra deſcripto pauca quædam deprehendi, quæ congruere videntur cum topographia Dalmatica, atque inde in Hiſpanienſem translata. S. Heſychius martyrium quidem in *loco Illipulitano* ſubiiſſe, conditus vero in *Cavernis Montis Sacri* eſſe dicitur. Ptolemæus duas in Hiſpania Bætica urbes conſtituit, quarum utrique *Illipulæ* nomen fuit; prior dicta Illipula major, quæ a Plinio lib. 2. cap. 4. Ilipa vocatur, ſita erat auctore Philippo Ferrario ad Bætim fluvium inter Cordubam & Hiſpalim, æquali ferme ſpatio ab urbe utraque disjuncta. Altera Illipula minor, quam Livius Ilipam vocat, oppidum fuit Tudertanorum Luſitaniæ finitimum. In eadem Hiſpania Bætica Ptolemæus conſtituit Illipulam montem, qui ab Illipula majore aliquot millia paſſuum in Meridiem abeſt; multo autem longius a minore Illipula diſtat. Haud equidem ſcio, an qui tabulas illas confecit, *locum Illipulitanum*, ubi Heſychius combuſtus eſt, diſtingui voluerit a monte ſacro, in cujus cavernis ejuſdem cineres reconditi eſſe dicuntur, cum cæteroquin idem videatur fuiſſe locus & martyrii & ſepulchri, aut certe alter ab altero non longe ſejunctus; neque ſatis cognoſci poteſt, utrum locus ille ab urbe, an a monte Illipula *Illipulitani* cognomen acceperit. Illud mihi pro certo affirmare poſſe videor, in utriuſque loci poſitione erratum eſſe; omninoque in hoc omnis eſt error, quod locus ille Illipulitanus, & Mons Sacer eidem proximus, ſive ab urbe, ſive a monte Illipula cognominatus fuerit, longe abeſt ab Illiberi Hiſpaniæ Bæticæ urbe ampliſſima, quæ nunc haud ita procul a civitate Granatenſi vicus eſt infrequens ſane & ignobilis, *Elvire* vulgo dictus. Verum ſi quid valet auctoritas Chronici Dextrini, Heſychius pro Chriſto mortem oppetiit, & ſepultura affectus eſt aut Illiberi, aut prope ab hac urbe, quo nimirum Concilii cujuſdam cauſa cum aliis Epiſcopis convenerat; id enim ſcriptum reperio in Chronico Dextri ad an. Chriſti LVII. *Horum S. Jacobi diſcipulorum nonnulli ſub Aloto Neronis judice dum ad Concilium Illiberi conveniunt, flammis exuſti, ſpoliati ſuis, ſuorumque bonis omnibus, generoſe morientes, pro Chriſti fide coronati ſunt.* Nec locum martyrii ab loco ſepulchri diſtinguendum eſſe cenſet Rodericus Carus in ſuis ad Chronicum Dextri animadverſionibus: *Sacri Cineres*, inquit, *oſſaque ſeminuſtulata in ipſis martyriorum cavis fornacibus ac uſtrinis a Patricio Sacerdote contecta, cum plumbi tabulis litteratis, quæ eorum nomina martyriumque continent, ſumma Numinis providentia reperta ſunt.* Ex quo fieret, ut locus Illipulitanus, & mons Sacer ab Illiberi non procul abfuerint. At vero Illipula minor in confiniis Luſitaniæ ſita, itemque Illipula major ad Bætim fluvium inter Cordubam & Hiſpalim conſtituta, haud parvo interjecto terrarum ſpatio diſtant ab Illiberi, quæ a Luſitania quidem longiſſime, a Bæti autem flumine haud modico intervallo in Orientem ac Meridiem recedit; nec multo brevior locorum tractus interpoſitus Illiberim montemque Illipulam diſterminat, qui in tabulis Ptolemæi ab Illiberi in Occaſum, ab Illipula majore in Meridiem longe disjungitur. Cum igitur neque civitas, neque mons Illipula ſint loca propinqua urbi Illiberitanæ, poſitio loci Illipulitani & montis ſacri, qui martyrio & ſepulchro S. Heſychii in illis tabulis plumbeis adſcribitur, non cohæret cum Flaviano Chronico, quod ſepulchrum ejus & martyrium apud Illiberim conſtituit; niſi forte comminiſci placeat alium locum Illipulitanum Illiberi proximum, ab urbe & monte Illipula diſtinctum, cujus ne veſtigium quidem apud veteres Geographos reperies. Quare cum propter diſcrepantiam tabularum & Flaviani Chronici merito dubitari poſſit, an mons ille ſacer, locuſque Illipulitanus attribuendus ſit martyrio & ſepulchro Heſychii Hiſpanienſis, ingenue fateor, & paucis expono, quod mihi venit in mentem ſuſpicari.

Invenio apud antiquos Scriptores Salonam olim appellatam fuiſſe Hylleida, Hyllenida, Hyllim, ab Hyllo Herculis filio, qui oram maritimam ab Titio flumine ad Rhizonicum uſque Sinum porrectam obtinuit, unde & regio *Hyllis*, & populi Hyllini appellati; a quibus Illyrii, & Illyricorum nomen originem traxit, quemadmodum fuſe accurateque deſcribemus in lib. 2. de Pelaſgorum ætate, & aliqua diximus par. 1. Prolegom. Quæ ſi vera ſunt, Salona eadem eſt atque *Hyllipolis*, ideſt *civitas Hylli*. Niſi me conjectura fallit, qui tabulis Illipulitanis conficiendis præerant, nacti cum eſſent pervetuſtos codices olim e Dalmatia in Hiſpaniam tranſvectos, & in aliquo ex illis ſcriptum reperiſſent Heſychium Epiſcopum martyrio affectum eſſe in loco, ſive agro, cui ab urbe proxima Hyllipoli antiquitus dicta Hyllipolitani nomen obvenerat, hujus vocabuli cum Illipula urbe & monte Hiſpanienſi affinitate decepti ſunt, ſeu verius & ipſi decipi, & alios decipere voluerunt. Itaque *Hyllipolitanum* Dalmatiæ locum haud abſimilem vetuſto vocabulo Hiſpani oppidi & montis dicti *Illipulitani*, in Hiſpaniam traduxerunt; & ne quis de fraude ac dolo ſuſpicari poſſet, aſpiratione amota, & priori atque intermedia littera immutata ex *Hyllipolitano Illipulitanum fecere*, aptius & congruentius ad Illipulam Hiſpanienſem, ex qua id nomen derivatum videri volebant. Quod ſi localis vocabuli translatio facta eſt, haud dubitandum cenſeo, quin & martyrium Heſychii Salonitani translatum ſit afflictumque Heſychio Epiſcopo Carteſano; præſertim cum de hujus martyrio Veteres Martyrologi nuſquam meminerint; & tum primum fortaſſis Heſychius iſte in martyrum numero haberi colique cœpit, cum Chronica illa & laminæ commentitiæ in lucem prodierunt; id quod etiam de martyrio Cæcilii Illiberitani Epiſcopi, qui cum Heſychio cumbuſtus eſſe dicitur, Joannes Bollandus haud temere ſuſpicabatur. Hæc ſi tam vera eſſent, quam ſunt veriſimilia, non de martyrio ſolum, ſed de genere etiam martyrii conſtaret, quo Heſychius noſter Salonitanus perfunctus eſt. Quid ſi codices illi Salonitani, quos in Hiſpaniam tranſvectos diximus, veteri vocabulo inſcripti fuiſſent Hyllipolitani? vix mihi dubium eſſet, quin etiam titulum inde mutuati fuerint, quem ſuis tabulis præfigerent, eaſque fortaſſe propterea *Illipulitanas* appellarunt; credibile vero eſt res alias permultas ad hiſtoriam Dalmatiæ pertinentes indidem furripuiſſe, quas in Arabicum ſermonem converſas, & cum rebus Hiſpanienſibus permixtas in laminas illas plumbeas retulerunt.

Nihilo leviore conjectura ducor ad ſuſpicandum de monte ſacro, in cujus cavernis S. Heſychii cineres depoſiti eſſe dicuntur. Nullum mihi in tota Geographia Hiſpanienſi Montem reperiri licuit, cui *Sacro* ſit cognomen, præter unum in Hiſpania Tarraconenſi inter Auriam & Compoſtellam, quem

Juſti-

Duæ in Hiſpania Illipulæ.

Diſcrepantia tabularum, & Chronici Dextriani.

Salona olim Hylleida & Hyllis dicta.

Ex Hyllipoli in Illipulam, & Hyllipolitano in Illipulitanum commutatio fieri facile potuit;

& martyrium Heſychii Salonitani ad Heſychium Carteſanum Epiſc. transferri.

Utraque civitas Illipula longe abeſt ab Illiberi,

itemque mons Illipula.

Monasteria in Dalmatia sive cognominati Sacer potuit,

Item alter prope a Spalato olim dictus Kyrie eleison;

Hadriani sævitia, & odium in Christianos.

Unde inventio reliquiarum Hesychii Salon. ad Hesychii Hispanensis

Justinus in Lusitania locat. Is autem longissimo abest ab urbe Illiberitana vel Ilipulitana, prope quam conditus est Hesychius; neque ullus ibidem mons designari potest, quem Scriptores antiqui, ante luminas illas repertus, *Sacrum* appellaverint. At vero in Dalmatia Massarum mons est, a urbe Salona passuum millia fere octo disjunctus, quem rite Sacrum dixeris, propterea quod martyrum corpora illuc inferri, & ibidem sepulturæ Christiano ritu mandari solebant. In Massari radicibus S. Domnium, ejusque socios ac præcursores sepultos fuisse divinus. Exeo locus ille venerationi apud indigenas esse cœpit, & sacri cognomento ab antiquis affici; ejusque religio ac sanctitas etiam nunc viget, nec miracula deesse ferunt, quibus Deum excitet identidem mortalium animos, ut hujus loci tot sanctissimorum martyrum exuviis inclyto debitum honorem cultumque impertiant. Alter prope Salonæ propior mons visitur, quem Auctor Historiæ Salonitanæ cap. 18, ducto ab re sacra vocabulo *Kyrie eleison* appellat; illuc olim statis quibusdam anni diebus publicæ supplicationes indici, & ingenti civium frequentia ac pietate fieri solebant; nec vero aliunde is locus, nisi sepulchris martyrum ibidem conditorum, celebritatis ac religionis causam accepisse videtur. Habes igitur in Dalmatia montem sacrum, martyrum sepulchris insignem, in quo Hesychius uterque Salonitanus pro more illorum temporum conditus fuit. Hinc forsitan & sacri montis appellatio in Hispaniam Baticam agrumque Ilipulitanum traducta, & Hesychii nostri sepulchrum Hesychio Hispaniensi attributum fuit. Quidsi etiam inventio reliquiarum hujus Hesychii Hispani conficta fuerit ad similitudinem cujusdam antiquæ inventionis, quæ olim apud Dalmatas facta sit, atque in tabulas Salonitanas relata, primi & alterius Hesychii Salonensium Antistitum, qui cum diu ignoti neglectique jacuissent, reperti sint, eductique ex antiquo sepulchro, & Salonam transvecti cum essent, conditique honoratiori loco, qua dignum, religione & frequentia civium coli cœperint? Sed hujus inventionis apud Salonitanos & Spalatenses nulla extat memoria. Hæc ferme in illis tabulis Chronicisque omnium eruditorum consensu apogryphis & commentitiis reperi, quæ mihi videntur pertinere posse ad alterutrum Hesychium Salonitanum, abeoque desumpta esse, translataque in Hesychium Hispaniensem. Sed cum hæc a me non certis monumentis & rationibus, sed suspicionibus tantummodo & conjecturis coarguantur, nihil pro certo affirmare ausim; recte an secus conjecerim, aliorum sit judicium, si quo libentius, quam meo stare velim.

§. II.

Ætas utriusque Hesychii Salonitani Episcopi, partim ex Historia universali illorum temporum, partim e monumentis Salonitanis.

HEsychius I. Symphoriano in regimen ecclesiæ Salonitanæ subrogatus an. 125. initia habuit Pontificatus multis periculis, magnisque curis & laboribus exercita. Inciderat quippe in ea tempora, cum Ælius Hadrianus Romanorum Imperator nefariis ritibus, impurissimæque superstitioni ad insaniam usque deditus, nomen ac genus Christianum acerbissime divexabat. Cui enim *sævitia*, teste Spartiano, *ingenita* esset, quique *multas cades* fecisse apud Dionem Cassium memoratur; is profecto insitam vel potius innatam crudelitatem nusquam libentius, quam in Christianos exprome-

Hesychii pro suo custodi labor. pastoralis.

rec, a quorum religione tanto vehementius abhorrebat, quanto studiosius illorum Deorum sacrificiis nefandisque cæremoniis operam dabat; nam *Sacra Romana diligentissime curavit*, ut idem Spartianus auctor est, *peregrina sonempsit, & Pontificis Maximi officium peregit*. Suum adversus Christianos odium vel maxime declaravit, cum Hierosolymam ab se captam everlamque instaurare aggressus, ut memoriam omnem aboleret sanctorum locorum, quæ Christi Domini morte ac sepulchro consecrata rum essent, summam apud Christianos venerationem habere cognoverat, in iisdem per summam impietatem idolorum simulachra constituti jussit; id quod testantur Paulinus epistola 31. ad Severum, Hieronymus epist. 17. ad Paullinum, Severus Sulpitius lib. 2. Hist. Sac. aliique passim Scriptores ecclesiastici. Hinc sua Martyrologia antiquis fidei & auctoritatis constat, in quibus complures Christianorum sub Hadriano religionis causa severo supplicio affecti leguntur.

Nec vero, quæ ubique sæviebat Hadriani persecutio, ecclesiæ Dalmaticæ pepercit; quin eo ipso anno, quo Hesychius Episcopatum suscepit, tanta gravius tempestas hæc in Dalmatiam videtur incubuisse, quanto propius per id tempus ab hac religione abesset Hadrianus, qui anno illo 125. juxta Baronium, cum Athenis hyemem exigeret, omnibus Græcorum sacris, ut refert Hieronymus in Catal. Script. simul ubi de Quadrato, initiari voluit, ac præsertim Eleusiniis, teste Spartiano, quibus nihil turpius, nihil obscenius, nihil flagitiosius. His imbutus superstitionibus, ceu nova quadam rabie contactus, in Christianos desævire vehementius cœpit, ac primo impetu ultimi furoremque conceptum in Athenienses effudit, quibus abfuit Publius in sanctissimum ejus urbis Episcopum per summos cruciatus interfectum, totamque illam ecclesiam vel cædibus vastavit, vel ingenti terrore percussam dispersit; ut exilis intelligi possit, quæ D. Hieronymus de Script. Eccl. scripsit de Quadrato, qui Publio in Episcopatum successit: *Hic enim Apostolorum discipulus, Publio Athenarum Episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur, & ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregavit.* Nec dubitari potest, quin Provinciarum Præfectis Principis instinctu atque exemplo concitatis, persecutio adversus Christianos cum ubique, tum vero in finitimis regionibus, ideft Dalmatia, torsoque Illyrico acerbius recruduerit. Hinc existimari velim, quam multos & assiduos labores Hesychius susceperit, quot incommoda subierit, quibus se se objecerit periculis, ut oves sibi commissas, circumquaque grassantibus lupis in maximo versantes discrimine, tanquam bonus Pastor omni ope atque cura tueretur. Ille jacentes erexit, labantes confirmavit, carceribus inclusos invisit, capite damnatos ad martyrium pie ac fortiter subeundum accendit; & oppida vicosque lustrando totam iterum ac sæpius circumcursavit provinciam, nemini ut deesset in ea rerum ac temporum acerbitate, nullumque ergo omnes & singulos boni pastoris officium prætermitteret. Triennium fere per hosce labores absumpserat, nullum periculum vitæque discrimen sibi devitandum ratus, ut suorum æternæ saluti, beatæque immortalitati consuleret, cum Imperatoris in Christianos odio paullulum defervescente, spes aliqua tranquillitatis affulsit. Nam Hadrianus & litteris admonitus Serenii Granianii Asiæ Proconsulis de iniqua Christianorum vexatione expostulantis, & duabus orationibus permotus, quas pro religione scripserunt Quadratus Epi-

scopus

ſcopus Athenienſis, & Ariſtides Philoſophus, anno 128. ad Minutium Fundanum in Aſiæ Proconſulatu Serenii ſucceſſorem, cæteroſque Provinciarum Præfectos litteras dedit, quibus jubebat ab Chriſtianorum cædibus abſtineri, & vetabat quemquam ob eam ſolam cauſam in judicium vocari, quod Chriſtianam religionem coleret. Sunt qui utramque Apologiam, & Hadriani ad Minutium litteras ad ſuperiores annos referant.

Cum igitur poſt atram illam ac turbidam tempeſtatem, quæ ſub Trajano concitata annos fere triginta tenuit, reliquæ Chriſtianæ ingentes attulit calamitates, eccleſia Dalmatica ab clade & metu reſpirare cœpiſſet, Heſychius auctor fuit Salonitanis, ut corpus S. Domnii ad radices montis Maſſari ante annos viginti conditum in urbem transferrent. Id quippe docent tabulæ Salonitanæ, ſive Acta S. Domnii, in quibus ſcriptum eſt: *Non poſt pauços deinde annos ceſſante perſecutione martyris corpus intra urbem ad eccleſiam B. Mariæ, quam poſitam ibidem a Fidelibus diximus, translatum eſt.* Itaque anno duodetrigeſimo, vel undetrigeſimo ſecundi ſæculi, ut in Actis S. Domnii ſcripſimus, ejuſdem ſacratiſſimi corporis ex agro in urbem translatio facta eſt ſumma populi frequentia & gratulatione, quantiſque maximis potuit ſtudiis, quoad ſinebant tempora illa nondum ſatis religioni propitia; illatumque eſt in eadem Virginis Deiparæ, & pie honorificeque depoſitum ſubtus altare, ex majorum præſcripto, quo ſancitum erat, ut martyrum ſepulchris ara incumberet, in qua res divina fieri ſolebat. Porro cum hæc translatio inciderit in Pontificatum Heſychii, illam jure meritoque inter hujus Epiſcopi res præclare & laudabiliter geſtas annumerandam eſſe duximus.

Translatio S. Domnii in urbem, ac templi S. Mariæ.

Cæterum reſcriptum illud, quod Hadrianus ſecundum Chriſtianos fecerat, Ethnicorum iram furoremque paullulum quidem compreſſit, haud tamen omnino reſtinxit; nam magiſtratus populique ab inſito adverſus Chriſtianos odio in omnem eos inſectandi opprimendique occaſionem inquirebant, & jus illos perſequendi Imperatoris edicto ademptum identidem ſibi arrogabant. Id adeo cognoſci licet ex Martyrologiis, in quibus haud paucos poſt reſcriptum Hadriani pro Chriſto interfectos invenies. Quare Heſychio, quoad vixit, nihil de priſtinis laboribus, vigiliis, contentionibus pro cuſtodia ſui gregis ac defenſione ſuſceptis remittendum fuit, quibus immortuus cum eſſet, ad beatam & immortalem vitam migravit, dignuſque habitus fuit, cujus nomen in Diptychis eccleſiæ Salonitanæ inſcriberetur. Quo anno, quove lethi genere obierit, litteris aut memoriæ proditum nuſquam invenio: adeo nec tempus, nec ratio mortis in viro tam claro, & inſigni conſtat; niſi forte martyrium, quod Hiſpanienſes Chronologi ſuo attribuunt, ad noſtrum Heſychium pertineat.

Heſychius I. Salon. Ep. moritur,

mortis tempus ac genus ignotum.

Alterius Heſychii Pontificatum nihilo ſegnius exercuit tum Magiſtratuum improbitas, & odium populare adverſus Chriſtianos, tum cura & ſollicitudo concrediti gregis tuendi numquam intermiſſa. Florebant per ea tempora duo infenſiſſimi Chriſtianorum hoſtes Lucianus & Celſus, ex impura Epicureorum ſchola, quorum ſcriptis nihil adverſus Chriſtianos malitioſius, nihil virulentius, nihil acrius ad plebis invidiam contra nos inflammandam. Huc adde perpetuum illud & univerſale edictum, quod nomine & auctoritate Hadriani compoſuit anno 134. vel ut alii volunt 132. Salvius Julianus, toto Romano orbe promulgari juſſum; cujus caput erat, omnes provincias ac civitates ad normam legum & conſuetudinum urbis Romanæ conformari oportere: hinc arrepta occaſio, Chriſtianos in judicium vocandi, eoſque damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mulctandi, quod nullo prorſus modo adduci poſſent, ut pleriſque earum legum & conſuetudinum obtemperarent, quæ divinis præceptis atque inſtitutis adverſabantur. Ad hæc Hadrianus ipſe, qui haud multis ante annis Chriſtianorum fortunis & incolumitati ſuo reſcripto caverat, odium in eos intimis ſenſibus conceptum diſſimulare non poterat; nam anno 137. Hieroſolyma capta, ut ſacrorum locorum, qui a Chriſtianis ſumma religione colebantur, memoriam omnem aboleret, in illis inanium Deorum ſigna collocari juſſit; & anno inſequenti Romæ cum eſſet, flammis addixit Getulium cum Amantio Tribuno ejus fratre, & Cerealem urbis Vicarium, quod thus Idolis adhibere nollent; itemque Symphoroſa Tiburtina Getulii uxor, ſeptemque ejus filii poſt acerbiſſimas quæſtiones, ejuſdem juſſu, variis ſuppliciis necati, eorumque corpora in foveam miræ altitudinis projecta; unde huic loco factum eſt nomen: *Ad ſeptem biothanatos*; hoc ſiquidem vocabulo Chriſtianos tamquam morti violentæ deſtinatos Ethnici ignominiæ cauſa appellabant. Hæc eo pertinent, ut intelligi queat nihil uſpiam Chriſtianis Hadriano imperante pacatum fuiſſe, nihil tutum ab inimicis, nihil vacuum mortis periculo atque inſidiis. Ex quo facile perſpici poteſt, quam multis & aſſiduis curis ac laboribus, quemadmodum cæteri aliarum urbium Epiſcopi, ſic etiam Heſychius noſter exercitus agitatuſque fuerit, ut in ea rerum ac temporum acerbitate boni Epiſcopi officio fungeretur: nec vero abſimile eſt ipſi quoque illud, quod aliis quamplurimis divinitus datum eſt atque conceſſum, ut vitam laudatiſſime, & ſanctiſſime actam glorioſa pro Chriſto morte concluderet. Nam quod de Cajano & Symphoriano diximus, vix fieri potuit, ut qui pro ſuorum ſalute, tot ſe tamque apertis vitæ periculis committeret, paratus quotidie animam ſuam dare pro ovibus ſuis, ex inſidiis manibuſque hoſtium evaderet; quorum eo potiſſimum ſpectabant conſilia & conatus, ut Rectores eccleſiarum de medio tollerent, quibus ſublatis, plebs Chriſtiana ſuis ducibus deſtituta, facilius disjici ac diſſipari poſſet. Sed fateor, me nihil omnino de martyrio Heſychii habere, quod liqueat. Illud pro certo affirmare mihi poſſe videor, ejus ex hac vita diſceſſum contigiſſe anno Chriſti 140. quo quidem anno Hadrianus etiam imperandi pariter ac vivendi finem fecit, niſi ad annum proximum vel ſuperiorem Hadriani obitum cum aliis retrahere placeat. Nam Romanus Salonenſium Antiſtitum Catalogus, quem ſæpius laudavi, Heſychium hoc eodem anno vita & Pontificatu abiiſſe teſtatur. Cum autem in aliquibus Catalogis unus tantummodo commemoretur Heſychius, qui per ea tempora eccleſiæ Salonitanæ præfuerit, hos ſi libeat ſequi, quæ rerum ac temporum Acta in duos a nobis diſtributa ſunt, uni omnia attribuas oportet, hujuſque Pontificatum quindecim annorum ſpatio definias, ab anno ſcilicet 125. quo Symphorianus diem ſuum obiit, ad annum 140. unde Venantii Epiſcopi ducuntur initia, productum.

Sub Hadriano nihil Chriſtianis tutum,

ne in Dalmatia quidem.

Heſychius II. Sal. Ep. & fortaſſe Martyr

ad Superos migravit an. 140.

§. III.

De reliquiis & cultu utriuſque Heſychii Salonitani.

DE ſepulchro utriuſque Heſychii nihil aut litteris proditum eſt, aut fama & auditione a majoribus acceptum ad poſteriorum notitiam pervenit.

Digitized by Google

nit. Si religionis causa, ut verisimile est, mortem subierint, facile est suspicari illos cum B. Domnio cæterisque Salonitanis martyribus conditos fuisse sub radicibus montis Massari, quem locum Christiani martyrum sepulturæ destinaverant. Inde fortassis post pacem ecclesiæ redditam eorum exuviæ Salonam vel alio delatæ cum essent, par est credere debitum illis honorem cultumque impertitum fuisse; an vero easdem cum aliis ex Dalmatia Istriaque collectis martyrum corporibus Romam transtulerit Martinus Abbas, haud sane constat. Si quod de martyrio Hesychii Hispanensis igne combusti tradunt, id vere attribui possit Hesychio nostro vel utrique, vel alterutri, cum ignis edacitas de illius corpore nihil reliqui fecerit, præter cineres, & ossa semiustulata, nisi antea unum in locum collecta fuerint, in iis legendis congregandisque haud sane immorandi spatium Martino fuisse arbitror, qui raptim festinanterque ob metum Barbarorum, undecumque poterat, corpora martyrum collegit. Nunc certe utriusque Hesychii exuviæ, vel sacrarum ædium ruinis obductæ latent, vel cum aliis Divorum ipsanis ita permixtæ sunt, ut dignosci ac secerni nequeant.

Utriusque Hesychii sepulchrum ignotum.

De illorum reliquiis nihil constat.

Vix autem dubitare ausim, quin nomen utriusque Hesychii in fastos ecclesiæ Salonitanæ relatum fuerit; & suus cuique dies anniversarius decretus, quo illis solemnes & sacri honores ex instituto rituque ecclesiastico persolverentur. Sed Salonitanæ urbis interitus, longinquitas temporum, oblivio posteritatis omnem hujus cultus ac diei memoriam abolevit. Nunc æque primus atque alter Hesychius vel ipsis Dalmatis ignoti sunt, nulloque usquam honore afficiuntur: nisi forte III. Idus Aprilis aut Romæ in Basilica Lateranensi, aut Spalati in æde Cathedrali cum B. Domnio aliisque Dalmaticis Divis, ejus diei officio ac liturgia promiscue & communiter colantur.

Utriusque cultus olim apud Salonitanos viguit; nunc obsoletus.

Joannes Tamajus Salazar in Martyrologio Hispanensi ad diem primam Martii Hesychium Cartesæ Episcopum adscripsit; eoque die in urbe & ecclesia Granatensi, apud quam martyrio perfunctus fuisse dicitur, ejusdem memoria officio rituque solemni celebratur, ut in Kalendario illius ecclesiæ Matriti excuso hisce verbis ad Kalendas Martias perscriptum invenio: *Hisci Episcopi, & discipulorum ejus Mart. dupl. 2. class.* Nemo ex antiquis Martyrologis, quem ego quidem viderim, ullum huic diei Hesychium aut Hiscum sive Episcopum, sive martyrem subjecit. An vero quemadmodum nonnulla, quæ in Hesychium nostrum satis apte conveniunt, translata esse videntur ad Hesychium Hispanensem, sic etiam dies festus Hesychii Salonitani nomine ac martyrio insignis, e tabulis Salonitanis nunc deperditis in fastos Divorum Hispaniensium immigraverit, aliorum sit judicium; neque enim vacat conjecturalibus hisce disquisitionibus diutius immorari. Hagiologi Antuerpienses multos Hesychios aut martyrii titulo, aut vitæ sanctimonia inclytos in unum collectos exhibent in Indice Sanctorum, qui ad sex priores anni menses pertinent. In uno alterove eorum an forte lateant duo nostri Hesychii, si per tempus liceret, in disquisitionem vocari posset. Hos huc transferre volui eodem ordine descriptos, quo recensentur in Indice Bollandiano ad tomum VII. Junii adjecto.

St. Hesychii ex indice Bollandiano.

Hesychius Episcopus in Hispania 15. Maii. Hunc inter septem primos Hispaniæ Episcopos cum annumerent Ado, Beda, Usuardus, nemo Hispanis nisi per injuriam ademerit.

Ischius Epis. M. in Hispania 1. Martii, de quo, ut supra prænonui, nullam mihi esse volo cum Hispanis controversiam: Suum esse glorientur, per me licet; nec sane diversum ab eo, quem laudati Martyrologi, cum sex aliis Hispaniæ Episcopis commemorant, omniumque nomina Idib. Majis consignant.

Hesychius Miles M. Dorostori in Mysia 15. Junii. Neque locus martyrii, neque vita militaris congruit cum Hesychio nostro Salonitano.

Hesychius Presb. Hierosol. 28. Martii. Eximia doctrina & sanctitate floruit inito jam sæculo quinto sub Theodosio Imperatore. Et loco & tempore & gradu Presbyterali longe abest ab utroque Hesychio Salonitano.

Isichius Ep. Viennæ in Gallia 16. Martii. E Senatore Lugdunensi Episcopus Viennensis, imperante Zenone, vixit intra finem quinti sæculi. Fuit pater S. Aviti, qui eidem in Episcopatum successit. Nihil illi, præter nomen & Episcopatum, cum nostris Hesychiis commune est.

Isichius M. Antiochiæ 30. Maji: Item, *Isichius M. Antiochiæ 31. Maji*. Uterque memoratur in Martyr. Hieronymiano, primus cum Palatino, alter cum Paullino sociis martyribus. In aliquibus apographis pro *Isichio Sicus* legitur. Hos ab Hesychio utroque Salonitano locus martyrii disjungit.

Isicius in Novempopulonia 1. Maji. Bogorræ cum Justino vel Justo hujus urbis Episcopo, & cum Magno, & Phoco Kalendis Majis colitur. Satis apparet ab Hesychio nostro longe diversum esse.

Isicius M. in Africa 3. Martii. Item *Isichius M. in Africa 9. Martii.* Hos in Martyrologio D. Hieronymi cum aliis plurimis martyribus Africanis descriptos invenio; nisi quod in aliquibus apographis *Sicus* aut *Isicus* in locum *Isicii* subrogatus est, Cum in Dalmatia quoque insula fuerit sive regio *Africa* dicta, ut in Actis S. Domnii docuimus, & alias sæpe accuratius declarabimus, suspicio esse potest alterutrum vel utrumque e duobus hisce Isicijs ad Dalmatiam pertinere, nec fortassis ab nostro Hesychio vel utroque vel alterutro distingui.

Isicus M. Carthagine 11. Martii. Huic Martyrologium Hieronymianum martyrii socios adjungit, qui in apographis aliquibus *Alexandriæ* religionis causa interfecti dicuntur. Nec vero sua Dalmatiæ *Alexandria* defuit, ut ex ejusdem Lexico Geographico intelligi licet, ad quam utrum referendi sint hi martyres, una cum *Isicho*, dubitari posset.

His alii quoque ejusdem nominis Divi seu martyres sive Episcopi possunt adjungi ex Martyrologio Romano; videlicet *Hesychius martyr in Macedonia sub Trajano cum Peregrino 7. Julii; Hesychius martyr cum Diomede & aliis sociis 2. Septemb. Hesychius Confessor in Palæstina 3. Octob. Hesychius martyr cum Hierone & Nicandro aliisque triginta Melitine in Armenia sub Diocletiano 7. Novembr. Hesychius Episcopus Ægyptius Mart. Alexandriæ cum Fausto & aliis quamplurimis sub Maximino 26. Novembris*: quos fere omnes locorum ac temporum notæ ab utroque Hesychio Salonitano satis pespicue distinguunt.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA,

SYmphoriano in Episcopatum Salonensem vel unus, vel duo ejusdem nominis, Hesychii, alter post alterum successerunt; quo quidem tempore cum universalem, tum Dalmaticam ecclesiam acerbissime divexabat Hadrianus Imperator, qui Athenis cum esset, Publium sanctissimum Athenensium Antistitem de medio sustulit. Anno Christi. 125.

Hadrianus Serenii Graniani Proconsulis Asiæ litteris, itemque duplici pro Christianis Apologia 128

Qua-

Anno Christi Quadrati Episcopi Atheniensis, & Aristidis Philosophi placatus, edicto vetuit quempiam ob eam causam in judicium vocari, quod Christianam religionem coleret.

129 Cum ecclesia Salonitana aliquantulum quietis nacta esset, Hesychius Episcopus ex agro in urbem transtulit corpus S. Domnii, atque in æde S. Mariæ perhonorifice collocavit.

131 Hadrianus Romę templum Veneri ædificari jussit. Res Christiana vel magistratuum crudelitate, vel odio populari vehementer afflicta.

134 Hadrianus edictum Salviani perpetuum promulgari jussit, unde occasio capta in Christianos saviendi. Hisce temporibus configari potest mors vel martyrium Hesychii primi; cui sublectus est alter ejusdem nominis Episcopus. Anno Christi

Hadrianus captam ac dirutam Hierosolymam reędificari jussit, & loca sacra nefariis superstitionibus polluit. Exinde iterum Christianis infestus esse cępit. Romam reversus Christianos exagitat, ex iis aliquos ob religionem, ejus jussu, interemptos ferunt. 137

Hesychius II. Salonitanus Antistes ad superos migravit. Hoc eodem anno vel ante biennium Hadrianus VI. Id. Jul. apud Bajas interiit. Huic in imperium M. Antonius Pius, illi in Cathedram Salonitanam S. Venantius successit. 140

S. VENANTIUS SEXTUS
SALONARUM EPISCOPUS.

PRÆFATIO.

Venantius sextus Salonitanus Episcopus variis appellatus.

De S. Venantio Salonitano Episcopo ac Martyre nihil in tabulis monumentisque ecclesiæ Dalmaticæ invenio præterquam nomen, idemque adeo nudum ab omni laude, inornatumque, ut ne Divi quidem, vel Martyris titulo decoretur, præterquam in Catalogo Romano Antistitum Salonensium, in quo huic item, ut cæteris priorum sæculorum Episcopis, sancti appellatio præfigitur. Ita quidquid pie ac laudabiliter gessit, vel delevit oblivio, vel confecit vetustas, vel hominum quorumdam cupiditas alienæ gloriæ invidens, suæ plus nimio indulgens surripuit, avelioque distraxit. Illud inter omnes convenire oportet eum Episcopali dignitate ac nomine præditum ecclesiæ Salonitanæ præfuisse; cujus quidem rei auctores habeo ac testes omnes, quotquot extant, Salonensium Antistitum Catalogos, quorum de auctoritate ac fide dubitare nefas fuerit. Nam cum multa, & varia eorum exemplaria apud nos existant, nullum est, quin Venantium Hesychio secundo, & Honophrio, sive Honorio primo interjectum exhibeat, eidemque sextum a B. Domnio locum attribuat; ex quo fit, ut ejus Pontificatus ad secundum ecclesiæ conditæ sæculum referri deboat. De nomine inter hujusmodi codices discrepat, nam alii *Venantium*, alii *Valentium* vocant; quod autem semel apud Ciacconium in vita S. Joannis Papæ IV. *Vincentius* pro Venantio substitutus est, id librariis, vel typographis attribuendum censeo, adversus quorum errata nulla satis est cauta diligentia.

Porro cogitanti mihi, unde potissimum ad egregii hujus Martyris vitam sanctissime actam, mortemque pro religione oppetitam illustrandam, ornandamque aliquid materiæ comparari posset, ut Venantius noster, qui jamdudum apud Dalmatas in silentio ac tenebris jacet, suis virtutibus ac rebus præclare gestis instructus prodiret in publicum, venit in mentem subvereri, ne forte fortuna ejus Acta, quæ nusquam in Dalmatia reperire licuit, in Hispaniam item, ut alia id genus monumenta, delata sint, & in eorum manus inciderint, quorum ad omnem antiquitatem depravandam ea videtur fuisse conspiratio, ut si quas veterum Divorum historias nancisci possent, nihil in eis sincerum, nihil incorruptum relinquerent. Ad id investigandum, ne quam diligentiam curamve prætermitterem, Hispanienses Hagiologos, & Chronologos, de quibus supra satis multa diximus, adeundos mihi putavi, & sedulo excutiendos atque scrutandos, num quid forte e Dalmaticis tabulis compilaverint, quod ad nostrum Venantium pertineret. Nec mea me fefellit suspicio. Obeunti mihi, rimantique omnia occurrunt Kalendæ Apriles Venantii nescio cujus Toletani Episcopi nomine ac Martyrio inscriptæ. Vel in ipso Venantii nomine aliqua fraudis suspicio suberat, præsertim cum hujusmodi suspicio in eos caderet, quos aliunde & sæpe malæ fidei convictos fuisse constaret; verum hoc, quidquid erat indicii, levius certe erat, quam ut manifesti furti coargui possent; tamen ut principia se dabant, magnam in spem veni posse me hujus compilationis, si qua forte esset, ipsa cubilia videre, modo his vestigiis insisterem, quæ se mihi prima obtulerant, & investigando longius progrederer. Itaque res Toletano illi Episcopo affictas & suppositas iterum ac sæpius perlegi, loca, tempora, personas, resque singulas cum inter se contuli, tum suis quæque momentis expendi. Ne multa: tam certa indicia & vestigia doli ac fallaciæ comperi, ut visus sim mihi fures hosce manifestarios non tam suspicione deprehendisse, quam ipsis propemodum manibus tenere. Judicium tamen omne, assensumque cohibui, & subdubitans ac mihi ipse diffidens, nihil prius decernendum putavi, quam super ea re aliorum sententias exquirerem. Ac primum adeundos consulendosque censui Nicolaum Antonium Hispalensem, & Josephum Cardinalem Aguirre, qui ad hujusmodi fraudes rapinasque detegendas clarissimum mihi lumen & alias sæpe præferent, & supra dictis prætulerunt. Et sane apud eos inveni, unde opinioni meæ auctoritatem adsciscerem; negant quippe ullum fuisse Toletanum Antistitem, qui Venantius fuerit appellatus. Deinde comperi in eadem sententia esse Henschenium, & Sollerium, qui pro fabulis habent, quidquid de Toletano Venantii Pontificatu scripsere Hispanienses Hagiographi. His adde Baronium, cui suffragantur Ciampinius, Schonlebius, Szentivanius. Horum omnium, quos citavi, testimonia suis deinceps locis, in medium proferam.

Ad Venantii Acta investiganda in Chronicis Hispaniens. Auctoris diligentia.

Primum igitur quidquid Hispani Hagiologi, sive Chronologi, Venantio illi commentitio Toletano Antistiti falso adscribunt, id omne ex illis totidem fere verbis descripsi; tum adjeci gravissimorum virorum testimonia, qui negant ullum fuisse inter Toletanos Episcopos, cui nomen esset Venantio, & quæ huic affinguntur, ad aliquem vel Istriæ, vel Dalmatiæ Episcopum pertinere affirmant; id quod deinde nos fusius & accuratius explica-

Consilium & ratio Acta Venantiana reperendi ab Hispanis Chronologis.

Digitized by Google

plicabimus, nostris in horum testimonia, & illorum commenta animadversionibus appositis. Donatum partim ex Hispanis scriptoribus, partim ex communi illorum temporum ecclesiastica historia colligimus, quæ ad Pontificatum, Vitam, Martyrium S. Venantii Episcopi Salonitani pertinent.

Pauca licuit nancisci de rebus gestis S. Venantii,

Hæc fere habeo, quæ de nostro Venantio investigare potui. Equidem non dubito, quin antiquus ille codex e Dalmatia in Hispaniam translatus, unde Hispani scriptores pauca quædam surripuere, quæ Venantio suo adnngerent, alia multa præterea continent, quæ de industria prætermiserint, quod non satis commode in rem suam detorquere possent. Illius codicis exemplar si quando ego nancisci potero, diu desiderari non patiar. Nunc quidem his contenti erimus, quæ habemus; hæc edemus, hæc evulgabimus. Clariora deinceps,

sed plura & clariora de cultu.

& uberiora tradentur, quæ ad Venantii cultum & venerationem spectant; quippe cum paullo diligentius vel memoriæ prodita, vel litteris custodita ad nostram ætatem, nostrasque manus pervenerint. Sed hic quoque accidit perincommode, quod hujus cultus initia, neque a primis temporibus, neque ab ipsis Dalmatis repetere liceat. Nam Salonitana clades, & quæ inde secuta est, superiorum temporum ac rerum oblivio prorsus omnia delevit, quæ huic loco præclaram uberemque materiam præbere potuissent. Quidquid igitur de cultu S. Venantii exploratum habemus, id constare incipit ex eo tempore, quo Joannes IV. Pontifex Maximus post Salonam excisam, venerandum hujus Episcopi & Martyris corpus ex Dalmatia in urbem transferendum curavit, eidemque prope Lateranensem Basilicam sacellum condidit ac dedicavit. Et nunc quidem Venantius nusquam fortasse alibi, quam Romæ colitur in eo, quod dixi, sacello; nam apud Dalmatas sanctissimi hujus viri memoria etiam, non solum cultus ac religio funditus interiit. Itaque translatio S. Venantii, & Lateranense sacellum ejus titulo inscriptum huic loco materiam præcipuam, eandemque variam ac multiplicem suppeditabit. De translatione & sacello S. Venantii scripsere veteres pariter, junioresque historici, sive Hagiologi, alii quidem prolixius, alii vero copiosius. Ex utrisque collegi ac descripsi quæcumque ad hunc locum pertinere videbantur. Nihil prætereundum fuit, quin describeretur; nam singulis inest aliquid singulare, cognituque dignum; & quod aliis deest, alii subjiciunt; neque ii Auctores ita sunt in promptu, ut facile adiri legique possint. His deinde nostras animadversiones subnectam, in plures paragraphos distributas, quæ quidem eo pertinent, ut quod ab illis vel ambigue, vel obscure, vel breviter dictum est, declarent, illustrent, amplificent, & suppleant, quod ab iisdem omissum est, & ubi rerum Dalmaticarum ignorantiam præseferat, errorem detegant & correctionem adhibeant. Reliqua vero, quæ ad Venantii cultum, ejusque sacras reliquias referuntur; in extremum locum rejicimus.

Commemoratio S. Venantii quibus in Martyrologiis facta sit,

Neque in Martyrologio Hieronymiano, neque apud Bedam, sive Florum S. Venantii commemorationem invenies; nam quod Baronius & Galesinius ajunt, Venantii mentionem fieri apud Bedam, id referri oportet ad quoddam apographum Usuardianum, vel Adonianum typis Plantinianis editum, quod Bedæ nomen falso inscriptum præfert, non vero ad genuinum ac legitimum Bedæ Martyrologium, quod superiori sæculo inventum, & tomo secundo Martii præfixum Hagiologi Antuerpienses in lucem protulerunt. Ado & Usuardus primi omnium videntur fuisse, qui eum in suo Martyrologia retulerunt, eumque Kalendis Aprilis utenque iisdem verbis subjecit: *Eodem die S. Venantii Episcopi, & Martyris.* Hinc Venantius totidem verbis in Romanum Martyrologium, & alia recentiora Martyrologia translatus est. Omnes Martyrologi Episcopi Martyrisque titulum eidem adscribunt. Sed cujus loci Episcopus fuerit, qua in urbe, quove Martyrii genere sit perfunctus, nemo litteris, nemo memoriæ prodidit.

CAPUT PRIMUM.

De Vita & Martyrio S. Venantii Antistitis Salonitani.

QUæ Hispanienses Chronologi & Hagiologi Venantio nescio cui, falso & commentitio Toletano Episcopo affinxerunt, ea referri oportere ad Venantium Antistitem Salonitanum idoneis auctoritatibus & rationibus adhibitis nunc ostendimus. Illud perincommode accidit, quod servati illi scriptores, cum plena fortassis atque integra Venantii nostri Acta adepti essent, admodum pauca indidem carpserint, atque delibaverint, quibus Venantium suum omnibus anteactis sæculis prorsus incognitum ornarent; seu quia paucis indigebant, qui non historiam, sed epitomem quamdam Chronologicam, vel breve elogium conficiendum susceperant; seu quia verebantur, stylo, ne si plura sumpsissent, fraus & compilatio deprehenderetur; cum vel pauca illa, quæ intervertere ad sequè transferre ausi sunt, unde sumpta fuerint, quove pertineant, per se ipsa satis declarent. Primum igitur, quæ de Venantio Toletano apud eos invenimus, in hunc locum transtulimus; deinde testimonia gravissimorum auctorum producimus, qui vel negant ea cum Venantio ullo Toleti Episcopo congruere posse, vel affirmant eadem in aliquem Istriæ vel Dalmatiæ Episcopum convenire; tum argumentis & rationibus contendimus, quidquid illi suo Venantio attribuerunt, id omne ad nostrum Venantium spectare, ex ejusque actis desumptum esse; ad extremum partim ex iis, quæ illi Toletano adscribunt, partim ex universali illius ætatis ecclesiastica historia summam quamdam & epitomen conficimus, in qua acta & martyrium Venantii Episcopi Salonitani, breviter atque ordine comprehenduntur.

§. I.

De Venantio Episcopo Toletano excerpta ex Hispanis scriptoribus.

JOannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispan. ad diem 1. April. *In Dalmatia illustris observat memoria Martyrium S. Venantii Episcopi Toletani; cujus corpus a Joanne Pontif. Maximo IV. in Oratorio sui nominis apud Baptisterium Constantini, in omnium maxima Lateranensi Romana ecclesia translatum asservatur.* Idem postea in notis conqueritur hujus Pontificis acta intercidisse, omniaque latere crassis occultata & circumfusa tenebris; in quibus ejusdem quoque Pontificatus Toletanus & Martyrium jaceret, nisi lucis aliquid Maximus & Julianus attulissent. *Tantæ caliginis involucrum reseravunt*, inquit, *Marcus Maximus, & Julianus Petrus, apud quos de Venantii Martyrio hoc scriptum invenio: Cum in Galliam Narbonensem negotiis instantibus, Pannoniasque lustraturus abiisset, apud Dalmatas Martyr effectus, æternam remu-*

De Venantio falso dicto Toletano Episcopo Tamayus,

Maximus & Julianus.

remunerationem promeruit. Hæc illi ad ſæculum ſeptimum referunt, & eccleſiæ Toletanæ annalibus interſerunt; ex quo colligitur Venantium illum D. Gregorio Magno æqualem fuiſſe.

Loayſa. Garcias Loayſa in Catalogo Antiſtitum Toletanorum poſt Adelphium collocat *Conantium*, ſeu *Tonantium*, qui idem ac Venantius eſſe dicitur; ſed ſubjicit a *S. Ildephonſo non enumerari inter Præſules Toletanos, forte quia parum præfuit.*

Morales. Ambroſius Morales lib. 12. Chronici Hiſpanici cap. 8. aſſerit *abſque Ildephonſo, non haberi mentionem Tonantii. Is autem in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 11. commemorat quidem Conantium nec ſine honorifico elogio, ſed illum eccleſiæ Palentinæ Epiſcopis annumerat, ut ſatis appareat eum a poſteris compulſum fuiſſe in Catalogum Antiſtitum Toletanorum.*

§. II.

Quæ Venantio Toletano ab Hiſpanis tribuuntur, neque in eum convenire, & alteri Venantio aut Iſtriæ aut Dalmatiæ Epiſcopo reſtitui oportere. Auctorum Teſtimonia.

Contra Toletanum Epiſcopatum Venantii teſtimonia Auctorum, Baronii, Cæſar Cardinalis Baronius in notis ad Martyr. Rom. ad diem 1. Aprilis: *Venantii Epiſcopi meminerunt Beda, etiam Uſuardus, Ado, & cæteri, licet nullus dicat, cujus fuerit civitatis Epiſcopus, vel quo tempore paſſus ſit. Corpus ejus aſſervatur Romæ in Oratorio, quod dicitur Venantii apud Baptiſterium Conſtantini una cum corporibus S. Domnionis Epiſcopi, & aliorum Sanctorum Martyrum, quorum omnium dies anniverſaria agitur hoc eodem menſe tertio Idus Aprilis. Cum autem ea omnia translata fuerint e Dalmatia & Iſtria a Joanne Papa IV., par eſt credere S. Venantium alicujus illarum provinciarum civitatis Epiſcopum fuiſſe. Extat ibidem in abſide, ſicut & cæterorum imago cujuſdam Venantii, muſivo opere compacta. Hæc in monumentis S. Eccleſiæ Lateranenſis.*

Nicolai Antonii, Nicolaus Antonius Hiſpalenſis tom. 1. Bibliothecæ Hiſpanicæ veteris lib. 5. cap. 5. §. 237. *Falſum eſt Conantium Epiſcopum, ſub quo, ut in ejus refertur vita, S. Fructuoſus aliquo tempore vixit, non Palentinum fuiſſe illum, cujus S. Ildephonſus meminit, Epiſcopum; ſed Agalienſem Toleti Abbatem, ex quo ad ejuſdem urbis ſedem aſcendit. Conantium fateor aliquem, alias Venantium, inter Adelphium, & Auraſium Toletanum Epiſcopum habet Loayſæ Catalogus, largeque Pſeudohiſtorici ficulnei hujus nomini favent Maximus ad annum 600. n. 1. Julianus in Chronico num. 322. Sed cum S. Ildephonſus diſertiſſimis verbis Auraſium poſt Adelphium referat cap. 1. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, huic eccleſiæ datum Epiſcopum fuiſſe, non eſt, cur ei fidem derogemus. Et cuinam alii credas Conantio tributum fuiſſe viri ſanctiſſimi elogium ab auctore vitæ S. Fructuoſi, quam Palentino Epiſcopo, quem elogio ſuo Ildephonſus commendavit?*

Joſephi Card. Aguirre, Joſeph Cardinalis Aguirre in Marg. ad vitam S. Fructuoſi cum notis Mabilionianis: *Sed & alius Benedictinus falſis Chronologis aures faciles adhibuit, videlicet Gabriel Bucellinus, qui in ſuo Martyrologio Benedictino ſic Venantium enuntiat: 1. Aprilis Venantii Archiepiſcopi Toletani in Dalmatia; dupliciter lapſus, quod ſcilicet totum Dalmatam; Dalmatam martyrio ſolum fecerit, Toletanum vero Pontificatu & origine: quodque ex Benedictina familia putet fuiſſe hominem, qui tribus pene ſæculis ante Benedictinorum parentis ortum extinctus fuerit.*

Henſchenii Godefridus Henſchenius in Actis Sanctorum tomo & die primo Aprilis eum locum, quem ſupra deſcripſimus ex Martyrologio Hiſpan. Joannis Tamayi, hac cenſura perſtrinxit: *Verum non eſt Oratorium, ſeu capella in eccleſia Lateranenſi, ſed eſt propria ejus eccleſia haud procul a Lateranenſi ſita. Deinde unde ſcitur ejus Epiſcopatus Toletanus, cum talis nominis Epiſcopus Toleti non memoretur extitiſſe? . . . . Tantæ caliginis involucrum, inquit Tamayus Salazar, referarunt Marcus Maximus, & Julianus Petrus; aut certe ſub eorum nomine poſteri affigentes illis nova Chronica, quæ omnem antiquitatem Hiſpanicam ſua caligine involverunt, ex Conantio ſeu Tonantio formando Venantium, quaſi vixiſſet tempore Sancti Gregorii M. Potius diceretur S. Venantius primis Chriſti ſæculis floruiſſe cum S. Domnio ſeu Domnione, qui traditur a S. Petro Apoſtolo in Dalmatiam miſſus, & Epiſcopus Salonitanus creatus, uti pluribus dicetur* 11. *Aprilis.*

Joannis Baptiſtæ Solletii, Joannes Baptiſta Sollerius in Annotatis ad Uſuardi Martyrologium ad diem primam Aprilis: *Venantius pure Adonianus eſt, Epiſcopi & Martyris titulo honoratus; cum interim numquam explicetur, inquit Henſchenius, cujus ſedis fuerit Epiſcopus, quo perfunctus Martyrio, num ei immortuus, an ſuperſtes; ut propterea etiam Confeſſor dicatur, ut patebit in Auctariis. Uſuardus & Notkerus nihil aliud indagantes ſatis habuerunt Adonis verba tranſcribere. Utrum ex Iſtria vel Dalmatia Venantii hujus corpus translatum fuerit, examinat Henſchenius; ſed Epiſcopatum Toletanum inter fictorum Chronicorum fabulas merito computat.*

Ludovici Schönlebii. Ludovicus Schonlebius Annalium Carnioliæ pag. 347. ad annum 640. *Inter cæteras Sanctorum reliquias, quas Joannes Papa IV. Romam transferri curavit, fuiſſe memorantur S. Venantii Epiſcopi & Martyris, & S. Domnionis Epiſcopi & Confeſſoris, quos Dalmatiæ Epiſcopos fuiſſe ſupponit Baronius.*

Joannis Ciampini. Joannes Ciampinus de Veteribus Monum. par. 2. cap. 15. *Cenſet Baronius in notis ad Martyrologium ad diem 1. Aprilis Venantium provinciæ Dalmatiæ, ſeu Iſtriæ fuiſſe Epiſcopum; Baronii autem ſententiam libenter amplector.*

Martini Szentivanii. Martinus Szentivanius l. 1. parte prima Dec. 3. pag. 153. in catalogo Sanctorum Regni Hungariæ: *1. Aprilis S. Venantius Martyr Dalmata: cujus reliquiæ Romam magna cum ſolemnitate translatæ ſunt.*

§. III.

Animadverſiones in proximum & ſuperiorem paragraphum.

QUæ pro Epiſcopatu Toletano S. Venantii, vel contra illum ſcripſere auctores ſupra laudati, ea nunc paullo copioſius, ac dilucidius explicari oportet; & iiſdem auctoritatibus, quibus Toletanus convellitur, aliiſque argumentis Salonitanum ejuſdem Pontificatum confirmari. Ac primum quidem qui Venantium Toletanis Epiſcopis annumerant, cum ex antiquis eorum Antiſtitum Catalogis neminem proferre poſſint, cui Venantio nomen fuerit, alterutrum fateantur neceſſe eſt, vel a ſe confictum, vel aliunde ſurreptum eſſe hunc Venantium, quem in eam Epiſcoporum ſeriem intrudunt. Et vero S. Ildephonſus cum omnes illos Antiſtites nominatim, & ex ordine percenſeat, Venantii ne meminit quidem. Quid igitur illis in mentem venit inter Adelphium, & Auraſium Toletanos Epiſcopos Venantium interjicere, cum Ildephonſo auctore, Auraſius proximus ab Adelphio eccleſiam illam adminiſtraverit? Neque Loayſam audiendum cenſeo, qui Venantium idcirco ab

Inter Epiſcopos Toletanos nullus Venantius, Ilde-

Ildephonſo prætermiſſum ſcribit, quod cum is breviſſimum Pontificatum geſſerit, Toletanis Epiſcopis vix annumerandus eſſe videatur. Truncos profecto & ſtipites nos eſſe oporteat, quibus iſti putant verba dari tam facile poſſe; quis enim eſt tam hebes, tam nullius ingenii, quin intelligat id ab illis excogitatum ac dictum eſſe obſtinatione quadam ſententiæ, ut erroris ac mendacii patrocinium ſemel arreptum quoquo modo tueantur? Nam quod Venantius poſt ſuſceptum Epiſcopatum intra paucos menſes, vel dies etiam obierit, id profecto nihil cauſæ erat, cur ab eo Catalogo deberet excludi, præſertim cum Pontificatus brevitatem illuſtri martyrio compenſaverit; & ob eam cauſam vel maxime dignus eſſet, cui locus tribueretur inter Epiſcopos Toletanos, quorum non modo auxerat numerum, ſed etiam famam ac dignitatem inſignis cujuſdam gloriæ martyrio partæ acceſſione cumulaverat. Præterea nemo unquam vel Romanorum vel aliorum Pontificum Catalogo eos eximendos cenſuit, qui vel unius dici Pontificatum geſſerint.

Hæc eo pertinent, ut lectores intelligant, habeantque pro certo Toletanum Venantii Epiſcopatum commentitium eſſe, & ejus nomen ex illorum Antiſtitum faſtis deleri oportere. Sequitur, ut oſtendam noſtrum eſſe hunc Venantium, & deſumptum e Diptychis eccleſiæ Salonitanæ; itemque ejus Martyrium ex antiquis hujus eccleſiæ tabulis actiſque depromptum fuiſſe; ſalva quidem rerum ſumma ac veritate, ſed immutatis quibuſdam vocabulis, quibus locorum, temporum, perſonarum deſignatio continetur.

inter Salonitanos Epiſcopos annumerandus.

Atque illud in primis animadverti velim, Hiſpanis Pſeudohiſtoricis id præcipue propoſitum fuiſſe, ut quam cumulatiſſime poſſent, Hiſpanienſis eccleſiæ annales & rerum copia, & Divorum numero augerent; cumque minus ampla, quam pro deſiderio, materia domi ſuppeteret, domeſticæ ſupellectilis locupletandæ ornandæque ſtudio ultra, quam par erat, progreſſi aliarum eccleſiarum monumenta expilare cœperunt, ut quæcumque in rem ſuam averti, & commode traduci poſſe videbantur, undique corrogarent, apteque ſuis annalibus intexerent. Nuſquam porro illis ad diripiendum neque uberior, neque opportunior, quam in Dalmatia campus patuit. Hæc quippe eccleſia jam inde a principio Chriſtiani nominis tum Martyrum numero, tum rerum ampliſſimarum gloria vel maxime floruerat. Neque olim defuere, qui hæc omnia litteris conſignaverint; hujuſmodi autem tabulas in publicis archivis tamdiu Dalmatæ ſartas tectaſque ſervarunt, quoad licuit per hoſtes Chriſtianæ religionis, & barbaras gentes, quæ deinceps per multa ſæcula eam provinciam aſſiduis irruptionibus infeſtam habuere. Nam temporibus illis turbulentiſſimis, cum nihil tam ſanctum & munitum eſſet, quin vis furorque hoſtilis perrumperet ac violaret, omnibus ferme Dalmatiæ tabulariis partim incenſis, partim direptis, pleraque hujuſmodi monumenta vel prorſus interiere, vel evecta ſunt, aſportataque in alias regiones, atque in Hiſpaniam præſertim, ut ſupra diximus in Actis utriuſque Heſychii. Poſt hæc, ejuſmodi conſecuta ſunt tempora, quæ lucem omnem eriperent, & quaſi noctem quamdam rebus Dalmaticis offunderent; nam combuſtis ac depopulatis archivis, unde totius antiquitatis notitia depromitur, bonarum artium ſtudiis magis magiſque in dies obſoleſcentibus, & majorum traditionibus hominum interitu, & poſteritatis oblivione extinctis, omnem præteritorum temporum memoriam veluti craſſiſſima caligo circumfudit, quæ Dalmatas in ſummam vete-

Hiſpanienſium Chronologorum artes in alienis monumentis expilandis.

præſertim Dalmaticis.

rum ſuarum rerum ignorationem adduxit. Id cauſæ fuit, cur Hiſpanienſium annalium Sarcinatores Dalmatica monumenta furtis ac direptionibus opportuniſſima duxerint, rati ſe poſſe tetris tenebris & caligine intactos ad eam diem Dalmaticæ antiquitatis theſauros clam & impune compilare; neque enim verendum erat, ne quis Dalamatarum hiſce plagiariis diem diceret, & bona ſua repetere poſſet. Tantum illis confidentiæ ac temeritatis attulit aliena inſcitia, atque deſidia, ut in res Dalmaticas neglectas a ſuis, contemptas ab exteris, tamquam in poſſeſſiones caducas atque vacuas invaderent. Id adeo confirmant alii Divi una cum ſuis Actis illinc ſurrepti, atque in ſacros Hiſpaniæ annales illati. Hæc in Actis utriuſque Heſychii, paullo fuſius expoſita, hoc loco iterum commemoranda cenſui, ut vel hinc intelligi liceat, quam ſit veriſimile ac prope certum Venantium quoque, ejuſque Acta indidem ablata fuiſſe, unde alias tam multas tamque opulentas hujuſmodi prædas abactas convectaſque in Hiſpanienſium Divorum faſtos fuiſſe conſtat.

Cæterum hujuſcemodi conjecturis haud magnopere indigeo, ut id, quod propoſui, efficiam; aliunde mihi & auctoritas locupletior, & ratio ſive conjectura gravior ſuppetit, quam noſtræ ſententiæ ſubjiciam. Convenit mihi cum adverſariis Venantium illum, quem ipſi Toletanis Epiſcopis interſerunt, eum ipſum eſſe, quem Uſuardus, Notkerus, Ado, aliique Kalendis Aprilibus adſcribunt, qui Martyrium in Dalmatia ſubiit, qui denique Joanne IV. Pontifice Max. translatus eſt in urbem, condituſque in ſacello Lateranenſi, cui ab eodem inditus fuit titulus Venantii. Hæc enim omnia docent Hiſpanienſes Hagiologi, quibuſcum nobis controverſia eſt. Porro auctores graviſſimos habeo, qui hunc Venantium Iſtriæ vel Dalmatiæ Epiſcopis annumerandum eſſe exiſtimant. Cæſar Cardinalis Baronius ne dubitandum quidem cenſet, quin eum alicujus eccleſiæ in Dalmatia, vel certe in Iſtria Epiſcopum haberi dicique oporteat: *Cum autem*, inquit, *ea omnia translata fuerint e Dalmatia & Iſtria a Joanne Papa IV., par eſt credere S. Venantium alicujus illarum provinciarum civitatis Epiſcopum fuiſſe.* Baronii ſententiæ ſuam adſcribunt Schonlebius, & Ciampinius; Henſchenius vero, cui valde aſſentitur Sollerius, ad noſtram ſententiam propius accedit; neque enim ſolum inter Epiſcopos Dalmatiæ Venantium reponit, ſed præterea ejus Pontificatum ad priora eccleſiæ ſæcula revocandum putat; verum in eo paullulum a nobis diſcrepat, quod Venantium B. Domnio ferme æqualem fuiſſe exiſtimat, cum alter ab altero juxta noſtras ſupputationes chronologicas annorum fere quinquaginta ſpatio interjecto diſjungatur: *Potius*, inquit, *diceretur S. Venantius primis eccleſiæ ſæculis floruiſſe cum S. Domnio* &c.

Venantium, de quo Hiſpanienſes,

Auctores graviſſimi

inter Epiſcopos Iſtriæ

vel Dalmatiæ annumerandus

Quod graviſſima talium virorum ſuadet auctoritas, id rationes, ſeu conjecturæ nihilo leviores confirmant. Nam in Catalogis eccleſiæ Salonitanæ is, qui ſextus a B. Domnio Epiſcopus recenſetur, & Venantii nomine appellatur, & ſecundo eccleſiæ ſæculo Pontificatum geſſit, id quod ab Henſchenio traditur; & denique in eum optime conveniunt, quæcumque Venantio Toletano Hiſpanienſes Chronologi affingunt, ut infra dicetur. Hæc cum ita ſe habeant, quid eſt, quod dubitemus, utrum is fuerit ille ipſe Venantius, quem inter Toletanos Epiſcopos falſo relatum graviſſimi quique ſcriptores ex eo catalogo expungendum, & in numero Dalmaticorum Antiſtitum reponendum cenſent? Sequitur igitur, ut Venantii nomen, itemque ejus Acta

idque confirmant Catalogi Epiſcoporum Salonenſium.

non aliunde ſurrepta fuerint, intruſaque in annales eccleſiaſticos Hiſpaniæ, niſi e tabulis, monumentiſque eccleſiæ Salonitanæ. Noſtra ergo repetimus, cum Venantium ejuſque Acta Hiſpanienſium Divorum faſtis adempta, Salonitanæ Hiſtoriæ aſſerimus. Et vero ſi Baronio & Henſchenio noſtros catalogos inſpiciundi copia fuiſſet, non dubito, quin ſuam hac de re ſententiam & planius & apertius explicaſſent. Verumtamen laus illis tribuenda, quod de Dalmatico Venantii Epiſcopatu tam acute ſapienterque conjecerint; venia danda, quod nulli certæ Dalmaticæ eccleſiæ cum affixerint; neque enim codices apud ſe habebant, unde id poſſent cognoſcere. Neque hic audiendum cenſeo Nicolaum Antonium Hiſpalenſem, qui Venantium e Diptychis Palentinæ eccleſiæ ſublatum, atque inde inter Toletanos Antiſtites compulſum exiſtimat. Erroris cauſam præbuere Loayſa & Morales, quorum alter Conantium, alter Tonantium pro Venantio ſcripſit. Fuit autem Conantius, Palentinæ eccleſiæ Epiſcopus, quem S. Ildephonſus maximis laudibus extulit, ampliſſimoque elogio exornavit. Sed quæ de Venantii martyrio dicuntur, nihilo magis a Toletano, quam a Palentino Epiſcopo abhorrent. Nicolao tamen ignoſcendum eſt, quod noſtros Catalogos in promptu non habuerit, a quibus de Salonitano Venantii Epiſcopatu admoneretur.

Venantius falſo dictus Ep. Toletanus, vel Palentinus.

Sed quod præcipue animadvertendum eſt, non ſatis intelligo, quomodo Dalmaticum Venantii martyrium & ſepulchrum cum ejuſdem Pontificatu Toletano cohæreat; quæ duo mihi tantum videntur abeſſe a veriſimilitudine, quantum ab Hiſpania Dalmatia diſtat. Hæc parum inter ſe congruere evidentius erat, quam a plagiariis illis diſſimulari, ac præteriri poſſet. Quid tum? Homines vario & multiplici ad fingendum ingenio, ſeu potius inſigni quadam impudentia præditi ad conſuetas artes confugiunt, fabulas fabulis aſſuunt; commentitium quiddam excogitant, quo duo illa inter ſe connectant, quæ ad cohærendum, tertium aliquid requirunt, & quaſi nodum vinculumque deſiderant. At quam feſtive fabella contexitur. Habebat Venantius neſcio quid negotii in Pannonia, iter neceſſarium illi erat in eam provinciam, ex itinere Dalmatiam circumiens, in hoſtes Chriſtiani nominis incidit, deprehenſus, captuſque religionis cauſa interficitur. Hui! quam acute! nonne ſatius fuiſſet de furto, quod jam celari non poſſet, ingenue fateri, quam iſta tam temere atque impudenter effutire? Quid eſt aliud, niſi hoc eſt lectorum patientia & credulitate abuti, & ut rerum incredibilium fidem facias, rationem nihilo credibiliorem afferre? Quid, oro, negotii tanti, tamque neceſſarii eſſe poterat Venantio, ut inde uſque ab Hiſpania in Pannoniam proficiſceretur; nec ſolum eccleſiæ paullo ante ſibi concreditæ procurationem ad breve tempus intermitteret, ſed etiam quam longiſſime ab ea diſcederet? niſi vero exiſtimemus Toletani Epiſcopi juriſdictionem ſeptimo ſæculo tam longe lateque porrectam fuiſſe, ut ejus finibus ac ditione non ſolum Gallia Narbonenſis, ſed etiam Pannonia contineretur; quod licet tam incredibile ſit, quam quod maxime, id tamen veteratores illi aſſumere videntur, ac perſuaderi poſſe putant, Annalium quorundam auctoritate interpoſita, ubi indicatur idcirco iter illud in Pannoniam ſuſceptum a Venantio fuiſſe, ut provinciam illam haud ſecus, quam ſi in ſua poteſtate eſſet, Epiſcopi more rituque inviſeret, atque luſtraret. Ita enim ſcriptum eſt apud Maximum pſeudochronologum ad an. 602.: *Venantius Epiſcopus Toletanus, dum negotiorum cauſa ad Pannonias, Galliamque Narbonenſem pergeret, fit Martyr glorioſus 1. die Aprilis: & Julianus*, ait Tamayus; *expreſſius in Chronico num. 93. hiſce verbis: Floret memoria S. Venantii Epiſcopi Toletani, in Dalmatia paſſi*. Tamayus autem in Actis Venantianis: *Cum in Galliam Narbonenſem, negotiis inſtantibus, Pannoniaſque perluſtraturus abiiſſet, apud Dalmatiam Martyr effectus, æternam remunerationem promeruit Kal. April. an. Domini 607.* Sed nihil eſt tam incredibile atque abſurdum, quod ad commentitias opiniones tuendas illi non arripiant; quorum ea mens, idque conſilium eſt, ut mendacia pro hiſtoriis venditent; & ratio male inſtituta, ubi exitum reperire non poteſt, tum vero fines omnes veriſimilitudinis etiam, non ſolum veritatis animoſe audacterque prætergreditur.

Martyrium Dalmaticum Venantii non cohæret cum ejus Epiſcopatu Toletano.

Nunc vero hæc ipſa, quæ cum Toletano illo Pſeudopontifice tam male cohærent, fac referantur ad Venantium Salonitanum Antiſtitem; rerum ac locorum affinitate, ceu quodam quaſi vinculo, jam tibi apta & connexa ſunt omnia, nihil ut diſſideat, nihil repugnet, nihil denique ſit, quod cum Venantio noſtro non optime congruat. Pannonia haud ita procul abeſt a Dalmatia; & quidem prioribus illis ſæculis, ut videtur, Epiſcopi Salonitani ſuas curas, ſuam juriſdictionem vel Epiſcopalem, vel certe Metropoliticam in aliquam Pannoniæ partem proferebant. Habes igitur cauſam, nec eam quidem longe petitam, ſed e proximo ultroque oblatam, & quæ cuique ſit admodum probabilis, cur Venantius Salonitanus Epiſcopus Pannonicam profectionem ſuſceperit, nimirum ut eccleſias ſibi concreditas, & gregem ſibi commiſſum tamquam bonus Paſtor inviſeret. Neque vero ut Narbonam ex itinere diverteret, neceſſe habuit e Dalmatia pedem efferre, nedum in Galliam uſque excurrere; quippe Narbona eadem eſt ac Narona pervetus Dalmatiæ civitas, quæ nunc Narenta dicitur, Salonam inter ac Delminium ſita, quæ intra fines ac juriſdictionem eccleſiæ Salonitanæ continebatur. De hac urbe, ejuſque variis appellationibus plura dicentur in hiſtoria Naronenſium Epiſcoporum. Cum igitur in Pannoniam contenderet, hoſtes Chriſtiani nominis eum Dalmatiæ finibus necdum egreſſum, ex inſidiis adorti interficiunt.

Iter in Pannoniæ, & Martyrium Dalmaticum optime congruit cum Salonitano Epiſcopatu Venantii.

Narbona ſeu Narona in Dalmatia.

Proximum eſt, ut inquiramus, quonam fato acciderit, ut Acta S. Venantii, tum alia Dalmatica monumenta in eorum manus inciderint, qui quaſi ex compoſito ad veteres codices depravandos conſpiraſſe videntur: quod conjectura veſtigare quidem & coarguere poſſumus, certa via ac ratione invenire & conſequi non poſſumus. Oſtrogotthi ſedibus ſuis ab Hunnis pulſi tum alias Illyricas provincias, tum præſertim Dalmatiam & Italiam occupaverant, ibique rerum ſuarum ſede ac domicilio conſtituto, jamdudum longe lateque dominabantur. Hi Juſtiniano imperante plurimis & maximis cladibus attriti, univerſa Italia, omnique Illyrico excedere coacti ſunt; & quia nullum tutius perfugium erat, plerique in Hiſpaniam tranſierunt, facilem benignumque receptum habituri apud Wiſigotthos conſanguineos ſuos, quos partim mutandi ſoli cupiditas, partim Hunnorum irruptio domo exegerat, ſed fuga diverſa ſejunxerat ab Oſtrogotthis, & in Hiſpaniam uſque compulerat, ubi rerum potiti firmiſſimis opibus ac præſidiis Gotthicum regnum ac nomen ſtabilierant. Oſtrogotthi porro, ut fit, inter eam fugam ac tumultum quidquid ſacri profanique e publicis privatiſque locis diripi poterat, id omne ſecum avexerant, ſive ut hoſtibus ſedes vacuas relinquerent, ſive ut ipſi Dalmatiæ Italiæque ſpoliis aucti ornatique diſcederent.

Codices Dalmatici per Oſtrogothos.

derent. Ac mihi quidem verisimile videtur in eo temporum motu, atque in tanta rerum omnium perturbatione, cum quod cuique veniebat ad manus, id quisque raperet, pleraque Dalmatiæ tabularia compilata esse, simulque Acta S. Venantii cum aliis istiusmodi codicibus ac monumentis in Hispaniam translata. Huc etiam pertinent, quæ supra diximus in Præfatione ad Acta utriusque S. Hesychii.

cum Actis S. Venantii in Hispaniam translati.

Porro Acta S. Venantii, aliaque hujusmodi antiquitatis monumenta ex Illyricis, atque Italicis tabulariis corrasa, apud Hispanos tamdiu in silentio ac tenebris jacuerunt, quoad quorundam male feriatorum hominum cura operaque, sub finem decimi sexti sæculi, in lucem prodire cœperunt Annales Hispanienses, sub nomine & auctoritate insignium virorum, Flavii Dextri, M. Maximi, Juliani &c. Venantius apud Maximum & Julianum titulum gerit, personamque sustinet Episcopi Toletani; ejusque nomen ac martyrium, vitæque ab eo sanctissime actæ epitoma quædam cum initio septimi sæculi conjungitur. Hinc Joannes Tamayus de Salazar descripsit Martyrologium Hispanense, in quo Venantii Toletani Antistitis nomen brevi ornatum elogio Kalendis Aprilibus subjicitur.

Duplex depravatio potissimum facta in Actis germanis S. Venantii Ep. Salon.

Quæ in Actis S. Venantii potissimum depravarunt Hispani Hagiologi, ea bifariam dividi, & ad duo quasi capita revocari possunt; alterum Pontificatus titulum & locum spectat; alterum pertinet ad ejus vitæ ac martyrii tempus, quod in septimum sæculum perperam conjicitur. Nimirum utrumque ab illis adulterari oportuit, ut quam Venantio imposuerunt, Toletani Episcopi personæ servirent. Necesse enim fuit Toletum pro Salona substituere, expunctis Salonitanæ, interjectisque Toletanæ Chorographiæ vocabulis, ne quod Dalmatici Episcopatus vestigium appareret; & præterea quæ magis apta viderentur tempora, statuere ac designare, quibus Toletanus Venantii Pontificatus innecteretur. Hæc duo si corrigantur, vetere ac germana restituta in eum locum, quem nova ac supposititia topographia & Chronologia invasit, reliqua omnia sponte sua excidunt ac diffluunt ab illo Toletano Antistite, quocum duobus hisce quasi vinculis colligantur, & nullo alio interposito nexu, cum Venantio Salonitano Episcopo vel aptissime cohærent.

§. IV.

Acta & Martyrium S. Venantii partim ex Hispaniensibus scriptoribus, partim ex Historia ecclesiastica illorum temporum.

Initium & Pontificatus Venantii.

Quo anno juxta Baronium M. Antoninus Pius imperii Romani, eodem ecclesiæ Salonitanæ administrationem suscepit Venantius, indidem Salonis, ut verisimile est, oriundus, idemque fortassis illius ecclesiæ Archidiaconus; nam qui principem inter Diaconos locum obtinebant, ii ferme antiquitus cæteris digniores & aptiores habebantur, qui ad Pastorale munus deligerentur. Alii imperium Antonini biennio anticipant, revocantque ad annum duodequadragesimum secundi sæculi. Anno igitur, qui ab Christo nato numeratur quadragesimus supra centesimum Catalogus Romanus affixit initium Episcopatus Venantii, quem usque ad annum ejusdem sæculi 55. perduxit. Sed in hoc errat, quod cum annis, quos Venantio attribuit, tres Romanos Pontifices paullo ætate posteriores connectit, scilicet Pium, Anicetum, Soterum; cum Venantius triennio ante obierit, quam Pius *Illyricum Sacrum*.

Romanum Pontificatum iniret, qui juxta Baronium anno 158. *in* locum Hyginii subrogatus est. Cæterum minus a veritate aberrat, si Hegesippum, Irenæum, alioque Veteres sequi libeat, qui cum ex Henschenii computatione Pium quidem anno 50, Anicetum vero anno 53. secundi sæculi Romanam sedem adeptos fuisse tradant, utriusque tempora Venantii Pontificatus attigit; aut si Henschenii & aliorum sententia magis arrideat, qui Anicetum Pio præferendum putant, & prioris quidem in annum 150, posterioris vero initium in annum 154. conjiciunt. Sed nullo prorsus modo Venantii, anno 155. extincti, Episcopatus prorogari potest usque ad Soterum, qui ex omnium sententia creatus est Pontifex post annum ejusdem sæculi sexagesimum. Itaque si annos quindecim Venantio adscriptos ad Baronianam Chronologiam exigere velis, ejus Pontificatum cum aliis tribus ante Pium Romanis Pontificibus Sixto, Telesphoro, Hyginio colligari oportet; vel cum Pontificatu Hyginii, Pii, & Aniceti conjungi, si aliorum calculos ad Pontificiam Chronologiam digerendam adhibere placeat.

Aucta res Christiana in Dalmatia prioribus annis Antonini.

Ergo Venantius anno 140. bonis initiis orsus regere Salonitanam ecclesiam, magnum sane in Dalmatia rei Christianæ incrementum attulit. Nam persecutione, qua jamdudum ecclesia conflictabatur, Hadriani interitu restincta, Antoninus hoc eodem anno juxta Baronium adeptus imperium, virtute ac bonitate, cum omnium animos sibi conciliare studeret, ut Pii cognomine, quod ei pietas in Hadrianum patrem & ægrum & mortuum fecerat, magis magisque dignus videretur, Christianis etiam pium se principio ac propitium præbuit. Quare Baronius ad an. 140. prioribus hujus imperii annis adscripsit religionis nostræ toto orbe longe lateque diffusæ admirabiles illas progressiones, quas Justinus, Irenæus, Tertullianus commemorant. Qua de re audiendus est Justinus æqualis temporum illorum, qui haud multis annis post imperium ab Antonino susceptum in Dialogo cum Tryphone Judæo hæc scripsit: *Atqui ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum, sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium, & cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Jesu, supplicationes, & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium non fiant.* Hujus ætatis suppar Irenæus lib. 1. cap. 3. idem testatur: *Etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque quæ in Germania sunt fundatæ ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ; sed sicut Sol creatura Dei in universo Mundo unus & idem est, sic & lumen & prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad veritatis cognitionem venire.* Tertullianus paullo ætate inferior, nihilo angustiores Religioni Christianæ fines circumscripsit in Apolog. cap. 36. *Si enim & hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum, & copiarum? plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantacumque unius tamen loci, & suorum finium gentes, quam totius orbis? Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, forum: sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prom-*

Digitized by Google

pti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes ſolius divortii invidia adverſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſignum abrupiſſemus a vobis, ſuffudiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſſio civium: immo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet: proculdubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quemdam quaſi mortuæ urbis quæſiſſetis, quibus in ea imperaſſetis. Quæ quidem rei Chriſtianæ mirifica propagatio tum maxime fieri cœpiſſe videtur, cum poſt Hadriani perſecutionem Antoninus Pius rerum potitus amari ſe, quam timeri maluit, & benigne omnibus facere inſtituit.

Venantius Dalmatiæ eccleſiam mirifice auget. Cum ergo Chriſtiana religio proſperum nacta ſine offenſione curſum fines ſuos latius in dies proferret, haud dubium eſt, quin eccleſia Dalmatica iiſdem fere, quibus univerſalis eccleſia, incrementis, & progreſſionibus augeretur; ſtrenuam in id aſſiduamque operam navante Venantio Salonarum Epiſcopo, qui propitiis illis tranquilliſque uſus temporibus, & per ſe ipſe provinciam circumeundo mortalium quamplurimos ad Chriſti cultum traduxit, & Evangelicos operarios gnavos induſtrioſque quaquaverſum dimiſit, qui in Ethnicorum converſionem ac ſalutem incumberent.

Antoninus ſuperſtitioni addictus. Cæterum Antoninus, qui ut Pii atque optimi Principis famam colligeret, Chriſtianorum cædibus abſtinendum ſibi eſſe duxerat, eos tamen non odiſſe non poterat, quippe cum inanium Deorum ſuperſtitioni, a qua Chriſtianos vehementiſſime abhorrere cognoverat, ad inſaniam addictus eſſet; ſic prorſus, ut Capitolino teſte in Anton. nullum diem prætermitteret, quin ipſe per ſe, vel ſi minus commoda valetudine uteretur, per Vicarios Diis ſacrificaret. Vel illud indicio eſt, quam alieno eſſet a Chriſtianis animo, quod tertio poſt ſuſceptum imperium anno extremi ſupplicii comminatione interpoſita interdixerit, ne quiſquam impoſterum legeret, aut retineret apud ſe codices Sibyllarum, aut cæterorum Vatum, in quibus cum multa præclara de Chriſto ejuſque divinitate ac miraculis tanto ante prædicta eſſent, ex eorum lectione fiebat, ut quamplurimi Ethnicorum ab avita ſuperſtitione atque impietate ad Chriſtianam religionem deſciſcerent: id quod Antoninus pro inſano illo, quo erga ſuos commentitios Deos ſtudio flagrabat, iniquiſſimo animo ferebat. De hujuſmodi edicto Juſtinus martyr in Apolog. apud eumdem Imperatorem graviſſime conqueritur: *Opera*, inquit, *& inſtinctu malorum damonum, mortis ſupplicium adverſus librorum Hydaſpis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum lectores conſtitutum eſt; ut per timorem homines ab illis, quo minus ſcripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſervitute eorum retineantur, abſterrerentur; quod certo quidem efficere, & ad finem ſuum perducere nequiverunt. Non enim abſque timore tantum hujuſmodi ſcripta legimus: verum vobis ad inſpiciendum, quæ in eis traduntur, (ut videtis) offerimus, grata acceptaque omnibus fore ſcientes. Atque hoc etiam ſi paucis perſuaſerimus, maximum tamen inde feremus lucrum; nam ut boni agricolæ amplam a Domino capiemus mercedem.* Verum ex hoc edicto nihil detrimenti cœpit Chriſtiana religio, quæ divinorum codicum auctoritate cum eſſet innixa, ſubſidiis aliunde adſcitis libriſque Ethnicorum ad ſui commendationem & præſidium haud magnopere indiget. Itaque non ſecus, quam antea, quotidie magis efflorescebat, & latius propagabatur. Sed dum eccleſia ab externis hoſtibus induciis nacta in magna pace ac tranquillitate verſatur, domeſticis ſeditionibus agitari ſcindique in partes contrarias cœpit. Per ea quippe tempora exorti ſunt Valentinus Ægyptius, & Marcion Ponticus nobiles Hæreſiarchæ, qui abſurdas atque infames opiniones diſſeminare aggreſſi, plurimos a recta in Deum fide, & catholica veritate abduxerunt. E ſchola Valentini feruntur prognati Ophitæ, Cainani, Sethiani; & peſtes multo deteriores ex nefaria Marcionis diſciplina prodierunt. Satis conſtat utrumque hæreſiarcham, licet alium aliis temporibus, Romam veniſſe eo conſilio, ut per dolum ac fraudem in eccleſiæ Romanæ communionem irreperent, ipſumque, ſi liceret, veritatis fontem perturbarent, unde nihil niſi purum ac ſincerum dimanare poteſt. Cum igitur Romæ atque in Italia tam prope ab Dalmatia prava illa ac nefanda dogmata divulgari cœpiſſent, hinc exiſtimari velim, quanta Venantio opus fuerit ſollicitudine ac vigilantia, ut peſtiferam illam contagionem ab eccleſia Dalmatica arceret.

Annum a ſuſcepto imperio fere octavum agebat Antoninus, cum ægre preſſum ad eam diem in Chriſtianos odium effundere in eos palam cœpit. Nullum quidem contra nos edictum feciſſe, aut promulgaſſe legitur. Sed ex decretis ſuperiorum Imperatorum, Romaniſque legibus, quibus cautum erat, ne quis patriam religionem abjiceret, externiſve myſteriis initiaretur, Chriſtianos omnibus modis exagitare inſtituit; idque exemplo ſuo & auctoritate perfecit, ut atrox ubique in eccleſiam bellum incumberet; & Magiſtratus pariter ac populi nullam eos divexandi ac cædendi occaſionem rationemque prætermitterent. Hujus perſecutionis Antonino auctore vel reſtitutæ vel excitatæ idoneum ſane & gravem teſtem habemus Juſtinum in ſua ad eumdem Imperatorem Apologia, itemque in Dialogo cum Tryphone, ubi juſtiſſime conqueritur & ubique, & omni ſuppliciorum genere in Chriſtianos ſævitum eſſe: *Propter confeſſionem*, inquit in Apolog. *torquetis... Cauſa non judicata ſupplicia infertis.* Et poſt multa interjecta: *Ad inquiſitionem veſtram Chriſtianos nos eſſe profitemur, cum quidem mortis ſupplicium profeſſis propoſitum ſciamus. Si enim humanum expectaremus Regnum, inficiaremur utique, ne occideremur &c. Perlibenter Chriſtum confitemur, & mortem quoque adimus.* Hæc autem Imperatore aut jubente aut conſentiente fuiſſe facta declarat in extrema Apologia, Pium his verbis alloquens: *Neque ita contra eos, qui nihil per injuriam iniqui admiſerunt, perinde atque adverſus hoſtes ſupplicium capitis ſtatuite: illud autem vobis prædicimus, vos minime evaſuros eſſe futurum Dei judicium, ſi in hac iniquitate perduraveritis.* Idem affirmat in Dial. cum Tryph. extremis quibuſque ſuppliciis animadverſum eſſe in eos, qui ut Chriſto nuncium remitterent, nullis ſeu promiſſis, ſeu comminationibus adduci poſſent: *Quod namque dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & beſtiis objicimur, & vinculis, & igne, & tormentis aliis omnibus pleſtimur, & excruciamur, a profeſſione noſtra non diſcedamus, ſatis conſtat.* Et paullo poſt: *In toto mundo nemini Chriſtianorum vivere permittitur.* Hæc Juſtinus æqualis illorum temporum, quibuſcum omnino conſentit inſcriptio perantiqua, ſive epitaphium Alexandri martyris, ex cœmeterio Calliſti effoſſum, ubi *tempora* tam *infauſta* ſub Antonino Imperatore fuiſſe dicuntur, ut ne in *cavernis* quidem Chriſtianis eſſe tutis liceret; neque cæſorum corpora humandi poteſtas amicis aut parentibus permitteretur. Hæc tempeſtas lon-

Hæreſes per hæc tempora exortæ.

Venantius quas ut ab Dalmatia arceret, cura Venantii.

Antonino Auctore Chriſtiani a Magiſtratibus & populis vexari Venantio cœpti.

Veteres legi ac retineri libros Sibyllarum.

lib. 3. c. 12. *Romæ ſubterraneæ.*

gæ

ge lateque diffusa & multas ubique Christianorum strages edidit, & rei Christianæ incrementa retardavit. Cum autem nihilo mitius, quam cæteræ, ecclesia Dalmatica iisdem turbinibus ac procellis quateretur, hinc conjici velim, quantum Venantio & laboris & periculi subeundum fuerit, ut in tuendo grege sibi commisso, nullum boni Pastoris officium prætermitteret.

Eadem temporis procella Dalmatiæ pervulit.

Hominum ac temporum iniquitas Justinum impulit virum eximiæ sanctitatis & doctrinæ, eumdemque præstantissimum Philosophum, ut Christianorum defensionem susciperet, gravi accurataque edita Apologia, in qua & illatas Christianis calumnias egregie diluit, & hostibus ecclesiæ, injustitiam atque immanitatem exprobrat. Apologiæ hunc titulum præfixit: *Imperatori Tito Ælio Hadriano Antonino Pio Augusto Cæsari, & Verissimo filio Philosopho, & Lucio Philosopho, Lucii quidem Cæsaris nativo, Pii autem adoptivo filio, eruditionis amatoribus, sacroque Senatui, & Populo Romano universo. Pro his, qui ex omni hominum genere injuste odiis iniquis, & violentæ vexationi sunt obnoxii: Justinus Prisci Bacchii filius, Flaviæ Neapolis Syriæ Palæstinæ ortus, ex illis unus, hanc orationem atque deprecationem conscripsi.* Annus scriptæ oblatæque Antonino Apologiæ erat ab ortu Christi CL. qui juxta Baronium congruit cum anno fere undecimo Antonini Imperatoris: id quippe Justini verba declarant: *Ante annos* CL. *Christus sub Cyrenio natus est.* Tantum vero abest, ut Justini oratione vel Imperatoris, vel Magistratuum, populique in Christianos odium & crudelitas defervesceret, ut deinde persecutio, Baronio auctore, vehementius recruduerit: id quod plurimorum martyrum Acta confirmant. Nam post oblatam Antonino Apologiam, Thelesphorus, qui anno 142. in locum Sixti subrogatus fuerat, præclaram pro Christo mortem oppetit; cui successit Hyginius anno 154. Per eadem tempora ob religionem cæsi Alexander Episcopus via Claudia vigesimo ab urbe milliario, Pontianus Spoleti, aliique plures in Italia. In Oriente itidem quamplurimi ob eamdem causam extremo supplicio affecti; Pergami in Asia Agathodorus, Carpus, Agathonice; Pergæ in Pamphilia Theodorus, cujusque mater Philippa cum aliis bene multis, Apameæ Alexander, Damasci Victor & Corona, Marcinopoli Melitina. His adde Flocellum & alios Augustoduni in Gallia, Potitum in Sardinia; quorum omnium nomina in Martyrologio Romano descripta inveniuntur, eorumque martyrium ad hæc tempora Baronius refert; *longe vero majorem esse numerum eorum*, ait idem Baronius ad an. Christi 154. *quorum, injuria temporum, & naufragio scripturarum memoria periit, nemo est, qui ex his, quæ sunt recitata, non possit facile opinari.*

Justinus pro Christianis Apologiam Imperatoribus Antoninum scripsit.

Sed nihil profecit.

Sed quod neque ratio, neque æquitas, neque humanitas, id varia & multiplex clades ad vastandas urbes ac provincias Imperii Romani divinitus immissa ab Imperatore vel invito extorsit. Cujusmodi fuerint hæ clades, quæ per ea tempora acciderunt, Julius Capitolinus his verbis commemorat in Antonino: *Adversa hujus temporis hæc provenerunt: fames, de qua diximus, Circi ruina, terræmotus, quo Rhodiorum & Asiæ oppida conciderunt, quæ mirifice omnia instauravit; & Romæ incendium, quod trecentas quadraginta insulas, vel domos absumpsit; Narbonensis civitas, Antiochense oppidum, & Carthaginense Forum arsit; fuit & Tiberis inundatio.* Antoninus igitur tot ac tantis calamitatibus vehementer commotus, cum eas ab ultore Deo & Christiani sanguinis vindice illatas haud dubie crederet, an. 154. Imperatorias litteras, quod vocant Rescriptum, dedit ad Populos & Magistratus Asiæ, ubi & acrior in Christianos persecutio fervebat, & gravior in eas regiones divina indignatio incubuerat; litterarum autem caput erat, ne quis quidquam molestiæ Christianis faceſſeret; neu cuiquam liceret quemquam hoc solo nomine in judicium vocare, quod Christum coleret; id qui facere auderet, in eum supplicium verti jussit. In eo autem rescripto satis indicavit, unde accidisse putaverit magnos illos terræmotus, quibus multæ & nobiles imprimis Asiæ civitates corruerant; simulque impudentiam Ethnicorum castigat, quod in Christianos earum calamitatum culpam conjicerent, pœnamque converterent; cum ingruentibus hisce periculis & cladibus, hi quidem Deo suo freti ac supplices nihil metuant, contra vero illi pavidi ac vecordes, omnisque religionis expertes, nulli Deo neque fidant, neque preces adhibeant; quin illos acerbe divexant, qui Deum suppliciter colunt, riteque venerantur: *Cæterum de terræmotibus*, inquit apud Euseb. lib. 4. cap. 12. *qui vel præterierunt, vel jam sunt, non alienum a ratione videtur vos commonefacere: quandoquidem etiam cum adsint, animos dimittitis, & infelices vestri omnium casus in illorum religionem, tamquam in eorumdem causam transfertis. At illi, cum tale quid eveniat, constantius firmiusque Deo fidunt. Vos autem toto illo tempore Deum penitus ignorare, vestque sacras prorsus contemnere; & non solum cultus, qui soli Deo debetur, insciі esse & expertes, verum etiam eos, qui illum observant & venerantur, graviter exagitare, & ad mortem usque infestari videmini.*

Calamitates Imperii Romani divinitus immissæ

Rescripti pro Christianis ab Imperatore exorti.

Hoc edictum Ephesi in communi totius Asiæ conventu, ut tradit Melito Sardensis Episcopus, apud Euseb. lib. 4. cap. 12. recitatum fuit; & cum ex aliis in alias perlatum esset provincias, ecclesiæ aliquid otii & tranquillitatis attulit. Verum ne hoc quidem Augustali rescripto Magistratuum ac populorum adversus Christianos inveteratum odium omnino cohiberi potuit, ne identidem variis in locis rursus exardesceret, atque in perniciem Christianorum erumperet; argumento est, quod post divulgatum hujusmodi decretum Hyginius Romanus Pontifex, & alii plures Antonino adhuc imperante religionis causa interfecti leguntur. Hujus generis repentina procella populari odio ab Ethnicis concitata Venantium perculit, qui inter eum tumultum cæsus, martyrii decus, laborum suorum præmium adeptus est. Cum enim ob rescriptum Antonini res Christianæ satis quietæ ab hostibus tranquillæque viderentur, parochiæ suæ ac provinciæ lustrandæ consilium cepit, ut persecutionis turbine disjectas ac dispersas oves congregaret, Christianam religionem ac disciplinam in eum, unde exciderat, locum restitueret; & quos hostium metus, aut suppliciorum acerbitas a Christi fide abstraxerat, eos ad ecclesiam & Christi cultum revocaret. Itaque Pontificiæ lustrationis initium faciendum censuit ab urbe Narona, quam Ptolemæus apud Ferrarium Narbonam vocat: hinc factum est, ut Hispanienses Chronologi Narbonæ Dalmaticæ vocabulo abutentes, Venantium in Pannoniam profectum per Galliam Narbonensem iter habuisse scripserint. Erat Narona regio ac civitas frequens & opulenta, millia passuum circiter 70. Salonis in ortum distans, viginti autem interrorsum a mari recedens. Antiquitus Maronia dicta est, & Mauritania, deinde Narona & Narbona; nunc licet a pristina magnitudine ac frequentia desciverit, haud tamen exiguum vel ignobile

Pax aliquot ecclesiæ.

Digitized by Google

oppidum est, quod vulgo *Narenta* dicitur. Rebus Christianis Naronæ compositis, ejusque regionis oppidis ac vicis rite lustratis, Venantius alpestre in Pannoniam iter suscepit. Ea quippe veteris Pannoniæ pars citra Savum Dalmatiæ finitima, quæ nunc Bossina dicitur, vel ad Episcopalem, vel ad Metropoliticam Salonitani Antistitis jurisdictionem pertinebat. Ex itinere Dalnium adiit, seu Delminium, alpinum Dalmatiæ oppidum, idque pervetustum, a quo Dalmatiam & Dalmatas appellatos ferunt. Cum autem Hispani Scriptores Venantium *apud Dalmatiam martyrem effectum* esse tradunt, Dalmatiæ vocabulo non Provinciam, sed urbem Delminium intelligi oportet, quam Cassiodorus *Dalmanam* apud Ferrarium vocat; & interdum *Dalmatia* quoque appellari solebat, eodem scilicet nomine, quod provinciæ ac genti universæ dederat. In hac igitur urbe cum Venantius rei Christianæ curandæ augendæque operam daret, cultores Idolorum, quibus ea civitas referta erat, nostræ religionis odio accensi in eum invadunt, manusque sacrilegas injiciunt, vinculis & verberibus atque omni supplicio excruciatum necant ac trucidant. Dubitat quidem Sollerius, utrum martyrio *immortuus*, an *superstes* fuerit, propterea quod in Ms. Centulensi *Confessoris* titulo solum afficitur. Verum sive in ipsis tormentis necatus fuerit, sive propter acerbitatem vulnerum inflictorum, paucis post diebus mortem obierit, neque titulus, neque gloria martyris Venantio adimi potest. Nam Usuardus, Ado, aliique Martyrologi fere omnes eidem cum Episcopali dignitate martyrii laudem adscribunt; idque confirmat ecclesia Lateranensis, quæ ex antiqua traditione eo illum officio rituque singulis annis veneratur, quo anniversarius cujusque martyris dies celebrari solet. Venantii Salonitani Episcopi felix sanctusque ex hac vita discessus in ipsas Kalendas Aprilis incidit; nam huic diei commemorationem ejusdem Martyrologi subjiciunt; diemque eumdem ejus nomine ac memoriæ consecravit ecclesia Lateranensis. De anno martyrii cum nihil aliunde constet, standum est auctoritate Catalogi Romani, qui Venantii Pontificatum perduxit usque ad an. Christi 155.

Venantius dum iter in Pannoniam intendebat,

apud Delminium, seu Dalmanum,

ab Ethnicis interficitur.

Jam vero huic loco libet intexere Acta ipsa Venantiana, quæ Joannes Tamayus Salazar ex Hispanicasibus Chronologis omnium sententia explosis decerpsit, & commentitio illi Venantio Toletano Episcopo affinxit, suoque Martyrologio inseruit, notisque appositis ad diem primum Aprilis adjunxit. Hujusmodi Acta, si pauca quædam immutes, & corrigas, quæ depravarunt illi pseudochronologi, ut quam Venantio imposuerant, Toletani Episcopi personæ servirent, optime cum nostro Venantio Episcopo Salonitano congruunt, & cohærent; id quod ex animadversionibus nostris infra subjiciendis intelligi poterit.

§. V.

Acta S. Venantii Episcopi (ut falso ajunt) Toletani, & martyris.

a *VEnantius civis* a *Toletanus a primis infantiæ exordiis, litteris, & virtutibus deditus, in adolescentia & maturiorum annorum ætate celebres sæculo spiravit odores. Nam cum Mundi illecebras, propter vitæ securioris, & æterna beatitudinis causam præcordialiter despexisset, & in* b *monastica institutionis tabulam oculos convertisset spiritus, ut in fluctuantium sæculi undarum deperiret procellis, funem arripiens, ad* c *Religionis portum, haud naufragus, prosperitate devenit. Ergo in percelebri* d *illo, apud* e *Regiam Urbem SS.* f *Cosmæ, & Damiani* g *Agaliensi cœnobio* h *cucullum, spectante populo, humiliter induens, taliter puritatis vitæ normam, virtutibus præmuntibus implevisse dignoscitur, ut* i *illud doctrinæ museum, probitatis depositum, & sanctitatis cœnobium, quod primo illum conspexerat novitium, brevi Venantium coluerit Abbatem.* k *Hic selectioris dogmatis manipulos colligens, & exemplaribus progressibus monachos* l *ditans, ad perfectissimum* m *monasticæ eruditionis apicem se, & suos deduxisse refertur. Tantum in suo conspexit* n *civitas honestatis exemplar, quantum in cæteris* o *fratribus communiter demirabatur effigiem. Quo factum, ut ad Cælos sublato* p Adelphio Toletano Præsule (in q cujus laudes adlectus Venantius illam percelebrem composuit homiliam, quæ falso adscribitur S. Petro cognomento Chrysologo) *de successore deligendo tractatur, quem ex* r Agaliensi *Parthenone, non dubitabatur erumpendum, sed super quem ex tantis emeritis caderet albus hæsitabatur lapillus. Tantum erat apud omnes meritum* s *Cœnobitæ. At disponente numine, & expetente* t Abbatis *nomine, Venantius omnium assensu ad* u *Patriarchale solium inauguratus accessit. Oneris, & honoris pensum* x *brevissimo peregit circulo; nam cum in* aa *Galliam Narbonensem, negotiis instantibus,* bb *Pannoniasque perlustraturus, abiisset, apud* cc *Dalmatiam martyr effectus æternam remunerationem promeruit Kalend. Aprilis, anno Domini* dd 607. *Regnante* ee *in Hispania, & Gallia Narbonensi Liuva S. Regis Reccaredi filio, sedem Apostolicam moderante S. Gregorio Magno ecclesiæ Doctore, & Hispaniæ protectore. Corpus* ff *sanctissimi Præsulis, & martyris requievit in Dalmatia ad annum usque* 640. *quo Joannes IV. Pont. Max. natione Dalmata cum aliorum exuviis transtulit sacrum Venantii corpus in Lateranensem Basilicam, in oratorio, quod dicitur S. Venantii apud Baptisterium Constantini; ubi in absidæ imago ipsius S. Martyris musivo compacta opere demonstratur. Carmen* gg *sepulcrale manuscriptum reperi sic:*

Toleti nascens, Adelphi dogmata suxi:
Agaliensis Aba — Præsul & urbis eram
Gallos lustro, Dalmatiæ post sanguine fuso:
Martyrii lauro, & Chlamyde cinctus abi.

gg

NOTÆ.

a Corrige: *Civis Salonitanus*. Cum hæc duo verba *Salonitanus*, & *Toletanus* similiter desinant, & in easdem syllabas cadant, visa sunt opportuna, ut commutatio ex altero in alterum fieret. Venantio, quem falso annumerant inter Toletanos Episcopos, Higuæra Toletanam, Quintana-Dvennas Gallicam originem adscripsit. Maximus in Chronico ad an. 598. eum vocat Toletanum.

b Corrige: *Clericalis Institutionis*. Ex Clerico scilicet Monachum fecerunt. Venantiani Monachatus testes citant Maximum in Chron. ad an. 602. & Julianum in Chron. num. 312. Joseph Card. de Aguirre anachronismi Gabrielem Bucellinum insimulat, *quod ex Benedictina familia putet fuisse hominem, qui tribus pene sæculis ante Benedictinorum parentis ortum exstinctus fuerit*. Cum itaque scriptum reperissent Venantium nostrum ab adolescentia Clericali militiæ nomen dedisse, id ut quoquo modo transferrent ad Episcopum Toletanum sæculi septimi, in locum *Clericalis* censuerunt substitui oportere *Monasticam* institutionem.

c Corrige: *ad vitæ ecclesiasticæ portum*.

d Corrige: *in Ordine Clericali*.

e Re-

e Retineri potest *urbs regia*, quæ quidem appellatio honoris ac dignitatis plena in Salonam optime quadrat, urbem & incolarum frequentia, & numero ac magnificentia ædificiorum, & divitiarum copia plane dignam, quæ regali cognomine afficeretur.

f g Hæc omnino deleas oportet, quamquam desumpta esse videantur ex aliquo codice Salonitano. Nam Salonæ, ut diximus in historia S. Domnii, perinsigne erat collegium SS. Cosmæ & Damiani apud eadem cathedralem, in quo Clerici, ex veteri instituto, ritu Monachorum vitam degebant, & annexis redditibus, sive eleemosynis in commune collatis alebantur; id vulgo appellari solet *Canonica*, quamquam & cœnobium aptissime ex eo dicitur, quod vitæ ibidem victusque communis disciplina & ratio vigeret. Verum hujusmodi collegium, si quod fuit Salonæ, duobus aut ferme tribus sæculis post Venantium Episcopum Salonæ institutum fuisse constat.

h Corrige: *Tonsuram*. Qui in sortem Domini, & Clericalem orginem adscribi cupiebant, tonsura initiari solebant; quem quidem ritum ab ipsis Apostolis traditum, ejusque auctorem fuisse D. Petrum Principem Apostolorum ferunt. Quare totus is locus haud dubio depravatus, corrigi ac restitui potest ad hunc modum: *Ergo in ordine Clericali, apud Regiam urbem, tonsuram spectante populo humiliter suscipiens, taliter puriores vitæ normam &c.*

i Corrige: ut *Ordo ecclesiasticus doctrinæ probitatis, & sanctitatis exemplar*, qui primo illum &c.

k Corrige: *Archidiaconum*, seu *Primum Diaconorum*. Is magistratus potestate & auctoritate proximus erat ab Episcopo; & plerumque Archidiaconus ad sedem Pontificiam Episcopi morte vacuam promoveri solebat. Sed Venantius noster apud falsos illos Chronologos, quemadmodum ex Clerico Monachus, ita ex Archidiacono Abbas evasit; ut scilicet priori posterius commentum responderet.

l Corrige: *Clericos* inferioris ordinis, quibus auctoritate præerat; quosque in disciplina atque officio continebat.

m Corrige: *Ecclesiasticæ eruditionis*.

n Idest cives illi, ex quibus constabat ecclesia Salonitana.

o Clerici a populo sanctioris vitæ instituto discreti, atque inter se conjuncti, *Fratres* ritè appellari possunt.

p Corrige: *Sublato Hesychio Salonitano Præsule*.

q Quæ hac parenthesi inclusa sunt, omnia expungas licet.

r Corrige: *Salonensi Clero*.

s Corrige: *Primores Civi*.

t Corrige: *Archidiaconi*: id quippe expetere videbatur nomen ac dignitas Archidiaconalis, ut pro more satis usitato illorum temporum in Episcopi mortui locum primus ex Diaconis eligeretur.

u Corrige: ad *Episcopale*.

x Venantius ecclesiæ Salonitanæ præfuit annos ipsos quindecim, ut docet Catalogus Romanus Episcop. Salonensium. Sed commentitium Venantii Toletani Episcopatum brevissimo spatio definiri oportuit, cum S. Ildephonsus nihil loci aut temporis relinquat inter Adelphium, & Arausium Episcopos Toletanos, quibus vel invitis ac repugnantibus interjicere Venantium aliunde adscitum, atque intrudere voluerunt.

aa Corrige: *in urbem Narbonensem*, sive Narbonam, nunc Narentam.

bb Eam scilicet Pannoniæ partem citra Savum, quæ nunc Bossina dicitur, & tum pertinebat vel ad parochiam, vel ad provinciam Metropolitæ Salonitani.

cc Idest apud Dalmium, sive Dumnum, alpinum Dalmatiæ oppidum, quod *& Dalmana, & Dalmatia* interdum dici solebat.

dd Corrige: *anno Domini 155*. Ita in Catalog. Rom. Antist. Salonit.

ee Hæc delenda: has scilicet temporum notas ab illis falsificis Chronologis adjici oportuit, ut Venantius e secundo in septimum æræ Christianæ sæculum dejiceretur.

ff Hæc omnia retinenda, quippe cum Venantio nostro & historia Salonitana præclare congruunt.

gg Hoc nimirum sepulchrali tetrastico tota fabula fuit concludenda; nihil præterea deest, nisi extremum illud, quo veteres comœdiæ clauduntur, *Plaudite*.

CAPUT II.

De Translatione Romana S. Venantii Episc. Mart. Salonit.

§. I.

Auctorum Testimonia.

I. Ex Historia Salonitana cap. 8. edit. Amstelodamensis.

Joannes summus Pontifex Apostolicæ sedis, cum esset Dalmatinus natione, audiens suæ gentis miserabilem a casum, valde condoluit; misitque quemdam Abbatem Martinum nomine cum multa pecuniæ quantitate pro redimendis captivis. Qui veniens ad partes Dalmatiæ, multos redemit captivos a Slavis, eosque ad parentes suos remisit. Iste Martinus ex Apostolica jussione b *multorum Sanctorum reliquias accepit in partibus Dalmatiæ & Istriæ, & detulit eas Romam ad prædictum Papam Joannem, qui venerabilis Pontifex eas reverenter suscipiens recondidit apud ecclesiam B. Joannis Lateranensis, ubi est fons Baptisterii, & ibidem juxta fecit depingi imaginem B. Domnii cum Pallio, & Pontificalibus indumentis, totum ex musivo aureo. Similiter fecit imaginem B. Anastasii inter alios Sanctos.*

a Propter Salonæ eversionem & Barbarorum irruptionem.

b In his erat quoque Venantius, quamvis Auctor historiæ Salonitanæ, neque hunc, neque alios nominatim commemoret.

II. Ex Codice antiquo Lateranensi, cui titulus est: Tractatus de translatione S. Venantii & sociorum,.

Joannes natione Dalmata ex patre Venantio sedit annum unum, menses novem, dies decem & novem. Hic temporibus suis, per omnem Dalmatiam, seu Istriam multas pecunias per sanctissimum & fidelissimum Martinum Abbatem propter redemptionem captivorum misit, qui deprædati erant a gentibus. Eodem tempore fecit ecclesiam B. Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & aliorum multorum martyrum, quorum reliquias de Dalmatia, & de Istria adduci præceperat, & recondidit eas in ecclesia S. Stephani, a *juxta fontem Lateranensem, juxta Oratorium S. Joannis Evangelistæ, quod ornavit, & diversa dona obtulit. Ubi supra arcus argenteos duos fecit, qui pensant singuli libras quindecim, & alia vasa argentea multa.*

Ita reperitur descriptio translationis corporis S. Venantii Episcopi & martyris in Codice Passionalium Sanctorum Christi martyrum signato littera A. sub folio

folio 124. a tergo, exiſtente in ſuperiori Archivo Lateranenſi.

Eadem deſcriptio bene viſa & collationata de verbo ad verbum concordat cum ſuo originali. Datum Laterani hoc die 20. Junii 1722.

F. de Vico Cancellarius Lateranenſis, & Archivi Præfectus.

a Hæc ædes, cui antiquitus ab S. Stephano titulus fuerat, collapſa cum eſſet, ac per Joannem Papam magnificentius exſtructa, deinde a S. Venantio cognomen accepit. Vide cap. IV. §. 1. & cap. V. §. 1.

III. Ex Anaſtaſio Bibliothecario de vit. Rom. Pontif.

Joannes natione Dalmata ex patre Venantio Scholaſtico. Sedit annum unum, menſes novem, dies octodecim. Hic temporibus ſuis miſit per omnem Dalmatiam, ſeu Iſtriam, pecunias multas, per ſanctiſſimum, & fideliſſimum Martinum Abbatem propter redemptionem captivorum, qui deprædati erant a gentibus. Eodem tempore fecit eccleſiam B. Martyribus Venantio, Anaſtaſio, Mauro, & aliis multis, quorum reliquias de Dalmatia, & Iſtria adduci præceperat, & recondidit eas in eccleſia ſupra ſcripta, juxta fontem Lateranenſem, juxta oratorium B. Joannis Evangeliſtæ, quam ornavit, & diverſa dona obtulit.

IV. Ex Alphonſo Ciacconio de Vitis & rebus Rom. Pontificum.

Joannes IV. Venantii Scholaſtici filius, Dalmata Jadrenſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, Imperatore Fl. Heraclio Auguſto ſedit annum I. *menſes* IX. *dies* XVIII. *conſecratus* VIII. *Kal. Januarii, die Natalis Domini, ineunte anno Chriſti* a DCXXXIX.

Joannes Pontificatum iniens, ſtatim mira pietate uſus eſt; ex reliquis enim theſauris, quos Iſaacius Exarchus apud Lateranum reliquit, per S. Martinum Abbatem fideliſſimum, omnes captivos Dalmatas, aut Iſtros pecunia redemit. Reliquias SS. Martyrum Anaſtaſii, Venantii, Mauri, & ſociorum, ne a barbaris hoſtibus incumbentibus diſſiparentur, ut Romam quam diligentiſſime ferrentur, curavit. Eccleſiam quoque prope fontem Lateranenſem iiſdem collocandis a fundamentis ſtruxit. Quorum corpora ex Dalmatia, & Iſtria adduci fecit, atque in ea recondidit, quam & ornavit, & multis muneribus locupletavit; addita dote pro Sacerdotibus in ea ſervientibus.

a Alii ad annum DCXL. revocant initia Joannis IV. Pontificis Maximi.

§. II.

De Auctore tranſlationis.

Auctor tranſlationis Joannei Pp. IV.

INter omnes convenit Joannis IV. Pontificis Maximi conſilio & auctoritate Venantium & Socios ex Dalmatia in urbem tranſvectos fuiſſe. Ille quippe miſit in Dalmatiam, qui martyrum reliquias Barbarorum injuriis & ſacrilegiis expoſitas colligeret, & neceſſarios ad id ſumptus ex ærario Pontificio ſuppeditavit. Nec diſcrepat, quin Joannes originem e Dalmatia traxerit: id ambigitur, Jadertinus ne patria fuerit, an Salonitanus. Panvinius & Ciacconius cum inter cives Jadertinos annumerant, reliqui fere omnes Dalmaticæ originis mentionem faciunt, patriæ non item; nec deſunt tamen, qui eum Salonæ bonis parentibus, atque honeſto loco natum affirment. Sed id alias; nunc ſatis eſt noſſe provinciam, unde oriundus fuit. Cum

ex Dalmatia oriundus.

itaque Joannes, ut Baronius animadvertit, amaret unice nationem & populares ſuos, ſtatim atque creatus eſt Pontifex, nihil antiquius habuit, quam ut afflictis everſiſque Dalmatarum rebus conſuleret, & Sanctorum martyrum exuvias apud eos conditas hoſtium direptionibus, ac ſacrilegiis ſubtraheret. Quare Martinum Abbatem expertæ in primis religionis ac fidei virum in Dalmatiam proficiſci juſſit, ut quos Barbari in ſervitutem abduxerant, pecunia redimeret, pariterque Divorum reliquias, ne ab impiis hominibus violarentur, undique colligeret, atque in urbem transferret. Neque, etiamſi opus eſſet publicum in rem utramque ærarium exhauriri, quidquam penſi habuit; ratus id quod erat, nuſquam melius Pontificias opes collocari poſſe; ſimulque admonitus Chriſti exemplo, & auctoritate, qui præceperat Apoſtolis, ut prius ad ſalutem converſionemque popularium ſuorum omni ope ſtudioque incumberent, quam Evangelium ex Judæa proferrent, & Apoſtolicos labores in aliarum gentium utilitatem toto terrarum orbe propagarent.

§. III.

De cauſa tranſlationis.

QUa tempeſtate venerandas martyrum reliquias ex Iſtria, & Dalmatia Joannes IV. in urbem aſportandas curavit, ingens barbarorum multitudo ex ultimis Septemtrionis partibus effuſa finitimas Dalmatiæ provincias infederat; ipſamque Dalmatiam aſſiduis excurſionibus, rapinis, incendiis infeſtam habebant, ut nihil eſſet tam ſanctum, atque tutum, quod non eorum impietas furorque perrumperet ac violaret. Jam Salonam funditus exciderant, cives atque indigenas partim interfecerant, partim abduxerant in ſervitutem, partim patria exactos in proximas inſulas compulerant. Mira ubique ab incolis ſolitudo, ac vaſtitas erat, deſerta, inculta, & relicta omnia. Nihil barbaries atque impietas de ſacris profaniſque rebus intactum reliquerat, præter martyrum ſepulchra, quæ majores noſtri ſumma religione aſſervari colique voluerant; verendum autem erat, ne barbari poſt incenſa & abſumpta omnia, ſanctiſſimis hiſce monumentis impuras manus injicerent, niſi præſto eſſet, qui eorum immanitati ac furori ſacras illas exuvias præriperet. Atque id cauſæ fuit, cur Joannes Pontifex Max. eas in urbem transferri juſſerit; ut ibi potius eſſent, ubi colerentur, quam in iis locis, ubi fœdiſſimis injuriis ac ſacrilegiis paterent. Unde porro terrarum eſſent gentes illæ, quæ capta everſaque Salona totam fere Dalmatiam vaſtarunt, haud ſatis compertum videtur. Conſtat illas quidem ex ultima barbaria profectas fuiſſe, atque adeo Ethnica ſuperſtitione obſtrictas, vel certe Arianæ hæreſeos labe aſperſas, & Chriſtiano Catholicoque nomini infenſas; ſed de illarum origine ac patria alii alia litteris prodiderunt. Baronius pariter cum Raſponio earum genus ac nomen a Slavis repetendum cenſent. *Slavi*, inquit, *ſeu Sclavi in illa regione graſſantes*. Huic ſententiæ ſuffragatur hiſtoria Salonitana cap. 8. ubi Slavi nominantur ii, e quorum ſervitute Martinus Abbas Dalmatas captivos exemit: *Qui* (Martinus) *veniens ad partem Dalmatiæ multos redemit captivos a Sclavis*. Sed in eadem hiſtoria cap. 7. Gothos appellatos invenio eos, qui Totila duce ex Teutonia & Polonia jamdudum profecti, Chrobatiam occuparunt, deinde in Dalmatiam irruptione facta, Salonam everterunt. Sunt etiam permulti ac nobiles hiſtorici, qui hujus urbis everſores *Avarum* nomine afficiunt;

Barbari in Dalmatiâ effuſi

Salonam excidunt.

De genere & patria horum barbarorum opiniones variæ.

qui-

quinimmo plerique & graviſſimi auctores hoc fermeuno vocabulo illos deſignant. Atque ut mihi quidem videtur, eſt de nomine fere tota inter ſcriptores controverſia, quæ vel facillime, ſalva cujuſque auctoritate, componi poteſt. Nempe exercitus illo e triplici Barbarorum genere coaluerat; Slavi nimirum, Gotthi, Avares inita armorum ſociatate, in eam expeditionem convenerant; ex quo factum eſt, ut alii aliis nominibus eos appellent. Ac Porphyrogenitus quidem de Adm. cap. 29. duplici vocabulo Avarum, Slavorumque univerſos complectitur, per quos Dalmatiam vaſtatam eſſe tradit. Quod ſi uno omnes vocabulo comprehendere velis, malim eos *Avaros*, quam Slavos, vel Gotthos vocare; quippe non modo ex Avarum gente ſummi Ductores delecti erant, ſed etiam Avares copiarum numero ac multitudine cæterorum barbarorum colluviem ſuperabant: ex majori autem & nobiliori parte unamquamque rem appellari ſpectarique oportet. Sed de his alias fuſius, & accuratius.

§. IV.

De Martino Abbate.

Martinus Abbas. DE Abbate Martino, cujus opera atque induſtria ad transferendas in urbem Dalmaticorum Martyrum reliquias Joannes Papa IV. uſus eſſe dicitur, multo parcius, quam pro ſingularibus tanti viri meritis ac virtutibus, veteres ſcripſere, ut neque ejus genus, neque patriam, neque res alias præclare pieque geſtas memoriæ prodiderint. Auctor hiſtoriæ Salonitanæ, præter Abbatis titulum, nullam honoris aut dignitatis notam eidem appoſuit. At Onuphrius Panvinius cum in Divorum numero habendum cenſuit, cum eidem *Sancti* titulum ſcripſit: *Per Sanctum Martinum fidelissimum Abbatem* &c. Apud Baronium duplici, & quidem utroque honorificentiſſimo epitheto afficitur, quippe ſanctiſſimus, idemque fideliſſimus appellatur. Utrumque mutuavit Baronius ab Anaſtaſio Bibliothecario, & codice Lateranenſi, ubi Martinum iiſdem titulis condecoratum invenies. Suſpicio eſt Martinum Abbatem, de quo hic agitur, re ac nomine eumdem fuiſſe, qui Romanæ eccleſiæ proximus poſt Theodorum Joannis IV. ſucceſſorem ſumma cum laude præfuit; & primus Romanorum Pontificum fuit, cui nomen eſſet Martino. Hunc Conſtans Imperator ſecundus hoc nomine, idemque acerrimus hæreticorum fautor, in inſulam Ponti relegavit, propterea quod coacto Romæ concilio Monothelitas damnaſſet. Quare graviſſimis laboribus, ærumniſque confectus in exilio diem obiit anno 654, & Martyrum numerum ac venerationem obtinuit. Certe qui præclariſſimi hujus Pontificis Acta legerit, iis virtutis ac ſanctimoniæ notis eum ornatum inveniet, quæ cum Martino Abbate perbelle congruunt. Nam idem in Martino Abbate & Pontifice animus facile apparet, amplus & excelſus, ad labores impiger, ad pericula fortis, ad res magnas arduaſque religionis ac pietatis cauſa ſuſcipiendas gerendaſque promptus atque alacer; ut unus idemque videatur eſſe, qui primum Abbas & Cœnobiarcha, deinde Pontifex Romanus fuit,

Vir eximiæ fidei & ſanctitatis.

Idem fortaſſe ac Martinus, qui poſt Theodorum eccleſiam Romanam gubernavit.

§. V.

De tempore translationis.

De Anno translationis triplex ſententia. DE anno, in quem hujuſmodi translatio incidit, tres video ab auctoribus ferri ſententias. Hanc translationem alii revocant ad annum 40. ſeptimi ſæculi, alii in annum inſequentem rejiciunt, alii denique cum anno ejuſdem ſæculi 42. connectunt. Cujus quidem rei cum cauſam quærerem, quidnam eſſet, cur de tantula re tanta fuerit inter ſcriptores diſſenſio, has cauſas reperiebam duas; unam, quod Martinus Abbas auctoritate juſſuque Romani Pontificis majus quoddam opus ſuſceperat, quam ut unius anni ſpatio abſolvi ac perfici poſſet: nam omnes Dalmatiæ pariter Iſtriæque urbes haud ita brevi locorum intervallo diſjunctæ perluſtrandæ erant, & ſacra cæmeteria diligenter ubique exploranda, & opportunitas idoneorum ad effodendas colligendaſque reliquias temporum captanda, ne barbari, quorum referta erat regio illa, pio operi intentos de improviſo adorti abſiſtere incepto cogerent. Ad hæc: Dalmaticæ Legationis Martino traditæ caput illud videtur fuiſſe, ut captivos e ſervitute redimeret, quæ quidem res haud ita facili negotio peragi potuit, quin & multa loca adiri, & multum laboris ac temporis impendi oporteret. Quare trium ferme annorum partem aliquam in hujuſmodi legationem Martinus inſumpſit. Anno igitur 40. ſeptimi ſæculi Martinus ab Joanne IV. legatus in Dalmatiam appulit; ejus anni quod ſupererat, & inſequentem, itemque tertii anni partem aliquam legatione obeunda, exſequendiſque Pontificiis mandatis extraxit. Anno demum 42. re bene & e ſententia geſta Romam regrediens collectas e Dalmatia Iſtriaque Martyrum exuvias in urbem advexit. Ex quo fit, ut Venantii ſociorumque translationem alii ad primum, alii ad ſecundum, alii ad tertium hujuſmodi legationis annum referant, quippe cum Martini legatio hujuſce translationis cauſa ſuſcepta tres ipſos annos attingat. Hujc translationi qui annum quadrageſimum attribuunt, hi Martini ab urbe profectionem, adventumque in Dalmatiam ſpectant; qui alterum & quadrageſimum eidem aſſignant, Dalmaticam peragrationem Martini, curamque in veſtigandis colligendiſque ſacris lipſanis reſpiciunt; qui denique annum 42. adſcribunt, Martini in urbem reditum, & ſacrarum reliquiarum invectionem deſignant.

Altera cauſa, cur de anno translationis ſcriptores inter ſe diſſideant, hæc eſt, quod non omnes ab uno eodemque anno Joannis IV. Pontificis initium ducant. Sunt, qui cum Baronio eum Severino ſubrogatum putant exeunte anno 639., vita vero & Pontificatu defunctum anno 42. ejuſdem ſæculi. Plerique autumant eum ab anno 40. ad 42. ſeptimi ſæculi eccleſiæ præfuiſſe. Omnes autem Joanni Pontifici annum unum, menſes IX., & dies aliquot cum Anaſtaſio attribuunt. Hinc fit, ut prioris ſententiæ auctores partim in annum 40., cum Martinus ſacris reliquis colligendis operam dabat, partim in annum inſequentem, cum idem Romam rediit, Venantii ſociorumque translationem conjiciant. Qui vero poſteriori ſententiæ adhærent, ii quoque in duas partes diſtrahuntur, alteri annum 41., alteri 42. huic translationi adſcribunt; nec deeſt ratio, quam ſuæ utrique ſententiæ ſubjiciant; nam translatio illa utrumque annum amplectitur, altero inchoata, altero perfecta eſt, ſi ea duorum annorum ſpatio circumſcribi poſſe videatur.

Inſolemnem legationem tres annos ſumpſit.

§. VI.

De numero Sociorum S. Venantii.

Socii Translationis CAve putes hujus paragraphi titulo *Martyrii* ſocios deſignari; neque enim ſatis liquet, utrum Venantius glorioſi certaminis comites aliquos

quos habuerit, nec ne; cum nihil ea de re memoriæ proditum ſit. Huc igitur pertinent ſocii translationis, quorum corpora pariter cum Venantio Romam e Dalmatia Martinus advexit. Dubium non eſt, quin hujuſmodi ſocii minimum octo fuerint; totidem enim nominatim percenſent plerique auctores. Sunt porro *Maurus*, *Anaſtaſius*, *Septimius*, *Aſterius*, *Antiochianus*, *Telius*, *Cajanus*, *Paullinianus*. His nonum adjecit Joannes Severanus in eo libro, qui inſcribitur *memoria ſacra VII. Eccleſiarum*, eumque Sulpicianum appellatum tradit. Raſponus quoque Henſchenio teſte ad 11. Aprilis pag. 111. in eamdem ſocietatem Sulpicianum adſcribit; neque vero Cajanum & Septimium propterea indidem excluſit, quod eos prætermiſerit. Anaſtaſius Bibliothecarius, Martinellus Floravantes, Onuphrius Panvinius, Alphonſus Ciaconius, Lateranenſis codicis auctoritate nixi tres tantummodo nominatim deſignant, *Anaſtaſium*, *Venantium*, quem aliqui *Vincentium* vocant, & *Maurum*; nec tamen ſi reliquos ſilentio prætereunt, continuo eos ab hac ſocietate rejiciunt.

8. minimum, vel 9. de quorum nominibus conſtet.

Cæterum nolim exiſtimes numero tam exiguo eos omnes contineri, quorum exuvias Martinus ex Iſtria & Dalmatia in urbem tranſvexit. Octo quidem ſunt, quos ſingillatim enumerant, & ſuo quemque vocabulo afficiunt; ſed multo plures fuiſſe oportet una cum Venantio Romam translatos, quorum nomina ſcriptores vel ignorarunt, vel poſteritati tradere neglexerunt. Id adeo intelligi licet ex aliis auctoribus, qui Venantii Socios præ illorum multitudine nullo certo numero definiunt. Auctor hiſtoriæ Salonitanæ tradit multorum Sanctorum reliquias per Martinum Abbatem Romam invectas fuiſſe. Huic ſuffragatur codex Lateranenſis, qui iiſdem verbis eamdem ſociorum multitudinem deſignat: *Et aliorum* inquit, *multorum Martyrum*. Henſchenius octo illos nominatim recenſuit; hiſque *multos alios* ejuſdem translationis ſocios, & honoris participes adjecit, quamquam nullo illos vocabulo affecerit. Octonarius autem numerus anguſtioribus finibus circumſcribitur, quam ut vim ac notionem explere poſſit, quæ huic verbo, cum *multitudinem* dicimus, ſubjici ſolet. Huc accedit ratio, ſeu conjectura haud ſane improbabilis. Nemo fere Romanorum Imperatorum tribus prioribus ſæculis Chriſtianæ religioni bellum indixit, quin Dalmaticam eccleſiam, quæ tam prope ab Italia & urbe aberat, unde feralia illa edicta plerumque promulgari ſolebant, acerbiſſime divexaverit. Vel unus Diocletianus, quas & quantas in Dalmatia Chriſtianorum edidit ſtrages! ut poſt depoſitum imperium hanc unam provinciam, ubi ſedem ſuam regiamque collocaverat, ſibi deſignaſſe, & conſtituiſſe videretur, in quam omne odium, quo flagrabat adverſus Chriſtianos, furoremque univerſum effunderet. Nihilo remiſſius per eadem tempora exagitabatur Iſtria, quæ cum a Dalmatia haud procul diſtet, quibus conflictabantur Dalmatæ, iiſdem neceſſe eſt procellis ac turbinibus Iſtros perculſos fuiſſe. Ex quo ſatis apparet vim ſane ingentem ſacrorum lipſanorum apud Dalmatas Iſtroſque reconditam fuiſſe, cum utramque provinciam Martyres pene innumerabiles ſuis victoriis pariter, exuviiſque nobilitaverint. Ad hæc: cum annis haud ita paucis ante Salonitanam calamitatem, Gothi, Hunni, Slavi irruptione in Mediterraneum Illyricum identidem facta, provincias illas urbeſque ferro & igni vaſtabant, plurimorum Martyrum reliquias indidem avectas, ſubductaſque incendiis ac populationibus Iſtria & Dalmatia per id temporis accepit; cum nuſquam alibi, quam in ora maritima, antequam illuc quoque furor barbaricus perrumperet, tutior a barbaris receptus eſſe videretur. Hinc dici vix poteſt, quam ingens cumulus ſacris Dalmatiæ Iſtriæque theſauris ac lipſanothecis acceſſerit. Porro cum Dalmatæ pariter Iſtrique Martyrum apud ſe conditorum tantam copiam habuerint, quanta excogitari poteſt maxima, quænam tanta calamitas fuit, quæ regionem illam tam præclaris ornamentis præſidiiſque ſpoliaverit, ut ex tanta Divorum multitudine admodum paucos retineant, quorum ſepulchra oſtentent, reliquias colant, patrocinio glorientur. Haud equidem dubito, quin fieri potuerit, ut alii quidem alio translati ſint, alios oblivio poſteritatis obruerit, alios vetuſtas ipſa confecerit. Sed propius vero eſt tum præcipue utramque provinciam tam multis tamque eximiis theſauris exhauſtam fuiſſe, cum Martinus Abbas eo conſilio illuc appulit, ut ſacras hujuſmodi opes barbarorum excurſionibus atque incendiis expoſitas colligeret, atque in munitiſſimam Chriſtiani orbis arcem referret. Hinc fit, ut præter octo illos Martyres, qui propriis vocabulis deſignantur, alios ſane plurimos Martinus Romam advexerit, quorum quidem nomina ignorantur, numerus autem iniri vix poteſt.

Sed longe plures fuerunt, quorum nomina ignota.

§. VII.

Unde Venantii & ſociorum corpora Romam translata ſint.

DE locis, ſive provinciis, unde Martinus ſacras illas reliquias collegit, & in urbem tranſvexit, nulla eſſe poſſet controverſia, niſi communi ſententiæ auctoritas codicis Lateranenſis adverſari videretur. Auctores fere omnes, qui de hac translatione ſcripſerunt, Apoſtolicæ, qua functus eſt Martinus, Legationi æque Iſtriam ac Dalmatiam ſubjiciunt, & Martyres Romam translatos, conditoſque in ſacello Lateranenſi, utrique provinciæ acceptos ferunt. Verum in Lateranenſi codice cum ſcriptum ſit Martinum ab Joanne miſſum fuiſſe per omnem *Dalmatiam*, *ſeu Iſtriam*; hæc loquendi ratio addubitare nos cogit, num Martino in ea legatione utraque provincia, Iſtria ſcilicet ac Dalmatia, an alterutra ſolummodo obvenerit. Huic enim particulæ *ſeu*, quam disjunctivam vocant, ea vis ineſt, ut duo quidem conjungat, ſed alterum affirmet, alterum neque neget, neque affirmet; & cum ſit alterutro contenta, utrum utri præferendum ſit, non ſatis declarat. Sed objectus nobis ex codice Lateranenſi locus tanti non eſt, ut a communi ſententia diſceſſionem facere oporteat; præſertim cum auctor hujus codicis particula *ſeu* non ad disjungendum, ſed ad copulandum uti videatur, ſic prorſus, ut disjunctioni *ſeu* eamdem ſignificationem ſubjiciat, quæ conjunctioni & vulgo adhibetur; præſertim cum apud idoneos Latinitatis Auctores non deſint exempla, quæ hujuſmodi particulæ vim conjungendi attribuunt. Argumento eſt, quod duas illas provincias, quas hic videtur disjungere, paullo infra conjungit, & Martini Abbatis legationi utramque adſcribit, cum huic id negotii datum eſſe affirmat, ut ex Dalmatia pariter atque Iſtria Martyrum reliquias Romam deferret. *Eodem tempore fecit* (Joannes) *Eccleſiam B. Martyribus Venantio, Anaſtaſio, Mauro, & aliis multis, quorum reliquias de Dalmatia, & de Iſtria adduci præcepit.* Quæ de codice Lateranenſi diximus, eadem referri oportet ad Anaſtaſium Bibliothecarium, qui hanc narrationem iiſdem propemodum verbis contexuit. Neque illud hoc loco præ-

Utrum Martial legatio ſit Dalmatiam & Iſtriam, an ex his alterutrâ ſolum complecteretur.

Digitized by Google

prætermittendum puto, quod quidam haud contemnendi ſcriptores Apoſtolicæ hujus legationis fines latius proferre videntur; quippe tradunt Martinum ab Joanne proficiſci juſſum *per Dalmatiam, & alias regiones*: neque vero *aliarum regionum* nomine unam Iſtriam intelligi ſolum poſſe cenſeo, ſed hujuſmodi vocabulo plus aliquid comprehendi arbitror, quam quantum unius provinciæ finibus continetur. Itaque ex horum ſententia Apoſtolicam Martini peragrationem per me licet extendas in Chrobatiam uſque & Saviam & Epirum regiones Dalmatiæ finitimas. Quare ut paucis fiat ſatis quæſtioni huic paragrapho præpoſitæ; Venantium quidem ex Dalmatia, alios vero, partim ex Dalmatia, partim ex Iſtria, partim fortaſſis aliunde, Martinus Abbas in urbem tranſtulit.

CAPUT III.

De Sacello Lateranenſi Martyrum Dalmaticorum reliquiis inſigni.

§. I.

Deſcriptio prima ex Cæſare Cardinali Raſponi Lib. IV. cap. XI. Hiſt. Baſilicæ Lateranenſis.

JOannes IV. Dalmatiam patriam ſuam duplici memorandæ pietatis ſignificatione, poſt adeptum Romanæ eccleſiæ Pontificatum, eſt proſecutus. Cum enim a Sclavis Barbaris adhuc, & infidelibus populis per ea maxime tempora miſerabiliter premeretur, everſamque Salonam, Epidaurum, & reliquas pene omnes ejus tractus civitates, ac gentem pene univerſam, vel trucidatam, vel ſervitute indigna oppreſſam lugeret; ablegatis idoneis in eam regionem hominibus, quam maximum populorum ſuorum numerum libertate præſenti pecunia a Barbaris redemptum donavit, (in quod opus theſauris ab Iſacio Exarcho in Laterano relictis uſum fuiſſe perhibent) ſanctorumque reliquias, ne Chriſtianæ religionis hoſtibus ludibrio eſſe poſſent, plurimas eiſdem e terris exportandas, Romamque adducendas curavit: fuerunt autem S. Venantii, *Domnionis, Anaſtaſii, Mauri, Aſterii, Sulpiciani, Theli, Antiocheni, Paulliani; inque Oratorio, de quo nunc agimus, ab eodem ſunt condita, quod S. Stephani, ut diximus, olim notatum veriſimile eſt, ſuadente id, ut dixi, vetuſtiſſimo codice manuſcripto, quod in Archivo Lateranenſi aſſervatur; cujus verba ad hanc ſententiam facientia hæc ferme ſunt*: Joannes IV. natione Dalmata corpora Sanctorum Venantii, & ſociorum condidit in eccleſia S. Stephani juxta Fontem Lateranenſem juxta Oratorium Sancti Joannis Evangeliſtæ, quod ornavit, & diverſa dona obtulit.

Inter quæ dona præcipue arcus duo ex argento mirę magnitudinis, ponderis librarum triginta, argenteaque vaſa multa, non minus ſtructuræ, quam materiæ elegantia eximia. Habemus autem apud ſæpe memoratum Bibliothecarium hujus Oratorii mentionem in vita S. Stephani III. *Papæ, qui narrat Conſtantinum Pſeudopontificem cum Paullino, & Theodoro Epiſcopis Longobardis aufugientem, cum in Oratorio S. Venantii ad fontes deſcendiſſet, aliquantulum ibidem reſediſſe. Sed & Leo* III. *eodem Anaſtaſio auctore veſtes ſuas de fundato, & vela item duo donaſſe traditur.*

Ædificii ſitus, & ſtructura.

Hujus eccleſiæ ſtructura formæ pene quadratæ eſt, & ſita conſpicitur inter aream interiorem Baſilicæ Lateranenſis, Oratorium S. Joannis Evangeliſtæ, & Baptiſterium ipſum Lateranenſe, ejuſque portarum una poſita eſt ad Baptiſterium inter portam Oratorii Sanctarum Ruffinæ, & Secundæ, ſeu S. Andreæ, & adiculam S. Joannis Evangeliſtæ; altera ad Meridiem, qua ad atrium ſeu aream Baſilicæ interiorem iter eſt. Habet præterea e regione oſtiolum, quod ad ſacrarium ejuſdem Oratorii ducit. Antiquitus fuiſſe totum apertum, & per intercolumnia in porticus formam conſtructum teſtatur Panvinius; nam ad Orientem ſupereſſe quinque arcuum veſtigia, duorum vero ad Occidentem advertit; nunc undique clauditur. Parietes a tribus lateribus vetuſtiſſimis, & non inelegantibus picturis ornabantur, quarum tantummodo ſupereſt Deiparæ Virginis imago, de qua mox dicam. Parietes abſque ornamento conſpiciuntur, unica excepta abſidula, ſive calcidica, quæ antiquiores tabulis marmoreis, uſque ad Zophorum incruſtabantur, ſupra Zophorum vero uſque ad teſtum nitet opere muſivo, ſicut etiam calcidicæ toto concameratio nitet: in curvitate vero hujus abſidulæ imagines beatiſſimæ Virginis, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Joannis Baptiſtæ viſuntur, adjectis etiam Sanctorum Venantii, & Domnionis Martyrum Iconibus, cum Pallio, & Planetis cæruleis, qui ſine mitra libros in manibus tenent, eodemque habitu Joannes IV. *capellæ conditor exprimitur, ejuſque item ſucceſſor Theodorus, qui forte inchoatum opus perfecit, quippe Joannis imago eccleſiam, Theodori vero librum præ manibus habere fingitur; ſuperne & ab utroque amborum latere Salvatoris effigie imminente. Ad murum vero hinc inde e muſivo effigies Sanctorum Martyrum, quorum corpora hic requieſcunt, coronas præ manibus geſtantium: ſuperius vero in intervallis quatuor feneſtrarum animalium quatuor, totidemque Evangeliſtarum ſymbola: item Hieruſalem, & Bethleem civitatum apparent: in abſidis Zophoro e muſivo bi verſus leguntur inſculpti,*

Parietum picturæ abolitæ.

In abſide Imagines.

Inſcriptio.

Martyribus Chriſti Domini pia vota Joannes,
Reddidit Antiſtes, ſanctificante Deo.
At ſacri fontes ſimili fulgente metallo
Providus inſtanter hoc copulavit opus.
Quo quiſquis gradiens, & Chriſtum pronus adorans,
Effuſaſque preces impetrat ille ſuas.

Altaris deſcriptio.

In abſidis medio cernitur ara quatuor elevata gradibus, cui ſuperimpoſitum eſt ciborium marmoreum fultum quatuor nobilibus columnis item marmoreis, opere accuratiſſimo in ſpiram ſtriatis, cum capitellis ornatiſſimis; & ſub hoc altari proxime enumerata S. Venantii, & ſociorum corpora requieſcunt. Pavimentum olim erat totum lapideum, nunc opere lateritio ſtratum eſt. Introeuntibus vero per Baptiſterium ad lævam Deiparæ Virginis imago occurrit, ex antiquis picturis divina virtute adhuc ſuperſtes, quam tempore Gregorii XIII. anno 1572. *miraculis illuſtratam confluentes undique populi voti compotes pretioſis donis, imaginibus, ac multa ſacra veſte decorarunt; ibique religioſa fidelium pietas altare elegantiſſimis marmoribus, & columnis pretioſis ornatum erexit, unde capellæ præter antiquum S. Venantii, novum quoque S. Mariæ ad fontes vocabulum factum eſt, quibus duobus promiſcue nunc a fidelibus honorari conſuevit.*

Sub quo Venantii & ſociorum corpora.

Sacrarium ſupellectili ſacro aſſervandæ.

Proximum eſt, ut dixi, ſacellum, in quo ſacra ſupellex ejuſdem Altaris aſſervatur juſſu Lateranenſium Canonicorum, qui ſacra etiam ibidem facere præcipuis quibuſque B. Virginis ſolemnitatibus conſuevere: quod munus cæteris anni diebus, a certis clericis, & Capellanis, ab iiſdem Canonicis impoſitis, obiri mos eſt.

Aliud Oratorii S. Stephani.

Juxta Lateranenſem fontem exſtructum a B. Hilario Pontifice aliud Oratorium S. Stephani affirmat Anaſtaſius: hujus locum Panvinius certo deſignare ſe

se se posse negat ; suspicari tamen ait, ibi situm fuisse, ubi nunc est oblonga illa ambulatio, quæ Oratorium S. Joannis Evangelistæ, & Baptisterium interjacet. Mihi vero (etsi conjectura post innovatam a Panvinii tempore loci faciem multo difficilior est) similius vero videtur pro vestigiis hujus Oratorii edem S. Venantii assignare, quasi ex collocatione, quæ in ea facta est, reliquiarum ejus Martyris, ut mox dicemus, novum titulum, exsolescente veteri Sancti Stephani nomine, habere incœperit. Quod autem ab Anastasio in Joanne IV. innui videtur, idcirco fortasse dicitur, quod vel collapsum Joannes restituerit, vel ita exornaverit, ut conditoris laudem meritus videri possit. Inde autem ut hæc affirmem adducor, quod in vetusto codice varias Sanctorum res gestas continente, legisse me memini, corpora Sanctorum Venantii, & sociorum Martyrum in ecclesia S. Stephani fonti Lateranensi, ac S. Joanni Evangelistæ proxima, a Joanne IV. fuisse recondita. Unde satis evidenter argui potest, olim hoc Oratorium utramque & S. Stephani, & S. Venantii appellationem tulisse; amisisse autem primam, quomodo nunc ob frequentius S. Mariæ ad Fontes vocabulum, ut postea dicemus, hanc etiam secundam pene amisit.

§. II.

Descriptio secunda. Ex Joanne Ciampinio Monum. Vet. parte II. cap. XV.

De Oratorio S. Venantii.

INter antiquiora sacra ædificia Lateranensi Patriarchio adjacentia, S. Venantii Oratorium enumeratur, quod Baptisterio cohæret. Hujus Oratorii constructionem apud Bibliothecarium in Joannis IV. vita legimus: eodem tempore fecit ecclesiam Beatis Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & aliis multis Martyribus; quorum reliquias de Dalmatia, & Istria adduci præceperat, & recondidit eas in ecclesia suprascripta juxta fontem Lateranensem juxta Oratorium B. Joannis Evangelistæ, quam ornavit, & diversa dona obtulit. Ad cathedram B. Petri Joannes evectus fuit anno 639.

Sententia Card. Rasponi.

At Cæsar Rasponus Cardinalis in sua historia Lateranensis Basilicæ lib. 4. cap. 11. & 12. hujus Oratorii fundationem in dubium revocat, cum autumet, præfatum Joannem IV. idem Oratorium forsan collapsum reædificasse, melioribusque decorasse ornamentis. Quidquid de hujusmodi sit fundatione, ex præfati Rasponi sententia incertum redditur; certum tamen est antiquissimum esse ædificium, ut eruditus Panvinius antiquitatum amantissimus scribit; ac olim

Antiquus ejus ornatus.

usque ad zophorum e tabulis marmoreis incrustatum, nec non supra zophorum usque ad tectum musivo opere ab eodem Joanne Pontifice in speciosiorem formam redactum fuisse.

De hujusmodi ornatu nihil ad præsens supereſt præter Tribunæ Musivum, cum tempus omnia secum trahat, consumet, ac devoret. Parietes omnes albario obductæ sunt, interioremque Oratorii sive ecclesiæ statum ipsemet immutari vidi. Nam ante Tribunam antiqua erat ara, cui impositum Ciborium quatuor fulsultum marmoreis columnis conspiciebatur; nec non per quatuor gradus ad eamdem aram dabatur

Antiquæ ejus magnificentiæ restitutio.

ascensus. Hæc ara demolita fuit; aliaque ligusticis marmoribus cum venustiori forma erecta; in quam Beatissimæ Virginis imago, quæ in altari prope sacrarii januam erat, translata, nam altare dirutum fuit. Hæc nova constructio Musivi aspectum aliquantisper impedit.

Musivum hoc a temporum injuriis servatum anno 1674. a quodam Narcisso Spina Musivario, in multis, quæ perierant, pristinæ formæ restitutum fuit, ut ipse mihi narravit; asserens duas illas fenestras, quas in annexa Tab. XXX. lit. F. indico, etiam musivo opere in interioribus partibus fuisse ornatas; nunc vero muro obductæ sunt, ut pote etiam alia indicata littera G. Hæc de præsenti fabricæ statu, modo ad musivi operis descriptionem descendimus.

Anno 1674. Musivum opus restauratum describitur.

In anteriori hujus parietis facie cernitur arcus eleganti opere musivo efformatus, in quo, ut videre est, quinque sunt expressæ cruces: super arcum duo sunt quadrata, in quorum uno S. Lucas & Matthæus, in altero Marcus & Joannes omnes Evangelistæ sub animalium forma expressi. In ejusdem parietis angulis duæ civitates, in portis suspensas lucernas habentes, efformatæ spectantur. De præfatis symbolis alibi disseruimus, ideo calamum ad alia notanda convertimus. Ad ejusdem arcus latus dextrum octo Sancti musivo opere expressi sunt, totidemque ad sinistrum. Eorum, qui ad dextram cernuntur partem, nomina sunt, S. Paullianus, S. Telius, S. Asterius, S. Anastasius: ad sinistram S. Maurus, S. Septimius, S. Antiochenus, S. Gajanus. Ambigendum minime est, hos Sanctos illos representare Martyres, quorum reliquias laudatus Joannes IV. Sum. Pontifex e Dalmatia Romam adduci voluit, ut supra exposuimus. De his Martyribus ad diem 11. Aprilis in Martyrologio Romano hæc fit mentio: Salonæ in Dalmatia Sanctorum Martyrum Domnionis Episcopi cum octo militibus.

Cardinalis Baronius in notis ad id Martyrologium sic asserit: Salonæ in Dalmatia Sanctorum Martyrum Domnionis Episcopi, cum militibus octo: *De his etiam Usuardus hac die; consentiuntque vetera manuscripta, scriptorum sociorum nomina hæc sunt: Paullianus, Telius, Asterius, Anastasius, Maurus, Septimius, Antiochianus, & Cajanus; quorum corpora Joannes Papa IV. Dalmata translata e Dalmatia, prope baptisterium Constantini recondidit in Oratorio a se decentissime exornato. Asservatur illic etiam corpus S. Venantii. Hæc ejusdem ecclesiæ Lateranensis monumenta testantur.*

Hinc dubitandi ansam desumo, non omnes hos octo, hoc in emblemate expressos fuisse milites, ut ex indumentis facile argui potest; sed tantum quatuor: nam chlamys militaris erat vestis. S. Paullinianus tam veste, quam chlamyde albi coloris est indutus, præter panni particulam, quæ e pectore decidit, corpusque tegit, quæ coloris violacei subobscuri est, cujus in medio duo alba signa cernuntur.

Diu cogitavi, quid indicaret pannus iste; mea propterea revolvi mente omnia Romana simulacra, sed nihil inveni, quod huic panno adaptari posset. Judico itaque Græcanicum ornamentum esse, cum Sanctos istos Græcos fuisse putem, quoniam in Dalmatiam obdormierunt in Domino. Græci enim Imperatores deferebant Laticlavum, in signum supremæ nobilitatis.

S. Telius, Antiochianus, & Gajanus pari modo vestiti sunt; reliqui tres ecclesiastica indumenta habere noscuntur: nam S. Asterius Casula violacei coloris, quæ Sacerdotalis est vestis; S. Maurus an casula, an Dalmatica indutus sit, dubium redditur; vestis autem violacei est coloris. S. Anastasius vero veste alba, pallioque glauco indutus cernitur; in cujus pallii fimbria est Monogramma N. S. Septimius autem Dalmaticam albam defert. Hi tres postremi capillos in coronæ forma tonsos habent, qui coronam clericalem demonstrant. Quare pro certo habeo quatuor fuisse milites, alios duos Episcopos, sive unum presbyterum, & alium Diaconum, postremum virum sæcularem, hunc que esse virum illum Anastasium Aquilejensem, qui apud Salonam Martyrium pro Christi nomine suscepit, ut scribit

Thomas

Thomas Archidiaconus Spalatenſis in ſua hiſtoria Salonitanorum Pontificum cap. 5.

Ultra indumenta etiam locum, ſive ſitum obſervo, quem eiſdem pictor dedit, nam Conſuli primum locum, ſecundum Archiepiſcopo, ni fallor, qui forte Archiepiſcopus Salonitanus fuit. Tertius locus datus eſt Aſterio, qui forte erat Presbyter eccleſiæ Salonienſis. Quartus S. Septimio, qui forſan hujuſdem eccleſiæ Diaconus.

Obſervo etiam, quod Eccleſiaſtici deferant librum, vel volumen: Ille Evangeliorum librum indicat: hoc illud oſtendit volumen, in quo ordinationes, aliique eccleſiaſtici ritus cum figuris annotatæ erant. Similia volumina ealibus ornata figuris me vidiſſe recordor. Animadverto ulterius, quod omnes viri ſacerdotes coronam gemmatam in manibus deferunt, quæ oblationes in ſacrificiis a Fidelibus factas ſignificant. Hæc de arcu, modo ad Tribunam.

In hujus Tribunæ ſummitate ſtat Chriſtus Dominus noſter veluti inter nubes, dexteram in actu benedicendi extollens, violacei coloris veſte cooperitus. Ad dexteram unus, ad ſiniſtram alter Angelus aſſtant, caruleis indumentis veſtiti, in quorum fimbriis eſt monogramma H. in inferiori tribuna parte, in ejuſque medio ſtat Beatiſſima Virgo, expanſa tenens brachia, quam veſtes violacei coloris ſubobſcuri circumdant. E collo pendet parva Crux, ac ſupra interiorem veſtem etiam pendere cernitur orariam, ſive ſtola Cruce inſignita. Ad ejus dexteram ſtat ſenex alba veſte amictus, cujus in fimbria eſt monogramma P. librum dextera tenens, qui S. Paullum abſque dubio indicat; cum ad ſiniſtram ſtet S. Petrus, ut claves, quas in dextera habet, talem Sanctum virum demonſtrant: ſiniſtra viatorium ſtringit; cujus in ſummitate eſt crux.

Prope S. Paullum eſt S. Joannes Evangeliſta, ut ipſa epigraphes oſtendit, qui librum itidem gerit, veſtibuſque albis indutus eſt, & in exterioris veſtis lacinis monogramma H. apparet. Prope S. Petrum eſt S. Joannes Baptiſta, ut appoſitus titulus exprimit; interiorem veſtem caruleï, pallium vero glauci coloris habet; in hujus pallii extremitate appictum cernitur dictum monogramma H.

Modo ad dexteram redeo partem: poſt S. Joannem ſequitur S. Venantius, qui interiorem veſtem albam defert, ac ſuper hanc aliam veſtem coloris violacei ſubobſcuri, quæ caſula ni fallor eſt; ac ſuper eamdem orarium ſive ſtola excurrit. Quod S. Venantium deſcripta figura repreſentet, appoſitæ litteræ id ſignificant: quod fuerit Epiſcopus, ex veſtibus deducitur; cujus vero loci, incertum eſt; certum tamen, quod ejus corpus cum aliis ſupra relatis martyribus laudatus Joannes Pontifex e Dalmatia adduci fecit, ut ſupracitatus Bibliothecarius enarrat.

In oppoſita parte apparet S. Domnio, pari modo veſtitus, qui itidem Epiſcopus fuit; & cenſet Baronius in notis ad Martyrologium ad diem 1. Aprilis ambos hos Provintiæ Dalmatiæ, ſeu Iſtriæ fuiſſe Epiſcopos; Baronii autem ſententiam libenter amplectior.

Redeamus modo ad dexteram. In hujus tribunæ angulo vir antiquis Pontificalibus indumentis circumdatus violacei ſubobſcuri coloris, qui eccleſiam manibus ſuſtinet, procul dubio ſanctiſſimum Pontificem Joannem IV. eccleſiæ ædificatorem deſignat: conſuevere enim antiqui Romani Pontifices, quando eccleſias ædificabant, illaſque muſivis ornabant operibus, propriam imaginem in eis exprimere, & conſtructæ eccleſiæ delineationem manibus geſtantem, ut videre eſt in eccleſiis S. Laurentii in agro Verano, ac S. Agnetis ſupra relatis, & infra referendis.

In oppoſito vero angulo, ſive ſiniſtra parte ſtat, Illyricum Sacrum.

ni fallor, alter Pontifex, quoniam ſimilibus veſtibus indutus cernitur, librumque in manu geſtat. Hunc pro certo habeo, ſanctiſſimum Pontificem Theodorum, ejuſdem Joannis ſucceſſorem demonſtrare, qui eccleſiam a ſuo Prædeceſſore conſtructam muſivis ornavit operibus: quare debitam ſuo anteceſſori laudem detrahere minime volens, propterea ejuſdem imaginem, uti Oratorii conſtructoris, exprimi voluit.

His ſub imaginibus nonnulla leguntur carmina; quæ tam a Grutero pag. 1164. n. 4. quam a Raſpono lib. 3. cap. 12. in ſua baſilica Lateranenſi errata, ab eccleſiaſticæ vero Hiſtoriæ parente Cardinali Baronio correcta referuntur, ad cujus normam minuſculis ſupplevimus litteris ea, quæ in autographo temporum injuria deleverat, ut videre eſt in annexa Tab. XXXI. Carmina vero ibi inciſa ſunt hæc. Inſcriptio erroribus ſcatens, a Baronio emendata,

Martyribus Chriſti Domini pia vota Joannes,
Reddidit Antiſtes ſanctificante Deo.
At ſacri fontes ſimili fulgente metallo
Providus inſtanter hoc copulavit opus.
Quo quiſquis gradiens & Chriſtum pronus adorans,
Effuſaſque preces impetrat ille ſuas.

§. III.

Deſcriptio III. ex Auguſtino Oldoino in Auctariis ad vitam Joannis IV. a Ciacconio deſcriptam.

JOannes Oratorium, quod conſtruxit juxta Fontem Lateranenſem, D. Venantio, & ſociis dicatum voluit, ut ſcribit Octavius Pancirolus; quod primum nomen retinuit uſque ad annum 1575. ex quo Virginis Matris imagine miraculis ibi coruſcante, vulgo poſtmodum dictum eſt: La Madonna di S. Giovanni. *Inter alia hujuſce Oratorii ornamenta illud adjecit Joannes, ut quorum Sanctorum corpora tranſtuliſſet, eorumdem & imagines in abſide muſivo opere fieri ſtudio propenſiore curaret. Verum inchoatum opus cum ipſe morte præventus inabſolutum reliquiſſet, Theodorus, qui in ejus locum ſucceſſit, abſolvit. Adhuc extant integræ ſacræ imagines Dei Genitricis Mariæ, & Sanctorum martyrum, quorum illic ſub Altari corpora habentur recondita, muſivo opere: atque hi, qui ſequuntur, verſus eodem opere exarati, ibidem in abſidis hemicyclo ſcripti leguntur:*

Martyribus Chriſti Domini pia vota Joannes
Reddidit Antiſtes ſanctificante Deo.
At ſacri Fontes ſimili fulgente metallo
Providus inſtanter hoc copulavit opus.
Quo quiſquis gradiens & Chriſtum pronus adorans,
Effuſaſque preces impetrat ille ſuas.

CAPUT IV.

Animadverſiones in deſcriptiones ſacelli Lateranenſis Venantiani.

§. I.

De variis titulis huic ſacello pro temporum varietate impoſitis.

HUic ſacroſanctæ ædiculæ titulos omnino quatuor alios ex aliis inditos invenio. Primum a S. Stephano, alterum a S. Venantio, tertium a a Theodoro I. Romano Pontifice, quartum denique a Deipara Virgine accepit. Haud ſatis liquet, utrum a B. Stephano, qui cum primus omnium pro Chriſto ſanguinem profuderit, *Protomartyris* cognomen invenit, an ab altero Stephano ducentis annis poſteriore, qui cum Romani Pontificatus Ædis Venantiana tituli quatuor,

insignibus martyrii palmam conjunxit, hæc ædes *Stephani* titulum sibi adsciverit. Illud quoque in controversia est apud Scriptores, utrum unum omnino idemque fuerit sacellum, quod primum Stephani, deinde Venantii titulum subierit; an vero duæ olim fuerint ædiculæ, suo quæque titulo inscriptæ, quarum alteram ab altera etiam reipsa, non solum nomine distingui oporteat. Sunt, qui auctore Panvinio existimant, prope eo sacello, quod nunc extat visiturque, sitam fuisse ædem S. Stephani, oratorio S. Joannis Evangelistæ & Baptisterio interjectam; hanc diruta funditusque eversa, Stephani titulum immigrasse in proximum sacellum, quod Joannes IV. Venantio exstruxit; quæ quidem nova ædes pro vetere cum esset substituta, non minus a Stephano, quam a Venantio religionis ac nominis causam accepit. Sed plerique contra sentiunt, & contendunt unum fuisse atque idem sacellum, cui primum Stephani, deinde Venantii titulus obvenerit; sive quod Joannes IV. veteri templo collapso, & a fundamentis avulso, in iisdem vestigiis consimilem ædem Venantio excitaverit, ut censet Card. Rasponius; sive quod antiquam ædem nutantem, ævoque fatiscentem refecerit, & magnificentius ornatam ad cultum venerationemque S. Venantii transtulerit, ut Ciampinus existimat. Me haud pœnitet hujus sententiæ esse, quippe quam Lateranensis codicis auctoritate innixam video; nam in eo scriptum est Venantii & sociorum reliquias *in ecclesia S. Stephani* recondi-tas fuisse: quæ verba satis declarant non aliam ædem ab Joanne vel restitutam, vel refectam esse, & martyrum exuviis e Dalmatia Istriaque advectis nobilitatam, nisi illam ipsam, quæ Stephani titulum jam inde ab sæculo quinto, cum exstructa fuit, ab Hilario Pontifice, ut tradit Anastasius, sibi inditum ad eam usque ætatem retinebat. Illud vero inter omnes convenit non statim antiquum S. Stephani nomen cultumque abrogatum fuisse, simul ac Venantii nomen ac religio una cum ejusdem reliquiis illic recepta est; sed aliquamdiu illud sacellum utriusque martyris titulum retinuit, quoad Stephani memoria cultuque paullatim obsolescente, tandem ab uno & solo Venantio cognominari cœpit.

An Ædes S. Stephani diversa fuerit a Venantiana.

Porro cogitanti mihi, quid causæ fuerit, cur Joannes IV. titulum, quem condito a se ornatoque sacello inderet, maluerit a Venantio desumere, quam a cæteris martyribus, quorum pariter reliquias ibidem reposuit, hæc una occurrebat haud sane speciosior, quam probabilior, quod nimirum ejus parens, cognomento Scholasticus, Venantii nomine appellabatur, ut Anastasius Bibliothecarius, cæterique docent, qui Vitas Romanorum Pontificum perbrevi elogio complectuntur. Etenim verisimile est Joannem in optimi parentis sinu sanctissime educatum, ab ipsa pueritia paternis adhortationibus & exemplis sic institutum fuisse, ut D. Venantium in primis, utpote parentis sui cognominem ac patronum sibi in omni vita eximia quadam veneratione colendum duxerit; ex quo factum est, ut non minus religionis, quam bonorum paternorum hæres existeret. Quocirca Lateranense sacellum ab se restitutum Venantii titulo cultuque consecrandum censuit, ut suæ sive religionis adversus hunc martyrem, sive pietatis erga parentem, insigne hoc monumentum ad posteros transmitteret. Quid si Venantius Joannis pater ad id temporis vitam perduxerit, idemque pro sua in eumdem martyrem religione auctor filio fuerit, ut sacellum illud D. Venantio dedicaret? Id equidem affirmare non ausim; quas enim rationes huic opinioni subjiciam, nullas invenio; cæterum neque video, quibus eadem argumentis falsa demonstrari possit.

Cur Joannes adjectam ab se conditam, vel refectam a Venantio cognominari voluerit.

Quod attinet ad tertium titulum, qui adjectus est secundo, vel cum eo pariter usurpari interdum solebat, Martinellus Floravantes, Cæsar Cardin. Rasponius, aliique auctores sunt, eidem sacello cognomen factum fuisse ab Theodoro primo, qui proximus post Joannem IV. Romanam sedem obtinuit. Cur ita denominatum sit, hanc fere causam afferunt, quod cum mors intempestiva Joanni præripuisset laudem ornati perfectique templi, Theodorus Pontifex præclara cœpta exsequens, egregium opus ab Decessore inchoatum perfecit, Deoque optimo maximo in honorem S. Venantii ritu solemni dedicavit; ut tradunt Anastasius, Baronius, Oldoinus, Ciampinus, a quibus non dissentit Rasponius, qui tamen negat id sibi adeo exploratum esse, ut pro certo habendum putet. Nec vero templum hoc Lateranense idcirco ab Theodoro cognomen sumpsit, quod hujus nomine ac religione consecratum fuerit; sed quia is Pontifex vel huic sacello fastigium imposuit, ejusque ornamenta ab Joanne fieri cœpta pari pietate ac magnificentia absolvit; vel certe perfectum jam ornatumque sacellum dedicavit, propterea *Theodori Oratorium* vulgo vocitari interdum solebat. Ad hunc ferme modum Romani appellant duas illas celeberrimas S. Laurentii Basilicas a Damaso itemque a Lucina cognomentum adeptas, quod alteram Damasus Pontifex ornaverit ac dedicaverit; alteram Lucina sanctissima fœmina atque opulentissima ære sumptuque proprio a fundamentis excitaverit.

Tertius titulus a Theodoro Papa.

Restat, ut de quarto eodemque postremo hujus ædis titulo aliquid dicamus. Altero abhinc sæculo ædes *S. Mariæ ad fontes* appellari cœpit. Novæ appellationis causam præbuit imago quædam Deiparæ Virginis sane vetus, in eodem sacello antiquitus locata prope januam Sacrarii, quæ cum antea minus impense, quam dignum erat, coleretur, Gregorio XIII. Pontifice Max. tot repente tantisque miraculis florere cœpit, ut omnium illuc adeuntium venerationem præcipuam ad se unam converteret. Hinc loci religio mirifice aucta populi Romani religionem ac frequentiam excivit. Extemplo igitur, prout sua quemque pietas aut necessitas stimulabat, ad Lateranensem Deiparam accurrere, adducere aut deferre ægros, opem poscere, vota facere cœperunt. Votorum eos compotes fuisse, & ipsorum Deo ac Deiparæ grates agentium voces, & votivæ tabellæ de parietibus suspensæ docebant. Illud quoque, ut præclare animadvertit Rasponius, miraculi vim obtinet, quod cum pictura antiquitus sacelli parietibus superinducta, plurimis locis, temporis vetustate defluxisset, hæc una effigies perinde incolumis, intactaque ab omni temporum injuria mansit, quasi manu admodum recenti picta esset; ut satis appareat Deo cordi fuisse cæteris multiplici ex parte abolitis, unam hanc suæ Matris effigiem sartam tectamque servare. Porro venerandæ hujus iconis sive religio, sive beneficentia hominum animos adeo permovit, ut non modo eam certatim muneribus colerent, sed etiam eidem intra sacellum aram exstruerent opere ornatuque sane eleganti. Cujus rei auctores habeo sane idoneos Rasponium, Floravantem, Oldoinum, aliosque complures. Sed de anno, quo hæc acciderint, inter se discrepant, alii hæc in secundum, alii in quartum, alii in quintum supra septuagesimum sæculi decimi sexti annum conjiciunt. Itaque sacra illa effigies altari prope januam sacrarii exstructo imposita fuit; & non vetustate quam miraculis illustrior, cum majo-

Quartus titulus a S. Maria.



Digitized by Google



Digitized by Google

majoribus in diem populorum ſtudiis celebraretur, huic ædi novam religionis cauſam attulit, & novum eidem ab ſe titulum ſuperimpoſuit, ſic ut deinde crebrius *S. Mariæ*, quam *S. Venantii*, vel *Theodori* nomine appellaretur.

Superiore ſæculo vel plurimum Deiparæ Lateranenſi ad cultum venerationemque acceſſit, cum ſacra effigies in aram maximam, e marmore liguſtico recenter exſtructam, quæ ſubeſt abſidi, translata eſt, & in medio maximeque conſpicuo ipſius aræ loculo, ad id præclare exornato, perquam honorifice repoſita. Altare autem, unde translata fuit, amotum eſt ac dirutum, ne aream templi redderet anguſtiorem. Nihilo ſegnius, quam populi, Canonicorum Clerique Lateranenſis pietas erga ſacram effigiem ac religio fervet. Nam ſingulis feſtis diebus ad Deiparam Virginem colendam ab eccleſia inſtitutis, Canonici omnes cum Clero univerſo ad id ſacellum, ſolemnibus ſacris ibidem operam daturi accedunt. Ad hæc: delecti ſunt, deſignatique ex inferiore Clericorum ordine, qui ſtatis quotidie horis in eo loco, Deiparæ Lateranenſi laudes canant, hymnoſque perſolvant, ut nulla dies abeat, quin ſacroſanctæ iconi aliquid honoris, cultuſque impertiatur. Nec vero deſunt, qui putent hanc ſanctiſſimę Deiparæ effigiem multo vetuſtiſſimam e Dalmatia cum reliquis Divorum exuviis Romam per Martinum Abbatem translatam fuiſſe; cui quidem opinioni neque aſſentiri, neque repugnare auſim.

§. II.

De imaginibus Divorum intra abſidem pictis.

In abſide ſumma Chriſtus Dominus,

SUperna templi pars opere concamerato exſtructa, quam alii *Tribunam*, alii Abſidem vocant, aræ maximæ ſuperſtat. In ipſo mediæ abſidis faſtigio conſpicuus inter nubes eminet Servator humani generis Chriſtus Dominus, inſigni vel majeſtate oris, vel totius corporis habitu cultuque viſendus, quem duo hinc atque hinc circumſtant Angeli in veſte cærulea, eo artificio expreſſi, ut Chriſto ſupplicantium ſpeciem præferant. Priores dexteræ digitos bene precantis in morem tollit, ſic ut dona ſibi a Divis, qui ſunt infra, oblata grati animi ſignificatione excipere, ſuaque, ut ajunt, benedictione impertiri videatur.

Infra Virgo Deipara,

Paullo infra, in abſidis hemicyclo octo in orbem effigies, variis coloribus viſuntur expreſſæ, quæ totidem Divorum ſpeciem habitumque referunt, aptis & accommodatis utique locis diſpoſitæ; inter quas media ſtat Deipara Virgo, cum eximia pulchritudine ornatuque, tum vultu adeo decoro, adeo pio & affabili, ut nihil ſupra. Hæc ſiquidem internunciæ apud Deum, ſive deprecantis officio fungitur; ſuaque interpoſita commendatione, & manibus brachiiſque expanſis filium exorat, ut Divorum extra abſidem utrinque adſtantium oblata benigne clementerque excipere velit.

media inter Petrum & Paullum.

Ad latus Deiparæ proxime adſtant Petrus & Paullus Apoſtolorum Principes, ille ad lævam, hic ad dexteram ſitus. Nam ea fuit conſtans ac perpetua apud Romanos conſuetudo, ut in omnibus fere hujuſmodi picturis, ſecundum Deum Deique Matrem, principem honoris locum obtinent Petrus Paulluſque, quippe cum utrumque eccleſia Romana conditorem ſuum ac parentem agnoſcat. Adde, quod ea quoque cauſa Joannem Pontificem, vel ejus ſucceſſorem fortaſſis impulit, ut inter Salonitanos martyres Petrum & Paullum pingendos curaverit, quod uterque ad condendam eccleſiam Salonitanam conſilium pariter operamque contulerit. Illud hoc loco potiſſimum animadverſione dignum arbitror, quod alias & ſæpe quæſitum eſt; nec mirari ſatis queo, cur ab iis tacitum prætermiſſumque ſit, qui cæteroquin accuratam ſacelli Lateranenſis deſcriptionem nobis tradiderunt; quid cauſæ fuerit, quamobrem Petrus a ſiniſtra, Paullus autem a dextera Deiparam circumſtent, contra quam noſtrorum temporum, & regionum conſuetudo poſtulat, qua ſcilicet edocemur eum ad dexteram locari oportere, qui alteri dignitate præſtat; quem vero inferiorem ordine graduque eſſe ducimus, hunc ad ſiniſtram rejiciendum eſſe. Huic quæſtioni nunc paucis reſpondeo, nam idipſum alibi a me ſæpius dictum eſſe memini, morem hunc ductum a Græcis apud Latinos quondam viguiſſe, ut excellentiſſimus quiſque ſiniſtrum locum obtineret; quippe cum temporibus illis tum in Græcia, tum in Italia ſiniſtra quam dextera honorificentior haberetur. Sed res eſt plane digna, de cujus origine, cauſiſque paullo accuratius diſputetur. Quare operæ pretium fuerit infra ſubjicere, quid hac de re viri doctiſſimi ſcripſerint, quidve cenſuerint. Illud præterea animadvertas velim eumdem deinceps ordinem moremque in reliquis Divis collocandis ſervari; nam ut quiſque dignitate antecedit, ita ſiniſtræ primatum tenet.

Petro Jo. Bapt. Paullo Jo. Ev.

Itaque S. Joannes Baptiſta B. Petro ad ſiniſtram, S. Joannes Evangeliſta B. Paullo ad dexteram adſtat; nam huic ille ex inſtituto rituque eccleſiaſtico præferri ſolet. Joannes Pontifex hujus ſacelli vel conditi, vel reſtituti auctor utriuſque Joannis ſimulacrum pingi juſſit, vel quod Divos cognomines ſuos, præcipua veneratione proſequeretur, vel quod utriuſque cultus ac religio jam inde antiquitus in Laterano primas obtinebat; alterius quippe nomine ipſa baſilica conſecrata eſt, ab altero vero tituli ac venerationis cauſam accepit proximum ſacellum, quod *Baptiſterium*, ſeu *Fons Conſtantini* appellatur.

Proxime ab his locum tenent Domnius & Venantius Salonitani Antiſtites, alter a ſiniſtra, alter a dextera. Et Venantius quidem, quamvis hujus ſacelli titulum dedicationemque ſibi uni vindicet, loci tamen primatum Domnio cedit; quippe quem præferri oportuit, tum quod ætate ſuperior erat, tum quod Salonitani Pontificatus fundamenta jecerat, & ab eo, qui deinceps conſecuti ſunt Epiſcopi dignitatis ſuæ auctoritatiſque originem repetant. De hoc S. Domnii ſimulacro picto in abſide Lateranenſis ædiculæ hæc ſcripſit Auctor hiſtoriæ Salonitanæ, inſeruitque cap. VIII. ubi de Joanne IV. Pontifice pauca commemorat: *ibidem juxta fecit depingi imaginem B. Domnii cum Pallio, & cæteris Pontificalibus indumentis, totum ex muſivo opere.*

exteremo loco Joan. & Theodori Pontifices Rom.

In extrema parte abſidis, duæ hinc atque hinc cernuntur effigies, quarum altera Theodorus I. altera Joannes IV. Pontifices Maximi deſignantur, ſi Martinelli, Raſponii, Ciampini, aliorumque Auctorum ſane gravi judicio, & interpretationi ſtandum putemus: uterque ſiquidem præclari hujus operis partem aliquam ſibi vindicat, quod hujus templi ædificationem vel ornatum alter inchoaverit, alter perfecerit. Cæterum cum neutri nomen appoſitum ſit, non ſatis certo liquet, quo ſpectent imagines illæ, cujuſve perſonam gerant; nam prioribus illis, de quibus modo dictum eſt, proprium & ſuum cuique nomen adſcriptum, vel indicia certiſſima docent, unde ſine ulla ambiguitate dignoſci poſſint. Præterea pauca quædam habeo, quæ huic interpretationi ac ſententiæ objiciam; non quod eam improbandam cenſeam, quæ mihi ſummopere placet, ſed quia ſcrupulos quoſdam,

Digitized by Google

dam, in quos hæc opinio incurrit, prius amoveri oportet, quam ad alia pergamus. Nam primum quid est, quod Joannes a dextera, Theodorus a sinistra collocetur; contra quam consuetudo illorum temporum, & honoris cuique debiti ratio postulat? Cum enim Joannes ante Theodorum gesserit Pontificatum, & hujus sacelli auctor primarius fuerit, is honos habendus erat antiquitati, & ipsimet præcipuo conditori, ut Joanni honorificentior, quam Theodoro locus tribueretur. Deinde quorsum pertinet, quidve significat circulus ille utriusque caput ambiens, quo eos tantum ornare, & quadam quasi nota distinguere solemus, quos ecclesia in Divorum numero venerandos esse decrevit? Neutri quippe id signi convenit. Nam Joannes quidem nusquam inscriptus invenitur in Divorum fastis ab ecclesia approbatis; Theodorus vero licet post obitum dignus a multis habitus fuerit, qui Divi titulo cultuque afficeretur; tamen cum se ipse pingi jusserit, nisi plane desiperet, nullo modo permittere potuit, aut debuit, ut sibi vivo videntique hujusmodi insigne appingeretur.

Sed hæc leviora sunt, quam ut tot gravium virorum interpretationem ac sententiam labefactare possint. Nam ad primum quod attinet, paucis respondeo. In more institutoque majorum positum est, ut Reges ac Pontifices, cum vivunt ac regnant, omnibus ompi honore præferantur, ac nemini, ne Decessoribus quidem de loci primatu concedant. Habes igitur causam, cur Theodorus vivens adhuc atque imperans Joanni demortuo sit honoris gradu, locique dignitate antelatus. Nihilo difficilius est diluere, quod secundo loco objectum fuit. Neque enim satis constat, utrum mos ille antiquitus receptus esset, qui sæculis posterioribus invaluit, ut nemo circulo illo seu corona donaretur, quin Divorum numerum obtineret. Itaque fieri potuit, ut hujusmodi insigne utrique Pontifici honoris cujusdam causa apponeretur, non ad significandum cultum aliquem, quem illis ecclesia decreverit, sed ad designandam Pontificiam dignitatem, qua uterque præditus fuit. Ad hæc: neuter fortassis ab initio id ornamenti gerebat, sed post obitum ad eximiam utriusque sanctitatem declarandam adjectum fuit: neque enim desunt, qui Joannem IV. Divis ab ecclesia consecratis annumerent, quemadmodum dicetur in Historia Jadertinæ ecclesiæ, ubi de hoc Pontifice mentio fiet perhonorifica, eaque necessaria, quippe ab aliquibus Jadertinus civis habitus ac dictus est.

Theodori effigies in dubium vocatur.

Cæterum quod pertinet ad Theodorum, si quis Lateranensem illam effigiem, quæ hujus Pontificis esse creditur, ad aliquem Salonitanum Antistitem primi alteriusve sæculi referendam putaret, in hujus sententiam haud ægre concesserim. Nullus equidem dubito, quin altera effigies Joannem IV. designet; indicio est ædicula, quam utraque manu sustentat, quaque declaratur is fuisse primus hujus templi auctor & conditor, ad quem ea figura pertinet. Id vero in Joannem IV. Pontificem vel aptissime quadrat. Illa vero effigies, quam Theodori esse ferunt, nullam exhibet notam, unde dignosci possit, cujus sit, præter Pontificalia ornamenta, quæ quidem nihilo magis cum Theodoro, quam cum quolibet alio Antistite congruunt. Quod si quisquam est e Salonitanis Episcopis, quem hæc effigies significet, is certe videtur esse Agapitus, qui vergente sæculo tertio ecclesiam illam administravit. Argumento est, quod ibidem, quamvis extra absidem, pictus fuerit etiam Anastasius Corpicularius, cui Agapitus tum verbis, tum præsertim exemplo insignis cujusdam in cruciatibus perferendis constantiæ auctor fuerat, ut non solum Christiana sacra susciperet, sed etiam ut præclaram pro Christo mortem appeteret. Porro non videbatur esse consentaneum, ut qui honos in Lateranensi sacello habitus erat discipulo ac socio martyrii, is magistro ac duci denegaretur. Verum quantum huic conjecturæ tribuendum sit, aliorum esto judicium; nam hæc perinde accipi velim, atque ego ipse cogitans sentio, qui ab hujusmodi conjecturalibus rebus sic omnem assensum cohibeo, nihil ut negem, nihil ut affirmem.

Jam vero ut satisfaciam promisso nostro ac recepto, ea in medium proferam, quæ Historicus Dalmata, itemque Petrus de Marca admodum erudite scripserunt de antiqua illa consuetudine, quæ cum semper a Græcis retenta fuit, tum etiam apud Latinos olim aliquamdiu viguit, ut cui primas vulgo deferrent, is alteri inferioris ordinis ac dignitatis ad sinistram locaretur. Quæ uterque in hanc sententiam scripsit, Conradus Janningus in unum locum congessit, & Actis Sanctorum inseruit tomo VII. mensis Junii; unde nos eadem huc transtulimus. Si quis plura cupiat, adeat Danielem Papebrochium, qui in Propylæo Disp. 28. hac de re docte copioseque disputat; itemque consulat Franciscum Muccantium J. C. Romanum, qui jubente Gregorio XVIII. Pontifice Max. cui erat a sacris cæremoniis, opusculum sane præclarum Romæ in lucem edidit anno 1573. inscripsitque ejusdem Pontificis nomine, ubi varias causas ac multiplices affert, cur antiquis temporibus Petrus ad lævam Paulli appingi soleret. Lucius, de Marca, atque alii scripserunt de loco digniori sinistræ.


§. III.

Cur olim sinistra præ dextera honorificentior haberetur. Ex Historico Dalmata, & Petro de Marca apud Conradum Janningum.

Consuluit nos aliquando, cur S. Petrus repræsentetur a læva Christi Domini sedentis, Paulus vero a dextera Domini, vir eruditissimus, & rerum, rituumque antiquorum studiosus imprimis scrutator Joannes Lucius memoria nostra defunctus Romæ. Is consulendo nos docuit, quid a se de argumento proposito observatum esset: videlicet in ecclesiis antiquis Romæ superstitibus ante annum Domini DCCC. confectis, inter imagines sacras operis musivi, digniorem locum obtinere eas, quæ ad sinistram sitæ sunt: quæ autem tempore Leonis Papæ III. confectæ fuerunt, e contrario dexteram pro digniori habere: posteriores autem denuo, antiquo more pro digniori sinistram: sicque continuatum esse usque ad pontificatum Nicolai IV. anno 1288. electi, cujus tempore iterum locus dignior dexteræ delatus sit; & abinde continuatus usque ad hodiernum diem. Cumque Leonem III. antiquum morem perperam mutasse credendum non sit, neque causam, vel occasionem aliquis referat, duæ afferuntur conjecturæ (inquit Lucius); prima, quod sicuti Leo, a Græcis animo alienatus, Imperium, ipsis inconsultis, Francis detulit, ita quoque locum digniorem sinistræ communem cum Græcis (quem hodie usque servant) mutare voluerit. Secunda, quod cum idem Leo ad Carolum Magnum in Germaniam progressus fuerit, ejusque ope in sedem suam restitutus sit, hunc morem, dexteræ digniorem locum deferendi, apud Francos reperierit; ipsisque gratificaturus, ut ecclesiam Romanam cum Occidentalibus sibi obsequentibus conformaret, mutaverit antiquum morem. In qua re quia non est attendendus mos, qui in incessu, vel congressibus inter viventes pro diversitate temporum, & nationum Jo. Lucii sententia.

obser-

Digitized by Google



Digitized by Google

observatus ab auctoribus refertur; vel imaginum mobilium, quæ pro arbitrio disponi possunt; sed sculptarum, vel pictarum, quæ fixæ semper eodem ordine conspiciuntur; peto &c.

Petebat autem, quid in ecclesiis Belgicis, aliisque Transalpinis antiquis in more positum esset pingendi Apostolos dextera lævave inter se sæculo VIII. Cum autem ecclesiæ illorum temporum, saltem insigniores in Belgio nullæ supersint hodie, nihil docere novi potuimus; nec potuimus de aliarum ecclesiarum Transalpinarum similibus picturis & antiquitate quidquam certi dicere. Respondeat nunc pro nobis nonnulla vir illustrissimus atque eruditissimus Petrus de Marca ex posthumis opusculis suis, ubi docet primatum Petri in ecclesia, & argumenta in contrarium adducta ex positione Pauli a dextera, Petri vero a sinistra, in antiquissimis signis, & sigillis etiam Pontificum Rom. refutat, atque ita explicat.

Petrus de Marca quid fecerit.

Hanc auctoritatis, a Petro, & Paullo deductæ, communionem impressæ ultroque tingentis abhinc annis in Bullis plumbeis utriusque Apostoli imagines testantur, Paullo ad dexteram Petri collocato, unde præcipui quoque honoris Paullo impensi argumenta quidem trahunt. Absurde. Quod enim latus dexterum videtur, si Paulli imago cum Petri imagine comparetur, est latus sinistrum, si referatur ad inspicientes; ex qua relatione sæpe metiendus est honoris gradus in conventibus publicis. Hinc profectum, ut Episcopus in parte chori sedeat, quæ dextera est ingredientibus, & tamen respondet cornu sinistro altaris; in quo sinistrum, & dexterum latus nuncupamus, respectu habito ad divini numinis præsentiam, ac si Dei majestas ibi sederet (veluti super Cherubin, ut in veteri testamento,) vel Christi corpus vultu ad populum obverso ibi consisteret. Olim eadem ratio habita est, cum loca assignarentur in ecclesia viris, & mulieribus: pars enim dextera viris data, sinistra mulieribus, inspecta ingressus ad templum positione, ut patet ex antiquis inscriptionibus. Idem observatur quotidie in Gallia, in solenni magistratuum cœtu, cum ad ecclesias conveniunt. Qui enim apud eos eminentiores, locum chori dexterum, qui respondet cornu sinistro altaris, ut dixi occupant; reliqui vero sinistrum latus, quod respondet cornu altaris dextero &c.

Idem latus habita diversa ratione modo sinistrum, modo dexterum.

Hactenus Petrus de Marca, cui plane assentirer, si semper idem mos, eademque loci positio in sculpendis, aut pingendis Divorum simulacris servatus fuisset; sed si nulla inspicientium ratione habita, Divorum imagines inter se comparentur, satis apparet, alias sinistrum, alias dexterum latus honorificentius habitum fuisse. Quare mihi magis Luciana, quam Petri de Marca ad propositam quæstionem responsio probatur.

§. IV.

De Divis infra absidem pictis.

IN anteriori templi facie, subter absidem, arcus visitur, opere musivo descriptus, variisque ornamentis & coloribus egregie distinctus, in quibus extant eminentque potissimum quinque cruces, totidem orbibus, & suo quæque inclusæ; quarum major & illustrior medium & supremum in eo arcu locum obtinet, reliquæ in eodem hemicyclo deorsum vergente, duæ hinc, duæ illinc interjectæ cernuntur. Totum fere spatium intermedium, quod arcu illo circumscribitur, & continetur, obtegit ara maxima, cui sacrum, ut vocant, Ciborium impositum fuit quatuor columnis suffultum; quæ nunc magnificentius extructa e liguſticis marmoribus constat. Extra hemicycli ambitum, quatuor a sinistra, totidem a dextera adstant effigies Divorum, musivo item opere, & mira varietate colorum expressæ; ferme quidem pares illis supra descriptis magnitudine ac forma, sed loci dignitate dispares. Nam is locus habetur honoratior, qui absidis complexu continetur. Vel in hac tamen honoris locique inæqualitate, suum quæque inter se ordinem servant, & singulæ sedem sibi aptam, ac certa quadam ratione dispositam obtinent, ut suum cuique honorem & gradum redditum esse appareat. Cujus vero sit, quemve referat unaquæque effigies, satis declarat nomen cuique appositum.

Divi infra absidem picti

Itaque eorum, qui ad sinistram sunt, eodem, quo collocantur, ordine nomina proferam. Primus est *Maurus*, deinde *Septimius*, tum *Antiochianus*, postremo *Cajanus*. His totidem ad dextram oppositos intueri licet, ea plane ratione, qua hic a me nominantur, distributos, *Anastasium*, *Asterium*, *Telium*, *Paullinianum*. In his vocabulis pronunciandis, scribendisque sicubi discrepant Auctores ab inscriptione Lateranensi, in eo tota est discrepantia, quod litteras, e quibus constant, alii alias vel detrahant, vel adjiciant, vel commutent. Septimius, Asterius, Paullinianus, Anastasius eumdem apud omnes numerum, & fortunam eamdem litterarum ferme retinent. Unus est Rasponius, cui magis Paullianus, quam Paullinianus arridet. Maurus quoque sine ulla variatione ubique legitur, nisi quod in antiquis Catalogis Salonensium Antistitum, una syllaba augetur, & pro Mauro alias Marinum, alias Martinum substitutum invenio. Antiochianus Baronio & Ciampino probatur, sed Antiochenus magis placet Rasponio. Telium habent Baronius, itemque Ciampinus; sed Thesbium Crescimbenius, Thelum Rasponius legendum putant. Cajanus, seu Gajanus nullam quidem variationem subiit apud eos, quos modo laudavi Auctores; verum non desunt, quorum calamo litterisque Cajus vel Gajus celebratur; nam etiam pro Cajano secundo Salonarum Antistite, Cajum libentius usurpant, ut in ejus Actis dictum est.

quatuor a sinistra

totidem a dextera.

Nunc eorum ordinem ac dispositionem paucis expediam. Dubium non est, quin hujus picturæ artifices eamdem rationem ordinis & collocationis, extra pariter, intraque absidem retinuerint; sic prorsus ut more institutoque antiquo, sinistram dexteræ præferrent, & ut cuique primas deferendas putabant, ita huic præ altero ex adversa parte constituto, sinistræ primatum tribuerent. Neque illud hic prætermittendum arbitror, quod eo quisque honoratior censetur, sive ad dexteram, sive ad lævam collocatus sit, quo propius abest a Deipara Virgine, quæ infra Christum Dominum mediæ absidis locum sane honorificentissimum tenet, quam bini Divorum ordines utrinque honoris ergo circumstant. De superiori Divorum Deiparæ utrinque adstantium ordine supra diximus; nunc de inferiori. Maurus igitur reliquis omnibus loci dignitate præstat, quippe qui situs ad sinistram, minime omnium distat ab augustissimæ Virginis effigie. Huic proxime honoris gradu accedit Anastasius, qui licet ad dexteram sit, nihilo tamen longius, quam ille, ab eodem Virginis simulacro disjungitur. Ita deinceps reliqui nominandi sunt, & alii aliis præferendi pro ratione loci, qui cuique obtigit, ut quo quisque a sinistra vel a dextera Deiparæ propior est, hoc sit cæteris laude aut dignitate præstantior. Neque enim putes temere ac fortuito cum cuique locum obvenisse, quem Pictores nulla certa ratione & consilio, sed arbitratu suo

Suos unicuique locus, qui quemque decebat, tribuit.

Digitized by Google

singulis assignaverint. Nam satis constat hanc esse vim ejus ordinis, & collocationis, ut significet quantum quis cuique præstet honoris ac muneris gradu, vitæque genere atque instituto; sic prorsus, ut appareat aptam singulis sedem, ac ratione accommodatam esse, quæ scilicet cujusque excellentiæ ac dignitati respondeat: id quod mox planum fiet, cum ostendemus, quo unusquisque officio functus fuerit, & quod quisque vitæ genus rationemque inierit. Cæterum auctores cum horum Divorum nomina recensent, Lateranensium imaginum ordinem fere perturbant, & pro suo arbitratu alios aliis vel præponunt, vel subjiciunt, vel permiscent; quippe cum Lateranensis collocationis nullam rationem habendam putaverint, sed ut quisque primus cogitationi occurrebat, ita ejus nomen aliorum nominibus prætulerunt; perinde quasi nullum inter eos vel dignitatis vel honoris discrimen interesset.

Nec vero ab re nostra alienum arbitror illud hoc loco inquirere, quæ cujusque vitæ ratio fuerit, atque institutum, quidve honoris aut magistratus singuli gesserint, sive in civili, sive in ecclesiastica Republica. Hinc enim clare perspicias, quam apte congruenterque cujusque ordini, ac dignitati, descriptus sit, ac dispositus suus cuique locus. Id porro non aliunde certius dignosci potest, quam ex ornamentis & insignibus, quæ Pictor alia aliis apposuit. Maurus igitur jure meritoque principem locum obtinet, quippe qui Pontificis munere ac dignitate cæteris antecelluit. Joannes Ciampinus (nam præter hunc, nullum auctorem habeo, qui hac de re scripserit) primum quidem sibi incompertum esse ait, utrum ea vestis, qua Maurus induitur, *Dalmatica*, an *Casula* speciem ac similitudinem gerat; ejus quippe formam confusius expressam esse, quam ut clare dignosci possit; deinde vero dubitat, an Episcopus fuerit, nec ne; tandem affirmat videri sibi eum reponendum esse in numero veterum Archiepiscoporum, & eorum fortassis, qui priscis temporibus Salonitanam ecclesiam administrarunt. Ita videlicet tribus in locis hac de re varie suam sententiam explicuit. Sed quod postremo loco subdubitans dixit, id ego pro certo habendum arbitror. Argumento est, quod Mauro eadem ornamenta & insignia Pictor adhibuit, quibus induti apparent Domnius & Venantius Salonitani Antistites ibidem picti. Præterea inter veteres illos admodum antiquos Salonæ Episcopos semel atque iterum Maurus annumeratur, qui hujus imaginis ac nominis eidem appositi significationi apte respondeat, ut non sit necesse alium quempiam comminisci, ad quem id simulacri & nominis referatur. Is quidem in catalogo eorum Antistitum alias Marini, alias Martini vocabulo afficitur; sed in ejus Actis causas expromam, cur id nomen tam varias tamque dissimiles formas subierit.

Maurus Episcopus fuit, & quidem Salonit.

Secundum Maurum, Anastasio locus honorificentior tribuitur. Sed antequam causas afferam, cur Anastasio is honos habitus fuerit, ut quamvis nullum ecclesiasticæ Hierarchiæ gradum partemque attigerit, iis tamen præferatur, quos sacris ordinibus initiatos fuisse constat, refellendus est error Ciampini, qui eum & Aquilejensem, & Consulem appellat: duobus verbis duo magna peccata; unum, quod Anastasium in Lateranensi sacello depictum, ortu Aquilejensem fuisse existimat.

Anastasius proximum a Mauro locum obtinet.

Duo Anastasii, alter Cornicularius, alter Fullo cognominatus.

Duo sunt Anastasii, iique inter se longo temporum intervallo disjuncti, quorum martyrio nobilitata est Salona. Alter patria ignotus, Romanæ militiæ adscriptus, idemque Cornicularii officio & cognomine insignis, qui Aureliano imperante, una cum Agapito Salonitano Antistite martyrium subiit; alter loco obscuro tenuique fortuna Aquilejæ ortus, & quod artem fulloniam faceret, ex eo cognominatus est Fullo, quem Diocletianus religionis causa interfici jussit. Porro nullus dubito, quin Lateranensis effigies ad priorem Anastasium pertineat, propterea quod posterior Anastasius numquam pingi vel celari soleat, quin eidem certa martyrii, quo perfunctus est, nota apponatur, idest molaris lapis e collo suspensus, cujus ea vis est, ut significet illum in mari demersum fuisse. Id signi cum absit a Lateranensi effigie, is quoque absit necesse est, qui sine hujusmodi signo neque intelligi potest, neque vel scalpro effingi, vel penicillo exprimi solet. Itaque relinquitur, ut illa, si non est Fullonis, sit Anastasii Cornicularii effigies. Nescio autem, quid in mentem venerit Ciampino, ut tam fidenter affirmaret, haberetque pro certo *hunc esse virum illum Anastasium Aquilejensem, qui apud Salonam Martyrium pro Christi nomine suscepit, ut scribit Archidiaconus Spalatensis in sua historia Salonitanorum Pontificum cap.* 3. Certe huic opinioni nihil auctoritatis adjungi potest ex historia Salonitana. Nam Archidiaconus, loco citato, de martyrio quidem Anastasii Aquilejensis mentionem fecit, de illius vero imagine Lateranensi ne verbum quidem protulit; capite autem VIII. meminit ille sane Anastasii in Laterano depicti, sed nullum eidem cognomen, nullam notam apposuit, unde posset intelligi, utrum de Cornicularo, an de Aquilejensi loqueretur: *Similiter*, inquit, *fecit imaginem B. Anastasii inter alios Sanctos*. Neque ullam aliunde rationem afferri posse video, quam Ciampinus suæ sententiæ subjiciat. Nam quod aliqui putant Anastasii Pullonis Aquilejensis corpus ex Dalmatia translatum, & in eo sacello Lateranensi conditum fuisse, ii magno in errore versantur. Sed id alias, nunc quod instat.

Prior pictus in sacello Lateranensi.

Alterum Ciampini peccatum est, quod Anastasio Fulloni Consulis nomen ac dignitatem affinxit. Quid quod ne alter quidem, quamvis ob generis splendorem, & decora atque ornamenta militaria, propius ab consulari gradu abesset, nusquam tamen legitur hunc amplissimum Magistratum adeptus fuisse; nam eum Auctores Cornicularii nomine passim ornant, Consulis vocabulo numquam afficiunt. Et vero si consulares fastos inspici libeat, nullum invenies Anastasium Consulem, qui vel Cornicularii, vel Fullonis Anastasii ætati respondeat. Verum, ut quod sentio, ingenue fatear, adduci non possum, ut hujusmodi erratum Ciampino attribuam; id libentius in typographos conjecerim, qui fortasse utriusque vocabuli affinitate ac similitudine decepti, *Consulem* pro *Corniculario* substituerunt.

alter Ciampini error.

Jam vero quidnam causæ esse dicemus, quamobrem Anastasius homo profanus, qui ne infimum quidem ecclesiasticæ Hierarchiæ gradum attigit, Septimio & Asterio viris ecclesiasticis loci honore ac dignitate præferatur. Cujus quidem rei causæ omnino duæ occurrunt, quæ si minus certæ ac veræ sint, attamen probabiles ac verisimiles videri possunt. Vel enim ejus magistratus, quem Cornicularius gessit, amplitudo ac dignitas tanta erat, ut qui eo functus esset officio, dignus haberetur, cui secundum Episcopos primæ tribuerentur; nam & hodiernæ ætatis ea consuetudo est, ut primarii quidam magistratus in conventibus ecclesiasticis locum Episcopo proximum in subselliis occupent: vel, idque vero propius est, ea tempestate præcipue vigebat Anastasii cultus ac veneratio, sive martyrii celeberrimi fama, sive plurimis illustribusque ab

Cur Anastasius honore loci cæteris prælatus.

eo pa-

Digitized by Google

eò patratis miraculis parta; quamobrem Pictor ferventibus erga eum populi studiis ac religioni favens, plus honoris Anastasio deferendum censuit, quam quantum ejus ordinis hominibus in Sanctorum numerum relatis, vulgo tribui solet. Hujusce rei an probabilior ratio reddi possit, alii viderint; mihi certe nulla occurrit, quæ verisimilior videatur.

Septimius Diaconus. Tertium locum occupat Septimius, qui ad sinistram Mauri-Antistitis lateri adhæret. Vestis genus est hujusmodi, ut albæ cujusdam Dalmaticæ similitudinem ac speciem gerat, teste Ciampino; ex quo colligitur, ut idem Auctor existimat, eum in Diaconorum numero reponi oportere. De Septimii Diaconatu valde assentior Ciampino. Illud ad dignitatem Septimio accessit, quod sui ordinis princeps esset, idest Archidiaconus, sive primus inter Diaconos ecclesiæ Salonitanæ; idque ex eo perspici potest, quod proxime Maurum Archiepiscopum sit constitutus; hujus autem magistratus id munus erat, ut ad omnia ecclesiastica ministeria Episcopo vicariam operam navaret, potestas vero tam late patens, ut ne presbyteri quidem ab ejus jurisdictione eximerentur. Hinc apparet, cur honorificentiorem, quam Asterius Presbyter, locum occupet. Hunc Martyrologia fere omnia Salonæ adscribunt, ejusque anniversariam commemorationem XIV. Kalendas Maii subjiciunt. Henschenius distinguendum putat Septimium in Lateranensi sacello pictum & cultum, ab illo, quem Martyrologi commemorant eo die, qui est duodevigesimus Aprilis; ego vero non video, quid sit necesse duos comminisci Septimios, cum idem nomen, eadem dignitas indicio sit unum & eumdem esse, quem Martyrologia celebrant, & Lateranenses colunt. Illud vero non satis liquet, utrum S. Domnii, an S. Mauri, an alius Episcopi Salonitani Diaconus fuerit Septimius is, de quo nunc agimus. Cæterum amictus, quo Septimius indutus apparet, fane obscurius, quam Ciampino videtur, Dalmaticæ formam exhibet. Propius mihi videtur accedere ad similitudinem Monastici cujusdam habitus ornatusque, quo fortassis Joannis IV. ætate uti solebant Archidiaconi, cum per urbem incederent, longe a Dalmatica diverso, quam sibi induebant cum Episcopo, rem divinam solemni ritu ac cæremonia facienti, operam navabant. Verum hoc, quidquid sit indumenti, certe hujusmodi est, ut totus ad ecclesiasticam gravitatem ac dignitatem conformatus & compositus esse videatur.

Asterius Presbyter. Asterius quartum locum sibi vindicat, quippe qui Anastasio ad dexteram proxime adstat. Fuerit ne Episcopus, an Presbyter, dubitat Ciampinus. Ego vero Asterium in ordinem Presbyterorum rejiciendum censeo. Indicio est vestis Sacerdotali, quam Pontificali amiculo similior, quippe cum ex aliqua parte ab ea differat, qua Dominus & Venantius ornati conspiciuntur. Atque id causæ est, cur Asterius licet superior ordine, inferior tamen potestate, Septimio Archidiacono loci primatum cedat; nam, ut diximus, Archidiaconi imperio ac jurisdictioni non solum Diaconi cæterique inferioris gradus Clerici, sed etiam Presbyteri suberant. Huc adde, quod Maurus, Septimius, & Asterius capitis verticem detonsum, & Clericali corona insignitum gerant; ex quo apparet eos in Hierarchiam ecclesiasticam cooptatos fuisse.

Postremi Antiochianus & Telius, Cajanus & Paulinianus. Postremis locis, nulla dignitatis ordinisve ratione habita, collocantur hinc ad sinistram Antiochianus & Telius; illinc ad dexteram Cajanus & Paulinianus, neque habitu, neque corona clericali insignes; ut satis appareat eos fuisse e Laicorum numero, quos Pictor recte atque ordine in extremum locum rejecit. Hos Romanæ militiæ adscriptos fuisse Ciampinus docet, idque chlamys militaris, coloribus variis intexta, satis superque declarat. ex ordine laicali & milites.

§. V.

De Monogrammatis.

Quid Monogramma apud Mabillonium. AC ne illud quidem in hujus picturæ descriptione prætermittendum puto, quod litteræ quædam majusculæ Divorum fere omnium vestibus intextæ cernantur, quas Monogrammata Ciampinus appellat. Scio equidem hujusmodi vocabulum ab Joanne Mabillonio, viro cum totius antiquitatis, tum præsertim rei diplomaticæ peritissimo, paullo aliter explicari, in eamque sententiam accipi, ut putet Monogramma idem esse, ac quemdam quasi complexum litterarum, quarum aliæ aliis intertextæ sunt atque implicitæ; id quod *nexas* rite appellant ii, qui plane ac latine loquuntur; estque quoddam scribendi genus compendiosum pariter atque obscurum, una figura contentum, variisque litteris lineisve inter se implexis expressum, unde latens aliquod, arcanumque vocabulum elici solet. Sed explanatio, quam huic verbo, cum *Monogramma* dicimus, adhibuit Ciampinus, mihi magis probatur, & in hunc locum aptius quadrat, atque ad vim notionemque Græci vocabuli propius accedit. Quod enim Græci *Monogramma* vocant, id Latini, verbum e verbo exprimentes, *unam litteram* dicunt. Quod autem ex pluribus litteris implexis conflatur, & in unam veluti formam seu figuram coalescit, id minus apte *Monogramma*, sive una littera appellatur.

De Monogrammatis Lateranensi Picturæ insertis. Sequitur, ut quæramus, quid sibi velint, & quo spectent hujusmodi Monogrammata, quæ temere, & sine ullo consilio appicta fuisse ut credam, nullo modo adduci possum. Hæc de re Doctissimi viri sententiam rogati, quod cuique verisimillimum videbatur, alii aliud responderunt; nemo tamen id responsi reddidit, quod nobis plane satisfaceret, omnemque ex animo dubitationem eximeret. Fuerunt, qui dicerent hujusmodi litteras idcirco illis Divis adjectas esse, ut significent, quo quisque nomine seu prænomine appellaretur; ab iis quippe litteris, quas pictor cuique impressit, cujusque nomen vel prænomen initium ducere. At si excipias litteram P, quæ Paullo apposita visitur, nullam præterea invenio, quæ apte congruenterque eorum nominibus respondeat, quorum vestibus intexta est. Id clare perspicies, qui singulas litteras oculis & cogitatione perpendet, & quæ cuique indita est, eam cum nomine uniuscujusque conferat. Opiniones variæ.

Nihilo probabilior mihi videtur eorum opinio, qui putant hisce Monogrammatis varios designari colores, quibus picturatæ vestes aspergi ac distingui solent; sic ut unaquæque littera indicio sit, qui & qualis color in quamque partem maxime conveniat. Si Lateranensis pictura concoloribus lapillis tota constaret, & vestes, quibus quisque ornatur, nulla pigmentorum varietate distinguerentur, haud ægre istorum sententiæ meam quoque adscriberem. Sed colores musivo illo opere adspersi genere ac specie differunt; & qui cuique Monogrammati subsunt, per se ipsi expressi apparent, ut omnino cæcum esse oporteat, qui alios ab aliis internoscere nequeat. Nihil igitur causæ fuit, cur pictor ad varietatem colorum designandam hisce litteris uteretur; nisi vero existimemus adeo eum dementem fuisse, ut ad id declarandum, quod per se omnibus

Digitized by Google

bus patet, & in omnium oculos incurrit, obſcuras quaſdam, aut certe ambiguas notas adhibendas putaverit.

Nec propius vero eſt, quod quidam exiſtimant haſce litteras eo pertinere, ut nomina illorum indicent, commendentque liberalitatem, qui de ſuo ad Lateranenſem picturam aliquid pecuniæ contulerunt. Nam ſatis conſtat quidquid ſumptus in univerſum illud opus fieri oportuit, id omne ex ærario Pontificio ſuppeditatum fuiſſe, jubente eodem, qui opus imperaverat, Joanne IV. Pontifice Max., ejuſque ſucceſſore Theodoro primo, qui opus inchoatum abſolvit.

Quanam verisimilior nobis videretur.

Horum igitur opinionum cum nulla mihi probetur, reliquum eſt, ut quid ipſe conjectando excogitarim, quodque veriſimilius putabam, paucis exponam. Ego itaque ſic exiſtimabam has litteras eſſe quaſdam notas, ſive inſignia pictorum ea tempeſtate illuſtrium, quos non exigua mercede conductos ad præclarum illud opus conficiendum Joannes adhibuit. Quocirca in ea, quam quiſque perfecerat, imagine peculiare aliquod ſignum imprimendum cenſuit, quod poſteris indicio foret, quis cujuſque ſimulacri inventor & artifex fuiſſet. Paucis ante annis Ravennæ cum eſſem, præter ſpem & expectationem accidit, ut Auctorem ſane idoneum invenirem, unde huic ſententiæ aliquid probabilitatis & ponderis adjungerem. Nam cum in Baſilica Sancti Apollinaris celeberrimam illam picturam ex variis, ac diſcoloribus lapillis compactam, curioſius inſpicerem, ac per otium ſingula contemplarer; forte fortuna ſe mihi obtulit quidam muſivorum artifex, qui vermiculata illa emblemata ac ſimulacra, multis locis temporis vetuſtate defluentia, haud ita pridem refecerat. Hominem fidenter aggreſſus, cum ab eo, ut fit, multa & varia percunctarer, atque illud imprimis quid ſignificent, & quorſum ſpectent tot Monogrammata, ibidem quoque, ut in Lateranenſi ſacello, multis locis interjecta, & fere ſingulis Divorum imaginibus inſcripta; id reſponſi accepi, quod cum mea opinione plane congrueret. Affirmabat quippe hiſce litteris, neque aliam notionem ſubjectam ſibi videri, neque magis idoneam interpretationem adhiberi poſſe, quam ea, quæ a nobis expoſita fuit; iis videlicet litteris vel exprimi nomina pictorum, qui ſuam artem induſtriamque ad conficiendum illud opus contulerint, vel certe quædam veluti inſignia propria unicujuſque Pictoris deſignari, quæ aut a majoribus ſinguli acceperant, aut ipſimet ſibi aliunde adſciverant. Illud pro argumento ſumpſit, quod effigies illæ pro diverſitate Monogrammatum picturæ genere ac forma inter ſe differrent, ut ſatis appareat multorum manus ad id opus adhibitas fuiſſe; & diſſimilis ac diverſa pingendi ratio, quæ cuique Monogrammati reſpondet, ſic in ſingulis imaginibus eodem Muſivario teſte eminet, ut ſuum quæque & proprium Auctorem indicet. Id porro ſibi cognitum, & exploratum fuiſſe, cum per occaſionem ejus operis reſarciendi, propius ſimulacra illa inſpiceret, atque contemplari unumquodque otioſe, & conſiderare cœpiſſet. Illud prætera ut animadverterem admonuit, aliquas ibidem effigies reperiri, quibus nihil litterarum inſcriptum eſſet; ſed pro litteris alia quædam ſigna ſubſtituta eſſe, veluti aurea quadrata, aliaſve id genus notas, aliis atque aliis coloribus expreſſas, quas earum imaginum artifices, tamquam inſignia quædam, atque indicia ſuorum operum ſibi adoptaverant, quibus diſtingui ſe ab aliis pictoribus, ac dignoſci volebant. Porro in Lateranenſi pictura extant quædam effigies nullo Monogrammate ſignove diſtinctæ: credo, quod ipſi Auctores celari vellent, quo ſua ſtudia atque opera Deo forent, ac Divis gratiora; & ex humanæ gloriæ contemptu majorem ſibi apud Deum ſuperoſque gratiam ac mercedem comparārent. Sed ut ingenue fatear, quod ſentio, neque hæc ratio Monogrammata illa interpretandi mihi videtur ſatis expedita: quæ ſi valeret, cum Divis aliquibus duo Monogrammata, & tria etiam, veluti Anaſtaſio, intertexta cernantur, id argumento eſſet, plures artifices in aliquem ex illis pingendum manum operamque contuliſſe; quod a veriſimilitudine abhorret. Quare ſatius eſſe arbitror fateri me neſcire, quod neſcio, quam hiſce Monogrammatis eam ſignificationem ſubjicere, quæ nihilo propius, quam reliquæ ſupra expoſitæ, ad veritatem accedit.

§. VI.

De Symbolis.

Symbolum quid ſit.

HUic verbo, cum Symbolum dicimus, ea ſubjecta eſt notio, ut ſignificet figuram quamdam ſeu verbis, ſeu coloribus expreſſam, quę aliud ſenſibus objicit, aliud menti declarat; ſiquidem ſpecie quadam ac ſimilitudine, præter rem oculis auribuſve perceptam, aliud quiddam abditum ac reconditum continet, ſic ut ex eo, quod patet, ejus, quod latet, cognitionem animis ingerat. Hujuſmodi ſymbolis ad res quaſdam interiores & myſticas declarandas Auctores ſacri paſſim utuntur, quorum exempla hic referre non vacat. Porro in Lateranenſi pictura multa id genus Symbola intueri licet, partim Divorum imaginibus appoſita, partim variis locis hinc atque illinc impreſſa, e quibus alia quidem clara ſunt & aperta, nullius ut interpretatione indigeant, alia vero paullo videntur obſcuriora, quam ut ſine explicatione intelligi poſſint. Unum alterumve interpretatur Cæſar Cardinalis Raſponius, cætera ſilentio prætermiſit. Omnia Ciampinus explanatione admodum erudita perſequitur; & ſuam cuique interpretationem adhibet adeo perſpicuam & copioſam, ut eidem ferme nihil addi vel detrahi neceſſe ſit.

Cruces in aren deſcriptæ quid ſignificent.

In arcu, ſive hemicyclo, qui abſidi proxime ſubeſt, cruces omnino quinque ſunt impreſſæ, locis aptis diſpoſitæ, & æquali fere ſpatio inter ſe disjunctæ; quarum ea vis ac ſignificatio eſt, quæ huic ſalutari ſigno ſubjici vulgo ſolet; ut ſcilicet ſurſum intuentibus de Chriſti morte, acerbiſſimiſque cruciatibus ſaluberrimam cogitationem injiciant, eorumque animos ad ejus commiſerationem atque amorem excitent, qui ut nos æternæ mortis faucibus eriperet, ſe, vitamque ſuam acerbiſſimis cruciatibus ac teterrimæ morti volens libenſque objecit. Hoc quippe apud Chriſtianos crux ſignificat, ex quo in ea confixus Auctor vitæ, mortem pœnamque nobis debitam in ſe ipſe tranſtulit; hæc cauſa eſt, cur ſacras ædes adeuntibus, tot undique cruces vel parietibus inſculptæ, vel in editis auguſtiſſimiſque locis conſtitutæ, in oculos animoſque incurrunt; huc denique Chriſtiani ſpectent oportet, cum identidem venerandum hujuſmodi ſignum ſibi vel ad præſidium, vel ad ornamentum imprimunt.

Ex omnibus Divis, quorum ibi viſuntur effigies, nemo fere eſt, quin aliquid Chriſto Domino abſidis faſtigium inſidenti, vel muneris loco deferat, vel quaſi cujuſdam tributi nomine penſitet. Id porro, quidquid eſt, habet vim ſymboli; nam præter rem, quam oculis ſubjicit, aliud quiddam

Digitized by Google

dum indicat, quod penicillo non satis exprimitur. Domnius, Venantius, Maurus, Septimius, Asterius, omnes ecclesiasticis honoribus ac muneribus præditi, iidemque Martyrii laudem adepti, librum clausum præferunt manu, variis coloribus, picturatisque operibus scite ac venuste perpolitum, quibus nihil omnino mysterii subesse censeo; sed hoc quidquid est operis, pictor arbitratu suo ad libri ornatum extrinsecus adhibuit. Nec dubium est, quin eo libro significetur Evangeliorum codex, quippe qui cum singulorum dignitate & officio præclare congruit. Hujus porro symboli ea vis est, ut declaret id cuique muneris datum fuisse, ut Evangelium qua verbis, qua exemplis promulgarent; eoque officio tam fortiter constanterque functos esse, ut a susceptа procuratione non antea destiterint, quam pro ejusdem Evangelii propagatione ac defensione vitam cum sanguine profunderent. Cum eo igitur, quem offerunt librum, offerre se profitentur Christo Domino, quidquid laborum erumnarumque Evangelii causa subierunt, mortemque ipsam pro religione pie alacriterque oppetitam. Ex omnibus ecclesiasticis viris unus omnino est Joannes IV. Pontifex Romanus, qui cum cæteris Pontificali quidem habitu atque ornatu congruit, sed symboli eidem appositi specie ac genere discrepat. Neque enim librum item ille, ut cæteri, præfert, sed sacram ædiculam utraque manu sustentat, Deoque exhibet, qua designatur Lateranense sacellum S. Venantii; quod si minus absolutum perfectumque, certe conditum magna ex parte ab Joanne fuit, ut is præclari hujus operis partem laudemque præcipuam sibi jure meritoque vindicet. At Theodorus item, ut cæteri codicem Evangeliorum utraque manu sustentat.

Quinque deinceps sequuntur ex ordine ac numero militum, nullis ecclesiasticæ Hierarchiæ honoribus atque insignibus conspicui, cum suis omnes symbolis ac muneribus, Anastasius, Antiochianus, Telius, Cajanus, Paullinianus. Idem omnes symbolum gerunt, idemque manus exhibent, coronam scilicet variis coloribus gemmisque distinctam. Quid sibi velint hujusmodi coronæ, Ciampinus hisce verbis explicat: *Omnes viri seculares coronam gemmatam in manibus deferunt, quæ oblationes in sacrificiis a fidelibus factas significant*. Sed Ciampini pace dixerim, hæc interpretatio mihi neutiquam placet. Qui enim convenit, ut quos fatetur esse e laicorum numero, his id muneris adscribat, quod præterquam Sacerdotibus nemini usurpare licet. Nam si quid olim Christianus populus ad rem divinam obtulisset, id Sacerdoti in manus tradere solebat, qui munus oblatum altari imponeret, ac Deo rite consecraret. Præterea non intelligo, quæ sit proportio, quæve similitudo inter coronas illas, & panem, vinum, aliasque res hujusmodi, quas vel ad sacrificium, vel ad ornatum templi, vel ad sustentationem Ministrorum plebs Christiana olim deferebat, ut coronæ illæ harum rerum symbola esse riteque appellari possint. Itaque verisimilius puto coronas hujusmodi eo referri, ut significent eos in martyrum numero habendos & venerandos esse, ab iisque eo signo declarari se id Christo acceptum referre, quod pro ejus religione & cultu vitam & sanguinem profuderint. Nam etiam B. Joanni similis quædam oblata fuit species Cælituum, coronas suas demittentium *ante thronum Dei & Agni*. Hujusce rei exempla quamplurima suppetunt ex antiquis picturis, vermiculato opere compactis, ubi Martyrum innumerabilium catervas intueri licet, quorum alii coronas, alii palmas, alii alia id genus haud dubia martyrii insignia, manibus præferunt. Coronarum omnium tanta est inter se similitudo, ut nihil omnino, neque forma, neque magnitudine, neque colorum varietate differant; nisi quod e media Anastasii corona flosculus quidam eminet haud absimilis lilio, quod pro symbolo Virginitatis vulgo accipi solet. Id ornamenti idcirco fortassis Anastasio appositum fuit, quod is singulari Dei beneficio, virginalis integritatis florem intactum illibatumque servaverit; nisi forte eo pertinet, ut significet Anastasium in ipso ætatis flore perfunctum fuisse martyrio. Illud insuper animadvertere oportet, quod omnes velatis opertisque manibus, suum quisque munus, sive symbolum exhibent; id quod ad majorem quamdam venerationem declarandam spectat; nam id quoque ecclesiastico more atque instituto perscriptum est, ut sacrorum ministri linteati, iidemque longo ordine dispositi, honoris ac reverentiæ causa, vel ipso superpelliceo, vel alio panno linteo sericove contectis manibus, Pontificalia indumenta & insignia Episcopo deferant, cum is solemni ritu & cæremonia sacris operatur.

In eodem symbolorum numero habendas ac reponendas censeo duas urbes, hinc atque hinc ad angulos lateralis parietis eleganter descriptas, & alteram alteri e regione ferme obversam, quæ SS. Cajano & Paullimano in extremum locum conjectis superstant, forma, magnitudine, ornatuque inter se dispares. Quæ amplitudine, & magnificentia excellit, tres ipsas lucernas januæ affixas ostentat, eaque ad sinistram collocata est; quæ brevioris exhibitu circumscribitur, sita est ad dexteram, nec plus duabus lucernis, ex januæ superliminari suspensis exhibet. Harum urbium simulacris hanc significationem inesse putat Rasponius, ut altera quidem Bethleem Christi ortu nobilem, altera vero Hierusalem ejusdem morte consecratam designet. Ciampinus nullam huic loco interpretationem intexuit, nihilque sibi occurrere ait, quod iis addat, quæ de hujusce modi symbolis alibi scripsit. Cum autem neque librum, neque locum citet, ubi hac de re scripserit, plane ignoro, quidnam explicationis hisce signis adhibuerit. Quod mihi conjectanti verisimilius occurrit, id paucis exponam, eo tamen animo, ut si quid melius & congruentius veritati Ciampinus afferat, nulla in me futura sit mora, quin continuo in ejus sententiam concedam. Ego itaque confeco his duabus civitatibus id subesse significationis, ut altera quidem Salona Dalmatiæ caput ac Metropolis, altera vero Pola princeps totius Istriæ civitas designetur: idcirco autem earum urbium simulacra ibidem picta esse arbitror, quod utraque provincia ad hujus loci religionem ac celebritatem augendam sacras Martyrum reliquias contribuerit. Ac Salona quidem ad lævam posita loci primatum tenet, & insigni trium lucernarum ornatu distinguitur, propterea quod ea civitas ex politica pariter & ecclesiastica descriptione, non solum in urbes, sed etiam in ecclesias Dalmatiæ jus imperiumque Metropoliticum obtinuit, sic ut præter Romanam, nullam aliam ecclesiam tamquam dominam ac parentem agnosceret, unde penderet, legesque acciperet. Pola vero eum de dignitate loci, tum de numero lampadum Salonæ concedit; nam quamvis olim tectorum frequentia & pulchritudine, commercio, divitiis, civium & incolarum numero cum primariis Romani imperii civitatibus haud immerito conferri posset, atque adeo totius Istriæ principatum obtineret, id quod ingentes veterum ædificiorum reliquiæ ruinæque declarant; tamen in ecclesiastica hierarchia numquam Episcopalis dignitatis gradum supergressa, in

Quid codex, quem viri ecclesiastici manu gestant.

Quid flosculus e corona Anastasii eminens.

Cur manibus velatis suum quisque munus deferant.

Simulacra duarum urbium.

Quid edicula Joannis VI. manibus imposita.

Quid coronæ, quas gestant cæteri quinque milites.

Salonam & Polam repræsentant.

ſa, in earum eccleſiarum ordine ſeſe continuit, quæ appellantur *ſuffraganeæ*; fuitque ſemper cum univerſa Iſtria in ditione ac poteſtate Patriarchæ Aquilejenſis.

Mos apud Dalmatas urbid ſuarum in vexillis &c. pingendarum,

Hæc interpretatio eo mihi fit veriſimilior, quod Joannes Lucius in Hiſtoria Tragurienſi docet, in more inſtitutoque Dalmatarum olim poſitum fuiſſe, ut pro nota & inſigni cujuſque civitatis januam urbis maximam & vexillis intexerent, & publicis ſigillis inſculperent, & ubicumque opus foret, vel coloribus exprimerent, vel marmore cælarent. Ut autem hujuſmodi nota urbes Dalmaticæ diſtinguerentur aliæ ab aliis, internoſcique poſſent, diverſos cujuſque urbis januæ, & proprios ſingulis ornatus adhibebant; vel certe urbis ædificia maxime conſpicua, ſive etiam totius urbis formam ac circumſcriptionem januæ apponebant, ut civitas unaquæque ex ipſa ſpecie intuentium oculis objecta, proſpectuque dignoſceretur. Hujuſcemodi morem a majoribus acceptum hodieque retinet Dalmatia; niſi quod civitates illæ id ſigni adhibent, unde agnoſci poſſint, ut ſimulacrum ejus Divi, quem ſibi quæque patronum adoptavit, ſuis quæque januis, quaſi ad urbis cuſtodiam ac præſidium

Idem mos apud Iſtros finitimos,

imponant. Nec dubium eſt, quin apud Iſtros finitimos idem olim mos, eademque conſuetudo viguerit; nam Iſtros inter ac Dalmatas tanta erat eccleſiaſticæ civiliſque diſciplinæ ſimilitudo, tanta morum & ſtudiorum affinitas, ut populi utrique iiſdem ferme legibus atque inſtitutis uterentur. Id adeo clare perſpiciet, qui diſciplinam ac mores inter ſe conferat utriuſque provinciæ, de quibus multa multis in locis, libriſque Hiſtoriæ Illyricæ a nobis dicentur. Vides igitur, quam belle congruat noſtra interpretatio cum Dalmatarum Iſtrorumque conſuetudine, ad quam ſpectaſſe Auctores, vel opifices picturæ Lateranenſis credibile eſt; quippe ut provinciæ utriuſque, unde ſacras illas reliquias delatas ſciebant, duas urbes primarias, ſuis quaſque notis & inſignibus exprimerent, earum januas illuſtri ornatu conſpicuas, cum magnificentioribus ædificiis, & mœnium parte aliqua, muſivo opere deſcribendas curarunt.

Reſtat etiam, ut dicamus de quatuor aliis ſymbolis, quorum interpretationem, cum ea per ſe ipſa pateat, in promptuque ſit omnibus, paucis expediam. Duæ olim, altera hinc, altera illinc, feneſtræ ſuperne patebant, eæque ad lumen accipiendum ſatis amplæ. Has deinde, incertum quo tempore, quibuſve de cauſis, lateritiis lapidibus poſteritas obſtruxit. Porro ne cruſta parietis utrique feneſtræ obducta, rudis atque inornata eſſet, pictura haud ſane ineleganti eam operiri conveſtirique placuit. In altera igitur *Angelus* & *Leo*, in altera *Bos* & *Aquila* vermiculato opere picti viſuntur.

Symbola quatuor Evangeliſtarum, quid ſignificent?

Nemo eſt Chriſtianæ inſtitutionis ac diſciplinæ tam expers atque ignarus, quin ſciat hujuſmodi ſimulacris quatuor Evangeliſtas adumbrari, qui Chriſti Domini vitam reſque geſtas alii ſeorſum ab aliis, & ſuo quiſque volumini commendarunt. Id ſymboli porro eo pertinet, ut oſtendat illos Evangelii cauſa interfectos fere omnes fuiſſe, quorum vel effigies ibidem extant, vel corpora in eo ſacello conduntur. Cum hujus ſymboli veritate congruit titulus militum, quem ſæpe martyribus Martyrologi adſcribunt. Nam licet non omnes fortaſſe rei bellicæ nomen & operam dederint; tamen a ſacris ſcriptoribus milites appellari ſolent, qui Chriſtiana militia initiati pro retinenda propugnandaque religione cum tyrannis dimicarunt, animamque in ipſo agone profuderunt. Huc accedit auctoritas & conſenſus eccleſiæ Lateranenſis, quæ III. Idus Aprilis eiſdem anniverſarios honores perſolvit eo ritu cultuque, quo feſtus plurimorum martyrum dies ex univerſalis eccleſiæ præſcripto celebrari ſolet; ut nemini dubium eſſe poſſit, quin eos fere omnes in martyrum numerum referri oporteat, quorum reliquiæ ibidem aſſervantur.

Illud ad extremum animadvertamus velim, quod quatuor hæc ſimulacra recentiori, quam cæteræ effigies, opere manuque depicta eſſe apparent; id quod ſatis indicat cum ipſa operis forma ac deſignatio longe diverſa recentiori quam veteri pingendi modo ſimilior, tum ratio ordinis ac diſpoſitio locorum, quæ ut ab illius ætatis conſuetudine diſcrepat, ſic cum more poſteriorum temporum apprime congruit; nam in collocandis Evangeliſtarum ſymbolis dextera quam ſiniſtra honorificentior habetur. Itaque hinc Matthæus ad dexteram ſitus primum locum obtinet, eique proxime Marcus apponitur; illinc vero ad ſiniſtram primum Lucas, deinde Joannes locantur; quia Matthæus quidem primus omnium, Lucas autem ante Joannem Evangelium ſcripſiſſe dicuntur. Nam ut cujuſque Evangelium ætate antecedit, ita cujuſque Evangeliſtæ nomen & ſymbolum recenſeri & collocari ſolet ex ordine: ex quo fit, ut Matthæus Marco, Lucas Joanni dignitate loci præferantur.

§. VII.

De Inſcriptione.

JOannes Papa auctor conditorque Lateranenſis ſacelli ſub Divorum ſimulacris in ipſa baſi, ſive inferiori abſidis hemicyclo, verſiculos quoſdam

Inſcriptio abſidi ſubjecta,

ſcribendos curavit, horridulos illos quidem & incomptos, pios tamen ac temporum illorum ſimplicitati mirifice conſentaneos, ut egregiæ ſuæ voluntatis religioniſque erga ſanctiſſimos illos martyres poſteris teſtimonio eſſent. Sed accidit perincommode, quod aliquot litteras muſivo operi inſertas vetuſtas carieſque vel corroſit, vel excuſſit, ſic ut aut verba ipſa omnino abraſerit, vel certe fœdum in modum mutilaverit; aliis enim primæ, aliis intermediæ, aliis poſtremæ litteræ ſyllabæve exciderunt. Nullum erat exemplar, unde ſuppleri poſſent hujuſmodi litteræ, quæ temporum injuria defluxerant. Baronius quidem, quantum conjectura aſſequi poterat, invenit, quemadmodum jacturam illam refarciret. Itaque totidem litteras ac verba ſubſtituit, quot deeſſe videbantur, adeo apta & concinna, ut & carminis numerum menſuramque explerent; & ad id, quod inſcriptio poſtulat, idoneas congruenteſque ſententias exprimerent. Et Baronii auctoritas apud omnes valuit; quamque in ea re induſtriam ille operamque adhibuit, communis omnium conſenſus uſque adeo approbavit, ut cum paucis poſt annis Clemens X. Pontifex Maximus Lateranenſem picturam refici expoliriique juſſiſſet, quidquid Baronius vel ſupplevit, vel reſtituit, referri viſum eſt in eum locum, unde antiquæ litteræ exciderunt; & verſus ipſos ex Baronio, perinde quaſi ex ipſomet autographo deſumpti forent, illuc transferri, litteriſque inſititiis inſcribi, doctiſſimis viris placuit. Itaque qui deinceps S. Venantii ædem ſuis ſcriptis monumentiſque ornarunt, ii omnes Lateranenſem epigraphem ad Baronianum exemplar deſcriptam nobis exhibent. Eamdem Ciampinus indidem ſumptam in altera & trigeſima tabula ſic imprimendam curavit, ut quæ Baronius reſtituit, minuſculis, quæ vero intacta permanſerant, majuſculis litteris incidi voluerit,

a Baronio reſtituta.

Digitized by Google

luerit; ut alia ab aliis dignosci possent. Ita enim hujusmodi inscriptio apud Ciampinum legitur;

MARTYRIBUS XTI DNI PIA VOTA IOANNES,
reddidit ANTISTES SANCTIFICANTE deo.
at SACRI FONTIS SIMILI FULGENTE METALLO
providus instanter HOC COPULAVIT opus.
QUO QUISQUIS GRADIENS ET XPM PRONUS ADORANS
effusasque preces IMPETRAT ILLE SUAS.

Hæc epigraphe, quæ apud Auctores tot lineis a capite ductis distinguitur, quot sunt carmina, quibus constat, una linea, ductuque unico totam absidis basim sive hemicyclum occupat. In iis, quæ supplementi causa Baronius adjecit, nihil equidem invenio, quod reprehendam; neque is ego sum, qui talis ac tanti viri sive sententias, sive conjecturas, nisi veritas ipsa cogat, improbare audeam. Pauciſſima tamen sunt, quæ paullo aliter, ut quidem mihi videtur, aptius congruentiusque restitui possent, quæ sic exponam, ut non tam videar meas conjecturas Baronianis præferre velle, quam eas aliorum judicio subjicere.

Unum videtur aliter, atque Baronius censuit, restitui posse.

In tertio, ubi Baronius posuit, *At sacri fontis*, ego libentius in eum locum substituerem, *Ad sacri fontis*, ideſt, *apud vel prope Baptisterium*. Hæc loquendi ratio in usu est apud optimos Latinitatis auctores, quorum illa sunt, *ad Opis*, *ad Vestæ*, & cætera id genus, ubi Grammatici docent elegantiæ causa, prætermitti *fanum* vel *templum*, cui tamquam *substantivo* patrius ille casus innititur. Quid vero hic sibi velit particula *at*, plane non intelligo; cum enim multiplices usus habeat, nullus tamen in hunc locum satis apte accommodari potest. Nec displiceret conjunctio *&*, sic ut genitivus ille *sacri fontis* referendus esset ad nomen adjectivum *simili*, quod alias cum secundo, alias cum tertio casu conjungitur; ex quo fieret, ut huic distichо hæc esset subjecta sententia: *Et Joannes copulavit hoc opus metallo fulgente simili sacri fontis*, ideſt opus, quod simili ac Baptisterium, fulget metallo. In Ciampini tabula plane mendosa legitur *A sacri fontis* pro *At sacri fontis*; & *quo quis gradiens* pro *quo quisquis gradiens*; itemque apud Oldoinum *fontes* pro *fontis*, & *imperat* pro *impetrat*. Verum nemo non videt hujusmodi depravationis causam vel in librarios, vel in typographos conjiciendam esse.

CAPUT V.

De cultu & reliquiis S. Venantii, ejusque sociorum Lateranensium.

§. I.

De Festo S. Venantii die.

Kalendis Aprilis B. Venantio consecratis.

QUem diem B. Venantius illustri martyrio consecravit, eumdem antiquitas in Fastos Divorum retulit, ut perpetuo in honore apud posteros esset, atque ad præstantissimi hujus martyris nomen memoriamque recolendam destinavit. Cum itaque Kalendis April. præclarum pro Christo certamen obierit, hoc ipso die Ado, Usuardus, aliique Martyrologi per honorificam D. Venantii mentionem faciunt, & anniversarios eidem, solemnesque honores ecclesia Lateranensis persolvit. Nec dubium esse potest, quin olim Salonæ, atque adeo in universa Dalmatia, is ipse dies Venantii Salonitani Episcopi nomine ac martyrio insignis, & sanctissimus haberetur; & qua dignum erat religione populique frequentia singulis annis celebrari soleret. Sed suprema illius urbis clades, & quæ inde consecuta est posteritatis oblivio, ejus diei celebritatem ac religionem antiquavit, penitusque abolevit; Venantii autem corpore translato, præstantissimi hujus Episcopi & martyris cultus omnis ac memoria e Dalmatia pariter cum ejus reliquiis abscessit. Itaque Venantius apud suos neglectus ignotusque a Lateranensi clero, cujus fidei ac pietati suas commisit & credidit reliquias, pio gratoque animo, & eximia veneratione colitur. Eum quippe Lateranensis ecclesia Kalendis Aprilis publicis debitisque honoribus prosequitur, atque ad ejus laudes celebrandas, ejus diei preces canonicas & solemnem Liturgiam *sub ritu duplici* composuit atque instituit. Illud præterea ad ejus diei gratulationem religionemque augendam accessit, quod a Romanis Pontificibus Primores Cleri Lateranensis certas stataſque delictorum indulgentias eidem diei affigendas curarunt, quibus eorum animi expiarentur, qui S. Venantii sacellum caste riteque adirent. De Lateranensi cultu festoque die hujus sanctissimi martyris meminit Octavius Pancirolius *in eo libro, quem de thesauris absconditis urbis Romæ* scripsit, ubi *ad Regionem* 11. *Ecclesiam* 2. de sacello S. Venantii sermonem instituit; & in ejusdem libri indiculo hæc subjecit: *Solemnitas S. Venantii in hac ecclesia celebratur Kalendis Aprilis, atque indulgentiæ eidem sit esse concessæ.* Huc pertinet, quod Henschenius scripsit in Actis S. Venantii tom. 1. Apr. die 1. n. 3. *In ordine officiorum de Sanctis propriis ecclesiæ Lateranensis præscribitur officium sub ritu duplici cum Credo & Missa, quod corpus ejus ibi habeatur.*

Idem dies colitur in honorem S. Venantii a Clero Lateranensi.

Porro in eo officiorum ordine, quem citat Henschenius, quique inscribitur: *Ordo officii Divini pro Capitulo Romano & Clero sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cathedralis Papalis Lateranensis*, Kalendis Aprilis hæc subjiciuntur: 1. *Aprilis. Venantii Episcopi & martyris. Duplex.* (*Habemus corpus in oratorio S. Mariæ ad fontes*). *De communi unius martyris. Lectiones* 1. *Nocturni*, *A Mileto*, 2. & 3. *ut in proprio*; *Missa*, *Sacerdotes Dei*, *cum Gloria & Credo. Missa solemnis de sancto erit post tertiam in oratorio prædicto.*

Ritus Venantiani officii, & Liturgiæ celebrandæ.

Est item alius libellus ad usum Capituli Cleriquo Lateranensis compositus, cui titulus est: *Proprium Sanctorum pro sacrosancta Romana ecclesia Lateranensi a Sac. Rit. Congreg. approbatum*; in quo divinum officium precesque horarias in honorem S. Venantii recitandi ratio ritusque traditur his verbis: *In Festo S. Venantii Episcopi & martyris. Duplex. Omnia de communi præterea, quæ sequuntur: Oratio, Deus qui nos Beati, ut in communi unius martyris* 2. *loco. In* 1. *Noct. Lectiones, A Mileto, ut in eodem communi; in* 2. *Sermo S. Fulgentii Episcopi de S. Cypriano; incipit: Clarum tanti martyris natalem diem, usque ad ea verba, & nos liberati sumus. In* 3. *Homil. super Evangelium: si quis vult venire post me.*

Vellem equidem Spalatenses Dalmatæque tam insigni Lateranensis Cleri religione atque exemplo excitarentur, & jamdudum intermissam S. Venantii, sui quondam Episcopi, celebrandi colendique consuetudinem longo intervallo revocarent. Nam cujus tandem incuriæ est, ne quid gravius dicam, id æquo animo pati, ut qui apud exteros tanto in honore habetur, is apud suos nullo cultu afficiatur, omninoque neglectus in ea provincia sit, quam ipse saluberrimis præceptis excoluit, virtutum omnium exemplis erudiit; nec suæ tantum doctrinæ ac sanctitatis vestigiis impressit, sed etiam proprio san-

sanguine imbuit, & martyrio illustravit. Habent porro Spalatenses, unde sanctissimi hujus Episcopi ac martyris venerandi non modo exemplum, sed etiam ritum rationemque addiscant: quippe Lateranensis Clerus illis suppeditat totius divini officii ac Liturgiæ paradigma sane egregium, quod ipsimet sibi describere, & ad suum usum adsciscere queant; nisi quod ad Venantii religionem cultumque aliquid, atque adeo multum addi oportet a Spalatensibus, quos utique decet Episcopi ac patroni sui anniversarium festumque diem & sanctius colere, & longe honorificentiori apparatu rituque celebrare.

§. II.

De Festo die sociorum Lateranensium S. Venantii.

CUm D. Venantio, unde Lateranensis ædicula & titulum sumpsit, & præcipuam ab initio religionis & celebritatis causam accepit, justum ac debitum honorem Capitulum & Clerus Lateranensis decreverit, & singulis annis die prima Aprilis rite persolvat, æquum non erat negligi, nulloque cultu affici reliquos martyres una cum Venantio Romam advectos, quorum exuviæ ibidem conditæ loci ejusdem sanctitatem mirifice augent. Itaque ad eorum venerationem decretus est dies undecimus Aprilis, idemque perscriptus est in fastis ecclesiæ Lateranensis, ut posterorum memoriæ sempiternæ commendaretur. Hujus diei celebrandi ritus, totiusque divini officii ratio ex ea communi formula desumitur, quam ecclesia præscripsit, quaque uti solemus, cum plurium martyrum concursus in unum eumdemque diem incidit. Haud satis compertum habeo, quid causæ fuerit, quamobrem Lateranenses hanc diem potissimum anniversario horum martyrum cultui addixerint. Duas hujusce instituti causas esse potuisse video, vel quod III. Idus Apriles Martinus Abbas redux e Dalmatia veneranda illa martyrum corpora in urbem intulerit, eaque Joannes Papa solemni apparatu & pompa exceperit; vel quod eodem die idem Joannes, vel Theodorus proximus ab eo Pontifex sanctissimos martyres in sacello ad id exstructo pie honorificeque collocaverit: nisi forte Lateranenses, quod equidem verisimilius puto, hujus diei festi instituendi causam, celebrandique consuetudinem ab ipsis Dalmatis adsciverint; hi quippe jam inde a principio Salonitanæ ecclesiæ diem XI. Apr. egregiæ martyrum Dalmatarum cohorti consecratum in honore habuerunt, hujusque diei religio apud Spalatenses etiamnum viget. Argumento esse potest, quod eadem officii ratio, idemque hujus diei colendi ritus ubique usurpetur, ut satis appareat non solum causam & consuetudinem, sed etiam ritum rationemque ejusdem diei celebrandi e Spalatensi seu Salonitana ecclesia petitam fuisse. Hoc tamen interest, quod alio Spalatenses, alio Lateranenses hujusce diei cultum ac venerationem referunt. Nam Spalatenses quidem eo spectant, ut anniversariis honoribus prosequantur quinque illos & quadraginta martyres, quos B. Domnius Christianis mysteris ab se initiatos ad glorioſum certamen instruxit, & nobili martyrio perfunctos ad cœlum præmisit, uno fere ante suum martyrium mense, id est III. Idus Aprilis; qui a nobis B. Domnii præcursores dicti sunt propterea, quod antea martyrium subierint, quam eorum dux & magister præclaram pro Christo mortem oppeteret. Sed Lateranensium pietas ac religio latius patet: quippe omnes illos martyres unius diei celebritate complectitur, quos e Dalmatia & Istria translatos Lateranense sacellum excepit, ac sepultura donavit: quamquam ego equidem permultos ex præcursoribus S. Domnii in eorum numero ac societate reponendos censeo, quos Martinus Abbas in urbem transvexit, ex quo fit, ut ex iis, quos colunt Spalatenses, aliqui sint, quibus itidem Lateranenses anniversaria religionis officia persolvant; nisi quod illis martyrium, his translatio in causa fuerit, ut utrique diem undecimam Aprilis Dalmaticorum martyrum nomine consecraverint.

Socii Lateranenses S. Venantii colentur die XI. Aprilis.

§. III.

De veteri sepulchro S. Venantii in Dalmatia.

DE Dalmatico S. Venantii sepulchro, cultuque eidem adhibito, antequam Romam transferretur, nihil memoriæ litterisve proditum est. Id nobis hac de re opinari licet, quod conjectura assequi possumus. Cum Venantius ex itinere in Pannoniam suscepto, Delminium digrediens, ut alibi diximus, in ea urbe olim sane celebri & copiosa, eademque antiquitus gentis Dalmaticæ principe, unde universæ nationi & provinciæ nomen obvenit, ab Ethnicis comprehensus, & religioni causa interfectus fuerit, admodum credibile est ejusdem corpus ibidem a Christianis sepulturæ mandatum fuisse; sic ut idem ab initio ejus sepulchro ac martyrio locus obtigerit. Porro Venantius apud Delmitanos conditus, & quo par erat honore cultus aliquamdiu mansit, ut conjectari licet. Neque a veritate longe aberit, si quis putet S. Venantii reliquias post aliquot ætates tandem aliquando Salonam devectas fuisse. Certe Salonitani cives erga Venantium suum olim Episcopum, id studii, id gratæ piæque voluntatis præseferre ac profiteri debuerant, ut in omnem ejus corporis potiundi occasionem intenti, ubi ubi esset, illud inquirerent, inventumque omni ope & contentione repoterent; quod id postularet debiti officii ratio, ut Salonitani potissimum meritam Venantio gratiam memori mente, & justis honoribus persolverent; isque in ea civitate, quam Christianis præceptis & mysteriis imbuerat, quo dignum erat, sepulchro cultuque condecoraretur.

S. Venantius fortasse apud Delminii sepultus, ubi martyrio affectus, deinde Salonam translatus,

Sed undecumque Martinus Abbas corpus S. Venantii abstulerit, vix aut ne vix quidem dubitari potest, quin ejusdem sepulchrum indigenis pariter adveniseque notissimum esset, & maximo in honore haberetur. Nam Martinus, cum e Dalmatiæ Istriæque cæmeteriis martyrum reliquias raptim ac festinanter erueret, easque confusas ac permixtas in navem conjiceret, ne videlicet Barbari, quorum refertissima erat utraque provincia, de improviso adorti moram suscepto operi atque impedimentum afferrent, spatium non habuit inspiciendi explorandique notas & signa cuique appolita, ex quibus dignosci posset, quod cujusque corpus esset, & quo quisque vocabulo appellaretur. Hinc factum est, ut pauci admodum sint, quorum nomina innotuerint. Contra vero Venantii corpus re ac nomine a reliquis internoscebatur; si enim item Venantii, ut cæterorum reliquiæ ignorabantur, equidem non arbitror futurum fuisse, ut Joannes Venantio potissimum ædem illam dedicaret, quando ejus reliquiæ neque ab aliis secerni poterant, neque satis certo sciri, utrum e Dalmatia cum aliis avectæ fuissent. Ita necesse fuit Martinum a Dalmatis de loco, ubi conditus erat Venantius, edoceri; neque enim alitunde ejusdem corpus dignosci potuisset. Ex quo efficitur, ut Venantii nomen at sepulchrum ac demum Romam.

apud

apud eas gentes celebre esset, & ab iisdem, haud secus quam par erat, summa veneraciones & frequentia coleretur.

§. IV.

Reliquiæ S. Venantii & sociorum Alexandri VII. auctoritate comprobantur.

JOannes Maria Crescimbenius in historia, quam scripsit de Basilica S. Joannis ante Portam Latinam lib. 2. cap. 7. tradit reliquias S. Venantii sociorumque in Lateranensi sacello conditas ab Alexandro VII. Pontifice Max. recognitas & approbatas fuisse, cum is pro munere suo atque officio ecclesiam Patriarchalem Lateranensem Episcopali more inviseret, riteque lustraret, ut si quid ad splendorem ac dignitatem divini cultus deesset, vel propter vetustatem obsolesceret, id renovandum restituendumque curaret. Quod quidem nolim perinde accipias, ac si Pontifex jusserit reliquias illas e sepulchro erutas in apertum proferri, ut eas suismet oculis inspiceret ac recognosceret; & ubi cum veritate ac traditione congruere cuncta comperisset, eas pontificio ac solemni decreto comprobaverit, quo majorem eisdem tum fidem adjungeret, tum venerationem conciliaret. Nihil enim horum in publicas tabulas relatum invenio, in quibus acta & decreta Pontificum, publicæ memoriæ causa, perscribi solent. Quæ igitur in hanc sententiam Crescimbenius scripsit, eo pertinent, ut significent tacito quodam summi Pontificis judicio hujusmodi reliquias ratas certasque habitas esse, quod eas Alexander, cum sacellum inviseret, palam publiceque veneratus sit, eisdemque cultus honorisque debiti officia persolverit. Quo quidem facto & exemplo cum hominum studia ac religionem ad eas impensius colendas excitavit; tum ex mortalium animis dubitationem omnem, si qua forte resideret, penitus exemit, nemo ut in posterum sacra illa ipsaua in controversiam vocare possit, quin publicæ veneracioni, a Christi Vicario illis exhibitæ, auctoritatem per summam impudentiam derahere videatur.

Reliquiæ Venantii & sociorum,

ab Alexandro VII. approbatæ.

§. V.

De Reliquiis S. Venantii Bononiæ in æde S. Joannis in Monte.

GOdefridus Henschenius tom. 2. Apr. in Append. n. 5. narrat se apud Masinum legisse aliquid e reliquiis S. Venantii Bononiæ asservari in æde S. Joannis, cui cognomen est *in Monte*; sed a Masino indicium aliquod requirit, unde dignosci possit, utrum eæ reliquiæ ad Venantium eum, qui Kal. Aprilis colitur, pertineant, nec ne, & unde illuc fuerint illatæ; nam aliter negat omnino se habere hac de re quod liqueat, quodve in alterutram partem affirmare possit: *Aliquas*, inquit, *S. Venantii Episcopi & Martyris reliquias asservari Bononiæ in ecclesia S. Joannis in Monte tradit in Bononia perlustrata Masinus ad hanc diem. Si adderetur unde & quando illuc allatæ fuerint, posset aliqua conjectura fieri, hujusne, an alterius Venantii existimandæ sint.* Hactenus Henschenius.

Reliquiæ S. Venantii Bononiæ in æde S. Joannis in Monte,

Ut Henschenii postulatis quoquo modo satisfaciam, & fidei ac verisimilitudinis quidquid ex conjecturis suppeditari potest, Masini sententiæ adjungam, tum locum, unde reliquiæ illæ transferri, tum tempus, in quod hujusmodi translatio incidere potuerit, breviter exponam. Auctores nec pauci, nec ignobiles ex quodam manuscripto eoque pervetusto codice cœnobii Bononiensis S. Stephani tradunt ex illustri Theodosii Magni stirpe ortum fuisse Petronium Episcopum Bononiensis ecclesiæ, virum & generis claritate, & omnibus sanctimoniæ notis insignem; cujus Pontificatus, si ad normam rectæ Chronologiæ res exigitur, inter annos quinti sæculi undetrigesimum, & quinquagesimum satis apte interjici potest. Is cum Hierosolymam peregrini ritu habituque potore constituisset, prius quam in viam se daret, a Pontifice Romano per litteras suppliciter petiit, ut ab sua ecclesia ad tempus abeundi potestas sibi fieret, simulque fausta precatio sibi suæque Hierosolymitanæ peregrinationi Apostolica auctoritate impertiretur. Voti utriusque compos in Palæstinam trajecit, cumque loca illa Christi Domini nobilitata vestigiis, & sanguine imbuta iterum ac sæpius eximia quadam religione objisset, vim ingentem sacrarum reliquiarum tum e Palæstina, tum ex aliis regionibus, quas ex itinere adiit, sedulo collegit, & Bononiam advexit. Eas deinde, ut Bononiensium pietati ac veneracioni perpetuo essent expositæ, honorifice collocavit, apteque suis quasque locullis disposuit in Basilica S. Stephani, quam ipse in ea urbe a fundamentis exstruxerat. Nec vero dubium videtur esse, quin ex occasione hujus peregrinationis Dalmatiam obierit; nam temporibus illis tum Hierosolymam peregre proficiscentibus, tum e Palæstina atque Oriente in Italiam redeuntibus, iter Dalmaticum tritum erat atque obvium; & præterea regio illa tot Martyrum certaminibus illustrata, & sanguine perfusa Petronium, ut illuc iter deflecteret, mirum in modum alliciebat. Itaque sanctissimus Pontifex, (ut credibile est, & sua eum religio impellebat) sacra Dalmatiæ loca Martyrum sepulchris & exuviis maxime inclyta pie casteque adiit; & undique aliquid ex reliquiis cum aliorum Divorum, tum etiam S. Venantii decerpsit, haud invitis sacrarum ædium præpositis & custodibus, quos sibi & generis nobilitate, & eximiæ cujusdam sanctitatis specie, mirifice conciliaverat. Erat enim, ut satis apparet, studiosissimus hujusmodi sanctarum opum, quibus ecclesiam suam augeret atque ornaret. Habes igitur, unde & quo tempore reliquiæ S. Venantii Bononiam adferri potuerint; ac deinde in templo S. Joannis, cui a Monte inditum est cognomen, honorifice collocari, ubi hodieque, auctore Masino, asservantur. Quæ a me dicta sunt, nihilo plus fidei & auctoritatis adjungi velim, quam quantum conjecturis inest; paratique sumus omnia hæc abjudicare, & rejicere, si quid probabilius occurrerit, quod sequamur.

a S. Petronio Bononiensi Episcopo fortasse e Dalmatia illuc delatæ.

§. VI.

De Reliquiis S. Venantii Pragam allatis, & depositis in æde Metropolitana S. Viti.

EST etiam Pragæ (inquiunt Henschenius & Papebrochius Tomo 1. April. in Append. ad diem primum pag. 897.) *in Metropolitana S. Viti ecclesia, S. Venantii Episcopi Martyris frustum digito majus, allatum ex Italia per Carolum IV. anno 1370, uti notatur in Diario reliquiarum dictæ ecclesiæ, quod ipsius Decanus Thomas Pessina a Czechorod vulgavit superioribus annis, & deinde Phosphoro suo inseruit pag. 507. Gratum esset ipsa quoque accipere instrumenta, per quæ constet tali auctore & anno acceptam esse particulam istam; non quia dubitamus de rei veritate, (scimus enim sum-*

Reliquiæ S. Venantii Pragæ in æde Metropolitana.

Digitized by Google

ma fide confectum esse Diarium illud, & Carolum nullo non itinere aliquid augendo Pragensi thesauro conquisivisse) sed quia similia instrumenta multa possunt docere, quæ mirifice conducant ad illustrandam Sanctorum historiam.

a Carolo IV. Imper.

Cum ergo Henschenius & Papebrochius Thomam Pessinam dignum existiment, cui de reliquiis S. Venantii ex Italia Pragam per Carolum IV. allatis credant, nos quoque huic scriptori assentiamus necesse est; præsertim cum nihil causæ sit, cur ab illo dissentiendum putemus. Itaque Carolus IV., cum ad sacrum ecclesiæ Pragensis thesaurum augendum undique Divorum reliquias colligeret, Romam adveniens permissu Romani Pontificis tum multa Martyrum corpora ex aliis cœmeteriis adeptus est, tum etiam e Venantiano Lateranensi sepulchro frustulum aliquod ex Venantii corpore decerpsit, quod in ædem Pragensem S. Viti ab se magnifice exstructam ornatamque inferret.

e sepulchro Venantiano Lateranensi decerpta, & Pragam translata.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Anno Christi.

100 VEnantius ineunte altero sæculo natus videtur esse Salonæ in Dalmatia.

120 Et Clericali militiæ nomen dedisse,

130 Atque in collegium Diaconorum cooptatus esse, factusque deinde Archidiaconus, seu primus inter Diaconos.

140 Hesychio II. rebus humanis exempto in Pontificatum Salonensem successit; tranquillis post interitum Hadriani, pacatisque bene usus temporibus, ecclesiam Dalmaticam mirifice auxit.

145 Cum per hæc tempora, Marcionis, Valentini, aliorumque hæreses virulentæ in ecclesiam grassarentur, Venantius nihil diligentiæ curæque prætermisit, ut pestes hujusmodi ab ecclesia Dalmatica arceret.

148 Antonino Pio Imperatore Idolorum superstitioni mire addicto, vel jubente vel permittente, ecclesia rursus exagitari cepta, & plures ubique Christiani ob religionem excruciati atque interfecti. Quæ clades cum ipsam Dalmatiam pervasisset, Venantii ad gregem sibi commissum tuendum & confirmandum, vigilantiam curamque excivit, ac per aliquot annos exercuit.

150 Ideſt anno 150. ab ortu Christi Justinus Christianus Philosophus primam pro religione Apologiam composuit, obtulitque Antonino, qui nihilo mitius exinde rem Christianam afflixit.

154 Antoninus plurimis gravissimisque Romani imperii cladibus divinitus immissis vehementer commotus legem tulit, ut si quis hoc solo nomine, quod Christianus esset, postularetur, in accusatores supplicium verteretur. Exinde aliquid pacis fuit. Sunt, qui hujusmodi pro Christianis rescriptum referant ad an. 152. Anno Christi.

155 Venantius parochiæ & provinciæ suæ ritu Episcopali lustrandæ consilium cepit; ejusque lustrationis initium a Narona, sive Narbona urbe Dalmatiæ olim frequentissima, & opulentissima cum fecisset, iter in Pannoniam intendit. Apud Dalmium, seu Delminium, oppidum alpinum Dalmatiæ, coorta in eum effusaque Ethnicorum conspiratione, præclaram pro Christo mortem oppetiit. Corpus S. Venantii apud Dalmium sepultura affectum, postea in urbem Salonitanam translatum est.

440 S. Petronius Episcopus Bononiensis Hierosolyma rediens, per Dalmatiam iter habuit; & reliquias e corpore S. Venantii decerptas Bononiam attulit, quæ nunc in æde S. Joannis de Monte asservantur; ad quod suspicandum nullo quidem satis certo argumento, sed conjectura ducimur.

649 Salona a barbaris funditus eversa, Martinus Abbas de captivis redimendis, ac Martyrum reliquiis Romam asportandis, missus est in Dalmatiam a Joanne IV. Pontifice Max. natione Dalmata.

642 Hoc anno ineunte vel superiori, Joannes IV. Venantium e Dalmatia cum aliis Martyribus transvectum honorifice excepit, eique prope Lateranense Baptisterium sacram ædem exstruxit, magnificeque ornavit, ubi S. Venantii corpus etiamnum asservatur.

809 Per hæc tempora Leo III. sacellum Venantianum muneribus coluit.

1379 Carolus IV. Imperator, reliquias e Lateranensi Venantiano sepulchro acceptas, & Pragam translatas, in æde Metropolitana S. Viti collocavit.

1572 Effigies Deiparæ Virginis fortassis advecta ex Dalmatia in sacello Venantiano prope sacrarii januam antiquo opere picta miraculis claresceré cœpit. Quare eodem in loco illi ara posita; & exinde huic sacello titulus *S. Mariæ* ad Fontes adjectus. Postea inde translata, imposita est aræ maximæ Liguſticis marmoribus exornatæ, & magnificentius exstructæ.

1660 Hisce temporibus Alexander VII., cum Lateranensem Basilicam, & sacella eidem adjuncta Episcopali more inviseret, ac lustraret, S. Venantium cæterosque Martyres ibidem conditos pie ac religiose veneratus, eorumdem reliquias, exempla & auctoritate Pontificia approbavit.

1674 Clemens X. Picturam sacelli Venantiani vetustate defluentem, & multis in locis labefactatam, restituendam curavit, in eam rem adhibito Narciſſo Spina, celebri ea tempestate Musivorum artifice.

HONOPHRIUS VEL HONORIUS I., MAXIMUS I. PASCHASIUS, CÆSARIUS, JUSTINUS I., JUSTINIANUS, ANTONINUS, ET MAXIMUS II.

EPISCOPI SALONITANI.

HOrum Salonensium Antistitum Pontificatus res ecclesiasticas Salonitanas cxv. annorum, in multiplici reipublicæ Christianæ varietate motuque gestas complectitur, sed nimia vetustate obsitas & posterorum investigationibus plane impervias; sive quod perraræ per ea tempora litteræ apud Christianos fuere, cum majores nostri plus curæ operæque in egregiis factis imitandis, quam describendis ponebant; sive quod si quæ in commentariis Diaconorum, aliisque publicis, privatisque erant monumentis, tabulario ecclesiastico vel jussu Diocletiani incenso, vel una cum urbe subverso direptoque, pleraque interiere. Itaque rerum scribendarum inopia nos coegit in hunc unum

Horum Antistitum Acta perierunt.

unum locum octo ipſos Epiſcopos Salonitanos congerere ; & quando acta uniuſcujuſque ſingillatim perſequi non licet, quæ ad omnes generatim quoquo modo pertinent, ea obſervatis notatiſque temporibus exponemus. Cum ergo ex eorum actis nihil ſuperſit, epitomam quamdam ac ſummam confecimus hiſtoriæ univerſalis eccleſiaſticæ, ubi res maxime memorabiles illorum temporum breviter atque ordine comprehenduntur. Scitum eſt enim ex univerſalibus & communibus ſingularia & propria excerpere. Quas enim ab anno Chriſti 155. uſque ad annum 270. temporum varietates fortunæque viciſſitudines ſubiit res Chriſtiana univerſa, eaſdem experta eſt Salonitana eccleſia ; & iiſdem hæc, quibus illa, Romanis Imperatoribus modo iniquis, modo propitiis uſa fuit ; ſic prorſus, ut quantum univerſali, tantumdem Salonitanæ eccleſiæ vel incrementi, vel damni, res aut proſperæ, aut adverſæ attulerint. Quare qui totam ætatum ac rerum illarum rationem in animo ac memoria diſtributam & comprehenſam habeat, is recte bene conjecerit, quinam per eos cxv. annos fuerit ſtatus, quæve conditio ſeu propitia, ſive incommoda eccleſiæ Salonitanæ ; & quam multa præclare geſſerint Salonenſes illorum temporum Antiſtites, ut ad commiſſam ſibi eccleſiam amplificandam ac tuendam, ſecundis quidem rebus bene uterentur, adverſis autem ſolatium ac ſubſidium ferrent. Itaque de Romanis Imperatoribus, qui rerum potiebantur per ea tempora, quibus octo illi Epiſcopi regebant eccleſiam Salonitanam, de perſecutionibus eorum juſſu vel permiſſu eccleſiæ illatis, de induciis identidem interpoſitis, de toto Chriſtianæ reipublicæ ſtatu pauca quædam illuſtriora, & ea ſummatim exponam ; quibus enim propria deſunt, iis communia foris adſciſci oportet, ne hi Epiſcopi ab omnibus rebus inopes, & incompti in publicum prodeant.

ſupplenda ex hiſtoria univerſalis eccleſiæ.

Ex octo illis Epiſcopis, quos in hunc locum conjecimus, tres poſteriores Juſtinianum, Antoninum, & Maximum II. ad ſæculum ſeptimum plerique Catalogi referunt ; Juſtino autem, cui ſucceſſit Juſtinianus, proxime ſubjiciunt Glycerium ex Imperatore Romano Epiſcopum Salonenſem, qui anno Chriſti 476. hujus eccleſiæ Pontificatum ſuſcepit. Cum autem Glycerium Juſtino ſtatim adjunguut, annos amplius ducentos tranſiliunt, & Epiſcopos intermedios ab tertio & quarto, quintoque ſæculo circiter viginti, in poſteriores ætates rejiciunt. Ut Catalogum Romanum cæteris præferam, illa me ratio potiſſimum impellit, quod is unus omnium accuratiſſime confectus eſſe videatur ; nam & omnes Salonæ Spalatique Epiſcopos nominatim recenſet, & ſuo quemque ordine collocat, & quot quiſque annos, quibus Pontificibus, quibuſve Imperatoribus eccleſiam illam adminiſtraverit, diligenter notat ac deſignat, quamquam in annis ſupputandis, & in Pontificibus atque Imperatoribus percenſendis nonnumquam labitur. Reliqui vero Catalogi nihil fere habent, præter nuda Antiſtitum nomina, nullis notis Chronologicis ad priorum ſæculorum Epiſcopos adjunctis ; & in eorumdem ſerie explicanda, præpoſteris confuſiſque temporum ordinibus, multa turbant a recta Chronologia, veterique hiſtoria diſſentientes. Quare Romanum Catalogum ſic nobis tamquam exemplar propoſitum eſſe debet, ad cujus normam reliquos exigere, & emendare oportet. Cæterum in hunc ipſum, in quo nunc verſamur, codicis Romani locum, librarii culpa, anachroniſmus irrepſit. Horum enim Epiſcoporum ſeriem perducit uſque ad annum 281. Sed decem fere annos his detrahendos eſſe ipſe Catalogus monet, cum Pontificatum Amabilis ſive Agapiti, qui ſucceſſit Maximo II. horum Antiſtitum poſtremo, in eos annos confert, quibus Felix eccleſiæ univerſali, Aurelianus Romano imperio præſidebat. Hic autem juxta Baronium anno 271, vel ſuperiore imperii, ille anno 272. eccleſiæ regimen ſuſcepit. Ac Felix quidem triennio poſt, Aurelianus vero anno, poſtquam imperium inierat, ſeptimo extremum diem obiit juxta Chronologiam eamdem Baronianam ; quamquam alii in alios annos, ante octogeſimum tamen tertii ſæculi, initium & exitum utriuſque conjiciunt : ex quo fit, ut Maximus poſtremus illorum octo Antiſtitum, & proximus ante Agapitum, haud paucis annis ante 281. ex hac vita diſceſſerit. Hoc autem pluris faciendum cenſeo Romanum Catalogum, quod ſi quid forte in arithmeticis & chronologicis notis peccatum eſt, (facillime autem in deſcribendis numeris error Amanuenſibus ſubrepit) corrigi poteſt ex Chronologia Imperatorum & Pontificum Romanorum, quos Auctor hujus Catalogi Salonitanis Epiſcopis, ſuos cuique adſcripſit. Si vero in hanc Chronologiam error irrepſit, is deprehendi & emendari poteſt ex notatione annorum, quibus cujuſque Pontificatus circumſcribitur.

Romani Catalogi aliquis anachroniſmus ex ipſo Catalogo corrigi poteſt.

Catalogorum anachroniſmus ex Catalogo Romano emendari debet.

Horum itaque Epiſcoporum continuatio ſerieſque initium ſumit ab anno 155, & uſque ad annum circiter 270. producitur, annos centum omnino & quindecim complexa, quos pro numero illorum Antiſtitum in partes octo diſtribuere oportet ; & ſingulis, prout cuique conjectanti libeat, aliis plures, aliis pauciores annos aſſignare. Nam ſi Honophrium, ſive Honorium excipias, qui Venantio ſuffectus eſt anno 155., de anno, quo reliqui deinceps inierint Epiſcopatum, quove ex hac vita migraverint, nihil compertum habemus. Horum pleroſque Martyrio affectos fuiſſe tempora illa Chriſtianis infeſta, & acerbiſſima facile ſuadent. In antiquis Martyrologiis multos invenies horum cognomines ſive Epiſcopos, ſive Martyres ; utrum in his lateat aliquis ex Epiſcopis noſtratibus, inveſtigare non vacat ; præſertim cum inveſtigando & conjiciendo, nihil certum colligi poſſit ; in hiſce autem conjecturis & inveſtigationibus bonas horas conſummere & piget & pœnitet. De illorum cultu ac reliquiis cum nihil memoriæ proditum ſit, cujus tamdem ego rei, præter opinionem, quæ ſua cuique conjectanti eſſe poteſt ; auctor ſim ? Simile vero eſt, primum illos cum aliis Epiſcopis aut Martyribus Salonitanis extra urbem ad radices montis Maſſari ſepultos fuiſſe ; deinde Conſtantino imperante aut Salonam, aut in alias Dalmatiæ urbes translatos, uſque ad irruptionem clademque Avaricam, apud eos populos in honore ac veneratione fuiſſe ; demum Salona exciſa, aut omnium, aut aliquorum reliquias Romam devectas in ſacello S. Venantii etiamnum aſſervari ; & ibidem, uti cæteris Dalmatiæ Martyribus, ſic etiam his anniverſaria religionis officia perſolvi tertio Idus Aprilis. In actis ac temporibus Pontificum & Imperatorum digerendis ac ſupputandis potiſſimum ſequimur chronologiam Baronianam, quæ ſi cui minus probetur, res annoſque eorumdem ad eam, quam vero ſimiliorem putat, chronotaxim exigere ac revocare poterit. Cæterum adeo implicat temporum, in quibus nunc verſamur, aliter apud alios ordinata chronologia Pontificia & Imperatoria, ut nec qui Pontifices, quive Imperatores, nec quid quoque anno actum ſit, propter diſcrepantiam auctorum certo conſtituere poſſis. Nam Hyginii Pontificatum, cujus anno ſecundo initia

Incerti anni, unde incipit, & in quos deſinit Pontificatus ſingulorum.

Scriptorum diſcrepantia

initia Honophrii sive Honorii Antistitis Salonitani innectimus juxta Baronianam Chronologiam, alii ab anno 139. ad an. 142, alii ab an. 152. ad an. 156, alii ab an. 138. ad an. 150, alii cum Baronio ab an. 154. ad an. 158. perducunt. Huic vero alii Pium, alii Anicetum proxime substituunt. In iis etiam, qui deinceps sequuntur, Pontificibus chronologice ordinandis usque ad Eutychianum, uti etiam in superioribus, non de uno aut duobus annis, sed de multorum annorum numero inter se discrepant; & cujusque Pontificatum alii contrahunt, alii producunt, & quos uni detrahunt, alteri annos adjiciunt; ex quo fit, ut cujusque initium atque exitum alii aliis annis affigant. Post Eutychianum autem varia est, at levior, & nulla interdum discrepantia usque ad Anastasium, in quo, ac deinde in cæteris, fere omnes consentiunt; & si quando inter se dissident, diversique abeunt, haud multo post in eamdem viam pariter redeunt, eamdemque computandorum annorum rationem sequuntur. In serie autem Chronologica Romanorum Imperatorum a Tiberio usque ad Decium perducta de annis omnino duobus est inter scriptores controversia; quippe Imperatoris cujusque exordium atque interitum, qui a Baronio aliisque dissentiunt, biennio anticipant. At in constituendo imperii Deciani initio est ferme quadriennii discrepantia; illud enim Baronius in annum CLII. alii in annum XLIX. tertii sæculi conjiciunt; exinde autem alias de tribus, alias de duobus, alias de uno anno inter se dissident, usque ad Diocletianum, cujus imperii primordia ferme omnes in annum 284. conferunt. In hac igitur opinionum varietate ac dissensione, quas non est instituti nostri vel probare, vel refellere, ne vagari & errare cogatur Chronologia nostra, sed ut certum habeat, quem sequatur ducem, Baronium Historiæ ecclesiasticæ parentem cæteris hoc loco præferendum censui, ad cujus rationes chronologicas revocarem temporum ac rerum descriptionem, quæ centum & quindecim annorum spatio continentur, cum scilicet octo illi, quos supra nominavi, Antistites ecclesiam Salonitanam regebant. Cæterum chronologiæ Baronianæ non ita me addictum esse & affixum volo, ut mihi integrum non sit, tum in hoc, tum in aliis hujus historiæ locis ab ea dissentire cum viris doctissimis, qui Baronium in re chronologica interdum labi aut claudicare, multis & gravibus rationibus, ac certissimis, quæ illi ignota fuerunt, monumentis in lucem productis plane ad veritatem persuadent.

in Chronologia Pontificia & imperatoria.

Hic nobis sequenda Chronologia Baroniana.

§. I.

De re Christiana ab anno Christi 155. ad 194. Honophrio, Maximo & Paschasio Episcopis Salonitanis; Hygino, Pio, Aniceto, Sotere, Eleuthero, Victore Pontificibus Romanis; Antonino Pio, M. Aurelio, Vero, Commodo, Pertinace, Juliano Imperatoribus.

Honorii primi initia pacata.

HOnophrius, sive Honorius primus hoc nomine, Salonensis Antistes, Venantio suffectus, anno post Christum natum 155., Hygini Pontificis Maximi secundo, Antonini Pii Imperatoris decimo sexto, Pontificatus initia satis tranquilla videtur habuisse. Nam superiore anno Antoninus, ad quem quadriennio ante Justinus Philosophus Christianorum Apologiam scripserat, sive hujus oratione tandem motus, sive potius magnis quibusdam Romani imperii cladibus perterritus, quas Julius Capitolinus in Anton. nominatim persequitur, legem tulit, ut si quis hoc solo nomine, quod Christianus esset, postularetur, in accusatorem supplicium verteretur. Extat apud Eusebium lib. 4. cap. 12. Antonini pro Christianis rescriptum, in quo fatetur se ad hanc legem condendam impulsum esse exemplo & auctoritate optimi sui parentis Hadriani, a quo fuerat adoptatus. Hæc enim in extremo decreto posuit: *Pro quibus omnibus, multi, qui nostris præfuere provinciis, jam ante divinissimo sanctissimoque nostro Patri litteras scripserunt. Ad quos quidem ille rescripsit, nihil ejusmodi viris negotii facessendum, nisi forte aliquid maleficii contra Romanum imperium designare moliantur. Ad me etiam eorum causa scripsere multi, quibus per litteras patris mei sententiæ & voluntati assentiens, responsum dedi. Quod si quispiam igitur cuiquam Christiano, quia Christianus sit, pergat molestiæ quidquam aut criminis inferre, ille, cui crimen illatum fuerit, etiamsi reipsa Christianus deprehensus sit, absolvatur: qui autem illum accusaverit, justum debitumque supplicium subeat.* Hoc decretum incrementi vel plurimum attulit rei Christianæ, quæ exinde, ut auctor est Martinus Szentivanius, in Sarmatia, Scythia, Germania, Dacia, adde etiam in Dalmatia totoque Illyrico, mirum in modum augeri, latiusque in dies propagari cœpit. Scio equidem hoc decretum ab aliquibus attribui Marco Aurelio, quos hujus nomen apud Eusebium eidem præfixum decepit. Verum in eum titulum Eusebianum pro *M. Antonino Pio Marcus Aurelius* per errorem irrepsit, ut colligitur ex Justini Commentariis, in quibus idem Decretum huic titulo subjicitur: *Imperator Cæsar, Titus, Ælius, Hadrianus, Antoninus, Augustus Pius Pontifex Max.* &c. Idem confirmat Melitonis Sardensis Episcopi ad M. Aurelium pro Christianis Apologia, in qua de Antonino Pio eadem scribuntur, quæ de se ipse in suo decreto testatur. Melito siquidem, ut M. Aurelium ab Christianis persequendis averteret, Antonini optimi parentis exemplum eidem ad imitandum proposuit, apud Euseb. lib. 4. cap. 26. *Tuus item pater, quecum una tu summam rerum eo tempore administrabas, tum ad alias civitates generatim, tum ad Lariseos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, & ad omnes denique Græcos nominatim per litteras mandata delegavit, ne quid novarum rerum contra nos Christianos aliquando edere molirentur.* Quæ quidem verba cum iis mirifice congruunt, quæ ipsemet Antoninus in suo decreto de se scripsit: *Ad me etiam eorum causa scripsere multi, quibus per litteras, patris mei sententiæ & voluntati assentiens, responsum dedi.* Nequit ergo dubitari, quin hujusmodi Decretum Antonino Pio sit adscribendum.

Rescriptum Antonini pro Christianis.

Quo anno Honophrius ecclesiam Salonitanam regendam suscepit, duo impurissimi Hæresiarchæ Valentinus & Cerdon in urbem adveniunt, Romanam ecclesiam depravare, ipsumque veritatis fontem inficere frustra conati. Nec dubium videtur esse, quin suos quisque satellites, nefariæque impietatis ministros quaquaversum dimiserint, qui per prava illa & flagitiosa dogmata per Italiam & finitimas regiones longe lateque vulgarent. Credibile autem est nihil vigilantiæ curæque ab Honorio prætermissum fuisse, ut concreditam sibi ecclesiam ab ea contagione intactam servaret.

Valentiniani & Cerdonis Hæresiarchæ.

a quorum contagione Dalmatiam servavit Honorius.

Cæterum ne Pio quidem illo decreto satis tuta fuit ab improbis Christiana religio. Etenim anno 158. Hyginus Romanus Pontifex juxta Baronium pro Christo ab Ethnicis interfectus traditur. Huic alii Pium, alii Anicetum subrogatum censent; nam de utriusque Pontificatu est inter scriptores controversia, nec satis constat uter utri successerit.

Hygini Martyrium.

Anno

Digitized by Google

Anno 163. Antoninus Pius, cum annos tres fere & viginti imperium gessisset, apud Lorium Villam extinctus est. Hujus interitum alii referunt ad

M. Aurelius Antoninus Imper.

an. 161. Post hunc imperavit M. Aurelius Antoninus Verus Pii gener, idemque filius adoptivus. Hujus enim filiam Valeriam Faustinam in matrimonium duxerat, in ejusque nomen ac familiam per adoptionem immigraverat. A puero Philosophiæ ac præsertim disciplinæ Stoicæ deditus, Philosophi cognomen invenit. Rerum potitus, L. Ælium Verum, adoptivum itidem Antonini filium,

L. Ælius Verus ejus Collega.

suumque ex adoptione fratrem in societatem adscivit imperii, eidemque Lucillam filiam collocavit. Tum primum Romanum imperium duobus Augustis pari potestate præditis ac dignitate ornatis subesse cœpit.

Anno 164. Marcus Aurelius bellum Parthicum Lucio Vero fratri gerendum dedit, qui in omnia vitia & voluptates effusus ipse, per duces suos toto quadriennio adversus Parthos rem prospere gessit. Interea Marcus Romæ salubberrimis legibus reipublicæ statum constituit ac firmat, accersitis præterea undique Philosophis, qui optimis artibus ac disciplinis civium animos excoferent. Verum dum litteris armisque Romana res floret moderatione ac sapientia Principis, Christiana res partim Prætorum improbitate, partim populari odio ac tumultu haud leviter obtrita est. Nam Provinciarum Præfectis cum plebe in exitium religionis nostræ

Quarta persecutio,

conspirantibus, nullo quidem Imperatorum edicto, sed eorum permissu, aut etiam approbatione nova persecutio, quæ quarta fuit, excitatur; quamquam ab ipsis Imperatoribus aliquid decreti factum esse, vel contra Christianos, vel tale, unde eos persequendi causa & occasio Ethnicis præberetur, intelligi potest ex Apologia Melitonis Sardensis apud Eusebium lib. 4. cap. 26. *Quod*, inquit, *numquam antea factum fuerat, persecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores . . . . ex imperialibus edictis occasionem nacti palam, diu noctuque grassantur* &c.

Roma horta,

Hanc adversus Christianos persecutionem, quæ hoc an. 164. Romæ, auctore Urbicio Præfecto, ab eçde Ptolemæi & Lucii eximiæ fidei & constantiæ martyribus initium duxit, celeriter in alias ex aliis regiones progressam, totoque orbe Romano pervagatam fuisse tradit Justinus in altera pro Christianis ad Imperatores Apologia: *Quæ heri & proximis diebus in urbe vestra, o Romani, sub Urbicio accidere; &, quæ ubique locorum similiter citra rationem omnem a Præsidibus fiunt* &c. itemque Eusebius, qui ait sub Marci imperio *ex incursione popularium innumerabiles prope Martyres per universum orbem enituisse*. Tantam vero Christianorum multitudinem in omnibus urbibus ac provinciis religionis causa in judicium & capitis discrimen vocatam fuisse ferunt, ut neque ad quæstiones habendas, neque ad eorum causas, quorum nomen delatum erat, rite cognoscendas, Proconsulum & Prætorum numerus sufficeret, quod Athenagoras testatur in ea, quam pro Christianis orationem scripsit: *Innocentium fama violatur*, inquit, *tanta quidem calumniatorum frequentia, ut Proconsules & Præfecti, a vobis in diversas Provincias missi, causis audiendis non sufficiant*. Ex his satis liquido apparet, quam atrox & cruenta fuerit hæc persecutio, & quantas ubique Christianorum strages ediderit.

inde in omnes Imp. Rom. provincias effusa.

Anno 165, vel ut aliis placet 167. Justinus ex Philosopho Christianus, cum anno superiori alteram Senatui, ac Cæsaribus, Christianorum Apologiam tradidisset, martyrii palmam, defensæ religionis præmium tulit. Gliscente autem in dies persecutione, quam solito magis metuendam popularis in nos conspiratio faciebat, complures Christianorum greges cum in aliis provinciis, tum etiam in Dalmatia mactatos fuisse nemo inficiari potest. Neque a verisimilitudine abhorret Honophrium sive Honorium per ea tempora, dum in salutem defensionemque gregis sibi concrediti sedulo incumbit, præclaram pro Christo mortem oppetiisse, cui suffectus est Maximus hujus nominis primus. Nam crudelitas Magistratuum, & populi rabies in Episcopos, & in Romanos Pontifices præsertim effusa, ex his tres, ex illis vero quamplurimos de medio sustulit. Pius anno 167. martyrium subiit, cui successit Anicetus, nisi hunc illi præponendum censeas; qui nono anno post Pontificatum initum pro Christo vitam & sanguinem profudit. Aniceto ecclesiam administrante, Polycarpus Smyrnensis Episcopus Romam adiit, ac paullo post, anno circiter 169, egregium in Asia pro Christo certamen obiit, carnificis ferro transfixus, cum ejus innocentiæ ac sanctitati flamma pepercisset. Hoc quippe anno, qui Aurelii septimus fuit, persecutio acrius recruduit. Nam cum a Marcomannis bellum longe gravissimum immineret, tantus terror Marcum Aurelium incessit, ut teste Capitolino, undique & sacrificulos, & ritus etiam peregrinos adsciverit ad Deos propitiandos; quorum tamen præsidium atque opem haud aliter, ex communi scilicet opinione Ethnicorum, sibi conciliatum iri sperabat, quam si Christianorum sanguine litaret. Anno 170. atrox pestilentia totum fere orbem pervagata cum ubique tum in Italia præsertim atque in urbe magnas edebat strages incolarum. Satis constat tantam hominum multitudinem ea lue absumptam fuisse, ut ad Marcomannicam expeditionem cum deesset, unde justi exercitus conscriberentur, præter morem, servorum delectum haberi oportuerit; eosque etiam militiæ adscribi, quos Julius Capitolinus *latrones Dalmatiæ, atque Dardaniæ* appellat. Tantæ cladis causam cum Ethnici, usitato jam more, in Christianos Deorum contemptores conferrent, hinc acerbius eos divexandi occasio sumpta; præsertim cum M. Aurelius pestilentiæ avertendæ causa ad cultum Deorum diligentissime restituendum, ut tradit Capitolinus, omni studio incumberet.

Honorius Salonit. Episc. ea tempora procella percussos; cui successit Maximus.

Persecutio recruduit.

Anno 171. ambo Imperatores in Pannoniam proficiscuntur concordibus animis atque auspiciis bellum Marcomannicum gesturi. Sed Lucius Verus Altinum inter & Concordiam subita apoplexia extinguitur. M. Aurelius justis funebribus fratri & collegæ persolutis in Pannoniam duxit exercitum, & belli armorumque sedem Carnunti constituit, quæ urbs erat Pannoniæ superioris. Per hosce annos Melito Sardensis Episcopus suam pro Christianis Apologiam scripsit, eamdemque Marco Aurelio obtulit, qua ille nihilo adversus Christianos æquior aut placatior factus videtur.

Obitus L. Veri Imp.

Interea dum externo ab hostibus bello graviter conflictabatur ecclesia, haud levius ex domesticis suorum seditionibus laborabat. Per ea quippe tempora extiterunt Cerdo, Valentinus, Hermogenes, Tatianus, Montanus, aliique conscleratissimi Hæresiarchæ, ex quorum plane absurdis nefariisque dogmatibus alia atque alia hæreseon, & hæreticorum monstra prognata, totam perturbarunt ecclesiam, multosque ab recta in Deum fide ad impias opiniones abduxerunt: id quod acrius excivit cum omnium, tum Salonensium Antistitum vigilantiam ac sollicitudinem, ut omni cura ab suis quisque ecclc-

Varia hæreſea exortæ,

eccleſiis eas hominum atque opinionum peſtes arcerent.

Multi martyres. Nec vero mentibus hominum expectatione metuque rerum Marcomannicarum ſuſpenſis atque ſollicitis, commune in Chriſtianos odium deferbuit. Nam urgente bello Marcomannico multos ubique ob Chriſtianam religionem interfectos fuiſſe conſtat; inter quos ſingulari commemoratione dignam ſe præbuit Felicitas Romana, illuſtris illa ſeptem filiorum martyrum mater anno 175. poſt necem liberorum pro Chriſto interempta. Ad hæc tempora referre licet libros Theophili Antiocheni Epiſcopi pro defenſione Religionis ſcriptos ad Autolycum hoſtem eccleſiæ acerbiſſimum, in quibus de vexatione ac cædibus Chriſtianorum graviſſime conqueritur: *Chriſtianos, qui verum Deum venerantur, hactenus ſunt perſecuti, nec adhuc hodie perſequi ceſſant. Quoſdam eorum, qui feſtinant ad virtutem capeſſendam, & ſanctam vitam agunt, lapidibus obruere, quoſdam interfecere. Adhuc hodie non ceſſant Chriſtianos crudeliſſime, & immaniſſime virgis cædere* &c. Multos quoque Chriſtianorum hiſce temporibus in ergaſtulis ac fodinis male habitos fuiſſe, plurimiſque laboribus atque ærumnis exercitos intelligi poteſt ex epiſtola Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi ad Soterem Romanum Pontificem, ubi ejus pietatem ac munificentiam mirifice laudat, quod *Fratribus, qui in Metallis opus faciunt, neceſſaria ſuppeditat*. Hoc fere anno 175. Soter in locum Aniceti præclaro martyrio perfuncti ſucceſſit.

Victoria Marcomannica pacis aliquid eccleſiæ peperit. Anno 176. M. Aurelius inſignem, ope ac precibus Chriſtianorum, victoriam de Marcomannis reportavit, quam alii biennio ante ad annum 74. ſupra centeſimum revocant. Nam Romanis copiis ſiti enectis, Chriſtianæ legionis pietas ſalutem & victoriam peperit. Quippe Chriſtianarum cohortium preces, coactis repente nubibus, imbrem Romanis, fulmina in hoſtes excuſſere; ex quo legioni Fulminatrici nomen inditum. Hanc victoriam ipſemet Imperator Chriſtianis acceptam retulit in ſuis litteris ad Senatum datis, decrevitque inſuper, ne cui impoſterum fraudi eſſet Chriſtiana religio, neve cuiquam, quod Chriſtianus eſſet, quidquam moleſtiæ aut periculi crearetur. De hujuſmodi victoria Chriſtianorum militum beneficio parta, & reſcripto ob eam cauſam ſecundum Chriſtianos facto, Tertullianus, aliique veteres eccleſiæ ſcriptores meminerunt. At nec Marci epiſtolam, quæ Juſtini Apologiæ adjuncta eſt, ſinceram eſſe; nec legionem Fulminatricem fuiſſe dictam putant eruditi criticique homines noſtrorum temporum. Utcumque res habeat, exinde aliquid pacis atque otii Chriſtianis fuit; præſertim cum mentes curaſque Ethnicorum alio avocaſſet bellum domeſticum auctore Avidio Caſſio, qui falſis de morte Aurelii nunciis allatis, tyrannidem occupavit; ſed paucis poſt menſibus ab illis ipſis necatus eſt, a quibus Imperatoris nomen atque inſignia acceperat.

Perſecutio iterum exarſit. Cæterum haud diu Chriſtianis quietis eſſe licuit; nam triennio poſt Aurelii Reſcriptum, acrius exarſit perſecutio odio populari concitata; id quod teſtatur Euſebius his verbis apud Baronium tom. 2. Annal. an. 179. *Ad decimum ſeptimum annum Antonini Veri, gravis & acerba in nonnullis terræ partibus perſecutionis procella ex temerario populi impetu per ſingulas urbes excitata, contra nos ingraveſcere cæpit*. Quæ tempeſtas cum in aliis provinciis, tum præſertim in Gallis exorta multas eccleſias perculit ac vaſtavit. Illuſtre imprimis fuit Martyrum Lugdunenſium certamen, cujus fama, litteris eccleſiarum Viennenſis ac Lugdunenſis ad eccleſias Aſiæ & Phrygiæ miſſis, longe lateque circumlata exinde totam Chriſtianam eccleſiam peragravit. Multos fuiſſe memorant, omnino ad quadraginta & octo, partim carceris pedore ac fame confectos, partim acerbiſſimis ſuppliciis, alios aliis necatos; quos omnes nominatim percenſent Ado Viennenſis, & Gregorius Turonenſis. Tantum vero abeſt, ut Aurelius memor, quantum beneficii ab Chriſtianis in bello Marcomannico acceperat, & quid pro illis duos ante annos decreviſſet, popularem illam vim ac ſeditionem cohiberet, ut ad Magiſtratus Lugdunenſes in cauſa illorum martyrum reſcripſerit, *confitentes gladio cædendos eſſe, ſi qui vero negarent, dimittendos incolumes*. Alios quoque Martyres eadem ingruente tempeſtate Gallia eccleſiæ cæloque peperit, ut Martyrologia teſtantur. *Ac tum primum* (ait Severus lib. 1.) *intra Gallias Martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta*; id quod plerique viri docti negant, qui Chriſtianæ religionis apud Gallos initium ab ipſis temporibus & viris Apoſtolicis repetenda eſſe cenſent. Nec ſolum Galliam, cæteramque Occidentalem eccleſiam is turbo perculit, ſed etiam Orientis eccleſias crudelem in modum afflixit: quod declarat legatio pro illis ab Athenagora Athenienſi & Chriſtiano Philoſopho ſuſcepta ad M. Aurelium & L. Aurelium Commodum a parente in imperii ſocietate adſcitum; ejuſdemque pro Chriſtianis Apologia, in qua calumnias illis objectas egregie diluit. Anno 179. Soteri glorioſa pro Chriſto morte perfuncto ſuffectus eſt Eleutherus, cujus initium alii biennio ante conſtituunt. Per ea tempora ad Eleutherum cum litteris Martyrum Lugdunenſium, qui in carcerem incluſi erant, Irenæus tum Presbyter, & deinde Epiſcopus eccleſiæ Lugdunenſis, legatus Romam miſſus ob *quæſdam eccleſiæ quæſtiones*, ut ait S. Hieronymus, ex more inſtitutoque majorum, qui *majores cauſas* ad ſedem Romanam deferendas eſſe ſtatuerunt.

Athenagoræ Legatio & Apologia pro Chriſtianis.

Soteri Papæ Martyri ſuffectus Eleutherus.

Mors Marci Aurelii. Anno 182. M. Aurelius anno poſt Imperium ſuſceptum vigeſimo jam inito Sirmii in Pannonia, vel ut alii volunt, apud Vindobonam ſeu Viennam deceſſit; cum haud vivere antea, quam Chriſtianos perſequi & vexare deſiiſſet. Cum annis ſeptem & viginti, quorum octo priores Antonino Pio, undeviginti poſteriores M. Aurelio tribuuntur, duorum Salonitanorum Antiſtitum Honophrii & Maximi Pontificatus connecti poteſt; quo temporis intervallo Romanæ eccleſiæ præfuerunt Anicetus, Soter, & Eleutherus, qui uſque ad annum hujus ſæculi nonageſimum ſecundum vitam & Pontificatum perduxit. Honophrium & Maximum M. Aurelio imperante & eccleſiam perſequente martyrii palmam adeptos fuiſſe veriſimile eſt. Nomen igitur utriuſque in Diptycha relatum Martyrum fortaſſis, aut Divorum catalogum auxit. Maximo in adminiſtrationem eccleſiæ Salonitanæ ſubrogatus eſt Paſchaſius, qui perſecutione Aurelii interitu extincta, tranquillis pacatiſque rebus, magnam rei Chriſtianæ in Dalmatia bene gerendæ propagandæque facultatem habuit.

Maximo Salonit. Ep. extincto ſuffectus eſt Paſchaſius.

Commodus Imperator flagitioſiſſimus. Aurelius Commodus nondum matura imperio ætate imperare occepit, qui licet a Marco parente magna diligentia curaque educatus fuiſſet, tamen natura cum eſſet ad vitia, quam ad virtutem proclivior, ſpem patris induſtriamque omnem fefellit, & crudelitate, libidine, avaritia, ſedis & Imperatore indignis artibus, Neroni ac Domitiano ſimillimus extitit. Sed Deus O. M. nequiſſimi Principis vitia in gloriam & incrementum Chriſtianæ religionis convertit. Nam ejus ſævitia uſus eſt ad hoſtes Chriſtiani nominis ulciſcendos, & innoxii ſan-

Digitized by Google

ſanguinis pœnas repetendas; multos quippe ex amicis & familiaribus Aurelii, & e Provinciarum Præfectis, qui Chriſtianos acerbiſſime divexaverant, omni ſuppliciorum genere necatos de medio ſuſtulit. Cum autem libidinibus omnibus ac flagitiis, Deo permittente, ſe totum tradidiſſet, Chriſtianos perſequendi nulla illum cupiditas inceſſit, ac ne cogitatio quidem ſuborta eſt. Adde, quod nulla illi religio curæ fuit, nihil penſi, nihil ſancti habuit, dum ſuas cupiditates expleret; nam & Deorum, quos colebat, templa, ut auctor eſt Lampridius in Commodo, ſtupris ac cædibus polluit. Sunt, qui exiſtimant Marciam gratioſam imprimis apud Principem fœminam, quam prope uxoris loco habebat, quamque Chriſtianorum ſtudioſiſſimam Dio Caſſius in Commodo vocat, ſuaſiſſe Commodo, ut ſe Chriſtianis propitium, aut certe non inimicum præberet. Illud profecto divinæ, & ſingularis cujuſdam providentiæ fuit, quod homo inſigni crudelitate & nequitia præditus, cum neminis ac ne propinquis quidem & conſanguineis parceret, nihil moleſtiæ ſaltem uſque ad extrema imperii ſui tempora Chriſtianis intulerit. Itaque cum omnia apud nos quieta eſſent ac tranquilla, magna tum vulgarium, tum illuſtrium virorum ad eccleſiam acceſſio ubique facta eſt, ac præſertim Romæ multi ex Senatu & conſulares viri Chriſtiana ſacra ſuſceperunt. Hanc univerſæ eccleſiæ pacem & florentiſſimum ſtatum Euſebius hiſce verbis declaravit lib. 1. cap. 20. *Eodem tempore, Commodo imperium gubernante, noſtra religio ad pacatum & tranquillum ſtatum deducta fuit; & pax, divina gratia largiente, omnes eccleſias in toto terrarum orbe occupavit. Quo quidem tempore ſalutaris Dei ſermo hominum mentes cujuſque generis adeo attraxit ad piam Dei omnium rerum conditoris religionem cultumque, ut jam Romæ complures, & genere illuſtres, & rerum affluentia admodum locupletati, una cum omni familia, & cognatione ſua, ſe ad ſuam ipſorum ſalutem amplexandam reciperent.*

abendibus Chriſtianorum abſtinuit.

Legatio Lucii Brit. Regis ad Eleutherum.

Magnum rei Chriſtianæ ornamentum, & ingentem bonis omnibus lætitiam attulit an. 183. legatio Lucii Regis Britanniæ ad Eleutherum Romanum Pontificem, a quo Evangelii præcones ac miniſtros poſtulabat, per quos ipſe cum ſua gente Chriſtianis præceptis ac myſteriis imbueretur. Nec piis Lucii poſtulatis defuit Eleutherus, quippe viris Apoſtolicis in Britanniam miſſis, Regem ipſum, bonamque populi partem ad Chriſti fidem aggregavit. Id Beda, Ado, aliique Scriptores cum Martyrologis antiquis teſtantur, ut nihil ſatis cauſæ eſſe poſſit, cur quidam hanc Lucii legationem in dubium revocaverint; præſertim cum Tertullianus ab ea ætate admodum recens in lib. adverſ. Judæos cap. 7. Britannos inter eos populos annumerat, qui ſuave Chriſti jugum ſubierant: *Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto ſunt ſubdita*; & paullo infra: *Quid de Romanis dicam, qui legionum ſuarum præſidiis imperium ſuum muniunt, nec trans iſtas gentes porrigere vires regni ſui poſſunt? Chriſti autem regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus ſupra enumeratis colitur &c.*

Pax eccleſiæ uſque ad an. 204. haud eximea omnino tuta.

Hanc eccleſiæ pacem nullis publicis edictis interruptam Euſebius perduxit ad decimum uſque Severi annum, qui cum anno tertii ſeculi quarto juxta Baronium, vel ſecundo juxta alios congruit; quamquam ne per ea quidem tempora vel magiſtratuum improbitas, vel populorum ſævitia paſſa eſt ſuos eccleſiæ martyres deeſſe. Nam Euſebius poſtquam ſcripſit pacem ubique Chriſtianis reſtitutam, hæc ſubjecit: *Verum iſtud virtutis hoſte, & invidia æſtuante diabolo minime ferendum videbatur; & propterea varias de integro machinas contra nos aſſute fabricare aggreſſus eſt. Nam Apollonium virum inter fideles politioris litteraturæ ſtudiis & philoſophiæ notitia plurimum celebratum in judicium adducitur, & unum ex ejuſdem Apollonii ſervis ad rem valde accommodatum, qui hominem accuſet, excitat.* Cæterum Apollonii hominis nobiliſſimi necem non Commodo attribuit Euſebius, ſed Senatui, & Perenni Præfecto, quorum ſententiis damnatus, extremum ſupplicium ſubiit anno 189. vel biennio ante.

Itaque Commodo imperante, eodemque propitio, aut certe non infenſo Chriſtianis, Paſchaſius regebat eccleſiam Salonitanam, & temporibus illis tranquillis pacatiſque bene uſus rem Chriſtianam in Dalmatia mirifice auxit. Hujus ex hac vita diſceſſus contingere potuit extremis Commodi temporibus; ſed neque de rebus ab eo præclare geſtis dum viveret, neque de tempore aut genere mortis, aliquid cogniti habemus; ejus tamen nomen Diptychis Salonitanis inſcriptum fuiſſe credibile eſt. Sub idem tempus diem obiit Eleutherus Papa anno 194. cum eccleſiæ præfuiſſet annos quindecim & aliquot præterea dies, incertum martyrione, an morte naturali ſublatus; nam Commodus triennio antequam moreretur, Chriſtianis quoque infeſtus eſſe cœperat; cum enim vecors ac temerarius homo Herculis nomen atque inſignia ſumpſiſſet, velletque ſibi tamquam deo divinos honores adhiberi, Chriſtiani id facere abnuentes ejus in ſe rabiem furoremque verterunt; multos igitur Romæ eam ob cauſam de medio ſuſtulit, quibuſcum Eleutherum fuiſſe interfectum haud eſt improbabile. Cæterum brevi impietatis ſuæ & flagitiorum omnium pœnas dedit; nam ob crudeles & indignos Auguſto mores, ſuis invifus æque infeſtuſque ſtrangulatur anno principatus XIII. æræ Chriſtianæ 194. pridie Calendas Januarias. P. Helvius Pertinax vir, obſcuro quidem loco natus, ſed rebus domi bellique geſtis clarus, mandatum ex S.C. imperium accepit invitus, ſed dum ægræ civitatis morbos, qui conſilio egebant, & tempore, ſimul cunctos curare aggreditur, & militarem diſciplinam ſeveris legibus adſtringere, incurrit, ut fit, in odia multorum. Igitur tertio, quam inierat principatum, menſe a Prætorianis militibus obtruncatur. Cujus obitu fluctuantem & quaſi caducam Imperii poſſeſſionem licitari auſus eſt Didius Julianus. Sed poſt menſes duos, quod militibus, a quibus Imperium emerat, pecuniam pactam perſolvere non poſſet, ab iis deſtituitur, necaturque juſſu Septimii Severi, cui Senatus ac Milites imperium detulerunt.

Paſchaſius Salon. Ep. obitus.

item Eleutheri P. R.

§. II.

De rebus Chriſtianis ab an. 194. ad an. 237. Cæſario & Juſtino Epiſcopis Salonitanis; Victore, Zephyrino, Calliſto, Urbano, Pontiano Rom. Pontificibus; Severo, Caracalla, Heliogabalo, Alexandro Imperatoribus.

Cæſarius Salon. Ep. Victor Rom. P.

PAſchaſio rebus humanis exempto in ſedem Salonitanam ſubrogatus eſt Cæſarius, an. Chriſti circiter 194. qui per annos fere decem, quamdiu pax eccleſiæ tenuit, optimis illis pacatiſque temporibus, rem Chriſtianam in Dalmatia plurimum auxit, & ſanctiſſimis inſtituris communivit. Eodem anno Victor natione Afer in locum Eleutheri ſuffectus, univerſalem eccleſiam novem annos gubernavit.

Septimius Severus oriundus ex Africa, cum Pannoniæ

Severus Imper.

noniæ præſſet, per ſpeciem ulciſcendi Pertinacis, imperium arripuit an. 195. Senatu exercituque approbantibus. Ac primum Prætorianos milites ob indignam necem P. Helvio illátam exauctoravit. Deinde Peſcennium Nigrum Syriæ, Clodium Albinum Britanniæ Præfectos & imperii competitores ſingillatim aggreſſus eſt. Primus Niger acie ſuperatus, Antiochia, quo ſe receperat, amiſſa, ad Euphratem fugiens interfectus eſt; quo victo oppreſſoque Byzantium, quod a Peſcennio ſtetiſſet, poſt diuturnam obſidionem, quæ tres fere annos tenuit, Severus expugnavit ann. 198. urbemque muris ac libertate ſpoliatam Perinthiis attribui juſſit, anno circiter imperii quinto. Rebus in Oriente compoſitis, vertit in Occidentem arma contra Clodium Albinum, quem initio ne inimicum haberet, communicato in ſpeciem imperio, & Cæſaris titulo ſibi conciliaverat. Cum eo ad Lugdunum in Gallia pugnam conſeruit; diu æquis utrinque viribus & ancipiti alea pugnatum eſt, neutro victoria inclinante. Tandem Illyricis copiis in eam expeditionem deductis, acrius vehementiuſque in hoſtem incumbentibus, Albinum victum captumque interfecit. Hac victoria lætus, deletiſque Albinianæ factionis reliquiis, Romam venit, ingenti omnium plauſu & gratulatione acceptus. Hinc iterum profectus in Orientem Parthos, Adiabenos, Arabaſque devicit; ex quibus Arabici, Parthici, Adiabenici cognomina deſumpſit, cum antea Antoninum Baſſianum ab ſe genitum ex auctoritate Senatus imperii collegam adſciviſſet, Getam vero alterum filium Cæſarem creaſſet.

Ergo Severus civilibus atque externis bellis implicitus ſpatium fere nullum habuit de Chriſtianis cogitandi, quibus quietis eſſe licuit & tranquillis, dum acerrimæ illæ de imperio rebuſque publicis dimicationes alio animum curaſque Imperatoris avertebant. Quin prioribus decem imperii annis Severum Chriſtianis faviſſe tradunt; ſive quia, cum gravi morbo laboraret, ab homine Chriſtiano curatus fuerat; ſive quia Chriſtiani neutri factioni ſive Albinianæ, ſive Peſcennianæ ſe addixerant. Quare ad hujus Imperatoris initia referri oportet, quæ Tertullianus poſt obitum Severi ſcripſit in libro ad Scapulam cap. 4. *Ipſe etiam Severus Pater Antonini Chriſtianorum memor fuit: nam & Proculum Chriſtianum, qui Toparcion cognominabatur, Euthodeæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus, quem Antoninus optime noverat, lacte Chriſtiano educatus. Sed & clariſſimas fœminas, & clariſſimos viros Severus ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in os palam reſtitit.* Hactenus Tertullianus, qui & in eodem libro ad Scapulam cap. 2. & in Apologetico cap. 35. teſtatur Chriſtianos neque à Nigro, neque ab Albino tyrannis contra Severum ſteriſſe. Res igitur Chriſtiana ſub Commodo & Severo diuturna pace cum floreret, latius ubique propagabatur; & noſtrorum ſcriptorum libris, divinoque inſtinctu permoti quamplurimi ex omni hominum genere atque ordine ad Chriſtum ſe adjungebant. Id quod Nicephorus tradit his verbis lib. 5. cap. 6. *Cum Severus ſucceſſit, tum quoque ſatis bono loco res noſtræ fuerunt, in dieſque fidei profeſſio augmenta ſua cepit; eorum quos recenſuimus eccleſiaſticorum doctorum ſcriptis atque doctrinis illam provehentibus, idque in maximis potiſſimum ubique urbibus, nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, Æliæ, & per Paleſtinam omnem, Epheſi, Cæſareæ, & Occidentem verſus, Theſſalonicæ, Athenis, Corinthi; in Galliis, & Romæ maxime. Univerſæ enim multitudines, & domus totæ ad fidem accedebant, quidvis facere & pati paratæ, quam ut quidquam contra religionem noſtram agerent, aut novarent.*

Decem annі priores Severi Chriſtianis propitii.

Chriſtianæ religionis propagatio.

Per ea tempora, ut diximus, Salonitanum Pontificatum gerebat, Cæſarius Paſchaſio ſublectus, qui ex optimis illis temporibus & religioni noſtræ admodum propitiis, egregiam facultatem habuit bene de Dalmatia totaque provincia ſibi concredita merendi; quæ ſanctiſſimi Antiſtitis induſtria ac laboribus exculta uberiores in dies edidit fœtus Chriſtianorum, haud numero magis, quam virtute ac pietate præſtantium. Quod enim Nicephorus ſcripſit de Græcorum eccleſiis Theſſalonicenſi, Athenienſi, Corinthiaca, Dalmatiæ propinquis, idem exiſtimari oportet de Dalmatica eccleſia; ut eadem huic atque illis incrementa attuliſſe videatur placida illa ac ſerena tempeſtas, quæ non tam Severi, quam Dei optimi maximi beneficio, Chriſtianis affulſerat. Tum Romanam ſedem obtinebat Victor ex Africa oriundus, eximia doctrina & ſanctitate Pontifex, quem Clerus populuſque Romanus anno ex Baronii calculis 194. in locum Eleutheri ſubrogaverat.

Sub Cæſario Ep. Natus eccleſia Dalmatica floreatiſſimus.

Interea dum quietæ externæ res Chriſtianis eſſent, ex ipſo eccleſiæ ſinu infanda hæreſeon monſtra prodierunt, quæ turbas inveherent, communemque pacem interturbarent. Extitit ſiquidem Theodotus Byzantius, cognomento Coriarius, qui per ſummum nefas Chriſto divinitatem adimere, eumdemque in hominum vulgarium ordinem cogere auſus eſt; a quo Theodotiani dicti, qui ad ejus impietatem ſe adjunxerunt. Paullo poſt alter Theodotus e latebris neſcio quibus erupit, qui cum Melchiſedechum ſupra humanam conditionem extolleret, haud veritus eſt Chriſtum infra Melchiſedechum deprimere, & hunc illi vel dignitate vel poteſtate longe anteferre; ab ejus ſecta qui prodierunt, appellati ſunt *Melchiſedechiani*. Huic ætati ſuppares Monarchici ſive *Patropaſſiani* ex nefaria diſciplina cujuſdam Praxeæ, qui ex divinitate omnem perſonarum diſtinctionem ſuſtulit, & perinde ac ſi nihil intereſſet inter Patrem & filium, impie docuit Deum Patrem & carne indutum, & cruci affixum, & pro nobis paſſum ac mortuum eſſe. Atque hos impuriſſimos hæreſiarchas, priorem quidem Theodotum Victor Romanus Pontifex, alterum vero Theodotum itemque Praxeam Zephyrinus, qui Victori in ſedem Apoſtolicam proxime ſucceſſit, graviſſimo anathemate perculſos ab eccleſia ſegregarunt. Sed multo gravius periculum per ea tempora imminebat eccleſiæ ab Epiſcopis Aſianis, qui ex antiqua quadam traditione, quam ſe ab Joanne Evangeliſta accepiſſe gloriabantur, contendebant Paſcha decimo quarto die Lunæ more rituque Judaico celebrari oportere; ac propius nihil eſt factum, quam ut ſchiſma implacabile Orientalem ab Occidentali eccleſia divelleret. Ad hanc controverſiam dirimendam Victor & Romæ ipſe Concilium coegit an. 198. & multos in variis provinciis Epiſcoporum conventus fieri juſſit; de quorum omnium ſententia decretum eſt Paſcha impoſterum ubique celebrandum eſſe Dominico die, qui Lunam decimam quartam proxime conſequitur, ſolis diſſentientibus Aſianis, qui cum in ſuſcepta ſententia obſtinatione quadam voluntatis perſiſterent, parum abfuit, quin eos Victor ab eccleſiaſtica communione ſejungeret; ſed illum Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis ab ejuſmodi conſilio abduxit. Hæc contentio, ſalva eccleſiæ pace, mutuaque charitate perduravit uſque ad concilium Nicænum, in quo conſentientibus omnibus, decretum eſt, ut

Hæreſes per ea tempora in eccleſiam graſſantes.

quæſtio de Paſchate.

Paſcha

Digitized by Google

Paſcha in perpetuum diei Dominico affigeretur. Cum eccleſia hiſce veluti domeſticis hoſtibus ac ſeditionibus agitaretur, Cæſarius Salonitanus Antiſtes nullam curam prætermiſit, ut provinciam ſibi mandatam ab omni hæreſeon labe immunem atque intactam ſervaret; & in ea, quæ de Paſchate orta eſt, quæſtione cum Victore Romano Pontifice, totaque eccleſia Occidentali conſenſit: qua de re dubitare non licet, cum ea ſemper fuerit Salonitanæ eccleſiæ conſtans ac perpetua adverſus Romanam ſedem fides ac reverentia, ut numquam ab ejus decretis ac ſtatutis deflexerit.

Cæſarius Salonit. Epiſcopus, ut eccleſiam ſuam ab omni errore ſervaret.

Damnatis compreſſiſque hæreticis, & Paſchali controverſia utcumque compoſita, fæda & atrox ten peſtas perſecutionis in Chriſtianos incubuit, cujus initium anno Severi decimo Euſebius in Chronico aſſignat; quem annum Baronius quidem cum quarto, alii vero cum ſecundo tertii ſæculi anno componunt; hi ſiquidem biennio ante, quam Baronius, ab Severo initum eſſe imperium exiſtimant. Sed tribus fere annis, ante quam Severus bellum univerſale adverſus eccleſiam ediceret, Ethnici magiſtratus populique levioribus certaminibus quaſi proludere, & Chriſtianos cum in aliis provinciis, tum Romæ præſertim divexare cœperant. Cum autem ex edictis ſuperiorum Imperatorum nemini liceret quemquam ſolius religionis cauſa in judicium adducere, hoſtes Chriſtiani nominis, ut haberent, unde adverſus Chriſtianos accuſationem & periculum conflare poſſent, varias ac multiplices in eos calumnias excogitarunt; ſeu potius veteres, jampridem a noſtris obtritas, renovarunt. Ajebant enim Chriſtianos gentem eſſe Reipublicæ inutilem, inimicam, perniciolam; quippe ſe unos inter ſe complexos, unice amare, ſuis tantum privatiſque commodis proſpicere, nihil in commune conferre; abhorrere vero illos a populi Romani ſalute ac felicitate ſatis eſſe argumenti, quod in publicis gratulationibus ac triumphis ob relatas de hoſtibus victorias, neque inconditos, ut cæteri, clamores ederent, neque ſpectaculis, & ſuperſtitioſis ſupplicationibus intereſſent, neque ullum inſanæ illius, qua cuncta civitas efferveſcebat, effrænatæque lætitiæ ſignum darent. Præterea ſi quid incommodi aut calamitatis ingrueret, id continuo Chriſtianis acceptum ferebant, quod Deorum immortalium indignationem ob eorum cultum neglectum violatumque, cum in ſe, tum in alios concitarent. Huc adde adulteria, ſtupra, cænas Thieſteas, cædes infantium, aliaque atrociſſima ſcelera Chriſtianis per ſummam injuriam objecta, quæ nominatim recenſet Tertullianus in Apologetico, ac diligentiſſime refellit. Hinc crimina, hinc accuſationes conflatæ; hinc perſecutio quædam injuſſu quidem Severi, ſed magiſtratuum malitia, & populari odio exarſit; quæ Romæ primum exorta, tum in Africa, aliiſque provinciis propagata, Chriſtianorum ſane multos acerbiſſimis ſuppliciis necatos de medio ſuſtulit; in quibus annumerandi ſunt martyres Scyllitani apud Carthaginem Saturnini Proconſulis juſſu ob religionem interempti; itemque Victor Romanus Pontifex Romæ illuſtri martyrio perfunctus, cujus in locum Zephyrinus ſucceſſit anno 203. ſive ut alii docent, 201. tertii ſæculi anno. Hac temporis procella & Dalmaticam eccleſiam perculſam fuiſſe veriſimile eſt; id quod Cæſarii Salonitani Antiſtitis curam exacuit, ut ſui gregis ſaluti conſuleret. Porro cum calumniæ adverſus Chriſtianos & odium commune quotidie invaleſceret, & gravior in dies acerbiorque fieret perſecutio, religionis defenſionem Tertullianus ſuſcepit in eo, quem ad Præſides Rectoreſque orbis Romani ſcripſit, Apologetico libro; in quo cum nihil ad perniciem Chriſtianorum Severum molitum eſſe affirmet, ſatis declarat Apologiam illam ab ſe ante compoſitam fuiſſe, quam Severus, imperatoria auctoritate, impium illud Chriſtianis bellum indiceret. Quamvis haud ignoro in aliquibus editis & manuſcriptis codicibus Verum legi pro Severo, atque adeo ipſemet Euſebius, qui hunc Tertulliani locum laudat, Verum loco Severi nominavit; ex quo aliqui putant, ea Tertulliani verba referenda eſſe ad Lucium Verum, quem M. Aurelius Antoninus in ſocietatem imperii adſciverat.

Quinta perſecutio ſub Severo.

& qua ad Dalmatia quidem exempta.

Poſtquam igitur tres fere annos Prætorum improbitate & populari odio conflictata eſt res Chriſtiana, in extremum prope diſcrimen adducta eſt edicto Severi, qui, ut ait Spartianus, *Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit: idem etiam de Chriſtianis ſanxit*. Et quamvis ii ſolum hujuſmodi decreto obnoxii fuiſſe videantur, qui ex Ethnicis Chriſtiani fierent, tamen ſatis conſtat ex hiſtoria illorum temporum in omnes promiſcue Chriſtianos ſævitum eſſe. Hanc vero perſecutionem, quam Oroſius quintam, Sulpitius Severus ſextam numerat, in omnes imperii Romani eccleſias longe lateque graſſatam eſſe auctor eſt Euſebius, qui ait lib. 6. cap. 1. *per omnes ubique locorum eccleſias ab athletis pro pietate certantibus illuſtria confecta fuiſſe martyria*. Tanta vero fuit hujus perſecutionis acerbitas, tantam perturbationem metumque omnium animis injecit, ut Judas Scriptor eccleſiaſticus illorum temporum in eam opinionem adductus fuerit, ut putaret jam ventum eſſe ad ea tempora calamitoſiſſima, quæ juxta divinas prædictiones judicio futura erant, Antichriſtum prope adeſſe: id quod teſtatur Euſebius lib. 6. cap. 6. *qui etiam ſcriptor* (Judas) *propterea quod perſecutionis tumultus contra nos excitatus multorum mentes tam graviter perturbaret, Antichriſti adventum, omnium ore atque ſermone jactatum, jam tum appropinquare arbitratus eſt*. Chriſtianorum vero tot tantaſque ſtrages factas eſſe idem Euſebius ſcripſit, ut martyrum numerus iniri non poſſit: *Cum perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur &c.* Idem confirmat lib. 2. Strom. Clemens Alexandrin. teſtis oculatus illorum temporum: *Nobis autem ſunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui noſtris ſpectantur oculis, qui torrentur, & capite damnantur &c.* Neque diſſentit Tertullianus in iis libris, quos poſt ferale Severi edictum conſcripſit, veluti in lib. 1. ad Nationes ait, *Chriſtianos interrogatos confiteri, damnatos gloriari, ſponte confeſſos ad negationem comprimi*; itemque in libro Scorpiaci cap. 1. omni tormentorum genere in Chriſtianos animadverſum eſſe affirmat: *Et nunc in præſentia rerum eſt medius ardor, ipſa canicula perſecutionis, ab ipſo ſcilicet Cynocephalo. Alios ignis, alios gladius, alios beſtiæ Chriſtianos probaverunt. Alii juſtibus interim, & unguibus deguſtata martyria in carcere eſuriunt. Nos ipſi, ut lepores, deſtinata venatio, de longinquo obſidemur*. Et cap. 11. *Ecce autem & odio habemur ab omnibus hominibus nominis cauſa, & perducimur ad poteſtates, & interrogamur, & torquemur, & trucidamur*. His adde Minucium Felicem, qui Romæ per ea tempora Chriſtianorum cauſam egit in eo Dialogo, quem ſub nomine Octavii compoſuit. *Quam pulchrum*, inquit, *ſpectaculum Deo, cum Chriſtianus cum dolore congreditur, cum adverſum minas & ſupplicia & tormenta componitur, cum ſtrepitum mortis & honorem carnificis irridens inſultat &c.* Et paullo poſt fortiſſimos quoſque Ro-

Decretum Severi.

Perſecutionis acerbitas.

Chriſtianorum ſtrages.

ma-

manorum vel ipſis pueris ac mulierculis Chriſtianis poſthabendos eſſe oſtendit; illoſque ab his invicti cujuſdam animi magnitudine, aut conſtantia longe ſuperatos: *Quot ex noſtris non dexteram ſolum, ſed totum corpus concremari ſine ullis ejulatibus pertulerunt ... Pueri & mulierculæ noſtræ cruces, & tormenta, feras, & omnes ſupplicium terriculas inſpirata patientia doloris illudunt.* Nec vero Severi in Chriſtianos crudelitas abhorrebat ab ejus ingenio truci, atque immani, ſitientique humani ſanguinis, quippe, ut ait Spartianus, *infinita multorum cæde crudelior habitus ... vitam ſuam privatam publicamque ipſe compoſuit ad fidem, ſolum tamen vitium crudelitatis excuſans. De hoc Senatus ita judicavit: illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori, quia & nimis crudelis, & nimis utilis reipublicæ videretur.*

Severi crudelitas.

Hæc perſecutio tenuit annos fere novem uſque ad obitum Severi, qui non antea vivendi, quam Chriſtianos perſequendi finem fecit: quod confirmari poteſt auctoritate Sulpitii Severi, qui octo ipſos & triginta annos Severianæ & Decianæ perſecutioni interjecit: totidem autem fere anni ab deceſſu Severi ad imperium Decii numerantur. Cæſorum ea tempeſtate ob Chriſtianam religionem multitudo colligi poteſt ex Martyrologiis, itemque ex martyrum hiſtoriis: certe quidem Euſebius *innumerabiles*, ait, *martyrio coronatos eſſe*. In his maxime illuſtres, & ſingulari commemoratione digni habentur Philippus Præfectus Auguſtalis Ægypti, Leonidas Origenis parens, Plutarchus, Serenus, Heraclides, Heron diſcipuli Origenis, Potamiæna inſignis fœmina, Perpetua & Felicitas, Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, cum omni fere ſua eccleſia, aliique quamplurimi. Nec dubium eſt, quin multi quoque ex Salonitana provincia glorioſam pro Chriſto mortem oppetierint; neque abhorret a vero eadem temporis procella ſublatum fuiſſe Cæſarium ejuſdem eccleſiæ Paſtorem, dum pro periclitante ovium ſuarum ſalute nullum periculum ac diſcrimen ſibi devitandum putabat. Huic ſuffectus eſt Juſtinus, qui iniquiſſimis illis temporibus exercitus initia Pontificatus habuit multis periculis aſſiduiſque laboribus implicita. Neque vero perſecutio illa omnino ſedata eſt morte Severi, qui Eboraci in Britannia deceſſit anno tertii ſæculi 13. vel ut alii volunt 11. cum imperaſſet annos 17. & menſes octo.

Martyr ſorte deceſſit Cæſarius Ep. Salon. cui ſucceſſit Juſtinus.

Severi obitus.

Antoninus Baſſianus Caracalla & Geta duo Severi filii pari jure poſt obitum parentis ad imperium evecti ſunt, inter quos ex indolis morumque diſſenſione perpetua diſcordia fuit. Miti erat ac civili, ut ferunt, ingenio Geta, truculentus alter ac furore præceps, qui anno imperii altero fratrem in ipſo ſinu matris occidit, ejuſque familiares ac domeſticos ad unum omnes interfici juſſit. Mox rabie & crudelitate in Senatores ac populum verſa, patriciis & plebeis cædibus urbem polluit. Extincto Severo haud ſtatim deferbuit Severiana perſecutio, præſertim in Africa, qua in Provincia Scapula Præſes, homo ferox atque immanis, crudelem in modum Chriſtianos vexabat: id quod intelligi poteſt ex libro Tertulliani ad eumdem Scapulam, qui poſt obitum Severi ſcriptus eſſe dicitur, cum in eo Aſpri cujuſdam Proconſulis meminerit, quem ſub Caracalla Africano Proconſulatu functum fuiſſe tradunt. In ea igitur Provincia poſt Severum nihilo mitius, quam antea, Chriſtianos exagitatos eſſe Tertullianus docet: *Nos quidem neque expaveſcimus, neque pertimeſcimus ea, quæ ab ignorantibus patimur, cum ad hanc ſectam utique ſuſcepta conditione ejus pacti veniamus, ut animas noſtras auctorati in has pugnas accedamus ... cum omni ſævitia veſtra concertamus ... Pro Deo vivi cremamur &c.*

Caracalla, & Geta Auguſti.

Cæterum præcipuis potentiſſimiſque Chriſtiani nominis hoſtibus partim juſſu Caracallæ interfectis, partim irrito religionis noſtræ abolendæ conatu defeſſi, brevi tranquillitas eccleſiæ reſtituta eſt; quæ cum ab Ethnicis inducias nacta eſſet, omnem cogitationem curamque ad comprimendos hæreticos convertit. Anno 215. Zephyrinus Romanus Pontifex Proclum ex grege Montaniſtarum, ejuſque ſectæ facile principem, omneſque ejuſdem inſaniæ ſectatores graviſſimo anathemate confixos ab eccleſia ſegregavit. Per idem tempus alii in aliis provinciis Epiſcopi ad tuendam catholicam veritatem adverſus eoſdem, aliosque hæreticos, cum Romano Pontifice conſpiraruntur, variaſque hæreſes ea tempeſtate graſſantes in ſuis quiſque conciliis damnarunt; quod ſatis indicat Tertullianus lib. 1. de jejun. cap. 13. qui paullo ante ab eccleſia catholica palam deſciverat, & falſi Paracleti, quo ſe afflatos Montaniſtæ prædicabant, infanas prophetias, aliaque Montani flagitia defendendo ſuſceperat: *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis concilia ex univerſis eccleſiis, per quæ & altiora in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur.* Veriſimile autem eſt juſſu Romani Pontificis, & exemplo eccleſiarum Græcarum, quæ proxime aberant a Dalmatia, Juſtinum quoque Antiſtitem Salonitanum Montaniſtis, aliiſque ejus temporis hæreticis concilium e ſua provincia convocatum oppoſuiſſe. Per eadem tempora Agrippinus Epiſcopus Carthaginienſis baptiſmum ab hæreticis collatum improbare cœpit, eumque iterari oportere docuit: quæ opinio cum ſenſim apud Africanos invaleſceret, magnas graviſſimaſque contentiones in eccleſiam invexit.

Perſecutio paullatim ſopita eſt.

Pace conſtituta eccleſiæ varia concilia contra hæreticos habita.

Anno 219. Antoninus Caracalla omnibus inviſus cum eſſet, ab Opilio Macrino Præfecto Prætorio per Martialem Centurionem interficitur VI. Id. Aprilis; quo extincto milites Imperatorem ſalutarunt Macrinum, & collegam eidem Diadumenum filium dederunt. Sed anno inſequenti utroque interfecto Aurelius Heliogabalus imperium invaſit. Caracalla ſe genitum ferebat. Ab ineunte pueritia Solis Sacerdos initiatus cum eſſet apud Syros & Phœnices, ex eo cognominatus Heliogabalus, ſive, ut veteres nummi eum vocant, Elagabalus. Romam cum veniſſet, Phœniciorum ritus ac cæremonias in urbem intulit; edixitque, ut Romani, aliorum Deorum religione poſthabita, præcipuo cultu & veneratione Solem afficerent, cui ſub nomine Elagabali templum in Palatino monte prope ab ædibus Imperatoriis conſecravit teſte Lampridio in Elag. qui hæc de illo ſcripſit: *Ubi primum ingreſſus eſt urbem, omiſſis iis, quæ in provincia gerebantur, Elagabalum in Palatino monte juxta ædes Imperatorias conſecravit, eique templum fecit; ſtudens & matris (ſcilicet Deorum) typum, & Veſtæ ignem & Palladium, & ancilia, & omnia Romanis venerada in illud transferre templum; & id agens, ne quis Romæ Deus, niſi Elagabalus coleretur. Dicebat præterea Judæorum & Samaritanorum religionem, & Chriſtianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturam ſecretum Elagabali Sacerdotium teneret.* Hinc aliquid fortaſſe periculi factum eſt Chriſtianis, quibus nefas eſſet inexpiabile Imperatoris voluntati morem gerere, & cuiquam alteri, præterquam uni vero ac ſummo Deo, venerationem adhibere. Certe ſub Heliogabalo martyrium ſubiiſſe legitur Zephyrinus Pontifex Romanus altero & viceſimo anno tertii ſæculi

Caracalla interitus.

Macrinus, & Diadumenus Auguſti, quibus interfectis

Heliogabalus rerum potitur.

juxta

Digitized by Google

juxta Baronium; attamen incertum eſt, utrum publico Imperatoris juſſu, an privato Ethnicorum odio ob religionem interfectus ſit; an vero more majorum Martyr propterea dictus fuerit, quia quamvis nulla vi extrinſecus adhibita pie quieteque deceſſerit, tamen ſub Severo vincula & carceres pro Chriſto pertulerat. Huic ſuffectus eſt Calliſtus. Cæterum Heliogabalus, quo nihil corruptius, aut fœdius, cum ſe in omnes libidines ac flagitia ingurgitaſſet, de Chriſtianis perſequendis ne cogitaſſe quidem videtur. Itaque eo imperante Chriſtiana religio magnos ubique progreſſus fecit. Porro fœdiſſimus Imperator quarto anno quam regnare cœperat, per tumultum una cum matre interfectus, & per vias cloacaſque in Tiberim raptatus, urbem ſuis flagitiis inquinatam ſuo etiam ſanguine eluit ac purgavit.

Zephyrinus martyrio affectus.

Calliſtus Rom. Pont.

Heliogabalo ſublato ſucceſſit Alexander.

Anno Chriſti circiter 224. M. Aurelius Severus Alexander ad imperium pervenit, cum jam Cæſar eſſet ab Heliogabalo patruele ſuperiore anno creatus: Princeps longe omnium optimus, & pace belloque præſtantiſſimus. Idem a Chriſto non abhorruit; cui cum publicos honores decernere, ac templum condere per Senatum minime licuiſſet, eum in lario ſuo coluit. Annos fere tredecim imperium tenuit; eoque Chriſtianis favente, pacem habuit eccleſia nullis fere neque externis, neque domeſticis hoſtibus agitata. Quare cum toto terrarum orbe, tum etiam in Dalmatia, Juſtino Salonitanum Pontificatum gerente, fines ſuos longe lateque protulit. Verum cum eos in conſilium adhiberet, qui ut juris peritiſſimi, ita Chriſtianis iniquiſſimi erant, nonnullæ Martyrum ſedes extiterunt, inter quos annumerantur duo Romani Pontifices Calliſtus & Urbanus, Cæcilia Virgo Romana perillustris cum Tiburtio & Valeriano, Hippolytus Epiſcopus Portuenſis, Martina itidem Romana Virgo, aliique haud pauci, qui apud Martyrologos & Hiſtoricos eccleſiaſticos ſub Alexandro non illo quidem jubente, ſed Magiſtratibus hanc in Chriſtianos animadvertendi poteſtatem permittente, martyrii palmam adepti leguntur. Nec deſunt tamen, qui opinentur Martyres aliquot, quos Severiana perſecutio ſuſtulit, per errorem ad Alexandri tempora tranſlatos fuiſſe, quod is quoque *Severus* appellatus fuerit.

Religionem ubique, tum in Dalmatia amplificata.

Sub Alexandro aliqui Martyres.

His temporibus videtur conſignari poſſe Juſtini Epiſcopi Salonitani ex hac vita deceſſus, qui ob eximiam ſanctitatem, vel etiam ob martyrii laudem cum ea conjunctam dignus fuit, cujus nomen ac memoria Salonitanis Diptychis adſcriberetur. Huic in ſedem Epiſcopalem ſucceſſit Juſtinianus, cujus Pontificatus Maximinianam perſecutionem excepit, brevem illam quidem, ſed multo atrociſſimam, plurimiſque præſertim Epiſcoporum & Clericorum cædibus inſignem.

Mors Juſtini Epiſc. Salonitani.

cui Juſtinianus ſubſtitutus.

§. III.

Res Chriſtiana ab an. Chriſti 237. ad an. circiter 270. Juſtiniano, Antonino, Maximo II. Salonitanis Epiſcopis; Pontiano, Antero, Fabiano, Cornelio, Lucio, Stephano, Sixto II., Dionyſio Pontificibus Romanis; Maximino, Gordiano, duobus Philippis, Decio, Gallo & Volusiano, Valeriano & Gallieno, ac demum Claudio Imperatoribus.

ANnus erat a Chriſto nato 237., ſive, ut alii volunt, tertii hujus ſæculi 35, cum Alexander illuſtri de Perſis victoria relata, verſiſque in Germaniam armis, per ſeditionem Gallicarum legionum diſciplinam aſpernantium, necatur anno poſt initum principatum XIII. Maximinus Gottho patre, ut ferunt, & Alana matre genitus, Imperator factus, cum ingenio eſſet ferox ac truculentus, partum imperium haud arte alia, quam ſævitia & crudelitate tueri ſe poſſe cenſuit: *erat enim ei perſuaſum*, inquit Capitolinus, *niſi crudelitate imperium non teneri*. Itaque a primariis viris initium ſeviendi fecit, quorum permultos necari juſſit. Tum in omnibus ſuam inſatiabilem crudelitatem exercere inſtituit, ſic prorſus, ut *illum*, Capitolino teſte, *alii Cyclopem, alii Buſiridem, alii Scyronem, nonnulli Phalarim, multi Tryphonem, vel Gygem vocarent*. Qui vero tam crudelis in Ethnicos erat, quantam in Chriſtianos ſævitiam adhibuiſſe credendus eſt, a quorum pietate ac religione immanes hominis ferique mores maxime abhorrebant. Itaque ſtatim atque imperio potitus eſt, perſecutionem longe acerbiſſimam Chriſtianis indixit, quam ſextam computat Oroſius. Chriſtianos perſequendi duas illi cauſas fuiſſe invenio; unam, quod cum Alexandrum ejuſque familiares peſſime odiſſet, multos ex ejuſdem familia fuiſſe comperit, qui Chriſti religionem colebant. Id tradit Euſebius: *Maximinus propter gravem invidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures fideles & Chriſtiani verſabantur, flagrabat, acerbam perſecutionis tempeſtatem concitavit*. Porro *omnes Alexandri miniſtros variis modis* a Maximino interfectos fuiſſe docet Capitolinus. Altera cauſa hæc eſt, quod cum per ea tempora maximis terræmotibus concuti Orientem, & multas corruere urbes contigerit, Ethnici more ſuo & jam pervulgato in Chriſtianos hujus calamitatis cauſam conferentes, Maximini odio & crudelitati acriores faces ſubjecerint; quod his verbis declarat Origenes in Joan. hom. 28. *Scimus autem & apud nos terræmotum factum in quibuſdam locis, & factas fuiſſe quaſdam ruinas; ita ut qui erant impii extra fidem, terræmotus cauſam dicerent Chriſtianos. Propter quod perſecutiones paſſæ ſunt eccleſiæ, & incenſæ ſunt. Non ſolum autem illi, ſed & qui videbantur prudentes, talia in publico dicebant, quia propter Chriſtianos fierent graviſſimi terræmotus.* Idem confirmat, & copioſius explicat Firmilianus Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia in epiſtola ad Cyprianum: *Ante viginti enim & duos fere annos, temporibus poſt Alexandrum Imperatorem, multæ iſtic conflictationes & preſſuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Chriſtianis. Terræ etiam motus plurimi & frequentes exiterunt, ut per Cappadociam & Pontum multa ſubruerent, quædam etiam civitates in profundum receptæ diruptiſoli hiatu devorarentur, ut ex hoc perſecutio quoque gravis adverſum nos Chriſtiani nominis fieret, quæ poſt longam retro ætatis pacem repente obortæ, de inopinato & inſueto malo ad perturbandum populum noſtrum terribilior effecta eſt. Serenianus tunc fuit in noſtra provincia Præſes, acerbus & dirus perſecutor.*

Interitus Alexandri. Maximinus imperator.

Sexta perſecutio.

Apud Cyprian. epiſt. 77. edit. Pamel.

Hæc tempeſtas potiſſimum incubuit in Epiſcopos & Rectores eccleſiarum, quibus ſublatis, & quaſi quibuſdam columinibus Chriſtianæ religionis evulſis, eam quoque collapſuram Maximinus putabat: *juſſitque*, ait Euſebius lib. 6. c. 21. *ſolos eccleſiarum Præſides, tamquam auctores doctrinæ Evangelicæ neci dari*. Nec vero ſi ferale edictum in ſolos Epiſcopos animadverti jubebat, idcirco aliis ex numero Laicorum Chriſtianam religionem profiteri impune licuit; nam eorum temporum monumenta ſatis oſtendunt, ſeu populi odio, ſeu Præfectorum malignitate, in omnes promiſcue Chriſtianos

In Epiſcopos præcipue ſævitum.

Pontianus & Antherus Pontifices martyrio affecti.

nos acerbissime sævitum esse. Maximino itaque imperante, tum multi Christianorum jugulati greges, tum præcipue Pontianus Pontifex, primum deportatus in Sardiniam, mox pro religione occubuit. Antherus item Pontifex, qui res martyrum impensius conscribi jusserat, altero, quam Pontificatum inierat, mense martyrii laudem ac titulum obtinuit. Annos amplius tres ea persecutio tenuit, quæ ut in alias omnes Romani imperii provincias, sic etiam in Dalmatiam grassata, multos Christi cultores oppressit. Nec dubitari potest, quin ex edicto imperatorio potissimum quæsitus fuerit ad necem Justinianus Salonæ Episcopus, qui pro Christo ad extremum usque spiritum pie ac fortiter decertasse credendus est.

Item Justinianus Episcopus Salonæ.

Cædes Maximini.

Porro Maximinus quarto sive tertio occupatæ tyrannidis anno vel inito, vel jam exacto, dum Aquilejam obsidet, in castris seditione facta interficitur a militibus an. 240; sed ejus interitum alii revocant ad an. 237. Maximinum Senatus cum paullo ante hostem reipublicæ judicasset, adversus eum duos Augustos Maximum Pupienum, Clodiumque Balbinum, itemque Gordianum Cæsarem creavit. Verum Augustis per tumultum militarem extinctis, Gordianus nondum maturus imperio imperare cœpit, egregia indole, & omnibus corporis animique dotibus præditus. Ex eo tempore Christiana religio ubique pacem ab Imperatoribus nacta, tollere oculos visa est, velutique emergere ex illis, quibus conflictata fuerat, procellis; posteaque prosperæ res deinceps multæ consecutæ sunt. Romanam Fabianus Anthero suffectus, Salonitanam ecclesiam Antoninus Justiniano substitutus regebant. Dum res Christiana floreret, & auctior in dies fieret sub Gordiano optimo Principe, Romanam quoque ditionem auxit insignis de Persis relata victoria; quibus acie victis, Carras, ac Nisibim Gordianus recepit anno 244. Illud parum caute prudenterque ab eo factum, quod Præfectum Prætorio in locum Misithei Soceri sui vita functi Philippum Arabem substituit, qui ut imperio potiretur, militum animos a Gordiano abalienare statim cœpit. Ac demum seditione per corruptos milites ab eodem concitata Philippo Gordianus perimitur an. 246, sive, ut alii volunt, 244. postquam sex annos imperasset.

Gordianus Imperator.

Fabianus Romanæ, Antoninus ecclesiæ Salonitanæ Episcopi.

Interitus Gordiani.

Itaque Philippus genere Arabs rerum summam adeptus anno 246., vel biennio ante, ut alii censent, Philippum filium imperii collegam adscivit. Multi auctores sunt, hos primos Romanorum Imperatorum Christianis sacris initiatos fuisse; quæ si vera sunt, eorum ad Christum conversio post initum imperium acciderit necesse est, ut Baronius contendit. Tradunt præterea Philippum seniorem a Fabiano Papa ingressu ecclesiæ prohibitum fuisse, antequam more rituque pœnitentium delicta sua expiasset. Id narrat Eusebius lib. 6. cap. 27. quod ab Episcopo, qui tum ecclesiæ præerat, factum esse tradit; at Fabianum ne nominat quidem. Hisce igitur Imperatoribus aut Christianis, aut certe egregia in Christianos voluntate propensis, ecclesia pacem habuit, ac mirifice ubique propagata est, præsertim in Pannonia & Norico, ut auctor est Ludovicus Schonlebius. Uterque Augustus millesimum ab urbe condita annum ingenti ludorum apparatu celebravit. Anno autem septimo post susceptum imperium, Decio instigante, Philippus Senior Veronæ, Junior Romæ a militibus jugulantur anno 253., sive, ut aliis placet, 249.

Duo Philippi pater & filius Augusti.

Cædes utriusque.

Decius Imperat. 1°.

Decius anno 253. ex chronologia Baroniana, imperium adeptus nihil habuit antiquius, quam ut conceptum jampridem in Christianos odium exprometet, ac nimiam in eos Philippi indulgentiam ac benignitatem ulciscereturt. *Philippo, ubi septem annis regnaverat,* (inquit Eusebius lib. 6. cap. 32.) *succedit Decius, qui odio quodam capitali, quo cum Philippo diffidebat, infensus persecutionem contra ecclesiam concitat.* Eusebio adstipulatur Orosius lib. 7. cap. 21. *Continuo cum invasisset imperium, ob quod se etiam Philippos interfeciisse docuit, ad persequendos interficiendosque Christianos septimus post Neronem feralia sparsit edicta, plurimosque Sanctorum ad coronas Christi de suis cruciatibus misit.* Ante utrumque Lactantius de persecutione Deciana hæc scripserat cap. 4. de Mort. Persec. *Extitit post plurimos annos exsecrabile animal Decius; qui vexaret ecclesiam .... Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet.* Hujus persecutionis quanta fuerit crudelitas, quantamque perturbationem, & cladem ecclesiæ intulerit, ex eo conjici potest, quod Dionysius Alexandrinus Antistes in epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum apud Euseb. lib. 6. cap 41. scripsit, vulgo apud Christianos creditum esse, advenisse jam ea tempora, cum Christus Dominus fore prædixerat, ut etiam electi, si fieri posset, in errorem inducerentur; idemque Dionysius ait *complures per oppida & vicos a gentilibus discerptos fuisse ... præter multitudinem eorum, qui in montibus & solitudinibus fame & siti, frigore ac morbis, & latronum aut bestiarum incursu interiere;* & in epistola ad Domitiam, & Didymum: *Vos*, ait, *scire convenit viros & mulieres, juvenes & senes, puellas & anus; milites ac paganos, denique ex omni genere hominum atque ætate ... coronas retulisse.* Tanta vero in cruciatibus inferendis, protrahendisque hostium immanitas fuit, ut qui pœnarum acerbitati ac diuturnitati succubuissent, ii Cypriano cæteroquin severioris disciplinæ studiosissimo, viderentur aliqua excusatione digni; quippe cum tam *gravem lapsum non voluntate, sed necessitate susceptum*, diceret ab his, *qui tormentis laniantibus, ac longa iteratione cruciantibus repugnassent ... maxime cum cupientibus mori non permitteretur occidi; sed tamdiu fessos tormenta laniarent, quamdiu non fidem, quæ invicta est, vincerent; sed carnem, quæ infirma est, fatigarent.* Ep. 56. Hoc vero gravius ea persecutio ecclesiam perculit, quod nihil tale metuenti fruentique summa tranquillitate, veluti atra & turbida tempestas supervenit. Florentissimum rei Christianæ quietumque ab omni perturbatione statum, ejusque præterea progressiones admirabiles, antequam hoc turbine percelleretur, Gregorius Nyssenus his verbis descripsit in vita S. Gregor. Thaumat. *Jam in omnem partem pervaserat divina prædicatio, & omnes tam in civitate, quam in ea, quæ circumcirca sita est, regione ad piam rectamque dogmatis fidem erant traducti; altariaque & templa, & quæ in eis fuerunt simulacra, erant eversa; expurgata autem erat humana vita ab idolorum inquinamentis, extinctusque erat sceleratus nidor sacrificiorum, ablutus cruor ex altaribus, & sordes cæsorum animalium; omnes autem in omni loco in Christi nomine templa erigebant, & oratoria; cum Romanorum, qui tunc erat, Imperatorem subiit ira atque invidia, propterea quod falsa quidem ejus patria neglectui esset superstitio; augebatur autem mysterium Christianorum, & per totum orbem terræ multiplicabatur ecclesia per eos, qui semper verbo adjiciebantur, crescens in magnitudinem. Et cum existimasset fieri posse, ut divinæ virtuti sua resisteret acerbitas, & reprimeret quidem mysterii prædicationem, dissolveret autem cœtus ec-*

Septimo persecutio.

clesia-

Digitized by Google

eleſiarum, rurſus autem traduceret ad ſimulacra eos, qui ad verbum proceſſerant, ad Centium Præſides mittit edicta, terribiles ſupplicii minas in eos ſtatuens, niſi omnibus probris, contumeliis, & cruciatibus afficerent eos, qui nomen Chriſti adorabant; & terrore & cruciatibus eos rurſum reducerent ad patrium cultum dæmonum. Hactenus Gregorius.

Hæc perſecutio totum fere Chriſtianum orbem pervagata tantas ubique ſtrages edidit, præſertim in Italia, Africa, Ægypto, Aſiaque, ut quocumque ingrueret, extremum prope exitium nomini Chriſtiano allatura videretur. Nec ab ea Dalmaticas eccleſias immunes fuiſſe, nec ſuos illis defuiſſe Martyres certius habendum eſt, quam ut in dubium revocari poſſit. Sed Actis Martyrum, tabuliſque eccleſiaſticis vel incenſis, vel amiſſis, vel alio delatis, nulla nobis illorum temporum memoria ſupereſt. Cæterum Decius impietatis ac ſævitiæ ſuæ, citius quam putabat, pœnas dedit. Nam altero principatus anno, clade a Gothis accepta, fugientem obvia palus hauſit, penituſque abſorbuit, ſic ut ne cadaver quidem inveniri potuerit; cum ejus quoque filius paullo ante fortiter dimicans in acie occubuiſſet. Decii interitum Baronius in 54. alii in annum 51. tertii ſæculi conjiciunt.

Interitus Decii.

Perſecutionem Decianam excepit Novatiani ſchiſma, quod Romanam eccleſiam in duas factiones diviſit. Cum anno ſuperiori ideſt 253. juxta Baronium Fabianus martyrium objiſſet, Pontificium interregnum amplius unum annum tenuerat, quod Decianis illis turbulentiſſimis temporibus comitia Pontificia haberi minime potuiſſent. Ubi autem Romæ paullulum deferbuit perſecutio, communi Epiſcoporum, qui tum in urbe aderant, & Cleri Romani conſenſu, ac plebe Chriſtiana ſuffragante, creatus eſt Pontifex Cornelius vir eximiæ ſanctitatis & doctrinæ, anno juxta Baronium 254. Sub idem tempus Novatus Epiſcopus, qui Carthagine adverſus Cyprianum ſchiſma conflaverat, cum Romam adveniſſet, in id omni ope ſtudioque incubuit, ut contra Cyprianum multos e Clero Romano ſibi fautores adjungeret; a quorum factione Novatianus Presbyter Cornelio vero Epiſcopo Pſeudopontifex objectus eſt; qui litteris & legationibus ad omnes fere eccleſias miſit, ut ab omnibus verus ac legitimus Pontifex haberetur. Sed ejus legati nuſquam recepti; ipſe tamen Novatianus tum Novati præſidio, tum paucorum ſibi adhærentium factione ſubnixus aliquamdiu inane Pontificis nomen utcumque ſuſtinuit; qui ad ſchiſma hæreſim præterea adjunxit; negabat quippe ſemel lapſos in eccleſiam recipi oportere, ſed divino judicio relinquendos eſſe; & inſuper e Stoicorum decreto affirmabat omnia peccata eſſe æqualia. Quos errores damnarunt multa per id temporis habita cum Romæ, tum in Africa, Epiſcoporum concilia. Hujus neſariæ coitionis architectus cum fuerit, auctorque primarius Novatus, ab eo, qui ex hac ſecta prodierunt, dicti ſunt Novatiani, quorum gentile fuit & capitale flagitium lapſis omnem ad pœnitentiam aditum intercludere, ſpemque omnem recuperandæ eccleſiaſticæ communionis adimere. Inter eas turbas ac ſeditiones, quibus Romana, itemque Africana eccleſiæ conflictabantur, eccleſia Dalmatica, ut credibile eſt, neque a Cornelii auctoritate deſcivit, neque paſſa eſt ſe Novatiano aut ſchiſmate implicari, aut pravo dogmate in errorem adduci, rem Chriſtianam Salonis adminiſtrante Antonino.

Schiſma Novati.

Cornelius Papa electus.

Novatus pſeudopontifex a factione Novati objectus.

Errores Novatiani.

Dum eo bello domeſtico civilique laborat eccleſia, perſecutio ab Decio excitata, neque omnino conſopita, vehementius recruduit, auctore Gallo Hoſtilio, qui cum in Mæſia limitanei exercitus Dux eſſet, poſt Decium militari ſuffragio creatus Imperator, Voluſianum filium Imperii conſortem aſſumpſit. De hac perſecutione Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Hermammonem apud Euſeb. lib. 7. cap. 1. hæc ſcripſit. *Gallus neque Decii recogitavit calamitatem, neque antea ſecum, quid tandem illum de gradu dejeciſſet, diligenter conſideravit; ſed in eumdem lapidem, licet perſpicue ante illius oculos poſitum, cum ſuo magno malo impegit. Qui cum regnum ejus proſpero fortunæ flatu ferretur, & res omnes ad voluntatem fluerent, ſanctos ac pios viros, qui pro pace ejus imperii, proque vitæ incolumitate enixe Deum precabantur, crudeliter exegit; & propterea una cum illis preces pro ipſo ad Deum fuſas penitus a ſe avertit.* Eamdem temporis procellam Cyprianus divinitus ſibi præmonſtratam his verbis prædixit ep. 66. ad Tibaritanos: *Ne putemus talia eſſe, quæ veniunt, qualia fuerunt illa, quæ tranſierunt; gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, virtute robuſta parare ſe debent milites Chriſti, conſiderantes idcirco ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.. Neque aliquis ex vobis, fratres dilectiſſimi, futuræ perſecutionis metu, aut Antichriſti imminentis adventu ſic terreatur, ut non Evangelicis exhortationibus & præceptis ac monitis cæleſtibus ad omnia inveniatur armatus* &c. Furente autem in Africa perſecutione in libro ad Demetrianum Proconſulem, eundemque Chriſtianorum hoſtem acerbiſſimum, de illius immanitate idem Cyprianus ad hunc modum conqueritur: *Juſtos Deo caros domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, beſtiis, gladio, ignibus punis ... Admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis viſceribus numeroſa ſupplicia. Nec feritas atque immanitas tua uſitatis poteſt eſſe contenta tormentis, excogitat novas pœnas ingenioſa crudelitas* &c.

Decius perſecutio recruduit ſub Gallo

Huic perſecutioni incrementum videtur præbuiſſe immanis lues, quæ Gallo imperante ab Æthiopia exorta totum Romanum orbem cum ingenti clade peragravit. Et quamquam plerique Chriſtiani, præſertim in Africa hortatu S. Cypriani, omnibus ea contagione affectis ſive Ethnicis, ſive Chriſtianis curandis, & pecunia operaque ſublevandis totos ſe addixerint; tamen ne his quidem beneficiis hoſtes deliniri potuerant, cohiberique, ne hujuſmodi peſtilentiam Chriſtianis crimini darent, in quos ſcilicet omnium malorum cauſam conferre ſolebant; ac proinde in eos veluti communis ſalutis hoſtes omni ſuppliciorum genere animadvertendum eſſe ubique & ab omnibus ſuccelamatum eſt. Huc acceſſit, quod Gallus ad eam calamitatem avertendam Apollini ſoſpiti omnes ſacrificare juſſerit; quod cum Chriſtiani abnuerent, Imperatoris populique odium ac furorem in ſe concitarunt. Eo pertinere videntur, quæ de ſe ipſe ſcripſit Cyprianus epiſt. 59. ad Cornelium Papam: *His etiam ipſis diebus*, inquit, *quibus has ad te litteras feci, ob ſacrificia, quæ edicto propoſito celebrare populus jubebatur, clamore populariam ad leonem denuo poſtulatus in Circo* &c. Multos ubique ſub his Imperatoribus Martyres fuiſſe negaverit nemo; ſed cum Acta interciderint, eorum plerique ad perſecutionem Decianam referri ſolent, propterea quod eamdem Chriſtiani populi carnificinam, quam Decius decreverat, nullo fere ſpatio eccleſiæ ad reſpirandum relicto, proſecuti ſunt Gallus & Voluſianus. Multos certe in Africa, qui ſub Decio ceciderant, ſub Gallo acceptam ſuperiori conflictu ignominiam

Hoſtilio Imperator.

Peſtilentia cauſam præbuit Gallo perſequendi Chriſtianos.

Digitized by Google

illustri morte deleviſſe teſtatur Cyprianus in libro adverſus Novatianum hæreticum: *Nulli enim noſtrum dubium vel incertum eſt, fratres dilectiſſimi, illos, qui prima acie, ideſt Deciana perſecutione, vulnerati fuerunt, hos poſtea, ideſt ſecundo prælio, ita fortiter perſeveraſſe, ut contemnentes edicta ſæcularium Principum, hoc invictum haberent, quod & non metuerunt, exemplo boni Paſtoris animam ſuam tradere, & ſanguinem fundere, nec ullam inſanientis tyranni ſævitiam recuſare.* Hæc tempeſtas ſuſtulit Cornelium ſanctiſſimum Pontificem anno poſt ſuſceptum Pontificatum tertio ineunte; eique Lucius ſuffectus eſt, cujus martyrium alii, auctore Euſebio, cum Galli & Voluſiani imperio conjungunt, alii ad Valeriani & Gallieni tempora rejiciunt. Neque a veritate abhorret Antoninum quoque Salonitanum Epiſcopum temporibus illis martyrii palmam adeptum fuiſſe, cum hoſtium furor & crudelitas haud mitius Dalmaticam, quam alias eccleſias afflixerit; niſi hujus necem ad Valeriani perſecutionem revocare placeat.

In hac perſecutione forte ſublatus Antoninus Ep. Salonit.

Galli & Voluſiani interitus.

Porro Gallus cum Voluſiano filio trucidatur a militibus apud Interamnam, cum adverſus Æmilianum res novas in Mæſia molientem copias educeret. Hujus imperio alii biennium & menſes quatuor attribuunt, alii quadriennium ſic adſcribunt, ut duos poſtremos annos idcirco ab antiquis prætermiſſos cenſeant, quod annos Valeriani Veteres numerare incipiant ab ejus Tribunitia poteſtate, collatoque eidem per militare ſuffragium imperio; utrumque autem eveniſſe dicunt biennio ante, quam Gallus interficeretur.

Valerianus & Gallienus Imperatores.

Extincto Gallo pacis aliquid exinde eccleſiæ fuit. Nam Valerianus cum Gallieno filio imperii collega rerum potitus, initio æquum ſe Chriſtianis ac benignum præbuit, auctore Dionyſio Alexandrino Epiſcopo, qui apud Euſebium lib. 7. cap. 2. affirmat, *Valerianum permultis ab exordio imperii ſui annis, de Chriſtianis optime meritum, nihil illis negotii faceſſiviſſe.* Sedem Romanam per id temporis obtinebat Stephanus, Lucio ſublectus anno juxta Baronium 257. Dum ab hoſtibus Chriſtiani nominis quies eſſet, vehementer laboratum eſt ab Schiſmaticis Novatianis in duas omnino contrarias factiones diſtractis; alii quippe contendebant iis, qui ſemel ab Chriſti religione deſciviſſent, nullum pœnitentiæ locum relinqui, omnemque ad eccleſiaſticam communionem aditum intercludi oportere; alii vero eoſdem ſtatim, nullaque ab illis ſatisfactione accepta in eccleſiam recipi, atque in priſtinum gradum reſtitui volebant. Sed multo gravior, longeque periculoſior controverſia extitit, quæ propemodum Africanam ab Romana eccleſia, Cyprianum Epiſcopum Carthaginienſem a Stephano Romano Pontifice disjunxit. Cyprianus igitur, Epiſcopis e ſua provincia Carthaginem convocatis, concilium celebravit, in quo baptiſmus hæreticorum pro falſo habitus eſt, repetique juſſus; quod ipſum Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia, Dionyſius Alexandriæ, cæterique fere omnes Orientis Epiſcopi decreverunt. Sed iis omnibus Apoſtolica auctoritate reſtitit Stephanus, illud firmiſſimum pro ſententia catholica argumentum objiciens in ſua ad Synodicam Africanorum Antiſtitum epiſtolam reſponſione: *Nihil novandum: niſi quod traditum eſt, ſervetur.* Prævaluit tandem Stephani ac ſedis Apoſtolicæ auctoritas, ad quam cum omnes fere Orientis eccleſiæ acceſſiſſent, ab hiſce inteſtinis diſcordiis otium eccleſiæ redditum eſt. Eccleſia autem Salonitana inter eas rei Chriſtianæ perturbationes neque alterutrius partis ſchiſmatis adhæſit; & de non iterando baptiſmo ab hæreticis collato cum Romano Pontifice conſenſit. Itaque cum nullis neque externis, neque domeſticis hoſtibus laboraret, quidquid temporis ad quieſcendum ſibi dabatur, id omne ad divinum cultum augendum, diſciplinam eccleſiaſticam ſarciendam, religionemque amplificandam Antoninus Epiſcopus, vel ejus ſucceſſor contulit.

Schiſma Novatianum.

Controverſia de Baptiſmo ab Hæreticis collato.

Octava perſecutio auctore Valeriano.

Nondum ſchiſmata, inteſtinæque diſſenſiones conquieverant, cum Valerianus cujuſdam Magi Ægyptii præſtigiis captus impulſuſque octavam in Chriſtianos perſecutionem edixit, quæ adeo immanis fuit ac truculenta, ut Dionyſius Alexandrinus Antichriſtum ac mundi interitum prope abeſſe exiſtimaverit. Hujus initium Baronius ad annum 59. tertii ſæculi revocavit, alii biennio anticipant. Tres ipſos annos & ſex præterea menſes eam temporis procellam tenuiſſe auctor eſt Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 9. neque antea ſedatam fuiſſe, quam Valerianus a Perſis captus in vincula perpetua conjiceretur. Edictum in Chriſtianos Romæ promulgatum, & per omnes Romani imperii provincias ad Præfectos & Proconſules circumferri juſſum, ingentes ubique Chriſtianorum ſtrages edidit: *Multum*, inquit Lactantius, *quamvis brevi tempore, juſti ſanguinis fudit.* Quam multos vero Chriſtianorum oppreſſerit hæc perſecutio Romæ, atque in Italia, in Africa, in Gallia, in omnibus denique tum Orientis, tum Occidentis eccleſiis ſatis declarant Martyrologia, Acta Martyrum quæ ſuperſunt, epiſtolæ Cypriani, Hiſtoria eccleſiaſtica Gregorii Turonenſis, aliaque hujuſmodi monumenta; ac Romæ quidem ſuſtulit duos Romanos Pontifices Stephanum & Sixtum hujus nominis ſecundum, & poſt hujus Martyrium tribus interjectis diebus Laurentium invictæ fidei, & inſuperabilis animi Levitam; inde Hippolytum, alioſque non paucos; in Africa vero Cyprianus Carthaginienſis, & alii aliis in locis Epiſcopi, ſuam quiſque eccleſiam inſigni martyrio illuſtrarunt: e clericis autem laiciſque ubique quamplurimos pro Chriſto interemptos fuiſſe conſtat. De Dalmaticis ea tempeſtate Martyribus nihil memoriæ proditum eſt, quod ſatis certo liqueat, cum cæteroquin eccleſiam illam nihilo ſegnius, quam alias hoſtes Chriſtiani nominis exagitaverint. His fortaſſe temporibus alligari poteſt Antonini Epiſcopi Salonitani mors, aut martyrium; huic autem ſucceſſit Maximus ſecundus, qui eccleſiam illam adminiſtravit uſque ad imperium Aureliani.

Antonino Salon. Ep. ſucceſſit Maximus II.

Valerianus a Perſis captus.

Valerianus anno quarto, quam Chriſtianos perſequi cœperat, crudelitatis ſuæ meritas pœnas exſolvit. Bello Perſico a Sapore Perſarum Rege victus, captuſque, apud hoſtes miſerabili ſervitute conſenuit. Quippe Rex barbarus nimia fortuna vecors, equum conſcenſurus, Valeriani Auguſti dorſo pro ſcabello utebatur. Gallienus autem paterno doctus exemplo pacem otiumque Chriſtianis reddidit. Cladem Perſicam, quæ perſecutioni finem attulit, alii ad annum 260. referunt, cum Baronius anno 262. adſcribat. Per id temporis Romanam eccleſiam regebat Dionyſius in Siſti locum ſubrogatus, qui Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum ad ſedem Apoſtolicam falſo delatum, quod de filio Dei haud recte ſentire diceretur, coacto Romæ Concilio ab omni hujuſmodi hæreſeos ſuſpicione abſolvit.

Perſecutio extincta.

Dionyſius Pontifex Romanus.

Cæterum externo repreſſo, domeſticus eccleſiam turbo jactavit. Paullus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus Sabellium æmulatus, qui Ptolemaide in Libya nefarium adverſus ſanctiſſimam Trinitatem dogma paullo ante vulgaverat, omnem perſonarum diſtinctionem & ipſe ſuſtulit, & Chriſti præterea divi-

Impium Dogma Paulli Samoſateni.

Digitized by Google

divinitatem oppugnare cœpit, duabus in eo personis constitutis. Contra quem prima Antiochiæ Synodus habita est anno duodecimo Gallieni, qui fuit Christi juxta Baronium 266. Sed tum subdola tergiversatione, simulataque pœnitentia Patrum Antiochenorum studia Paullus eluſit. Postea vero altero in Concilio Antiochiæ celebrato damnatus, ac sede sua dejectus est; qua cum cedere nollet, interpellato Aureliano, qui tum imperabat, & nondum alieno ab rebus nostris animo erat, vi detrusus est, & exulare coactus.

Dum ecclesia pace ab Ethnicis fruitur, quamvis domesticis seditionibus agitata, longe tamen lateque propagatur. Gallieni ignavia in omnem turpitudinem ac luxuriam effusa Ducibus cupidis rerum novarum, barbarisque nationibus audaciam fecit. Et vis undique coorta Romanum concussit imperium. Illyricum, Ægyptum, Africam tyranni occupant. Auctor est S. Augustinus ep. 80. ex omni Barbarie in omnes Romani orbis provincias tot tantasque impressiones factas fuisse, cladesque illatas, ut mundi finem appetere vulgo existimarent. Dacia, quam Trajanus ultra Danubium adjecerat, in perpetuum amissa; Græcia, Macedonia, Pontus, Asia a Gothis, Pannonia a Sarmatis, Quadisque populata, Mesopotamia a Parthis subacta, Syria tentata, Odenatus tamen defensa Syria, Mesopotamia recepta tutatus est Orientem: captos præterea Persarum Satrapas Gallieno Augusto exprobrandæ ignaviæ gratia misit; nec defuit illum, quasi vicisset ipse, de captivis alienis triumphare. puduit. Odenatus autem, Imperator Orientis ob rempublicam bene gestam renunciatus, insidiis consobrini sui trucidatus est; cujus uxor Zenobia virilis animi fœmina suscepit imperium. Tandem fama Tyrannorum, qui variis locis omnino ad triginta exorti erant, Gallienum luxu sopitum excitavit. Igitur Aureolum tyrannum bello persequens, Martiani & Cecropii suorum ducum fraude ad Mediolanum interficitur, cum annos circiter quindecim imperasset.

Claudius Imperator, Anno igitur Christi 269., vel superiori, Claudius secundus imperare cœpit, frugi ac moderatus, & utilis reipublicæ, qui Aureolo tyranno sublato, contra Gothos egregie pugnavit. Horum cæsi dicuntur pluribus præliis trecenta ac viginti millia; navium duo millia depressa; quod reliquum barbarorum fuit, cum se in angustias Hæmimonti recepisset, fames, ac pestis absumpsit. Sed haud sed Christianis infensus, paullo iniquior Christianis fuit, quibus diuturnam pacem invidisse videtur. Itaque aliquot sub ejus imperio religionis causa interfecti dicuntur. Verum haud sane diu nobis infenso esse licuit; quo mortuo, nam intra secundum, vel tertium principatus annum lue contactus decessit. Quintillus ejus frater cum imperium usurpasset, haud multis post diebus obtruncatus est a militibus, qui Aureliano imperium detulerant; vel ipse sibi mortem consciscit, Aurelianus imperio potitus. cum Aurelianum ab exercitu renunciatum esse Imperatorem accepisset.

Hactenus de Christianis rebus ac temporibus illis, quibus respondet Salonitanus Pontificatus octo illorum Antistitum, quos initio nominatim percensuimus, quosque iterum hoc loco lectorum oculis subjiciendos censemus. Sunt autem hi: *Honophrius* vel *Honorius* I. *Maximus* I. *Paschasius*, *Cæsarius*, *Justinus* I. *Justinianus*, *Antoninus*, *Maximus* II. Horum omnium exacte computare tempora, & suos cuique annos tribuere, nullius est humani ingenii, cum vetera monumenta deficiant, unde id cognosci possit. Nos rudi quadam minerva, & divinando potius, quam conjectando, uniusque obitum vel martyrium, certo cuipiam anno adscripsimus. Duo tamen sunt, quorum alterum prope certum, alterum verisimile nobis videtur, initium videlicet primi, & exitus postremi horum Antistitum; nam Honophrius sive Honorius Pontificatum iniit anno 155, si libeat sequi auctoritatem Catalogi Romani, qui huic anno subjecit interitum Venantii, cujus in locum suffectus est Honophrius. Maximus vero II. idemque horum Episcoporum postremus, videtur extremum diem obisse anno circiter altero & septuagesimo tertii sæculi, vel paullo ante, vel paullo post susceptum ab Aureliano imperium. Agapitus siquidem, qui proximus ab eo creatus est Salonitanus Episcopus, rexit ecclesiam illam, & martyrium subiit, Aureliano imperante, ut ex illius Actis constabit, quæ paullo post describere atque explicare aggrediemur. Maximo II. Salon. Episcopo suffectus Agapitus.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

	Anno Christi.
S. Venantio Ep. & M. Salonitano subrogatus est Honophrius, sive Honorius I., qui rebus Christianis tranquillis ob rescriptum Antonini, ecclesiam Dalmaticam mirifice auxit. Per idem tempus Valentinus & Cerdo impurissimi Hæresiarchæ Romam venerunt; quorum corruptelis ne sua ecclesia inficeretur, vigilantiam curamque omnem Honorius adhibuit.	155
Hyginus Papa ab Ethnicis ob religionem interfectus. Huic Pius subrogatus est.	158
Antoninus Pius moritur nonis Martiis; post quem imperavit M. Antoninus Verus, L. Ælio Vero in societatem imperii adscito; ac tum primum duo Imperatores, iidemque Augusti, potestate pari rempublicam gesserunt.	163
Vologeses Parthorum Rex bellum Romanis intulit, contra quem Verus a M. Aurelio missus, quadriennio toto per duces suos rem prospere gessit.	164
Quarta persecutio Romæ orta.	
Justinus illustre martyrium obiit, cum alteram Imperatoribus ac Senatui Christianorum Apologiam tradidisset.	165
Huic anno adscribi potest mors vel martyrium Honophrii sive Honorii I. Episcopi Salonitani. Post hunc huic ecclesiæ præfuit Maximus hujus nominis primus.	166
Pius Papa mortem pro Christo subiit. Successit Anicetus. Polycarpus Smyrnæ Episcopus Romam venit, ut quæ nuper exortæ fuerant de Paschate celebrando, dissensiones componeret. Idem in Asiam reversus biennio post martyrii palmam adeptus est.	167
Atrox pestilentia omnes fere provincias depopulata; apparatus belli Marcomannici; utrinque occasio sumpta acerbius in Christianos sæviendi.	170
L. Verus apoplexia perculsus inter Concordiam & Altinum periit.	171
Hæreses variæ ac multiplices vel exortæ, vel propagatæ, quibus conflictandum ecclesiæ fuit.	
Felicitas Romana cum septem filiis pro Christo interempta; Anicetus P. pro eodem interfectus; post quem creatus est Soter.	175.
Marcus Imp. adversus Marcomannos, & Quados bellum gerens, siti cum exercitus laboraret, Legionis Christianæ precibus, primum pluviam, deinde victoriam obtinuit. Exinde paullo mitior in Christianos, ab eorum cædibus abstineri jussit, rescripto ad Præsides dato.	176
Avidius Cassius tyrannidem occupat; ac post tres menses occiditur.	177

Digitized by Google

Anno Christi.

179 Persecutio vehementius recruduit; Christiani complures ubique interfecti, ac præsertim in Galliis.

Athenagoras Athenienſis Philoſophus pro Chriſtianis ad Imperatores legationem obiit.

Dum ferveret quarta perſecutio, Melito Sardenſis, Apollinaris Hierapolitanus, Theophilus Antiochenus Epp. itemque Athenagoras, & Miltiades, aliique libros apologeticos pro Chriſtiana religione ediderunt.

Soter P. R. cum martyrium obiiſſet, electus eſt Eleutherus, ad quem hoc anno Irenæus legatus venit cum litteris martyrum Lugdunenſium, antequam hi ſupremum inirent pro Chriſto certamen.

M. Aurelio imperante Maximus Ep. Salonit. vel martyrii palmam adeptus, vel eximiæ ſanctitatis laude illuſtris ad Superos migravit; eique ſubrogatus eſt Paſchaſius.

182 M. Aurelius apud Vindobonam morbo extinguitur. Succeſſit Commodus. Perſecutio morte Marci exſtincta.

Commodo imperante res Chriſtiana tum ubique, tum in Dalmatia mirum in modum propagata.

183 Eleutherus Pont. Apoſtolicis viris, Lucii Regis rogatu, in Britanniam miſſis, Regem ipſum, bonamque populi partem ad eccleſiam aggregavit.

187 Apollonius Senator, Chriſtianæ religionis accuſatus, orationem habuit ad Senatum, cujus ſententia ſecuri percuſſus eſt.

192 Commodus Imperator Herculem dici voluit, divinoſque honores ſibi adhiberi juſſit; Chriſtianis id facere abnuentibus aliquid invidiæ conflatum, & moleſtiæ faceſſitum. Hinc aliqui martyres ſub Commodo.

194 Eleuthero Papa vita functo, Pontificiam inde ſedem Victor excepit.

Huic itidem anno affigi poteſt Paſchaſii Ep. Salonenſis ex hac vita diſceſſus. Poſt hunc Cæſarius præfuit eccleſiæ Salonitanæ. Commodus ſuorum inſidiis opprimitur anno, quam imperare cœperat, decimo tertio.

195 P. Helvius Pertinax imperium adeptus intra 88. diem a Prætorianis militibus obtruncatur; a quibus Didius Julianus principatum obtinuit, quem perdidit Septimii Severi juſſu interfectus.

Itaque Septimius Severus in Pannonia, Peſcennius Niger in Syria, Clodius Albinus in Gallia imperium uſurparunt. Severus Albinum Cæſaris titulo ac dignitate donatum ſibi conciliavit. Inde contra Nigrum expeditionem ſuſcepit. Chriſtianis uſque ad decimum imperii annum benignum ſe ac propitium præbuiſſe dicitur. Itaque eccleſia per idem tempus fines ſuos longe lateque protulit.

196 Severus Byzantium, quod Nigri partes pertinacius fovebat, triennio obſidet.

197 Per ea tempora plures extiterunt hæreſiarchæ, a Victore P. R. anathemate confixi.

198 Victor Papa concilio Romæ coacto Catholicum ritum Paſchatis die Dominico celebrandi ſancivit.

Severus Byzantium cepit, civitati libertatem abſtulit, eamque Perinthiis contribuit. Inde vertit in Occidentem arma contra Clodium Albinum.

199 Severus in Galliam veniens ad Lugdunum pugnam cum Albino conſeruit; cæſoque Albino ſolus rerum potitus eſt.

200 Severus ovans in urbem ingreſſus, Antoninum filium Auguſtum, Getam alterum filium Cæſarem ex S. C. creavit.

201 Iterum in Orientem profectus Parthos, Adiabenos, & Arabas devicit.

202 Romæ itemque in aliis provinciis, injuſſu Severi, ſed furore populi, & Prætorum improbitate Chriſtiana res non leviter obtrita eſt.

Victor Pontifex Max. pro Chriſto mortem oppetiit. Poſt dies aliquot creatus eſt Zephyrinus. Anno Christi.

Scapula Proconſul Chriſtianos in Africa divexat, antequam a Severo contra illos quidpiam edicti promulgatum eſſet. 203

Quinta perſecutio contra Chriſtianos, cujus exordia Euſebius refert ad annum decimum Severi. 204

Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis cum omni fere populo religionis cauſa cæſus. 205

Ludi ſæculares Romæ celebrati ſunt. Plautianus Præfectus Prætorio ob initam contra Severum conſpirationem occiditur, ac multi deinceps, qui eidem ſtuduerant, de medio ſublati. 206

Ob necem Plautiani aliquid de acerbitate perſecutionis Romæ remiſſum eſt. 207

Tertullianus cum jam Montani inſanis opinionibus ſtudere cœpiſſet, hoc tempore contra Marcionem ſcripſit. 208

Minutius Felix Romæ cauſas agens, edito Dialogo Chriſtianæ religionis patrocinium ſuſcepit. 209

Geta alter Severi filius Auguſtus appellatus. 210

Severus cum filiis Antonino, & Geta in Britanniam proficiſcitur. Ibi reliquam vitam, re proſpere confecta, tranſegit. 211

Perſecutione Severiana furente extinctus eſſe videtur Cæſarius Antiſtes Salonitanus. Hujus in locum ſubſtitutus eſt Juſtinus, qui antequam tempeſtas illa ſedaretur, multis curis graviſſimiſque periculis ob ſuum gregem tuendum conflictatus eſt. 212

Severus in Britannia, majoris filii inſidiis idem appetitus, ingentique ex ea re mœrore affectus, moritur Eboraci pridie Non. Febr. cum imperaſſet annos 17. menſes octo. 213

Antoninus cognomento Caracalla, & Geta fratres, filii Severi, poſt parentis obitum, ſimul imperare cœperunt. 214

Antoninus Getam fratrem, & conſortem imperii, in ſinu matris occidit.

Pax eccleſiæ reſtituta. Contra Hæreſes illorum temporum pugnatum eſt acerrime, duce & auctore Zephyrino Pontifice, qui multa in multis provinciis Concilia celebrari juſſit. Cajus Presbyter Romæ Proclum, ex grege Montani facile principem, diſputatione cum eo habita vicit. 215

Tertullianus jampridem Montani errore imbutus, librum de Monogamia ſcripſit; itemque librum de pudicitia, in quo Zephyrini Pontificis Maximi auctoritatem vellicat. 216

Antoninus cum Gotthis, Dacis, ac Sarmatis pugnavit. In Thraciam abiit, inde in Aſiam tranſgreſſus, quod hujus anni reliquum fuit, Nicomediæ tranſegit.

Antoninus Antiochiam adiit; inde abiens Alexandriam venit, ubi honorifice exceptus cum eſſet, immiſſis copiis ſuis promiſcuam multitudinem occidit, quod in eum dicteria quædam jeciſſent. Poſt Antiochiam rediit. 217

Agrippinus Carthaginienſis Epiſcopus hiſce temporibus Concilio habito decrevit, qui baptiſmum ab hæreticis ſuſcepiſſent, eos iterum baptizari oportere.

Antoninus Artabanum Parthorum, & Abagarum Oſroenorum Reges fraude circumventos in vincula conjecit. 218

Antoninus Imper. ab Opilio Macrino per Martialem Centurionem occiditur inter Edeſſam & Carras VI. Idus Apr. Macrinus cum Diadumeno filio imperium invaſit. 219

Macrino poſt annum menſeſque duos, quam imperium aſſumpſerat, a militibus occiſo, una cum filio, Antoninus Heliogabalus, Caracallæ filius falſo creditus, rerum potitur. 220

Helio-

Anno Christi.

221 Heliogabalus Romam veniens Solem, Deum suum cognominem, intulit, & jussit omni aliorum Deorum cultu abolito, huic qui venerationem adhiberi. Hinc aliquid periculi facessitum Christianis, quippe cum veri Numinis religio, quam salus aut vita, illis esset antiquior. Hinc fortassis occasio & causa fuit martyrii subeundi Zephyrino Pontifici, cui successit Callistus.

222 Julius Africanus legationem ad Imperatorem suscepit pro instauranda Nicopoli in Palæstina.

223 Heliogabalus Alexandrum Mammææ filium, patruelem suum adoptat, & Cæsarem appellat.

224 Heliogabalus quarto imperii anno cum Julia Matre per tumultum militarem occisus est.

M. Aurelius Severus Alexander imperitare cœpit, optimis Principibus annumerandus. Christum in Deorum numero reponere frustra conatus, in larario suo coluit. Quare & Christianis benignum se præbuit. Nonnullæ tamen eo imperante cædes martyrum extiterunt, quæ consiliariis ejus adscribendæ sunt; utebatur enim in jure administrando consiliis Ulpiani, Pomponii, Celsi, Modestini, Paulli, Proculi, & aliorum, qui Christianos pessime oderant.

225 Alexander tabernam meritoriam popinariis ademptam Christianis adjudicavit, in qua Deum suum colerent.

226 Callistus Papa pridie Id. Octob. Martyrium adeptus est. Post hunc Urbanus Romanam sedem tenuit.

227 Alexander optimis legibus rempublicam constituit.

228 Geminianus Presbyter Antiochiæ, & Hippolytus, & Beryllus Episcopus Bostrenus in Arabia, clari inter Scriptores ecclesiasticos habentur. Martina Virgo Romana sub Alexandro celebre martyrium obiit.

229 Hisce annis florebat Origenes.

230 Julius & Hesychius milites, idemque martyres Dorostori in Mysia, Alexandro imperante.

232 Cæcilia Virgo Romana, Tiburtius, Valerianus, Maximus viri nobiles, pro Christo mortem oppetierunt.

233 Urbanus Papa martyrio afficitur. Creatus est Pontianus.

234 Origenes anno x. Alexandri Cæsaream in Palæstinam secessit, Alexandrina schola, cui Heraclam præfecit, relicta; ibique Hexapla sua, itemque Octapla jampridem instituta absolvit.

235 Per ea tempora Ammonius Christianus Philosophus Platonicam Philosophiam Alexandriæ profitebatur.

236 Alexander contra Persas profectus, Artaxerse fuso castrisque exuto, insignem victoriam retulit. Romam deinde reversus triumphavit.

Justinus Episcopus Salonitanus ex hac vita decessit, sanctitatis fama, & fortassis etiam martyrii laude illustris. Post hunc Justinianus regimen illius ecclesiæ suscepit.

237 Alexander Persico bello egregie functus, novam contra Germanos expeditionem suscepit; in qua conspiratione paucorum militum apud Moguntiacum una cum matre perimitur.

Maximinus genere Thrax, post necem Alexandri, primus sine auctoritate Senatus invasit imperium. Is confecto prospere bello Germanico, apud Sirmium hiemavit, & crudeliter interea Romæ per præfectos suos in nobilitatem Romanam grassatus est.

Sextam persecutionem Christianis indixit, cum Pontianus universali, Justinianus Salonitanæ ecclesiæ præessent.

Illyricum Sacrum.

Pontianus XIX. Novembr. perfunctus est martyrio, cui post aliquot dies suffectus est Antherus natione Græcus. Anno Christi.

Antherus Papa martyrio afficitur, eique subrogatur Fabianus. 238

Hac eadem temporis procella, quæ potissimum in Episcopos incubuit, Justinianum Salonensem Episcopum sublatum fuisse existimamus. Huic in Episcopatum Antoninus successit. 239

Maximinus dum Aquilejam obsidet, a militibus una cum filio interficitur; eo sublato, persecutio restincta est. Ante interitum Maximini, Balbinus & Pupienus a Senatu dicti fuerant Augusti, quibus adjunctus est Gordianus jure ac nomine Cæsareo donatus. Duo illi Augusti, populo quidem accepti, sed invisi militibus, ab his trucidantur, quo ex tempore Gordianus solus imperavit, sub quo res Romana pariter & Christiana floruit. 24

Gordianus aperto Jano gemino cum ingentibus copiis contra Persas in Orientem profectus est. 243

Cum Persis prospere pugnavit, ab iisque Carras & Nisibin, aliaque oppida recepit. 244

Misitheus socer Gordiani dolo atque insidiis Philippi Arabis interiit. Is vero in locum illius Prætorio præfectus est. 245

Gordianus a Philippo Prefecto Prætorii per milites pecunia corruptos trucidatur. 246

Philippus imperium adeptus, filium itidem Philippum nominavit Augustum & collegam. Multi auctores sunt hos primos Romanorum Imperatorum Christianis initiatos sacris.

Philippus e Perside Romam venit, pace cum Sapore constituta. 247

Annum millesimum ab urbe condita ingenti ludorum apparatu celebravit, quem alii cum anno restitutæ salutis 248. conjungunt. 249

Philippus senior Veronæ, junior Romæ a militibus interfecti. 253

Decius ex inferiore ortus Pannonia, Augustus ab exercitu Illyriorum appellatus septimam persecutionem edixit, quæ primo veluti impetu Fabianum sanctissimum Pontificem perculit. Ob immanitatem persecutionis Pontificium interregnum amplius unum annum tenuit.

Schisma in ecclesia Africana auctore Felicissimo, qui lapsos, contra quam Cyprianus decreverat, levi aut nulla pro admisso flagitio pœnitentia perfunctos in ecclesiasticam communionem recipi volebat. Romæ vero post annuum interregnum Fabiano Cornelius cum esset sublectus, huic Novatus Episcopus Africani schismatis antesignanus Novatianum Presbyterum ab se creatum Episcopum opposuit: ex quo turbata divisaque duas in partes ecclesia Romana. Hinc factio Novatiana, cui nomen dedit Novatus. Novatianus Pseudopontifex a Felicissimo dissentiens, iis, qui pœnarum metu a Christo desciviſſent, omnem ad pœnitentiam ecclesiamque reditum intercluſit. 254

Inter hæc Decius altero principatus anno, clade a Gotthis accepta, fugiens paludis gurgite absorptus periit; eodemque prælio Decii filius exstinctus est. Exinde aliquid pacis ecclesiæ fuit.

Gallus inde Hostilius militari suffragio creatus Imperator Volusianum filium consortem adscivit.

Romæ Synodus coacta contra Novatianum, ejusque Sectatores, qui ab ecclesia ejecti sunt; decretumque, ut lapsi, postquam Deo pro scelere admisso ecclesiæque satisfecissent, in ecclesiam reciperentur. In eamdem convenerunt sententiam plures aliæ Synodi cum in Africa, tum in aliis provinciis ob eamdem causam convocatæ. Salonæ etiam, & Concilium celebratum fuisse, & idem esse con- 255

Digitized by Google

Anno Christi. ſtitutum, Antonino Epiſcopo præſidente, opinari licet.

Perſecutio Decii interitu paullulum ſopita vehementius exarſit, utroque Imperatore in Chriſtianorum exitium conſpirante. Cornelius Papa cum aliis plurimis cæſus XVI. Septembr. Lucius patria Romanus eidem ſucceſſit. An eadem temporis procella Antoninum Epiſcopum Salonæ perculerit, non ſatis liquet.

256 Atrox peſtilentia totum fere Romanum orbem pervaſit. Pia charitatis officia Ethnicis lue affectis a Chriſtianis potiſſimum Carthaginienſibus, Cypriano hortatore, impenſa.

Gallus & Voluſianus apud Interamnam a militibus trucidantur. Æmiliano intra menſem tertium ſublato, Imperator in Norico factus eſt Valerianus, Romæ a Senatu Gallienus Valeriani filius. Uterque initio Chriſtianis propitium ſe præſtitit. Sed antequam perſecutio omnino conquieviſſet, Lucius Romanus Pontifex martyrium ſubiit, in ejuſque locum creatus eſt Stephanus anno inſequenti 257.

257 Schiſma Novatianum fervet. Shiſmatici in duas factiones diſtracti; alii cum Feliciſſimo Africani Schiſmatis auctore, lapſos nulla exomologeſi facta, in eccleſiam, in eumque honoris gradum, quem antea obtinuerant, reſtituendos eſſe cenſebant; alii lapſis omnem ſpem veniæ, & in gratiam cum eccleſia redeundi ademptam volebant. Utrique vero ad eccleſiam catholicam oppugnandam conſpiraverant.

258 Baſilides Legionenſis, & Martialis Aſturicenſis Epiſcopi in Hiſpania, quod a fide pœnarum metu defeciſſent, exauctorati ad Novatianos prioris factionis accedunt. Contra vero Marcianus Arelatenſis Epiſcopus alteri Sectæ Novatianorum adhæſit.

Per idem tempus efferbuit controverſia de Baptiſmo ab Hæreticis collato. Cyprianus cum Africanis Epiſcopis collecta Synodo ſtatuit Baptiſmum Hæreticorum verum non eſſe, repetique oportere. Idipſum & Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia, & Dionyſius Alexandriæ Epiſcopi decreverunt. Sed his omnibus Apoſtolica auctoritate reſtitit Stephanus Pontifex Max. Interea eccleſia Salonitana cum Apoſtolica ſede, utroque fidei & charitatis nexu conjuncta, tranquilla pace florebat, & quotidie magis augebatur.

259 Omnes Orientis eccleſiæ, atque etiam Africanæ cum Cypriano, ut credibile eſt, quæ in controverſia de Baptiſmo Hæreticorum a Romana, ſalva pace & communione eccleſiaſtica diſſenſerant, ad Stephani Papæ ſententiam ſe referunt. Hanc inteſtinam eccleſiarum diſſenſionem excepit perſecutio octava, quam Valerianus anno, quam imperare cœperat, quarto edixit.

260 Stephani Papæ illuſtre martyrium. Sixtus Græcus Atheniis oriundus eccleſiæ Romanæ regimen ſuſcepit. Dionyſius Alexandriæ, Cyprianus Carthaginis Epiſcopi ab ſuis eccleſiis pulſi, & exulare juſſi. Complures ubique Chriſtianorum greges mactati.

Sabellius Ptolemaide in Libya oriundus Noeti magiſtri ſui dogma diſſeminare cœpit, quo diſcrimen omne perſonarum e ſanctiſſima Trinitate tollebatur.

261 Sixtus Papa religionis cauſa interemptus; triduo poſt Laurentius Levita glorioſum pro Chriſto certamen obiit; aliique plures Romæ variis ſuppliciis excruciati mortem oppetierunt. Cyprianus apud Carthaginem præclari martyrii laudem adeptus eſt. Dionyſius creatus eſt Romanus Pontifex.

Perſecutio in Africa potiſſimum ſævit, & ingentem cladem Africanis eccleſiis attulit. Anno Christi.

Ad hujus perſecutionis tempora arbitror referri poſſe mortem Antonini Salonenſis Epiſcopi, cui aut martyrium, aut ad martyrium ſubeundum animus certe non defuit. Nec dubium eſt, quin eadem perſecutio quamplurimos martyres eccleſiæ Dalmaticæ pepererit. Exinde Maximus hujus nominis II. eccleſiam illam adminiſtravit uſque ad imperium Aureliani.

Hoc anno Valerianus a Sapore Perſarum rege captus, ac viliſſimi mancipii more habitus eſt. Gallienus litteris ad Præfectos datis perſequi ultra Chriſtianos vetuit.

Dira peſtis variis in provinciis cum graſſaretur, 263
Chriſtiani plerique piis erga ſuos pariter, extraneoſque lue contactos obſequiis immortui, tamquam martyres coluntur.

Paullus Samoſatenus Epiſcopus Antiochiæ, Sabellium æmulatus, & perſonarum diſtinctionem, & filii divinitatem oppugnare inſtituit; contra quem Dionyſius Alexandrinus, cum ad id, quod recta fides præſcribit, quædam minus apte ſcripſerit, in ſuſpicionem adductus eſt apud Dionyſium Papam; verum ſe ipſe per epiſtolam purgavit; ac proinde in Romano Concilio abſolutus eſt.

Per ea tempora Regillianus, qui in Pannonia tyrannidem occupaverat, & Saturninus in Ægypto 264
cæſi ſunt; item Trebellianus Romæ, & in Africa Vibius Palſienus.

Odenatus Rex Palmyrenorum obtinuit imperium totius Orientis, dum Gallienus luxu, & nequitiis tempus inſumit. Deinde Valeriani ulciſcendi cauſa bellum Perſis indixit; Niſibin, & Carras occupavit; captos Satrapas Romam vinctos miſit ad Gallienum, quem non puduit ex aliena victoria triumphum agere. 265

Duo Concilia alterum Romæ, alterum Antiochiæ contra Paullum Samoſatenum habita, ejuſque impium dogma in utroque damnatum eſt. Dionyſius Alexandrinus Catholicæ veritatis adverſus Paullum vindex acerrimus ſanctiſſime obiit; iremque Gregorius Thaumaturgus. 266

Poſthumius Tyrannus, cum ſeptem annos Gallias optime rexiſſet, mortuus eſt; huic alii deinceps 267
Tyranni Lollianus, Ælianus, Victorinus, Tetricus ſuffecti. Odenato Palmyrenorum Rege interfecto, Zenobia ejus uxor principatum obtinuit. Gotthi aliique barbari Cyzicum, Aſiam, Achajam, Pannoniam, Daciam, totumque Illyricum vaſtant.

Gallienus ad Mediolanum occiditur, una cum 269
altero Valeriano ejus fratre.

Claudius II. ab Senatu appellatus Auguſtus, virtute ac rebus geſtis tantum nomen implevit, ſed Chriſtianis iniquiorem ſe præbuit, 46. militibus Romæ trucidari juſſis.

Haud pauci ob Chriſtianam religionem Romæ 270
jubente Claudio interfecti.

Claudius Aureolum, & alios tyrannos pari virtute ac felicitate ſuſtulit.

Idem Gotthos Illyricum & Macedoniam vaſtantes ad internecionem delevit.

Reliquiæ Gotthorum ad Hæmimontem peſte 271
ac fame confectæ. Paullo poſt Claudius quoque eadem peſte contactus moritur. Frater ejus Quintillus cum imperium ſumpſiſſet, poſt dies XVI. a militibus obtruncatus eſt: cum interim Imperator factus eſſet Aurelianus Sirmio oriundus, inter laudatiſſimos Principes ab Ethnicis numeratur; niſi quod ad crudelitatem fuit propenſior. At Petavius aliique ad annum 270. revocant initia imperii Aureliani.

Hoc

Hoc anno Maximus II. Episcopus Salonitanus ex hac vita discessit vel Claudio adhuc imperante, vel Aureliano imperium ineunte. An in numero martyrum habendus sit, non liquet; dubium tamen non est, quin dignum se præbuerit, ut ejus nomen ecclesiæ Salonitanæ Diptychis inscriberetur. Huic in Episcopatum successit Amabilis, sive Agapitus.

AGAPITUS SIVE AMABILIS XV. SALONÆ EPISCOPUS, ET DE S. ANASTASIO CORNICULARIO.

QUÆ ab Venantio sexto Salonarum Antistite ad Pontificatum Agapiti effluxerunt tempora, & quidquid præclare gestum est ab illis octo Episcopis, Venantio & Agapito interjectis, latent hæc omnia adeo crassis occultata, & circumfusa tenebris, ut præter nomina illorum Pontificum, nihil certi, exploratique affere liceat. Nunc ex illorum temporum caligine emersis lucis aliquid affulgere cœpit; & quamquam pleraque Agapiti Acta vetustas atque oblivio inobscuraverit, quædam tamen, licet pauca, vel inter ipsas tenebras emicant, non dubio illa quidem incertoque lumine perfusa, sed, ut nobis quidem videtur, satis dilucida ac perspicua, quæ vix ulli dubitationi subesse possunt.

Agapitus dictus Amabilis.

Is igitur, de quo nunc agimus, XV. Salonæ Episcopus in Diptychis fastisque ecclesiæ Salonitanæ vocari inscribique solet *Amabilis*; sed eumdem apud alios Scriptores *Agapitum*, & in Romano Catalogo *Amabilem* vel *Agapitum* nominatum invenio. Primum nomen a Latinis, alterum a Græcis accepit. Nihil autem est, cur miremur, unum eumdemque Græco pariter ac Latino vocabulo appellari; nam utriusque linguæ usus ferme usque ad sæculum octavum apud Dalmatas æque viguit floruitque; ex quo fit, ut in Dalmaticis Divorum fastis plures inveniantur, qui alias Græcis, alias Latinis nominibus donarentur: veluti *Agape* Virgo eadem ac martyr, quam Jadertinæ ecclesiæ monumenta modo cum Græcis *Agapen*, modo cum Latinis *Amabilem* appellant. *Agapitus* idem ferme apud Græcos significat, quod *Amabilis* apud Latinos. Plus enim quiddam valet ὁ ἀγαπητὸς, quam dilectus sive *Amatus*: nam præclare docent Auctores lexici Græcolatini, itemque Hieronymus in epist. Pauli ad Philippenses, huic voci, cum *Agapitum* dicimus, majorem quamdam vim inesse, sic prorsus, ut *Agapitus* idem sit, ac *dignus qui ametur*. Quare hac nominis quadam varietate distinguendos esse putant eos, quos ipsi diligimus, ab eis, qui, ut a nobis diligantur, dignos se præbent, & hos quidem ἀγαπητὸς idest amore dignos sive *Amabiles*, illos vero ἠγαπημένους idest dilectos dici volunt. Præclare igitur sciteque interpres novi Testamenti verbum e verbo exprimere volens, qui in codice Græco dicuntur ἀγαπητοὶ, eos non caros, aut dilectos, sed *carissimos* Latine appellavit. Cum autem Latinis etiam scriptoribus, non solum Græcis, una sit eademque constans ac perpetua *Agapiti* appellandi ratio, id causæ est, cur Latinorum exemplum & consuetudinem ab Græcis deductam Latino vocabulo præferendam putem, & *Agapiti* nomen ubique retinendum, neglecta *Amabilis* appellatione, quam communis loquendi usus jampridem antiquavit.

Usus linguæ Græcæ & Latinæ apud Dalmatas.

Agapitus quid significet.

E catalogis Salonensium Antistitum nullus quidem est, quin inter eos Agapitum, sive Amabilem annumeret, sed successionis ac temporum ordines plerique perturbant; nam, ut supra monuimus, Agapitum una cum tribus proximis ante illum Episcopis ex tertio sæculo infra Episcopos sexti sæculi rejiciunt, eidemque fere trigesimum a B. Domnio locum attribuunt. Revocandi sunt igitur omnes, corrigendique ad exemplar Romani catalogi, qui hujus Episcopatum intra finem tertii sæculi collocavit; quamquam in hunc etiam decem fere annorum anachronismus irrepsit; hujus quippe Salonitanus Pontificatus & cum anno Christi 281. & cum Felice Romano Pontifice, Aureliano que Imperatore ibidem conjungitur: quæ duo inter se cohærere non possunt. Nam ante annum 281. cum Felix, tum Aurelianus e vita decesserant. Itaque retinendus est Romanus Pontificatus Felicis, imperiumque Aureliani, quibuscum sine ulla controversia Agapiti tempora congruunt; corrigendus autem error, quem Amantiensis incuria in eam notam chronologicam invexit, & pro anno 81. annus 71. tertii sæculi substituendus. Neque a Romano discrepat alter apud nos catalogus incomperti Auctoris, qui martyrium B. Anastasii, quem Agapito æqualem facit, anno 281. illigavit. In idem fere tempus Episcopatum Agapiti conjecit indiculus Bengnianus; quippe cum illum antiquissimis Episcopis Salonitanis loco duodecimo interjecerit; sed in hoc errat, quod tres ante illum Episcopos expunxerit. Ab his haud omnino dissentit catalogus eorumdem Antistitum præfixus historiæ Salonitanæ majori, qui Agapitum septimo sæculo adscripsit, cum ibidem legatur, *ejus tempore suscepisse martyrium B. Anastasius sub annis Christi 283, præsidente in cathedra Petri B. Marcellino*. Sed Auctor hujus catalogi mirum quantum a se ipse dissideat, cum in ea Episcoporum serie Antistites undetriginta eidem anteponat, e quibus aliqui ad annos extremos sexti sæculi pertinent; ex quo fit, ut illum e tertio in septimum sæculum depulerit, contra quam B. Anastasii Agapito synchroni ætas ac martyrium postulat. Præterea neque martyrium ejusdem Anastasii, quem martyrologi fere omnes sub Aureliano interfectum tradunt, cum anno Christi 281. neque is annus colligari potest cum Pontificatu Marcellini, qui non ante annum 296. ecclesiæ Romanæ regimen suscepit.

Anachronismus in Cæs. Rom.

Anastasius martyr æqualis Agapito.

Duo autem nobis certa atque explorata videntur esse, quæ de Agapito Salonarum Episcopo sine ulla dubitatione affirmare possimus. Alterum designat tempus, cui Salonitanum Agapiti Pontificatum affigi oporteat; alterum vero ad ejusdem martyrium pertinet. Utrumque plane aperteque colligitur partim ex Romano Episcoporum Salonensium catalogo supra laudato, qui B. Agapiti Pontificatum tertio sæculo in finem vergenti annectit, partim ex Martyrologiis Adonis, Usuardi, Bedæ Plantiniani, aliisque Hagiologis, qui XII. Kal. Septembris de martyrio Agapiti nostri, ut ostendemus, commemorant: non illi quidem ad Agapitum directo spectant, sed obiter quasique ex obliquo ejusdem commemorationem attingunt. Cum enim ad eam diem referunt nomen ac memoriam B. Anastasii martyris Salonitani, hujus conversionem ac martyrium adscribunt B. Agapito, qui cum acerbissimis quibusque suppliciis afficeretur, eam excelsi

De Agapito Salon. Epis. duo certo constant.

Tempus Pontificat. & martyr.

celsi atque invicti animi magnitudinem, vultusque alacritatem præsetulit, ut Anastasius tantæ virtutis & constantiæ exemplo permotus, ultro Christianam fidem ac religionem profiteretur, eamdemque suo sanguine sanciret. Præterea Martyrologi fere omnes Anastasii & Agapiti martyrium Aureliani imperio subjiciunt, qui rem Romanam inter annos septuagesimum, & octogesimum sæculi tertii administravit; ex quo decem annorum spatio conjectura & ratione elici potest annus ille, quo cum Agapiti Pontificatum ac martyrium connecti oporteat.

Acta Agapiti deperdita

De Agapito nihil præterea certi habemus: nam ejusdem Acta, unde nobis multo plura & clariora suppeterent, calamitas eadem intercepit, quæ alia pleraque Salonitanæ ecclesiæ monumenta nobis præripuit: aut enim direpta urbe, aut incensis tabulariis, aut alio facto interierunt; vel si quæ eorum exempla communium temporum cladem evaserint, latent quidem certe seu nomine alieno obducta, sive in privatis publicisve archivis retrusa. Verum nisi mea me fallit opinio, aliunde fortassis illorum jactura quoquo modo suppleri potest. Cum enim formulas Martyrologicas, de quibus paullo ante memini, attentius legerem, & censorias notas, præclarasque animadversiones attente expenderem, quas in Acta S. Anastasii Cornicularii, & S. Venantii Camertini martyris tum Godefridus Henschenius, tum Daniel Papebrochius conscripsit, in

Acta Agapiti Salonitani Episcopi & martyris aliqua ex parte recuperari posse confiderem.

eam spem veni, ut intentiori quadam cogitatione curaque adhibita in hujusmodi Actis scrutandis examinandisque, Acta Agapiti Salonitani Episcopi & martyris aliqua ex parte recuperari posse confiderem. Itaque experiri placuit, utrum spei responderet eventus. Neque tamen ea me allaturum esse profiteor, quæ pro certis & exploratis haberi velim, quippe in hisce rebus investigandis sequimur probabilia, nec ultra id, quod verisimile occurrerit, progredi possumus; & bene agi putamus, si quod proximum vero est, attingere liceat, quamquam veritatem ipsam assequi fortassis non liceat.

Primum igitur de Pontificatu, ætate, martyrio Agapiti cum Salonensium codicum, tum Martyrologiorum testimonia proferemus. Deinde Henschenio & Papebrochio facem præferentibus inquirendum erit in Acta S. Venantii Camertis; & si quæ illuc ex actis Agapiti Salonitani irrepsisse haud obscuris indiciis deprehenderimus, ea repetemus, & illuc revocabimus, unde adempta fuisse nobis videbuntur. Demum de cultu Agapiti, & sociorum ejus pauca quædam verosimilia subjiciemus.

CAPUT PRIMUM.

De Pontificatu, Ætate, martyrio Agapiti Episcopi Salonitani; ac de S. Anastasio Corniculario.

§. I.

Testimonia ex Diptychis & tabulis ecclesiæ Salonitanæ.

EX Catalogo Romano Epp. Salonit. *S. Amabilis, sive Agapitus Antistes Salonarum Decimus quintus. Præfuit an.* a 281. *Sedente Felice I. Imperante Aureliano.*

Ex Catalogo Episc. Historiæ Salonitanæ majori præfixo: b *Amalis* c xxx. *Suo tempore martyrium suscepit B. Anastasius sub annis Christi* d 281. *præsidente in cathedra Divi Petri* e *B. Marcellino.*

Ex Catalogo codicis f Bengniani g 12. *Amabilis.* f g

Ex Catalogo Auctoris anonymi. 15. *Amalis, vel Amabilis. Ejus tempore* h 281. *martyrium S. Anastasii.* h

NOTÆ.

a Hæc nota chronologica corrigenda, & pro anno 281. substituendus an. 271. ut cohæreat cum Pontificatu Felicis, & imperio Aureliani. Hoc autem an. 271. vel superiori Agapitus regimen ecclesiæ Salonitanæ suscepit.

b Qui hic *Amalis*, in aliis catalogis fere semper Amabilis appellatur, quod idem est atque Agapitus. Existimo librarium nota quadam compendiaria, ut fieri solet, usum esse, omissis brevitatis causa duabus litteris intermediis *bi*, quibus in suum locum restitutis ex *Amalis* fit *Amabilis*.

c Si Amabilis numerandus sit trigesimus inter Episcopos Salonitanos, ejus Pontificatum infra tertium sæculum in ætates longe posteriores amandari oportet; præsertim cum aliquot ante hunc Episcopi collocentur, qui sine controversia ad extremos sexti sæculi annos pertinent. Id autem pugnat cum an. 281. cui martyrium Anastasii Agapito æqualis affigitur. Vide par. 3. Prolegom. sect. 2. cap. 3.

d Numerus chronologicus corrigendus ut supra.

e Pontificatus B. Marcellini cum an. 281. componi nequit; neque enim Marcellinus ante an. 296. juxta Baronium Romanam sedem obtinuit.

f Simon Benguius Episcopus Modrusiensis hunc Episcoporum Salonensium indiculum confecit, atque ex tabulis ecclesiæ Salonitanæ descripsit.

g Duodecimum inter Episcopos Salonitanos locum Amabili propterea attribuit, quia tres proximos ante illum Episcopos prætermisit, videlicet *Justinianum, Antoninum, & Maximum II.* de quibus supra dictum est in Actis Honophrii &c.

h Huc quoque mendum arithmeticum, quod commune est aliis catalogis, ob librarii incuriam irrepsit. Cæterum quamvis ubique in eo an. 281. definiendo erratum sit; ex his tamen catalogis satis certo constat Pontificatum Agapiti intra finem tertii sæculi constituendum esse.

§. II.

Testimonia ex antiquis & recentioribus Martyrologis, sive Hagiologis.

EX Martyr. Rom. parvo, XII. *Kal. Sept. Salonæ Anastasii martyris.* I

Ex Martyr. Rom. juxta Edit. Rom. 1587. XXI. *Augusti.* a *Salonæ S. Anastasii Cornicularii, qui cum videret B. Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem; & pro confessione nominis Christi, jubente Aureliano Imperatore interemptus migravit ad Dominum.* II a

Ex Usuardo XXI. *Augusti: In civitate Salona S. Anastasii M. qui pro confessione nominis Christi jubente Aurelio* b *Imperatore interemptus est.* III b

Ex Apographis ejusdem Usuardi, videlicet Antuerpiensi, Ultrajectensi, Leydensi, Lovaniensi &c. apud Sollerium in Auctariis ad Martyr. Usuardi. XXI. *Augusti: In civitate Salona S. Anastasii M. qui* c *cum esset Miles, & videret S. Agapitum inter tormenta Christum fortiter confitentem, exclamans ait: Magnus est Deus Christianorum, & non est alius præter eum. De quo Præses cum nunciasset Aureliano Imperatori, jubente ipso interemptus est.* IV c

Ex Adone: XXI. *Augusti. In civitate Salona Natalis Anastasii martyris; qui cum videret B. Agapitum inter tormenta fortiter Christum confitentem, excla-* V

exclamavit: Magnus est Deus, & non est alius præter eum. Erat autem d *Corniculatius miles. Ad quem Præses; sicut video, inquit, seductus es. De quo Præses imperatori Aureliano renunciavit, qui mox perire illum jubet. Et ita Martyr factus migravit ad Dominum.*

VI Ex Beda e juxta editionem Plantinianam Antuerpiensem anni 1564. XXI. *Augusti. In civitate Salonia Natale Anastasii Martyris, qui cum videret B. Agapitum in tormentis fortiter Christum confitentem exclamavit: Magnus est Christianorum Deus, & non est alius præter eum. Erat autem Corniculatius miles. Ad quem Præses, sicut video, inquit, seductus es. Ex quo Præses Imperatori Aureliano renunciavit; qui mox perire illum jubet: & ita Martyr effectus migravit ad Dominum.*

VII Ex Petro Galesinio: XXI. Augusti. *Salonæ S. Anastasii Martyris, qui f Alexandro Imperatore varie tortus, pro Christi gloria demum necatus est.*

VIII Ex Philippo Ferrario in nova Topographia verbo Salona: XXI. Augusti. *Salonæ Anastasius Martyr, qui apud Catalogum lib. 7. passus* g *sub Diocletiano refertur. Apud Galesinium vero sub Alexandro.*

IX Ex Carolo Bartholomæo Piazza in Menologio seu Sanctuario Romano pag. 283. *S. Anastasius Martyr, qui cum videret constantiam S. Agapiti, conversus est ad fidem Christi. Festum apud S. Crucem in Hierusalem, ubi ejus* h *corpus quiescit.*

X Ex Andrea Zmajevitio Archiepiscopo Antibarensi in Synopsi annalium ecclesiasticorum ad an. i 275. pag. 84. *Anastasius Cornicularius cum videret B. Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem; & pro confessione nominis Christi, jubente Aureliano Imperatore, Salonæ in Dalmatia interemptus, Martyr migravit ad Dominum. XII. Kal. Septembris ejus fit commemoratio.*

NOTÆ.

a Cum omnes Martyrologi Salonæ adscribant Martyrium S. Anastasii, ejus quoque ad Christum conversio, sine ulla dubitatione, adscribenda est Agapito Episcopo Salonitano, ut infra ostendemus.

b *Inter antiquiores codices solus Rosweydanus pro Aurelii posuit Aureliani cum Notkero, quod servant omnes codices mediæ notæ; cur Usuardus præferat Aurelii, fateor me ignorare; nisi, ut sæpe fit, nomina illa promiscue accipiantur, quod ea ætate contingere facile potuit.* Sollerius in Auctariis ad Usuardum sub die XVIII. Augusti. Idem vero huic diei XXI. Augusti hanc notam subjecit: *Hæret hic Usuardus in confusione superius memorata circa nomina Aurelii, & Aureliani, contra quam Ado expressissime legat, ut supra diximus in Agapito XVIII. Augusti. Uter, an neuter præferendus sit, alibi discutiemus.* Ego vero Usuardo Adonem præferendum putaverim, cui cæteri omnes consentiunt, atque adeo ipsemet Usuardus in Apographis Antuerpiensi, Ultrajecten. Leiden. &c. Cæterum perplacet mihi, quod Joannes Baptista Sollerius supra animadvertit, vocabula illa *Aurelii*, & *Aureliani* promiscue usurpari; neque a veri similitudine abhorret, Aureliano prænomen fuisse *Aurelio*, præsertim cum multos, qui ante & post Aurelianum imperarunt, eo prænomine donatos inveniam, veluti Antoninum utrumque Pium, & Philosophum, itemque tertium cognomento Caracallam, & præterea Commodum, Heliogabalum, Alexandrum, & qui proxime Aurelianum antecessit, Flavium Claudium. Idem prænomen fuit Probo, Caro, Diocletiano, qui post Aurelianum imperio Romano præfuerunt.

c Hæc desumpta sunt ex Actis S. Agapiti, Prænestinine, an Salonitani? Eadem fere leguntur in Actis S. Venantii pueri & Martyris Camertini. Sed de hoc infra.

d Qui apud Usuardum in Apographis supra descriptis simplici vulgarique vocabulo dicitur miles, eumdem Plantinianus Beda, Ado, Auctor Martyrologi Romani, Galesinius, Ferrarius, aliique *Corniculatii* munere ac titulo afficiunt. Nescio, unde Joanni Ciampino in mentem venerit, ut eumdem appellaret Consulem, cum ex Consulibus illorum temporum nemo reperiatur in fastis Consularibus, qui Anastasii nomen habuerit. Pervetus est nomen ac dignitas *Corniculatii*, de qua cum alii multi docte copioseque scripserint, nihil huc addi necesse est. Videsis Baronium in notis ad Martyrol. 21. Aug. Philippum Ferrarium in Catalogo SS. Italiæ XI. Maji, Godefridum Henschenium tomo 21. die XI. Maji, Guidum Panciro lum in notitia Rom. Imp. p. 1. cap. 11. Juvat tamen huic loco in gratiam lectoris adscribere ea, quæ Samuel Pitiscus ex variis Auctoribus collegit in suo Lexico Antiquitatum Romanarum tom. 1. lit. C. *Cornicularii nomen est antiquum: Tribuni enim plebis illum apud se habebant, quorum acta, plebiscita, jussaque scribebat, & servabat. Accurs. in l. 2. C. de proxim. Sacro. Scrinior. simplicem prætorium apparitorem esse opinatur, Alciatus principis ministrum. Sed eum inter primates officii tam notitiæ, quam jura collocant. Valentinian. in dict. l. 2. & in l. fin. C. de offic. divers. judic. Sciant, inquit, principes, Cornicularii, & primates officiorum ternas libras auri e suis facultatibus eruendas, si honoratis viris secretariis in judicium non patuerit ingressus. Ego illum fuisse puto, qui jussa, sententias, & decreta præfecti prætorio aut præsidis scribebat, & publicabat. Cassiod. Var. XI. 36. Præsuit, loquitur de Cornicularia, juribus Secretarii prætoriani, idest, pro usu illorum temporum, tribunalis. De Tribunis Val. Max. VI. 1. auctor est, Lectorio tribuno militari a Caminio tribuno plebis diem dictam, quod Cornicularium suum stupri causa appellasset, diuque hoc nomen permansit. Hunc esse arbitror, qui Scriba vocatur. Gn. enim Flavius, qui Fastos publicavit, Annii libertini filius a Valerio II. 1 Scriba nuncupatur; & Gell. VI. 9, qui ejus historiam narrat, eum scriptum fecisse, & ædili curuli apparuisse, seu ejus apparitorem fuisse scribit: ejus enim jussa & decreta notabat. Cornicularius quandoque cancellarius dictus est in l. 2. §. & est notitia C. de Offic. P. P. Afric., quamquam is proprie erat, quem extra cohortem secum in provinciam præses scribendi causa ducebat: qui enim decreta scribebat, ab officio, ut apparitor esset, eligendus erat, l. nullus C. de assessor. Cornicularius autem, quod pro insigni cornu uteretur, vel forte ex eo silentium litigantibus indiceret, denominari potuit. Pancirol. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 11. Buleng. de Imp. Rom. VI. 46. Pius Annot. Poster. c. 77. Lomej. de Biblioth. c. 13. In militia antiqua Romana Cornicularii dicti sunt milites. Genus erat militum honestiorum, qui ab galeæ parasemo sic dicebantur, beneficiarii ut plurimum Tribunorum, aut Centurionum. Valerius modo laudatus: Beneficiarius ille tribuni militum fuit Cornicularius dictus a corniculo galeæ, non quod cornu ductaret in cohorte tribuni, ut inepte censent viri doctissimi. Nec enim in acie, aut exercitu, sed nec in cohorte, vel ala, corniculum dicitur pro cornu. Nomen hoc ab antiqua militia ductum remansit in officiis magistratuum posterioris ævi. Unde & Cornicularium Cassiodorus a tribunalis cornu dictum asserit; & corniculum agere in codice Theodosiano dicuntur*

Cornicularii munera & officia.

cuntur Cornicularii, quasi nomen esset alicujus officii, vel muneris corniculum. Sed cum nescirent tunc, unde Cornicularii nomen olim habuissent, munus quod tum habebant, soli nominis inducti ratione, Corniculum vocaverunt, Salmas. Exercit. Plinian. p. 386. 6. F. 387. a. B. Sigon. de Ant. Jur. Prov. li. 2. Guther. de Offic. Dom. Aug. li. 15. Rhodig. Ant. Lect. xvii. 10. Turneb. Adv. v. 30. Donat. Dilucid. p. 23. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. xi. p. 645. B. Reines. Inscript. Class. i. n. 127.

e Is non est Beda genuinus, qui hac die vacat, sed purus putus Adonianus.

f Cur Galesinius in locum Aureliani substituerit Alexandrum, hanc rationem ipsemet reddidit in notis ad suum Martyrologium; se nimirum id fecisse exemplo & auctoritate ejus Martyrologii, quod Paullus IV. ut fertur restituendum emendandumque curaverat. Cæterum non improbat sententiam eorum, qui Adonem, Bedam, & Apographa Usuardina secuti, martyrium Anastasii ad imperium Aureliani referunt. His sane standum est, itemque Martyrologio hodierno Romano; quorum communem sententiam auctoritatemq; incerte illius Martyrologii Paullini auctoritati nemo non prætulerit.

g Sunt alii præterea, qui tradunt Anastasium Cornicularium martyrio perfunctum esse Diocletiano imperante. Præbuit errorem, quod ejusdem nominis alter, sed posterior ætate apud Salonam jussu Diocletiani pro Christo interfectus fuit, cui cognomen erat Fulloni.

h In Actis S. Venantii ostendimus corpus Anastasii Corniculatii ex Dalmatia Romam advectum in sacello ejusdem Venantii Basilicæ Lateranensi proximo locatum fuisse. Alium igitur esse oportet, quem in Basilica S. Crucis Hierosolymitanæ conditum esse hic Auctor affirmat; nisi forte huc translatum fuerit aliquid ex reliquiis ejusdem Cornicularii.

i Non indicat Antibarensis Præsul, unde hanc epocham sumpsit, cui martyrium S. Anastasii affixit. Cæterum cum Anastasius Aureliano imperante extremum pro religione supplicium subierit, congruit ille annus cum imperio Aureliani, qui haud multo post ex insidiis suorum interiit.

§. III.

Corollaria quædam ex allatis Testimoniis.

CONSECTARIUM PRIMUM.

Anastasius Cornicularius Mart. Salonitanus alius est ab Anastasio Fullone itidem Martyre Salonitano. De Anastasio Corniculario, quem alii Camertem, alii Prænestinum faciunt.

NOn solum Philippus Ferrarius, sed etiam Guilielmus Cuperus noster in actis Antuerpiensibus Sanctorum tom. 4. Augusti die 16. ex duobus Corniculario & Fullone unum conflasse Anastasium videtur. Argumento est, quod Hieronymianam apud Florentinium formulam xxvi. Augusti diei adscriptam, quæ haud dubie pertinet ad Anastasium Fullonem, referendam putet ad eum Anastasium, qui ab Adone dicitur martyrio fuisse affectus in *Civitate Salona xxi. Augusti*, sub *Aureliano*, vocaturque *Cornicularius Miles*. Præterea, quæ in Dalmaticis monumentis scripta reperiuntur de Anastasio Fullone, ea fere omnia Corniculario attribuit, videlicet inscriptionem, quam Bernardus Archiepiscopus Spalatensis apponi jussit ad aram S. Anastasii Fullonis, quam ipse ritu solemni consecraverat, itemque quidquid de hujus martyrio, & corpore post excidium Salonæ Spalatum translato, litteris consignavit Thomas Archidiaconus; miratur vero, cur Archidiaconus cum imperio & persecutione Diocletiani conjunxerit Martyrium Anastasii, quem Ado, Usuardus, aliique sub Aureliano mortem religionis causa obisse testantur. Cæterum postea Cuperus sibi ipse diffidens ac subdubitans, tandem ubi animadvertit de loco ac tempore martyrii discrepare inter se Auctores, illum quippe alii Romæ, alii Salonæ, alii Aureliano, alii Diocletiano adscribunt, in eam sententiam propendere videtur, ut duos Anastasios fuisse existimet, quos Martyrologi non satis perspicue ac dilucide distinxerint: *Forsan*, inquit, *hæc palæstræ ac temporis diversitas, quæ apud varios auctores reperitur, originem habet ex errore, quo nonnulli Martyrologi duos ejusdem nominis Martyres confuderunt*. Demum aperte declarat Cornicularium sibi diversum omnino videri ab altero Anastasio, quem vocat *Aquilejensem: Nos interim adhæremus vetustiori omnium Adoni, dum hodierna die in civitate Salona annunciat martyrium S. Anastasii Cornicularii, qui in passione Agapiti ad fidem Christianam conversus est, & quem ab altero Anastasio Aquilejensi diversum existimamus*. Is porro dictus est Aquilejensis, quod ex illa urbe originem traxerit; sed deinde martyrii cupiditate incensus Salonam migravit, qua in civitate, egregiam pro Christo mortem sub Diocletiano voti compos oppetiit. Ad extremum concludit Cuperus, neque Dalmatis fortasse satis notum esse Anastasium, quem colunt; neque se habere, sed aliunde expetere certiora, quæ de Anastasio Corniculario proferri possint: *Dubito*, inquit, *an ipsi Dalmatæ S. Anastasium Martyrem, qui apud eos ab immemorabili tempore colitur, satis distincte noverint; &* paucis interjectis subjecit: *Hæc sunt præcipua, quæ de hodierno Anastasio Martyre colligere potuimus. Si vero curiosus lector in hac Sylloge certiora quædam circa hunc Sanctum Martyrem requirat, ea ab eruditis Dalmatis expectabimus*. Utinam is ego essem, qui viri eruditissimi desiderio, & expectationi satisfacere possem.

Idem nomen utriusque Martyris, idem locus martyrii Maurolycum etiam in eum errorem induxit, ut alterum cum altero confunderet. Nam postquam Anastasii Fullonis martyrium & Diocletiani imperio, & diei 26. Augusti illigasset, hæc subdit: *de quo supra duodecimo Kalendas Septembris*. Heus! bone vir, meministin' ad eum diem, qui est duodecimus Kal. Septemb., sive alter & vigesimus Augusti, te adscripsisse nomen Anastasii Cornicularii, quem ais ibidem sub Aureliano martyrii palmam adeptum esse: *In civitate Salona*, paullo ante ajebas, *Sancti Anastasii Martyris sub Aureliano Imperatore*. Huncine, cujus martyrium ad Aureliani imperium refers, illum esse, quem sub Diocletiano ob religionem interfectum paullo post commemoras? Quid quæso erit, si hoc non est, dormitare, sui immemorem esse, & pugnantia loqui? Quid quod ne ipse quidem Historicus Dalmata rerum Dalmaticarum scientissimus satis sibi cavit, ne hujusmodi scopulum imprudens offenderet? Nam in notis ad cap. 3. histor. Salonitanæ, ubi agitur de martyrio Anastasii Fullonis, ad hunc locum illustrandum attulit ex Martyrologio Romano formulam illam, qua nomen continetur & commemoratio Anastasii Corniculatii duodecimo Kalendas Septembris, seu diei vigesimo primo sextilis annexa.

Plures Anastasii inter se confusi.

Cornicularius cum Fullone a Cupero confusus.

In eumdem errorem ipsum Maurolycus,

a quo ne Lucius quidem sibi cavit.

Cæte-

Digitized by Google

Diſcrimen utriuſque Anaſtaſii.

Cæterum utriuſque Anaſtaſii diſtinctione nihil certius, nihil evidentius, ut qui eam non videat, cæcum eſſe oporteat. Nam prior quidem Anaſtaſius incertæ originis eſt ac patriæ; poſterior vero Aquilejæ humili loco tenuique fortuna ortus eſt; illi a dignitate, qua præditus erat, Cornicularii, huic ab arte, quam exercebat, Fullonis cognomen obvenit; ille juſſu Aureliani interfectus, hic Diocletiano imperante molari lapide eidem alligato in mare demerſus eſt; illius reliquiæ Romam aſportatæ in ſacello Lateranenſi conduntur, hujus vero corpus ab Salona excisa in urbem novam Spalatenſem translatum, ibidem etiamnum in ædæ Cathedrali honorifice locatum, ſumma veneratione colitur.

Duo alii Anaſtaſii Cornicularii.

Duos præterea Anaſtaſios, alterum S. Venantii Camertis, alterum S. Agapiti Prænestini acta nobis exhibent, utrumque *Cornicularii* titulo ac dignitate inſignem, utrumque Agapiti & Venantii in ſuppliciis pro Chriſto perferendis alacritate & conſtantia, miraculiſque vehementer commotum, impulſumque, ut Chriſtianam religionem ſuſciperet. Actorum S. Agapiti Prænestini varia cum inveniantur exemplaria, miles ille cornicularius ad Chriſti fidem converſus alibi *Attalus*, alibi *Anaſtaſius* appellatur. Quam ob rem Galeſinius & Maurolycus alterum ab altero diſtinguunt, & utriuſque ad Chriſtum converſionem Agapito Prænestino Martyri attribuunt, atque Attalum quidem Romæ, Anaſtaſium vero Salonæ martyrio perfunctum tradunt. Guilielmus Cuperus non audet *multiplicare Sanctos*. *Quid ſi Cornicularius*, inquit, *binominis fuerit, ut Petrus Equilinus videtur innuere, cum ſcripſit: Anaſtaſius ſive Attalus paſſus eſt ſub Aureliano Auguſto, & Præſide Antiocho Romæ.* Ego vero ſic exiſtimo Attalum quidem Agapito Prænestino martyrii ſocium attribuendum eſſe, Anaſtaſium vero ejuſque converſionem ac martyrium referri oportere ad Agapitum Salonitanum Antiſtitem, ut infra declarabimus. Acta Sancti Agapiti Prænestini pueri ac Martyris *admodum depravata* eſſe docet Baronius in notis ad Mart. Rom. die 18. Aug., cui ſane quidquid hominum eruditorum eſt, facile conſenſerit; ut nemini mirum videri debeat in aliquibus apographis nominum quoque depravationem factam eſſe, & in locum Attali, aliunde ſuffectum fuiſſe nomen Anaſtaſii.

Alter Prænestinus fortaſſe binominis.

Alter Camers.

Qui autem Acta S. Venantii Camertis conſarcinavit, cum videatur non tam dediſſe operam, ut res veras certaſque, quam ut multas & admirandas de hoc ſanctiſſimo Martyre ſcriberet, in iiſdem actis Attalum pariter & Anaſtaſium illigavit; hunc Venantii conſtantia compulſum ad Chriſtiana ſacra ſuſcipienda, illum vero a Præſide immiſſum fuiſſe ait, ut Venantium a Chriſti cultu abduceret: quod idem ſcriptum invenio in aliquibus exemplaribus Actorum S. Agapiti Prænestini. Acta Venantiana ex Baronii ſententia in notis ad Martyr. Rom. die 18. Maji, *ob nimiam temporis vetuſtatem ſuperinducta mendis, cenſura indigent, & caſtigatione non modica*. Godefridus Henſchenius non poſſe ſe non timere ait, ne Acta Venantii Camertini, *hac quoque in parte, qua de S. Anaſtaſio, & ſociis agunt, furfuris multum habeant admixtum, quod defectu meliorum notitiarum difficile ſit ſegregare ab eo, quod forſitan verum eſt*. Rem penitus cum inveſtigaſſet Daniel Papebrochius, manifeſto comperit Acta S. Agapiti Prænestini inſuſa eſſe in hiſtoriam S. Venantii Camertis, verbis quidem ſubinde immutatis, rerum tamen ac ſententiarum contextu ferme ubique retento; niſi quod Camertinus hiſtoricus iis, quæ ex Agapito ad Venantium tranſtulerat, alia præterea multa aliunde accepta ſubjecit; id quod fuſius & planius ſuo loco explicabitur. Ad Anaſtaſium quod attinet, ego illum ex tabulis Salonitanis ſubreptum exiſtimo, invectumque in Acta S. Agapiti Prænestini, hinc vero in hiſtoriam S. Venantii translatum. Quapropter Agapito Prænestino ſuum quidem Attalum ſi quis fuit, relinquendum puto; Anaſtaſium vero tum Prænestino Agapito, tum Venantio Camerti adimendum, & Agapito noſtro Salonitano reſtituendum cenſeo. Neque ab hac ſententia diſcrepare videntur Galeſinius & Maurolycus, qui Attalum ab Anaſtaſio diſtinguunt, & hunc quidem Salonæ, illum autem Romæ martyrium objiſſe affirmant.

Acta Agapiti Prænestini Actis Venantii Camertis inſerta.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

Agapitum illum, cui Anaſtaſii Cornicularii converſionem Martyrologi adſcribunt, Salonitanum eſſe, non Prænestinum.

EX omnibus Martyrologis, quorum formulas ſuperiori paragrapho deſcripſi, nemo unus eſt, quin Salonæ conſtituat locum certaminis & martyrii S. Anaſtaſii. Ex quo plane perſpicueque intelligitur, id, quod de Beato Agapito ibidem commemorant, referri nullo modo poſſe ad Agapitum Prænestinum puerum ac Martyrem, cujus item conſtantia Anaſtaſium quemdam, ſeu potius Attalum ad Chriſti religionem converſum fuiſſe memoriæ ac litteris proditum eſt. Quantum abeſt Latium a Dalmatia, Prænestе ab Salona, tantum differunt Agapitus, & Anaſtaſius Salonitani Martyres ab Agapito & Anaſtaſio ſive Attalo Prænestinis Martyribus. An qui Salonæ ex Idolorum cultore Chriſti prædicator ac teſtis repente factus pro religione occubuit; inde uſque ab illa urbe Agapitum puerum pro Chriſto apud Prænestinos decertantem proſpexit, cujus admirabili virtute & conſtantia ad Chriſtianam profitendam religionem, & martyrium ſubeundum excitaretur? Niſi forte exiſtimes ab Anaſtaſii converſione ejuſdem martyrium loco disjunctum fuiſſe, ut Prænestе quidem ad Chriſtum ſe adjunxerit, ejuſdemque nomen prædicaverit, at Salonæ pro religione jampridem ſuſcepta vitam & ſanguinem profuderit. Id quidem probabile ſibi videri ſcripſit Guilielmus Cuperus, videlicet *Anaſtaſium poſt publicam fidei profeſſionem ex Italia in Dalmatiam diſceſſiſſe, ut imminentem perſecutionis procellam evitaret; ac poſtea Salonæ ab Ethnicis pro fide interfectum eſſe*. Et ſane in quodam apographo Actorum S. Agapiti ſcriptum invenio Attalum illum, quem alii Anaſtaſium vocant, cum palam multis audientibus, & clariſſima voce Chriſtianum ſe profeſſus eſſet, indidem abjiſſe; neque de illius martyrio quidquam ibidem ſubjicitur. Sed in aliis apographis eidem loco ac tempori converſio pariter ac martyrium Attali ſive Anaſtaſii affigitur: quod fatetur ipſemet Cuperus: *Illa*, inquit, *Attali confeſſio hic ita deſcribitur, ac ſi eodem tempore ac loco martyrium ſubiiſſet*. Si autem verum eſt, quod pro certo affirmat Papebrochius, Acta S. Venantii pueri & martyris Camertis eadem omnino eſſe, atque Acta S. Agapiti Prænestini, in illis plane aperteque dicitur Anaſtaſius, eadem in urbe, eodem fere tempore, ejuſdem Præſidis, qui quæſtionibus de S. Venantio ſive Agapito habendis præerat, judicio ac ſententia damnatus, & extremo ſupplicio affectus fuiſſe. Nec vero eſt veriſimile, ut ſatellites illi Anaſtaſium Chriſti divinitatem magna voce prædicantem impune abire ſiverint,

Anaſtaſii Cornicularii converſio Agapito non Prænestino, ſed Salonitano adſcribenda.

verint, & inde usque in Dalmatiam profugere. Igitur vel nullus fuit hujusmodi Anastasius Camertinus, & plane commentitius, ac primum Agapito Prænestino, tum Venantio Camerti aliunde affictus; vel si quis fuit, certe ab eo distingui oportet Anastasium Salonitanum Martyrem, hujusque conversio referri non potest ad Prænestinum Agapitum, seu Venantium Camertem, sed attribui debet Agapito Salonitano Episcopo. Præterea si quis Martyrologicas formulas paullo accuratius expendat, is clare perspiciat Anastasium Salonitanum Martyrem ferme ibidem loci martyrio perfunctum esse, ubi paullo ante superstitionem palam ejuraverat; sic prorsus, ut inter ejus conversionem & martyrium haud multum temporis interfluxerit; nam statim atque de Anastasio Corniculario ad Christum converso nunciatum est Aureliano, is subita vehementique iracundia exardescens *mox perire illum jussit*, ut Ado & Usuardus testantur: ex quo fit, ut Anastasius spatii, quod satis esset ad Dalmaticum iter conficiendum, non habuerit. Cum igitur Martyrologi cum Salonæ martyrium objisse tradunt, necesse est ibidem quoque, aut certe in Dalmatia eumdem, non Prænestino, sed Salonitano Agapito auctore & impulsore, Christianæ religioni nomen dedisse. Huc adde, quod si in eo persistes, negesque omnino ad Salonitanum Agapitum referri debere conversionem ejus Anastasii, quem XII. Kal. Septembris Martyrologi commemorant, cujusque martyrium Salonæ attribuunt, illud quoque concedas necesse est, non paucos menses, sed integrum omnino annum, & aliquot præterea dies ab Anastasii conversione ad ejusdem martyrium elapsos esse. Nam ex omnium Martyrologorum sententia Agapitus Prænestinus die 18. Augusti, Anastasius vero altera & vigesima ejusdem mensis die Salonæ præclaram pro Christo mortem oppetiverunt. Fac igitur uno alterove die ante interitum Agapiti Prænestini Anastasium, qui ibidem interierat, ejusdem constantia & exemplo adductum fuisse, ut palam publiceque avitæ superstitioni nuncium remitteret, atque in his, qui Christum colerent, nomen suum profiteretur. An vero, quod Prænestæ Salonam itineris est, quinque dierum spatio ab eo confici potuisse existimes; quod necesse omnino est, ut eodem anno, quo Agapitus Prænestæ, Anastasius Salonæ martyrii palmam adipisceretur, hic die 21, ille die 18. Augusti? Aut ergo conversionem & martyrium Anastasii loco necesse est conjungas, & Salonæ vel Dalmatiæ utrumque adscribas; aut alterum ab altero unius anni intervallo disjungas oportet, contra quam docent Martyrologi, qui satis aperte indicare videntur intra paucos dies omnia acta peractaque esse, quæ de illius conversione & martyrio narrant: *Cum videret B. Agapitum*, inquit Ado, *inter tormenta fortiter Christum confitentem, exclamavit: Magnus est Deus, & non est alius præter eum: erat autem Cornicularius miles; ad quem Præses, sicut video*, inquit, *seductus es. De quo Præses Imperatori Aureliano renunciavit, qui mox perire illum jubet*. Eadem, & iisdem fere verbis rem totam describunt Usuardus, & alii. Viden', ut omnia paucorum dierum spatio conclusa sint, confessio Agapiti, exprobratio Præsidis, nuncius missus ad Aurelianum, qui tum prope aberat Salona, ut infra ostendemus, & relata ab eo damnationis sententia. Cum igitur Anastasii Cornicularii martyrium ab Salona dimoveri nequeat, illud quoque fateamur necesse est, ejusdem ad Christum conversionem non in Italia, sed in Dalmatia, non apud Prænestinos vel Romanos, sed apud Salonitanos vel Dalmatas accidisse; neque Prænestino, sed Salonitano Agapito adscribendam esse.

Anastasius Cornicularius eodem loco ad Christum conversus, & Martyrium adeptus.

Nemo autem existimet formulis illis Martyrologicis nihil aliud significari, nisi diem festum Salonæ olim actum XII. Kal. Septembris, & institutum ad colendam celebrandamque memoriam B. Anastasii Cornicularii, quamquam is non Salonitanam, sed Prænestinam urbem sanguine suo imbuerit, & martyrio illustraverit. Nam id ad susceptam opinionem tuendam tuo quidem arbitratu dixeris, nullo certe argumento satis firmo umquam probaveris; neque sane intelligo, quid causæ excogitari possit, cur Salonitani Martyrem illum Prænestinum in fastos suorum Divorum receperint, eidemque festum diem, & peculiares quosdam honores anniversarios decreverint. Sed illud præcipue ab urbe Salonitana Martyrium S. Anastasii disjungi vetat, quod Ado Salonæ constituit *Natale S. Anastasii Martyris*, quo quidem usitato communique apud Martyrologos vocabulo martyrium, quo Martyres cœlo renasci dicuntur, semper designari solet.

Martyrologi non solum anniversarium commemorationem B. Anastasii, sed etiam martyrium Salonæ assignant.

Si quæras, unde illud acciderit, quod qui laudata Martyrologia egregiis animadversionibus illustrarunt, cæterique Hagiologi fere omnes Anastasii ad Christum conversi laudem non Salonitano, sed Prænestino Agapito attribuant, in promptu est, quod respondeam; id scilicet profectum esse ex ignoratione Agapiti Salonitani Episcopi, quem si per ea tempora Salonæ, ubi pro Christo decertavit Anastasius, Episcopali officio functum fuisse sciissent, nullus dubito, quin omnes hujus conversionis causam a Prænestino ad Salonitanum Agapitum transtulissent; præsertim cum nemo ex illis sit, cui non displiceant Acta Prænestina; nemo sit, qui ea satis idonea ad fidem faciendam esse existimet. Sed cum apud Martyrologos fere omnes Agapitum elogio Anastasiano insertum legerent, nullum alium ejus nominis Martyrem excogitare potuerunt, nisi Prænestinum antiquo cultu, multorumque litteris ac laudibus celebratum; neque enim mirum, si quem Dalmatæ vix nossent, extraneis scriptoribus plane ignotus fuerit Agapitus Episcopus Salonitanus, quo cum longe aptius & verisimilius Anastasii Cornicularii tum conversio, tum martyrium colligatur. Huc accedit auctoritas Salonensium Episcopalium Catalogorum, qui cum Anastasii martyrium referant ad Pontificatum Agapiti Antistitis Salonitani, satis indicant hunc esse illum ipsum Agapitum, cui Martyrologia conversionem Anastasii adscribunt. Cum igitur vix dubitari queat, quin Anastasius, de quo apud Martyrologos mentio fit, eodem loco ad Christum se adjunxerit, ubi martyrii decus adeptus est, illud quoque fateri oportet, insertum formulis illis nomen & commemorationem Agapiti pertinere ad Agapitum Salonitanum Antistitem, neque ullo modo ad Agapitum Prænestinum puerum transferri posse.

Cur conversionem Anastasii omnes recentiores Hagiologi Prænestino, nullus Salonitano Agapito attribuit.

CONSECTARIUM TERTIUM.

De Martyrio Agapiti Episcopi Salonitani.

QUamvis Martyrologi sæpius laudati, cum Anastasii gratia, quasique obiter Agapiti in allatis formulis meminerint, non putarunt esse ejus loci atque instituti nominatim persequi tormenta & supplicia eidem Agapito ob Christianam religionem inflicta; ea tamen & multa & gravia fuisse ex eo intelligi potest, quod hæc ipsa fortiter susceperit, constanterque ab illo sanctissimo Episcopo tolerata, impulerint Anastasium haud vulgari dignitate virum, ætate pariter ac prudentia maturum, ut omni abjecta cunctatione palam ac fiden-

Supplicia inflicta Agapito Salonitano Episcopo multa & acerbissima.

fidenter Christianam religionem profiteretur, quod videlicet secum ipse ita statueret, tantam supplicionum acerbitatem cum tanta animi alacritate & constantia conjungere posse neminem, cui non vires majores, quam pro humanæ naturæ imbecillitate, atque adeo divinitus infusæ suppeterent. Neque ulla dubitatio esse potest, quin Agapitus inchoatum martyrium absolverit, quamquam Martyrologi nihil de illius morte commemorent: quæ enim causa esse potuit, cur illum Tyrannus dimitteret, quem idcirco tot ac tantis cruciatibus afficiebat, ut eidem aut religionem, aut vitam adimeret. Cæterum in promptu est ratio, ut paullo ante monui, cur Martyrologia Agapiti mortem silentio prætereant, pœnasque eidem inflictas summatim leviterque perstringant. Cum enim ea dies Anastasii martyrio consecrata esset, non erat ejus diei ac loci plura de S. Agapito referre, cujus commemorationem non ultra attingi oportuit, nisi quæ cum Anastasii conversione, ac martyrio cohærebat. Illud potius mirari licet, quamobrem nobilissimi illius martyris nomini ac memoriæ nullum diem certum ac proprium neque veteres, neque juniores Martyrologi assignaverint; præsertim cum antiqui eum ignorare non possent, quem ipsimet laudaverant, cujusque mentionem S. Anastasii elogio intexuerant. Ac mihi quidem hujusce rei causa nulla occurrit, nisi eam fuisse dixerim, quod Martyrologis ignotus esset dies, quem Agapitus præclara pro Christo morte consecraverit; ac proinde nullum diem certum fixumque constituere potuerunt, cui Agapiti nomen ac martyrium affigerent.

Cur dies natalis Agapiti Salonit. in antiquis Martyrol. desideretur.

CONSECTARIUM QUARTUM.

De Anno Pontificatus initi, & suscepti martyrii.

THomas Archidiaconus, nisi quis alius, Historiæ Salonitanæ majori nondum typis editæ præfixit indiculum Salonensium Antistitum hoc titulo inscriptum: *Memoria Archiepiscoporum Salonitanæ ecclesiæ*, qui habetur in Levacovichiano, & Barberiniano ejusdem historiæ codicibus. Hujus indiculi ipsum Archidiaconum, qui illam scripsit historiam, auctorem fuisse verisimile est. Ibidem autem inter Episcopos Salonitanos annumeratur *Amabilis*, sive *Agapitus*, ad cujus nomen hanc notam Auctor adjecit: *Suo tempore martyrium suscepit B. Anastasius sub annis Christi* 281. *præsidente in cathedra D. Petri B. Marcellino*. Si ergo Agapitus ecclesiæ Salonitanæ per id temporis præerat, cum Anastasius pro Christo mortem oppetiit, necesse est huic illum æqualem fuisse. Is igitur recte constituet tempus illud, cui Salonitanum Agapiti Pontificatum illigari oporteat, qui antea B. Anastasii martyrium certa temporis nota obsignaverit. Anastasium autem martyrio defunctum esse Aureliano imperante, convenit inter omnes Martyrologos supra laudatos, si unum itemque alterum ex junioribus excipias, qui ejusdem necem Alexandri vel Diocletiani temporibus per errorem adscripsit. Ergo illud quoque constare necesse est, Agapiti Pontificatum cum Aureliani ætate imperioque conjungendum esse. Et Romanus quidem catalogus Episcopatum Agapiti temporibus Aureliani Imperatoris, & Felicis Romani Pontificis illigavit.

Tempus Pontificatus Agapiti colligi debet ex tempore martyrii Anastasii.

Quod vero Auctor historiæ Salonitanæ de anno martyrii Anastasiani, & de Pontificatu Marcellini postremo loco adjecit, id nullo prorsus modo cum veritate cohærere potest, ut in Præfatione ostendimus. Erravit ille sane, omninoque in hoc omnis est error, quod Anastasii martyrium in alterum & octogesimum tertii sæculi annum conjecit, cum aliquot ante annos Aurelianus obiisset; & præterea eumdem annum Marcellini Romani Pontificis nota insignivit, qui non ante an. 296. universalis ecclesiæ regimen suscepit. Verum id non obstat, quo minus pro certo sumi haberique liceat, Agapitum & Anastasium ætate conjunctos fuisse; præsertim cum Ado, Usuardus, Notkerus, aliique eos conjungant, ut supra vidimus. Cæterum nullus est auctor, quamvis doctus & accuratus, quin quandoque sive ignoratione, sive incogitantia peccet; neque illos audiendos esse arbitror, qui ubi temporibus erratum sit, continuo de re tota dubitant; perinde quasi rerum gestarum veritas sine apta, & rei utique accommodata temporum distributione nullo modo constare possit; nam sæpe contingit, ut quos verissima & sensisse, & scripsisse fatemur, eorum diligentiam in distinguendis notandisque temporibus requiramus: quæ quidem censura in Auctorem historiæ Salonitanæ maxime convenit, ut præclare animadvertit Historicus Dalmata in suis ad eamdem historiam animadversionibus. Nam in rebus narrandis nihil illo veracius, nihil sincerius, nihil diligentius; at idem in Chronologia nonnumquam labitur, temporum ordinem perturbat, annos præposterе distribuit, alios alio trajiciens. An vero, quod temporibus erraverit, idcirco historici hujus fides & auctoritas claudicat? nihil minus. Nam illius ecclesiæ, cujus erat Archidiaconus, historiam cum scriberet, de rebus propriis domesticisque scribebat, quarum notitiam facile nancisci poterat; habebat enim tabulas & monumenta ecclesiastica, unde eas addisceret. Contra vero cum res easdem in ordinem chronologicum redigere vellet, & suos cuique annos accommodare, ad id perficiendum plus aliquid requirebatur, quam quantum ex domesticis tabulis colligere potuit; nam in antiquis hujusmodi monumentis temporum notæ ferme desiderantur, aut certe obscurius indicari solent, quam ut per se ipsæ, & nullo extrinsecus accepto, adhibitoque lumine, dignosci possint. Itaque quod domi deerat, aliunde sumere necesse habuit; & epochas, quibus suam historiam innecteret, sibi adscivit ex universali Romanorum Pontificum & Imperatorum chronologia, quam fortasse non perinde, uti res proprias, callebat, ex quo factum est, ut sæpe ordinis ac temporum perturbatione peccaverit.

Anachronismus indiculi Salonensium Antistitum.

Auctor historiæ Salonitanæ rebus narrandis verax, in temporibus notandis minus diligens.

Jam vero ad rem propositam, ut regrediar, hoc fixum & ratum esse oportet, quod in historia Salonitana e Diptychis monumentisque ejusdem ecclesiæ descriptum comperimus, nimirum Agapitum Episcopum Salonæ ab ætate S. Anastasii martyris disjungi non posse, id quod alii etiam Episcoporum Salonensium Catalogi supra laudati docent. Hujus autem martyrium ad imperium Aureliani revocant Martyrologi fere omnes. Igitur Pontificatus Agapiti cum imperio Aureliani temporum nexu conjungitur. Cum autem Aurelianus, quemadmodum juxta probabiliorem chronologiam dicendum erit in Actis Joannis Salonitani Antistitis, imperare cœperit an. 270. & vitam simul atque imperium amiserit an. 276. adhuc in incerto est annus, unde Pontificatus Agapiti initium duxit; nec satis constat, utrum eadem temporis mensura illum definiri oporteat, qua imperium Aureliani circumscribitur; an vero angustius contrahi, aut latius extendi. Meminerit lector, quæ a nobis supra dicta sunt de octo illis Salonitanis Episcopis, post quos Agapitus ecclesiam Salonitanam gubernavit. Ubi plures occurrunt Episcopi, neque de

Martyrii Anastasii & Pontificatus Agapiti cum imperio Aureliani connectitur.

Digitized by Google

annorum numero conſtat, quo cujuſque Pontificatus metiendus ſit; totum illud ſpatium, quo omnes includi neceſſe eſt, vel conjectura aliqua, ſi qua forte ſuppetat, vel arbitratu noſtro in ſingulos diſtribuimus, & certa temporis circumſcriptione uniuſcujuſque Pontificatum concludimus: quæ quidem circumſcriptio quamvis arbitraria, dum Epiſcopos illos, vage effuſos per incerta tempora, in ordinem quemdam adducit, & ſuis quemque limitibus coercet, rerum ac temporum confuſionem adimit, memoriæ lumen affert, hiſtoriæ perſpicuitatem conciliat. Cum igitur ad normam hujus chronologiæ, ut ita dicam, arbitrariæ octo ſuperiorum Antiſtitum tempora digeſſerim; & Maximi II. qui proxime ante Agapitum eccleſiæ Salonitanæ præfuit, anno Chriſti circiter 270. affixerim; ſequitur ab eodem ferme anno Agapiti Salonenſis Epiſcopi primordia repetenda eſſe, quo quidem anno Aurelianus etiam Romanum imperium adeptus eſt; quamvis alii Aureliani initium in annum inſequentem cum Baronio conjiciant.

Agapiti Epiſc. initia referri poſſunt ad an. 270.

Reſtat, ut inveſtigemus annum illum, quo cum martyrium Agapiti colligari oporteat. Nec diſcrepat, quin eodem anno, eodemque Aureliano imperante, Agapitus pariter atque Anaſtaſius religionis cauſa mortem ſubierint: ſed cum Aurelianus annos quinque & ſex præterea menſes imperium tenuerit, ut tradunt Euſebius, Eutropius, Victor, Caſſiodorus, Epiphanius, aliique, non ſatis conſtat, quinam annus ex eo quinquennio utriuſque martyrio ſit aſſignandus. Illud pro certo haberi oportet, utrumque pro Chriſto interfectum eſſe ante univerſalem perſecutionem ab eodem Imperatore Chriſtianis indictam: vix enim feralia edicta Aurelianus emiſerat, eaque per Romanas provincias circumferri ac promulgari cœperant, cum impietatis ſuæ pœnas dedit, Mneſthei fraude ad Cænophrurium inter Byzantium & Heracleam occiſus, ſub initium anni 276. Id apertiſſime docuit Lactantius, a quo non diſſentit Euſebius: *Verum*, inquit, *illi, ne perficere quidem quæ cogitaverat, licuit, ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ſcripta perveneranat, & jam Cænophrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe humi jacebat, falſa quadam ſuſpicione ab amicis ſuis interemptus.* Mors Aureliani, ut graves peritique Chronologi tradunt, incidit in menſem Martium, annumque juxta noſtros calculos 276. Ab ejus interitu interregnum fuit menſium circiter ſeptem, quod de Imperatore eligendo Senatum inter & milites amica, & ad eam diem rara eſſet orta contentio, eas partes mutuo ſibi utriſque deferentibus. Tandem ab Senatu VII. Kal. Octobris, ut docet Vopiſcus, creatus eſt Tacitus. Quare ſi a VII. Kal. Octob. ſive a 25. Septemb. menſes fere ſeptem Auguſtalis interregni retrorſum enumeres, ad menſem Martium pervenies, quo cum Aureliani necem connecti oportet. Cum igitur Aurelianus haud multo poſt mortem obierit, quam ſolemni & publico decreto Chriſtianos perſequi, necarique juſſerat, hujus perſecutionis initium conjungi poteſt cum Januario ineunte hujus anni 276. vel ad menſem extremum ſuperioris anni revocari: neque enim longius quam duorum vel trium menſium intervallum ab decreta perſecutione ad mortem Aureliani effluxit. Omnes autem Martyrologi in menſem Auguſtum Anaſtaſii martyrium conferunt, nec vero multum temporis inter martyrium Agapiti necemque Anaſtaſii interceſſit: uterque igitur antea pro religione mortem occubuit, quam Aurelianus univerſæ eccleſiæ bellum indiceret. Scio equidem ab graviſſimis Auctoribus tempeſtatem illam ab Aureliano excitatam protrahi uſque ad imperium Taciti, & quamplurimos martyrum, qui in Martyrologiis ſub Aureliano cæſi dicuntur, idcirco ad perſecutionem Aureliani referri quamvis poſt hujus interitum interfectos, quia ex Aureliani edicto in eos pœna capitali animadverſum eſt. Sed neque Agapiti, neque Anaſtaſii martyrium colligari poteſt cum Auguſto menſe illius interregni, quo adhuc fervebat Aureliana perſecutio, antequam Tacitus Romanum imperium capeſſeret; nam Martyrologi tradunt Anaſtaſium, vivo ac jubente Aureliano, cui de illius ad Chriſtum converſionem nunciatum fuerat, extremo ſupplicio affectum eſſe. Uterque igitur ante perſecutionem & obitum Aureliani, itemque ante annum 276. martyrii coronam obtinuit.

Aurelianus exiſtimat menſe Martio an. 276.

Agapitus & Anaſtaſius jubente Aureliano pro Chriſto cæſi.

Cum Aurelianus ex juris formula Chriſtianos perſequi decrevit, annos ab imperio ſuſcepto quinque & menſes aliquot jam exegerat, ex quibus elici oportet annum illum Agapiti & Anaſtaſii martyrio inſignem. Ac principio ille quidem adeo nihil maligne acerbeque adverſus Chriſtianos molitus eſt, ut potius bene animatus erga illos eſſe, reique Chriſtianæ favere videretur: argumento eſt, quod cum Paullus Samoſatenus Epiſcopus Antiochiæ ob nefariam hæreſim Concilii Antiocheni ſententia damnatus, ſuaque eccleſia & ſede Pontificia dejectus Aurelianum appellaſſet, is controverſiam illam ad Romanum Pontificem Italiæque Epiſcopos remiſit. *Paullus*, inquit Euſebius lib. 7. cap. 26. *& Sacerdotio abſciſſus, & communione, cum de domo eccleſiæ nollet exire, interpellatus Imperator Aurelianus, religioſe ſatis de hoc ſanctèque decernit, iis præcipiens eccleſiæ domum tradi, quibus Italiæ Sacerdotes & Romanus Epiſcopus ſcriberent.* Sed non multo poſt hominum impiorum fraudes, confictæque adverſus nos calumniæ Aureliani voluntatem a Chriſtianis abalienarunt; quod docet Euſebius: *Et tum quidem talis erga nos exiſtebat Aurelianus. Proceſſu vero temporis immutare propoſiti ſui bonum cœpit, & malis conſiliis depravatus perſecutionem erga Dei eccleſiam meditari.* Propius nihil eſt factum, quam ut ſtatim conceptum adverſus Chriſtianos odium furoremque effunderet; ſed tunc nefariis ejus cœptis & conatibus divina providentia obſtitit, nam compoſitum in Chriſtianos edictum ſubſcribere aggrediens, manu divinitus obtorpeſcente, abſterretur: *Dictatis jam litteris, & ſcriptis*, ait Euſebius, *cum ſupereſſet ſola ſubſcriptio, divina dextera interveniens, ſubſcriptionem nefandæ dexteræ deturbavit.* Nec vero Chriſtianæ religionis, ſi fieri poſſet, abolendæ conſilium abjecit, ſed in aliud tempus reſervavit, extremiſque ſui imperii temporibus reipſa exſequi ac perficere conatus eſt, ut docet Euſebius in Chronico: *Aurelianus cum adverſum nos perſecutionem moviſſet; fulmen juxta eum comiteſque ejus ruit: ac non multo poſt, inter Conſtantinopolim & Heracleam, in Cænophrurio via veteris occiditur.*

Aurelianus initio viſus Chriſtianis faviſſe,

Interea dum aptum opportunumque tempus delendi Chriſtiani nominis præſtolatur, licet graviſſimis bellis, reique publicæ curis implicitus, haud tamen continere ſe potuit, quin identidem pro re nata Chriſtianos affligeret, quorum haud paucos eo tempotis intervallo variis in locis de medio ſuſtulit. Neque enim omnes, qui Aureliano imperante ob religionem interempti leguntur, ad perſecutionem Aureliani referri poſſunt, quamvis hæc novem fere menſes tenuerit, & producta ſit uſque ad imperium Taciti, qui finem eidem impoſuit. Certe Agapitus puer idemque egregius martyr Prænestinus jubente quidem Aureliano, ſed nondum

ſed poſtea ejus variis in locis exagitare cœpit,

rem Chriſtianam fine edictis identidem afflixit.

com-

compoſitis promulgatiſque edictis eccleſiam univerſam perſequente, martyrium ſubierit neceſſe eſt; quippe cum Martyrologi omnes præclaram ejus mortem ad diem 18. Auguſti adſcribant, qui menſis cum Aureliano vivo, perſequentique univerſos Chriſtianos componi nequit. Philippus Braſſeur Monachus Benedictinus Cœnobii Lætienſis in Belgio, & Cimiliarcha eccleſiæ Lætienſis apud Bollend. die 18. Aug. martyrium Agapiti Prænestini conſignavit anno 275. & Auguſto ejuſdem anni menſi, aliquot ſcilicet menſibus ante indictam Aureliani perſecutionem. At fortaſſis ejuſdem Agapiti extremum certamen ac ſupplicium aptius accomodari poteſt ad annum 272. Quieto & Voldumiano Conſulibus, cum urbanam Præfecturam, ut docet Emanuel Scheiſtrate Antiq. eccleſ. tomo 2. Antiochianus, ſive Antiochus gerebat. In Actis enim Prænestinis ſcriptum invenio Antiochum Præfectum, quem aliqua exemplaria, vocabulo temporibus illis inuſitato, Regem appellant, Agapiti quæſtionibus ac tormentis judicem præfuiſſe, qui ſi idem fuit atque Antiochianus Romæ Præfectus, Agapiti Prænestini martyrium dimoveri nequit ab eo anno 272. quo cum Romanam Antiochiani, ſive Antiochi Præfecturam Scheiſtrate colligavit. Huc accedit, quod Joſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in ſua *Prænestæ antiqua* huic ipſi anno 272. Agapiti Prænestini martyrium affixit. Præterea ſi Felix Romanus Pontifex ante duos annos & quinque menſes Dionyſio ſubrogatus pro Chriſto vitam profudit 111. Kalendas Jun. an. 275. juxta Baronium, ejus martyrium ſeptem fere menſibus Aureliani perſecutionem anteceſſit. Ad hæc: Baronius martyres quamplurimos cum hoc, & ſuperioribus annis conjunxit; & quamvis horum plerique revocari poſſint aut debeant ad annum 276. quo perſecutio illa ſæviebat, in ſeptimum fere, poſt necem Aureliani, menſem producta; attamen dubitari non poteſt, quin Aurelianus, antequam univerſos Chriſtianos edictis ac ſuppliciis acerbiſſime inſectari conſtitueret, multos religionis cauſa alios alibi necari juſſerit, inter quos Agapitum Epiſcopum, & Anaſtaſium Cornicularium, martyres Salonitanos annumerandos cenſeo.

Mihi autem nullus occurrit annus, quo cum aptius ac veriſimilius martyrium utriuſque copulari queat, niſi annus ſeptuageſimus quintus tertii ſæculi, cum Aurelianus reipublicæ cauſa degebat in Dalmatia, aut certe prope aberat ab ea provincia. Hoc quippe anno Aurelianus e Gallia digreſſus, poſt barbaros ab obſidione Vindelicorum depulſos, in Illyricum proficiſci maturavit, ut in ea regione, quam moliebatur adverſus Perſas, expeditionem adornaret. *Vindelicos*, inquit Vopiſcus, *obſidione barbarica liberavit, deinde ad Illyricum rediit, paratoque magno potius, quam ingenti exercitu, Perſis bellum indixit*. Porro copiis ac legionibus ex Dalmatia univerſaque Illyria conſcribendis, cæteriſque rebus ad Perſicum bellum neceſſariis comparandis plures in Illyrico menſes extraxit; neque ante menſem Februarium an. 276. cum exercitu Perſis bellum illaturus diſceſſit. Verum in ipſo itinere inter Heracleam & Byzantium Mneſthei Notarii fraude ab amicis occiditur menſe Martio ineunte, duobus aut tribus fere menſibus, poſtquam univerſalem adverſus Chriſtianos perſecutionem edixerat. Jam vero nullus mihi videtur aſſignari poſſe annus Agapiti & Anaſtaſii martyrio opportunior, quam an. 275. proximus ante interitum Aureliani, cum is haud procul a Dalmatia apud Illyricos verſaretur. Ita fit, ut Salona nuncii ac litteræ de converſione Anaſtaſii Cornicularii, brevi expeditoque itinere ad Aurelianum in propinquis regionibus commorantem afferri potuerint, atque ejuſdem in Anaſtaſium ſententia per eoſdem nuncios Salonam referri. *De quo*, ideſt Anaſtaſio, *Præſes Imperatori Aureliano renunciavit, qui mox perire illum jubet*; ut Ado ſcripſit, a quo Uſuardus, & alii non diſſentiunt. Sed de his fuſius & diſtinctius in Actis Joannis, qui Agapito proxime ſucceſſit, ubi de perſecutione Aureliani, ac triplici ejus in Illyricum adventu agendum erit. Hoc eodem an. 275. Andreas Zmajovitius Archiepiſcopus Antibarenſis, quem rerum Illyricarum auctorem laudare poſſum accuratiſſimum, Anaſtaſii Cornicularii necem conſignavit, a qua cum ne unius quidem menſis intervallo disjungi queat martyrium Agapiti Salonitani Epiſcopi, cujus in excipiendis perferendiſque cruciatibus mira alacritas & invicta conſtantia Anaſtaſium perpulit, ut Chriſtianæ religioni nomen daret; ex eo fit, ut eodem an. 275. uterque eodem Auguſto menſe, eodem imperante Aureliano, nondum tamen univerſam eccleſiam perſequente, egregiam pro Chriſto mortem oppetierit.

Anaſtaſius & Agapitus ob Chriſtum interempti menſe Auguſto anno 275.

Ac Baronius quidem imperium Aureliani uſque ad an. 78. tertii ſæculi perduxit. Alii ejuſdem interitum conjiciunt in annum ejuſdem ſæculi 75. Sed cum ejus initium videatur dimoveri non poſſe ab anno 270. ac Septembri menſe ejuſdem anni, & plerique ejuſdem imperium quinque annorum, & ſex præterea menſium ſpatio definiant, ejus mors inciderit oportet in menſem Martium an. 276. Vide quæ dicturi ſumus in Actis Joannis Ep. cap. 12. §. 1. Cæterum ſi cui magis arrideat Chronologica Baronii vel aliorum computatio, martyrium Agapiti & Anaſtaſii referat, per me licet, ad menſem Auguſtum anni vel 277. vel 274. conjiciendum quippe eſt in eum annum, qui annum necis Aurelianæ proxime antecedit, ut cum menſe Auguſto, a quo disjungi nequit, martyrium S. Anaſtaſii, itemque Agapiti Salonitani, componatur.

Hæc ferme habui de tempore ac martyrio Agapiti Salonitani Antiſtitis quæ ſcriberem, nihil præterea ſupereſt ex antiquis probatiſque monumentis, quod afferre poſſim; nam ejus Acta, quemadmodum initio monui, incertum quo infortunio, caſuve interierunt. Memini tamen dixiſſe me, illorum jacturam quoquo modo ſuppleri poſſe. Hujus vero loci atque inſtituti videtur eſſe id efficere, aut certe conari. Jamdudum edita in vulgus circumferuntur Acta S. Venantii pueri ac martyris Camertini, quæ Daniel Papebrochius, aliique eruditiſſimi viri, gravi admodum cenſura perſtringunt, propterea quod multa in eis occurrant, quæ in eumdem martyrem nulla ratione convenire poſſunt. Quid ſi ex Actis jamdudum deperditis Agapiti Salonitani Epiſcopi multa illuc irrepſerint; & quæ minus cohærent cum perſona, & martyrio S. Venantii, ea congruentius ad noſtrum Agapitum accommodari poſſint? Res eſt inquiſitione digna, ſed multis eadem difficultatibus implicita, & fortaſſis aliquorum etiam reprehenſionibus obnoxia. Verumtamen audendum in loco eſt, tametſi idipſum dubitans ac mihi ipſe diffidens aggredior. Rem totam conjecturis exſequar, ita prorſus, nihil ut affirmem, & aliorum velim eſſe judicium, utrum bene conjecerim. Atque ut ad id, quo pervenire volo, caute quaſique pedetentim progrediar, primum omnium exponam, quid de Actis S. Venantii Camertis ſenſerit, quidve cenſuerit Daniel Papebrochius, quem ipſe mihi in hac diſputatione ducem ac magiſtrum præfeci.

Acta S. Agapiti deperdita quæ ratione ſuppleri poſſint.

Anno 275. Aurelianus in Illyrico degebat.

CAPUT II.

Acta Agapiti Salonitani Antistitis ex Actis S. Venantii Camertis repetenda esse.

CElebre est apud Camertinos atque inclytum Venantii pueri ac martyris nomen; sed ejus Acta Daniel Papebrochius primum censuit apocrypha esse & commentitia. Deinde eadem bifariam divisit, ac primam partem desumptam esse affirmat ex Actis S. Agapiti pueri itidem, ac martyris Prænestini; alteram vero partem neutri adjudicat, neque Prænestino, neque Camertino martyri. Nos priorem partem conflatam esse putamus ex Actis Agapiti Prænestini, & Agapiti Salonitani; ex posteriori autem parte, pleraque si non omnia, cum Agapito Salonensi Episcopo haud inepte congruere.

§. I.

Acta S. Venantii Camertis Apocrypha, & supposititia esse, Auctore Papebrochio, non dissentientibus Baronio & Henschenio.

Acta S. Venantii Camertini pueri ac martyris, antequam judicium, & animadversionem Danielis Papebrochii subirent, Cæsari Cardinali Baronio aliisque Scriptoribus satis nota fuerunt; neque sane eorum censuram ac reprehensionem prorsus effugerunt. Unus tamen Papebrochius fuit, qui ex instituto eadem Acta in disquisitionem vocaverit, atque ad criticorum leges accuratius expenderit. Hæc autem descripsit ex manuscripto codice satis vetusto Abbatiæ S. Eutitii Nurciensis, quæ Camerino viginti, Nurcia sex millia passuum abest, & tomo IV. mensis Maji ad diem 18. inseruit. Liceat nobis hunc codicem appellare Camertinum, propterea quod historiam hanc de martyrio S. Venantii ab aliquo Camerte descriptam esse existimamus.

Neque vero cum Papebrochius hujusmodi Acta in vulgus ederet, ea illi mens fuit, quod ex instituti operis ratione tum ipsi, tum aliis esse solet, cum Divorum historias describunt, ut videlicet quæ sanctissimi Viri, auctore ac duce Deo, fortiter ac præclare gesserunt, ea tradita litteris ab oblivione hominum vindicent; simulque ut pateant in promptuque sint omnibus pulcherrima illa majorum nostrorum facinora, quæ posteros vel in admirationem rapiant, vel ad imitationem alliciant. Sed alio ille spectavit, neque enim idcirco

Censura Papebrochii in Acta S. Venantii,

Acta S. Venantii, quæ in codice Camertino descripta invenerat, typis mandanda curavit, ut ex eorum lectione egregius ille Christi Athleta vulgo innotesceret, sed ut ex animis hominum evelleret opinionem quamdam falso proditam, quæ S. Venantio permulta affinxit, cum ab illo aliena, tum inter se parum congruentia. Non ille quidem de sanctitate ac martyrio Venantii dubitat, non ejus nomen ac memoriam ex Divorum fastis eximit,

instructo e-jusdem martyrio & cultu,

nihil de illius reliquiis, nihil de cultu, nihil de antiqua adversus eumdem religione immutandum censet. Neque enim sapientissimo & cordatissimo viro venire poterat in mentem, ut ea vocaret in dubium, quæ Camertis ecclesiæ traditione nixa, multarum ætatum consensu firmata, universalis ecclesiæ auctoritate aut sancita aut permissa esse animadverteret. Sed cum hæc omnia rata esse ac firma, sarta ac tecta servari velit, nihil præterea certi de Venantio proferri posse contendit; nam quæ in ejusdem Actis continentur, omnia, aut certe pleraque non satis digna esse, quibus fides adhibeatur; sunt enim aut ab hominibus otiosis maleque feriatis conficta, aut aliunde adscita, & hujus martyris nomini sane inepte supposita. Hæc cum ille haud levibus argumentis ac rationibus ostenderit, satis mihi superque fuerit præcipua illius criticæ disquisitionis capita in hunc locum colligere; quibus expositis, nihil necesse erit de nostro addere.

Primum igitur in commentario prævio hisce verbis suam sententiam aperit num. 3. *Et hæc quidem antiqui cultus monumenta indubitata ac certa sunt omnia: utinam æque certa foret Passionis historia. Cum enim ex ea, tamquam ex fonte, unice profluxerit quidquid de hoc S. Martyre prosa vel rythmo, Latine vel Italice, vetustiori vel recentiori ævo, scriptum unquam fuit, aut in ecclesia primum quidem Camerina, nunc etiam universali, recitabatur olim, vel recitatur hodiedum inter divina officia, optandum quam maxime est, ut ea fuerit quam gravissime fidelissimeque conscripta. Sed quam frustra id optamus, tam parum fidei tribuere possumus quibuscumque compendiis inde acceptis.* Papebrochii censura.

Deinde cum *Historiam ablati & relati corporis* eruditis animadversionibus illustrasset, hæc subjecit: *Atque hæc certior omnis notitia, quam dare possumus de cultu, & corpore S. Venantii: cujus quia nec nomen invenitur apud ullos antiquos Martyrologos, datur intelligi, nulla ejus Acta primis octo vel decem sæculis nota fuisse Italis, apud quos satis diligenter colligebantur passiones martyrum ac vitæ Sanctorum. Qualia autem postea sint composita, & cujus fidei, ut per te possis æstimare, ipsa, licet alioqui hoc opere indigna, hic tota dabimus.*

Post descripta, ac lectorum oculis exposita S. Venantii Acta, *Annotationem criticam* eidem apposuit, & num. 1. codicem S. Eutitii, sive Camertinum, unde illa transcripserat, huic censuræ subjecit: *Ipse codex vel Camerino allatus, vel ex Camerinensi alio antiquiori descriptus, continet originariam omnem notitiam, quæ de S. Venantio Camerini habebatur, tunc cum ordinata fuerunt Missa & Officium hujus Sancti, quæ habemus ex Missali & Breviario vetusto ecclesiæ S. Venantii Camerinensis, tamquam in ea ab antiquo usurpata, donec sacra Rituum Congregatio interesset, jussitque omnia fieri de communi. Congregationem movit haud dubio evidens fabulositas, quam continebat chimericum plane commentum de Antiocho Rege & Imperatore, Romano quidem, sed palatium Camerini habente, deque nescio cujus B. Joannis Papæ Ponticatu, cum eo nomine ante sæculum sextum nullus ecclesiæ Romanæ præfuerit.*

In eadem Annotatione critica n. 7. hæc habet; Quid autem, si suspicari velit quisquam, Sanctum juvenem in aliqua, non tam persecutione, quam grassatione barbarica sub Longobardis, aliisve gentibus dejectum e muris, dissipatoque per lapsum cranio martyrem obiisse, extra omnem judicii formam, cujus deinde passionem fabulator aliquis, sicut vidimus, adornavit. Nolim ego id affirmare. Proponere tamen lectori volui, ut secum ipse statuat, quid, & quantum credere Actis velit, compendiisque inde sumptis.

Hactenus Papebrochius. Neque a sententia Papebrochii Cæsar Card. Baronius longe abfuit. Is cum jussu & auctoritate Gregorii XIII. Pontificis Maximi, ea, quæ in Martyrologio Romano videri poterant emendatione digna, corrigeret, nomen S. Venantii hoc elogio ornatum eidem Martyrologio inseruit: XVIII. *Maji Camerini S. Venantii M, qui*

Digitized by Google

qui quindecim annos natus sub Decio Imperatore, & Antiocho Præside una cum aliis decem, glorioſi certaminis curſum, cervicibus abſciſſis implevit. Sed antequam ad eam diem S. Venantii nomen adſcriberet, tabulas Camertinæ eccleſiæ ſibi adeundas & conſulendas putavit; in quibus multa animadvertit, quæ ſolertiori indagine, nec levi caſtigatione indigerent: qua de re non ſemel tantum, ſed iterum ac tertio lectorem admonuit in Annot. ad Martyr. Rom. Ac primum quidem in notis ad eam diem 18. Maji: *Vidimus*, inquit, *tabulas eccleſiæ Camerinenſis, nec non ejus Acta, ſociorumque Mm., quæ tamen ob nimiam temporis vetuſtatem, ſuperinducta mendis, cenſura indigent, & caſtigatione non modica.* Deinde cum ad diem 11. ejuſdem menſis adjeciſſet nomen Anaſtaſii & ſociorum Mm. *Legimus*, ait, *horum Acta in geſtis S. Venantii Martyris acceptis ab eccleſia Camerinenſi, ſed cenſura aliqua caſtiganda.* Poſtremo quarta die ejuſdem menſis nomen S. Porphyrii hac nota inſignivit: *Habetur mentio de eo in Actis S. Venantii, qui paſſus eſt Camerini; legimus ea manuſcripta, ſed in nonnullis emendanda.*

Cenſura Baronii.

Cenſura Henſchenii.

Ad Papebrochii ſententiam propius acceſſit Godefridus Henſchenius, qui longius ætate provectus Papebrochium præclari illius operis & collegam habuit, & ſucceſſorem reliquit. Is quippe in Acta S. Venantii paullo acrius, quam Baronius ſtylum exacuit. Cum enim tomo 3. die 11. Maji ageret de S. Anaſtaſio Corniculario, ejuſdemque ſociis, & illorum res geſtas ex Actis S. Venantii deſcriberet, quæ ſibi eſſet de illis opinio ac ſententia, hiſce verbis declarat: *Non poſſumus*, inquit, *ab animo prorſus excutere formidinem, ne hac quoque in parte Acta S. Venantii, qua de S. Anaſtaſio, & ſociis agunt, furfuris multum habeant admixtum, quod defectu meliorum notitiarum difficile ſit ſegregare ab eo, quod forſitan verum eſt.* Duo præcipue hic digna ſunt, quæ notentur. Nam primum quidem Henſchenius aperte indicat univerſa S. Venantii Acta ſuſpecta ſibi eſſe, cum dicat *eam quoque partem*, quæ ad Anaſtaſium & ſocios pertinet, multis depravationibus refertam videri. Deinde licet plus falſi, quam veri reperiſſet, id totum omnino abjudicare, atque rejicere propterea non audet, quia vir graviſſimus uberiores notitias ſibi opus eſſe cenſuit, ut neque inconſulte neque temere judicium hujuſmodi ferret, quo Actis illis fidem omnem abrogaret. Cæterum cum dixerit, *difficile eſſe ſegregare falſum ab eo, quod forſitan verum eſt*, appoſita dubitationis nota ſatis oſtendit, nihil propemodum in iiſdem Actis contineri, quod certum omnino ſit, & nulli controverſiæ ſubeſſe poſſit.

Jam vero ut ad Papebrochium revertar, unde paullisper declinavit oratio, in hoc ſumma ejus, quod tulit, judicii, totaque illius cenſura conſiſtit, ut neget cum S. Venantio congruere poſſe, quæ Camertinus codex eidem attribuit, propterea quod alia cum Geographia, alia cum Chronologia, omnia ferme cum hiſtoriæ veritate repugnent; ex quo efficitur, ut ejuſdem Acta majori ex parte vel commentitia ſint, vel certe aliunde adſcita. Et Papebrochius quidem in ea fuit ſententia, ut putaret hiſtoriam S. Venantii ex aliorum Martyrum actis deſcriptam & conflatam eſſe, atque oſcitanter imperiteque cum Venantii nomine, patria, martyrio conjunctam. Quare priuſquam ad rem noſtram accedimus, iterum nobis conſulendus eſt Papebrochius, ab eoque diſcendum, quo ſpectent, ſive unde fuerint deſumpta ejuſmodi Acta, quæ S. Venantii nomen præferunt.

§. II.

Pars prima Actorum S. Venantii Camertis uſque ad numerum IX., deſumpta eſt ex Actis S. Agapiti pueri ac Martyris Prænestini, auctore Daniele Papebrochio.

ANimadverſiones criticas una cum apocryphis S. Venantii Actis jam Papebrochius typis tradiderat; cum ecce tibi, unde minime ſperabat, ſeſe illi obtulit, qui ad rem ſolertius inveſtigandam clariſſimum lumen præferret, quaſique digito intento fontem ipſum oſtenderet, ex quo S. Venantii hiſtoria magna ex parte manaverit. Neque objatum ſibi ducem, ac lumen negligendum putavit; illuc animum & cogitationem intendit, diligenter inquirit, nullo prope modum negotio invenit, quod antea ille quidem ſuſpicabatur, ſed fruſtra quæſierat. Qua de re cum ſibi gratularetur, neque illam uni ſibi inventam duceret, ſtatim in publicum & commune conferre ſtatuit, quod privato ſtudio atque induſtria ſibi comparaverat. Hinc conſilium illud cœpit, ut Actis S. Venantii adjungeret, & tomo IV. Maji jam typis impreſſo Appendicem innecteret huic titulo ſubjectam: *Quomodo Acta S. Venantii ex antiquioribus Actis S. Agapiti pueri Martyris Prænestini pro magna parte ſint deſumpta.*

Principio rem, quemadmodum geſta ſit, & unde ſibi acciderit, ut Acta S. Venantii in Actis S. Agapiti deprehenderit, lectoribus exponit. Forte evenit, ut in communi triclinio inter prandium legeretur hiſtoria S. Agapiti pueri & Martyris Prænestini, quam Petrus Ribadeneira deſcripſit; & menſæ pariter cum ſociis Papebrochius accumberet. Is cum ad eam lectionem paullo acrius mentem intenderet, primum mirari, quid rei iſtue eſſet, quod inter Acta S. Venantii, & Acta S. Agapiti tanta rerum, locorum, nominum ſimilitudo intercederet, vix ut tenue aliquod veſtigium, ſeu nota appareret, unde altera ab alteris diſcerni poſſent. Deinde memoria repetens, quæ de S. Venantio legerat, quæque ipſe ſcripſerat, ſubvereri cœpit, ne Acta S. Agapiti in Acta S. Venantii irrepſerint. Quid plura? Ribadeneira indice ac duce, ſtatim ſub menſam ad archivum convolat, loculos ſcrutatur, codices diligenter excutit, ac demum invenit duo exemplaria manuſcripta, & ad diem 18. Auguſti ſepoſita, quibus martyrium, reſque geſtæ S. Agapiti Prænestini continebantur. Quæ cum attente legiſſet, contuliſſetque accurate cum Actis S. Venantii, hæc cum illis uſque ad numerum IX. adeo ſimilia eſſe comperit, ut ſi pauca excipias, omnia fere inter ſe congruere viderentur. *Vidi*, inquit, *non ſolum eadem quoad ſubſtantiam, ſed magna ex parte etiam quoad verba inſerta legenda S. Venantii; adeo ut hanc fere totam uſque ad num. 9, (quæ enim deinceps ſequuntur, aliunde ſuperaddita ſunt) inde tranſumptam fuiſſe appareat, uberiori aliquantulum phraſi, cum nonnulla tranſpoſitione rerum, & exigua tormentorum diverſitate.*

Acta S. Agapiti Prænestini in Actis S. Venantii a Papebrochio deprehenſa.

Atque ut hujuſmodi compilationis indicia lector ipſe deprehendere manifeſto, & manu quodammodo tenere poſſit, Acta S. Agapiti huic Appendici inſeruit; ſingillatim omnia expendit, oſtenditque nihil propemodum in his Actis contineri, quod non interverterint Camertini, ad ſuumque Venantium tranſtulerint. His Actis deſcriptis hanc animadverſionem ſubjecit: *Vides hic non ſolum Antiochum Regem, ſed & Porphyrium Virum Dei, & educationem Martyris in Monaſterio, &*

annorum quindecim ætatem, & generis nobilitatem; & Anonymum Præsidem, cui torquendus commissus sit Agapitus, similiter lapsum de tribunali atque enecatum: Martyrem præterea flagellatum, fustigatum, primis capiti impositis, subjectoque fumo vexatum, & leonibus objectum: tum Attali Apostatæ conatus irritos, & Anastasium Cornicularium, multosque de populo conversos, sepulturam denique; iisdemque fere verbis omnia, quibus eadem legeras de S. Venantio; neque quidquam notabilis differentiæ; nisi quod ubi Agapitus dicitur aqua ebulliente ventrem perfusus, iste per abrupta raptatus fingatur, & fontem aquæ suis raptatoribus dicatur eliciuisse; ut plane cæcum esse vel obstinatum oporteret, qui videre vel non posset, vel nollet hæc S. Agapiti Acta proposita ei fuisse, qui passionem S. Venantii contexuit; nec aliud curatum esse, quam ut prolixior evaderet fabula, additis aliorum quoque passionibus & Actis, quasi cum S. Venantii Martyrio connexis. In hac tamen longe insulsior apparet posterior, quod Camerini actum tragediam volverit, quasi ibi sedem suam, palatiumque Rex seu Imperator Romanus habuerit; cum alius Antiochum suum Romæ detineat, ibique tormenta Sancto illata dicat, ac solum capitis supplicium ultimum apud Prænestæ sumptum.

Hactenus Papebrochius de Actis rebusque gestis S. Agapiti Prænestini in S. Venantium Camertem transfusis. Doctissimi hujus viri sententiam necesse habui exponere; quippe quæ ad investiganda & restituenda Agapiti Salonitani Acta viam mihi aperuerit; & quibus eorum restitutio ac recuperatio probabilis fiat, rationes atque argumenta suggesserit. Itaque Danielis Papebrochii exemplo & auctoritate fretus ostendam, primum quidem Acta S. Venantii octo prioribus paragraphis comprehensa, quæ ille uni Agapito Prænestino adscripsit, etiam ad Salonitanum Agapitum aliqua ex parte pertinere; ac proinde ex Actis utriusque Agapiti constare; deinde vero ad eumdem Salonitanum Agapitum satis probabiliter nonnulla referri posse, quæ ibidem a paragrapho nono ad finem usque de S. Venantio perscripta sunt, quæque Papebrochius existimat aliunde mutuata esse, & S. Venantio insciteadmodum oscitanterque afficta.

Ex Actis SS. Agapiti & Venantii permixtis aliqua ad Salonitanum Agapitum pertinere.

CAPUT III.

Prior pars Actorum S. Venantii conflata videtur ex Actis utriusque Agapiti tum Salonitani, tum Prænestini. Ex posteriori autem parte nonnulla pertinere ad Agapitum Salonitanum.

DAniel Papebrochius quærendo & investigando tandem manifesto comperit, Acta S. Venantii prioribus octo paragraphis comprehensa, referri oportere ad Acta S. Agapiti Prænestini pueri ac Martyris, tamquam ad proximum fontem, unde manaverint. Hic ille consistit, neque in ejusmodi inquisitione ultra progreditur; non quod existimaverit primam eorumdem originem altius repeti non posse, sed quia neque ejus loci, neque sui muneris esse duxit rem ultra persequi, quam propositi argumenti ratio postulabat. Id quippe agebat, in eo tunc laborabat, ut ostenderet Venantio convenire non posse pleraque ex illis, quæ vulgo eidem attribui solent. Satis itaque habuit indicare fontem, si non ultimum, certe proximum, ex quo historia Venantiana magna ex parte deducta fuerit. Noluit deinde in Acta S. Agapiti, quæ Venantii nomen subierunt, diligentius inquirere; nullum de illis judicium tulit, nullam censuræ notam eisdem infixit. Hoc quippe examen judiciumque ad posteros ac successores suos rejicere maluit, quibus futurum erat, ut contingeret Acta S. Agapiti in lucem emittere, & criticis animadversionibus illustrare; ac proinde ut liberum illis esset atque integrum, quam vellent, quamque æquissimam esse ducerent, sententiam dicere, nihil ab se præjudicati relinquere voluit. Nobis vero, ut eo, quo intendit, institutæ disputationis ratio perveniat, ultra progredi necesse est, quam Papebrochius inquirendo processit; & cum jam constet, unde proxime effluxerint Acta S. Venantii, illud præterea restat, ut investigemus, quonam spectent ipsamet illa Acta, quæ S. Agapiti Prænestini nomen præseferunt, sive unde originem saltem aliqua ex parte duxerint. Ego vero sic existimo, Acta ejusmodi eatenus pertinere ad Agapitum Salonitanum Episcopum, qua conversionem & Martyrium S. Anastasii Cornicularii attingunt; ac proinde non esse omnino simplicia, sed permixta, & ex Actis utriusque Agapiti Prænestini ac Salonitani conflata. Quamquam autem in hac disputatione ducem non habeam Papebrochium, quem sequar, neque videam ejus vestigia, quibus insistam, ab ejus tamen institutis atque exemplis non omnino recedam; nam iisdem ferme rationibus & argumentis id, quod proposui, efficere conabor, quibus ille docuit Acta Venantiana ad Agapitum Prænestinum pertinere, atque hinc in Venantium fuisse transfusa.

In Acta S. Venantii Acta S. Agapiti Prænestini fere integra; in hac vero ex Actis Agapiti Salonitani nonnulla derivata.

Priusquam vero rem ipsam aggredior, duo mihi constituenda esse video; primum Acta S. Agapiti Prænestini, qualia apud Mombritium, & in codicibus manuscriptis reperiuntur, doctissimorum hominum judicio nec genuina haberi posse, & multis subesse vitiis ac depravationibus; alterum vero, duos fuisse Agapitos ab Aureliano Imperatore Christianæ religionis causa interfici jussos, alterum puerum ac martyrem Prænestinum, alterum Episcopum ac martyrem Salonitanum.

§. I.

Acta S. Agapiti Prænestini mendosa esse ac depravata.

AGapiti pueri ac martyris Prænestini nomen ac martyrium perpetua constantique ecclesiastica traditione, & omnium fere antiquorum scriptorum litteris celebratur; neque ullus est inter Martyrologos, quin ejusdem commemorationem in divorum fastis ad diem 18. Augusti adscripserit. Auctor Martyrologii Hieronymiani longe omnium vetustissimi breviter suo more & paucissimis verbis Agapiti memoriam complectitur: *Prænestina civitate milliario ab urbe XXXIII. Natalis Agapiti*. Ita scriptum est in exemplari Lucensi, quod Franciscus Maria Florentinius in lucem protulit; neque a Lucensi cætera Hieronymiana apographa differunt, nec plura de hoc martyre codices Hieronymiani, itemque Beda commemorant. Sed posteriorum ætatum Martyrologi, Usuardus, Ado, aliique Agapitum elogio sane amplo exornant, quo quidem varia suppliciorum genera eidem inflicta, totiusque martyrii series ac brevis quædam descriptio continetur. Præterea in Sacramentario Gregoriano Missa S. Agapiti Martyris, totiusque rei liturgicæ ratio præscribitur XV. Kal. Septembris. Hinc satis apparet egregium hunc Christi athletam magnum semper nomen, venerationemque in ecclesia Occidentali habuisse: & ejus venerationis longe lateque propagatæ initium vel inde usque ab ejus martyrio, vel certe paullo post,

Agapiti Prænestini nomen celebre, & cultus perantiquus.

ab

ab extinctis tyrannis, ecclesiæque pace per Constantinum Magnum ubique constituta, reperendum esse. Atque utinam ejus acta, quæ antiquis Martyrologis suppeditarunt, unde præclari hujus martyris elogium conficerent, æque sincera & incorrupta, atque in eorum manus venerant, ad nostram ætatem pervenissent. Sed quo tempore ablegatis bonis artibus litterisque, fœda quædam barbaries & ignoratio rerum vetustarum omnia pervaserat, incredibile dictu, ut in aliis Divorum historiis, sic etiam in Actis S. Agapiti quanta facta sit labes; dum homines pro more atque ingenio illorum temporum res Divorum vere & præclare gestas, fictis narrationibus & miraculis adornare, & rebus vel commentitiis, vel alio pertinentibus augere student: ex quo factum est, ut cum falsis additamentis mentes mortalium in admirationem rapere, atque ad Sanctorum hominum cultum vehementius incitare voluerint, nihil aliud videantur egisse, quam ut veris propter falsa admixta adimatur fides; & quæ ab antiquis simplici stylo, & summa cum fide perscripta sunt, ea etiam propter res vanas futilesque superadditas in dubium revocentur.

sed ejus Acta minus sincera.

Corruptela ac depravatio Actorum S. Agapiti haud sane effugere potuit sagacitatem Cæsaris Card. Baronii, qui in notis ad Martyrol. Romanum ad diem 18, Augusti, hujusmodi Acta apud Mombritium descripta hac brevi censura confixit. *Recitat*, inquit, *ejus Acta Mombritius tomo 1. sed admodum depravata*, Actis autem Mombritianis nihilo emendatiora sunt alia eorumdem exemplaria, quæ in variis Mss. codicibus apud Papebrochium in Append. ad acta S. Venantii commemoratis continentur. A Baronii judicio gravissimo haud dissensit Franciscus Maria Florentinius in notis ad Martyr. Hieronym. *Diffusiora*, inquit *Agapiti Acta profant apud Petrum de Natalibus* lib. 7. cap. 74, & apud *Mombritium*, *Card. Baronii judicio corrigenda*. Eidem & paullo etiam acriori censuræ eamdem S. Agapiti historiam subjecit Joannes Baptista Sollerius in suis ad Usuardum Auctariis & Annotationibus: *Quam illustris est*, inquit, *& ab antiquo celebratissima Agapiti Prænestini M. gloria, a vetustis Kalendariis, Sacramentariis, & Martyrologiis nostris omnibus prædicata, tam sunt depravata ejusdem acta, teste ipso Card. Baronio, ut tuto dici posse videatur, cusa esse in eadem officina, ex qua prodiere illa, quæ de S. Venantio expressa sunt ad 18. Maji; si non potius eadem utriusque sint, aut alterius alteri aptata; certe multa correctione egentia, ut fusius suo loco demonstrabitur, & rursus dicendum erit infra ad xx., & xxi. Augusti.*

Censura in Acta S. Agapiti Prænestini.

Die autem xx. Augusti, cui Usuardus affixit commemorationem *B. Porphyrii hominis Dei, qui S. Martyrem Agapitum erudivit in fide & doctrina Christi*, idem Sollerius Actis Prænestini Agapiti hanc notam inussit: *Ut autem clarius pateat Actorum Agapiti Prænestini, & Venantii Camerini confusio, consule hujus lectiones in Breviario Romano ad 18. Maji, in quibus Cornicularius a B. Porphyrio presbytero cum familia baptizatus dicitur &c. quæ sane tam sunt conformia, ut non possint non ex unis actis ad altera translata supponi; nisi miraculum novum fingere velimus.* Eadem scripsit die xxi. Augusti, atque ad elogium Usuardinum Anastasii Cornicularii adjecit: *Quod die præcedenti de Porphyrio observatum est, hic de Anastasio plane recurrit; nam in citatis Venantii lectionibus Cornicularius idem, qui hic ab Adone refertur, ibi ex demirata Venantii constantia conversus est, ponitur que in Martyrologio Romano moderno* xi. *Maji*.

Nihilo mitius de iisdem Actis Prænestinis censuit Josephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis in sua *Præneste antiqua* lib. 2. cap. 3. *Acta illa fuisse admodum depravata Cardinalis Baronius indicat; inutila etiam ne sint, vereor, cum in ipsis non comperiam martyrium Porphyrii, quod descriptum in illis Baronius suprascriptus asserit. Idcirco ea expolivi, quoad potui, & interpolavi; nec enim ferendum erat, ut Monasterium pro ecclesia, Præses pro Præfecto, Antiochus Rex, pro Aureliano Imperatore, aliaque id genus intexerentur.*

Guilielmus Cuperus tom. 9. die 18. Augusti, nactus varia exemplaria Actorum S. Agapiti Prænestini, omnium diligentissime, singula expendit, alia cum aliis contulit, quæ in illis absurda essent, quæ commentitia & fabulosa, quæ inter se discrepantia, accurate notavit. Hujus censorias animadversiones huic loco intexere libuit: *Eminentissimus Baronius hac die in notis ad Martyrologium monet apud Mombritium extare similia ejusdem Martyris Acta, quæ admodum depravata esse pronunciat. Jamdudum Papebrochius noster occasione S. Venantii Camertis ad diem 18. Maji, sive tomo 4. istius mensis post paginam 144. etiam edidit ista S. Agapiti Acta, quæ cum Venantianis adeo concordant, ut hæc ex illis, vel illa ex his desumpta videantur, quemadmodum curiosus lector, ea inter se conferre volens, facile observabit.*

Præterea ex Ms. codice Casinensis Bibliothecæ, litteris Longobardicis exarato, ut in margine apographi notatur, habemus aliorum Actorum exemplar, in quo martyrium S. Agapiti etiam sub Rege Antiocho collocatur. Sed in his singularia quædam occurrunt: cum enim in aliis Actis S. Agapitus primum deducatur ad urbem Prænestinam leonibus objiciendus, in his dicitur Præneste emeritus, & ibidem vitam monasticam duxisse. Hinc eruditus Lector primo intuitu videt, quam inepte Rex Antiochus, & Monasterium istis temporibus conveniat . . . Præterea in aliis Actis traditur Christiana S. Agapiti professio renunciata esse Tyranno, cum in his dicatur S. Martyr Tyranno occurrens ultro eumdem acriter reprehendisse. Denique variis Episodiis exornata sunt Acta Casinensia,

Saltem tolerabiliora sunt Acta ejusdem, quæ in aliis Mss. codicibus occurrunt, & quorum hoc est principium: Tempore illo cum impiissimus Aurelianus Imperator saevissimam persecutionem contra Christianos exerceret in toto orbe Romano, agebat Romæ Præfecturiam dignitatem Præses nomine Antiochus pejor per omnia Domino suo. Erat autem in eadem urbe venerabilis puer nomine Agapitus &c. Hujusmodi *tolerabiliorum* Actorum exemplum ex Ms. Accincti Monasterii in Burgundia Cuperus descripsit, & pariter cum Actis Casinensibus multo copiosioribus tomo 3. Augusti ad diem 18. inseruit.

Cum igitur jamdudum Actis S. Agapiti Prænestini certam fidem auctoritatemq; ademerint tot illustrium ac sapientissimorum virorum præjudicia sane gravissima & maxima, nemo nobis, opinor, vitio verterit, quod ex hujusmodi Actis omnium sententia depravatis maleque cohærentibus cum Agapito Prænestino, pauca quædam transtulerimus ad Agapitum Salonitanum, quæ in hunc congruentius, quam in illum conveniunt: quinimmo de Actis Prænestinis haud male nobis mereri videmur, si refectis amputatisque rebus alio pertinentibus, ea quoquomodo, & aliqua ex parte, emendare conabimur.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Duos Aureliano imperante Agapitos fuisse Prænestinum & Salonitanum.

Duo per eadem tempora Agapiti Prænestini & Salonitani.

DE Agapito Prænestino puero ac martyre nulla esse potest controversia; quippe cum huic & illustria præconia impertiunt, & mortis pro Christo susceptæ testimonium tribuunt veteres pariter & juniores Martyrologi, ejusque nomen ac memoriam ad diem 18. Augusti affigunt. Nihilo minus constat per eadem tempora extitisse alterum ejusdem nominis Martyrem, eumdemque Salonitanum Antistitem; nam cum Martyrologi fere omnes in elogio Anastasiano illum commemorant, tum præterea in Diptychis & catalogis Salonitanis inter Episcopos illius ecclesiæ annumeratur. Hujus vero Pontificatum & Martyrologia, & tabulæ Salonitanæ cum Aureliani ætate atque imperio conjungunt. Quæ distinctio ut evidentius pateat, in promptuque sit omnibus, operæ pretium esse arbitror duas hic Martyrologicas formulas conjungere, & sub unum aspectum subjicere; quarum altera directo quidem ad S. Anastasium Cornicularium spectat, obiter tamen attingit Agapitum illum, cujus constantia ac virtute permotus Anastasius Christianam religionem suscepit; altera vero Agapiti Prænestini nomen & elogium complectitur. Utramque descripsimus ex Adone, qui fuse copioseque alterius Agapiti laudes, & nominatim omnia eidem inflicta supplicia persequitur.

Formula prima ex Adone.

Elogium Adonianum Anastasii, in quo mentio Agapiti Salonitani.

XXI. *Augusti: In civitate Salona natalis Anastasii Martyris, qui cum videret B. Agapitum inter tormenta fortiter Christum confitentem, exclamavit, Magnus est Deus Christianorum, & non est alius præter eum. Erat autem Cornicularius miles; ad quem Præses, sicut video, inquit, seductus es. De quo Præses Imperatori Aureliano renunciavit, qui mox perire illum jubet. Et ita martyr factus migravit ad Dominum.*

Formula secunda ex eodem Adone.

Elogium Adonianum Agapiti Prænestini.

Apud Prænestinam urbem, milliario ab urbe trigesimo tertio, natale S. Agapiti Martyris sub Aureliano Imperatore, Præside Antiocho. Cum esset annorum quindecim, & amore Christi martyrio ferveret, jussu Imperatoris tentus, & primo nervis crudis diu cæsus est. Deinde Præsidi, ut impelleretur sacrificare, traditur. Qui in dirissimo carcere eum recluſit, & per quatuor dies cibum omnem negavit. Inde de carcere exhibitus est Præsidi, qui prunas ardentes super caput ejus imponi jussit; & cum gratias Deo Martyr ageret, flagellis est cæsus, & nudus suspensus capite deorsum verso, acri subter fumo facto. Et cum diceret Præsidi, sapientia tua, & vanitas in fumo laborat, iterum flagellis cæditur a quatuor sibi invicem succedentibus. Deinde bullientem aquam supra ventrem ejus ministri diaboli effuderunt, & maxillas ejus confregerunt. Interea judex de tribunali suo cadens, collectus a ministris in lecto reclinatur, & sentiens Dei virtutem in martyre, post modicum tristem animam emisit. De Beato vero Agapito renunciatum est Imperatori. Qui beatum virum jussit Leonibus subjici. Sed mansuetæ factæ feræ, pedibus martyris ad lambendum se inclinaverunt. Hoc videntes sceleris ministri tulerunt de medio Sanctum Martyrem, & venerunt contra civitatem Prænestinam, ubi sunt duæ columnæ, & ibi eum gladio perfecerunt quintodecimo Kalendas Septembris.

Ex utroq; Elogio ejusdem Martyris utriusque Agapiti.

Utramque formulam, quæso te, accurate perpendas, ut quid ex illis effici, cogique velim, plane perspicias. Ac primum, viden' hic duos Agapitos inter se quanto maximo locorum intervallo disjunctos, alterum apud Prænestæ in Latio, alterum apud Salonam in Dalmatia martyrio perfunctum. Is quippe Agapitus, de quo in priori formula mentio fit, ibidem loci acerbissimos cruciatus pro Christo subibat, ubi Anastasius & Christianam religionem fidenter ac libere professus est, & non ita multo post, ut ea formula satis indicat, Imperatoris jussu interemptus. Huc revoca, quæ diximus cap. 1. Sect. 2. Itaque Agapitus, de quo hic mentionem Ado interjecit, non alibi quam Salonæ martyrium subiit. Alius itaque est, longeque diversus ab Agapito Prænestino, quem Prænestæ religionis causa interfectum fuisse omnes ad unum Martyrologi consentiunt.

Hinc alia distinctionis nota, & alterius ab altero discernendi ratio suppetit. Nemo fere ex Martyrologis, præter auctorem Martyrologii Hieronymiani, a quo abest Anastasii commemoratio, martyrium B. Anastasii Salonæ affixit, quin ejusdem conversionem S. Agapito attribuerit: cum autem iidem multa & præclara de S. Agapito Prænestino commemoraverint, præsertim Ado, qui omnium copiosissime hujus elogium contexuit; nemo unus tamen est, qui Agapito Prænestino Anastasii ad Christum conversi decus & gloriam adscripserit. Mihi vero non sit verisimile, futurum fuisse, ut hanc ejus laudem sane egregiam silentio prætermitterent, si revera propriam illius esse, illique deberi existimassent; præsertim cum cæteras ejusdem laudes, & multiplices pœnas pro Christo susceptas, uberius etiam, quam solent, & accuratius persequantur. Hoc igitur insuper inter Prænestinum & Salonitanum Agapitum interest, quod is Anastasium ad Christi fidem converterit, eumdemque glorioſi certaminis socium habuerit; quam quidem conversionem & societatem nemo Martyrologorum alteri Agapito Prænestino clare disertæque attribuit.

Ignoratio Agapiti Salonitani Antistitis multis errandi causam præbuit.

Hæc propterea dixi, quod neminem Hagiologorum invenerim, qui Salonitanum a Prænestino Agapito distinxerit; quibus venia danda est, cum noster Salonæ Episcopus illis ignotus esset; neque ex ipsis nostris catalogis, qui fere Antistitum Salonensium ordinem invertunt, addiscere poterant Pontificatum Agapiti Salonitani ad imperium Aureliani referendum esse. Hinc factum est, ut plerique, Prænestinis tabulis decepti, unum ex duobus Agapitis conflaverint; neque alium in prima, alium in secunda Adoniana formula, commemorari existimaverint. Et quoniam errores ferme inter se jungi copularique solent, & plerumque alius ex alio necessaria consecutione gignitur, falsæ istorum opinioni id consentaneum erat, ut Anastasium quoque cum Agapito Prænestino confungerent; & aliqui etiam ejus martyrium e Dalmatia in Latium transferrent. Quod quidem quam longe a veritate abhorreat, præclare animadvertit Petrus Galesinius, qui in notis ad suum Martyrol. Petrum Equilinum castigavit, quod is Anastasium Salonæ ademptum Romam revocaverit: *Equilinus*, inquit, *Romæ eum Martyrio coronatum esse scribit. At Salonæ Usuardus, Ado, cæteriqne affirmant.* Et vero Adonis, & Usuardi auctoritas pluris esse cuique debet, quam istorum opinio, qui Actis Prænestinis plus fidei adhibere videntur, quam quantum eisdem tribuere oportet. Cæterum veteres illi Martyrologi, quibuscum Romanum Martyrologium consentit, apertius declarant B. Anastasium necatum fuisse Salonis in Dalmatia, quam ut illorum verba, aut hujus martyrium alio distrahi referrique possint,

Vide

Vide, quæ diximus Cap. 1. conſect. 3. Huc adde notam illam in uno alterove catalogo Salonenſium Epiſcoporum ad nomen Agapiti adjunctam: *Suo tempore martyrium ſuſcepit B. Anaſtaſius*. Quorſum hæc? quia videlicet Anaſtaſii converſio ac martyrium ad Agapiti Salonitani Epiſcopi res præclare geſtas ejuſque eccleſiæ gloriam pertinebat. Nam ſi hæc ad alterum Agapitum, urbemque Prænestinam referenda ſunt, nihil neceſſe fuerat de Anaſtaſio ibidem commemorare.

Cum autem Ado, & Uſuardus a S. Agapito Prænestino, & Salonitanum Agapitum diſtinxerint, & Anaſtaſium Cornicularium ſejunxerint, ſatis conſtare videtur nono ſæculo, cum illi ſcribebant, Acta utriuſque Agapiti fuiſſe diſtincta, & alia ab aliis ſeorſum deſcripta, quæ deinde inter ſe commixta in unam hiſtoriam coaluerunt; eorum autem autographa aut omnino interiiſſe, aut certe in archivis ſitu carieque obducta deliteſcere, ſic prorſus, ut nuſquam appareant; id quod poſtea accuratius explicabimus. Neque enim dubium videtur eſſe, quin veteres illi Martyrologi utrorumque Actorum ſive autographa, ſive exemplaria habuerint; & ex alteris quidem Agapiti Prænestini elogium deſcripſerint, ex alteris vero, quæ pertinent ad Anaſtaſium Salonitani Agapiti ſocium deſumpſerint: niſi forte veriſimillus eſſe videatur temporibus illis extitiſſe propria S. Anaſtaſii Acta, in quibus frequens eſſet, atque honorifica mentio Agapiti Salonitani Epiſcopi; atque ex his Adonem cæteroſque tum S. Anaſtaſii converſionem ac martyrium, tum Agapiti nomen & commemorationem in ſua Martyrologia tranſtuliſſe.

Ante nonum ſeculum Acta utriuſque Agapiti diſtincta.

§. III.

In Actis Agapiti Prænestini contineri quædam ad Salonitanum ſpectantia. Ratio ſecernendi, quæ ad alterutrum pertinent.

QUÆ proximo ſuperiori paragrapho dixi, ea paullo fuſius explicare neceſſe habui, ut ad conficiendum illud, quod propoſui, facili & expedito ſine ulla offenſione curſu, atque adeo ſponte ſua feratur oratio. Nam ſi duos Agapitos tertio vertente ſæculo fuiſſe conſtat, alterum Prænestinum, alterum Salonitanum, ſi ad hunc poſteriorem referri oportet converſionem ac martyrium Anaſtaſii Cornicularii, conſequens eſt, quæ in hiſtoria Prænestini de Anaſtaſio narrantur, ea pertinere ad Salonitanum Agapitum, ex hujuſque Actis illuc irrepſiſſe. Hujus argumentationis formam a Papebrochio accepi, ejus exempla ſequor, eamdem atque ille diſputandi rationem ac viam inſiſto. Cum enim Papebrochius in Actis Prænestinis ea fere omnia manifeſto deprehendiſſet, quæ in prima parte hiſtoriæ S. Venantii leguntur, quæque in hunc convenire nequeunt, haud dubium eſſe duxit, quin illa ab S. Agapito ad S. Venantium traducta fuerint. Nos ratione haud diſſimili dicimus converſionem ac martyrium S. Anaſtaſii ab Salonitano ad Prænestinum Agapitum tranſlata eſſe, propterea quod eadem omnino deſcripta eſſe, attributaque Salonitano Agapito invenimus in formulis Martyrologicis, quibus Anaſtaſii martyris Salonitani commemoratio & elogium continetur.

Jam vero ſi Papebrochii exemplo priorem Adonianam formulam ſupra exhibitam, cæteraſque aliorum Martyrologorum formulas eodem ſpectantes cum Actis Prænestinis conferamus, ſimillimæ inter ſe omnia, vel potius eadem de S. Anaſtaſio in his, atque in illis narrari comperiemus. Idem utrobique Anaſtaſii nomen, eadem dignitas, idem titulus Anaſtaſio adſcriptus; eadem iridem cauſa & ratio converſionis; ac ne verba quidem inter ſe diſcrepant, quibus ſe Chriſtianum eſſe profitetur; nam utrobique dicitur exclamaſſe: *Magnus eſt Deus Chriſtianorum*; iiſdemque utrobique verbis Præſes Anaſtaſium increpat. Acta Prænestina inquiunt: *Præſes dixit ad eum, ſicut video, ſeductus es*. Ado autem: *Ad quem Præſes, ſicut video, inquit, ſeductus es*. Denique utrobique dicitur Præſes ad Imperatorem detuliſſe Anaſtaſii nomen, eumdemque ſuſceptæ Chriſtianæ religionis crimine accuſaſſe. Hoc tantum intereſt, quod, quæ Martyrologi ſummatim breviterque perſtringunt, hiſtoria Prænestina paullo fuſius explicat; quamquam aliqua exemplaria Actorum de Anaſtaſii martyrio nihil commemorant, id quod Martyrologi juſſu Imperatoris factum eſſe declarant; Auctor vero hiſtoriæ Venantianæ præterea docet, quo ſupplicii genere obierit.

Ex his ſatis manifeſto apparet Acta Prænestina, quæ Camertinis & Venantianis Actis inſerta eſſe comperit Papebrochius, non eſſe ſincera omnino ac ſimplicia, ſed quadam ex parte permixta, & ex Actis utriuſque Agapiti Prænestini & Salonitani in unam hiſtoriam coaluiſſe. Si quis vero hujuſmodi Acta conjuncta & confuſa diſtinguere cupiat, & internoſcere, quæ ad Prænestinum, quæve ad Salonitanum Agapitum pertineant, ex duplici Adoniana formula paullo ante deſcripta certiſſimam habet regulam, qua poſſit alia ab aliis ſecernere. Quidquid enim in Actis Prænestinis invenies, quod cum iis cohæreat, quæ Ado de Agapito Prænestino in poſteriori formula ſcripſit, id omne eidem Prænestino martyri intactum integrumque relinquas oportet; contra vero ubi aliquid in ejuſmodi Actis deprehendas, quod cum priori Adoniana formula omnino congruat, ne dubites id totum reſecare, atque ad Salonitanum ejuſdem nominis Epiſcopum transferre. Si quæ vero ſint, quæ neutri formulæ conveniant, ea ne reſcindas, neve ſuo loco dimoveas, adimaſve Prænestino Agapito; quippe cum is ex antiqua ſuorum Actorum poſſeſſione depelli non debeat, niſi ubi manifeſte appareat aliquid eidem dolo malo, aut per errorem affictum fuiſſe. Cum itaque ad hanc regulam Acta Prænestini Agapiti expendi, & ſuppoſititia a genuinis ſecerni oporteat, huic attribuendum eſſe diximus multiplices illos varioſque cruciatus, quos Ado in poſteriori elogio nominatim perſequitur, vincula nimirum ac verbera, quatuor dierum inediam, prunas vertici impoſitas, fumum ſuſpenſo ejus capiti deorſum verſum pendenti ſubjectum, leones eidem blandientes, perfuſionem aquæ ebullientis, contuſionem maxillarum, capitis amputationem; & quidquid præterea ibidem Ado commemorat, unus ſibi vindicat Prænestinus Agapitus; nihil horum ab ejus hiſtoria removendum eſſe cenſemus. At vero ab eodem ſeponi volumus, referrique in Acta Salonitani Agapiti tum converſionem, tum martyrium Anaſtaſii Cornicularii; & ſi quæ alia ſint, quæ Ado in priori formula de Anaſtaſio ſcripſit. Hæc ſiquidem ad noſtri Agapiti laudem jure pertinent, qui eximiæ cujuſdam virtutis & conſtantiæ exemplo auctor fuerat Anaſtaſio, ut Chriſtianam religionem amplecteretur, & pro Chriſto ad extremum uſque ſpiritum decertaret. Quod ſi alia inſuper inveniantur in aliquo exemplari Actorum Prænestinorum, quæ quidem ab illis duabus formulis abſint, ſed aptius in Salonitanum, quam Prænestinum quadrent, nihil vetat, quominus ea quoque indidem repeti, & Agapito noſtro reſtitui poſſint;

Acta Prænestina ex Actis utriuſque Agapiti compoſita.

Ratio ſecernendi, quæ ad Prænestinum Agapitum pertinent.

quæve ad Salonitanum.

Digitized by Google

ſint; præſertim cum hujus Acta nimis grave præjudicium retulerint a doctiſſimis viris, qui cenſuerunt illa eſſe *admodum depravata*, & multa in iis contineri, quæ cum Prænestino puero ac martyre haud ſatis congruere videntur; ut proinde impune liceat quædam amputare, alioque rejicere, quæ neque apud Adonem, neque apud cæteros Martyrologos de Agapito Prænestino commemorata inveniuntur. Vere igitur Baronius in notis ad Martyr. Rom. ad diem 21. Aug. ait: *De hoc Anaſtaſio*, ideſt Corniculario, *plura ſcripta habentur in Actis S. Agapiti Prænestini, de quo ſupra* XV. *Kal. Sept.* Vere inquam ſcripſit de Anaſtaſio plura reperiri in Actis Prænestinis, ſed tamquam in aliena ſede, ſed illuc intruſa, ſed extrinſecus invecta, nimirum ex Actis Agapiti Epiſcopi Salonitani.

§. IV.

Ex parte poſtrema Actorum S. Venantii eſſe aliqua, quæ haud inepte ad Salonitanum Agapitum accommodari poſſint.

ACta S. Venantii octo prioribus paragraphis comprehenſa tantam rerum ac verborum ſimilitudinem habere cum Actis S. Agapiti Prænestini Papebrochius oſtendit, variis utrinque locis productis atque inter ſe collatis, ut cuivis non opinione ſolum, ſed plane ad veritatem perſuaſerit, Camertes ex tabulis Prænestinis furripuiſſe, quod ad ornandam, augendamque hiſtoriam S. Venantii transferrent. Poſtremam vero Actorum partem, quam ſupra Papebrochius inter fabulas & commenta rejiciendam duxerat, idem infra in eadem Appendice affirmat aliunde ſuperadditam eſſe, ac proinde alio ſpectare; ſed nulla autographa, nullas tabulas indicavit, unde illam Camertini deſumpſerint. *Fere totam legendam* (Venantii) *uſque ad numerum* 9. (*quæ enim deinceps ſequuntur, aliunde ſuperaddita ſunt*) *inde*, ideſt ex Actis Prænestini, *tranſumptam fuiſſe apparet*. Itaque ex ſententia Papebrochii Acta S. Venantii a paragrapho nono uſque ad finem perducta, ſaltem aliqua ex parte, perinde habenda ſunt, ac ſi eſſent poſſeſſio quædam quaſi caduca & vacua, de qua nondum liqueat, cui potiſſimum adjudicari debeat. Cum autem Papebrochius idcirco Venantium Camertem ab ea poſſeſſione dimoverit, quod neque res, neque loca, neque vocabula hiſce Actis implicita in eum convenire poſſint; ſi quis ex antiquis martyribus inveniretur, quocum illa haud inepte congruerent, is profecto ex illis Actis, quod ſibi quadrat, vindicare, atque a Camertibus repetere, jure ſuo quodammodo poſſet. Hoc autem conſtituto, ad rem veniamus.

Poſteriores Actorum S. Venantii, vel fabuloſa, vel aliunde ſurrepta judice Papebrochio.

Ex Actis S. Agapiti Prænestini, quæ prima parte Actorum S. Venantii Camertis continentur, illa omnia ſuperiori paragrapho deſcripſimus, quæ neque Prænestino, neque Camertino martyri conveniunt, & in Agapitum Salonitanum vel aptiſſime quadrant, cui ſcilicet adempta fuiſſe oſtendimus. Nunc vero ultra progredimur, idque agimus & contendimus, ut probemus, aliena non eſſe ab noſtro Agapito, immo cum eodem ſatis cohærere, ſi non omnia, certe aliqua, quæ Camertes Actis Prænestinis in Acta Venantiana transfuſis addiderunt, quæque Papebrochius aliunde adſcita fuiſſe arbitratur.

Ex poſtrema parte Actorum S. Venantii aliqua cum Venantio puero minus cohærent,

Pars itaque poſterior hiſtoriæ Venantianæ ea S. Venantio attribuit, quæ neque in eum conveniunt, & graviorem perſonam requirunt, quam ut ab imberbi adoleſcentulo, vix quindecim annos nato, quamvis egregiæ indolis, virilisque fortitudinis, pro dignitate ſuſtineri queant; ex quo apparet hujus hiſtoriæ Auctorem minime ſibi conſtare; quippe cum verbo tenus puerum, reipſa virum non minus ætate quam virtute maturum, & ſumma auctoritate præditum in ſcenam produxerit. Illum officio concionandi, quod ad Epiſcopos aut viros ſacris ordinibus initiatos pertinet, identidem perfunctum docet: eas vero illi conciones affingit, quibus majus quoddam ſententiarum pondus, & plus auctoritatis ineſt, quam quantum ætas puerilis ferre, aut præſtare poſſit, ut quoties illas lego, toties mihi obverſetur animo ſpecies quædam graviſſimi viri Epiſcopali charactere ac nomine inſigniti. Ubique ille pro poteſtate docet ac præcipit, hortatur ac monet; alios per ſe ipſe baptizat, quod miniſterium longe maximum ac ſanctiſſimum a Laicis olim numquam uſurpari ſolebat; alios adire jubet Sacerdotem quemdam nomine Porphyrium, a quo baptizentur. Quid quod *Homo Dei* appellatur, non ſecus atque Porphyrius ætate provectus, dignitate Presbyter? quid quod iterum ac tertio, *Patris*, atque adeo *Sancti Patris* vocabulo afficitur atque ornatur? quæ quidem omnia tam ſunt a puero aliena, quam cum viro Pontificia dignitate prædito mirifice congruunt. Quare cum decorum ubique ſervandum ſit, & recta ratio præcipiat expendere, quid & quantum inter perſonas atque ætates interſit, jubeatque reddere, quæ cuique ſunt convenientia; neceſſe eſt ex hac poſtrema hujus hiſtoriæ parte aliquid detrahere, & Venantio Camertino adimere, illudque Agapito Salonitano, unde fortaſſis ſumptum eſt, reſtituere; quod ille quidem perſonam ſibi impoſitam per ætatem ferre nequeat, hic vero eamdem perſonam ſibi reſtitutam pro ſua ætate ac dignitate præclare ſuſtineat.

In Agapitum Epiſc. optime quadrant.

Alia præterea ratio ſuppetit, eaque longe graviſſima, cur putemus ex hujuſmodi Actis nonnulla Agapito Salonitano attribuenda eſſe. Nam argumenta, quibus Papebrochius utitur, ut Camertinam hiſtoriam aut confictam aut ſuppoſititiam eſſe oſtendat, nulla videntur eſſe, ſi quædam ibidem narrata Camerino Salonam, ab S. Venantio ad noſtrum Agapitum tranſtuleris. Jure ac merito vir doctiſſimus miratur, quid in mentem venerit Scriptori hujus hiſtoriæ res tam abſurdas, tamque inter ſe diſcrepantes conjungere. Quî enim cum tertio ſæculo cohærere poteſt Joannes Papa, cum nemo ante ſextum ſæculum hujus nominis Pontifex Romanæ eccleſiæ præfuerit? Quid hominis erat Antiochus ille imperator, atque adeo, ſi ſuperis placet, Rex Romanorum? Unde tantum celebritatis ac ſplendoris Camerino obtigerat, ut illic regia ſedes & palatium Antiochi conſtitueretur? illud vero quam ineptum & puerile, ex eo Camerinum dictum fuiſſe, quod ibidem *Camera Regis* eſſet. Jam vero hæc & alia id genus fac a Venantio abſint, & correctione quadam adhibita, ad noſtrum Agapitum transfer, ex Umbria in Dalmatiam, jam tibi apta, veriſimilia, connexa ſunt fere omnia, & fabula in hiſtoriam convertitur. Si enim Romæ vocabulo Salonitanæ urbis ſignificationem ſubjeceris, & pro Antiocho Aurelianum, pro Joanne Romano Pontifice Joannem Epiſcopum Salonitanum, qui Agapito proxime ſucceſſit, pro Camerino Epetium urbem Dalmatiæ Salonæ proximam, pro Venantio puero Agapitum Epiſcopum ſubſtitueris, abſurda illa, minimeque cohærentia ſtatim evaneſcere ac diffluere ſenties, quæ antea neque explicari, neque intelligi poterant; nihil erit, quod facili adhibita explanatione ad veritatem hiſtoricam exigere nequeas, nihil, quod Chronologiæ, quod

Alia cum Venantio Camerti pugnantia.

Cum Agapito Salon. Epiſcopo non item.

Cho-

Chorographiæ, quod Onomalogiæ Dalmaticæ minus apte respondeat. Sed hæc obscuriora videri, & vix probabilia reddi possunt, cum sine appositione ipsius historiæ correctæ atque emendatæ ientius disputantur. Difficile autem esset, ac sane laboriosum longa & perpetua disputatione singula expendere. Quocirca Acta S. Venantio perperam afficta, & Agapito Salonitano restituta lectori exhibebimus, quæ quidem levi quadam patronorum nominum mutatione facta ex Codice Camertino sive Eutitiano descripsimus, iis prætermissis, quæ vel pertinent ad Prænestinum Agapitum, vel non abhorrent a Venantio Camertino, vel denique in alium locum reservanda esse duximus. Deinde eadem Acta variis animadversionibus illustrabimus; & singula accurate persequentes id potissimum ostendere conabimur, quæ neque in S. Venantium, neque in urbem Camertinam conveniunt, ea omnia cum Agapito Salonitano, cum urbe Salona vel Epetio haud inepte congruere. Verum antequam hæc aggrediar, primum quam potero brevissime exponam, qua ratione, quove casu id contigerit, ut Acta Agapiti Salonitani primum in Acta Agapiti Prænestini, tum in Acta Venantii Camertis immigraverint; deinde nobis explicanda erit ratio, quam potissimum secuti sumus in Actis restituendis Agapiti Salonitani, ac repetendis ex historia Camertina.

Consilium & ratio restituendi Acta Agapiti Salon.

CAPUT IV.

De restituendis Actis Agapiti Salonitani alio translatis.

§. I.

Acta Agapiti Salonitani primum amissa, deinde alio atque alio detorta.

QUÆ hactenus diximus, ea satis declarant, quam varias ac multiplices locorum, rerum, ac temporum mutationes subierint Acta Agapiti Salonitani Episcopi, alias cum Actis Agapiti Prænestini martyris commixta, alias Venantio martyri Camertino sive per insciti am, sive per fraudem afficta. Id ut planius explicari, atque intelligi possit, operæ pretium esse arbitror eorumdem Actorum originem paullo altius repetere, & vicissitudines persequi; ex quo perspicere liceat, unde & quomodo accidere potuerit, ut ejusmodi Acta ab Dalmatia in Italiam migrarent, & Agapiti Salonitani Antistitis nomini subducta ex alio in alium martyrem transfunderentur. Res est inquisitione digna, & nobis propemodum necessario explicanda, ut magis magisque liqueat id, quod efficere contendimus; & Agapitus noster, nemine si fieri possit adversante, amissam jampridem Actorum suorum possessionem recuperet. A principio usque ad exitum ordinem rerum seriemque producam, & quemadmodum res gesta sit, aut geri potuerit, paucis exponam. Toti narratio conjecturis potius, quam argumentis innititur; sed ita, ut verisimilis sit, ut perspicua, ut consentanea illis, quæ supra diximus, ut nihil denique afferat, quin aliquo modo videatur probabile; præsertim cum magna ex parte declaratum jam sit, in ejusmodi Actis quædam esse, quæ ad Salonitanum Agapitum pertinent, atque ab eo in Prænestinam, deinde in Camertinam historiam derivata esse: hoc enim constituto, nihil prohibet, quo minus res tota sic evenire potuerit, quemadmodum a nobis exponitur.

Nemo est, quin sciat, summam olim diligentiam cautionemque adhibitam esse in colligendis approbandisque martyrum Actis; & huic muneri in singulis ecclesiis præpositos fuisse quosdam singulari fide ac prudentia viros, quorum alii supplicia Christianis ob religionem inflicta, ac totius quæstionis ac martyrii ordinem seriemque in codices referrent; alii vero, quæ ab his scripta erant, summa cura recognoscerent, corrigerent, probarent, & quam emendatissima in publicis ecclesiarum tabulariis reconderent. Nec dubium mihi videtur esse, quin Acta Agapiti Salonitani Antistitis eadem ratione, & fide, & diligentia olim conscripta fuerint, approbataque; & in archivis illius ecclesiæ tamdiu custodita, quoad ea in multiplici temporum illorum varietate motuque, ac rerum publicarum perturbatione, ab incendiis, direptionibus, & communibus cladibus tueri licuit. Incredibile enim dictu est, quam multiplices ac variæ calamitates identidem Illyrico & Dalmatiæ ingruerint, quæ quidem cum sacra & profana omnia pervastarent, tum præsertim in publica & privata archiva fœdum in modum grassabantur, ut alia quædam flammis absumpserint, alia tectorum ruinis obruerint, alia alio distraxerint, ac dissipaverint. Quantam sacris codicibus cladem a Diocletiano illatam putes, qui omnia ecclesiarum tabularia incendi jusserat? quantam a Galerio, qui se illius furoris non socium modo ac ministrum, sed etiam auctorem ac ducem præbuit? Adde huc irruptiones Barbarorum ferro & igni omnia vastantium, & Avarum præsertim, qui Salonam funditus everterunt. Ante hos autem nihilo mitius infestata habuerant Dalmatiam Odoacer, cum Græcos ejecit, Theodoricus, cum Herulos expulit, Justinianus, cum Gothos ex universa illa provincia exterminavit. Inter hos tumultus, incendia, & ruinas vel direptæ provinciæ, vel captæ urbis, quantam rei diplomaticæ jacturam fecerint Dalmatæ, & Salonitani, vix aut ne vix quidem explicari potest.

Acta martyrum diligenter conscripta & custodita.

Fuerunt præterea, qui archiva Dalmatica & Salonitana compilarunt, & præstantissimos quosque codices inde sublatos alio transtulerunt, veluti Mundilla gentis Ursinæ Italicæ auctor ac princeps, cum scilicet ex Dalmatia in Italiam migravit, & Spoletini Principatus possessionem adivit. Qua tempestate Carolus Magnus in deditionem imperii redegit bellicosissimos Chrobatiæ Reges, qui prope ab ruderibus Salonæ principem regni urbem, sedemque regiam, cui nomen erat Biacio, constituerant; adventus Gallorum in Dalmatiam, ut regionibus illis saluti, sic publicis urbium tabulariis exitio propemodum fuit; adeo natio hæc, ut erat literis dedita, & antiquitatis investigandæ studiosissima, omnia fere corraſit monumenta, quæ reliqua fecerat superiorum temporum calamitas; & eruditis Dalmatiæ spoliis archiva domestica seu Gallicana locupletavit. Sexcenta sunt hujusmodi infortunia; rerumque publicarum motus, & ex uno in aliud dominium commutationes, quibus Dalmatiam identidem obnoxiam fuisse accepimus; ex quo intelligi potest, quantum diminutionis ac detrimenti inter illos tumultus ac perturbationes res Diplomatica Illyrica acceperit.

Tabularia Dalmatiæ direpta.

Jam vero plurique codices, quos aut ignis non absumpsit, aut diruptarum ædium congeries non oppressit, in varias orbis partes delati ac dispersi alii alio migrarunt, vix ut ex tanta jactura & dispersione paucas omnino reliquias Dalmatæ exemerint, quas diligentius custoditas posteritati mandarent. Aliis hujusmodi monumentis Græcia, aliis Gallia, aliis Hispania, aliis denique Italia receptum ac perfugium

Codices alio translati.

fugium præbuit. Sed non eadem ubique fortuna codices Dalmaticos & Illyricos excepit. Præclare cum illis actum eſt, quibus numine propitio Gallica migratio ac ſedes obtigit; nam, quantum ego animadvertere potui, apud Gallos nulla illis labes aſperſa, nemo iiſdem interpolandi cauſa audaces manus injecit. Si quos enim aliquando Galli in publicum protulere, eos perinde ut in autographis erant, integros intactoſque ex archivis emiſerunt. Contra vero quam male habiti fuerint, quas corruptelas, ac deformationes ſubierint, qui adverſo plane fato impellente in Hiſpaniam appulerunt, ſatis ſuperque declaratum eſt in Actis primi & alterius Heſychii, itemque in Actis S. Venantii, ac deinceps aliis in locis oſtendemus. Illyricas tabulas apud Italos varia ac diſſimili fortuna uſas fuiſſe reperio; & alibi quidem fidiſſimos eſſe nactas tutores, qui eas ab omni interpolatorum injuria prohiberent; alibi vero in ejuſmodi manus incidiſſe, quæ nihil propemodum in eis ſani, nihil integri, nihil ſinceri reliquerint, & ſæpe eaſdem, variatis vocabulis, transformarent, & ex alio in alium converterent; ut videre eſt in Actis iis, de quibus agimus, unde nonnulla ab Salonitano ad Prænestinum Agapitum, longe vero plura, ut nobis videtur, ad Venantium martyrem Camertinum translata ſunt.

Acta Agapiti Salonitani in Italiam vecta,

Acta igitur Agapiti Salonitani Antiſtitis, ut veriſimile eſt, in aliqua ex iis, quas ſupra memoravi, rerum Dalmaticarum converſione motuque, quo caſu incertum quave fortuna, primum in Italiam, deinde Prænestе delata ſunt. Poſt decimum ſæculum, ablegatis jam bonis artibus litteriſque, fœda quædam barbaries, rerumque antiquarum inſcitia totam Italiam pervaſit. Exinde multæ prodierunt Divorum hiſtoriæ ab iis hominibus compoſitæ, qui neque ingenio perſpicaci, neque prudenti judicio ad res deligendas, momentoque ſuo ponderandas præditi cum eſſent, non tam operam dedere, ut res veras certaſque deſcriberent, quam ut multas ad hujuſmodi hiſtorias amplificandas undique corrogarent, & nihil omnino prætermitterent, quod ſcriptum in ſchedulis quibuslibet reperiretur; neque enim res divorum præclare geſtas putabant ſe pro dignitate expoſituros, niſi eas multa miraculis, varliſque prodigialium rerum ac factorum eventibus adornarent: quaſi vero Sancti Dei homines noſtris mendaciis egeant, qui tam multa præclara & vera pro Chriſto geſſerunt. Hinc factum eſt, ut multæ Divorum hiſtoriæ apud Criticos graves & ſeveros auctoritate careant.

Poſt x. ſæculum Acta utriuſque Agapiti permixta & confuſa.

Ergo per ea tempora ignorantiæ tenebris circumfuſa extitit neſcio quis ſingulari quadam erga Agapitum Prænestinum religione affectus, qui nactus cum eſſet Acta Agapiti Salonitani, neque intelligere poſſet, unde hæc allata fuiſſent Prænestе, & præterea videret cum Actis Agapiti Prænestini non ſolum nomine, ſed etiam aliqua rerum ac temporum ſimilitudine cohærere; nullo ad rem penitus inveſtigandam diſcernendamque acumine & judicio adhibito, facile in eam opinionem adductus eſt, ut putaverit omnia illic deſcripta, aut certe nonnulla ad ſuum Agapitum pertinere. Itaque cum Actis antiquis ac germanis Agapiti Prænestini, unde ejus elogium Uſuardus, Ado, cæterique Martyrologi deſcripſerunt, nonnulla permiſcuit decerpta ex Actis Salonitanis, quæ cum patria, ætate, rebuſque geſtis Agapiti Prænestini pueri ac Martyris ſine aperta repugnantia componi poſſe videbantur, atque unum ex duobus Agapitis conflavit. Ita cenſuit magnam ſe apud Prænestinos, eorumque Divum Præſidem ac Tutorem gratiam iniiſſe, hujus hiſtoria aucta & amplificata; quæ tum primum in lucem prodire, atque in hominum manibus verſari, haberique in pretio cœpit, neglectis vetuſtis ſinceriſque ejuſdem Actis, quæ illorum temporum atque hominum ingenio hoc minus placebant, quo brevius ſimpliciuſque, ſine ulla exornatione, conſcripta fuerant.

Eadem acta ſæculo XIII. Venantio aſſicta.

Deinde ſæculo XIII. vergente alter inventus eſt miræ inſcitiæ audaciæque, aut animi certe parum critici ac prudentis, qui cum Acta illa Prænestina depravata, itemque Acta Salonitana Agapiti noſtri adeptus eſſet, nullo rerum delectu habito, omnia ſimul permiſcuit, & Venantii Camertini pueri ac Martyris nomini ſubjecit. Auctor eſt Daniel Papebrochius in notis *ad hiſtoriam ablati, & relati corporis S. Venantii*, tom. 4. die 18. Maji, nono & decimo ſæculo multos in Italia eximiæ ſanctitatis & doctrinæ viros fuiſſe, qui multum operæ curæque in eo ponerent, ut antiqua Divorum monumenta, ac præſertim Martyrum hiſtorias undique conquirerent, caſdemq; ab oblivione hominum vindicarent. Haud equidem, ut opinor, erraverim, ſi dixero Italos homines ad præclara hæc ſtudia excitatos fuiſſe Gallorum exemplo, qui ſæculo nono ineunte juſſu & auſpiciis Caroli Magni multiplicem, ac variam veterum tabularum ſupellectilem ſibi ac poſteris adornarunt ex omnibus propemodum Europæ tabulariis collectam. Hinc celeberrima illa Martyrologia IX. ſeculo prodiere, auctoribus Uſuardo, Floro, Rabano, Vandalberto, Adone, Notkero, aliiſque præclaris viris ſummo ingenio & ſumma doctrina præditis, quibus Beda exemplum prætulerat. Tantam ſcilicet Hagiologorum copiam una hæc ætas effudit. Porro temporibus illis ne nomen quidem, nedum Acta Venantii videntur fuiſſe nota, cum nemo ex illis Martyrologis Venantii mentionem fecerit. *Venantii quia hoc nomen invenitur apud ullos antiquos Martyrologos*, (inquit Papebrochius) *datur intelligi, nulla ejus Acta primis octo vel decem ſæculis nota fuiſſe Italis, apud quos diligenter colligebantur paſſiones Martyrum ac vitæ Sanctorum. Qualia autem poſtea compoſita ſint, & cujus fidei, ut per te ipſe poſſis æſtimare, ipſa, licet alioquin hoc opere indigna, hic tota dabimus.* Idem Papebrochius in Annotat. critica ad eadem Acta indicat, cujus ætatis fœtus ſit hiſtoria illa Venantiana: *Nihil ergo dubito, quin Acta illa, ſic ut dedimus, ipſa ſint, quibus ut ſuis uſa eſt Camerinenſis eccleſia; ſimulque intellige, omnia eſſe temporis illius barbariſſimi, quo abolita legitimarum antiquitatum memoria, Italicæ urbes variæ ex ſuis nominibus, ſæpe perquam ridicule interpretatis, comminiſcebantur fabuloſas ſuarum appellationum cauſas &c.* Hujus igitur hiſtoriæ compoſitæ epocha videtur referri poſſe ad ſæculum 13. poſtquam corpus S. Venantii per Manfredum Siciliæ Regem, qui Camerinum occupaverat, paucis ante annis ablatum, juſſu Clementis IV. Pontificis Maximi in urbem revectum eſt ab Carolo Andegavenſi, qui victo cæſoque Manfredo anno 1266. regnum utriuſque Siciliæ obtinuit.

Cum ſæculo XIII. Corpus S. Venantii Camerinum eſt revectum;

Cum enim ex eo tempore S. Venantii cultus ac religio mirifice augeri cœperit, ejuſdem præclara geſta evulgandi ſtudium & cupido Camertinos inceſſit. Verum ille, cui id negotii datum fuerat, cum ex antiquis monumentis vetuſtate abolitis aut nihil, aut pauca quædam nactus eſſet, quæ ad ejus hiſtoriam pro dignitate conficiendam non ſatis materiæ præbebant; neque inveniret, quemadmodum civium ſuorum expectationi ſatisfacere poſſet, aliunde conquirendi, quod domi deerat, conſilium cepit. Cum itaque in ejus manus incidiſſent duo

tum edita fuit hiſtoria Venantiana, Actis utriuſque Agapiti ſuctа.

illa

illa exemplaria, quorum altero Agapiti Prænestini, altero Agapiti Salonitani Acta continebantur, primum eodem, quo Prænestinus Auctor errore deceptus, putavit unum eumdemque Martyrem esse, propterea quod utraque illa exemplaria non solum nomine, sed etiam rerum ac temporum similitudine interse congruere videbat, præsertim cum scriptor Prænestinus e Salonitano in Prænestinum Agapitum nonnulla transtulisset. Deinde ex utraque unam historiam composuit, quam Venantio adscripsit, & cum iis conjunxit, quæ de eodem vel litteris tradita ipse invenerat, vel a majoribus fama & auditione Camertini acceperant. Nec vero deerant in Actis Prænestinis, quæ cum Venantio congruerent, veluti puerilis ætas utrique Martyri communis, & alia præterea illis similia, quæ de Venantio communis traditio vulgaverat. Oblatam igitur de patria scilicet ac de S. Venantio benemerendi occasionem arripuit; aliqua vel adjecit, vel detraxit, vel immutavit; quæ Prænestæ, sive Salonæ acta esse dicebantur, commutatis nominibus, Camerinum transtulit; & ut paucis omnia complectar, ex Agapito Salonitano & Prænestino Venantium Camertinum effinxit. Cæterum multo liberius ac fidentius, quam Auctor Prænestinus, omnia fere ex utroque Salonitano & Prænestino exemplari descripsit, ad suumque Venantium traduxit, nullum rerum delectum habuit, neque admodum cogitavit, quid, aut de quo scriberet; & quamvis expuncto Episcopi nomine illud sollicite cavit, ne quod Pontificiæ dignitatis vestigium in suo Venantio appareret; nonnulla tamen imprudens in eum transtulit, quæ indicio esse possunt, illum Episcopali & charactere præditum, & officio functum fuisse. Denique id unum agere visus est, in eoque potissimum laborare, ut vita & martyrium Venantii Camertini rebus quamplurimis augeret, atque exornaret. Hæc ita gesta esse, quemadmodum exposui, mihi quidem verisimile sit; aliis vero haud fortasse improbabile idipsum videbitur. Cæterum suo quisque, per me licet, utatur judicio; modo illud probabile reddiderim, quod sæpe dixi, haud pauca ex Actis Agapiti Salonitani tum in Prænestinam, tum in Camertinam historiam derivata esse.

Infelicia vel mala fides Auctoris historiæ Venantianæ.

§. II.

Consilium & ratio restituendi Acta Agapiti Salonitani.

Ex historia Prænestina & Camertina Acta Agapiti Salonitani repetendi occasio.

POstquam diligenti cura & cogitatione adhibita visus sum mihi in historia Prænestina, & Camertina res gestas Agapiti Salonitani haud plane obscuris indiciis deprehendisse, id consilii statim cepi, ut hujus Acta redimerem, & ab rebus alio pertinentibus, quibuscum erant admixta, accurate secernerem, atque illius nomini restituerem, unde mihi olim surrepta fuisse videbantur. Ex quo fiet, ut Agapitus Salonitanus Episcopus, idemque Martyr egregius, cujus memoria ac religio jampridem obsolevit, rebus ab se præclare gestis instructus atque ornatus nunc iterum in lucem prodeat, & cum universos Dalmatas, tum præsertim Spalatenses, ad quos Salonitanæ ecclesiæ nomen, dignitas, privilegia, Divique Præsides immigrarunt, ad sui cultum & venerationem alliciat. Verum cum hæc aggrederer, mihi veniebat in mentem vereri, ne consilii mei rationem non satis probare possem omnibus, iis præsertim, qui morosius, quam subtilius rem unamquamque expendunt; ita suopte ingenio comparati, ut si quid afferas, quod non prorsus evidens sit atque exploratum, id totum abjudicent, atque rejiciant. Est sane, quatenus illis concedi possit; nam si hoc a nobis postulant, cum in rebus versamur, quæ non admodum ab ætate nostra remotæ sunt; aut cum tabulæ & monumenta supperunt, unde certa earum cognitio peti possit, æqua sane, & rationi consentanea postulant; at vero si idem requirant, cum agitur de rebus antiquissimis, atque omni litterarum luce destitutis, majus quiddam exigunt, quam quantum vel doctissimus quisque præstare aut efficere queat. Neque is noster qualiscumque labor frustra susceptus idcirco videri debet, quod ex eo nihil certi colligi possit; nam de rebus ejusmodi satius est aliquid probabile, quam nihil omnino scribere; nec male agi putamus, si verisimilitudinem sequamur, quando veritatem ipsam assequi non licet. Cæterum, utcumque erit, me certe juvabit egregii hujus Martyris memoriæ ac religioni, quantum in me fuerat, consuluisse; & illud præterea fortasse perficiam, ut hoc meo qualicumque conatu, ad eamdem rem diligentius inquirendam studia excitem aliorum, qui solertiori ad investigandum ingenio præditi, & majoribus doctrinæ copiis instructi cum sint, abundant etiam veteribus monumentis, & optimæ notæ codicibus, unde aliquid magis certum & exploratum elicere poterunt.

Hæc igitur omnis offendiculi amoliendi causa præfatus, jam paucis exponam, quid nostri consilii sit, quæve sit ratio, quam in hisce Actis restituendis secuti sumus. Daniel Papebrochius Acta Venantiana ex codice Euticiano descripta bifariam divisit. Pars prima octo prioribus, pars altera decem & tribus insequentibus paragraphis continetur; illam ex Actis Agapiti Prænestini surreptam, hanc vero aliunde mutuatam idem Papebrochius censuit. Ex parte prima initium desumpsimus, quamvis ejusmodi sit, ut neque Venantio, neque Agapito sive Salonitano, sive Prænestino, nisi correctione quadam adhibita conveniat, cum nemo per ea tempora fuerit, qui in Italia aut in Dalmatia Regni potiretur. Itaque expuncto *Antiocho Rege*, *Aurelianum Imperatorem* substituimus. Acta quædam magis emendata S. Agapiti Prænestini Antiochum e regia sive imperatoria potestate dejectum in ordinem Præfectorum urbis Romanæ redigunt, qui Aureliano imperante ac jubente Agapitum variis suppliciis excruciatum capite damnavit. Huic enim historiæ in quibusdam manuscriptis initium hujusmodi præfigitur: *Tempore illo, quo impiissimus Aurelianus Imperator sævissimam persecutionem contra Christianos exerceret in toto orbe Romano, agebat Romæ præfecturiam dignitatem Præses nomine Antiochus, pejor per omnia Domino suo. Erat tunc in eadem urbe venerabilis puer nomine Agapitus timens Deum* &c. Deinceps vero apte congruenterque ad hujusmodi initium in locum Antiochi Regis Aurelianus Imperator suffectus legitur; & judicis partes, quæ in aliis codicibus Præsidi cuidam anonymo tribui solent, in his melioris notæ manuscriptis Antiocho imponuntur. Atque id genus Acta sincera & germana, unde aberat conversio Anastasii Cornicularii, habuisse, & secutos fuisse apparet Usuardum, Adonem, aliosque Martyrologos, qui S. Agapiti Prænestini martyrium ad Aureliani ætatem atque imperium referunt, & Antiocho Præsidi adscribunt.

Ex prima parte historiæ Venantianæ quid a nobis desumendum.

Petrus de Natalibus in Catal. SS. lib. 5. ad eamdem fere normam corrigenda esse duxit Acta Venantiana; quippe Antiochum Regem sive Imperatorem prorsus expunxit; martyrium vero S. Venantii cum persecutione Deciana colligavit; Antiochum

Petrus de Natalibus Antiochi expunxit; sed martyrium Agapiti Ven.

Gestini Decianæ persecutioni male adstipsi.

chum autem ne nominavit quidem. Itaq; cum ex illis Actis breve ejusdem Martyris elogium contexeret, hoc initio usus est: *Venantius Martyr in civitate Camerina passus est tempore Decii Cæsaris: qui a Præside tentus, cum Christum Dominum confiteretur, primum quidem fustibus cæsus, deinde in carcerem missus, sed ab Angelo confortatus est* &c. Aliis itidem post Equilinum Decii ætas ac persecutio, qua cum Venantii supplicia & necem copularent, mirifice placuit; sed cum Antiochum retinere vellent, eumdem regia sive imperatoria dignitate exutum in ordinem Præsidum urbanorum coegerunt; isque visus est illis idoneus, qui judicis, præpositi Venantianæ quæstioni ac neci, personam sustineret. Quare Cæsar Card. Baronius Venantii nomen ac martyrium hoc elogio ornatum Martyrologio Romano inseruit, ac diei mensis Maji 18. subjecit: *Camerini S. Venantii Martyris, qui annos quindecim natus, sub Decio Imperatore, & Antiocho Præside una cum aliis decem glorioſi certaminis cursum, cervicibus abscissis, implevit.*

Ab Actis restitutis Agapiti Salonit. Antiochus omnino arcendus.

Nos in Actis restitutis Agapiti Salonitani Antiocho seu Regi, seu Præfecto nullum locum relinqui debere censuimus, propterea quod apud Adonem cæterosque Martyrologos, qui Anastasii Corniculatii mentionem faciunt, nullus memoratur Antiochus, sed Præses quidam ignoti nominis, qui de conversione Anastasii ad Aurelianum retulit, quique ab eodem Imperatore de illo interficiendo mandata accepit. Neque enim dubitari potest, quin unus idemque judex tam Agapiti Salonitani, quam Anastasii Corniculatii quæstioni ac martyrio præfuerit. Itaque pro Antiocho, qui in Actis Venantianis modo Imperatoris, modo Regis, modo Judicis personam gerit, alias Aurelianum Imperatorem, alias Præsidem anonymum subrogavimus, iis cuique, quæ deceant quemque, partibus attributis; præsertim cum in utraque & Camertina, & Prænestina historia, præter Antiochum, Præses nescio quis incomperti nominis in scenam producatur. Cæterum in notis animadverti placuit haud absurde in Actis Agapiti & Antiochum retineri potuisse, & suum eidem regium titulum pro more gentis ac regionis Dalmaticæ relinqui. Utrumque tamen amovendum censuimus, ne in ipso aditu vestibuloque narrationis, novitas atque insolentia regalis tituli lectorum aures offenderet, animosque abalienaret.

Post exordium hujus historiæ, ex iis, quæ deinceps sequuntur usque ad numerum nonum, pauca omnino licuit adimere Agapito Prænestino, propterea quod huic cætera omnia Ado, Usuardus, aliique Martyrologi attribuunt. Quare juxta regulam secernendi res unius ab rebus alterius Agapiti cap. 3. §. 3. traditam, nihil inde accepimus, præterquam ex num. 4. & 5. equulei tormentum inflictum Agapito, quod abest tum a Martyrologis, tum ab Actis Prænestinis; itemque & conversionem & martyrium S. Anastasii Corniculatii; quæ quidem duo postrema Agapiti Salonitani constantiæ ac virtuti attribuenda esse satis superque ostendimus. Reliqua omnia Agapito Prænestino, ex cujus Actis in historiam Camertinam manarunt, integra intactaque relinquimus.

Ex altera parte historiæ Venantianæ quid a nobis detractum.

Sequitur pars altera historiæ Venantianæ a paragrapho nono initium ducens, quam veluti aliunde *superadditam* Papebrochius, neque Agapito Prænestino, neque Venantio Camerti adjudicandam censuit. Quamquam autem integrum nobis esse videretur hæc omnia, aut pleraque, cum Papebrochio judice incertum sit ad quem pertineant, ad postrum Agapitum transferre, quocum haud inepte copulari possent; parce tamen, & cautione quadam, delectuque adhibito, quædam ex hac secunda parte delibavimus usque ad numerum 19, quæ aptius fortasse congruentiusque in Agapitum Salonitanum, quam in Venantium Camertem conveniunt. Nec vero, cur id tam parce faciendum putavimus, ratio defuit sane probabilis. Cum multa ibidem narrentur de cruciatibus, ac miraculis Martyris Camertini, quæ eidem Lectiones Breviarii Romani itidem attribuunt, ea Venantio adimere quædam nobis religio fuit, vetuitque reverentia, quæ debetur Romano illi canonicarum precum codici, quem communis ecclesiæ usus approbavit. Nihil igitur de somnio sive Antiochi, sive Porphyrii, hujusque Martyrio, unde hæc pars posterior initium sumit; nihil de Venantio e rupe in vallem subjectam præcipiti dejecto; nihil de eodem semel atque iterum per saxa & dumeta raptato feredeque lacerato; nihil de aqua e silice ad sedandam militum sitim divinitus elicita; nihil de iis, quæ B. Martyris necem consecuta dicuntur fulgura, & tonitrua, in Acta Agapiti Salonitani derivavimus; hæc enim omnia ex auctoritate Breviarii Romani ad Venantium Camertinum pertinent. Aliqua ex paragrapho 12, itemque 13. decerpsimus; & multo plura deinceps ad nostrum Agapitum transtulimus; quæ quidem cum eo aptius, quam cum Venantio congruere censemus, ut in animadversionibus subjectis declarabimus. In his duo animadverti oportet, quæ plerisque martyribus communia sunt, videlicet multorum ex Ethnicis, qui SS. Martyrum suppliciis aderant, vel præerant, ad Christum conversionem, & capitis amputationem; quæ quidem, si Agapito Salonitano adjudicamus, non idcirco detracta esse volumus Venantio Camerti: uterque enim & multos suis verbis atque exemplis ad Christi cultum allicere, & eodem lethi genere affici potuit. Nonnulla tamen brevitatis causa prætermittimus, veluti conciones longiusculas, & quædam quasi episodia, sine quibus ordo seriesque rerum, & totius narrationis continuatio atque integritas constare potest. Porro in notis indicabimus, quid quoque loco omiserimus; itemque in margine numerum paragraphi adscripsimus, unde aliquid, Prænestino vel Camertino Martyri perperam affictum, ad Agapitum Salonitanum traduximus.

Quænam Joanni Salon. ep. Agapiti successori reservavimus.

Post descriptum S. Venantii martyrium Auctor narrat legatos ab Camertinis in urbem venisse, qui ab Joanne Papa Episcopum ad novam in ea civitate ecclesiam fundandam regendamque deposcerent. Gestus est mos eorum voluntati ac petitioni, & primus Episcopus Camertinæ ecclesiæ præpositus est Leontius is, quem Venantius ad Christum converterat; & cum eo aliqui sacris Ordinibus initiati sunt, qui ad Camertes erudiendos imbuendosque Christianis præceptis ac mysteriis suam Episcopo operam navarent. His nihil absurdius, nihil ineptius excogitari potest, si ad urbes Romanam & Camerinam referantur; contra vero cum Salona & Epetio Dalmatiæ urbibus non male cohærent. Verum hæc cum pertineant ad Joannem Salonitanum Episcopum, qui in locum Agapiti proxime successit, ejus Actis ac temporibus reservari oportet.

Quæ ex Actis Camertinis ad Agapitum Salonitanum transtulimus, perinde a nobis exhibentur, atque illa descripta invenimus apud Papebrochium, ne verbis quidem immutatis, nisi quod pro *Venantio Agapitum*, pro *Antiocho Rege Aurelianum Imperatorem* vel *Præsidem Anonymum*; pro *Puero Virum*, pro *Camerino Epetium*, pro *Roma ac Romanis Salonam & Salonitanos*, diverso adhibito charactere substituimus; quamquam nihil prohibet, quo-

quinus

minus Romę & Romanorum vocabula retineri poſſe; nam olim hiſce nominibus & Salonam, & Salonitanos honoris cauſa interdum appellatos fuiſſe alibi multis documentis & rationibus ſane idoneis oſtendimus. Verum ne hujuſmodi appellatio Lectorum animos mentesque ab Dalmatia & Salona diſtraheret, neve perſpicuitati narrationis officeret, ſatius eſſe duximus pervulgatis communique uſu receptis, quam antiquis & obſoletis vocabulis uti.

Poſt Acta reſtituta ac deſcripta Agapiti Ep. Salonenſis, quę Salonitana vocari poſſent ab illo autographo in Italiam ac Prænestę Salona delato, unde primum Prænestini, deinde Camertes ad ſuum quiſque martyrem ornandum multa derivarunt, varias ac multiplices in eadem notas adjunximus, partim hiſtoricas, partim Geographicas, partim Onomaſticas; quæ quidem eo pertinent, ut oſtendatur nihil eſſe in hiſce Actis, quin ad noſtrum Agapitum accommodari quam aptiſſime queat; contra vero haud pauca reperiri, quæ tum a Prænestino Agapito, tum ab Venantio Camertino vehementer abhorreant.

CAPUT VI.

Acta reſtituta Agapiti Salonitani Epiſcopi.

§. I.

a Ex veteri Ms. a Abbatiæ S. Eutitii Nurcienſis.

Ex §. 1. b c d e *Temporibus* b Aureliani Imperatoris *erat* c *vir in civitate* d Epetina *nomine* e Agapitus *timens Dominum .... In jejuniis & orationibus die ac nocte ſerviebat Domino; multas virtutes in ea civitate oſtendit per illum Dominus. Nunciatum fuit* f *Præſidi, qui* g Salonam regebat *temporibus illis ab accuſatoribus dicentibus: Eſt* h *vir unus in civitate* Epetina *timens Chriſtum, & Dominum Jovem blaſphemans. Audiens autem* Præſes *iratus eſt nimis, & cum furore magno* k *veniens in civitatem præcepit militibus, ut citius inquirerent* Agapitum. *Erat autem una* l *cavernicula juxta portam civitatis, quæ eſt contra Orientem, ſub qua morabatur ipſe indutus cilicio, nocteque ac die ſerviebat Domino jejuniis & orationibus. Cumque audiviſſet, quod inquiſitus fuiſſet a* Præſide, *veniebat ad* m *portam, &* n *prædicabat verbum Chriſti ....*

Ex §. 4. o *Tum juſſit eum* o comprehendi, *& in præſentia ſua Præfectus duci, dixitque ei:* Agapite *ſacrifica diis, ne diverſas pœnas patiaris. Reſpondit* Agapitus: *Nec Deos tuos adoro, nec Imperatorem tuum timeo, nec tibi ſervio .... Tunc impiiſſimus Præſes ait miniſtris: Tollite eum & in equuleo ſuſpendite* p .. *Fecerunt miniſtri, ſicut præcepit Præſes, & ſemper cudebant eum quatuor quarteniones. Tunc Præſes juſſit, ut nullus ad eum accederet, donec deficeret.* q *Anaſtaſius autem* r *Corniculanus poſt quatuor dies ibat ubi pendebat, ut videret ſi adhuc viveret: & invenit eum* ſ ... *in veſte candida, pſallentem, Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.*

Ex §. 5. t *Nunciavit Anaſtaſius Corniculanus Præſidi dicens:* t *Magnum miraculum vidi: Tunc Præſes dixit. Quid faciemus de eo? Anaſtaſius Corniculanus dixit: Ego credo, quia magnus eſt Deus Chriſtianorum, & non eſt alius præter illum. Præſes dixit ad illum: Es tu, ut video,* u *ſeductus es. Tunc Anaſtaſius dixit: Libentiſſime volo ſubire ſententiam, ne ſanctum atque juſtum videam cruciari. Audiens hæc Agapitus, quod ſic locutus eſſet Anaſtaſius, manus ſuas expandit, & oculos levavit ad cœlum, & oravit Dominum dicens: Gratias tibi ago Domine Salvator Unigenite, Deus de Deo, lux vera de lumine vero; Verbum, quod eſt ante omne principium, qui regnas cum Patre & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum Amen. Anaſtaſius dixit ad B.* Agapitum: x *Homo Dei demonſtra mihi lumen vitæ æternæ .....* aa *Nunciatum eſt* Aureliano *Imperatori, quod Anaſtaſius crederet in Chriſtum; & iratus nimis ..... præcepit Præſidi, ut duceret eum extra portam civitatis, & decollaret eum, &* bb *totam domum ſuam. Et ita fecerunt, & deduxerunt eum ad viam latam, quæ ducit ad civitatem contra Orientem, & decollati ſunt. Nocte venerunt Chriſtiani, & ſepelierunt corpora eorum.* cc

x

aa

bb illuſtre martyrium.

cc

Ex §. 12. *B.* Agapitus *erat incluſus in carcere, &* dd *veniebant ad eum infirmi, cæci, claudi, paralytici, ſurdi, muti, & deprecabantur eum, ut baptizaret eos, & ſanarentur, quod & fecit.* ee *Cum autem nunciatum fuiſſet in præſentia Præſidis de miraculis B.* Agapiti, *triſtis nimis factus eſt, & juſſit eum venire ad ſe. Cum ergo veniſſet in præſentiam Præſidis, dixit ad eum: Audi me,* Agapite, *ſacrifica diis noſtris, & vives; do tibi coronam de auro vel gemmis, & habebis pacem mecum* ff .... *Reſpondit ei* Agapitus: *Audi me* Præſes: *Diverte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & ſequere eam, & fac pacem cum Chriſto; & ſi ſervieris ei, erit tibi exultatio, & corona ſempiterna. Nam poſtquam exierint animæ veſtræ de corporibus, pecunias relinquetis in hoc ſæculo, & rapiunt eas extranei, & devaſtant eas: vos autem ituri eſtis in tormentum æternum, ubi numquam erit refrigerium, ſed luctus & clamor, & non eſt qui audiat. Si vultis recipere coronam, date omnia pauperibus, orphanis, viduis, eſurientibus, nuditatem patientibus, vel quamcumque neceſſitatem ſuſtinentibus; & undam baptiſmatis ſacri fontis percipite credentes in Deum, qui centuplum reddet vobis in vitam æternam, ubi nullus finis erit, ſed perpetua ſemper felicitate gaudebitis.*

cc Sanatus ægris per Agapitum divinitus reſtituta.

dd

ee

ff De Chriſtianis myſteriis apud Præſidem diſputat.

Ut audivit Præſes, *præcepit miniſtris, ut mitterent funes in pedes ejus, &* in equuleo gg *ſuſpenderent ... Veſpere autem jam facto cœpit B.* Agapitus *dicere, Domine ſuſcipe ſpiritum meum, & ne perdas me. Miniſtri dimiſerunt illum quaſi mortuum. Venit quædam mulier vidua, & tulit eum occulte in domum ſuam. Mane autem facto venit ad civitatem* ii *prædicans verbum Dei. Populus autem, ut vidit B.* Agapitum prædicantem *admirans dixit: Quia magnus eſt Deus Chriſtianorum, qui facit mirabilia, & magna ſolus in ſervo ſuo* Agapito, *& percutiebant pectora ſua, &* kk *baptizabantur in fide Chriſti* ll ....

Ex §. 13. gg iterum equleo torſus,

ii

ll vioculit exemptus Chriſtum deprædicat.

kk ll

Ex §. 14. *Videntes autem* mm *miniſtri* Prælidis *obſtupuerunt, & mittentes ſe ad pedes B.* Agapiti *dixerunt: ſanctifica nos,* nn *Pater, ora pro nobis, ne pereamus, miſertus noſtri. Nos vidimus, & ſcimus, quia non eſt alius Deus, niſi quem tu affirmas. Pater ſancte, oſtende nobis Dominum viventem in ſæcula, ut laudemus nomen ipſius, & glorificemus, & ſerviamus illi ſoli, qui eſt benedictus. Sicut tu Pater ſancte, volumus pro nomine ejus ſubire ſententiam, & non timebimus a facie Imperatoris. Prædica, & oſtende nobis Chriſtum, cujus filius ſit. Ut audivit B.* Agapitus, *clara voce dixit: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ipſe dediſti eis ſapientiam, & ſcientiam, qui de Chriſto interrogare incipiunt. Et narravit eis de nativitate, vel de paſſione, de reſurrectione, & aſcenſione ejus, de inflammatione Spiritus Sancti, & de diviſione linguarum, & aliquid de geſtis Apoſtolorum, vel martyrum.*

Multi e civibus Chriſto dant nomen.

mm nn

Illyricum Sacrum,

Ex §.15. *Unus ex his, quando recepit verbum Chriſti, re-*
ee *nunciavit* Præſidi *dicens: O* Præſes, *triginta &*
oo *duos Viros* oo Salonitanos *tranſmiſiſti ad* Agapi-
pp tum, *ut* pp *martyrium ei facerent; ipſi vero con-*
verſi ſunt ad fidem Chriſti. Præſes, ut audivit de Sa-
lonitanis, maxime iratus flevit ipſe, & omnes, qui
qq rr ſſ *coram ſtabant, pro eo quod erant illuſtres Salonitani* qq *ex genere regali, &* rr *poteſtatem* ſſ Salonæ
tenebant, & eruditi in omni arte litterarum. Præ-
Salonitanor ad Chriſtum converſor, ut ad ſuperſtitionem te deant Præſes hortatur. *ſes fecit eos venire ad ſe, & dixit eis: O Filii mei,*
dereliquiſtis patres, & matres, & parentes veſtros
divites & nobiliores; & vultis credere uni inſano
capiti, & adorare Chriſtum, quem Judæi crucifixe-
runt, & illuſerunt. Recedite ab inſania iſta, & co-
lite Dominum immortalem Jovem; & dabo vobis
aurum & argentum, ac veſtem mirabilem. Audien-
tes dicta Præſidis *reſponderunt, & dixerunt. Nos*
credimus in Chriſtum crucifixum, quia eſt Salvator
faciens ſigna & mirabilia in cœlo & in terra, quæ
facit quotidie in ſervum ſuum Agapitum tt....

Ex §.16. Præſes *dixit, vos, qui talia dicitis, unde ſcitis,*
Leontius pro Chriſto teſtimonium dixit, *quia eſt Deus Chriſtianorum? Leontius dixit: Nos*
ſcimus, quod Deus fecit cœlum & terram, & cun-
cta animantia, quæ ſub cœlo ſunt: fecit hominem ad
imaginem, & ſimilitudinem ſuam, formavit eum
de terra, & dedit ei Evam ſimilem ſibi in adjuto-
tt *rium* tt...

Ex §.17. Præſes *autem ut audivit, iratus eſt nimis, & dixit.*
qui cum ſociis vinctus Salonam reduci jubetur. *O* Agapite, *cur perpetraſti talia in me? Quare no-*
biliores, & potentiores, & pugnatores abſtuliſti a
me? Hæc ideo dicebat Præſes, *quia non erat auſus*
eos interficere, ſed præcepit afferri collares uu *aureos*
uu *, & catenulas argenteas, & miſit in colla eo-*
rum, remiſitque eos Salonam, *ubi erant parentes*
eorum. Parentes autem ipſorum videntes eos cum
collaribus & catenulis, irati valde dixerunt: Per-
Salonitana adverſus Præſidem ſeditio. *ficiamus fœdus inter nos, ut* Præſes *amplius non im-*
peret Salonæ. *Et ejecerunt omnes Primates Præſi-*
xx *dis, & quæſtionarios, & judices, & optimates om-*
nes foras miſerunt. Tunc præcepit militibus, ut de-
collarent eum, & alios *Viros* xx Salonitanos *cum*
ipſo. Cum itaque eduſti eſſent, & B. Agapitus *ad*
Agapitus cum ſociis capite plectitur. *locum damnatorum perveniſſet, oravit & dixit:*
Domine Jeſu Chriſte, Pater bone, ſuſcipe ſpiritum
meum: ne nos permittas perire, quia tuæ creaturæ
ſumus: erue nos de manu draconis, qui nos perſe-
quitur: ſed leo de Tribu Juda, radix David, qui
conteris bella, ſuſcipe ſpiritum noſtrum. Et hæc di-
cens conſignavit ſe; & alii, qui cum illo decollandi
erant, conſignaverunt ſe, & dixerunt: Suſcipe,
Deus, ſpiritum noſtrum. Et ſtatim decollati ſunt.

Ex §.18. *Venerunt autem Chriſtiani, & collegerunt corpo-*
ra Sanctorum, & ſepelierunt extra civitatem prope
milliarium unum in ſarcophago nocte aaa *... quo ibi-*
aaa *dem de regione Paganorum* bbb multi *baptizati ſunt*
bbb *in fide Chriſti. Nuncius venit Præſidi ex partibus*
Salonæ, *quod Optimates, & Judices, & Præco-*
nes expulſi eſſent Salona; perrexit in Albana, ccc
ccc *& ibi moratus eſt per aliquot dies. Audierunt autem*
Præſes urbe ejectus male periit. *viri* Salonitani, *& ejecerunt eum; & dum ejectus*
eſſet, perrexit in ddd *Sylvis, ibique ab æſtu & fa-*
ddd *me mortuus eſt* eee.
eee

ANIMADVERSIONES.

In Acta reſtituta Agapiti Epiſcopi Salonitani.

a Extat is codex Ms. ex Membrana apud Abbatiam S. Euticii, quæ Camerino quidem viginti, Nurcia vero abeſt ſex millia paſſuum. Ex eo Henricus Lindanus Societatis Jeſu in æde Lauretana Pœnitentiarius deſcribenda curavit Acta S. Venantii, quæ Daniel Papebrochius quamvis apocrypha eſſe, nec ſatis digna cenſeret, quæ in lucem ederentur, lectoribus tamen exhibere voluit, ut per ſe ipſi dijudicare poſſent, quanti eſſent facienda. Juvat huic loco intexere cenſuram, quam Papebrochius in Annotat. Crit. Euticiano codici inſſit: *Ipſe codex*, inquit, *vel Camerino allatus, vel ex Camerinenſi alio antiquiori deſcriptus, continet originariam omnem notitiam, quæ de S. Venantio Camerini habebatur, tunc cum ordinata fuerunt Miſſa & officium hujus Sancti, quæ habemus ex Miſſali, & Breviario vetuſto eccleſiæ S. Venantii Camerinenſis, tamquam in ea ab antiquo uſurpata; donec Sac. Rit. Congregatio interceſſit, juſſitque omnia fieri de communi. Congregationem movit haud dubio evidens fabuloſitas, quam continebat chimericum plane commentum de Antiocho Rege & Imperatore, Romano quidem, ſed palatium Camerini habente, deque neſcio cujus B. Joannis Papæ Pontificatu, cum eo nomine ante ſæculum VI. nullus eccleſiæ Romanæ præfuerit.* Verum ſi quædam abſurda vel ſuperflua corrigantur aut reſecentur; cætera vero partim Venantio, partim Agapito Præneſtino, partim Agapito Salonitano, ſua ſcilicet, & convenientia cuique, tribuantur, nihil fortaſſe erit, quod a veritate, aut a veri ſimilitudine abhorreat.

b In locum *Antiochi Regis* ſubrogandum duximus *Aurelianum Imperatorem*. Haud dubitari poteſt, quin cum imperio Aureliani colligari oporteat tum Præneſtini, tum Salonitani Agapiti martyrium: id quippe omnes fere Martyrologi docent. At de Venantii Camertis ætate nihil ſatis certum conſtat; nam Petrus Equilinus, ut Papebrochius animadvertit, primus omnium fuit, qui Venantii necem ad perſecutionem Decianam referret. Cæterum *Antiochus* cum titulo *Regis* retineri poterat; dubium quidem non eſt, quin Antiochus vocaretur ille, qui Agapiti Præneſtini quæſtioni ac ſuppliciis præfuit, quippe id Ado cæterique Martyrologi teſtantur; ſed nihil prohibet, quominus per idem tempus alter ejuſdem nominis Præfectus eſſet in Dalmatia, qui Agapitum Salonitanum Epiſcopum extremo ſupplicio affecit. Quid ſi unus & idem Antiochus ex urbana ad Dalmaticam Præfecturam gradum fecerit? hæc quippe multo, quam illa, amplior videtur fuiſſe ac nobilior, quippe cui non una civitas, ſed una integra provincia ſubeſſet: neque enim uterque Agapitus uno eodemque tempore martyrium ſubiit. Præneſtinus ſi quidem, ut veriſimile eſt, mortem pro Chriſto oppetiit an. 72. tertii ſæculi, cum Aurelianus ex Oriente Romam advenerat; Salonitanus vero eamdem ob cauſam occubuit an. 75. ejuſdem ſæculi, cum Aurelianus prope a Dalmatia in Illyrico verſabatur.

Nec vero titulus regius ab Antiocho, ſi quis fuit, Dalmatiæ Præfecto admodum abhorret. Erat hoc in more poſitum inſtitutoque Dalmatarum, ut ii, qui præerant univerſæ Dalmatiæ, regali titulo donarentur: id quod declarant Acta SS. Marini & Leonis, S. Juliani, S. Terentii, & aliorum martyrum Illyricorum, quæ ſuis deinde locis deſcribentur. Salonarum Præfecto hujuſmodi appellatio fortaſſe obvenerat ex amplitudine ac dignitate provinciæ, quam regebat, vel ex eo quod Dalmatæ, quamquam jamdudum regio dominatu defuncti eſſent, regia tamen jura & vocabula, quibus ab initio aſſueti fuerant, nondum fortaſſis obliviſci atque dediſcere potuerant; quod ſi verum eſt, nomen Regis non aliunde in hiſtoriam ſive Camertini, ſive Præneſtini martyris, niſi ex Actis Agapiti Salonitani profluxit. Auctor eſt Vopiſcus Carinum ab Illyriis pro more illius gentis vocitatum

fuiſſe

fuiſſe Regem, quod regio cultu ornatuque uteretur. *Habuit gemmas in calceis, niſi gemmata fibula uſus non eſt, Baltheum etiam ſæpe gemmatum; ut Regem denique illum Illyrici plerique vocitarent.*

c *Viri* appellatio gravior eſt, ac maturioris ætatis index, quam ut convenire poſſit in Venantium, vel Agapitum Prænestinum, qui nondum e pueris exceſſerant. Hinc apparet ejuſmodi appellationem ab Agapito Epiſcopo, ejuſque Actis, ad pueros illos ſane inepte traductam fuiſſe.

d Hiſtoriæ hujus reſtituendæ ratio poſtulabat, ut pro *Camerino Epetium* ſubſtituerem. In Actis Euticianis duæ urbes nominantur; altera eſt Roma, cujus Rex fuiſſe, & ex qua Camerinum veniſſe Antiochus dicitur; altera eſt Camerinum, ubi Venantius pro Chriſto decertavit. Nos pro *Roma Salonam*, unde Præfectus hujus urbis in Agapitum inquirendi cauſa Epetium venit; pro *Camerino* autem *Epetium* ſcripſimus; qua in urbe Agapitus Salonitanus Epiſcopus comprehenſus, excruciatus, interfectus, ac ſepultus fuit. Epetium civitas Dalmatiæ pervetus ac nobilis aberat Salona paſſuum millia fere octo in Orientem obverſa. Condita fuit a Siculis 4. vel 5. ante Chriſtum ſæculo, cum quarta Illyrici antiqui ætas floreret. Avares & Slavi Salonæ everſores, anno Chriſti circiter 640. hanc quoque urbem funditus diruerunt. Veſtigia quædam adhuc cernuntur apud Zernovizam, ignobilem vicum oſtiis fluvii cognominis appoſitum. Ab Epetio populos Epetinos Plinius, Civitatem Epetinam nos appellavimus.

e Pro *Venantio* ſubſtituimus Agapitum. Unum verſum alterumve prætermiſimus, quod aptius Venantio, quam Agapito noſtro congruere videretur.

f In locum *Antiochi* Præſidem anonymum ſuffecimus. Idem Præſes, qui Anaſtaſium Cornicularium, Agapitum quoque Salonitanum extremo ſupplicio affecit. Cum autem nemo ex antiquis Martyrologis eum Præſidem, qui Corniculario necem intulit, certo proprioque vocabulo deſignaverit; quod ab illis tacitum ac prætermiſſum eſt, nobis divinare non licet. Itaque Præfectum illum Salonitanum, qui Agapitum torqueri & capite plecti juſſit, haud alio, quam communi *Præſidis* nomine ſemper appellamus: niſi forte, ut ſupra monuimus, unus atque idem Antiochus primum quidem Agapiti Prænestini, deinde Agapiti Salonitani quæſtioni ac martyrio præfuerit: quæ alia ratio eſſe potuit, cur Prænestini putaverint ad ſuum Agapitum pertinere, quæ in Actis Salonitani Epiſcopi invenerant; cum utrumque ab eodem Antiocho religionis cauſa excruciatum atque interfectum viderent.

g In Actis Euticianis: *qui regnabat temporibus illis*. Nos regnandi verbo ablegato, magis apte congruenterque ad rei veritatem ſcripſimus: *qui Salonam regebat temporibus illis*.

i In Actis Euticianis: *Eſt puer unus*. Qui modo in iiſdem Actis *Vir* dictus fuerat, idem nunc puer vocatur? Unde iſthæc tam repentina, tam abſurda ex Viro in Puerum commutatio? Nimirum Auctor Camertinus *Puerum* pro *Viro* ſubſtituit, quod in Venantium quindecim annos natum Pueri, quam Viri appellatio aptius caderet, haud memor, quo illum nomine paullo ante affeciſſet; & parum attendens quam ſœde ab ſe ipſe diſcreparet, qui Venantium alias *Virum*, alias *puerum* appellat.

k Salona ex urbe haud longe disjuncta Epetium venit, ut in Agapitum Epiſcopum inquireret, cujus nomen de violata Deorum religione apud ſe delatum fuerat.

l Agapitus per id temporis degebat Epetii, Chriſtiani illius gregis inviſendi luſtrandique cauſa; aut in eam civitatem perfugerat, ut Salonitanis Magiſtratibus multa in Chriſtianos molientibus ſe ſubduceret. Cum autem nunciatum eſſet adventare ac prope jam adeſſe Præfectum Salonæ, odio in ſe ac furore inflammatum, ſtatim ſe ex urbe proripuit, atque in eam latebram, ſeu cavernam conjecit, ut perquiſitorum indaginem, ac manus ſubterfugeret. Quod quidem exemplo atque inſtituto veteri ſanctiſſimorum Epiſcoporum fecit, qui ſæpe tempori cedere, ac tyrannorum impetum rabiemque declinare ſolebant, ut eccleſiis populiſque ſibi commiſſis ſeipſos ſervarent.

m Ab ingreſſu urbis conſulto abſtinebat, ne ſe ultro, imprudenterque hoſtium furori objiceret.

n Munus concionandi, quod olim adeo ſingulare erat ac proprium Epiſcoporum, ut nemo niſi ex auctoritate juſſuque Epiſcopi illud uſurpare auderet, indicio eſt, unde hæc deſumpta ſint, affictaque Venantio puero Camertino. Quæ deinceps ſequuntur uſque ad paragraphum quartum, cum ad Prænestinum Agapitum pertineant, vel etiam, ſi velis, ad Venantium Camertem, ea intacta prætermiſimus.

o Videbantur hic aliqua deſiderari, ſine quibus connexio ſerieſque rerum conſtare nequit; quæ quidem Auctor hiſtoriæ Camertinæ, cum ſibi ſupervacanea eſſent, ex Actis Salonitanis deſcribere omiſit. Antea ſiquidem captus eſt conjectuſque in vincula Agapitus Salonitanus, quam ad tribunal Præſidis adduci juberetur. Itaque nos ea ſupplevimus, hoc unico verbo *comprehendi* interjecto.

p Faces ardentes lateribus admotas, fumumque ori inverſo ſuppoſitum Venantio relinquimus, quod eum hujuſmodi ſuppliciis affectum fuiſſe affirment Lectiones Breviarii Romani. Contra vero equuleum, in quem conjectus eſt egregius Chriſti miles, itemque verbera eidem inflicta, cum abſint tum ab Actis Prænestinis, tum ab iiſdem Venantianis lectionibus, ad Agapitum noſtrum referenda eſſe cenſuimus.

q Anaſtaſius Cornicularius, ejuſque ad Chriſtum converſio, & mors pro Chriſto obita haud dubie pertinet ad Acta Agapiti Salonitani; atque hinc in hiſtoriam Agapiti Prænestini & Venantii Camertis irrepſit. Huc revoca, quæ diximus cap. 1. §. 3. An vero Anaſtaſius alter Cornicularius excogitandus ſit, qui Venantii exemplo & conſtantia adductus fuerit, ut Chriſtianam religionem ſuſciperet, & pro ea tuenda mortem oppeteret, haud facile dixerim. Hunc certe lectiones Breviarii Romani Venantio adjungunt; hunc Cæſar Card. Baronius primus omnium in Martyrologium Romanum invexit, & v. Idus Maji ſubjecit; videturque illum diſtinguere ab altero Anaſtaſio Cornicularo, quem vetera Martyrologia, cum ipſomet hodierno Romano Martyrologio, Agapiti in perferendis cruciatibus alacritate & conſtantia ad Chriſti fidem amplectendam compulſum eſſe tradunt, ejuſque commemorationem in diem 21. Auguſti conjiciunt, & Salonæ adſcribunt. De Anaſtaſio Cornicularo, cujus converſio tribuitur Venantio Camertino, ejuſque uxore ac liberis pro Chriſto interfectis, hæc admonuit Henſchenius tom. 2. Maji die 11. *Quare ipſorum nomina hic reticenda non putavimus, licet ſub nota magnæ incertitudinis de vera eorum exiſtentia.* Daniel vero Papebrochius de iiſdem nihilo minus judicavit: *Gemina*, inquit tom. 4. Maji die 18. *Martyrum Camerinenſium turmæ, altera cum Anaſtaſio Cornicularo ad diem 11. Maji, altera cum integro Civium millenario ad 29. inſcri-*

Digitized by Google

pta est hodierno Romano Martyrologio. Primam ad dictum diem dedimus non sine scrupulo; secundam dare non putamus necessarium.

r Ideſt, *Scriba*, ut Papebrochius interpretatur in nota margini adjecta. Huic id muneris datum erat, ut reorum quæſtionibus ac tormentis interesſet, & dicta factaque omnia in commentarios referret. At Perrarius in Catalogo: *Corniculatius*, inquit, *sententiis damnatorum exsequendis præerat*. De officio Cornicularii plura deſcripſimus e Samuele Pitiſco cap. 1. §. 2.

s In Actis Euticianis hæc verba erant interpoſita: *super famum deambulantem*, quæ prætermiſimus utpote ad Venantium vel Agapitum Prænestinum ſpectantia.

t Quid miraculi hoc eſſet, Martyrologia declarant. Viderat ſcilicet Anaſtaſius imperterritam invictamque inter cruciatus Agapiti conſtantiam, haud paullo majorem, quam pro modo humanæ fortitudinis ac virtutis. Adde, quod Agapitus ex equuleo, recentique membrorum omnium dilaceratione incolumem ſe, ac vegetum, Deo haud dubie vires opemque præbente, in quartum uſque diem ſervaverat: quæ res cum hominem ingenti admiratione perculiſſet, tum illi ad Chriſtiana ſacra ſuſcipienda maximo incitamento fuit.

u Hæc eadem verba Martyrologi tum Anaſtaſio, tum Præfecto accommodant.

x Hæc appellatio gravitatis atque honorificentiæ plena, quam inepte in puerum, tam apte in Epiſcopum quadrat.

aa Hæc omnino congruunt cum omnibus Martyrologiis, in quibus de Anaſtaſio Cornicularío Salonæ interempto extat commemoratio ſane illuſtris.

bb Martyrologi Anaſtaſio noſtro Martyri Salonitano pullum martyrii ſocium adjungunt. At Anaſtaſius Martyr Camertinus in hodierno Martyrologio Romano cum ſociis anonymis ob religionem interfectus eſſe traditur. Quinam hi fuerint, Acta Venantiana declarant, & ſuis quemque nominibus afficiunt: *Anaſtaſius Cornicularius, & Theopiſta uxor ſua; & quatuor filii, & duæ filiæ: hæc ſunt nomina eorum: Ebodis, Aradius, Caliſtus, Felix; filiarum nomina, Euphemia, Primitiva.* Cum Anaſtaſius Cornicularius Camerini cæſus ex hiſtoria Venantiana auctore Baronio invectus fuerit in Romanum Martyrologium, vereor equidem, ne idem ſit, atque Anaſtaſius Martyr Salonitanus ex Actis Agapiti Salonitani primum in Prænestinam, deinde in Camertinam hiſtoriam deductus. At, inquies, Anaſtaſii Cornicularii martyrium Salonæ adſcribunt Martyrologi; hic vero juxta noſtram interpretationem Epetinæ urbi videtur adſcribi. Verum cum ibidem dicitur extra urbem ductus fuiſſe *in viam latam, quæ ducit ad civitatem*, ideſt Salonam, ibique interfectus, ſequitur eum martyrio perfunctum fuiſſe haud procul Salona, unde octavo ferme lapide Epetium aberat. Quare cum apud Salonam mortem pro Chriſto obierit, recte a Martyrologis ejus martyrium Salonæ adſcribitur.

cc Quæ deinde ſequuntur uſque ad paragraphum duodecimum, retineant, per me licet, tamquam ſua & propria, ſeu Venantius Camertinus, ſive Agapitus Prænestinus.

dd Hujuſmodi miracula, cum abſint a Lectionibus Venantianis Breviarii Romani, Agapito noſtro impune attribui poſſe cenſeo.

ee Quid eſt, quod in Actis Euticianis Venantius hactenus a conferendo baptiſmo abſtinuerit, & quos ad Chriſtum traduxerat, eos Porphyrium Sacerdotem adire juſſerit, a quo baptizarentur; nunc vero, quod laicis hominibus vetitum eſt, baptizandi jus atque officium ipſe uſurpat? Nam poſt Porphyrium extinctum deerant alii Sacerdotes Camerini, aut propinquis in locis, per quos illi Catechumeni ſacris undis abluerentur? Nimirum ſatis apparet, hæc deſumpta eſſe ex Actis Agapiti Salonitani Epiſcopi. Plura fortaſſis eſſent indicia charakteris ac muneris Epiſcopalis, niſi ea Prænestinus & Camertinus ſcriptores conſulto ſuſtuliſſent, quod ſatis intelligerent cum ætate puerili ſeu Venantii Camertis, ſive Agapiti Prænestini cohærere non poſſe.

ff Pauca quædam omiſimus, quæ videntur non male congruere cum Venantio.

gg Iterum Agapitus Salonitanus in equuleum conjicitur; at non ille, ſed Venantius per *loca agreſtia*, & ſenticeta; ſive, ut habet Romanum Breviarium, *per loca vepribus, & carduis conſita trahitur uſque ad veſperam:* hæc igitur punctis interpoſitis prætermiſimus.

ii Divini verbi populis annunciandi partes quam egregie ab Epiſcopo, tam inepte a Puero quindecim annorum ſuſtineri poſſunt.

kk Utri jus officiumque baptiſmi impertiendi, Puerone, an Epiſcopo congruit?

ll Plura omiſimus, quæ ad Venantium pertinent.

mm Quæ cauſa populum perpulit, ut avitæ ſuperſtitioni nuncium remitteret, eadem Præſidis miniſtros impellere potuit, ut Chriſtianæ religioni nomen darent.

nn Non ſemel tantum, ſed iterum ac tertio *Patris* nomine afficitur. Plena eſt honoris, reverentiæ, pietatis, ac religionis iſthæc appellatio, quæ in puerum cadere nequit, in Epiſcopum vel optime convenit.

oo Pro *Romanis* ſubſtitui *Salonitanos*, non quod eam vocem abeſſe putaverim ab Actis Agapiti Epiſcopi, ſed quod obſoletis uſitata vocabula præferenda eſſe duxerim. Cæterum vergente decimo ſæculo nondum Salonitani Romanorum nomine appellari deſierant, ut videre eſt apud Porphyrogenitum in libro, quem *de adminiſtrando imperio* inſcripſit. Id nomen Salonitanis obvenit ex Romanorum coloniis illuc deductis, & ex illuſtribus Romanorum familiis, quæ olim Salonam tranſmigrarunt.

pp Cave putes viris illis ex primaria nobilitate id negotii datum fuiſſe, ut Agapitum omni ſupplicíorum genere excruciarent. Hæ quippe ſunt lictorum & carnificum partes, unde ejuſmodi virorum dignitas ac nobilitas longe abhorrebat. Hoc igitur illis imperatum fuiſſe arbitror, ut Agapiti martyrio interesſent, aut potius præesſent; eumdemque qua auctoritate, qua diſputationibus argumentiſque a propoſito deducerent: erant ſiquidem in Philoſophia, omnique doctrinarum genere apprime verſati.

qq Ideſt, ex ordine Patritio, vel Senatorio. Hanc ipſam interpretationem hiſce verbis adhibuit Bollandus in notis ad Acta S. Sebaſtiani tom. II. die 20. Januarii.

rr Hoc eſt, ampliſſimos in ea urbe magiſtratus gerebant.

ss In codice Euticiano ſcriptum eſt *Romæ*. Idem fortaſſe legebatur in Actis S. Agapiti Salonitani; nam ampliſſimæ civitates, quæ Imperatorum ſede ac palatio dignæ habebantur, cujuſmodi fuit Salona, Romanæ urbis vocabulo appellatas interdum fuiſſe invenimus.

tt Duas hic conciones longiuſculas brevitatis gratia reſecuimus.

uu Quid hoc ſupplicii, ſive ignominiæ eſſet, non

non satis intelligo. Fortasse viris patriciis ac primariis, si quid gravius deliquissent, honoris causa, non alia vincula, nisi auro argentove oblita adhiberi solebant.

xx Codex Euticianus & Martyrologium Romanum B. Venantio Socios omnino decem apposuit. Nos vero, si quos Agapitus Episcopus martyrii socios habuit, nullo certo numero eos definiendos censuimus; aliquos tamen habuisse verisimile est.

aaa Hæc lacuna explenda esset injecto die ac mense, quem Agapitus noster suo martyrio consecravit; sed de neutro habemus quod liqueat. In codice Euticiano scriptum erat 15. Kal. Junii, quem in diem Venantii martyrium incidit. Cum autem Anastasius Cornicularius Salonæ mortem obierit XII. Kal. Septemb., martyrium Agapiti Episcopi Salonitani, qui eum ad Christi cultum traduxit, eidem mensi Augusto illigari oportet; & paucis ante vel post diebus accidisse videtur.

bbb In Actis S. Agapiti Prænestini apud Mombritium legitur: *ubi erat religio Paganorum*. Mihi dubium non est, quin ea lectio sit mendosa, & corrigenda ad exemplar codicis Euticiani, in quo scriptum est *de regione Paganorum*. Regionem Paganorum, seu Paganiam nusquam invenies extra Dalmatiam, nec si totam Italiam, non Latium modo atque Umbriam lustraveris. Cave autem putes cultores Idolorum intelligendos esse vocabulo *Paganorum*, quo scilicet post tertium sæculum illi vocari cœperunt, cum inanium Deorum cultus & superstitio Christianorum Imperatorum edictis excedere urbibus coacta, in pagos ac villas se recepit; nam tertio sæculo cum omnia hujusmodi Paganis referta essent, nulla illis erat peculiaris ac definita regio, quæ appellaretur Regio Paganorum. Fuit autem in Dalmatia hujus nominis regio propria & quibusdam limitibus circumscripta, quæ ab urbe Spalatensi in Orientem haud longe distabat, apud Constantinum Porphyrogenitum de Administ. Imp. dicta *Pagania*, incolæ autem *Pagani*. Id nomen obvenerat a Slavis incolis, qui nondum Christianis sacris initiati avitam superstitionem retinebant; ex quo intelligi potest Acta Agapiti Salonitani ex antiquis tabulis descripta & composita fuisse post adventum Slavorum, urbisque Salonitanæ excidium. Extat præterea insula Paganorum apud Ortelium, & Ferrarium, Liburniæ adjacens, quæ nunc Pago dicitur. Sed hæc longius aberat Salona, quam ut ad hujus loci interpretationem referri possit.

ccc Qui olim Albanum, nunc Albinum dicitur. Vicus est agri Salonitani in Boream spectans.

ddd Congruit cum Albino, cui prope adjacebant ingentes sylvæ, quæ quidem adhuc extant, quamquam eas magna ex parte sæculo superiori Turcæ aut incenderint, aut exciderint.

eee Quæ deinceps sequuntur, in Acta Joannis Episcopi Salonitani rejicimus.

CAPUT VII.

De cultu Agapiti Salonitani Episcopi, & S. Anastasii Corniculatii.

§. I.

De cultu Agapiti Salonitani Episcopi.

Agapitus olim a Salonitanis cultus, &

SI vera sunt, quæ hactenus diximus, nemini dubium esse arbitror, quin Salonitani patrem atque Epetini sanctissimo huic Martyri, atque Antistiti Agapito solemnes & anniversarios honores statim ab ejus martyrio decreverint, ejusdemque natalem diem in suos fastos retulerint, ac deinceps singulis annis tanti viri nomen ac memoriam, qua dignum erat, religione cultuque prosequerentur. Ex Actis Euticianis videtur colligi posse corpora Sanctorum Martyrum in urbem translata fuisse; in qua, ut ibidem dicitur, *condiderunt altare in honore B. Virginis Mariæ ex auro & argento, & gemmis pretiosis: sed & supra corpora beatorum Sanctorum duodecim altaria condiderunt, & domum ædificaverunt ampliorem, & mirabiliorem*. Utrum hæc ad Agapitum nostrum ejusque martyrii socios referenda sint, an vero pertineant ad Venantium & Martyres Camertinos, mihi sane non liquet. Facilius crediderim tum Agapiti sociorumque translationem factam, tum templum & altaria iisdem condita esse quarto vertente sæculo, post hostes Christiani nominis sublatos, & ecclesiæ pacem ubique constitutam. Nec satis constat Epetiumne, an Salonam sacras illas exuvias Dalmatæ invexerint. Præterea quemadmodum incertum est, quo die Agapitus pro religione mortem obierit; ita incompertum habemus, quem diem ecclesia Salonitana ejus nomine ac memoria consecraverit. Ejus tamen martyrium incidisse oportet in mensem Augustum; quo itidem mense Anastasius Cornicularius auctore Agapito ad Christum conversus mortem oppetiit.

in Fastos Martyrum relatus.

E subsidio, ubi mortem obierat, in urbem invectus sæculo 4.

Quamdiu Salona & Epetium stetit, Agapiti memoria ac religio viguit ex aliis in alias ætates propagata. Verum sæculo septimo fere medio supremum illud idemque Salonitanis calamitosissimum tempus advenit, quod cum utrique urbi vastitatem atque exitium attulisset, Agapiti quoque nomen & cultum penitus abolevit. Nam anno ejusdem sæculi circiter 40. ingens barbarorum multitudo ex Avarum, Slavorum, aliarumque immanium gentium colluvione in Dalmatiam incubuit, Salonam obsedit, expugnatam captamque funditus evertit. Tum eodem barbarici belli impetu vehementer concussa civitas Epetina corruit, & tectorum ruinis obruta & consepulta jacuit, vix ut pauca urbis olim nobilissimæ vestigia supersint. Sub idem tempus, ut sæpius alibi diximus, Joannes Pontifex Maximus IV. eo nomine, misit in Dalmatiam, qui sacras Martyrum exuvias undique collectas, & sacrilegis barbarorum injuriis subductas Romam transferret, ubi debitus eisdem honos cultusque adhiberetur. Ex eo Agapiti nomen ac religio paullatim deflorescere, & oblivione posteritatis extingui cœpit; ac demum anniversarii festique ad ejus honorem celebrandi consuetudine intermissa, & rerum ab eo præclare gestarum monumentis deperditis, omnem propemodum illius memoriam vetustas adeo obliteravit, ut vix ejusdem nomen in Catalogis Episcoporum intactum reliquerit: ita sanctissimi Episcopi cultus ac religio pariter cum ejusdem ipsanis e Dalmatia discessit. Nam per idem tempus una cum aliorum Martyrum exuviis Agapiti corpus Epetii, vel Salonæ ruinis effossum, ac Romam devectum fuisse conjectari licet. Argumento est, quod tum quoque B. Anastasius Agapiti discipulus ac socius in urbem translatus fuit, ut scriptores docent; & verisimile est hunc penes Agapitum Episcopum fuisse conditum sive in agro Epetino, sive in urbe, quo deinde uterque illatus esse videtur: nam probabile est in eumdem locum Christianos intulisse corpora omnium Martyrum, qui Agapito duce, & auctore vitam pro Christo Salonæ aut Epetii profuderunt. Atque his potissimum conjecturis adductus, cum in Actis S. Venantii Lateranen-

Post excidium Salonæ cum aliis martyribus Dalmaticis

Romam translatus.

In Lateranenſi ſacello condimus.

ranenſe ſacellum deſcriberem, memini me docuiſſe ex quatuor illis intra absidem iconibus, quæ totidem Epiſcopos opere muſivo depictos exhibent, ſuis quemque Pontificalibus inſignibus ornatum, eam ad Agapitum referri oportere, quæ S. Domnio proxime adſtat, quamvis non ignoro eam vulgo referri ad Theodorum Papam, qui poſt Joannem IV. ſacelli Venantiani conditorem eccleſiæ præfuit. Id autem eo probabilius mihi videtur, quod inter Salonitanos Martyres S. Anaſtaſius ejuſdem Agapiti ſocius pictus ibidem cernatur. Eadem conjectura ductus interpretando expoſui, quorſum pertineant, quidve ſignificent duæ illæ urbes in ejuſdem ſacelli hemicyclo ſuperiore hinc atque hinc appictæ; & alteram quidem Salonam, alteram vero aut Polam, aut Epetium eſſe propterea dixi, quod utraque civitas ſuos Martyres illuc tranſmiſſos contribuerit, & Martyrum ibidem conditorum ſanguine imbuta fuerit, illuſtrique certamine pro religione ſuſcepto nobilitata.

§. II.

De cultu S. Anaſtaſii Cornicularii.

Dies martyrii S. Anaſtaſii at. Auguſti, olim apud Salonitanos ſacer.

QUod attinet ad cultum S. Anaſtaſii, cum omnes Martyrologi ad diem alteram, & vigeſimam Auguſti ejus Martyrium referant, dubitari nequit, quin hoc ipſo die Salonitana eccleſia ſingulis annis debita ac ſolemnia religionis officia B. Anaſtaſio perſolveret. Verum eadem temporum iniquitas, & poſteritatis oblivio Agapiti pariter, atque Anaſtaſii nomen e faſtis Salonitanis abraſit, & memoriam utriuſque ex animis Dalmatarum penitus delevit. Nam poſt exciſam Salonam, cum B. Anaſtaſii corpus Romam translatum eſſet, ne umbra quidem ejus nominis, nedum cultus aut religio apud Dalmatas remanſit. Reſtat igitur, ut inquiramus, num Romani honorem aliquem cultumque peculiarem B. Anaſtaſio adhibeant, & anniverſarium ac feſtum diem eidem inſtituerint.

Ejus effigies, & Lipſana in ſacello Lateranenſi.

Extat in Lateranenſi S. Venantii ſacello effigies B. Anaſtaſii muſivo opere depicta, & militaribus inſignibus ornata; neque videtur eſſe poſſe controverſia, quin ejuſdem reliquiæ ſi non omnes, certe magna ex parte aut ibidem, aut intra Baſilicæ Lateranenſis ſepta conditæ fuerint, hodieque aſſerventur. Sed utrum Clerus Lateranenſis ſtatas ſolemnesque alicujus dici cæremonias huic Martyri decreverit, mihi non liquet. Nulla ejus mentio fit XII. Kal. Septemb. quem ille diem ſuo martyrio conſecravit. Equidem in faſtis ejuſdem Baſilicæ nomen Anaſtaſii Martyris ad diem XXII. Januarii his verbis adſcriptum invenio: 22. *Januarii Anaſtaſii Martyris, cujus corpus habemus in ſancta Sanctorum.* Utrum autem hæc commemoratio ad noſtrum Anaſtaſium, an vero ad alium quempiam ejuſdem nominis martyrem ſpectet, nihil comperti habeo. Haud ſane improbabile eſt corpus B. Anaſtaſii Cornicularii juſſu Joannis IV., vel aliorum Romanorum Pontificum, qui deinceps regnarunt, ab reliquis Dalmaticorum Martyrum lipſanis ſecretum fuiſſe, idemque reconditum in ſanctiori loco, atque adeo in ipſo ſacratiſſimo Baſilicæ Lateranenſis adyto, quod *ſancta Sanctorum* appellant. Cum autem illic depoſitum fuiſſet XI. Kal. Feb., ut ejus translationis memoria quotannis impoſterum, qua decebat religione coleretur, Clerus Lateranenſis die 22. Januarii feſtorum dierum catalogo inſeruit, & B. Anaſtaſii nomine conſecravit. Sed quoniam de hac translatione nihil memoriæ proditum eſt, id quidem conjectare facile poſſumus, affirmare autem nullo modo poſſumus. Quod ſi hujus diei celebritatem alteri cuidam nobiſque ignoto Anaſtaſio adjudicare mavis, non continuo ſequitur nullum omnino cultum huic noſtro ab eccleſia Lateranenſi adhiberi; nam licet nullos eidem honores privatim decreverit, eum tamen III. Id. April. communi officio rituque colit, quo ſcilicet S. Domnium cæteroſque Martyres illuc e Dalmatia advectos pie ſanctequeque proſequitur, ut in Actis S. Domnii, itemque S. Venantii docuimus.

Colitur apud Lateranum cum cæteris Divis Dalmaticis III. Aprilis.

Carolus Bartholomæus Piazza in Menologio ſive Sanctuario Romano pag. 283. auctor eſt B. Anaſtaſium martyrem eum, qui Agapiti virtute & miraculis permotus Chriſtianam religionem ſuſcepit, Romæ perhonorifice coli XII. Kal. Septemb. in Baſilica *S. Crucis in Hieruſalem*, ejuſdemque corpus ibidem ſervari. Quæ ſi vera ſunt, neceſſe eſt eum cultum referri ad S. Anaſtaſium Salonitanum; nam & ratio converſionis, & feſtus martyrii dies cum eo præclare congruit. Illud vero, quod de ejus ſepulchro ſcripſit, paullo majoris diſquiſitionis indiget, quam ut tam facile, ac ſine ulla dubitatione affirmari poſſit. Cæterum ejus ſententiæ haud invitus ſubſcriberem, modo aliquam eidem interpretationem adhibere liceat, ſic ut non integrum Anaſtaſii corpus, ſed inſigne tantummodo fragmentum indidem avulſum, in Baſilicam S. Crucis translatum, & ibidem conditum fuiſſe dicatur.

Ejus dies feſtus in Baſilica S. Crucis.

S. Anaſtaſius Cornicularius glorioſi certaminis conſortes & martyrii ſocios in Actis Camertinis omnino ſeptem habuiſſe fertur, uxorem ſcilicet, filios quatuor, itemque duas filias, ex quibus conſtabat præclara illa familia, quæ uno die, uno animo, uno & eodem ſupplicii genere martyrii palmam adepta eſt. *Sed & illi, qui ab Antiocho interfecti fuerunt, Anaſtaſius Cornicularius, & Theopiſta uxor ſua, & quatuor filii, & duæ filiæ: hæc ſunt nomina eorum, Ebodis, Aradius, Caliſtus, Felix: filiarum Euphemia, Primitiva.* Ex Actis Euticianis. Hi Martyres ex tabulis Salonitanis illati videntur in hiſtoriam Venantianam; niſi duos Anaſtaſios Cornicularios omninos ſimiles inter ſe comminiſci libeat, quorum alter Camerini cum uxore ac liberis, alter Salonæ ſine ſociis pro Chriſto mortem obierit; cum longe ſit veriſimilius unum fuiſſe eumdemque Anaſtaſium Cornicularium, a quo Camertinus hiſtoricus egregios illos Martyres divulſit, ut cum ſuo Venantio conjungeret. Hinc autem conjectare licet Anaſtaſium noſtrum cum familia univerſa vel Salonæ, vel penes Agapitum in agro Epetino ſepultum fuiſſe; ac deinde quatuor ferme poſt ſæculis cum liberis atque uxore Romam translatum eſſe. An vero unum & idem omnibus ſepulchrum obtigerit in æde Venantiana Lateranenſi, non ſatis liquet: nec vero abſimile eſt alios alio diſtractos eſſe, & partim ibidem, partim in aliis ejuſdem Baſilicæ ſacellis reconditos fuiſſe. Illud mihi non omnino abſimile vero videtur, quod memini me ſcribere in Actis S. Venantii Salonitani Epiſcopi, quatuor illos juvenes in eodem Venantiano ſacello verſicoloribus muſiviſque operibus apud S. Anaſtaſium pictos, & militaribus notis inſignes, ejuſdem Anaſtaſii filios eſſe; quos ſane conſentaneum erat adjungi ad parentem, quo cum non ſolum natura, ſed religio, & martyrii ſocietas ſanctiori quodam vinculo colligaverat. Verum & vultus atque oris ſpecie picti cum ſint, ut æquales Anaſtaſio, & coætanei eſſe videantur, & unus ex illis ætate multo provectior ſit, huic meæ conjecturæ ipſemet diffidere cogor; præſertim cum alia his nomina in ſacello Lateranenſi adſcripta fuerint, alia vero filiis Anaſtaſii codex Euticianus attribuerit.

An quos codex Camertianus Anaſtaſio ſuo ſocios adjunxit, ad Salonitanum Anaſtaſium ſpectent.

Cæſar

Anastasius a Baronio ad diem xi. Maji cum sociis adscriptus,

Cæsar Card. Baronius, qui Martyrologium Romanum emendavit, & pluribus Divis auxit, in eo ad diem 11. Maji nomen Anastasii & sociorum primus omnium adscripsit, ornavitque hoc perbrevi elogio: *xi. Maji. Camerini sanctorum Martyrum Anastasii, & sociorum, qui in persecutione Decii sub Antiocho Præside cesi sunt.* Cum enim Camertes jampridem sibi vindicassent hosce martyres, & Divorum suorum fastis inseruissent, eorum memoriam v. Idus Maji singulis annis celebrare consueverant. Hinc factum est, ut Baronius in eam formulam Camerinum includerit, ubi scilicet horum Martyrum cultum ac religionem vigere constabat; eisdemque illum ipsum diem assignavit, quem a Camertibus eorum nomine consecratum fuisse comperit. Cæterum vix, aut ne vix quidem dubitari potest, quin Anastasius, qui hoc die Camerini colitur, idem sit atque Anastasius Cornicularius ille, cujus commemoratio ab antiquis Martyrologis die 21. Augusti consignatur. Nam idem utrique nomen, eadem dignitas, eadem conversionis ratio, genusque martyrii. Hoc tantum interest, quod cum ejus nomen ad xii. Kal. Septemb. adscribitur, nulli eidem adduntur socii; cum vero v. Idus Maji ejusdem commemoratio iteratur, uxor ac liberi martyrii consortes in eamdem honoris cultusque societatem includuntur. Ex quo sequitur martyres illos in Martyrologium Romanum ex Actis Venantianis, *censura aliqua, nec modica castigandis*, ipsomet Baronio auctore invectos esse, huc vero fortassis translatos ex tabulis Salonitanis; neque alios nisi Salonitanos Martyres celebrare colique a Camertinis v. Idus Maji. Illud vero, quod Baronius huic formulæ adjecit, Anastasium & socios martyrio perfunctos esse, cum ferebat Deciana persecutio, Papebrochius nullo prorsus modo probat, testaturque neminem fuisse ante Petrum Equilinum, qui cum imperio Decii martyrium Venantii & Anastasii colligaverit.

videtur idem esse atqui Anastasius Martyr Salonitanus,

JOANNES EPISCOPUS SALONITANUS XVI, ET PRIMUS HUJUS NOMINIS.

Joannes Agapito successit.

JOannes primus in locum Agapiti sublectus est, cujus Acta sic abolevit vetustas, ut de illius Pontificatu, præter nominis memoriam, reliqui nihil posteritati fecerit. Hunc Salonitanæ ecclesiæ post Agapitum præfuisse testantur ejusdem ecclesiæ Diptycha, omnesque Salonensium Antistitum Catalogi; sed in hoc errant plerique, ut sæpe monuimus, quod Joannem cum Agapito aliisque, quibus interjectus est, Episcopis ex tertio sæculo exturbant, & infra Episcopos sexti sæculi protrudunt, eumdemque a B. Domnio fere trigesimum enumerant. Catalogus Romanus, ad cujus exemplar ordo seriesque Antistitum Salonensium revocari debet, Joannis initia confert in annum 286, decem fere annis serius, quam rerum ac temporum ratio postulat. Verum ipsemet Catalogus alteram quamdam Chronologicam notam adjecit, unde anachronismus ille corrigi possit. Etenim Joannis Pontificatum cum Felicis Romani Pontificis, & Aureliani Imperatoris ætate conjunxit. Felix autem anno 275, Aurelianus vero anno insequenti e vita migrarunt. Itaque Joannis initia referantur necesse est ad annum 275; quo quidem anno Agapitus ejus decessor mense Augusto martyrium subiit: *Sedentibus*, inquit Catalogus, *Felice* I. *Eutychiano* &c. *Imperantibus Aureliano, Tacito* &c. Fateor equidem ab obitu Felicis ad Joannis exordium tres circiter menses effluxisse; ille siquidem, ut tradit Baronius ex libro Rom. Pontif., III. Kal. Junias mortem oppetiit, hic vero mense Augusto post sublatum Agapitum, vel Septembri mense ejusdem anni Pontificatum iniit: sed hæc non sunt nimis exigue, & exiliter ad calculos revocanda, verum sic intelligi oportet, ut quo anno Felix Romanam sedem obtinebat, eodem & Joannes ecclesiæ Salonensis administrationem susceperit, quamvis jam Eutychianus Felici suffectus ecclesiæ universali præesse cœpisset. Utut hæc sint, illud plane constat primordia Joannis congruere non posse cum anno 286, sed revocari oportere ad annum 275, si quidem ejusdem Episcopatus in ea tempora incidit, cum Felix, vel Eutychianus Christianam, Aurelianus vero Romanam rem administrabant. Hujus autem Pontificatum usque ad Diocletiani imperium protrahendum esse duximus.

Ejus episcopatus cum imperio Aureliani & Pontificatu Romano Felicis componitur,

& ad imperium Diocletiani producitur.

Ac ne Joannis nomen & Pontificatum ab omni re inopem atque nudum in publicum emitterem, duos paragraphos ex Actis restitutis Agapiti avulsos in hunc locum reservandos censui, quippe cum Leontii consecratio, Epetinæ ecclesiæ institutio, & alia quædam ibidem commemorata ad Joannem Agapiti successorem pertineant, ut nos existimamus. Hinc itaque accepimus, unde amissa Joannis Acta quoquo modo supplerentur. Nostras deinde animadversiones subnectemus, quarum aliquæ eo potissimum spectant, ut ostendant aliqua ibidem scripta esse, quæ ab temporibus S. Venantii Camertini abhorrent; nulla vero inveniri, quæ cum Joanne rebusque Salonitanis cohærere nequeant.

Unde ejus Acta fuit putanda.

Præterea ad illustranda hujus Pontificis Acta, quæ domesticarum rerum inopia laborant, aliquid materiæ & ornatus ex historia Romanorum Imperatorum adscivimus. Ac primum quidem res Aureliani, eas præsertim, quas in Illyrico gessit, observatis notatisque temporibus, breviter atque ordine persequimur. Nam hujus Imperatoris ætati non solum Agapiti, sed etiam Joannis Pontificatus aliqua ex parte respondet. Initia etiam erunt investiganda, causæque illius persecutionis, quæ ab Aureliano cognominari solet, atque inter universales persecutiones nonum obtinet locum. Deinde res præcipuas maximeque memorabiles perbrevi, nec inutili narratione complectimur, quæ sub reliquis deinceps Imperatoribus Illyrico, & ecclesiæ Illyricæ sive Dalmaticæ contigerunt; ac præsertim de illa persecutione pauca quædam differimus, quæ Numeriano Imperatori vulgo adscribi solet; nam per id temporis Joannem obiisse, aut martyrio perfunctum esse existimamus. Quæ quidem omnia aliquid lucis impertient rebus cæteroquin obscuris, quæ sive ad Salonitanam, sive ad alias ecclesias Illyricas pertinent. Atque hæc causa fuit, cur in Actis superiorum Antistitum sane multa scripserimus de Romanis Imperatoribus, longe plura deinceps scripturi de Diocletiano, & Galerio, quorum immanitas & crudelitas ecclesiam Illyricam in primis afflixit & vastavit.

De cultu Joannis quod addam, nihil habeo. Dubitare vix possum, quin Salonitani ab initio sanctissimum hunc Pontificem, qua dignum erat,

vene-

veneratione ac pietate prosequerentur; sed tempore procedente ejusdem memoria & cultus aut vetustate exsolevit, aut una cum ejus corpore Romam migravit tum, cum Joannes IV. Pontifex Maximus quamplurima martyrum corpora ex Dalmatia in urbem transferri jussit.

CAPUT PRIMUM.

Ex Actis restitutis Agapiti Salonitani Episcopi duo paragraphi ad Joannem pertinentes.

§. I.

Ex n. 19

Cum audissent a *Leontius & Euprepius cum sociis suis*, *de* b Præfecto *quod factum fuit*, *magis credidérunt*; *sed cogitaverunt*, *de* b Agapito c *quid essent facturi. Tunc miserunt Exquisitores, ut inquirerent, quid de eo vel de sociis ejus agerent. Tunc venerunt in partem* b Epetinæ *urbis*, *& audientes signa, & mirabilia gavisi sunt, & venerunt ad tumulos beatorum Sanctorum, ac deprecati sunt eos: & ibidem erant plusquam mille animæ hominum. Tunc viderunt eos Viri civitatis, & interrogaverunt eos, & dixerunt: Unde vos estis? Exquisitores dixerunt, Ex partibus* b Salonæ: *cives dixerunt, & quid quæritis? Illi autem dixerunt*, Agapitum. *Tunc viri civitatis narraverunt omnia, quæ de his gesta fuerant: & interrogaverunt eos de Præfecto, quid esset factum.* Salonitani *dixerunt: Turpissima morte extinctus est. Viri civitatis dixerunt: cujus exquisitores vos estis? qui dixerunt Leontii, & Euprepii, & sociorum suorum. Dixerunt populi: Forsitan ipsorum, quibus Præfectus posuit collares aureos, & catenulas argenteas? Responderunt ipsorum nuntii, nos sumus. Cives dixerunt: Renunciate Dominis vestris, ut accipiant* d *Pontificatum ex* e *virtutibus* Salonitanis, *& veniant in hanc civitatem; & tollant aurum, & argentum, ac vestes mirabiles, & gemmas pretiosas, & judicent, quid faciendum sit de Deo Jove: nos autem timemus infringere ipsius faciem* f *Imperatoris causa. Audientes hæc* Salonitani *gavisi sunt valde, & viri civitatis dederunt eis pecuniam, & remiserunt eos* Salonam. *Tunc nuntiaverunt Dominis suis signa & mirabilia, quæ Dominus dedit per servum suum* Agapitum: *illi autem audientes de signis gavisi sunt, laudaverunt Dominum, & benedixerunt.*

Ex n. 20

Eadem hora perrexerunt ad B. g *Joannem Papam, & narraverunt omnia, quæ a Sanctis gesta fuerant. Ille autem ut audivit, genua fixit in terra, & oculos ad cœlum levavit, gratias agens Deo, quod tam magna audivit de servis suis. Tunc B. Papa Joannes consecravit Leontium* i *Archiepiscopum, & Archidiaconum Euprepium, & omnes alios in ordinem Clericorum; & accepta benedictione reversi sunt gaudentes in domum suam. Et tulerunt nocte aurum & argentum; & venerunt in civitatem* Epetinæ *urbis. Tunc populi susceperunt eos honorifice, & venerunt ad tumulos Sanctorum: ubi videntes signa, & mirabilia, quæ ostendit Deus per servos suos, gaudentes & lætantes benedicebant Dominum. Postea venerunt ad Domum Jovis, atque confregerunt illum; & condiderunt altare in honore B. Virginis Mariæ ex auro & argento, & gemmis pretiosis.* l *Sed supra corpora beatorum Sanctorum duodecim altaria condiderunt, & domum ædificaverunt ampliorem, & mirabiliorem.*

Sepulchra SS. Martyrum religiose cultum.

Templum martyribus exstructum.

ANIMADVERSIONES.

§. II.

a Hi Salona oriundi erant, genere ac nobilitate suæ civitatis facile primi, quos Agapitus ad Christi cultum traduxerat. Hæc ad ecclesiam, & urbem Epetii pertinent; nisi enim nostræ conjecturæ nos fallunt, primus hujus ecclesiæ Leontius Antistes, Euprepius Archidiaconus fuit.

b In Actis Camertinis scriptum erat *de Rege*, *de B. Venantio, Camerinæ urbis*, *Romæ, Romani*; in horum nominum locum nos substituimus *Præsidem*, *Agapitum*, *urbem Epetinam*, *Salonam*, *Salonitanos*.

c Cogitabant scilicet, quid honoris cultusve Agapito adhibendum esset; quove loco ejus corpus sepultura donandum.

d Idest, ut primum Epetinæ urbi Episcopum præficiendum curent.

e Hoc est, a Metropolita & Clero Salonitano.

f Epetini jure ab Aureliano sibi male metuebant; quippe cum ejus jussu Anastasius Cornicularius ob cultum Jovis, Deorumque cæterorum neglectum interfectus fuerit. Hinc vero apparet, Aurelianum per ea tempora aut fuisse in Dalmatia, aut certe in provinciis finitimis; hoc igitur gravior, quo proprior timendi causa aderat.

g Ante sextum sæculum nemo fuit ex Romanis Pontificibus, qui Joannis nomine appellaretur. Quî igitur hæc congruere possunt cum Roma, cum Romano Episcopo, cum urbe Camertina? Contra vero erat per id temporis Joannes Salonitanus Antistes, paullo ante in locum Agapiti suffectus; qui quidem ex antiquo more *Papa* vocatur; nam satis constat olim communi loquendi usu receptum fuisse, ut omnes promiscue Episcopi hujusmodi vocabulo donarentur.

i Idest, primum illius urbis Episcopum. Negat Papebrochius in Annot. Crit. ad Acta S. Venantii Leontium fuisse primum Camertinæ urbis Episcopum: *Hoc sane modo*, inquit, *illuc attractus fuit Leontius, si talis aliquis revera fuit a Joanne quodam Papa ordinatus: sed is nequaquam fuerit primus: siquidem anno 465. Gerontius Camerinus inter 48. Episcopos numeratur, qui Romana in Synodo convenerunt sub Hilario Papa. Gerontio potuit successisse Bonifacius Camerinus in Synodo Romana* III. *sub Symmacho nominatus an.* 501. *Hinc usque ad Projectum, qui integro sesqui sæculo post floruit, nullius Episcopi Camerinensis nomen innotuit, & rursus usque ad S. Ansovinum an.* 822. *ordinatum, duo solum nominantur Episcopi: unde apparet illius urbis monumenta omnia deperdita fuisse, cum iisque etiam verum tempus prædicti Leontii.*

l Cum Epetini extra urbem locum delegissent, in quem Agapiti, & sociorum corpora inferrent, cœmeterium illud duodecim sacellis exornarunt, ac totidem altaria martyrum sepulchris imposuerunt; nisi forte hæc referri placeat ad socios S. Venantii Camertini pueri ac martyris, ut supra monuimus.

CAPUT II.

De Persecutione Aureliani, ac triphti ejusdem in Illyricum adventu.

Aurelianus genere Illyricus.

DOmitius Valerius Aurelianus humili loco natus est, infimæque fortunæ parentibus. Nec dicrepat, quin genere Illyricus fuerit; id ambigitur

gitur Sirmiine natus ſit in Pannonia inferiori, an vero in Mæſia, an in Dacia Ripenſi; alii aliunde ejus originem repetunt, nec facile eſt aut locum loco, aut auctorem auctori præferre. Tantos in re militari progreſſus fecit, ut ad ſummos quoſque militiæ gradus pervenerit. Sarmatis Illyrium depopulantibus magnam cladem intulit, quo in prælio octo & quadraginta hoſtes ſua ipſe manu interfecit. Idem Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ cum eſſet apud Maguntiacum, Francos in Galliam effuſos, omniaque ferro & igni vaſtantes multiplici clade attrivit, atque in fugam averſos tota provincia excedere coegit; quare in Gallia, & Illyrico Vindex libertatis, publicæque ſalutis reſtitutor appellatus eſt. Præclaram inſuper de Gothis victoriam apud Nicopolim in Thracia reportavit, ob quam a Valeriano Conſul deſignatus, laudatuſque pro concione coronas murales quatuor, vallares quinque, navales duas, civicas itidem duas, aliaque munera & inſignia triumphalia accepit. Sub Claudio etiam Imperatore ejus opera magni fuit; nam Illyricis ac Thraciis copiis præpoſitus iterum exercitus Gothorum delevit, & ab eorum incurſionibus Thraciam vindicavit. Nihilo ſegnius per eadem tempora cum Sveyis & Sarmatis conflixit, de quibus, ait Vopiſcus, *florentiſſimam victoriam retulit*. Nullum fere commiſit prælium, quin victor ex eo diſceſſerit; & ejus potiſſimum opera effectum eſt, ut res Romana, quæ ignavia Gallieni prope exitium venerat, in dies melior & auctior fieret. His præclaris in rempublicam meritis nixus imperii faſtigium conſcendit, omnium legionum conſenſu appellatus Auguſtus.

ad imperium aſcendit.

§. I.

De Aureliani Imperatoris initio atque interitu, ejuſque prima apud Illyrios comporatione.

HUjus imperii initia Petavius, Ricciolius, Tolnardus, Szentivanius, Blanchinus in annum æræ vulgaris 270. alii cum Baronio in annum proxime inſequentem conferunt. Idem Petavius aliique imperium Aureliani quinque fere annorum ſpatio definiunt; verum huic quinquennio ſex ipſos menſes adjiciunt Eutropius, Victor, Euſebius, Caſſiodorus, Epiphanius, & alii complures. Flavius Vopiſcus annos fere ſex, demptis aliquot diebus, Aurelianum regnaſſe tradit. Cæſar Card. Baronius ejuſdem imperium uſque ad annum ſeptimum perduxit, tertii ſæculi 78. Liceat hic nobis a Chronologia Baroniana paulliſper deflectere, atque ad eorum ſententiam accedere, qui annos quinque, & ſex præterea menſes Aureliani imperio attribuunt, ejuſdemque primordia ad annum Chriſti 270. referenda eſſe contendunt. Hæc quippe ſententia nobilium Scriptorum patrociniis innititur, & ſane ad res noſtras explicandas, & in ſuos quaſque annos redigendas nobis videtur eſſe accommodatior. Itaque imperare occœpit an. 270. & imperandi initium duxit ab Septembri ejuſdem anni menſe, ex quo fit, ut poſt quinque annos & ſex menſes evolutos Aureliani obitus inciderit in menſem Martium anni 276. Nam eo mortuo poſt interregnum ſex, ut Vopiſcus aliique docent, vel ſeptem circiter menſium, ut Victor cenſet, Tacitus Imperator ab Senatu appellatus eſt VII. Kal. Octobris, ut auctor eſt Vopiſcus, ideſt die 25. Septembris. Itaque ſi ſex illos menſes, aut fere ſeptem, qui diem 25. Septembris antecedunt, ex an. 276. ſuſtuleris, occurret tibi menſis Martius, quo cum Aureliani interitum colligari oportebit. Si vero a menſe Martio an. 276. retrorſum progrediens quinque annos & ſex præterea menſes enumeres, quibus Aureliani imperium circumſcribitur, pervenies ad menſem Septembrem an. 270. unde imperandi initium duxit.

De initio Aureliani, ejuſque imperii annis inter Auctores diſcrepantia.

Ergo Aurelianus rerum potitus ter Illyricis provinciis præſentiam ſuam impertiit; primo cum a militibus delatum accepit imperium; deinde tertio principatus anno, cum adverſus Zenobiam Palmyrenorum Reginam copias eduxit; demum anno poſt adeptum imperium quinto, cum Orientalem contra Perſas expeditionem ſuſcepit. Nam Illyricis legionibus præerat, quibus egregie uſus fuerat ad Gothos e Thracia, & Svevos ac Sarmatas ex Illyrico pellendos, reique militari apud Illyrios operam dabat, cum extincto Claudio, ejuſque fratre Quintillo, qui imperium invaſerat, a militibus deſtituto, Auguſtus ab univerſo exercitu renunciatus eſt. Ferunt ipſum Claudium, antequam e vivis excederet, auctorem fuiſſe militibus, ut hunc ſibi potiſſimum ſubrogarent, quippe cum multis maximiſque in rebus hominis fidem, induſtriam, animumque haud paullo majorem, quam pro fortuna, in qua natus erat, cognitum ac perſpectum haberet.

Ter Illyrici adiit.

Satis conſtat Aurelianum adeo nihil adverſus Chriſtianos ab initio molitum eſſe, ut potius nomini Chriſtiano faviſſe, & eccleſiæ patrocinium ſuſcepiſſe videretur: argumento eſt, quod Romani Pontificis auctoritatem ſartam ac tectam eſſe juſſerit, cum adverſus Paullum Samoſatenum Pontificiis ædibus ac ſede Antiochena, unde Synodica ſententia dejectus fuerat, excedere nolentem, decrevit *Domum* eccleſiæ illis attribuendam eſſe, quibus Epiſcopus urbis Romæ, cæterique Italiæ Epiſcopi adjudicaſſent. Ego vero ſic exiſtimo, male illum quidem vel ab ipſa pueritia animatum fuiſſe erga Chriſtianos; & quod in eos odium pene cum ipſo matris lacte ſuxerat, materna deinde inſtitutione ac diſciplina accedente, magis magiſque cum ætate accrevit: tradit enim Vopiſcus ex Callicrate Tyrio Græcorum doctiſſimo, matrem Aureliani templo Solis præpoſitam fuiſſe Antiſtitam, quæ nefariis ſacris & cæremoniis præerat in quodam pago, ubi avitum ac paternum erat Aureliani domicilium. Sed cum æqui optimique Principis laudem affectaret, tamdiu ab eorum cæde manus abſtinuit, quoad in eos ſæviendi occaſio aliqua oblata videretur, quæ privatum illius odium in Chriſtianorum perniciem erumpens publicæ cujuſdam utilitatis ſpecie obtegeret. Quare ſi Chriſtianis inter initia principatus innoxium ſe, aut etiam propitium aliquamdiu præbuit, non illi animus ad evomendum in eos virus acerbitatis ſuæ, ſed opportunitas deerat. Cum igitur hujus ingenii atque indolis novus Imperator apud Illyrios verſaretur, quid ex eo præſente ſive utilitatis, ſive detrimenti ceperit tum Illyrica, tum potiſſimum Salonitana eccleſia, cui per id tempus præerat Agapitus, nobis incompertum eſt. Sed ex ea reipublicæ mutatione nihil proſperum ſive adverſum Illyricis & Dalmatis Chriſtianis accidiſſe puto, propterea quod Aurelianus intra paucos menſes, quam creatus Imperator fuerat, ex ea regione in Italiam diſceſſit.

Initio favit Chriſtianis, ut boni Principis famæ ſibi conciliaret.

Anno 71. tertii ſæculi Aurelianus, bello magno & periculoſo excitus profectuſque in Italiam, arma contra Marcomannos convertit, qui non ita pridem in Italiam irruperant, & circa Mediolanum cladibus atque incendiis omnia vaſtabant. Ac primum quidem apud Placentiam rem adeo infeliciter geſſit, ut inſignis clades a barbaris accepta magnum

Marcomannos ad internecionem cædit.

Digitized by Google

gnum in discrimen urbem atque imperium conjecerit; deinde vero devictis acie hostibus apud Placentiam, apud Fanum, apud Ticinum, ter tribus præliis servavit Italiam, remque publicam restituit.

Romam adiit, & Primores Romanorum interfecit,

Debellatis ejectisque ex Italia Barbaris Romam venit. Ejus adventus Romanis plus exitii terroriſque attulit, quam quantum eisdem periculi ac metus nuper injecerat Placentina calamitas. Nam, ut auctor est Vopiscus, plures Romanorum, eosque e primaria nobilitate, atque ex ordine Senatorio comprehendi necarique jussit. Hujus cædis causam in seditiones nescio quas Ethnici Scriptores conjiciunt, & adversus Aurelianum Romæ conflatas fuisse confingunt, quamquam quid ibi seditionis fuerit, aut unde tumultuandi occasio & causa extiterit, nemo commemorat. Quocirca multo verisimilius est, quod Baronius aliique Christiani historici tradunt, Romanis Patriciis crimini datum fuisse, quod haud pauci ex illis Christi fidem ac religionem profiterentur, vel certe Christianis studerent, quodque propterea Aureliani litteris atque imperiis intercedere conati essent, cum ille ob victoriam Barbarorum, Romanique exercitus fœdissimam cladem, magno timore perculsus, libros Sibyllinos adiri consulique jussisset. Hinc objurgatoria illa ad Senatum Imperatoris epistola, lenis illa quidem in speciem, plusque amicæ cujusdam increpationis, quam atrocitatis præseferens, reipsa tamen plena stomachi & querelarum, quæ apud Vopiscum extat: *Miror*, inquit, *vos Patres Sancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo Deorum omnium tractaretis*. Adde, quod Tertullianus in Apol. cap. 37. testatur Senatum, Forum, Palatium per ea tempora Christianis refertum fuisse; adde, quod solemne fuit Scriptoribus Ethnicis Christianæ religioni seditionis notam inurere, ut hinc nobis invidiam quærerent, ac tam insigni calumnia Christianis imposita justissimæ animadversionis speciem inimicorum nostrorum crudelitati prætexerent. Sed utcumque res sit, satis constat ex eo tempore Aurelianum Christianis infestum se præbere cœpisse. Nam memoriæ proditum est multos religionis causa jussu, aut certe permissu Aureliani interfectos esse; nec probabile est eorum omnium martyria ad extrema ejusdem imperii tempora differri posse. Sane admodum verisimile est, ut supra diximus, martyrium Agapiti Prænestini incidisse in annum 272. quo Antiochianus, sive Antiochus Regis vocabulo in ejus Actis ornatus, urbanam Præfecturam gerebat Coss. Quieto, & Voldumiano. Atque ad annum Christi 272. cum adhuc Aurelianus Romæ versaretur, referendum arbitror, quod Eusebius lib. 7. cap. 26. scripsit, videlicet Aurelianum, cum aggrederetur subscribere dictum in Christianos jam compositum, manu divinitus obtorpescente, absterritum fuisse: *Et tunc quidem*, (ideſt cum Paullum hæresiarcham Antiochenæ ecclesiæ possessione dejecit) *talis erga nos existebat Aurelianus. Processu vero temporis immutare propositi sui bonum cœpit, & malis consiliis depravatus, persecutionem erga Dei ecclesias meditari eo usque, ut dicatur, quod dictatis jam litteris & scriptis, cum supereſſet sola subscriptio, divina dextera interveniens subscriptionem nefandæ dexteræ deturbaverit*. Nihil tum edicti adversus Christianos emisit; eos tamen exinde, quamvis mitius quam cogitaverat, vexare instituit; neque antea illos levioribus quibusdam conflictationibus lacessere destitit, quam vulgatis demum decretis, totum in eos, quo flagrabat, odium effunderet; nam haud multis ante interitum mensibus persecutionem ab Aureliano ecclesiæ universali indictam fuisse tradunt Lactantius, atque ipsemet Eusebius in Chronico, ut infra docebimus. Hujus anni, quod reliquum erat, in urbe amplificanda muniendaque insumpsit; eamque Campo Martio incluso, laxioribus validioribusque mœnibus sepsit.

exinde Christianis iniquos se præbuit.

§. II.

Secunda Aureliani Illyrica profectio & commoratio, itemque expeditio Syriaca.

Secundo Illyricum adiit, inde in Orientem, cum exercitu profecturus.

REbus Romanis pacatis & compositis, Aurelianus sub initium anni 273. copias per Illyricum in Orientem traducere festinavit adversus Zenobiam virilis animi fœminam, quæ Odenato viro suo interfecto Orientis imperium occupaverat, & ad Propontidis usque fauces extendere conabatur. Ex itinere obvios habuit Gotthorum exercitus, qui Aureliani cursum retardarunt, eumque in Illyrico diutius, quam decreverat, subsistere coegerunt. Cum Barbaris triplici prælio conflixit, quos in Thracia primum, deinde in Mæsia, postremo in antiqua ultra Danubium Dacia ingenti clade affecit. Hanc porro Daciam sub Gallieno amissam, cum neque ab hostium incursionibus defendi, neque pacate obtineri posset, satius esse duxit Barbarorum potestati relinquere, quam inutili labore ac dispendio recuperare ac retinere. Itaque Romanorum colonias illuc a Trajano invectas citra Danubium transtulit; quibus inter utramque Mæsiam collocatis, attribuit agri, quod satis esset ad eos alendos continendosque, & justæ provinciæ magnitudinem æquaret. Hinc nova Dacia, Mæsiæ superiori & inferiori interjecta, quæ ab Aureliano cognomen accepit. Reliquum tempus in Illyrico transactum ad comparationem Syriaci belli contulit, quod Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ inferre decreverat.

Triplex de Barbaris victoria.

Novam Daciam citra Danubium condidit,

Illyrica Aureliani commoratio aliquid fortasse detrimenti ecclesiæ Illyricæ attulit; dederat enim, quam Christianos odisset, jam ab anno superiori documenta satis illustria, quæ Prætoribus atque Præfectis incitamento esse poterant, ut rem Christianam affligerent; quamquam Imperator ipse barbaricis bellis implicitus ad eos infectandos nullum spatium habuisse videatur. Præerat per id temporis ecclesiæ Salonitanæ Agapitus, quem hujus temporis procellæ superstitem fuisse constat.

Victis itaque Gothis & profligatis, pacatoque Illyrico, Aurelianus copias in Asiam traduxit, & Chalcedone in Bithynia, Ancyra in Galatia, Tyana in Cappadocia urbibus de hoste receptis Asiam minorem Romano imperio restituit. Tum in Syriam progressus primum apud Antiochiam, iterum apud Emesam ingenti clade Zenobiam ejusque copias perculit, & urbem utramque in suam potestatem redegit. Demum Zenobiam Palmyræ obsessam ad deditionem compulit, eamque ad triumphum sibi reservare, quam ad necem militibus tradere maluit. Zenobiam, amissa urbe cum ad Persas fugeret, apud Euphratem captam esse Zosimus affirmat; quo non dissentit Vopiscus. Recuperato igitur Oriente, cum victor in Europam rediret, Carpos Sarmatiæ Europeæ populos viam sibi intercludere conatos in fugam avertit. Sed vix in Europam pedem retulerat, cum nuncius de Palmyrenorum defectione allatus Aurelianum in Orientem revocavit; qui Palmyram iterum captam funditus evertit, & civibus omnibus contrucidatis nulli neque sexui neque ætati pepercit.

multiplex Aureliani in Oriente Victoria.

Anno

Digitized by Google

Anno 274. poſt cæſum Firmum, qui tyrannidem occupaverat, totamque Ægyptum receptam, in Galliam magnis itineribus contendit, ubi Tetricum Tyrannum apud Catalaunos ad deditionem perpulit, vel, ut alii volunt, opem ultro implorantem in ſuam fidem & clientelam accepit. Deinde Romam reverſus de barbaris cæteriſque imperii hoſtibus apparatu quam maximo triumphavit, Tetrico & Zenobia ante currum triumphalem traductis. Utrumque poſtea vivere paſſus eſt; illum Lucaniæ Correctorem creavit, ejuſque filium in Senatum cooptavit; hanc vero laute magnificeque habitam in urbe retinuit, a qua Zenobiam familiam propagatam eſſe ſcribit Hieronymus. Deinde Aurelianus templum Soli in urbe ædificavit opere cultuque magnifico; atque urbis Pomærium dilatavit, quod nemini facere licebat, inquit Vopiſcus, *niſi ei, qui agri barbarici aliqua parte Romanam rempublicam locupletaverit*. Nec vero per hæc tempora manus ab Chriſtianorum ſanguine innoxias continuit; ex iis enim, qui in Martyrologiis juſſu Aureliani ob religionem interfecti dicuntur, aliqui ad hoc tempus referri poſſunt, interque illos annumerari oportet Felicem Romanum Pontificem, qui ſub Aureliano III. Kalend. Junii martyrium ſubiiſſe dicitur an. 275. antequam ille ex urbe Italiaque diſcederet. Nam an. 275. æſtate ineunte Illyricum repetiit eo conſilio, ut copiis ex delectu Illyrico contractis auctoque exercitu expeditionem adornaret adverſus Perſas, qui Zenobiæ contra Romanos auxilia ſuppeditaverant. Verum Auguſta Vindelicia acriter a Barbaris obſeſſa, ac vehementiſſime oppugnata in Galliam ab Illyrico ſuſceptum iter avertit. Illuc igitur ex itinere digreſſus obſidione urbem exemit, hoſtes fuſos cæſoſque in fugam conjecit. Pacata Gallia in Illyricum cum iis, quas habebat, copiis proficiſci feſtinavit.

§. III.

Tertius Aureliani in Illyricum adventus. Martyrium Agapiti Salonitani Epiſcopi. Joannis in ejus locum ſucceſſio. Perſecutio eccleſiæ univerſæ indicta.

Tertio in Illyricum advenit.

Aureliani tertius in Illyricum adventus ſuum Salonitanæ eccleſiæ Paſtorem abſtulit Agapitum eximiæ ſanctitatis Epiſcopum, quem anno Chriſti 275. menſe Auguſto apud urbem Epetium martyrio ſublatum fuiſſe diximus. Eodem anno ac menſe Anaſtaſius Cornicularius, quem idem Agapitus Antiſtes egregiæ ſuæ virtutis & conſtantiæ exemplo permotum ad Chriſtum adjunxerat, juſſu Aureliani interfectus martyrii palmam obtinuit. Ex quo fit, ut quemadmodum ſupra docuimus, temporibus illis Aurelianus in Perſici belli curam incumbens vel in Dalmatia, vel prope ab illa regione verſaretur. Extincto autem Agapito, ſtatim Joannes delatum a Clero populoque Pontificatum accepit. Nam inter illum ademptum, & hunc ſubſtitutum nihil ferme temporis interceſſiſſe ſatis indicant Acta Camertina, ex quibus multa, ac præſertim partem poſtremam ad Agapitum noſtrum eccleſiamque Dalmaticam pertinere conjecturis haud fortaſſe abſurdis exiſtimamus. Paucis complectar, quæ ibidem num. 19. itemque 20. narrantur.

Martyrii Agapiti, & Anaſtaſii.

Joannes Ep. Salon.

Cum Salonam Leontio & Euprepio de Agapiti morte, ac ſimul de miſerando Præſidis Salonitani interitu allatum eſſet, nullam illi moram interpoſuere, quin ſtatim viros idoneos Epetium mitterent, ut de ſepulchro & corpore Agapiti ejuſque ſociorum ſedulo inquirerent, & quæ illic agerentur, quæque acta eſſent, ex incolis cognoſcerent. Quos cum Epetini de rebus omnibus diligenter edocuiſſent, ac ſimul rogaſſent, ut e Salonitanis aliquem expeterent, qui primus eſſet ſuæ urbis Epiſcopus, Salonam redeunt, Joannem Antiſtitem conveniunt, quæ ab Epetinis acceperant, poſtulata exponunt. Is eorum voluntati morem geſſit, Leontium ipſum creavit Epiſcopum, huic Euprepium Archidiaconum cum delecta Clericorum manu adjunxit, & novam illam eccleſiam conſtituendam regendamque tradidit: *Cum audiſſent Leontius, & Euprepius cum ſociis ſuis de Præſide quod factum fuit, magis crediderunt; ſed cogitaverunt de B. Agapito, quid eſſent facturi. Tunc miſerunt exquiſitores &c.* Et poſt aliqua interjecta: *Cives dixerunt: Renunciate Dominis veſtris, ut accipiant Pontificatum ex virtutibus Salonitanis, & veniant in hanc civitatem &c.* Ex num. 19. Ex num. autem 20. *Eadem hora perrexerunt ad Joannem Papam* (ideſt Epiſcopum) *& narraverunt omnia, quæ a Sanctis geſta fuerant .... Tunc Beatus Papa Joannes conſecravit Leontium Archiepiſcopum* (ideſt primum Epetii Epiſcopum) *& Archidiaconum Euprepium, & omnes alios in ordinem Clericorum; & accepta benedictione reverſi ſunt gaudentes in domum ſuam ... Tunc populi ſuſceperunt eos honorifice, & venerunt ad tumulos Sanctorum &c.*

Agapito ſtatim ſuffectus.

Igitur ſtatim atque de Agapiti nece nuncii Salonam venerunt, Leontius exploratores Epetium miſit; hi vero cum rediiſſent, Joannes Salonitanum Pontificatum jam inierat; quippe quem iidem exploratores Salonam reverſi adierunt, ut ab eo primum Epetinis Epiſcopum poſtularent. Videſ quam celeriter acta, & tranſacta ſint omnia, quemadmodum verba illa: *eadem hora perrexerunt &c. Tunc B. Joannes Papa &c.* ſatis ſuperque declarant? ex quo fit, ut Agapito defuncto ſtatim Joannes ſubrogatus fuerit. Hæc porro tanta celeritas feſtinatioque in novo Epiſcopo ſubſtituendo, ne cui forte incredibilis videatur, memoria repeti velim veterum illorum temporum conſuetudinem, de qua in Actis Cajani & Symphoriani pauca diximus. Cum enim ab Ethnicis Imperatoribus nihil tutum eſſet, nihil periculorum expers, & aliæ ex aliis tempeſtates eccleſiæ ingruerent, ſolebant Epiſcopi exemplo & auctoritate Romanorum Pontificum, Clero populoque ſuffragium ferentibus deligere aliquem, qui Epiſcopi adjutoris, ſeu Vicarii partes ageret, cuique id juris eſſet, ſi Cleri populique conſenſus accederet, ut in locum defuncti Antiſtitis ſuccederet. Quare ne uno quidem die vacabat ſedes, cum qui eam occuparet, & electus & conſecratus jam eſſet: ut enim legitimus dici haberique poſſet Epiſcopus, nihil aliud requirebatur, niſi ut Clerus populuſque ſuffragium, quod antea tulerat, ſaltem tacite ratum haberent. Quod quidem inſtitutum difficillimis illis temporibus non modo ſalubre, ſed prope neceſſarium erat; ne ſcilicet dum de eligendo Epiſcopo deliberatur, & conſultationibus, ut fit, ac ſæpe etiam altercationibus tempus teritur, res Chriſtiana interea Præſidis cura & præſidio deſtituta, hoſtibus undique ingruentibus, maximo in diſcrimine verſaretur. Itaque Joannes primus eo nomine, Eutychiano ſummo Pontifice, Aureliano Imperatore, an. 275. menſe Auguſto, vel Septembri eccleſiæ Salonitanæ regimen ſuſcepit; qui Leontio primo Epetii Epiſcopo rite conſtituto jus ditionemque Metropoliticam Antiſtitis Salonitani amplificavit, auxitque unius Epiſcopi, & unius Epiſcopalis eccleſiæ acceſſione. Quæ

quidem omnia non certis illa quidem rerum geſtarum monumentis, quæ nulla ſuppetunt, confirmari, ſed ex Actis Venantianis per conjecturas elicita, veriſimilia videri poſſunt.

Hactenus Aurelianus levibus veluti præliis adverſus Chriſtianos quodammodo proluſerat, quæ prænuntia fuerant futuræ perſecutionis. Nullum adhuc de Chriſtianis interficiendis edictum promulgaverat; ſed prout ferebat voluntas & occaſio, more inſtitutoque majorum in eos animadverti jubebat, vel certe eoſdem exagitandi ampliſſimam poteſtatem Præfectis Provinciarum permiſerat. Ergo ab interitu Agapiti Salonitani Epiſcopi tres circiter menſes interceſſerant, cum Aurelianus, edictis ac ſuppliciis propoſitis, bellum crudele ac nefarium eccleſiæ univerſæ indixit. Hinc nona perſecutio, quam octavam numerat S. Leo, initium ſumpſit, miſſis ac diſtributis in omnes Romani orbis provincias exemplis edicti ſacrilegi, datiſque ad Magiſtratus litteris, quibus jubebantur aut vitam Chriſtianis, aut religionem eripere. Atque in hoc fere tempus nonæ perſecutionis exordia conjiciunt optimi quique ſcriptores, cum doceant Aurelianum haud multo poſt, quam perſecutionem edixerat, a ſuis interemptum fuiſſe, & celerius illi vitam ademptam eſſe, quam ut cepta & jamdiu cogitata perficere poſſet. Id tradit Euſebius ad an. 276. in Chronico, auctor ſane idoneus: *Aurelianus cum adverſum nos perſecutionem moviſſet, fulmen juxta eum comiteſque ruit, ac non multo poſt inter Conſtantinopolim & Heracleam in Cænophrurio viæ veteris occiditur*. Euſebio ſuffragatur Oroſius hiſt. lib. 7. cap. 23. *Noviſſime cum perſecutionem adverſus Chriſtianos agi nonam a Nerone decerneret, fulmen ante eum ruit, & non multo poſt in itinere occiſus eſt*. His adde Lactantium infra laudandum. Aurelianus obiit menſe Martio, ut plane aperteque colligitur ex antiquis ſcriptoribus, qui docent ei ſuffectum fuiſſe Tacitum VII. Kal. Octobris, cum ſex aut ſeptem circiter menſium interregnum tenuiſſet. Ejus autem interitum anno Chriſti 276. cum Euſebio adſcribimus. Sed quantum temporis ab ejus edicto in Chriſtianos promulgato ad ejuſdem mortem effluxerit, incertum eſt. Euſebius & Oroſius *non multo poſt* indictam perſecutionem, Lactantius *inter initia ſui furoris* extinctum tradunt; quæ quidem verba ſic Pagius interpretatur, ut unum alterumve menſem ejus edicto & cædi interjectum ſignificent: nobis vero eadem verba paullo latius extendi poſſe videntur; & duobus aut tribus ante Aureliani necem menſibus fuiſſe illatum ab eo Chriſtianis bellum cenſemus, vel ineunte anno 276, vel intra finem anni ſuperioris. Cæſar Card. Baronius initium nonæ perſecutionis anno Chriſti 273. affixit, quo itidem docet Romanos Senatores Aureliani juſſu interfectos fuiſſe. Si nihil aliud Baronius contendit, niſi ut ſuadeat ab ea Romanorum cæde initium factum eſſe turbandæ vexandæque eccleſiæ, id plane concedimus, & libenter quidem. At ſi univerſalis edictiſque ſanctæ perſecutionis epocham illi anno innectendam cenſeat, vereor, ut hæc ſententia eruditis viris probari poſſit. Nam præter quamquod Euſebii, & Oroſii auctoritas tanti nobis eſſe debet, ut per ſeipſa ad fidem faciendam ſatis momenti habeat; noſtræ ſententiæ auctor eſt Firmianus Lactantius ab illa ætate admodum recens, in libro de Mortibus Perſecutorum, quem Baronius numquam vidit, cum in Archivorum tenebris diu penituſque abditus haud ita pridem in lucem prodierit. Is igitur cap. 6. apertiſſime docet, vix cruenta Aureliani edicta vulgari cœpiſſe, cum nefarios illius conatus mors repentina ac violenta compreſſit: *Aurelianus*, inquit, *iram Dei crudelibus factis laceſſivit: verum illi ne perficere quidem quæ cogitaverat, licuit; ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ſcripta pervenerant, & jam Cænophrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe jacebat, falſa quadam ſuſpicione ab amicis ſuis interemptus*. Quare poſt editum Lactantii libellum nemo ferme fuit ex junioribus ſcriptoribus, quin ultro in ejus ſententiam concederet, & nonæ perſecutionis initium haud longe abeſſe ab interitu Aureliani jam omnes conſentiunt, ſic prorſus, ut nulla hac de re, poſt teſtimonium Lactantii, controverſia eſſe poſſit.

Perſecutio univerſalis & nona indicta ab Aureliano.

Interitus Aureliani.

Nonæ perſecutionis initium cum anno Baroniano 273. congruere negatur.

Hieronymus Henninges, antequam liber Lactantii in publicum prodiret, in ea ſententia fuit, ut negaret Aurelianum, quæ contra Chriſtianos decreverat, exſecutum fuiſſe, perinde quaſi inter decretam perſecutionem, & illatam Aureliano necem nihil temporis interceſſerit: *Nonam*, inquit, *perſecutionem adverſus Chriſtianos indixit, quæ tamen exſecutionem ſuam non eſt ſortita*. Cave autem putes Aureliani decreta omni omnino effectu caruiſſe; quod ut ſuadeat Henricus Dodwellus Lactantii auctoritate abutitur: *nam*, inquit, *ſi non licuit Aureliano perficere, quæ cogitaverat, nullos ejus decreto fuiſſe Martyres neceſſe eſt*. Neque enim ſi non licuit Aureliano, ut ait Lactantius, *perficere quæ cogitaverat*, ideſt Chriſtianum nomen prorſus extinguere, ſequitur illico, eductum e vagina gladium oſtenſum potius, quam adhibitum eſſe, ac terroris quidem vel plurimum, damni autem vel minimum aut nihil intuliſſe, ſic prorſus, ut paucos aut nullos omnino Martyres numerare liceat, quos Aurelianeæ perſecutionis turbo ſuſtulerit. Quo Nero, quo Diocletianus, quo cæteri Chriſtianorum hoſtes immaniſſimi ſpectabant, eodem Aurelianus ſuos conatus intenderat, ut ſcilicet Chriſti religionem uſquequaque tolleret. At nemo quæ cogitaverat, perficere potuit. Nemo igitur ne guttulam quidem Chriſtiani ſanguinis effuderit; de calumnia poſtulentur, qui Neronem, qui Diocletianum, qui alios Romanos Imperatores tot Chriſtianarum cædum reos fecerunt, quando Aureliani edicta Chriſtianis incruenta fuiſſe propterea exiſtimes, quod illi perficere, quæ cogitaverat, non licuerit. Quamquam vero edicti nefarii exempla *ad provincias ulteriores* nondum pervenerant, cum Aurelianus Mneſthei fraude interemptus eſt, tamen in Illyrico, Italia, cæteriſque regionibus non adeo remotis jam promulgata erant, & eorum exſecutionem Præfecti provinciarum urgere jam cœperant. Huc adde duos aut tres menſes ab indicta perſecutione ad mortem Aureliani elapſos; quo temporis intervallo & Imperatoria edicta longe lateque circumferri potuerunt, & Aurelianus ipſe, quamvis *inter initia ſui furoris extinctus*, ſatis ſpatii habuit ad ſuam in Chriſtianos crudelitatem rabiemque exprimendam. Adde interregnum ſex vel ſeptem circiter menſium, antequam Tacitus rerum potitus Aureliani decretum reſcinderet. Neque enim tempeſtas illa Aureliani morte ſedata eſt, nam Præfecti provinciarum ab inſito adverſus nos odio, & Aureliani licet defuncti auctoritate freti, haud antea Chriſtianos perſequi deſtiterunt, quam eos Tacitus Imperator magiſtratu abire, & locum tradere ſucceſſoribus juſſit. Hinc ſua Martyrologiis auctoritas conſtat, in quibus ſane multi Martyres ſub Aureliano ob religionem interfecti leguntur; quorum quidem plerique referendi ſunt ad annum Chriſti 276. poſt evulgatum Aureliani contra Chriſtianos edictum, veluti Symphorianus Auguſtodunenſis,

Henninges & Dodwellus falſo ajunt, nihil Chriſtiani ſanguinis effuſum eſſe in Aurelianea perſecutione.

Perſecutio Aureliani poſt ejus obitum ſævire inſtitit.

Digitized by Google

sis, cujus martyrium Baronius anno Christi 273. perperam subjecit; quippe cum ejus Acta commemorent propositum Symphoriano fuisse ac recitatum edictum Aureliani, quo jubebantur omnes aut Diis sacrificare, aut extremo supplicio affici. Hujus autem edicti promulgatio ante initium anni 276, vel ante extremos dies anni superioris constitui nequit. Jure igitur meritoque Constantinus Magnus in oratione ad cętum Sanctorum, Lactantius, Eusebius, Orosius, cæterique scriptores Ecclesiastici, Aurelianum inter hostes Christiani nominis annumerant, qui cędibus ac suppliciis ecclesiam exagitarunt.

Illud hic prætermittendum esse non arbitror; quod mihi quidem singulari animadversione dignum videtur. Aurelianus tum versabatur apud Illyrios, cum conceptis verbis solemnique formula edixit, ut Christiani aut Diis sacrificarent, aut de medio tollerentur; ex quo fit, ut primum nonæ persecutionis impetum ecclesia Illyrica exceperit; atque indidem exortum sit bellum ab Aureliano Christianis illatum, quod una cum Imperatoriis litteris ex Illyrico erumpens omnes propemodum Romani orbis provincias, antequam jussu decretoque Taciti Imperatoris sedaretur, longe lateque pervasit. Id adeo colligere licet ex Flavio Vopisco, qui de Aureliano hæc scripsit: *Vindelicos obsidione barbarica liberavit: deinde ad Illyricum vedit; paratoque magno potius, quam ingenti exercitu, Persis bellum indixit.* Idem docet Henninges. *Cum per Illyricum contra Persas pugnaturus iter faceret, apud Cænophrurium inter Heracleam & Byzantium interemptus est.* His adde Blanchinum, qui in Chronologia Coss. & Impp. idem testatur: *Aurelianus in Illyricum reversus, ut in Persas moveret, inter Heracleam & Byzantium occiditur.* Si igitur Aurelianus, ut Lactantius, Eusebius, Orosius tradunt, nonam persecutionem paullo ante edixit, quam vitam & imperium amitteret; si degebat in Illyrico, ut Vopiscus est auctor, quem Henninges & Blanchinus sequuntur, antequam contra Persas exercitum duceret, & paucorum dierum viam progressus occideretur; nemo, ut opinor, negaverit edictum hujus persecutionis in Illyrico & compositum fuisse, & primum ibidem promulgatum, deinde in alias quaquaversum provincias perlatum esse. Neque enim cum expeditionem Persicam suscepit, cursim tantummodo atque ex itinere Illyricum attigit, ut opinari videtur Henninges, sed legionibus conscribendis, rebusque ad gravissimum illud bellum necessariis comparandis, aliquot menses ibidem extraxit, quemadmodum ex allato Vopisci loco intelligi potest.

Persecutionis Aurelianeæ tempestas in Illyricas eccleſias potiſſimum incubuit.

Præterea si anno proximo ante interitum Aureliani Agapitus Salonitanus Antistes pro Christo mortem Augusto mense oppetiit, dubitari non potest, quin Aurelianus intra finem mensis Augusti versaretur in Illyrico, unde post sex menses copias ex Illyrico delectu conscriptas in expeditionem contra Persas eduxit. Id quippe Usuardus, & Ado apertissime indicant. Nam, quemadmodum illi docent, vix Anastasius Cornicularius Salonæ palam profiteri cœpit religionem Christianam, cum Præses Salonitanus nulla interposita mora de Anastasii conversione ad Aurelianum retulit, quo jubente Anastasius interfectus est XII. Kal. Septembris. Cum autem Anastasius Salonæ martyrium subierit, & hæc omnia celerius acta esse appareat, quam ut nuncii seu litteræ in longinquas regiones ad Imperatorem mitti, ab eoque responsa referri potuerint; consequens est, ut per id temporis Aurelianus aut in ipsa Dalmatia, aut in finitimis provinciis ideſt in Illyrico diversaretur.

Illyricum Sacrum.

Quid quod Aurelianus non solum in Illyrico hanc tempestatem adversus Christianos concitavit, sed etiam (nisi me fallit conjectura sane probabilis) indidem nonæ persecutionis decernendæ causam, & occasionem sumpsit. Miror, quid sit, quod qui hujus persecutionis exordium in postrema Aureliani tempora conjiciunt, nihil deinde causæ afferant, cur Aurelianus diu meditatum & conceptum scelus hoc potissimum tempore in Christianos ediderit; cum cæteroquin Persici belli apparatione curaque longe gravissima distentus de rebus nostris ne cogitandi quidem spatium habuisse videatur. Magnum profecto aliquid fuisse oportet, quod Imperatoris animum vehementius in Christianos inflammaverit, ut belli ingruentis ingens cura & sollicitudo continere illum non potuerit, quo minus statim odium illud universum penitus insitum, ægreque ad eam diem compressum, in Christianos toto impetu effunderet. Id cum ab aliis tacitum ac prætermissum sit, nobis integrum est aliquid non improbabilis causæ excogitare, unde hæc persecutio originem duxerit.

Et Dalmatis Christianos omnes persequendi occasionem videtur sumpsisse.

Sextus Aurelius Victor in Epitome docet Septimium nescio quem fuisse in Dalmatia, qui seditione adversus Aurelianum conflata Imperatoris nomen & insignia sumpsit: *Hujus* (ideſt Aureliani) *tempore apud Dalmatas Septimius Imperator effectus, mox a suis obtruncatur.* Quid si hæc seditio in hoc ipsum tempus inciderit, cum Aurelianus in Illyrico Persici belli apparandi causa morabatur? Quid si Septimius inde rebellandi occasionem sumpserit, quod Præfectus Dalmatiæ, ut scriptum est in Actis restitutis Agapiti, complures Christianos ex primaria Salonitana nobilitate conjectos in vincula, & insignis ignominiæ nota inustos Salonam remiserit? Quid si denique Aurelianus Ethnicorum more hujus seditionis culpam pœnamque in Christianos transtulerit? Præfectus Salonæ, quemadmodum Acta Camertina testantur, per nos restituta, & Agapito Salonitano adscripta, duos & triginta Senatores, quos Agapitus ad Christi cultum traduxerat, comprehendi, eosdemque ignominia affectos in urbem reduci jussit. Mirum quantum ejus facti indignitas, & tam insignis injuria viris Patriciis illata, cum omnes Salonitanos, tum præsertim eorum consanguineos commoverit; eoque ira atque indignatio processit, ut facta seditione Magistratus omnes ex urbe ejecerint, ipsum Præfectum in sylvas ac latebras compulsum fame sitique necaverint. Porro haud sane vero absimile est, Septimium hujus seditionis auctorem fuisse ac ducem, qui cum inter illum popularem motum ac tumultum præclaram occasionem sibi ad occupandum imperium oblatam putaret, per speciem ulciscendæ ignominiæ suis civibus illatæ, Christianis nihil tale cupientibus, neque suspicantibus, quod jamdiu affectabat, Imperatoris nomen ac potestatem sibi arrogavit. Quod si verum est, jam satis compertam habeo causam, quæ Aurelianum impulit, ut hoc demum anno universæ ecclesiæ bellum inferret, quod jamdiu secum ipse decreverat. Nam ut erat erga nos pessime animatus, promptissimum illi fuit atrocissima quæque de Christianis suspicari, in eosque licet innoxios illius conjurationis causam conjicere; ac proinde, quamvis cura & apparatus Persici belli urgeret, nullam moram interponendam censuit, quin statim generalem illam persecutionem, jamdudum animo agitatam, toti ecclesiæ denunciaret. Constat enim, ut supra diximus, moris fuisse Ethnicorum, ut si quid turbarum aut seditionis oriretur, si quid detrimenti caperet Respublica, id omne ad Christianos auctores

Digitized by Google

res referrent, ſic prorſus, ut aviditſime omnes calumniandi eos, vexandique occaſionem undique arriperent. Sed cum hæc veriſimilia potius quam vera videantur eſſe, nihilo plus fidei merentur, quam quantum eiſdem tribuere, æquum & conſentaneum cuique videbitur.

CAPUT III.

De rebus ſingulari commemoratione dignis tum eccleſiæ Salonitanæ, tum Illyrici univerſi, ab initio uſque ad exitum Joannis Salonitani Antiſtitis.

§. I.

JOannes primus hoc nomine Epiſcopus Salonitanus Agapito ſubrectus anno 275, menſe Auguſto, vel Septembri, Pontificatum geſſit multiplici rerum varietate motuque inſignem, & uſque ad annum circiter quartum & octogeſimum tertii ſæculi perduxit. Ab Epiſcopatu ſuſcepto pauci menſes interceſſerant, cum Aurelianus propoſitis évulgatiſque edictis nonam toti eccleſiæ perſecutionem indixit, quæ in menſem circiter nonum producta, quacumque pervaſit, multas ubique ſtrages edidit; ac ne ipſa quidem Aureliani morte ſedari potuit, qui tertio fere menſe poſt concitatam hujuſmodi procellam anno 276. interiit. Nec vero a cladibus ante ceſſatum eſt, quam Tacitus Imperator ab Senatu appellatus ſub finem Septembris Aureliani edictum abrogavit, & pacem univerſæ eccleſiæ reſtituit.

Perſecutionem ab Aureliano excitatam.

Tacitus Imperator extinxit.

Immanitas perſecutionis Aurelianæ.

Perſecutio Aureliani hoc immanior, quo brevior, videtur fuiſſe; & quod defuit diuturnitati temporis, ſuppliciorum acerbitate, & martyrum cæſorum numero compenſavit. Nam intra paucos menſes multa Chriſtianorum millia mactata eſſe docet S. Leo, qui Sermone 2. de Pentecoſte hæc ſcripſit: *Cum octava jam in Chriſtianos ebulliret perſecutio, & innumera martyrum millia ipſis ſuis victoriis probaviſſent* &c. quam alii *nonam*, ille *octavam* numerat. Haud tamen negaverim *innumera illa Martyrum millia* e Leonis ſententia ad ſuperiores etiam perſecutiones referri poſſe. Nec dubitari poteſt, quin hæc vis ac tempeſtas vehementius, quam cæteras Provincias, Dalmatiam atque Illyricum perculerit; ſi enim Aurelianus in Illyrico, ut ſuperiori capite docuimus, impia in Chriſtianos edicta compoſuit & vulgavit, conſequens eſt, ut nefariæ cædis initium ab Illyricis factum ſit, & primos eoque graviores inſani furoris impetus eccleſia Illyrica ſuſtinuerit. Adde, quod Aurelianus, niſi mea me fallit conjectura, ex illa Salonitana ſeditione, de qua ſupra diximus, Chriſtianos univerſos calumniandi opprimendique occaſionem arripuit. Hoc igitur vehementius in Dalmatas ſuum furorem & crudelitatem exprompſit, quod ii atrociſſimi illius criminis, ac popularis defectionis auctores habebantur. Quamdiu ea tempeſtas tenuit, Joannes Antiſtes, ut dignum eſt credere, nullum boni Paſtoris & Epiſcopi officium prætermiſit; fidei cauſa laborantibus præſto fuit, imbecillis opem tulit, omnes martyrii cupiditate incendit, eoſque ad certamen qua verbis inſtruxit, qua cœleſtium myſteriorum præſidio communivit. Quamquam vero ille, nihil avidius, quam martyrii palmam expeteret, divinæ tamen providentiæ fuit, eumdem hoſtium inſidiis, & aſſiduis, quibus ſeſe objiciebat, vitæ periculis eripere, ac religionis communiſque utilitatis cauſa uſque ad imperium Diocletiani ſervare. Nam veriſimile eſt, ut infra dicemus, necem eidem propter Chriſtum illatam fuiſſe, cum Chriſtianos urgeret illa perſecutio, quæ Numeriani nomine appellari ſolet.

Joannis Ep. ſollicitudo in ſuo grege ſuendo.

Dum Joannes Salonitanam eccleſiam regebat, ſeptem ab Aureliano Imperatores deinceps regnarunt. Tacitus ſeptimo fere menſe poſt obitum Aureliani imperare cœpit; dum enim de novo Principe eligendo conſulitur, eligendique arbitrium exercitus ad Senatum, Senatus ad exercitum defert, ſex aut circiter ſeptem menſes interregnum tenuit. Demum VII. Kal. Octobris ingenti totius Senatus conſenſu M. Claudius Tacitus dictus eſt Imperator, vir nulla re magis, quam moderatione memorandus, qui cauſatus ætatem jam dovexam, rebuſque agendis minime idoneam, ægre adduci potuit, ut imperium acciperet. Cum in Aſia Scythas eam regionem vaſtantes repulſiſſet, Tharſi in Cilicia idibus Aprilis diem obiit, an. 277. exacto ſexto Imperii menſe.

Imperatores Romani, dum Joannes præfuit eccleſiæ Salonitanæ.

Florianus germanus Taciti frater nulla Senatus auctoritate, ſed hæreditario quaſi jure ſibi debitum invaſit imperium; ſed cum ab majori exercitus parte Imperator in Oriente factus eſſet Probus, adeo metu perculſus eſt, ut ſibi ipſe manus afferret poſt alterum ab inito principatu menſem anno 277. Probus igitur belli paciſque artibus longe clariſſimus delatum ab exercitu principatum invitus accepit; & ſexto poſt anno a militibus ob nimiam ejus ſeveritatem exacerbatis interfectus eſt Sirmii anno 282.

Suffectus eſt Probo M. Aurelius Carus, qui ſtatim Carinum, & Numerianum filios Cæſares creavit; & Carino ad Gallias tuendas miſſo, ipſe cum Numeriano in Orientem contra Perſas exercitum traduxit. Fuſis hoſtibus, Seleuciam & Meſopotamiam recepit; ſed caſtris ad Tigrim poſitis, ictus fulmine deflagravit vix altero inito imperii anno, qui fuit Chriſti annus 283. Parente extincto capeſſunt imperium Cæſares ejus filii duo, Carinus & Numerianus. At Numerianus paterni obitus mœrore ægrotans, paullo poſt Apri ſoceri regnare cupientis occiditur dolo. Re comperta ab exercitu Diocletianus Imperator appellatur; cujus initia ad diem 17. Septembris Petavius, & Pagius, & Baluzius ad diem 20. Novembris referunt, anno 284. Carinus interim cum Diocletiano regnavit uſque ad annum 285. Tum enim a ſuis proditus, ab exercitu Diocletiani victus necatuſque interiit. Video equidem aliquid eſſe diſcrepantiæ inter ſcriptores tum de anno, quo quiſque horum Imperatorum principatum iniit; tum de numero annorum, quo cujuſque imperium definitur. Nos in hac Chronologia digerenda, aditis conſultiſque antiquis Auctoribus, quod veriſimillimum duximus, id potiſſimum ſecuti ſumus.

Tacito & Floriano excepti omnes Dalmatæ, aut Illyrici.

E ſeptem hiſce Imperatoribus, ſi Tacitum ac Florianum excipias Romæ nobili loco natos, nemo fuit, quin ex Dalmatia, aut certe ex Illyrico genus atque originem traxerit. Et quamquam ad res eccleſiaſticas id parvi referre videatur, tamen vel ex hoc intelligi poteſt, quantum inde huic nationi ad famam ac celebritatem acceſſerit; quippe cum ex hac una regione quinque omnino delecti ſunt, nullo alienigena intermedio, qui Romani orbis imperium obtinerent. Hos deinde ſecuti ſunt Conſtantius, Galerius, Conſtantinus, hujuſque filii, omnes ex Illyrico oriundi.

Probus Sirmii natus patre Dalmata.

Ac Diocletianum quidem genere Dalmatam, & prope Salonam ortum habuiſſe alio loco multis & gravibus argumentis docebimus. Probus Sirmii natus eſt;

Digitized by Google

eſt, ſed Maximus Probi parens ex Dalmatia originem ducebat; quod aperte teſtatur Egnatius: *Probus patrem Dalmatici ſanguinis habuit*; itemque Henninges: *Maximus Dalmata Tribunus militum ex uxore nobili genere nata genuit Marcum Aurelium Valerium Probum Sirmii natum in Pannonia*. His adde Sextum Aurelium Victorem: *Probus*, inquit, *genitus patre agreſti, hortorum ſtudioſo, Delmatio ſanguine, imperavit annos ſex*. De patria ac genere Cari ejuſque filiorum aliqua eſt inter ſcriptores controverſia. *Cari patria*, inquit Vopiſcus, *ſic ambigue a pleriſque proditur, ut præſumpte veritatem dicere nequeam, quæ illa vera ſit. Oneſimus enim, qui diligentiſſime vitam Probi ſcripſit, dicit Romæ illum & natum, & litteris eruditum, ſed Illyricianis parentibus fuiſſe contendit. Sed Fabius Cerilianus, qui tempora Cari, Carini, & Numeriani ſolertiſſime perſecutus eſt, neque Romæ, ſed in Illyrico genitum; neque Pannoniis, ſed Pœnis parentibus aſſerit natum. In ephemeride quadam legiſſe memini, Carum Mediolanenſem fuiſſe; ſed avum juri Aquilejenſis civitatis inſertum*. Narbonæ natum in Gallia Eutropius ſcripſit. Propius vero eſt Carum aut patria, aut ſaltem genere Illyricum fuiſſe, cum id Oneſimus & Cerilianus antiqui Auctores apud Vopiſcum doceant. Quod autem Aurelius Victor, Eutropius, Pomponius Lætus eum Narbonæ genitum tradunt, id nobis indicio eſſe poteſt, qua ex urbe & provincia originem duxerit. Narbonam quippe urbem nuſquam invenies, niſi in Dalmatia; ubi apud Naronem fluvium civitas olim fuit opulenta in primis ac nobilis, quam Ptolemæus *Narbonam*, cæteri *Naronam* vocant; nunc Narentam vulgo dicunt. Extat quidem in Gallia Narbonenſi ſive braccata urbs altera & colonia nominis haud plane diſſimilis, quam Cicero aliique Veteres *Narbonem Martium* appellant, unde toti Provinciæ nomen obvenit; ſed numquam illam apud antiquos ſcriptores *Narbonam* denominatam reperies; cum omnes, qui Marci Aurelii Cari natale ſolum commemorant, illud numquam alio, niſi *Narbonæ* vocabulo afficiant: ex quo fit Narbonam, ex qua Carus originem traxit, longe aliam eſſe ac diverſam ab Narbone, cui Martio cognomen fuit; & hanc quidem in Gallia, illam vero in Dalmatia ſitam eſſe. Hinc ſuſpicari licet apud Eutropium *Narbone Galliam* adjectam eſſe vel a librariis, vel ab alio quopiam veteris Geographiæ imperito, qui cum a *Narbone Narbonam* diſtinguere neſcirent, urbem Dalmatiæ in Galliam per inſcitiam tranſtulerunt. Juvat huc transferre, quæ in hanc ſententiam ſcripſit Joſephus Scaliger in Animadverſ. ad Chron. Euſeb. n. 2297. *Primus omnium Eutropius* (Carum) *Narbonenſem ex Gallia vocavit, cum tamen eſſet Narbonenſis quidem, ſed ex Illyrio. Fabius enim Cerilianus curioſus ſcriptor vitæ Cari apud Vopiſcum, in Illyrio genitum prodit. Jam apud Ptolemæum Illyridos Νάρβωνα, Κολωνία Ναρωνος dicitur in duobus Palatinis codicibus: cum in excuſis vox Ναρωνος deſit. Scriptor, unde hauſit Eutropius, qui Narbonenſem Carum dixit, intelligebat cum Fabio Ceriliano ortum Colonia nobili Illyriciana Narbona, non autem Martio Narbone Gallicano. Et hoc veriſſimum eſt. Apud Plinium Narona legitur, & in Itinerario & in Nummo Titi, COL. NARONA. Quidam volunt Naronam, & Narbonam eamdem eſſe*.

Carum propius vero eſt genere fuiſſe Dalmatam, patria Narbonenſem.

Tacitus ergo ſtatim atque imperium adeptus eſt, neſciſſis Aureliani decretis, Chriſtianorum ſaluti atque incolumitati conſuluit. Ita demum reſtincta Aureliani perſecutione, pacis aliquid eccleſiæ fuit. Florianus, Probus, Carus Taciti exemplum ſecuti, adeo nihil moleſtiæ Chriſtianis intulerunt, ut potius eiſdem faviſſe videantur. Quare Joannes, ut primum Taciti decreto tempeſtas illa diſcuſſa eſt, tamquam bonus Paſtor diſperſas oves collegit, quæque metu deſciverant, ad Chriſti ovile revocavit. Tum eccleſiaſticam diſciplinam vel reſtituit, ſicubi collapſa erat, vel ne laberetur, præclaris legibus firmavit ac munivit. Salonitanam eccleſiam Neophytorum acceſſione mirifice auxit, & nihil prætermiſit, quoad per Imperatores ac magiſtratus licuit, quin omnia Epiſcopi munera atque officia aſſiduc ac naviter exſequeretur. Ita res Chriſtiana in integrum reſtituta viguit floruitque uſque ad Numeriani tempora, cum nova repente procella, incertum unde excitata, in Chriſtianos incubuit, hoc pernicioſior eccleſiæ Salonitanæ, quod ſuum illi Paſtorem atque Epiſcopum ademit. Hæc eſt illa perſecutio, quam Martyrologiorum ſcriptores Numeriani imperio ac nomini ſubjicere ſolent, de qua paragrapho inſequenti plura dicentur. Nunc videre oportet, num quid commodi ſive utilitatis ab Romanis Imperatoribus eccleſia Illyrica & Dalmatica acceperit, dum pax eidem & tranquillitas ab hoſtibus fuit.

Et Tacito quidem ac Floriano fratribus præter Aureliani edicti abrogationem nulla de Chriſtianis Illyricis neque bene, neque male merendi facultas & occaſio fuit, quippe utriuſque imperium breve admodum fuit: alter ſiquidem ſexto poſt menſe interiit, alter vero bimeſtre geſſit imperium, idemque perpetuis belli civilis curis ac periculis exercitum, ut ne ſpatium quidem cogitandi de rebus noſtris habuiſſe videatur.

Sub Tacito, Floriano, Probo & Caro, pax & tranquillitas Chriſtianis fuit.

M. Aurelius Probus cum iterum ac ſæpius Illyricum adierit, multa & præclara ibidem geſſit. Nam anno ſecundo imperii, Chriſti vero 278, poſt res Gallicas anno ſuperiori compoſitas, ubi cæſis prope ſeptingentis millibus barbarorum ſexaginta oppida recuperavit, Illyricum petiit, Sarmatas ex iis, quas occupaverant, provinciis expulit; ac deinde Getis ſeu Gothis vel domitis, vel in dedition em acceptis, Thraciam ab eorum populationibus vindicavit. Pannoniis illud permiſit, ut vineas inſtituerent colerentque, quod antea Imperatorum edictis vetitum erat, ne vinum hauſtum uberius militum animos infringeret, bellique diſciplinam labefactaret. Montem Almum, qui prope Sirmium erat, itemque Aureum montem in Mœſia Superiori vitibus conſeruit; utrumque indigenis excolendum ac fruendum dedit. Anno 280. poſt Saturninum Ægypti tyrannum extinctum, in Perſidem cum exercitu progreſſus, tantum terroris Narſeo Regi Perſarum intulit, ut illum ad pacem ſuppliciter petendam compulerit. Anno 281. ex Perſide in Thraciam regrediens ceorum millia Baſtarnarum ad imperii præſidium ac defenſionem in Romanas provincias diſtribuit; quorum & perpetua fuit erga Romanos fides, nec inutilis opera ad rempublicam tuendam. Gepidas quoque & Vandalos in Romanorum ditionem tranſtulit; ſed ab iis magna imperio illata calamitas. Probo quippe occupato in comprimendis Tyrannis Proculo, & Bonoſo, Barbari illi, quibus innata prædandi cupido, quam fides, antiquior erat, præſcriptis finibus egreſſi, Romanas regiones populabundi peragrarunt. Anno demum 282. poſtquam Romæ de Germanis aliiſque barbaris triumphaſſet, dum Sirmii Milites, ne otio atque ignaviæ ſe dederent, ſiccandis circa urbem paludibus exercet, ab ipſis militibus laborem illum ac diſciplinam militarem iniquo animo ferentibus per tumultum occiditur in Turri Ferrata, quo ſe perfugii cauſa receperat.

Res Probi præclare & utiliter geſtæ.

Quidnam vero commodi sive incommodi Illyricæ ecclesiæ attulerit multiplex adventus ac præsentia Probi, inquirendum erit in historia ecclesiæ Sirmiensis; in ea quippe urbe natum Probum atque educatum ferunt; illic sæpe ac diù commorari solebat; ibidem cum imperio vitam amisit.

Manes hæresiarcha sub Probo exortus.

Sub ipsum Probi Imperatoris exordium, anno 277. auctore Manete, turpissima Manichæorum hæresis erupit, quæ longe lateque suas propagines extendit, & in perniciem ecclesiæ nimium diuturnas. Hunc siquidem annum Probo Imperatore, Paullinoque Coss. inscriptum Leo Papa serm. 2. de Pent. hujus hæreseos origini perfinivit: *Manichæus ergo* (sic Manetem appellat) *magister falsitatis diabolicæ, & conditor superstitionis obscenæ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus, & sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore Paullinoque Consulibus, cum octava jam in Christianos persecutio ebulliret, & innumera martyrum millia ipsis suis victoriis probavissent, impletum esse, quod Dominus promiserat dicens: Cum autem tradent vos &c.* Duo in his sanctissimi Pontificis verbis animadverti velim; primum est, in numerum annorum ab Dominica resurrectione anachronismum irrepsisse, quem librariorum incuriæ facile adscripserim. Nam ex quo Christus regressus ab inferis immortalem vitam adeptus fuerat, anni supra ducentos effluxerunt haud amplius tres & quadraginta, cum Probus Imperator consulatum gerebat, & Manetis flagitia divulgari cœperant, quod utrumque congruit cum anno Christi nati sive æræ vulgaris 277. Alterum singulari animadversione dignum illud est, quod S. Leo octavam persecutionem Aureliano auctore excitatam videatur producere usque ad imperium Probi, cum aliquot ante menses jussu Taciti extincta jam fuisset: *Cum octava*, inquit, *in Christianos persecutio ebulliret*. Hunc quoque locum mendo subesse arbitror cum viro eruditissimo Theodorico Ruinartio, qui in Præf. Gen. ad Act. martyr. ejusdem loci restituendi emendandique rationem docuit unico verbo paullulum immutato, & ex præsenti ad præteritum tempus translato: *Probus Imperator*, inquit, *& Paullinus Consules fuere* anno 277. *quo jam sedatus erat persecutionis æstus, probaverantque martyres suo exemplo Spiritum Sanctum non deesse iis, qui Christum confiterentur, adeoque non ebulliebat tunc persecutio; quare facile crediderim legendum esse eo loci apud S. Leonem ebulliisset, pro ebulliret*.

Locus S. Leonis Papæ duplici modo purgatur.

Divisio bipartitæ imperii Romani.

Illud præterea hic non esse prætermittendum censeo, quod Tacito extincto cum plerique ad Probum, alii ad Florianum Imperatoris nomen atque insignia detulissent, Romanus orbis bifariam divisus novam atque antea inauditam provinciarum distributionem subiit; ex qua factum est, ut Illyricum ab Oriente divulsum in jus ditionemque Occidentalis imperii concesserit, quod quidem ex quo Illyricum in Romanorum potestatem venerat, ad eam diem numquam contigisse legitur. In ea quippe rei Romanæ distractione, civilique bello Probus Orientis imperium adeptus intra Ciliciam jus suum ditionemque continuit. Floriano autem obtigit, quidquid Romani orbis supererat, atque a Cilicia in Occidentem longe lateque protendebatur. Cum itaque Illyricum in potestate ac ditione Floriani esset, qui Occidentis imperium obtinebat, dubitari nequit, quin per id temporis ab Oriente distractum fuerit, atque in Occidentalium provinciarum numerum ac nomen migraverit. Hanc bipartitam imperii Romani divisionem loculente descripsit Zosimus, quem citat Pagius ad ann. 276. pag. 662. *Hinc* (scilicet post interitum Taciti) *ad tumultum civilem res redierat; aliis in Oriente Probum Imperatorem deligentibus, aliis Romæ constitutis Florianum. At Probus quidem obtinebat Syriam, & Phœnicem, & Ægyptum universam: sitas vero a Cilicia regiones ad Italiam usque Florianus. Eidem & transalpinæ nationes parebant, Galli & Hispani, cum insula Britannica, præterea omnis Africa cum Mauritanis gentibus*. Cæterum bipartita hujusmodi descriptio Romani orbis nihilo diuturnior, quam Floriani imperium fuit. Eo quippe duobus post mensibus sublato, imperii summa ad unum rediit, & Probus rerum omnium potitus sustulit hanc regionum divisionem, quam bellum civile invexerat; & Illyricum cum Provinciis ad Orientem obversis, unde paullo ante disjunctum fuerat, iterum colligavit.

Carus Probo suffectus an. 282. eamdem ferme Romani imperii partitionem consulto ac de industria fecit, quam ante sex annos casus potius, bellique civilis impetus, quam ratio & consilium, attulerat; atque iterum Illyricum ab Oriente sejunxit. Cum enim Carinum Cæsaris jure ac titulo donatum Occidentis imperio præfecisset, ad ejus ditionem ac fines Illyricum etiam adjunxit; sibi vero ac Numeriano Cæsari itidem creato provincias Orientis retinuit. Hujus rei auctor est Eutropius ab illa ætate haud longe disjunctus: *Carinum*, inquit, *Cæsarem in Parthos proficiscens Carus in Illyrico, Gallia, Italia reliquerat*. Idem multo loculentius expositi Vopiscus: *Hic quoque Cæsar* (Carinus) *decretis sibi Galliis, atque Italia, Illyrico, Hispaniis ac Britanniis & Africa, relictus a patre Cæsarianum tenuit Imperium*. Viden' iterum Occidentalibus provinciis Illyricum innexum.

Renovata est a Carp.

Nemini porro dubium esse potest, quin antequam Probus imperium susciperet, Illyricum esset quasi quoddam Orientis additamentum, sive pars extrema, eademque Occidenti proxima & contigua, quod quidem Antonius Pagius veterum testimonio egregie confirmat. Nam Zosimus in Oriente, Aurelius Victor in Illyrico Probum Imperatorem dictum esse tradunt. Aut igitur alter ab altero discrepat, quod nemo temere ac sine gravi ratione dixerit; aut certe fateri oportet Illyricum per ea tempora Orientis nomine ac finibus comprehensum fuisse. Uterque igitur eamdem regionem, in qua Probus electus est Imperator, designavit, alter communi Orientis, alter peculiari Illyrici vocabulo adhibito.

Hanc imperii Romani descriptionem ac formam semel iterumque constitutam profanum quidem ac civile Illyricum subiit, sacrum vero & ecclesiasticum non item. Hujus quippe nulla facta est mutatio; nam jam inde a principio Christiani nominis ecclesia Illyrica in Occidentalis Patriarchatus jus ac ditionem concessit, neque unquam inde avelli juste ac legitime potuit; quamquam sæpe Patriarchæ Constantinopolitani in ejusdem ecclesiæ possessionem temere ac per vim irrumpere conarentur. Cæterum operæ pretium fuit de utraque illa civili Provinciarum divisione mentionem facere; quippe quæ fuit quædam quasi imago & adumbratio illius, quæ deinde a Christianis Imperatoribus perfecta est, atque in aptiorem formam redacta; cum enim novam Romani orbis describendi distribuendique rationem iniissent, ex eorum descriptione partim cum Occidentali, partim cum Orientali imperio conjunctum est Illyricum, quod quidem antea Diocletianus, abrogata Provinciarum dispositione ab Caro constituta, rursus cum Oriente integrum colligaverat. Sed de his alibi fusius & accuratius; nunc

quæ reliqua, quæ sunt hujus loci atque instituti persequamur.

Quam propensa in Christianos esset Cari voluntas ac benignitas, satis superque intelligi potest ex amplissimo illo decreto, quo Thessalonicensem ecclesiam ornavit, eidemque quorumdam vectigalium immunitatem dedit. Extat in Codice Justiniani l. 1. cap. *de Sacrosancta eccl. Imperator Carus Isidoro Præfectio Prat. Sacrosancta Thessalonicensis civitatis ecclesia aperte sciat, proprie tantummodo capitationis modum beneficio nostri numinis sublevandum, nec extraneorum gravamine tributorum Rempublicam ecclesiastici nominis abusione ladendam.* Si Carus Thessalonicensibus Christianis munificum ac pium se præbuit, dubitari vix potest, quin aliquid benificentiæ suæ in Salonitanam quoque ecclesiam derivaverit, si qua forte de illa bene merendi occasio se obtulit, quippe cum ex ea provincia, ut verisimilius esse diximus, oriundus fuerit. Scio equidem, hanc eamdem sanctionem Theodosii nomine inscriptam inveniri in Codice Theodosiano sub titulo *De Annona & tributis*; ex quo fit, ut quidam existiment per errorem suppositam esse Caro Imperatori in Codice Justinianeo, ac proinde Theodosio adscribendam esse censeant. Sed cum duo illi codices satis graves in utrumque auctores sint, meam in hac re sententiam interponere non ausim.

Cari in ecclesiam Thessalonicensem beneficentia.

Utcumque tamen res sit, illud sane ingentis cujusdam beneficii loco fuit, quod Carus regimini Dalmatiæ præfecit Constantium Chlorum parentem Constantini Magni; aut certe si forte antea is Dalmatis præpositus fuerat, illius Præfecturam ratam habuit, neque illum Dalmatis ademit, contra quam ab novis Principibus fieri solet, quibus plerumque id moris est, ut veteres Præfectos Magistratu moveant, & in eorum locum alios sufficiant, quos imprimis diligant carosque habeant. Porro quam singulari in Christianos benevolentia ac beneficentia Constantius extiterit, nemo est, qui nesciat; ex quo conjici velim, quantum ecclesiæ Salonitanæ rationibus Præfectura Constantii vel ad ornamentum, vel ad præsidium profuerit. Et Constantius quidem suam Imperatori fidem atque industriam usque adeo probaverat, ut Carus, cum filium Carinum ob ejus nefaria scelera abdicare constituisset, Cæsaris nomen atque insignia filio adempta in Constantium transferre decreverit. *Audiens*, inquit Vopiscus, *de Carino pater ejus, quæ ille faceret, statuerat Constantium, qui postea Cæsar factus est, tum autem Præsidatum Dalmatiæ administrabat, in locum ejus subrogare, quod nemo tunc vir melior videretur.* Cæterum sub imperio Cari bene actum cum Christianis nemo negaverit, quippe cum neminem unum inveneris neque apud Martyrologos, neque apud Hagiographos, quem Carus religionis causa interfici vel torqueri jusserit. *Nullum*, ait Baronius, *sub Caro legimus passum, quod, ut dictum est, ipse faveret potius Christianis.* Ex Numeriani autem & Carini imperio quid commodi vel detrimenti acceperit universalis ecclesia, & præsertim Salonitana, quove illi in Christianos animo fuerint, ex iis intelligi potest, quæ paragrapho insequenti dicentur. Nam Carus quidem primo imperii anno vix completo, cum egregias de Persis victorias retulisset, castris ad Tigrim positis, ictu fulminis exanimatus est anno Christi 283.

Caro imperante Constantius Chlorus Dalmatiæ Præfect.

Carus fautor Christianorum.

§. II.

De persecutione Numeriani nomine inscripta.

DUm Joannes Salonitanum Pontificatum gerebat, Caro imperante, rem Christianam exercuit, ac diu multumque afflixit haud sane levis persecutio, quæ Numeriani nomine atque imperio consignari solet. Id satis superque declarant, qui per ea tempora sub Numeriano religionis causa interfecti esse dicuntur, quod Baronius & Joannes Marnavitius Bosnensis Episcopus, aliique diligenter animadverterunt.

Ejusmodi persecutio multas Romani Orbis provincias pervasit. Argumento est, quod, quemadmodum ex Romano, aliisque Martyrologiis colligitur, multorum in regionibus inter se diversis disjunctisque martyrium, in iisdem Divorum Fastis, Numeriani imperio ac persecutioni subjicitur; Romæ Eutychianus Pontifex, cui suffectus est Cajus natione Dalmata, Chrysanthus & Daria, Diodorus Presbyter & Marianus Diaconus cum aliis plurimis, Claudius Tribunus cum uxore & filiis, & militibus septuaginta, aliique sane multi, quorum in Fastis ecclesiæ mentio est perhonorifica, sub Numeriano, vel ejusdem jussu, extremo ob religionem supplicio affecti esse traduntur. Aquileiæ Hilarum Episcopum cum Tatiano Diacono, Felice, Largo, Dionysio, jubente itidem Numeriano Christi causa interemptum fertur: alios præterea in Ægypto, alios in Syria, eadem Numeriani persecutio sustulit. Quamquam autem hæc persecutio satis late diffusa multas ecclesias exagitaverit, neminem tamen fuisse reperio, qui eam aut universalem appellarit, aut distinguendam esse duxerit ab decem illis persecutionibus longe gravissimis, quæ primariæ habentur, & a suo quæque Auctore nomen accipiunt. Quid ita? quia nullum temporibus illis edictum, neque ab Imperatore, neque a Senatu Romano contra Christianos emanasse constat, unde hæc persecutio originem atque initium traxerit. Quapropter verius, quam nova persecutio, proximæ superioris ab Aureliano indictæ appendix quædam, quasique redintegratio dici potest; quippe cum nona illa persecutio paucis post obitum Aureliani mensibus sopita, anno circiter 283. incertum quibus de causis recruduit.

Martyres persecutionis Numerianæ adscripti.

Hæc tempestas, ut aliquorum fert opinio, duos fere annos tenuit, quibus Cari, Numeriani, Carini imperium respondet. Sunt tamen, qui duos præterea huic persecutioni annos adjiciunt, eamdemque ad totum illud biennium propagandam censent, quo Diocletianus sine collega imperavit; quod quidem propius ad veritatem videtur accedere. Nam intra hoc biennium nonnullos ob religionem, alios alibi interfectos esse constat, quorum cædes cum Diocletiano adscribi nequeant, qui ab initio facilem se Christianis ac benignum præbuit, consequens est referri oportere ad persecutionem illam, quæ Numeriani nomine atque imperio inscribitur.

Cæsar Card. Baronius negat sibi liquere, quid causæ sit, cur majores nostri huic persecutioni nomen ab Numeriano indiderint, cum hujus imperium adeo breve fuerit, ut si minus eidem consilium ac voluntas, tempus certe ac spatium ad vexandas ecclesias defuerit. *Unde quæso*, inquit ad anno 284. n. 5. *quod nonnulli martyres sub Numeriano passi legantur in cunctis Martyrologiis; haud res est facilis demonstratu.* Idem tamen Baronius, ne rem omnino impliciram & involutam relinquere videa-

Cur Numeriana sit appellata.

videatur, id cauſæ affert, quamobrem Numerianus hujus perſecutionis Auctor haberi dicique poſſit, quod ipſe vivo adhuc parente, cum Cæſaris nomen atque poteſtatem obtineret, ſæpe in Chriſtianos ſubſcripſerit: *nec eſt*, inquit, *quod dici poſſit, niſi ipſum vivente patre, cum Cæſarem ageret, in Chriſtianos ſæpius reſcripſiſſe.* Qua in re haud pauci Baronio aſſentiunt, ac præſertim Joannes Tomco Marnavitius; qui ut Baronianæ opinioni fidem & auctoritatem adjungeret, argumentum ſumpſit ex martyrio S. Babylæ Antiocheni Epiſcopi, quem ait Numeriani juſſu interfectum fuiſſe. Ab hujus vero nece initium factum eſſe rurſus eccleſiæ perſequendæ; & lata in Babylam ſententia, quaſi quodam ſigno dato, undique in Chriſtianos impetum fieri cœpiſſe; atque id cauſæ eſſe, cur Numeriani perſecutioni attribui ſoleat eorum martyrium, qui deinceps ſub Carino, & duobus prioribus Diocletiani annis pro Deo ac religione pugnarunt: *Cum Numerianus Princeps patri Caro perſimilis in omnibus, paucorum dierum ſpatio Romano præfuerit imperio, & nihilominus plurimi martyres ſub illo paſſi legantur omnibus ferme anni menſibus, facile quicumque triennio* (rectius anno uno) *quo bellum inter ejus fratrem & Diocletianum ab ejus obitu arſit, pro Chriſto decertarunt, illius imperio adſcribuntur, ex eo quod ille Antiochiæ Babylam Epiſcopum martyrio affeciſſet.* Verum de tempore, cui Babylę martyrium illigari oportet, eſt inter antiquos Scriptores controverſia. Auctor Chronici Paſchalis, Metaphraſtes, Nicephorus Calliſtus hujus ſanctiſſimi martyris necem imperio Cari & Numeriani adſcribunt. Sed longe pluris eſſe debet cuique auctoritas Euſebii, Hieronymi, Epiphanii, qui ejuſdem martyrium referunt ad perſecutionem Decianam. Philoſtorgius lib. 7. n. 8. ſatius eſſe duxit rem in medio relinquere, quam quid ſuæ ſententiæ eſſet proferre; & ex eo refert oblatam Babylæ fuiſſe occaſionem ſubeundi martyrii, quod pius Antiſtes *Numerianum Imperatorem, ſive, ut alii dicunt, Decium* eccleſiam ingredi volentem, quo Chriſtiani frequentiſſimi convenerant, magno animo conſtantique, aditu templi prohibuerit. Vetus itaque hæc eſt controverſia; & Suidas teſtatur *diverſas de Babyla fuiſſe ſententias, dicentibus aliis eum ſub Decio, aliis vero paſſum ſub Numeriano: ad quas conciliandas duos Babylas eſſe excogitatos*, alterum Antiochenum, alterum Nicomedienſem Epiſcopum.

Martyrii Babylæ Antiochi alii Numeriano, alii Decio attribuunt.

Mihi vero longe veriſimilior videtur eorum ſententia, qui omnem hujus perſecutionis invidiam culpamque ab Numeriano, & Carino in Præfectos ac Præſides provinciarum transferunt. Hi ſiquidem tam immani exitialique odio in Chriſtianos ardebant, ut nihil illis familiarius, nihil magis in promptu eſſet, quam Principum a cædibus abhorrentium ſive abſentia, ſive lenitate ad Chriſtianorum perniciem abuti. Et vero tantum abeſt, ut Numerianus in Chriſtianos unquam ſævierit, ut nihil magis ab ejus indole atque ingenio, quam ſevitia & crudelitas, alienum eſſet. Erat enim ſuaviſſimis moribus, totuſque ad clementiam & lenitatem, tum ſuapte natura, tum optimi parentis imitatione factus atque compoſitus; nihil illo moderatius, nihil comius, nihil blandius; quibus ille rebus aſſequebatur, ut a patre & maximi fieret, & unice diligeretur. Cum autem Carus adeo nihil moleſtiæ Chriſtianis intulerit, ut eos potius amore & beneficentia proſequeretur, non eſt veriſimile, ut Numerianus a parentis exemplo & inſtituto deſciverit, qui totum ſe ipſe ad illius diſciplinam & imitationem effinxerat. Præterea Numerianus, cum ſingulari vividoque ingenio præditus eſſet, ſe ab ineunte ætate ad bonarum artium ſtudia contulerat, quibuſcum nihil difficilius, quam feritas & immanitas, componi poteſt. In iis porro totus fuit; & eloquentiæ præſertim tam ſedulam ac diligentem operam navavit, ut eidem tamquam Oratori ætatis ſuæ facile principi publicos honores Senatus populuſque Romanus decreverit: *Optimis*, inquit Vopiſcus, *præditus moribus, eloquentia tantus, ut ei ſtatua a Senatu Romano, tamquam Rhetori in Bibliotheca Ulpia decerneretur, cum inſcriptione: Numeriano Cæſari Oratori temporibus ſuis peritiſſimo &c.*

Hujus perſecutionis Præſides Provinciarum auctores, non Numerianus.

Carinus quidem degeneravit a diſciplina & gravitate paterna; & ingenio ac moribus, nihil tam diſſimile, quam Carinus Numeriano fuit; quippe in omnem libidinem atque intemperantiam effuſus uſque adeo parentis indignationem movit, ut nihil propius factum ſit, quam ut a patre imperio, totaque hæreditate exueretur; tanta vero flagrabat infamia, ut Carini imperium nec Senatus, nec Populus Romanus ratum habere voluerit; propterea quod Imperatorem ſceleribus flagitiiſque contaminatiſſimum ſibi reique publicæ dedecori eſſe atque ignominiæ duceret. Verum non modo a Chriſtianorum cædibus abſtinuit, ſed etiam omni ope operaque enitebatur, ut eos ſecum amicitia & beneficiis conjungeret, ſive quod paternæ fraternæque clementiæ æmulator videri vellet, ſive quod permagni ejus intererat Chriſtianos habere amicos, eoſdemque ſibi adjutores ad retinendam imperii poſſeſſionem adſciſcere. Id clare teſtantur Acta S. Sebaſtiani, itemque Acta SS. Cancii, & Canciani; ex quibus Baronius, & Epiſcopus Marnavitius effitere contendunt tantum abeſſe, ut Carinus illam perſecutionem excitaverit, ut potius illam reſtinguere conaretur. Et Carinum quidem egregie erga Chriſtianos animatum fuiſſe, auctores ſunt vel ipſi Scriptores Ethnici: *Hominibus improbis*, ait Vopiſcus, *plurimum detulit, eoſque ad convivium ſæpe vocavit.* Hominum autem improborum nomine Chriſtianos deſignari docet Pagius, aliique haud ignobiles Scriptores, qui diligenter animadverterunt numquam fere Ethnicos de Chriſtianis mentionem feciſſe, quin eos contumelioſis vocabulis afficerent. Quapropter idem Marnavitius tradit ea etiam cauſa impulſum eſſe Diocletianum, ut in Chriſtianos ſævire inciperet, quod illi ab recenti memoria beneficiorum, quæ a Caro & Carino acceperant, ſe ubique, ac præſertim in Dalmatia Carini fautores præbuiſſent: *Sane*, inquit, *præclare cum re Chriſtiana actum fuiſſet* (ſub Diocletiano), *niſi beneficentiſſima Cari memoria Chriſtianos ad partes Carini amplectendas impuliſſet.*

Carinus; quamquam moribus perditiſſimis,

Chriſtianis benignum ſe præſtitit.

Cum igitur hæc perſecutio, de qua nunc agimus, neque Caro, neque Numeriano, neque Carino adſcribi poſſit, relinquitur, ut omnis illa tempeſtas juſſu Magiſtratuum, populo fortaſſis impulſore, excitata fuerit. Si vero quæras, quid ſit, quod hæc perſecutio ab Numeriano ſibi nomen adſciverit, duas cauſas ſane probabiles afferri poſſe video; una hæc eſt, quod provinciarum Præfecti aliquid contra Chriſtianos edicti pro fraudem Numeriano inſcio & invito ſubrepſerint; nuſquam enim facilius aulicorum ac Præſidum doli & fallaciæ, quam in optimi cujuſque Principis animum irrepere ſolent. Altera hæc eſſe potuit, quod in iis locis, ubi degebat Numerianus, iidem Magiſtratus Chriſtianos ab inſito in illos odio divexari cœperint; neque Numerianus ob nimiam in ſuos lenitatem atque indulgentiam prohibuerit, cujus cæteroquin fuiſſet Præfectorum audaciam ac popularem impetum

Cur hæc perſecutio a Numeriano ſumpſerit nomen,

ratio redditur non improbabilis.

Digitized by Google

cum cohibere. Hinc factum est, ut hi ad torquendos necandosque Christianos Numeriani auctoritate abuterentur; eoque vel permittente, vel non repugnante, tot martyres interfecti apud Martyrologos legantur, etiam in illis provinciis, quas Carus in Carini potestate reliquerat: neque enim Carus Romanum imperium cum Carino ita partitus est, ut in iis, quas filio regendas tradiderat, regionibus nihil juris aut potestatis sibi ac Numeriano retineret.

Ceterum, quamquam non satis constat, unde originem traxerit, & appellationis causam acceperit haec persecutio, dubium tamen non est, quin eodem turbine Dalmatia & Salona concuteretur; praesertim cum vicina tempestate Aquileja & Illiria Dalmatiae proxima fuisset, ut colligitur ex Martyrologiis. Erat quidem per id temporis Praefectus Dalmatiae Constantius Chlorus Christianae religionis fautor, ac pius adeo, ut Christianis Principibus annumerari possit; verum sive quod obeundae lustrandaeque provinciae necessitate compulsus Salona identidem abesset; sive quod populare in Christianos odium vehementius exarserat, quam ut Praefecti auctoritate atque imperio sedari posset, hujus persecutionis impetum prohibere ab ecclesia Salonitana nequivit. Hac siquidem tempestate Maurus, ut nobis videtur, pro Christo interemptus est, qui ex insula Pharia voti ac religionis causa ad sepulchrum S. Domnii Salonam advenerat, id quod suo loco docebimus; ubi operae pretium erit quorumdam errorem coarguere, qui veteris Geographiae Dalmaticae non admodum periti existimant S. Maurum ex Africa in Italiam trajecisse, & Romae martyrio perfunctum esse. Nihil autem est, cur dubitemus alios quoque una cum Mauro per idem tempus Salonae ob religionem extremo supplicio affectos fuisse. An vero iis annumerari oporteat Joannem Salonitanum Antistitem, non satis liquet; illud quoque incertum est, utrum martyrio sublatus sit, an vero placida tranquillaque morte diem suum obierit. Inter initia Diocletiani Imperatoris illum ex hac vita migrasse probabile est, quamvis certum ejus morti annum nullum praefiniant veteres catalogi Salonensium Episcoporum. Si vero Joannes inter martyres annumerandus sit, quod mihi non videtur a veritate alienum, dubitari nequit, quin ejus martyrium revocari oporteat ad hanc persecutionem, quae ab Numeriano appellari solet. Sed cum ea quatuor ferme annos tenuerit, in tres quodammodo partes, sive periodos, ut Hagiographorum vocabulis utar, distribui potest, ex qua distributione facile erit conjicere, quem in annum Joannis martyrium inciderit. Pars prima ab exordio Cari Imperatoris usque ad Numeriani obitum evolvitur; hinc altera usque ad interitum Carini; tertia denique usque ad secundum Diocletiani Imperatoris annum producitur.

Maurus Martyr Salonitanus.

De Joannis Ep. Martyrio non liquet.

Ejus obitus ad initia Diocletiani referendus.

Si Joannes Martyr fuit, quando martyrium passus sit.

Secundae hujus persecutionis periodo, ut hinc incipiam, minime videtur illigari posse martyrium S. Joannis. Nam post Numerianum extinctum anno 284, Carinus victo caesoque Juliano Sabino, qui tyrannidem in Venetis occuparat, copias in Illyricum duxit adversus Diocletianum, quem Chalcedone Imperatorem exercitus appellaverat xv. Kal. Octobris eodem anno 284. Cum Diocletiano annum fere integrum varia ferme & anceps fortuna pugnavit; neque umquam per id tempus ab Dalmatia longe abfuit, vel ex Illyria pedem extulit. Non est autem verisimile, ut Idolorum cultores auli fuerint Christianae religionis Antistitem e medio tollere in ipsis pene oculis conspectuque Carini, cujus in ditione ac potestate erat Dalmatia; cuique haud parvi intererat amicos sibi esse Christianos, nullaque eos affici molestia, cum eorum sane multos in suo exercitu haberet, eorumque opera militari contra Diocletianum uteretur.

Restat igitur, ut martyrium Joannis vel ad primam, vel ad tertiam ejusdem persecutionis periodum revocari oporteat; neque facile est decernere, utri adscribendum sit; sunt enim in utramque partem conjecturae satis probabiles. Quod attinet ad primam periodum; dum Numerianus imperium cum patre ac fratre gessit, persecutio postremis praesertim Cari temporibus vel maxime ferbuit, eoque potissimum spectabat, ut primarios ecclesiae Antistites ecclesiae adimeret. Nam per ea ferme tempora Eutychianus Romae, Hilarius Aquilejae, Maximianus Laureaci ob religionem caesi dicuntur. Neque Carus, neque filii tum aderant in Dalmatia, qui Ethnicorum furorem comprimere possent. Numerianus cum patre in extremis Orientis partibus, unde numquam rediit, bellum cum Persis gerebat; Carinus vero aberat in Galliis, unde non ante interitum fratris in Italiam & Dalmatiam copias adversus Diocletianum traduxit. Nihil autem verisimilius est, quam ut hostes Christiani nominis, absentia Principum, qui nobis favebant, ad vexandam ecclesiam Salonitanam, ejusque Episcopum interficiendum abuterentur.

Propius tamen ad veritatem accedere mihi videtur, qui martyrium S. Joannis Episcopi Salonitani, si quidem inter martyres annumerandus sit, in tertiam hujus persecutionis periodum conjiciat, quae quidem post Carini cladem atque interitum consecuta est. Diocletianum, victo caesoque ad Murgum Mesiae oppidum Carini exercitu anno 285, victoria quam clementissime usum esse testatur Aurelius Victor. Veniam omnibus & impunitatem dedit; nemini fraudi aut crimini esse voluit, quod contra se a Carino stetisset; ac ne Illyricis quidem iratum se ipse ostendit, qui caeteroquin omnium acerrime pro Carino pugnaverant. Neque hostibus se aequiorem, quam Christianis praebuit; quinimmo Diocletianus, ut auctor est Eusebius, itemque ejus collega Maximianus Herculeus inter initia imperii, incredibili quadam benevolentia Christianos complecti videbantur; neque ulla omnino injuria aut periculum ab humanissimis Principibus eorum vitae ac fortunae imminebat, qui Christianam religionem aut susciperent, aut profiterentur. *Propter incredibilem benevolentiam*, (inquit Eusebius) *quam erga nostram religionis professionem Imperatores habebant, omni afflictione & molestia, quam pro Dei amore homines Christiani solent perpeti, eo penitus liberarunt.* Sed quamquam uterque Imperator nobis nostraeque religioni haud dubie faveret, neuter tamen prohibuit, aut certe prohibere potuit, quominus res Christiana vel populi odio ac furore, vel Praetorum rabie atque improbitate variis in locis identidem impeteretur: quocirca ne tum quidem Christianis quietis & pacatis esse licuit; id quod testantur Acta Martyrum, qui anno secundo atque altero Diocletiani religionis causa interfecti esse traduntur, antequam is sui furoris initia, & prima in Christianos edicta expromere inciperet. *Diocletianus*, inquit Joannes Marnavitius, *ubi post multa praelia cum Carino commissa, ad Murgum denique Pannoniae* (alii Maesiae) *ipso Illyrici meditullio eumdem profligatum extinxit, & si propositis edictis, & lege lata, majorum exemplo in Christianos insurrexerit nequaquam, quominus tamen gentilium Sacerdotum infectatione Christiani vexarentur, minime inhibuit.* Caeterum idem Marnavitius animadvertit Diocletianum haud satis propitio animo fuisse in

lib. 8. c. 1.

Digitized by Google

se in Christianos Illyricos & Dalmatas, propterea quod Carini partes secuti fuerant. An non igitur fieri potuit, ut Joannes Salonitanus Antistes perculsus fuerit aliquo ejusmodi turbine, aut subita tempestate, quam adversus Christianos vel Idolorum Antistites, vel popularis tumultus atque seditio Salonæ concitaret? nihil enim crebrius, nihil usitatius erat, quam repentinos ejusmodi impetus in ecclesias fieri, cum res Christianæ ab Romanis Imperatoribus inducias nactæ prosperum sine offensione cursum tenere videbantur. Itaque si Joannes Salonitanus Antistes, quemadmodum plerique illorum temporum Episcopi, pro Christo mortem obiit, ejus martyrium satis probabiliter conferri potest in annum Christi 285, populo aut Magistratu sæviente, non Diocletiano auctore, qui in eo totus erat, ut imperium superiori anno susceptum sua erga omnes benevolentia sibi firmaret ac muniret, & præsidia sibi ac reipublicæ adversus hostes compararet; qua in cogitatione curaque defixus ad Christianos persequendos ne cogitandi quidem spatium habebat. Vita & Pontificatus Joannis non videtur longius produci posse, ut quinque illis Episcopis, qui deinceps post Joannem ecclesiæ Salonitanæ præfuerunt, quorumque seriem Romanus Catalogus perduxit usque ad annum 304, suum cuique tempus attribui queat; apteque inter illos distribui possint duodeviginti anni, intra quos illorum Pontificatum includi oportet.

Synopsis Chronologica complectens Acta Agapiti & Joannis Episcoporum Salonensium.

Anni Christi.

270 AGapitus iniit Pontificatum Salonitanum. Aurelianus in Illyrico delatum ab exercitu imperium suscepit, qui primum Christianis æquum ac benignum se præbuit, ac deinde mutato consilio eos variis in locis identidem divexavit.

271 Aurelianus ex Illyrico profectus, Marcomannos in Italiam effusos ingenti clade repulit. Romam adiit, primores Romanorum interfecit, quod vel Christiani essent, vel Christianis studerent. Exinde infestus esse Christianis cœpit.

272 Agapitus puer Prænestinus illustri martyrio perfunctus.

273 In Illyricum copias ducit Aurelianus; Gotthos triplici prælio fudit. Romanorum coloniis ex veteri Dacia Trajani deductis, novam Daciam citra Danubium condidit. In Orientem exercitu traducto Zenobiam, quæ Odenato viro suo interfecto Romanas provincias occuparat, Palmyræ obsessam vicit ac cepit. Regressus in Europam Carpos in fugam conjecit.

274 In Tyrannos arma vertit; Firmum in Ægypto oppressit; Tetricum in Gallia ad deditionem compulit. Romam reversus de barbaris ac tyrannis victis triumphat; Christianos divexat.

275 Aurelianus in Orientem cogitans Persis bellum illaturus, dum in Illyrico ad eam expeditionem milites conscribit, Agapitus Salonitanus Antistes Christianæ religionis nomine accusatus in carcerem detruditur. Ejus in perferendis suppliciis constantia permotus Anastasius Cornicularius Christum libera voce deprædicat; & jubente Aureliano, qui tum vel in Dalmatia versabatur, vel prope inde aberat, capite damnatus Salonis egregiam pro Christo mortem occubuit 21. Augusti; & paucis ante vel post diebus, eamdem ob causam, idemque capitale supplicium Agapitus Episcopus subiit.

Agapito sublectus est Joannes hujus nominis primus Salonitanus Episcopus; qui Leontium civem Salonitanum reximiæ nobilitatis, paullo ante Christianis sacris initiatum urbi atque ecclesiæ Epetinæ primum Episcopum præfecit.

Hoc anno ineunte, vel proximo superiori exeunte, Aurelianus in Illyrico persecutionem universalem indixit, quæ cum primos & acriores in Illyricum & Dalmaticam ecclesiam impetus fecisset, Joannis Episcopi Salonitani vigilantiam curamque ad commissum sibi gregem tuendum exacuit. Aurelianus dum in Persas exercitum duceret, amicorum fraude interfectus est mense Martio. Nec vero ejus morte persecutio extincta est, sed fere omnes imperii Romani provincias pervagata, multas Christianorum strages edidit, quoad interregnum imperatorium tenuit. 276

Tacitus Septembri mense Imperator ab Senatu appellatus, edictum Aureliani contra Christianos abrogavit.

Tacitus obiit exacto sexto imperii mense. Florianus Taciti frater, nullo Senatus arbitrio, invasit imperium. Ei Probi metus, & mors voluntaria imperium fraterno brevius fecit. 277

Ergo Probus origine Dalmata, patria Sirmiensis, ab exercitu Imperator renunciatus, adversus Christianos benignum se præbuit. Pars Illyrici ad Probum, pars ad Florianum accessit; hoc veluti quoddam rudimentum fuit divisionis Illyrici Orientalis & Occidentalis; quæ quidem divisio Floriani interitu sublata fuit. Probus Germanis expulsis, Galliam pacavit. Manes Manichæorum parens exortus.

Illyricum a Sarmatis recepit. Thraciam Gothis qua domitis, qua in deditionem acceptis, a cladibus metuque cladium liberavit. Pannoniis, ut vineas instituerent colerentque, concessit. 278

Ægyptum ab tyrannide Saturnini vindicavit. 279

Asiam, Persarum Rege ad pacem petendam compulso, pacavit. 280

Bastarnas, Gepidas & Vandalos in fidem receptos in Romanas provincias distribuit; Proculum & Bonosum Tyrannos compressit. 281

Debellatis hostibus, pacatoque Romano imperio, ipse a militibus disciplinam in pace non ferentibus apud Sirmium interficitur. Suffectus est Probo M. Aurelius Carus Narbonæ ortus in Dalmatia, qui statim Carinum & Numerianum filios Cæsares creavit; & Carino quidem imperii Occidentalis administrationem commisit una cum Illyrico, quod iterum ab Oriente avulsum inter Provincias Occidentis locum numerumque obtinuit. Ipse vero curam defensionemque suscepit imperii Orientalis, socio adscito Numeriano, quocum contra Persas in Orientem profectus est, cum regimini Dalmatiæ Constantium Chlorum præfecisset. Non solum nihil molestiæ Christianis intulit, sed etiam beneficiis eos prosecutus est, ut declarat ejus Sanctio utilis pariterque honorifica ecclesiæ Thessalonicensi. 282

Dum Principum benignitate ac favore Christiana res floret, populorum odio, & magistratuum improbitate non leviter obtrita est. Hinc persecutio illa, quæ ab Numeriano cognominata est. Hæc veluti appendix persecutionis Aurelianeæ haberi ac dici potest; quæ quatuor fere annos tenuit usque ad annum secundum Diocletiani.

Carus subacta Mesopotamia, ad Ctesiphontem usque progressus, ictu fulminis exanimatus est intra primum imperii annum. 283

Numerianus patris obitum ægre ferens, nimio fletu, ocularem in morbum incidit; ac dum in lectica vehitur, Apri Soceri insidiis oppressus est. Carinus patris fratrisque imperium sibi vindicare conatus est, & quamvis sceleribus flagitiisque contami- 284

Digitized by Google

taminatiſſimus, Chriſtianis tamen fautorem ſe præbuit. Huic ab exercitu in Oriente oppoſitus eſt Diocletianus, qui poſt extinctum Numerianum oblatam a militibus purpuram ſumpſit.

285 Hoc anno Joannes Salonitanus Antiſtes *vel* naturali morte extinctus, vel populari aliqua in Chriſtianos conſpiratione religionis cauſa interemptus ad ſuperos migravit; niſi mavis ejus obitum, ſeu martyrium referre ad annum 282, cum illa perſecutio exorta eſt, quæ a Numeriano cognomen accepit.

Juſſu Joannis IV. Pontificis Maximi corpora 641
Agapiti Epiſcopi & Anaſtaſii Corniculatii, (fortaſſis etiam Joannis Epiſcopi Salonitani) cum aliis Iſtricis, & Dalmaticis martyribus Romam translata ſunt, atque in ſacello Venantiano Lateranenſi depoſita. Eos Clerus Lateranenſis III. Id. Aprilis, eodem, atque cæteros martyres Dalmaticos, cultu officioque anniverſario veneratur.

S. GEORGIUS SALONITANUS EPISCOPUS XVII.

PRÆFATIO.

CAtalogus Romanus, quem in explicandis digerendiſque Pontificum Salonenſium temporibus potiſſimum ſequimur, ſex ipſos Antiſtites ſimul conjunctos inter annos octogeſimum ſextum tertii ſæculi, & quartum ſæculi conſequentis interjecit; neque ullo certo uniuſcujuſque Pontificatum ac definito annorum numero circumſcripſit. Verba ipſius Catalogi huic loco attexere libet.

Sancti Joannes I. *Georgius* I. *Theodorus* I. *Joannes* II. *Frontinianus* I. *Joannes* III. *Antiſtites Salonarum ſextus decimus, decimus ſeptimus, decimus octavus, undeviceſimus, vigeſimus, vigeſimus primus. Præfuerunt inter annos* 286, *&* 304, *ſedentibus Felice* I. *Eutychiano, Cajo, Marcellino, Marcello* I. *Imperantibus Aureliano, Tacito, Floriano, Probo, Caro, Carino, & Numeriano, Diocletiano & Maximiano.*

Ætas Romanorum Pontificum & Imperatorum appoſita anachroniſmi nos admonet, qui librariorum incuria in hunc locum irrepſit, jubetque Joannis initia retrahere ad annum Chriſti 275, ab eoque horum Epiſcoporum ſeriem repetere; qui annus Felici quidem Pontificatus vitæque finem attulit, idemque annum Aureliani interitu inſignem proxime anteceſſit. Ac Joanni quidem Georgium omnes omnino Catalogi ſubjiciunt; ſed Joannem plerique itemque Georgium cum aliis quatuor, qui præcedunt, & feretredecim, qui conſequuntur, Epiſcopis ab tertio & quarto ſæculo dimovent, eoſque infra Epiſcopos illos dejiciunt, qui ad ſeptimum ſæculum pertinent. Ab Juſtino igitur undecimo Salonarum Antiſtite, qui ſub initium tertii ſæculi huic eccleſiæ præfuit, tranſiliunt ad Glycerium, qui ex Imperatore factus Epiſcopus Salonitanæ eccleſiæ regimen ſuſcepit anno circiter 474; huic vero alios ex aliis Epiſcopos ſubnectunt uſque ad Theodorum, quorum ordo ſerieſque ab exitu ſæculi quinti uſque ad annum quadrageſimum ſæculi ſeptimi, Salonæque everſionem perducitur. Porro inter Juſtinum & Glycerium lacuna interjacet ducentorum & fere quinquaginta annorum, ad quam explendam revocari oportet Epiſcopos illos amplius viginti, quos hi Catalogi infra ſextum ſæculum rejectos anteponunt Theodoro, quo cum excidium Salonæ urbis ætate conjungitur. Sunt autem hi *Juſtinianus, Antoninus, Maximus* II. *Agapitus, Joannes* I., *Georgius* I., *Theodorus* I. *Joannes* II. *Frontinianus* I. *Joannes* III. *Petrus* I. *Marinus* I. *Martinus* I. *Maximus* II., *aut Marinus* II. *Theodorus* II. *Petrus* II. *Leo* I. *Joannes* IV. *Joannes* V. *Petrus* III. quibus addi oportet Heſychium III. Joanni IV. & Joanni V. interjectum, quem aliqui Catalogi prætermittunt. Ita fiet, ut Salonenſium Antiſtitum continuatio ſerieſque ab Juſtino ad Glycerium nuſquam interrupta perveniat. Præterea hi Epiſcopi, quos modo recenſui, niſi inter Juſtinum Glycerium que collocentur, nuſquam in ea ſerie locum aptum ſibi congruentemque invenient. Ab Glycerio ad Salonam exciſam anni numerantur ſupra centum fere ſexaginta. Inter Epiſcopos hujus intervalli ſunt aliqui, de quorum ætate dubitare non licet; veluti ipſe Glycerius, qui ab Julio Nepote victus imperioque exutus Salonæ Epiſcopi nomen & inſignia ſumpſit anno 474. cum vita depoſuit anno 480; itemque Natalis & Maximus, qui D. Gregorio Magno æquales, ut ex hujus ad illos epiſtolis colligitur, intra finem ſexti ſæculi, & initia ſequentis eccleſiam Salonitanam adminiſtrarunt. Maximus vero diem obiit anno 620. Relinquuntur anni omnino viginti ad Salonæ excidium, cujus epocham affiximus anno Chriſti circiter 640. Non eſt autem veriſimile, ut tam brevi annorum ſpatio tot Epiſcopi præfuerint, quot a nobis ſupra nominati ſunt, præter duos alios Frontinianum ac Theodorum, quos Catalogi fere omnes Maximo ſubjiciunt. Nullus igitur inter Maximum & Salonitanum excidium locus Epiſcopis illis relinquitur, quos propterea retrahi oportet ad tertium & quartum quintumque ſæculum, & Juſtino atque Glycerio interjici: Quare Catalogos omnes, qui a Romano diſcrepant, quamvis de numero ac nomine Epiſcoporum cum illo conſentiant, ordinis tamen ac temporum perturbatione vitiatos eſſe conſtat. Ex quibus id, quod volumus, efficitur, videlicet dimoveri non poſſe ab tertio ſæculo in exitum vergente Pontificatum Salonitanum Georgii, cujus initia referri poſſunt ad an. 285, quo veriſimile eſt Joannem ejus deceſſorem ex hac vita migraſſe. Huc revoca, quæ part. 3. Prolegom. ſect. 2. cap. 3. de ordine ſerieque Epiſcoporum Salonenſium fuſe accurateque diſputavimus.

Anachroniſmus Romani Catalogi emendatur.

Initia Georgii Salonit. Ep. ad an. 285. referenda.

Acta Georgii Salonitani Epiſcopi pura ac ſincera nuſquam invenire licuit; ſed conjecturis & rationibus haud ſane abſurdis ducor ad ſuſpicandum eadem confuſa eſſe & permixta cum Actis S. Georgii Palæſtini, Megalomartyris vulgo cognominati. Hæc ſuſpicio me impulit, ut in varia Actorum Martyris Palæſtini exemplaria diligentius inquirerem; & quærendo atque inveſtigando hæc mihi comperiſſe videor; primum quidem in hujuſmodi Actis plura ac longius inter ſe diverſa contineri, quam ut in unum eumdemque martyrem convenire queant; deinde aliqua in iiſdem narrari, quæ aptius in noſtro, quam Palæſtino Georgio congruere videntur. Itaque non tam ſpe certa exploratæque adductus id plane efficiendi, quod contendo, quam experiundi & tentandi gratia, conſilium cepi recuperandi, ſi quo modo fieri poſſit, Acta Georgii Epiſcopi Salonitani. Spiſſum ſane erit opus & operoſum, cujus ſi non perfectio, at conatus tamen & adum-

Acta Salonitani cum Actis Georgii Palæſtini confuſa videri.

Digitized by Google

adumbratio, æquis ac prudentibus viris probari queat. Quæ vero in hanc diſquiſitionem veniunt, ut recte atque ordine perſequar, illud principio conſtituendum cenſeo, duos iiſdem fere temporibus fuiſſe Georgios, alterum Militem oriundum e Palæſtina martyrio & miraculis perinſignem, alterum Epiſcopum Salonitanum; deinde percenſere oportet varias ac multiplices græcas pariter latinaſque hiſtorias, quæ Georgii Palæſtini Megalomartyris nomini ſubduntur, & quæ ſit cujuſque vel ætas vel auctoritas expendere: tum diligenter animadvertenda erunt, quæ in illis occurrunt inter ſe diverſa ac diſcrepantia; & quadruplex diverſitatis ratio afferenda, unde & Actorum duplicis Georgii permixtio appareat, & quæ ad noſtrum, quæ ad Palæſtinum pertinere videantur, dignoſci poſſint. Poſtea vindicanda nobis erunt Acta Georgiana a gravioribus cenſuris, quibus affici ſolent; ſi enim quædam abſona & abſurda reſecentur, quæ in aliquibus exemplaribus leguntur, cætera vero, quæ in unum eumdemque Martyrem cadere nequeunt, in duos apte diſpertias, & ſua cuique attribuas, nihil erit, cur tantopere Georgianæ hiſtoriæ reprobentur. Demum Acta Georgii Salonitani Epiſcopi deſcribemus ex Jacobo de Voragine, non quod hæc pura omnino atque ſincera eſſe cenſeamus, ſed quod magis cum noſtro, quam cum Palæſtino Georgio nobis videantur congruere; ſi quæ autem ab noſtro diſcrepent, & Georgio alteri conveniant, ea in appoſitis ſubjectiſque animadverſionibus noſtris indicabimus.

Latinis quibuſdam exemplaribus præfixa eſt, veluti cujuſdam procemii loco, deſcriptio Georgianæ pugnæ, & Victoriæ de immani quodam Dracone divinitus relatæ; quam Georgio noſtro adſcribi poſſe cenſemus, eamque idonea & veriſimili interpretatione adhibita, ad veritatem hiſtoricam revocare conabimur. De cultu & reliquiis Georgii Salonitani, quæ conjectura vel ſuſpicione aſſequi potuimus, in poſtremum locum rejicimus. Mihi vero non ſumo tantum, neque arrogo, ut rem ita eſſe, quemadmodum a nobis exponitur, perſuadere lectoribus non opinione ſolum, ſed etiam ad veritatem plane velim; nulla enim mihi ſuppetunt ſatis idonea probataque monumenta, ex quibus de Georgio Salonitano Epiſcopo aliquid certum nullique dubitationi obnoxium afferre poſſim. Quæ nobis probabilia videntur, ea potiſſimum ſequimur; & ſi forte veritatem ipſam aſſequi non liceat, bene agi putamus, ſi quod vero propius eſt, quoquo modo attingamus.

CAPUT PRIMUM.

De utriuſque Georgii Palæſtini & Salonitani diſtinctione.

Hiſtoria Georgiana ex Actis duorum aut plurium cognominum Martyrum conflata.

QUæ de vita, cruciatibus, miraculis, ac reliquiis S. Georgii Veteres memoriæ tradiderunt, ea tam varia ſunt ac multiplicia, tamque inter ſe vel locorum, vel temporum intervallo diſparata, ut in unum eumdemque martyrem convenire nullo modo poſſint. Id cum animadverterent præclari ac nobiles Hagiographi, in eam opinionem adducti ſunt, ut exiſtimaverint unum e duobus aut etiam pluribus Georgiis perperam conflatum fuiſſe, & in duos pluresve martyres cognomines diſtribui oportere, quæ apud ſcriptores antiquos in unum congeſta reperiuntur. Huic ſententiæ adſtipulantur Jacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, Tillemontius, & Daniel Papebrochius; is quippe ait innumerabiles eſſe reliquias S. Georgii nomine inſcriptas, & in omnem ferme Chriſtiani orbis partem diſſeminatas, quas qui uno omnino martyri attribuendas cenſeat, is prodigioſæ magnitudinis hominem, atque adeo bicorporem effingat neceſſe eſt; id autem argumento eſſe vel maximo, Georgios olim fuiſſe minimum duos, & ſanctitatis fama, & martyrii titulo inſignes; quamquam omni jampridem ſublato diſcrimine, nullaque alterius ab altero diſcernendi nota relicta, duo in unum coaluerint, & pro uno haberi colique ſoleant, qui cum idem nomen gerant, re tamen ac numero diſtinguuntur: *Sed neque diſſimulanda eſt*, ait Papebrochius tom. 4. Apr. die 23. §. 5. n. 52. *alia, eaque inter tot humanarum rerum caſus nequaquam evitabilis cauſa multiplicandarum ſub unius Sancti nomine reliquiarum, ſæpe plurium, quam unius corporis menſura potuerit elargiri; videlicet quod evaneſcente paullatim memoria diſtinctiva ſynonymorum Sanctorum, neceſſario quoque fieri debuerit ſucceſſu temporis, ut quotquot ſub eodem nomine ſic habebantur reliquiæ, crederentur ejuſdem quoque ſancti eſſe, ejus videlicet, qui omnium tali nomine appellatorum vulgo notiſſimus & celeberrimus eſt.*

Cum itaque vix ulla poſſit eſſe dubitatio, quin duo fuerint Martyres præſtantiſſimi, & prope æquales Georgii nomine appellati, quos rerum antiquarum ignoratio, vulgique inſcitia commiſcuit, & unum ex duobus effecit; illud quoque inter omnes conveniat neceſſe eſt, ex his duobus alterum illum eſſe, quem Græci pariter Latinique ſummis laudibus efferunt, genere Palæſtinum, patria Dioſpolitanum; qui admodum juvenis, Diocletiano jubente, iterum ac ſæpius in quæſtionem abreptus, ac multimodis pœnis excruciatus, inſigni martyrio eccleſiam illuſtravit. Huic ampliſſimum teſtimonium perhibet antiquitas univerſa, hic Latinorum Græcorumque litteris celebratur, hujus martyrium Hagiologi fere omnes deſcribunt, hunc Martyrologi commemorant, gentes implorant, cuncta denique eccleſia anniverſario cultu proſequitur. Nihil illo litteratis juxta, indoctiſque hominibus notius, nihil vulgatius, nihil celebrius; ut de Georgii Palæſtini ſanctitate ac martyrio tam certo tamque teſtato addubitare nemo poſſit, niſi qui de rebus exploratiſſimis dubitare velit, & propemodum eximere ex hominum genere humanam fidem. Quare non eſt neceſſe hoc loco argumenta & rationes afferre, quibus id probemus, quod conſtans omnium ætatum conſenſus, & vetuſtiſſimi cultus amplitudo ſatis ſuperque confirmant, ne vel actum agere, vel rem minime dubiam, argumentando dubiam facere videamur. Illud potius in apertum proferre conemur, quod oblivionis tenebris abditum aliquam litterarum lucem deſiderat. Nam ut Palæſtini Georgii celebritas, longe ac late diffuſa, viget adhuc in ore omnium ſcriptiſque, ſic contra intercidit omnis omnino memoria alterius illius Georgii, ad quem ea revocari poſſe mihi videntur, quæ Palæſtino vel minus congruunt, vel certe ſuperfluunt. Inveſtigemus hunc igitur, ſi poſſumus, quem temporum diuturnitas obruit, poſteritatis oblivio abdidit, quem invenire cæteris Hagiologis non licuit; non quod illos ad res hujuſcemodi inveſtigandas vel ingenium, vel doctrina, vel diligentia defecerit; ſed quia illis & Dalmatica monumenta, & rerum Illyricarum cognitio defuit. Nos vero, quibus nec ea ignorare licet, quorum ſcientiam inſtituti operis ratio poſtulat, & præterea Dalmaticarum tabularum copia tanta ſuppeditat, quanta undique colligi potuit maxima, facile comperimus alterum quemdam fuiſſe Georgium, qui paucis annis

Georgius Palæſtinus.

omnium litteris ac ſermonibus celebratus.

Georgii Salonitani memoria penitus extincta ab interitu vindicanda.

ante

ante Palæstini Georgii martyrium ecclesiæ Salonitanæ præfuit, idemque, ut verisimile est, Diocletiano imperante præclaram pro Christo mortem oppetiit.

§. I.

Georgii Salonitani Episcopi veritas & distinctio colligitur ex tabulis Salonitanis.

AC primum Georgii Episcopi Pontificatui & sanctimoniæ præclarum & grave testimonium tribuunt Diptycha ecclesiæ Salonitanæ, in quæ olim referebantur Antistites vel martyrii laude insignes, vel ob eximiæ sanctitatis famam publica veneratione cultuque digni; quæ quidem Diptycha & jussu publico describi, & summa diligentia confici, & inter sacra solemnia recitari cum solerent, magnam apud omnes auctoritatem habent. In his porro Georgius, Joanni interjectus & Theodoro Salonitanis Episcopis, locum intermedium obtinebat. Cum vero in hisce Episcoporum fastis, ut quisque antecedit ætate, ita ex ordine collocetur, locus Georgio attributus plane respondet Diocletiani ætati atque imperio, cui itidem Georgii Palæstini martyrium illigari solet. Nam juxta nostros chronologicos calculos Joannes is, qui proxime ante Georgium rei Christianæ apud Dalmatas præfuit, vel martyrio, vel naturali morte sublatus est anno tertii sæculi fere quinto & octogesimo, Theodorus vero Georgio suffectus est sexto circiter & nonagesimo ejusdem sæculi anno. Hujus igitur Pontificatus Joanni ac Theodoro interjectus cohæret cum imperio Diocletiani; ex quo efficitur huic prope æqualem fuisse Georgium Palæstinum, qui paullo ætate posterior, anno Christi 303. ut infra dicetur, sub Diocletiano martyrii palmam obtinuit.

Georgii Salonitani nomen in antiquis Diptychis celatum.

Proxime & secundum Diptycha plurimum valent ad fidem faciendam catalogi Salonensium Antistitum, ex ipsis Diptychis, unde sunt descripti, auctoritatem sane magnam adepti. Horum cum multa extent exemplaria, eorumque auctores inter se & locis & temporibus distent; nullus tamen ex illis Catalogis est, qui Georgii nomen prætermittat, nullus est, quin Georgium inter Salonitanos Episcopos Joannem & Theodorum eodem loco interserat, quem in antiquis Diptychis occupabat; quamvis aliqui, ut supra monuimus, Georgium una cum utroque illo, cui interjectus est, Episcopo e tertio in sextum vel septimum sæculum per errorem transtulerint. Nemini igitur dubium esse potest, quin fuerit alter Georgius, isque Salonitanus Antistes, qui eadem ferme, qua Palæstinus, ætate floruit, eximia virtute, ut temporum illorum ratio requirebat, & sanctitate illustris: nisi vero quempiam adeo putemus desipere, ut antiquissimis, iisdemque probatissimis monumentis fidem omnem abrogare velit.

Idem in omnibus catalogis reperitur.

§. II.

Idem confirmat traditio ac religio Dalmatarum.

PRæterea constans est ac vetus opinio, quæ cum totam Dalmatiam, tum præsertim pagos omnes agri Spalatensis opplevit, eaque a majoribus veluti per manus accepta deinceps traditur posteris, in ea regione fuisse olim eximiæ admirandæque sanctitatis virum, cui nomen erat Georgio, quique pro illarum gentium salute multa præclara & mirabilia divinitus patravit. Inter quæ illud imprimis commemorant, quod prodigiosæ magnitudinis, & feritatis Draconem hasta confixerit, ejusque faucibus ereptam regiam quamdam adolescentulam, quam ipsi patrio sermone *Kraniczam vocant*, ab interitu vindicaverit. Ejus rei nonnulla vestigia hodieque ostentant; nam prope ab Salonæ fluvio illis commonstrantibus visitur quædam spelunca altitudine propemodum infinita, quæ Slavonico idiomate *Gezerum*, idest abyssum appellant, ubi Draconem illum delituisse perhibent, ex eaque identidem prorumpere solitum fuisse ingenti accolarum vel cæde, vel terrore. Hæc ferme sciscitantibus nobis incolæ ex majorum traditione narrabant, & postea gravissimi viri confirmarunt, quos, ut de hujusmodi traditione studiosius inquirerent, nosque certiores facerent, per litteras rogavimus. Quod vero indigenæ fama & sermonibus concelebrant, idem tacite affirmant pictæ tabellæ, quæ multis in locis visuntur, ac præsertim Uragnizzæ, & Mrawinczæ, qui sunt agri Salonitani haud ignobiles pagi. In his cernitur Georgius militari habitu atque vestitu ex equo laneeam in Draconem defigens; ejusque pedibus supplicantis in modum provoluta nobilis quædam puella, quæ Georgii opem implorat. Quin illud quoque receptum est in consuetudidem quorumdam Pagorum, ut in solemnibus supplicationibus effigiem S. Georgii draconem interficientis pro signo & vexillo præferant; cujus quidem consuetudinis, & vulgaris opinionis, quod antiquissima sit, neque initia, neque causas reperire licuit; & quod apud eas gentes, crebris cæteroquin barbarorum incursionibus olim expositas, & Turcarum tyrannidi identidem obnoxias altissimis sit defixa radicibus, nulla umquam neque temporum varietate motuque, neque rerum publicarum conversione ac perturbatione dimoveri convellique potuit.

De Georgio Salonitano rerum admirabilium effectore vetus traditio.

Haud equidem abnuo nonnulla communi huic traditioni admisceri, quæ plerique nimiam vulgi credulitatem, erroremque popularem olere videantur. Nam id fere vitii adhærescere solet rerum antiquarum famæ, quæ non litteris, sed sermonibus constat; quippe ex aliis in alias aures propagata nunc augetur, nunc minuitur; & quo longius progreditur, eo pluribus depravationibus e vulgi sermone collectis inficitur. Sed non est hujus loci fingillatim omnia, quæ de suo illo Georgio Dalmatæ dictitant, expendere, & suis quæque momentis ponderare. Hæc alibi in disceptationem venient. Nunc id unum contendo ex illa veterrima, constanterque apud Dalmatas recepta traditione illud saltem effici cogique posse, Georgium quemdam præclaris sanctimoniæ notis, & rerum admirabilium divinitus gestarum gloria perinsignem, in illis regionibus floruisse, cui nos Georgium Palæstinum fere coætaneum fuisse dicimus; quamquam huic traditioni nonnulla fortassis levitas atque inscitia popularis vel affinxerit, vel detraxerit.

Haud tamen ab omni populari errore sincera.

Quid quod hanc inveteratam indigenarum de Georgio cive suo, ejusque sanctitate opinionem confirmat vetustas ac celebritas cultus, quo illum Spalatenses, cæterique Dalmatæ venerantur. Nam cum in universa Dalmatia, tum potissimum in agro Salonitano hodieque extant non pauca eaque perantiqua templa vel sacella D. Georgii nomine & auspiciis consecrata; inter quæ seu religione, sive antiquitate eminet templum S. Georgii prope Salonam conditum in Castro Sussaraz dicto, ubi singulis annis IX. Kal. Maji festus ac solemnis B. Georgii dies mira accolarum frequentia & veneratione præcipua celebratur; quo die ibidem paucis ante annis adhuc vigebat consuetudo legendi pro concione E-

Dalmatarum insignis religio erga Georgii.

Digitized by Google

pitomam quamdam historicam Slavonice scriptam de vita & laudibus S. Georgii; qua Salonitani potius, quam Palæstini res gestas contineri putamus, ut paullo post conabimur ostendere, observatis notatisque locis quibusdam, qui nostro Georgio sane conveniunt, alteri non item. Hæc porro D. Georgii religio per universam Dalmatiam late diffusa, tam antiqua, ut tempus, unde initium duxerit, nemo designare queat; tam alte incolarum animis defixa, ut nulla rerum varietate, aut temporum diuturnitate aboleri potuerit, haud exigui est momenti & ponderis ad confirmandam veterem illam & satis vulgatam Dalmatarum opinionem, qua Georgius quidam vir egregiæ sanctitatis, idemque admirabilium rerum effector eam regionem incoluisse traditur. Multo quippe verisimilius est Divo ac martyri indigenæ, quam extraneo & immenso propemodum terrarum ac marium tractu ab Dalmatia disjuncto, hoc quidquid est honoris cultusque ab initio decretum atque adhibitum fuisse; quamquam Georgii Salonitani Episcopi notitia omni ac memoria jamdudum extincta, ad Georgium Palæstinum ubique notum ac pervulgatum ea religionis officia referri plerique omnes existiment, qui popularem illam de Georgio Salonitano traditionem vel minime advertunt, vel nihili faciendam putant.

ad Salonitanum potius, quam Palæstinū referenda.

Nec vero existimes initium cultus S. Georgio ab Dalmatis adhibiti haud altius, quam a sæculo undecimo vel duodecimo repetendum esse, cum ad Palæstinam recuperandam sacre expeditiones fieri cœperunt; exinde enim, ut docet Papebrochius, Georgii Palæstini nomen ac religio ex Oriente in Occidentem totaque Europa latius propagata, magis magisque in dies effloruit; ex quo fieret non alium a Dalmatis Georgium inde usque a principio coli celebrarique nisi Palæstinum. Nam sæculo nono ineunte, cum Palæstinus fortasse in Europa ac Dalmatia vulgo propemodum ignotus erat, Salonitani autem Georgii adhuc aliqua apud Dalmatas memoria vigebat, Georgium magno in honore apud eosdem & veneratione habitum fuisse declarat Diploma Tirpimiri Ducis Chrobatarum, quod Historicus Dalmata lib. 2. de Reg. Dalm. & Croat. intexuit; & conditum fuit *regnante in Italia piissimo Lothario Francorum Rege per Indictionem* XV. id est an. 838. ut ex regno Italico Lotharii, & Indictione XV. idem Scriptor collegit. In eo autem mentio fit sane honorifica *ecclesiæ S. Georgii in Putalio*, & verbis amplissimis confirmantur Donationes bonorum, quæ Mislaus decessor Tirpimiri eidem ecclesiæ contulerat. Itaque annis ferme trecentis florebat in Dalmatia cultus & religio Georgiana, antequam Latini sacro bello perfuncti, & regressi in Europam, ad Palæstinum Georgium impensius colendum Occidentalium animos inflammarent; ejusque venerationem latius, quam antea patebat, tota Europa propagarent.

§. III.

Idem ex Martyrologiis conjicitur.

AGe vero, ne unis tantum domesticis testimoniis tabulisque uti videamur, aliquid aliunde argumenti adsciscere conemur ad id, quod propositum est, magis magisque confirmandum. In eo Martyrologio sane antiquo, cui D. Hieronymi nomen, & auctoritas prætenditur, bis D. Georgii commemorationem, primum IX. Kal. Maji, iterum proximo insequenti die factam esse reperio. Operæ pretium est utriusque diei formulam hoc loco ex apographo Lucensi describere:

In Martyrologio Hieronymiano, Georgius bis commemoratur 23. & 24. April.

IX. *Kal. Madii, In Africa Natalis Sanctorum Catulini, Saturnini, Chori, Felicis, Theone, Theodori, S. GEORGII, Victorini, Venusti, Victuri, Navori, Soluti &c.*

VIII. *Kal. Madii . . . & Commemoratio GEORGII.* Hunc Georgium alium esse ab eo, qui die superiori colitur, illud indicio est, quod in aliquibus Georgianæ historiæ exemplaribus ad diem 23. in aliis ad diem 24. Aprilis martyrium Georgii adscriptum invenio, nusquam vero utrique diei attributum. In codice Gallicano *annorum, ut minimum nongentorum*, ait Papebrochius, sub finem hæc legunter: *Complevit autem martyrium suum S. Georgius* VIII. *Kal. Maji feria sexta &c.* Item in quodam manuscripto Passionario haud vulgaris notæ, quod extabat paucis ante annis apud Bartholomæum Campagnolam Veronensem, Archipresbyterum S. Cæciliæ in eadem civitate, eidem diei martyrium S. Georgii subjicitur: *Expleta oratione percussus gladio migravit ad Dominum vigesima quarta Mensis Aprilis, qui inscribitur octavo Kalend. Madii*. Hinc fortasse consuetudo Georgiani festi celebrandi VIII. Kal. Maji recepta est Aquilejæ, Mediolani, Ticini, aliisque in locis, ut tradit Galesinius, cui quidem consuetudini suffragatur vetus Kalendarium Breviario hædino præpositum apud Florentinium, in quo legimus VIII. *Kal. Georgii martyris*. Cum autem unius ejusdemque martyris mors incidisse nequeat in duos dies, duos fuisse Georgios fateamur necesse est, quorum alter 23. Aprilis, alter postridie susceptum pro Christo agonem consummaverit. Fateor equidem in apographis Hieronymianis interdum unius martyris mentionem iterum ac sæpius fieri, quod Franciscus Maria Florentinius librariorum oblivioni, & incogitantiæ attribuit. At credibile non est eum, qui codicem Lucensem descripsit, adeo socordem & obliviosum fuisse, ut duobus illis laterculis nullo dierum vel paginarum intervallo discretis, sed finitimis inter se conjunctisque, eumdem omnino martyrem innecteret. Illud potius Amanuensium incuriæ adscripserim, quod in apographo Antuerpiensi, Corbejensi, Epternacensi Georgius e 24. in 25. Aprilis migraverit; cum nusquam alibi in eam diem Georgii nomen relatum inveniam.

Inde efficitur duos fuisse Georgios.

Si autem duabus illis formulis Lucensibus non unus, sed duo Georgii subsunt, quorum unus haud dubie Palæstinus est, alter vero Salonitanus fuerit oportet, cum præter hos nullum alium inveniam, quem alterutri formulæ subjiciam, difficile est discernere, utra utri adscribenda sit dies. Ego equidem dixerim primam ad Salonitanum, alteram ad Palæstinum referendam esse. Id conjici potest ex diversitate loci, cui Georgii utriusque nomen subjicitur. Priori formulæ præfixa est Africa; quo vocabulo interdum Insula Pharia ab urbe, & ora Salonitana haud ita lato interjecto mari disjuncta comprehendi solet, ut in Actis S. Anastasii diligentius explicabimus. Neque aliam, nisi Dalmaticam Africam hic intelligendam puto, propterea quia neminem adhuc inveni, qui diem natalem seu martyrium S. Georgii veræ propriæque Africæ adscripserit. An ergo, inquies, omnes illos martyres, quibus interjectus est Georgius, ex Africa in Dalmatiam transtuleris? Id vero non ausim. Sed librarii insciti, nisi me conjectura fallit, formulam illam interpolatam esse arbitror, & Georgium loco suo dimotum cum illis Africanis martyribus permixtum fuisse censeo; illud indicio est, quod huic uni titulus *Sancti* singulariter appositus est

Prior dies Salonitani, alter Palæstini martyrio attribuendus.

Africa Dalmatica

præter

præter commune *Sanctorum* nomen promiſcue, & communiter omnibus initio præfixum: cujus quidem rei hanc cauſam fuiſſe exiſtimo, quod in autographo Georgius ſuum proprium locum, ſecretumque ab ea Aſrorum martyrum claſſe cum occuparet, his aut ſimilibus verbis ibidem inſcriptus erat: *In Africa S. Georgii*. Librarius autem veteris Dalmaticæ Geographiæ ignarus, cum Africæ ſemel atque iterum memoratæ vocabulo eamdem regionem ſubeſſe putaverit, brevitati conſulendum ratus, ſub uno Africæ nomine cum cæteris martyribus Africanis Georgium collocavit; ſed una cum Georgio peculiarem ſanctitatis notam S. eidem adpoſitam illuc imprudens tranſtulit, quam eo loco ſupervacaneam eſſe nemo non videt. Cæterum in variis Hieronymianis exemplis de numero & vocabulis horum martyrum multa variari Godefridus Henſchenius animadvertit; ut nemini mirum videri poſſit, ſi hunc itidem codicis Lucenſis locum aliqua ex parte vitiatum fuiſſe dixerim.

Secunda Formula dieſque 24. April. pertinet ad Georgium Palæſtin.

In altera Lucenſi formula VIII. Kalendis Maji ſubjecta nulli quidem loco Georgii commemoratio ſeu martyrium affigitur; ſed cum in exemplaribus Antuerpienſi, Epternacenſi, itemque in illo, quo uſus eſt Notkerus poſitionem loci adjiciant, & *Perſidi*, ſive *Perſidæ* nomen ac martyrium Georgii annectant, haud dubitari poteſt, quin hujuſmodi formulæ pertineant ad Georgium Palæſtinum egregio pro religione certamine perfunctum in Palæſtina, quæ regio apud veteres aliquando, ut dicemus, Perſidos nomen ſubiit. Et quamvis exemplaria Hieronymiana modo laudata Georgii *Paſſionem* conjungant cum die 25. Aprilis, eumdem tamen Georgium commemorant, quem ad diem ſuperiorem 24. Lucenſe apographum refert. Nam librariorum inſcitia, ut ſupra diximus, aut negligentia factum fuiſſe videtur, ut Georgius ex priori in poſteriorem diem immigraverit. Utcumque tamen hæc ſint, ſatis aliunde, nimirum ex antiquiſſimis Dalmatarum monumentis & traditionibus efficitur, præter Palæſtinum, alterum fuiſſe Georgium, cumque Salonitanum Epiſcopum, qui Palæſtinum ætate paullulum anteceſſit; id quod planius, & loculentius oſtendent ea, quæ deinceps ſequentur. Cæterum ſi quis priorem formulam referre velit ad Georgium Palæſtinum, per me licet; modo poſteriorem, diei 24. Aprilis ſubjectam, ad Georgium Salonitanum probabiliter accommodari poſſe non negaverit.

Duo Georgii Salonitanus & Palæſtinus fere coætanei.

Duo hic animadverti velim, unum certum omnino nullique dubitationi obnoxium, alterum veriſimile, atque admodum probabile. Primum eſt, præter Georgium militem ac martyrem Palæſtinum iiſdem ferme temporibus alterum fuiſſe Georgium Salonitanum Epiſcopum: id quod apertiſſime declarant Catalogi Antiſtitum Salonenſium, qui hujus Pontificatum cum imperio Diocletiani conjungunt, quo cum etiam ætas celeberrimi illius martyris Palæſtini copulatur, ut conjecturas omittam, quæ ad hanc ſententiam confirmandam hoc & ſuperiori paragrapho attulimus. Illud autem probabili conjectura & ratione nititur, noſtrum quoque Georgium eximia ſanctitate & miraculis floruiſſe, atque adeo martyrii palmam adeptum eſſe: id quod facile ſuadet temporum illorum ratio & conditio, cum nemo fere Epiſcopali dignitate præditus eſſet, quin cum ea vitam omnibus ſanctimoniæ notis inſignem conjungeret, ac plerique etiam vitam in Epiſcopatu ſanctiſſime actam præclara pro Chriſto morte oppetita exornarent; idemque confirmat nomen Georgii Epiſcopi Diptychis Salonitanis adſcriptum, unde in catalogos Pontificales translatum fuit. Hæc

duo cum ita ſe habeant, illud jam oſtendi oportet varias ac multiplices hiſtorias de vita ac martyrio Georgii Palæſtini conſcriptas, cum in hunc unum martyrem nequeant convenire, neceſſe eſſe bipartito dividi, & quæ in illis narrantur, partim Palæſtino, partim alteri cuipiam Georgio attribui; quem nos eum eſſe putamus, qui per ea tempora eccleſiæ Salonitanæ præfuit. Cæterum ſi quis tertium quemdam Georgium temporibus illis æqualem, aut ſupparem, ſanctitate & martyrio inclytum invenerit, quo cum aptius congruant, quæ nos ex Actis & Hiſtoriis Georgianis ad Georgium Salonitanum referenda cenſemus; illa omnia omnino, quæ cum a Palæſtino aliena viderentur, Georgio noſtro attribuimus, ab hoc ſine ulla mora rejicere, & tertio illi Georgio, nobis adhuc ignoto, adjudicare ſine ulla pertinacia parati ſumus.

CAPUT II.

De confuſione Actorum utriuſque Georgii, & variis Georgiane hiſtoriæ exemplaribus.

Acta Georgiana Græca & Latina.

EXtant ſane permulta, & varia quidem atque diverſa Actorum S. Georgii exemplaria Græca pariter & Latina; quorum pleriſque tanta ineſt rerum, locorum, temporum inter ſe diſcrepantium confuſio, ut qui ea paullo attentius legat, clare perſpiciat ex Actis duorum pluriumve martyrum conflata eſſe, & quæ uni attribuuntur, inter plures dividi oportere. Nemini porro dubium eſſe poteſt, quin hujuſmodi Actorum pars præcipua ad Georgium Palæſtinum pertineat, quippe cum is jamdudum ſit in eorum poſſeſſione; & legitimæ poſſeſſionis fidem faciat non modo ejus nomen hiſce Actis præpoſitum, ſed etiam longinquitas temporum, & multarum ætatum conſenſus atque auctoritas; ut plane conſtet inique eum facere, qui ex hac poſſeſſione illum omnino depellere conaretur. Illud non ſatis liquet, rectene ac jure Salonitano adjudicentur ea, quæ cum Georgio Palæſtino vel pugnant, vel non ſatis bene cohærent. Priuſquam vero id oſtendere aggrediar, operæ pretium eſſe arbitror & cauſas expendere, unde orta ſit, & tempus deſignare, cum fieri cœpit, & paucis exponere quemadmodum, & per quos effici potuerit hujuſmodi Actorum permixtio.

ex Actis plurium martyrum compoſita.

§. I.

Quibus cauſis, temporibus, auctoribuſque adſcribenda ſit confuſio Actorum utriuſque Georgii.

Confuſio Actorum Georgianorum unde orta.

INveſtiganti mihi, quænam cauſa potiſſimum fuerit, quæ multorum Divorum hiſtorias inter ſe colligavit, & alias cum aliis implicuit, illa in primis occurrit, videturque admodum probabilis, quod inter eos, quorum Acta permixta eſſe comperimus, rerum quædam ac nominum ſimilitudo interſit. Siquidem hoc ipſius ſimilitudinis proprium eſt, ut errorem inducat, confuſionem pariat, & quæ ſunt longiſſime diſjuncta, maximeque diverſa, ita conſociet atque componat, vix ut diſtingui poſſint, niſi ſumma cogitationis intentio, mentiſque perſpicacis, quæ paucorum eſt, adhibeatur. Si quæ enim diſtinguendi notæ rebus hiſce permixtis atque confuſis inſunt, ſæpe adeo tenues ſunt & obſcuræ, ut ferme oculatiſſimos quoſque ſubterfugiant. Nihil eſt porro unum uni tam ſimile in ſpeciem, tam par, quam Georgius Salonitanus, & Georgius Palæſtinus inter ſe ſunt, ut prudentiſſimus

Digitized by Google

quiſque juſtiſſimuſque rerum æſtimator mirari non debeat, quod plerique nondum illos internoverint, & venia dignos exiſtimet, qui nominis ambiguitate, & ſimilitudine rerum decepti unum e duobus effecerint, & ſub unius nomine res utriuſque ſubjecerint. Unum illis nomen Georgii fuit; idem ſeu patrium ſeu gentile cognomen, ſiquidem uterque licet non iiſdem de cauſis dictus eſt cognomento Cappadox; utriuſque ætas cum Diocletiani ætate, atque imperio congruit; ut a Palæſtino, ſic a Salonitano, quemadmodum nobis veriſimile eſt, varia & graviſſima pro Chriſto exantlata ſupplicia, & præclara quædam atque admirabilia divinitus geſta ſunt, ex quo æque noſtro, ut putamus, ac Palæſtino Megalomartyris cognomen obveniſſe potuit. Quid plura? eodem menſe, quamvis non eodem anno, uterque, & vel eodem die, vel alter 23. alter 24. Aprilis, religionis cauſa mortem occubuit, ut ſupra ex Martyrologio Hieronymiano conjecimus. Hæc qui paullo attentius ſecum reputet, mirari profecto deſinet, illorum Acta intermixta fuiſſe, atque confuſa, quos inter ſe adeo conſimiles fuiſſe intelliget.

Verum quamdiu ſtetit Salona, Georgii Salonitani Antiſtitis memoria ac religio, ut credibile eſt, late per Dalmatiam, & fortaſſis etiam per Italiam diffuſa viguit floruitque; neque tot rerum conſimilium affinitas, quæ noſtro cum Palæſtino intercedit, neque idem utriuſque nomen, aut alterius ab altero diſtinguendi rationem ſuſtulit, aut utriuſque Actorum confuſionem invexit. Suus erat cuique honos & cultus; ut ego arbitror, extabant utriuſque Acta pura & ſimplicia, alia ab aliis ſeorſum litteris conſignata; nemo erat, quin ſciret alterum ab altero certis quibuſdam notis internoſcere, & quod cujuſque erat, id cuique tribuere: quamquam fortaſſis Palæſtinus apud Græcos, noſter apud Latinos fama litteriſque celebratior fuerit, & iis quidem a Latinis, ille a Græcis impenſius coleretur.

Ante Salonitanum excidium pauci Georgium diſtinguunt.

Sed cum anno *circiter* 640. Salona vehementiſſime a Barbaris oppugnata funditus corruiſſet, incolarum diſperſio, aut interitus, & quæ præterea conſecuta eſt, rerum omnium converſio ac perturbatio, Georgii Salonitani Epiſcopi memoriam omnem, cultumque abolevit. Nam Salonitanis partim urbis ruina oppreſſis atque extinctis, partim fuga diſperſis, & in varias Europæ regiones delatis, eccleſiaſticis tabulis ſive incenſis, ſive alio atque alio diſtractis, veterum traditionum notitia cum civitatis interitu prope intermortua, vel certe inobſcurata & diminuta, rerum ab Georgio Salonitano Epiſcopo præclare geſtarum monumenta magna ex parte paullatim delevit oblivio, vix ut exigua de illius nomine & Pontificatu fama ad poſteriora ſæcula pervenerit; & idipſum niſi fuiſſet Epiſcoporum Diptychis & catalogis conſignatum, vetuſtas ex hominum memoria penitus ſuſtuliſſet. Porro annis fere duodecim ab excidio Salonæ elapſis, cum e proximis inſulis, quo patria incenſa ac diruta plerique civium confugerant, pauci admodum in patrium ſolum revertiſſent, quos exilii calamitas rerumque fere omnium inopia reliquos fecerat, & novam urbem condidiſſent, ne tum quidem reflorescere cœpit Georgii cultus ac religio; quod ii, qui redierant, ab recenti præteritæ cladis memoria triſtes adhuc & mœrentes, in idque unum intenti, ut ſibi domos exſtruerent, eaque compararent, unde ſe ſuaſque familias alerent, nihil minus, quam de reſtituendo Georgii cultu cogitarent. Hoc autem neglecto penitusque abolito, quo uno ſcilicet Divorum notitia ac celebritas apud poſteros viget, omnis Georgii Epiſcopi memoria demum evanuit, hominum interitu, & oblivione poſteritatis extincta. Id vero mirum nemini debet videri, modo ſecum ipſe reputet, quam multos Epiſcopos & martyres Salonitanos ſumma olim, ut opinari fas eſt, veneratione cultos Salonitana clades obruerit, ſic prorſus, ut præter Dominum illius eccleſiæ parentem & conditorem, ne unum quidem proferre poſſis ex antiquis ejuſdem eccleſiæ Epiſcopis, cujus Acta integra & ſincera ad poſteros pervenerint; quique eumdem publici honoris, ſolemniſque cultus locum apud Spalatenſes nunc retineant, quem antea apud Salonitanos obtinebant.

Salonæ ruina, Georgii Salonitani memoria extincta.

Cultus reſtitutæ abolitus.

Porro cum Georgii Salonitani Antiſtitis fama ac religio illic obſoleviſſet, unde initium duxerat, & longe lateque manaverat, in aliis quoque regionibus quotidie magis imminui cœpit ac defloreſcere; eoque ſenſim deducta eſt, ut duobus aut tribus ſæculis poſt Salonam exciſam fere omnis ejuſdem notitia ac memoria interciderit. Illud præterea cauſæ fuit, cur Georgii Salonitani cultus & veneratio jam ſeneſcens funditus tandem interiret, quod poſtquam ſacræ expeditiones in Orientem fieri cœptæ ſunt, de ſanctitate & miraculis Georgii Palæſtini fama ex Oriente perlata ubique percrebuit, ejuſque laudibus univerſam eccleſiam pervagatis omnia perſonare cœperunt; & nihil factu facilius fuit, quam ut exiguam, ſi qua ſupererat, Georgii Salonitani, tenuemque notitiam, alterius fama & celebritas prorſus obrueret; iſque ad ſe unum converteret, quidquid antea cultus atque honoris Georgio noſtro adhiberi ſolebat.

cum Palæſtini nomen ac fama ubique floreret.

Jam vero ad ſuperiora tempora regrediens paucis expediam, quibus Auctoribus, quave ratione Acta Georgii Salonitani in hiſtoriam Georgii Palæſtini immigrare, & utraque inter ſe commiſceri potuerint. Poſt Salonam exciſam quidquid veterum tabularum urbis ruinæ atque incendio eximi potuit, id magna ex parte incolarum fuga & diſperſio in alias atque alias Europæ regiones diſtraxit. Forte fortuna Actorum S. Georgii Salonitani unum alterumve exemplar in Orientem perlatum in eorum manus incidit, quibus non æque noſter ac Paleſtinus Georgius cognitus erat: is quippe præſertim apud Græcos ſummo in honore ſemper fuit, & nominis ſui fama ac celebritate univerſum Orientem impleverat. Hi porro hujuſmodi exemplar nacti, cum & nomen Georgii præfixum, & aliqua ibidem animadverterent prorſus conſimilia illis, quæ legebantur in hiſtoria Georgii Palæſtini, in eam opinionem adducti ſunt, ut putaverint in eo quoque Acta ſui Georgii deſcripta eſſe; & quamquam eadem iis rebus ac temporibus affixa viderent, quæ cum Georgio milite non ſatis congruerent, id tamen errore caſuve aliquo eveniſſe cenſebant; nec in mentem illis venit cogitare de altero Georgio, ad quem illa omnia pertinebant. Igitur quæ cohærere & componi poſſe videbantur cum Georgio Palæſtino, in hujus Acta e tabulis Salonitanis bona fide tranſtulerunt. Inde nova extitit hiſtoria, unius quidem Georgii militis nomini ſubjecta, ſed ex utriuſque Georgii Actis conflata; quæ quod rebus auctior eſſet, & ſententiis fortaſſe verbiſque ornatior, vulgo avidius expeti, & latius in dies vulgari cœpit, ac demum eo loco ac pretio haberi, ut antiqua Georgii Palæſtini vita germana ac ſincera neglecta & obſoleta, hæc una in manibus eſſet, hanc unam omnes audirent, legerent, deſcriberent.

Acta Georgii Salonitani in Orientem perlata.

& permixta cum Actis Georgii Palæſtini.

Nec vero hæc Georgiana hiſtoria permixta auctoritate & approbatione caruit apud Latinos, ad quos paullo ſerius pervenit, cum jam Georgii Salonitani memoria una cum ejuſdem cultu conſenuiſſet.

Digitized by Google

& apud Latinos recepta, & variis exemplaribus studita,

set. Ex ea quippe alii alia descripserunt, quæ pervulgatis in Occidente Georgianis Actis intexerent, rati illa omnia ad unum Georgium Palæstinum pertinere. Hinc Actorum permixtorum varia apud Latinos exemplaria deinceps extitere, alia ex aliis descripta: & quamquam iisdem multa inessent parum inter se congruentia, unde Actorum permixtio, & utriusque Georgii distinctio agnosci potuisset, plerosque tamen non satis operi intentos hujusmodi discrepantia subterfugit; si qui vero paullo acutiores eam animadverterent, iis mendis annumerandam putabant, quæ vel Scriptoribus parum cautis, vel librariis oscitantibus interdum excidere solent; & quod mendosum esse censebant, id pro sua quisque intelligentia, vel addendo, vel demendo, vel interpolando corrigere conabantur. Ita confusis utriusque Georgii Actis, & alterius ab altero distinguendi ratione sublata, vel neglecta, quidquid de Georgio jam inde ab octavo sæculo seu litteris traditur, seu fama & sermone celebratur, id omne ad Georgium Palæstinum vulgo referri solet.

Prima Actorum permixtio Græcis adscribenda.

Ut vero primam hujusmodi Actorum permixtionem Græcis potius, quam Latinis Auctoribus adscriberem, duplex me ratio potissimum impulit; una, quod apud Latinos Georgius noster notior erat, & fama cultuque celebrior, quam ut intra breve tempus post Salonæ excidium oblitterari, & cum Palæstino confundi posset; altera hæc est, quod Actorum permixtorum Latina exemplaria, quæ quidem extant, Græcis item permixtis videntur esse multo recentiora; id quod paullo post utriusque generis Actorum recensio declarabit. Cæterum quæ hactenus dixi, perinde ut quisque volet accipiat; neque testes, neque tabulas proferre possum, quibus id confirmem, quod quia casu & fortuito factum est, nemo id animadvertere, aut litteris & memoriæ prodere potuit. Modo constet Acta utriusque Georgii permixta esse & confusa, ut deinde ostendam, parvi interest scire, qua id ratione, quibusve Auctoribus factum fuerit. Quod mihi in hac re perobscura & incerta verisimilius occurrebat, id conjectando exposui; neque mihi conjectanti plus fidei & auctoritatis arrogo, quam quantum prudens lector tribuendum putaverit.

Actorum permixtorum varia exemplatum Græca; tum Latina,

Jam vero Actorum permixtorum seriem & catalogum contexam; & cum multa existant, eademque varia tum Græca, tum Latina exemplaria, cujus quodque sit ætatis, quæ cuique ad fidem faciendam insit auctoritas, & quibus de rebus inter se discrepent, aut congruant, breviter exponam. His quippe ordine, ac ratione distributis, quasique sub uno aspectu positis, facile fuerit ostendere, utriusque Georgii Acta implicita esse & permixta, & alia ab aliis secernere, & utri hæc vel illa conveniant, dignoscere.

§. II.

De Græcis exemplaribus historiæ Georgiano permixtæ.

Georgii Palæstini Acta simplicia.

NEmini dubium esse arbitror, quin S. Georgii Palæstini res gestas ac martyrium accurate litteris consignaverint vel cives Diospolitani, apud quos ille aut sepultus est, aut præclaram pro Christo mortem oppetiit, vel Pasicrates Georgii famulus, qui ejus quæstioni ac martyrio interfuisse dicitur, vel alii denique æquales temporum illorum, qui scilicet rerum omnium seriem aut viderunt ipsi, aut ab iis, qui viderant, acceperunt. Verum ex quo huic historiæ nonnulla interseri cœperunt ex Actis alterius Georgii, vetera ejusdem exemplaria ab omni admixtione pura & sincera recentioribus posthabita sunt, quod hæc pluribus, quam illa, & rebus & miraculis auctiora essent; tum paullatim neglecta, e publica luce in latebras retrusa, velutique in blattarum ac tinearum epulas sepulta; deinde situ ac vetustate consumpta sic prorsus interiere, ut ne unum quidem ad nostram ætatem, nostrasque manus pervenerit; quippe de vita ac martyrio Georgii Palæstini nihil sive apud Græcos, sive apud Latinos paullo fusius scriptum invenies, quod simplex sincerumque sit, quod nihil alterius Georgii admixtum habeat.

Historia Georgiana omnium, quæ extant vetustissima.

Porro Græcorum exemplarium, in quibus res utriusque Georgii permixtas esse reperio, illud est vel antiquissimum, quod Aloysius Lipomanus Venetiis inter Codices Mss. Cardinalis Bessarionis invenerat, & a Francisco Zino latinitate donatum, Divorum Actis inseruit. Hoc Surius, hoc Papebrochius ad diem 23. Aprilis annexuit. Hujusmodi apographum Daniel Papebrochius, quamquam inter *primæ notæ authenticos* codices minime annumerandum censeat, tamen paucis erratis exceptis, vehementer approbat. Et sane vix in eo quid reprehendi possit, invenies, nisi quod ex Actis alterius Georgii haud ita multa illuc irrepserint. Illud vero, quod Papebrochius ait in Comment. prævi. n. 8. *historiam illam censeri posse compositam quinto sextove sæculo*, nullo modo prorsus assentior; neque enim, ut nunc extat, legiturve, ante septimum sæculum in exitum vergens, vel octavum describi potuit, quo primum tempore utriusque Georgii confusio fieri cœpit. Quod autem idem Papebrochius ait eam Metaphrastis ætate multo antiquiorem esse, negatque propterea hunc illius Auctorem haberi dicique posse, contra quam censuit Lipomanus, itemque Surius, id mihi valde probatur; nam quod sub finem septimi sæculi jam in manibus esse, legique ab omnibus cœperit, illud argumento est, quod hanc eamdem historiam laudasse videtur Andreas Cretensis in oratione, quam de laudibus S. Georgii scripsit; ex ea quippe pleraque sumpsit, atque in suam orationem derivavit. Is autem floruit octavo sæculo ineunte, annis fere ducentis, antequam Metaphrastes nasceretur. Hujus itaque historiæ Auctor incompertus est, eaque videtur desumpta, ut ait Papebrochius loco cit. n. 8. *vel ex succinctiori commentario per quemdam S. Martyris famulum conscripto, & Diospolitanis tradito; vel ex sola Diospolitanorum civium a majoribus quasi per manus accipientium continuata traditione*. Initium est hujusmodi: *Diocletianus Romanorum Imperator sceptris indigne potitus, & primus eorum, cui sibi cum illo imperium vindicabant (tres enim erant) &c.* Hæc historia cum ab eruditis viris magni fiat, habeaturque omnium probatissima, juvat illius quamdam Epitomam conficere, & huic loco intexere.

non tamen antiquior sæculo septimo.

Diocletianus in partibus Orientis cum esset, Præfectis provinciarum, cæterisque magistratibus in consilium adhibitis, bellum universæ ecclesiæ inferre decrevit. Erat tum in exercitu Georgius illustri loco in Cappadocia natus, Tribunus Militum, idemque perinsigni titulo Comitis ob eximiam bellicam virtutem a Diocletiano impertitus; qui cum annum vigesimum ageret, servis manumissis, & fortunis bonisque omnibus in pauperes distributis, quo die adversus Christianos ferale decretum propositum fuit, ultro Imperatorem & magistratus adit, libera voce increpat, ab impio immanique consilio deterrere conatur. Nihil illum Magnentii Consulis severa objurgatio, nihil Diocletiani blanditiæ movent; nihilo segnius Christi vim ac divi-

Epitome Georgianæ historiæ.

Georgius genere ac titulis militaribus illustris.

Digitized by Google

nitatem miris laudibus prædicat. Itaque jubente Diocletiano satellites impetu facto in eum hastas contorquent, quarum cuspis, illæso Georgio, in adversam partem reflectitur; detrudunt in carcerem, humi prosternunt, ingentem ejusdem pectori lapidem imponunt, cujus mole ac pondere opprimatur.

Conjicitur in carcerem, deinde in rotam.

Postero die jubet eum Diocletianus in rota mucronibus undique armata illigari; cujus celeri conversione dum circumagitur, in gladios tabulæ subjectæ infixos incurrit, qui cuspidibus erectis fœdum in modum membra dilacerant, ac discerpunt; eoque vel supplicii acerbitas, vel doloris vehementia Georgium adduxit, ut sensu omni destitutus pro exanimi ac mortuo haberetur. Sed paullo post divina voce nubes inter ac tonitrua erumpente mirifice recreatur: adfuit præterea vir augustissima specie, & candido pulcherrimoque vestitu, qui illum peramanter complexus, & quibus alligatus erat, rotæ vinculis dissolutis, sanatisque vulneribus, eumdem pristinæ saluti & integritati restituit. Omnes, qui aderant, haud dubio miraculo obstupefacti rem omnem ad Diocletianum referunt; Anatolius, & Protoleo Prætores Christianam religionem suscipiunt, iidemque ob eam causam statim obtruncantur. Multi præterea ad Christum conversi, inter quos Alexandra Imperatrix Christianam se fieri velle profitetur, quam Magnentius Consul, ne se ipsam Imperatori proderet, ab ejus conspectu foras seduxit. Nova in Georgium supplicia Diocletianus molitur, jubetque eum in foveam conjici, in quam indita fuerat magna vis calcis recenter extinctæ, quæ ejus carnem exederet, & paucas intra horas conficeret.

Ex fovea illæsus egreditur.

Dies tertius illuxerat, cum Georgius integer ac prorsus incolumis calcaria fornace eductus, Diocletiano cæteriscque miraculo fuit. Tantum porro abfuit, ut ea re Diocletianus mitesceret, ut etiam ira vehementius excanduerit. Mandat itaque crepidas ferreas ignitas ejus pedibus induci, & verberibus cæsum rursus in custodiam tradi.

Alia Georgio illata supplicia.

Die quarto crebris ictibus os eidem contunditur, & vapulat nervis bubulis.

Die quinto accersitur præstigiator quidam ac veneficus, cui nomen erat Athanasio, ab eoque oblatam mortiferam potionem Georgius semel atque iterum impune hausit; ut fidem Evangelii faciat, mortuum ab inferis excitat. Athanasius ad Christum convertitur; & una cum eo, qui revixerat, religionis causa interficitur; in carcerem vero Georgius retruditur.

Miracula per eum edita.

Die sexto Georgius ægrotis ad illum salutis recuperandæ causa undique confluentibus sanitatem divinitus impertit, semianimem Glycerii bovem ad vitam revocat. Glycerius ex Ethnico fit Christianus, idemque martyrii palmam adipiscitur. Nocte insequenti Georgius Christum Dominum clarissima in luce per quietem videre sibi visus est, ab eoque & capiti coronam sibi imponi, & se ad beatam immortalemque vitam vocari. Itaque puerum suum per custodes accersiri jubet, monetque eum, ut post obitum corpus suum in patriam referat.

Idolum evertit.

Ergo adfuit septimus idemque postremus certaminis dies, cum Diocletianus Georgium blande compellans, eumdem placide ac leniter increpans haud invitum in speciem ad Fanum Apollinis deducit; ubi Georgius Christi nomine, & Crucis signo interposito, jubet Dæmones indidem emigrare; quibus abeuntibus simulacrum Apollinis, una cum cæteris inanium Deorum signis, statim corruit & confringitur. Tum vero populus, instigantibus sacrificulis flagrare ira, odio furere, insanis clamoribus Georgium ad necem postulare. Inter eam turbam ac tumultum, ecce tibi Alexandra Imperatrix, quæ in medium prosiliens, Diocletianum increpat, Diis male precatur, unum ab se Christum Deum verum agnosci coliquе libera voce profitetur. Hic enimvero Diocletianus acrius exarsit, quam ut rabiem furoremque cohibere posset. Nulla igitur mora interposita Georgium & Alexandram statim obtruncari jubet. Altera, dum ad supplicium rapitur, animam placide efflavit; alter Deum, ut sibi suisque interfectoribus propitius foret, precatus capite plectitur.

Hæc Georgiana historia cum omnium, quæ nunc extant, antiquissima sit, ex ea, tamquam ex fonte cæteri Græci scriptores derivarunt, quidquid postea de S. Georgio litteris tradiderunt, ut animadvertit Papebrochius, qui censet Andream Cretensem hinc sumpsisse, quæ de Georgii laudibus scripsit, & ad hanc historiam referenda esse hæc ejusdem Cretensis Episcopi verba: *Si quis*, inquit, *cupit omnia Georgii beatissimi viri facta cognoscere, historiam de martyrio scriptam legat, & ex illa edisset certaminum magnitudinem, & illius optimi bellatoris altum animum* &c. Illud præterea docet idem Papebrochius, non aliunde Græcos nisi ex hac eadem historia materiam decerpsisse, ex qua suas strophas, & antistrophas, & alia id genus carmina in laudem hujus martyris contexerent, ejusque elogia Menæis, Synaxariis, ac Menologiis inserta concinnarent; nisi quod multa brevitatis causa prætermittunt, & in pauca verba contrahunt, quæ historicus uberius & fusius exposuit.

Secunda historia Georgiana auctore Metaphraste.

Secundam historiam de vita ac martyrio B. Georgii scripsit sæculo decimo Simeon Metaphrastes, qui superiorem expolivit, & pro suo more atque instituto, salva rerum veritate, verbis ac sententiis elegantioribus exornavit, hoc usus initio: *Cum idololatriæ caligo adhuc universo terrarum orbi incumberet* &c. *Hanc Metaphrastis esse judicavit in Diatriba de Simeonum scriptis pag.* 84. *Allatius* (ut ait Papebrochius) *& facile persuadebit ei, qui plurium Metaphrastis scriptorum pene simile exordium considerabit: sed ubi ea deliteat, aut ab Allatio visa sit, necdum potuimus reperire,*

Tertia historia, cujus Auctor Pasicrates falso creditus. Prooemium ejusdem.

Tertia S. Georgii historia item permixta, & e Græco in Latinum conversa extat apud Lipomanum & Surium; cujus auctor falso creditus est Pasicrates D. Georgii famulus, qui ejus martyrio interfuisse dicitur; neque enim testis oculatus Palæstino attribueret, quæ in alterum Georgium conveniunt. Incipit: *Nostri quidem Salvatoris Jesu Christi regnum, cum æternum sit, neque aliquod temporis principium habuit, neque unquam finem habebit &c.* & his plane verbis concluditur: *Ego vero sancti Georgii servus, nomine Pasicrates, secutus Dominum meum, omnia hæc vere in commentarios collegi.* Hanc historiam Aloysius Lipomanus contulit cum priori, quam falso putavit Metaphrasti adjudicandam esse, & hanc eidem animadversionem præfixit: *Ne mireris, amantissime lector, si alteram tibi magni Martyris Georgii viam paullo post primam, legendam offerimus. Illam enim ex Veneta a Metaphraste, hanc vero ex Cryptæ Ferratæ Bibliotheca a Pasicrate ejusdem beati Martyris servo scriptam habuimus. Quæ licet in paucis quibusdam dissimiles videantur, ea tamen dissimilitudo non in re, sed in ordine potius consistere videtur. Ea vero, quæ unus tacuit, alter supplevit.* Huic codici, quem haud sæculo decimo antiquiorem esse censet, nihil habet, quod objiciat Papebrochius in Com. præv. §. 11. n. 10. nisi quod Diocletiani de Chri-

Christianis persequendis decretum ibi descriptum non cohæreat cum eo, cujus meminit Eusebius; & præterea falso dicatur Pasicrates auctor hujus historiæ, cum genus dicendi copiosius sit atque ornatius, quam ut famulo rudi atque indocto attribui possit.

Historia quarta. Quartum historiæ Georgianę permixtę exemplar Græce item descriptum Heribertus Rosweydus Soc. Jesu Parisiis accepit ex Ms. Medicæo Regis Franciæ, signatum n. 1480, & Franciscus Humbertus ex eadem Soc. in sermonem Latinum transtulit. Huic historiæ auctoritatem conciliat titulus eidem præpositus, qui eam *a viro studioso & spirituali compositam* fuisse docet. Ejusdem Prœmium Actis S. Georgii Papebrochius ibid. n. 11. inseruit, ut ex eo reliqui operis specimen aliquod capi, ac de universa historia conjectura fieri posset. Initium ducit a bello Persico, & clade Galerio Romanisque copiis per Narseum Regem Persarum illata, & ab Diocletiani ex Italia in Orientem profectione, ut Galerio auxilia contra Persas submitteret. Porro in hanc expeditionem Diocletianus secum eduxisse dicitur tres nobilissimos viros Magnentium, cui Libyæ, Theognidem, cui Ægypti, Dadianum sive Dacianum, cui Syriæ Præfecturam decreverat. Postquam Auctor relatam ab Galerio de Persis Narseoque victoriam perquam breviter perstrinxit atque attigit, sensim incedens, ad rei propositæ narrationem progreditur. Edictam Nicomediæ in Christianos persecutionem exponit, narratque, quemadmodum Georgius divino numine instinctus, ultro se obtulerit Diocletiano, & coram libereque egregium pro religione testimonium dixerit. Tum omnia eidem inflicta supplicia, & patrata per eum miracula singillatim atque ordine persequitur. Ad extremum securi eum percussum tradit Nicomediæ, ubi tota res gesta esse narratur. Hæc fere totius historiæ summa est, referente Papebrochio, qui eam sub oculis habuit; ejusque exordium typis editum publici juris esse voluit, in quo quia singularia quædam ac notatu digna invenimus, peropportuna nobis futura, idcirco huic loco intexendum esse ducimus: *Diocletiano Tyranno Romanæ urbis sceptra moderante, & Nicomediæ imperante Maximiano, Narseus ille Persarum Dux assidue Nicomediæ fines incursans, atque e Palæstina & Armenia magna vi prædas agens, vastata etiam Cappadocia, in patriam magna sui opinione inflatus se recipiebat, ubi victor magnanimus, domitorque hostium invictissimus proclamabatur. Semel igitur, iterumque congressus cum ipso Maximianus, nullo alio fructu, quam quod Marte aperto devictus magno suo cum dedecore a pugna recesserit, in magnas redactus angustias, nec sciens quo se perteret, id cepit consilii, ut Diocletianum sibi tutorem adsciscret, spe Romani exercitus robur ab ipso in auxilium accipiendi. Allatum igitur Romam litteræ ipsius perferuntur, quibus ad ferendas Imperatori suppetias vocabatur Diocletianus. Ille partim Maximiano gratificaturus, partim Romani imperii fastigio elatus, quam potuit maximo validissimoque exercitu collecto, Roma egressus, Nicomediam pervenit, suam secum uxorem ducens Alexandram nomine, ut ambo videlicet filiam suam Maximiani conjugem coram possent aspicere. Adjunxere se comites Magnentius, Theonis, & Dadianus nepotes Maximiani ac provinciarum Præfecti; primus quidem Libyæ, secundus Ægypti, tertius denique Syriæ. Hoc subsidio proprioque exercitu Maximianus confirmatus, movet in Narseum, validaque in Persarum ditionem facta irruptione, eam vastatam subjugat, Narseoque & cunctis, qui illum sequebantur, in potestatem redactis, Diospolim ad Diocletianum, quam maxima dici potest animi voluptate revertitur: eo enim loco hic cum copiarum parte subsliterat, Maximiano, si forte terga verteret, iturus subsidio. Ipso igitur ingenti cum lætitia excepto, dæmonum cultor ille e Palæstina Nicomediam una cum eo se recepit, falsorum numinum auxilio victoriam adscribens &c.*

Prœmii ejusdem.

Ex hoc prœmio facile agnoscis Auctorem istius Græci scripti neque prorsus ignarum, neque satis peritum fuisse historiæ Augustæ, quippe qui certa incertis, vera falsis permiscuit, ut prudenter scite que Papebrochius admonuit. In eo potissimum errat, quod Galerium Maximianum vocat Imperatorem, qui tum Cæsareo tantum titulo ac jure potiebatur; quod Valeriam Galerii conjugem putaverit Alexandræ filiam fuisse, nisi forte filiam adoptivam vel privignam intelligi voluerit; quod semel iterumque devictus Galerius Roma Diocletianum accersat, deducatque Diospolim in Palæstinam, quem constat, & cum vinceretur, & cum vinceret Galerius, in Mesopotamia substitisse. Sunt tamen quædam, quæ si apta explicatione adhibita referantur ad historiam Georgii Salonitani, aut vera, aut verisimilia videri possint. Cæterum hæc historia, eodem Papebrochio teste, haud paullo est, quam superiores, & suppliciis & miraculis auctior; ex quo intelligas velim hujus auctorem liberius ac fidentius, quam cæteri Græci, ex actis Latinis Georgii Salonitani decerpsisse, unde suam historiam augeret ornaretque, *ut non prorsus insulse videatur*, inquit Papebrochius, *Acta Græca ex Latinis apocryphis supplevisse*.

Animadversio Critica in hoc Prœmio.

Scriptoribus Græcis Actorum S. Georgii addi possunt Andreas Cretensis, qui octavo sæculo ineunte, & Gregorius Cyprius, qui intra finem sæculi decimi tertii de vita & martyrio S. Georgii copiose ornateque scripserunt. Uterque cum styli, tum sententiarum oratoriæque supellectilis varietate inter se differunt; sed eadem utrobique est rerum seges ac materia ex antiquis Georgianis historiis desumpta, quam tractat, & in qua versatur uterius que oratio. Laurentius Surius orationem Andreæ Cretensis, Daniel Papebrochius compositum ab Gregorio Cyprio Encomium S. Georgii ad diem 23. Aprilis Sanctorum Actis inseruerunt.

Alii Scriptores historiæ Georgianæ.

§. III.

De Latinis exemplaribus historiæ Georgianæ permixtæ.

ILlud cæteris omnibus Latinis exemplaribus antiquitate præstat, quod Gallicanum codicem appellat, & abhinc amplius nongentis annis conscriptum fuisse censet Papebrochius. Ab hisce verbis exordium ducitur: *In illo tempore arripuit Diabolus Regem Persarum, Regem super quatuor cedros sæculi, qui prior erat super omnes Reges terræ: & misit edictum, ut universi Reges convenirent in unum: & dum congregati fuissent numero septuaginta duo Reges.* In locum Diocletiani, de quo in tota hac historia ne verbum quidem, Dacianus nescio quis Imperator substituitur: huic amplius septuaginta Reges sive Satrapæ idest Præfecti provinciarum subjecti fuisse dicuntur, quibuscum ille de persequendis exterminandisque Christianis deliberat. Auctori hujus historiæ id unum propositum fuisse videtur, ut rerum copia & multitudine vitam S. Georgii oneraret potius, quam ornaret. Itaque quidquid de utroque Georgio sive apud Græcos, sive apud Latinos scriptum invenit, id omne, nullo adhibito discrimine delectuque arripuit, & in hanc

Primum historiæ Georgianæ latinum exemplar Gallicanum.

histo-

hiſtoriam congeſſit. Cum Græci ejus tantummodo provinciæ, unde Georgius oriundus erat, ideſt Cappadociæ mentionem fecerint, is præterea civitatem, in qua & illuſtri loco natus, & martyrio perfunctus eſſe dicitur, ſcilicet Melitenam adjecit. Ut vero huic hiſtoriæ fidem & auctoritatem conciliet, Paſicratem B. Georgii ſervum, ac totius rei teſtem inducit, qui affirmat ab ſe ſcripta eſſe, quæ ſuiſmet oculis viderat: tota quippe narratio hiſce verbis concluditur: *Ego Paſſecras ſervus Domini mei Georgii, qui in omni paſſione ſua annis ſeptem præſens fui* (cum enim alii paſſionem Georgianam ſeptem dierum ſpatio definiant, is in annum uſque ſeptimum perduxit) *in quibus judicatus eſt ab Imperatore Daciano, & ſeptuaginta duobus Regibus, per ſingulos annos, & menſes, & dies excepi, quæ paſſus eſt, & ſcripſi omnia per ordinem, quæ geſta ſunt cum Domino Georgio* &c. Papebrochio autem hujus codicis antiquitatem ſupra nongenteſimum annum repetenti haud facile aſſenſerim; nam totius ſcriptionis ratio & forma, ut cum propinquioribus infra nonum aut decimum ſæculum ætatibus apprime congruit, ſic a ſuperioribus ſæculis longe abhorrere videtur.

Ex Gallicano codice deſumptum eſt, auctore Papebrochio, alterum illud Latinum exemplar, quod characteribus Longobardicis exaratum, nec antiquius duodecimo ſæculo, Cæſar Card. Baronius reperit in Bibliotheca Vallicellana; niſi quod ſcriptor hiſtoriæ Vallicellanæ minus obſoletis, paulloque uſitatioribus vocabulis utitur, & indigeſtam illam rerum farraginem faſtidiens, multa vel contraxit, vel reſecuit. Eodem ferme procemio utitur: *Regnante impiiſſimo Daciano Imperatore, ſive Rege Perſarum, & ipſe præerat ſuper quatuor partes cæli, quia prior erat ſuper omnes Reges Græciæ, & miſit edictum, ut univerſi Reges convenirent in unum, & dum congregati fuiſſent ſeptuaginta duo Reges Græciæ.* Huic hiſtoriæ gravem ſane cenſuram inflixit Baronius in notis ad Martyrol. die 23. Apr. quam huic loco attexere placuit; ex ea quippe Gallicani etiam, non modo Vallicellani codicis ſpecimen capere licet; nam qui utrumvis paullulum norit, ambos noverit; ita ſunt inter ſe conſimiles; quamquam alter ab altero & vocabulorum vetuſtate, & rerum copia aliquantulum differat: *In noſtra bibliotheca, tertio tomo Vit. Sanct. antiquiſſimo ac pene vetuſtate conſumpto codice pag. 119. inveni Acta quædam S. Georgii multis haud dubium referta mendaciis: ibi portentoſa quædam ab omni miraculorum ratione aliena feruntur: quæ quidem (ut prædicta ſextæ Synodi verbis utar) non ad pietatem legentes, ſed ad infidelitatem adducant. Inſunt præterea illic quædam accepta ab hæreticis atque Gentilibus, ut conflictus ille Georgii cum Athanaſio Mago alludit ad Georgium Arianum Epiſcopum invaſorem ſedis Alexandrinæ, & Magni Athanaſii ejus ſedis Epiſcopi pugnaciſſimum perſecutorem: Athanaſium enim ab Arianis eſſe Magum appellatum Acta Tyrii conciliabuli ſatis docent: apud Gentiles etiam eamdem de eo ſparſam eſſe calumniam conſtat ex Ammiano Marcellino lib. 15. At Georgium Arianum Epiſcopum, defuncto Conſtantio Imperatore, occiſum eſſe ob ſua ſcelera Alexandriæ, relatumque a ſuis inter Martyres liquet, teſtante id etiam Marcellino lib. 22. Ex quibus ſane apparet totam illam de Actis Georgii fabulam fuiſſe commentum Arianorum. Leguntur in iiſdem alia nonnulla indigna Martyre: ut phanatica quædam & portentoſa, ſuſpectum contubernium viduæ, ars doloſa ad perdendos Gentilium Magos, atque enecandos Gentiles quoſque; innumera præterea tormentorum genera, quibus agitatus Georgius nec mori potuit; ut præter equuleos, ungulas, crates ferreas ignitas, rotamque mucronibus undique præfixam, calceoſque armatos clavis, quæ & in aliis leguntur Actis, etiam Arca ferrea clavorum cuſpidibus intus ad feriendum aptata, præcipitium, contuſiones, columna ingentis ponderis ſuper eum impoſita, ingentiſque molis ſaxum ſuper caput revolutum, ferreum ignitum ſtratum, liquens plumbum ſuperfuſum, quadraginta igniti clavi, quibus eſt confoſſus, æneus bos candens, merſio in puteum ingenti ponderis ſaxo ad collum ligato: quibus nec quidem occidi Martyr potuit. Ad hæc inſuper fingitur ibi Dacianus quidam Imperator, qui Perſis dominetur, & 75. Regibus imperet, ſub quo Georgius paſſus ſit, & alia multa, quæ potius delirantium ſomnia, quam ſinceram hiſtoriam martyris præferant: quæ Gelaſii cenſura proſcripta eſſe, abſque aliqua difficultate, quiſque ſibi ſuadere poteſt.*

Secunda Vallicellana; & ejus cenſura Bzovii.

Alia præterea multa ab Latinis prodiere Georgianæ hiſtoriæ exempla, eaque ferme contexta ex verbis Gallicani codicis, unde apparent eſſe oriunda, quæ Papebrochius accurate recenſuit, & alia cum aliis diligentiſſime contulit, veluti Ultrajectinum S. Salvatoris, Trevirenſe S. Martini, Duacenſe, Marchianenſe, Sanmaximianum, & præter alia illud Marci Velſeri longe vetuſtiſſimum. Si cum Gallico manuſcripto, unde ortum duxiſſe creduntur, conferantur, longe ſunt contractiora; quippe ex immenſa illa ſuppliciorum iliade, id tantummodo retinent, quod legitur apud Græcos: ex quo intelligi poteſt eorum Auctores ad Græca exemplaria reſpexiſſe, ad quorum normam hujuſcemodi hiſtoriam conformarent. In aliquibus Dacianus nullo neque Imperatoris, neque Regis titulo inſignitur, ſed Diocletiani nomine Martyris quæſtioni præfuiſſe dicitur; in pleriſque Melitenæ, ſeu Melitonæ, & terræ natus, & cœlo per Martyrium renatus fuiſſe Georgius dicitur; in aliis Alexandræ converſio & martyrium abeſt; ex illis, quæ in codice Gallicano fuſe copioſeque narrantur, multa in omnibus, alia in aliis deſiderantur.

Alia Latina exemplaria hiſtoriæ Georgianæ,

ſed nonnulla adhibita.

Ex omnibus Latinis apographis illa vel maxime Baronio probantur, in quibus pauciora leguntur ſupplicia B. Georgio inflicta; quamquam ob carmina, & longiuſculas paraphraſes, aliaque id genus ornamenta intertexta, ab antiquo illo ſimplici, minimeque fucato dicendi genere haud parum abhorreant: *Legi*, inquit in notis cit. *in veteribus Mſſ., quæ in quibuſdam eccleſiis recitari conſueverunt, Acta Georgii; ubi & annus paſſionis deſcribitur ducentiſimus nonageſimus; ibique hæc ſolummodo tormenta Georgius paſſus narratur, verbera, rotam, ignitamque ſartaginem, ac demum gladio capite truncatus legitur, quæ licet ob longiores paraphraſes & carmina, quæ in eis habentur intexta, minime referant priſtinum illum candorem, ac ſine fuco dicendi ſtylum, tamen cæteris probabiliora videntur.*

Ex Apographis Hiſt. Georgianæ, quæ Baronius probat maxime.

Ex hiſce Actis, quæ Baronius laudat, collegiſſe videtur Albertus Magnus ejuſdem ferme generis ſupplicia, quæ congeſſit in Sermonem 17. de laudibus S. Georgii; niſi quod ea paullo diſtinctius explicat; ſed quæ Albertus & numero plura, & ſingillatim potius quam generatim expoſuit, videntur eſſe ejuſmodi, ut minori numero comprehendi facile queant, redigique ad quatuor illa tormentorum capita, quæ Baronius ſummatim perſtrinxit. Iiſdem Actis adnumerandas cenſeo Lectiones Capuani, itemque Gallicani Breviarii, quibus multo pauciora, quam cæteris vulgatis Georgii hiſtoriis, contineri Laurentius Finicchiarus teſtatur.

Alberti M. oratio de S. Georgii laudibus.

Nullus autem dubito, quin referri oporteat in

nume-

Digitized by Google

Petrus Parthenopensis compositis historiam S. Georgii.

numerum eorundem Actorum, quæ Baronius vehementer approbat, Georgianam illam historiam, quam Petrus Parthenopensis ecclesiæ Levita, hortatu Petri de Sorrento Archiepiscopi Neapolitani, ex Græcis Latinisque codicibus ante dimidium sæculi XIII. contexuit. Is multa vel correxit, vel amputavit, quæ absona & parum congruentia videbantur; nihil de Athanasio Mago, nihil item de Alexandra Imperatrice commemorat, quod hæc fortassis minime omnium ad Georgium Palæstinum pertinere putaverit. Itaque *B. Georgii Martyris passionem a variis translatoribus vitiatam emendare studens, plurimis incongruis amputatis, sollicite componere curavit*, ut præfatur in Prologo, cujus hoc est initium: *Plerique illustrium cœlestis patriæ amatores* &c. Cæterum verborum & sententiarum ornamentis ubique luxuriat, colloquia Diocletianum inter & Georgium satis prolixa intermiscet, ad Lectorum animos exhilarandos solutæ orationi carmina identidem intexit. Provincia, unde genus duxit Georgius, est Cappadocia; civitas, ubi natus est, appellatur Millena, seu Melitena; idemque inter Anicios annumeratur. Acta transactaque sunt omnia in Cappadocia, Diocletiano præsente, eodemque in martyrem & quæstionem exercente, & supplicia decernente. Daciano nihil loci relictum. Nec plures, quam Baronius recenset, Georgius subjisse cruciatus narratur, *verbera* nimirum, *rotam*, *igniumque sartaginem*, *& capitis abscissionem*. Duo sunt, quæ displicent, Magnentii Magistri militum conversio, quæ nusquam alibi legitur, & annus ducentesimus, & nonagesimus, quo cum Marcelli Pontificatus, & indictæ ab Diocletiano persecutionis initium male connectitur. Hujus historiæ duo exemplaria nacti sumus, alterum Lateranense ex *Codice Passionalium Sanctorum signato lit. B a folio* 184. *usque ad* 189, *existente in superiori archivo Lateranense*; alterum Veronense, quod nobis perhumaniter communicavit Bartholomæus Campagnola Archipresbyter S. Cæciliæ Veronensis, desumptum e Ms. Passionario, in quo plurium Sanctorum vitæ descriptæ inveniuntur. Alterum cum altero apprime congruit; nisi quod in Lateranensi indicatur conversio & martyrium S. Alexandræ, quæ in Veronensi desideratur; illic 23. hic 24. Aprilis Georgius glorioſum agonem, capitis abscissione, consummasse dicitur. Anno decimi quinti sæculi fere septuagesimo, cum caput & brachium S. Georgii ex Oriente Venetias delatum esset, honorificeque conditum apud Patres Benedictinos in æde S. Georgii Majoris, Hilarion Monachus ex eadem S. Benedicti familia, ejusdemque cœnobii alumnus, vitam S. Georgii a Petro Parthenopensi compositam contractiori quidem, sed haud ineleganti, ut temporibus illis, & erudito dicendi genere exornavit.

Hilarion Monachus hanc historiam contraxit.

Jacobi Card. Stephaneschi historia S. Georgii.

Huc pertinent, quæ de B. Georgii miraculis, martyrio, & cultu fuse ornateque scripsit abhinc annis fere quadringentis Jacobus de Stephaneschis, S. R. E. Diaconus Card. tit. S. Georgii in Velabro. Extat ejus de S. Georgio liber inter codices Bibliothecæ Vaticanæ, in pergameno folio pulcherrime descriptus, & vario picturæ genere scite eleganterque ornatus. Id opusculum plura cum contineat, idcirco satis commode in tres partes potest distribui. Pars prima inscribitur *de B. Georgii M. miraculis, ac primum de Dracone interfecto*. Altera *de B. Georgii martyrio*: suus utrique prologus præfigitur. Tertia pars hunc titulum præfert: *Translatio capitis B. Georgii a basilica sancta Sanctorum ad ecclesiam B. Georgii sitam in regione secunda*. Huic adjiciuntur hymni, antiphonæ, responsoria, & alia id genus, quæ ad solemnem B. Georgii liturgiam spectant. Dacianus Judex & quæstioni de Georgio habendæ, & suppliciis in eum decernendis præfuisse dicitur. Reliqua haud discrepant ab iis, quæ cæteri omnes Latini scriptores de B. Georgii martyrio litteris consignarunt; sed quod apud neminem legisse memini, insuper tradit quinque & triginta supra ducentos mortuos ab eo in vitam revocatos fuisse, quos cum aqua ex arido solo divinitus prosilienti baptizasset, in cœlum præmisit. Huic miraculo plane inaudito atque insolito variis argumentis & exemplis auctor fidem adstruere conatus, multa in hanc sententiam pie eruditeque disseruit.

Diospolis in Parisio.

Neque hic prætereundam puto Legendam Slavonicam, quæ singulis annis die 24. Aprilis inter solemnia sacra, in templo Georgiano Castri Sussuraz recitari solebat. Huic si quædam adimas, quæ correctione indigent, veluti Regis titulum aliquando tributum Daciano præfecto, qui Georgii quæstioni ac martyrio præfuit, Alexandræ & Daciani conjugium, persecutionis universalis epocham anno 287. affixam; hunc inquam notam illam inesse comperio, quæ maxime Baronio probatur, videlicet suppliciorum paucitatem. Adest quidem Magus nescio quis anonymus, a quo paratum sibi venenum Georgius semel atque iterum impune hausit; sed cur is tantopere displiceat Baronio, non hercle intelligo.

Legenda Slavonica de laudibus S. Georgii.

Ex hac legenda, vel certe ex eodem, unde hæc descripta est, autographo Jacobus de Voragine Episcopus Januensis intra finem sæculi XIII. suam de martyrio & miraculis B. Georgii historiam concinnavit. Idem fere utrobique rerum ordo ac series, eadem sententiæ, eadem sive laude sive reprehensione digna. Inter utramque hoc fere solum interest, quod Jacobus ex Præfatione Georgiana, quæ D. Ambrosio attribui solet, nonnulla semel atque iterum suæ historiæ intexuit. Ab utroque sive Slavonico sive Latino scriptore haud sane discrepat Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus; utrique tamen concisa quadam brevitate, ac simplici prossoque scribendi genere præstat. Si Magnentii Magistri militum conversionem & martyrium, itemque Alexandræ cum Daciano initum connubium excipias, quod in eo reprehendere possis, vix invenies. Siquidem singulari prudentia delectuque adhibito ex omnibus Georgianis historiis optima quæque, & probatissima collegit, ac breviter summatimque descripsit: *Ex diversis legendis*, inquit, *ea, quæ magis authentica videntur circa ejus martyrium & miracula ostensa, hic collecta sunt: multis dissonis & incredibilibus omissis: diversitatibus pro posse ad concordantiam reductis*.

ex qua Jacobus de Voragine ejusdem Martyris Acta descripsit.

Petrus de Natalibus itidem de B. Georgio scripsit.

Verum de omnibus ac singulis, qui vitam B. Georgii Latinis vel etiam Italicis litteris commendarunt, longum est mihi commemorare ad alia properanti, idque minime necessarium. Illud verissime affirmare possum, neminem ex omnibus Christi martyribus fortasse reperiri, cujus Acta tam multi tamque insignes Hagiographi descripserint. Sed jam inde ab octavo sæculo penitus extincta Georgii Salonitani Episcopi memoria, unius Palæstini Militis species illorum animis obversabatur, quam intuentes in eaque defixi, quidquid confuse ac permiste de utroque scribebant, id omne ad unum Palæstinum mente & cogitatione referebant.

Inter Græca & Latina exemplaria quid interſit.

Cæterum inter Græca & Latina exemplaria hoc ferme interest, quod nonnulla in his diversa atque in illis, & aliquo modo contraria legantur, sic prorsus, ut in Græcis Palæstinus, in Latinis Georgius Salonitanus magis emineat: id vero satis manifesto

nifesto deprehendi poterit, si notis iis, quibus uterque distinguitur, consideratis atque provisis, altera cum alteris exemplaribus conferantur. Ex hac tamen collatione excludos velim codices Gallicanum & Vallicellanum, in quibus nihil aliud apparet, nisi rerum utrinque collectarum inordinata congeries. Restat, ut hujuscemodi confusionis argumenta atque indicia demonstremus, ex quibus ea secerni facile ac distingui poterunt, quæ ad nostrum, quæve ad Palæstinum Georgium pertinent.

CAPUT III.

Quadruplex discrepantia historiæ Georgianæ permixtionem Actorum utriusque Georgii probat, & alia ab aliis secernendi rationem docet.

PEtrus de Natalibus sapienter animadvertit disparata quædam Actis S. Georgii inesse, ac longe inter se diversa, quæ cum in unum eumdemque martyrem cadere nequeant, in duos pluresve distribui necesse est: *In ejus martyrio*, inquit, *multa diversitas invenitur, tam ex parte loci, quam ex parte modi, tam ex parte temporis, quam ex parte judicis*. Huc pertinent, quæ in eamdem fere sententiam scripsit Jacobus de Voragine in Præfatione ad historiam S. Georgii: *In Calendario Bedæ dicitur, quod sit passus in Perfida civitate Diospoli, quæ prius Lydda vocabatur, & est juxta Joppem; & alibi dicitur, quod sit passus sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus; alibi legitur, quod sub Diocletiano Imperatore Persarum, præsentibus 70. Regibus imperii sui. Hic dicitur, quod sub Daciano Præside imperantibus Diocletiano & Maximiano.* Quas igitur discrepantias ex Actis Georgianis summatim collegit Petrus Equilinus, eas hic singillatim persequi juvat, & planius exponere: sunt autem omnino quatuor; prima ex locorum diversitate oritur; altera sita est in differentia temporum; tertia ad Tyrannos sive Judices Georgianæ quæstioni præpositos refertur; quarta denique ad suppliciorum martyriique rationem revocari potest. Hæc, cum inter se discrepent, neque in unum martyrem convenire possint, sejungi oportet, & alia quidem Palæstino, alia Salonitano Georgio, ut nobis videtur, sua videlicet cuique attribui.

Quadruplex discrepantia in Actis Georgianis.

§. I.

De locorum discrepantia.

TRiplex locorum ratio, in quibus mira inest discrepantia, huic disputationi materiam præbet; nam neque unde genus & ortum Georgius duxerit, neque qua in urbe martyrium subierit, neque ubi conditus sit, convenit inter eos, qui Acta D. Georgii litteris mandarunt; alii quippe aliis civitatibus ejus ortum, martyrium, sepulchrum adjudicant.

Patria D. Georgii Cappadocia.

Quod pertinet ad patriam D. Georgii, constare inter omnes video illum e Cappadocia oriundum fuisse, unde dictus est cognomento *Cappadox*. Sed cum apud veteres Geographos duplex inveniatur, altera *propria*, altera minus *proprie* dicta Cappadocia, utri adscribendus sit D. Georgius, inter auctores discrepat. Quæ vere proprieque dicitur Cappadocia, est regio amplissima Asiæ minoris, quæ ab Septemtrione Euxino mari alluitur, ab Oriente Armeniam, a Meridie Ciliciam & Syriam, ab Occasu Galatiam attingit. Præterea Cappadociæ nomen olim subiit universa Syria, quæ prope abest a Cappadocia propria, & Phæniciam pariter omnemque Palæstinam complectitur. Herodotus lib. 1. apud Ortelium & Finicchiarum auctor est moris fuisse Græcorum, ut Syriam & Palæstinam non alio fere, quam Cappadociæ nomine appellarent; contra vero eosdem solitos fuisse Cappadociam propriam Syriæ conterminam Syriæ vocabulo subjicere. Hujus appellationis haud obscura vestigia intueri licet apud Jeremiam c. 47. vers. 4. qui Palæstinos vocat reliquias *insulæ*, idest provinciæ *Cappadocum* (*Depopulatus est enim Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ*), sive quia Cappadoces & Philistiim, seu Palæstini fratres erant & consanguinei; sive quia Palæstina, quam expulsis Hæveis Cappadoces occupaverant, jure meritoque dici poterat colonia Cappadocum. Utramque interpretationem huic loco præter alias adhibuit Cornelius a Lapide Comment. in Jerem. Proph. c. 47.

Phœnicia & Palæstina dicta Cappadocia.

Jam vero sunt, qui patriam S. Georgii Militis inter civitates Cappadociæ proprie annumerandam censeant, quamquam de certa ac definita illius regionis urbe, sive provincia, in qua ille ortus & procreatus est, negent se habere, quod liqueat. In hanc sententiam visi sunt propendere Petrus Equilinus, Cæsar Baronius, Petrus Ribadeneira, aliique. Mihi vero illorum sententia summopere placet, qui patriam S. Georgii militis in alteram Cappadociam conjiciunt; eumque oriundum fuisse tradunt e Palæstina, quæ pars est hujus Cappadociæ haud sane exigua, quæque interdum *Soria* vulgo appellari solet. Hæc sententia multorum patrociniis defenditur; inter quos recensendi sunt Laurentius Finicchiarus in vita S. Georgii, Constantius Felix in Commentario historico pag. 153., Adrichomius Delphius in Theatro terræ sanctæ pag. 4. num. 33. Bredenbacchius in suo Itinerario pag. 13. n. 87., Brocardus itidem in suo Itinerario num. 4. Hos ut sequar, illa me potissimum ratio, seu conjectura impulit, quod nulla extet in Cappadocia propria sive provincia, sive civitas, quod ego quidem sciam, quæ ex veterum traditione Georgium militem apud se in lucem editum fuisse contendat. Contra vero multas in Palæstina urbes, sive oppida esse comperio, quæ de patria ortuque Georgii inter se dimicant; nam Rhamenses civem dicunt esse suum, Diospolitani suum vendicant, Georgiani Rhamensibus, & Diospolitanis interjecti repetunt; & incolæ alterius Georgiæ, quæ ab urbe Diospoli satis longe disjuncta in Septemtrionem spectat, atque ad Phœniciam pertinet, suum esse confirmant: itaque etiam templum ejus sane amplum in oppido dedicaverunt; idque oppidum vulgo appellant Castrum, seu *Casale S. Georgii*.

Cappadocia Palæstinæ patria S. Georgii militis.

Ego vero duas Georgio Palæstino fuisse patrias censeo, alteram naturæ, alteram domicilii: natus siquidem est in Cappadocia minus proprie dicta, sive in Phœnicia, parentibus haud genere, & copiis, quam Christiana fide ac virtute illustrioribus, in oppido haud ignobili, quod ab eo deinde nomen accepit, dictumque est *Casale S. Georgii*, quod Ptolemaide leucas fere quinque in Orientem distat. Nondum e pueris excesserat, cum in Palæstinam, parente ob religionem amisso, una cum matre secessit, atque in oppidulo, ubi ejus mater orta erat, inter Diospolim & Rhamam, in ædibus maternis habitavit; atque ibidem postea & sepulchrum habuit, & templum obtinuit longe magnificentissimum, quod alii ab Justiniano, alii a Constantino Magno conditum existimant. Quare cum Georgium dicimus Palæstinum, non ortu, sed domicilio Palæstinum intelligi volumus. Nobiscum sentiunt Jacobus Card. Stephaneschius, aliique satis

Duæ patriæ S. Georgii militis, altera in Phœnicia, ubi ortus est,

altera in Palæstina ubi educatus.

ido-

Digitized by Google

idonei Auctores apud Finicchiarum, qui cenſent veram ac germanam patriam S. Georgii eam habendam eſſe, quæ nunc *Caſale S. Georgii* dicitur, in Phœnicia ſitum, abeſtque Ptolemaide ſive Accone milliaria, ſeu Leucas, ut alii volunt, omnino quinque; quorum ſententiæ, ut meam quoque adſcriberem, impulit me codex pervetus Georgianus Cardin. Beſſarionis, in quo ſcriptum invenio Georgium poſt obitum parentis religionis cauſa interfecti, cum matre, *in Palæſtinam, unde erat oriunda, ſe contuliſſe, ubi multæ illi poſſeſſiones, & ingens erat hæreditas*. Idem confirmant Menæa Græcorum; & codex Roſweydanus Dioſpolim urbem Palæſtinæ vocat patriam non Georgii, ſed matris Georgii, cum enim hæc nata fuiſſet in oppido agri Dioſpolitani, ejus patria rite appellari poteſt Dioſpolis.

Latini ſcriptores patriam Georgii Militiſ, vel Mellenſ vocant.

Verum enimvero qui Acta S. Georgii Latinis literis tradiderunt, ii fere omnes longe aliam præſtantiſſimo huic martyri patriam, longeque a Palæſtina disjunctam attribuunt, quam alii *Melitinam*, alii *Melitonam*, alii *Mellenam* vocant, id quod Papebrochii animadverſionem ac cenſuram effugere minime potuit: *Militonæ*, inquit Com. præv. §. 1. num. 6. *adſcribunt non ſolum Sancti Natalem in terris, ſed etiam glorioſiorem illum, quo cœlis natus martyr eſt*. Atqui *Mellena, ſeu Melitina* cum neutra Cappadocia ſive Aſiatica, ſive Syriaca cohæret. Nullam in univerſa Syria, quæ, ut diximus, apud Græcos Cappadociæ vocabulo interdum appellatur, civitatem invenies, cui nomen fuerit Melitinę, aut Mellenę. Extitit quidem prope a finibus Cappadocię proprię, ſive Aſiaticę, civitas frequens ſane ac nobilis, quam Ptolemęus *Militenem*, ſeu *Melitinem*, Stephanus *Melitenam*, Leunclavius *Melatiam*, alii *Malatinam*, alii *Melotaniam* vocant; ex eaque, quod principem locum teneat, tota regio denominata eſt. Sed hanc urbem ſive provinciam inter Melam & Euphratem ſitam Armeniæ minoris finibus Ptolemæus apud Ortelium & Ferrarium, Guillelmus de l'Isle, & alii includunt. Itaque ſi Georgius Miles natus eſt in Cappadocia, quod omnes tradunt, urbs Melitina eſſe illi patria nequit, quæ cum ad Armeniam pertineat, ab utraque Cappadocia disjungitur. Et quamvis Solinus, Plinius, aliique Militenem Cappadocię propriæ attribuant, propterea tamen hæc eſſe, aut dici non potuit patria Georgii militis, cum hujus genus atque originem ad Palæſtinos, ſeu Phœnicios alterius Cappadociæ incolas, ut ſupra diximus, referri oporteat.

quæ ad neutram Cappadociam pertinet.

Hæc nequit eſſe patria Georgii Palæſtini.

Cum igitur Melitene ſeu Mellena Georgii Palæſtini patria eſſe nequeat, veriſimile eſt, hujuſmodi vocabulis in hiſtoria Latina Georgiana deſignari patriam Georgii Salonitani. Duas inſulas atque urbes in Dalmatia invenio, quibus *Mellenæ*, & *Melitenæ* vocabula accommodari poſſunt. Altera eſt *Corcyra Melæna*, quam Latini *Corcyram Nigram*, Slavi *Karkar*, Itali *Curzolam* vocant, quæque ab urbe Salona millia paſſuum fere quinquaginta in Orientem diſtat. Nec vero illud conjecturam noſtram infirmat, quod pro *Melæna* ſcriptum ſic *Mellena*, & ad eam urbem inſulamque deſignandam, nomine prætermiſſo, cognomen tantummodo adhibitum fuerit. Hujuſmodi enim ſphalmata, quæ in antiquis codicibus paſſim occurrunt, vel librariis adſcribi debent, vel ipſis Auctoribus e calamo per incogitantiam excidere potuerunt. Altera inſula & civitas Dalmatiæ, ad quam referri poteſt vocabulum *Melitenæ*, quod ſæpius, quam *Mellenæ* in Actis Latinis invenitur, eſt *Melita*, ab Oriente objacens Corcyræ, unde haud ita lato interfluo Euripo disjungitur: *Meledam* vulgo dicunt. Quemadmodum autem *Melitena* urbs Armeniæ, poſtremæ ſyllabæ detractione a Plinio & Solino apud Ortelium appellatur *Melita*; ſic fieri potuit, ut *Melita* Dalmatica unius itidem extremæ ſyllabæ additione vocaretur *Militene*. Adde, quod Ptolemæus apud Ortelium hanc ipſam Melitam Dalmaticam vocat *Melitinem*, ſeu *Melitenam*, quam Volaterranus a Polybio *Melituſſam* appellatam eſſe ſcribit. Cum igitur vocabulo *Mellenæ* ſeu *Melitenæ*, quæ Georgii Palæſtini patria eſſe nequit, haud inepte ſubjici poſſit vel Melæna, vel Melita Dalmatica, alterutram Georgii noſtri Salonitani patriam fuiſſe cenſemus; & nomina illa *Melitenæ* aut *Mellenæ* ex Actis puris ſinceriſque Georgii Salonenſis Epiſcopi, quæ olim extabant, in confuſam ac permixtam utriuſque Georgii Latinam hiſtoriam irrepſiſſe putamus. Ita fit, ut omnis, quæ Græcis cum Latinis codicibus intercedit, diſcrepantia tollatur; & cum alii in Cappadocia, ſive in Palæſtina, nimirum Syriaca, alii apud Melitenam Georgium in lucem prodiiſſe tradant, ne unus idemque duplici in loco natus fuiſſe dicatur, Cappadocia quidem Georgium militem, Melitena vero Georgium Epiſcopum apud ſe ortum eſſe glorietur.

dicenda erit patria Georgii Salonitani.

quæ cum videatur eſſe in Dalmatia,

Nec vero ſi Georgius Palæſtinus ex ea regione, unde originem traxit, Cappadocis cognomen invenit, ſequitur illico Georgium Salonitanum vocari non poſſe Cappadocem; aut reprehendendos eſſe Latinos Scriptores, quod Melitenam, ſeu Mellenam Dalmaticam in Cappadocia ſitam eſſe cenſuerint. Nam ex antiquæ Geographiæ vocabulis colligi licet, quidquid oræ maritimæ ab urbe Salona Raguſium uſque porrigitur, una cum omnibus e regione inſulis, Cappadociæ nomine interdum apud veteres appellatum eſſe. Hujus appellationis auctor eſt haud ignobilis Jornandes, qui ſexto ſæculo floruit. Is in eo libro, quem *De origine ac vocabulis Gothorum* inſcripſit, apertiſſime docet Diocletianum in Cappadocia diem ſuum obiiſſe. *Sic*, inquit, *concitata perſecutione in Chriſtianos Diocletianus in Cappadocia defunctus eſt*. Neminem eſſe arbitror, qui Jornandem haud ſane inter infimos ætatis ſuæ Scriptores habendum, adeo rudem ignarumque fuiſſe communis hiſtoriæ cenſeat, ut quod fere omnes tradiderunt Diocletianum in Dalmatia extinctum eſſe, ac prope Salonam conditum, id unus ille ignoraverit; & quod nemini umquam in mentem venit ſcribere Diocletianum apud Cappadoces Orientales vita functum eſſe, ille prorſus temere & nulla ratione effutierit. Huic igitur verbo cum Cappadociam dixit, eam regionem ſubjecit, in qua Scriptores fere omnes Diocletianum ex hac vita migraſſe tradunt; quem cum ille in Cappadocia obiiſſe ſine ulla dubitatione affirmet, id magno ſane argumento eſt apud veteres interdum Cappadociæ vocabulo Dalmatiam appellatam fuiſſe.

Finicchiarum in Dalmatia regio quædam dicta Cappadocia.

Quid quod non deſunt alii Scriptores, e quibus hujus appellationis indicia quædam ſubobſcura colligi poſſint. Galianus & Pererius Scriptores haud contemnendi apud Finicchiarum par. 1. pag. 4. *Cappadociæ Africanæ* neſcio cujus mentionem faciunt. Neutri porro Cappadociæ ſive Aſiaticæ, ſive Syriacæ, quam ſupra deſcripſimus, id cognomenti congruere videtur; nam altera Aſiæ minoris, altera Syriæ finibus continetur. Itaque, niſi me fallit conjectura, *Africanæ* cognomen *Cappadociæ* appoſitum indicio eſt, hanc Cappadociam aliam non eſſe niſi Dalmaticam, ideſt illam Dalmatiæ partem, quam Cappadociæ vocabulo olim comprehenſam eſſe paullo ante diximus; quippe, ut alibi dicemus, in Dalmatia inſula fuit, quæ dicta eſt Africa, unde regioni cognomen Africanæ obvenire

Cappadocię Africana in Dalmatia.

Digitized by Google

nire potuit. Huc pertinet formula illa Martyrologii Hieronymiani cap. 1. ex apographo Lucenſi deſcripta, in qua martyrium Georgii, verius utique Salonitani, quam Palæſtini, Africæ adſcribitur.

Cappadocis cognomen Georgio appoſitum non regionem, ubi ortus, ſed gentem, unde traxit originem, deſignat.

Cæterum haud longe a veriſimilitudine, mea quidem ſententia, aberraverit, ſi quis exiſtimet Cappadociæ vocabulo non tam indicari provinciam, in qua natus eſt Georgius Salonitanus, quam deſignari gentem, ſeu familiam, ex qua originem traxit: habet ſiquidem Jacobum Card. Stephaneſchium, itemque Jacobum de Voragine, auctores minime ſpernendos, unde huic opinioni aliquid probabilitatis adſcifcat; uterque enim Georgium induxit loquentem ad hunc modum: *Georgius vocor ex nobili Cappadocum proſapia ortus*. Nemo non videt, hunc modum loquendi ad familiam, quam ad provinciam aptius referri: quamquam cæteri Scriptores fortaſſe per errorem exiſtimaverint Provinciæ nomen eſſe, quod peculiare alicujus illuſtris familiæ cognomen erat. Quænam porro eſſet ea gens, ſeu familia, quæ temporibus illis in Dalmatia opibus ac nobilitate florebat, & *Cappadocum* cognomento diſtinguebatur, conjici poteſt ex alio cognomine, quod ab aliis Latinis Scriptoribus Georgio noſtro attribui ſolet. Is enim fuiſſe dicitur ex illis præſtantiſſimis bellatoribus, qui cum invictos ſe ab hoſtibus in acie ſæpius præſtitiſſent, *Aniciorum* cognomen invenerant. Siquidem in Breviario Gallicano, quod in eccleſia Panormitana aſſervatur, Finicchiaro teſte, hæc leguntur: *Erat Georgius ex numero illuſtrium propugnatorum, qui Græco vocabulo Anicii, Latine autem invictiſſimi, ſive inſuperabiles dicebantur*. Idem confirmat Hilarion Monachus in vita S. Georgii apud Papebrochium: *Georgius*, inquit in Com. præv. §. 3. n. 17. *ex illo propugnatorum illuſtrium numero* (ideſt *genere*, ut Finicchiarus explicat) *quos Græci ἀνικήτους*, Latini *invincibiles vocant*. His adde utrumque codicem Lateranenſem, & Veronenſem, itemque Arnoldum Wionem, qui par. 1. §. VII. *De Equitibus Aniciis* hæc de S. Georgio ſcripſit: *De quorum* (ideſt Aniciorum) *numero fertur fuiſſe S. Georgius Cappadox & martyr*. Id porro cognomenti propter bellicas laudes, & rerum præclare geſtarum gloriam obvenerat Imperatoriæ familiæ Cari, Carini, & Numeriani, ut colligitur ex Actis SS. Martyrum Cancii, Canciani &c. qui dicuntur *de Genere Aniciorum, hoc eſt, Divæ memoriæ Carini Imperatoris progeniti*. Quod ſi cognomen *Anicii* Georgio noſtro inditum gentile fuit, ideſt a majoribus acceptum, neque enim illud bellica virtute ſibi adeptus fuerat, cum fortaſſis ab ineunte ætate eccleſiaſticæ militiæ nomen dederit, ut Cancius & Cancianus, ſic Georgius noſter videtur oriundus fuiſſe ex Auguſta Dalmatica familia Cari & Carini, cui Aniciæ cognomen fuit. Cum autem idem Georgius *Anicius* pariter & *Cappadox* cognomento dictus fuerit, neceſſe eſt unam eamdemque fuiſſe Gentem Aniciorum & Cappadocum, ex qua ille originem duxerat. Porro qui erant ex illa ſtirpe Imperatoria, non ſolum Anicii, ſed etiam Cappadoces propterea fortaſſis dicebantur, quod progenitores Cari & Carini, cum vel Cappadociam Perſis expulſis recuperaſſent, vel inſigne aliquid & memorabile in ea provincia geſſiſſent, quemadmodum duo Scipiones, alter Africa oppreſſa Africani, alter Aſia devicta Aſiatici cognomen invenerant, ſic etiam illi e Cappadocia illuſtre ſibi cognomen adepti fuerint. Hinc videtur conjici poſſe Georgium ex eadem ſtirpe procreatum fuiſſe, unde Imperatoria domus Cari & Carini prodierat, & indidem Anicii pariter & Cappadocis hæreditarium cognomen traxiſſe;

cognomen. natus etiam eſt Anicius,

ex genere Cari & Carini,

Igitur uterque Georgius jure cognominari poteſt Cappadox, alter, quod natus ſit in ea provincia, quam Græci Cappadociam vocabant; alter, quod vel e Cappadocum familia, vel in ea Dalmatiæ parte ortum habuerit, quæ olim Cappadociæ nomine interdum appellabatur; ſed diverſa utrique patria fuit, alteri Georgio oppidum haud ignobile Palæſtinæ, quod nunc dicitur Caſale S. Georgii, alteri Mellena ſive Melitena, ideſt Corcyra Melæna, aut Melita, quæ inter inſulas ac civitates Dalmatiæ annumerantur.

Uterque Georgius Cappadox, ſed alius aliam ob cauſam.

§. II.

De multiplici loco martyrii Georgiani.

NIhilo minor eſt inter Scriptores hiſtoriæ Georgianæ de loco martyrii diſcrepantia, quippe cum præclaro hujus ſanctiſſimi viri pro religione ſuſcepto certamini alii alias urbes & provincias adſcribunt. Inter Græca exemplaria, in quibus, ut ſupra diximus, expreſſius Palæſtini, quam Salonitani Georgii Acta eminent, nullum invenio, ſi Roſweydanum excipias, in quo locus Georgiani martyrii certo proprioque vocabulo deſignetur. Cæterum in iiſdem inſignes quædam notæ apparent, unde dignoſci poſſit civitas illa, quam Georgius Palæſtinus ſuo martyrio illuſtraverit. Primum enim hujuſmodi Acta Græca aperte docent urbem illam, in qua egregius Athleta pro Chriſto decertavit, tanta celebritate atque amplitudine fuiſſe, ut in ea principum virorum Senatus admodum frequens cogi potuerit, quem Diocletianus de Chriſtianis e medio tollendis, Deorumque cultu in priſtinam frequentiam ac dignitatem reſtituendo conſuluit; deinde Diocletianum ipſum in eadem urbe Georgianæ quæſtioni ac martyrio præfuiſſe declarant: tum indicant in ea regione ac civitate interfectum fuiſſe Georgium, unde expeditum eſſet ac facile iter in ejuſdem patriam, vel domicilium; illuc enim, ut corpus ſuum transferret, Georgius Paſiceratem impenſe rogavit. Ad extremum civitas illa Georgii martyrio inſignis ejuſmodi fuerit, neceſſe eſt, in quam Perſidos vocabulum non inepte convenire queat: nam aliqui Martyrologi tradunt eum in Perſide martyrio perfunctum eſſe. Hoc igitur fixum, ac ratum eſſe oportet, quamcumque civitatem deſignaveris, unde vel una abſit e notis modo deſcriptis, huic Georgii Palæſtini martyrium adjudicari non poſſe.

Martyrii Georgii Palæſtini in urbe ampliſſima,

apud Perſidem.

Jam vero in hac controverſia de loco martyrii Georgiani tres video eſſe Auctorum ſententias; nec deſunt teſtimonia vel e Martyrologiis, vel ex apographis Georgianæ hiſtoriæ, quibus ſuam quiſque opinionem tueatur. Prima ſententia Gallicani ab Roſweido reperti Codicis auctoritate nititur, quam ſequitur Papebrochius, approbatque Hieronymus Baſcapè in eo opuſculo, quod inſcribitur: *Ephemerides ſacræ Siciliæ*. Hæc docet Georgium martyrii palmam adeptum fuiſſe Nicomediæ, quæ civitas erat Bithyniæ longe ampliſſima, eademque ſedes ac Regia imperii Romani ab Diocletiano conſtituta. Alterius ſententiæ patroni, inter quos recenſendus eſt Petrus Parthenopenſis eccleſiæ Levita, martyrium S. Georgii Mellenæ, ſeu Melitenæ conſtituunt, quibus favent pleraque Latinorum exemplaria. Melitenæ autem vocabulo intelligendum putant urbem illam Armeniæ minoris, quam aliqui Cappadociæ propriæ finibus circumſcribunt. Qui tertiam ſententiam ſequuntur, ii Martyrologos teſtes citant, qui S. Georgii martyrium Dioſpoli, ſeu Lyddæ in Palæſtina adſcribunt.

Tres ſententiæ de loco martyrii S. Georgii.

De

Nicomediense Georgii martyrium refellitur.

De Nicomediensi martyrio Georgii Palæstini haud equidem Papebrochio assentiri possum: neque enim cum ea urbe omnes illæ notæ congruunt, quas paullo ante descripsi. Primam atque alteram Nicomediæ non deesse facile concesserim: quippe Nicomedia temporibus illis ædificiorum pulchritudine ac magnificentia, commercio, divitiis, civium & incolarum numero inter omnes Romani imperii civitates adeo emmebat, ut in ea Procerum Senatus vel frequentissimus convocari posset; neque abnuerim cum Georgii martyrio Nicomediensem Diocletiani præsentiam conjungi posse, cum ille sæpe commorari soleret in hac civitate, quam totius Romani orbis caput ac fastigium esse volebat: *Nicomediam*, ut ait Lactantius, *studens urbi Romæ coæquare*. Verum Nicomedia longius profecto abest a Palæstina, quam ut satis commode ac tuto, ferente præsertim persecutione longe omnium maxima, corpus S. Georgii in patriam, ut ipse jusserat, asportari a Paticrate posset: quæ causa fuit, ut ipsemet Papebrochius hujus sententiæ patronus martyrium Georgianum ab urbe Melitena amovendum putaverit §. 4. num. 26. *Melitene illuc* (ideſt in Palæstinam) *accedere cum sacro deposito tum cum persecutio ubique suscitabatur, idque terrestri itinere plusquam quingentorum milliarium, aut omnino impossibile fuit, aut molestiæ periculique pleniſſimum opus*. Nihilo autem expeditius vel tutius esse videbatur iter maritimum; neque enim sacrum illud depositum publicis onerariis ac navigiis sine periculo commiti poterat, neque Paticrati homini egeno, abjectæ servilisque fortunæ suppetebat, unde necessariam, qua in Palæstinam transveheretur, naviculam conduceret. Quare quod visum est Papebrochio facillimum fuisse *Georgii defuncti corpus a Nicomedia Propontidi adsita navi devehere per Mediterraneum mare usque in Joppen, indeque ad locum perscriptum portare*; ego quidem æque periculosum & difficile arbitror, atque illud e Cappadocia in Palæstinam usque terrestri itinere transferre. Præterea, quod plerique Martyrologi tradunt Georgium religionis causa interfectum fuisse in Persida, id neque Bithyniæ, neque Nicomediæ accommodari posse videtur. Nusquam enim apud antiquos Geographos invenio Persidos vocabulum eo usque provectum fuisse, ut vim suam ac potestatem in provinciam urbesque Bithyniæ extenderet, & Bithynia, seu Nicomedia Persidos nomine appellaretur.

Fundamentum martyrii Nicomediensis a Papebrochio convellitur.

Adde, quod fundamentum huic sententiæ a Papebrochio suppositum non satis habet firmitatis. Nam quod Lactantius & Eusebius narrant de quodam Christiano homine eximiæ virtutis, & animi excelsi atque invicti, qui Diocletiani edicta adversus Christianos Nicomediæ proposita discerpsit, ac tyranni sævitiam liberius, quam cautius redarguit; id Papebrochius referendum esse censuit ad Georgium martyrem ac militem, quem quidem esse putat eum ipsum, de cujus egregio facinore Auctores laudati meminerunt. Id porro causæ potissimum fuit, cur Nicomediæ Georgii Palæstini martyrium adjudicaret. Sed Papebrochii pace dixerim, ab hac sententia, quam ipse primus excogitavit, quaque Nicomediense martyrium S. Georgii suffulsit, ea me ratio potissimum avocat, quod egregius ille Christi Athleta, quem Lactantius & Eusebius summis laudibus efferunt, uno alterove post die, quam edicta erat Nicomediæ adversus Christianos persecutio, martyrium subiit. Hujus autem edicti promulgationi Diocletianus constituerat festa ipsa Terminalia, quæ intra finem mensis Februarii insigni pompa lætoque apparatu celebrari solebant: *Inquiritur* (ait Lactantius de Mort. Persec. cap. 13.) *peragendæ rei dies aptus & felix, ac potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad* VII. *Kalendas Martias*. Et paucis interjectis subdit: *postridie propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate*. Tum statim fortissimi viri factum describit, qui rei indignitate vehementer commotus, inspectante populo, nefaria edicta conscripsit ac dilaceravit; hunc porro, nulla mora interposita, *statim productum, extortum, exustum* fuisse testatur. At Georgius Palæstinus duobus fere mensibus post indictam persecutionem VII. Kalendas Martias præclaram pro religione mortem oppetiit, quippe cum omnes Hagiographi ac Martyrologi hujus martyrium in diem 23. vel 24. Aprilis conjiciant. Deinde martyr ille Nicomediensis, Diocletiano pariter Galerioque præsentibus, acerbo quidem, sed brevi celerique martyrio perfunctus, ad extremum igne periisse traditur. Ab eo autem Georgius & martyrii ratione, & mortis genere differt: hujus enim quæstioni ac suppliciis interfuit ac præsuit solus Diocletianus cum Magnentio; ejusdemque martyrium variæ & multiplices quæstiones ac pœnæ interpositæ aliæ ex aliis in septimum usque diem protulerunt; denique obtruncato capite illustris certaminis palmam tulit.

Melitenæ in Cappadocia Georgii martyrium adscribi nequit.

Hæc fere habui, quæ adversus Papebrochii opinionem de Georgiano Nicomediensi martyrio afferrem; neque vero in eorum sententiam facile concesserim, qui docent Melitenæ in Cappadocia Georgium pro Christo ad extremum usque spiritum decertasse. Ut enim alia omnia in hanc urbem conveniant, quibus veluti notis quibusdam topicis insignitum esse diximus B. Georgii martyrium; illud certe defuit, quod ex ea neque breve esset, neque facile atque expeditum iter in Palæstinam, quo grassante persecutione, sine magno periculo ingentique difficultate martyris corpus deferri posset: id quod sapienter animadvertit Papebrochius, cujus verba supra descripsimus, & huic loco iterum intexere juvat: *Melitene illuc* (in Palæstinam) *accedere cum sacro deposito tum cum persecutio ubique suscitabatur, idque itinere terrestri plusquam quingentorum milliarium aut omnino impossibile fuit, aut molestiæ periculique pleniſſimum opus*. Huc accedit, quod e multis variisque Scriptoribus Græcis, qui de Georgio Palæstino scripsere, nemo unus fuit, qui eum Melitenæ ob religionem cruciatum necatumque esse tradiderit; id solummodo scriptum invenio in Latinis codicibus, in quos ut alia permulta, sic etiam Melitinense martyrium ex Actis Georgii Salonitani irrepsisse credibile est.

Dioſpolis martyrio Georgii Palæstini nobilitata fuit.

Rejecta igitur prima atque altera sententia, necesse est, amplecti tuerique tertiam, quæ Dioſpoli Palæstinæ civitati B. Georgii martyrium adjudicat. Et vero ex illis quatuor notis supra descriptis nulla est, quæ cum hac urbe non apte cohærere videatur. Ac primum quidem Diocletiani in eadem urbe præsentia facile copulari potest cum die 23. vel 24. mensis Aprilis an. 303. quem diem Georgius martyrio suo consecravit. Etenim Diocletianus postquam nefariis edictis propositis VI. Kalendas Martias an. 303. universæ ecclesiæ bellum illud longe omnium maximum & crudelissimum indixit, sub ipsum persecutionis initium Nicomedia discessit: id adeo ex verbis Lactantii intelligi potest: *Hoc igitur scelere perpetrato, Diocletianus cum jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut vicenalium diem celebraret, qui erat futurus ad* XII. *Kalendas Decembres*. Quod autem Lactantius scribit eum *Romam statim perrexisse*, id non obstat, quominus in Palæstinam antea divertere potuerit,

Digitized by Google

quam Romam accederet. Ut enim cum verbis Lactantii veritas congruat, satis effeum Nicomedia eo consilio animoque abiisse, ut post alias peragratas provincias, suo deinde tempore, idest celebrandis vicennalibus opportuno, Romæ adesset; quare *ne statim* non ad Diocletiani in urbem adventum, sed ad ejusdem ex Nicomedia discessum referri oportet. Et sane nihil causæ erat, cur Romam ire tantopere festinaret. Siquidem vicennalium solemnia, quorum causa Romanum iter ei necessarium fuit, longe aberant; quippe non ante diem alteram & vicesimam Novembris futura erant, & satis in tempore videtur sive ad apparanda, sive ad peragenda vicennalia venturus fuisse, si sub exitum Octobris Romam venisset. Itaque cum ab ejus Nicomediensi profectione ad Kalendas Novembres septem fere menses numerentur, satis superque habuit temporis, quod in Palæstina lustranda, aliisque provinciis peragrandis impenderet. Præterea magis e re ac dignitate Diocletiani fore videbatur Romanæ profectioni moras interponere, quam celeritatem in eo itinere adhibere; neque enim ignorare poterat Romanos ab se alienatos esse, & illis quidem suam præsentiam offensioni & contemptui, sibi vero infensos eorum animos sollicitudini ac periculo futuros: id quod, dum in urbe versaretur, abunde perspectum est, quippe numquam in publicum prodibat, quin illum Romani jocis ac dictériis, asperius sane, quam licentius carperent. Itaque Romanæ dicacitatis impatiens, haud ita multis diebus, postquam vicennalia celebraverat, sese ex urbe civiumque infesto conspectu proripuit: *Quibus solemnibus celebratis*, inquit Lactantius, *cum libertatem populi Romani ferre non posset, impatiens & æger animi prorupit ex urbe &c.* Quæ igitur causa fuit, ut sub finem vicennalium statim Roma decederet, eadem esse potuit, ne citius, quam necessitas postulabat, illuc perveniret.

Cur Diocletianus Palæstinæ adierit.

Neque vero causæ deerant, cur Palæstinæ adeundæ consilium caperet. Etenim, ut quæ crudeliter atque impie adversus Christianos Nicomediæ decreverat, in ea quoque aliisque provinciis sedulo Præfecti exsequerentur, impigreque urgerent, sua illic præsentia opus esse intelligebat; præsertim cum ex illis Orientis partibus ad eum nuncii venissent, a quibus magnam illic Christianorum multitudinem esse, & sua edicta contemni acceperat. Id colligi potest ex Actis Græcis Georgianis ex Cod. Card. Bessarionis: *Cum autem ad Tyrannum variæ criminum delationes adversus Christianos undique, in primisque ab Orientis Procuratoribus venissent, quod edicta ipsius contemnerent, qui se Christianos profitebantur; quorum numerus iniri non posset, adeo ut vel in propria religione vivere ipsis permittendum esset, aut bello repente nihil ejusmodi opinantes opprimi deberent; ille his hominibus auditis, animi celans indignationem, & præ se ferens humanitatem, Præfectos omnes ad se, præcipueque totius Orientis Procuratores accersivit. Qui cum celeriter omnes convenissent, Senatu convocato &c.*

Hunc conventum habitum fuisse arbitror Diospoli, quæ urbs erat ea tempestate sane frequens ac nobilis, in qua tum civibus primariis, tum aliarum urbium ac regionum Præfectis convocatis, amplissimum Senatum cogere Diocletianus poterat, ut Nicomediensia adversus Christianos decreta confirmaret iis approbantibus, ad quos eadem exsequi pertinebat; hoc enim impensius Diocletiani mandata facturi videbantur, quod ipsimet sententiam rogati suis ea suffragiis comprobassent. Quod autem Georgius paullo ante, quam extremum obiret pro Christo certamen, Passerati, sive alii cuipiam incomperti nominis famulo præcepit, ut *domum, quam habitare solitus erat*, suum corpus deferret, id mirifice congruit cum urbe Diospoli, unde haud ita procul aberant ædes maternæ inter Diospolim & Rhamam, quas ipse relicta patria, paternoque domicilio, inde usque a pueritia incoluerat: ex quo fit, ut qui sacras illas exuvias in eum locum transferre jussus fuerat, si neque longam iter, neque multis difficultatibus periculisque obseptum ineundum esset.

Cur Diospolis in Perside apud alios sita sit.

Demum si Martyrologi urbem Georgiano martyrio illustrem in Perside locarunt, non idcirco aut illi reprehendi, aut Georgii ab Diospoli martyrium amoveri debet. Nam id causæ esse potuit, cur Palæstina, in qua erat Diospolis, Persidos vocabulo olim afficeretur, quod Persæ hanc provinciam iterum ac sæpius in suam potestatem redegerint, & e sua gente colonias illuc deduxerint. Fuit quippe in more positum, institutoque Principum ac populorum, ut quas in provincias imperium suum protulissent, gentemque propagassent, nova ex se vocabula eisdem impertirent. Cujus quidem consuetudinis exempla non solum vetera, sed etiam recentia proferre possum. Certe in varias Indorum regiones Hispaniæ, Galliæ, Angliæque appellationem, patrum nostrum memoria, invectam fuisse accepimus; quod ex illis regionibus alias Hispani, alias Galli, alias Angli suo imperio adjunxerint. Hungariæ nomen, quod latissime patet, partem Illyrici hodierni multo maximam complectitur; eique interdum subjici solet Interamnia, Servia, Bossina, Chrobatia, olim quippe Hungari in his provinciis, quas sibi subegerant, & Principatum obtinuere, & rerum suarum sedes ac domicilia collocarunt. Nostra vero Dalmatia omnium fere earum gentium vocabula subiit, a quibus vel novos incolas, vel imperii jura legesque accepit. Hinc fit, ut alias Serblia, alias Slavonia, alias Chrobatia, alias aliter apud veteres Geographos appelletur.

Verisimilius est in aliqua Phœnicia vel Ægypti urbe Georgium martyrio affectum.

Cæterum, ut, quod sentio, ingenue fatear, neque Diospoli, neque in ulla Palæstinæ civitate mihi videtur statui posse Georgii martyrium, si Menæorum, & Veneti Codicis auctoritate stare velimus; utrobique enim traditur martyris corpus *in Palæstinam* ad maternas ædes transportari jussum, quod indicio est cum extra Palæstinam martyrio esse perfunctum. Quocirca Georgiani certaminis ac supplicii locum verisimilius constitui posse arbitror in aliqua parinsigni vel Phœniciæ, vel Ægypti urbe Palæstinæ finitima, unde ad sacrum illud depositum transferendum via neque longa esset, neque difficilis. Martyrologi vero, qui Diospoli in Perside Georgii nomen & commemorationem adjiciunt, non ad ejus martyrium, sed ad ejus templum, sepulchrum, cultumque prope ab ea urbe longe celeberrimum spectasse dici possunt.

Hactenus de urbe ac provincia, quam Georgius Palæstinus egregio martyrio illustravit. At si Georgius religionis causa mortem oppetiit Diospoli, vel certe non longe a Palæstina, quorsum pertinet Melitena, seu Mellena illa, cui pleraque Latina exemplaria B. Georgii martyrium adscribunt? Omnia & singula, quæ Latinis hisce codicibus continentur, equidem probare non ausim; sed neque mihi tantum licentiæ vel potius audaciæ permiserim, ut ab illis ulla in re temere ac sine causa dissentiam. Porro si Græci Latinique Scriptores, ubi discrepare videntur, conciliari inter se possint, nihil sane est, cur alterutris fidem abrogemus. Utrosque autem conciliandi ratio in promptu est, si quod Græci tradunt de martyrio in urbe finiti-

Digitized by Google

finitima Palæſtinæ ad Georgium Palæſtinum; quod vero Latini docent de martyrio apud Melitenam, ad Georgium Salonitanum referamus. Igitur Melena, ſeu Melitena, ideſt Corcyra Melæna, vel Melita, inſula utraque & civitas Dalmatiæ, quæ Georgii noſtri patria fuerat, eadem illi palæſtram præbuit, in qua pro Chriſtiana religione decertaret: id quod præclare congruit cum Latinis ſcriptoribus, qui, Papebrochio teſte, *Melitonæ*, aut *Melinæ*, ſeu rectius *Melitinæ adſcribunt non ſolum ſancti natalem in terris, ſed etiam glorioſiorem illum, quo in cœlis natus eſt martyr*. Ita fit, ut & Latinorum exemplarium auctoritas ſarta & tecta maneat; & omnis hac de re, quæ Græcis cum Latinis intercedere videtur, diſcrepantia tollatur.

Martyrii Georgianum, quod Latini Melitenæ ſeu Melitenæ adſcribunt, referendum ad Georgium Salonitanum.

Quamquam autem Georgius noſter extremum pro Chriſto agonem obierit in inſula & urbe Dalmatica ſive Melita, ſive Melæna; illud tamen vero propius eſt eumdem Salonæ comprehenſum eſſe, ubi tum aderat, in eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem, commiſſique ſibi gregis cuſtodiam incumbens; in eaque urbe varias ac multiplices quæſtiones ſubjiſſe, & alia ex aliis pertuliſſe ſupplicia, antequam in eam inſulam, capite plectendus, duceretur: argumento eſt, quod Alexandra Imperatrix, cujus ad Chriſtum converſionem Georgio noſtro attribuendam cenſemus, præſtantiſſimi hujus martyris invicta conſtantia, & miraculis permota, Salonæ Chriſtianam fidem ſuſceperit, ut ſuo loco explicabimus, & ibidem una cum Georgio capite damnata eſt. Porro e martyrum hiſtoriis exempla quamplurima ſuppetunt, quibus docemur ſæpe accidiſſe, ut illuſtres Chriſti Athletæ præclarum pro religione certamen alibi inchoarent, alibi conficerent: cui rei teſtimonio eſſe poteſt Roma ipſa, martyrum quam Imperatorum triumphis nobilior, quæ tot egregios Chriſtianæ fidei propugnatores, alias ad oſtia Tiberina, alias ad inſulam Pontiam, alios alio necandos amandavit. Quinimmo ſatis conſtat olim inſulas quaſdam extremo Chriſtianorum ſupplicio deſtinatas fuiſſe, quæ cum eſſent martyrum victoriis ac palmis nobilitatæ, ex eo nominari ſolebant Palmariæ. Ad hanc igitur conſuetudinem referri poteſt martyrium Georgii Salonitani Epiſcopi Salonæ inchoatum, & apud Melitam vel Melænam inſulam Dalmatiæ abſolutum; illic ſiquidem captus eſt, atque in vincula conjectus, variiſque tormentorum generibus excruciatus; hic vero extremo propter Chriſtum ſupplicio affectus, glorioſi certaminis præmium tulit.

Georgius noſter Salonæ comprehenſus & excruciatus;

Melitenæ martyrii confirmatio.

Verum enimvero Dalmatico Georgii noſtri martyrio objici poteſt auctoritas codicis Roſweydani, qui tradit Alexandram Imperatricem, itemque Georgium Nicomediæ religionis cauſa objiſſe. Siquidem Diocletianus, ut narrat hujus hiſtoriæ auctor, cum graves de Galerio ſemel iterumque a Perſis profligato nuncii Romam veniſſent, maximo, & fortiſſimo exercitu coacto cum Alexandra uxore Nicomediam ire feſtinavit. *Ille*, inquit, *quam potuit maximo validiſſimoque exercitu Roma egreſſus Nicomediam pervenit, ſuam ſecum uxorem ducens Alexandram nomine, ut ambo videlicet filiam ſuam Maximiani conjugem coram poſſent aſpicere.* Et paullo infra ſcripſit Diocletianum & Galerium, re cum Perſis feliciter geſta, Nicomediam rediiſſe; ubi poſt perſecutionem ſolemni formula atque decreto eccleſiæ univerſæ indictam, Georgium multimodis acerbiſſimiſque ſuppliciis excarnificatum, capite plecti cum Alexandra juſſit: *Dæmonum cultor ille* (Diocletianus) *e Palæſtina Nicomediam una cum eo* (Galerio) *ſe recepit, falſorum numinum auxilio victoriam adſcribens* &c. & ſub finem hiſtoriæ; *Venerande reliquiæ Nicomedia Dioſpolim Palæſtinæ urbem* (quæ matris ejus patria fuit) *poſtea exportatæ ſunt* III. *Novembris*. Igitur aut Alexandram Impiam, quæ in hoc codice Nicomediæ martyrium adepta eſſe legitur, ab Georgio noſtro, quem in Dalmatia cæſum eſſe dicimus, disjungi, aut martyrium utriuſque in urbe Nicomedienſi conſtitui oportet.

Verum, ut ſuperiori capite diximus, auctor codicis Roſweydani paucis verbis multa peccaſſe convincitur. Primum quidem, quod commune cæteris Georgianæ vitæ ſcriptoribus peccatum eſt, Salonitanum confundit cum Georgio Palæſtino, & huic Alexandræ converſionem attribuit, Acta utriuſque permiſcens; deinde contra quam ſupra oſtendimus, docet Georgium Palæſtinum Nicomediæ mortem objiſſe; tum Romam de clade a Perſis accepta allatum eſſe Diocletiano ſcribit, quem conſtat & cum vinceretur, & cum vinceret Galerius, in Orientis partibus ſubſtitiſſe, ut Lactantius & alii docent; demum Perſicæ expeditioni ac victoriæ tum perſecutionem univerſalem ſubnectit, cujus initia nemo ante ſecundum, vel tertium quarti ſæculi annum conſtituit; tum Georgii martyrium ſtatim adjungit, quod neutri Georgio congruere poteſt; noſter ſiquidem uno fere anno ante bellum Perſicum, alter vero indicta jam univerſali perſecutione martyrium ſubiit. Non hæc eo dico, quo fidem omnem & auctoritatem Roſweydano codici abrogandam putem; multa quippe in eo narrantur, quæ ad Georgium noſtrum pertinent, nobiſque uſui erunt, & cum Actis Diocletiani Romanaque hiſtoria facile conciliari poſſunt; quin veniam huic auctori dandam cenſeo, quod eadem, quæ cæteri, ferme neceſſario peccaverit, communique in errore verſetur, ex quo in alios deinceps errores labi neceſſe fuit. Semel enim confuſis permixtiſque utriuſque Georgii Actis, fieri nequit, quin locorum, rerum, temporum perturbatio ſequatur, & magna confuſio.

Codex Roſweydanus explicatur & corrigitur.

Cæterum quæ is Auctor ſcripſit de Diocletiani ex urbe diſceſſu, conflatoque ex Italico delectu adverſus Perſas alioſque barbaros exercitu, ea cum Georgio noſtro, & hiſtoria illorum temporum, quadam correctione adhibita, componi poſſunt. Non igitur clades Galeriana, quæ poſt annum accidit, ſed Achilleus, qui jampridem Alexandriæ tyrannidem occupaverat, itemque fama Perſici belli, quod Romanis imminebat, Roma Diocletianum cum Italicis copiis evocavit. Cum itaque anno 296. ineunte exercitum Nicomediam traducere decreviſſet, eo ſecum Alexandram conjugem ſuam deduxit, ut ambo Valeriam Galerii conjugem Diocletiani quidem filiam, ſed Alexandræ privignam longo intervallo reviſerent. At ſi Diocletianus Roma cum exercitu profectus iter Nicomediam intendit, non ſequitur, ut nuſquam ex itinere diverteret, & nullas uſpiam moras Nicomedienſi profectioni interpoſuerit. Nam primum ex Italia exercitum in Dalmatiam trajecit, ubi unum alterumve menſem commoratus eſt, quo tempore alterum ex Illyriis exercitum conſcripſit. Deinde anno 296. inito jam vere e Dalmatia cum Italico, & Illyrico exercitu diſcedens Nicomediam ire perrexit; ubi copias bifariam diviſit; & alterum exercitum tradidit Galerio, cui bellum Perſicum gerendum dedit; alterum ipſe in Ægyptum adverſus Achilleum tranſtulit. Interea vero dum Salonæ ad Ægyptiacam & Perſicam expeditionem ſubſidia comparat, Georgium & Alexandram religionis cauſa necari juſſit. Eo quidem conſilio Roma diſceſſerat, ut Nicomediam adiret, eoque ſecum Alexandram perduceret,

Digitized by Google

ut docet codex Roſweydanus; ſed tum Alexandræ converſio, tum aliæ ſubinde res Nicomedienſem profectionem retardarunt. Anno 297. Achilleus interfectus, & cum Perſis debellatum eſt; neque tamen eodem aut proximo anno, quemadmodum in eodem codice legitur; verum ſexto poſt anno Diocletianus & perſecutionem univerſalem indixit, & Georgium Palæſtinum ob religionem interfecit. Sed hæc tum §. IV. hujus capitis, tum in Actis Diocletiani paullo diſtinctius, & copioſius.

§. III.

De multiplici ſepulchro Georgiano.

SEquitur, ut paucis oſtendam ex iiſdem Actis confuſis atque permixtis intelligi poſſe alibi Salonitanum, alibi Palæſtinum Georgium ſepultum fuiſſe. In Latinis codicibus, in quibus longe plura ſunt, quæ ad noſtrum, quam quæ ad Georgium Palæſtinum pertinent, nihil prorſus de illius ſepultura ſcriptum invenio. Id porro cum Latini ſcriptores ſilentio prætermiſerint, argumento eſt eum eadem in regione conditum fuiſſe, ubi extremum pro Chriſto certamen obierat; quod cæteris fere martyribus commune fuit. Si enim Georgii corpus indidem translatum fuiſſet, ut alibi ſepulturæ mandaretur, id profecto erat ſingulare ac notatu dignum, quod ab accuratis ſcriptoribus tacite præteriri minime debuiſſet. Itaque admodum veriſimile eſt Georgium Salonitanum apud Melitam vel Melænam interfectum pariter & ſepultum eſſe; ubi vero, extinctis tyrannis, perſecutio conquievit, primum Salonam, deinde paucis poſt annis in Iſtriam delatus eſſe videtur; ut alio loco dicturi ſumus.

Ubi Georgius Salonitanus?

Ubi Georgius Palæſtinus?

At Georgio Palæſtino longe aliud ſepulchrum obtigit, idemque a Dalmatia locorum intervallo prope immenſo diſjunctum. In aliquibus Georgianæ hiſtoriæ Græcis exemplaribus, ubi, ſi pauca quædam excipias, omnia fere ad Palæſtinum Georgium referuntur, traditur B. Georgius id famulo ſuo potiſſimum mandaſſe, ut corpus ſuum in eam urbem transferret, in qua ipſe educatus fuerat, habueratque ſuum domicilium; quippe in Veneto Beſſarionis codice, cujus epitomem confecimus, quemque omnibus præferendum Papebrochius cenſuit, B. Georgius puerum ſuum ad hunc modum alloquitur: *Poſtquam igitur ex hac vita migravero, accepto hoc meo miſero corpore, quemadmodum ante diſceſſum meum ſtatui, itineris tui duce Domino, domum, quam habitare ſoliti ſumus, prope Palæſtinam contende* &c. Nec Menæa diſſentiunt: *juſſit autem, atque eidem impoſuit, ut poſt ſuum deceſſum corpus ſuum acciperet, ac domum habitationis ſuæ in Palæſtinam transferret.* Extat in Phœnicia haud ignobile oppidulum, quod ab urbe Ptolemaide quinque leucarum ſpatio in Orientem diſtat, & *Caſale S. Georgii* vulgo appellatur. Hic aſſervari exuvias S. Georgii ajunt incolæ, & contendunt ſepulchri Georgiani fidem facere tum nomen ab Georgio jam inde antiquitus inditum huic oppido, tum vetus & illuſtre templum huic martyri ibidem conditum. *Aſt longe videtur veroſimilius eſſe*, inquit Papebrochius, *quod tali appellationi primam dederit occaſionem inſigne S. Georgii templum, eo loci ædificatum, & miraculis illuſtratum; & ab hoc factum quoque eſſe, ut tota vallis S. Georgii nomine cenſeatur.* Præterea loci poſitio neque cum Menæis, neque cum Actis Georgianis congruit. In iis quippe diſerte traditum eſt corpus S. Georgii delatum fuiſſe in Palæſtinam ad eum locum, quem ipſe cum matre incolere ſolebat. At *Caſtrum* ſeu *Caſale* S. Georgii extra Palæſtinam ſitum eſt in Phœnicia; & ibi quidem genitus eſt, ſed inde admodum puer poſt parentis obitum, migravit cum matre in Palæſtinam, materniſque in ædibus habitavit.

Alii vero Georgium Dioſpoli conditum ferunt. Hæc urbs introrſum a mari millia paſſuum circiter viginti ab Joppe in Orientem diſtat, quam Lyddam vocant Menæa, S. Antoninus, Maurolycus, Galeſinius apud Finicchiarum: nam, ut docent Ortelius, Ferrarius, Papebrochius, quam urbem Joſeph Hebræus, & Stephanus, aliique Dioſpolis nomine afficiunt, eamdem Ptolemæus, Theodoretus, itemque alii Lyddæ vocabulo appellant. Nec deſunt, qui corpus & ſepulchrum S. Georgii Rhamæ adjudicent, quæ proprior mari, quam Dioſpolis, ab hac autem millia paſſuum fere duodecim abeſt; eratque olim civitas ſane ampla & frequens; ſed nunc ita contracta eſt, & adducta in anguſtum, vix ut priſtinæ amplitudinis ac frequentiæ veſtigium aliquod retineat.

Dioſpoli & Rhamæ interjacet templum Georgii Martyris pervetuſtum, idemque magnificentiſſimum, ubi illum indigenæ ex majorum traditione ſepulturæ mandatum perhibent. Hanc inveteratam indigenarum de Georgii corpore apud ſe condito opinionem confirmat tum antiqua loci religio, tum loculus, quem oſtentant, quoque Martyris exuvias contineri dictitant; tum denique templum illud Georgianum longe auguſtiſſimum, quod alii a Conſtantino Magno, alii ab Juſtiniano Imperatore exſtructum eſſe tradunt; quod cum everſum fuiſſet a Saracenis ſub initium duodecimi ſæculi, reſtitutum eſt a Latinis intra finem ejuſdem ſæculi, iiſdemque quibus antea nitebatur fundamentis ſuperpoſitum. Huc accedit, quod loci poſitio egregie cohæret cum Actis & Menæis; nam ſitum eſt hoc templum in Palæſtina, quo ipſemet Martyr ſuum corpus transferri juſſerat; & hic videtur patria fuiſſe Matris S. Georgii, qua cum ipſe commoratus eſſe dicitur in domo materna, donec e pueris excederet, atque e domeſtica diſciplina ad exercitum Diocletiani, atque in militiæ diſciplinam proficiſceretur. Quocirca martyris ſepulchrum in eo loco, cui itidem Georgiæ nomen eſt, ab Turcis Chriſtianiſque eximia veneratione colitur; huc enim hodieque fiunt undique peregrinorum etiam Turcarum concurſus, Martyris nomen & ſepulchrum celebrantium: quod Joannes Cottovicus lib. 2. Itiner. pag. 137. his verbis declarat: *Et quamquam omnia nunc fere procumbant* (Latinis enim Paleſtinæ poſſeſſione depulſis templum magna ex parte, vetuſtate & incolarum incuria collapſum eſt,) *ipſa tamen, quæ manent, reliquiæ tam Chriſtianis, quam Mahometanis maximæ venerationi ſunt. Nam quicunque ex Mahometanis Mecam peregrinantur, ſi per Palæſtinam reditus, devotionis ergo huc veniunt, precibuſque Deo factis, largas erogando eleemoſynas Martyris ſepulchrum honorant.* Laurentius Finicchiarus tradit Georgii reliquias primum quidem in ejus patriam, ideſt Caſtrum S. Georgii per Paſicratem relatas fuiſſe; deinde vero anno quarti ſæculi 28. in alteram Georgianam Palæſtinæ, quæ matris patria fuit, tranſvectas III. Nonas Novembris; conjecturæ loco eſſe poteſt, quod in Menæis ad diem tertium Novembris & *dedicatio templi Megalomartyris Georgii, & depoſitio S. Corporis adſcribitur.*

Ex Guillel. Tyrio lib. 7. cap. 22. & Rodulpho Glabro lib. 3. c. 7.

Cæterum quæ de Dioſpolitano vel Rhamenſi S. Georgii ſepulchro controverſia eſt, facili negotio componi ac dirimi poteſt. Nam utraque civitas æquo propemodum jure S. Martyris corpus & ſepulchrum

chrum ſibi vindicant, ſuaque in poteſtate eſſe contendunt; nam templum illud, in quo Georgius conditus eſt, utrique urbi interjectum, prope abeſt utrinque, nec ſatis liquet utrius civitatis ditioni attribuendum ſit; præſertim cum Latini rerum olim in Palæſtina potiti unum eumdemque Epiſcopum duobus illis oppidis præfecerint, & Dioſpolitanos ac Rhamenſes cives eccleſiaſtici juris ac principatus communione conſociaverint; ac proinde quidquid agri Dioſpolim inter ac Rhamam interjacet, utriſque commune eſſe videtur.

§. IV.

De temporum diſcrepantia.

Georgiani martyrii epocha diverſa in Græcis atque Latinis codicibus.

QUi Georgianæ hiſtoriæ exemplaria Latina pariter & Græca paullo attentius legat, & alia cum aliis conferat, is facile deprehendet duas chronologicas notas, eaſque inter ſe longe diverſas, quibus B. Georgii martyrium inſignitum apparet. Altera quarti ſæculi initium, altera tertii ſæculi labentis annos extremos deſignat. Ac Latini quidem codices utramque conjungunt, quamvis eas plurium annorum intervallum diſcriminet, quam ut inter ſe coire ullo modo poſſint; Græci vero fere omnes priorem tantummodo epocham exhibent, cui Georgii martyrium innectunt.

Itaque in omnibus apographis Græcis, & in Latinis pleriſque in ipſo aditu veſtibuloque hiſtoriæ præfigitur deſcriptio teterrimæ illius tempeſtatis, quæ Diocletiani edictis concitata magnas ubique ſtrages edidit, & univerſam eccleſiam fœdum in modum pervaſtavit. Ut reliquos omittam, vel unus codex, idemque probatiſſimus, quem Aloyſius Lipomanus e Mſſ. Cardinalis Beſſarionis in lucem protulit, teſtimonio eſſe poteſt: *Diocletianus Romanorum Imperator ſceptris indigne potitus . . . . .* Epocha perſecutionis univerſalis Diocletianeæ. *Statim igitur arma, quæ adverſus ſcelera comparata ſunt, in homines innocentes exerceri, & in omnes provincias edicta cædis plena mitti cœperunt. Videre licebat carceres adulteris, & ſicariis, & flagitioſis hominibus vacuos, eorum autem, qui Chriſtum Deum ac Salvatorem faterentur, plenos; videre licebat veteribus & uſitatis cruciatuum generibus, tamquam levioribus, repudiatis, graviora quædam excogitari, quibus plurimi quotidie Chriſtiani paſſim afficiebantur.* Eodem Proœmio fere omnes utuntur, qui Græce vel Latine Acta S. Georgii litteris mandarunt. Nemo autem non videt verbis hiſce deſignari tempus illud plenum timoribus ac cædibus, cum Diocletianus in univerſam eccleſiam furorem omnem, jamdudum intimo odio, & corde conceptum effudit, qui ad eum diem vix ejuſdem animo contineri potuit, quin identidem in Chriſtianorum perniciem erumperet. Nullum antea contra nos edictum univerſale aut legem ſanxerat, qua vel bonis mulctari, vel exiliis, ſuppliciis, ac morte affici omnes omnino juberentur, qui neglecto ac poſtabito inanium Deorum cultu Chriſtianam religionem colerent; quamquam interea divinæ legis abolendæ nullam occaſionem prætermitteret, atque in iis provinciis, in quibus ad tempus commorari ſolebat, ſæpe Chriſtianos acerbiſſime divexaret, eorumque permultos e medio tolleret. Cum vero eccleſiæ univerſæ bellum inferre decrevit, tum primum immania ac nefaria contra omnes edicta propoſuit, juſſitque per ſingulas Romani orbis provincias circumferri, ut omnes Præfecti & Magiſtratus, quaſi quodam ſigno dato, uno tempore, uno impetu undique in Chriſtianos irruerent. Hac porro tempeſtate, cujus initium ad tertium quarti ſæculi annum revocari oportet, Georgium Palæſtinum ſublatum eſſe omnes conſentiunt. Nam, ut ait Papebrochius, *ex ipſis Actis conſtat S. Georgium primo ſtatim die, quo publice affixum pependit decretum, concepiſſe animo martyrii experiundi voluntatem.* Idem Papebrochius hanc præclaram notam ad Proœmium Georgianæ hiſtoriæ appoſuit: *Longum illud Proœmium de perſecutionis decimæ acerbitate non ex antiquis de S. Georgio membranis acceptum, ſed ex auctoris ingenio totum ſumptum videtur. Etſi enim non dubitemus, ſitque apud omnes teſtatiſſimum, quod perſecutio illa fuerit omnium acerbiſſima; non tamen talis fuit ſtatim a primis ſuæ indictionis diebus . . . . Igitur promiſcua illa Chriſtianorum laniena, quæ in exordio exaggeratur, nondum exerceri cœpta erat, quando pro fide certavit Georgius; ſed ejus paſſionem eſt ſubſecuta.*

Georgii Palæſtini martyrii ad initia perſecutionis revocandum.

Cum hac univerſalis perſecutionis epocha Latini ſcriptores alteram conjungunt, quæ illam annis fere duodecim antecedit. Nam codices Lateranenſis, & Veronenſis, aliique, quos olim in eccleſia pro concione recitari ſolitos fuiſſe teſtatur Baronius in notis ad diem 23. April. *annum paſſioni* (Georgianæ) *adſcribunt ducenteſimum nonageſimum;* & præterea hunc annum cum Marcellini Pontificatu, licet minus apte, connectunt; neque enim Marcellinus ante annum nonageſimum ſextum tertii ſæculi Romanæ eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit. In iiſdem vero ſi non omnibus, certe pleriſque codicibus ea de Chriſtianorum ſuppliciis ac cædibus narrantur, ut ſatis appareat eorum Auctores alludere voluiſſe ad tempus univerſalis perſecutionis ab Diocletiano indictæ, quæ ſane cum anno 290. vel cum inſequentibus deinceps annis tertii ſæculi cohærere nequit. Neque a Latinis exemplaribus hac de re valde diſcrepat codex Roſweydanus, quem nos ſecluſa utriuſque Georgii permixtione, & correctione quadam adhibita, haud parvi faciendum putamus. Is quippe docet Georgium ſub indictam univerſalem perſecutionem interemptum eſſe, & ſimul eam notam chronologicam Georgiano certamini adjunxit, quæ aliquot annis perſecutionem antecedit; nam Perſicæ expeditioni tum Georgii martyrium, tum perſecutionis initia proxime ſubnectit: quæ duo cum victoria de Perſis relata tempore conjungi nequeunt. Satis enim conſtat ſexto ante anno debellatum eſſe cum Perſis, quam Diocletianus bellum illud longe immaniſſimum toti eccleſiæ ſolemni formula indiceret; ac proinde Euſebium falli oſtendit Pagius, qui in Chronico Perſis illatam per Galerium cladem tertio quarti ſæculi anno ſubjecit, quam retrahendam eſſe ad annum 97. ſæculi ſuperioris, auctores fere omnes docent. Auctor igitur hujus codicis in eo cum Latinis conſentit, quod ante finem tertii ſæculi martyrium S. Georgii collocaverit; in eo cum iiſdem errat, quod initia perſecutionis univerſalis, cum eodem martyrio intra finem ejuſdem ſæculi conſtituto copulaverit.

In Latinis exemplaribus Georgianum martyrium an. 290. affixum.

Perſecutio univerſalis Galeriana de Perſis victoria longe poſterior.

Ex iiſdem Actis Græcis juxta Latiniſque duas alias epochas colligi licet, quæ inter ſe conciliari nequeunt, ſi referantur ad Georgium Palæſtinum, anno tertio quarti ſæculi poſt univerſalem perſecutionem indictam religionis cauſa interfectum. Qui vitam & martyrium S. Georgii litteris ſive Græcis, ſive Latinis tradiderunt, ii fere omnes ejus conſtantiæ ac miraculis Alexandræ Imperatricis ad Chriſti cultum traductæ, & pro Chriſto interemptæ laudem attribuunt; ex quo fit, ut eodem tempore uterque pro religione mortem ſubierit. Atqui dubium eſſe non poteſt, quin Alexandra multo ante obierit, quam Diocletianus toto terrarum orbe

Martyrii Georgiani cohærere nequit cum perſecutione univerſali, & converſione Alexandræ.

Digitized by Google

Christianos persequi aggrederetur, & Georgius Palæstinus vitam pro Christo profunderet: quo enim tempore persecutio illa exarsit, Diocletianus, ut auctor est Lactantius, Priscam uxorem habebat; quæ quidem vel tertia ejusdem conjux fuit, vel eadem est ac Serena illa vetus & prisca uxor, quam in primo matrimonio habuerat, & quod nullam ex ea virilem prolem suscepisset, idcirco repudiarat, eamque fortassis, extincta Alexandra, in thori societatem recepit; qua de re alibi satis multa. Itaque Alexandræ martyrium cum martyrio Georgii Palæstini copulari nequit.

Habes igitur duas epochas septem aut plurium annorum intervallo disjunctas, alteram postremis tertii sæculi annis, alteram tertio quarti sæculi anno affixam; utramque vero, si Actis Georgianis fides habenda sit, Georgii martyrio insignem, cum cæteroquin unius ejusdemque Georgii mors utrique innecti non possit. Verum salva Actorum fide & auctoritate, quæ videntur inter se pugnare, facile conciliaveris, si duos Georgios fuisse dixeris, quorum Acta sub unius nomine feruntur, & suam cujusque martyrio epocham assignaveris. Quæ igitur animo objiciunt imaginem turbulentissimæ illius tempestatis, quæ longe lateque pervagata in universam ecclesiam incubuit, ea ad Georgium Palæstinum referri oportet, atque ex iis elici chronologicam notam, qua ejusdem martyrium obsignetur; eum quippe anno 303. martyrii palmam adeptum fuisse tradunt plerique scriptores, quorum sententiæ subscripsit Papebrochius. Quæ vero Georgii martyrium anno tertii sæculi circiter nonagesimo innectunt, vel Persico bello subjiciunt, vel cum Alexandræ conversione ac martyrio conjungunt, ea omnia pertinent ad Georgium Salonitanum; ex quo sequitur duas illas epochas in Actis Georgianis descriptas, cum inter se coire, & in unum Georgium concurrere non possint, dividi oportere, & alteram quidem Salonitani, alteram indictæ universalis persecutionis nota insignem Georgii Palestini martyrio attribui.

Cum igitur Georgii Episcopi martyrium ad finem tertii sæculi labentis revocandum sit, nunc investigari necesse est certum illum definitumque annum ejusdem sæculi in exitum vergentis, quo cum ejus martyrium apte colligari possit. Auctor Rosweydani codicis Persicæ expeditioni & victoriæ, quæ incidit in annum 297, Georgii necem subnexuit; id quod secuti pugnat cum Georgio Palæstino, ita non videtur cohærere posse cum Salonitano; illius quidem citius, hujus vero serius, quam oportuit, martyrium constituit. Diocletianus una cum Daciano Præside & quæstionem adversus Georgium Episcopum exercuit, & varia eidem supplicia decrevit, ut ex Actis Latinis colligitur. In eum igitur annum Georgii martyrium inciderit oportet, quo Diocletianus pariter & Dacianus Salonæ aderant. Hunc porro annum elici posse arbitror ex Actis Rosweydanis, in quibus scriptum invenio Diocletianum ingenti comparato exercitu, cum Daciano, & duobus aliis primariis viris, Roma profectum fuisse in Orientem, ut Persas Romanis provinciis infestos averteret; adde etiam, ut Achilleum Ægypti tyrannum opprimeret. Hic Diocletiani & Daciani ex urbe discessus contingere nequiit ante finem anni 295. vel post initium anni proximi 296. nam anno 295. Romæ Diocletianum fuisse docent Acta S. Susannæ, quam idem Imperator obtruncari jussit an. 295. III. Idus Augusti. Itaque Diocletianus copias Italicas in Orientem traducturus cum Magnentio, Theognide, & Daciano viris primariis, ut scriptum est in codice Gallico. Rosweydi, exeunte anno 295. vel ineunte an. 296. in Dalmatiam trajecit; ubi exercitu in hiberna dimisso, alium exercitum ex Dalmatia & Illyricis provinciis collegit. Interea Dalmatas Christianos persequi haud destitit, in quos ut inquireret atque animadverteret, Daciano negotium dedit. His autem temporibus, cum Diocletianus itemque Dacianus in Dalmatia ac Salonæ versabantur, Georgii Salonitani Episcopi martyrium innectendum censeo, qui una cum Alexandra Imperatrice, quam secum Diocletianus Nicomediam perducere decreverat, capitalem sententiam subiit anno 296. intra finem Aprilis mensis. Majo autem ineunte Diocletianus cum utroque exercitu Italico & Illyrico Nicomediam proficisci properavit. Huic potissimum anno propterea illigandum puto Georgii Episcopi martyrium, quod alium annum haud invenio, cui aptius cohæreat Salonitana tum Diocletiani, tum Daciani commoratio. Quod autem in codicibus Lateranensi & Veronensi Georgius occisus esse dicitur *anno ab Incarnatione Domini fere ducentesimo nonagesimo primo*; itemque apud Petrum Parthenopensem, & Thomam Turgillum *circa annum* Domini 290, id non obstat, quo minus revocari possit ejus martyrium ad annum 296. Neque enim veteres scriptores temporum supputationem nimis exigue & exiliter ad calculos vocant, & integris potius ac solidis, quam fractis numeris & imminutis, ad explicandos temporum ordines utuntur; præter quam quod particulæ illæ *fere* & *circa*, quas ad eam temporis notam apponunt, satis indicant noluisse illos Auctores B. Georgii martyrium, certo definitoque anno affigere, sed integrum cuique relinquere in posteriores annos Georgiani martyrii epocham trajicere.

Georgii Salon. martyrii anno 296. affigi oportet.

Alteram temporis discrepantiam in iisdem Actis videre licet, quæ ad Georgii ætatem pertinet. Si Græcos Auctores consulimus, tum Georgius martyrium subiit, cum vigesimum fere & secundum annum agebat. Contra vero Latini Scriptores exhibent nobis hominem id ætatis auctoritatisque, ut & grandior natu, & Episcopali dignitate præditus fuisse videatur. Nam quæ sunt Episcoporum partes, eas ipse sibi sumit; sui quippe muneris atque officii esse ducit adversus hostes Christiani nominis in aciem prodire, palam libereque se Christi cultorem ac testem profiteri, Christiano gregi laboranti opem ferre, & pro *ovibus suis*, si necesse sit, vitam & sanguinem profundere. Operæ pretium est ipsum audire: *Væh nobis*, inquit, *inaniter Christi nomen gerentibus! Ut quid enim nati sumus, videre conculcatam Christianam religionem, & penitus silentes quasi consentire videamur, dicente Apostolo, non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus; digni efficiuntur morte perpetua. Ubi est illud Evangelicum: Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis? & qui me confessus fuerit* &c. Ad hunc modum loquentem Georgium, seque ipsum excitantem inducit codex Lateranensis, itemque Veronensis.

Secunda temporum discrepantia, ex ætate ceriusque Georgii desumpta.

Eodem pertinet, quod apud aliquos Georgianæ vitæ scriptores Georgius Alexandram Augustam filiæ vocabulo compellat, & contra idem Georgius ab Alexandra honorificentissimo patris vocabulo afficitur; qui tituli cum summæ adversus alterum reverentiæ, tum paternæ in alterum auctoritatis indices, abhorrent illi quidem a Georgio Palæstino admodum juvene, qui Alexandræ loco parentis per ætatem esse non poterat; præclare vero conveniunt in Georgium Salonitanum, qui annis cum longius esset provectus, idemque Episcopali dignitate emineret, Christianorum pater jure ac merito

haberi

haberi dicique potuit. Itaque ætatis Georgianæ discrepantia indicio est duos in iisdem Actis confundi permiscerique Georgios, Palæstinum, & Salonitanum; quorum primus vix annos natus duos & vigioti, alter major ætate, idemque in altissimo ecclesiasticæ Hierarchiæ gradu constitutus pro Christo decertavit.

§. V.

De discrepantia martyrii Georgiani.

HIc martyrii nomine intelligi velim non solum genus illud supplicii, quod præclaris Christi athletis pœnarum finem & immortalis vitæ initium attulit, quove martyrium perficitur; sed præterea multos illos multigenerum cruciatus, quos quisque testificandæ religionis causa sustinuit. Fateor equidem eodem lethi genere ideſt capitis obtruncatione utrumque Georgium interiisse; neque abnuerim ex iis, quæ uterque pertulit tormenta, antequam capite plecterentur, nonnulla fuisse alteri cum altero paria & communia; sed in eo ferme variant Georgianæ historiæ exemplaria, quod in iis multæ ac diversæ suppliciorum species, in aliis alio referantur, quæ Georgius pertulisse dicitur, priusquam capitalem sententiam subiret: non est autem verisimile, tam varias ac multiplices pœnas uni eidemque martyri illatas fuisse, siquidem audiendi sunt acutiores Critici, quibus pœnarum varietas & multiplicitas, depravatorum Actorum indicio est: ex quo fit, ut eas in duos distrahi, & suas cuique attribui oportet: nec Georgio Palæstino injurius censeri debet, qui rerum ac tormentorum, quod illi superfluit atque incommodat, in alium rejiciat.

Uterque Georgius capite damnatus,

sed ante supplicium capitale alius aliis cruciatibus affectus.

Porro triplex genus Actorum esse video, quæ sub nomine Georgii feruntur. Ad primum genus ea revocari possunt, quorum Auctores quidquid de utroque Georgio litteris ac memoriæ proditum invenere, id omne nullo discrimine delectuve habito in unum Georgium congesserunt; eumque ne id quidem satis materiæ esse ducerent, ex qua celeberrimi hujus martyris historia pro dignitate confici posset, multa præterea ex Actis aliorum Martyrum cognominum surripuisse videntur, quæ sub nomine Georgii Palæstini in publicum emitterent; ut satis appareat, iis non tam cordi fuisse, ut vera, aut verisimilia, quam ut multa & admirabilia de Georgio scriberent. In hanc primam Actorum Georgianorum classem referri licet Gallicanam, ut Papebrochius vocat, Legendam, & quæ indidem paullo contractius descripta est, Vallicellianam historiam; quibus addi potest codex Roswcydanus, qui Græca omnia exemplaria, eodem Papebrochio teste, vel suppliciorum, vel miraculorum copia superat. In hujusmodi exemplaribus cum omnia confuse ac permixte coacervata sint, nulla cruciatuum diversitas apparet, unde duo Georgii inter se dignosci, & quæ ad alterutrum spectant, discerni queant. Hæc sane removeantur ab hac disputatione, cum ad eam, quam quærimus discrepantiam, seu diversitatem investigandam, nullo nobis usui esse possint.

Triplex genus Actorum Georgianorum.

Quæ alterius & tertii generis Acta circumferuntur, ea vero ad institutam disputationem pertinent; & alia quidem Græcis, alia Latinis litteris; consignata ad nostram ætatem pervenerunt. Porro si cum Græcis Latina conferantur, quamvis multa in utrisque eadem, nonnulla tamen diversa in his, atque illis describi supplicia animadvertes; ex qua diversitate colligi posse videtur alia ad Palæstinum, alia ad Salonitanum Georgium referenda esse. Id priusquam ostendo, illud memineris velim, quod iterum ac sæpius admonui, pleraque ex illis, quæ in Græcis exemplaribus continentur ad Palæstinum pertinere; quæ vero in Latinis leguntur, magna ex parte Georgio nostro attribuenda esse. Quod ne temere a nobis & sine causa dici existimes, illud argumenti seu conjecturæ loco esse potest, quod Georgius Palæstinus apud Græcos, Salonitanus apud Latinos notior erat, & nominis celebritate, cultusque splendore illustrior; ex quo conjicias velim, Græcos quidem ea præcipue tradere, quæ de Palæstino, Latinos vero ea potissimum persequi, quæ de Salonitano e litterarum monumentis cognoverant, vel fama & auditione acceperant. Quare inter Græca & Latina exemplaria hoc maxime interest, quod illa quidem Palæstini, hæc vero Salonitani Georgii res gestas in primis continent; sed prioribus illis Græci quædam intexuere ex tabulis Salonitanis decerpta, his autem posterioribus Latini haud multo plura ex historia Palæstini Georgii inseruerunt; unde orta est utriusque Actorum confusio & perturbatio.

Discrimina inter Acta Græca, & Latina.

Jam vero ut uno veluti in conspectu tota videri possit, quæ inter Græcos est, Latinosque codices cruciatuum diversitas, juvat hic breviter atque ordine percensere multa illa & varia supplicia, quæ Græci, quæve Latini Georgio illata commemorant. Universam martyrii rationem seriemque in hunc fere modum descriptam apud Græcos invenio. Georgium verberibus cæsum in carcerem detrudunt; humi prostratum ingenti lapide ejus pectori superposito comprimunt; in rota illigant, & per enses infra subjectos circumvolvunt; in foveam a calce adhuc candenti fervidam conjiciunt; ferreos ignitosque calceos in ejus pedes inducunt; os eidem contunditur; vapulat nervis bubulis; mortiferam potionem semel atque iterum impune haurit; tandem capite damnatur & plectitur.

Supplicia Georgiana quæ Græci,

Latini vero codices in referendis B. Georgii suppliciis paullulum a Græcis discrepant, & martyrii seriem paullo aliter contexunt. Siquidem apud eos Georgius primum equuleo, ungulis, facibus, & sale vulneribus injecto torquetur; tum datum in potione venenum illæsus obibit; deinde in rotam, postea in sartaginem conjicitur; demum ad mortem rapitur, & capite obtruncato, perfecti absolutique martyrii palmam adipiscitur. Hæc omnia, quæ apud Latinos de Georgio scripta inveniuntur, Baronius ad quatuor suppliciorum summa capita revocat; quibus quidem reliquæ pœnarum species modo descriptæ veluti in suo quæque genere continentur; atque propterea ex omnibus Georgianæ historiæ exemplaribus illa sibi maxime probari, quæ cruciatibus non ita multis referta sunt, quamvis ob longiores paraphrases, & carmina identidem intertexta, a pristino illo minimeque fucato dicendi genere haud parum abhorreant. Vides itaque in utraque martyrii serie Græca & Latina partim eadem, partim diversa commemorari supplicia; quæ solum apud Græcos reperiuntur, ea ad Palæstinum, quæ apud Latinos tantum descripta sunt, ea ad Salonitanum Georgium referas velim; quæ vero utrobique recensentur, cum incertum sit, utri conveniant, ea vel alterutri, vel utrique attribuas, per me licet. Ex multimodis enim tormentorum generibus, quibus Martyres affici solebant, eadem aut prorsus similia utrique Georgio infligi potuisse nemo negaverit; illud certe nostro cum Palæstino commune fuit, quod uterque capitis obtruncatione martyrium absolvit.

& quæ Latini recenserent.

Ratio secernendi supplicia, quæ ad Palæstinum, quæque ad Salonitanum pertineant.

Huc accedit, quod ex miraculis & factis egregiis

giis Georgii, alia Græci, alia Latini vel commemorant, vel prætermittunt, alia vero utrique narrant. Apud Græcos vox e cœlo demissa dicitur, & delapsus indidem Angelus, qui martyris vulnera sanaret; iidem tradunt duos Prætores Anatolium & Potoleonem ad Christum conversos fuisse, itemque Glycerium, cujus bovem Georgius ad vitam revocaverat; adduntque hominem jampridem extinctum, Georgio jubente ac vocante vivum valentemque e tumulo exiliisse, qui statim a suscepto baptismate martyrii palmam obtinuit. De his mirum apud Latinos silentium, unam rem alteramve narrant memoria ac litteris dignam, eamdemque a Græcis prætermissam; nimirum surdis ac mutis hominibus loquendi audiendique facultatem restitutam; & Dacianum necis Georgio illatæ auctorem igne cœlesti absumptum fuisse. Nam de ducentis illis & triginta mortuis in vitam revocatis, ut Jacobo Cardin. Stephaneschio quisquam credat, merito fortassis graviorum rationum auctoritatumque momenta ab eo requirat.

Miracula Georgiana alia apud Græcos, alia apud Latinos, alia apud utrosque.

Quæ autem de Georgio Latini pariter atque Græci litteris prodiderunt, hæc ferme sunt, eum cœlesti viso & suavissimo Christi alloquio recreatum fuisse, ægrotis quamplurimis salutem per eum restitutam, inanium Deorum templum ab eo cum simulacris eversum: ad hæc: ejusdem vel constantiæ, vel miraculis tribuendum esse, quod Athanasius Magus, a quo oblatum venenum impune obbiberat, itemque Alexandra Imperatrix Christianam religionem susceperint, & suo sanguine confirmarint, quæ quidem cum de utroque Georgio scripta sint, si non utrique, certe alterutri conveniant necesse est. Illud affirmare mihi posse videor, Alexandræ ad Christum conversionem omnino adscribendam esse Georgio Salonitano; nam ut alia prætermittam, Alexandra multo ante obierat, quam Georgius Palæstinus martyrium subiret: quippe Diocletianus, ut superiori paragrapho monuimus, Priscam uxorem habuit, cum eximium illum Christi athletam in Oriente altero fere mense, postquam persecutionem universalem edixerat, interfici jussit.

Alexandræ Conversio Georgio Salonitano adscribenda.

§. VI.

De judicibus Georgiano martyrio præpositis inter se diversis.

Diocletianum utriusque Georgii martyrio interfuisse ex omnibus fere historiæ Georgianæ exemplaribus, quæ nobis videre licuit, satis clare aperteque colligitur. Verum inter Græcos Latinosque Scriptores hoc maxime interest, quod priores quidem Magnentium Consulem cum Diocletiano, posteriores vero Dacianum Diocletiani nomine & auctoritate martyris quæstioni ac supplicio præfuisse tradunt. Nam qui Georgii martyrium Græcis litteris commendarunt, ii plane omnes Diocletiano judicium exercenti adjungunt Magnentium virum consulari dignitate præditum, atque Imperatori in primis carum, qui quæstionem adversus Georgium instituit, eumque variis percontationibus exagitat; qui ejusdem in Christiana religione extollenda, deprimendaque inanium Deorum superstitione constantiam ac libertatem increpat; qui denique auctor est Diocletiano capitalis in Georgium sententiæ ferendæ: *Imperator autem . . . . Magnentio cuidam ex confidentibus amico, qui tunc erat Consul, annuit, ut Georgio responderet: hic propius ad se illum accersens, Ecquis, inquit, tibi istius audaciæ, & magnæ in loquendo libertatis est auctor? Veritas, inquit Georgius. Tum Consul subjecit, quæ est illa veritas? Respondet Georgius &c. Magnentius autem ad eum* (ideſt Diocletianum) *ait: Est hoc in loco, Imperator, vir quidam magica artis peritissimus &c. Tunc Magnentius assistens Imperatori jussit D. Georgium, quibus adstringebatur, vinculis relaxari, & ad ipsum: Nunc, inquit, Dei tui mirabilia opera ostende &c. Imperator igitur adhibito in consilium Magnentio &c.* Hæc variis in locis dispersa collegimus ex Veneto codice Card. Bessarionis, cui fere consentiunt cætera Græcorum exemplaria, itemque Menæa, & Menologia. Porro ex his efficitur in hoc judicio, quod de Georgii Palæstini capite factum est, primas quidem partes Diocletiano, secundas vero tribuendas esse Magnentio, quem ipsemet Diocletianus ad quæstionem hanc in Georgium exercendam socium sibi atque adjutorem adscivit. Hæc autem cum a Græcis scripta sint, referenda censeo ad Georgium Palæstinum, qui apud Græcos majori, quam noster, famæ ac nominis celebritate floruit.

Diversi judices apud Græcos & Latinos.

Magnentii commemoratur a Græcis,

Venio nunc ad Latinos, qui Georgium apud Dacianum Præsidem causam dixisse, ab eoque capite damnatum fuisse affirmant; quod cum in Georgium Palæstinum convenire nequeat, cujus quæstioni ac martyrio Magnentius, jubente ac præsente Diocletiano, præfuit, id ad Georgium Salonitanum referri oportet: *Imperantibus Diocletiano & Maximiano* (inquit Jacobus Stephaneschius) *sub Præside Daciano tanta persecutio Christianorum fuit &c.* Eodem initio iisdemque verbis utitur Jacobus de Voragine, itemque Auctor Legendæ Slavonicæ: *Eo tempore imperantibus Diocletiano, & Maximiano sub Præside Daciano, tanta persecutio Christianorum fuit &c.* Nec dissentit Petrus Equilinus: *Cum autem B. Georgius in civitate Militena tribunatus officio fungeretur, & Dacianus quidam Præses Christianos ultra modum persequeretur.* Unus est codex Veronensis, quocum Lateranensis congruit, in quo nusquam Dacianus, ubique Diocletianus & quæstiones exercens, & supplicia decernens, & longa cum Georgio colloquia interserens inducitur; velut si de causa Georgii solus Imperator per se ipse cognoverit, statuerit, judicarit. Verum in codicibus Gallicano & Vallicellano, & in aliis fere omnibus, quæ indidem desumpta sunt, Latinis exemplis adeo frequens est ac celebre nomen Daciani, ut Amanuensium vel inscitia, vel imprudentia eum in hac historia locum sæpe invaserit, quem Diocletiano tribuendum fuisse satis constat; idemque Dacianus alias Regis, alias Imperatoris titulo afficitur. Cæterum dubitari non potest, quin Diocletianus Georgii Salonitani martyrio interfuerit; id adeo intelligi licet ex illis hujus historiæ locis, ubi Dacianus, qui alibi Præses & Judex huic quæstioni præpositus dicitur, Regis nomine cohonestatur, ejusdemque uxor Alexandra fuisse traditur, id quod neque cum Daciano congruit, & planius explicatur in notis appositis ad Acta Georgii Salonitani, quæ infra subjiciemus.

Duciano a Latinis,

In codicibus Lateranensi & Veronensi deest Dacianus.

Reliquis Dacianus pro Diocletiano substitutus.

Restat de Daciano, ut pauca dicamus, quem Diocletianus quæstioni in Georgium nostrum exercendæ judicem præfecit. Id ut exsequar, operæ pretium duxi huc pauca quædam transferre ex Prœmio codicis Rosweydani, unde multa scitu digna suppeditantur, quæ licet cum exacta temporum descriptione non satis cohæreant, ab historia tamen illius ætatis non abhorrent. Cum Diocletianus Roma profectus ad bellum Persicum & Alexandrinum Italicas copias deduxit, *adjunxere se comites Magnentius, Theognis, Dadianus* (ideſt Dacianus) *nepotes Maximiani ac provinciarum Præfecti, pri-*

Tres Diocletiani in Orientem profecturi Comites.

Digitized by Google

primus quidem Libyæ, secundus Ægypti, tertius denique Syriæ &c. In eo autem Auctor hujus codicis perturbatione temporum peccavit, quod huic expeditioni præposuit Galerianam cladem a Persis acceptam, quam Italici exercitus conscribendi causam fuisse ait, cum Galerius, ut tradunt antiqui Scriptores, post confectum Alexandrinum bellum, & Achilleum devictum, male cum Persis pugnaverit, & rei infeliciter gestæ nuncii ad Diocletianum non in Italiam, sed in partes Orientis advenerint. Ad historiam vero, quod attinet, nihil fere est, quod reprehendi possit, aut cum veritate conciliari nequeat. Itaque Diocletianus tres e primaria nobilitate viros, eosdemque nepotes, seu consanguineos Maximiani vel Galerii, vel Herculei, Alexandrinæ, & Persicæ expeditionis comites delegit. His tres provincias nobilissimas, suam cuique decreverat, quas quidem, cum eo tempore domesticis externisque hostibus conflictarentur, vel a belli seditionisve periculo prope abessent, & præsidiis firmissimis muniri, & eximiorum Præsidum consilio, fidei, ac vigilantiæ committi oportebat. Magnentio obvenit Libya; Libyæ autem vocabulo Liburniam seu Dalmatiam subesse haud vana est suspicio; sunt enim, quæ proferre possem, haud pauca hujus appellationis vetera exempla. Sunt, qui per id temporis Diocleam matrem Diocletiani, summo cum imperio Dalmatiæ præfuisse tradunt; verum id non obstat, quo minus Diocletianus ejus provinciæ administrandæ adjutorem Magnentium matri dederit, qui rei militari præesset; & si quid tumultus, seditionisve, se absente oriretur, Dalmatas in officio contineret; fortassis enim jam tum Diocletiano suboluerat non deesse in Dalmatia, qui rebus novis studerent, quod deinde eventus comprobavit; nam dum ille Ægyptio bello distinebatur, Demosthenes quidam, popularibus suis ad defectionem compulsis, Regnum in ea provincia occupavit. Ægypto Theognidem præfecit, ut ejus opera uteretur ad profligandum Achilleum Ægyptiacæ defectionis auctorem, qui Alexandriam tyrannico dominatu oppressam tenebat. Denique Daciano præfecturam Syriacam mandavit, infestam ab incursionibus Persarum, qui Armenia majore vastata, Syriam quoque urendo populandoque sæpe peragrabant.

quibus tres nobilissimæ Provinciæ decretæ.

Ergo Diocletianus cum tribus hisce Præfectis in Dalmatiam trajecit vergente jam inclinatoque in hibernum tempus anno tertii sæculi 95. nisi ejus adventum in Dalmatiam ad initium anni proximi revocare placeat. Ibi hyemem copiis Dalmaticis atque Illyricis contrahendis consumpsit; nec vero e Dalmatia ante discessit, quam, Majo appetente, tempus bellicis expeditionibus idoneum adesset. Interea dum Persici & Alexandrini belli apparandi causa in ea provincia moratur, haudquaquam Christianis tranquillis & pacatis esse licuit. Ex quo Diocletianus se nomini Christiano infestum præbere cœperat, erat hoc illi solemne, ut ubicumque vel ad tempus consisteret, illic statim suum in Christianos odium expromeret. Igitur e tribus Præfectis, quos secum adduxerat, Dacianum delegit, quem Christianis inquirendis excruciandisque præficeret. Ubi vero ex iis aliqui ad Præfectum rapi, in carcerem trudi, cruciatibus torqueri cœperunt, tantus omnes terror invasit, ut plerique in latebras e publica luce conspectuque se conjecerint; multi etiam, quibus libertas & salus, quam fides & religio antiquior fuit, Idolis nefarias hostias immolaverint; nemo autem fuerit, qui se palam aperteque Christianum profiteri auderet. Id cum animadverteret Georgius Salonitanus Episcopus, & ex ea Christianorum sive ignavia, sive defectione intimis sensibus angeretur, suarum partium esse duxit, semet in apertum discrimen adducere, ut Christianæ religionis dignitati, & gregis sibi concrediti saluti consuleret. Itaque ultro Dacianum adit, hominis sævitiam increpat, in Ethnicorum simulacra, eorumque sacrilegam superstitionem gravi & vehementi oratione invehitur; se vero ad omnia quamvis multa & acerba pro Christo subeunda supplicia paratissimum esse profitetur. Quo quidem facto simul exemplum cæteris præbuit, quo excitati ex ingenti illo pavore se colligerent, & spiritus Christiano homine dignos susciperent; simul labem illam abstersit, quam ex aliorum vecordia, & proditione Christianum nomen contraxerat. Ita Georgius Episcopus *animam suam ponens pro ovibus suis* & sibi illustris martyrii palmam pepersit, & cæteris ad mortem pro Christo obeundam vires & alacritatem injecit. Hæc partim ex Rosweydano codice, partim e Latinis exemplaribus, partim ex historia illorum temporum collecta, & alia cum aliis conjuncta exposuimus, ut inde appareat, qua ratione factum fuerit, ut Dacianus ex designatione Diocletiani jure quodam extraordinario in Dalmatia, Georgii quæstioni & martyrio præfuerit. Cave tamen confundas hunc Dacianum cum altero illo, qui aliquot post annis in Hispania, universali, jam sæviente persecutione, acerbissimam in Christianos quæstionem exercuit, eorumque multa millia extremo supplicio affecit. Is enim, cujus judicium ac sententiam noster Georgius subiit, statim pœnam suo dignam scelere suscepit, quippe de cœlo tactus ambustusque, quemadmodum docent Latini codices, horrendum in modum interiit.

Georgii Salonitani ingens animus atque imperterritus.

Diocletianus in Dalmatiam trajecit,

ubi Christianos divexavit.

Illud hoc loco inquirendum censeo, quid causæ sit, cur in Gallicano itemque Vallicellano codicibus Diocletianus Auctor decimæ & postremæ persecutionis, qui Dacianus ibidem per errorem vocatur, numquam *Romanorum Imperator*, *sed Rex Persarum* appelletur: *In illo tempore arripuit diabolus Regem Persarum, Regem super quatuor cedros sæculi, qui prior erat super omnes Reges terræ, & misit edictum, ut universi Reges convenirent in unum, & dum congregati fuissent numero septuaginta duo Reges &c.* Hæc e Ms. Gallicano, quo cum fere congruit Vallicellanum apographum: *Regnante impiissimo Daciano* (deest Diocletiano, cujus in locum, ut diximus, librariorum inscitia Dacianus subrepsit) *Regnante*, inquit, *impiissimo Daciano Imperatore, sive Rege Persarum, & ipse præerat super quatuor Cæli partes, quia prior erat super omnes Reges Græciæ, & misit edictum, ut universi Reges convenirent in unum; & dum congregati essent septuaginta quinque Reges Græciæ &c.* Regalem a Persis titulum Diocletiano inditum sibilis & cachinnis explodunt plerique; & vel hinc satis argumenti sibi esse existimant, cur Acta S. Georgii inter commentitias fabulas & meras nugas jure meritoque rejiciant. Ego vero non id ago, neque in eo nunc laboro, ut Gallicanæ, seu Vallicellanæ, ut vocant, *Legendæ* fidem & auctoritatem adjungam; quid meæ de utraque sententiæ sit, supra declaravi, cum eas nihil aliud esse dixi, nisi indigestam quamdam rerum ac suppliciorum farraginem ex Actis utriusque Georgii ineptissime conflatam; neque facile indidem testimonia sumpserim ad fidem faciendam, nisi forte sicubi cum aliis melioris notæ codicibus cohæreant. Præterquamquod cum ejusmodi exordium, ubi Diocletianus Persarum Regis titulo afficitur, pertinere putem ad historiam Georgii Palæstini, propterea quia ibidem haud obscure designatur tempus *Persecutionis* univer-

Cur Diocletianus dictus Rex Persarum,

versalis, nihil mea refert, utrum res in eo descriptæ pro veris, an pro commentitiis habeantur. Verum enimvero, ut appareat non continuo ridendos esse veteres ac repudiandos, si quid aliquando scripserint, quod nobis incredibile & absurdum videatur, operæ pretium duxi rationes haud sane improbabiles afferre, cur Diocletianus Rex Persarum haud inepte appellari potuerit; quod quidem eo libentius facio, quia cum ostendo nec temere, nec sine ratione Diocletianum hujusmodi titulo cognominatum fuisse, veteres Martyrologos nec paucos, neque contemnendæ auctoritatis defendo, inter quos est Usuardus in apographo Hagenovensi, Rabanus, Notkerus, aliique, qui Dacianum idest Diocletianum vocant Regem, sive Imperatorem Persarum.

vel ab Syria & Palæstina ejusdem imperio subjectis,

Primum igitur Diocletiano id tituli sive cognominis obvenisse potuit e Syria, aut Palestina, ubi tum versabatur, cum Georgii militis martyrio præfuit. Verisimile quippe est, ut supra diximus, olim universam Syriam ex eo interdum denominatam fuisse Persidem, quod cum Persæ illam in suam ditionem redegissent, eoque popularium suorum colonias deduxissent, illuc quoque gentis suæ vocabulum invexerint; id quod probabile esse multis exemplis tum ex antiquitate, tum e proximo & superiore sæculo in hanc rem prolatis supra ostendimus. Porro qui de rebus Diocletiani in Syria vel Palæstina gestis scribebant, maluerunt eidem titulum regium tribuere ex illa peculiari provincia, in qua tum conventibus edicendis, sanciendisque legibus omnia regis munera atque officia exsequebatur, quam ex amplissimo illo principatu, quem una cum Herculeo in omnibus Romani imperii provinciis obtinebat, ad eum fere modum, quo paucis ante annis Carolus VI. Romanorum Imperator, dum viveret, in Bohemia Bohemorum, in Hungaria Hungarorum Rex rite appellari poterat. Dicitur præterea Diocletianus præfuisse super quatuor cœli partes, vel super quatuor cedros sæculi, propterea quod ille unus inter cæteros, quos in societatem imperii adsciverat, vel auctoritate, vel potestate eminebat; hanc quippe eorum verborum vim atque interpretationem esse arbitror. Quod autem in ejus ditione amplius septuaginta Reges fuisse traduntur, id referendum censeo ad Præfectos in urbibus Syriæ ac Palæstinæ constitutos, quibus addi possunt Præfecti Cappadociæ & Ciliciæ, aliarumque Regionum, quæ a Syria prope aberant. Hos quippe regio titulo propterea ornari docet Jacobus Stephaneschius, quod *Regis locum teneant*, ac Regis nomine juri dicundo præsint.

vel per contemptum, & ludibrio a Romanis,

Deinde, quod vero propius mihi videtur, existimo Diocletianum Persici Regis titulo per ludibrium & contemptum a Romanis denominatum fuisse. Ex quo Diocletianus in Persidem belli causa profectus earum gentium mores atque instituta propius cognovit, mirifice illis delectari cœperat; indidem uxorem duxit Alexandram; Persico vestitu cultuque identidem utebatur; divinos etiam honores sibi adhiberi jussit, quibus Persæ suos Reges prosequi solebant; in eo, quod prope Salonam exstruxerat, magnificentissimo palatio primariis fœminis, quas e Perside captivas abduxerat, Gynæceum amplum in primis ornatumque constituit, & alia insuper multa ex legibus ac disciplina Persarum sibi adsciverat, suosque in mores induxerat. Id cum indigne ferrent Romani, quibus præterea aliis de causis Diocletianus jam senex in odium & contemptionem venerat, neque pati possent Romanum Imperatorem a majorum institutis in mores consuetudinesque barbarorum usque adeo degenerasse, ut oblitus esse videretur, quid nominis atque imperii gereret, quibusve populis præesset; in conviciis & probris, quæ illi objicerent, nihil magis in promptu habebant, quam ut eum Regem Persarum dictitarent. Et vero Diocletianus cum Romam venisset anno tertio exeunte quarti sæculi, ut vicesimum suscepti imperii annum solemni pompa celebraret, numquam prodibat in publicum, quin populi sibilis, dicteriis, atque adeo conviciis exciperetur; cumque hujuscemodi popularis licentia, seu verius petulantia magis in dies augeretur, quam ut diutius ferri posset, peracta vicennalium celebritate ex urbe repente excessit, ut fugam potius capescere, quam profectionem maturare videretur. Natura quippe inerat populo Romano mira dicacitas, & ad carpenda vel summorum virorum vitia acerrimum idemque promptissimum ingenium, ut ne ab ipsis quidem Imperatoribus cavillationes & convicia abstinerent.

vel denique ob victorias de Persis relatas.

Huc adde, quod Diocletianus, cum e Persis insignes victorias retulisset, Persici cognomen more majorum sibi adsciscere jure meritoque potuit; quæ tertia hujusce appellationis, de qua nunc agimus, causa esse potuit. Hinc enim factum esse conjicio, ut Scriptores aliqui, cum Diocletiano Imperatori cognomen *Persici* adscriptum legerent, neque satis adverterent id non ad gentes, in quibus dominabatur, sed ad gentes, quas devicerat, designandas appositum fuisse, ex *Diocletiano Imperatore Persico* Diocletianum Imperatorem seu Regem Persarum effecerint. Hæc fere habui, quæ in hanc sententiam exponerem, ut constaret, antiquis causas non defuisse, cur Diocletianum Regis Persarum titulo afficerent; quod documento nobis esse velim non statim antiquos codices & Auctores rejiciendos esse, habendosque ludibrio, si quid in illis reperiamus, quod neque verisimile, aut cum veteri historia consentaneum, & plane fabulosum atque commentitium videatur; ne forte dum illos ridemus, nos ipsi aliis ridendos præbeamus.

Quæ hactenus de Georgianis historiis variis ac diversis copiose disserui, eo pertinent, ut ostenderem eas permixtas esse, & ex duplicis Georgii Actis coaluisse, quorum alter Georgius Salonitanus Episcopus fuerit necesse est, cum tertius Georgius illis temporibus æqualis non suppetat; & una eademque opera ex illa rerum, temporum, locorum confusione ea secernerem, quæ ad alterutrum pertinent, & sua cuique tribuerem. Nunc illis argumentis occurrendum censeo, quibus juniores quidam Acta Georgiana permixta oppugnant, omnemque illis fidem & auctoritatem detrahere conantur.

CAPUT IV.

Refelluntur argumenta, quibus acta S. Georgii impugnantur.

In Historias Georgianas censura Catholicorum & Hæreticorum.

Historias Latinas juxta Græcasque, multiplices & varias, quæ sub Georgii nomine feruntur, non solum plerique Heterodoxi, sed nonnulli etiam Catholici acriter vehementerque oppugnant; & quamquam utrique eamdem fere oppugnandi viam rationemque ineant, non eodem tamen utrique spectant, & longe diversum his atque illis finem propositum esse apparet. Nostri siquidem salvo martyris titulo cultuque, quem Georgio & ecclesiæ auctoritas, & multarum ætatum consensus attribuit, nihil aliud contendunt, nisi ut ostendant omnia fere, quæ de illo memoriæ aut litteris prodita sunt, vel commentitia esse, vel incerta & dubia,

Digitized by Google

dubia, quibus nemo fidem adhibeat, quin nimium credulus, & parum prudens haberi velit; hoc unum urgent, hic consistunt, nihil præterea moliuntur. Longius progreditur hæreticorum audacia, quorum eamus, idque consilium est, ut proculcatis eversisque antiquis monumentis, quibus Georgii martyrium reliquæ pro Christo gestæ continentur, in ipsum Georgium impetum faciant, eumque veterrimi cultus possessione dejectum inter Divos apocryphos & confictos rejiciant. Itaque ut Georgio aras, templa, venerationem omnem, Diviquetitulum adimant, ejusdem Actis fidem omnem abrogare conantur; quasi vero si hujusmodi Acta falsa & insana sint, sequatur illico nullum fuisse Georgium martyrem, nisi quem nimia credulitas, aut vana superstitio finxit. Esto sane, futilia sint, & nullius fidei ac pretii, quæ de Georgio in ejus Actis traduntur; habet tamen aliunde firmiora adminicula, quibus nititur, veri Georgii sanctitas & martyrium: quippe constans ac perpetua ecclesiæ traditio, consentiens omnium Martyrologorum auctoritas, celeberrimi cultus diuturnitas, sanctius & gravius testimonium eidem perhibent, quam ut Hagiomachorum insanis conatibus labefactari possit. Sed non est hujus loci atque instituti Georgium ab impudentissimis Hæreticorum calumniis vindicare; horum audaciam atque insaniam egregie refutarunt Robertus Card. Bellarminus in lib. de ecclesia triumphante, Daniel Papebrochius Com. prævi. §. v. Nicolaus Serrarius, qui ex professo præstantissimi hujus martyris defensionem suscepit, eaque de re prolixam disputationem conscripsit, & alii præterea multi, ut si quid præclaris illorum lucubrationibus ipsi addere velimus, tempus terere in rebus minime necessariis, & actum agere videamur. Hoc unum nobis hoc loco propositum est, ut refellamus argumenta, quibus impeti solent promiscue & communiter omnia fere Georgianæ historiæ exemplaria, & in contemptum adduci, simulque ostendamus, nihil propemodum vitii iisdem inesse, nisi quod permixta sint, & ex utriusque Georgii Actis conflata. Cæterum dum Acta Georgiana a nostrorum oppugnatione defendo, una eademque opera hæreticis omnem Georgii ejusque cultus calumniandi ansam eripio, quippe qui idcirco Georgium Divorum Fastis expungant, usurpatique cultus reum faciant, quod in ejus Actis nihil sincerum, nihil non fictum & commentitium esse existiment.

§. I.

Rejiciuntur argumenta ex ipsis Actis deprompta.

Responsio ad 1. argumentum.

ERgo primum illud est, quod Actis S. Georgii vulgo objiciunt, in iis & genere diversa, & numero plura supplicia, facta, miracula referri, quam ut credibile sit omnia unius martyris propria esse & singularia; præterquamquod nullo modo prorsus inter se cohærent: ita sunt pleraque & personarum diversitate, & locorum ac temporum intervallo disparata. Verum huic argumento satis superque fecimus proximo capite; ostendimus quippe in duos Georgios distribui oportere, quæ uni perperam adscribuntur; his vero sejunctis, ac suis cuique restitutis, neque rebus, quæ propria est utriusque, historia nimium redundat, & si qua conjuncta in Actis inesse videtur discrepantia, ab iisdem separatis omnino abest, longeque summovetur. Urgent porro, & multa ex Actis Georgianis hac illac decerpta in unum congerunt, partim, ut ipsi putant, incredibilia, partim vana & ridicula, partim turpia & flagitiosa, quæ ne in hominem quidem mediocriter ab honestate instructum, nedum in virum eximia sanctitate præditum cadere possunt. Quæ autem tantopere exaggerant, vehementerque improbant hæc fere sunt: *Dacianus Rex sive Imperator Persarum; Bos Glycerii Georgio Deum deprecante revivisens; Conflictus cum Athanasio Mago; Mortuus ad vitam revocatus; Pugna Georgii cum Dracone, & regia puella immani latitiæ exempta.* Huc adde (quod vel fidem excedit, vel nefas sit de sanctissimo viro suspicari) *animum Alexandræ Imperatricis ab æternis, quibus jamdudum addicta erat, cruciatibus vindicatam; suspectum Georgii cum vidua nescio qua contubernium; Fraudes atque insidias, quas Georgius ad interficiendos Idolorum cultores, molitus esse traditur.*

Loca quædam ex Actis Georgianis, ad fidem totius historiæ elevandam objecta.

Sed argumenta ex his Actorum locis ducta, & cætera ejusdem generis promptissimum est refellere. Nam ad Dacianum quod attinet, supra docuimus, ubi Dacianus regio vel Imperatorio titulo afficitur, ibi Daciani nomine Diocletianum intelligi oportere; nec vero causas defuisse ostendimus, cur eum veteres Regem vel Imperatorem Persarum aliquando appellarent. Ad ea vero, quæ proxime subjiciuntur, de bove redivivo Glycerii, de Athanasio Mago, de homine ab inferis excitato nihil est, quod respondeam. Hæc & alia hujusmodi, quæ humanam vim potestatemque excedunt, Dei optimi maximi potentiæ nullis circumscriptæ limitibus adscribenda sunt, qui velit videri mirabilis in Sanctis suis. In his nihil incredibile, nihil absurdum, nihil singulare apparet, cui non simile quidpiam in aliorum Divorum Actis vel probatissimis reperiatur. Nihil vero causæ est, cur pugnam cum Dracone initam, ereptamque ex faucibus teterrimi monstri regiam puellam tantopere irrideas. Tota quippe illa narratio in eo dicendi genere versatur, quod allegoriam vocant, & longe aliter, atque ipsa verba significant, intelligi debet.

Ad singula respondetur.

Huic enim descriptioni subest res vera, eaque cum Georgii sanctitate plane consentiens, verborum ac sententiarum ambagibus involuta, quam proinde idonea interpretatione adhibita, evolvi explicarique oportet. Id nos haud multo post diligenter explanare conabimur; & ad historiam illorum temporum apte congruenterque declarabimus, quorsum spectet hujusmodi pugna, quid monstri fuerit Draco ille, quidve significet regia puella, cui Georgius auxilio fuit, & vitam ac salutem attulit.

Georgii pugna cum Dracone allegorica.

De tribus vero illis, quæ postremo loco ad reprehendendum arripueras, valde tibi assentior; sunt enim alia creditu, alia etiam auditu indigna, quæ hominis vel mediocriter prudentis fides respuat, & piæ religiosæque aures aversentur; ac propterea omnino ab Actis Georgii sive Palæstini, sive Salonitani amovenda ac resecanda censeo. Sed hæc descripta sunt in codice Vallicellano, cujus nulla est apud nos auctoritas. Neque enim id suscepimus, aut professi sumus nos illa omnia probaturos, quæ in omnibus & singulis Georgianæ historiæ exemplaribus traduntur. Tantum vero abest, ut Vallicellana historia nobis probetur, ut eam simul cum Gallicano codice, unde est descripta, unam omnium mendosissimam & profligatissimæ auctoritatis esse judicemus: quamquam ut nulla est tam mendax historia, quin vera falsis identidem intermisceat; sic etiam in hac multa continentur, quæ aut vera sunt, aut si rationibus & conjecturis aliunde adscitis defendi & illustrari queant, pro verisimilibus haberi possunt. Scio equidem a nonnullis non improbari Georgianum illud cum Vidua contubernium, aliaque

Tria postrema indigna Georgio,

in Codice Vallicellano contentur,

qui apud nos est nullius fidei.

que id genus; sed ipsi viderint, quemadmodum hæc cum Georgii sanctitate componi queant, ostendantque, si quo modo possint, in eam partem posse accipi, unde nulla præstantissimo huic Martyri labes inhæreat.

§. II.

Satisfit argumentis petitis ex Decreto Gelasiano.

Alterum argumentum ducitur ab auctoritate sane gravissima illius Romani Concilii, quod Gelasius Pontifex Maximus anno 494. coegit, cuique Episcopi omnino ad septuaginta interfuerunt. In eo concilio diligens & accurata quæstio instituta est de sacris atque ecclesiasticis libris, qui tum in vulgus longe lateque emanaverant, & a plerisque nulla prorsus nota, & animadversione præmonitis, passim & impune legebantur; simulque habitus est eorum delectus, qui vel in canonem recipiendi essent, vel digni haberentur, quos Christianus populus ad pietatem fovendam atque excitandam retineret ac legeret. Cæteros vero, unde nihil boni, vel plus mali, quam boni percipi posset, sacra Synodus reprobavit, & qua quisque dignus erat, censura confixit. In eam disquisitionem, ut aliorum Divorum, sic etiam Georgii Acta venere, quorum lectione seu publica, seu privata Gelasius eam præcipue ob causam Catholicis interdixit, quod ab hæreticis conscripta esse deprehendisset; ex quo intelligi licet in iis compertum fuisse aliquid pravi dogmatis, quo facile eorum, qui ea legerent, vel audirent, mentes animique infici possent. Sapientissimi hujus Pontificis verba, qua ad rem nostram pertinent, cum legi cognoscique dignissima sint, idcirco huc transferenda censeo: *Gesta*, inquit, *Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quis ita esse Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus esse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia, & adjutorio toleraſſe? Sed ideo secundum auctoritatem antiquam vel consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia eorum, qui scripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut dicta superflue, aut minus apte, quam rei ordo fuerat, scripta esse putantur: sicut cujusdam Quirici & Julittæ matris ejus, sicut Georgii, aliorumque passiones hujusmodi, quæ ab hæreticis probantur conscriptæ: propter quod (ut dictum est) ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur &c.* Eandem Synodicam & Pontificiam Sanctionem & iisdem fere verbis exhibuit Gratianus in antiquorum Canonum collectione, quam decretum inscripsit, distinct. xv. Cap. Sancta Romana ecclesia.

Concilii Rom. sub Gelasio I.

Jam vero ex multis & variis Georgianæ historiæ apographis, quæ etiamnum extant, non satis liquet, quænam illa fuerint, quibus Gelasius canonicæ animadversionis notam inusserit. Cæsar Card. Baronius in notis ad Martyrologium docet Vallicellanam Legendam eo Synodico, & Pontificio decreto perculsam fuisse, eumque hanc unam Gelasiano interdicto suppoſuerit, reliquas omnes, quæ de Georgio feruntur, historias ab ea censura videtur exemisse; ut ex ejus sententia, illa quidem rejici debeat, cæteræ vero impune retineri legique possint. Cæterum Daniel Papebrochius Com. prev. §. 1. n. 5. cui equidem vehementer assentio, ne illam quidem Vallicellanam Gelasii vetito obnoxiam esse existimat, sive quod hujusmodi historiam aliquot seculis post Gelasianum decretum compositam esse censet, sive quod nihil in ea subolet hæreticæ pravitatis, quæ fuit causa præcipua, cur Gelasius Acta S. Georgii interdictorum codicum catalogo adscripserit. Quas rationes attulit Papebrochius, ut Vallicellanam historiam Gelasianæ censuræ subduceret, ex iisdem conficitur multo probabilius Pontificio illo interdicto eximi posse ac debere cæteras omnes historias, quæ nunc sunt in manibus, & sub Georgii nomine circumferuntur; nam præterquamquod ab iis abest quidquid in codice Vallicellano jure meritoque viri docti reprehendunt, ne leve quidem in iisdem hæreseos vestigium, vel quidpiam absurdi deprehenderis, unde *subsannandi oriatur occasio*, quod canonicæ animadversioni causam præbuerit; & cum omnia omnino Georgiani martyrii exempla, quæ ad nostram ætatem, nostrasque manus pervenerint, ex utriusque Georgii Actis conflata, permixtaque sint, hujusmodi vero permixtio tum primum fieri cœperit, cum jam esset in exitu sæculum septimum, ut supra ostendimus, necessario sequitur hæc longe alia esse ab illis, quæ duobus ante sæculis Gelasius inter codices apocryphos rejecerat. Quare id verisimillimum puto, quod Papebrochius docet, nimirum Acta illa Georgii, quæ Pontificis, conciliique Romani proscriptionem subiere, solerti Episcoporum studio undique statim fuisse conquisita, & flammis tradita, vel certe abolita sic prorsus, ut nullum eorumdem exemplar ad posteros pervenerit. *Quod igitur* (ait Papebrochius Com. prev. §. 1. num. 5.) *de rejectis a Gelasio Cyrici, & Julittæ Actis, etiam de istis melius pronunciasset Baronius intercidisse: sicut intercidерunt, vel potius pio Catholicorum studio abolita fuerunt omnia fere Evangelia suppositicia, Actus Apostolorum, libri de Christo, de Deipara, de Patriarchis fabulosi; opuscula pseudepigrapha aut hæretica, quæ in sat longo Apocryphorum a Damaso rejectorum Catalogo continentur; quæque in rerum natura fuisse nesciremus, nisi ibi legerentur nominata.*

Nulla ex historiis Georgianis, quæ adhuc extant, Gelasii decreto obnoxia.

Ex hisce liquido constat nihil argumenti adversus Acta S. Georgii, quæ nunc extant, ex Romano illo concilio, Gelasiique decreto proferri posse. Illud vero, quod in suo Sanctuario Thomas Turgillus tradidit, Acta S. Georgii proscripta item fuisse a Pelagio Romano Pontifice, nullo modo prorsus assentior. Nam Pelagianæ hujus censuræ nemo præter unum Turgillum mentionem fecit; & inter canones a Pelagio constitutos ne vestigium quidem hujusce interdicti reperies. Quocirca sane vereor, ne Turgillus nominis similitudine deceptus, Pelagium pro Gelasio scripserit; & quod Gelasii auctoritate sancitum fuerat, Pelagii sententiæ ac nomini suppoſuerit.

§. III.

Refutatur argumentum ex Nicæna Synodo falso prolatum.

Cum igitur ex Gelasiano decreto, quod volunt, efficere nequeant adversarii, aliunde arma comparant, quibus Acta S. Georgii vehementius oppugnent; iisdemque objiciunt auctoritatem concilii Nicæni, cujus judicio gravissimo & maximo damnata esse contendunt. Nicænæ sententiæ ac censuræ testes citant Jacobum de Voragine, itemque Petrum Equilinum: *Ejus Legenda*, ait Jacobus, *inter scripturas apocryphas in concilio Nicæno annumeratur, ex eo quod ejus martyrium certam relationem non habet* &c. Idem plane scripsit Petrus Equilinus: *Hujus Martyris legenda*, inquit, *in concilio Nicæno inter apocryphas annumeratur, eo quod*

Actis Georgianis nullam notam inussit Synodus Nicæna.

quod in ejus martyrio multa diversitas inveniatur &c. Mihi vero venit in mentem subvereri, ne quemadmodum Pelagio Thomas Turgillus, sic etiam ii concilio Nicæno adscripserint, quod de historia S. Georgii Gelasius & concilium Romanum graviter sapienterque decrevit. Idem suspicari videtur Florentinius in notis ad Martyrologium Hieronymianum, quas apposuit ad diem 24. Aprilis: *Tam diversa*, inquit, *de eo scripta sunt, & ab hæreticis ita immutata, ut Gelasius ejus vitam inter apocrypha rejecerit: quam censuram non Gelasio, sed Nicæno concilio tribuit Petrus Natalis lib. 4. c. 28, qui etiam in Actis S. hujus Martyris ad calcem ex pluribus codicibus Mss. dissonantias animadvertit tum in modo, tum in tempore, tum in judicis persona.*

Et vero, si quod de censura Nicæna scriptores illi tradunt, id ad primam Nicænam Synodum referri volunt, quomodo suam sententiam confirmare possint, vix invenient. Siquidem cum ex omnibus canonibus, quos Nicæni Patres in ea Synodo condiderunt, quatuor omnino ac viginti supersint, in his ne tenue quidem indicium apparet, unde colligi possit Acta S. Georgii in eo concilio, longe omnium sanctissimo & celebertimo proscriptionis sententiam subjisse. Haud equidem inficior ab Nicænis Patribus in disquisitionem adductos esse sacros utriusque Testamenti codices, & in canone ad id constitutum ex ordine relatos; id quod haud obscure declaravit Hieronymus ep. 3. ubi profitetur se ob auctoritatem Synodi Nicænæ librum Judith recipere, atque in Divinarum Scripturarum numero habere. *Sed quia*, inquit, *hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ*. Quemadmodum vero hunc, aliosque plures ejusdem concilii canones vetustas intercepit, sic etiam intercidisse potuit decretum illud, quo S. Georgii Acta legi ac retineri vetarentur. Huc accedit, quod Gelasius præter cæteras hanc rationem suo interdicto subjecit, quod proscriptæ ibidem historiæ *secundum antiquam auctoritatem vel consuetudinem singulari cautela in S. Romana ecclesia non legantur*. Porro cum Gelasius antiquam auctoritatem laudat, videtur spectare ad Nicænum aliquod decretum, quod gravi censura historiam Georgianam confixerit. Verum hæ conjecturæ leviores videntur esse, quam ut ex ipsis certi aliquid efficí statuive possit. Utcumque tamen fuerit, illud satis constat nullum in concilio primo Nicæno præjudicium factum fuisse in ea S. Georgii Acta, quæ nunc existunt; quippe cum, ut sæpe diximus, hujusmodi exemplaria ex utriusque Georgii Actis composita non ante septimum sæculum describi, vulgarique cœperint.

De altera vero Nicæna Synodo ut brevissime respondeam, utar iisdem verbis ex Italico in Latinum conversis, quibus Laurentius Finicchiarus argumentum ab hujus concilii auctoritate ductum refellit: *Nihil legitur*, inquit, *in toto concilio Nicæno II., quod historiæ nostræ fidem abroget, eamque vel falsam, vel apocryphum esse declaret, ut cuique manifestum erit, qui ejus Concilii Acta omnia percurrat*. Nec vero opus est pluribus verbis refellere eos, qui ex eo concilio, cujus auctoritate historiam S. Georgii oppugnant, ne verbum quidem huic historiæ incommodum proferre possunt.

E sexta Synodo nullum in Acta Georgiana præjudicium proferri potest.

Nihilo autem operosius est illos confutare, qui ad eamdem historiam labefactandam abutuntur canone 63. sextæ œcumenicæ Synodi, quam Agatho Romanus Pontifex ad duplicem in Christo voluntatem, divinam & humanam contra Monothelitas sanciendam, octogesimo anno septimi sæculi convocari jussit. Hujusmodi canon uti extat apud Finicchiarum part. 1. §. IV., est hujusmodi: *Quæ a veritatis hostibus falso confictæ sunt Martyrum historiæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri essent, ad infidelitatem adducerent, in ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi. Qui autem eas admittunt, vel tamquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus*. Sed cum in eo canone generatim Acta Martyrum conficta verbis sane gravissimis rejiciuntur, nulla Georgii historia nominatim proscribitur. Vide porro, ne temerarium sit canonicæ huic censuræ id tuo arbitratu subjicere, quod an sapientissimi illi Patres decreto suo complecti voluerint, minime constat; præsertim cum ab Actis S. Georgii longissime absint omnes illæ fraudis, & falsitatis notæ, ob quas rejectæ sunt ab eo concilio historiæ Martyrum, flammisque adjudicatæ. Nihil enim in illis appareret, quod vel ab hæreticis esse confictum jure suspicemur, vel D. Georgium afficiant ignominia, vel denique pios homines ab recta in Deum fide in errorem abducat. Quod si hujusmodi notas in Vallicellanam historiam aliqua ex parte convenire existimas, haud equidem repugnaverim; sed ne hanc quidem ea censura inustam fuisse contendo, quippe quæ Papebrochio teste conscripta fuit duodecimo sæculo, cum a sexta Synodo anni amplius quingenti effluxissent.

§. IV.

Aliis aliunde ductis argumentis respondetur.

VErum, inquiet aliquis, si Actis S. Georgii iis, quæ nunc extant, nihil umquam censuræ neque vetera concilia, neque Romani Pontifices inflixerint, quid est, quod Ado, quod Usuardus, quod Mombritius, aliique Veteres & juniores Hagiographi eadem Acta inter *scripturas apocryphas* annumerant? quid est, quod ecclesia Romana veteres S. Georgii lectiones, ex vulgatis ejusdem Actis depromptas, e Breviario Romano sustulerit? In promptu est, quod hisce interrogationibus breviter subjiciam; nam ut a postrema initium respondendi faciam, cum Romani Censores, correctioni veteris Breviarii præpositi, quædam in illis lectionibus animadverterent, quæ inter se minus cohærebant, & nulla illis oboriri posset suspicio de duobus Georgiis, inter quos ea distribui oporteret, quæ in unum convenire non poterant, jure meritoque verendum esse censuerunt, ne quid falsi illis subesset, indignumque propterea, quod in eo statarum precum sanctissimo codice locum obtineret. Atque id causæ fuit, cur ecclesia Romana pro singulari sua prudentia hujusmodi lectiones ex Breviario deleri jusserit. Est enim hoc proprium ac singulare illius ecclesiæ, quæ cæterarum omnium Mater est, & Magistra, ut in iis, quæ ad Divorum, Deique cultum quoquo modo pertinent, non solum quæ perspicue falsa sunt, sed etiam quæ vel tenuissimam falsitatis speciem præseferunt, rejiciat atque abjudicet; in his quippe rebus dijudicandis hanc sibi potissimum regulam constituit, ut si in alterutro sit peccandum, malit videri nimis cauta, quam parum prudens. Cæterum aliæ particulares ecclesiæ, veluti Ferrariensis, itemque aliqui Religiosi cœtus, qui res hujusmodi non tam aurificis statera, quam populari quadam trutina examinandas putant, iisdem lectionibus ad diem festum S. Georgii celebrandum concessu permissuque Romanorum Pontificum hodieque utuntur. Adde, quod ecclesia Græca in suis Menæis ac Menologiis etiamnum retinet permulta, e vulgaribus S. Georgii

Cur e Romano Breviario Lectiones de S. Georgio sublatæ.

sed retentæ in aliis peculiaribus Breviariis.

Actis desumpta, ex quibus constat solemnis ejusdem Martyris Liturgia, jam inde antiquitus apud Græcos recepta & usurpata.

Quod vero ex Adone, Usuardo, cæterisque Hagiologis objectum est, qui Acta S. Georgii inter scripturas apocryphas rejiciunt, id referendum censeo ad eam historiam ab Hæreticis compositam, cui fidem omnem decretum Gelasii jamdudum derogaverat. Cum autem constaret de hujusmodi decreto, neque his auctoribus satis compertum esset, quænam Georgii Acta ejus Pontificii Synodici decreti censuram subierint, omnia promiscue suspecta habuerunt, & ex hac præjudicata opinione sine ulla exceptione lectorem admonendum putarunt, *ejus gesta passionis inter apocryphas annumerari scripturas*. Ceterum quos Adoni, Usuardo, aliisque citatis Martyrologis, sive Hagiographis opponam, habeo Notkerum, Rabanum, aliosque ejusdem fere ætatis & auctoritatis, qui ex Actis iisdem S. Georgii, quæ etiamnum supersunt, rerum copiam & materiam sumpsere, unde hujus Martyris elogium augerent, ac locupletarent: tantum abest, ut noram ullam illis ab Gelasio inustam putaverint, ut iisdem ad describendas Georgii laudes uterentur. Quid quod extat apud Sollerium in Auctariis ad diem 23. Aprilis Usuardinum elogium S. Georgii desumptum ex Hagenovensi apographo, in quo neque ulla nota ejusdem Acta afficiuntur; & longe plura ex iisdem Actis descripta apparent, quam quæ cæteri Martyrologi indidem ad ejusdem S. Georgii commemorationem exornandam sumpserunt.

Cur Acta Georgiana apud aliquos Martyrologos apocrypha dicta.

Verum ut ab Actis Georgianis, quæ ab omni ecclesiastica censura prorsus intacta esse contendo, omnem omnino suspicionem amoveam, operæ pretium arbitror in medium proferre testimonia Auctorum vel sanctitate, vel doctrina illustrium, qui eadem Acta vel laudarunt, vel nullis censuris obnoxia esse docuerunt.

§. V.

De Actis S. Georgii testimonia illustrium virorum.

Si quis cupit omnia Georgii Beatissimi viri facta cognoscere, historiam de ipsius Martyrio conscriptam legat, & ex illa ediscat certaminum magnitudinem, & illius optimi Bellatoris altum animum, & justissimam victoriam, divinorumque præmiorum dignam mercedem. S. Andreas Creten. in oratione de laud. S. Georgii.

Ne quis putet hanc historiam, quam nos in lucem proferimus, a duobus jam dictis Auctoribus contextam tandem esse, quam ipse Beatissimus Gelasius reprobavit, sciat ipsam Orientalis ecclesiæ testimonio confirmari, in qua singulis annis recitatur in compendium redacta. Aloys. Lipom. Ep. Veron. Tomo IV. de Sanctis.

De eo extat Sermo S. Petri Damiani, & Encomium Metaphrastis, qui ejusdem vitam olim conscripsit. Tu vide Lipomanum & Surium. Illa, quæ ex Sanctione Gelasii in Apocryphis censetur, non ea sane est, quæ ab iis Græcis memoriæ proditur. Petrus Galesinius Protonot. Ap. in notis ad suum Martyr. 23. Ap.

Adverte, quod inter alias Sanctorum historias, quæ a Papa Pelagio (cor. Gelasio) tamquam apocryphæ notatæ sunt, & repudiatæ, fuit etiam historia quædam, quæ circumferebatur, vitæ S. Georgii; qualis non est hæc scripta; siquidem in universo Oriente, unde ortus erat hic sanctus, & ubi de ejus martyrio magna cura investigatum fuit, hæc recitatur vita, sicut hic a nobis descripta. Thomas Turgillus Ord. Prædicat. de Aragonia, in Thesauro Concionatorum ad die 23. Apr.

Animadvertendum, quod historia seu Legenda hujus Sancti inter apocryphas annumeratur, ut patet dist. 15. Cap. Sancta Romana Ecclesia, non quidem quoad omnia, sed quoad aliqua, quæ notantur de veritate dubia, ut de Dracone interfecto, & de filia Regis ab eodem Georgio modo prædicto liberata; sic enim dicit D. Antoninus in Chronica sua par. 1. tit. 8. cap. 1. §. 23. Veruntamen hodie dicta historia communiter prædicatur. Insuper & B. Georgius solet depingi armatus & eques, atque cum lancea perfodiens Draconem. Aliqui insuper simul depingunt puellam. Sed ex quo hoc non est contra fidem, neque contra bonos mores, ut de se constat, nullum salutis imminet discrimen, ita credere, vel non credere. Guillelmus Pepinus Theol. Parisien. Ord. Præd. in Sermonibus de Sanctis; Sermone de B. Georgio M. pag. 174.

Decretum Gelasii eas solum Martyrum historias confixit, quæ scriptæ sunt ab hæreticis, non autem Georgianam. Laurentius Finicchiarus S. J. Siculus de Laud. Megalomartyris S. Georgii ex editione Italica Panormitana part. 1. §. 1.

Quænam illa sit Passio S. Georgii apocrypha, quæ quia ab hæreticis perhibetur conscripta, notitiæ librorum apocryphorum, qui non recipiuntur, inseritur a Gelasio, operose indagavit Baronius, tandemque invenisse sese arbitratur in sua Vallicellana Bibliotheca in antiquissimo, ac pene vetustate consumpto codice pag. 159. multis procul dubio refertam mendaciis . . . . Nos quoque in dicta Bibliotheca tomo ac folio citato reperimus eadem Acta characteribus exarata Longobardicis, ut sexcentorum & amplius annorum codex videri possit . . . . est autem eorum hoc principium: Regnante impiissimo Daciano Cive Persarum, & ipse præerat super quatuor sæculi partes, quia prior erat super omnes Reges Græciæ. Sunt ea sane non tantum fide, sed etiam lectique indignissima; verum quantum possumus dijudicare ex stylo verbisque ætatis longe posterioris, & versibus sub finem insertis, ipsius, in quo descripta sunt, codicis ætatem haud potuit auctor excessisse . . . Quisquis ergo illa scripsit versibus ac stylo sæculi XI., præ oculis habuit aliam longe vetustiorem legendam . . . . Inter tam multa absurda nihil reperio, unde eorum auctor hæreseos debeat haberi suspectus. Quod igitur de pariter rejectis a Gelasio Cyrici, & Julittæ Actis, etiam de istis melius pronunciasset Baronius intercidisse, sicut interciderunt aut potius pio Catholicorum studio abolita fuerunt omnia fere Evangelia supposititia, Actus Apostolorum, libri de Christo, de Deipara, de Patriarchis fabulosi; opuscula pseudepigrapha, aut hæretica, quæ in sat longo Apocryphorum a Damaso rejectorum Catalogo continentur; quæque in rerum natura fuisse nesciremus, nisi ibi legerentur nominata. Daniel Papebrochius tomo III. die 23. Ap. Com. præv. §. 1.

CAPUT V.

De Actis Georgii Salonitani Episcopi.

HActenus de Actis utriusque Georgii permixtis atque confusis differuimus; & causas investigavimus, unde orta est, & præcipua quædam capita, ad quæ revocari potest hujusmodi confusio, singillatim, accurateque persecuti sumus. Ex hac præterea multiplicium, & complicatarum rerum permixtione, quoad ejus fieri potuit, explicate ac distincte evolvimus, quæ ad alterutrum spectant, & alia ab aliis secrevimus, & sua cuique restituimus; ac de-

Digitized by Google

ac demum argumenta discussimus, quibus hujusmodi Acta vulgo impugnari solent. Nunc ex tam multis ac variis Georgianæ historiæ Latinis exemplaribus unum illud proferre libet, quod quamvis non sit omnino integrum, ab omnique permixtione purum ac sincerum, ad vetera tamen, & germana Georgii Salonitani Acta propius, quam cætera, accedere videtur. Nam cum eorum exemplarium, quæ supra recensui, nullum prorsus extet, quod plane simplex & incorruptum haberi possit, ut cuique minimum admixtionis inest, ita illud judicari debet proxime a propriis verisque Georgii nostri Actis abesse. Porro si quod est ejus generis apographum, illud sane mihi videtur esse, quod Jacobus de Voragine collectis a se Divorum historiis inseruit, quas ex antiquis probatisque monumentis descripsit, ut testatur Claudius Rota, qui collectionem illam, appellatam *Auream Legendam*, sive *historiam Longobardicam* typis Lugdunensibus evulgandam curavit anno 1519.

Acta Georgiana auctore Jacobo de Voragine propius absunt ab Actis cæteris Georgii Salonitani.

§. I.

Jacobus de Voragine ab injuriosis quorumdam censuris vindicatur.

SCio equidem apud quosdam nihil esse hoc auctore atque opere contemptius; nec vero negaverim in ea collectione quædam inveniri, quæ viris doctis atque eruditis merito displiceant. Sed cujus est tanta solertia, tam acre, tam lynceum experrectumque ingenium, quin operi aliquando indormiat, qui omnia pervideat, nihil offendat, nusquam incurrat? Cæterum satis mirari non possum, quid causæ sit, cur is Auctor tantopere contemnatur. Scripserit sane stylo, ut ajunt, fervido, certe quidem minus Latino, quam ut eruditæ aures ferre possint; quod si vitium est, commune illi cum cæteris ejusdem ætatis scriptoribus fuit; at erat non modo pius & doctus, sed prudentia judicioque singulari; id quod Baptista Michael, Leander Albertus, Ferdinandus de Castilio, aliique testantur. Quanti Jacobum de Voragine fecerit Joannes Bollandus, satis ipsemet declaravit in Præfatione generali ad Acta SS. cap. 1. §. 4. ubi eidem & doctrinæ, & religionis, & prudentiæ testimonium amplissimum tribuit, affirmatque nihil eum in suam Legendam transtulisse, quod non ex optimis veterrimisque codicibus desumpserit; idque sibi satis exploratum esse, qui plerasque ab eo descriptas Divorum historias cum antiquis ac genuinis monumentis contulerat, & omni ex parte congruere compererat.

Jacobus de Voragine a multis per injuriam contemptus,

de quo pernobiliter sentiunt Hagiographi Antverpien.

Quod vero pertinet ad historiam D. Georgii, non deerunt sane permulta & ubique pervulgata Mss. exemplaria, unde Jacobus delectu habito, & singulari, quo pollebat, judicio adhibito, ea potissimum decerperet, quæ vera, aut certe verisimilia esse duceret. Certe Papebrochio aliisque cordatis ne venit quidem in mentem dubitare, quin ille quidquid de B. Georgio scripsit, id omne desumpserit ex aliquo codice, & quidem perantiquo, ut Gaspar Ofculanus, & Laurentius Finicchiarus docent. Idem Papebrochius, cum Jacobum vindicaret a calumniis Isaaci Pontani, qui huic præclarissimo viro turpissime maledixit, quamquam eum nimia aliquando credulitate peccasse arguat, facere tamen non potuit, quin Auream legendam iis, quibus digna erat, laudibus afficeret; quippe cum ætas illa haud sane admodum culta, cujus commodo Jacobus, cum scriberet, inservire voluit, multum ex eadem legenda utilitatis perceperit. *De veris Sanctis Illyricum Sacrum.*

Ellis, inquit Com. præv. §. v. *falsa quædam successu temporum scripta, nimiumque facile a Jacobo recepta non dissitemur, immo ipsi sæpe primi ostendimus; sed dignum negamus virum professione religiosum, moribus incultatum, gradu Episcopum, qui a Sciolo & Novatoribus sic proscindatur, ob librum magno illius sæculi commodo, licet non maximo, & stylo non latinissimo scriptum.*

Verum in hac D. Georgii historia examinanda probandaque, quam cautum se atque adeo difficilem Jacobus præbuerit, & quantopere illi cordi esset sinceri historici officium, quo caveatur, ne quid falsi aut dubii dicere audeat, ne quid veri & certi non audeat, vel illud argumento est, quod in eo, quem huic historiæ præfixit, prologo nihil eorum dissimulavit, quæ Actis S. Georgii obesse viderentur; nam & lectorem de illa censura admonuit, quam historiæ Georgianæ ab Nicæno concilio inflictam putavit; & quæ de Georgii martyrio variant Auctores, aperte & ingenue exposuit, propterea quod verebatur, ne quid in historia ab se descripta lectoribus obtruderet, quod canonicæ illi animadversioni subesset; vel ob varias atque inter se dissidentes scriptorum opiniones, falsi suspicionem haberet. Præclara Jacobi admonitio digna mihi visa est, quæ hujus loco interseratur; ex qua quoddam veluti specimen capere liceat diligentiæ & cautionis, quam ille in describendis Divorum historiis adhibuit: *Ejus legenda inter scripturas apocryphas in Nicæno Concilio connumeratur ex eo, quod ejus martyrium certam relationem non habet. Nam in Kalendario Bedæ dicitur, quod passus sit in Persida civitate Diospoli, quæ prius Lydda vocabatur, & est juxta Joppem; & alibi dicitur, quod passus sit sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. Alibi legitur, quod sub Diocletiano Imperatore Persarum præsentibus 70. Regibus imperii sui. Hic dicitur, quod sub Daciano Præside Imperantibus Diocletiano & Maximiano.* Eamdem criticam animadversionem, & iisdem fere verbis ex Jacobo desumpsit Petrus Equilinus, & quam ille præposuit, hic subjecit Actis S. Georgii. Cæterum ad ea, quæ ex censura concilii Nicæni, vel ex rerum discrepantia ad labefactandam historiæ Georgianæ fidem objici solent argumenta, capite superiori respondimus. Quod autem Jacobus de Voragine, itemque Petrus Equilinus ajunt in *Kalendario Bedæ* martyrium S. Georgii affixum esse *civitati Diospoli in Persida*, id ex aliquo Bedæ apographo uterque descripsit, quod nobis ignotum est; nam in eo, quod nunc extat, genuino Martyrologio Bedæ hæc solum leguntur: *Natale S. Georgii Martyris*, nec locus martyrii additur, qui abest etiam ab hodierno Martyrologio Romano, ubi ad verba illa Bedæ, hæc apponuntur ex Usuardo: *cujus illustre martyrium inter coronas Martyrum ecclesia Dei veneratur.* Sed in eo cum cæteris erravit Jacobus, quod quidquid de Georgio scribebat, id omne, non ad Salonitanum nullibi tum cognitum, sed ad Palæstinum Martyrem, quem omnes norant, pertinere existimabat.

Censura Jacobi in Acta Georgiana.

Cæterum si nihilo secius homines quidam contentionis cupidiores, quam veritatis, nimiam Jacobi credulitatem accusare pergant, præsertim quod celebrem illam de interfecto Dracone victoriam & recipere, & concoquere potuerit, accusent sane Albertum Magnum, accusent Alberti Discipulum longe maximum D. Thomam Aquinatem, accusent Jacobum Card. Stephaneschium, accusent Petrum Equilinum, & alios quamplurimos bonos & graves auctores, qui adeo non existimarunt historiam illam contemptu, quam relatu digniorem, ut ab sua gravitate & prudentia minime alienum duxerint,

Georgiana cum Dracone pugna, non solum ab Jacobo,

sed etiam ab aliis gravissimis viris recepta.

xerint, eamdem sine dubitatione excipere, & suis præterea scriptis commendare. Sed ad vindicandam Jacobi auctoritatem facere nequeo, quin huic loco intexam præclarum illud sanctitatis & sapientiæ testimonium, quod eidem tribuunt Hagiologi Antuerpienses in prætermissis sub die xv. Julii: *Jacobus de Voragine Genuensis Archiep., ex Ordine S. Dominici assumptus, satis communiter a suis Beati titulo insignitur, sicque hac die refertur in Diario Marchesii; quin & imaginem altari ejus nomini dicato impositam asserit Joannes Michael Pius in Dominicana Progenie pag. 422. appensaque ibidem anathemata &c. Scimus virum multa doctrinæ & sanctitatis laude claruisse, mortuum anno 1298. Verum Beati aut Sancti honores legitime permissos aut decretos ignoramus.*

§. II.

Quam ob causam potius ex Aurea Legenda, quam alunde Acta Georgii Salonitani desumpserimus.

Ex Aurea Legenda Acta Georgii Salonitani sumpsimus,

CUr autem ex omnibus Georgiani Martyrii Latinis historiis hanc ab Jacobo descriptam potissimum delegerim, & ad sincera ac germana Georgii Acta proxime omnium accedere putem, hoc potissimum causæ fuit, quod eamdem Slavonice scriptam in usu esse comperi atque in pretio apud Salonitanos; quippe hæc in tres lectiones distributa, singulis annis ex antiquissima consuetudine ipso die festo S. Georgii in templo Georgiano agri Salonitani pro suggestu ad populum canoro modulamine recitari solebat. Porro qui Latinum Voraginense cum Slavonico Salonitano exemplo conferat, is clare perspiciet vel alterum ex altero, vel utrumque ex eodem autographo derivatum fuisse; ita inter se & rebus, & sententiis congruunt. Hoc maxime inter utrumque interest, quod victoriam illam de Dracone ab Georgio relatam Jacobus quidem disjunxit, codex vero Salonitanus cum historia martyrii conjunxit; & præterea pauciſſima quædam in altero utro desiderantur, quæ in altero leguntur. Quocirca ne operæ quidem esse duxi Slavonicum exemplar Latine conversum hic describere; nam Voraginense qui legat, is & Salonitanum legerit; nihil quippe videtur esse unum uni tam simile, tam par, qua sunt inter se hæc duo exemplaria; sicubi autem alterum ab altero vel paullulum differat, hoc quidquid est discriminis, indicabimus in notis, quas ad hanc historiam appositurі sumus. Ita fiet, ut Lectores neque Salonitani codicis exemplum magnopere desiderent, vel a nobis exigendum putent, neque necesse habeant id laboris ac molestiæ subire, quod ex iterata earumdem rerum lectione oriri solet.

quod hæc cum Actis Georgianis Slavonice scriptis congruant.

Fortasse Jacobus e Slavonico exemplari sum Georgio historiam descripsit.

Ego vero facile in eam opinionem adducor, ut existimem Jacobum de Voragine nactum fuisse Salonitani codicis exemplar aliquod, unde Georgii nostri historiam descripserit; neque sane illi Dalmaticorum monumentorum copia deesse potuit, quippe cum dubium esse nequeat, quin Januensibus infesta classe Illyricum maritimum depopulantibus occasio & facultas fuerit expilandi Dalmatica tabularia, & indidem quoscumque vellent codices auferendi, quos in patriam asportarent. In his, ut verisimile est, illud apographum fortasse fuit, de quo nunc agimus; quod cum Jacobo Episcopo Januensi undique ad summum opus adornandum vetera monumenta conquirenti ad manus venisset, & valde probavit, & dignum esse censuit, ex quo vitam & martyrium S. Georgii, ut ipse putabat, Palæstini describeret. Multo enim probabilius est Voraginense exemplum e Salonitano, quam hoc ex illo desumptum fuisse. Nam apud Spalatenses historiæ eo, quem dixi, ritu cantuque recitandæ consuetudo antiquissima erat, omnemque superiorum ætatum memoriam facile antecedit. Ex quo fit, ut hæc historia Spalatensibus in usu ac manibus multo ante fuerit, quam Aurea Legenda in lucem prodiret. Nec longe fortassis a veritate aberit, qui putet illam primam Latine conscriptam fuisse ab iis, qui vel Georgio Salonitano Episcopo æquales erant, vel ab ejus ætate admodum recentes: tamdiu vero sinceram incorruptamque ex aliis in alias ætates pervenisse, quoad Salona funditus eversa, & aliquot post sæculis Georgii Salonitani memoria penitus abolita, ab imperitis, & Dalmaticæ antiquitatis ignaris interpolari, & Slavonicis literis mandari cœpit. Cum enim hanc historiam pertinere putarent ad Georgium Palæstinum, cujus notitiam tantummodo habebant, quique unus sui nominis fama, & celebritate universam Asiam atque Europam compleverat, inde factum est, ut quæ in eadem historia cum Palæstino congruere videbantur, ea prorsus intacta reliquerint, quæ vero cum eodem non satis cohærere animadvertebant, ea veluti alio pertinentia detraxerint; & pauca præterea ex iis adjunxerint, quæ de Palæstino vel fama, & auditione acceperant, vel ex ejusdem Actis cognoverant, ut in ea luculentius Palæstini illius Militis ac Martyris personam effigiemque exprimerent.

Habes igitur causam, nec sane improbabilem, cur ex omnibus Latinis Georgianis apographis nullum esse duximus, quod ad vetera ac sincera Georgii nostri Acta propius accederet, quam Salonitanum, & quod ex eo descriptum videtur, Voraginense. Eodem pertinet, quod, si pauca quædam excipias, quæ nostris ad hanc historiam notis indicabimus, nihil in ea reperitur, quod a Georgio Salonitano Episcopo abhorreat, si quidem temporum, locorum, ac personarum ratio habeatur. Quare sic habeto, quidquid de Georgio Jacobus scripsit, id aut fere omne, aut majori ex parte ad Salonitanum referri oportere; & ex Voraginensi apographo regulam sumendam esse, quam potissimum adhibeas ad sejungenda conjuncta & permixta utriusque Georgii Acta; quaque dijudicare possis, quid ad nostrum, quidve ad Georgium Palæstinum attineat. Collato enim Voraginensi cum cæteris exemplaribus, quæ non in his, sed in illo reperies, ex Salonitano Georgio attribuas licet; quæ utrobique invenientur, alterutri adjudicas; quæ vero absunt a Voraginensi, ea ad Georgium Palæstinum spectare existimes.

Illud præterea huic exemplo auctoritatem conciliat, quod in eo mira inest cum perspicuitate conjuncta brevitas, & simplex quoddam dicendi genus elucet; id quod in Actis Martyrum laudem habet, & Baronius in aliis Georgianæ historiæ codicibus desiderabat. Non hic multiplicium rerum ac supplicionum indigesta congeries, non crebræ ac prolixæ conciones, nullæ longiores paraphrases, nulli Dialogi, nulla carmina intertexta, cum ejusmodi spargis Lateranensis, & Veronensis, aliique ejusdem generis codices plus nimio redundent. Tota narratio brevis est, simplex, aperta, nullis pigmentis oblita, in qua inest quidam hic nullo fuco veritatis color, qui legentium fidem per se ipse abdicit, & historiæ auctoritatem adjungit.

Nec vero omnia, quæ Jacobus huic historiæ vel præposuit, vel subjecit, in hunc locum conferenda censemus; nam quemadmodum illé pugnam cum Dracone initam, & Georgii victoriam, ab ejusdem gestis, & martyrio disjunxit; ita nos utramque

que

que indidem ſejunximus, & infra in opportuniorem locum rejecimus. Totum vero Prologum reſecuimus, neque deſcriptu vel dignum, vel neceſſarium eſſe cenſuimus; nam poſteriorem ejus partem, quæ Jacobi admonitionem doctrinæ ac prudentiæ plenam continet, paragrapho ſuperiori deſcripſimus; priorem vero, quæ tota eſt in variis, ineruditis, abſurdiſque ſignificationibus Georgii vocabulo ſubjiciendis, & Scriptore illo doctiſſimo, & hoc loco indignam eſſe judicamus. Multas ſane hujuſmodi nominum interpretationes invenies in his prologis, quos Divorum hiſtoriis Jacobus præfixit. Sed cum pleræque admodum ineptæ ſint, atque inſulſæ, jure ac merito Joannes Bollandus cenſuit eas ab Jacobi prudentia & doctrina alieniſſimas eſſe; ac proinde ab imperitis quibuſdam indoctiſque interpolatoribus intruſas fuiſſe.

Præterea ad calcem hiſtoriæ adjecta ſunt duo miracula per D. Georgium poſt mortem edita, alterum ex Gregorio Turonenſi, alterum ex hiſtoria Antiochena deſumptum; ſed cum utrumque, vel certe ſecundum non Salonitano, ſed Palæſtino Georgio adjudicari oporteat, nihil eſt, cur noſtri Georgii Actis ſubnectantur; quare ſatius eſſe duximus illa prætermittere, quam iiſdem referendis, quæ ad rem noſtram non pertinent, hujus libri hiſtoriæque curſum morari. His ita conſtitutis & explicatis, age nunc, Acta ipſa proferamus, quorum cauſa hæc præfari neceſſe habuimus.

§. III.

Acta Georgii Salonitani Epiſcopi & martyris

Ex aurea Legenda Jacobi de Voragine.

a b c d E*O tempore imperantibus* a *Diocletiano, & Maximiano ſub Præſide* b *Daciano* c *tanta perſecutio Chriſtianorum fuit, ut intra unum menſem* d xvii. *millia martyrio coronarentur. Unde inter tot tormentorum genera multi Chriſtianorum deficiebant, & idolis immolabant. Quod videns S. Georgius tactus dolore cordis intrinſecus omnia, quæ habebat, diſperſit,* e *militarem habitum abjecit, Chriſtianorum habitum induit, & in medium proſiliens exclamavit:* f *Omnes dii gentium dæmonia, dominus autem cœlos fecit. Cui* g *Præſes iratus dixit: Qua præſumptione audes deos noſtros dæmonia appellare; dic tamen, unde es tu, aut quo nomine vocaris? Cui Georgius ait: Georgius vocor ex nobili* h *Cappadocum proſapia ortus. Palæſtinam Chriſto favente* i *devici, ſed omnia deſerui, ut ſervire poſſem liberius Deo Cœli.*

Cum autem Præſes eum ad ſe inclinare non poſſet, juſſit eum in k *equuleum levari, & membratim corpus ejus unguibus laniari, oppoſitis inſuper ad latera facibus patentibus viſcerum rimis, ſale plagas ejus fricare juſſit. Eadem nocte* l *Dominus cum ingenti lumine ei apparuit, & ipſum dulciter confortavit. Cujus melliflua viſione, & allocutione ſic confortatus eſt, ut pro nihilo duceret cruciatus. Videns Dacianus, quod eum pœnis ſuperare non poſſet, quemdam* m *Magum accerſivit, eique dixit: Chriſtiani ſuis magicis artibus tormenta ludificant, & deorum noſtrorum ſacrificia parvi pendunt. Cui Magus: ſi artes ejus ſuperare nequivero, capitis reus ero. Ipſe maleficiis ſuis injectis, & deorum ſuorum nominibus invocatis, venenum vino immiſcuit, & S. Georgio ſumendum porrexit. Contra quod vir Dei ſignum crucis edidit, hauſtoque eo nihil læſionis ſenſit. Rurſum Magus priore fortius venenum immiſcuit, quod vir Dei ſigno crucis edito ſine læſione aliqua totum bibit.*

Quo viſo Magus ſtatim ad pedes ejus cecidit: veniam lamentabiliter petiit, & ſe Chriſtianum fieri poſtulavit; quem mox judex decollari fecit: & ſequenti die juſſit Georgium poni in rota gladiis bis acutis undique circumſepta, ſed ſtatim n *rota frangitur, & Georgius illæſus penitus invenitur. Tunc iratus juſſit eum in* o *ſartaginem plumbo liquefacto plenam projici: qui facto ſigno crucis in eam intravit, ſed virtute Dei cœpit in ea, quaſi in balneo reſoveri.*

Quod videns p *Dacianus cogitavit eum emollire blanditiis, quem minis ſuperare non poterat, vel tormentis, dixitque illi: vides, fili* pp *Georgi, quanta manſuetudinis ſunt dii noſtri, qui te blaſphemum tam patienter ſuſtinent, parati nihilominus, ſi converti volueris, indulgere. Age ergo, dilectiſſime fili, quod hortor, ut ſuperſtitione relicta diis noſtris ſacrifices, ut magnos ab ipſis & a nobis conſequaris honores. Cui Georgius ſubridens ait: Ut quid a principio non magis mihi perſuaſiſti blandis ſermonibus, quam tormentis?* q *Ecce paratus ſum facere, quod hortaris. Hac promiſſione Dacianus deluſus lætus efficitur, juſſitque ſub voce præconis, ut omnes ad ſe convenirent, & Georgium tamdiu reluctantem, tandem cedere, & ſacrificare viderent. Ornata igitur tota civitate præ gaudio, cum Georgius idolorum templum ſacrificaturus intraret, & omnes ibidem gaudentes adſtarent, flexis genibus dominum exoravit, ut templum cum idolis ſic omnino deſtrueret, quatenus ad ſui laudem, & populi converſionem nihil de eo penitus remaneret. Statimque ignis de cœlo deſcendens templum cum diis & ſacerdotibus concremavit: terraque ſe aperiens omnes eorum reliquias deglutivit.*

Hic exclamat r *Ambroſius in præfatione dicens: Georgius fideliſſimus miles Chriſti, dum Chriſtianitatis profeſſio ſilentio tegeretur, ſolus inter Chriſticolas intrepidus Dei filium eſt confeſſus. Cui & tantam conſtantiam gratia divina conceſſit, ut & tyrannicæ poteſtatis præcepta contemneret, & innumerabilium non formidaret tormenta pœnarum. O felix, & inclytus Domini præliator, quem non ſolum temporalis regni blanda non perſuaſit promiſſio, ſed perſecutore deluſo ſimulacrorum ejus portenta in abyſſum dejecit.*

Hæc Ambroſius. Hoc audiens Dacianus Georgium ad ſe adduci fecit: eique dixit, quæ ſunt maleficia tua peſſime hominum, qui tantum facinus commiſiſti. Cui Georgius: Nam credas me non ſacrificare, ſed mecum perge, & iterum me immolare vide. Cui ille: intelligo fraudem tuam: quia vis me facere abſorberi, ſicut templum, & deos meos abſorberi feciſti. Cui Georgius. Dic mihi miſer, dii tui, qui ſe juvare non potuerunt, quomodo te juvabunt? Iratus s *Rex nimis dixit* t *Alexandriæ uxori ſuæ: deficiens moriar, quia ab hoc homine me ſuperatum cerno. Cui illa: Tyranne crudelis, & carnifex, nunquid non dixi tibi ſæpius, ne Chriſtianis moleſtus eſſes, quia Deus eorum pro ipſis pugnaret, & nunc ſcias me velle fieri Chriſtianam. Stupefactus Rex ait: Heu proh dolor, numquid & tu es ſeducta? fecitque eam per capillos ſuſpendi, & flagellis duriſſime cædi. Quæ dum cæderetur, dixit Georgio: Georgii lumen veritatis, quo putas perveniam nondum aqua baptiſmatis renata? Cui Georgius: Nihil hæſites filia* tt, *quia ſanguinis tui effuſio baptiſmus tui reputabitur, & corona. Tunc* u *illa orans ad Dominum emiſit ſpiritum.*

x *Hic atteſtatur Ambroſius in præfatione dicens: Ob hoc & gentium Regina Perſarum crudeli a viro dictata ſententia nondum baptiſmi gratiam conſecuta, glorioſæ paſſionis meruit palmam, unde nec dubitare poſſumus, quod roſea perfuſa ſanguinis unda,*

Georgius in falſos Deos oratione invehitur.

Equuleo, ungulis, facibus & ſale vulneribus injecto torquetur.

Venenum a Mago paratum impune haurit.

Magi converſio, & martyrium.

n Eu rotam conjicitur,

o & in ſartaginem : utrique illæſus.

p Blanditiis appetitur,

pp

q Ad ſe Fanum adduci.

Ignem a Cœlo devocat, quo templum cum idolis & ſacrificulis abſumitur.

r

s t Alexandræ converſio,

u quæ flagellis cæſa,

tt & ſui ſanguinis baptiſmo expiata migrat ad Dominum.

x

reseratas poli januas ingredi meruit, regnumque possidere Cælorum. Hæc Ambrosius.

Capitalis in Georgii sententia.

Sequenti vero die Georgius talem accepit sententiam, ut per totam civitatem traheretur: postmodum capite puniretur. Oravit autem ad Dominum, ut quicumque ejus imploraret auxilium, petitionis suæ consequeretur effectum. Divina y *autem vox ad eum venit, quod sic fieret, ut oravit. Completa oratione, capitis abscissione martyrium consummavit sub Diocletiano, & Maximiano, qui cœperunt circa annum Domini* aa *CCLXXVII.* bb *Dacianus autem cum de loco, in quo decollatus est, ad palatium rediret, ignis de cælo cecidit: & ipsum cum ministris suis consumpsit.*

aa bb Dacianus cum ministris igne cœlesti conflagratus.

§. IV.

Notæ in Acta Georgii Salonitani.

a Diocletianus anno æræ vulgaris 284. imperare cœpit. Anno 285. Maximianum Herculeum Cæsarem creavit, quem anno insequenti jure ac titulo augustali donatum imperii collegam adscivit.

b Cave hunc confundas cum altero Daciano, qui aliquot post annis jam sæviente universali persecutione Christianos in Hispania acerbissime divexavit. Huic, de quo hic sermo est, Syriacam Præfecturam decreverat Diocletianus, qui Roma in Orientem proficiscens, eumdem cum Magnentio & Theognide Libyæ, & Ægypti Præfectis designatis, ejus itineris atque expeditionis comitem sibi adjunxerat, ut docet codex Rosweydanus.

c Hæc est illa universalis persecutio, quam Diocletianus an. 303. Nicomediæ tori ecclesiæ indixit, quæ ex Actis Georgii Palæstini in Acta Georgii Salonitani irrepsit; hic quippe aliquot ante annis, ille vero sub initium ejusdem persecutionis martyrium subiit. Nam Diocletianus antequam ferali illo edicto Nicomediæ evulgato universam ecclesiam ad exitium vocaret, variis in locis identidem Christianos exagitavit, nullam in eos sæviendi occasionem, si qua oblata esset, prætermittens. Anno Christi 296. Salonæ aderat, cum more suo adversus Christianos procellam sane ingentem excitavit, qua perculsus Georgius Salonitanus Episcopus interiit, ad eum quippe annum Georgii martyrium referendum esse existimamus. Eodem anno Diocletianus inito jam vere e Dalmatia cum Italicis Illyricisque copiis discessit, quas partim Galerio ad Persicum bellum gerendum tradidit, partim secum deduxit ad expeditionem Ægyptiacam, & obsidionem Alexandriæ, quam Achilleus tyrannus occupaverat. Vid. cap. 3. §. IV. De temporum discrepantia.

d Huic numero Slavonicus codex decem millia adjecit; alia exemplaria vel eumdem numerum habent, vel cæsorum martyrum capita nullo certo numero definiunt. Sed hæc pertinent ad tempus persecutionis universalis & Acta Georgii Palæstini.

e Hæc a Georgio Milite ad Georgium Episcopum perperam translata sunt.

f Hic codices Lateranensis & Veronensis Georgio ea verba affingunt, quæ illum Episcopali munere ac dignitate præditum fuisse declarant.

g Is erat Dacianus, qui Syriæ Præfectus designatus, tum versabatur in Dalmatia cum Diocletiano, a quo Christianis torquendis præesse jussus fuerat. Vide cap. 3. §. VI. De judicibus Georgiano martyrio præpositis.

h Vide cap. 3. §. I. De locorum discrepantia.

i Idem in multis codicibus legitur. Sed vel neutri Georgio congruit, vel ad Palæstinum militem aliquo modo accommodari potest.

k Equuleum, ungulæ, faces lateribus admotæ, sal plagis injectum, cum absint ab Græcis exemplaribus, & in Latinis fere omnibus reperiantur, videntur spectare ad Georgium Salonitanum.

l Georgio apud Latinos Christus Dominus, apud Græcos Angelus quidam cœlo delapsus, conspicuum se præsentemque obtulit, & solatio pariter atque auxilio fuit. Hinc etiam discrimen suppetit, unde alterum ab altero Georgium internoscere possis; præsertim quod aliis Salonitanus, aliis Palæstinus suppliciis perfunctus erat, cum cœleste visum utrique objectum esse dicitur. Cæterum in Ms. Græco Card. Bessarionis etiam Georgio Palæstino, paullo ante quam extremum supplicium subiret, Christi species oblata fuisse legitur.

m Georgianum cum Mago certamen, venenum semel atque iterum impune haustum a Georgio, Magi conversionem ac martyrium habent. Acta omnia Georgiana tum Græca, tum Latina; hoc tantum interest, quod Magus ille in Græcis Athanasius vocatur, in Latinis nullo nomine afficitur. Id vero sive utrique, sive alterutri Georgio attribuas per me licet.

n Et Græci & Latini Scriptores Georgium in rota illigatum exhibent. Sed hi rota confracta illæsum, illi vero fœde laceratum, ac postea divinitus sanatum.

o Sartaginem plumbo liquefacto ferventem cum Latini tantum commemorent, id supplicii genus ad Georgium Salonitanum referendum censeo.

p Dubitari nequit, quin Diocletianus & Salonæ, & Georgii Episcopi supplicio interfuerit, ut constat ex codicibus Lateranensi & Veronensi, quamvis ejusdem præsentiæ nusquam meminerint nec Jacobus de Voragine, nec Petrus Equilinus, nec legenda Slavonica. Suspicor hic pro *Daciano* legendum esse *Diocletianum*, ut certe infra legendus est, ubi de Alexandræ uxoris Diocletiani conversione & martyrio narratur.

pp Hæc appellatio in Palæstinum Georgium, non item in Salonitanum convenit.

q Quæ sequuntur, in Actis Græcis & Latinis paullo aliter descripta invenies; alibi enim eversa & confracta; alibi cœlestibus flammis incensa & absumpta simulacra dicuntur.

r De Præfatione Ambrosiana vide, quæ dicturi sumus cap. 7. §. 1. hæc verba Ambrosii desiderantur in Legenda Slavonica, ubi popularis tumultus ob templum cum Idolis & sacrificulis divinitus incensum, & vincula ob eamdem causam injecta Georgio, ac verbera inflicta narrantur.

s Hic haud dubie intelligendus est Diocletianus, cui regalis titulus pro Imperatorio tribuitur. Nam veteres non Daciani, sed Diocletiani conjugem Alexandram fuisse affirmant.

t Quamvis in Græcis & Latinis exemplaribus Alexandræ conversio & martyrium describatur, utrumque tamen Georgio Salonitano adscribendum est, ob eas, quas alibi attulimus, rationes.

tt Non est verisimile Georgium militem admodum juvenem id sibi arrogasse, ut Alexandram conjugem Diocletiani, ætate provectam filiæ vocabulo appellaret. Quæ quidem Alexandræ compellandæ ratio auctoritatis ac dignitatis plena cum Georgio Salonitano Episcopo præclare congruit.

u Hæc desunt in Legenda Slavonica; alii Alexandram capitali supplicio affectam, alii dum ad supplicium duceretur, placide obiisse tradunt.

x Vide iterum cap. 7. §. 1.

y De hac voce cœlo delapsa nihil Græci codices,

aa In

aa In Legenda Slavonica Georgii martyrium anno 287. affigitur, revocandum ex noſtris calculis ad annum æræ vulgaris 296. In eadem Legenda locus martyrii additur vel in *Perſide apud Dioſpolim*, *vel in Armenia apud Melitenam*. Vide cap. 3. §. 9. de loco martyrii.

bb Dacianum cum ſuo ſatellitio flammis divinitus immiſſis periiſſe tradunt etiam Petrus Equilinus, & Legenda Slavonica.

His Jacobus de Voragine duo miracula adjecit, quæ a nobis prætermittenda admonuimus. Eadem deſcripta ſunt in Legenda Slavonica, in qua multa præterea ſubjiciuntur, quæ partim ad Paleſtinum, partim referenda ſunt ad Georgium Salonitanum; veluti illud de capite S. Georgii, quod Zacharias Pontifex in Lateranenſi baſilica invenit, tranſtulitque in templum S. Georgii ad Velum aureum.

CAPUT VI.

De Pugna Georgii cum Dracone inita, & præclara ex eo relata victoria.

§. I.

De hac hiſtoria quæ ſint Doctorum hominum ſententiæ.

EN Rhodus, en ſaltus, (liceat in hanc rem transferre, quod Græcis hominibus eſt in proverbio) ubi hærent plerique; negantque humanam fidem uſque eo extendi poſſe, ut ea pro veris habeat, quæ omnes veriſimilitudinis fines tranſiliunt; & qui hiſce anilibus fabulis aſſenſum præbeat, huic nihil impoſterum tam arduum ac difficile ad credendum obtrudi poſſe ajunt, quod non ejus credulitas gnaviter impigreque tranſcendat. Incredibile ſane eſt, quantum rebus præclare geſtis D. Georgii vel fidei detraxerit, vel contemptus attulerit, quæ hic propoſita eſt de victo interfectoque Dracone hiſtoria; nam eam plane commentitiam eſſe, & vix dignam lucubratione aniculariam exiſtimant non ſolum illi, qui rerum antiquarum intelligentiam ponunt in aſſentiendi faſtidio, & pleraſque Divorum hiſtorias cenſorio quodam ſupercilio deſpiciunt; ſed etiam illi, qui non ſunt uſque adeo moroſi ac difficiles, ut omnia ad ſeveriſſimæ Criticæ leges exigant, ſed facile in veterum auctoritate ac teſtimonio acquieſcunt. Ut cæteros omnes omittam, Daniel Papebrochius hanc narrationem vocat *Fabulam*, *commentum plebejum*, *deliras narrationeculas &c.*

Pugnam Georgii cum Dracone alii improbant,

Sed multi etiam ſunt, qui contra ſentiunt, & illis, quos modo dixi, plane ex adverſo oppoſiti pugnant pro veritate hujus hiſtoriæ, eamque non modo approbant, ſed inſuper contendunt rem omnem, perinde ut narratur, ita vere geſtam fuiſſe, & ſimpliciter, ſine ulla interpretatione accipiendam eſſe; nihil huic ineſſe myſtici, nihil adumbrati, nihil alieni ab ea ſignificatione, quam verba ipſa ſenſibus animiſque legentium objiciunt; ac proinde verum fuiſſe Draconem, quo cum Georgius vere pugnavit, ut regiam puellam ab interitu vindicaret. Nec ſolum apud vulgus hæc invaluit opinio, ſed etiam gravium & nobilium Auctorum patrociniis defenditur; ex quibus ſane multos eſſe, omnino ad quadraginta, teſtatur Laurentius Finicchiarus par. 1. *de Vita S. Georgii*, quos & nominatim recenſuit; nec fortaſſe pauciores prætermiſit, qui vel ejus diligentiam ſubterfugerunt, vel poſt eum inde uſque ab anno octavo & quinquageſimo ſuperioris ſæculi, huic ſententiæ fautores ſe patronoſque præbuerunt: vel ii tamen, quos citavit Finicchiarus, ſane idonei ſunt ad fidem & auctoritatem huic opinioni conciliandam. Alii quippe ſummos eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus tenuerunt, veluti Jacobus Tit. S. Georgii in Velabro Cardin. Stephaneſchius, Jacobus de Voragine Epiſcopus Januenſis, Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus, Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuanus, Albertus Carraciolus Epiſcopus Aquinas; plerique vero cum in præclariſſimas Ordinum religioſorum familias nomen dediſſent, ſummam eruditionem cum ſingulari religione ac prudentia conjunxerunt. Longum eſt, & non neceſſarium ſingulos nominare, quorum catalogum bene longum confecimus; iſque apud nos accurate deſcriptus ſervatur, libris, locisque adnotatis, unde illorum teſtimonia peti poſſunt.

Porro qui hanc ſententiam non ſolum ſequuntur ipſi, ſed aliis etiam perſuadere conantur, his ferme rationibus utuntur. Quod per antiqua traditione nititur, & multorum ſæculorum conſenſu firmatur, negant enimvero id poſſe ſine temeritate in dubium revocari. Huic autem ſententiæ tum vetus traditio, tum conſtans plurimarum gentium ætatumque conſenſio aperte ſuffragatur; nam ut omnia alia deſint argumenta, quorſum pertinent famoſæ illæ, multoque veuſtiſſimæ imagines ubique pervulgatæ, nec ſolum in vulgaribus ædiculis, ſed in ipſis quoque baſilicis vel magnificentia, vel religione celeberrimis, ad memoriam ſempiternam affixæ, in quibus hodieque viſitur D. Georgius ex equo in Draconem haſtam contorquens? Nimirum non modo memorabilis illius pugnæ fidem certiſſimam faciunt, ſed præterea ſignificant antiquiſſimam eſſe, quæ hac de re viget etiamnum apud Chriſtianos, opinionem, eamque ab his, qui rei geſtæ interfuerunt, veluti per manus traditam, & in omnes deinceps ætates propagatam, in omnium fere gentium animis mentibuſque ita penitus inſediſſe, nulla ut temporis diuturnitate evelli potuerit. Nec vero ſi res hæc prodigialior quibuſdam, quam admirabilior eſſe, & ab ipſa noſtrorum ſenſuum aurtumque comprobatione longe abhorrere videatur, idcirco fides illi deroganda eſt; niſi vero exiſtimemus, quæ præter vim præterque inſtitutum naturæ divinitus patrantur, ea ingenii noſtri modulo metienda eſſe, & ad noſtrum ſenſum noſtramque intelligentiam accommodari oportere. Multa ſane hujuſmodi prodigiis ac monſtris, quam veris miraculis, in ſpeciem ſimiliora tum in probatiſſimis Divorum hiſtoriis, tum in ſacris divinisque codicibus ſæpius legas; quæ tamen facta eſſe nemo inficiabitur, niſi qui aut Chriſtianam fidem ex animo ante abjecerit, aut plane impudens ac temerarius haberi velit. Hæc ferme illi, quæ videri poſſunt apud Ludovicum Zacunium Ordin. Prædic. in Apologia feſti S. Georgii, & apud Laurentium Finicchiarum in vita S. Georgii par. 1. §. 5. itemque apud alios, qui graviter queruntur, hanc hiſtoriam tot ſæculorum atque nationum approbatione receptam, a quibuſdam non modo in dubium vocari, ſed etiam in contemptum adduci. An autem hiſce argumentis id, quod volunt, efficiant, aliorum ſit judicium.

Aſſir. probatc.

Traditio remota tum confirmat.

Vis divina fieri potuiſſe declarat.

§. II.

Hæc de re quæ ſit noſtra ſententia.

MIhi vero ſummopere placet tertia quorumdam ſententia & intellectu planior, & creditu facilior,

Tertia sententia eorum, qui narrationem illam allegoricam esse putant.

cilior, qua duæ illæ, quas modo expoſui, opiniones longiſſime inter ſe diſcrepantes componi queant. Hi ſiquidem Auctoribus primæ & alterius opinionis tamquam medii, cum utriſque aliqua ex parte conſentiunt; nam & hanc hiſtoriam admittendam putant ob eam, quæ debetur antiquitati, reverentiam; & idonea quadam interpretatione adhibita in eam partem accipiunt, qua fieri poſſit cuique credibilis. Ajunt quippe omnia, quæ hic narrantur, & pugnam illam, & Draconem, & regiam puellam ab internecione prohibitam, ad figuratum quoddam & allegoricum dicendi genus referri oportere: tota enim narratio conſtat e rebus fictis illis quidem & adumbratis, quibus tamen veritas hiſtorica ſubeſt, ac proinde aliud verbis exprimit, aliud reipſa ſignificat. Hanc porro ſive parabolam mutuato e ſacris litteris vocabulo, ſive quoddam haud ſane inelegans poema, ſive etiam apologum & fabulam appellaveris per me licet; nam & fabulis ſua veritas ineſt; & multa ſcitu, cognituque digniſſima, non ſine cauſa fictis fabulis ſapientiſſimi homines memoriæ prodiderunt. Sed utcumque appellandam exiſtimes, haud inepte revocari poteſt ad commune illud allegoriarum genus, quæ ſecluſa propria verborum ſignificatione, ex pluribus & continuatis translationibus coaleſcunt. Cave autem putes hujuſcemodi dictionis genus aut mendax & inane eſſe, cui nulla res ſubſit ab Auctore percepta & cognita, aut certe levius ac puerilius, quam ut cordatis viris probari vel in uſu eſſe debeat. Quis eſt divinarum litterarum tam rudis, qui neſciat pleraque religionis noſtræ myſteria quibuſdam allegoriis involuta tradi? quam multos in eo codice omnium ſine controverſia graviſſimo & veraciſſimo invenies tropos a vulgari loquendi conſuetudine alienos, quam multa nobis inaudita proverbia, quam multas parabolas peregrinas, & translationes interdum etiam longiſſime petitas; in quibus tamen nihil falſum, nihil inane, nihil ſine cauſa, nihil ſine myſterio. Præclare ſane, graviterque Auguſtinus omnem vel levitatis vel mendacii ſuſpicionem ab hoc orationis genere dimovit: *Quæ*, inquit contra Mend. cap. 10. *ſi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ, & figuræ ſignificandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in eis aliud ex alio intelligendum, dicentur eſſe mendacia, quod abſit omnino; nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus poteſt hanc importare calumniam, ita ut hæc ipſa, quæ appellatur metaphora, hoc eſt de re propria ad rem impropriam verbi alicujus uſurpata translatio, poſſit iſta ratione mendacium nuncupari.*

Ad ſcribendi genus antiquum præſertim apud Græcos.

Veterum temporum & Scriptorum conſuetudo hæc fuit, viguitque præſertim apud Græcos, ut res hiſtoricas ad erudiendos pariter oblectandoſque legentium animos, feſtivis allegoriis involverent, & fabuloſis narrationibus conveſtirent. Herodotus, qui princeps genus hoc ornavit, idemque Pater hiſtoriæ dictus & habitus eſt, in iis libris, quos ſcripſit, rebus fictis & adumbratis loci plurimum tribuit; nemo autem propterea aut illi hiſtoriæ principatum ademerit, aut negaverit in ejus lucubrationibus, in quibus poetæ verius, quam hiſtorici partes agit, rerum heroicis illis temporibus geſtarum memoriam contineri. Verum inſcriptione ipſa ille præmonuit non eſſe in ejus libris hiſtoriæ rationem ad vivum reſecandam. Muſas videlicet inſcripſit, quibus fabulæ interdum conceſſæ ſunt, ut audientium animos jucundius, & ſuavius allectent, quod puræ inornatæque orationis ſeveritate non perinde aſſequerentur. Huc pertinent celeberrimarum urbium primordia poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis tradita, quæ paſſim ſuis libris intexuit Stephanus Geographus, ſive is, qui Stephani lucubrationes in Epitomam redegit. Huc itidem revocandos cenſeo eventus illos æque jucundos atque admirabiles, quos plerique veteres Trojanæ urbis obſidioni, atque incendio affingunt, unde mirum quantum huic hiſtoriæ vel ad eruditionem, vel ad oblectationem accedit. Tantum vero abeſt, ut prudentes viri iſtiuſmodi narrationes propterea faſtidiant, atque rejiciant, quod in iis paſſim offendant jocoſa cum ſeriis, ficta cum veris permixta; ut potius ad eas interpretandas ſingulare ſtudium atque induſtriam conferendam putent, & explicatis allegoriarum involucris, hiſtoricam veritatem indidem elicere conentur. Quid quod ſacri etiam & eccleſiaſtici Scriptores, quæ Saturno ejuſque liberis antiquitas fabuloſa affinxit, in Nocmum hujuſque filios optime convenire docent; nec aliunde ferme, niſi ex confictis illis vel rerum eventibus, vel urbium primordiis præcipuas epochas deſumunt, quibus temporum ante Chriſti adventum continuationem ſeriemque contexant, & veterem chronologiam certa ratione atque ordine componant.

Neque illud hoc loco prætermittendum cenſeo, quod hinc etiam orta eſt celeberrima illa ac tripartita diſtributio omnium omnino temporum, quæ ab orbe condito ad noſtram uſque ætatem fluxerunt. Prima ætas, quæ a Mundi primordiis propius abeſt, dicitur *Tempus Obſcurum*, propterea quod, cum hiſtoriam profanam illorum ſæculorum vel oblivio obruerit, vel nemo ſcriptis mandaverit, luce litterarum careat. Altera ætas, quæ proxime conſequitur, vocari ſolet *Tempus Fabuloſum*, quippe cum Scriptores illius ætatis heroum memorabiles caſus, reſque præclare geſtas fabulis obvolverint, & fictis eventibus adumbraverint. Tertia denique ac poſtrema, quæ proximam ſuperiorem excepit, rite appellatur *Tempus Hiſtoricum*; nam tum demum rerum geſtarum memoria, nullis allegoriarum involucris tegi, & quaſi velis quibuſdam obtendi, ſed pure, aperte, dilucide litteris conſignari cœpit.

Verum enimvero vetus illa conſuetudo ſubjiciendi res veras narrationibus fictis & commentitiis non omnino exſolevit, ſimulatque fabuloſum illud tempus intercidit, quin immo ad inſequentes ætates dimanavit, a Græcis præſertim uſu retenta & litteris exculta, quorum plerique huic ſcribendi generi impenſius ſtuduere, quam ea tempora ferebant, cum jam ſimplex ac minime fucata ſcribendi ratio uſurpari cœperat. Nec vero ab hujuſmodi conſuetudine abhorruit Dalmatia, quæ olim a Græcis, quorum referta erat, ut Græciæ nomen, ſic hunc fabulas hiſtoriæ intexendi morem accepit. Nam in antiquiſſimis Dalmatiæ monumentis ſcriptum eſt, hoſce populos denominatos fuiſſe Anguigenas a celeberrimo illo Cadmo, unde originem traxiſſe dicuntur, qui fanę uberem, neque injucundam materiam Poetarum commentationibus ſuppeditavit. Quod ſapienter animadvertit ac notavit Thomas Archidiaconus Auctor hiſtoriæ Salonitanæ: *Secundum Poetarum fabulas*, inquit c. 1. *Cadmus dicitur in eamdem devenisse provinciam, quando in ſerpentem mutatus eſt; fuit autem civitas ejus Epitaurus, quæ eſt juxta Raguſium, in qua eſt magnum antrum, & uſque hodie opinio eſt ibi habitare Draconem; unde Poeta: Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, ut ſerpens Epitaurius &c. ob hanc cauſam populi dicebantur Anguigenæ, & etiam de B. Hilarione legitur, quod magnum ibi draconem peremit.* Neque vero Thomas, ut erat

Id genus ſcribendi apud Dalmatas uſurpatum.

vir

vir sapiens & prudens hujusmodi commentum ludibrio habuit, aut ex Dalmatica historia eradendum putavit; sed opportuna eruditaque explanatione adjecta, quid historicæ veritatis huic fabulæ subesset, ad hunc modum exposuit: *Secundum historiam vero idem Cadmus Rex fuit in Græcia, qui depulsus Regno venit in Dalmatiam, factusque pirata saevissimus, cœpit quasi lubricus anguis per mare discurrere, navigantibus insidiari, & quoscunque poterat, opprimere impotentes.* Ita nimirum sapientissimi hujus viri auctoritate & exemplo docemur in hisce narrationibus fictis & adumbratis duo distinguenda esse; alterum, quod verba ipsa per se cogitationi objiciunt; alterum, quod sub ipso verborum involucro latet; detrahi vero oportere illud quasi corticem figmenti Poetici, longeque a nostra intelligentia repelli; nucleum vero historicæ veritatis retineri, atque ad eorum eruditionem exponi, qui minus acute vident, quam ut ex iis, quæ sunt in promptu patentque omnibus, interiora quædam dignoscere, atque introspicere possint.

Eadem rebus fictis res veras obvolvendi ratio ab ecclesiasticis scriptoribus adhibita.

Quid quod hanc scribendi rationem ab Ethnicis & profanis Auctoribus usurpatam nonnumquam adamarunt Græci pariter Latinique Hagiologi, qui ab ejus, in quo versabantur, argumenti gravitate minime alienum esse duxerunt, pia quædam & præclara Divorum facta poeticis quasi pigmentis oblinere, & commentitiis rebus obvolvere; quo scilicet majore lectorum animos & admiratione afficerent, & voluptate perfunderent. Nam ut omittam, quod de allegorico illo Dracone per D. Hilarionem interfecto opportune admonuit Thomas Archidiaconus; nonne ejusdem generis Draco plus mysterii, quam figmenti continens & Constantino Magno, & Silvestro Romano Pontifici, & Theodoro Megalomartyri, aliisque sanctissimis viris bene multis vel a Pictoribus, vel ab historicis affingi, eorumque pedibus substerni solet? Nescio autem, quid venit in mentem Papebrochio dicere *plebejum*, quod vocat ille, *commentum* de pugna & victoria Georgiana apud Europæos recentius esse, quam ut ejus per Europam vulgandi initium supra millesimum, & centesimum annum repeti possit: *Ante annum millesimum, & centesimum*, inquit Comment. prævius §. 9. num. 17. *nihil ejus fuisse in Europa scitum prisca omnium antiquiorum silentium.* Non enim si Papebrochius nullos codices habuit undecimo sæculo antiquiores, in quibus res hæc descripta fuerit, continuo sequitur, eamdem neque ex majorum traditione vulgo notam fuisse, neque traditam vetustissimis Dalmatiæ monumentis a Papebrochio vel ignoratis, vel contemptis; ex quibus videtur desumpta esse legenda illa Slavonica, quæ Georgiani certaminis fidem facit, & ad D. Georgii laudes celebrandas ejusdem festo die inter sacra solemnia recitari quondam solebat. Cæterum non video, quid causæ sit, cur hujus pugnæ & victoriæ descriptio referri nequeat ad tempora ab ipsius Georgii morte ac martyrio recentissima; si enim Divorum imaginibus vel antiquissimis, veri significandi causa, aliquid ficti appingi solebat, cur simile quidpiam etiam in eorum historiis describendis fieri non potuit? Eusebius autem auctor est temporibus illis moris fuisse pictorum, ut ad pedes Constantini Magni cæsum Draconem, humique prostratum subjicerent; quod eo pertinebat, ut devictam ab illo vel tyrannidem, vel superstitionem designaret.

Descriptio Georgiana pugnæ antiquiores undecimo sæculo.

Hæc sententia cum Auctoribus primæ & alterius sententiæ conciliatur.

Jam vero, ut eo revertamur, unde tertiæ hujus sententiæ exponendæ initium fecimus, hanc sententiam qui tenent, iis facile videntur conciliari posse primæ & alterius opinionis Auctores, atque adeo ipsi inter se & nobiscum consentire, modo utrique aliquid de sua opinione remittere velint. Non enim video, quibus argumentis hanc sententiam oppugnare queant, qui pro illius historiæ veritate acerrime dimicant; quippe cum facta & tecta maneat tum majorum traditio, multarum, ut ajunt, ætatum consensu firmata, tum veterum codicum auctoritas, unde sumunt argumenta, quibus & suam communiant, & contrariam opinionem refellant; tantum no ægre patiantur totam illam narrationem, salva veritate, ad allegoricum orationis genus referri, & idonea interpretatione adhibita in eam partem accipi, qua & verisimilior fieri, & facilius cuique persuaderi possit. Nec vero huic sententiæ inviti subscribent, opinor, qui eamdem historiam plane rejiciunt, & commentitiis fabulis annumerant; nam judicræ illius pugnæ amoto velamine, detracta allegorici Draconis & mysticæ puellæ larva, evoluta denique istiusmodi integumentis, & patefacta historica veritate, nihil in ea narratione superest, quod eorum fides merito respuat, quodque Criticorum delicatissimas aures, intelligensque judicium averset. Et sane Cæsar Cardinalis Baronius, qui cæteroquin Actis S. Georgii plurimas gravissimasque censuras inflixit, idem adeo non abhorret a nostra sententia, ut etiam eam sibi sequendam putet; aperte enim affirmat ludicra illa & commentitia pugna rem veram adumbrari; & præterea quid rei illud sit, conjectura explicat in notis ad Martyr. die 23. April. *Picturam illam S. Georgii, qua effingitur eques armatus, qui hasta cuspide draconem interficit, juxta quem etiam virgo posita manus supplices tendens implorat auxilium, symboli potius, quam historia alicujus opinor, esse expressam imaginem: in nullis enim, quæ recensuimus S. Georgii Actis, antiquis quidquam hujusmodi legitur: sed a Jacobo de Voragine aliisque aliquam majorum auctoritate ea ad historiam referuntur, quæ potius in Virgine illa typum exprimunt (more majorum) provinciæ vel civitatis alicujus, quæ adversus Diaboli vires tanti martyris imploret auxilium. Symbolicas ejusmodi picturas pingi a Christianis olim consuevisse satis docet Eusebius in vita Constantini Imper. lib. 3. cap. 3., ubi agit de pictura Constantini, degue Dracone ab eo, medio ventre transfixo, & in mare projecto.*

Georgiana pugnæ interpretatio a Baronio adhibita.

Illud vero parvi interest, quod Baronius suam interpretationem ad picturas quidem referat, in quibus visitur hinc Georgius militari habitu atque vestitu ex equo Draconem hasta confodiens, illinc nobilis puella, supplicantis in morem, eximii Bellatoris opem implorans; non item vero ad illud genus scripturæ accommodet, quo res eadem poeticis figmentis adumbrata traditur. Nam una fere atque eadem est picturæ, & scripturæ ratio; idem utrique sive ad docendum, sive ad delectandum propositus finis: hoc tantum interest, quod res hujusmodi, quæ aliud oculis, aliud menti objiciunt, altera penicillo & coloribus, altera calamo & verbis exprimat. Cæterum quod omnium concessu Pictoribus permittitur, quibus fingendi licentia cum Poetis communem esse nemo ignorat, idem plane illis scriptoribus licet, qui non ad fallendum, sed ad oblectandum, umbratile quoddam, & allegoricum scribendi genus de industria consectantur. Utrum autem Jacobus de Voragine rem ita vere gestam esse crediderit, quemadmodum ab aliis describitur accepit, an vero huic descriptioni aliquid mystici subesse putaverit explanatione dignum, haud equidem scio. Ille sane, quod in antiquis monumentis invenerat, id summa cum fide in suos retulit libros, servatis iisdem non modo sententiis, sed

etiam

etiam verbis fortaſſe; neque veteri ſcripturæ aliquid de ſuo, interpretationis cauſa, addendum putavit, ut omnem interpolati codicis ſuſpicionem vitaret; remque omnem maluit lectorum judicio ſubjicere, quam quid ſuæ ſententiæ eſſet, aperte declarare.

Noſtræ ſententiæ favet Papebrochius.

Papebrochius item cum Baronio ſentit, & nobiſcum facit; variis ille quidem gravibuſque cenſuris hiſtoriam illam inuſſerat, ſed poſtea haud improbandam duxit, modo in aliud, atque vulgo accipitur, res tota interpretando ducatur; idque ſcribendi genus exemplis ſacrarum litterarum illuſtrat in Com. præv. §. 3. num. 21. pag. 105. *Præiverat in Apocalypſi ſua S. Joannes Evangeliſta; a quo deſcribitur mulier, typum eccleſiæ gerens, cui paritur parturæ imminebat Draco; Draco, inquam, ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus. Quia & ex ipſa ſacra Geneſi, ubi prædicatur ſerpenti conculcandum a muliere caput, ſumpſere occaſionem Chriſtiani, Deiparam Virginem ſic depingendi, ut non modo lunam ſub pedibus haberet, ſed etiam contritum caput ſerpentis. Quæ tamen omnia nihil ad hiſtoriam faciunt, niſi cortinam reducas, & ſymbolicæ expreſſionis involucrum auferas. Et talem eſſe S. Georgii imaginem omnes credimus cum eminentiſſimo Card. Baronio, ac pleriſque prudentioribus.* Viden' quam facile huic ſententiæ acquieſcant vel illi ipſi, qui cæteroquin ab hujuſmodi hiſtoria longiſſime abhorrent, ſi eam perinde accipi velimus, atque verba ipſa ſignificant? Jam vero illud reſtat, ut explicemus, quorſum ſpectet pugna illa, quid monſtri fuerit iſtiuſmodi Draco, cujus denique rei ſpeciem ac ſimilitudinem gerat regia illa virgo, cui D. Georgius præſidio ac ſaluti fuit. Id antequam facere aggrediar, inquiri oportet, utri Georgio, Paleſtinone, an Salonitano præclarum illud facinus & litteris traditum, & picturis expreſſum, attribui debeat.

§. III.

Georgianum cum Dracone prælium, relatamque victoriam veriſimilius ad Salonitanum, quam ad Paleſtinum Georgium referri.

HAnc pugnam & victoriam, quæcumque tandem ea fuerit, ſeu vera, ſive umbratilis, Georgio Salonitano Epiſcopo adſcribendam cenſeo. Argumento eſt, quod tota illa narratio tum a Menæis Græcorum & a Menologio Baſilii, tum a Græcis Georgianæ hiſtoriæ exemplaribus abeſt. His autem res geſtas Georgi Paleſtini potiſſimum contineri diximus, quamvis aliqua ex Actis noſtri Georgii deſumpta, & cum illis permixta eſſe comperimus. Non eſt autem veriſimile, ut præclarum hoc facinus, ſi vere fuit Georgii Paleſtini toto Oriente, totaque Græcia notiſſimi, ſilentio prætermiſerint Græci ſcriptores, qui multo impenſius, quam Latini, in id operam dabant, ut res hujuſmodi admirabiles ſtudioſe conquirerent, & poetico magis, quam hiſtorico ſtylo deſcriberent. E Græcis unicum omnino exemplar, in quo cæteris Georgianis miraculis, illud quoque de interfecto Dracone intertextum erat, Daniel Papebrochius Mediolani in Bibliotheca Ambroſiana reperit, quod tamen nec tribus ſæculis antiquius eſſe videbatur, & multa ibidem e Latino in Græcum ſermonem converſa deprehendit; ex quo conjici poteſt hanc quoque prodigioſam hiſtoriam illuc e Latinis codicibus invectam eſſe, in quibus, ut alibi diximus, Acta Georgii noſtri præcipue deſcribi cenſemus, quamvis non pura omnino, neque ſincera ab omni rerum alio ſpectantium permixtione.

Præclarum illud factum a Græcis prætermiſſum ad noſtrum Georgium pertinet.

At idem Papebrochius cenſet totam hanc narratiunculam fama & auditione acceptam fuiſſe a Syris, & per Latinos, poſt Paleſtinam Saracenis ereptam, ſæculo XII. ineunte in Europam invehi, ac late vulgari cœpiſſe: & quidem cur ſic opinetur, hanc rationem ſubjecit, quod pugnam illam ante annum 1100. litteris traditam nuſquam invenerit: quod quidem argumentum e ſcriptorum veterum ſilentio deductum ſi quid ad probandum valet, ex eo id efficei cogique poteſt, quod ne ipſe quidem Papebrochius vellet, videlicet non ante ſæculum XIV. hujuſmodi hiſtoriam e Syria allatam, & Europæis cognitam fuiſſe; neque enim extat exemplar manuſcriptum, in quo ea res ſcripta reperiatur, vetuſtius codice Ambroſiano, quem tamen idem Papebrochius negat tribus ſæculis antiquiorem habendum eſſe. Hujus autem codicis ſcriptioni paullo ætate anteceſſit Jacobus de Voragine, qui ſub finem ſæculi XIII. florebat. Nec vero dubitari poteſt, quin ante id tempus exemplaria extiterint longe vetuſtiora, e quibus totam illam narrationem Auctor codicis Ambroſiani, Jacobus de Voragine, Jacobus Card. Stephaneſchius, aliique deſcripſerunt. Cujus autem & quantæ vetuſtatis eſſent illa exemplaria, cum nuſquam appareant, neque ſciri, neque inveſtigari poteſt. Legenda illa Slavonica, quæ ſingulis annis die anniverſario S. Georgii in æde Georgiana olim apud Dalmatas pro concione recitari ſolebat, tam antiqua fortaſſe eſt, quam ipſemet linguæ Slavonicæ uſus in Dalmatiam inde uſque a ſæculo fere ſeptimo receptus; ejus enim inter rem divinam recitandæ conſuetudo vetuſtior eſt, quam ut tempus, unde initium duxit, inveniri queat. Præterea Georgiani certaminis memoria, ut nullis olim litteris conſignata fuerit, certe eamdem coloribus expreſſam jam inde a priſcis temporibus evulgaverant, omniumque oculis ſubjecerant effigies S. Georgii, quas multo antiquiſſimas eſſe ne ipſe quidem Papebrochius Com. præv. §. 3. num. 21. diffitetur: *Ejuſmodi imagines*, ait, *quin antiquiſſimæ ſint, nolim equidem dubitare, cum ipſe Conſtantinus Magnus in tabula, quam ſublimem ante palatii veſtibula ſuſpenderat, prout ſcribit in ejus vita lib. 3. Euſebius, ita ſe ipſum omnium oculis contemplandum propoſuerit, ut ſalutare paſſionis inſigne ſupra caput locatum, inimicam autem belluam, quæ eccleſiam Dei impiorum tyrannide oppugnaſſet, in altum demerſum, Draconis ſpecie, & figura deſcribendam curavit, ſub pedibus ſuis conculcatam, & medio ventre transfixam.*

Ejus fama & notitia non a Syriis accepta antiquior eſt undecimo ſæculo.

ad quæcum locum referenda.

Si vero Syri facinoris Georgiani gloriam ſibi ſuæque Paleſtinæ attribuunt, eamdem etiam Dalmatæ ex majorum traditione ſibi ſuæque patriæ vendicant: utris adjudicanda ſit, ex eo conjici velim, quod Syrorum hominum venalium fidem aliunde fractam ac debilitatam eſſe conſtat; peregrinis enim, qui eorum operam ad ſacra loca invilenda mercede conducunt, mira quædam venditare ſolent, abſurda etiam, non modo incredibilia, ad benevolentiam ſcilicet, ac liberalitatem ſimplicium advenarum ſibi conciliandam, quorum jactantiam ac vanitatem Papebrochius haud levi cenſura caſtigavit. Nihil vero tale Dalmatis ad eorum fidem labefactandam objici ſolet, qui rem hanc perinde poſteris tradunt, atque ipſi a majoribus acceperunt; & quamvis in deſignando prodigii loco paullulum a veritate aberrent, tamen prope Salonam id accidiſſe confirmant: contra vero Syri de loco inter ſe diſcrepant, cum alii ad Georgium Lyddæ oppidum, alii apud Berytum, alii non longe ab ea urbe, alii inter Berytum & Cappadociam Draconem a Georgio interfectum narrant. Quare

Major Dalmatis quam Syriis fides habenda.

veriſi-

verisimilius arbitror totam hanc historiam ab Europa & Dalmatia in Asiam ac Syriam, ab Salonitano in Palæstinum Georgium, quam huc illinc translatam fuisse. Cæterum si hanc pugnam & victoriam Georgio nostro attribuendam sensero, non idcirco similis cuipiam rei divinitus patratæ laudem Georgio Palestinæ detraxerim; neque abnuo hujus quoque imaginibus Draconem substratum ac transfixum appingi ob aliquam causam potuisse. Multos siquidem Divos exhibent nobis antiquæ tabulæ, alios aliis de causis cum victo cæsoque ab illis Draçone depictos, veluti Silvestrum, Theodorum, Victorem, aliosque haud paucos, qui vel de Tyrannis nomini Christiano infestis, vel de communi generis humani hoste, præclaras victorias retulerunt.

Post obitum Georgii pugna illa & victoria accidit;

Hoc porro quidquid est miraculi, si vere ad nostrum Georgium pertinet, post ejus obitum accidisse arbitror, cum ille videlicet jam beata immortalitate donatus a cœlo suis opem laturus adfuit. Ad hanc opinionem confirmandam illud vel conjecturæ, vel argumenti loco esse potest, quod tota illa descriptio abest ab Actis Georgianis; ex quo colligi videtur eam minime pertinere ad res illas admirabiles, quas ope divina fretus, dum viveret, pro Christo gessit. Qui enim Georgii nostri vitam ac martyrium litteris mandarunt, memorabilis illius pugnæ historiam, vel omnino prætermittunt, vel seorsum ab ejus Actis martyrioque describunt, veluti Jacobus Stephaneschius, Petrus Equilinus, Jacobus de Voragine; quamquam in codice Slavonico eadem historia cum Georgii vita propterea fortassis conjungitur, ut ex utraque satis materiæ suppeditet ad concionem justæ magnitudinis de laudibus Georgii conficiendam, ejusque anniversario ac festo die ad populum habendam. Præterea vita Georgii alia, atque hæc historia, stylo dicendique charactere videtur esse apud Januensem Episcopum scripta, quod indicio est non unum eumdemque utriusque Auctorem fuisse, idque etiam Papebrochius Com. prav. §. 1. n. 7. animadvertit: *Jacobus de Voragine Januensis Episcopus in suis SS. Legendis, post aliunde acceptam fabulam de Libyco Dracone, sic veri Georgii exordiitur historiam &c.* Cur autem plerique Georgianæ vitæ scriptores præclari illius facinoris ne meminerint quidem, cum ex eo cæteroquin ad eam vitam augendam ornandamque materiæ vel plurimum præberet, id causæ fuit, nisi me conjectura fallit, quod hujusmodi factum licet memoria dignum ac litteris, ad hujus Martyris vitam, resque, dum viveret, laudabiliter gestas minime pertinere putaverint. Huc accedit, quod Rex ille, cujus filiam Draconis edacitati inexplebili devotam Georgius ab interitu prohibuit, religionis gratique animi causa statim in ejus honorem templum atque aram construi jussit: quæ quidem sacra monumenta non mortalibus quamvis eximia sanctitate præditis, sed vita jam functis & cœlestem immortalitatem adeptis excitari solent. Itaque hoc miraculum longe celeberrimum, si ad nostrum Georgium pertinet, in eorum numerum referri oportet, quæ Georgius post mortem patravit, simul ut sui patrocinii vim potestatemque ad calamitates avertendas ostenderet; simul ut hominum religionem ac fiduciam ad se colendum suamque opem implorandam alliceret.

His ad hunc modum expositis & constitutis, necesse jam est historiam ipsam, perinde uti descripta est apud Jacobum de Voragine, lectorum oculis subjicere, ut deinde ipsi per se dijudicare possint, an recte cum illa cohæreat nostra interpretatio. Congruit omnino cum Legenda Slavonica; nam quæ in hac narrantur, omnia plane apud Jacobum fere ad verbum Latine reddita inveniuntur; ut satis appareat utrique scriptori propositum fuisse ejusdem Legendæ idem exemplum, unde alter Slavonice, alter Latine rem totam descripsit. Quare hoc libentius hanc historiam ab Jacobo Episcopo Januensi acceptam lectoribus exhibemus, quod non aliunde videatur nobis, nisi ex antiquis ecclesiæ Salonitanæ monumentis desumpta esse. Paucas eidem & brevissimas notas subjecimus, quæ non tam rem explicant, quam admonent, unde copiosior ipsius rei & dilucidior explicatio petenda sit. Quam ob causam arithmeticis notis ex ordine dispositis interpretationem nostram distinguimus, quæ quidem notæ respondent notis alphabeticis historiæ subjectis, ut si quis alicujus rei explanationem desiderat, eam nullo negotio reperiat sub nota illa numerali, quam indicat, jubetque adire nota alphabetica.

§. IV.

Descriptio pugnæ & victoriæ Georgianæ

Ex Legendis Sanctorum collectis a Jacobo de Voragine Episcopo Januensi.

Georgius a tribunus genere b Cappadox pervenit quadam vice in provinciam c Libiæ in civitatem, quæ dicitur d Silena, juxta quam civitatem erat e stagnum instar maris, in quo f draco pestifer latitabat, qui sæpe populum contra se armatum in fugam converterat: g flatuque suo ad muros civitatis accedens omnes inficiebat. Quapropter compulsi cives h duas oves quotidie sibi dabant, ut ejus furorem sedarent, alioquin sic muros civitatis invadebat, & aerem inficiebat per omnia, & ita plurimi interibant. Cum ergo jam oves pene deficerent, maxime cum harum copiam habere non possent, inito consilio i ovem cum adjuncto homine tribuebant. Cum igitur forte hominum filii, & filiæ darentur, & sors neminem exciperet, & jam pene omnes filii, & filiæ populi essent consumpti: quadam vice filia l Regis unica forte est deprehensa, & draconi adjudicata.

a b c d Provincia Libia, civitas Silena.

e f g h Draconis immanitas.

i Ejus edacitati

l cum vulgares juvencæ, tum regia puella devota,

Tunc Rex m contristatus ait: Tollite aurum, & argentum, & dimidium Regni mei, & filiam meam mihi dimittite, ne taliter moriatur. Cui n populus cum furore respondit: Tu o Rex hoc edictum fecisti: & nunc omnes pueri nostri mortui sunt: & tu vis filiam tuam salvare? Nisi in filia tua compleveris, quod in aliis prdinasti, succendemus te, & domum tuam. Quod Rex audiens cœpit filiam suam flere, dicens: Heu me filia mea dulcissima, quid de te faciam, aut quid dicam, quando plus videbo nuptias tuas? Et conversus ad populum dixit: Oro, ut inducias o octo dierum lugendi mihi filiam tribuatis. Quod cum populus admisisset, in fine p octo dierum reversus est populus cum furore dicens: quare perdis populum tuum propter filiam tuam? En omnes afflatu draconis morimur.

m n populo id efflagitante,

o

p

Tunc q Rex, videns, quod non posset filiam liberare, induit eam vestibus regalibus, & amplexatus eam cum lacrymis, dixit. Heu me filia mea dulcissima sperabam ad tuas nuptias principes invitare, & palatium margaritis ornare, tympana, & organa audire, & nunc vadis, ut a dracone devoreris. Et deosculans eam dimisit eam, dicens: Utinam filia mea ego ante te mortuus essem, quod te sic amisissem. Tunc illa procedit ad pedes patris petens ab eo benedictionem suam; quam cum pater cum lacrymis benedixisset, ad lacum processit. Quam r Beatus Georgius casu inde transiens, ut plorantem vidit eam, quid

q cujus petitionibus Rex nequit obsistere.

r Georgius Puellæ auxilio venit.

quid haberet, interrogavit. Et illa: Bone juvenis velociter equum aſcende, & fuge: ne mecum pariter moriaris. Cui Georgius. s *Noli timere filia: ſed dic mihi, quid hic præſtolaris, omni plebe expectante. Et illa: Ut video hone juvenis magnifici cordis es tu: ſed cur mecum mori deſideras. Fuge velociter. Cui Georgius: hinc ego non diſcedam: donec mihi quid habes intimabis. Cum ergo totum ſibi expoſuiſſet, ait Georgius. Filia noli timere, quia in Chriſti nomine te juvabo. Et illa: bone miles mecum ne pereas: ſed te ipſum ſalvare feſtines, ſufficit enim ut ſola peream. Nam me liberare non poſſes, & mecum perires,*

t Draconem e lacu profilientem

Dum hæc loqueretur, ecce t *Draco veniens caput de lacu levavit. Tunc puella tremefacta, dixit. Fuge bone domine, fuge velociter. Tunc Georgius equum aſcendens, & cruce ſe muniens* u *draconem contra ſe venientem audaciter aggreditur: & lanceam fortiter vibrans & ſe Deo commendans ipſum graviter vulneravit, & ad terram dejecit: dicitque puellæ: projice zonam tuam in collum draconis nihil dubitans filia. Quod cum feciſſet ſequebatur eam velut manſuetiſſimus canis.*

u haſta confodit.

x Populus & Rex baptizantur.

Cum ergo eum x *in civitatem duceret, populi hoc videntes per montes, & colles fugere cœperunt dicentes: Væ nobis, quia jam omnes peribimus. Tunc Beatus Georgius innuit eis dicens: nolite timere. Ad hoc enim me miſit Dominus ad vos, ut a pœnis vos liberarem draconis. Tantummodo in Chriſtum credite: unuſquiſque veſtrum baptizetur, & draconem iſtum occidam. Tunc Rex, & omnes populi baptizati ſunt. Beatus autem Georgius evaginato gladio draconem occidit, & ipſum extra civitatem efferri præcepit. Tunc quatuor paria boum ipſum extra civitatem in magnum campum foras duxerunt.* x *Baptizati autem ſunt in illa die xx. millia hominum exceptis parvulis, ac mulieribus.*

y Templum in honorem B. Virginis, & D. Georgii conditum.

y *Rex autem in honore Beatæ Mariæ & Beati Georgii eccleſiam miræ magnitudinis conſtruxit, de cujus altari fons vivus emanat, cujus potus omnes languidos ſanat. Rex vero infinitam pecuniam Beato Georgio obtulit, quam ille recipere nolens, pauperibus eam dari præcepit. Tunc Georgius Regem de quatuor breviter inſtruxit, ſcilicet ut eccleſiarum Dei curam haberet; Sacerdotes honoraret; divinum officium diligenter audiret; & ſemper pauperum memor eſſet: & oſculato Rege, inde receſſit. In aliquibus tamen libris legitur, quod cum Draco ad devorandam puellam pergeret, Georgius ſe cruce munivit, & draconem aggredieus interfecit.*

Georgius Regem præceptis ſalubertimis inſtruit.

NOTÆ.

a Tribuni voce uſus eſt Auctor, ſive quod hanc hiſtoriam non ad Georgium Epiſcopum, ſed ad Georgium militem pertinere putabat, ſive quia perſonæ militari, quam Georgius cœlo delapſus induerat, ſerviendum cenſuit.

b Unde noſter Georgius dictus ſit cognomento Cappadox, ſuo loco diximus.

c Ideſt *Liburniæ*. Vid. num. 1.
d Ideſt *Salona*. Vid. num. 2.
e Vide num. 3.
f Vide num. 4.
g Vide num. 5.
h Vide num. 6.
i Vide num. 7.
k Vide num. 8.

l Quem Jacobus Stephaneſchius vocat *Sevium* nos ex tabulis Ariminenſibus appellamus Demoſthenem. Fortaſſe Rex ille utroque nomine appellabatur.

m Vid. num. 8.
n Vid. ibid.
o Vid. ibid.
p Vid. num. 9.
q Vid. ibid.
r Vid. ibid.
ſ Vid. ibid.
t Vid. num. 10.
u Vid. ibid.
x Vid. ibid.
y Vid. num. 9.

§. V.

Interpretationes variæ miraculi Georgiani.

Interpretationes variæ.

HAud ſane defuere ſcriptores clari imprimis ac nobiles, qui huic prodigioſæ narrationi aliquid myſtici & arcani cognitu dignum ſubeſſe rati, eam interpretatione explicandam eſſe cenſuerunt, ut ex illis rerum ac verborum involucris nudam ac ſimplicem veritatem elicerent. D. Vincentius Ferrerius pauca quædam e propria in alienam ſignificationem tranſtulit; pleraque vero uti narrantur, ita etiam geſta eſſe, & ad verbum accipi oportere exiſtimavit. Nullus enim dubitat, quin vere extiterit apud Berytum Palæſtinæ urbem portentoſæ cujuſdam magnitudinis, & immanitatis Draco, qui hominum pecudumque ingentes ſtrages edebat, ac tantum terroris civibus incuſſerat, ut vix urbis mœnibus ſe ſatis tutos eſſe arbitrarentur. Id monſtri ab iratis Numinibus ad incolarum exitium immiſſum eſſe cum Ethnici crederent, ut cœleſtem iram placarent, ſingulis diebus binas oves Diis mactare decreverant. Sed cum ſua illos vota ac ſacrificia fruſtrarentur, vereri cœperunt, ne populi flagitia graviora eſſent, quam ut vulgaribus hoſtiis expiari poſſent; ac proinde opus eſſe victimas nobiliores, quæ a diis immortalibus veniam & pacem impetrarent, tantæque calamitati finem afferrent. Itaque conſilio inito ſtatuunt humanis hoſtiis Deos placandos eſſe; & id curæ ac negotii dari oportere ſacrificulis, ut ex ingenuis lectiſſimiſque Virginibus unam quotidie ad ſacrificium ſortirentur. Cum igitur plures jam immolaſſent, demum ſorte evenit, ut ipſa Regis filia aris deſtinaretur; cujus commiſeratione captus Georgius ſingulare certamen cum Dracone conſeruit, eoque interfecto regiam Virginem ab cæde liberavit. Hactenus Vincentius.

D. Vincentii Ferrerii.

Sed quam huic hiſtoriæ interpretationem ſubjecit Baronius, ea mihi videtur ad veri ſimilitudinem propius accedere. Ait quique teterrimi illius Draconis ſpecie Diabolum, illa autem Virginis effigie civitatem vel provinciam adumbrari, quæ D. Georgio ſupplices manus tendit, ut ſibi ad communem humani generis hoſtem profligandum auxilio eſſe velit: *Hæc*, inquit, *potius in Virgine illa typum exprimant, more majorum, provinciæ vel civitatis alicujus, quæ adverſus Diaboli vires tanti martyris imploret auxilium.*

Cæſaris Baronii.

At Papebrochius ex ipſis Actis S. Georgii interpretationem petendam eſſe cenſuit, remque ab eo vere geſtam, & maxime memorabilem allegoricæ illi deſcriptioni ſubjectam declaravit. Docet igitur typis illis atque imaginibus ſignificari converſionem Alexandræ Imperatricis; quam Georgius cum ab nefaria ſuperſtitione ad Chriſti fidem cultumque traduxit, ex tartarei Draconis poteſtate exemit, & ab æterno interitu vindicatam beata vita donavit. *Ut autem in ea* (ideſt imagine) *non ſolus cum Dracone Sanctus exprimeretur, factum credimus occaſione Alexandræ Imperatricis, a diabolica ſervitute Idolorum, exemplo S. Georgii, meritoque ereptæ.*

Danielis Papebrochii.

Hujuſ-

Digitized by Google

Hujuſmodi interpretationes haud equidem improbare auſim. Sunt enim veriſimiles, ſunt graves ac ſeriæ, præſertim duæ poſteriores; & quamquam certis argumentis ac rationibus confirmari nequeant, attamen conjectura ſatis probabili nituntur, qua contentos nos eſſe oportet, cum in rebus obſcuris & ambiguis verſamur, quibus multiplex ac varia ſignificatio ſubeſſe poteſt. Cæterum cum hujuſmodi allegoricæ deſcriptiones alio atque alio conjectura trahi poſſint, non ſi quis eas in unam alteramve partem interpretando duxerit, continuo rem aliter atque aliter interpretandi facultatem aliis præripuerit. Quid igitur obſtat, quominus poſt explicationes a ſapientiſſimis viris adhibitas, nos quoque aliquid ad rem eamdem explanandam & illuſtrandam conferamus? Nihil equidem certi, nihil explorati afferimus; ſed quod nobis ſimilius vero, quod hiſtoriæ illorum temporum magis conſentaneum videtur, id in medium producimus. Noſtram cum aliorum interpretationibus conferre poterunt lectores, & ſecum ipſi ſtatuere, quæ omnium proxime ad veriſimilitudinem accedat; melius autem qui interpretando conjecerit, vatem hunc ſive interpretem perhibeto optimum. Ac primum quidem neceſſe eſt rem quamdam ſane memorabilem, quæ illis temporibus accidit, ab antiquis Scriptoribus vel omnino prætermiſſam, vel leviter tantummodo attactam paucis exponere, ex qua videlicet ducitur, cuique interpretatio noſtra innititur.

Noſtra interpretatio.

Anno 296. cum Diocletianus Ægyptio bello, quod adverſus Achilleum ſuſceperat, ac laborioſiſſima illa & diuturna Alexandrinæ urbis obſidione implicitus longe gentium abeſſet, Demoſthenes genere Dalmata, idemque fortaſſis e ſtirpe Cari oriundus, imprimis inter ſuos copioſus & nobilis, partim ſuis opibus & copiis fretus, partim popularium ſuorum favore ſubnixus regnum in Dalmatia occupavit. Neque multum in eo negotii habuit, ut Dalmatas ac Salonitanos ab Diocletiano diſtraheret, atque ad ſuas partes adjungeret; quippe illis jampridem Diocletiani nomen & imperium odio eſſe cœperat, cum aliis de cauſis, tum quia ut cæteras provincias, ſic Dalmatiam, ut erat inſigni avaritia præditus, novis atque intolerandis vectigalibus impoſitis, acerbiſſimiſque exactionibus expilaverat. Ad hæc eximia quadam inclinatione voluntatis propendebant in Demoſthenem, quod is, ut videtur, conſanguineus eſſet Numeriani & Carini, qui cum Dalmatas plurimis maximiſque beneficiis comulaſſent, gratam memoriam & magnum ſui deſiderium apud eos reliquerunt. Cum igitur triſtes de Dalmatica ſeditione nuncii in Ægyptum veniſſent, mirum ſane quantum ea res vel ſollicitudinis vel timoris Diocletiano attulerit. Itaque Alexandria capta, Achilleo interfecto, Narſete Perſarum Rege per Galerium inſigni clade perculſo, rebuſque Orientis compoſitis nullam moram interpoſuit, quin ad Dalmaticos tumultus ſedandos in Europam remearet. Anno igitur 297. Romanam claſſem, quæ ad Pontici & Mediterranei maris cuſtodiam excubabat, quaque ipſe ad expeditionem Ægyptiacam uſus fuerat, e Mediterraneo in Superum mare trajici juſſit, & deduci ad obſidionem urbis Salonitanæ, quam Demoſthenes præſidio ſatis firmo munierat, in eaque regni ſui atque imperii ſedem collocaverat. Nihil propius factum eſt, quam ut civitas diu obſeſſa, vehementer oppugnata in Romanorum poteſtatem veniret; cum Salonitani, D. Georgio implorato, eoque ſedibus cœleſtibus delapſo, jubente atque opem ferente, eruptione facta obſidentium caſtra invadunt, & fuſis cæſiſque terreſtribus copiis, uno eodemque impetu in hoſtium naves tranſiliunt, quos ſubita illa rerum converſione attonitos, ingentique terrore perculſos ad ſatietatem cædunt. Univerſa claſſe potiti Dalmatæ, iiſdemque navibus, quas Romanis ademerant, tranſvecti, Italiæ oram depopulantur, atque Ariminum de improviſo adorti, urbem illam diripiunt, incendunt, funditus evertunt. Exin præda & gloria onuſti Dalmatiam repetunt. Dalmaticæ defectionis ſuboſcura quædam indicia videre licet apud Sextum Aurelium Victorem, cujus verba deſcribemus, & apta explicatione illuſtrabimus in Hiſtoria Diocletiani, ubi hujus belli initia & exitus perſequemur. Sed multo plura & clariora hac de re traduntur in antiquis monumentis Ariminenſibus, & in Actis Sanctorum Leonis Preſbyteri, & Marini Diaconi, qui ex Dalmatia oriundi cum eſſent, Arimini poſt vitam omnibus ſanctimoniæ notis inſignem ibidem exactam, diem ſuum ſanctiſſime obierunt. Sed hæc alias in hiſtoria Diocletiani; nunc quod inſtat.

Demoſthenes regnum occupat in Dalmatia.

Salona obſidionis periculis Georgii cœleſti ope liberatur.

Habes itaque jactum, & conſtitutum in hac hiſtoria quoddam quaſi fundamentum interpretationis noſtræ, quam priuſquam exponere aggredior, illud præmonendum cenſeo, ne quis a me id requirat, ut ſingula, quæ in illa Georgiani miraculi deſcriptione ficta & adumbrata narrantur, faſtidioſius quam accuratius perſequens, omnia omnino ad hiſtoriam interpretando referam. Hoc quidem eſſet nimis exigue & exiliter ad calculos vocare hujuſmodi narrationem allegoricam, perinde quaſi nihil in ea ſcriptum ſit, quin aliquid veri arcanique contineat. Multa ſane adjecta eſſe arbitror, quæ cum hiſtoricæ veritatis inania ſint, tamen vel ad ornatum, vel ad integritatem & veriſimilitudinem hujus figuratæ lucubrationis referuntur. Nam rei veræ fabuloſa narratio, ut ſit apta & veriſimilis, ut elegans & feſtiva, ut perfecta & expleta omnibus ſuis numeris & partibus, conveſtiatur oportet aliis quibuſdam rebus aliunde adſcitis, quas ipſe narrator confingit, quibuſque ſuam orationem exornat & perficit. Huc pertinent illa quaſi parerga ſive epiſodia, quæ fabulis Poetæ interſerunt: hæc ſiquidem cum veris rebus ac perſonis, unde fabulæ argumentum ducitur, minime inſint, de ſuo ipſi addunt, & confingunt: Quare auctoribus Origene, Chryſoſtomo, & Auguſtino, præclare docet Cornelius a Lapide, in hujuſcemodi deſcriptionibus ſive parabolis multa ornandæ orationis cauſa adhiberi, quæ ad rei veritatem exigere velle, puerile eſſet ac nugatorium: *In Parabolis*, inquit, *æque ac ſimilitudinibus non omnia ſunt ſimilia, & applicanda rei ſignificatæ; multa enim in iis dicuntur ad decorem & elegantiam parabolæ*. Itaque ſatis fuerit, ſummam quamdam rei geſtæ & veritatis hiſtoricæ, ex illis, quibus involuta eſt, verborum ac ſententiarum integumentis evolvere, atque interpretando explicare; cætera omnia pro quibuſdam veluti ornamentis ac parergis habeantur, quibus nihil arcanum explanatione dignum ſubeſt; quæque ſive adſint, ſive ablint, veræ hiſtoriæ argumento nihil detrahunt, vel adjiciunt. Quod enim de parabolis ſcripſit Cornelius modo laudatus, idem ad hoc genus ſcriptionis referri poteſt: *In parabolis* ajebat ille, *finis & ſcopus parabolæ ſpectandus eſt, illa enim, quæ ad hunc ſcopum pertinent, parabolæ partes ſunt neceſſario applicandæ rebus per parabolam ſignificatis, quæ vero ad eum non pertinent, parabolæ ſunt emblemata & ornamenta.* Hæc lectoris admonendi gratia præfati ad rem ipſam veniamus.

Ratio interpretandi allegoricas narrationes.

non poſſunt, ut omnia & ſingula ad veritatem hiſtoriam exigantur.

Digitized by Google

§. VI.

Interpretatio noſtra miraculi Georgiani explicatur.

Libya eſt Liburnia.

I. AC primum quidem urbs & provincia, in qua res geſta eſt, propriis quidem ſed antiquis obſoletiſque nominibus deſignatur. *Libya* provincia idem valet ac *Liburnia*. Nam Liburniam a Libya dictam fuiſſe oſtendemus in præfatione ad Liburnorum ætatem. Nemo autem eſt, quin ſciat univerſam olim Dalmatiam appellatam eſſe Liburniam, itemque inſulas fere omnes Illyrici maritimi *Liburnides*, & mare ipſum Liburnicum antiquitus cognominatum eſſe conſtat. Auctor autem hujus deſcriptionis primitivo *Libyæ*, quam *Liburniæ* vel *Dalmatiæ* vocabulo propterea uti maluit, quod id vocabuli cum myſtico illo Dracone magis congruebat, alludere quippe voluit ad *Libyam* ſive Africam propriam, quam hujuſmodi monſtrorum feracem eſſe nullus ignorat.

Liburnia eadem ac Dalmatia.

Silena vocabulo olim appellata Salona.

II. *Silena* idem eſt ac *Salona*. Parte 1. Prolegomenon cap. 1. oſtendimus ab Hyllo Herculis filio Illyricos, ac præſertim Dalmatas *Hyllinos*, urbem vero Salonam Hyllinam ſive Hillenam denominatam eſſe, quam Apollonius *Hyllenida*, Nicephorus Callixtus *Hyllam* vocat. Nihil autem facilius, quam ex *Hilena* in *Silenam* commutatio fieri potuit; præſertim cum antiquitas apud noſtrates ſcriptores verbis ab vocali incipientibus conſonans aliqua littera & maxime *S.* præfigi ſoleret. Hinc factum eſt, ut pro *Almiſſa*, *Dalmiſſam*, pro *Iſſa*, *Liſſam* pro *Olchinio*, alias *Colchinium*, alias *Dolchinium*, pro *Ardia*, *Sardia*, pro *Ardiæis*, *Sardiæos*, pro *Olyntha*, *Solyntham*, pro *Epetio*, *Sepetium*, & *Spetium* Veteres aliquando ſcripſerint. Scio equidem Cyrenem vetuſtiſſimam eſſe Libyæ Africanæ urbem, ex qua tota regio denominata eſt Cyrenaica; ſed cum Hilenam, ſeu Silenam urbem habeamus in Libya Dalmatica, nihil cauſæ eſt, cur nomen Silenæ ex antiqua Cyrene detortum eſſe cum Papebrochio cenſeamus.

Georgianum certamen Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus, Lyſiæ in Libya, Jacobus Card. Stephaneſchius Laſiæ ſeu Lyciæ in Cappadocia adſcribunt. Sed præclaræ iſtæ civitates tum Lyſia in Lybia, tum Laſia ſive Lycia in Cappadocia clam omnes Geographos hactenus fuerunt; niſi forte Lyſiæ vocabulo intelligi placeat Iſſam ſive Lyſſam maris Adriatici inſulam ac civitatem, quam apud Thomam Archidiaconum cap. 8. Hiſt. Salon. Lyſiam appellatam invenio. Neque vero audiendos puto Syros, homines *indoctiſſimos* pariter ac *mendaciſſimos*, ut eos Papebrochius vocat, qui Peregrinis Palæſtinam voti ac religionis cauſa profectis ad ſacra loca obeunda operam locant; *quique*, ut idem Papebrochius ſcripſit, *de antiquitatibus terræ ſanctæ tam fidenter enunciant, quam Puteolani littoris plebs ruſtica de Cumano Sibyllæ antro, aliiſque ſimilibus garrit, non ſine ſupercilio, ut ſi verbo interpellare præſumas, pene ſacrilegus videaris.* Alii ſiquidem ajunt Draconem ab D. Georgio interfectum apud Berytum, urbem olim clariſſimam Phœniciæ, alii prope ab Georgia oppido Lyddæ, ubi Georgium natum ipſi dicunt, alii vero extra portam Damaſci; ſaxum etiam, ſi ſuperis placet, oſtentant, ex quo Georgius cum Dracone pugnaturus in equum inſilierit. His commentis cum fidem adhibuiſſet F. Anſelmus Ordinis Min. de Obſervantia apud Henricum Caniſium, Brendebachius Itin. 4. Adrichomius in Theat. terræ ſanctæ, Joannes Eckius in Serm. de S. Georgio, novam quamdam in Phœnicia urbem Cappadociam dictam excogitarunt, ſive urbs ea fuerit Beryto proxima, ſive ipſa Berytos, quæ etiam Cappadocia dicta ſit, ut videlicet Georgiani facinoris gloriam ad natale ejuſdem martyris ſolum portraherent. Caterum hiſce fabulis atque ineptiis obſegaris, ſi qua fides huic hiſtoriæ habenda eſt, Georgiana pugna & victoria dimoveri nequit ab ea provincia atque urbe, Libya ſcilicet, ac Silena, cui eam adſcribunt Auctor Legendæ Slavonicæ, Jacobus de Voragine, Hilarion Monachus cœnobii Veneti Georgiani, Joannes Baptiſta Mantuanus, quibus addi poteſt vetus inſcriptio ad effigiem aramque D. Georgii appoſita Romæ in templo S. Thomæ Cantuarienſis collegii Anglicani, quam huic loco intexere libet: *Sanctus Georgius Cappadox Dracone occiſo, Regis filiam totamque Silenam civitatem a morte liberat, & ad Chriſtum convertit.* Nos vero *Libyam* idem ac *Liburniam*, *Silenam* idem ac *Salonam* eſſe conjectura haud ſane improbabili interpretamur; recte, an ſecus aliorum eſto judicium.

III. Nihil vero eſt, cur aliquid myſterii comminiſcamur in ſtagno illo, quod prope Silenam, maris inſtar longe lateque protendebatur. Id ſtagni nihil aliud eſt niſi Salonitanus ſinus, qui a veteri Salona in longitudinem millia paſſuum amplius quindecim Tragurium uſque porrigitur, latitudo ejus varia, & aliqua ex parte circiter ſeptem paſſuum millia patet. Porro allegoricæ deſcriptionis Auctor ſtagni quam ſinus vocabulo uti maluit, ut myſtico illi & commentitio Draconi locum idoneum affingeret; quippe hujuſmodi portentoſa animalia ferme in paludibus, & aquis ſtagnantibus ali, atque indidem progigni dicuntur. Hinc etiam factum eſt, ut Spalatenſis urbis accolæ horrendi illius Draconis ſtationem a mari ad fluvium Salonum tranſtulerint, & in abyſſo quadam, ideſt profundo lacu ſpeluncam quamdam ſubterfluente, locaverint.

Stagnum eſt Sinus Salonitanus.

IV. Age porro, explicatis jam enodatiſque vocabulis topographicis, ab ipſo Dracone hiſtoricam interpretationem ordiamur, qui tamquam in fabula, ſic in hac deſcriptione partes agit terroris & ſævitiæ, primuſque omnium in hanc quaſi ſcenam producitur. Itaque Draconis nomen ac ſpeciem gerit Præfectus Romanæ claſſis, qui efferatus odio iraque in Dalmatas, Salonitanum ſinum ingreſſus, expoſitis in terram copiis & Salonam acri premebat obſidione, & agros, omniaque circa urbem loca cædibus atque incendiis fœde vaſtabat. Neque enim id nomen navium hoſtilium Ductori impoſitum ab ea loquendi conſuetudine abhorret, qua hujus regionis Scriptores interdum uſos fuiſſe conſtat, ut eos appellarent Dracones, ſeu ſerpentes, qui mare Adriaticum ſive claſſibus, ſive piraticis lembis infeſtum haberent. Exemplo eſſe poteſt id, quod Archidiaconus e chronicis Salonitanis docuit de Cadmo illo, qui Græciæ regno expulſus in eo mari piraticam facere inſtituit, & maritimam oram depopulatus Epidamnum urbem vi cepit, in eaque rerum ſuarum & novi Regni ſedem collocavit. Huic quippe veteres Mythologi nomen ac formam ſerpentis affingunt propterea, quod ut Archidiaconus interpretatur, *cœpit quaſi lubricus anguis per mare diſcurrere, navigantibus inſidiari, & quoſcumque poſſet, opprimere impotentes.* Ejuſdem fere generis fuiſſe arbitror, & ad eamdem ſignificationem referendum puto Draconem illum, qui Epidamni per D. Hilarionem interfectus eſſe dicitur.

Draco Præfectus claſſis Romanæ.

V. Strages illa, quam bellua immanis, quacumque incedebat, pagis agriſque Salonæ circumjectis, atque adeo ipſis ſuburbiis inferebat, eo pertinet,

Strages per Draconem illata ſignificat

Digitized by Google

De populationem agri Salonitani.

tinet, ut significet Præfectum classis, cum selecta militum manu hac illac discurrere solitum fuisse, prædas abigere, tecta incendere, agros exinanire, omnia denique fœdum in modum vastare ac diripere.

VI. Quod si lubeat minutius rem unamquamque interpretando persequi, & vim aliquam ad significandum inesse putes etiam illis sive ovibus, sive adolescentulis, quæ ad immensam Draconis ingluviem explendam quotidie devoveri solebant; (quamquam hæc potius ad ornatum descriptionis, quam ad veritatem historiæ pertinere censeo;) binæ oves singulis diebus huic belluæ ad pastum traditæ designant collectitias agrestium hominum turmas, quæ ut ab incendiis ac raptis hostem prohiberent, cum identidem temere, ac nullo duce in hostiles copias irruerent, partim cæsæ, partim in servitutem abductæ, ad extremum deletæ sunt ita prorsus, ut nihil jam extra urbem subsidii ad Romanorum excursiones arcendas Salonitanis suppeterent. Nec male pecudum & jumentorum vocabulum congruit cum hominibus rusticanis, quorum plerique non ratione & consilio utuntur in rebus gerendis, sed cæco quodam impetu, & temeritate præcipites aguntur.

Quid ovet binæ ad explendam Draconis ingluviē.

Quid duo Juvenes.

VII. Cum vero Romani urbem ab omni maritimo terrestrique commeatu intercluſam tenerent, eamque vehementius in dies quaterent, primoribus civitatis visum est, ex urbis præsidio selectos manipulos quotidie emittere, qui eruptione facta hostes ex improviso adorti cæderent, ad mœnia subeuntes repellerent, opera & munitiones, quibus urbem sepserant, demolirentur. Præterea ex ordine patriciorum juvenum binos singulis diebus sorti to capi jubent, quos hisce copiolis præficiant, ut periculosissimæ hujus aleæ subeundæ necessitas æquali sorte omnibus immineret; neve ipsi viderentur aut odio aut gratia quemquam huic periculo sane gravissimo vel objicere, vel eximere. Nec vero solum juvenes vel corporis viribus, vel animi robore præstantissimos, sed etiam lectissimas Virgines eximia virtute planeque virili, quæ ex more antiquo militiæ operam dabant, in eam rem sortiendas esse censuerant; id quod nemini mirum videri debet, qui Dalmaticas, Gothicasque historias perlegerit; ex quibus colligitur Salonitanis etiam fœminis ac virginibus moris fuisse, ut si quando ferret occasio, pro patriæ defensione arma susciperent, & vel mœnibus tuendis, vel in aciem prodeundo omnia militum munera atque officia impigre & naviter exsequerentur; nec raro accidit, ut per eas & maximis cladibus hostes afficerentur, & res prorsus perditæ in integrum restituerentur; ex quo factum est, ut aliqui Scriptores haud ignobiles Dalmatiam regionem Amazonum appellarent. Huc igitur spectat, quod hujus historiæ auctor allegoricis hisce verbis subjecit: *Cum*, inquit, *jam oves pene deficerent*, (ideſt agrestes copiæ) *maxime cum harum copiam habere non possent, inito consilio ovem*, (ideſt gregarios milites) *cum adjuncto homine tribuebant. Cum igitur forte hominum filii, & filiæ darentur; & sors neminem excipe ret &c.* Idcirco autem hujusmodi adolescentes atque adolescentulæ ad cædem ac pastum Draconis designari præberique dicuntur, quia cum evidentissimo vitæ periculo objicerentur, videbantur, quodammodo pro salute patriæ devoveri, atque in medios hostes ad certam mortem immitti. Utcumque tamen hæc sive ornandæ orationis, sive alicujus rei gestæ adumbrandæ causa intertexta sint, ad summam historiæ nihil pertinent.

VIII. Romani ergo cum acrius in dies ac vehementius Salonam oppugnarent, & ab omni commeatu externisque auxiliis intercluſam defensoribus nudassent, nihil propius videbatur esse, quam ut hostes vi & agressione urbem caperent. Itaque sub nomine ac specie filiæ Regis, quam fors iniqua Draconis lanienæ devoverat, subest Salona regia civitas, quæ cum ab Diocletiano defeciſſet, in fidem se tutelamque Demosthenis contulerat. Is eam sibi veluti filiam adoptaverat, unice diligebat, summoque opere enitebatur, ne in potestatem Diocletiani gravissimis ob defectionem pœnis mulctanda recideret. Hujus Virginis effigie urbem seu provinciam aliquam designari Baronius etiam existimavit, idque confirmat turritum quoddam diadema ejusdem capiti impositum, quod in quibusdam Georgii simulacris perantiquis intueri licet. Porro cum plerique civium in tanta propugnatorum paucitate contra tantas hostium copias diffiderent urbem obtineri posse diutius, ut sibi suisque rebus consulerent, tempori cedendum, & Romanis Salonam æquis conditionibus restituendam esse censebant. Hi frequentes ad Regem coeunt; quanta abiratis hostibus, si urbem vi oppugnando cepissent, civibus cædes, tectis ruina, publicis privatisque rebus calamitas impenderet, diligenter ostendunt; eo loci jam rem esse, ut Salona nullis opibus humanis possit defendi; quam si obstinatius, quam constantius retinere velit, videat porro, ne sibi suisque certum exitium conscisat. Verbis minas adjiciunt, & clare aperteque denunciant, nisi ab vano inutilique urbis tuendæ conatu desistat, se in eum, quæ contra hostes susceperant, arma versuros. Rex quamvis hac oratione vehementer commotus, ac perterritus, hortari tamen eos deprecarique instituit, ne animis desponderent, neve ab data fide officioque desciscerent; vixque impetrare potuit, ut defensionem urbis in octavum usque diem protraherent, quo temporis spatio, nisi submissis alicunde auxiliis, rei bene gerendæ spes aliqua affulgeret, nullam in se moram futuram, quin civitas hostibus dederetur.

Salona est filia Regis cadi devota.

IX. Jamque octavus illuxerat dies, & urbs militum præsidio magis magisque diminuta, rerum omnium inopia laborans, & quam acerrime ab hostibus oppugnata in discrimen extremum venerat, civibus frementibus, Regemque obstinatæ illius exitialisque defensionis auctorem minaciter increpantibus: qui tantam populi invidiam, querelarumque procellam non sustinens, jam legatos de urbis deditione ad Præfectum Romanæ classis destinaverat; cum ecce tibi, unde minime sperabant, præsens certumque auxilium Georgius beatissimo fulgens lumine, equo insidens, vestitu atque habitu militari, se Regi, totique urbi palam ostendit; nec vero ea forma speciesque equestris bellatoris dedecebat Episcopum, qui suis contra hostes auxilio futurus cœlo descenderat, nam eodem ornatu cultuque insignes Jacobus Apostolus, & Martinus Turonensis, itidem Episcopi pro Hispanis & Gallis adversus Barbaros ex equis pugnare visi sunt. Itaque Georgius hilari voce ac blando sermone Regem ac cives mœrore torpentes solatus, bono animo esse jussit, exploratam illis fore victoriam, modo Christum humanæ salutis auctorem venerabundi agnoscerent, ejusque opem supplices implorarent: se illis ad profligandos Romanos Ducem atque adjutorem futurum. Proinde omni abjecta cunctatione arma caperent, spei ac fiduciæ pleni irent prælium, consererent cum hostibus manus. His accensi vocibus aciem instruunt, urbe erumpunt, Georgio præeunte, & spem haud dubiam felicis eventus, & vires animosque ad pugnam præbente.

Georgius cœlo delapsus Regē ac cives ad erumpendum, pugnamque cum hostu conserendam hortatur.

Digitized by Google

X. Interim Præfectus Romanæ classis universas copias navibus eduxerat, ut uno omnes impetu urbem invaderent, omni telorum genere impeterent, extremosque conatus ad eam capiendam exererent. Adfuit in tempore Salonitana Phalanx, Georgio Duce, qui fulgentibus armis insignis, formam gerens augustiorem humana, hostibus ad mœnia subeuntibus tantum trepidationis ac terroris incussit, ut pavore cœci, alienatique a sensibus, quemadmodum aut pugnando resisterent, aut fugiendo saluti consulerent, non invenirent. Itaque omnes ad internecionem cæsi, ne nuncio quidem tantæ cladis relicto. Salonitani parta tam insigni incruentaque victoria, Ductorem Romanæ classis, qui velut Draco immanissimus, tot tantisque Dalmatarum cædibus nondum exaturatus, urbem ipsam inhiabat, & Salonitanos omnes suæ insatiabili crudelitati destinaverat, Georgio jubente, captum vinctumque ad speciem quamdam triumphi tota urbe circumducunt inspectante populo, qui tristitiam pavoremque ex præteritis malis, atque imminenti urbis excidio penitus inhærentem vix animo discutere poterat; neque antea se ex illa consternatione colligere, ac diuturno mœrore depositio lætitiæ signa dare visus est, quam Dux ille auctorque omnium malorum, quæ in ea obsidione pertulerant, securi percussus, importuno suo exsecrandoque adspectu oculos animosque hominum levavit.

Mostes cæsi.

Præfectus classis captus, & in urbem deductus,

ac securi percussus,

XI. Tum Georgius salutaribus præceptis Regi traditis, civibusque admonitis, ut uni veroque Deo victoriæ datori gratias agerent, & avitis superstitionibus repudiatis Christianam religionem omnes susciperent, sublimis abiens ex omnium conspectu se proripuit. Ad viginti millia capitum una cum Rege baptizata ferunt. Rex vero Demosthenes in honorem Virginis Deiparæ & B. Georgii templum sane ingens excitavit, victoriæ Georgii beneficio reportatæ monumentum. In ejus postea tatem classis Romana cum venisset, eadem ad expeditionem Italicam, quam suscepit paucis post diebus, uti decrevit, ut tabulæ Ariminenses testantur, quas in historia Diocletiani proferemus.

Georgius sublimis abiit.

Rex cum civibus baptizatur.

Templum Georgio condituni.

Hæc est veluti quædam summa illius historiæ, quam Auctor perpetua usus continuaque verborum translatione, pro more illorum temporum, satis eleganter descripsit, & sub imagine Draconis per Georgium interfecti, regiæque cujusdam adolescentulæ voracissimi feri faucibus ereptæ, lectorum oculis subjecit. Singula interpretando persequi velle, inepti potius ac superstitiosi, quam gravis accuratique interpretis fuerit: multa enim, ut sæpe diximus, allegoricis hujusmodi narrationibus non ullius rei significandæ gratia, sed connectendæ ornandæque orationis causa, interjici solent. Cæterum hæc omnia, ut volet quisque accipiat: ego huic sive historiæ sive fabulæ historicæ eam interpretationem subjeci, quam a verisimilitudine non omnino alienam censui. Si lectoribus inepta, si absurda, si nugatoria etiam ac puerilis videtur, quæ de hac re scripsi, pro non scriptis habeat, & omnia per me licet deleantur. Nec valde repugnaverim, si quis contendat quidquid historiæ hoc est, uni Georgio Palæstino adjudicandum esse.

CAPUT VII.

De cultu Georgiano,

NUlla est Christiani orbis provincia, & civitas ferme nulla, quin Georgium peculiari quodam cultu ac veneratione afficiat, ejusque tum patrocinio, tum reliquiis ac templis apud se conditis glorietur; atque ex omnibus Divis, quos Christiana religio, secundum Deum, pie & caste colit, paucos fortasse reperies, in quibus colendis implorandisque, tam universalis, tamque eximia omnium gentium ac nationum consensio extiterit. Hujus vero cultus sane antiqui & late diffusi nullam omnino partem nunc sibi vindicat Georgius noster, siquidem spectes, quo pia populorum voluntas & studia ferantur. Unus in omnium ore & cogitatione versatur Georgius Palæstinus, & Megalomartyris, & Tropæophori titulo illustris; huic honores & preces adhibentur; hic in præliis, rebusque dubiis & afflictis invocari solet; hujus esse creduntur, quotquot cernimus Georgii nomine insignitas reliquias, & titulo Georgiano inscripta vel templa vel altaria ad hunc unum pertinere vulgo existimant. Nullus autem dubito, quin olim, cum Palæstini & Salonitani Georgii distincta vigebat notitia, suus utrique & peculiaris honos esset, suas uterque aras, ædesque proprias obtineret, atque adeo reliquiæ utriusque dignoscerentur, quamvis alter quidem in Oriente, alter vero in Occidente præcipua quadam religione cultuque afficeretur. Sed eversio Salonæ, incolarum dispersio, veterum tabularum ac traditionum jactura, quæ Georgii Episcopi memoriam omnem apud posteros extinxit, non solum Georgii utriusque Actis confusionem attulit, sed etiam ejus venerationis, quæ utrique separatim adhiberi solebat, distinctionem sustulit, & omnia in unum transtulit congestitque Georgium, cujus superarat, vigebatque apud omnes illustris & cum summis laudibus ubique pervulgata notitia. Exinde ignorato neglectoque Georgio Salonitano, tota Christianorum religio ad Palæstinum conversa est. Nunc investigare oportet, quid sacri cultus, piæque ac publicæ venerationis, ante utriusque Georgii confusionem, noster habuerit seorsum ab altero, quod quidem hodieque permanet, sed ad Palæstinum vulgo referri solet. Ac primum quidem ex antiquissimo illo cultu, qui inde usque ab initio quarti sæculi Georgio Palæstino adhiberi cœptus est in Oriente, & longe lateque tota Asia propagatus, nihil ausim decerpere, & ad Salonitanum Georgium transferre: injquum enim videri posset illum depellere ex ea tam vetusta ac diuturna cultus Orientalis possessione, quam tot nationum atque ætatum consensus, & innumerabilia per eum patrata miracula ad illarum gentium defensionem & subsidium confirmant: quamquam credibile sit in eas quoque regiones Georgii nostri notitiam ac religionem antiquitus illatam esse, & præsertim apud Græcos floruisse. De cultu Georgiano Occidentali aliqua videtur esse posse controversia, quam sic dirimendam censeo. Cum aliquot sæculis post Salonam septimo sæculo excisam, Georgii Salonitani nomen ac memoria ubique penitus exsoleverit, quidquid deinde novi cultus Georgio accessit, id omne referendum censeo ad Palæstinum, quem unum omnes norant Græci pariter Latinique. Hujus autem religio mirum in modum efflorescere in Occidente ac dilatari cœpit post institutas exeunte sæculo XI. ad Palæstinam recuperandam sacras expeditiones, cum antea fortasse Occidentalibus vulgo fere ignotus esset. Anno siquidem 1095. Urbanus II. Pontifex Max. concilio in Gallia habito apud Clarum montem Arverniæ oppidum, Christianos Principes ad Hierosolymam Saracenorum tyrannidi eximendam hortatus, novo instituto sacrum bellum indixit. Eo veluti classico excitus Occidens multos variis locis ac temporibus collectos exer-

Georgius cultus cum apud quos, tum universalis.

Georgius Palæstinus in Oriente jam inde a quarto sæculo regnat.

Cultus Georgianus in Occidente post VII. sæculum ac deinceps institutus ad Palæstinæ speciem.

exercitus in Palæſtinam tranſmiſit. Latini porro ſacræ huic militiæ adſcripti, cum in Syria bellum vario eventu gerebant, ſimul earum gentium exemplo accenſi, ſimul experti præſentiſſimam opem D. Georgii, qui ſæpe viſus eſt Chriſtianorum acies præcedere, & terrorem fugamque Saracenis injicere, miro prorſus hujus Martyris venerandi, ſibique demerendi ſtudio flagrare, eximiaque erga illum religione affici cœperunt. Regreſſi vero in Europam Georgianis beneficiis & miraculis commemorandis omnium animos ad hunc beneficentiſſimum Martyrem colendum & implorandum ubique excitarunt ſic prorſus, ut brevi ejus fama ac religio totum Occidentem pervaſerit. Hinc multæ provinciæ atque urbes illum ſibi patronum adoptarunt; hinc Georgius apud Occidentales in eorum Divorum numerum relatus eſt, quos Auxiliatores vocant, quique cum in cæteris periculis, rebuſque adverſis, tum in bellis adverſus hoſtes Chriſtiani nominis invocari ſolent; hinc multi Equeſtres & Militares Ordines ſub auſpiciis tutelaque Georgii inſtituti; cujus quidem ſaluberrimæ inſtitutionis origo videtur repetenda eſſe a Godefrido Bullionio, quo Hieroſolymę regnum adepto, duos nobiliſſimos ſacrorum Militum Ordines natos ferunt, Templariorum, & S. Joannis, peregrinis loca ſacra viſentibus excipiendis tutandiſque præcipue deſtinatos. Quare Papebrochius & Ordinum militarium inſtitutionem, & cultum ac patrocinium Georgianum in Angliam illatum, & ubique in Europa mirifice auctum refert ad ſæculum XII. poſt ſacras & Hieroſolymitanas expeditiones fieri cœptas. Omnia igitur pietatis ac religionis officia adverſus S. Georgium quatuor vel quinque ſæculis poſt Salonam exciſam uſurpari cœpta, & poſt undecimum mirifice aucta, ad Palæſtinum Georgium referantur neceſſe eſt, quippe cum Georgii Salonitani notitiam Salonæ ruina, & incuria hominum atque oblivio poſteritatis penitus obruiſſet. At vero ante cladem Salonitanam, cum noſter fortaſſe, quam Palæſtinus, notior eſſet Occidentalibus, quæ tum vigebat in Occidente erga Georgium religio, ſi non univerſa, certe pars ejus præcipua, ut videtur, ad Georgium Salonitanum ſpectabat. De hujus igitur cultu præſertim Dalmatico paucis agendum eſt; & quemadmodum Acta Georgii Salonitani ab Actis Georgii Palæſtini ſecrevimus, ita quidquid ad cultum Georgii noſtri pertinet; quoad ejus fieri poſſit, ab eo ſecerni oportet, quod haud dubie ad honorem alterius ac venerationem refertur.

Ante VII. ſæculum Georgii Salonitani cultus apud Occidentales vigebat.

§. I.

De feſto ac natali die Georgiano.

IN apographo Hieronymiano Lucenſi duos invenio dies B. Georgio adſcriptos 23., & 24. Aprilis, in quos cum unius ejuſdemque Georgii martyrium, ſive ex hac vita diſceſſus cadere nequeat, alterum Salonitano, alterum Palæſtino Georgio tribuendum eſſe diximus cap. 1. §. 3. Idem confirmant Acta permixta utriuſque Georgii, quorum alia IX., alia VIII. Kalendas Maii Georgianum martyrium adſcribunt. Hinc fieri animadvertimus, ut feſtus & anniverſarius Georgii dies alibi 23. Aprilis celebretur, alibi in diem proximum rejiciatur. Huc revoca, quæ c. 1. §. 3. paullo fuſius diſſeruimus. Nec vero putes diem quidem utrumque, ſed alium alia de cauſa ad unum Georgium Palæſtinum referri. Nam dies 24. Aprilis cauſam Georgiani cultus, niſi ex ejus martyrio deſumpſerit, unde acceptam habeat, non invenio.

In Martyr. Hieron. duo dies 23. & 24. April. Georgii nomine conſecrati;

prior Salonitani, alter Palæſtini martyrio ſacer.

Haud equidem ignoro apud Papebrochium in quodam Ms. Græco Synaxario ad hanc diem annecti *S. Georgii Megalo-Martyris dedicationem eccleſiæ Cypariſſi*; verum nullus dubito, quin ea dedicatio per errorem in 24. Aprilis irrepſerit; eamdem quippe XXVI. Novembris annotatam reperio in Menæis, quibus ad fidem faciendam longe major, quam illi Synaxario, auctoritas ineſt: Ἐγκαίνια τοῦ ἁγίου Γεωργίου ἐν τῷ Κυπρίῳ. Quinam fuerit hujus eccleſiæ dedicatæ locus docet Papebrochius Com. prær. §. IV. num. 46. hac præclara animadverſione: *Non ſignificari urbem hujus nominis, quales apud Ortelium variæ notantur, argumento eſt articulus τῷ, qui non ſolet ante urbium nomina in ſimili conſtructione poni, ſed ante nomina locorum particularium: & hunc quidem locum Cypariſſi, ſeu Cupreſſi appellatione notum, puto Conſtantinopoli, aut circa eam requirendum.* Si ergo duos illos Aprilis dies duobus Georgiis, ſuum cuique attribui oportet, priorem quidem Salonitano, poſteriorem vero Palæſtino adjudicandum cenſeo, & huic meæ opinioni rationem haud improbabilem ſubjeci cap. 1. §. 3. Cæterum cum IX. Kal. Aprilis Georgium Palæſtinum martyrii palmam adeptum fuiſſe exemplaria Græca fere omnia teſtentur; & Græci pariter Latinique fere omnes, ſi aliquas eccleſias excipias, ejuſdem ſolemnia natalitia concelebrent, nolim equidem ab hoc die Palæſtini Georgii martyrium dimoveri; ſed potius in eumdem diem utriuſque Georgii martyrium conjecerim. Neque enim deſunt exempla plurium Martyrum cognominum, qui uno & eodem die, licet non eodem neqs anno neque loco, ſupremum pro Chriſto certamen obierint.

Dies 23. Aprilis fortaſſe natalis utriuſque Georgii.

Jam vero hunc diem 23. Aprilis Georgiano martyrio inclytum ſolemni cultu, & ſumma religione Clerus populuſque Spalatenſis concelebrant; & quamvis hujus diei celebratio nulli ſubſit eccleſiaſtico præcepto, nemo tamen eſt vel ex infima plebe, quin ſibi ab operibus ſervilibus eo die vacandum putet; & pleriſque religio eſſet divino illius diei ſacrificio non interfuiſſe. Hunc vero diem inſulares Bracchienſes, itemque Oppidani Paganique Poglizzenſes in Catalogum eorum feſtorum retulerunt, quos libri liturgici *ſub ritu duplici 2. Claſſis* celebrari jubent; ejuſque commemorationem in octavum uſque diem proerahunt. Olim in templo Georgiano Caſtri Suſſuraz ante ſolemne ſacrificium ad confertiſſimam multitudinem pro ſuggeſtu recitari ſolebat grato ſuavique modulamine hiſtoria Slavonice ſcripta de Vita & Martyrio S. Georgii, ac de præclara ejuſdem ob Draconem interfectum victoria: cujus legendæ canendæque conſuetudo an etiam in aliis locis templiſque Dalmatiæ viguerit, mihi ſane incompertum eſt. Præterea dum ſolemni pompa ac cæremonia res divina peragitur, duo hymni ſermone itidem rhythmoque Slavonico de Martyris ejuſdem laudibus compoſiti ex Odæo canebantur. Nec vero hujus diei ſanctitas ac celebritas Spalatenſis diœceſis finibus continetur, ſed apud omnes Dalmatas hunc ipſum diem magno in honore eſſe ajunt; in eoque publicæ ſupplicationes inſtitui, & ingenti populorum frequentia ac religione peragi ſolent ad luſtrandos agros, & copiam frugum a ſuperis impetrandam. Haud ſane dubito, quin is dies apud Spalatenſes & Dalmatas, olim celeberrimus atque ſanctiſſimus ex inſtitutis & faſtis eccleſiæ Salonitanæ dimanaverit; ac proinde ejus celebrandi conſuetudo ante cladem Salonitanam inde uſque ab initio quarti ſæculi repeti debet, cum eccleſia tyrannis extinctis ſtabili & tranquilla pace frui cœpit. Quod ſi verum eſt, ut certe ſimile vero eſt, is dies apud Dalmatas non

Dies feſti Georgiani ſolemni cultu celebrandi conſuetudo Spalati, & in aliis Dalmatiæ locis.

accepta e faſtis eccleſiæ Salonitanæ.

Digitized by Google

ab extraneo illo longeque disjuncto, ut mihi quidem videtur, sed ab domestico & Salonitano Georgio religionis & celebritatis causam accepit. Nec sane intelligo, cur olim Salonitani suo posthabito neglectoque Georgio, quem ignorare non poterant, tanto in honore alterum Georgium habuerint; neque ulla satis probabilis ratio reddi posse videtur, cur nunc Dalmatæ tam peculiari eximiaque veneratione Martyrem illum Palæstinum prosequantur, qui cæteroquin nihilo magis ad ipsos, quam ad alias gentes ac regiones pertinet. Sed Georgii utriusque nomine & cultu in unum confuso, & Salonitani memoria penitus extincta, Spalatenses Dalmatæque ignari, unde hæc Georgiani solemnis ac sacri diei institutio profluxerit, omnia, quæ peragunt eo die, privata & publica religionis officia cogitatione atque animo ad Georgium Palæstinum referunt; quippe is unus, ut cæteris populis, sic Dalmatis notus est, isque unus omnium sermone celebratur.

quæ probabilius Salonitano, quam Palæstino Georgio id officii cultusque persolvere solebat.

Extra Dalmatiam Georgianus cultus, dieſque natalis, in tota Italia ac Romæ præsertim, septimum sæculum Salonæque excidium antecedere videtur; de cujus antiquitate quæ scripsit Papebrochius §. IV. num. 38. Com. Præv. juvat huic loco intexere: *Certum est*, inquit, *in ipsa Romana ecclesia vetustissimam esse non venerationem tantum, sed etiam festivitatem S. Georgii. Etenim D. Gregorius Magnus, in cujus Pontificatu finitur sextum æræ Christianæ sæculum, in libro Sacramentorum colligens omnes orationes per totum anni cursum ex more Romano inter Missarum solemnia recitandas, eas etiam posuit, quæ sunt dicendæ ad Natale S. Georgii Martyris: quas esse genuinas, nec aliunde posterius adscitas judicavit Grimoldus Abbas, qui dictum Gregorianum Sacramentarium accuratissimo studio ad veterum exemplarium fidem correxit, & quas aliunde adscitas deprehendit, virgulis antepositis singulavit.* Huc adde, quod in *Antiphonario* D. Gregorii & Antiquarum *Præfationum* libello, quem Jacobus Pamelius tomo 2. *Liturgici Latinæ ecclesiæ inseruit, pro die festo S. Georgii præter antiphonas proprias extat Præfatio hujusmodi: Vere dignum & justum est, æquum & salutare nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, pro cujus veneranda confessione Beatus Martyr Georgius diversa supplicia sustinuit, & ea devincens perpetuitatis meruit coronam per Christum Dominum nostrum, per quem &c.* Et quamvis hanc Præfationem neget Pamelius esse Gregorii, multo tamen antiquissimam esse non diffitetur. Præterea scriptum est in vita Leonis III. ex majorum traditione sancitum fuisse, ut festo die S. Georgii ediceretur ad VII. Kalen. Maji solemnis supplicatio, quæ etiamnum fieri solet die S. Marci: *Secundum olitanam traditionem, a Notario sanctæ Romanæ ecclesiæ in ecclesia S. Georgii Christi Martyris in ejus natali Litania Major prædicari solebat.* Cæterum Georgii colendi, ejusque anniversarii diei celebrandi Romana consuetudo septimo sæculo Salonæque excidio antiquior cum sit, merito dubitari potest, utrum a Palæstino, an a Salonitano Georgio originem traxerit; præsertim cum is, quam ille, notior temporibus illis apud Occidentales, & illustrior esset.

Cultus Georgianus Romæ & in Italia pervetustus.

Nec Romanæ ecclesiæ de cultus Georgiani antiquitate concedit ecclesia Mediolanensis. Argumento est pervetus illa Præfatio Missalis Ambrosiani, quæ D. Ambrosio auctori vulgo adscribi solet; in qua cum inter cæteras Georgianas laudes Alexandræ conversio annumeretur, consequens esse videtur non Palæstino, sed Salonitano Georgio cultum illum & anniversarios honores ab ecclesia Mediolanensi antiquitus adhibitos fuisse. At Papebrochius eam non satis dignam esse censet, quæ tribuatur D. Ambrosio; & ex apocryphis scriptis desumptam ut probet, illud pro argumento sumit, quod Alexandra appelletur *Regina Persarum*. Sed non intelligo, cur Papebrochio tantopere displiceat is titulus appositus Alexandræ, qui eam ob causam illi congruere poterat, quod e nobilissima Regum Persarum stirpe originem duxerit. Nam Alexandra e Persis oriunda videtur fuisse, & primo bello Persico cum aliis Matronis ac Virginibus ab Diocletiano in servitutem abducta, ut in historia ejusdem Diocletiani dicemus. Præterea quemadmodum Diocletianus vel ob devictos Persas, honoris ergo, vel ob superbos Persarum mores sibi adscitos, dicterii & convicii causa, vocatus est interdum Imperator aut Rex Persarum, quemadmodum supra diximus, sic etiam ejus conjux iisdem potuit de causis Regina vel Imperatrix Persarum denominari. Neque hujusmodi Præfationem ad Georgium Salonitanum idcirco referri posse negaveris, quod is *Miles*, non *Episcopus* appelletur; nam nemo est, quin sciat, qui pro Christo, ejusque divinitate ad extremum usque spiritum decertarunt, eos ab Hagiographis antiquis *Militum* vocabulo ornari; & Christianam professionem sæpe militiam dici. Auctor vero ejusdem Præfationis huic verbo, cum militem Georgium vocat, quam notionem subjiciat, ipsemet satis aperte declarat, cum eum *fidelissimum Militem*, ac *testem Christi* nominet, & paullo post *inclytum Domini præliatorem*. Præclare igitur scite-que Papebrochius Com. præv. §. 4. num. 24. ad eum locum in Menæis, ubi *Georgius Magnus Athleticorum Ordinum ductor* dicitur, hanc notam apposuit: *Quis non judicet Athletarum nomine designari non sæculi militiæ professores, sed Christo auctoratos milites, & pro ejus fide multa certamina expertos?* Quod vero titulus Episcopi absit, id nemini mirum debet videri, qui Martyrologium Hieronymianum, item Gregorii Sacramentarium attentius legat, ubi quamplurimos Martyres eosdemque Episcopos nullo a cæteris neque nomine, neque nota dignitatis Pontificiæ distinctos inveniet. Operæ pretium est ipsam illam Ambrosianam Præfationem hic describere: *Per Christum D. N., qui ita humano generi mysticæ salutis remedia contulit moriendo, ut & totius doli artificem sua passione destrueret, & suo exemplo fidelibus suis exemplum suo pro nomine tribueret moriendi: unde & non surdus auditor, fidelissimus Miles ac testis Christi Georgius, dum pene tribus exactis mensibus Christianitatis professio silentio tegeretur profano, solus inter Christicolas intrepidus Dei filium est confessus: cui & tantam fidei constantiam gratia divina concessit, ut tyrannicæ potestatis præcepta contemneret, & innumerabilium non formidaret tormenta pœnarum. O felix & inclytus Domini præliator, quem non solum temporalis regni blanda non persuasit promissio; sed persecutore deluso, simulacrorum ejus in abyssum portenta dejecit. Ob hoc gentium Regina Persarum, crudeli a viro dictata sententia, nondum baptismi gratiam consecuta, gloriosæ passionis meruit palmam: unde nec dubitare possumus, quod rosea perfusa sanguinis unda, reseratas poli januas, præcedens beatissimum Georgium Martyrem, ingredi meruit, regnumque possidere cœlorum. Hæc tua est, Domine, bonæ voluntatis operatio, qui salvas omnes, nec pateris ullum perire; & magna cum pietate, mirabiliter cuncta disponis. Et ideo ...*

Cultus Georgianus ecclesiæ Mediolanensis.

Georgianum cultum in Gallia inde usque ab anno 590. æræ Christianæ repetendum esse docet Auctor vitæ

Georgianus cultus in Gallia VII. sæculo antiquior.

vitæ S. Bathildis, qui ab Chlotilde uxore Chlodovei Francorum Regis cœnobium sacrarum Virginum in honorem S. Georgii exstructum fuisse testatur. Idem confirmat Scriptor vitæ S. Droctovei Abbatis, qui ait Germanum Parisiorum Antistitem, cum anno circiter 559. Basilicam Parisiensem dedicasset, *aram illam, quæ ad Occidentem spectat, Domino in honorem SS. Gervasii, & Protasii, & Celsi Pueri, Sanctique Georgii consecrasse*. Hujus in Gallia antiquissimi cultus fidem præterea faciunt Venantius Fortunatus, qui tum Moguntiæ in templo, quod Sidonius Episcopus constituxit, tum in sacello Arthonensi apud Arvernos D. Georgii reliquias coli affirmat, & Gregorius Turonensis, qui lib. 1. de Glor. Mart. cap. 101. tradit reliquias ejusdem Georgii, tum apud Lemovicum, tum in vico quodam Cenomanensi plurimis maximisque miraculis floruisse. Georgium Salonitanum Episcopum Gallis per ea tempora non ignotum fuisse facile crediderim; ipse autem, an alter ille Palæstinus apud Gallos in honore ac veneratione fuerit, mihi sane compertum non est.

lib. 2. car. 11. lib. 10. car. 29.

§. II.

De Templis Georgianis in Dalmatia.

Templa Georgiana in Dalmatia.

EX omnibus Divis indigenis atque advenis neminem reperio, cui plures, quam Georgio, sacras ædes Dalmatæ dedicaverint, quæ quidem quamvis neque magnificentia, neque elegantia operis, ab vulgaribus templis sacellisve valde differant, numero tamen suo declarant, quam propensa ac studiosa erga Georgium voluntas ac religio Dalmatarum animis insit, a majoribus ex aliis in alias ætates ad posteros derivata. Hujusmodi Georgianorum templorum catalogum huic loco innectendum censeo, quem confecit, & nobis e Dalmatia transmisit vir clarissimus Andreas Roncali Rector seminarii Archiepiscopalis Spalatensis.

In agro castri Sussuraz, quod in sinum Salonitanum ab Septemtrione imminet, duo visuntur templa haud ita longo intervallo disjuncta, S. Georgii titulo consecrata: alterum insidet collem, loco edito ac peramæno, ex quo in subjectam convallem, cui nomen Ostrovizzæ, despectus est, vetustum quidem, sed post Salonam eversam conditum esse, indicio sunt marmorei lapides è ruderibus Salonensium ædificiorum collecti, & templi parietibus inserti. Alterum D. Georgii templum in planitie situm mari adjacet, quod castrum Sussuraz subter luit. Loco nomen est Putalio, quod quidem vocabulum antiquissimum est, eoque nomine ad locum hunc designandum utitur Tirpimirus in suo Diplomate, quod Historicus Dalmata descripsit cap. 2. lib. 2. de Regno Chroat. & Dalmat. Hujus Georgianæ ædis dedicationi Mislaus Dux Chrobatorum interfuisse dicitur in Diplomate Tirpimiri, qui Mislai decessoris donationes huic ædi factas confirmavit anno 838.

Tertia S. Georgii ædicula conspicitur apud fontes fluvii Salonæ non admodum antiqua, si formæ & structuræ ratio habeatur, in qua dies festus S. Georgii singulis annis ingenti convenarum frequentia ac religione celebrari solet. Quarta in agro Cliffensis oppidi, quam circumcirca ambiunt vetera sepulchra. Quintæ nunc dirutæ vestigia cernuntur in eo loco, qui dicitur *Biurine*, & ab Uglianensi Parœcia prope abest. Sexta insidet vertici montis Massaron. Septima ad Tugarum viæ publicæ imposita. Octava apud Postranam mari adjacens, unde haud longe disjungitur. Nona paullum a mari remota. Decima in pago Turiaz ad flumen Cetinam, nullare magis, quam antiquis sepulchris circumpositis visenda. Undecima subest parœciæ Valikensi, apud Maovizen sita, quam itidem sepulchra pervetusta circumdant. Duodecima pertinet ad Parœciam, quæ vulgo dicitur *Drigni Bolag* ultra Massaron, in loco, cui nomen *Latovichi*. Decima tertia in angulo insulæ Bracchiensis, Sacerdotio satis opulento instructa, cujus proventus in commune Cleri Spalatensis ærarium conferuntur. Decima quarta superimposita est jugo montis Marglian, cui Sacerdotium itidem annexum est satis pingue, liberæ, ut ajunt, collationis, ac nemini specialim obstrictum.

Quas hactenus percensui Georgianas ædes, Spalatensis Diœcesis jurisdictione & finibus continentur. In reliqua vero Dalmatia singulari commemoratione dignæ videntur ecclesia S. Georgii, Abbatiæ titulo insignis prope oppidum Perasti in diœcesi Catharensi; ecclesia major, itemque cœnobium S. Georgii in urbe Obrovazii; ædes & vicus in Pago insula, cui ab S. Georgio nomen est; parœcia Tersactani oppidi, quæ itidem S. Georgii titulo & patrocinio subest. Non vacat cæteras enumerare, & nominatim persequi; sed cum multo plures extent in una diœcesi Spalatensi, quam in tota reliqua Dalmatia, id argumento videtur esse earum condendarum causam, non ad Palæstinum, sed ad Salonitanum Georgium referendam esse; neque enim alia ratio verisimilior reddi potest, cur Spalatenses suæ adversus Georgium religionis plura, quam cæteri Dalmatæ, monumenta excitaverint, nisi quod jam usque ab antiquissimis temporibus in ea regione potissimum Georgianus cultus efloruerit; ejus autem cultus originem potius ab Salonitano Episcopo, quam a Palæstino Milite repetendam esse nemo non videt. Harum quidem sacrarum ædium nullam esse Salonitano excidio antiquiorem facile concesserim; sed quæ inerat Salonitanis erga suum olim Episcopum eximia quædam animi propensio ac veneratio, in Spalatenses transiit, qui Georgianam religionem a majoribus traditam pene cum lacte nutricis sugere videbantur; neque enim statim post Salonæ excidium, nisi post aliquot ætates aboleri omnino potuit memoria Georgii Salonitani; sed ea deinde paullatim, ut fit, extincta, quidquid cultus honorisque ex majorum traditione Georgio postea adhibuerunt, id omne ad Georgium Palæstinum, notum ubique & pervulgatum referri putabant. Ex illis autem Georgianis ædibus, quas supra recensui, multas fuisse arbitror a Spalatensibus excitatas, suffectasque in locum earum vetustate collabentium, quas veteres Salonitani in honorem Georgii Episcopi condiderant. Quod vero in iisdem ædibus visuntur imagines Georgii equo insidentis militari habitu atque vestitu, id vel attribuendum censeo communi opinioni Spalatensium, non alium apud se coli, nisi Militem Palæstinum arbitrantium, aut ex more antiquo profluxit, quo sicut D. Jacobus Apostolus, Martinus Turonensis, aliique Episcopi ac martyres, ita etiam Georgius Episcopus & martyr Salonitanus pingi potuit; præsertim cum is ea militis specie ornatuque spectandum se præbuit Salonitanis, ut conjectando diximus, cum illis in extremum periculum adductis auxilium laturus e cœlo adfuit.

Ædes alia Georgio sacræ in reliqua Dalmatia.

Harum ædium condendarum causa,

repetenda videtur a Georgio Salonit.

In aliis Occidentalibus extra Dalmatiam regionibus sane multa visuntur Georgiana templa perantiqua & eximia, de quibus merito dubitare possis, utri Georgio primævæ dedicationis titulum acceptum ferant. Extat Romæ in regione secunda templum

Templa Georgiana in Occidente extra Dalmatiam.

Digitized by Google

plum S. Georgii ad velum aureum, vulgo in Velabro, idemque Cardinalitio Diaconali titulo insignitum, cujus auctor conditorque cum ab Anastasio dicatur fuisse Leo Pontifex hujus nominis secundus, qui post Salonam excisam ecclesiæ Romanæ administrationem suscepit anno 82. septimi sæculi, merito dubitaveris, an referri debeat hujusmodi templi titulus ac dedicatio ad Georgium Episcopum Salonitanum, quippe hujus memoria jam paullatim obliterari cœperat. Sed cum Georgianus cultus jam inde a Pontificatu S. Gregorii Magni Romæ floreret, ut diximus superiori paragrapho, mihi numquam persuaderi poterit nullum in Urbe templum ante Leonem II. Georgio Salonitano, si vera sunt, quæ diximus, positum fuisse. Probabilius esse arbitror, quemadmodum cultum, sic ædem Georgianam non solum Leonis, sed etiam Gregorii magni ætatem antecedere, idcirco autem hujus conditorem Leonem appellari, quod eam fortasse collapsam restituerit, & ample auxerit magnificeque exornaverit. Quod si verum esset, illud quoque verisimile fieret, primum huic ædi titulum ab Georgio nostro obvenisse.

Roma S. Georgii ad Velum aureum, an ad Georgium nostrum pertineat.

Nec vero dubitari potest, quin fuerit antiquissima, & Salonitana clade longe vetustior ædes illa Georgiana, quam D. Gregorius, datis ad Marianum Abbatem litteris, refarciri jubet Epist. 68. lib. 9. ait enim *Ecclesiam S. Georgii positam in loco, qui dicitur ad sedem, minorem quam oporteat diligentiam habere ... & quia*, inquit, *ecclesiam ipsam reparatione certum est indigere, volumus, ut quidquid illuc accedere potuerit, ipse accipere, & ad ejus reparationem debeas erogare*. Cum autem Laurentius Finicchiarus tradat hunc Marianum alibi dictum esse *Abbatem de Panormo*, hinc videtur colligi posse hujusmodi ædem sitam fuisse in Sicilia, quippe cum ejus restaurandæ curam D. Gregorius Abbati Panormitano commiserit. *Quandoquidem vero ecclesia illa*, ait Papebrochius, *jam tum, id est anno DCI. reparatione egebat tanta, ut ejus curam sibi non negligendam ipse Pontifex Romanus censeret; vel hinc cognosci datur, quod ea, ubicumque sita fuerit perquam antiqua, ac verosimiliter ipso, quo Georgius passus est, sæculo ædificata*. Cum autem per ea tempora notius esset apud Occidentales, & celebrius Salonitani, quam Palæstini Georgii nomen, non est vero absimile illi potius, quam huic, templum illud apud Siculos exstructum fuisse. Eamdem conjecturam fieri velim de basilica Neapolitana S. Georgii Majoris, quam a Constantino Magno conditam ferunt. Et sane cum in Divis Dalmaticis colendis ornandisque eximia exstiterit Constantini religio & munificentia, ut alibi ostendimus, verisimile est tum Neapoli, tum aliis in locis, templa in honorem Georgii Episcopi Salonitani ab eo fuisse constructa.

Templum D. Georgii Panormit. ad nostrum spectat.

Titulum Georgianum ædis cathedralis Ferrariensis aliqui referunt ad Vitalianum Papam, qui anno 657. Pontificatum adeptus, sedem Episcopalem Vicohabentiæ anno æræ vulgaris 330. fundatam dicitur transtulisse Ferrariolam, ibique templum sane magnificum in honorem S. Georgii martyris ædificasse. Sed cum Vitaliani Diploma, in quo hæc narrantur, inter fictas & commentitias tabulas annumerent viri eruditi, verosimilius est ecclesiam Ferrariensem inde usque ab sua origine, & titulo & patrocinio S. Georgii subjectam fuisse; utrumque vero Vicohabentia primum Ferrariolam, deinde Ferrariam translatum esse. Is porro titulus, cum vetustate ac desuetudine exsoleviset, iterum ab Episcopis Ferrariolæ usurpari cœpit anno fere decimo quarto undecimi sæculi, quemadmodum docet Ferdinandus Ughellus: *Post hunc* (ideſt Ambrosium, qui decessit an. 1014.) *aliquot Ferrariolæ Episcopi titulum S. Georgii veteris Cathedralis assumpserunt*. Porro antiquitas Georgiani tituli ex æde Cathedrali Vicohabentiæ, ac Ferrariolæ Ferrariam tandem translati, hujus ecclesiæ exordio æqualis, argumento est, hujusmodi tituli causam & initium haud inepte referri posse ad Georgium Episcopum Salonitanum.

Item ædes Cathedralis Ferrariensis,

Idem suspicari licet de quibusdam templis in Gallia D. Georgio positis ante annum 600. æræ vulgar. Chlodoveus Rex Francorum, qui a Chlotilde uxore Christiana ad Christi cultum illectus, & in bello adversus Alemannos divinam opem expertus, a Remigio Rhemensi Episcopo baptizatus est intra finem sæculi v. cœnobium ac templum D. Georgio condidit in quodam vico, cui nomen erat Baralæ, inter Atrebatum & Cameracum, ut tradit Baldricus Episcopus Noviomensis & Atrebatensis in Chronico Cameracensi & Atrebatensi. Alterum per eadem tempora templum, pariter ac cœnobium sacrarum Virginum, Chlotildis Regina sub titulo ac patrocinio S. Georgii in loco, qui dicitur Cala, a fundamentis exstruxit, ut scriptum est in vita S. Bathildis, quæ utrumque amplificavit. Sidonius Episcopus Moguntinus, auctore Venantio Fortunato lib. 2. car. 10. egregiam Moguntiæ basilicam Deo optimo Maximo in honorem S. Georgii vergente sexto sæculo dedicavit. Huc adde aram S. Georgii, itemque SS. Gervasii, & Protasii, & Celsi pueri, quam anno circiter 560. Germanus Episcopus Parisiensis consecravit *in ecclesia S. Crucis Sanctique Vincentii*, quæ postea *S. Germani de Pratis* dicta est, ut legitur in vita S. Droctovei Abbatis. Quæ quidem vetustæ erga S. Georgium religionis monumenta adjudicanda ne sint Palæstino, an Salonitano Georgio, merito dubitari potest.

Itemque duo Gallicana templa.

§. III.

De Reliquiis Georgianis.

SI omnes Georgianas reliquias, quæ toto Christiano Orbe dispersæ variis in locis coluntur, uni Palæstino Georgio attribuendas putes, eum bicipitem, polimembrem, aut etiam tricorporem effingas necesse est. Cum igitur omnes in unum eumdemque Georgium convenire nequeant, eas hic investigari, & secerni ab reliquis oportet, quæ ad nostrum, quam ad Palæstinum, verosimilius pertinere videantur. Id antequam facere aggredior, juvat audire, quæ hac de re Papebrochius scite cordateque admonuit: *Sed neque dissimulanda est alia, eaque inter tot humanarum rerum casus nequaquam evitabilis causa multiplicandarum sub unius Sancti nomine reliquiarum, sæpe plurium, quam unius corporis mensura potuerit elargiri; videlicet, quod evanescente paullatim distincta memoria Synonymorum Sanctorum, necessario quoque fieri debuerit successu temporis, ut quotquot sub eodem nomine sic habebantur reliquiæ, crederentur ejusdem quoque Sancti esse, ejus videlicet, qui omnium tali nomine appellatorum vulgo notissimus & celeberrimus est*. Idem paullo post in eamdem sententiam hæc scripsit: *Inutilem omnino, ne dicam noxiam, sollicitudinem æstimabit, quisquis de hisce rebus prudenter sentiet, scrupulosius versari circa qualitatem, quantitatemve tum aliarum, tum earum reliquiarum, quæ S. Georgii nomine titulatæ venerationem obtinent; quamvis plures hoc nomine Sancti vixerint, magnoque in honore post mortem fuerint*

De pluribus Georgianis reliquiis.

Sententia Papebrochii.

Digitized by Google

rint apud Orientales. In illis qualibuscumque particulis agnoscimus magni Martyris unius gloriam, toto orbe per omnia sæcula successive propagatam; neque dubitamus, quin alii posteriores S. Georgii, sicut gloriantur nomen ab illo traxisse, qui primus illud suo sanguine consecravit; ita gaudeant eidem transcribi partem honoris, qui sibi deferendus erat, si quam constanter perseveravit sacrarum reliquiarum venerandarum usus, tam distincta quoque mansisset notitia singulorum. Esto, ossa aliqua non hujus, sed alterius Georgii sint; non frustrabitur suo intentu religio veneranda sanctum, quem solum novit. Hactenus Papebrochius præclare omnino ac prudenter. Cæterum si quis, postquam investigatione curaque intentiori adhibita, ex antiquis monumentis distinctam duplicis Georgii notitiam eruisset, aliquid etiam studii laborisque conferret ad distinguendas utriusque Georgii reliquias, ejus operam ac solicitudinem neque *inutilem*, neque *noxiam* fore existimasset, opinor, Papebrochius; id quod nos nunc præstare conabimur.

Georgius Salonitanus ibi sepultus, ubi martyrium subiit,

Ac primum quidem Georgii Salonitani corpus eodem fere in loco sepulturæ mandatum censeo, in quo ipse supremum pro Christo agonem obierat; deinde vero post hostes Christiani nominis extinctos, & pacem ecclesiæ redditam, cum aliis Sanctorum Martyrum exuviis Salonam revectum, & in ea fortassis æde honorifice conditum, quam Demosthenes Rex Liburnorum in honorem Virginis Deiparæ & S. Georgii in suburbio exstruxerat, & jussu Diocletiani dirutam Salonitani restituerant, si tamen vera est, quam ipsi Georgianæ ob Draconem extinctum victoriæ interpretationem adhibuimus. Post annos haud ita multos Constantinus Magnus Georgium, & qui huic in Episcopatum proxime successit, Theodorum, aliosque Salonitanos Martyres Polam videtur transtulisse, ut in Actis ejusdem Theodori dicendum erit. Nunc Georgii, & nostri quidem, ut videtur, venerandum corpus asservatur, pieque colitur in æde Cathedrali Polensi subter aram augustissimæ Eucharistiæ, arca marmorea perantiqua inclusum, in qua condunsur capsulæ cupressinæ omnino quinque, quarum una corpus S. Theodori, altera S. Georgii, tertia S. Demetrii, quarta S. Basilii, quinta S. Florii & S. Salomonis continetur. Horum sanctissimorum corporum fidem faciunt tabulæ publicæ, jussu confectæ, annuloque obsignatæ Michaelis Ursini Episcopi Polensis, qui anno 1487. arcam illam recluserit, & quæ illic contineri diximus, Divorum corpora rite inspexit & recognovit. Sed hujus inventionis historiam in Acta Theodori Episcopi Salonitani rejicimus. Illud hic animadvertendum censeo, quod ab omnibus Hagiographis, cum agitur de sacris reliquiis, admoneri solet; non si alicubi alicujus S. Martyris corpus asservari dicitur, continuo existimandum est totum ibidem esse ejus corpus, omnibus suis membris & partibus expletum: id quod D. Gregorii Nazianzeni auctoritate confirmari potest: *Venerantur*, inquit contra Julianum, *fideles pie sanctèque corpus integrum, ubi vel tenuis tantum pulvisculus habeatur alicujus sancti, quod ejusdem est virtutis atque integrum corpus.* Non est autem verisimile, ut Salonitani passi fuerint, auferri sibi totum omnino Georgii sui Episcopi corpus, alioque asportari; sed multo probabilius est ex eo partem haud exiguam Salonis relictam esse, & quamdiu Salona steterit, summo ibidem in honore ac veneratione habitam fuisse. Anno deinde 641, cum Martinus Abbas jussu missuque Joannis IV. multa SS. Martyrum corpora ex Istria & Dalmatia collegit, & Romam devexit, cum iis etiam quidquid fere Georgii Episcopi apud Salonitanos remanserat, in urbem delatum videtur esse, atque in æde Venantiana, & in aliis Basilicæ Lateranensis Sanctuariis perhonorifice conditum; nam Georgianarum reliquiarum nihil usquam in tota Dalmatia, quod ego quidem sciam, reperitur, præter exiguum fragmentum, quod Joannes Baptista Laghi Episcopus Spalatensis anno vigesimo hujus sæculi, cum arcam S. Anastasii Martyris reclusit atque introspexit, ibidem pergameno involucro abditum invenit, cum hac epigraphe charactéris haud valde antiqui: *S. Georgii M.* Hanc particulam e sacris Georgii Salonitani exuviis antequam vel in Istriam, vel Romam deveherentur, decerptam fuisse arbitror. Sed unde, vel quo tempore, quove Auctore in eam arcam illata fuerit, plane mihi incompertum est. Igitur corpus Georgii Salonitani Episcopi partim delatum esse in urbem, partim Polæ in æde Cathedrali etiamnum requiescere videtur.

& Romæ deinde transvecta

præter exiguam particulam.

Jam vero cum nulla propemodum in Europa civitas aut provincia sit, quin ex corpore S. Georgii reliquias vel exiguas vel perinsignes habere glorietur, neque omnes unius Georgii Palæstini esse possint, investigari oportet, quænam ex iis verosimilius ad nostrum Georgium pertinere videantur. Paullus Muscia Canonicus Panormitanus, & Laurentius Finicchiarus Presbyter nostræ Societatis, quamvis Georgianas reliquias, ubicumque existerent, omnibus vestigiis indagaverint, earumque catalogum bene longum confecerint, non dubitat tamen Papebrochius, quin multo plures eorum investigationem ac diligentiam subterfugerint. Ipsemet Papebrochius, postquam multas sane urbes, & oppida, & cœnobia enumerasset, in quibus reliquiæ S. Georgii & quidem perinsignes coluntur, fatetur haud pauciora loca iisdem nobilitata reliquiis ab se prætermissa: *Omitto*, inquit tom. 3. die 23. April. *plura alia loca nominare, quæ simili protectione, sumptisque e corpore Protectoris sui particulis gaudent, aut tales se se habere existimant.* Non est hujus instituti Georgianas omnes reliquias, tota Europa dispersas recensere; de iis tantum locis commemorabo, quæ *Capite* vel *Brachio* S. Georgii apud se conditis gloriantur; quæ quidem duo, cum pluribus in locis esse nequeant, necesse est fateri, aut S. Georgii nomine falso inscripta esse, aut alibi Palæstini, alibi Salonitani, & alibi fortasse alius Georgii caput vel brachium asservari. Itaque caput S. Georgii extat Romæ in ejusdem templo ad velum aureum, Venetiis in Basilica S. Georgii Majoris illuc ex Ægina insula translatum anno 1462; in ecclesia majoris Monasterii apud Turoniam, allatum ex Constantinopoli; in cœnobio Arvelensi S. Georgii in Regno Navarræ; Syracusis in Sicilia; partes vero Georgiani cranii, ait Finicchiarus asservari apud Pictavos in Gallia, Nancei in Lotharingia, Clerii in Liguria; & mandibulam Neapoli, Bononiæ, atque Panormi. Sed multo pluribus in locis D. Georgii brachium reperiri ajunt; videlicet in Monasterio Prumiensi apud Treviros; in vico, cui Barulæ nomen est, inter Atrebatum & Cameracum, in eo templo, quod Chlodoveus in honorem B. Georgii condiderat; in cœnobio Benedictino diœcesis Brixinensis; Tolosæ in *Sacrario sancti Saturnini*; Coloniæ in Basilica S. Georgii; Aquicincti in Belgio apud Monachos Benedictinos; Catanæ in Sicilia; Genuæ in æde Georgiana; in æde Cathedrali insulæ Melitensis, itemque in æde Metropolitana Brundusii. Hæc loca, in quibus vel caput vel brachium S. Georgii colitur, ex antiquis Chronicis & tabulis Papebrochius collegit,

Reliquiæ Georgianæ in plurimis locis.

Caput S. Georgii, Romæ, Venetiis, & alibi.

Brachium longe pluribus in locis colitur.

Inde Polam transtulit, ubi etiamnum colitur.

Pars aliqua insignis Georgiani corporis Salonæ retenta,

git, & paragrapho VI. Commentarii prævii intexuit. Fateor equidem, ut ea loca jure vereque ſibi vindicare poſſint vel caput, vel brachium S. Georgii, ſatis eſſe, ſi ex eodem capite vel brachio partem aliquam inſignem obtineant; ſed nemini perſuaſeris e duobus ejuſdem Georgii brachiis, & capite uno tot partes inſignes divelli poſſe, quot ſunt loca, quæ hujuſmodi reliquiarum poſſeſſione gloriantur; neque enim ubi quælibet ſit vel exigua particula, ibidem caput aut brachium eſſe juxta receptum loquendi uſum dici ſolet, aut poteſt. Adde, quod in aliquibus locis, quæ ſupra nominatim percenſui, integrum caput, integrumque brachium aſſervari ferunt. Cum igitur hujuſmodi reliquiæ corporis Georgiani plures ſint, quam ut queant uni & eidem Georgio Palæſtino attribui, aliquas fortaſſe ex illis ad Salonitanum Georgium pertinere cenſeo. Alteras vero ab alteris ſic dignoſci ſecernique poſſe arbitror. Quidquid ex Georgianis lipſanis in Europam ex Oriente allatum eſſe legitur, id ne dubites referre ad Georgium Palæſtinum. Quæ vero ex urbe Romana in alias atque alias provincias propagatæ ſunt Georgianæ reliquiæ, eas fere omnes Georgio noſtro probabiliter adſcribendas puto. Siquidem ex Dalmatia, Iſtriaque, cum aliis SS. Martyrum exuviis partem aliquam ex corpore Georgii Epiſcopi Salonitani in urbem per Martinum Abbatem allatam fuiſſe exiſtimo. De illis igitur, quæ hujus eſſe videntur, reliquiis pauca dicamus.

Ratio ſecernendi reliquias ſacriſque Georgii.

Caput Georgii ex æde Lateranenſi translatum in ædē Georgianam ad Velum aureum

Zacharias Pontifex Maximus, qui altero & quadrageſimo octavi ſæculi anno univerſalis eccleſiæ regimen ſuſcepit, in Baſilica Lateranenſi caput S. Georgii Martyris invenit, illudque tranſtulit in ædem Georgianam ad velum aureum, quod ibidem honorifice conditum, & eximia veneratione cultum plurimis Deus maximiſque adornavit miraculis. Rem narrat Anaſtaſius Bibliothecarius ad hunc modum: *Hujus (Zachariæ) temporibus magnum theſaurum Dominus Deus noſter in hac Romana urbe oſtendere dignatus eſt. In venerabili namque Patriarchio ſacratiſſimum B. Georgii Martyris iſdem ſanctiſſimus Papa in capſa reconditum reperit caput, in quo & pittacium invenit pariter, litteris exaratum græcis, ipſum eſſe ſignificantibus. Qui ſanctiſſimus Papa omnino hilaris & ſatisfactus, illico aggregato Romanæ urbis populo, cum hymnis & canticis ſpiritualibus in venerabili Diaconia ejus nominis, ſita in hac Romana civitate, regione ſecunda, ad Velum aureum, illud deduci fecit, ubi immenſa miracula & beneficia omnipotens Deus, ad laudem nominis ſui, per eumdem ſacratiſſimum Martyrem operari dignatur.*

De capite S. Georgii Palæſtini Romam translato nihil uſquam aut litteris, aut memoriæ proditum invenies; contra vero de plurimis martyribus anno 640. ex Iſtria, & Dalmatia in urbem tranſvectis locupletiſſimi ſunt & certiſſimi teſtes antiqui pariter junioreſque ſcriptores. Nihil autem eſt veriſimilius, quam per idem tempus, & cum iiſdem ſacris corporibus caput quoque, & alias præterea Georgii Salonitani Epiſcopi inſignes reliquias Romam allatas fuiſſe; cujus rei illud quoque argumento eſſe poteſt, quod intra Baſilicæ Lateranenſis ambitum, ubi Martyres Iſtros & Dalmatas conditos fuiſſe conſtat, S. Georgii caput inventum fuerit. Huc accedit, quod nequit dubitari, quin caput illud S. Georgii ex Oriente, atque inſula Ægina Venetias devectum ad Georgium Palæſtinum pertineat. Si autem cum Finicchiaro exiſtimes Venetiis in Baſilica S. Georgii Majoris non integrum ejus caput, ſed partem tantummodo aſſervari, quod illi deeſt, vindicant ſibi Syracuſæ & Panormum in Sicilia, eccleſia Majoris-Monaſterii apud Turoniam, Clerium in Liguria, Neapolis in Italia; ut alias urbes præteream, quæ caput Georgii, vel certe aliquam ejus partem apud ſe aſſervari colique affirmant. In has autem civitates vel certo conſtat, vel admodum probabile eſt reliquias Georgiani capitis, non aliunde, quam ex Oriente allatas fuiſſe. Ubi autem caput S. Georgii Palæſtini multiplici partitione diviſum in ea, quæ dixi, loca diſtraxeris, & ſuam cuique partem aſſignaveris, nihil ſane ſupereſt, quod Romæ attribuere poſſis: ex quibus id, quod volumus, effici & cogi videtur, caput Georgianum Romæ in Baſilica Lateranenſi inventum longe probabilius Salonitano, quam Palæſtino Georgio adſcribi.

Videtur eſſe Georgii Salonitani.

Caput S. Georgii Palæſtini partim Venetiis,

partim alibi.

Crus Georgianum Romæ in æde S. Mariæ de Conſolatione ad noſtrum.

Bartholomeus Piazza in Sanctuario Romano auctor eſt crus S. Georgii, Romæ ſingulis annis IX. Kal. Maj. e capſula proferri, publicæque venerationi exponi in æde S. Mariæ, cui cognomen eſt a Conſolatione. Quod de capite S. Georgii e Dalmatia Romam translato dixi, idem etiam de illius crure ſentiendum cenſeo; illudque vel ex Iſtria, vel ex Dalmatia cum aliis Martyrum lipſanis per Martinum Abbatem in urbem advectum eſſe veriſimile arbitror. Vexillum Georgianum, cujus partem in templo S. Georgii ad Velum aureum, partem in æde S. Cæciliæ aſſervari idem ſcriptor affirmat, itemque Lanceam Georgianam, cum hæc ſint inſignia militaria, ad Georgium Militem pertinere puto; eaque ex Oriente, poſtquam ſacræ ad Palæſtinam recuperandam expeditiones inſtitui cœptæ ſunt, Romam allata eſſe exiſtimo. Nam Chriſtiani Milites ſacra illa militia perfuncti, & domum reverſi, quam ipſi animis imbiberant erga Divum Georgium religionem eximiam, ob præclaras victorias cœleſti illius ope de barbaris reportatas, tota Europa, una cum ejus reliquiis indidem relatis propagarunt.

Inſignia militaria ad Palæſtinum pertinent.

Pars capitis Georgiani Romæ Ferrariam translata ad noſtrum ſpectat,

Clemens VIII. Pontifex Max., qui Ferrariam Eſtenſibus Ducibus ademptam iterum in ditionem Pontificiam redegit, cum urbem illam aliis ampliſſimis beneficiis cumulavit, tum partem e capite S. Georgii divulſam eidem dono miſit anno 1600. per Joannem Fontanam Epiſcopum Ferrarienſem, qui ſacrum illud Pontificiæ in eam urbem beneficentiæ pignus, argentea lipſanotheca incluſit, atque collocavit in æde Cathedrali, quæ Georgii Martyris titulo ac patrocinio gloriatur. Ibidem colitur pars brachii Georgiani; ſed hanc Palæſtini Georgii eſſe conſtat; ajunt quippe ab Roberto Comite Flandriæ ex Oriente delatum brachium S. Georgii, ejuſque partem ad manus perveniſſe Mathildis, a qua illam Ferrarienſes ſibi donatam affirmant.

non item brachium, Georgianum in ea urbe aſſervatum.

Reliquiæ Georgianæ ex urbe alio atque alio tranſmiſſæ, videntur eſſe noſtri Georgii.

Quas vero Georgianas reliquias S. Angilbertus Abbas Centulenſis ab Hadriano I. & Leone III. Romanis Pontificibus intra finem octavi ſæculi accepit, & in æde Centulenſi S. Salvatoris depoſuit; & quas Felix Clericus Italicus anno 37. inſequentis ſæculi Fuldam attulit; eas cum aliis pleriſque ante annum æræ vulgaris milleſimum, & ſacrarum expeditionum initia, in varias Italiæ Galliæque urbes delatis, ex urbe Romana deſumptas fuiſſe, & Georgio Salonitano attribui poſſe exiſtimo.

Quæ de actis, de cultu, de reliquiis Georgianis in duos Georgios Palæſtinum ac Salonitanum diſpertiendis hactenus ſcripſi, nolim perinde accipi; quaſi aliquid detractum velim de gloria rebuſque præclare geſtis magni illius Martyris Palæſtini, quem antiqua religione verendum, ſummis ubique laudibus celebratum, illuſtribus plurimiſque miraculis inclytum univerſus orbis Catholicus eximiis honoribus, Chriſtianæque pietatis officiis proſequi-

sequitur. Nemo pluris, quam ego, ejus sanctitatem ac patrocinium fecerit; nemo impensius ejusdem gloriæ & veneration faverit. Sed hoc in loco exemplis mihi & vestigiis insistendum putavi nobilium ac prudentum Hagiographorum, qui cum de actis & reliquiis alicujus Martyris, aut cujuscumque Divi & multa & parum inter se cohærentia vel memoriæ tradita, vel litteris mandata inveniunt, quæ in unum eumdemque hominem convenire nequeunt, ea duorum aut plurium Divorum cognominum esse censent, quamvis uni tantum vulgo attribuantur, ac proinde quæ sub unius nomine error & insciția posteritatis congessit, in duos pluresve ejusdem nominis Divos dispertiri oportere ajunt. Justissima autem est, & communis omnium querela de Actis Georgianis sive Græcis, sive Latinis, aliqua saltem ex parte interpolatis; nemo est, cui non displiceat tanta illa suppliciorum varietas & multiplicitas; nemo est, quin videat aliarum super alias acervatarum rerum confusionem ac discrepantiam; nec desunt, quibus numquam persuaseris reliquias omnes, & quidem perinsignes, ejusdemque generis, quæ Georgii nomen inscriptum habent, ad unum eumdemque Georgium pertinere. Vidit hoc peracute, ac sapienter monuit Papebrochius, & quam ille causam attulit, unde orta est reliquiarum Georgianarum multiplicitas & confusio, in eamdem licet conferre Actorum Georgianorum permixtionem ac repugnantiam. Ea fuit, ajebat ille, *causa multiplicandarum sub unius sancti nomine reliquiarum, sæpe plurium, quam unius corporis mensura potuerit elargiri; quod evanescente paullatim distincțiva memoria Synonymorum Sanctorum, necessario quoque fieri debuerit successu temporis, ut quotquot sub eodem sic habebantur reliquiæ, crederentur ejusdem quoque esse sancti, ejus videlicet, qui omnium tali nomine appellatorum, vulgo notissimus, & celeberrimus est.* Nihil aptius ad rem nostram, nihil congruentius. Clades Salonitana deleverat, ac posteritati præripuerat omnem fere notitiam Georgii Salonitani, cum aliquot post sæcula ubique in Europa vigeret Georgii Palæstini fama & celebritas, & magis magisque in dies efflorescceret. Itaque is unus omnium gentium studia & laudes, religionem ac preces in se converterat. Verum Catalogi Salonensium Antistitum nobis conservarunt, quæ apud vulgus evanuerat, memoriam Georgii Salonitani Episcopi; quem si cognitum habuisset Papebrochius, nullus dubito, quin huic libenter ea impertiisset, quæ videbat non satis congruere aut componi posse cum Georgio Palæstino; præsertim cum uterque iisdem propemodum temporibus floruerit; neque nostro desit vel sanctitas eximia communis fere omnibus illorum temporum Episcopis, vel opinio probabilis cultus antiqui licet jamdudum aboliti, ob quam dignus habeatur, quo cum res ad historiam cultumque Georgianum pertinentes partiri possimus. Nam & egregia sanctitate præditum fuisse, & qui Cœlitibus tribui solent, honores ei decretos antiquitus atque habitos esse declarant Diptycha Salonitanæ ecclesiæ, quibus illius nomen inscriptum fuisse nemo opinor negaverit, atque ex Diptychis in Catalogos Salonensium Antistitum relatum est. Diptychis autem adscribi, idem olim erat, atque in Divorum fastos referri.

Papebrochii de reliquiis Georgianis multiplicibus sententia.

Quæ cum ita sint, quid est, quod dubitemus ex actis, templis, & reliquiis Georgianis ad Georgium nostrum transferre, quidquid Georgio Palæstino vel superfluit, vel repugnat, donec alius proferatur Georgius sanctitate & martyrio insignis, in quem aptius ea conveniant? Tantum vero abest, ut ob hanc causam reprehendi, injuriosique in Georgium Palæstinum haberi possimus, ut potius non male de illo mereri videamur; quippe ex ejus Actis ea tantum resecuimus, quæ redundabant, quæ cum illo non cohærebant, quæ propter rerum discrepantiam, totius historiæ fidem in dubium & suspicionem vocabant. E reliquiis vero, quæ Georgianæ esse feruntur, eas tantum ab Palæstino abjudicandas esse censuimus, quas illi alterius Georgii ignoratio videtur affinxisse; quæque, cum unius corporis mensuram, & membrorum, e quibus corpus unumquodque constat, numerum excederent, aut falsæ, aut incertæ videri poterant, & propterea veris etiam certisque ejusdem reliquiis fidem ac venerationem adimere. Ita fit, ut historia & cultus Georgii Palæstini, exemptis rebus dubiis, supervacaneis, discrepantibus, & plus habeat dignitatis, & majorem apud omnes auctoritatem obtineat. Nec sane Divis injuriam facere existimandi sunt, qui eorumdem historias ab rerum vel falsarum, vel alio pertinentium admixtione depurgandas suscipiunt: quasi vero Sancti Dei homines fictis laudibus aut aliunde adscitis indigeant, qui tam multa pro Christo & vere gesserunt, & fortiter sustinuerunt. Cæterum iis, quæ ad Georgii nostri memoriam ab tenebris & silentio vindicandam scripsi, cum pleraque conjecturis nitantur, quibus subesse falsitas potest, non plus fidei tribui velim, quam quantum prudens lector tribuendum putaverit. Nec vero aut sancti titulum Georgio Episcopo Salonitano adscripserim, aut ejus colendi cuiquam auctor fuerim, antequam ejus pervetusti cultus certiora monumenta proferantur, quibus rite cognitis atque expensis ad Romanum Pontificem pertinebit eumdem in antiquum honoris ac venerationis locum restituere.

APPENDIX.

De sociis martyrii Georgiani.

IN Actis Georgianis, & Martyrologiis antiquis plures fuisse traduntur, quibus B. Georgius verbis & exemplis auctor fuit Christianæ religionis amplectendæ, & præclare pro Christo mortis obeundæ. Aliquot ex iis nominatim percensuit Andreas Cretensis, reliquos multo plures nullo neque nomine designavit, neque numero definivit: *Missos facio singulos*, inquit, *quos Christi Miles ad ejusdem certaminis rationem adduxit, cum quibus & Reginam Alexandram.* Si Legenda Gallicana digna esset, cui fides haberetur, quadraginta millia & nongentos in societatem Georgiani certaminis & martyrii adscribi oporteret. Quos commemorant vel Acta S. Georgii, vel Menæa & Menologia Græcorum, eos in hunc locum colligere juvat, simulque disquirere, an aliqui ex illis Georgio Salonitano attribui debeant.

Socii plures Georgiani martyrii.

Georgius ex fœda membrorum dilaceratione divinitus incolumis atque integer cæteris quidem omnibus admirationi fuit, Anatolio autem & Protoleoni Prætoribus mortis pro Christo subeundæ cupiditatem injecit; qui Christianos se constanter & libere confessi, decus martyrii, egregiæ confessionis præmium adepti sunt; iisque ejusdem gloriæ consortes suas cuique familias adscribunt Acta Græca Pasicratis Georgiani famuli auctoritati ac nomini subjecta. Utriusque commemorationem Græci in Magnis Menæis diei 23. Aprilis annectunt; & suo quemque disticho exornant:

Anatolius & Protoleo.

Dum capite plexus occidit Anatolius,
Occasu in ipso lumen Auroræ videt.
Protoleo Martyr obtulit ferro caput
Christum ducem secutus, ut fortis leo.

An-

Andreas Cretenſis perhonorificam de utroque mentionem fecit: *Ad hæc qui ſtudioſe ac diligenter hiſtoriam leget, diſcet, quemadmodum non ſibi ſoli martyr ille, verum & plurimis aliis ſuo labore ſalutem conciliavit. De his loquor, quibus perſuaſit, ut & ipſi parem curſum tranſigerent, proprium ſanguinem Deo libantes. Anatolio enim & Protoleoni, ut hoc facerent, perſuaſit, duobus illis militibus, qui cum ea, quæ in certamine illo effulſere, miracula obſtupuiſſent, & ipſi martyris Georgii fortitudinem æmulati ſunt.* His duobus eadem Menæa adjungunt Valerium itemque Athanaſium ex Idolorum cultore & Mago Chriſtianum, eumdemque martyrem egregium. De hoc poſtea; ille vero utrum in eorum numero fuerit, quos Georgius ad Chriſti cultum traduxit, & martyrii ſocios habuit, compertum non habeo.

Valerius & Athanaſius.

Glycerius.

Glycerium Agricolam, cujus bos morti proximus deprecatione Georgii protinus convaluit, inter Georgianos martyres Græca omnia Actorum exemplaria annumerant; de quo in Menæis apud Græcos extat hoc diſtichon:

Agricola Glyceri ſimile telluri tuum
Reſte eſſe guttur, vomeri gladium reor.

Therinus & Donatus.

Cum Glycerio eadem Menæa conjungunt Therinum & Donatum itidem martyres, quos in Georgianis Actis prætermiſſos una cum Valerio ſupra memorato, in eorum numero habendos putamus, quibus *plurimis*, ut ait Andreas Cretenſis, *ſuo labore ſalutem conciliavit Georgius.*

Euſebius, Neon, Leontius & alii quatuor.

In eamdem martyrum Georgianorum claſſem conjicias velim Euſebium, Neonem, Leontium, & alios quatuor, quorum certamen ad diem 24. Aprilis referunt magna Menæa, itemque Menologium Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris: *Eodem die*, inquiunt Menæa, *Sanctorum martyrum Euſebii, Neonis, Leontii, & aliorum quatuor. Poſt martyrium Sancti Megalo-martyris Georgii, imperavit Diocletianus, ut omnes Chriſtianos, & maxime, qui propter S. Georgium in vinculis detinebantur, aut Diis ſacrificarent, & libertati reſtituti vita donarentur; aut ſi recuſarent, omnibus tormentis excarnificati neci dederentur. Proinde & hi Sancti ab S. Georgio fidem Chriſtianam edocti, & in ea conſtantes in carcere erant detruſi &c.* Eadem fere leguntur in Menologio Baſilii. Sed quos tacito nomine commemorant Menæa, eoſdem Synaxarium Græcum Ms. Pariſienſe Collegii Claromontani Societatis Jeſu apud Henſchenium in Actis SS. die 24. April. ſuo quemque vocabulo diſtinxit; & præterea tres alios adjecit, in quibus ſunt Donatus & Therinus die ſuperiori a Menæis laudati: *Eodem die certamen Sanctorum martyrum Euſebii, Neonis, Leontii, Longini, Chriſtophori, Demetrii, Donati, Therini, Nices, & ſociorum.* Hos omnes ab Georgiani martyrii ſocietate divulſos Chronologi pſeudohiſpani ad ſuam regionem tranſtulerunt; rati ſe id facere impune poſſe, cum neque in Martyrologio Romano, neque in Menologio Sirleti horum martyrium ulli certo loco affixum invenirent. Sed eos fidei malæ ac fraudis convincunt Menæa, & Menologium Baſilii, ex quibus plane aperteque colligitur nihilo magis horum, quam Georgii martyrium ad Hiſpaniam pertinere.

Victor, Zoticus &c.

His adde Victorem, Zoticum, Acindynum, Zenonem, Cæſarium, Severianum, Chriſtophorum, Antoninum ſocios & conſortes Georgiani martyrii, quorum nomen & elogium Magna Menæa diei 20. Aprilis ſubnectunt his verbis: *Eodem die Sanctorum martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Cæſarii, Severiani, Chriſtophori, Antonini. Hi omnes impio Diocletiano imperitante, martyrii agonem ſuſtinuerunt, quando & multarum palmarum athleta, martyr Chriſti Georgius comprehenſus torquebatur, & inter ſupplicia, admiranda plane edebat prodigia &c.* Hos præclaros Chriſti Athletas ſocioſque Megalomartyris in duas turmas diſtribuit antiquum Menologium Græcum juſſu Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris ſæculo Chriſti decimo conſcriptum, & alios quidem in 18. alios autem in 19. Aprilis diem conjecit. Sed neque ab his furaces manus abſtinnere Hiſpanienſes illi pſeudochronologi, quod enim eos nulli urbi aut provinciæ adſcripſerint neque Sirletus in ſuo Menologio, neque Baronius in Martyrologio Romano, integrum ſibi eſſe putarunt illos in Hiſpaniam pertrahere, unde Georgiana Societas eoſdem longiſſime disjungit. Hos autem omnes, & alios plures, quos *miſſos ſe facere* ait Andreas Cretenſis, martyrii ſocios habuit, ſibique vindicat Georgius Palæſtinus; quippe cum ab Latinis quidem Georgianis apographis abſint, in Actis vero Græcis, aut certe in Menæis & Menologiis Græcorum commemorentur. De Mago autem illo, qui religionem Chriſtianam Georgio auctore amplexus pro Chriſto mortem occubuiſſe dicitur, controverſia eſſe poteſt, nec ſatis conſtat, utri Georgio adſcribendus ſit; hunc vero cum utroque trahunt Acta Græca & Latina; utrivis per me licet attribuas.

Hos omnes ſibi vindicat Georgius Palæſtinus.

Alexandræ Imperatricis & conjugis Diocletiani ad Chriſtum converſionem & martyrium Georgio Salonitano adjudicare cogit ratio, & deſcriptio temporum; ex qua ſatis perſpicue docemur eam martyrio perfunctam eſſe aliquot annis ante Georgium Palæſtinum; is quippe religionis cauſa mortem obiit poſt univerſalem perſecutionem indictam anno tertio ſæculi quarti, quæ tempore Diocletianus Priſcam, Lactantio teſte, in matrimonio habebat, quæ uſque ad annum 13. ejuſdem ſæculi vitam perduxit. Ne duas igitur eodem tempore legitimas uxores, thalami videlicet, atque Imperatorii tituli conſortes habuiſſe Diocletianus dicatur, neceſſe eſt Alexandra e vita exceſſerit ante annum 303. & ante Georgii Palæſtini martyrium: ex quo id, quod volumus, efficitur, nimirum Alexandræ converſionem ac martyrium referri oportere ad Georgium Salonitanum Epiſcopum, qui anno æræ vulgaris 296. vitam & ſanguinem pro Chriſto profudit. Tres ſaltem uxores Diocletianus aliam ex alia duxit, ac primum quidem Serenam, ex qua Valeriam Galerio nuptam genuit; huic autem cum nuncium remiſiſſet, propterea quod nulla ſpes eſſet prolis virilis ex ea ſuſcipiendæ, Alexandram in thori ſocietatem deinde adſcivit, quæ Georgii Salonitani Epiſcopi miraculis ad Chriſtum adjuncta in ſuam perniciem cædemque conjugis odium ac furorem concitavit. Denum Priſcam ſibi matrimonio junxit, quam Licinius interfici juſſit. Hæc paullo diſtinctius exſequemur in Actis S. Serenæ, & quæ hujus itemque Alexandræ Auguſtali connubio ex Lactantio objici poſſunt, diſtributis explicatiſque temporum ordinibus refellemus. Nunc ad Alexandram revertamur.

Alexandra Imperatrix ad martyrium pertinet.

Tres uxores Diocletiani.

Præfatio Ambroſiana Alexandram vocat Reginam Perſarum, id quod adeo diſplicet Papebrochio, ut hanc ob cauſam cenſuerit Præfationem illam indignam eſſe, cujus Auctor haberi dicique Ambroſius poſſit. Sed quas ob cauſas Diocletianum appellatum fuiſſe diximus Regem, ſive Imperatorem Perſarum, eadem antiquos Scriptores impuliſſe videntur, ut Diocletiani conjugem ejuſmodi titulo impertirent. Præterea veriſimile eſt Alexandram ex antiquiſſima Perſarum Regum ſtirpe ortam fuiſſe. Quemadmodum enim fœcundo bel-

Alexandra Regina Perſarum cur dicta.

lo

lo Perſico Narſei uxores cum tota fere regia Gaza, & familia in poteſtatem Diocletiani venerunt, ita priori bello, quod incidit in an. 287. cujus meminit Mamertinus in Panegyr. ad Herculeum, multas Virgines ac Matronas e primaria nobilitate, & regali domo Perſarum in ſervitutem abductas fuiſſe opinari licet; in quibus eſſet Alexandra, ob eximiam pulchritudinem, ſummamque generis nobilitatem digna Diocletiano viſa, quam poſt repudium Serenæ, Imperatorii thalami ac nominis conſortem adſciſceret an. 293. Hinc apparet, idcirco dictam eſſe Reginam Perſarum, quod ex proſapia & familia Regum Perſidos originem duceret. Hæc patriis avitiſque ſuperſtitionibus ab infantia imbuta cum eſſet, ubi Georgium tam multa & gravia pro Chriſto ſupplicia imperterrito animo ferentem vidit, reſque admirabiles ſupra vim præterque ordinem naturæ per eum divinitus patratas conſpexit, cœleſti numine vehementer inſtincta, contineri non potuit, quin aperte palamque Diis malediceret, multiſque audientibus & clariſſima voce ſummum ac verum Deum cœli terræque opificem, ejuſque filium Jeſum Chriſtum & agnoſcere ſe & colere profiteretur: id quod adeo perculit Diocletianum, ut dolore amens protinus uxorem ipſam interfici juſſerit. *Dignus plane*, ut præclare animadvertit Henſchenius tom. II. April. die 21. *hac pœna præ cæteris fuit Diocletianus impuriſſimus, qui caſtiſſimas Virgines plurimas Deo ſacratas imperavit ad ſceleſtiſſima proſtibula duci, & turpiſſimorum lenonum libidini exponi, ut qui Chriſti Sponſas nitebatur contaminare, non una vice factum ſe viduum ingemiſceret, ab ſuis ipſius uxoribus præ Chriſto contemptus*. Alexandra vero, cum nulla baptiſmi ſuſcipiendi facultas ſuppeteret, egregia illa confeſſione, proprioque ſanguine baptizata, ſuperioris vitæ maculas eluit, ſibique ad beatam immortalitatem aditum comparavit.

Ejus ad Chriſtum converſio.

Martyrii, ſeu mortis genus non ſatis certum.

De Alexandræ martyrio, ſeu mortis genere diſcrepant Auctores; alii eam in carcere, alii dum ad ſupplicium raperetur, placide obiiſſe ſcribunt; alii vero ſecuri percuſſam fuiſſe docent. Sunt præterea, qui antequam morte afficeretur, ſuſpendi juſſam, & verberibus cæſam tradunt, & Petrus Equilinus auctor eſt inter ipſa verbera extinctam eſſe. Acta Græca Georgiana mortem S. Alexandræ cum martyrio S. Georgii ita conjungunt, ut inter utrumque ne unus quidem dies interceſſiſſe videatur, ſed Græci Hagiologi cum diem natalem S. Alexandræ referant ad XI. Kalendas Majas, hujus ex hac vita tranſitum a martyrio Georgii bidui ſpatio disjungunt. Cum his ferme conſentiunt Jacobus de Voragine, & Petrus de Natalibus, qui uno alterove die poſt interitum Alexandræ Georgium capitali ſupplicio affectum eſſe docent. *Sequenti vero die*, ait Equilinus, *Præſes juſſit Georgium miſſo fræno in ore ejus per totam civitatem trahi, & poſt hæc extra civitatem adduci, & ibidem decollari*. Græci igitur XI. Kal. Majas, ſeu 21. Aprilis anniverſaria religionis officia S. Alexandræ perſolvunt, qui dies olim etiam apud Salonitanos in honore eſſe debuit, & in feſtorum dierum numero haberi. Sed ejus urbis everſio, hominumque interitus, quemadmodum Georgii Epiſcopi Salonitani memoriam extinxit, ſic etiam hujus diei celebrandi conſuetudinem abolevit. Ignoratio autem Georgii Salonitani poſteros in errorem prope neceſſarium induxit, ſic prorſus, ut cum alia multa, tum etiam Alexandræ Imperatricis converſionem ac martyrium ab noſtro Georgio in Palæſtinam transferrent. Itaque Græci, ad quos omnis fere Alexandræ cultus & religio tranſiit, in hujus elogio commemorant Georgii Militis & Megalomartyris ſupplicia, ac miracula, quibus impulſam fuiſſe Alexandram putant, ut nefariæ ſuperſtitioni nuncium remitteret, & pro Chriſto caput ſuum conjugis furori objiceret. In antiquo Menologio Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris eidem attributum invenies præclarum hoc elogium: *Die vigeſima prima Aprilis, certamen S. Martyris Alexandræ Imperatricis. Alexandra Chriſti martyr fuit Diocletiani Imperatoris uxor; quæ cum vidiſſet S. Georgium cruciatibus affectum, haſta in ventre confixum, nec propterea læſum; deinde in rota ferreis cuſpidibus inſtructa illigatum, & vinculis divinitus exſolutum; corpore inſuper diſſecto, denuo ſoſpitem redditum, & coram Imperatore, qui Idolis tunc ſacrificabat, intrepide conſiſtentem; ac tam mirabili prodigio plurimos ad Chriſti fidem evocantem, quorum aliqui capite minuti ſunt, alii vero in carceres detruſi fuerunt; cum hæc, inquam, vidiſſet, imperii gloriam deſpiciens, etiam ipſa fidem Chriſti amplexa eſt, & coram Imperatore ſe Chriſtianam eſt confeſſa. Juſſu proinde Diocletiani in cuſtodiam conjecta fuit. Ac poſt hæc edicto promulgato, ut Georgius ſimul & Alexandra abſciſſis cervicibus interficerentur, cum id ad ejus notitiam perveniſſet, quæ tum in carcere Deo preces fundebat, animam emiſit*.

Ejus Elogium in Menologio Baſilii.

Ejus dies natalis apud Græcos 21. April.

Quæ de Alexandræ martyrio, ejuſque Auguſtali connubio veteres Scriptores tradiderunt, ea ab omni falſitatis ſuſpicione præclare vindicat Godefridus Henſchenius, qui huic loco hanc perbrevem Apologiam ſubtexuit tomo II. April. die 21. *De quorum veritate non eſt, cur dubitet aliquis, propterea quod de hujuſmodi Diocletiani uxore nihil legatur apud auctores profanos. Nam præterquamquod in nominandis Imperatorum etiam clariſſimorum uxoribus admodum negligentes illi fuere; in Diocletiano duæ peculiares ſunt cauſæ, cur minus notæ ſint eæ, quas diximus. Prima generaliter totam ejus hiſtoriam concernit, videlicet Decretum Senatus, quo Acta ejus fuerunt abolita; altera uxores ejus proprie ſpectat, ipſius nempe & miniſtrorum ejus odium adverſus omne Chriſtianum nomen, in quod cum uxores illius tranſirent, actum omni modo eſt, ne vel in ſtatuis, vel in nummis earum memoria publica ſupereſſet. Interim ſicut certiſſimum eſt, ipſum habuiſſe legitimis nuptiis ſuſceptam filiam Valeriam Galerio Maximiano deſponſam; ita veroſimile eſt hujus matrem fuiſſe Serenam prænominatam, de qua, quod fuerit Diocletiani uxor, indubitatam fidem faciunt ſinceriſſima accuratiſſimaque Acta S. Suſannæ, quæ fuit Diocletiani neptis. Serena autem de medio ſublata, congruum fuit aliam uxorem aſſumi, quæ fuerit Alexandra, magnorum haud dubie natalium, & pulchritudinis rara prærogativis digna judicata Auguſtæ titulo. Sed eam præcipue memorabilem nobis reddidit corona martyrii, quam ei licet gladium reipſa non exceperit, incunctanter tamen tribuens S. Andreas Cretenſis in Encomio S. Georgii, wiſſos, inquit, facio ſingulos, quos Chriſti miles ad ejuſdem certaminis rationem adduxit, in quibus & Regina Alexandra Moyſis virtutem in ſe oſtendit, cum melius ac præſtantius theſauris regiis Chriſti improperium eſſe duxit: quæ prompto animo mortem gladio inferendam, quantum ad ejus propoſitum pertinuit, Chriſti cauſa ſuſcepit, & cœleſte ac ſempiternum regnum cum caduco & terreſtri commutavit*.

Bieſdem vindiciæ apud Henſchenium.

Menæa Græcorum, & Maximus Cytheræus ad eamdem diem 21. Aprilis adjungunt tres eximios martyres ex familia Alexandræ Imperatricis, ſive honorarios ephebos, ſive rei domeſticæ adminiſtros Apollinem, Iſacium, & Codratum, quibus

Apollo, Iſacius, & Codratus famuli Alexandræ,

illa exemplo fuit & incitamento, ut Imperatoriæ aulæ copiis atque honoribus posthabitis, vitaque ipsa contempta, glorioſam pro Chriſto mortem oppeterent. Hos autem Georgius Salonitanus Epiſcopus eodem ferme, quo Alexandram, jure ſibi vindicat, interque ſocios ſui martyrii annumerat. Nam his quidem martyrii cupiditatem injecit Alexandra; ſed Alexandra ipſa Georgio martyrii ſui coronam acceptam ferat neceſſe eſt. Eorum præclarum certamen deſcripſit, egregiiſque laudibus ornavit Maximus Cytheræus, qui omnia fere deſumpſit ex Menæis, in quibus hæc leguntur: *Eadem die* XXI. *Aprilis Sanctorum martyrum Apollo, Iſacii, & Codrati, qui fame & ferro vitam finiverunt, Apollo autem & Iſacius & Codratus miniſtri antea Imperatricis, ubi viderunt Dominam ſuam contempto mortali & perituro imperio, Chriſti fidem amplexam fuiſſe, & propter eamdem mortem ſubiiſſe, ipſi quoque fidem Chriſti ſuſceperunt, eamdemque apud Imperatorem libere profeſſi, ejuſdem impietatem coarguerunt, ipſum ferum & immanem appellitantes, quod uxoris propriæ & thori ſui conſortis miſertus non eſſet. Concitatus ideo ira ſuper hoc Imperator, juſſit eos in carcerem conjici. Quo facto per totam noctem deliberavit, quo mortis genere eos extingueret. Mane autem facto, e carcere educi curavit, & Codratum capite plecti juſſit, Apollo vero & Iſacium in carcerem reduci: in quo fame confecti, poſt paucos dies animas ſuas Domino reddiderunt.* Ex his liquido conſtat, hos illuſtres Chriſti Athletas aliquot poſt obitum Alexandræ diebus martyrii palmam adeptos eſſe; eorum autem anniverſaria commemoratio cum natali feſtoque die Alexandræ Imperatricis apud Græcos præterea conjungi ſolet, ut quos ipſa ſibi æmulos atque imitatores egregii certaminis nacta fuerat, eoſdem ad augendam hujus diei religionem ac celebritatem, annui cultus & triumphi conſortes haberet.

Inter ſocios Georgii Salonitani annumerandi.

Apollo, Iſacii, & Codrati mentionem faciunt Sirletus in ſuo Menologio, & Baronius in Martyrologio Romano, ſed neutrobi locus indicatur martyrii: id quod occaſionem cauſamque præbuit Chronologis Hiſpanienſibus, ut eos martyres veluti quamdam poſſeſſionem vacuam, nullique civitati vel provinciæ addictam raperent ad ſe, traducerentque in Hiſpaniam Bæticam. Horum fraudem ac rapinam detexit, caſtigavitque Godefridus Henſchenius: *Ne interim hi Sancti viderentur derelicti orphani, eos aſſumpſerunt fabricatores Pſeudo-Chronici Dextri, in quo ad an.* 300. *ſic fabulantur: Albæ prope Accim, in Hiſpania Bætica, ſancti Chriſti martyres Apollo, Iſacius, Crotatonque eorum ſocius glorioſus. Et ſubſcribunt elucidatores Dextri Bivarius, & Rodericus Carus, hos eſſe in Martyrologio Romano, & Menologio Sirleti relatos; imo Tamajus-Salazar allegat aliqua horum martyrum Acta ex Ms. Legendario Aſturicenſi, ſed quod videtur hoc ſæculo conſcriptum.* Cæterum idem Baronius in Annalibus primum quidem Iſauriæ ſub anno Chriſti 305. deinde vero Alexandriæ ſub anno Chriſti 310. horum martyrium adſcripſit. Unde autem id acceperit, nullum neque codicem, neque Scriptorem allegat. Ut credam id a graviſſimo & ſapientiſſimo viro temere ac ſine ratione prolatum, nullo prorſus modo adduci poſſum. Quod ſi in aliquibus perantiquis Manuſcriptis, ut probabile eſt, locum horum martyrum certamine nobilitatum, alias Iſauriam, alias Alexandriam appellatum invenit, neceſſe eſt eamdem urbem aut provinciam binominem fuiſſe, cujuſmodi eſt Iſſa inſula Dalmatica, quam aliquando *Iſariam*, vel *Iſauriam*, aliquando *Alexiam*, & *Alexandriam* dictam eſſe alibi nobis videri diximus. Et ſane multo veriſimilius eſt martyres illos famulos atque adminiſtros Alexandræ apud Salonitanos martyrio perfunctæ, in eam Dalmatiæ inſulam ad extremum pro Chriſto certamen ſubeundum deductos, quam vel in Iſauriam uſque Aſiæ provinciam, vel Alexandriam Ægypti Metropolim ablegatos fuiſſe.

In ſacros Faſtos Hiſpanicos ſæpe falſo relati.

Horum martyrium alias Iſauriæ, alias Alexandriæ adſcriptum.

Videtur transferendum ad Iſſam inſulam Dalmaticam.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Anno Chriſti.

GEorgius illuſtri loco natus in Dalmatia, fortaſſis ex nobiliſſima ſtirpe Aniciorum, poſt Joannem, Salonitanam eccleſiam regendam ſuſcepit. 285

Carinus apud Murgum Mæſiæ oppidum victus eſt, interemptuſque ab exercitu Diocletiani, qui unus rerum omnium potitus Maximianum Herculeum jure ac nomine Cæſareo donavit.

Diocletianus Maximianum ex Cæſare creavit Auguſtum, & collegam imperii adſcivit: exinde Chriſtianis iniquus eſſe cœpit. 286

Diocletianus primum bellum Perſicum feliciter geſſit. Multos e Perſica nobilitate captivos duxit, in quibus fuit Alexandra regiæ ſtirpis Virgo, quam deinde, repudiata Serena, uxorem duxit. Inde ſupra humanum faſtigium elatus, more Perſarum divinos ſibi honores haberi jubet. 287

Conſtantio & Galerio Cæſaribus creatis, & ſuas uxores repudiare juſſis, ut alias ducerent, Diocletianus ipſemet Serenæ nuncium remiſit, & Alexandram ſibi matrimonio junxit. 293

Multi e conſanguineis Diocletiani Romæ ob Chriſtianam religionem interempti, inter quos Suſanna Virgo. Diocletianus ad ſecundum bellum Perſicum contra Narſeum, & Ægyptiacam expeditionem contra Achilleum Alexandriæ tyrannum ex Italico delectu exercitum conſcribit. 295

Diocletianus cum exercitu in Dalmatiam trajecit, Tres profectionis Comites adſcivit Magnentium, cui Libyæ, Teognidem, cui Ægypti, Dacianum, cui Syriæ Præfecturam decreverat. In Dalmatia cum verſaretur, Chriſtianos crudelem in modum exagitat. Quæſtionibus in eos habendis præeſſe juſſit Dacianum Syriæ Præfectum deſignatum. 296

Georgius Epiſcopus Salonitanus in vincula conjectus, equuleo, ungulis, facibus admotis, ſale plagis injecto, aliiſque ſuppliciis excruciatus, ſimulque cœleſtibus viſis & alloquiis recreatus, præclarum Chriſtianæ religioni teſtimonium tribuit. Hujus miraculis & conſtantia Alexandra conjux Diocletiani commota Chriſto nomen dedit, ejuſque divinitatem libera voce deprædicat. Jubente Diocletiano Georgius, & Alexandra capite damnati, hæc quidem verberibus cæſa, vel in carcere, vel ad ſupplicium cum raperetur, placide animam efflavit, ſive, ut alii volunt, ſecuri percuſſa ad Superos migravit; ille vero biduo poſt capitalem ſententiam ſubiit. Georgius apud Melitam, ſive Melænam Corcyram, utramque Dalmatiæ inſulam martyrium conſummaſſe videtur. Aliquos ſocios martyrii, præter Alexandram habuiſſe veriſimile eſt, quinam vero, & quot fuerint, incompertum. Ex Alexandræ familia tres ſive honorarii Ephebi, ſive rei domeſticæ adjutores, cum ad Chriſti cultum ſe tranſtuliſſent, aliquot poſt obitum Alexandræ diebus, martyrii palmam adepti ſunt, Salona abducti, ut videtur, ad Iſſam inſulam Dalmaticam, quæ & Iſauria, & Alexia, & Alexandria dicta.

Diocletianus menſe Majo e Dalmatia profectus exercitum in Orientem traduxit; Nicomediam primum venit, deinde in Ægyptum ad oppugnandam

Digitized by Google

Anno Christi.

dam Alexandriam trajecit; traditis antea Galerio Italicis legionibus, quibus ad Persicam expeditionem uteretur.

297 Alexandria octavo obsidionis mense capta, Achileus tyrannus interfectus. Diocletianus in Mesopotamiam vel Syriam reversus, ibidem aliquamdiu substitit. Galerius semel atque iterum male, tertio prospere cum Persis pugnavit.

Dum Diocletianus longe gentium abest Alexandrino & Persico bello distentus, Demosthenes quidam Dalmatis ad defectionem compulsis, Salonæ regnum occupat, quæ defectio Diocletianum ex Oriente in Italiam & Romam revocavit, Romana classe, quæ ad Ponti custodiam excubabat, in Adriaticum trajicere & Salonam obsidere jussa.

298 Salona vehementissime oppugnata præsenti certoque discrimine, Georgii martyris cœlesti ope liberatur. Demosthenes, & Salonitani cives quamplurimi, repudiata idolorum superstitione Christianam religionem suscipiunt, riteque baptizantur. Templum Salonis in honorem Deiparæ Virginis, & Georgii martyris conditum. Demosthenes usus classe Romana Pontica, quam in suam potestatem redegerat, Italiæ oram populatur. Ariminum urbem diripit atque excindit.

Georgius Episcopus & martyr Salonitanus in sacra Diptycha relatus, & dies 23. Aprilis ad ejus memoriam solemni ritu celebrandam decretus. Ejus cultus deinde præsertim post ecclesiæ pacem, Constantino Magno auctore, ubique constitutam, apud Occidentales longe lateque propagatur.

303 Diocletianus persecutionem universalem Nicomediæ indixit, qua ex urbe, Romam cogitans, profectus Oricotis provincias lustravit. Diospoli, vel in aliqua urbe Phæniciæ, Georgium militem multis suppliciis excruciatum capite plecti jussit.

315 Georgii Salonitani corpus Salonam translatum, quod aliquot post annis Polam Constantinus Magnus transferri jussit, & in æde Cathedrali collocari, ubi etiamnum asservatur. Ejusdem corporis partes insignes veluti caput, crus, brachium &c. apud Salonitanos relictæ.

330 Vicohabentiæ sedes Episcopalis fundata esse dicitur, quæ deinde Ferrariolam, postremo Ferrariam translata est. Titulus ædis Cathedralis a Georgio, ut videtur, Salonit. mutuatus, qui titulus cum exsoleviſſet anno 1014. ab Episcopis Ferrariolæ restitutus est.

374 D. Ambrosius florebat, a quo Præfationem de laudibus S. Georgii compositam ferunt.

496 Chlodoveus apud Rhemos a S. Remigio ejus urbis Episcopo Christianis sacris initiatus est. Is cœnobium ac templum D. Georgio condidit in quodam vico, cui nomen erat Baralæ, inter Atrebatum & Cameracum. Alterum templum itemque cœnobium D. Georgio exstruxit Chlotildis in Gallia. Utrumque Georgio nostro adjudicari posse videtur.

559 Germanus Parisiorum Antistes, cum Parisiensem basilicam solemni ritu dedicaret, aram in ea in honorem cum aliorum martyrum, tum Georgii Salonitani, ut credibile est, consecravit.

590 Gregorius Magnus Pontificatum iniit, cujus temporibus Romæ florebat cultus Georgii, ut videtur, Salonitani, ad quem item videntur pertinere Orationes & Antiphonæ Georgianæ ab eodem Gregorio compositæ, & templum illud Panormitanum, quod vetustate collabescens idem Gregorius refarciri jussit.

640 Eversio urbis Salonitanæ, ex qua factum est, ut notitia Georgii Salonitani Episcopi, hominum interitu & posteritatis oblivione primum paullatim evanesceret, deinde prorsus extingueretur.

Anno Christi.

Caput, crus, aliæque reliquiæ Georgii Salonitani, quæ Salonæ remanserunt, cum aliis SS. Martyrum exuviis Martinus Abbas Romam transtulit ad Joannem IV. Pontificem Maxim. qui sacra illa lipsana in sacello Venantiano Lateranensi recondidit. 641

Sub initium hujus sæculi, vel superiore in exitum vergente prima prodiit apud Græcos historia Georgiana permixta, & ex Actis utriusque Georgii composita, quam Aloysius Lipomanus evulgavit. 700

Zacharias creatus est Rom. Pont. qui caput Georgii Salonitani e basilica Lateranensi ad templum S. Georgii ad Velum aureum transtulit. Indidem etiam crus Georgianum in ædem S. Mariæ de Consolatione translatum censeo. 741

Adrianus I. Pontifex ecclesiæ universali præpositus, cui sublectus est Leo III. an. 795. Uterque Pontifex S. Angelberto Abbati Centulensi reliquias Georgianas donavit, quas is in basilica Centulensi S. Salvatoris deposuit; inde vero anno 37. sæculi insequentis Felix Clericus eas, vel partem earum Fuldam transtulit. Hoc sæculo ineunte S. Andreas Cretensis de actis, & laudibus Georgianis orationem composuit. 772

Hoc sæculo floruit Metaphrastes, qui secundam Georgianam historiam ex Actis utriusque Georgii Græce descripsit. Huic item decimo sæculo adscribenda est tertia historia Græca Georgiana permixta, & Pasicrati famulo D. Georgii suppositia. Ad hæc etiam tempora referri potest quarta ejusdem generis historia Græca, ab Heriberto Rosweydo in lucem edita, & a *Viro studioso, & spirituali composita*. Neque hoc sæculo videtur antiquior prima omnium, quæ extant, Latina historia Georgiana utriusque Georgii Acta complectens, quam ex codice Gallicano descripsit Papebrochius. Hujus autem exemplum characteribus Longobardicis exaratum, nec antiquius XII. sæculo Cæsar Baronius in Bibliotheca Vallicellana invenit. 900

Intra finem hujus sæculi sacræ expeditiones ad Palæstinam recuperandam fieri cœptæ. Exinde S. Georgii Palæstini cultus, mirifice auctus, & per Europam longe lateque propagatus, sic prorsus, ut quidquid cultus *reliquiarum, & templorum* olim obtinuisse videtur Georgius Salonitanus, deinceps ad unum Georgium Palæstinum referri soleat. 1000

Hoc sæculo fere dimidio Petrus Parthenopensis ecclesiæ Levita historiam Georgianam Latinam ex Actis utriusque Georgii composuit; eam ex duobus codicibus antiquis descripsit, Lateranensi ac Veronensi. Hoc sæculo exeunte Jacobus de Voragine Episcopus Januensis de martyrio & miraculis Georgianis historiam Latine scripsit, & fortassis ex Legenda Slavonica longe vetustiori desumpsit. Per idem fere tempus Gregorius Cyprius de laudibus S. Georgii Encomium Græce composuit. 1200

Hoc sæculo vixit Jacobus de Stephaneschis S. R. E. Diaconus Card. tit. S. Georgii in Velabro, qui vitam & miracula Georgiana Latinis litteris mandavit. 1300

Hilarion ex cœnobio Veneto S. Georgii Majoris Monachus Benedictinus, vitam Georgianam Petri Parthenopensis contraxit. 1470

Clemens VIII. partem capitis Georgiani donavit Joanni Fontanæ Ep. Ferrariensi, qui eam in æde Cathedrali D. Georgio sacra honorifice reposuit. 1600

Digitized by Google

THEODORUS, JOANNES II. FRONTINIANUS, JOANNES III., ET PETRUS EPISCOPI SALONITANI

Ab anno Christi 296. ad an. 316. Item de SS. Donato Confessore, & Anastasio Martyre Salonitano.

CAPUT PRIMUM.

De Theodoro Episcopo Salonitano XVIII.

GEorgio rebus humanis exempto, Theodorum catalogi omnes subjiciunt, cujus Pontificatum in extremos tertii sæculi annos conjici oportet. Ac primum nobis investigandus est Theodorus noster, si forte reperiri possit inter multos cognomines Divos, qui antiquitus Episcopali dignitate præditi cum essent, vel martyrii gloria, vel eximiæ sanctitatis laude floruerunt; deinde rerum maxime memorabilium, quæ sub ejus Pontificatu acciderunt, Synopsis conficienda; demum de illius cultu ac reliquiis, si quid invenire poterimus, paucis exponendum. Hæc omnia tribus paragraphis explicabo; nec tamen quasi ex antiquis monumentis cognita proferens, certa ut sint, & nulli dubitationi obnoxia, quæ dixero: sed probabilia conjectura sequens, id quod verisimile occurrerit, sine ulla affirmatione ita dicam, ut recte an secus conjecerim, aliorum velim esse judicium. De hoc quippe Salonitano Episcopo cum nihil, præter nomen, memoriæ proditum sit; omni veterum scriptorum luce destitutus, ultra in ejus rebus investigandis quo progrediar, quam ut verisimilia videam, plane non habeo.

§. I.

An Theodorus Salonitanus Episcopus unus ex illis sit, qui sub Theodori nomine coluntur.

EX Græcis pariter Latinisque Divorum fastis permultos fuisse intelligimus vel sanctitatis fama, vel martyrii titulo insignes, quibus Theodori nomen fuit. Testatur Joannes Bollandus in prætermiss. ad diem 19. Febr. amplius quinquaginta ab se inventos esse, qui hoc nomen gesserint, iidemque sive apud Græcos, sive apud Latinos in Divorum numero habeantur. *Nobis*, inquit, *noti sunt plures, quam quinquaginta SS. Theodori suo tempore referendi.* Verum in tanta Sanctorum cognominum multitudine perdifficile est alios ab aliis secernere, & suis quemque rerum, temporum, & locorum notis afficere. Hinc rerum ab illis præclare gestarum permixtio atque confusio; hinc multæ multis in locis, atque insignes partim variæ, partim omnino eædem reliquiæ, quibus Theodori nomen inscriptum est; hinc Theodori cultus atque religio longe lateque propagata; & cum in Oriente atque Occidente apud multas civitates ecclesiasque nomen & cultus Theodori vigeat, & reliquiæ S. Theodori asserventur, fere tamen incertum est, ex illis tam multis, tamque inter se diversis Theodoris, quem potissimum cujusque provinciæ vel urbis religio spectet ac veneretur; aut cujusnam sint, quas quæque obtinet reliquias Theodori titulo insignitas. Cæterum ex omnibus, quibus Theodori nomen obvenit, duo ferme sunt notissimi, iidemque Græcorum juxta & Latinorum litteris celebrati, uterque miles, alter Ducis, alter Tyronis cognomine præditus; horum alterutrum singulæ fere civitates eum esse dictitant, cujus reliquiis ac patrocinio gloriantur. At Joannes Bollandus, cum sibi vetera Martyrologia scrutanti ac pervolventi nomen Theodori occurrit, plerumque dubitare solet, quorsum illud pertineat, nec satis certo dignoscere posse, ad quem ex multis Theodoris, longeque inter se vel temporum, vel locorum intervallo disjunctis referri debeat. Theodorus Martyr is, cui Marcianus Presbyter, & Oeconomus ecclesiæ CP. templum exstruxit, Bollando est plane ignotus; nam inquit tom. 1. die 10. Januar. *quis sit, haud possumus statuere.* In quibusdam Kalendariis non ita sane antiquis, translationem S. Theodori Martyris ad diem Martii 18. adscriptam idem Bollandus invenerat: *sed quæ illa sit, aut cujus nondum*, inquit tom. 2. die 7. Febr. *comperimus.* S. Theodori Euchaitæ crebra est ac celebris apud Hagiologos mentio; sed cum utrumque Theodorum, de quo supra memini, Ducem videlicet ac Tyronem apud Euchaitas conditum ferant, Bollando haud sane liquet, utri Euchaitæ cognomen attributum sit, & utrius sepulchrum ab advenis juxta indigenisque præcipua veneratione colatur. Ad eam quippe urbem sitam in provincia Helenoponti, quam alii Euchaitam, alii Euchaniam vocant, maximi olim fiebant undique peregrinorum concursus Theodori martyrium & sepulchrum celebrantium. Adeo difficile est, cum plures Divi cognomines occurrunt, alios ab aliis dignoscere, & quæ sua sunt, cuique tribuere. In apographo Hieronymiano Lucensi decem, in Martyrologio Romano septem ipsos & viginti Theodoros invenio; plerosque Episcopos & Martyres, alios aliis locis, & temporibus, & diebus adscriptos. Inter hos, sive inter illos quinquaginta, Bollandi studio atque investigatione compertos, Theodorum Salonitanum Episcopum latere probabile esse dixerim, pro certo affirmare non ausim. Facilius equidem invenio, qua ratione reliquos a nostro possim distinguere, quam quemadmodum ex ea multitudine nostrum secernam. Nihil ferme cum Theodoro Salonarum Antistite commune habent Martyres hujus nominis, qui vel sub Hadriano, vel sub Antonino, vel Gallieni aut Valeriani jussu ob Christianam religionem interfecti esse dicuntur. Nihilo propius absunt a nostro, qui Episcopi titulo carent; ii vero aut Maximiano, aut Maximino, aut Licinio imperantibus martyrium obierunt, & paullo ætate posteriores sunt, & locorum insuper intervallo ab nostro disjunguntur. Erat quidem æqualis nostro, idemque Episcopus Theodorus ille, quem sub Diocletiano Dignianus Præses acerbissimis supplicis excruciatum necari jussit, ejusque diem natalem Græci ac Latini colunt IV. nonas Julii; sed ille quidem Cyrene in Libya, noster vero Salonæ in Dalmatia pro religione decertavit. Cæterum si pro Cyrene Silenam, pro Libya Liburniam intelligi velis, nam & Salonam vocatam aliquando Silenam, & Dalmatiam alias Liburniæ, alias Libyæ vocabulo subjectam fuisse diximus in Actis Georgianis, haud vero absimile esse censuerim hunc Theodorum esse illum

88. Theodori supra quinquaginta.

Duo Theodori inter cæteros maxime illustres.

Incertum utri Theodoro Ducis, an Tyronis Euchaitæ cognomen inditum.

Theodorus Cyrenæ in Libya M. sub Diocletiano noster dici posset.

Digitized by Google

tum ipſum, quem quærimus, Salonitanum Epiſcopum. Alios hujus nominis Epiſcopos ac Martyres prætermitto; nam ſingulos recenſere, & longum eſſet, ita ſunt multi, & non eſſet neceſſarium: ineſt enim ſingulis aliquid peculiare ac proprium, unde poſſint dignoſci, ac diſtingui a Theodoro Epiſcopo Salonitano. Inveſtigemus igitur alibi, quem inter hos invenire non licuit.

Theodorum Martyrem Polæ inventum

Anno ſuperioris ſæculi 57. Aloyſius Marcellus Epiſcopus Polæ arcam marmoream in æde Cathedrali ſitam, quam plerique vacuam eſſe cenſebant, reſerari juſſit, ut in ea corpus S. Purpurini Martyris Roma paullo ante advectum reconderet. Sed præter ſpem & expectationem inibi reperta ſunt ſex omnino Divorum corpora, & cujus unumquodque eſſet, nomen ſuum cuique adſcriptum indicabat. In his erat corpus cujuſdam S. Theodori Martyris, de quo nihil, neque litteris traditum, neque fama & auditione a majoribus acceptum, Polenſes memorant. Illud tantum ex tabulis in eadem arca repertis conjiciunt ſacras illas exuvias jam inde antiquitus conditas ibidem atque aſſervatas fuiſſe, quamquam earum notitia & cultus oblivione hominum atque incuria jamdudum obſoleviſſet. Cæterum de patria hujus Theodori, de vitæ genere atque inſtituto, de rebus ab eo præclare geſtis, de loco ac tempore martyrii, nihil prorſus compertum habent; neque unde ſit, aut quando in urbem invectus, inter illos conſtat. Quin igitur ſuſpicari liceat hunc eſſe eum ipſum, quem quærimus, Theodorum Epiſcopum & fortaſſe Martyrem eccleſiæ Salonitanæ? præſertim cum nulla ſit vel civitas, vel provincia, quæ illum ſibi vindicet, quæ vel ab ſe ortum, vel apud ſe martyrio perfunctum fuiſſe contendat. Quis enim mihi jure ſuccenſeat, ſi rem vacuam, nemini mancipatam, in medio poſitam ac relictam arripiam? Ne tamen temere opinari videar, & hunc Theodorum arbitratu meo eccleſiæ Salonitanæ adjudicare, non deſunt ſane rationes, aut conjecturæ, quas huic opinioni ac ſententiæ ſubjiciam.

Noſtrum eſſe Antiſtitem Salonitanum ſuſpicio eſt.

Conjecturæ, quibus ad id ſuſpicandum ducimur.

Nullus Theodorus apud Polenſes, de quo quidem conſtet, vel martyrii palmam adeptus eſt, vel eximiæ ſanctitatis laude floruit. Hunc igitur, cujus apud illos ſepulchrum extat, & alienigenam fuiſſe, & aliunde in eam urbem translatum eſſe credibile eſt. Veriſimilius autem eſt illud e proxima Dalmatia devectum eſſe, quam inde uſque a longinquis Orientis partibus adductum, ubi fere omnes, aut certe plerique hujus nominis Divi vitam ſanctiſſime actam præclara morte exornarunt. Huc accedit, quod in eadem arca, ubi ſitus erat Theodorus, inventum eſt pariter corpus S. Georgii Martyris, de quo itidem nihil apud Polenſes extat ſeu memoriæ traditum, ſive litteris conſignatum. Horum porro duorum Martyrum conjunctio plane mirabilis, niſi caſu magis, quam conſilio facta eſſe dicatur, aliquid ponderis & momenti conjecturis noſtris videtur adjicere; declarat enim, unde uterque eodem tempore translatus fuerit. Salonæ quippe duo per idem fere tempus floruerunt, quorum alteri Georgio, alteri Theodoro nomen fuit; uterque hanc eccleſiam alter alteri ſubrogatus ſanctiſſime gubernavit; uterque Salonæ, ut iniqua temporum illorum conditio jubet credere, ob religionem interfectus, uterque apud eumdem urbem ſepultus fuit. Quid igitur reſtat, niſi ut illud quoque his conſentaneum eſſe dicamus, quod uterque pariter e Dalmatia in Iſtriam, Salona Polam translatus fuerit? quamvis hujus translationis neque auctor, neque tempus deſignari queat. Ex quo illud etiam efficitur, ut cujus corpus olim Polam tranſvectum, & anno abhinc fere centeſimo invectum fuit, is videatur eſſe Theodorus ille, qui Georgio in eccleſiæ Salonitanæ Pontificatum proxime ſucceſſit.

Quid ſi Georgius & Theodorus Epiſcopi ac Martyris Salonitani inſuper fuerint germani fratres? Hanc mihi ſuſpicionem injecit Ado Viennenſis Epiſcopus, qui ad diem 19. Februarii adſcripſit *S. Theodorum Martyrem fratrem S. Georgii*. Joannes Bollandus in Præterm. ad diem 19. Febr. hæret in hoc loco Adoniano, quorſum pertinear non intelligit; & ingenue fatetur æque ſibi ignotum eſſe hunc Theodorum, ac Georgium illum, cujus is frater dicitur; *Ac primo*, inquit, *quis ille ſit Georgius frater ejus, tamquam eo notior, non liquet:* deinde hæc ſubjicit: *Sunt & alii viginti nobis modo noti S. Georgii, ac plures, quam quinquaginta S. Theodori, ſuo tempore referendi; inter quos & hunc S. Theodorum locum, ac certum natalem habere non dubitamus*. Cum itaque incompertum adhuc ſit, quiſnam Theodorus huic formulæ Adonianæ ſubſit, nemini ſane injuriam fecerim, ſi eamdem formulam ad Theodorum noſtrum referendam eſſe exiſtimem. Is igitur Theodorus, cujus meminit Ado XI. Kal. Mart. cujus corpus Polæ jam inde ab antiquiſſimis temporibus conditum fuit, niſi me conjectura fallit, & noſter eſt, & Salonitanus Epiſcopus, & frater Georgii proxime ante illum ejuſdem eccleſiæ Pontificatu perfuncti. Neque illud me ab hac opinione revocat, quod Polenſes S. Theodori apud ſe conditi diem feſtum agant V. Id. Novembris, qui dies ſacer eſt Theodoro Tyroni, celebraturque ab univerſa eccleſia. Ut enim Theodoro ſuo Polenſes hunc diem potiſſimum conſecrarent, ea cauſa fuit, quod alterum ab altero minime diſtinxerint, neque alium Theodorum agnoverint, niſi quem eo die officio cultuque anniverſario univerſalis eccleſia proſequitur. Nam fere ob eamdem cauſam Venetiis quoque eodem die ſolemni ritu colitur Theodorus ille, cujus ſepulchrum ibidem extat, quemque Veneti inde uſque a primordiis urbis conditæ patronum ſibi adoptarunt. Is porro, ut docet Joannes Bollandus, eſt Theodorus ille, cui Ducis, & Megalomartyris cognomen inditum fuit, cujus corpus Conſtantinopoli Venetias translatum eſt, quem Latini VII. Idus Februarii, Græci die proximo inſequenti venerantur. Sed Veneti a Tyrone Theodorum ſuum optime diſtinguunt; hujus enim ſolemni liturgiæ atque officio commemorationem alterius Theodori Tyronis ex præſcripto Breviarii Romani adjungunt.

Theodorus apud Adonem frater S. Georgii videtur eſſe noſter Theodorus.

Cur Polenſes Theodorum apud ſe conditum 9. Novembris ſolemni officio colant.

Cæterum natalis ac feſtus dies Theodori Epiſcopi Salonenſis, ſi olim is cultum aliquem obtinuit, nuſquam certius peti ac dignoſci poſſet, quam e faſtis eccleſiæ Spalatenſis. Memini me in quodam antiquo ejus eccleſiæ Kalendario ad diem VII. Octobris *S. Theodori Martyris* nomen adſcriptum reperiſſe, ſed ibidem jubebatur ejus officium ritu duplici peragendum transferri in primum diem vacuum ab officio novem lectionum. Scio equidem Spalatenſes ignaros, quorſum hujus diei officium cultuſque pertineat, nihil minus eo die, quam de Theodoro Salonitano Antiſtite cogitaſſe, quippe cujus nulla apud illos extat memoria. Sed pervelim ſcire, cur antiqui Spalatenſes eum diem potiſſimum Theodori nomine inſignierint? cur hic dies, ſive qui in hujus locum ſubſtituitur, tanto apud illos in honore ſit, ut dignum cenſuerint, quem officio rituque duplici concelebrarent? Nullum fortaſſe ex antiquis, vel recentioribus, ſeu Græcis, ſeu Latinis Martyrologiis proferri poteſt, in quo Theodori cujuſpiam mentio ad nonas Octobres affixa reperiatur. Nulla civitas, nulla eccleſia, quod ego

Digitized by Google

quidem ſciam, nominari poteſt, quæ Theodoro Martyri hoc die anniverſarios honores perſolvat. Reſtat igitur, ut hujus diei celebrandæ referendæque ad cultum S. Theodori conſuetudo jam uſque ab antiquiſſimis ducta temporibus e Salonitanis ad Spalatenſes commigraverit, relataque ſit e pervetuſtis Salonæ tabulis in Kalendaria Spalatenſis eccleſiæ; neque aliunde is dies, niſi ab Theodoro Salonarum Epiſcopo conſecrationis ac religionis cauſam acceperit. Quæ ſi quis paullo attentius perpendat, in eam opinionem haud fortaſſe invitus ſe induci patietur, ut vero ſimile exiſtimet, non alium in illo Kalendario Spalatenſi nonis Octobribus adſcribi, niſi Theodorum Epiſcopum Salonitanum. Ceterum in eo, quo nunc utitur eccleſia Spalatenſis Kalendario, nomen Theodori e ſeptima Octobris ad 9. Novembris translatum invenies; & cum hujus diei officium ac Liturgiam ſibi vindicet Dedicatio Baſilicæ Lateranenſis, ibidem jubetur officium & Liturgia S. Theodori *primo die non impedito celebrari*. Ita Theodorus priſtinum quidem ſuum diem amiſit, ſed cultum eumdem, ritumque *duplicis* hodieque retinet apud Spalatenſes; qui tamen cum Theodorum Salonitanum ignorent, hunc, quem ipſi ritu ſpeciali colunt, putant eumdem eſſe, quem eccleſia univerſalis v. Idus Novembris, ſive nona die hujus menſis ſimplici commemoratione veneratur. Quæ cum ita ſint, e plurimis Divis ac martyribus, quibus Theodori nomen obtigit, ſin minus certo, attamen probabili quadam conjectura & ratione deprehendimus, quem quærimus, eumque ſecretum ac diſtinctum ab reliquis omnibus, quibus præter nomen, nulla fere cum noſtro, neque rerum, neque locorum, neque originis affinitas intercedit.

Theodorus noſter ab aliis ejuſdem nominis diſcretus.

Quare ut huic diſquiſitioni finem aliquando imponam, & paucis omnia complectar; Theodorus ille, cujus reliquiis ſuperiore ſæculo inventis Polenſes gloriantur, cui Spalatenſes ex traditione majorum nonas Octobres olim conſecrarunt, & quem Ado XI. Kal. Mart. commemorat, videtur eſſe ipſemet Theodorus Epiſcopus ac Martyr Salonitanus, cujus inquirendi gratia hanc indagationem inſtituimus.

§. II.

De Pontificatu & martyrio Theodori.

Poſt Diocletiani e Dalmatia diſceſſum.

Diocletiano poſt cædem Georgii Epiſcopi & aliorum Martyrum Saloni abeunte, & in Orientem cum exercitu ad Alexandrinam expeditionem profecto, Primores eccleſiæ Salonitanæ nihil prius ſibi faciendum putarunt, quam ut indictis Epiſcopalibus comitiis, Chriſtianum gregem orbum ſpirituali cuſtode gnavi induſtriique Paſtoris fidei ac tutelæ committerent. Itaque Presbyteris Clericiſque Salonitanis cum populo in unum locum convocatis, quibus ex antiqua eccleſiaſtica diſciplina jus erat ſuffragii ferendi, e collegio ejuſdem Cleri delectus eſt ad eccleſiam illam regendam *Theodorus electus ep. Salon.* Theodorus vir doctrinæ & ſanctitatis eximiæ, idemque, ſi conjectari fas eſt, e nobiliſſima ſtirpe ortus, atque adeo Georgii deceſſoris ſui frater. Pontificatum geſſit brevem illum quidem, ſed ut temporibus illis, ſatis tranquillum pacatumque. Nam turbulenta illa tempeſtas paucis ante diebus exorta, quæ oppreſſo extinctoque Paſtore univerſum gregem timore ingenti perculerat, ſub diſceſſum Diocletiani fere ſtatim quievit, & omnia, quæ adverſus nos ille commoverat, pace & otio reſederunt. Quæ vero deinceps conſecuta ſunt bella maxima & graviſſima, Diocletiani curas & cogitationes a perſequendis Chriſtianis ad rempublicam tuendam ac firmandam avocarunt. Diocletianus quippe an. 296. ſub finem Aprilis claſſem Illyricis Italiciſque copiis refertiſſimam e portu Salonitano eduxit, & oram Illyricam, Græciamque circumvectus, Nicomediam venit; qua in urbe legiones ex delectu Italiæ confectas Galerio ad Perſicum bellum tradidit, ipſe cum Illyricis copiis in Ægyptum navigavit, ut Achilleum tyrannum opprimeret, qui compulſis ad defectionem Ægyptiis Alexandriam occupaverat. Octo ipſos menſes ejus urbis obſidione, & aſſiduis circa urbem prœliis extraxit, quæ demum capta ſub initium anni 297. Achilleum interfecit, & ab ſeditioſis illis vel morte, vel exilio, vel bonorum proſcriptione mulctatis, acerbiſſimas rebellionis pœnas repetiit. Deinde auxiliares copias ex Illyrico & Dalmatia collectas, Galerio, qui ſemel atque iterum male rem geſſerat cum Perſis, ſubſidio miſit, quibus ille adjutus majorem, quam acceperat, hoſtibus cladem reddidit. Ita Diocletiano abſente eccleſia Salonitana a graviſſimo periculo metuque reſpiravit; niſi quod multis idem incommodis conflictari neceſſe erat ob magiſtratuum, ac Præſidum malitiam, qui per ſpeciem obtemperandi antiquis Romanorum legibus, & Imperatorum edictis, reipſa ut penitus inſito adverſus nos odio obſecundarent, alia ex aliis pericula Chriſtianis moliebantur. Cum itaque res Chriſtiana aliquid pacis atque otii nacta eſſet, dubium non eſt, quin Theodorus hac, qualiſcumque fuerit, temporum tranquillitate ad eccleſiam illam firmandam augendamque uteretur, in id maxime intentus, ut Ethnicos quamplurimos ad Chriſtum adjungeret, ut veterum Chriſtianorum mores corrigeret atque excoleret, ut eccleſiaſticam diſciplinam, ſicubi collapſa erat, reſtitueret ac ſtabiliret. Sed quid rerum memorabilium præcipue geſſerit, id nuſquam invenire licuit, aut litteris, aut memoriæ proditum.

Defectio Dalmatiæ, Salona obſeſſa, ac divinitus liberata.

Res interea accidit, quæ civitatem, & eccleſiam Salonitanam haud leviter turbavit, ſi vera ſunt, quæ in Actis Georgii de quodam hujus temporis Dalmatico bello ex tabulis Ariminenſibus conjecimus, quæque accuratius & fuſius explicari oportebit in hiſtoria Diocletianea. Anno 297. dum Diocletianus Ægyptiaco & Perſico bello implicitus longe gentium aberat, Demoſthenes quidam, iis ad defectionem compulſis, quibus odio erat nomen & imperium Diocletiani, regnum Salonis occupaverat, totamque fere Dalmatiam in ſuam poteſtatem redegerat; id quod cives urbemque in extremum diſcrimen adduxit. Nam Salona anno 298. obſeſſa terra marique, & oppugnata vehementiſſime, parum abfuit, quin vi capta, & direptioni atque incendiis tradita, defectionis ſuæ graviſſimas pœnas ſubiret. Sed rebus pene jam deſperatis ac perditis opem e cœlo attulit Georgius, qui biennio ante ad ſuperos migraverat, & Romanorum claſſe victa disjectaq; urbem illam ſummis obſidionis periculis liberavit. Nec videtur dubitari poſſe, quin Theodorus ſanctiſſimus Antiſtes civium ſuorum vicem pertimeſcens, ſuis apud Deum precibus ac lacrymis effuſis, inſperatum illud ac præſens auxilium e cœlo acceſſerit. Ac Demoſthenes quidem poſt direptam everſamque urbem Ariminenſem, aut prælio victus eſt, aut depoſitis armis ultro pacem veniamque petiit, Salona vero cum univerſa provincia in Diocletiani fidem ac poteſtatem rediit. Compoſitis pacatiſque rebus Dalmaticis, haud diu ſuperſtes fuit Theodorus. Huic enim, in quo verſamur, anno Chriſti 298., ejuſdem ex hac vita de-

Theodori obitus an. 298.

ceſſum

ceſſum illigemus neceſſe eſt, ut loci ac temporis quod ſit ſatis, relinquatur tribus aliis Epiſcopis, qui deinceps eccleſiam Salonitanam gubernarunt uſque ad annum quartum proximi ſæculi.

Sive martyrium.

Si Theodorus cum eximia vitæ ſanctitate martyrii laudem conjunxit, haud ſane illi occaſio martyrii ſubeundi & opportunitas defuit. Cum Diocletianus in partibus Orientis anno ſuperiori poſt Perſicam victoriam Diis hoſtias immolaret, nihilque aut reſponſi ex inanibus illis ſimulacris eliceret; vel ſigni appareret in pecudum extis, unde rerum futurarum eventus dignoſci poſſent, ejus rei cauſam culpamque omnem Aruſpices in eos, qui aderant ibidem, Chriſtianos contulerunt. Quare inflammatus ſcelere & furore protinus edicto ſanxit, ut quicumque ſtipendia facerent, iidemque Chriſtiani eſſent, quamprimum vel ad patrios ritus aviſaque cæremonias redirent, vel exauctorati, & ignominiæ notis inuſti ab exercitu dimitterentur. Hujus edicti exſequendi cura delegata eſt cum cæteris Provinciarum Præfectis, tum potiſſimum Veturio Magiſtro Militum, a quo hæc perſecutio cognomen accepit, appellarique apud aliquos ſolet *perſecutio Veturii*. Nec decreta in Milites animadverſio intra cædes ſe cohibuit; ſed ultra progreſſa, quam ex edicti formula perſcriptum erat, quamplurimos cum in Oriente, tum in Occidente acerbiſſimis ſuppliciis affectos de medio ſuſtulit, ut ex Actis Martyrum intelligi poteſt; ac ne Palatinis quidem ipſis parcitum fuit, iis videlicet, qui ſummos honorum gradus adepti apud Imperatores in aula verſabantur. Illis ſiquidem optio facta eſt, utrum mallent Chriſtianæ religioni nuncium remittere, an vero bonis omnibus atque honoribus exuti, & inſuper verberibus cæſi in exilium relegari. Sed quæ lex in ſolos milites lata fuerat, ea paullatim cœpit latius extendi Prætorum improbitate, qui licentius quam antea, & crudelius in reliquos Chriſtianos ſæviendi occaſionem inde ſumpſere, Imperatoribus vel tacite rem approbantibus, vel immani magiſtratuum libidini ſævitiæque obſecundantibus. Hæc fere omnia ex Lactantio, & Euſebio, quæ in hiſtoria perſecutionis Diocletianeæ paullo copioſius ac diligentius erunt explicanda.

Perſecutio adverſus Chriſtianos milites indicta.

Redeunt Diocletianus ex Oriente.

Redierat itaque ex Oriente Diocletianus, quem ſcilicet in Italiam defectio Dalmatarum evocaverat. Ac tantiſper quidem iracundiam ſuam, peſſimumque in Chriſtianos animum cohibuit, dum Demoſthenis ulciſcendi, & Dalmatiæ recuperandæ cupiditas ejuſdem curas & cogitationes, tum copiis navalibus ac terreſtribus cogendis, tum bello gerendo diſtinuit. Sed Demoſthene aut victo, aut ſponte veniam ac pacem ſuppliciter petente, cum tota provincia ſine certamine in fidem Diocletiani rediiſſet, quod in Oriente adverſus milites Chriſtianos decreverat, ad id exſequendum omni ſtudio operaque incubuit. Cum ergo trajeciſſet in Dalmatiam, ut ſi quæ ſupererant, civilis belli reliquias extingueret, & ſublatis præteritarum offenſionum cauſis, pacatiſque incolarum animis, omnia in priſtinum quietis ac tranquillitatis ſtatum reſtitueret, Chriſtianos exagitandi initium a militibus cepit, quos militaribus exutos inſignibus in latumias ac fodinas conjecit, ut lapides excideren, arenaſque effoderent, quibus ad Dalmatica ædificia uteretur. Nam etiam Herculeus Romæ Thermas Diocletianeas exſtruere aggreſſus idem animadverſionis ac ſupplicii genus in Chriſtianos milites adhibere inſtituerat. Nec vero a cæteris Chriſtianis manus abſtinuit. Cum enim Ethnici quidquid turbarum ac tumultus adverſus rempublicam exortum eſſet, id per calumniam ad Chriſtianos au-

Adventus in Dalmatiam.

ctores referrent, Dalmaticæ ſeditionis nuper conflatæ culpam pœnamque in Chriſtianos tranſtulit. Quod quidem crimen Chriſtianis objectum multis exitio fuit. Hæc ſi vera ſunt, ut certe vero ſimilia eſſe mihi videntur, haud ambigi poteſt, quin potiſſimum in eam ſuſpicionem venerit Theodorus eccleſiæ Salonitanæ Epiſcopus, e cujus auctoritate nutuque cæteri pendebant; ex quo fit, ut is primus omnium & quæſitus ad necem, & in vincula conjectus, idemque hac temporis procella oppreſſus fuerit. Nulla enim alia occurrit, perſecutio, qua cum aptius Theodori martyrium cohæreat; præſertim cum in Catalogo Antiſtitum Salonenſium tres alii poſt hunc numerentur Epiſcopi, uſque ad annum 304. quorum Epiſcopatus ſex annorum ſpatio circumſcribi oportet. Cæterum, quæ pertulerit ſupplicia, quove lethi genere interierit, incompertum eſt. Ita Theodorus cum duos annos & menſes aliquot eccleſiæ Salonitanæ præfuiſſet, anno Chriſti 298., ut videtur, ac die ſeptima Octobris, vitam ſanctiſſime actam illuſtri martyrio exornavit. Sed quam certus eſt ejus Pontificatus Salonitanus tertio ſæculo in exitum vergenti affixus, tam incerta ſunt reliqua omnia, quæ antiquis monumentis tabuliſque deſtituti conjectando deſcripſimus.

Ethnicis Dalmatæ defectionis culpa in Chriſtianos conſentientibus

ſubeundi martyrii occaſio oblata Theodoro.

§. III.

De cultu, tranſlatione, & inventione Theodori.

Quæ pietatis ac religionis officia martyrum corporibus e ritu præſcriptoque eccleſiaſtico veteres Chriſtiani tribuere ſolebant, eadem Theodoro, qua dignum erat veneratione cultuque, perſoluta fuiſſe credibile eſt, ſi vere is martyrio perfunctus fuit. Itaque Salonitani nihil antiquius habuere, quam ut amantiſſimi Paſtoris, egregiique Martyris exuvias clam & raptim ob ingruentium hoſtium metum colligerent; eumdemque in abdito loco, ſecretoque ab Ethnicorum frequentia atque oculis, ſepulturæ rite mandarunt. Theodori præterea nomen in Diptycha eccleſiæ Salonitanæ relatum fuit; atque ad celebrandam ejus martyrii memoriam dies anniverſarius conſtitutus, idemque, ut videtur, nonis Octobris affixus. Viguit deinde Theodori religio in alias ex aliis ætates propagata, floruitque Salonæ, ut probabile eſt, annos ferme 340; tamdiu videlicet, quoad civitate funditus everſa, eccleſiaſticis tabulariis incenſis, civibus partim extinctis, partim fugæ dilapſis, omnem omnino ſanctiſſimi viri cultum ac memoriam oblivio delevit. Hujus tamen vetuſtiſſimæ religionis ſubobſcura quædam indicia retinuit Kalendarium, quo utebatur olim eccleſia Spalatenſis. In eo quippe Theodori commemoratio ac natalis dies nonis Octob. hiſce verbis ſubjicitur: VII. *Octob. Spalati S. Theodori Mart. Duplex tranſfertur*. Rationes haud ſane abſurdas attuli paragrapho primo, cur mihi videatur eo loco, illiſque verbis deſignari Theodorus Salonitanus Epiſcopus ac Martyr; & rationibus illis, quod argumenti ſive conjecturæ nunc adjiciam, nihil præterea occurrit. Quod autem Spalatenſes vulgo exiſtimarent ejus diei conſecrationem referri ad Theodorum illum, qui tota eccleſia celeberrimus eſt, idemque Græcis juxta Latiniſque notiſſimus, vel ad alium quempiam ejuſdem nominis Martyrem, id ex ignoratione Theodori Salonitani Antiſtitis ac Martyris profectum eſſe dixi: atque hinc etiam fieri cenſeo, ut officium cultumque Theodori in alium diem transferant, in ejuſque locum S. Juſtinæ Virginis ac Martyris ſolemnia ſacra ſubſtituant. Nam ſi vera ſunt, quæ

Theodorus in Diptycha relatus.

Dies natalis nonis Octobris affixus in Kalen. Spalet.

dici-

diximus, & Spalatenſes cognoviſſent, ad quem ejus diei celebritas ex majorum ſuorum inſtituto pertineret, numquam profecto commiſſuros fuiſſe arbitror, ut ex antiquiſſima ejuſdem diei poſſeſſione cultus anniverſarius Theodori Salonitani Epiſcopi dejiceretur. Itaque admodum vero ſimile mihi videtur eſſe, laudatam Kalendarii Spalatenſis formulam ad Theodorum noſtrum ſpectare, ejuſque nomen ac natalem diem ad nonas Octobres adſcriptum e vetuſtiſſimis Salonæ tabulis in faſtos eccleſiæ Spalatenſis immigraſſe; ex quo illud etiam conjectari licet Theodori martyrium ſive obitum in diem ſeptimum menſis Octobris incidiſſe. Nunc Theodori e Dalmatia in Iſtriam translati tempus, ſi forte ex aliquibus indiciis ſeu conjecturis deprehendi queat, inveſtigari oportet.

Conſtantinus Italia atque Iſtria potitus.

Anno 312. cum Occidentis imperium adeptus eſſet Conſtantinus Magnus victo cæſoque Maxentio, Italia univerſa pariter cum Iſtria, quæ jam inde ab Auguſti deſcriptione Italiæ finibus continebatur, in ejus poteſtatem conceſſit. Auctor eſt Sigonius de Imp. Occid. l. 3. Conſtantinum per idem tempus anno ſcilicet 313. poſt nuptias Conſtantiæ ſororis & Licinii Mediolani celebratas, peragraſſe Æmiliam, Liguriam, ac Venetiam, ut regiones illas atque urbes Maxentii tyrannide oppreſſas præſentia ſua recrearet, iniquis & graviſſimis vectigalibus eximeret, atque ad fraudes injuriaſque arcendas optimis legibus communiret: *Ille autem urbe egreſſus, Æmiliæ, Liguriæ, Venetiæque civitates ſuperiore bello afflictas perluſtrans, adventu ſuo relevavit. Ex quibus præcipue Mutinam, & Aquilejam multis affectas beneficiis recreavit.* Nec videtur dubitari poſſe, quin Iſtriam quoque adierit, hujuſque provinciæ urbes multis & maximis beneficiis cumulaverit: id declarat inſcriptio Tergeſtina, quam P. Irenæus lib. v. cap. x. Hiſt. Tergeſt. inſeruit. Neque minor illi reipublicæ, quam Chriſtianæ religionis ſtabiliendæ & amplificandæ cura fuit in iis civitatibus, ac provinciis, quas tum peragravit. Nicolaus Manzolius in Deſcript. Iſtr. & Ferdinandus Ughellus in Ital. ſacra tradunt ex antiquis tabulis conſtare Petinenſem in Iſtria Epiſcopatum ab eo inſtitutum, & opulentiſſimis vectigalibus, atque ampliſſimis privilegiis inſtructum fuiſſe, qua in urbe dicitur etiam in honorem S. Nicephori Martyris ædem Cathedralem a fundamentis excitaſſe. Haud vero dubium eſt, quin in alias etiam Iſtriæ civitates, & Polam potiſſimum urbem pervetuſtam ac nobilem religionis ac beneficentiæ ſuæ partem aliquam derivaverit. Porro cum res Chriſtiana in Iſtria ab omni periculo metuque exempta floreret, majoreſque in dies Conſtantino fautore atque auſpice progreſſus faceret, multos e Dalmatia Chriſtianos illuc commigrandi cupiditas inceſſit, ut ſub ejus clementiſſimo imperio tranquillam vitam agerent, & quieti pacatique rebus divinis operam darent. Nam in Dalmatia, vivo adhuc Diocletiano, qui hujus provinciæ regimen poſt abdicationem imperii retinuerat, nihil Chriſtianis ſatis tutum eſſe videbatur; & quamvis ætate ac morbo ingraveſcente multum de ſua in eos crudelitate remiſerat, ejus tamen exitiale in eoſdem odium, & quam ad eam diem exercuerat, immanis ſævitia tantum terrorem omnium animis incuſſerat, ut eo vivo non modo ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſent. Cum igitur Chriſtiani quamplurimi, ut ſe Diocletianeæ tyrannidi ſubductos in poteſtatem ac clientelam Conſtantini transferrent, e Dalmatia in Iſtriam migrarent, atque ut fieri ſolet, e rebus domeſticis pariter & communibus, ſacris ac profanis quidquid poſſent ſecum aſportarent, per id tempus exiſtimo cum alia martyrum corpora, tum etiam Theodori ſacras exuvias in Iſtriam translatas fuiſſe; quam quidam translationem referendam eſſe arbitror ad annum CCCXII. quarti ſæculi, poſtquam ſcilicet Conſtantinus ſub initium ejuſdem anni nuptias Conſtantiæ ſororis ſuæ Licinio in matrimonium traditæ Mediolani regali magnificentia celebraverat; in eademque civitate edicto ſanciverat, ut eccleſiis bona, quæ tyrannorum juſſu ac permiſſu Ethnici interverterant, ſua cuique redderentur; vetueratque, ne quiſquam impoſterum Chriſtianos facto verbove læderet; neu cuiquam huic religioni nomen dediſſe fraudi foret probrove. Hoc decretum ipſemet per omnes Italiæ Iſtriæque urbes, quas luſtravit, circumtulit, & ubique promulgari juſſit; neque impenſius verbis, quam exemplis Chriſtianos excitavit, ut Chriſto ſanctiſque martyribus Baſilicas exſtruerent. Itaque ut huic translationi, de qua nunc agimus, epocham aliquam ſi minus certam, attamen probabilem affigamus, anno Chriſti 319. avectas e Dalmatia Theodori exuvias, una cum reliquiis Georgii Salonitani Epiſcopi, Pola excepit, eaſdemque in æde totius urbis primaria, quam per idem tempus a fundamentis Polenſes erexerant, perhonorifice conditas, in hodiernum uſque diem ſervavit. Nec dubium eſt, quin ab initio Martyris ſepulchrum eximia Polenſium veneratione ac frequentia coleretur. Verum ejus celebritas ac religio, cum aliquot ſæcula viguiſſet, hominum incuria, ut fit, paullatim defloreſcere atque imminui cœpit; ac demum veteri traditione interciſa, publicis tabulariis vel incenſis, vel expilatis, eo res deducta eſt, ut Polenſes hujus Martyris nomen tantummodo memoria teneant; cætera omnia, quæ ad ejus Epiſcopatum, martyrium, translationem pertinent, funditus ignorent; ex quo fit, ut ſacrum illud corpus, cujuſnam ſit, ignari Theodoro illi vulgo attribuant, cujus anniverſarius dies V. Id. Novembris a Latinis celebratur.

E Dalmatia multi in Iſtriam migrarunt, & ſecum Theodori corpus Polam tranſtulere.

Mediolanenſe Conſtantini pro Chriſtianis edictum.

Theodori cultus apud Polenſes paullatim decrevit.

ea demum prorſus interciſa.

Nunc in æde Cathedrali Polenſi colitur Theodorus una cum corporibus aliorum quinque ſive Martyrum, ſive Confeſſorum in eadem arca incluſus, quæ ſita eſt ſubter altare aſſervando impertiendoque ſanctiſſimo Chriſti corpori deſtinatum, cui ſacra menſa ad rem divinam faciendam impoſita eſt. In eadem arca conduntur capſulæ cupreſſinæ omnino quinque; quarum una corpus S. Theodori, altera S. Georgii, tertia S. Demetrii, quarta S. Baſilii, quinta demum S. Florii pariterque S. Salomonis continetur; & ſuum cuique nomen adſcriptum eſt. Tota hujuſmodi arca conſtat e marmore Græcienſi, antiquo opere, & præclaro artificio perfecta. Extrinſecus exhibet Divorum inibi conditorum ſigna pulcherrime cælata, & in ſuis quæque loculamentis diſpoſita; inter quæ medium locum obtinet Deiparæ Virginis effigies. Inſcriptio in eodem marmore inciſa octo hiſce verſiculis conſtat:

Area, in qua conditus Theodorus cum aliis Divis.

Exorat Thomas dotatus ſedibus altis,
Dulce canunt folles ad myſtica ſacra paratis,
Pola Chori ſpeculum, templi nova forma vicina,
Ara nitens flagrat Blaſio ſub ſtirpe Molina.
Intus marmor habet oſſa, conſpicis ecce figuras.
Deme vias partu, quæ fecit ad æthera puros
Bis tulit æſtates jam lux prima moventis
Luſtra ter & decies octo ſociata ducenis.

Œdipo opus ſit ad hujuſmodi carmina interpretanda: ita obſcura ſunt, & quibuſdam quaſi ænigmatum nodis implexa. Quæ ad rem noſtram pertinent, quæque intelligere potui, paucis expediam. Primo verſiculo deſignatur S. Thomas Apoſtolus, cujus

cujus in honorem Deo dicata fuerat hæc ædes Cathedralis, cui deinde alter ab Deipara Virgine titulus accessit. Polenses jam inde ab antiquissimis temporibus patronum sibi adoptarunt Thomam Apostolum, ejusque effigie pro insigni civitatis utuntur, quem etiam in publico urbis vexillo depictum præferunt. Quartus indicio est hanc epigraphem illic insculptam fuisse jussu & auctoritate, Blasii Molini Patricii Veneti, qui Polensem ecclesiam regendam fuscepit an. 1410. ab eaque ad Jadertinam translatus est anno vigesimo ejusdem sæculi. Utrum autem per idem tempus ad sacras illas exuvias condendas hujusmodi arca comparata fuerit, an vero tum eidem adjecta sit tantummodo inscriptio, compertum non habeo. Quinti hæc ferme sententia est: eorum intrinsecus corpora contineri, quorum extrinsecus effigies conspiciuntur. Duobus postremis versibus designatur annus inscriptionis appositæ, qui fuit æræ vulgaris 1417. in hunc quippe annum desinunt duæ illæ ætates, & ducenta, atque octoginta tria lustra hisce versibus expressa, quorum initium ab Christi ortu desumitur, isque annus cum Episcopatu Blasii Molini præclare congruit. Hinc apparet, quanto in errore versentur ii, qui temporum spatia iisdem carminibus consignata coarctant, eaque ducentorum ac viginti lustrorum numero circumscribunt; ex qua computatione elicitur annus Christi 1107. qui tercentis ac tribus annis Blasii Episcopatum antecessit.

Michael Ursinus Ep. Polens. an. 1487.

Michael Ursinus Episcopus Polensis, cum altare arcæ superpositum solemni ritu ac cæremonia consecravit anno XV. sæculi 87. eodem tempore sacras illas reliquias sibi pro suo munere explorandas atque recognoscendas censuit. Itaque arcam aperiri jussit, Divorum corpora diligenter inspexit, ac rite recognovit, eademque indidem exempta, in capsulis cupressinis ad id paratis alia seorsum ab aliis reposuit, tum ipsas capsulas annulo Episcopali obsignatas in arcam marmoream inclusit. Rem deinde omnem, quo testatior ad posteros foret, in publicas tabulas referri voluit, quas in capsa S. Theodori recondidit. Earum litterarum exemplum totidem verbis interponere hoc loco operæ pretium visum est.

Arcam aperuit, ex Divorum corpora totidem capsulis inclusit,

quas in eadem arca reposuit.

In Christi nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis 1487. Indictione 5. Die 18. mensis Novembris, Reverendiss. Pater, & DD. Michael Ursinus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Polensis consecravit hoc altare ad laudem & honorem Summi & Magni Dei, sub vocabulo infrascriptorum Sanctorum, quorum corpora manibus suis propriis in ipso altari posuit in capsulis ex cupresso ad laudem Dei.

Corpus S. Theodori Martyris.
Corpus S. Georgii Martyris.
Corpus S. Demetrii Martyris.
Corpus S. Florii Episcopi, & Confessoris.
Corpus S. Basilii Episcopi, & Confessoris.
Corpus S. Salomonis Episcopi, & Confessoris.

Sed, quod permirum videri debet in re non ita sane antiqua, ex eo tempore horum Divorum religio ac memoria defluere paullatim elabique cœpit ex hominum mentibus atque animis, ac demum sic prorsus evanuit, ut proximo superiore sæculo clam omnes esset, quidnam in arca illa contineretur. Illud unum ancipiti fama vulgo jactabatur, inibi vel S. Florii, vel Blasii Molini Polensis Episcopi corpus includi; neque deerant, qui contenderent arcam illam omnino vacuam, atque inanem esse. Verum divinæ providentiæ fuit, res ita disponere, ut thesaurus ille absconditus iterum in lucem prodiret. Percommode siquidem accidit, & quantum existimari licet, divino consilio factum est, ut superioris sæculi anno 57. corpus S. Purpurii martyris, Roma Polam advectum, ejus arcæ referandæ & introspiciundæ occasionem causamque præberet. Nam cum de comparando monumento consultari cœpisset, in quo sanctissimi illius martyris exuviæ pro dignitate collocarentur, Aloysium Marcellum urbis Episcopum, sive aliorum rogatu & consilio, seu potius cœlestis Numinis instinctu, cupido cepit explorandi, quidnam arca illa inclusum esset, ut ea, si forte vacuam reperisset, ad corpus S. Purpurini condendum uteretur. Arca igitur patefacta præter expectationem invenit S. Theodori, atque aliorum, quos supra recensui, corpora; suis quodque loculis, seorsum inclusa, & tabularum ibidem reconditarum admonitu, quod cujusque nomen esset, agnovit. Post Ambrosianum hymnum solemni ritu ac cæremonia decantatum, decreta est publica supplicatio, quæ quidem altero post mense instituta est, peractaque quanta maxima potuit celebritate, sacrasque reliquias in templum relatas Episcopus in eadem arca, unde fuerunt exemptæ, reposuit, suis uti antea loculis inclusit, & Pontificali signo rite obsignavit. Tum ut illarum veneration in perpetuum consuleret, neve ulla umquam oblivio earumdem memoriam apud posteros deleret, eas singillatim, una cum Divorum, ad quos pertinebant, nominibus in publicos illius ecclesiæ codices referendas curavit.

Illud ad extremum hic subjicere operæ pretium duxi, animadvertique ab omnibus velim, quidquid Theodoro vel monumenti antiquitus positum fuit, vel cultus etiamnum adhiberi solet sive in urbe, sive in diœcesi Polensi, id fere omne, si primi veterisque instituti ratio habeatur, sane probabiliter referri posse ad Theodorum Salonitanum Episcopum ac martyrem, quamquam is, ut sæpius monui, Polensibus sit ignotus; atque omnia ex vulgari communique opinione ad eum pertinere existimentur, cujus dies anniversarius VI. Id. Novembris ab ecclesia colitur. Huic igitur dicatum esse arbitror Polense templum & collegium sacrarum Virginum ex præclaro instituto S. Benedicti, quod S. Theodori titulo inscribitur. Hujus cœnobii primordia perantiqua esse constat, quippe cum ejus originem saltem supra quingentesimum annum repeti oporteat: nam anno XII. sæculi 94. & Virginum numero, & opum copia, & famæ celebritate florebat, longeque, ut videtur, a primordiis aberat, quæ ferme obscura & exigua esse solent: id quod colligi potest e vetustissimis tabulis eodem anno conscriptis, quæ docent per id temporis huic cœnobio præfuisse Verametam Pulcheriam, Virginem vel nobilitate vel sanctimonia insignem. Cæterum quo tempore, quove auctore conditum fuerit, incompertum est. Fuit hoc in more positum institutoque majorum, ut voti ac religionis causa ad templum S. Theodori senæ singulis annis Cleri populique Polensis supplicationes fierent; quarum omnium illa erat multo celeberrima, quæ peragi solebat V. Idus Novembris, qui dies sacer est Theodoro Tyroni, ejusque nomine ac martyrio insignitus apud Latinos Martyrologos. Idem tamen dies apud Polenses præcipuo in honore est, atque in ejus ecclesiæ Fastis locum obtinet inter festos ac solemnes dies, qui Polæ singulis annis peculiari cultu rituque celebrari solent. Cæterum natalis & anniversarius dies Theodori apud Polenses conditi longe alius est, ut nobis videtur, petique debet ex Kalendario antiquo ecclesiæ Spalatensis, in quo Nonis Octob. S. Theodori nomen & commemoratio subjicitur. Illud quoque antiqua consuetudine receptum fuerat, ut Polensibus Canonicis, qui

Quomodo iterum inventa,

Vetus Polensium religio ad nostrum Theodorum spectabat.

Templum ac cœnobium Polense S. Theodori,

adeoque vetustum,

ad quod anniversaria Cleri Populique Polensis supplicatio.

sup-

Digitized by Google

ſupplicantium agmen ducebant, e cœnobio eſculenta quædam ac poculenta, officii & cujuſdam quaſi hoſpitalitatis cauſa præberentur. Verum hujuſmodi conſuetudinem aboleri placuit, ſive quod oneri eſſet cœnobio, ſive quod ejus diei religioni, & ſanctitati parum conſentanea videretur. Quare ad hujuſcemodi onus redimendum, inter Mariam Yſogam S. Theodori Antiſtitam, & Polenſem Epiſcopum ita convenit, ut cœnobium ex annuis redditibus tritici aliquot ſextarios in ſingulos annos Capitulo Polenſi penſitaret, quod quidem conſtat ex antiquis ejuſdem cœnobii tabulis confectis anno 1266. poſtridie Id. April. S. Theodori templum ac cœnobium olim extra urbem ad Orientem ſitum erat, prope quemdam fontem, unde cognomen tum acceperat, appellarique ſolebat S. Theodorus *de fonte*, vel *ad fontem*. Sed anno 1356. cum tota circa urbem regio Hungarico bello arderet, Bertuccius Civranus, qui per id temporis Iſtriæ Præfecturam gerebat, idemque Venetorum claſſi ſummo cum imperio præerat, ſacras illas Virgines hoſtium incurſionibus atque injuriis expoſitas in urbem transferri juſſit, ibique earum perpetuam ſedem ac domicilium collocari. Ædes illis attributæ ſunt ſatis amplæ atque excultæ apud S. Joannem; itemque templum ad divinas laudes canendas, cæteraque religionis officia peragenda exſtructum. Hanc translationem Benedictus Epiſcopus Polenſis ratam habuit, riteque approbavit anno inſequenti, idque teſtatum voluit eſſe publicis litteris eodem anno datis, & Epiſcopali diplomate confirmatum, quo ob eam, quam dixi, cuſam poteſtatem facit transferendi cœnobium *S. Theodori de fonte prope Polam, in loco, ubi dicitur Bitinio, poſito in civitate Polæ apud eccleſiam S. Joannis, quæ eſt ruinata, & dictam eccleſiam S. Joannis reparandi, & ibidem Monaſterium conſtruendi, & ipſam eccleſiam habendi & poſſidendi cum omnibus ſuis pertinentiis, & hoc de voluntate & expreſſo conſenſu D. Presbyteri Joannis quondam S. Engelfredi Canonici majoris eccleſiæ Polenſis, & nunc Rectoris ipſius eccleſiæ S. Joannis &c.*

Ædes D. Theodori ab Julio Saraceno Ep. Polenſi inſtauratæ.

Anno ſuperioris ſæculi 28. Julius Saracenus Epiſcopus Polenſis pro ſua erga S. Theodorum pietate ac religione, ejus ſacram ædem, qua vitium fecerat, reficiendam, qua rudis erat & inculta, ornandam curavit; id quod docet inſcriptio ſupra maximam templi januam in marmore inciſa, cujus exemplum hoc loco viſum eſt intexere:

Julius Saracenus Ep. Polenſis, Nob. Vicentinus.
. . . . . *Canonici Polenſes*
Templum hoc D. Theodoro ſacrum
Reficiendum, & ornandum curavit
Sub Regimine Sor. M. Magd. Alexandræ Ab.
Et Annæ Fabris Vic. An. MDCXXIIX.

S. Theodorus Albonæ Patronus.

Eſt præterea in *agro Polenſi* oppidum neque infrequens, neque ignobile, cui nomen Albonæ, ubi S. Theodori cultus ac religio floret. Nam in æde totius oppidi maxima, eademque Canonicorum collegio inclyta, brachium S. Theodori ſumma cum veneratione aſſervatur, & inſuper S. Theodorus inter primarios oppidi patronos recenſetur, cujus fidei ac tutelæ, publicam ſalutem, fortunaſque communes ſolemni voto rituque olim a majoribus ſuis commiſſas fuiſſe poſteri commemorant. Quæ quidem templa, ac religionis officia, cum antiquitus ad cultum Theodori Salonitani inſtituta fuerint, ut cenſeo, nunc unus Theodorus Tyro ſibi vindicat, quod is tantum Iſtris ac Polenſibus ſit notus, alterius autem memoria omnis ac notitia jamdudum interciderit. Quæ de Theodoro Salonitano Epiſcopo Polam translato, & apud Polenſes Iſtroſque ſingulari veneratione culto ſcripſi, perinde accipias velim, nihil ut affirmaſſe me exiſtimes, quippe probabilia conjectura ſequens, ultra, quo progrederer, quam ut veriſimilia ſcriberem, non habui.

CAPUT II.

De Joanne II. Frontiniano I. Epiſcopis Salonitanis.

POſt Theodorum tres deinceps Epiſcopi præfuerunt eccleſiæ Salonitanæ intra finem ſæculi tertii, & proximo ineunte, ut Catalogus Romanus Salonenſium Antiſtitum docet, qui Pontificatum Joannis III. uſque ad annum 304. perduxit, eique Petrum hujus nominis primum ſubjecit. Horum Acta cum aut nemo litteris mandaverit, aut vetuſtate interierint, de illis nihil quidem, quod proprium ſit ac ſingulare, ſcribere poſſumus, ſed ſolum communia quædam, & perturbatiſſimis illis, Chriſtianæque religioni iniquiſſimis temporibus conſentanea breviter attingere, quæ in eorum Pontificatum accommodari poſſe, & convenire videantur.

§. I.

De Joanne II. & Salonarum Epiſcopo XIX.

THeodoro religionis cauſa, ut putamus, interfecto in ſedem Pontificiam ſucceſſit an. 298. in finem vergente Joannes eo nomine ſecundus, qui eccleſiam illam Paſtoris aliorumque cæde perculſam & afflictam, graviorumque cladium impendentium metu ſuſpenſam ac ſollicitam offendit. Illo quippe adverſus Chriſtianos milites edicto in partibus Orientis propoſito, & per omnes Romani orbis provincias, circumferri juſſo, quaſi ſigno dato, ubique Præſidum ac populorum crudelitas rabieſque in Chriſtianum nomen incubuit, quam Salonæ acrius exacuit præſentia & auctoritas Diocletiani, qui Chriſtianos divexandi cædendique initio a militibus facto, deinde in ejus urbis Epiſcopum, & in omnes promiſcue Chriſti cultores ſævitiam convertit. Nec vero Diocletiani Romam abeuntis diſceſſu, tempeſtas illa conquievit, quippe perſecutio in milites odium Ethnicorum immane & crudele in Chriſtianos vehementius excitaverat, quam ut brevi temporis ſpatio ſedari, & paucorum ſuppliciis reſtingui poſſet.

Theodoro Joannes II. ſucceditur.

Chriſtiani Salonæ vehementer exagitati.

Itaque Joannes difficillimis ſane temporibus Salonitanam eccleſiam regendam ſuſcepit, & quamquam omni humana ope deſtitutus, nullum tamen, quod in ea rerum ac temporum calamitate præſtari poſſet, boni paſtoris officium prætermiſit, ac præſertim curavit, ne Chriſtianis militibus, quos Diocletianus cædendis lapidibus, arenæ fodiendæ, convehendis oneribus, aliiſque ejuſmodi duris ac ſervilibus operibus addixerat, ſubſidium ab ſe ac ſolatium deeſſet. Duos fere annos Pontificatum geſſit, ſane laborioſum, & curis periculiſque graviſſimis exercitum, & quamvis hoſtes interdum de ſua in Chriſtianos acerbitate aliquid remitterent, & paucorum vel dierum vel menſium induciæ ab illis fieri viderentur, numquam tamen pax fuit ſtabilis, ac tranquilla, quæ nihil negotii faceſſeret, nihil inſidiarum haberet. Ille tamen divino fretus præſidio, & ſimul, ſi quid adverſi ſibi accideret, pro Chriſto mori lucrum exiſtimans, nullo umquam ſuppliciorum metu, capitiſve periculo deterreri

Joannis cura ac ſollicitudo Paſtoralis.

Digitized by Google

reti potuit, quominus omnia Episcopi officia, & munera impigre ac gnaviter exsequeretur.

Diocletianus, & Herculeus Salonam conveniunt.

Anno Christi 300. Diocletianus ex Pannonia, Herculeus ex Italia Salonam convenerunt, cum de gravissimis reipublicæ negotiis, tum de abdicando imperio deliberaturi, id quod ex Nicephoro, aliisque antiquis monumentis & Scriptoribus didicimus, & in historia Diocletiani fusius ac diligentius exponemus. Aderat fortassis & Galerius, quo suasore potissimum atque impulsore uterque id consilii cepit, ut idoneo atque opportuno tempore imperium pariter deponerent, seque ad vitam privatam reciperent. Nec dubium est, quin actum fuerit in eo conventu, instigante præsertim Galerio, de abolenda Christiana religione, quam reipublicæ, communique bono perniciosam esse existimabant, id quod postea res nobis adversæ deinceps multæ consecutæ declararunt. Persecutionem autem in Christianos milites triennio ante decretam in primis urgendam esse censuerunt, ne quid vel præsidii Christianis suppeteret, vel impedimenti nefariis consiliis obstaret; illisque arma eripienda esse existimarunt, qui armis ad suæ religionis defensionem uti possent. Incredibile dictu est, communi veterique adversus Christianos odio quantum vel flammæ, vel materiæ ad exardescendum subjecerint acta & constituta in eo Salonitano conventu, urgente præsertim & popularem rabiem inflammante præsentia atque auctoritate Diocletiani, cujus permagni intererat, omnes cum Salona, tum e tota Dalmatia, quo ad ejus fieri posset, Christi cultores exterminari, neque ullum Christianæ religionis vestigium in ea civitate, atque provincia relinqui, in qua magnificentissimas illas ædes suæ senectutis perfugium, vitæque privatæ domicilium, prope Salonam exstruxerat, ne quid sibi tranquillam pacatamque vitam agenti ab iis metuendum esset, in quos tot ac tanta crudelitatis exempla ediderat. Nullam enim ab illis injuriarum ulciscendarum occasionem prætermissum iri putabat, quippe aliorum animum ex animo spectabat suo, & suapte natura cum ipse timidus esset, tum in vita tyrannorum omnia semper suspecta sunt atque sollicita.

Joannis obitus vel martyrium an. 300.

Hæc cum ita se haberent, si mors non naturalis, sed violenta ob Christum illata, Joannem Episcopum Salonitanum sustulit, quod calamitosissima illa tempora facile nobis persuadent, ejus martyrium videtur adscribendum esse anno Christi tercentesimo, cum & præsentia Diocletiani, & acta decretaque Salonitana, & ejusdem ad ecclesiam illam funditus evertendam nefarii conatus in Christianorum cladem atque exitium conspirarent.

§. II.

De Frontiniano Episcopo Salonarum XX.

Frontinianus creatus Ep. Salonarum.

EXempto rebus humanis Joanne II. Frontinianus sublectus anno 300. Pontificatum, ut est verisimile, usque ad initium persecutionis universalis, ac tertium quarti sæculi annum perduxit. Quas res laude ac memoria dignas pro Christo, ejusque religione vel tuenda, vel amplificanda gesserit, quæ pericula subierit, quos labores ærumnasque pertulerit, ex acerbitate illorum temporum conjici potest, sed ob defectum vel jacturam veterum tabularum investigari, certoque scire non potest. Ac Diocletianus quidem post Salonitana comitia in Pannoniam discessit, & hujus anni, quod supererat, itemque duos annos proximos fere totos in Pannonia, aliisque Illyricis provinciis transegit, nisi quod in Asiam, atque in Orientem aliquando digressus est. Plusne commodi, an detrimenti absentia Diocletiani, sed frequens in propinquis locis commoratio ecclesiæ Salonitanæ attulerit, nobis incompertum est. Cæteræ autem Illyricæ ecclesiæ quantum calamitatis cladiumque acceperint e crebra assiduaque Diocletiani vel urbes illas peragrantis, vel in iisdem commorantis præsentia, per se unusquisque facile existimare potest.

Intra finem anni 302. Diocletianus Nicomediam abiit, & in ea urbe cum Galerio totam hyemem extraxit consultando ac deliberando, quibus maxime modis Christianum nomen penitus aboleri, & extingui posset. Pessima illa, quæ utriusque animis penitus insederat, de Christianis opinio, quibus boni publici osoribus, seditiosis, maleficis, Deorumque immortalium hostibus acceptum ferebant Ethnici quidquid calamitatis imperio accideret, & præsertim Galerii inexpiabile in eos odium, acerbissimæque querimoniæ, tandem Diocletianum perpulere, ut statueret neque e sua dignitate, neque e republica esse, Christianos diutius ferri. Summa igitur deliberationis fuit, ut quamprimum omnibus viribus atque opibus adhibitis, Christi religio usquequaque tolleretur. Annus, qui proxime consecutus est, gravis sane fatalisque universæ ecclesiæ, demum peperit ac palam effudit, quod superior annus ad Christianorum exitium conceperat, & in clandestino illo Nicomediensi conventu decretum fuerat. Igitur hyeme jam exeunte edicta Nicomediæ proposita sunt, atque promulgata, quibus Imperatores jubebant sacras ædes everti, Divinos codices comburi, Christianos omnes, ubicumque terrarum essent, vel ad immolandum Idolis compelli, vel acerbissimis quibusque suppliciis excruciatos necari. Sub hujusmodi edictorum Nicomedienſem promulgationem, in omnes Romani imperii regiones distributi missique sunt, qui eorumdem exempla ad Præfectos provinciarum perferrent, sic prorsus, ut uno fere tempore, uno nuncio, atque una litterarum Augustalium significatione, undique & ubique in Christianos impetus fieret. Non alia gravior tempestas in ecclesiam universam incubuit, ut sane appareret, ultimos hominum Dæmonumque exeri conatus ad Christianum nomen delendum. Neque usquam fortasse in Christianos acerbius sævitum est, quam Salonæ, atque adeo in universa Dalmatia, ob eamcausam, quam superiori paragrapho breviter attigimus, Diocletiano impensius urgente, & acrius Dalmaticos Magistratus exstimulante, ut sedulo strenueque operam darent, ne quid Christiani generis ac nominis in ea provincia atque urbe relinquerent, ut post imperium depositum vitam ibidem otiosam, & quietam sine ullo metu ac periculo posset traducere.

Persecutio universalis Nicomediæ indicta anno 303.

In ecclesiam Salonitanam, & Dalmaticam grassatur.

Porro si Frontinianus Salonæ Antistes hanc ecclesiam non solum præceptis atque exemplis excoluit, sed suo etiam sanguine imbuit ob Christi causam profuso, ut est admodum verisimile, is fortasse primus omnium turbulentissimæ hujus tempestatis vim atque impetum excepit. Siquidem in edictis Nicomedienſibus nominatim ac diserte ita perscriptum fuit, ut Præfecti Episcopos Christianorum & intentiori cura perquirerent, & gravioribus pœnis afficerent. Quemadmodum enim quinquennio ante Imperatores constituerant animadversionis ac cædis initium a Christianis militibus fieri oportere, ne quid nobis spei ac præsidii in eorum armis bellicaque virtute relinquerent; sic deinde cum universam ecclesiam internecino bello persequi ac vastare decrevissent, in primis Episcopos, quorum doctrina, auctoritate, ac regimine illa nitebatur,

de

de medio tollendos esse censuerunt, ut iis quasi adminiculis subductis, sponte sua corrueret, ac Pastoribus cæsis, oves dispersæ palantesque facilius opprimerentur. Quare apte congruenterque ad hæc tempora, Episcopis maxime infesta, martyrium Frontiniani Salonitani Antistitis cum anno 303. ipsoque universalis persecutionis initio copulari posse arbitramur. Is igitur, postquam tres fere annos ecclesiam illam sanctissime gubernasset, anno tertio quarti sæculi, incertum quo mense, quove supplicii genere interemptus ad Superos migravit.

Frontiniani mors vel martyrium an. 3. persec. ideſt an. 303.

CAPUT III.

De Joanne III. Salonarum Episcopo XXI. & de S. Donato Confessore Salonitano.

§. I.

JOannes inde III. Frontiniano extincto Salonitanum Pontificatum excepit, qui nihilo pacatioribus, quam decessor, usus temporibus, ecclesiam illam multis undique cinctam periculis atque insidiis, laboriosius, quam felicius administravit. Nam fœdissima illa tempestas, quamdiu Joannes Episcopus fuit, eumdem impetum cursumque retinuit, quo ferri, ubi primum exorta est, debaccharique cœperat, quippe cum nihil de summo in Christianos odio atque crudelitate Imperatores Præfectique remiserint, quibus ea mens, idque consilium erat, ut non antea incœpto desisterent, quam religionem nostram funditus, & usquequaque sustulissent. Ac Diocletianus quidem post persecutionem Nicomediæ indictam, semel atque iterum Dalmatiam & Salonam ex itinere adiit, primum intra finem vertentis anni 303. cum Romam iter haberet, ut in ea urbe simul de Persis triumphum ageret, & more majorum, solemni pompa magnificoque apparatu vicesimum imperii annum celebraret; deinde vero anno insequenti 304. cum post nonum Consulatum Ravennæ initum, Nicomediam cogitans, vere appetente per Dalmatiam, & Pannoniam iter facere instituit. Ex utroque adventu Dalmatico Diocletiani, ut omnino credibile est, persecutio Salonæ vehementius efferbuit, præsertim cum Diocletianus eo anno 304. mensem fere integrum valetudinis recuperandæ causa apud Salonam extraxit. Quo tempore in ea urbe cum multæ Christianorum cædes factæ fuerint oportet, quamvis eorum neque nomina, neque Acta memoriæ aut litteris prodita sint, tum vero Donatus Presbyter Aquilejensis, Salonam cum se contulisset, pro Christiana religione & præclarum testimonium coram Diocletiano dixit, & multa supplicia pertulit cum Macario Imperatorii cubiculi Præfecto, & Theodoro Augustali cubiculario, quos ipse ad Christi cultum traduxerat. Hujus autem egregia confessio, & pulchrum pro Christo certamen, quod ecclesiam Saloniranam, & Joannis Pontificatum mirifice illustraverit, hoc loco describi debet; cumque ex antiquis monumentis nihil suppetat, unde Joannis nomen ac memoria ornari possit, quod rerum ab eo gestarum intercepit vetustas atque oblivio, id ex Actis S. Donati Presbyteri Aquilejensis, & Salonitani Confessoris, suppleri oportet, præsertim cum hujus facta illustria & glorioſa in ejus gloriam redundent, qui tum præerat ecclesiæ Salonitanæ. Quamvis autem in alia urbe atque provincia, hinc longe disjuncta, martyrium post aliquot annos compleverit, cum tamen & in ipsis Dalmatiæ confiniis in lucem editus fuerit, & primam pro Christo Confessionem ac pugnam Salonæ obierit, ejus nomen in sacris Divorum ac martyrum Salonensium Fastis jure meritoque inscribi potest. Donatus igitur Salonæ apud Diocletianum pro religione Christiana causam ex vinculis egregie dixit, & inflictas pœnas fortiter sustinuit, Joanne III. Episcopo Salonensi anno 304. qui secundus ab indicta universali persecutione numeratur.

Joannes III. Ep. Salonit.

Donatus Presbyter Aquilejensis Confessor, cum Macario & Theodoro, cujus Acta hic describenda.

Acta S. Donati litteris Græcis mandavit (ut conjectari fas est) Monachus quidam ex illis, quorum olim insulas Dalmaticas refertas fuisse constat. Is quippe illum, quem in Prologo alloquitur, cuique hanc historiam scripsit, vocat Fratrem, ideſt ejusdem vitæ ac disciplinæ Monasticæ cultorem ac socium: Monachi enim inter se Fratres appellare solent. Cum autem res quidem in Dalmatia gestas copiosius ac diligentius persequatur, cætera vero, quæ ad Episcopatum & martyrium Thmuicense Donati pertinent, breviter strictimque attigerit, hoc sane argumento est illum aut patria, aut instituto Monachali fuisse Dalmatam, & Dalmata itidem videtur fuisse is, ad quem hanc historiam misit; idque ex eo intelligi potest, quod verisimile sit, huic non aliunde, quam ex urbe ejus regionis primaria nomen fuisse Saloniano.

Scriptor horum Actorum Monachus Dalmaticus.

Hæc Acta Hagiologi Antuerpienses acceperunt e Mss. Bibliothecæ Florentinæ Medicææ, quibus erat hic titulus: *Μαρτύριον τῦ Ἁγίυ Δονάτυ Ἐπισκόπυ, Μακαρίυ Πρεσβυτέρυ, Θεοδώρυ Διακόνυ, Μαρτυρησάντων ἐν Ποθμυίῃ*: *Martyrium S. Donati Episcopi, Macarii Presbyteri, Theodori Diaconi in Pothmuie pro Christo interfectorum.* Ea vero in Latinum Sermonem convertit Daniel Cardonus Societatis Jesu, & Daniel Papebrochius ejusdem Societatis in tomum 5. diemque 22. Maji contulit, eademque digna censuit, quibus fides impune adhiberi possit: *Additum velim* (ait Papebrochius) *codicem Græcum, ex quo descripta Acta sunt, illum esse eumdem, qui S. Syram, aliosque ecclesiæ Orientalis Sanctos, pro Mense Majo plures nobis dedit, cui, licet soli, fidem habemus plenam de hisce martyribus.* Nos illa descripsimus ex eodem tomo Bollandiano, & appositis subjectisque notis explicare & illustrare conati sumus. Sed cum Auctor, more Græcorum, plures identidem disputationes, & conciones interjecerit, quibus historiæ ordo seriesque interrumpitur, facturus operæ pretium mihi videor, si rerum gestarum Historiam subtexerem, notatis accommodatisque temporibus ad historiam & Chronologiam Diocletiani, quam Salonitanis Episcopis trium priorum sæculorum subjiciemus. Cætera vero, quæ de Joannis III. Pontificatu ejusque morte dici possunt, in hac eadem Synopsi paucis absolventur. In antiquis Martyrologiis multos reperies Episcopos ac martyres, quibus Donati nomen fuit. Sed inter eos hunc nostrum invenire, atque a reliquis discernere nondum mihi licuit.

§. II.

Donatus Aquilejensis certamine cum Ethnicis ac Judæis inito, complures eorum convertit. A Maximiano Augusto perquiri & comprehendi jussus in Dalmatiam fugit.

I. *Magna est, Saloniane frater, Deo gratissime, magna, inquam, est ea, qua Sancti in cœlo perfruuntur gloria. Eximia quædam illos ac supra modum illustris corona facit spectabiles. Non mediocrem sui admirationem Angelorum aliarum-*

Prologus Auctoris.

Digitized by Google

rumque in cælis existentium virtutum mentibus iidem ingerunt. Felicitatis vero tantæ in partem aliquam admitti indignos omnino quemvis esse nos ultro fateamur, illud semper supplices beatas illas mentes rogatum cupimus, ut suo pro nobis apud Deum interventu malorum nostrorum levamen saltem aliquod impetrent; utque, cum ingens illa sanctorum hominum multitudo, qui fuso in Dei causa sanguine beatam adepti sunt immortalitatem, in unum fuerit chorum cœlestis istius Hierusalem congregata, nos quoque haud inveniamur indigni, qui eorumdem intercessione, jucundum adeo spectaculum oculis usurpare possimus.

a Donatus in Istria natus.

II. *Beatissimus igitur Donatus, patre Crescentino genitus* a, *Istriorum quoddam oppidum, in Dalmatiæ* b, *Pannoniæque situm confiniis, natale habuit. Is cum ab incunte primum ætate sacrum Christi baptisma suscepisset, in religiosis sacrorum hominum* c *cœnobiis, & ecclesiis assidue versabatur. Ad vigesimum vitæ annum ut pervenit, integrum se ac purum ab iis omnibus servare conatus fuit, quæ mortalium passim corpora reddere solent fœdiora; animum autem suum liberalioribus omnibus disciplinis ita imbuit, ut ad summum scientiæ culmen, non sine magna sua gloria tandem evaserit. Secuto deinde tempore a Sanctis, quæ in Istria sunt, ecclesiis* d *evocatus, ut degentium ibidem Ethnicorum errores Christianæ veritatis luce dispelleret, Aquilejam ubi pervenit, a provinciæ istius* e *Episcopo sacrum Presbyteratus ordinem suscepit: ac mox quæcumque a Paganis adversus fidei nostræ arcana sanctissima, hoc est, adversus Virginis partum adferebantur obstacula, dissicere hoc modo est aggressus. Quid in eo tantum est absurdi, quod Virginem doceamus peperisse? cum apiculas etiam ipsas, & animalium aliorum non pauca, coitus omnis expertia parere tamen nemo non sciat. Non igitur hoc fide omni reputemus indignum, quod generis humani in integrum restituendi causa divino consilio, divinaque virtute factum diximus, quando veritatis hujus argumenta certissima in brutorum animantium partubus ante oculos quotidie habemus. Est equidem, quod non parum admirer, id vobis hominibus Græcis videri fieri non posse, quibus persuasissimum esse scimus, Minervam e Jovis capite sine ullo conjugii usu prodiisse. Quid igitur ad fidem impetrandam dari potest accommodatius, & quid ex alia parte videri potest magis naturæ esse contrarium? Virginem adducimus in medium, quæ concepit de Spiritu Sancto, & sic naturæ ordo quodammodo servatur. Videte autem tam conceptionis, quam partus ipsius conceptionem subsecuti, tempus & ordinem convenientem. Ac in vestris quidem figmentis nulla mulieris intervenit cooperatio, solus Jupiter peperisse asseritur, quod vobis fide & admiratione videtur esse dignissimum. Dionysium quoque e Jovis femore natum dicitis: En aliam prodigii speciem. Talia vos mendacia recipere cum non dubitetis, fidemne nostræ arcanis, certa veritate subnixis, fidem pergitis denegare? Sed illud vobis minime credendum putatur, quod fœtum quemdam divinum, non humano coitu, sed sola Spiritus Sancti operatione puella concipiat. Verum enimvero si difficiles adeo vos exhibetis ad illud, quod asserimus, credendum, quomodo fieri potest, ut figmenta, & prodigia tam enormia non dubitetis recipere? Nostræ namque fidei arcana vestris illis longe sunt, & ad fidem faciliora, & ampliorem quemdam splendorem, sanctitatemque continent, ob quas prærogativas digniora quoque sunt, quæ fidem apud homines obtineant.*

b Istria.

c

d

e Aquilejæ Sacerdotio initiatur.

Intacta Virginis Partus propugnat.

Trecenti ad Christum conversi.

III. *Hæc cum a viro sanctissimo fuissent prolata, trecenti circiter viri, atque inter eos Philosophi septem, ac Rhetores undecim, eodem tempore in Christum crediderunt. At qui aderant Judæi, invidiæ stimulis excæcati, & graviter quæ dictaque factaque fuerant ferentes, hac ratione sancto homini negotium facessere cœperunt. Illustrius multo Propheta noster Eliseus miraculum nobis præbet, etsi modo omnibus communi e muliere natus sit, quam vester nobis præbeat Christus. Magnum videlicet is, quem de Virgine natum dicitis, patravit prodigium, quando e mortis, & sepulchri tenebris in lucem vitamque novam evocavit Lazarum, ut vos quidem traditis. Quid enim majus fieri potest, quam si mortuus suscitetur ab homine vivo? Majus attamen aliquid in medium proferre nos possumus, quod nec ipsi vos negaturi estis. Eliseus quippe, de quo agitur, cum & ipse esset mortuus, hominem alium mortuum solo suorum ossium contactu vitæ restituit, deditque quo ipse-met carebat. Atque hoc est opinione nostra operum omnium admirandorum maxima dignum admiratione, & fide; propterea quod qui vita erat privatus, usuram vitæ a demortui hominis corpore acceperit. Quidquamne tanto prodigio simile Christum, quem tantopere extollitis, patrasse dicetis? Quo igitur modo non ille habendus erit potentior, quem nos ut Prophetam solum, non etiam ut Deum veneramur? Aut quid vos tandem proferre potestis, quod cum hoc Elisæi miraculo quadam possit ratione conferri? si potestis, agite, in medium illud adducite, ut qui pluribus, & illustrioribus excellit miraculis, majore etiam sit in veneratione.*

Judæi Christo Eliseum præferunt.

IV. *His ita respondit S. Donatus: Vos equidem nunquam desinitis blasphemias in Dominum turpi ore evomere. Etenim si B. Eliseus, mortuus existens, solo reliquiarum suarum attactu novam homini mortuo vitam impetravit, majus certe aliquid admirabilius patrasse videri potest Christus, quam Prophetа ille; Dominus siquidem Jesu Christus, ingentem sepulchri lapidem penetrans, qui propter infidelitatem vestram sigillo publico munitus a non paucis militibus custodiebatur, tertio die a mortuis surrexit. Quod autem, quomodo dixi, a mortuis surrexit, volentes nolentes fateri vos est necesse, disruptis scilicet repente inferni vinculis, & militum ad sepulchrum vigilantium turma terrore subito perculsa, nec non virtute plusquam humana amoto lapide. Nec ipse modo surrexit a mortuis, sed plura etiam Sanctorum corpora, qui jam morte obita dormierant, in vitam fuerunt revocata. Si itaque nihil admodum Christo de potentia concedit Propheta, cur non se ipsum quoque suscitare a mortuis valuit, quemadmodum Christus? Quæ cum a viro sancto dicerentur,* Responsio Donati.

Judæorum conversio.

non mediocri stupore perculsi Judæi, ad robustam, & promptam hominis justi ad ea, quæ objecta erant, responsionem, ultro fassi sunt verius nihil esse, aut dici posse, quam quod asserebat Donatus. Manifestissimum porro erat singularem quamdam divinitus ei prærogativam inditam, qua innumeros mortales ad Christi suscipiendam fidem suaviter perducebat.

V. *Cum itaque pulcherrima de Donato fama ubique percrebesceret, non parum commotus Imperator* f *Maximianus, ad convocatos palatii sui administros primarios hanc orationem habuit. Vah! quam longe lateque Christiana se Religio diffundit, Donati nescio cujus potissimum opera! Quæ quidem religio pessimi cujusdam ulceris rationem obtinet, quod cum per greges populorum serpere semel cœpit, mortiferum tandem venenum incautis afflare deprehenditur. Idem vero Imperator, cum rursus de signis, & prodigiis, quæ per B. Donatum efficere Christus dignabatur, non pauca inaudisset; cæcis videlicet visum, surdis reddi auditum, multosque alios a variis sanari infirmitatibus, quin etiam trecentos circiter vi-*

f

ros, inter quos Philosophi, & Rhetores aliqui, sacrum suscepisse baptisma; stupore pariter, & indignatione plenus, ita in Senatu suos est allocutus: Quantæ putatis, Patres Conscripti, illud tribuendum esse ignorantiæ dementiæve, quod sapientum vestrorum præcipui, atque ipsi adeo Rhetores, ad Christiani unius dicta responsi nihil inveniant? Hanc ergo ob g causam graviter indignantes Diocletianus, & Maximianus faces ecclesiis, h persecutionem Christianis adeo gravem inferre cœperunt, ut per universum terrarum orbem ejus se se immanitas quasi diffuderit. i Decennio sane integro incendia ecclesiarum, proscriptiones Christianorum, innocentium plagæ, & vulnera Martyrum absque mora aut requie fuerunt continuata.

Maximiano cum Diocletiano ecclesiam persequente, g h

i

Eorum furorem declinans Donatus k l

VI. Versus autem Aquilejam multa etiam armatorum k millia, ad Donatum præcipue investigandum, & comprehendendum, jussu l Imperatorum fuere dimissa; constituta etiam mercede iis, qui virum sanctum persecutoribus proderent, potissimum si quispiam id efficeret, ut vivus in emissariorum manus incideret; sin id nequiret, occisi saltem caput ad Imperatores deferret. Hisce contra se machinationibus intellectis vir sanctissimus, loca ea deserere apud se statuit, & conscensa nave per fluvium, qui urbem illam interfluit, & m Nasitus appellatur, in Dalmatarum regionem evadere magno studio n contendit. Quo ubi advenit, summum altissimi o montis verticem, qui Salonensium urbe haud procul distabat, occupavit: In quo quamdiu latuit, assiduas Deo preces, & hymnos absque intermissione vir beatus obtulit, cuncta ad vitam sustentandam necessaria abunde illo suppeditante, in monte quamvis adeo deserto, qui dixit: Nolite solliciti esse, quid manducetis, aut quid bibatis.

In Dalmatarum secessit. m n o

NOTÆ.

a Ortus S. Donati conferri potest in annum Christi 267. Fac enim triginta annos habuerit, cum Sacerdotio initiatus est, quæ est ætas matura muneri Apostolico; sex autem annos Evangelio operam dederit, qua egregie perfunctus anno ætatis 36, Christi 303., ingruenti universali persecutione, Aquileja in Dalmatiam secessit. Si autem tribus ac tercentis æræ vulgaris annis, sex & triginta detraxeris, relinquitur annus 267, cui ortum Donati illigari oportet. Ut autem hic reliquæ ejus vitæ seriem chronologicam expediamus; anno Christi 304, Diocletiani sævitiæ ac potestati divinitus ereptus in Ægyptum fugit, ac Thmuin se contulit. Anno insequenti 305. mense Februario martyrium subiit Phileas ejus urbis Episcopus, cui suffectus est Donatus; cum annos quindecim ecclesiam illam administrasset, anno Christi 320. sub Licinio præclaram pro Christo mortem oppetiit, annos natus amplius quinquaginta; nam & Antuerpienses Hagiologi ejusdem vitam ad annum circiter quinquagesimum perducunt.

b Dalmatia, imperante Diocletiano, a Septemtrione quidem usque ad Pannoniam Saviam extendebatur ex Augusti descriptione, regiones illas transmontanas complexa, quæ nunc Chrobatia, & Bosnia dicuntur; ab Occidente autem citra montes usque ad Istriam fines suos proferebat. Cæterum regio illa transalpina, quam Augustus Pannoniæ ademptam Dalmatiæ adscripserat, non omnino amiserat antiquum vocabulum Pannoniæ, quo etiam post Augusti descriptionem vocari interdum solebat. Itaque oppidulum, ubi ortus est Donatus, situm erat in ea Istriæ regione extrema, cui ab Oriente Dalmatia, a Septemtrione Pannonia Dalmatica finitima erat.

c Erant igitur jam tum in illis locis Domicilia cœtusque piorum hominum, communitate vitæ atque victus, jure institutoque monastico sociati, quæ cœnobia appellantur.

d Annum ætatis fere trigesimum agebat Donatus, cum a Presbyteris & Præpositis ecclesiarum Istriæ, ad munus Apostolicum evocatus, Evangelio operam navare instituit.

e Hinc conjici potest temporibus illis nullos in Istria fuisse Episcopos; & quæ apud Istros erant, ecclesiæ in ditione fuerint necesse est, ac potestate Episcopi Aquilejensis, ad quem se contulit Donatus, ut ab eo per omnes inferiorum ordinum gradus ad Sacerdotium proveheretur. Quamquam ex antiqua disciplina nulla lege cautum erat, ne quis ab alieno Episcopo in Clericorum ordinem cooptari posset, modo se in ejus Episcopi, a quo initiatus fuisset, potestate in posterum fore polliceretur, eique suam operam ad ecclesiastica munia obeunda in perpetuum addiceret. Tum præerat Aquilejensi ecclesiæ Chrysogonus II. ex Chronico Gradensi apud Dandulum.

f Ut Diocletianus Nicomediæ in Oriente, sic Maximianus Mediolani in Occidente imperii sedem collocaverat. Is porro, post Galliæ, Hispaniæ, Britanniæque administrationem Constantio Cæsari traditam an. 293, post Quingentianos in Africa perdomitos anno circiter 297, fere numquam ex Italia discessit; & quamvis interdum Romæ, sæpius tamen Mediolani commorari solebat. Cum autem Aquileja multo propius, quam Roma, Mediolanum abesset, verosimile est de Donato rebusque Aquilejensibus famam ad eum Mediolanum perveniisse; qua in urbe scilicet anno 303. acceperat Nicomedienſia adversus Christianos edicta, atque ad ea exsequenda nihilo segnius, quam libentius incubuit. Huc spectant, quæ Lactantius cap. xv. scripsit: *Et jam litteræ ad Maximianum atque Constantium commeaverant, ut eadem facerent . . . Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens.*

g Non hæc perinde accipias velim, quasi Donatus, reique Christianæ Aquilejensis incrementa Diocletianum & Maximianum compulerint, ut ecclesiæ universæ persecutionem indicerent. Sed causam universalis persecutionis multo latius extendi oportet, referrique ad mirabilem amplificationem, & florentissimum statum totius ecclesiæ per omnes Romani imperii provincias tum propagatæ; id quod Imperatorum animos adeo irritavit, ut ad eam opprimendam, ac funditus evertendam, vires conatusque omnes exerendos putarent.

h Videtur persecutio universalis Nicomediæ denunciata fuisse, aut certe Nicomedienſia edicta ad Maximianum perlata esse, postquam ei de miraculis Donati, & Philosophorum Aquilejensium conversione nunciatum fuerat.

i Persecutio universalis decem ipsos annos tenuit ab anno 303. usque ad annum 313, cum Maximinus a Licinio victus & morti jam proximus ecclesias restitui jussit, & ne quid molestiæ Christianis exhiberetur in posterum, edicto cavit.

k *Grandior hyperbole, sed non inusitata Græcis*, ait Daniel Cardonus in notis.

l Quamquam Diocletianus ab Italia longe aberat, tamen si quæ Maximianus contra Christianos faceret, aut decerneret, ea jussu Diocletiani, vel utriusque Imperatoris fieri decernique rite dicebantur; quippe cum Diocletianus primus esset Imperatorum, & hic potissimum jusserit Christianos, ubicumque terrarum essent, comprehendi, & nisi Christo nuncium remitterent, acerbissimis cruciatibus affectos necari.

m Idest

Digitized by Google

m Idest Natisus, vel Natisa, qui urbem illam interluebat, eoque secundo navigia ad mare deferebantur.

n Donatus Aquileja in Dalmatiam secessit anno 303, mense vel Julio, vel Augusto.

o Is fortasse mons erat Massaron, ubi B. Domnius primus Salonæ Antistes, aliique deinde martyres conditi fuerant.

§. III.

Præclara Christi confessio coram Diocletiano. Macarii & Theodori Cubiculariorum Augustalium ad Christum conversio.

a b Donatus ob silentium Idolis impositum c d

VII. *Secundo a deinde persecutionis anno, in eo ipso b monte, quem Salonis haud procul diximus abesse, pro incolumitate quidem sua c Jovi, pro salute vero Maximiani sacrificia Herculi offerre d instituit: cumque responsi nihil ad ea, quæ proposuerat, a simulacris eliceret, pertinacis adeo silentii causam e sacrificulis suis scisciatus est. Cui sacrificuli: adest, inquiunt, eorum aliquis, quem nos quidem hactenus ignoramus; attamen adest, qui sacra Christiana profitetur: atque hinc accidit, ut Deorum nostrorum oracula more solito nobis non reddantur. His intellectis continuo jussit Diocletianus, ut Christianum illum diligenti perscrutatione in lucem protrahere conarentur. Imperatoris mandato impigre obsecuti milites, quæsitum toto monte Donatum in spelunca quadam psalmodiæ vacantem reperiunt, &*

ad Diocletianum ducitur,

ad Diocletianum perducunt. Qui virum sanctum sic est allocutus: Quomodo vos, sic quasi arcanis nescio quibus de religione scientiis essetis instructi, mentibus vestris adversum nos ita concitamini? Qui fit, ut humano vos judicio ea, quæ ad Deos pertinent, subjici existimetis? Cui sic respondit Donatus: Christi & Christianorum hoc est arcanum. Christus siquidem carne nostra indutus, Patris sui æterni voluntatem nobis aperuit, & mandata, quæ sola hucusque voce nobis fuerant dictata, sanguinis sui profusione confirmata esse voluit. In utriusque enim testamenti tabulis consignata divinæ providentiæ arcana ob oculos nostros ponere haud est dedignatus; non jam atramento illa consignans, sed vivifico divinitatis ipsius spiritu animis nostris ea pulchre insinuans.

& coram eo Idoli statuam rediit.

VIII. *Ad quæ Diocletianus: non dissimilia sunt quæcumque vos Christiani affertis, iis, quæ in libris suis insulsis Judæi habent descripta; in quibus nihil veritati, nihil doctrinæ sanæ consonum, sed contra ad narrationes quasdam sane inconditas, & relatu indignas recurritis, quæ non solum certo nullo conspiciuntur niti fundamento, sed nihil etiam laudis ab auditoribus suis obtinent. Tunc Donatus: omnis, inquit, scriptura divinitus inspirata est utilis, & novi mysterii doctrina conformis ponitur doctrinis antiquorum, tam quoad seriem rerum, quam quoad earumdem exhibitionem apud veteres litteris consignatam. Nostra namque doctrina sacrorum Evangeliorum historiam continet, quæ aliquando futura Judæorum Vates sanctissimos diu ante prædixisse constat. Viri scilicet hi accepto cælitus divinandi spiritu, Deum pariter, & hominem oculis nostris aspectabilem venturum in hunc Orbem, & nationes omnes de Patris sui divinitate, aliisque sacris dogmatibus, tam per se, quam per alios Evangelii sui præcones sanctissimos, edoturum prænuntiarunt; quemadmodum & alia non pauca, de modo, quo mortem Deus-homo tandem esset obiturus, de resurrectione ejusdem a mortuis, de ascensu in cælum, unde ad nos descenderat, deque ejus ad Patrem suum reditu. Nec illum putamus doctrinæ nostræ caput certiori veritate fulciri. Etenim quod in scripturis antiquioribus obscurum adhuc erat mysterium, divino munere nunc est revelatum. At qua ratione fieri potest, reponit Diocletianus, ut mansuetudine & misericordia Deus ille vester splendeat, qui ab Adamo ad Moysis usque tempora, & a temporibus Moysis, ad Christi, ut quidem vocatis, in terras adventum, universas orbis nationes tanta legis, & mandatorum Dei ignorantia passus est perire? Quid vero necesse erat, ut ultimis ille veniret temporibus, & non antequam infinita hominum multitudo in exitium rueret? Quibus Diocletiani dictis ita Donatus occurrit: Is, qui a principio variis humanum genus universum, nec unius rationis beneficiis affecit Deus, nec unquam de ejus incolumitate, & commodis curam deposuit, beneficiorum omnium maximum extremis voluit temporibus reservatum. Cum enim ad summum periculi jam esset perventum, & in extrema de rebus suis desperatione versarentur homines, & contabescerent, unigenitum Dei Verbum ad nos descendens novam quamdam rerum omnium faciem in mundum induxit.*

Illi respondere jubet Macarius cubiculatius

IX. *Tunc Macarius aliquis, cubiculi Imperatoris præpositus, divino magis nutu, quam mandato Diocletiani sic respondit: Nos etiam, si nescis, ex opimo illo, & fertili doctrinæ omnis prato, tanquam insigni rerum intellectibilium thesauro, veluti ex variis herbis aliqua, si non omnino perdidicimus, rudi saltem modo cognoscimus. Non enim ex eo quod unam quampiam rem ignoremus, ad alterius cujusdam notitiam aditus nobis est intercluſus. Ad quæ sic Donatus: Deum nos novimus & confitemur universitatis hujus conditorem, & Verbum Patris, qui cum in senectutem veluti quamdam mundus iste jam vergeret, conceptus a Virgine, naturam suscepit hominis, nec propterea divinitatem amisit. Scimus illum formam sumpsisse servi, sputis pro tot ad salutem facientibus beneficiis dedecoratum, alapis percussum, spinea corona redimitum, crucem tandem nostra causa subjisse, Eumdem illum descendisse ad inferos, tertia die resurrexisse a mortuis; in eodem illo corpore, quod pro salute mortalium in cruce fuit fixum, Victorem denique in cælos penetrasse, & nunc ad Patris sui dexteram sedere, unde venturus est aliquando Judex vivorum, & mortuorum, absque dubitatione credimus.*

& socius ejus Theodorus,

X. *Cum sic Donatus differeret, Theodorus Eunuchus, & Cubicularius Imperatoris, non sine divino impulsu ita eum compellat: Nos sane, qui prodigiosam adeo religionem habemus, Deum illum, quem vos in tanta veneratione habetis, Patris æterni Verbum, & nostra potius, quam sua causa incarnatum, qui in orbe hoc nostro apparuit, & tenebras illuminavit hominum, nequaquam putamus contumeliis a quopiam esse subjiciendum. Etenim si ea, quæ docuit, solidam aliquam admitterent refutationem, non jam illi, qui in eum credunt, vel ipsa sanguinis sui effusione ullo modo puri efficerentur: quippe non terrenam quamdam, aut humilem, sed cælestem plane ad salutem pertingendi rationem hominibus, in graves errores delapsis, ille ostendit. His dictis, ad regias se se ædes Diocletianus retulit, declinante in vesperum die. Ea ipsa nocte Macarius, & Theodorus cum in cubiculo Diocletiani somnum caperent, tali fuerunt visione detenti. Spectare sibi videbantur Donatum Presbyterum, qui sacrum eis Evangelium prælegebat, se vero ipsos in altissimum extolli montem conspexerunt, atque inde in cælum deductos consistere ante tribunal, ubi Angelos, & Sanctos cœli incolas secum pariter Deo accidere supplices animadvertebant. Ut primum illuxit, non parum commoverunt animum Diocletiani earum rerum, quas in somno viderant, narratione. Quo deinde relicto, ac*

Digitized by Google

ad S. Donatum in montem confugiunt;

ab eoque baptizantur.

conſcenſo monte ad S. Donati pedes ſeſe abjecere, illud commemorantes, quomodo ipſius ductu in cœlum per viſionem fuiſſent abrepti, & quæcumque ibi reperiebantur viſu digna, oculis percepiſſent. Talia audiens vir beatiſſimus, & vehementer admirans, religionis noſtræ myſteria iis omnia explicuit, & ritu Chriſtiano volentes lavit.

NOTÆ.

a Annus ſecundus perſecutionis congruit cum anno Chriſti 304.

b Montes apud Ethnicos magnam venerationem habuiſſe proditum eſt: Deos quippe in montibus habitare ac dominari credebant. Hinc *Dii montium*, quos ſic loquentes induxit Ovidius: *Dii ſumus agreſtes, & qui dominamur in altis montibus; imperium eſt in ſua tecta Jovi*. In nummis Seleucenſium, effigie Trajani, ejuſque nomine ſignatis ΖΕΥC ΚΑCΙΟS, *Jupiter Caſius* editiſſimi montis cacumen inſidet.

c Diocletianus ab Jove Jovius, Maximianus ab Hercule Herculeus cognominatus; hic enim Herculem, ille Jovem præcipuo quodam cultu venerabatur.

d Scilicet Diocletianus, cujus nomen hic deſideratur; quod tamen non abeſt a codice Græco. Is anno 304, ut in ejus hiſtoria dicturi ſumus, poſt peragratas aliquot Italiæ urbes Salonam venit, in eaque civitate tum recuperandæ valetudinis gratia, tum abſolvendi, ornandique palatii Salonitani cauſa, vernum tempus tranſegit; æſtatem vero ejuſdem anni, ripa Danubiana obeunda, luſtrandiſque limitaneis oppidis ac præſidiis confecit; ac deinde in Aſiam trajiciens Nicomediam ſe contulit, ubi anno proximo Kalendis Maji depoſuit imperium.

§. IV.

Donatus & Socii a flammis ac beſtiis intacti quamplurimos ad Chriſtum adjungunt. Eorum in Ægyptum fuga & Martyrium.

Macarius & Theodorus Chriſti

2. divinitatem coram Diocletiano prædicantes

XI. *Illis igitur unde advenerant reverſis, Macarius rerum intelligentior, & majori utens libertate, hanc apud Diocletianum orationem habuit: Joſephus a ſacerdos Hieroſolymitanus, quique hiſtoriam Judæorum integra fide ad poſteros tradidit, Chriſtum verum Deum fuiſſe teſtatur, cui rei certiſſimum in ejus libris teſtimonium hoc habemus: eodem tempore fuit Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimoſque tam de Judæis, quam de Gentibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat, quem accuſatum a noſtræ gentis Principibus, Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominus non deſiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim iis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo Prophetæ hoc, & alia multa miranda prædixerint, & uſque in hodiernum Chriſtianorum genus, ab hoc denominatum, non deficit. Hæc ea ſunt, quæ Hebræorum nullus jam hiſtoricus a ſanto tempore de Domino & Servatore noſtro poſteritati tradidit. Quæ igitur excuſationis ratio nunc eſt relicta nolentibus fidem veram ſuſcipere? Hoc equidem ſumma cura perſcrutentur neceſſe eſt, o Imperator. Quem enim vos tandem Chriſtianorum eſſe Deum arbitramini? Cur non illum potius ſuſcipiendum, & colendum, putatis, quam Idola gentium? Cui jam per univerſum Romanorum imperium obedientia, & cultus præſtatur, cur a vobis ſolis cultu cenſetur indignus? Si ille parum adeo, ut exiſtimatis, valeat, quomodo factum eſt, ut confragis ubique fere gentium idolis, ſolus ille cultum, & venerationem obtineat? Ad liberam adeo Chriſti coram ſe confeſſionem animo commotus Diocletianus, reſponſum quod daret non habuit. Tunc igitur & Theodorus: Obſtructum eſt, ut vides, o Macari, os loquentium iniqua. Furorem quidem ſuum in non paucos effuderunt hominum ſanguinariorum adminiſtri, ſed dextera Domini, ſcelerum vindex, in eos confeſtim incubuit.*

Cum Donato igni, & beſtiis objiciuntur, b c

XII. *His dictis in rabiem verſus Diocletianus, ſic allocutus eſt Sanctos: Vos quoque, ut apparet, eadem erga Chriſtum inſania eſtis abrepti, qua non ita pridem b Theodorus, & Gorgonius c Præpoſiti mei, quos poſt plures varioſque cruciatus laqueo ad extremum vitam juſſi finire. Tum magis etiam magiſque excandeſcens multa ſuppliciorum genera adverſus viros ſanctiſſimos verſabat animo. Primum igitur igni, deinde feris traduntur plectendi d Donatus, Macarius, & Theodorus. Eo ſiquidem loco non leones, non pardi, non urſi, non omne genus ferarum, non ſues ac tauri ſilveſtres, quorum morſus ignis acerri tormentorum acerbitate ſua longe exceduns, deerant, qui protinus contra Sanctos Dei fuerunt ſoluti. Illi autem ſuas ad ipſum preces dicebant, clamantes: Ne tradas beſtiis animas confitentium tibi. At feroces iſta bellua eos ipſos, a quibus adverſus Chriſti athletas inſtigabantur, dicto citius dilacerarunt, ne tactis quidem martyrum Sanctorum corporibus; ut palam omnibus conſtaret, quod hi divina quadam virtute protegerentur. Tunc ſane omnes, qui ad theatrum ſpectandi cauſa convenerant, ingens metus inceſſit; cum viros ſanctiſſimos lætitia inſolita exultare, vultuque ad omnem hilaritatem compoſito medias inter beſtias verſari conſpicerent.*

d

a quibus nihil læſi.

Chriſtianæ religionis myſteria populo enunciant,

XIII. *Quæ dum fiunt, primus omnium Donatus ita ad populum dicere eſt exorſus: Dei ipſius filius, qui ab initio cum Patre ſuo hominem creavit, hominis ipſemet naturam ſuſcipiens, teſtimonium de patre perhibuit, ac multis deinde inſignis miraculis, poſtquam cœleſtem diſcipulis ſuis doctrinam tradidit, multa pro nobis eſt perpeſſus: tum ſepulchro conditus tertia die a mortuis ſurrexit, & in cœlos ad extremum abiit, unde expectatur venturus adjudicare vivos, & mortuos. Spem ille nobis reliquit haud dubiam, fore ut eodem modo a mortuis aliquando reſurgamus; non imaginarie, quemadmodum ſtulti quidam perverſe autumant, & docent; ſed hæc ipſa corpora, in quibus nunc vivimus, & movemur, iterum recipientes. Hinc profecto illud ſit, ut non timeamus eos, qui corpus quidem occidunt, animam vero occidere non poſſunt; ſed ejus ſolius timor nos percellat, qui animam ſimul ac corpus perdere poteſt in gehenna ignis. Ad hanc orationem duodecies a populo exclamatum eſt. Auxilio adſis Chriſte, & Donatum benigne exaudi. Facto deinde ſilentio, Macarius ſic eis nunciavit. Hoc ipſum, quod nunc adverſum nos peragitis, ſecundum Chriſti prædictionem, nobis erat obventurum, ut ante Reges ac Præſides duceremur; quam ob rem ipſe etiam met oppetere mortem voluit, ut per reſurrectionem ſuam mortem ſuperaret. Macario dicenti ſepties ab omni turba acclamatum eſt: Macarium, Chriſte, exaudi. Tunc Theodorus, de contemptu mortis, & reſurrectione carnis locuturus, hæc pronunciavit: Corpus iſtud, quod incorruptibile primum Deus creavit, & per tranſgreſſionem in maledictum incidit, ſuo merito corruptioni factum eſt obnoxium. Audivit enim: Terra es, & in terram reverteris. Attamen verbum divinum, in fine ſæculorum carnem pro nobis indutum, nec pauca perpeſſum, & reſurgens a mortuis, illud rurſum incorruptionis capax effecit; quemad-*

& quamplurimos ad Chriſti confeſſionem cumque traducunt.

1. Cor. 15. 53.

Digitized by Google

madmodum & Apoſtolus ſcriptum reliquit. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem; & ſic hominem revocari ad id, quod ab initio erat, ſublata de medio corruptione per reſurrectionem.

XIV. *His dictis, ingens repente motus terræ exitit: & cum multa ex improviſo ædificia in ſolum corruiſſent, non exigua hominum multitudo extincta eſt. Quod ubi accidit, Donatus eiuſque ſocii, accepta divinitus a Chriſto, & Deo ſuper hoc reſponſione, in urbem, quam e Pothmuim dicunt, abire juberentur. Terreſtri ergo itinere ad mare uſque perveniunt, ubi navim ad trajiciendum nacti, nihil moræ interponentes, eam conſenderunt; & ſecundo uſi vento, curſuque, duodecimo poſt die Alexandriam, atque inde Tithmulum perveniunt, cui tunc urbi Epiſcopus præerat* f *Phileas; qui exorta deſn perſecutione & in confeſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti perſiſtens, coronam martyrii capite minutus retulit. Cum autem Donatus ingrederetur* g *eccleſiam, demiſſa e cœlo columba capiti ejus inſedit: quam ut qui aderant conſpexerunt, hunc enimvero epiſcopatus honore dignißimum pronunciarunt, Deo videlicet ipſo hæc indicante. At continuo in eum dignitatis gradum evehentes advenam, ſupremo Sacerdotio decorarunt. Cumque circa ea tempora* h *Licinius imperii habenas ſuſcepiſſet, magnam in Chriſtianos perſecutionem excitat: & ante omnia, quicumque in palatio ejus verſabantur Chriſtiani, abſque mora tam palatio, quam univerſo deinde exercitu juſſi ſunt abire. Progreſſu vero temporis magis, magiſque efferatus, tyranno digna edicta propoſuit; ut quicumque Chriſtianos ſe faterentur, in carcerem conjecti, cibo omni privarentur ac potu; addens, rem eſſe indignam aliquid erga eos exhibere humanitatis, qui contra ejus leges deliquiſſe aperte eſſent convicti. Quo factum eſt, ut ingens hominum vis in cuſtodiam tradita fame conſumeretur. Ad extremum univerſos, qui impuris idolorum ſacrificiis polluere ſe ſe detrectaſſent, tolli e medio imperavit. Horum principes fuere beatiſſimi* k *Apoſtolicique viri* k *Donatus Epiſcopus, Macarius Presbyter, & Theodorus Diaconus; qui ut in deſcripta ſupra confeſſione Chriſti glorioſe adeo primum Diocletiano reſtiterant, ita & nunc reſtitere Licinio, qui membratim eos mandavit concidi. Obſecuti imperio carnifices, hominum Sanctorum corpora in fruſta diſſecta conjecerunt in pelagus. Hic finis fuit beatorum Chriſti Martyrum, qui inter acerbiſſimos cruciatus laudarunt ſanctam, & conſubſtantialem Trinitatem, cui debita eſt gloria, honor, & adoratio, in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Facto Terræmotu Sancti in Ægyptum evadunt.

Ubi Donatus Epiſcopus factus.

Denique ſub Licinio, cum ſociis martyrium pertulit.

NOTÆ.

a Joſephi lib. 1. cap. 4. de Antiquit. Jud. prælarum de Chriſto teſtimonium, quod Auctor hujus hiſtoriæ deſcripſit ex lib. 1. cap. 11. Euſebianæ eccleſiaſticæ hiſtoriæ, aliqui in dubium revocant; ſed ab horum injectis dubitationibus egregie illud vindicavit Henricus Valeſius in ſuis ad Euſebium commentariis.

b Apud Euſebium lib. 6. cap. 9., is non Theodorus, ſed Dorotheus appellatur; at nomen utrumque inverſo litterarum ordine, idem eſt, idemque ſignificat.

c Martyrium utriuſque idem Euſebius eodem loco deſcripſit. Uterque Nicomediæ ſub initium perſecutionis cæſus eſt, & nomen utriuſque in Romano Martyrologio ad diem 9. Septembris adſcriptum.

d Hunc ſiquidem Diocletianus e ſua ſpelunca, ubi eum pridie cuſtodia ſeptum reliquerat, ad ſe perduci juſſerat; id quod Auctor ſcribere per incogitantiam omiſerat.

e *Februarii noſtri die 4. ad vitam S. Phileæ Thmuitarum Epiſcopi & Martyris, eodemque die ad vitam S. Iſidori Peluſiotæ, urbis Thmuitana ſitus, & multiplex corruptio nominis ſufficienter exponitur; quæ igitur ibi dicta, hic non repetemus. Satis erit monuiſſe ad duodecim, quas ibidem adduximus, nominis Thmuis corruptas ſcriptiones, duas hic novas accedere, ubi loco Thmuis ſcribitur Pothmuis, & Tithmulus; ideo fortaſſis, quod legitimæ vocis initium pronunciatu erat durius ac difficilius.* Daniel Papebrochius.

f Phileas Thmuitanus Epiſcopus martyrio perfunctus eſt anno Chriſti 305. 4. Februarii.

g In Græco: *ἐν τῇ κυριακῇ, Κυριακόν*, inquit Papebrochius, *pro eccleſia poni notum eſt, nec deſunt, qui Teutonicum Kirch, Kerch inde duci velint; ſed & Dominicum Latine invenies apud Cyprianum, Hieronymum, aliosque Sanctos Patres.*

h Licinius anno 307. Cæſar itemque Auguſtus creatus eſt Carnunti in Pannonia a Galerio, præſentibus & conſentientibus Diocletiano & Herculeo. Is amicitia & affinitate inita cum Conſtantino Magno, cujus Sororem Conſtantiam in matrimonium duxit, Maximinum anno 313. ingenti clade affecit; eoque extincto imperium Orientis adeptus eſt. Initio ſimulavit ſe favere Chriſtianis, in quos poſtea acerbiſſime ſæviit.

k Donati, Macarii, Theodori martyrium referri poteſt ad annum Chriſti 320., cum Donatus ab anno quinto hujus ſæculi, quindecim fere annos, eccleſiam Thmuitanam ſanctiſſime gubernaſſet. Dies martyrii incertus; nec mihi ſatis liquet, cur Antuerpienſes Hagiologi Acta S. Donati ad diem 22. menſis Maji adſcripſerint. Cæterum martyrium S. Donati optime videtur convenire in annum 320. cum Licinius palam aperteque Chriſtianis bellum indixit; niſi forte in annos proximos rejici placeat, nam perſecutio Liciniana tres ipſos annos tenuit.

§. V.

Vita & martyrium S. Donati Confeſſoris Salonitani; & mors Joannis III. Salonitani Antiſtitis.

Ortus Donati.

IN extrema Iſtriæ regione, quæ Pannoniam a Septemtrione, Dalmatiam ab Oriente attingebat, ortus eſt Donatus, oppido perexiguo ignotique nominis, & patre Creſcentino anno circiter poſt Chriſtum natum 267. A teneris annis per baptiſmum Chriſto renatus, primam ineuntis ætatis commendationem a pietate ac litteris duxit. Frequens adibat cœtus religioſorum hominum, ut ab iis ad omnia Chriſtianæ religionis officia erudiretur; aſſidue verſabatur in templis, ubi plures quotidie horas precationibus ac meditationi rerum cœleſtium tribuere, & ſacrificiis intereſſe, & ſacra myſteria ſumma cum religione percipere ſolebat. Divinis rebus, piiſque exercitationibus quod temporis ſupererat, id omne in optimarum & liberalium artium ſtudia conferebat. Quare cum eximio eſſet ac perſpicaci ingenio, & omnem inſuper contentionem ad imbuendum excolendumque diſciplinis animum, ac ſedulitatem adhiberet, tantam rerum humanarum divinarumque ſcientiam adeptus eſt, ut omnium in ſe oculos admirationemque converteret. Magna jam tum erat apud omnes de illius doctrina & ſanctitate opinio, famaque haud vulgaris, quæ cum unius oppidi angustiis contineri non poſſet, brevi totam Iſtriam pervaſit. Hac fama impulſi Præpoſiti eccleſiarum, qui tum erant in Iſtria, ad plebes ſibi commiſſas erudiendas, Ethnicoſque ad Chriſtum adjungendos Donatum per

Evocatus ad erudiendas eccleſias Iſtriæ.

nuncios, & litteras accersunt. Agebat tum Donatus annum ætatis fere trigesimum, Apostolico muneri jam maturus, qui non ipse sibi tantum honorem sumens, sed se per homines a Deo tamquam Aaron vocari intelligens, patria ac parentibus valere jussis, Aquilejam ad ejus urbis Episcopum accessit, cujus ditioni superant omnes Istrorum ecclesiæ. Aquilejensem ecclesiam tum regebat Chrysogonus II. genere Dalmata, si fides habenda sit Dandulo, qui seriem Episcoporum Aquilejensium ex Chronico Gradensi descripsit. Itaque Donatus a Chrysogono rite per omnes Ordinum gradus ad apicem Sacerdotis evectus cum esset anno 297. nullam moram interposuit, quo minus totum se in opus ministerii, ad quod assumptus fuerat, statim traderet.

Sacerdos initiatur.

Quamvis autem, qui Acta S. Donati litteris mandavit, præclaram utilemque ejus operam Evangelio apud Istros navatam silentio præterierit, tamen non est dubium, quin consumpserit aliquot annos, quatuor videlicet aut quinque in excolendis amplificandisque Istrorum ecclesiis, quarum gratia potissimum ad Evangelium disseminandum accitus fuerat, & Sacerdotio initiatus. Itaque civitates & vicos ejus provinciæ more Apostolico lustrare atque obire cœpit, rudes Christianis præceptis imbuere, cum Ethnicis identidem certamina conferere, eosque manifestis erroribus convictos ad rectam in Deum fidem traducere, omnes denique a vitiis deterrere, ad honestatem pietatemque hortari atque impellere instituit, haud minore cum fructu, quam labore. Sed campum multo amplissimum, in quo ejus doctrina, virtus, eloquentia, & scilicet egregium illud, quo flagrabat convertendorum Ethnicorum, religionisque propagandæ studium latius excurrere, utiliusque in hominum salutem impendi posset, Aquileja præbuit, urbs ea tempestate, totius Venetiæ longe maxima, & civium numero frequentissima. Ethnicorum autem & Judæorum referta cum esset, in utriusque gentis conversionem omni cura & contentione incubuit. Cum his sæpe pugnam commisit, ac tam appositis, tamque evidentibus rationibus vel probabat illis veritatem Christianæ religionis, vel flagitia Ethnicæ superstitionis, & Judaicæ inepias refellebat, ut numquam ex acie discederet, quin multos ad baptismum suscipiendum compulisset, in quorum numero fuisse memorant aliquos Philosophos ac Rhetores, qui cum diu multumque repugnassent, cognita demum veritate, ac cœlesti lumine perfusi, manus haud inviti dederunt. Nec verbis solum, sed miraculis etiam Evangelio fidem addebat; nam per omnia ferme miraculorum genera Donati virtus, quam divinitus acceperat, vagata est; morbos ac dæmones ab ægris obsedisque corporibus depulit, claudis gradiendi, mutis loquendi, surdis audiendi facultatem restituit.

Suscepta Aquilejæ cum Ethnicis ac Judæis certamina.

Multos ad Christum convertit.

Interea tempus illud longe gravissimum accidit, cum Christianis omnibus aut vitæ, aut religionis deserendæ necessitas imposita fuit. Anno quippe 303. Diocletianus acerbissimis edictis Nicomediæ propositis bellum immane toti ecclesiæ indixit. Maximianus Herculeus, homo & suopte ingenio crudelis, & Christiani sanguinis sitientissimus, occasionem acrius infectandi Christianos e decretis Nicomediensibus oblatam haud segnius, quam avidius arripuit. Itaque suo & Diocletiani furore inflammatus eos intentiore cura perquiri, & exquisitioribus suppliciis affici jussit. Per eos dies Mediolani cum esset, allatum est ei de illis, quæ Donatus Aquilejæ divinitus edebat, signis atque miraculis, deque incredibili hominum multitudine per eum ad Christum conversa. Homo, ut hæc audivit, exarsit iracundia; misitque delectam satellitum manum, qui Donatum comprehenderent, conjectumque in vincula ad se perducerent; mercede insuper haud ita parva iis proposita, qui aut eum satellitibus proderent, aut interfecti caput ad se perferrent. Id ubi cognitum est, totaque urbe pervulgatum, Donatus quamquam nihil vehementius cuperet, quam Christi causa, & pro fratribus suis animam ponere, divino tamen instinctu satius esse duxit tunc tempori cedere, ac semet plurimorum saluti servare, quam vel in hostium insidias incurrere, vel ultro se illis ad mortem offerre. Quocirca naviculam nactus, & secundo Natisa fluvio in mare devectus, ad littus Salonitanum appulit. Eo cum perveniisset, in editissimi montis, qui Salona propeaberat, cacumen conscendens, ibidem in rerum divinarum contemplationem mente animoque defixo, & psalmis hymnisque recitandis, sibi uni Deoque vivere instituit. Decem fere menses ab omni humano commercio segregatus in jejuniis ac precibus, in sacrorum lectione librorum, & pia rerum cœlestium meditatione traduxerat, cum Diocletianus anno vicesimo imperii Romæ celebrato ex urbe discessit, & post aliquot Italiæ urbes peragratas in Orientem cogitans, Salonam venit anno 304. Majo mense ineunte, ut lentum ac perdifficilem morbum, quem anno superiori contraxerat, patrii cœli, nataliisque soli salubritate depelleret. In ea urbe cum versaretur, die quodam in eumdem montem subiit, ubi Donatus solitarium degebat, ut pro sua & Maximiani incolumitate Jovi, Herculique sacrificia & vota faceret. Sed quod eidem in partibus Orientis sacrificanti olim evenerat, idem tunc inter sacrificandum accidit, ut scilicet sacrificulis de rerum futurarum eventu percunctantibus responsum ab Diis nullum omnino redderetur. Suspicati id, quod erat, Aruspices haud procul indidem abesse Christianum aliquem, qui ora Deorum obstrueret, Diocletianum ea de re admonent, qui hominem perquiri jussit. Ad eum investigandum toto monte discursum est; tandem non longe deprehensus inventusque Donatus, ad Diocletianum coram perducitur, a quo cum objurgaretur, libera & magnanima voce præclarum pro Christo testimonium dixit, ejusque religionem tam aptis illustribusque rationibus confirmavit, ut Macarius, & Theodorus, qui erant Imperatori a cubiculo, respondere jussi, non solum non invenirent, quemadmodum ejus argumenta refellerent, sed suo ipsimet judicio victi, statuerent Christiana religione nihil esse verius, nihil sanctius, nihil perfectius; idque ipsum Diocletiano verbis haud obscuris vel ambiguis significarunt.

Maximianus Herculem jubet Donatum

Aquilejæ comprehendi.

Donatus in Dalmatiam se recipit.

Comprehensus Christi religionem firmissimis argumentis adstruit.

Macarius & Theodorus ad Christum conversi.

Porro Diocletianus cum Donatum in eodem loco, ubi fuerat inventus, reliquisset, fida satellitum, ut opinari fas est, custodia septum, Salonam revertitur cum Macario & Theodoro, quibus ea nocte species quædam admirabilis per quietem oblata est. Videbantur enim sibi in altissimum montem sublatis videre, & audire Donatum sacra Evangelia legentem atque interpretantem; inde vero in cœlum usque sustolli, deducique ad summum ac præpotentem Deum; cujus ad pedes solumque prostrati cum universa cœlitum cohorte supplices illi manus tendunt, ejus opem contestantur, ac misericordiam implorant. Ubi dies illuxit, rem narrant Diocletiano, id quod ejus animum haud levi admiratione ac timore perculit. Deinde in montem ad Donatum se referunt, cui omnem cœlestis visionis seriem cum exposuissent, ad ejus pedes se abji-

abjiciunt, atque ad Christi ecclesiam aggregentur, etiam atque etiam petunt. Ille divinam in eos bonitatem admiratus, & maximis Deo gratiis actis, supplicibus morem gessit, & de Christianis mysteriis ac præceptis accuratius edoctos baptismo expiavit. Salonam reversi adeunt Diocletianum, sine ulla verborum ambiguitate aut circuitione palam aperteque profitentur se Christianos esse, & Christi divinitatem deprædicant; si se audiat, illi se auctores esse, ut avita superstitione abjecta, quos ad eam diem acerbissime divexarat, eorum Deum impostorum colat, ac religionem suscipiat. Mirum, quam res ea Diocletiani animum exasperaverit, qui atrocissima quæque supplicia illis comminatus nisi resipiscerent, Donatum vinculis constrictum adse perduci jussit. In medio foro ingens rogus exstruitur, subjectisque facibus cum aridam materiam flamma complexa altius exsurgeret, in eum Donatus, Macarius, Theodorus conjiciuntur. Mirum dictu! ut maxime copiosus esset ignis ac vehemens, eos tamen ne levi quidem afflatu attigit. In amphitheatrum productos Leonibus, Pardis, ursibus, aliisque immanissimis belluis Diocletianus objecit; sed tantum abfuit, ut hæ Christi martyres vel minimum læderent, ut potius illis quidem blandiri viderentur, in eos autem, a quibus contra illos incitabantur, impetum rabiemque converterent, atque unguibus morsibusque comprehensos momento temporis dilaniarent. Quare primum Donatus, deinde Macarius, postea Theodorus ad circumfusam multitudinem conversi, præclaram de Christi divinitate, mysteriisque fidei Christianæ orationem habuerunt; quam ingens plausus acclamatioque populi una voce Christi opem implorantis consecuta est, & innumerabilium hominum cujusque ordinis ac generis ad Christum conversio. Vix Theodorus dicendi finem fecerat, cum repente horribili terremotu civitas tota contremuit; multa diruta ædificia, multi mortalium ruinis oppressi, quo terræ subsilientis motu, & corruentium tectorum sonitu ac fragore omnes conterriti, & alii alio fuga dilapsi, solos in medio Amphitheatro, vinculis exemptos Donatum & socios relinquunt. Hi divino instinctu jussuque ad littus profecti navem conscendunt, & secundis ventis duodecimo, quam e Dalmatia discesserant, die Alexandriam appellunt; inde terrestri itinere pergunt Thmuim, qua in urbe tum Christianis præerat Phileas sanctissimus Episcopus. Is autem anno proximo 305. die quarta Februarii præclaro martyrio perfunctus cum esset, Donatum columbæ cœlo delapsæ, ejusque caput insidentis admonitu, Clerus populusque in locum Phileæ substituunt. Cum annos fere quindecim ecclesiam illam sanctissime gubernasset, una cum Macario, quem in collegium Presbyterorum, & Theodoro, quem in Ordinem Diaconorum cooptaverat, egregiam martyrii palmam adeptus est anno Christi circiter 320. vel proximo, Licinio imperante, & ecclesiam Dei crudeliter persequente.

Donatus cum Macario & Theodoro in ignem impune conjectus, & bestiis objectus.

Donatus cum sociis navigat in Ægyptum.

Donatus fit Episc. Thmuitanus.

Ejus martyrium sub Licinio.

Sed Salonam, unde discessimus, atque ad Diocletianum redeamus. Admiranda illa signa & prodigia, quibus Deus & Donatum & socios tum ab igne, tum a feris divinitus illæsos, curæ sibi & cordi esse declaraverat, & insuper ingens ille terrarum fremitus motusque ad terrorem impiorum concitatus perculerint quidem animum Diocletiani oportet; sed ab sua cum impietate adeo non absterruere, ut multo etiam vehementius adversus Christianos exacerbaverint, præsertim cum videret illa eadem, quæ ipse ad dedecus & exitium religionis nostræ quotidie moliebatur, nomini Christiano plurimum gloriæ & incrementi afferre. Quantum putas ei dolorem incussêrant, indignationemque commoverant plausus illi & acclamationes populorum Christi laudes celebrantium, & opem implorantium, quibus paullo ante totum amphitheatrum personabat! quantum censes veteri in nos odio flammæ ac materiæ ad exardescendum subjecerint innumerabilium hominum ab avita patriaque superstitione defectio, quos scilicet cum martyrum invicta constantia, tum illustria illa, quæ pro Christo dixerant, testimonia, signis ac miraculis comprobata ad Christianam religionem suscipiendam impulerant! Quocirca e sua dignitate & e republica se facturum putabat, si antequam ex illa urbe discederet, in eos, qui Christo nomen dederant, omnia exempla cruciatusque ederet, quo vehementius cæteros a Christi cultu deterreret. Hinc conjicias velim, quas Christianorum Salonensium strages fecerit, quantamque ecclesiæ Salonitanæ vastitatem intulerit. Cumque Diocletiani satellites ejus furore ac rabie instincti summa diligentia, acerrimaque investigatione Presbyteros potissimum, & Præpositos ecclesiarum tota urbe perquirerent, latebrasque omnes scrutarentur, vix fieri potuit, ut Joannes III. Salonitanus Antistes tam acrem ac sedulam illorum in vestigando curam effugerit, & acerbissimæ illius tempestatis vim atque impetum declinaverit. Cæterum an in hostium manus inciderit, & sanguinem pro Christo profuderit, incompertum est. Illud satis constat huic anno ejus ex hac vita discessum illigandum esse, quippe cum juxta Romanum catalogum sæpe laudatum, annus quartus sæculi quarti Joanni III. Salonarum Episcopo finem vivendi attulerit. Porro Diocletianus Salona discessit Junio mense ineunte, plenus stomachi atque irarum, id quod ad veterem ejus ægritudinem, morbumque exasperandum non mediocrem accessionem attulit, Sirmium advenit, totamque æstatem in urbibus limitaneis Pannoniæ atque Mæsiæ Istro fluvio impositis, cum ingenti Christianorum calamitate ac cæde, peragrandis consumpsit, ac demum æger animi, corporisque, principio Novembris Nicomediam pervenit, ut docet Lactantius.

Multi Salonis ob religionem cæsi,

inter quos fortasse Joannes Salonitanus Episc.

CAPUT IV.

De Petro I. Episcopo Salonæ XXII.

§. I.

Petrus hujus nominis primus Joanni III. subrectus anno 304. calamitosis orsus initiis, lætissimos exitus habuit Pontificatus. Nam hujus ecclesiæ regimen tum suscepit, cum persecutio universalis anno superiori Nicomediæ exorta, longe jam lateque diffusa omnes imperii Romani provincias pervaserat, ingentesque ubique Christianorum strages edebat, quæ deinceps per annos ipsos novem totam fere cladibus exhausit Salonitanam ecclesiam, Petrum vero ejusdem Episcopum assiduis curis & ærumnis exercitum, ac sine ulla intermissione sollicitum habuit. Quamdiu enim Galerius vixit, ne punctum quidem temporis acerrima illa ecclesiarum Illyricarum oppugnatio respiravit. Anno demum 13. quarti sæculi, Maximino extincto hanc turbulentissimam tempestatem, quæ ecclesias omnes ingenti clade ac terrore populata decem annos, & menses aliquot tenuerat, inopinata serenitas, ac mira tranquillitas excepit. Pacem ecclesiæ biennio post interturbare cœpit Licinius, & Christianos Illyricos, qui tum erant in ejus ditio-

Petrus electus Episc. Salonit.

nc,

Digitized by Google

ne, haud mediocri vel metu vel damno affecit. Sed duplici prælio victus cum esset a Constantino, atque intra fines Thraciæ regnare jussus, nullum deinde periculum, nulla calamitas ecclesiæ Illyricæ ac Dalmaticæ ab Licinio imminuit, qui post quinquennium bello adversus Christianos nefario & exitiali redintegrato, omnem suam rabiem ac furorem in ecclesias Orientis effudit. At Petrus, qui ecclesiam Salonitanam, cum vel acerbissime sæviret persecutio, regendam susceperat; atque inter maximos turbines incredibili cura & vigilantia gubernavit, singulari quodam divinæ providentiæ præsidio tectus eamdem stabili pace fruentem, & Christianorum numero mirifice auctam ex hac vita decedens anno 316. summa cum lætitia reliquit. Ejus enim Pontificatum Auctor catalogi Romani ab anno quarto usque ad 16. quarti sæculi perduxit. In hujus sanctissimi Antistitis regimen diuturnum, sane ac difficile, & in multiplici Christianæ rei varietate motuque versatum multa profecto inciderint oportet, ex quibus præclara illius in Pastorali munere obeundo cura & industria, vigiliæ, labores, ærumnæ cognosci possent. Sed vel nemo ea litteris mandavit, vel si quæ in ecclesiæ Salonitanæ tabulis aliisque publicis privatisque erant monumentis, direptis & incensis cum urbe tabulariis, vel alio casu infortuniove prorsus interiere. Est tamen, unde hæc jactura compensari possit. Habemus siquidem Acta Anastasii Fullonis Aquilejensis, qui martyrii cupiditate incensus, patria relicta Salonam venire properavit, anno octavo quarti sæculi, & intra paucos, quam venerat dies, jussu Diocletiani comprehensus, lethalique supplicio affectus illustre pro Christo certamen in ea urbe sustinuit, cum Petrus huic ecclesiæ præesset. Ad hujus igitur Pontificatum, hujusque ecclesiæ historiam cum Anastasii martyrium pertineat, hujus loci ac temporis ratio postulat, ut Petri Salonitani Episcopi Actis inseratur; hinc autem ingens rerum pulcherrimarum copia & materia suppeditat, unde Petri nomen & Pontificatus ornari queat, & posterorum memoriæ commendari. Sed antequam Acta S. Anastasii describam, ex historia illorum temporum pauca quædam communia decerpi oportet, ex quibus de primo quadriennio hujus Pontificatus, ac de rebus ab hoc Episcopo sanctissime gestis usque ad annum 308. conjectura fieri possit. Postquam vero Acta & martyrium Anastasii, quæque ad ejus cultum pertinent, diligenter a nobis copioseque ex posita fuerint, reliqua persequemur, quæ ad Petri vitam ejusque mortem illustrandam ex communi illius ætatis historia derivari possunt.

Petri curæ, vigiliæ, ærumnæ.

Anastasii Fullonis illustre martyrii.

§. II.

De Pontificatu Petri usque ad annum octavum sæculi quarti.

POst Donati Aquilejensis Presbyteri certamen pro Christo Salonæ obitum, & magnam in eadem urbe eædem factam Christianorum, quibus annumerari licet Joannem III. Episcopum, Diocletianus Salona Sirmium abiit, inde Nicomediam profecturus. Hujus discessu ecclesia Salonitana respirare paullulum visa est. Habita sunt igitur Comitia Episcopalia, & Petrus vir eximiæ sanctitatis & doctrinæ in locum Joannis substitutus est, qui ut dispersas oves perculsasque nuperrima temporis procella colligeret ac recrearet, verbique divini & Sacramentorum pabulo reficeret, nullam curam operamque prætermisit.

Anno Christi 305. Diocletianus Nicomediæ, Herculeus Mediolani Purpuram cæteraque Augustalia insignia cum imperio deponunt; eorumque in locum subrogati, dictique sunt Augusti Flavius Constantius, & Maximianus Galerius, alter Occidentis, alter Orientis imperium obtinet. Suus cuique Cæsar reique publicæ administer subjungitur, Constantio Severus, Galerio Maximinus. Ac Diocletianus quidem abdicato imperio Salonam in Dalmatiam secessit, vitam privatam & quietam acturus in eo palatio, quod sibi, fere tertio ab urbe lapide, immani mole sumptuque exstruxerat. Vel in ipsa tamen privata vita, & Salonitano illo secessu aliquid pristini juris, ac publicæ auctoritatis retinuit. Nam & novos Augustos, ac præsertim Galerium, quem ipsemet in Orientis imperium sibi succedere voluit, de summis maximisque rebus ad se referre omnino jussit, nec Prætorianas cohortes ab se dimisit, quæ ad sui corporis ac palatii custodiam excubias agerent, quæque præsidii, ac decoris causa perpetuo sibi adessent, & præterea liberam in universa Dalmatia, integramque jurisdictionem sibi uni reservavit, quam provinciam ad extremam usque senectutem per se ipse suosque Præfectos administravit. Porro quod publicæ potestatis retinuerat, id ferme totum ad Christianos Dalmatas divexandos contulit, quorum cædibus ac suppliciis numquam fere abstinuit, & quorum vitæ pepercit, eos vel bonis omnibus multatos in carcerem conjecit, vel insanis ædificiorum exstructionibus addictos, ærumnis laboribusque assiduis, & fame insuper macerabat. Nam ædificandi molesque immensas attollendi studium, cui tantopere indulgebat, dum rerum omnium potiebatur, ne in privata quidem vita penitus abjecit. Hinc existimari licet, quantum laboris atque oneris Petrus una cum regimine ecclesiæ Salonitanæ subierit, qui difficillimis illis temporibus Pontificatum gessit, cum omnia hostibus, insidiis, atque periculis referta erant; quanta illi vigilantia & solertia opus fuit, ut vaferrimi illius lenis, acerrimeque in nostram perniciem intenti conatus ac dolos eluderet. Quam cautum esse oportuit, cum ad divina obeunda mysteria Christianos cogeret, ne quid de clandestinis illis conventibus Diocletiano suboleret; quoties tamquam bonus Pastor semet in discrimen conjecit, ut ovium suarum saluti prospiceret?

Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani imperio se abdicant.

Diocletianus regimen Dalmatiæ sibi retinuit.

Nec vero per ea tempora ecclesiæ Dalmaticæ ulla securitas ab Galerio fuit. Is quippe non solum Nicomediæ, & Sardicæ, sed etiam Sirmii in Pannonia Dalmatiæ contigua identidem commorari solebat; nec dubium est, quin Dalmaticam persecutionem vehementius incenderet, ac Diocletiani odio ac furori faces ceriores e propinquo suggereret. Adde, quod identidem in Dalmatiam sive ex itinere, sive ad invisendum officii causa, sive ad consulendum de summa reipublicæ Diocletianum solebat divertere; eumque fortassis adierat, Salonæque versabatur anno 306. cum ex ejus aula Constantinus clandestina & celeri fuga elapsus ad patrem in Galliam ire properavit. Hunc Galerius honesta quidem ac liberali, sed diligenti & fida custodia septum tenebat, cum aliis de causis, tum ob eam præcipue, quod impensius Christianis favere videretur. Ea vero fuga mirum quantum in Christianos exacerbaverit animum Galerii, quem vehemens timor incessit, ne Constantinus rerum potitus, acceptoque a Patre exercitu atque imperio, copias ac vires omnes ad Christianorum defensionem converteret, eorumque opera ac favore ad res novas moliendas uteretur; præsertim cum per ea tempora, constanti fama, ut auctor est Nicephorus, celebra-

Ecclesia Dalmatica ab Galerio vexata.

bebatur Idoli hescio cujus oraculum in hanc ferme sententiam editum: prope jam esse, ut Constantinus Romanum imperium adeptus, hostes Christiani nominis e medio tolleret, aras ac templa Idolorum everteret, Christi fidem & cultum toto terrarum orbe propagaret. Quare Galerius majorem, quam antea, contentionem adhibendam censuit, ut Christianos prorsus opprimeret, ne quid auxilii ferre possent Constantino, a quo sibi suisque rebus haud sine causa metuebat.

Oraculum de Constantino.

Anno 307. Severus Cæsar, jussu Galerii, adversus Maxentium, qui anno superiori tyrannidem occupaverat, Romam cum exercitu proficiscitur, sed proditus ab suis militibus ac destitutus, ne in hostium manus incideret, fuga salutem consuluit; idemque paullo post Herculei dolis circumventus interiit. Quod ubi nunciatum est Galerio, ira ac furore exarsit; & ingentibus copiis ex Illyrico, universoque Oriente celeriter coactis, Romam proficisci maturavit, ut Severi necem ulisceretur. Verum simulatque in urbis conspectum venerat, fidei suorum diffisus, abjecto urbis oppugnandæ consilio, turpem fugam consciviit; totamque Italiam, quacumque iter fecit, depopulationibus, cædibus, incendiis vastavit. In Christianos vero præsertim, ut credibile est, acerbitatis suæ virus evomuit; quippe quos a Maxentio contra Severum stetisse suspicabatur. Nec dubium videtur esse, quin Galerius, ex illa infelici expeditione redeuns, in Dalmatas Christianos rabiem suam & crudelitatem exprompserit; ex Italia siquidem per Dalmatiam iter habuit in Pannoniam; & Carnunti, quo itidem secum adduxit, vel evocavit Diocletianum, Licinium primum Cæsaris, deinde Augusti nomine ac potestate auctum, an. Idus Novembris in locum Severi substituit; eoque jusso Sirmium proficisci cum exercitu, ipse Sardicam, vel Nicomediam se recepit.

Severus Maxentio bellum infert,

a suis proditus interiit.

Galerius Licinium Carnunti Cæsarem creat.

Interea ecclesiæ Romanæ Italicæque pax erat & quies sub Maxentio, qui ab initio, sive ut Constantini gratiam aucuparetur, sive ut Christianos ad suas partes adjungeret, eorum commodis ac saluti se impense studere simulavit; itaque eos exagitari vetuit, omnemque ab illis injuriam abstineri: *Maxentius*, inquit Eusebius Hist. Ecclesiast. lib. 8. cap. xvi. *qui in urbe tyrannidem ceperat, primo velut benignitate erga se plebis gratia, fidei nostræ veneratorem se esse simulabat; & ob hoc persecutiones reprimi, omnesque injurias a Christianis arceri jubet.* Hanc vero clementiæ erga nos & benignitatis simulationem ad tempus suscepta retinuit usque ad finem anni 308, cum etiam ipse cœpit suum in Christianos crudelitatem exercere, conjecto inquisitionis tabulum ad publica jumenta curanda Marcello Romano Pontifice, qui anno proximo ejus lasciviis omnis ac pudore confectus ex hac vita migravit XVII. Kal. Februarii.

Maxentius favet Christianis,

postea eosdem persequitur.

Verum dum tranquillitate ac prosperis rebus in Italia floret Christiana religio, imperante Maxentio, acrior exarsit cum in Oriente atque Illyrico, tum in Dalmatia persecutio, quæ Anastasium Aquilejensem martyrii cupidum Salonam evocavit. Quare hujus loci ac temporis ratio postulat, ut, Actis Petri Salonitani Episcopi intermissis, curam operamque omnem convertamus ad describendam S. Anastasii Aquilejensis historiam, quæ digressionem haud ita brevem requirit; quamquam a proposito non omnino digredi videamur, quippe cum ea narremus, quæ ad Salonitanam ecclesiam, & Petri ejusdem Episcopi tempora atque Pontificatum pertinent.

Anastasius Aquilejensis martyrii cupidus Salonam se confert.

De Sancto Anastasio sive Aquilejensi, & Martyre Salonitano.

Vitam & martyrium S. Anastasii cognomento Fullonis vel ex Actis Proconsularibus depromptam, vel a Notariis & Diaconis ecclesiæ Salonitanæ descriptam nihil est, quod a me requiras. Qui res ab illo gestas, & certamen extremum pro religione susceptum litteris consignavit, idem nos admonet, ne frustra quæramus, quod nusquam inveniri potest. Nam temporibus illis ecclesiæ calamitosissimis, quemadmodum is Auctor præclare docet, Imperatores ac Magistratus non modo Christianorum vitæ ac fortunis, sed etiam nomini ac memoriæ bellum exitiale indixerant, & in id unum omnes conatus intenderant, ut quidquid Christiani generis esset, ubique delerent, & religioni nostræ ne vestigia quidem posteritati relinquerent. Hinc factum est, ut nihilo avidius Christianos ad necem, quam eorum scripta ac monumenta ad flammas conquirerent. Id scilicet causæ fuit, cur quæstionem ac supplicium S. Anastasii vel in Acta proconsularia referri noluerint, contra atque judiciorum ratio & consuetudo postulabat; vel si ea in publicas tabulas relata fuerant, aut a Christianis excepta & descripta, diligenter inquiri, flammisque absumi jusserint. At potuere illi quidem efficere, ne Acta S. Anastasii publicis litteris tradita & custodita posteritati propagarentur; sed eadem ex hominum animis ac memoria delere nequaquam potuerunt, neque prohibere, quominus hujus Martyris gesta parentes filiis ac nepotibus si non scripto ac tabulis, at voce & sermonibus traderent. Itaque posteri, quæ a majoribus fama & auditione acceperant, litterarum monumentis consignarunt. Hinc vitæ & martyrii Anastasiani tria diversa exemplaria habemus, nondum typis edita, & vulgo prorsus ignota, quorum duo Latinis, tertium Slavonicis litteris continetur.

Auctor primæ historiæ Anastasianæ Episcopus Salonitanus fuit,

Primam martyrii Anastasiani historiam in modum Pastoralis epistolæ, ut censet Tillemontius tomo v. Hist. Eccles. composuit Episcopus quidam Salonitanus, ab ætate Anastasii non admodum recens, & ut nos putamus, annorum amplius centum intervallo disjunctus. Is de sanctitate ac cede S. Anastasii ea scripsit, quæ certis auctoribus compererat, quæque etsi non viderant ipsi, tamen ab iis, qui vidisse poterant, rebusque gestis interesse, acceperant. Initium hujus historiæ Tillemontius Gallice descripsit, quod a nobis Latine redditum ita ferme se habet: *Hostis humani generis, cum omnes conatus exeruisset, ut Martyrum illustria certamina ac memoriam omnem nobis præriperet, ne sibi suæ clades, & illorum victoriæ sempiternam ignominiam notam, & dolorem acerbissimum inurerent &c.* Hæc ex Tillemontio, quæ satis congruunt cum exordio ejusdem historiæ mox describendæ.

& fortasse Hesychius D. Augustino æqualis.

Scriptor hujus historiæ, quantum ego conjectura assequi possum, fuit Hesychius Episcopus Salonitanus tertius hoc nomine, vir sanctitate pariter & doctrina singulari, D. Augustino æqualis, quocum ei & familiaritas intercessit, ut litteræ utriusque ultro citroque missæ & acceptæ declarant. Etenim Simon Bongnius Modrusiensis Episcopus tradit ab Hesychio conscriptam fuisse vitam, ac martyrium S. Domnii primi Salonarum Antistitis; ex quo conjici potest consentaneum esse eidem adscribi vitam S. Anastasii, quam Tillemontius ab antiquo aliquo Salonæ Episcopo elucubratam esse existimat. Nam & antiquis Salonæ Episcopis merito annumeratur, qui sub initium V. sæculi Pontificatum

Digitized by Google

tum iniit, & cum vitam S. Domnii ſcribendam ſuſceperit, committere non debuit, quin partem aliquam operæ ſuæ ad res S. Anaſtaſii illuſtrandas derivaret; ea quippe apud Salonitanos & Spalatenſes conſuetudo viguit, ut numquam alterum ab altero disjungerent, ac nullum ferme honoris cultuſque officium S. Domnio tribuerent, quin ejuſdem conſortem Anaſtaſium eſſe vellent, nam & locum ſepulturæ eumdem utrique dederunt. Hujus hiſtoriæ nullum exemplar, quod ego ſciam, ſupereſt in Dalmatia. Haud ita pridem inventa fuit in Gallia inter Mſſ. codices cœnobii Benedictini S. Michaelis in Periculo maris, ut refert Ruinartius in Præf. ad Acta Selecta Martyrum; idemque confirmat Tillemontius. Videtur uterque & illam accurate legiſſe, & exemplum indidem ſibi deſumpſiſſe, quo in ſuis lucubrationibus, ſicubi opus foret, uterentur. Quanti porro facienda ſit hujus hiſtoriæ auctoritas, vel ex eo conjicias velim, quod ſcriptoris utriuſque Tillemontii ſcilicet ac Ruinartii cæteroquin oculatiſſimi, & in inveſtigandis veterum tabularum vel tenuiſſimis mendis ingenio ſagaciſſimo præditi cenſuram omnem effugerit. P. Joſeph Bianchi Presbyter noſtræ Societatis, vir eximiæ humanitatis, & doctrinæ ſingularis, cum Pariſiis eſſet, rogatus per litteras, ejus Anaſtaſianæ hiſtoriæ exemplar nobis deſcribendum curavit e Mſſ. Theodorici Ruinartii, atque cum ſuis ad nos litteris tranſmiſit, in quibus admonuit, ne, ſi quis locus aut depravatus, aut obſcurus difficiliſque ad intelligendum videretur, id Librario attribueremus; exemplum quippe cum autographo diligentiſſime collatum eſſe, & compertum omni ex parte utrumque inter ſe congruere.

Exemplar primæ hiſtoriæ Anaſtaſianæ ex cœnobio Benedictino Gallicano.

Ad nos tranſmiſſum.

Adamus Pariſienſis ſcripſit vitam S. Anaſtaſii.

Adamus Pariſienſis, qui vergente ſæculo XI. floruit, vitam S. Anaſtaſii Latinis litteris mandavit, nec ſane, ut temporibus illis, ineleganter deſcripſit. Is quippe, ut Laurentio Archiepiſcopo Spalatenſi petenti morem gereret, vitas SS. Domnii & Anaſtaſii ſumma cum fide ac diligentia contexuit; ac præterea utriuſque laudes hymnis, & carminibus haud invenuſtis celebravit; quos quidem hymnos matutinis ac veſpertinis divini officii precationibus, quæ feſtis diebus SS. Domnii & Anaſtaſii recitari ſolebant, idem Laurentius interſeri juſſit: ex quo conjiciamus licet ejuſdem Auctoris eſſe veteres quoſdam hymnos & obſoletos de laudibus utriuſque Martyris, qui in antiquis Spalatenſis eccleſiæ Choralibus reperiuntur. Adamo Pariſienſi egregium virtutis & doctrinæ teſtimonium tribuit Thomas Archidiaconus Hiſt. Salon. cap. 16. his verbis: *Adam quidam Pariſienſis optime in artibus elimatus pergendo Athenas ad Græcorum ſtudia, devenit Spalatum; & cum fuiſſet a Laurentio Antiſtite honorifice ſuſceptus, rogatus eſt ab eodem, ut Paſſiones BB. M. M. Domnii, & Anaſtaſii, quæ inculto fuerant antiquitus ſermone conſcriptæ, luculenta faceret compoſitione nitere, quod ille grato corde conſenſit, ſumptoque themate a veteribus hiſtoriis Legendas utriuſque Martyris lepido ſatis dictamine innovavit* &c. Utramque vitam ex tabulario Spalatenſis eccleſiæ depromptam Joannes Lucius Traguirinus Romam tranſtulit, atque in ſuam bibliothecam Mſſ. codicibus egregie inſtructam adſcripſit, cum nullum ibi, unde ſumpſerat, ejuſdem exemplum reliquiſſet. Paucis poſt annis rogatus a Godefrido Henſchenio vitam S. Domnii ad eum Antuerpiam miſit, qui illam inſeruit Actis Sanctorum tomo 2. & die 11. Aprilis, noſque eamdem cum de S. Domnio ſcripſimus, typis cudendam curavimus. Quid de altero illo codice factum ſit, quo Anaſtaſii vita continebatur, plane ignoramus; niſi forte hunc ipſum pariter cum vita S. Domnii ab Joanne Lucio acceperint Hagiologi Antuerpienſes, ut indidem Acta S. Anaſtaſii ſuo loco intexenda deſcriberent.

cujus noſtrum apud nos exemplum extat.

Sed cum vita Anaſtaſiana per Adamum Pariſienſem compoſita nobis deſit, alteram in ejus locum ſubjiciemus ab ignoto Auctore conſcriptam, quæ cum extaret in bibliotheca Apoſtoli Zeni clariſſimi & eruditiſſimi viri, optimis, & lectiſſimis codicibus Mſſ. referta, inde nobis exemplum communicandum curavit Comes Antonius Byzantius Patritius Catharinus. Huic præfixum procœmium attente cum legerem, pene adductus ſum in eam ſententiam, ut exiſtimarem hanc ipſam eſſe illam, quæ ab Adamo Pariſienſi compoſita fuiſſe perhibetur; in eo quippe procœmio Auctor venerabilem Salonitanæ ſedis Archiepiſcopum alloquitur, cujus impulſu juſſuque ait ſe id operis ſuſcepiſſe, ut B. Anaſtaſii vitam deſcriberet: id quippe præclare congruit cum Adamo Pariſienſi, qui rogante ac jubente Laurentio Archiepiſcopo utramque vitam S. Domnii & Anaſtaſii concinnavit. Sed cum hanc Anaſtaſianam cum illa B. Domnii vita conferrem, quam Adamo Pariſienſi Joannes Lucius, & Godefridus Henſchenius attribuunt, ſtyli aliqua diverſitas admonuit, ne crederem utramque ejuſdem eſſe Auctoris; præterquamquod in hac Anaſtaſiana hiſtoria Auctor pro more ſui ſæculi carmina quædam intexuit, quæ abſunt ab ea vita S. Domnii, cujus ſcriptor dicitur fuiſſe Adamus Pariſienſis. Qui autem hanc vitam S. Anaſtaſii litteris mandavit, videtur exordium ejuſdem, ſeu procœmium ſumpſiſſe ex vita Anaſtaſiana Adami Pariſienſis, nam & reliqua omnia aliunde ſumpſit, ut mox dicemus; vel certe itidem ipſe, ut Adamus, eam alicujus Archiepiſcopi Spalatenſis rogatu juſſuque deſcripſit. Illud propius vero eſt tum hanc Anaſtaſii, tum illam Domnii vitam, quam IV. loco in Actis S. Domnii exhibuimus, ejuſdem Auctoris, vel certe ejuſdem ætatis opus eſſe; nam utraque verſiculos quoſdam interjectos habet, qui Leonini, ut vocant, carminis rythmum, non ubique perfectum quidem, ſed rudem, & quodammodo adumbratum imitantur; qui mos intexendi ſolutæ orationi ejus generis carmina vigere cœpit poſt ſæculum undecimum. Neutra autem Auctoris ſui nomen præfert, neque ulla ſuppetunt indicia, ex quibus illud inveſtigare ac deprehendere poſſimus.

Secunda vita Anaſtaſiana, cujus auctor ignoratur.

Tertia S. Anaſtaſii vita Slavonicis litteris continetur; eaque in tres lectiones diviſa, ſingulis annis ipſo anniverſario ejus martyrii die, ante ſolemne ſacrificium, adhibito quodam cantu, pro ſuggeſtu recitari ſolebat; idque apud eas gentes cujuſdam panegyricæ orationis locum obtinet, quales ſunt illæ, quæ de laudibus Divorum apud nos haberi ſolent. Qui hanc cum illa ſuperiori Anaſtaſiana hiſtoria, de qua proxime diximus, conferat, is clare perſpiciat alteram alterius geminam eſſe, vel certe alteram ex altera deſcriptam fuiſſe; idem utrobique narrationis contextus, eadem rerum ſeries ac diſpoſitio, eædem ſententiæ, eadem amplificandæ ornandæque orationis ratio, ut potius, quam diverſa hiſtoria, ejuſdem hiſtoriæ ex uno in alium ſermonem converſio videatur eſſe. Utra vero ex altera deſcripta ſit, & an Latina e Slavonica, vel an hæc ex illa facta fuerit, haud facile dixerim. Si quod veriſimilius puto, ſequi libeat, Slavonicam Latina antiquiorem eſſe cenſeo; & illam quidem primum Latine aut Græce ſcriptam, deinde poſt Slavorum adventum in ſermonem Slavonicum tranſlatam fuiſſe arbitror; quippe antiquiſſimam eſſe apparet, & ante Salonæ excidium compoſitam fuiſſe il-

Tertia vita Slavonica.

unde ſecunda videtur deſumpta.

Digitized by Google

se illud indicio est, quod Auctor sub finem narrationis Salonam urbem alloquitur, hortaturque, ut de victoria tam eximii Martyris & sepulchro sibi gratuletur, & gaudeat; neque enim quæ omnino perierunt, vel nusquam extant, sic alloqui solent, ut veluti, si adhuc existerent, in præsentia ad gaudium, vel mœstitiam vocentur; qui autem hanc historiam in Latinum transtulit, interpretis officio functus, eamdem allocutionem retinuit. Cæterum haud ignoro moris esse Oratorum etiam ad ea, quæ non existunt, sic quasi existerent, sermonem convertere; & præterea potuisse urbem Spalatensem appellari Salonam, cujus in locum successit; propterea que de antiquitate hujus Slavonicæ historiæ nihil mihi compertum esse dixi, quod pro certo affirmare possim. Andreas Roncali vir haud nobilitate, quam virtute & doctrina clarior, Joannis Baptistæ Laghi olim Spalatensis Archiepiscopi fratris filius, hanc historiam Latine redditam per Franciscum Manolam Spalatensem Presbyterum, & Joannis Nonensis Episcopi fratris filium, nobis perhumaniter communicavit.

Epitome vitæ Anastasianæ.

Porro historiæ Anastasianæ epitomam quamdam ac summam confecit Lucas Gaudentius Spalatensis Archidiaconus, qui floruit sæculo XVII., eamque in tres lectiones distribuit, quas ecclesia Spalatensis inserui t horis seu precationibus Canonicis, quæ die festo S. Anastasii ex præscripto ejusdem ecclesiæ ab Clero Spalatensi recitari solent. Extant in libello Venetiis edito, cui titulus est: *officia propria trium Sanctorum Patronorum Metropolitanæ ecclesiæ Spalatensis, ad usum ejusdem ecclesiæ & totius Diœcesis*. His accedunt elogia, quibus B. Anastasium ornarunt Petrus Equilinus, Philippus Ferrarius, & Martinus Baucerius. Post notas breviores Actis itemque elogiis S. Anastasii subjectas, aliquæ in eadem animadversiones succedent, quæ satis uberem ad scribendum materiam suppeditabunt, ubi se vel nostra industria exercere, vel lectorum eruditio oblectare possit. Nam Diocletiani persecutionem ab ipsis primordiis evolvere, & quæ deinceps consecuta sunt, calamitosissima Christianis tempora percurrere, atque investigare oportebit, ut certis quibusdam vestigiis annum illum consequamur, in quem Anastasii martyrium inciderit. Illud præterea dignum erit, de quo quæratur, ubi terrarum sit regio illa, ex qua oriundi profectique tum in Actis, tum in Elogiis Anastasianis dicuntur Afri illi navicularii, qui Martyris corpus e mari sustulerunt. Nemo enim facile sibi persuaserit eam fuisse Africam proprie dictam, amplissimam illam regionem tam longe a Dalmatia disjunctam, quæ apud Geographos tertia pars orbis appellatur. Neque ab instituti, susceptique operis ratione alienum erit disquirere, utrum Anastasius ille, quem Græci colunt, idem sit, atque Anastasius Fullo, an alterum ab altero distingui oporteat. Nam de suo quisque Anastasio multa Græci, multa Latini tradunt, quæ partim inter se ita similia sunt, ut in unum eumdemque Martyrem prope necessario conveniant, partim ita diversa videntur esse, ut disjungi, atque in duos Martyres distrahi possint, ac debeant. Nihil autem est, cur hic plura adjiciam de distinctione Anastasii Corniculatii, & Anastasii Fullonis, utriusque Martyris Salonitani, de qua satis multa diximus in Actis Agapiti Episcopi Salonitani; & pauca hic, ubi se offeret occasio, obiter attingam.

Ratio & ordo rerum scribendarum.

Duplex corporis Anastasiani translatio.

Duplicem corporis S. Anastasii translationem factam invenio memoria dignam ac litteris; alteram ex agro in urbem Salonitanam, alteram e ruderibus excisæ Salonæ in urbem novam Spalatensem. De utraque, pro eo ac postulat argumenti ratio ac dignitas, fuse accurateque agendum erit. Constat quoque caput S. Anastasii Spalatum revectum fuisse ex insula Pharia, quo illud avexerant, qui ejus corpus inventum e mari sustulerant. Ad extremum de cultu S. Anastasii ea breviter exponemus, quæ ex Martyrologiis, aliisque scriptoribus collegimus; simulque investigabimus, ubi ejus cultus ac religio adhuc vigeat, & quibus olim Salonitani, nunc vero Spalatenses, ejus memoriam officiis atque honoribus prosequantur.

CAPUT V.

De Sancto Anastasio Fullone, sive Aquilejensi & Martyre Salonitano Testimonia, & Elogia ex Martyrologis, aliisque scriptoribus.

§. I.

Ex Martyrologiis.

EX Martyrologio Romano hodierno: a VII. *Id. Septemb. Aquilejæ S. Anastasii Martyris*. Nota Baroniana: *Fuit hic Fullo, & pro fidei merito in numerum Martyrum cooptatus est; idque ex veteribus manuscrip. Molan. in addit. ad Usuard. hac die*. a

Ex Hieronymiano Lucensi. VII. *Kal. Septemb. In civitate Salona natalis S. Anastasii Martyris*.

Ex eodem: VII. *Id. Septembris: Et Passio S. Anastasii Martyris*.

Ex Floro in Mss. Atrebatensi & Tornacensi: VII. Kal. Septemb. *Eodem die civitate* b *Thessalonica natale S. Anastasii. Hic Fullo fuit, sed fidei merito inter numerum Martyrum annumeratus est*. b

Ex Usuardo: VII. *Id. Sept. In Aquileja Natalis S. Anastasii. Hic Fullo fuit, sed fidei merito in numerum Martyrum annumeratus*.

Ex Usuardo in Ms. Letiensi: *Et in civitate Salona Natale S. Anastasii Martyris*. In Mss. Vaticano, & S. Cyriaci: *In civitate Salona S. Anastasii, hic Fullo, & Martyr fuit*. In Ms. Barberiniano: *In civitate Salona Natale S. Anastasii Martyris*.

Ex Petro Galesinio VII. Id. Septemb. *Aquilejæ S. Anastasii Martyris. Hic infimo genere natus, fidei confessione nobilitatus, præclaram martyrii coronam tulit*. Nota: *Ex tabula Sanctorum ecclesiæ Aquilejensis*.

NOTÆ.

a Cum Anastasius patria fuerit Aquilejensis, martyrio Salonitanus, in urbe utraque ejus dies festus celebratur, Aquilejæ quidem die 7. Septembris, Salonæ autem die 26. Augusti. Hinc factum est, ut ex Martyrologis alii ad priorem ex tabulis Aquilejensibus, alii ad posteriorem diem ex fastis Salonitanis ejusdem commemorationem referant. Hieronymianum Lucense utrique diei nomen Anastasii inscripsit. Haud dubium est, quin VII. Kal. Septembris martyrium subierit. At VII. Id. Septembris non diem natalitium, sed aliquam ejus inventionem seu translationem celebrari existimat Philippus Ferrarius.

b Vide caput IX. §. 3.

§. III.

Ex Hagiologis, aliisque Scriptoribus.

EX Thoma Archidiac. Hist. Salonit. cap. 3. *Eodem tempore Anastasius Aquilejensis apud Salonam martyrium pro Christi nomine suscepit*.

Ex

Digitized by Google

Ex Andrea Dandulo Duce Venetorum, Annal. Venet. lib. VII. cap. 10. *Anaſtaſius Civis Aquilejenſis, Fullonia artis exercitor, ſub Dioclesiano in Salona Dalmatiæ Metropoli, appoſita mola in collo, pro Chriſti nomine die 26. Auguſti ſuffocatus eſt.*

Ex Joanne Lucio in notis ad Hiſt. Saloniт. c. 3. a *B. Anaſtaſius. Martyrologium Romanum die* a 21. *Auguſti: Salonæ S. Anaſtaſii Comicularii &c.*

Ex Godefrido Henſchenio Tom. II. die 11. Apr. in notis ad Hiſt. translationis S. Domnii. *S. Anaſtaſii translatio celebratur a Spalatenſibus* 28. *Julii, at martyris dies natalitius* b 21. *Auguſti, quo die inſcriptus Martyrologiis Uſuardi, Adonis, & aliorum, cum hodierno Romano, & dicitur etiam Cornicularius paſſus ſub Imperatore Aureliano, aliis Aurelio, Galeſinio Alexandro, quod ad dictum diem eris exeutiendum. Fuiſſe autem corpus B. Anaſtaſii an.* 1201. *a Bernardo Archiepiſcopo ab altari veteri extractum, & in novo altari in eodem loco collocatum, teſtatur Thomas cap.* 25.

Ex prætermiſſis Bollandianis tomo v. die 26. Auguſti. *Anaſtaſii martyris meminit Grevenus: Florarium noſtrum Ms. Anaſtaſii Fullonis martyris. Inter Auctaria ad Uſuardum noſtrum e codice Cemulenſi, civitate Salona, S. Anaſtaſii martyris, de quo etiam apud Florentinium. Inter dicta Auctaria e codice Bruxellenſi: Depoſitio S. Anaſtaſii presbyteri & martyris. Verum quinam ſit ille Anaſtaſius presbyter, non eſt mihi promptum dicere. S. Anaſtaſium, vel Attalum martyrem Salonicenſem habes ad diem* 21. *Auguſti: ubi hunc ab Anaſtaſio Fullone ſecernendum indicamus. Salonenſis hac die notatur in Maurolyco, nec non in Rhinovienſi Martyrologio Hieronymiano contracto.*

Ex Lucretio Treo in Sac. Monum. Provinciæ Forojulii: *Anaſtaſius Aquilejæ natus, Fullo, ſtuduit continuo laborare, & quidquid lucrari poterat, tenui ſibi retento victu, reliquum in pauperes erogare. Martyrii victoriæ cupidus extra patriam perrexit, & ſignum Crucis ubique pingendo, Chriſtianum ſe eſſe oſtendens, ab Idolorum cultoribus deprehenſus, accuſatus, & morti traditus A. D.* c 303. *Diocletiano imperante migravit in cœlum.*

NOTÆ.

a Vah putidum anachroniſmum! Anaſtaſius Cornicularius ſub Aureliano, Anaſtaſius Fullo ſub Diocletiano martyrium ſubiit. Alter igitur ab altero diſtinguendus.

b Is quoque Anaſtaſium Cornicularium cum Fullone confundit; ac illius quidem 21. Auguſti, hujus vero 26. Auguſti dies natalitius celebratur.

c Nos Anaſtaſii martyrium referendum cenſemus ad an. Chriſti 308. Vide cap. VII. §. 2.

CAPUT VI.

De Vita & Martyrio S. Anaſtaſii.

§. I.

Prima Vita ſeu Paſſio S. Anaſtaſii Fullonis auctore, ut videtur, Heſychio Epiſcopo Salonitano. Ex codice Ms. cœnobii Gallicani Benedictini S. Michaelis in Periculo maris.

Quamvis tempore perſecutionis, inimicus generis humani, invidus religioni Chriſtianæ, triumphum martyrum memoriæ a *ſubtrahere niſus ſit, ne confuſus ſuper coronas martyrum, & proſtratus erubeſceret in populo, tamen quantum religioſorum memoriæ* b *ratio reſervavit, quidquid fidelibus animis in laudem Beatorum refertur, hoc decet* c *ſumma veneratione audire & colere. Cum igitur tempore Diocletiani ſceleratiſſimi perſecutoris,* e *edictio promoveretur adverſus Chriſtianos, & ageretur perſecutio, B. Anaſtaſius in Aquilejenſi civitate, quod cum reverentia dicendum eſt, artis ſulloniæ operam exercebat, ut illa Apoſtolica præcepta compleret, per quæ diffinitum eſt, ut laborantes manibus noſtris neceſſitatem ſuſtinentibus opem largiri poſſimus. Nihil enim indecorum eſt, qualibet arte laborare, ut Dei impleantur præcepta; ut perfectam Chriſtianitatis gloriam adipiſceretur, relicto* f *argeſterio artis ſuæ, mandatum Evangelicæ artis implevit, imitatus Jacobum, & Joannem, qui cum reficerent retia ſua, erant enim piſcatores, relicta navicula, &* g *ſirumentis, & Zebedæo patre ſuo, ſequuti ſunt Dominum. Nec aliter B. Anaſtaſius coronam martyrii poterat invenire, niſi quæ erant ſæculi quaſi impedimenta a ſuis deſideriis abjeciſſet,* h *ſequens ad Salonitanam civitatem ultro ſe offerens, religioſum arripuit agonem. Ante hoſpitium, in quo manſurus erat, ſignum Crucis depinxit, ſed & per* i *celeberrima populi loca expreſſit ſignaculum Chriſti; cujus profeſſionis eſſet, demonſtrare non dubitavit. Quem miniſtri perſecutoris agnitum,* k *acceptumque ante* l *judicem ſtatuiſſe narrant, ad plenum tamen teſtimonium,* m *ſitationem artis Beatiſſimi martyris in Aquilejenſi conſtituta, facta eſt Domus orationis. Ex* n *vi tunc veſtimentorum ſordes abluebantur; nunc populorum ſordes, oratione profuſa,* o *animarum ſordes creduntur abſtergi. Verum cum ante judicem ſtatutus fuiſſet, & quæ geſta ſunt, vel quæ ejus reſponſio de profeſſione Chriſtianitatis proceſſerit, quaſque* p *pœnas impius judex intulerit,* q *ſubtraxit neceſſitas, quæ Dioclesianum perſecutorem longe* r *in alia poſitum civitate,* ſ *latam per* t *momenta dicunt ſententiam. Tamen talis manaſſe defertur, ut* u *ſuſpenſum lapidem mari præcipitatus, triumphum martyrii conſequi meruit. Matrona quadam* y *aſſepta nomine, in facultatibus dives, in moribus Chriſtiana, quæ ſervis ſuis libertatem, & infinita præmia promiſit, ſi corpus Beatiſſimi martyris invenirent. Ergo qui tantis præmiis invitati ſunt, uſque in quarto vel quinto milliario per littora, & vados* z *ad loca ſcrutantes ſollicite, ex Dei ordinatione promeruit, ut invenirent* aa *Afros, qui illud corpus cum ipſo lapide, quem diximus, jam levabant. Super quos Beatæ illius Matronæ homines irruerunt ad conturbandum illos,* bb *ſcam inferre calumniam dicentes illos homicidas, qui haberent in manibus corpus exanime; hoc ea ratione fingentes, ut illi territi cederent corpus; tamen ſupra dicti Afri, ut eſt argutum genus,* cc *portionem martyrii ipſius gratia ſuſtulerunt. Nam & illum* dd *lapidem portaverunt in patriam ſuam, & baſilica in nomine ejus facta eſt, in qua ad effugandos ſpiritus virtutes dicuntur fieri innumeræ. Supradicta autem fœmina beatiſſima rata, quod tantum munus a Domino meruiſſet accipere, celavit paullulum corpus, donec perſecutionis conquieſceret furor. Deinde* ee *baſilicam fecit, & Beatum Martyrem in Salonitano territorio collocavit. Hæc quantum a cæteris & fideliſſimis Viris addiſcere potuimus, & quantum ingenio vel ſermone prævalnit, deſideravi Sanctis auribus veſtris intimare. Orationes autem ipſius nos adjuvent, de cujus meritis memorata ſunt quæcumque dicuntur. Martyrizatus eſt autem B. Anaſtaſius ſub die* ff VII. *Kal. Septembris, ſub Diocletiano Imperatore. Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

b
c
e
Anaſtaſius civis Aquilejen.
f
g
martyrii cupidus.
h
Salonam adiit.
i
E ſigno Crucis hoſpitii poſtibus impreſſo,
k l m
deprehenſus,
n
o
ad Judicem adductus.
p
q
r
ſ t
u
In mari demerſus.
y
z
aa
Corpus inventum ab Afris.
bb
cc
dd
ee
eique baſilica conditur.
ff

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

a Hinc facile intelligi poteſt Anaſtaſium martyrio perfunctum eſſe, edicta jam, & ſæviente univerſali perſecutione, cum ſcilicet Diocletianus divinos libros, Acta martyrum, & omnia religionis monumenta flammis abſumi juſſiſſet, ut omnem Chriſtiani nominis memoriam aboleret.

b In autographo Monaſterii S. Michaelis, unde hæc Acta deſumpta ſunt, multa obſcura eſſe ac mendoſa teſtatur, qui eadem nobis deſcripſit, noſque de hac re admonuit P. Joſeph Bianchi Soc. noſtræ. Nihil autem emendationis cauſa immutandum eſſe cenſuimus, ſed in notis menda hujuſmodi, quoad ejus fieri poteſt, corrigere conabimur: velut hic ſcriptum eſt *Ratio*, cum *Traditio* huic loco rectius congruat.

c Ex his verbis, itemque ex illis in extrema parte Actorum c *deſideravi ſanctis auribus veſtris intimare*, bene conjecit Tillemontius Auctorem hujus hiſtoriæ fuiſſe aliquem ex antiquis Salonæ Epiſcopis, qui die feſto B. Martyris hæc in ejus laudem pro concione ad populum dixit. Nos putamus fuiſſe Heſychium eo nomine III. Salonitanum Epiſcopum, qui ab anno 10. ad 40. quinti ſæculi eccleſiam illam adminiſtravit.

e Corrige: *editis*.

f Quid ſibi velit hoc vocabulum, haud ſatis ſcio. Fortaſſis ſubſtitui oportet *Ergaſterio* ideſt *opificio* ἀπὸ τῦ ἔργου, quod ſignificat opus.

g Corrige: *inſtrumentis*.

h Locus haud dubie depravatus ac mutilus. Corrige: *ſeque conferens ad Salonitanam civitatem, & ultro ſe offerens*.

i De ſigno Crucis in celeberrimis locis ejus urbis per Anaſtaſium impreſſo nihil legitur in altera ac tertia ejuſdem Vita. At Græcorum Menæa non hoſpitio, ut in ſecunda & tertia, neque aliis locis, ut in prima vita, Crucem inſculptam ab Anaſtaſio narrant, ſed hoc ſalutari ſigno ſeipſum muniiſſe ajunt. Vide cap. VII. §. 1.

k Fortaſſe, *arreptumque*.

l In ſecunda vita *Præfectus* vocatur, quem ſcilicet Diocletianus, cum poſt imperium depoſitum in ſuo prope Salonas palatio habitaret, urbis adminiſtrationi præfecerat.

m Corrige: *Statio*. De templo Aquilejenſi ibidem loci excitato, ubi Anaſtaſius pannis abluendis purgandiſque operam dabat, omnes Anaſtaſianæ vitæ Scriptores conſentiunt.

n Deeſt verbum *aquarum*, vel ſimile quidpiam.

o Hæc duo verba ſupervacanea ſunt, ac delenda, niſi conjunctione *&* aut *vel* interjecta, habenda ſint pro Synonymis.

p Huic Auctori ignota fuerint oportet ſupplicia illata Anaſtaſio, antequam in mari demergeretur. Ea tamen commemorant ſecundæ & tertiæ vitæ Scriptores.

q Deſunt aliqua, & tota oratio claudicat. Hæc hujus loci ſententia videtur eſſe: *quæ geſta ſunt &c. ſubtraxit vetuſtas, & neceſſitas compulit adire Diocletianum perſecutorem*, ut nimirum is pœnam ſupliciumque extremum Anaſtaſio decerneret.

r Ideſt, *longe diverſa*, neque enim illud adverbium longe loci diſtantiam ſignificat: nam tum Diocletianus, ut ex aliis Anaſtaſianis hiſtoriis colligitur, verſabatur in ſuo palatio, quod circiter tria paſſuum millia Salonis aberat; haberique ac dici poterat, & ſolebat veluti alia quædam civitas, quippe cum nihil illi deeſſet, quod ad formam & magnitudinem juſtæ civitatis deſiderari poteſt.

ſ ſupple: *a quo latam*,
Illyricum ſacrum,

t Ideſt, *ſtatim*, cum enim Diocletianus prope ab urbe habitaret, brevi temporis intervallo ejus in Anaſtaſium ſententia referri potuit.

u Corrige, *ut ſuſpenſo lapide, mari* præcipitatus *interiret, & ſic triumphum martyrii conſequi meruit*.

y Alii vocant Aſclepiam, alii Aſchlipiam, alii Aſclepejam.

z Corrige, *ea loca ſervantes*.

aa Quid hominum eſſent, cujuſve generis, conſule cap. 7. §. 3.

bb Hunc locum ſic emendandum cenſeo: *hanc infereudo* calumniam.

cc Ideſt, *Caput martyris*, id quod cum Elogiis Anaſtaſianis cohæret. Vide cap. VIII. §. 3.

dd Non ab Afris, ſed a Legatis Aquilejenſium relatus eſt ille lapis Aquilejam. Vide cap. VIII. §. 1.

ee Ædes ſacræ in honorem martyrum excitatæ, quamvis exiguæ magnitudinis, appellari ſolebant Baſilicæ. Vide cap. VIII. §. 1.

ff Errant igitur, qui martyrium S. Anaſtaſii referunt ad diem VII. Idus Septembris.

§. II.

Secunda Vita S. Anaſtaſii e Slavonico in Latinum converſa.

Lectio Prima.

Diocletianus Romanorum Imperium inique regens, tanta mentis exarſit inſania, ac adeo temere ſe evexit, ut Omnipotentis Dei cultum penitus eradicare inſtiterit. Antiqui equidem hoſtis utcumque ſectatus eſt dementiam: ille Divinitatis ſibi nomen cœleſti in aula vindicans non impar ipſi Deo imperium appetebat; ille ligna & lapides tamquam numina venerari anhelans, verum Dei cultum e terris omnino conabatur evellere. Hinc efferati Cæſaris edictum per a *omnes terræ regiones ipſi ſubjectas enunciatum Præfectis præcipiebat, ut quoſcumque Chriſti cultores invenirent, vel illos ad Idolorum cultum perducerent, vel variis tormentorum generibus eorum corpora affecta morti traderent. Recipientes autem divinæ fidei perſecutores edictum, cœpere ſedulo Chriſtianos inquirere, quomodo iniqui Cæſaris juſſum exſequi poſſent. Tum Fullo quidam vir perfectus atque Chriſtianus, Anaſtaſius nomine, Aquilejæ, in qua natus erat, commorabatur, qui nihil ſibi relinquens, quotidianam vivendi rationem ex Evangelicis verbis didicit, omniaque pauperibus diſtribuens, toto corde martyrii agonem anhelabat. Divino vero Spiritu afflatus, patrios fines, ac proprium* b *Aquilejæ urbem deſerens, ad totius Dalmatiæ Metropolim, videlicet Salonas alacriter pervenit, eo quia barbarum fidei Chriſtianæ tyrannum in illa urbe verſari præſenſerit. Salonas hilari animo inſpiciens, ac ſi pacificus in ſuo domicilio requieſceret, deprecatus eſt: Te Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum exoro, ut unc Deus, qui me æternitati condidiſti, qui ſolus Dominus dominaris ſuprema in aula, hanc mihi gratiam largiaris, ut domicilium hoc mihi tribuens, cœleſtem Regiam ſimul conferas, atque per Salonas pollicita mihi tribuatur corona. Expleta hac oratione, urbem ingreſſus, a quodam Urbano exceptus fuit hoſpitio. Ut autem notum eſſet, quam fidem profiteretur, & cur ſuos deſeruiſſet cives, Crucem ſanctam Catholicæ fidei decus, electorum Dei trophæum, antiqui humani generis hoſtis mortem, ſuperiori in limine oſtii hoſpitii ſui inſculpſit. Id egit, ut omnibus notum foret, nullum unquam hominem, (ut ita dicam) neque in veteri*

a

Anaſtaſius Fullo Aquilejenſis,

b Salonas ſe confert.

Hoſpitio Crucem inſculpſit.

Digitized by Google

lege, nisi hujusce signi clypeo ab hostibus suis potuisse victoriam referre. Antiquus enim Israeliticus populus utrumque postem, & superliminare domorum
c *in c similitudinem Crucis, Paschalis agni sanguine aspergens, Angelum omnem terræ Ægypti primogenitum percutientem effugavit. Eo magis igitur ejusdem Agni sanguis, qui in illa veteri Crucis imagine repræsentabatur, redemptos fideles hoc signo tueri debet, ut hoste devicto, & mundus ipsis crucifixus esset, & ipsi mundo. Demum suam artem fulloniam libere Christi miles aggressus est, ut & ipse necessario lucro sibi prodesset, & subsidium vitæ, Apostolorum more, egenis erogaret. Tu autem Domine miserere nobis.*

Lectio Secunda.

A satellitibus comprehensus,

Improbi equidem Cæsaris Ministri plateas vicosque omnes civitatis obeuntes, an alicubi Christianum nomen præsentirent, salutiferæ Crucis signum in postibus Anastasii insculptum invenere. Inde patefacta ei ad martyrium via; sedulo explorarunt, quis illa in

Et adductus ad Præfectum,

domo degeret, (censentes ut sese illis obsisteret) ad hoc ut Auctorem illius signi dignoscerent. Eum comprehensum ad Tribunal adduxere, quem Præfectus ita allocutus est. Dic mihi, ubi natus es? quam fidem profiteris? quo nomine vocaris? Cui B. Anastasius: mea patria Aquileja est, Christum Jesum colo, ac nomen meum est Anastasius. Tunc Præfectus audito Christi nomine, iracundia exarsit, quod homo egenus, & advena in Cæsaris edictum ante sui

Flagellis cæsus,

ipsius conspectum se fateri Christianum auderet. Hinc multis inanibus opprobriis affici, plurimisque flagellis cædi, atque suspendi jussit, ut tormentis exterritus a sancto dimoveretur proposito. At Beatus Christi Athleta, sicuti aurum in igne nitidius effulget, ita & ipse inter tormenta constantior evasit. Cujus invictum animum impius Præfectus dignoscens, multasque tum ob illius constantiam ab Idolorum servitute sejungi, tum Christiana fidei veritatem amplecti, d *hanc protulit sententiam: Anastasium Deos*

d In mari demergi jussus.

nostros, Cæsarisque edictum contemnentem, molari lapide in collo suspenso, jubemus in mare demergi, ut inde ipsi constet, quid valeat Christus suus. Quo facto gloriosus martyr, devicto tyranno, edictoque Diocletiani spreto, inter maris fluctus triumphans spiritum Deo reddidit. Tum Salonitana quædam pia

Asclepia pia Matrona

Matrona nomine Asclepia terrenis ac familiaribus rebus affluens, nobili genere nata, & quod magis est, optimis virtutibus exornata, cœlestique æternitati tantummodo vivere intenta, accitis aliquot domus suæ servis, magnum auri pondus, & quod ipsis carius foret, manumissionem promisit, si Beati Anastasii corpus diligenter inquirerent, illudque re-

Corpus conquiri jubet.

pertum Dominæ suæ reportarent. Quo audito ipsi summopere lætantes ad matronæ jussa exsequenda perexerunt. Perlustratis autem omnibus Salonitani sinus plagis, nec reperto Christi martyris corpore, ac si præmium, de quo prius lætabantur, amisissent, permagno mœrore fuere affecti; nihilominus non citra spem nimium defatigati, favente Deo, quosdam Nautas Afros invenerunt, qui Beati Martyris corpus e mari sublevabant. Tunc illos callidi servi verbis deterrentes: vos, inquiunt, qui præ manibus tenetis civis nostri corpus, interfectores equidem esse arbitramur; ideoque ne ad Cæsarem tam execrandum crimen deferamus, illud tradite nobis tumulandum. His minis nautæ perterriti, (& quia tunc temporis
e *non e longe Salonis morabatur Cæsar) sacrum thesaurum benigne, quamvis non æquo animo petentibus obtulerunt. Lapidem vero, qui collo B. Martyris alligatus fuerat, ad Aquilejæ littora, ubi præ-*
f *fatus Dei famulus vestes abluere solebat, f deportavere; ibique sub ipsius invocatione ecclesiam construxere, in qua hujusce martyris intercessione ac meritis claudi gressum, surdi auditum, & variis languoribus detenti pristinam sanitatem assequuntur. Inenarrabili autem gaudio præfati servi pretiosum Domino suæ thesaurum contulere. Sacro martyris potita corpore Asclepia, nec immemor promissi, ob-*

Lapis Aquilejam relatus.

Asclepia corpus martyris domi suæ clam condidit.

sequentes servos pecunia, ac manumissione donavit, atque martyris Christi corpus clam domi aliquamdiu detinuit. Tu autem &c.

Lectio Tertia.

Quiescente postea persecutionis procella, nobilis illa Matrona Asclepia Salonitano in agro ecclesiam exstruxit, in qua martyris Christi reliquias honorifice condidit. Quot & quanta in illa ecclesia beneficia ac prodigia ob ipsius glorioſa merita Dominus Jesus ostenderit, fusius liceret eloqui. Prius perficeretur vitæ cursus, & lingua obmutesceret, quam miraculorum deesset numerus, quibus per totam illam regionem martyris Christi nomen in dies protendebatur. Inde contigit, ut Aquilejenses summa tristitia affecti ob civis sui jacturam, nobiles quosdam

Aquilejenses corpus Anastasii repetunt.

prudentesque Viros Salonas miserint. Qui appulsi, acriter cum Salonitanis contendentes, consentaneum est, dixere, civem reddi suis civibus. g *Quibus e*
g *contra hoc dedere Salonitani responsum. Si olim, ut fertis, martyr Christi in regione vestra temporalis vitæ ortum duxerit, in nostra vero spiritualem habuit originem. Æquius est igitur nos conclves ejus appellari, de cujus clariori nativitate lætamur. Hac igitur de causa corpus ipsius vindicamus, ut legitimi concivis precibus ac meritis freti, peculiari possimus patrocinio frui. His aliisque dictis convicti Aquilejenses, tamquam confusi, regressi sunt in*
h *patriam.* h *Summo demum gaudio lætare Salonitana urbs, quæ sacra martyris membra, non sine gravi Aquilejensium mœrore, fuisti digna tumulare; exulta, quæ tanti martyris coronaris victoria. Tu Beate martyr Anastasi, hilari triumpho e terris migrans inter Angelicos lætare Choros. Salve nobilis pretiosa gemma, quæ omnia terrena despiciens in æthereæ radiaris Regia. Salve cœlestis Aulice, ne cesses pro nobis omnibus exorare, ut tuam festivitatem celebrantes, dignumque cultum sacris tuis præstantes reliquiis, beatæ societatis mereamur esse participes. Invictus equidem & gloriosus athleta Dei Anastasius sub impio Imperatore Diocletiano martyrium passus est, VII. Kalendas Septembris, ipsique triumphalem largitus est coronam Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

NOTÆ.

a Id referri necesse est ad universalem Diocletiani persecutionem indictam an. Christi 303.

b Tum igitur persecutio deferbuerat Aquilejæ; Salonæ autem vel maxime fæviebat, in hac siquidem, ut martyrii palma potiretur, illam Anastasius reliquit.

c Judæos in ædium postibus agni sanguine signum Crucis divino instinctu pinxisse non est vero absimile.

d Auctor prioris vitæ ab Diocletiano *emanasse* scripsit sententiam, qua Anastasius in mare præcipitari jubebatur.

e Videlicet in suo palatio prope Salonas exstructo.

f Non Afri quidem, sed Legati Aquilejensium aliquot post annis Salonam missi, ut corpus martyris, olim civis sui, a Salonitanis repeterent; id quod postea declarabitur.

g Ad hoc tempus referenda videtur translatio lapidis ad urbem Aquilejensem.

h Ex

Digitized by Google

h Ex his verbis conjici posse arbitror hanc historiam ante Salonitanum excidium Latine vel Græce scriptam fuisse, ac deinde in Slavonicum sermonem conversam.

§. III.

Tertia Vita seu Passio S. Anastasii martyris Salonitani. Ex codice Ms. clarissimi Viri Apostoli Zeni.

a Proœmio. IN a Salomonis ede ad diversorum necessitatem usuum, jubente Domino, diversa vasa sunt præparata, quæ illo jam ex tempore innuebant, in futuri Salomonis domo, scilicet ecclesia, diversos affore Divini verbi ministratores, qui, prout ingenii possibilitas exhiberet, aut fortia tropologice, aut minus fortia simpliciter aliquibus enarrarent. Quod ego animadvertens, vestræ jussioni, sanctissime Domine venerabilis b Salonitanæ sedis c Archiepiscope, nullo modo vel tenuem resistendi aditum potui reperire: beatus enim Gregorius, hoc idem exponens, asserit, neminem tam esse inertem, tamque illiteratum, quin verbi Divini vel tenue poculum possit præbere aliquibus. At quia quisquis ignavus, non formidans audaciter properare ad bella, viso persequentium agmine, pectus amittit; timeo, ne tyrocinium rude aggrediens, nondum perfecto cursu, exanimis in itinere reddar. Verum quia perfecta caritas omni pœnali caret timore, vestris, excellentissime Domine, libenter obsecundando mandatis, & vitam, vel obitum gloriosissimi martyris Anastasii, scriptorum incuria vitiatam, licet nulla, vel tenui ingenioli fultus scientia, vestra tamen sanctitate adjutus, pro viribus emendare curabo. Non, inquam, ut quasi sciolus videar, cum pene (ut præfatus sum) nulla vel tenuissima litterarum scintillula vigeam: sed mei Domini præceptis obediens, in domo Dei, quæ possum offerre, non differam.

b c

d Diocletiano d igitur Romani imperii iniquissime moderante habenas, tanta ejus animi exarsit amentia, tantoque elevatus est superbiæ fastu, ut omnipotentis Dei cultum penitus extirpare conatus sit. Vere antiqui hostis omnino est secutus insaniam: ille enim, Divinitatis sibi nomen usurpans, in regno Dei ejus similem principatum quærebat: hic autem ligna, vel lapides pro numine coli desiderans, veri Dei culturam funditus eradicare curabat. Hinc accidit, ut pestiferi Regis edictum per omnes sibi subditas provincias mitteret, præcipiens suis, ut quoscumque Christi invenirent cultores, aut ad immolandum diis impellerent, aut post multa supplicia morti eorum corpora destinarent. Quo mandato divini cultus conculcatores accepto, sollicite Christicolas cœperunt inquirere, quomodo mali Imperatoris jussa potuissent perficere. Eo tempore fullo quidam vir Christianissimus Anastasius nomine, qua oriundus extiterat, Aquilejensi in urbe manebat, qui, cum nihil sibi, juxta Evangelii vocem, præter quotidianum victum reservaret, sed omnia pauperibus largiretur, cœpit animo anhelare ad pugnam: statimque divinitus inspiratus, confinibus, & propria urbe relictis, quod lenem in ea senserat persecutorem, totius Dalmatiæ principem alacer advenit Salonam, quam cernens lætus, patria quasi sede quietus, tali cœpit Dominum voce precari.

Anastasius Fullo Aquilejensis Salonam concendit.

e Te e pater, & natum flagito, te pneuma sanctum
Postulo, quod munus dona mihi tu Deus unus,
Qui me formasti, qui sæcula cuncta creasti,
Qui dominus Regno solus dominare superno;
Scilicet hanc sedem donans simul ætheris ædem,
Et mihi Salona veniat promissa corona.

Illyricum Sacrum.

Tunc expleta oratione, intro adiens civitatem, hospitio a quodam receptus est. Verum, ne cujus esset conditionis, cujusve rei causa compatriotas aufugerat, ignoraretur a quoquam, Christianæ fidei decus, electorum triumphum, antiqui humani generis hostis mortem, gloriosum scilicet Christi vexillum in superiori domus limine sculpsit. Quo videlicet cunctis ostenderet, nunquam aliquem, ut ita dicamus, ne in veteri testamento, nisi hujus stigmatis munitione ex hoste potuisse potiri victoria. Antiquus enim ille Hebraicus populus in utroque poste, & in superliminaribus domorum, ad crucis imaginem Paschalis agni linito sanguine, cuncta Ægyptiorum primogenita interficientis Angeli potestatem evasit. Multo magis ergo, quem vetus ille typus ostendit, veri agni cruore intra crucis redemptos tali decet signaculo Christicolas pramuniri: quatenus hoste devicto, & mundus eis, & ipsi mundo crucifigantur. Debinc ad suæ artis peritiam, ideist vestium ablutionem, fidens athleta cucurrit, quo & ipse necessario stipendio fulciretur, & vitæ subsidium, Apostolorum exemplo, indigentibus erogare valeret. Pessimi vero Regis Ministri plateas, & quæque civitatis loca assidue circumeundo, sicubi nomen Christianitatis audirent, salutiferæ Crucis signum in poste Anastasii invenere depictum. Mox, aperta sibi impugnatione, quicumque esset illius domus, habitatorem credentes resistere, studiose indagare curarunt, ut hujus operis invenirent auctorem. Quo agnito, eo præsidis judicio præsentato, pro tribunali sedens, sic eum alloquitur Præses. Dic mihi, ubi natus, cujusve conditionis es? quove nomine nuncuparis? Ad quem beatus Anastasius talem dedit responsum. Urbs Aquileja mihi est patria; verum excolo Dominum Jesum Christum; nomine autem Anastasius dicor. Audito vero Christi nomine Præses iratus est valde, quod pauper quidam, & alienigena adversus Imperiale decretum coram sua præsentia auderet, se Christianum fateri. Nec mora, nimiis eum injuriis affici, plurimisque cædi verberibus, etiam eculeo suspendi præcepit, ut saltem martyrio territus a sacro proposito deviaret. Beatissimus autem Christi athleta, ut aurum ab igne, pretiosior supplicio reddebatur. Quem ita cernens immobilem iniquissimus Præses, & plures ejus constantia idolorum culturam deserere, & ad fidei Christianæ veritatem venire, talem de eo dedit sententiam. Deorum venerationes irridentem, Imperatoris edictum despicientem Anastasium sacrilegum, suspenso in collo lapide, jubemus in mare præcipitari, ut vel sic, quid suus possit Christus, agnoscat. Quo facto, gloriosissimus martyr, devicto præside Diocletiani, prostratus inter æquoreas fluctus, triumphans migravit ad Dominum.

Prodit se hostibus

Signo Crucis domo januæ impresso.

Satellites eum deprehendunt,

ad Præsidē ducunt,

a quo variis cupiditatibus afficitur,

in mare præcipitari jubetur.

f Gaudeat f hinc cœtus Policus novus, atque vetustus,
Fulgeat Angelica sors, & Apostolica.
Gaudeat in cœlis sanctorum turba fidelis,
Quod sibi sit socius martyr Anastasius.
Qui Sanctus Fullo vitio non sorduit ullo,
Idola non coluit, numina nec voluit.
Unum sed numen, verumque in secula lumen
Excoluit, tenuit, credidit, & timuit.
Cocco bis tincto redimitus corpore bysso,
Indutus viguit, splenduit, & micuit.
Cœlica dilexit, cor semper ad æthera vexit,
Mundum cum pompis despiciendo suis.
Et sua donavit, quoniam fore pauper amavit,
Dans propriis manibus omnia pauperibus.
Impius hunc vinxit Præses, quia poste depinxit
Nobile stigma Crucis, sæcula quod renovat.
Ac mare jactavit, sic demum morte necavit
Injustus justum, impius atque pium.

Aſchlipia

Tunc quædam Salonitana religioſiſſima mulier, nomine Aſchlipia, rebus ſæcularibus, & familiis dives, illuſtrique parentela, & quod majus eſt, animi virtutibus ſatis pollens, cœleſti tantummodo cupiebat intereſſe palatio. Quæ convocatis aliquot e familia ſervulis, auri pondus, & quod illis maximum erat, libertatem ſpopondit, ſi corpus Dei Martyris ſtudioſe perquirerent, & ſuæ Dominæ inventum donarent. Quo audito, multiplici gaudio famuli exultantes, ut ſuæ Dominæ peragant juſſa, cito concurrunt: qui cum cuncta pene Salonitani littoris æquora circumiſſent, corpuſque Chriſti Martyris habere minime potuiſſent, quaſi perdito jam, quo primo gaudebant, munere, triſtati ſunt valde: non tamen omnino defatigati, invenere, Omnipotentis nutu, nautas quoſdam genere Afros, a velocitate (ut ajunt quidam) ſumentes nomen, qui Sancti Martyris corpus jam ex aqua levabant, quos ita prudentiſſimi viri ſagaci terruere locutione. Qui noſtri compatriotæ artus habetis in manibus, ejus procul dubio videmini graſſatores: ideoque ne tale ſcelus auribus Imperatoris inſinuemus, cadaver ſolum ipſius, ut humo tegamus, concedite. His verbis Afri nimium territi, quod eo tempore non multum longe a Salona Imperator manebat, ſanctum, licet mæſti, quærentibus dedere theſaurum, lapidem vero, qui in collo Dei Martyris ſuſpenſus fuerat, g *portaverunt, & in Aquilejenſi littore, quo jam præfatus Dei famulus veſtes abluere fuerat ſolitus, ejus nomine eccleſiam conſtruxere, in qua ſanctiſſimi viri intervenientibus meritis, claudi greſſum, ſurdi auditum, diverſiſque oppreſſi languoribus celerem reſpiciunt ſoſpitatem. Prædicti autem famuli inenarrabili lætitia congaudentes pretioſum monile Dominæ detulerunt. At illa impenſi beneficii munere, promiſſi non immemor, obedientes ſibi famulos opibus, & libertate donavit, & Chriſti Martyrem parvo tempore occultavit. Exinde perſecutionis quieſcente procella, eadem illuſtris Matrona Aſchlipia Salonitano in prædio conſtruxit eccleſiam, in qua Dei Martyrem honorifice, ut decuerat, collocavit. Cujus glorioſiſſimis meritis quanta in eadem eccleſia beneficia, quantaque virtutum ſigna Dominus Jeſus oſtendit, longum duximus enarrare; ante nos quidem dies relinqueret, & lingua officium omnino deſereret, quam copia miraculorum deficeret, quibus per quæque paſſim loca Dei famulus aſſidue divulgabatur. Unde factum eſt, ut Aquilejenſes nimium pro perdito patrono dolentes, illuſtres quoſdam, & prudentes viros delegarent Salonam. Qui venientes nobiles cum Salonitanis altercantibus verbis iniere certamen, dicentes: juſtum eſt, ut civibus ſuis reddatur concivis. Quibus e contrario reſpondere Salonitani; ſi e veſtra olim (ut aſſeritis) patria carnalem duxit originem, in noſtra ſpiritalem habet nativitatem. Rectius ergo nos illius ſumus compatriotæ, qui meliori ejus nativitate gaudemus. Ideoque tantum nobis ſuas reliquias vendicamus; cæterum ſuæ orationis ſubſidio utrique noſtrum, intercedentibus meritis ejus, æque poterimus uti. His, aliiſque plurimis evicti loquelis, Aquilejenſes confuſi ad propria rediere. Immenſo igitur gaudio lætare Salona, quæ artus Polici civis, triſtantibus Aquilejenſibus, intra te condere meruiſti. Gaude, quæ tanti Martyris glorioſiſſimo coronaris trophæo. Tuque beatiſſime Martyr e mundo triumphans, inter Angelicos Choros exulta. Vale pretioſiſſima Margarita, quæ cuncta deſpiciens terrea, cœlica reſplendes in aula. Ave, inquam, cœleſtis accola Hieruſalem, & pro cunctis aſſidue Deum interpellare non deſinas, quatenus tua gaudentes nativitate, tuiſque artubus debite obſequentes, polorum tandem Regni gaudia adipiſci mereamur, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum patre, & ſpiritu Sancto vivit, & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.*

Corpus perquiri jubet.

g Rapit Aquilejam gelatus,

Corpus occulte ſervatum apud Aſchlipiam;

tum ei eccleſia conſtructa,

Aquilejenſes corpus fruſtra repetunt.

NOTÆ.

a Cum Auctor hujus Vitæ omnia ſumpſerit ex Legenda Slavonica, hunc prologum tamen de ſuo adjecit, vel deſcripſit ex ea Vita, quam Adamus Pariſienſis undecimo ſæculo compoſuit.

b Eccleſia & ſedes Archiepiſcopalis Spalatenſis, etiam poſt Salonam exciſam, vocari ſolebat Salonitana.

c Si Auctor hujus Prologi fuit Adamus Pariſienſis, tum Spalatenſi eccleſiæ præerat Laurentius, cujus juſſu ille vitas SS. Domnii & Anaſtaſii ſcribendas ſuſcepit.

d Quæ deinceps ſequuntur, omnia omnino congruunt cum legenda Slavonica; verbis quidem paullulum immutatis, ſed rerum ordine, & ſententiis fere iiſdem ubique retentis.

e Quæ Auctor Legendæ Slavonicæ ſoluta oratione expreſſit, is Scriptor poeticis numeris illigavit.

f Hos verſiculos de ſuo is Auctor interjecit.

g Cave id referas ad Viros illos Afros, qui corpus B. Martyris inventum e mari ſuſtulerant. Quid enim illos intererat Aquilejenſes reliquiis illis potiri; aut quæ cauſa illis eſſe poterat, ut Aquilejæ potius, quam in patria ſua templum Anaſtaſio ponerent? Quare hæc omnia rectius attribuuntur Aquilejenſibus, qui cum Anaſtaſii corpus a Salonitanis impetrare nequiſſent, eo lapide contenti, Aquilejam reverterunt.

§. IV.

Epitome hiſtoriæ ac vitæ Anaſtaſianæ.

Ex tribus Lectionibus inſertis Breviario Spalatenſi, quas Lucas Gaudentius ſæculo ſuperiore ineunte compoſuit.

Lectio IV.

ANaſtaſius *Aquilejenſis*, a *fullonis arte quidquid lucrabatur ultra neceſſarium ſibi victum pauperibus erogabat, & incenſus cupiditate patiendi pro Chriſti fide, cum in ſua civitate* b *lenem animadverteret Chriſtianorum perſecutionem, & de immanitate Diocletiani tunc Imperatoris aliquid audiret, Aquileja relicta, alacer Salonas in Dalmatiam contendit, ubi Diocletianus* c *tunc degebat; atque ut ſtatim pro Chriſtiano agnoſceretur, in ſuperiori limine oſtii ſui hoſpitii crucem inſculpſit, artemque ſuam exercens ſe de more, & pauperes, quos poterat, ſuſtentabat.*

a Anaſtaſius Salonam adiit.

b

c

Lectio V.

Ex ſalutifero crucis ſigno in poſtibus inſculpto ſtatim agnitus ante Præſidem adducitur: cumque a fidei conſtantia, neque verbis, neque minis, neque verberibus, neque equulei tormentis dimoveri potuiſſet; ſuſpenſo in collo lapide jubetur in mare præceps demergi. Demerſum inquiri mandat nobilis matrona Salonitana Aſclepia nomine, cujus ſervi præmiis, & manumiſſionis ſpe allecti, ſollicita uſi diligentia, invenerunt nautas quoſdam Afros, qui beati martyris corpus ex mari ſublatum d *lavabant, intentatiſque minis illud abſtulerunt.*

e crucis ſigno agnitus,

in mari demerſus,

Aſclepia nobilis Matrona

d

Lectio VI.

Sacro Martyris potita corpore Aſclepia, ipſum aliquamdiu occultatum (quieſcente poſtea perſecutionis procella) honorifice in eccleſia abſe in ſuo prædio conſtructa collocavit, pluribus ibi ſignis conſequentibus. Quorum fama permoti Aquilejenſes, ut civem ſuum apud ſe haberent, enixe, ſed fruſtra la-

apud ſe corpus occulte retinuit.

bora-

e *hurarunt. Lapis e tamen, qui in collo martyris ſuſ-*
Lapis Aquilejam relatus. *penſus fuerat, Aquilejam deportatus, fuit occaſio ædificandæ eccleſiæ ſub ejus invocatione in Aquilejenſi littore, in loco, ubi S. Anaſtaſius veſtes abluere ſolebat: quam eccleſiam etiam varia illuſtrarunt miracula, claudis, ſurdis, & vario languore oppreſſis ad ſanitatem redeuntibus.*

NOTÆ.

a Qui abluendis poliendiſve pannis quæſtum facit, ex eo dictus *Fullo*, quod aqua calida veſtes quaſi foveat.

b Tempeſtas igitur perſecutionis cum Aquilejæ paullulum quieverat, cum Salonæ vel maxime fureret.

c Non quidem in urbe ipſa, ſed haud ita procul in ſuo Palatio ſedem ſuam collocaverat, quo ſe poſt depoſitum imperium receperat.

d Alii: *levabant*.

e Viden', ut is Auctor lapidis translationem cum Aquilejenſium legatione conjungit; id quod nos veriſimilius eſſe cenſemus.

§. V.

Elogia S. Anaſtaſii.

ELOGIUM I. AUCTORE

Petro de Natalibus in Catalogo SS. lib. 7. cap. 126.

a *Anaſtaſius Martyr paſſus eſt in a Salone Dalmatiæ Civitate ſub perſecutione Diocletiani Imperatoris. Hic ex Aquileja ortus civitate, cum artem fullonis exerceret, quidquid ex ipſa conſequi poterat, præter parcum quotidianum victum pauperibus erogabat. Tandem amore animatus martyrii ad Salonitarum civitatem devenit, & cum in hoſpitio, in quo manſurus erat, ſignum crucis in locis pluribus depinxiſſet, ab hoc a Gentilibus comprehenſus,*
b *& b judici præſentatus eſt. Qui cum ſanctum cogitaſſet diverſis dilaniare ſuppliciis, ab Imperatore ſubita juſſione c compulſus eſt ad ipſam, in qua Auguſtus degebat, concitus ire*
c
d *d civitatem. Ob hanc cauſam expeditam in Chriſti martyrem ſententiam protulit: ut ſuſpenſo ad*
e *e collum ejus ingenti lapide in mari præcipitio daretur. Matrona vero quædam Chriſtiana nomine Aſclepeja corpus Martyris habere cupiens ſervis ſuis libertatem, & munera promiſit, ſi corpus ſancti Martyris invenirent. Qui diebus plu-*
f *ribus per littora diſcurrentes tandem f Aphros quoſdam invenerunt, qui corpus ipſum jam lavarant. Ut vero corpus territi dimitterent, calumniam homicidii in illos fingebant, utpote qui haberent in manibus corpus exanime. Ipſi tamen animoſi viri ex Aphrica orti*
g *g caput Martyris in patriam ſuam portaverunt: & eccleſiam in nomine ipſius fecerunt, in qua virtutes fiunt mirabiles in malignis ſpiritibus effugandis. Corpus vero ſine capite ſibi delatum a ſervis matrona illa devotius excepit: quod donec ceſſaret perſecutio in prædio ſuo celavit: Deinde eccleſiam conſtruxit: & corpus Martyris in Salonitano territorio collocavit. Paſſus eſt autem Chriſti Martyr Anaſtaſius ſexto Kal. Septembris.*

ELOGIUM II. AUCTORE

Philippo Ferrario in Catalogo SS. ad diem VII. Septembris pag. 576.

Anaſtaſius Aquilejæ natus Salonis in Dalmatia paſſus eſt Diocletiano Imperatore. Is Exilonii Illyricum Sacrum.

cem artem exercens quidquid lucrari poterat ſupra tenuem victum in pauperes erogabat. Martyrii cupidus Salonas profectus, cum in hoſpitio crucis ſignum multis in locis pinxiſſet, eo indicio, quod Chriſtianus eſſet, h deprehenſus, & accuſatus, juſſu Præfecti ingenti ſaxo collo ejus appenſo in mare demergitur. Cujus corpus Aſclepeia matrona Chriſtiana a ſervis ſuis, quibus libertatem pollicita erat, inquirendum curavit: qui per littora multo tempore diſcurrentes, tandem in Afros quoſdam, qui corpus Martyris invenerant, offenderunt, e quibus corpus minis extorſerunt, dicentes, niſi corpus hoc tradideritis, vos homicidii apud judicem deferemus. Afri tamen caput Martyris in patriam ſuam portantes, ibi i ſacra æde ei exſtructa condidere; multis ad eum ob Dæmoniacos liberatos concurrentibus. Corpus itaque ſine capite ad Aſclepejam delatum ab ea in ſuo prædio, donec deſineret perſecutio, ſepultum eſt, qua ceſſante eccleſiam Sancto Martyri in agro Salonitano excitavit, corpore in illam comportato.
h
i

ELOGIUM III. AUCTORE

Martino Baucero S. J. in Hiſtoria inedita de Norico, & Forojulio, quæ in collegio Goritienſi Soc. Jeſu aſſervatur, §. 94.

S. Anaſtaſius Aquilejæ genitus, & Chriſti doctrinam ſecutus, fullonis artem profitebatur, quidquid lucri quotidiano ejus victui ſuperfuit, egenis erogabat. Inde conſequendi martyrii amore motus, Salonam Dalmatiæ urbem petiit, & in conducto diverſorio complura ſacræ crucis ſigna formavit, qua de cauſa ſuſtinuit varia ſupplicia. Miſſus ad Imperatorem Anaſtaſius, mandato Imperatoris ingenti ſaxo ad caput appenſo, mari injicitur. Aſclepeja autem Matrona Chriſtiana cupidine habendi ſacrum Martyris corpus inducta ſervis ſuis libertatem, aliaque munera pollicetur, ſi repertum S. Viri corpus ſibi attuliſſent. Servi pluribus diebus per varia maris littora corpus ſacrum perquirentes Africanos quoſdam offendunt, qui Martyris corpus ſuſtulerant, quod ut ab ipſis extorquerent, calumniam homicidii in Africanos confingunt, quaſi ipſi virum ſanctum e medio ſuſtuliſſent. Africani nihil calumniam morati, caput S. Martyris a buſto ſejunctum, relicto ſacro corpore avehunt in Africam, ibique ædem patrocinio S. Anaſtaſii erigunt, & caput ſancti Martyris eidem ædi inferunt, ubi plura miracula ejus interventu patrata ferunt. Corpus vero allatum Aſclepeja primum venerata fuit, ac in ſuo prædio interim occuluit; inde templum patrocinio S. Anaſtaſii in agro Salonæ conditur, in quod illatum fuit corpus S. Anaſtaſii. Palmam martyrii S. Anaſtaſius apprehenderat VII. Idus Septembris k *303.*

k

Notæ in Elogia.

a Varia eſt & multiplex hujus vocabuli forma: nam alias Salona, alias Solona, alias Salonæ, alias Salon dici ſcribique ſolet.

b Is erat Præfectus Dalmatiæ, & Salonæ jus dicebat nomine Diocletiani, qui cum ſe imperio abdicaſſet, jus tamen in eam provinciam poteſtatemque retinuerat; qua de re plura in hiſtoria Diocletiani.

c Sententiam quidem mortis in Anaſtaſium ab ipſo Diocletiano prolatam fuiſſe tradit ſcriptor prioris vitæ Anaſtaſianæ; at Petrus Equilinus præterea affirmat ipſum Anaſtaſium juſſum eſſe perduci ad conſpectum Diocletiani.

d Ideſt, ad palatium Diocletiani, quod ob amplitu-

plitudinem ac frequentiam rectorum, jure meritoque civitas appellari poterat.

e Græci in suis Menæis docent caput Anastasio abscissum fuisse, antequam in mare præceps daretur. Non igitur ejus collo, sed ejus corpori obtruncato lapis ille alligatus fuit, quo profundius in mari demergeretur. Vide caput VII. §. 1.

f Populi Africæ, quæ terrarum orbis tertia pars est, non *Aphri*, sed *Afri* & scribi, & dici solent. Hos ergo Aphros distingui oportet ab Afris sive Africanis proprie dictis.

g De hac Anastasiani capitis translatione subobscure meminit Auctor primæ vitæ, cum ait *portionem* martyrii ab Afris sive Aphris illis clam retentam, alioque transvectam fuisse.

h Satellitum solertiam in perquirendis, & investigandis Christianis tam acrem, tamque assiduam, ne si voluisset quidem, diu subterfugere poterat Anastasius; multo minus vero eam declinare potuit, cum signum crucis propalam in suis ædibus insculptum in omnium prætereuntium oculos incurreret. Itaque vix unus aut alter dies intercesserat ab ejus in urbem adventu, cum deprehensus, & in vinculis conjectus est, quod satis indicat Lucas Gaudentius: *ex salutiferæ crucis signo statim agnitus ante Præsidem adducitur*.

i Tres sacras ædes per ea tempora Anastasio excitatas fuisse invenio, & omnes quidem maximis illustribusque miraculis inclytas; primam apud Afros illos corporis inventores, idest, ut nos interpretamur, in Pharia insula & urbe Dalmatiæ, quæ nunc *Liesina* dicitur; alteram in agro Salonitano, sive in prædio Asclepiæ; tertiam Aquilejæ in eo loco, ubi Anastasius artem fulloniam exercebat. Prima caput, secunda corpus Anastasii, tertia lapidem, quocum in mare projectus est, excepit.

h Erravit Baucerius in anno & die martyrii Anastasiani constituendo. Perfunctus siquidem est martyrio VII. Kal. Septembris, ut ejus Acta, & traditio Spalatensis ecclesiæ confirmant, anno autem 308., ut ostendemus cap. VII. §. 2.

CAPUT VII.

Animadversiones in Acta & Elogia S. Anastasii.

§. I.

Utrum Anastasius ille, quem Græci colunt, idem sit, atque Anastasius Fullo.

MArtyrologi Latini commemorationem cultumque anniversarium S. Anastasii Martyris, alii ad 26. Augusti, alii ad 7. Septembris, alii ad diem utrumque referunt. In Martyrologio Romano bis Anastasii nomen, semel ad 7. Septembris, iterum ad diem 5. Decembris adscriptum invenio; qui formulam posteriorem cum priori, & cum notis Baronianis huic subjectis conferat, is clare perspiciat utrobique Anastasii nostri commemorationem fieri. Priori loco, idest VII. Idus Septembris, hæc formula legitur: *Aquilejæ S. Anastasii Martyris*; nota vero Baroniana eidem apposita est hujusmodi: *Fuit hic Fullo; & pro fidei merito in numerum Martyrum cooptatus est*. Posteriori autem loco idest nonis Decembris Anastasius ornatur hoc brevi elogio: *Item S. Anastasii Martyris, qui ardore martyrii, sponte se persecutoribus obtulit*. Hæc autem omnia cum nostro Anastasio Fullone Aquilejensi, ejusque Actis præclare congruunt. Mihi porro dubium non est, quin Latini omnes Martyrologi, cum nomen Anastasii diebus illis, quos supra dixi, adjunguntur, unum eumdemque Anastasium spectent, isque alius non sit, nisi qui patria Aquilejensis, martyrio Salonitanus fuit, ab eaque arte, quam exercebat, Fullonis cognomentum accepit; idque vel ex loci positione, quam adjiciunt, vel ex elogio, quod illi attribuunt, facile dignosci potest. Illud in quæstione versatur, idemne sit Anastasius, quem aliis Latini, aliis Græci diebus anniversario cultu prosequuntur. Duos ipsos dies invenies apud Græcos in Menæis Anastasii Martyris commemoratione insignes; primus est 25. Octobris, hoc titulo & elogio ornatus: *Hac eadem die S. Martyris Anastasii. Hic a Tyrannis accersitus præsto fuit, & Christum verum Deum & omnium conditorem libere confessus est, omnibus obstupentibus, qui ejus constantiam intuentes, gladio caput ipsius amputarunt, & projecerunt in mare. Mulier vero religiosa sacra ejus lipsana ex profundo eduxit, quæ unguentis ac linteolis involuta in sepulchro domi suæ præparato reposuit. Ubi multæ sunt curationes, & fiunt etiamnum ad gloriam humanati Dei nostri. Amen.* Ex Men. 25. Octob. Alter dies est 5. Decembris, cui idem titulus inscribitur, sed uberius ac fusius elogium in hæc verba subjicitur: *Hac eadem die S. Martyris Anastasii. Hic Sanctus Martyr Christi Anastasius videns aliquando Sanctos Martyres a Paganis exagitatos, vexatos, ac membratim conscissos propter Dei confessionem, cum Christianus esset, & recordaretur hisce a Deo reposita bona, desiderabat & ipse æqualem currere cursum, atque eadem quidem die, inflammatum fuit cor ejus, eam toto corpore se crucis signo munivisset, ad stadium cucurrit, & in medio conventu magna voce exclamavit: Inventus sum illis, qui me non quærunt; manifestus illis eram, qui me non curabant. Omnium vero oculis in eum defixis dixit: Audite servi omnes Diaboli, audite, ego Christianus sum, & in Dominum nostrum Jesum Christum credo; Idola vestra, & adoratores eorum exsecror, & detestor; qui autem libertatem sermonis ejus contemplati sunt, obstupuerunt. Et statim in eum irruentes, vehementer flagellaverunt dicentes: hæc quidem sunt procacitatis & impudentiæ tuæ. Quoniam vero Christum adoras, neque abnegas eum, caput tuum obtruncabitur, piscibus reptilibus, & maritimis volatilibus præda fies hac die; quem statim carnifices accipientes, abscinderunt caput ejus, & paullulum descendentes deorsum, projecerunt in mare.* Ex Men. 5. Decemb. Nulla videtur esse controversia, quin dies uterque ad ejusdem Anastasii cultum referatur; quemadmodum præclare docet Franciscus Maria Florentinius in notis ad Martyr. Rom. Lucens. die 26. Augusti. *In Menologio Græcorum, nullo addito passionis loco his Anastasius Martyr recolitur die 25. Octobris, & 5. Decembris*, idque confirmat idem martyrii, idemque maritimæ sepulturæ genus.

Anastasius noster in Martyrol. Rom. bis commemoratus.

An idem sit atque Anastasius cultus apud Græcos.

Elogium Anastasianum primum ex Men. 25. Octobris.

Secundum 5. Decembris.

Jam vero ut ad id propius accedamus, quod hujus loci, propositæque controversiæ caput est, illud inter omnes conveniat velim, unum omnino esse Anastasium, cujus nomine Latini 26. Augusti, & 7. diem Septembris consecrarunt; & unum item esse, cui Græci primum VIII. Kal. Novembris, deinde nonis Decembris religiosi cultus officia persolvunt. Id porro in disquisitione venit, utrum Anastasius is, cui duos dies festos ecclesia Græca decrevit, idem haberi, dicique debeat, atque Anastasius Fullo, quem Latini duorum itidem dierum consecratione venerantur.

Anastasius, unus apud Latinos, unus apud Græcos duobus diebus adscriptus, an idem sit?

Si elogia ex Menæis Græcorum modo descripta conferas cum actis & elogiis Latinis Anastasii Fullonis, hæc cum illis partim consentiunt, partim discre-

discrepant; & rerum, quæ in utrisque narrantur, tanta est similitudo pariter ac dissimilitudo, vix ut videatur posse quidquam certum in alterutram partem decerni; utrum scilicet unus sit idemque Anastasius, qui a Græcis Latinisque scriptoribus celebratur; an vero duo sint, & alterum ab altero distingui oporteat.

Idem est Anastasius, qui diebus supra dictis colitur a Græcis & Latinis.

Cæsar Card. Baronius Anastasium e Menæis in Martyrologium Romanum transtulit, eumque, ut Græci, ad nonas Decembris affixit; nullam vero notam apposuit, unde possit dignosci, an putet hunc alium esse ab illo, cujus nomen ad diem 7. Septembris adscripserat. Franciscus Maria Florentinius in notis ad Martyr. Hieron. Lucens. die 26. Aug. haud obscure indicat sibi videri duos fuisse Anastasios, & alterum a Græcis, alterum a Latinis coli: *In Menologio Græcorum nullo addito passionis loco bis Anastasius Martyr recolitur die 25. Octobris, & 5. Decembris; hic obruncatus in mare demergitur, quemadmodum Anastasius Martyr natione Aquilejensis ingenti lapide ad collum suspenso &c.* At Tillemontius Hist. Eccles. Tom. v. de Persec. Dioclet. art. 57. qui & Menæa Græca, & Acta Latina ante oculos habuit, & utraque inter se contulit, hæc quidem ab illis aliqua in re discrepare animadvertit, unum tamen Anastasium esse censuit, cujus martyrium utrobique describitur.

Ego igitur sic existimo unum omnino esse Anastasium, eumque Aquilejensem, de quo Græci pariter Latinique scripserint. Nam sicubi alteri ab alteris discrepant, aut facile inter se conciliari possunt, aut certe tanta non est istiusmodi discrepantia, ut cum res plurimæ ac præcipuæ in unum eumdemque Martyrem conveniant, easdem in duos distrahi oporteat. Si enim summa rerum capita spectes, quæ ab Latinis & Græcis de Anastasio narrantur, ea inter se tam similia sunt, tam apte secum ipsis consentiunt, ut vix aut ne vix quidem in duos cadere posse videantur. Primum igitur, quem Græci, quemque Latini commemorant & colunt, is ab utrisque Anastasii nomine, & Martyris titulo afficitur. Utrique eum martyrii cupiditate adeo incensum fuisse prædicant, ut se ipsum ultro in medios hostes objiceret. Eximiam ejus adversus sacrosanctam Crucem Christi religionem utrique commendant, cujus venerabili signo quasi quodam firmissimo præsidio se ipse muniebat. Illud quoque inter illos convenit, quod æque Latini & Græci Anastasium verberibus cæsum, ac deinde in mare dejectum esse testentur, ejus autem exuvias religiosissimæ cujusdam Matronæ cura operaque collectas, honorificeque conditas, & multis illustribusque miraculis insignes fuisse uno consensu affirmant. Porro tanto rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio satis aperte ostendit unum omnino fuisse Anastasium, in quem illa omnia conveniant; & neminem fore arbitror, qui sibi persuadere queat duos habendos esse Anastasios non modo locorum, sed etiam fortasse temporum intervallo disjunctos, quibus non solum idem nomen obtigerit, sed præterea eadem ratio martyrii, eædem sanctitatis notæ, idem ordo, & mira quædam continuatio seriesque rerum, quæ martyrium vel præcedunt, vel circumstant, vel consequuntur; præsertim cum perspicue ratio reddi possit, cur Græcis Anastasium nostrum in suos Divorum fastos retulerint; quippe is, quamvis patria Aquilejensis fuerit, Salonæ tamen pro Christo decertavit, quæ quidem civitas temporibus illis ad imperium Orientis pertinebat; & Dalmatia, auctore Isidoro, prima Græcia vocabatur; ex quo factum fuit, ut Græci Anastasium inter suos Martyres annumeraverint.

Cur Anastasius Salonitanus in Fastos Græcos relatus.

Sunt tamen quædam, ut dixi, de quibus Latini & Græci inter se dissidere videantur; ex quo colligi potest duos fuisse Anastasios, quorum alter Latinorum, alter Græcorum ditteris illustretur. Sed hæc haud multa sunt, & pleraque sane levia, præsertim si conferantur cum iis, de quibus utrique scriptores inter se mirifice congruunt. Duo hic animadverti velim; alterum est, Græcis, cum de Anastasio scriberent, non id propositum fuisse, ut historiam, sed epitomam quamdam summamque rerum ab eo gestarum conficerent; ut proinde mirum esse non debeat, si multa silentio prætermiserint, veluti patriam, in qua natus est, urbem, in qua pro Christo certamen obiit, nomen Tyranni, cujus auctoritate jussuque interfectus fuit, resque aliquas vel consequentes, vel circumstantes. Alterum animadversione dignum illud est, quod cum plures auctores lingua & moribus dispares, locis ac temporibus inter se distantes, longeque sejuncti de iisdem rebus scribunt, vix fieri possit, ut omnes ubique inter se ipsi, & omnino congruant, præsertim si rebus gestis ipsimet non interfuerint, sed eas fama & auditione acceperint. Hinc plerumque accidit, ut eadem alii aliter exponant, & quædam alii referant, alii prætereant. His in hunc modum constitutis, videamus, quid tandem sit discrepantiæ inter Latinos & Græcos, qui de Anastasio scripserunt.

Est aliqua inter Latinos & Græcos aliqua de Anastasio discrepantia.

Ac primum quidem, si Græcos audimus, Anastasius crucis signo se ipse obsignavit, antequam pro Christo se in discrimen capitis committeret: *Cum toto corpore se crucis signo munivisset, ad stadium cucurrit.* Men. 5. Decemb. At Latini hujusmodi signum referunt ad eam domum, quam Salonæ conduxerat, traduntque in ipso hujus ædis aditu prospectuque, & in aliis etiam frequentissimis locis multiplices cruces ab Anastasio vel insculptas, vel descriptas fuisse: *hospitium, in quo mansurus erat, signo crucis depinxit, sed & per celeberrima populi loca expressit signaculum Christi.* In Actis Hesychian. Sed potuit Anastasius sibimet pariter, suoque hospitio, & aliis locis crucis signum imprimere. Hoc igitur inter Græcos & Latinos interest, quod illi de cruce membris indita mentionem fecerint, de cruce autem ædibus insculpta ne verbum quidem; hi contra de cruce hospitio inscripta commemorant, de corpore eadem nota insignito non item. Nihil itaque est, de quo Latini ab Græcis discrepent, cum neutri negent, quod alteri affirmant.

Si qua esse videtur discrepantia, solvitur.

Græci *accersitum a Tyrannis*, Latini a Paganis *ante judicem statutum fuisse* Anastasium docent. Men. 25. Octob. & Acta Hesyc. Paullo alia est superioris & posterioris loci sententia; sed neuter cum altero pugnat; nam quod Græci omittunt, Latini supplent. Anastasius primum a Satellitibus comprehensus est, raptusque ad Præfectum Salonitanum, quod apud Græcos non legitur. Deinde Diocletianus, qui per id temporis prope ab urbe in suo palatio commorabatur, illum ad se adduci jussit, id quod Latini adjiciunt, *ab Imperatore subita jussione compulsus est, ad ipsam, in qua Augustus degebat, concitus ire civitatem.* Pet. de Natal. Illud parvi refert a Tyranno *Imperatore*, an a *Tyrannis* accersitus esse dicatur; neque enim communis ac pervulgatus loquendi usus prohibet, quo minus identidem liceat, quæ singulari numero gaudent, ea plurali numero subjicere; quin immo numerorum variatio, & alterius in alterum commutatio aliquid ad

venu-

venuſtatem & elegantiam orationi addere ſolet. Huc etiam pertinet, quod fortaſſe Galerius tum in palatio erat apud Diocletianum, ſic ut duo fuerint Tyranni, quorum juſſu accerſitus fuerit Anaſtaſius, ut memorant Græci; nam ſæpe Galerius Diocletianum adibat, ut eum de maximis graviſſimiſque rebus conſuleret.

Apud Græcos Anaſtaſius verba Prophetæ uſurpat, ſibique accommodat: *Inventus ſum illis, qui me non quærebant; manifeſtus illis eram, qui me non curabant*. Men. 5. Decemb. Contra vero & perquiſitum a Satellitibus, & inventum tradit Auctor Anonymus in ejus Vita: *Peſſimi vero Regis Miniſtri plateas, & quæque civitatis loca aſſidue circumeundo ſicubi nomen Chriſtianitatis audirent, ſalutiferæ crucis ſignum in poſte Anaſtaſii depictum invenere* &c. Item Acta Heſychiana: *Quem miniſtri perſecutoris agnitum acceptumque ante judicem ſtatuiſſe narrant*. Quemadmodum Anaſtaſius in hoſtium manus venerit, alii aliter narrant; ſed quod rei caput eſt, maximeque ad laudem Martyris pertinet, illud deprædicant utrique, ſcilicet voluntarium fuiſſe ſacrificium Anaſtaſii; quippe cum ſua ſponte & voluntate pro Chriſto ſe ad mortem obtulerit. Si enim Latinos audias, nemo eum impulit, ut patria relicta in medios hoſtes ſe ipſe conjiceret; nemo in eum nominatim inquiri juſſerat; ille ultro ſe prodidit, cum ſuis ædibus crucem inſculpſit, quo quidem indicio manifeſtus apparuit ſatellitibus Chriſtianos ad necem conquirentibus; ut vere ac proprie dici poſſit, non illum quidem dedita opera quæſitum, ſed præter opinionem inventum fuiſſe. Hæc autem non modo inter ſe, verum etiam cum Latinis, Græciſque codicibus apprime cohærent.

Græci Anaſtaſium ad hunc modum loquentem inducunt: *Audite ſervi omnes Diaboli* &c. Men. 5. Decemb. Latini nullam iſtiuſmodi orationem commemorant, quam Anaſtaſius ad circumfuſam Ethnicorum multitudinem id temporis habuerit. Quid igitur? Num Græci aliquid falſi Anaſtaſio affingunt, an vero eidem aliquid veri Latini detrahunt? Neutrum à nobis dici neceſſe eſt. Sed fortaſſe hujus martyris vitam aut elogium alii aliunde acceperant; Græci quippe nacti eſſe videntur alios quoſdam codices, in quibus deſcripta erat illa conciuncula, quorum nullum exemplar in manus Latinorum fortaſſe venerit. Eodem pertinet, quod in Menologio Caniſii, ut Florentinius in notis ad Martyr. Hieron. Lucen. die 7. Septemb. refert, plures verbis & exemplis Anaſtaſii fuiſſe dicuntur adducti, ut Chriſtianam religionem ſuſciperent, quod apud Latinos nuſquam legitur. Nempe Latini nihil hujuſmodi invenerant in iis tabulis, unde Anaſtaſii martyrium deſcripſerunt. Nec ſi Anaſtaſius plurimos ad Chriſtum traduxit, ſequitur illico eum fuiſſe Epiſcopali dignitate præditum, ac proinde eumdem oportere diſtingui ab Anaſtaſio Aquilejenſi; id quod ſuſpicatus eſt Florentinius loc. cit. propterea quod in apographo Hieronymiano Antuerpienſi ſub die 7. Septembris eum Epiſcopum appellatum invenerat. Nam Anaſtaſius, quamvis non eſſet Epiſcopus, poterat tamen de religione, ubi ſe daret occaſio, familiariter, & ex æquo loco differere, ut Ethnicos ab inani ſuperſtitione ad veri Dei cultum avocaret. Præterquam quod vel ipſo tacente, admirabilis illa & voluntaria ad ſubeundos, perferendoſque cruciatus alacritas & conſtantia hoſtium animos quamvis obſtinatos flectere, atque impellere potuit, ut avita ſuperſtitione repudiata, ultro ſe ad Chriſtum adjungerent. Eccleſiaſtica hiſtoria quamplurimos nobis exhibet Martyres non illos quidem Epiſcopos, ſeu multiplici doctrina inſtructos, ſed rudes atque indoctos de plebe homines, qui non tam diſputationibus & argumentis, quam familiaribus verbis ad pietatem excitandam, populumque commovendum accommodatis, & quod caput eſt, miræ cujuſdam fortitudinis, & ſanctitatis exemplo, ingentes Ethnicorum copias non modo ad Chriſtianam religionem amplectendam, ſed etiam ad ſubeundum martyrium impulerint; quod nimirum, qui illorum certaminibus aderant, ita apud ſe ſtatuerent, ab eo dicendi genere tam ſimplici, tam pio, tam remoto ab omni fuco & fallacia, a tanta vitæ morumque innocentia & ſanctitate, tantaque in perferendis ſuppliciis conſtantia rectam in Deum fidem abeſſe nullo modo poſſe.

Anaſtaſius non fuit Epiſcopus.

Illud vero paullo gravius eſt, & majoris cujuſdam diſcrepantiæ ſpeciem præfert. Græci quidem Anaſtaſium ante obtruncatum fuiſſe perhibent, quam in mare dejiceretur: *Caput ejus amputaverunt, & projecerunt in mare;* Men. 5. Decemb. Latini autem non negant quidem caput Anaſtaſio avulſum fuiſſe, ſed hanc obtruncationem navicularii illis attribuere videntur, qui Martyris corpus ex aquis eduxerant; ejuſque caput religionis cauſa ſecum in patriam aſportaverant: *Ipſi tamen animoſi viri ex Africa caput Martyris in patriam ſuam portaverunt*. Hæc Petrus Equilinus; eique aſſentiunt Philippus Ferrarius, & Martinus Baucerius. Nec videtur diſſentire Auctor primæ vitæ Anaſtaſianæ, qui creditur fuiſſe Heſychius; cum enim ait, *Afros ſuſtuliſſe portionem martyris ipſius gratia*, his verbis nihil aliud videtur voluiſſe intelligi, niſi *caput Martyris*, quæ illius erat pars præcipua, quamque ſejunctam a corpore Africani illi in patriam detulerunt. Cæterum Latini, cum ajunt ad ejus collum alligari juſſum lapidem ingentem, ſatis declarant caput illi abſciſſum non eſſe, antequam in mare projiceretur. Adde, quod Auctor hiſtoriæ Slavonicæ in Latinum converſæ tradit eum in mari periiſſe: *Inter maris fluctus triumphans ſpiritum Deo reddidit*. Idem ac fere iiſdem verbis confirmat ſcriptor tertiæ vitæ Anaſtaſianæ. Video equidem eo me adductum, ut fateri cogar eſſe hic, viderique majorem inter utroſque diſcrepantiam, quam ut vel diſſimulatione eludi, vel interpretatione aliqua adhibita componi poſſit; ſed cum de cæteris rebus alteri cum alteris vel præclare congruant, vel facile conciliari poſſint, nihil profecto tanti eſt, ut a mea ſententia deſciſcam, propterea quod de una tantummodo re diſſideant. Nam ſi quis hujuſmodi diſcrepantiam attentius perpendat, is profecto inveniet Latinos à Græcis potius narrationis ordine, quam univerſa re & tota ſententia diſſentire. Non modo in mari demerſum, ſed etiam obtruncatum fuiſſe Anaſtaſium convenit Græcis cum Latinis; hoc inter illos diſcrepat, quod cum duo facta utrique narrent, alteri alterum præponunt, atque ita quidem, ut alterutros falli neceſſe ſit. Si tamen ob hanc unam cauſam Divos duplicare oportet, eorum numerus magis magiſque in dies augebitur, & alii ex aliis multiplicari numquam deſinent. De unius vita rebuſque geſtis cum plures ſcribunt, ii ſæpe ingenio inter ſe, & locis, & temporibus diſtant. Prodigii autem inſtar eſſet, ſi inter quos tanta eſt, quanta fere maxima eſſe poteſt, temporum, locorum, morum ac ſtudiorum diſtantia, ii de rebus omnibus inter ſe omnino conſentiant, nullaque de re alii ab aliis diſcrepent; nemo uſpiam licet nolens & invitus aliquid offendat. Non cadit tanta iſta conſenſio, & in iiſdem rebus narrandis convenientia

Digitized by Google

cia in homines genere ac natura diversos, locis ac temporibus disjunctos; præsertim cum non omnes ex iisdem tabulis, quæ scripserunt, deprompserint; & sæpe populari sermoni, vulgatæque famæ standum sit, quæ plerumque res gestas aut variat, aut imminuit, aut amplificat. Quare bene agi putemus, si de rerum summa conveniat inter eos, qui in uno eodemque historico argumento versantur; si qua vero in re discrepant, si quid præposteris temporibus, aut perturbato ordine narrent, non continuo existimemus aut res, aut personas, de quibus agunt, duplicandas esse; sic ut in plures distrahi oporteat, quæ in unum, levi aliqua detractione aut variatione facta, accommodari possunt.

Anastasius primum capite plexus, deinde in mari submersus.

Mihi sane ordo iste rerum placet, quem Græci tenent, qui Anastasium prius capite diminutum, quam in mari submersum, tradunt. Nam si Latinos sequimur, nauræ illi ex Africa, cum corpus S. Anastasii integrum intactumque reperiissent, eidem caput abscidérunt; quod mihi quidem nullo modo fit verisimile; habet enim nescio quid irreligiosum istiusmodi obtruncatio; non cohæret cum ea pietate ac reverentia, quam a Christianis erga Divorum corpora adhiberi decet; abhorret a communi consuetudine, ac præsertim ab ingenio & moribus illorum nautarum, quos bonos ac pios viros, & meticulosos fuisse ex historia Anastasiana intelligere possumus. Si digitum, vel etiam manum, vel aliud quidpiam hujusmodi præcidisse arguerentur, facile adduci possem, ut crederem, idque hominum piæ ac religiosæ voluntati tribuerem; sed quod in corpus sanctissimi hujus Martyris tantum sibi licere voluerint, ut nihil pensi ducerent, illud fœdum in modum deformare, eidemque amputare nobilissimam ac principem partem, in qua potissimum residet omnis humanæ figuræ species ac dignitas, id ejusmodi est, ut ab omni non modo religionis, sed etiam humanitatis sensu longissime abhorreat. Adde, quod illis neque tempus, neque facultas fuit capitis amputandi, servis Asclepiæ urgentibus, minasque intentantibus, qui eos in ipso extrahendi corporis conatu deprehensos, ab eo facinore absterruissent. Quocirca secum præclare agi putarunt, si caput Martyris, quod una cum corpore, sed ab hoc jam avulsum ex aquis eduxerant, perquisitorum oculis subductum occulere possent, atque in patriam suam referre. Haud enim famulos Asclepiæ commissuros fuisse arbitror, ut sacri illius corporis pars præcipua multoque nobilissima alio deportaretur, nisi eos nautæ illi de capite invento solerter celassent. Propius igitur a veritate aberit, qui capitis amputationem ad ipsos carnifices referendam esse censuerit; quare hi quidem truncum corporis cum capite avulso in mare projecerant; utrumque autem inventum fuit, extractumque ab Africanis illis navicularijs, qui corpus quidem, uti erat, detruncatum servis Asclepiæ tradiderunt; caput vero conditum, abditumque in carina, sibimet retinuere, ac deinde in patriam asportarunt.

Alienum ab Afris fuit corpus Anastasianum obtruncari.

Lapis non collo, sed trunco alligatus.

Quod vero Latini ajunt Anastasio alligatum fuisse lapidem ingentis ponderis, id ratum ac certum haberi oportet. Hoc quippe, quamvis a Græcis tacitum prætermissumque sit, tamen ab omnibus scriptoribus Latinis summo consensu traditur, & Spalatensis ecclesiæ perpetua constantique traditione confirmatur. Spalatenses enim ex antiqua consuetudine lapidem molarem funi appensum Anastasio appingi jubent, ut sit quoddam veluti indicium & insigne ejusdem martyrii. Id adeo testantur veterrimæ S. Anastasii imagines ac statuæ, quæ etiamnum in Dalmatia visuntur. Res igitur ita se habuit. Lictores abscisum Anastasii caput cum ejusdem trunco pariter colligarunt, utrique ingentem lapidem funi membris circumducto annexuerunt, ut eo pondere altius in mare deprimeretur, neve posset e profundo emergere, & undis supernatans in Christianorum manus venire. Latini autem scriptores in hoc uno errarunt, quod putaverint lapidem illum ad collum martyris alligatum fuisse, quod fieri non potuit, cum eidem carnifices caput cervicibus abscideriut, antequam eum in mare projicerent. Cur autem erraverint, id causæ fuit, quod cum fama & auditione accepissent Anastasium cum ingenti saxo in mari demersum fuisse, nihil autem de capitis obtruncatione scriptum invenirent, existimaverint funem ejusdem collo circumligatum, & fune saxum appensum fuisse; vulgo enim ita fieri solet, cum aliquis in mare vel in flumen dejicitur. Hinc factum est, ut neque putaverint eidem caput præcisum esse, priusquam in mare præceps datus esset; & illum in mari mortuum fuisse crediderint.

Cur Latini erraverint in describenda Anastasiana demersione.

Illud etiam argumentum afferri potest, cur Anastasius is, de quo Latini scripserunt, ab eo, quem Græci commemorant, distinguendus esse videatur, quod alios Latini, alios Græci festos dies Anastasii nomine consecraverint. Nam Latini quidem VII. Kal. Septembris Spalati, & VII. Id. Septembris Aquilejæ; Græci vero VIII. Kal. Novembris, & nonis Decembribus Anastasio anniversaria religionis officia persolvunt. Verum Divorum quamplurimos esse constat, quorum nomen ac memoria singulis annis iterum ac sæpius celebratur, & quidem aliis apud Græcos, aliis apud Latinos, aliis etiam apud ipsos Græcos vel Latinos diebus. Variæ quippe sunt ac multiplices causæ, ob quas martyribus, cæterisque Divis festi ac solemnes dies instituí solent. Nam primum is dies sacer habetur ac religiosus, quo illi ex hac vita ad Superos emigrarunt; deinde alii etiam dies interdum consecrantur, in quos vel inventio, vel translatio sacrorum lipsanorum, vel dedicatio templi eisdem constructi inciderit. Porro olim quidem Salonæ, nunc vero Spalati Anastasius solemni officio rituque colitur VII. Kal. Septembris, quod eo die mortem pro Christo obierit; Aquilejæ autem anniversarius honos eidem tribuitur VIII. Id. Septembris, quod fortassis hoc ipso die civitas illa sacras ejus reliquias Salona transvectas exceperit. Illos vero dies, quos Græci S. Anastasii nomine & commemoratione festos agunt, ex antiquis Salonæ Kalendariis descriptos, atque indidem in tabulas ecclesiæ Græcæ relatos fuisse arbitror; qui quidem dies jampridem apud Spalatenses desuetudine, & vetustate exsoleverunt, sed apud Græcos etiamnum in honore ac veneratione habentur.

Cur unius Divi cultus pluribus diebus affigatur?

Ego enim sic existimo. Corpus S. Anastasii aliquot post annis sedata persecutione, VIII. Kal. Novembris depositum fuisse, honorificeque conditum in eo templo, quod Asclepia religiosissima fœmina eidem construxit in suo prædio suburbano. Is porro dies, cujus memoria a majoribus quasi per manus tradita ad posteros pervenit, dignus Salonitanis visus est, qui solemni officio in honorem S. Anastasii celebraretur. Cum autem temporibus illis Dalmatia & Salona Orientalis seu Græci imperii finibus ac ditione contineretur, ex eo fieri potuit, ut Græci Anastasium inter suos Martyres annumerarent; & eum ipsum diem, qui Depositio Anastasii rite appellari potest, in suorum Divorum fastos relatum ejusdem anniversariæ commemorationi adscriberent.

Cur Anastasius apud Græcos 25. Octobr. cultus.

Nec desunt causæ, cur diem quintum Decembris primum Salonitani, deinde etiam Græci ad cultum

cur etiam 5. Decembris?

S. Ana-

S. Anaſtaſii referre voluerint; eo quippe die videtur Chriſtiano ritu, ſolemnique cæremonia initiata fuiſſe Baſilica illa, quam Salonitani intra urbem SS. Domnio & Anaſtaſio ædificarunt, ut corpus utriuſque illuc inferrent; de qua die ſatis multa diximus in Actis S. Domnii. Quid ſi in hunc diem inciderit dedicatio illius templi, quod ab illis Navicullariis Afris, (ideſt Phariis, ut nos interpretamur) in inſula Pharia eccleſiæ Salonitanæ olim ſubjecta D. Anaſtaſio conditum fuiſſe perhibent Latini ſcriptores, ut ſacrum ejus caput Salonis avectum in eo pie honorificeque deponerent? Nonne hinc etiam exiſtit cauſa omnino probabilis, quæ Salonitanos impellere potuit, ut nonas Decembres S. Anaſtaſio conſecrarent? Porro e Salonitana eccleſia in alias Orientis eccleſias hujus diei religio, ut ſupra diximus, propagata eſſe videtur.

Quid quod duplici hujus diei Anaſtaſiani celebrandi conſuetudinem, quæ apud Græcos etiamnum viget, ab eccleſia Salonitana repetere neceſſe non eſt, cum Græci utriuſque diei colendi cauſam aliunde accipere potuerint. Fieri enim poteſt, ut Græci diem xxv. Octobris, itemque diem 5. Decembris S. Anaſtaſio Martyri propterea dedicaverint, quod his diebus vel in ejus honorem aliqua Baſilica in Oriente conſecrata fuerit, vel urbes aliquæ ob ſingularia quædam beneficia, ejuſdem apud Deum meritis ac precibus interpoſitis, divinitus accepta, eum ſibi Patronum adoptaverint. Fateor equidem hæc veri ſimiliora, quam vera ac certa videri, ſed id, quod in præſentia contendo, ſatis declarant, nimirum cauſas varias ac multiplices eſſe poſſe, ob quas alios Latini, alios Græci dies feſtos eidem Anaſtaſio decreverint; neque ſi in hac feſtorum dierum deſignatione inter ſe diſcrepant, continuo ſequi duos fuiſſe Anaſtaſios, quorum alterum Græci, alterum Latini colant.

§. II.

De Anno Martyrii.

Martyrii Anaſtaſii an. 303. ſine ratione adſcripti.

CUm omnes Latini Hagiologi martyrium S. Anaſtaſii ad Diocletiani ætatem atque imperium ſumma conſenſione referant, nemo tamen ex antiquis Scriptoribus annum certum ac proprium deſignavit, cui ejuſdem certamen, obitamque pro Chriſto mortem illigaverit. Martinus Baucerius, aliique juniores anno tertio quarti ſæculi martyrio perfunctum eſſe exiſtimant, ſed nihil argumenti aut conjecturæ afferunt ad ſuam opinionem comprobandam. Ac mihi quidem ex Actis S. Anaſtaſii, ſi non certo, attamen probabiliter elici poſſe videtur annus ille, in quem ejus martyrium ſatis apte conveniat. Nam primum omnium ſatis conſtat ea turbulentiſſima tempeſtate Anaſtaſium interiiſſe, quæ Diocletiani edictis concitata decem ipſos annos tenuit, & longe lateque diffuſa in univerſam eccleſiam incubuit. Ac Diocletianus quidem infenſo animo ſe in Chriſtianos haud obſcuris indiciis jamdudum oſtenderat, cum non modo nullam in eos ſæviendi occaſionem prætermitteret, ſed eoſdem etiam ad necem perquiri, & acerbiſſimis quibuſque ſuppliciis mactari juberet. Sed nondum univerſali edicto Chriſtianis omnibus, totique eccleſiæ extremum exitium denunciaverat. Iis ferme regionibus ejus crudelitas continebatur, in quibus ipſe immorari ſolebat, vel quas ex itinere peragrabat, ut hiſce levibus quaſi præliis proludere videretur, molirique bellum illud longe graviſſimum, quod toto terrarum orbe tum demum indixit, cum Nicomediæ an. 303. inſtigante Galerio, impia illa decreta promulgavit, quibus ſacras ædes excindi, libros divinos comburi, & quidquid uſquam Chriſtianorum erat, necari trucidarique juſſit. Porro Anaſtaſius non ante martyrium ſubiit, quam ejuſmodi edicta conderentur, & decennis illa perſecutio omnes Romani imperii provincias pervaderet. Hoc Auctor primæ vitæ Anaſtaſianæ declarat: *Cum igitur tempore Diocletiani ſceleratiſſimi perſecutoris edictis promoveretur adverſus Chriſtianos & ageretur perſecutio &c.* idemque confirmant verba illa, unde totius hiſtoriæ exordium ſumpſit: *Quamvis tempore perſecutionis inimicus generis humani, invidus Religioni Chriſtianæ, triumphum martyrum memoriæ ſubtrahere niſus ſit, ne confuſus ſuper coronas martyrum, & proſtratus erubeſceret in populo &c.* Quæ quidem verba haud dubie videntur alludere ad ſacrilegum illud edictum de ſacris codicibus comburendis, quod non ſolum Divinis Scripturis, ſed etiam martyrum hiſtoriis exitio fuit. Nullum porro ejuſmodi decretum ante univerſalem perſecutionem Diocletianus condidiſſe legitur. Eodem pertinent, quæ in eamdem ſententiam ſcripſit Auctor hiſtoriæ Anaſtaſianæ Slavonicæ: *Hinc efferati Cæſaris edictum, per omnes terræ regiones ipſi ſubjectas renunciatum, Præfectis præcipiebat, ut quoſcumque Chriſti cultores invenirent, vel illos ad Idolorum cultum perducerent, vel variis tormentorum generibus eorum corpora affecta morti traderent.* Idem atque iiſdem fere verbis ac ſententiis expreſſit Auctor tertiæ vitæ. Ex his omnibus illud perſpicuum eſt, tum Anaſtaſium pro Chriſto mortem oppetiiſſe, cum generalis perſecutio Diocletiani efferveſceret; atque ingentes Chriſtianorum ſtrages ubique ederentur. Itaque ejus martyrium neque conſtitui poteſt ante annum 303. quo exorta eſt univerſalis perſecutio, neque prorogari ultra undecimum quarti ſæculi annum, quo Galerius fædo atrocique morbo correptus perſecutionis curſum inhibuit, datiſque litteris ad Præfectos provinciarum, vetuit in Chriſtianos inquiri, & omnibus religionis Chriſtianæ retinendæ, profitendæque poteſtatem fecit. Galerii edictum Nicomediæ propoſitum fuit pridie Kalendas Majas anno 311. edictique exempla in cæteras deinceps urbes ac provincias propagata. Exinde nulla clades, nullum periculum eccleſiæ fuit, neque a Galerio, qui haud multis poſt diebus miſerrime periit, neque a Diocletiano, quem ætas jam effæta, perdita prorſus ac deſperata valetudo, & multæ præterea ſollicitudines, ærumnæ, angores, metuſque, a Chriſtianis perſequendis ad corpuſculum animumque curandum avocarunt, id quod in ejus hiſtoria paullo diligentius exponetur. Scio equidem perſecutionem Galerii edicto ſopitam verius atque interruptam, quam penitus extinctam fuiſſe; nam ab interitu Galerii vix pauci menſes interceſſerunt, cum auctore Maximino bellum adverſus Chriſtianos brevi temporis ſpatio intermiſſum recruduit, ſed immaniſſimi hujus Tyranni crudelitas iis regionibus ſeſe continuit, quibus ejuſdem imperium definiebatur, ut nihil cauſæ ſit, cur eædem S. Anaſtaſii conjicere oporteat in duos illos poſtremos redintegratæ perſecutionis annos; cum neque Maximinus in Illyrico vel Dalmatia imperaverit, neque ejuſdem juſſu Anaſtaſius pro religione interemptus eſſe dicatur. Cum igitur ab initio perſecutionis uſque ad Galerianum edictum octo anni & duo præterea menſes effluxerint, unum ex his deſignari neceſſe eſt, quo cum martyrium Anaſtaſii copuletur.

Poſt indictam perſecutionem univerſalem Anaſtaſius martyrii ſubiit.

Diocletianus poſt perſecutionem indictam annos omnino duos imperavit, quibuſcum congruere nequit

Martyrii Anaſtaſii epocham cum-

gruere nequit cum a. vel a. anno persecutionis.

quit martyrium S. Anastasii. Bis quidem intra illud biennium Salonam ex itinere adiit, semel intra finem anni 303. cum scilicet post æstatem in Orientis provinciis peragrandis transactam profectus est Romam, ut in ea urbe cum Maximiano Herculeo vicennalia XII. Kal. Decembris celebraret, ac de Persis cæterisque hostibus debellatis triumphum ageret; iterum anno insequenti, cum post nonum Consulatum Ravennæ initum, & aliquot urbes Italiæ perlustratas Salonam venit sub veris initium: in hac autem cum uno mense alterove commoratus esset, in Pannoniam discessit, inde profectus æstatem omnem, ut ait Lactantius, *per circuitum ripæ Frigæ* ideſt Danubianæ transegit. Mense Novembri Nicomediam pervenit, & gravi periculosoque morbo in extremum vitæ discrimen adductus, non antea urbem illam reliquit, quam creatis novis Augustis, & Cæsaribus imperio se abdicavit Kalendis Majis an. 305. Itaque Diocletianus tum primo anni 303. tum altero anni 304. mense Augusto Salonæ aberat. Cum neutro igitur illius biennii Augusto colligari potest martyrium Anastasii, quod in diem 26. hujus mensis incidit, & Diocletiani præsentiam requirit. Præterea ex historia Anastasiana intelligi potest Anastasium martyrii potiundi cupidum eo tempore Salonam adiisse, cum Diocletianus apud eam urbem non ita versabatur, quasi illuc ex itinere divertisset brevi abiturus, sed cum ibidem post imperium depositum sedem jam stabilem, & domicilium certum habebat: *Divino Spiritu afflatus*, (ait Scriptor Slavonicæ, ut vocant, Legendæ) *patrios fines ac propriam Aquilejæ urbem deserens ad totius Dalmatiæ Metropolim, videlicet Salonas alacriter pervenit, eo quia barbarum Fidei Christianæ Tyrannum illa in urbe versari præsenserit*. Sed Auctor primæ Vitæ, itemque Petrus de Natalibus sanctis clare indicant tum Diocletianum in eo palatio habitasse, quod sibi magnificentissime prope Salonam exstruxerat, neque ante imperium dimissum incolere cœperat. Nam qui priorem vitam descripsit, ait fuisse *Diocletianum persecutorem in alia positum*, ideſt commorantem, *civitate*; Petrus vero docet Anastasium Salona illuc perduci jussum, ubi degebat Diocletianus: *Ab imperatore subita jussione compulsus est ad ipsum, in qua Augustus degebat, concitus ire civitatem*. Vides, quemadmodum uterque Diocletiani domicilium ab urbe Salonitana non solum distinxerit, sed etiam spatio haud ita longo interjecto disjunxerit? Quid porro est aliud *degere* alicubi, nisi locum aliquem non diversandi, sed habitandi causa incolere, vel certe diu hærere commorarique in eodem loco? Nec vero inepte Diocletiani palatium exstructum ea molitione sumptuque, ut omnem Romanorum in eo genere magnificentiam superaret, civitas appellatur, quippe quod in mirandam amplitudinem longe lateque porrectum, fossa, mœnibus, propugnaculis in modum urbis undique cingebatur, erant viæ rectæ transversæque, quibus ædificia distingui solent, & pulcherrimæ porticus, & forum, & curia, & officinæ, & ædes sacræ, & præterea habitabatur frequentissime, ut nihil omnino deesse videretur, quod in magna & bene constituta civitate desiderari posset. Ab eo igitur biennio, quod post indictam persecutionem proxime evolutum est, secludamus necesse est martyrium S. Anastasii. Sed neque revocari potest vel ad an. 305. cum Diocletianus post relictum imperium in Dalmatiam secessit, vel ad sextum annum aut septimum hujus sæculi, cum Severus primum Cæsar, deinde Augustus rerum in Italia potitus est.

Cur Palatium Diocletiani civitas dicitur.

Neque id martyrium conferri potest in alterutrum ex tribus proximis annis.

Nulla res alia, nisi incredibilis quædam martyrii cupiditas Anastasium impulit, ut Aquileja relicta Salonam petere contenderet. Id enimvero Latini Scriptores summo consensu tradunt. Itaque cum Anastasius Salonam migrandi consilium cepit, ecclesia Aquilejensis, deferveſcente hostium furore, aliquid pacis otiique nacta paullulum respirabat, cum contra Salonæ omnia Christianis infesta essent, alioquin nihil causæ fuerat, cur Anastasius Salonitanam Aquilejensi palæstræ præferret; nam quod tandem consilium fuisset, quod domi habebat, id alibi quærere, & præsentem oblatamque martyrii occasionem defugere, ut spem ejusdem adipiscendi longinquam ac dubiam sequeretur? Hoc apertissime docet Auctor tertiæ vitæ: *Divinitus inspiratus confestim, & propria urbe relictis, quod lenem in ea sensisset persecutionem, totius Dalmatiæ principem alacer venit Salonam*. Sed quamdiu regnavit Severus in Italia, quæ concessu Constantii eidem cum Africa obtigerat, adeo nihil in his regionibus de acerbitate persecutionis remissum est, ut hæc potius, Severo auctore, & multo acrius exarserit, & majores fortasse, quam antea Christianorum strages fecerit. Is quippe Constantii Chlori Augusti, cujus erat Cæsar, cuique obsequi debuerat, mitem in Christianos ac propensam voluntatem nihil pensi habuit; totum se ad arbitrium & nutum Galerii accommodaverat, cui Cæsareum, ac deinde etiam Augustale imperium acceptum ferebat. Cum autem intelligeret, nullam ab se cumulationem gratiam Galerio referri posse, quam si ad Christianum nomen delendum una cum ipso suos omnes conatus conjungeret, in id toto, ut ajunt, pectore incubuit, ut Christianos ubique ferro atque igne persequeretur. In Aquilejenses autem hoc vehementius odium suum effundebat, quo propius illa civitas ac regio aberat ab Illyrico, ideſt ab Galerii ditione, & propinquior erat Dalmatiæ, quo identidem Galerius ad invisendum consulendumque Diocletianum se conferebat. Et quamquam Severus reipublicæ causa plerumque ab ea urbe abesset, nihilo tamen segnius Præfecti ac Magistratus jussu ejusdem in Christianos sævichant. Severi autem crudelitas vel ex eo dignosci potest, quod Romæ Artemiam sororem suam, ut in hujus Actis dicemus, Cyriacum, Largum, Smaragdum, ac plures alios religionis causa interfecerit, mense Martio, an. 306. Anno eodem mense Julio Constantius Eboraci in Britannia diem obiit. Hujus in locum Galerius substituit Severum jure ac titulo Augustali donatum. Romæ autem Maxentius Herculei filius a Prætorianis militibus Imperator appellatus est mense Novembri, qui ut Christianos ad suas partes allicceret, initio simulavit se illis favere, ac persecutioni modum adhibuit; sed ejus simulata in Christianos indulgentia iisdem sane angustis terminis circumscripta, quibus tum definiebatur Maxentianum imperium, se continuit intra Apenninum Galliamque Cisalpinam, quæ ad Severi ditionem pertinebat. Galerius anno 307. contra Maxentium cum exercitu misit Severum, qui repente ab omnibus suis desertus Ravennam confugit; eumque, haud multo post, perjurio deceptum Maximianus Herculeus jugulari jussit. De fuga & nece Severi cum ad Galerium tristes nuncii venissent, is cum ingentibus copiis, quam celerrime potuit, in Italiam contendit. Antequam urbem obsidione cingeret, frustra Maxentium generum suum per legatos monere atque hortari instituit, ut precibus potius adipisci, quam armis sibi vindicare imperium vellet. Sed contemptus, & a plerisque suorum destitutus, dedecoris atque ignominiæ plenus in Illyricum rediit, cum omnes Italicas

Digitized by Google

licas regiones, per quas iter habuit, fœdum in modum devaſtaſſet. Tum vero, cum Italia univerſa in jus poteſtatemque Maxentii migraſſet, ut cæteræ Italicæ, ſic etiam eccleſia Aquilejenſis a perſecutione paulliſper quievit. Per ea tempora etiam Africanæ eccleſiæ pacem redditam fuiſſe per Maxentium Imperatorem totius Africæ potitum teſtatur Optatus lib. 1. contra Parmen. *Tempeſtas perſecutionis peracta & definita eſt, jubente Deo, & indulgentiam mittente Maxentio, Chriſtianis libertas eſt reſtituta.* Sed cum ignominioſa illa Galerii fuga, ejuſque in Illyricum regreſſus accidiſſe nequeat, antequam æſtas anni 307. in exitum vergeret, in utraque enim Severi & Galerii Italica expeditione multos menſes conſumptos fuiſſe oportet, ex eo fit, ut menſe fere Septembri totius Italiæ dominatus ad Maxentium pervenerit, & eodem itidem menſe pax eccleſiæ Romanæ per Maxentium data in omnes Italicas eccleſias extendi cœperit. Maxentius enim, quam ſuperiore anno ſuſceperat, boni mitiſque in Chriſtianos principis perſonam etiam poſt Galerii fugam aliquamdiu retinuit, ut ſcilicet Italiæ univerſæ dominationem recens partam ſimulata illa in omnes benevolentia ſibi firmaret. Quare ante menſem Septembrem hujus anni 307. nondum Aquilejæ perſecutio deferbuerat, Præfectis ac Magiſtratibus Imperatorum decreta in Chriſtianorum perniciem ſedulo exſequentibus. Si ergo tum Anaſtaſius Salonam venit, cum illic vehementior, quam Aquilejæ perſecutio ſæviret, neque illius e patria diſceſſus, neque Salonitanum ejuſdem martyrium, quod in 26. Auguſti diem incidit, congruere poteſt cum anno ſeptimo quarti ſæculi, quo quidem anno uſque ad menſem Septembrem nihilo mitius Aquilejæ, quam Salonæ Chriſtiani divexabantur. Præterea Diocletianus exeunte Auguſto anni 307. Salonis fortaſſe aberat, quem ſcilicet Galerius vel accerſiit, vel ſecum duxit Carnuntum in Pannoniam, ut Comitiis intereſſet, & Cæſaream atque Auguſtalem Licinii creationem auctoritate ſua comprobaret. Quamvis enim hujuſmodi Comitia habita non fuerint ante III. Idus Novembris an. 307. potuit tamen Diocletianus duobus vel tribus menſibus, antequam Licinius Cæſar & Auguſtus crearetur, in Pannoniam ſe conferre accerſitu Galerii, qui ejuſdem conſilio temporibus illis difficillimis indigebat, eumdemque rerum ibidem decernendarum auctorem & approbatorem fieri volebat, vel fortaſſis ipſemet Galerius e fuga Italica Salonam adiens, illum in Pannoniam ſecum adduxit.

Sub Maxentio pax eccleſiæ Occidentalis.

Sequitur annus octavus quarti ſæculi, quo cum haud inepte componi poſſe mihi videtur martyrium S. Anaſtaſii. Toto fere illo anno pax, annuente Maxentio, & quies fuit eccleſiæ Aquilejenſi, niſi ſi quid turbatum eſſet vel Prætorum improbitate, vel tumultu populari, unde identidem periculi vel damni Chriſtianis ingruebat. Contra vero Salonæ nihil tutum Chriſtianis erat, vivo ac præſente Diocletiano, qui poſt depoſitum imperium, una cum totius Dalmatiæ dominatu in Chriſtianos Dalmatas animadvertendi ſæviendique poteſtatem retinuerat, ut dicturi ſumus in hiſtoria Diocletiani. Cum igitur Aquilejæ vel nulla, vel admodum lenta eſſet perſecutio, Anaſtaſius martyrii cupidus Salonam properavit, in eaque urbe cum ſe ipſe hoſtibus prodidiſſet, comprehenſus, variiſque cruciatibus extortus, jubente Diocletiano, capitalem ſententiam ſubiit VIII. Kal. Septembris. Nec vero martyrium Anaſtaſii videtur poſſe differri in annos poſteriores. Nam Maxentius intra finem vergentis anni 308. boni mitiſque Principis perſona, quam ad tempus induerat, depoſita omnes ac potiſſimum Chriſtianos acerbiſſime divexare cœpit, cum perſecutionis initium feciſſet a Marcello ſanctiſſimo Pontifice, quem ad publica jumenta curanda in ſtabulum conjecit, ubi fame, ſiti, ac pedore confectus anno inſequenti, menſe Januario, ad Superos emigravit; nullum autem ſævitiæ ſuæ modum adhibuit, antequam anno 312. menſe Novembri victus a Conſtantino, prolapſuſque in Tiberim miſerrime interiit. Veriſimile autem eſt Aquilejam pariter cum univerſa Italia, ut imperio, ſic perſecutioni Maxentianæ obnoxiam fuiſſe. Illos vero minime audiendos cenſeo, qui Maxentium e numero perſecutorum eximunt, contra quam veteres docent, Oroſius, Optatus, & præſertim Lucifer Calaritanus, qui in l. 1. pro Athanaſio Neronem & Maxentium ſimul jungit, eoſque uno nomine *Perſecutores* appellat. Quamvis autem in omnes promiſcue ſuam crudelitatem expromeret, dubitari tamen non poteſt, quin Chriſtianos, ut erat ethnicæ ſuperſtitioni addictiſſimus, majori, quam cæteros, odio proſequeretur. Quare cogitanti mihi temporum illorum viciſſitudines, & calamitates, nullus videtur alius eſſe annus, quocum aptius cohæreat martyrium S. Anaſtaſii Fullonis, quam annus Chriſti 308. cum perſecutio Aquilejæ quidem indulgentia Maxentii deferbuerat, Salonæ autem ab Diocletiani præſentia & crudelitate vehementer exardeſceret.

Ejusdem Anaſtaſii martyrium.

§. III.

Unde orti profectique Nautæ illi, qui Afri dicuntur in Actis S. Anaſtaſii.

EXiſtit hoc loco quæſtio ſubdifficilis, quidnam hominum eſſent illi Afri, cujuſve generis, qui corpus S. Anaſtaſii eductum aquis ſuſtulerunt, ſive ubinam gentium reperiatur Africa illa, unde hi homines profecti ad Salonitana littora appuliſſe dicuntur. Nam ſi quis contenderet hujus Africæ vocabulo ampliſſimam illam regionem intelligi oportere, cui Geographi, cum orbem terrarum univerſum in quatuor partes diſtribuunt, tertium locum aſſignant, is profecto hominum fide & credulitate abuti, remque nullo modo credibilem afferre videretur. Hæc quippe ſententia nihilo propius abeſt a veriſimilitudine, quam ab Africa Dalmatia diſtat. Quid enim cauſæ excogitari poteſt, cur nautæ illi haud ita magno navigio, inde uſque ab Africa in Dalmatiam tranſmitterent? præterquamquod ſatis apparet illos & indigenas fuiſſe, quippe qui & locorum, & rerum ibidem geſtarum haud ignari videantur eſſe, & ex eo ferme hominum genere, qui aut piſcatu victum quæritant, aut portorii ſive commercii cauſa ex inſulis ad continentem oram aſſidue commeant.

Afri, quorum mentio in Actis Anaſtaſianis quinā?

Cum Africam vulgo dicimus, huic vocabulo ſubjici ſolet ingens terrarum tractus, & complexio multarum provinciarum, ex quibus pars Orbis tertia conflatur, quæ quidem ab Oriente Ægyptum attingit, a Septemtrionibus mari mediterraneo terminatur, ab Occidente & Meridie Oceano circumluitur. Sed duæ præterea ſunt regiones, altera in Aſia minori, altera in Dalmatia, quæ ſive nominis proprii depravatione, ſive ex placito Geographorum, ſive aliis de cauſis, Africæ vocabulo afficiuntur. Africa Aſiatica inter illas provincias locum obtinet, quæ Aſiæ Minoris ſive Anatoliæ finibus continentur. Hæc quidem communi proprioque nomine dicitur Phrygia, ſed eamdem in aliquibus monumentis antiquis Africam appellatam inve-

In an. 308. perbelle quadrat martyrium Anaſtaſii.

Digitized by Google

inveniés. Huic vocabulo Phrygia subest in Actis S. Petri apud Conradum Janningum tom. 41. die 29. Junii, ubi describitur ratio itineris, quod Princeps Apostolorum e Pannonia in Syriam habuit. Nam provinciis Pannoniæ & Syriæ interjectis, quas ille ex itinere adiit, Africa idest Phrygia annumeratur. In Martyrologio Hieronymiano Lucensi Hierapolis civitas. S. Philippi Apostoli martyrio insignis, semel atque iterum in Africa collocatur: *x. Kal. Madii. In Africa Jerapoli Natalis S. Philippi Apostoli. Kalend. Madii . . . In Africa Hierapoli Natalis Sanctorum Philippi & Jacobi.* Idem legitur in Auctariis ad Adonem apud Mosandrum, itemque apud Roswcydum: *x. Kal. Maji. In Africa civitate Hierapoli Natalis S. Philippi Apostoli.* Constat autem in Africa magna & proprie dicta nullam esse urbem, cui nomen fuerit Hierapoli; Hierapolim vero, quam Philippus Apostolus martyrio suo nobilitavit, inter urbes Phrygiæ ab antiquis Geographis recenseri perspicuum est. Itaque non est dubium, quin Phrygia interdum Africæ nomen subierit. Franciscus Florentinius in suis ad Martyrologium Lucense Commentariis hunc locum corrigendum, & pro *civitate Africæ, civitatem Phrygiæ, sive Asiæ*, ut legitur in aliis Hieronymianis exemplaribus, substituendam putat: hanc vero causam esse ait, cur sibi lectionem illam improbandam censeat, quod eam ex depravatione vocabuli derivatam esse existimet; librariis quippe vitio vertit, quod per incogitantiam atque inscitiam primum ex Phrygia *Friciam*, ex *Fricia Friciam* vel adjectis vel immutatis litteris effinxerint. Cæterum sive Amanuensium errore vocabulum *Africæ* pro *Phrygiæ* illuc irrepserit, sive de Geographorum consilio ac sententia eodem invectum fuerit, dubitari non potest, quin Phrygia in antiquis monumentis nonnumquam Africæ vocabulo subsit; quæ quidem cum ad Asiam pertineat, rite appellasi potest *Africa Asiatica*.

Africa Adriatica eadem ac Phrygia.

Africa Dalmatica, ut nobis videtur, est insula quædam maris Adriatici, frequens olim ac nobilis Græcorum colonia, quæ ab ora Spalatensi millia passuum fere 17. in Meridiem distat. Hanc Itali *Liesinam*, Slavi *Hvar*, Latini vero Græcique *Phariam* appellant. Postremum nomen accepit a Pariis Græciæ populis, qui inde usque a temporibus Dionysii Syracusiorum Tyranni ex Paro insula maris Ægæi in hanc insulam commigrarunt; a quibus ibidem & coloniam celeberrimam constitutam, & urbem munitissimam conditam ferunt. Ac primum quidem *Paria*, deinde vero aspiratione interjecta, Pharia dici cœpit. Porro satis constat Dalmatis atque Illyricis hunc morem fuisse, sive a Græcis, sive aliunde acceptum, ut propriis urbium, atque oppidorum vocabulis, quæ ab consonanti littera initium ducerent, vocalem A interdum præponerent. Hinc factum est, ut pro Spalato *Aspalatum*, pro *Lissa Alissam*, & deinde *Alexiam*, pro Salona *Assalonam*, pro Scisscia *Ascisciam* dicere consueverint; ut omittam alia id genus exempla quamplurima, quæ passim in Onomastico Illyrico occurrunt. Ad hanc normam, & consuetudinem ex Pharia in Aphariam facta est commutatio. Cum autem nullum ferme sit in antiqua Geographia vocabulum, quin barbaries, & inscitia depravaverit, Apharia duobus litteris intermediis exemptis contrahi cœpit, appellarique *Aphra*, vel *Afra*; hujus autem corruptæ vocis originem cum vulgo existimarent deductam fuisse ab Africa, unde Afri denominantur, consequens fuit, ut *Africam* pro *Afra* varietatis causa substitui posse putaverint. Ita Pharia cum semel a primigenia forma desciviſſet, ex aliis in alias ejusdem vocis conformationes immigravit, eoque demum res processit, ut ne specie quidem antiqui vocabuli retenta, *Africæ* nomen apud aliquos subierit. Ad eumdem modum qui primum Pharii dicebantur, deinde Apharii, tandem etiam Afri, & Africani appellari cœperunt. Petrus Equilinus lib. 7. cap. 36., cum in Actis S. Cyriaci Diocletianum ex *partibus Aphricæ* rediisse scripsit, intelligendus esse videtur de Africa Dalmatica, unde tum Diocletianus Romam reversus est; & jure dubitari potest, an unquam Diocletianus adierit Africam, quæ ad imperium Occidentale Maximiani Herculei pertinebat. Vide, quæ dicturi sumus in historia Diocletiani. Suspicio itidem est sub Africæ vocabulo latere Phariam, sive Africam Dalmaticam in Actis S. Mauri Martyris apud eumdem Petrum Equilinum lib. 10. cap. 93. Nec vero qui ex Phrygia Africam factam esse meminerit, huic incredibile videri poterit, ex Pharia quoque Africam fieri potuisse. Hoc autem constituto, admodum verisimile est Africam illam, cujus mentio facta est in historia S. Anastasii, ipsam esse insulam Phariam, quæ Salonis haud longe abest, cuique ex depravatione vocabuli Africæ nomen obvenerit. Hinc proinde oriundi erant, profectique illi navicularii, qui corpus S. Anastasii e mari sustulerunt. Huc venerandum illius caput translatum fuit, hic denique templum eidem perinsigne conditum, quod Deus multis præclarisque miraculis illustravit.

Africa Dalmatica idest Pharia.

Afri inventores corporis Anastasii ex Pharia.

Nam qui navicula illa oràm Salonitanam circumibant, ut corpus S. Anastasii undis submersum perquirerent & extraherent, ii & maris illius altitudinem exploratam habuerint, & Salonitani sinus latebras omnes, recessusque intimos, quibus se occulere, ac tecti tutique esse possent ab Ethnicorum oculis atque insidiis, probe noverint necesse est. Neque illos ignorasse arbitror de nece Anastasio illata, eodemque in mare projecto, quippe qui eo consilio videntur illuc navigio venisse, ut sacras reliquias colligerent, atque in patriam referrent. Id quippe ex historia Anastasiana intelligi potest, ubi dicuntur Afri illi haud aliter, nisi timore injecto adduci potuisse, ut corpus Anastasii servis Asclepiæ redderent; & sibi *portionem martyrii*, sive caput Martyris, religionis causa retinuisse; unde apparet illos non casu, sed consilio illuc ad colligendas Anastasii exuvias venisse. Ex quo sane perspicitur illos a propinquis ac finitimis insulis profectos fuisse, ad quos nuncii de martyrio Anastasii celerrime pervenerint; quique sinus illius naturam latebrasque omnes penitus nossent, cum sæpe tractu illo maritimo commercii causa ultro citroque commeare solerent. Hæc porro, ut in eos optime quadrant, qui Phariam insulam incolebant, ita longissime abhorrent ab Africanis proprie dictis, qui ab Dalmatia longe gentium aberant, ut neque de interitu Anastasii tam celeres nuncios accipere potuerint, neque iis locis se committere auderent, quos antea non probe cognitos & exploratos habuissent; cum enim incerti essent, ubi corpus mari submersum lateret, & ignorarent sinus illius maeandros flexusque, quibus se occultare possent, periculum fore videbatur, ne forte, dum hac illac sine duce atque indice errantes, vagique discurrerent, ab Ethnicis id, quod erat, suspicantibus deprehensi in vincula conjicerentur.

Qui tertiam vitam S. Anastasii litteris mandavit, Afris illis notam quamdam appposuit, unde illorum genus ac patria dignosci queat. *Invenere*, inquit, *Omnipotentis nutu nautas quosdam genere Afros, a velocitate (ut ajunt quidam) sumentes nomen, qui Sancti Martyris corpus jam ex aqua levabant.* Afros ma-

gnæ illius Africæ populos nuſquam invenies apud veteres nomen a *velocitate* mutuatos eſſe; contra vero Afros Dalmatas, Liburnos communi quondam vocabulo appellatos ferunt, quod ad piraticam faciendam miræ celeritatis navigiis uterentur. *Dicta eſt Dalmatia*, inquit Archidiaconus cap. 1. Hiſt. Salonit. *etiam alio nomine Liburnia, a quodam genere navis piraticæ, quæ in uſu erat apud illos.* Ejuſmodi *navium agilitate Actiaco prælio Auguſtum victoriam conſecutum* fuiſſe memorat Hiſtoricus Dalmata de Regno Dalm. lib. 1. cap. v. In eo quidem erravit ſcriptor tertiæ vitæ Anaſtaſianæ, quod populos illos a velocitate Afros dictos fuiſſe exiſtimaverit; cum a celeritate navium, quibus utebantur, non Afros, ſed Liburnos vocatos alii tradant; ſed cum eiſdem *velocitas* attribuitur, ex ea nota dignoſcamus licet Afros Dalmatas, ſeu Liburnos, qui velocitate ad curſum maritimum vel plurimum valebant. Afri autem Dalmatæ, ſeu Liburni aut nulli fuerunt, aut eo nomine intelligi oportet Pharios inſulares, quibus itidem, ut cæteris Liburnis, in uſu erat idem genus navigiorum.

Caput Anaſtaſii nunquam in Africa uſque propriæ dictum deportatum.

Præterea caput S. Anaſtaſii, quod Africani illi ſecum in patriam avexerant, in urbem Spalatenſem multis poſt ætatibus relatum fuit; ejuſque translatio revocanda nobis videtur ad initium ſeculi XIII. Porro nemo eſt, quin ſciat, quam multas populationes cladeſque a Barbaris cujuſque generis magna illa Africa per annos fere nongentos pertulerit. Nam primum Vandali vertente quarto ſæculo, poſtea Saraceni, & cuncta fere Barbaries in eam regionem effuſa, cum agros & urbes, tum præſertim ſacras ædes, & auguſtiſſima quæque Catholicæ religionis monumenta ferro & igne uſque adeo vaſtavit, ut nihil intactum, nihil inviolatum reliquerit. Non eſt autem veriſimile, ut cum annos prope nongentos tam multis fœdiſque tempeſtatibus Africa jactaretur, & tanta rerum omnium jactura facta fuerit, ex communi illo naufragio caput S. Anaſtaſii evaſerit, ſic ut integrum atque incolume principio veneni ſæculi XIII. Spalatum referri potuerit. Adde, quod, cum conſtet venerabile illud caput jamdiu ſervari colique in æde Cathedrali Spalatenſi, nullæ tabulæ, nulli ſcriptores extant, qui perhibeant illud ex Africa in Dalmatiam allatum fuiſſe; nec ſane intelligo, qui fieri potuerit, ut vel Spalatenſes a populis tam longe disjunctis ſacras illas reliquias repeterent, vel inventus fuerit, qui eas e remotiſſimis illis regionibus in Dalmatiam uſq; adveheret, cum jamdudum Saraceni Mahometis impii cultores, omnibus Chriſtianæ religionis veſtigiis abolitis, ibidem rerum potirentur.

Huc accedit, quod anno octavo quarti ſæculi, cum Anaſtaſius martyrium ſubiit, Africanis oſtium maris Adriatici intercluſum fuiſſe videatur. Africa enim ſub poteſtatem ditionemque Maxentii conceſſerat, quo cum ſuperiore anno bellum geſſerat Galerius, & adhuc de imperio contendebat. Cum autem Galerius obtineret Illyricum, dominatumque maris Adriatici, neceſſe eſt Africanis nihil omino commercii tum fuerit cum Illyriis Dalmatiſve, quin immo omnis ora maritima Dalmatica, ipſæque fauces Adriatici ſinus, Galerii claſſibus ac præſidiis ut obſiderentur, temporis illius bellique ratio poſtulabat, ne qua hoſtibus Africanis aditus pateret. Fieri ergo non potuit, ut qui profecti eſſent ex hoſtium regionibus, iidem inermes, & naviculæ nullo bellico apparatu inſtructa invecti, non ſolum in Adriaticum mare pervaſerint, ſed etiam ipſum Salonæ ſinum, oramque nemine prohibente ſubierint. Ex quo fit, ut Africani illi, de quibus in hiſtoria S. Anaſtaſii ſit mentio, orti profectique fuerint non ex magna illa Africa tertia orbis parte, ſed ex inſula Pharia, quæ interdum Africæ vocabulo appellata eſt. Quare ut paucis omnia complectar, cum intra oſtium maris Adriatici Africam quamdam minus proprie, & vel antiquis Geographorum Lexicis, vel ex depravatione nominis dictam habeamus, eamque, ut ita dicam, domeſticam, & Salonæ propinquam, unde nautæ illi in Salonitanum ſinum trajecerint, ut reliquias S. Anaſtaſii colligerent; quid, oro, cauſæ eſt, cur eorum originem ac profectionem inde uſque ab Africa longiſſime a Dalmatis disjuncta repetendam eſſe arbitremur?

CAPUT VIII.

De Translationibus S. Anaſtaſii.

§. I.

De prima Translatione ex agro ad urbem Salonitanam.

Corpus S. Anaſtaſii e domo Aſclepiæ in templum agri Salonitani illatum.

AB interitu S. Anaſtaſii quinque anni interceſſerant, cum Chriſtiani nominis hoſtibus ſublatis, & pace eccleſiæ reddita, Aſclepia pari generis claritate, ac vitæ ſanctimonia mulier, ejuſdem corpus, quod domi ſuæ conditum ad eam diem celaverat, intulit in eam ædiculam, quam ipſamet in ſuo prædio ſuburbano religioſius fortaſſe, quam magnificentius ad ejuſdem honorem Deo Optimo Maximo exſtruxit. *Supradicta autem femina beatiſſima, rata, quod tantum munus a Domino meruiſſet accipere, celavit paullulum corpus, donec perſecutionis conquieſceret furor. Deinde Baſilicam fecit, & beatum Martyrem in Salonitano territorio collocavit.* Ex prima ejus vita. *Chriſti Martyrem parvo tempore occultavit; exinde perſecutionis quieſcente procella, eadem illuſtris matrona Aſclipia Salonitano in prædio conſtruxit eccleſiam, in qua Dei Martyrem honorifice, ut decuit, collocavit.* Ex Auctore tertiæ vitæ Anaſtaſianæ. Templum Anaſtaſianum, quod ædificavit Aſclepia, longe illud quidem aberat ab ea forma & magnificentia, quæ Baſilicam decet; vocatur tamen Baſilica, propterea quia id nomen interdum promiſcue & communiter omnibus locis Deo ſacratis attribui ſolebat. Nam etiam Optatus lib. 1. contra Parmenianum omnia Romanæ urbis templa, cujuſcumque eſſent formæ ac magnitudinis, Baſilicas appellavit. Ejus porro ſacelli ne veſtigia quidem ullquam extant, unde aut ſitus dignoſci, aut illius figura deſcribi poſſit. Multis deinde annis interjectis venerandum illud depoſitum e ſuburbio Salonam invectum fuiſſe conſtat; quippe cum Spalatenſes poſt patriæ excidium non aliunde illud, niſi e Salonæ ruinis in novam urbem ab ſe conditam tranſtulerint, ut paullo poſt declarabimus. Primam igitur S. Anaſtaſii translationem ex agro Salonitano, & prædio Aſclepiæ in urbem Salonæ factam eſſe dicimus. At non facile eſt hujuſmodi translationis tempus conſtituere, cum de hac ne verbum quidem fecerint, qui vel Acta S. Anaſtaſii ſcripſerunt, vel eumdem ſuis elogiis ornarunt. Verum quod ab illis tacitum ac prætermiſſum eſt, id ex hiſtoria ſecundæ translationis ſane probabiliter colligi poteſt. Quod enim Spalatenſes poſt exciſam Salonam S. Anaſtaſium penes arcam S. Domnii conditum ſubter rudera urbis everſæ invenerint, id argumento eſt non improbabili utrumque eodem fere tempore & Salonam delatum, & ibidem ſepultum fuiſſe. Huc

Prima translatio ex agro in urbem Salonitanam.

Salo-

Digitized by Google

igitur revocare oportet, quæ de corpore S. Domnii Salonam advecto satis diligenter a nobis exposita sunt.

Postquam debellatum fuit cum Tyrannis ecclesiæ hostibus, Constantinus Magnus nihil habuit antiquius, quam ut Christi cultum & religionem, quibuscumque posset rebus ac subsidiis perquam studiose ornaret atque defenderet. Inter cætera, quæ ad ecclesiæ vel præsidium, vel ornamentum pie constituit, illud imprimis præclarum, ac Deo sanctisque martyribus perhonorificum, quod edicto sanxit, ut Christianis liceret sacras ædes collapsas restituere, & novas etiam, easque veteribus magnificentiores a fundamentis excitare. Per ea tempora Basilicam SS. Cosmæ & Damiani Salonæ ædificari cœptam esse; eaque demum perfecta & ornata corpus S. Domnii in urbem illatum, & in hujus Basilicæ sacello ad id sumptuose eleganterque constructo conditum fuisse diximus. Itaque cum admodum verisimile sit, eodem tempore Domnium pariter ex insula Pharia, & Anastasium ex prædio Asclepiæ in urbe receptos esse, utriusque translatio intra finem quarti sæculi contigisse videtur. Quamvis enim Constantini Magni edictis atque interdictis & audacia Ethnicorum compressa, & Christianorum incolumitati satis cautum esse videretur, adhuc tamen sæpe conflictandum erat cum Ethnicis magistratibus ac Dynastis, qui populorum Idola colentium viribus freti negotium haud leve identidem Christianis facessere solebant; & præterea sub idem tempus exorti sunt Ariani, qui post interitum Constantini Magni, Imperatorum gratia & favore subnixi, dici vix potest, quantas ecclesiæ clades intulerint, quam acerbe crudeliterque Catholicos ubique vexaverint. Nec vero inter eos tumultus Salonitanis otiosis ac pacatis esse licuit, quinimmo hoc vehementius ecclesiam illam exagitatam fuisse arbitror, quo propius aberat a Pannonia, ubi Valens & Ursacius impietatis Arianæ antesignani dominabantur, & qua plurimum valebant apud Constantium gratia, & auctoritate, ad hæresim propagandam abutebantur. Ex quo fit, ut Salonitani in ea rerum ac temporum perturbatione nihil minus, quam de Basilicis vel ædificandis, vel quas exstruere cœperant, absolvendis cogitaverint; quippe gravioribus curis exerciti in eo toti erant, ut ingruentia sibi ac religioni pericula propulsarent. Extincto Valente, qui Arianorum Imperatorum ultimus fuit, idemque non minus impense Arianos fovit, quam acerbe Catholicum nomen in Oriente afflixit, tum demum externis domesticisque hostibus compressis pax undique ecclesiæ fuit; quæ ut diuturna esset, ut nihil periculi, nihil insidiarum haberet, Imperatorum, qui deinceps consecuti sunt, pietas ac religio perfecit. Porro Valens interiit anno Christi 378., eoque defuncto Gratianus optimis quibusque Principibus annumerandus, Theodosium genere Hispanum haud bellica virtute, quam fide ac religione illustriorem in imperii societatem adscitum Orienti præposuit. Postquam igitur pace & otio ecclesiæ parto Catholici erigere animum ac respirare a diuturna clade ac metu cœperunt, tum maxime Salonitanorum cura & cogitatio versa est ad sacras ædes excitandas vel perficiendas; inter quas amplitudine ac magnificentia eminuit Basilica SS. Cosmæ & Damiani, cujus aliqua vestigia inter ruinas veteris Salonæ etiamnum extare perhibent. Ubi vero hujusmodi templum ad fastigium perductum fuit, expletumque omnibus suis numeris ac partibus, & insuper Christiano ritu, & sacris de more cæremoniis dedicatum, tum denique Clerus populusque Salonitanus

Salonitanæ Basilicæ absolutæ,

corpora SS. Domnii & Anastasii insigni pompa ac celebritate in novam Basilicam invexit, & utrumque in sacello Basilicæ adjecto religiosissime condidit. Hæc porro translatio referri potest ad annum 389, anno fere undecimo post interitum Valentis, quemadmodum diximus in Actis S. Domnii, ubi plura de hac Basilica, & translatione inventes.

In ex. corpus S. Anastasii cum corpore S. Domnii illatum videtur an. 389.

Atque id etiam causæ Salonitanos impulisse censeo, ut B. Anastasium ex agro in urbem transferrent, quod fortasse paullo ante eodem anno 389. Aquilejensium Legati, quod in ejus Actis scriptum est, postulatum venissent, ut ejus corpus sibi patriæque restitueretur. Cum enim ad ejus sepulchrum plura in dies & illustriora miracula divinitus fierent, neque Salonæ, neque Dalmatiæ finibus Anastasii ad morbos depellendos virtus ac fama se tenuit, sed longe lateque pervagata Aquilejam usque pervasit. Enimvero ægre ferebant Aquilejenses, popularis ac civis sui corpus tot ac tantis miraculis inclytum a Salonitanis possideri, & domesticis extraneos prælatos esse, qui & Anastasii sepulchro gloriarentur, & ejusdem ope ac beneficentia fruerentur. Quare delectos, ut fas est opinari, ex primaria nobilitate viros in Dalmatiam miserunt, qui a Salonitanis sacras illas exuvias repeterent, simulque justas repetendi causas exponerent, nimirum illuc Anastasium referri oportere, ubi vitam acceperat; id patriæ ac civibus suis deberi, ac proinde jure se, quod suum erat, postulare. Sed cum nihil neque rationibus, neque precibus profecissent, re infecta domum tristes redierunt; ajebant quippe Salonitani inique eos facere, qui sacrum illud pignus non humano, sed divino consilio ac munere Salonæ datum atque concessum, huic urbi eripere, alioque avehere conarentur; dubium non esse, quin ipsemet Anastasius eum locum suo sepulchro optaverit, quem martyrio suo delegerat; nullam vero patriam Anastasio potiorem aut cariorem esse, quam quæ illum ad immortalem beatamque vitam genuerat. Porro Salonitani cum satis intelligerent repulsam iniquo animo laturos Aquilejenses, eorumque legatos non tam rationibus convictos, quam necessitate coactos ab incepto destitisse, merito vereri poterant, ne alia via, dolo scilicet ac fraude, jus suum persequi molirentur; & intempesta nocte, tacitisque navigiis delati ad Salonitanum littus appellerent, sacrasque illas reliquias nullo præsidio septas, in agro patenti insidiis ac rapinis expositas surriperent. Quare hæc etiam causa videtur fuisse, cur venerabiles Anastasii exuvias intra urbis mœnia referendas esse duxerint, quo tutiores essent ab ejusmodi insidiis ac periculis, neve ipsi umquam depositi tam præclari utilisque possessionem amitterent.

Per idem tempus Lapis Aquilejam relatus.

Atque ego quidem arbitror per idem tempus Aquilejam relatum fuisse lapidem illum molarem, quem carnifices Anastasio alligaverant, quo altius in mari demergeretur. Quippe verisimile est Salonitanos Aquilejensium Legatis, ne illos prorsus vacuos tristesque dimitterent, hujusmodi saxum tradidisse, quod e sacri corporis contactu religionis ac venerationis causam acceperat. Neque vero si scriptores historiæ Anastasianæ Aquilejensem lapidis translationem vel cum inventione corporis ex aquis educti, vel cum ejusdem sepultura in prædio ac templo Asclepiensi conjungunt, sequitur illico ejusmodi lapidem multo ante Aquilejam advectum fuisse, quam ab ea urbe Legati Salonam advenerint. Nam historici sæpe numero res temporibus disjunctas oratione connectunt, præsertim si qua inter eas similitudo vel affinitas intercedat. Cum

autem de ſacris Anaſtaſii exuviis e mari ſublatis, relatiſque in prædium Aſclepiæ narraſſent, inſtitutæ narrationi conſentaneum eſſe videbatur, ut aliquid huic loco interſererent de lapide illo, qui pariter inter Anaſtaſianas reliquias annumerandus erat; & quo fuerit delatus, & quid cultus honoriſque eidem adhibitus ſit, paucis exponerent. Cæterum in ſexta lectione Spalatenſis Breviarii, quæ VII. Kal. Septembris feſto ipſo ac natali Anaſtaſii die recitari ſolet, aptius congruentiuſque ad ordinem Chronologicum Aquilejenſium Legationi lapidis translatio ſubnectitur, ſic ut ſatis appareat alteram cum altera tempore conjunctam fuiſſe: *Quorum* (miraculorum) *fama permoti Aquilejenſes, ut civem ſuum apud ſe haberent, enixe, ſed fruſtra poſtulârunt. Lapis tamen, qui collo Martyris ſuſpenſus fuit, Aquilejam delatus fuit occaſio ædificandæ eccleſiæ.* Legationem itidem Aquilejenſem tum Auctor Slavonicæ laudationis, tum Auctor tertiæ vitæ ſtatim ſubjiciunt, poſtquam de templo & ſepulchro Aſclepienſi S. Anaſtaſii miraculis inclyto narrarant; ſed cum iidem nullam certi definitique temporis notam apponant, integrum nobis eſt eamdem rejicere ad finem quarti ſæculi; ac tum poſt diſceſſum Legatorum, corpus S. Anaſtaſii in urbem illatum, ne illud Aquilejenſes vi aut fraude interverterent, ad ſeque transferrent, & una cum B. Domnio apud Baſilicam SS. Coſmę & Damiani conditum fuiſſe videtur. Quod autem iidem vitæ Anaſtaſianæ Scriptores Aquilejenſem lapidis translationem Afris illis ſeu Phariis naviculariis attribuere videantur, id mihi hercle non fit veriſimile; quid enim illorum intererat res Aquilejenſium curare; quid illis cum his erat commercii aut ſocietatis? aut quid tandem cauſæ excogitari poteſt, cur Pharienſes Aquilejam mallent, quam Phariam lapidem illum referre? Petro Equilino, & Philippo Ferrario prorſus aſſentior, qui ajunt caput quidem Martyris ab nautis illis in patriam ſuam advectum fuiſſe, ſed lapidem neque Aquilejam, neque alio ab illis delatum eſſe commemorant.

Legatio Aquilejenſium ad finem 4. ſæculi rejiciendæ.

Quo autem anno S. Domnium Salonam translatum diximus, eodem & S. Anaſtaſium in eamdem urbem & Baſilicam e ſuburbio tranſvectum putamus, qui fuit annus Chriſti 389. Translationem S. Domnii per conjecturam quamdam ex Martyrologio Caudienſi deſumptam ad diem 22. menſis Julii affiximus. Dies vero primæ translationis S. Anaſtaſii unde conjici poſſit, non habemus. Præter diem 26. Auguſti martyrio S. Anaſtaſii conſecratum, tres invenio dies ejuſdem Anaſtaſii nomine, & commemoratione inſignes, unum apud Latinos, qui eſt VII. Idus Septembris, duos apud Græcos, ſcilicet 25. Octobris, & 5. Decembris. Haud ſatis liquet, quæ cauſa ſeu Græcos ſeu Latinos impulerit, ut dies illos Anaſtaſii nomine feſtos agerent; veriſimile tamen eſt, unum ex illis tribus diebus eſſe, in quem prima ejus translatio inciderit; quique propterea in faſtos Divorum relatus fuerit, ut ejuſdem translationis commemoratio ſingulis annis fieret, ac debito honore cultuque celebraretur.

Dies translationis Anaſtaſianæ incertus.

§. II.

De ſecunda Spalatenſi translatione S. Anaſtaſii.

SUnt, qui hanc Anaſtaſii translationem propterea in dubium revocant, quod antequam Spalatum ædificari incolique cœpiſſet, Martinus Abbas, una cum aliis Divorum exuviis corpus etiam S. Anaſtaſii Romam tranſvexerit. Negant iidem corpus S. Domnii delatum fuiſſe Spalatum, ſed ab eodem Martino in urbem advectum; & in Baſilica Lateranenſi pariter cum S. Anaſtaſio conditum affirmant. Verum in Actis S. Domnii eorum argumenta ſatis ſuperque diluimus, ac ſententiam noſtram & ſummorum virorum auctoritate, & certiſſimis Spalatenſis eccleſiæ monumentis ita confirmavimus, ut nullus hac de re ambigendi locus relictus eſſe videatur. Huc itaque ſpectant, revocarique oportet, quæ illic in hanc ſententiam diligenter copioſeque diſſeruimus, quippe cum eadem translatio & utrique Martyri communis fuerit, & iiſdem ferme rationibus ac teſtibus innitatur. Si quid peculiaris argumenti pro Lateranenſi ſepulchro S. Anaſtaſii afferri poteſt, id capite proximo refellendum erit. Nunc ex idoneis probatiſque Auctoribus, & Spalatenſis eccleſiæ tabulis ea teſtimonia proferimus, quæ ad hanc ſecundam S. Anaſtaſii translationem referuntur. Hæc autem eo etiam pertinent, ut oſtendant nullo modo fieri potuiſſe, ut Martinus Abbas Anaſtaſii corpus Romam attulerit, cum inventum ſit, translatumque Spalatum, poſtquam ille Apoſtolica legatione functus e Dalmatia diſceſſit.

Neque Domnius, neque Anaſtaſius Romani per Martinum Abbatem translati.

Thomas Archidiaconus Hiſt. Salonit. cap. XII., quod inſcribitur, de translatione SS. Domnii & Anaſtaſii. *Eodem* a *tempore* b *Reverendus Antiſtes cæpit tractare cum civibus, ut corpus B. Domnii Pontificis, quod Salonæ remanſerat, levaretur, translatumque in eccleſia* c, *quæ nuper dedicata fuerat, locaretur, & valde placuit omnibus . . . . Effodientes autem terram, locumque diſcooperientes, arcam, quæ primo apparuit, levaverunt, & metuentes, ne forte impedirentur* d *a Sclavis, cum celeritate magna Spalatum detulerunt; quam aperientes non corpus B. Domnii, ſed corpus B.* e *Anaſtaſii Martyris invenerunt.* Et poſt deſcriptam B. Domnii inventionem hæc ſubjecit: *Amborum Martyrum pignora pretioſa locaverunt in prænominata* f *Dei Genetricis eccleſia, ubi dante Domino uſque hodie requieſcunt.*

a b

c

Inventio corporis S. Anaſtaſii Spalatum delati.

d

e

f

g Adamus Pariſienſis in hiſtoria translationis S. Domnii, quam hujus Actis inſeruimus. *Sed metuentes, ne forte a Slavis impedirentur æmulis, cum celeritate magna Spalatum arcam prædictam, quæ primo apparuit, detulerunt, laudes cum jubilo decantando; quam quidem aperientes non corpus B. Domnii, ut ſperabant, ſed B. Martyris Anaſtaſii invenerunt.* Poſt multa interjecta de inventione S. Domnii, inſtitutam narrationem his verbis perſequitur: *Fidelis Pontifex cum Clero & populo laudes dulciſſimas decantando, imitatus B. Joſeph, qui noſtrum Redemptorem involvit ſindone, in eadem eccleſia ſacras reliquias pannis pretioſiſſimis involutas ex parte* h *meridiana pro* i *altari ſub* l *duplici ſarcophago cum gratiarum actione recondidit. Corpus vero B. Anaſtaſii M. in* m *Aquilonari parte ejuſdem eccleſiæ ſub* n *ara ſacrificiorum cum pſalmodia devotiſſime reponentes, ubi reverenter ac honorifice uſque hodie præſervatur, & honorabilius veneratur. Sicque utrique Chriſti Martyres, quos natura miniſtra Divina providentiæ in diverſis naſci provinciis protulerat, una fides, ſed diverſa ſupplicia tormentorum* o *hunc ab Oriente,* p *illum ab Occidente, iſti caput a ſpiculatoribus amputatur, illi mola collo alligata in undis æquoreis ſubmergitur, in una & eadem eccleſia collocavit; ubi ſuffragante gratia bonorum omnium largitoris, ipſorum Martyrum glorioſiſſimorum pignora pretioſa* q *innumerabilium miraculorum titulis inſignita in maxima reverentia requieſcunt.*

g

h i l

m

n

Anaſtaſius cum S. Domnio in ædc Cathedrali depoſitus.

o p

q

Acta ſecundæ translationis Anaſtaſianæ ex IV. & V. Lectione 2. Noct. Breviarii Spalatenſis pro die

28. Ju-

Digitized by Google

r 28. Julii. *Joannes* r. *hujus nominis primus Archiepiscopus ecclesiæ Spalatensis, cum dedicasset in honorem Beatæ Virginis Mariæ insigne fanum Jovis a Diocletiano Imperatore in ipsius palatio olim exstructum, cupiens sacras reliquias Sanctorum Martyrum Domnii & Anastasii ex ruinis celeberrimæ urbis Salonarum eruere, & in templo a se repurgato & consecrato collocare; convocata pii populi multitudine ad Salonarum ruinas, ubi Basilica fuerat, se alacer confert; locus, in quo sacri loculi latitabant subterraneis fornicibus inclusi, & si notus quibusdam esset, vepres tamen & virgulta illum maxime contegebant. Primus omnium ad pium opus fidelis Pastor accingitur, sequuntur oves Pastorem, certatim omnes labori incumbunt, virgulta & vepres amovent; cæmenta & lapides ingentes asportant, suggerente Deo vires laborantibus; effossa jam aliqua profunditate, miræ suavitatis odor exhalat, loculus unus detegitur, & odor augetur: accurrit pius Pontifex cum Clero; metuentesque ne forte a Slavis turbarentur suis annalis, magna cum celeritate loculum, qui primus apparuit, ita ut erat clausum, Spalatum detulerunt; quem quidem aperientes, non corpus S. Domnii, uti sperabant, sed Sancti Martyris Anastasii invenerunt.*

Caput 6. Anastasii repertum.

NOTÆ.

a Ideſt anno circiter 660., ut diximus in Actis S. Domnii, die vero 28. Julii, qua quidem die apud Spalatenſes anniverſaria hujus tranſlationis memoria ſolemni officio rituque celebratur. Ab Dalmatica Martini Abbatis legatione anni fere viginti interceſſerant.

b Joannes primus Spalatenſium Antiſtes, quem antea Archidiaconus nominaverat. Is ab anno 650. uſque ad annum 680. eccleſiæ Spalatenſi præfuit.

c Antea fuerat templum Jovis ab Diocletiano magnifice conditum, quod Chriſtiano ritu expiatum, idem Joannes in honorem Deiparæ Virginis, Deo optimo Maximo conſecraverat.

d Hi ſiquidem prope aberant, & oppidulum quoddam ex urbis exciſæ ruderibus exſtructum, ac Salonitani, & Tragurienſis agri confinibus impoſitum incolebant; quod nunc vix pagi nomen ac ſpeciem obtinet, appellaturque *Campus longus*.

e Ex eu dignoſci potuit corpus S. Anaſtaſii, quod ejus caput indidem aberat; quippe Spalatenſes fama & auditione a majoribus acceperant ſacrum illud caput tranſlatum fuiſſe in Phariam inſulam, & ibidem etiamnum aſſervari inter omnes fortaſſe conſtabat.

f De hoc templo plura in Actis S. Domnii.

g De quo Archidiaconus cap. XVI. hiſt. Salonitanæ: *His temporibus* (ideſt ſæculo XI.) *Adamus quidam Pariſienſis optime in artibus eximatus, pergendo Athenas ad Græcorum ſtudia devenit Spalatum. Et cum fuiſſet a Laurentio Antiſtite honorifice ſuſceptus, rogatus eſt ab eodem, ut paſſiones Beatorum Martyrum Domnii & Anaſtaſii, quæ inculto fuerant antiquitus ſermone conſcriptæ, luculenta faceret compoſitione nitere. Quod ille gratanti corde conſenſit, ſumptoque themate a veteribus hiſtoriis legendas utriuſque Martyris lepido ſatis dictamine innovavit, hymnos etiam compoſuit, & quidquid de B. Domnio muſice canitur, metrica ſermone conſcripſit.*

h Siniſtrum quippe Baſilicæ latus, ubi Domnius conditus eſt, ad Meridiem ſpectat.

i Siquidem marmorea tabula, qua ſuperne claudebatur Sarcophagus, erat pro ſacra Menſa, ubi res divina fieri ſolet.

l Duobus loculis corpus S. Domnii incluſum fuerat, utroque marmoreo.

m Ideſt e regione ſepulchri S. Domnii, in dextero Baſilicæ latere Septemtrionibus obverſo.

n Arca S. Anaſtaſii itemque S. Domnii loco altaris erat.

o Nimirum S. Domnius Antiochiæ natus eſt loco honeſto, & urbe Orientis clara in primis ac nobili.

p Anaſtaſius quippe genere ac patria erat Aquilejenſis; quæ urbs ac provincia Occidentalis imperii finibus continebatur.

q Multa & præclara miracula ad ſepulchrum utriuſque Martyris facta fuiſſe conſtat; ſed quid miraculorum id eſſet, incompertum habeo; neminem quippe invenio, qui eadem ſingillatim in codices retulerit; vel certe codices, in quibus erant deſcripti, vetuſtate interierunt.

r Ad lectionem utramque notas appoſuimus in Actis S. Domnii, quas ſi lubet, ibidem videas licet.

§. III.

De capite S. Anaſtaſii Spalatum tranſvecto.

IN Actis Latinis neque caput S. Anaſtaſio abſciſſum, neque alio idem allatum fuiſſe invenies. At primum quidem affirmant Menæa Græcorum, alterum vero docent Petrus Equilinus, Philippus Ferrarius, Martinus Baucerius, idque poſtremum ſubobſcure indicaſſe videtur ſcriptor primæ vitæ Anaſtaſianæ, cum ait, *Afros portionem martyrii, ipſius gratia ſuſtuliſſe*. Quid aliud porro eſt *portio martyrii*, niſi caput Martyris, cujus amputatio recte dici poteſt portio, ſeu *pars præcipua* ejuſdem martyrii. Ergo nautæ illi Africani, ſeu Pharienſes, ut nos interpretati ſumus, qui corpus S. Anaſtaſii e mari ſublatum, quamvis ægre, paſſi tamen ſunt extorqueri ſibi a ſervis Aſclepiæ, ne in crimen ſuſpicionemve homicidii vocarentur, omnem ſolertiam induſtriamque adhibuere clam illos occulteque, ut ſacrum illius caput ſibimet religionis cauſa retinerent, atque in patriam deveherent, urbi ac civibus ſuis ornamento pariter ac præſidio futurum. Pharienſes autem cives, ut præclara illa lipſana, quo dignum erat, honore cultuque afficerent, eiſdem ſacram ædem excitarunt, in qua D. Anaſtaſius multis ac magnis miraculis vim ſuam ac præſentiam declaravit; quippe Pharienſium pietatem ac religionem B. Martyri cordi fuiſſe & morbi divinitus depulſi, & Dæmones ab obſeſſis corporibus exacti, & alia id genus beneficia per eum a præpotenti Deo accepta haud dubie ſignificarunt; id quod teſtantur Equilinus, Ferrarius, Baucerius. At qui Acta Anaſtaſiana litteris conſignarunt de hoc templo Pharienſi ne verbum quidem faciunt; ſed de templo Aquilejenſi, ac lapide illuc illato eadem commemorant, quæ illi de Africano ſeu Pharienſi ſcripſerunt; nam & templum Aquilejæ D. Anaſtaſio exſtructum multis itidem Deus, illuſtribuſque adornavit miraculis.

Caput 7. Anaſtaſii ad inſulam Phariam advectum.

Porro ſatis conſtat idem venerandum caput longo intervallo relatum fuiſſe Spalatum, quippe cum hodieque ſervetur colaturque in æde Cathedrali Spalatenſi; ſed quo tempore, quove auctore illud Spalatenſes receperint, & quamdiu apud ſe Pharienſes retinuerint, incompertum eſt. Nullæ ſunt tabulæ, nulli teſtes, monumenta nulla, ex quibus id dignoſci poſſit. Quare ut in aliis rebus permultis, quæ omni luce litterarum carent, ita etiam hoc loco, cum quid veri ſit ſcire non liceat, illud ſequi oportet, quod ſimilius vero eſſe videatur. Ubi enim nihil teſtium aut argumentorum ad veritatem

Deinde translatum eſt Spalatum.

Digitized by Google

adjequandam adhiberi queat, nihil prohibet, quominus conjecturæ subsidio veniantur.

Corpus S. Anastasii sine capite inventum, ac Spalatum fuis delatum.

Ac primum quidem illud sane videtur verisimile, nondum Spalatenses capite S. Anastasii potitos fuisse, cum ejusdem corpus in novam urbem transtulerunt. Id adeo ex historia translationis comiciqueteſt. Spalatenses arcam S. Anastasii e Salonæ ruinis effossam loci alacresque in urbem vexerant, quod in ea corpus S. Domnii continerî vulgo existimarent. Verum amoto operculo, sua se opinione deceptos esse, & pro re certa spem falsam domum retulisse intelligunt; quippe cum haud dubiis indiciis comperiissent inventum ab se relatumque Anastasium pro Domnio, cujus gratia potissimum id laboris atque operis susceperant. Jam vero illud pervelim scire, quidnam signi in hujusmodi arca deprehenderint, unde illud corpus esse Anastasii tum certo colligerent, ut ea de re ne dubitaverint quidem. Nam quod Pontificalia ornamenta, & insignia indidem abessent, id sane aliquid argumenti erat, cur exuviæ illæ ad Anastasium potius, quam ad Domnium pertinere putarentur. At nonnulla objici possunt, quæ hujus indicii vim vel prorsus infringant, vel certe sic imminuant, ut non omnem ex animis Spalatensium dubitationem eximere possent. Quid enim si vestes, quibus corpus illud indutum erat, situ & vetustate adeo consumptæ ac tabefactæ fuissent, ut nullo modo dignosci posset, utrum essent vulgares, an Pontificiæ? hoc autem eo verisimilius est, quod in Salonitano sepulchro annos ferme quadringentos jacuerat. Præterea nonne dubitari poterat, utrum Salonitani, cum corpus S. Domnii conderent, aliquid signi satis certi eidem apposuerint, ex quo Pontificia ejus dignitas agnosceretur? Et vero Spalatenses cum postridie inventam S. Domnii arcam recluderent, nihil aliud reperisse leguntur, nisi codicem Evangeliorum, qui aberat quidem ab loculo Anastasiano, sed ejus absentia pertenui indicio erat illud esse corpus Anastasii; neque enim constat lege ulla præscriptum fuisse, ut nemo Episcoporum sine illo libro conderetur, sic prorsus, ut si forte in alicujus sepulchro deesset, continuo existimari deberet ille Episcopali charactere ac dignitate caruisse. Ad hæc: nulla erat inscriptio lapidi extrinsecus incisa, quæ Anastasii ibidem conditi index ac testis foret; intra loculum vero nulla inventa legitur tabella, cui ejusdem nomen insculptum esset. Restat igitur, ut id fuerit signi, unde Spalatenses apertissime, & planissime cognoscerent illud esse corpus ipsissimum S. Anastasii, quod ejus caput indidem abesset; neque enim ignorare poterant, quod a majoribus acceperant, ejus Martyris caput in Phariam insulam statim ab ejusdem martyrio translatum fuisse. Porro ad dignoscendum S. Anastasii corpus nihil hoc indicio clarius, nihil certius, nihil evidentius Spalatensibus esse potuit. Quod si hoc vel unicum vel certe maximum argumentum fuit, ex quo Anastasianum corpus agnitum fuit, illud plane sequitur, nondum illud ex insula Pharia relatum fuisse, cum anno circiter sexagesimo septimi sæculi arca S. Anastasii e diruta Salona in urbem novam advecta est. Reliquitur ergo, ut capitis translatio in posteriora tempora rejiciatur.

Capitis translatio e Pharia Spalatum referri potest ad initium 13. sæculi.


Ac mihi quidem temporum, quæ postea longissimo tractu consecuta sunt, rerumque deinceps gestarum seriem consideranti nullum videtur esse tempus neque aptius, neque opportunius, cui ejusmodi translatio illigetur, quam initium sæculi XIII., cum Bernardus Archiepiscopus ecclesiam Spalatensem gubernabat, qui ab anno 95. duodecimi ad annum 17. insequentis sæculi Pontificatum perduxit. Is ad cultum ornatumque B. Anastasii multum operæ pecuniæque contulit. Novum eidem altare vel exstruxit, vel magnificentius ornavit, ejusque arcam ex antiquo altari in aram nobiliorem transtulit. *Ille*, inquit Archidiaconus hist. Salonit. c. 25. *extraxit corpus B. Anastasii ab altari veteri, & collocavit in eodem loco in altari novo A. D. MCCIX.* Quod vero ad rem nostram maxime pertinet, argenteam lipsanothecam faciendam curavit, in quam sacrum illius caput includeret. Atque ut B. Anastasii cultus aucti propagatique memoria apud posteros extaret, inscriptionem hujusce rei testem, in ipsa lipsanotheca his litteris majusculis incidi jussit. *A. D. N. J. Christi MCCX. Indict. XIII., tempore D. Innocentii Papæ III., & Andreæ Regis Hungariæ, & Domini Bernardi Archiepiscopi, & Domaldi Comitis 5. Kal. Junii. Hoc opus factum est, & altare consecratum ad honorem Dei & S. Anastasii, in quo ejus corpus requiescit, cujus hoc caput est.* Extat hujusmodi inscriptio apud Historicum Dalmatam in ejus Collectaneis Mss., itemque in *addendis vel corrigendis in opere de Reg. Dalmat. & Chroat.* ad Historiam Traguriensem adjectis. Fateor equidem in his prælo editis an. 1673. notari annum Christi MCCXI., cui & hujus lipsanothecæ absolutio, & altaris consecratio affigitur; sed cum in Collectaneis Luciani Auctoris ipsius manu exaratis inscriptus sit annus decimus tertii sæculi, hanc posteriorem epocham priori facile præferierim; præsertim cum hanc confirmet altera inscriptio proximo paragrapho inferenda, in qua ejusdem altaris Anastasiani dedicatio ad annum MCCX. refertur. Præterea Ind. XIII. in annum sæculi decimi tertii non undecimum, sed decimum incidit. Quare mendum Chronologicum irrepserit oportet in codicem historiæ Salonitanæ, nota una Arithmetica I. per errorem librarii interjecta; neque enim IX., sed X., tertii sæculi anno Bernardus altare illud perfecit & consecravit, in eoque condidit corpus S. Anastasii e veteri sepulchro translatum: nisi forte placeat altaris constructionem ab ejusdem dedicatione unius anni interjectu disjungi, sic prorsus, ut hæc quidem an. 1210., illa vero superioti anno facta fuerit.

Porro verisimile est hanc præcipue causam Bernardo fuisse, ut B. Anastasium tot tantisque ornamentis & honoribus afficeret, quod per ea tempora Spalatenses venerabile ejusdem caput ex insula Pharia relatum in urbem receperint. Nam rum ferme Cœlitibus majores, quam antea; honores haberi solent, eorumque cultus ac religio, si forte obsoleverat, in pristinum splendoris & gloriæ statum restitui, auctiorque fieri, cum urbes populique eorumdem reliquias vel amissas recuperant, vel aliunde acceptas adipiscuntur; idque in re nostra eo credibilius videtur esse, quod nullus ante Bernardum Archiepiscopus fuisse legitur, qui ad colendum ornandumque Anastasii caput, aliquid studii operæque contulerit; ut insoliti cultus honorisque eidem adhibiti major quædam & illustrior causa fuisse videatur, quam sola Antistitis quamvis eximia erga sanctissimum Martyrem pietas ac religio. Præterea cum multas ecclesiæ Spalatensis tabulas inspexerim, & Spalatenses scriptores fere omnes evolverim, nusquam inveni hujus capitis mentionem fieri ante annum decimum sæculi XIII. cum Bernardus eam, quam dixi, epigraphem in argentea lipsanotheca aureis litteris incidendam curavit. Cum autem hujus sacri capitis apud Spalatenses culti asservatique ante initium ejusdem sæculi nullum monumentum, aut vestigium extet, probabiliter dici potest, non ante in urbem Spalatensem relatum

Honor peculiaris adhibitus capiti Anastasiano, ejusdem translationis tempus indicat.

Digitized by Google

T SEPULCRUM S. ANASTASII MARTYRIS.



Digitized by Google

esse, quam Bernardus ejus ecclesiæ administrationem suscepit.

Oportunitas illius capitis Spalatum transferendi.

Hic vero Bernardo ac Spalatensibus sacri illius pignoris recuperandi potestas & occasio defuit. Is quippe Archiepiscopus tum apud Belam eo nomine tertium Dalmatiæ & Chrobatiæ Regem, tum apud Henricum, & Andream Belæ filios auctoritate & gratia vel plurimum valebat, ac prorsus, ut multa & præclara unius Archiepiscopi causa cum ad commodum & ornamentum civitatis, tum ad splendorem ac dignitatem Spalatensis ecclesiæ, vel decreverint, vel large effuseque contulerint. Nihil autem Bernardo facilius fuit, quam regio favore, neque auctoritate interposita, illud a Pharensibus impetrare, ut caput S. Anastasii ecclesiæ Metropolitanæ concederent; præsertim cum per id tempus is penes Archiepiscopum Electumque Spalatensem Pharensis ecclesiæ administratio esset. Cum enim Nicolaus & Michas de Pharensi Episcopatu acerrime inter se contenderent, res delata est ad Innocentium III. Pontificem Maximum, qui ab ejus ecclesiæ titulo, & prorsus utroque abstinere jussit, dum de toto illius controversiæ statu cognosceret, ac rationum momentis in utramque partem expensis, ex æquo & bono causam alterutri adjudicaret: interea vero ne quid detrimenti ex illo Episcopali interregno res Christiana caperet, illius ecclesiæ curationem & gubernationem Archiepiscopo & Canonicis Spalatensibus commisit. Itaque Archiepiscopus præclaram sacri capitis potiundi occasionem sibi oblatam minime prætermisit, & consentiente atque adeo approbante Capitulo, partim auctoritate sua, partim Regis favore ac præsidio suum venerandas illas reliquias Salonitanæ seu Spalatensi ecclesiæ, unde olim transvectæ fuerant, haud invitis Pharensibus, restituit, id causæ fortasse præterquam, consentaneum esse caput cum cæteris membris conjungi, affirmansque sibi curæ & cordi fore, ut Spalati, quam Pharize honorificentius coleretur. Adde, quod ipsemet Nicolaus, qui e Capitulo Spalatensi ad ecclesiam Pharensem multorum suffragiis evectus fuerat, cum jussu Pontificis ex ea insula & ecclesia discederet, venerabile illud depositum secum auferre potuit, quod Spalatensibus dono daret, sive ut patriæ suæ gratificaretur, sive ut sibi suæque causæ Archiepiscopi & Capituli Spalatensis patrocinium, maximi apud Pontificem & Regem ponderis futurum conciliaret.

Hujus loci esset atque instituti formam speciemque veteris illius lipsanothecæ æneis typis expressam lectorum oculis subjicere, sed nullum extat exemplar, unde illa describi possit. Nam haud multis ante annis Spalatenses Venetias miserunt, qui eam cum aliis argenteis signis vetustate exesis atque obsolatis fundendam liquandamque curarent, ut ex ejusmodi argento duæ lipsanothecæ novo elegantiorique opere conflarentur, quarum altera dentem S. Domnii, altera caput S. Anastasii includi placuit.

Duo sepulcra, alterum Domnio, alterum Anastasio sacrum.

§. IV.

De altari & sepulchro Spalatensi S. Anastasii.

JOannes primus hujus nominis Archiepiscopus Spalatensis, cum a ruderibus excisæ Salonæ corpora Sanctorum Domnii & Anastasii in urbem novam transtulisset, nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut suum utrique altare construeret in æde Metropolitana, quam Deo Optimo Max. in honorem Deiparæ Virginis consecraverat. Ab ea parte, quæ ratione habita summi altaris lævæ est, vergitque ad Meridiem, S. Domnio, ex adverso autem, quæ est pars dextera Basilicæ, spectatque in Septemtrionem, S. Anastasio aram posuit, & consecravit; atque ille quidem ad lævam, hic vero ad dexteram propterea locatus est, quod temporibus illis, ut sæpe monuimus, tum apud Græcos, tum apud Latinos sinistra pars, quam dextera, honorificentior haberetur. Qui ergo alteri vel ætate vel dignitate antecederet, ut Domnius Anastasio, huic honoris causa locus a sinistra attribui solebat. Duas illas marmoreas arcas, in quibus inclusa fuerant ossa Domnii & Anastasii, e Salonitanis ruderibus erutas, & Spalatum transvectas obtegit clauditurque lapis quadratus oblongus, qui utrique altari vicem præstat Mensæ Sacræ, super quam res divinæ fieri solet. Hæc omnia cognosci possunt ex Historia translationis, quam supra descripsimus: *Fidelis Pontifex cum Clero, & populo laudes duleissimas decantando, imitatus B. Joseph, qui nostrum Redemptorem carne morientem involvit sindone, in eadem ecclesia sacras reliquias* (B. Domnii) *pannis pretiosissimis involutas ex parte meridiana pro altari sub duplici sarcophago cum gratiarum actione recondidit. Corpus vero B. Anastasii martyris in Aquilonari parte ejusdem ecclesiæ sub ara sacrificiorum cum psalmodia devotissime reposuit.*

Bernardus Archiep. conditor aræ Anastasianæ.

Ara S. Domnii, itemque ara S. Anastasii adeo inter se opere ornatuque omni sunt persimiles, ut qui unam viderit, ambas viderit. Priorem descripsimus in Actis S. Domnii, ejusque exemplar typis æneis expressum ibidem adjecimus. Hujus porro, ut nunc extat, auctor conditorque non fuit Joannes I. Spalatensium Antistes. Sed Anastasiani altaris ea, quæ nunc visitur, forma & specie exstructi absolutique laus videtur tribuenda esse Bernardo Archiepiscopo, qui pro sua erga sanctissimum martyrem egregia voluntate ac religione hoc monumentum excitavit, ad cujus exemplar deinde multis post ætatibus Petrus Disceviticus Archiep. Spalatensis novum S. Domnio altare materia ac forma omnino simili faciendum curavit. Id docet Thomas Archidiaconus, qui aram illam, in qua Bernardus locavit corpus S. Anastasii, novam appellat; idem confirmat duplex inscriptio, quarum alteram superiori paragrapho exhibuimus, alteram infra subjiciemus, in utraque enim consecratio hujus altaris Bernardo tribuitur; nisi autem novum fuisset, recensque conditum, nihil causæ erat, cur iterum consecraretur. Quare Anastasiani altaris vel a fundamentis exstructi, vel certe magnificentius aucti & ornati decus, uni Bernardo debetur. Cujus forma talis. Gradus, per quos ad altare ascenditur, constant e lapidibus lectis, scitoque elaboratis. Area marmorea, in qua continetur corpus S. Anastasii Salona transvectum, cujusque pars superior sacræ mensæ locum obtinet, incumbit areæ extremo summi gradus, supra quam, dum ad aram faciunt, pedibus Sacerdotes consistunt. Hinc altera superstat arca itidem marmorea, introrsum recedens, adhærensque pariet, cujus anteriorem partem aliquot Divorum signa (cite venuste que facta, & quinque loculamentis inclusa, & varii colores auro interliti mirifice adornant. Locum medium tenet Christi Domini flagellis cæsi effigies egregie cælata. Supra ipsam arcam visitur simulacrum S. Anastasii justam humeni corporis mensuram adæquans, totum e candido marmore in modum dormientis decumbens. In summo denique ingens supereminet conopæum item ex marmore constans, quod variis flexibus ac plicaturis mira arte dispositum, quo magis deorsum vergit, eo latius explicatur, & egregiis coloribus depictum, aureis-

Ejusdem descriptio.

aureisque notis ac lineis intermicans, prælata illa ſpecie, & ad rationem ſolertiamque præſtantiſſima, oculos intuentium animoſque ſine ſatietate delectat.

Corpus S. Anaſtaſii ex vetere in novam arcā tranſlatum. Condito ornatoque altari Bernardus ex ara veteri corpus S. Anaſtaſii exemit, illudque in aram ab ſe conditam tranſtulit, aramque ipſam Pontificali ritu, ſolemnique cæremonia conſecravit. Id quippe intelligi voluit Thomas Archidiaconus ſæpe laudatus, cum hæc de Bernardo ſcripſit. *Iſte extraxit corpus B. Anaſtaſii ab altari veteri, & collocavit in eodem loco in altari novo.* Annum diemque conſecrationis apponi juſſit cum hac epigraphe parieti inciſa, quam vetuſtate indidem abraſam Hiſtoricus Dalmata in ſuos codices Mss. retulit. D. O. M. HOC. TIBI. BERNARDUS. PRIMAS. ALTARE. SACRAVIT. MARTYR. ANASTASI. QUEM. TENET. ISTA. QUIES. AN. D. MCCX. X. KAL. JUNII. Eumdem annum diemque hujus aræ conſecratæ notatum invenies in altera inſcriptione, quam idem Bernardus aureis litteris inſculpendam curaverat in argentea lipſanotheca, in qua ſacrum Anaſtaſii caput incluſit.

Joan. Baptiſta Laghi Arch. Spalat. viſitat arcam S. Anaſtaſii. Joannes Baptiſta Laghi Archiepiſcopus Spalatenſis, qui anno hujus ſæculi 20. Pontificatum iniit, cum ædem Cathedralem Epiſcopali more rituque inviſeret ac luſtraret, arcam illam inferiorem juſſit recludi; in eaque invenit aliquot martyrum reliquias, inter quas erant aliquæ, quibus inſcriptum erat nomen S. Georgii martyris, ejus, ut nos putamus, qui fuit Epiſcopus Salonitanus ſub finem tertii ſæculi, & ſub Diocletiano præclaram pro Chriſto mortem oppetiit. Idem Archiepiſcopus e codicibus Mss. Hiſtorici Dalmatæ in hanc arcam inferiorem transferri, & majuſculis litteris in ea incidi juſſit epigraphem illam, quam Bernardus in eo Anaſtaſiano ſacello inſcripſit, ut conſecrati ab ſe altaris memoria apud poſteros extaret. Cum autem jampridem dubitari cœpiſſet, utrum ſolemni conſecratione initiatum eſſet umquam altare Anaſtaſianum, Joannes Baptiſta Laghi cæremoniarituque Pontificali conſecrandum putavit. Sed cum veteres inſcriptiones eam conſecrationem a Bernardo factam eſſe teſtentur, neceſſe eſt hoc, quod nunc extat, altare Anaſtaſianum aliud eſſe ac diverſum ab eo, quod Bernardus exſtruxit, & conſecravit. Hic ſubjiciendum cenſuimus tum exemplum tabularum, quibus rite conſignata fuit inventio reliquiarum, quas ſupra diximus, itemque conſecratio altaris, tum etiam ipſius altaris, & arcæ utriuſque iconographiam, quam Joannes Baptiſta Camozzinus nobilis Architectus calamo delineavit, nos vero æneis typis imprimendam curavimus.

Die Lunæ 17. Septembris 1725.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſs. D. Joannes Baptiſta Laghi Archiepiſcopus, cum ex relatione Sacriſtæ Presbyteri Dominici Deodati comperuiſſet, occaſione cujuſdam rimæ inter baſim & ſtipitem altaris S. Anaſtaſii martyris, muribus & aliis animalibus apertum aditum in arcam, quæ eſt loco ſtipitis ſub menſa marmorea ejuſdem altaris, in qua reliquiæ quædam certæ & incertæ ex viſitatione prædeceſſorum Archiepiſcop. De Dominis, & f. r. Bondumerii apparet, aſſervantur: propterea viſitationem loci ipſius, & reliquiarum, accitis admodum Rever. DD. Vincentio Carunchio Canonico & Archipresbytero Metropolitanæ, nec non Canonico S. Theologiæ & J. U. D. Matthæo Borghefich Conviſitateribus, indixit; apertoque in latere ipſius altaris oſtiolo per ſalorum ferrarium, conſpexit multas ſordes, per mures introductas in ipſam arcam marmoream prædictam, inter quas invenit arculam cum operculo marmoreo, cum crucibus inciſis in extremitatibus ejuſdem operculi nullo ſigillo munitam, & in eadem invenit ſine authentico in tribus particulis charta pergamenæ involuta fragmenta infraſcripta, videlicet S. Domnii martyris Archiepiſcopi Salonitani, S. Anaſtaſii martyris Salonæ paſſi, S. Georgii martyris, duoque alia ſine inſcriptione, quæ ſucceſſive involuta bombacio, cum repertis chartulis colligata vitta ſerica rubri coloris, ſigilloque Archiepiſcopali minimo munita, in cera hiſpanica in eamdem arculam marmoream repoſuit, cum aliis prædictis reliquiis ſine ſigno, quam poſtea ferrea lamina circumduxit & clauſit. Alteram vero ligneam pictam cum inſcriptione exteriori, Reliquiæ Sanctorum incertæ, partim exeſa a muribus, aperto operculo invenit quædam fragmenta, & oſſa SS. Martyrum, quæ pariter ſucceſſive a pulvere mundata, & bombacio involuta, in eamdem arcam recollocavit, ac operculum ſigillavit cum inſcriptione.

Die 17. Septembris 1725.

Idem Illuſtriſſimus & Reverendiſs. D. Archiepiſc. pulverem, quem in arculis reperit, in novam pyxidem ligneam, charta alba involutam repoſuit, & vitta ſerica rubri coloris e tranſverſo ligavit, ſigilliſve munivit, poſita inſcriptione: Pulvis reliquiarum Sanctorum. *Quibus denique ita viſitatis, & a ſordibus expurgatis, ac in hunc decentiorem ſtatum redactis, eaſdem tres capſulas, marmoream ſcilicet unam, & duas ligneas in locum ipſum depoſuit, patentem rimam occludi mandavit, clavesque ſecuriori, quam admodum Rev. Archipresbytero præſenti tradidit. Acta fuerunt præmiſſa per me Jacobum Canonicum Bolis Cancellarium Archiep.*

Die 19. Septembris an. 1725.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Archiepiſcop. &c. ſuper cultu prædictarum certarum, & incertarum reliquiarum, ſe reſervans ad mentem Sac. Concil. Trid. deliberare, ordinavit, ne interim circa reliquias ipſas, ſub quovis obtentu aliquid innovetur. In &c.

L. S. Joannes Baptiſta Archiep. Spalatenſ.

Feria 15. 11. April. 1726.

Cum ex viſitatione prima generali eccleſiæ Metropolitanæ, & Diœceſis Archiep. De Dominis ac anno 1604. dubitetur, quin altare S. Anaſtaſii martyris ſit conſecratum; nec non ex viſitatione f. r. Bondumerii de anno 1655. ſub die 22. Novembr. conſtet ab eodem prælibato Archiepiſcopo decretum fuiſſe ſuperponi portatile eidem altari S. Anaſtaſii pro cautela celebrantium, uſque ad illud tempus, ex fiducia conſecrationis ipſius altaris non adhibitum; Illuſtriſſimus ac Reverendiſs. D. Joannes Baptiſta Laghi Archiep. die ſupradicta, quæ fuit feſtum S. Leonis Papæ, aſſiſtentibus ſibi admodum RR. Canonicis Michaele Ruſcich & Georgio de Natalibus, præfatum altare S. Anaſtaſii martyris in ſua Metropolitana conſecravit, ſervato ritu conſecrationis altaris, quæ ſit ſine conſecratione eccleſiæ, prout in Pontificali Romano, in eoque incluſit reliquias SS. Martyrum Clementis, Fortunati & Felicis, e cœmeterio SS. Felicis & Adaucti ſibi a B. M. Clemente PP. XI. anno 1720. dono datas, cum capſula & authentico

more

more Romano &c. Insuper etiam reposuit in sepulchro reliquiarum praedictarum cedulam consecrationis hujusmodi in pergameno, & concessionis quadraginta dierum indulgentiæ in forma ecclesiæ &c. prout in Pontificali &c. mandavitque omnia supradicta ad futuram rei memoriam per me infrascriptum in his Actis redigi &c.

Ita est: Ego Jacobus Canonic. Bolis Cancellar. Archiep. præsens ad prædicta omnia in his Actis redegi &c.

Ita est: Concordat cum Visitatione.

Jacobus Canonic. Bolis Cancellarius Archiepiscopalis a sibi fida manu exscribere fecit, subscripsit, ac fidem solito Curiæ sigillo munivit in Cancellaria Archiepiscopali Spalaten. die 30. Octobris 1726.

L. ✠ S.

CAPUT IX.

De cultu S. Anastasii Fullonis.

§. I.

Utrum Romæ aliquid cultus eidem adhibeatur.

QUi putant corpus Anastasii Fullonis a Romanis coli in sacello S. Venantii Lateranensi basilicæ adjecto, valde mihi videntur errare; omninoque in hoc omnis est error, quod eum cum aliis martyribus advectis e Dalmatia ibidem condictum existiment. Hi quippe nominis ambiguitate decepti, vel unum e duobus Anastasiis conflant, vel certe alterum cum altero confundunt.

Duo Anastasii martyres Salonitani.

Satis constat duos fuisse martyres, eosque perinsignes, quibus idem Anastasii nomen, idem martyrii locus apud Salonam in Dalmatia obtigerit. Sed ii nimium quantum inter se patria, ætate, vitæ instituto differant. Alter genere Romanus fuit, & militiæ nomen dederat, ex qua Corniculariі dignitatem & cognomen acceperat. Alter ex urbe Aquilejensi oriundus erat, & quod Fullonicam artem exerceret, cognominatus est Fullo. Ille quidem sub Aureliano una cum Agapito Salonitano Antistite martyrium subiit anno tertii sæculi 75. hic vero sub initium quarti sæculi, sæviente persecutione Diocletiani, religionis causa, præclaram mortem occubuit. Porro Martinus Abbas is, quem Joannes IV. Pontifex Max. in Dalmatiam misit, ut captivos redimeret, & sacras martyrum exuvias ex Istria & Dalmatia collectas Romam transferret, Cornicularium quidem in urbem attulit; Fullonem non item, hujus quippe corpus multis post ætatibus inventum est, Salonæque ruderibus effossum, ac translatum in ædem cathedralem Spalatensem, ubi etiamnum religiose asservatur & colitur.

Anastasius Cornicul. non Fullo Romam translatus.

Cum autem in Actis S. Domnii, itemque S. Venantii satis superque diluerim eorum argumenta, qui ut Domnium, item Anastasium Romam per Martinum Abbatem translatos esse dictitant, necesse non est hic iterum ea commemorare ac refelli; præsertim cum Anastasium Fullonem numquam amotum e Dalmatia aperte declarat historia secundæ Anastasianæ translationis ad urbem Spalatensem supra descripta. Illorum potius nobis coarguendus est error, qui Anastasii Cornicularii sepulchrum Romæ Spalatum transferunt; contra quam isti faciunt, qui Anastasium Fullonem Spalatensibus ademptum, Romanis adjudicant. Nam Thaddæus Donnola is, qui Episcopalem sedem & martyrium S. Felicis e Dalmatia in Umbriam transtulit, Anastasio apud Spalatenses condito Corniculariі cognomen attribuit. Hunc Joannes Marnavitius in Vindiciis S. Felicis accurate refellit. Maurolycus eodem errore captus refert ad Anastasium Fullonem elogium & cognomen Corniculariі. Nam in eo, quod typis edidit, Martyrologio, ad diem 26. Augusti nomine & commemoratione Anastasii Fullonis insignem cum suas notas apponeret, docuit hujus ejusdem martyris mentionem paucis ante diebus factam fuisse, idest 21. Augusti die, quæ Anastasio Corniculario sacra est; perinde quasi inter Fullonem & Cornicularium nihil interesset. Quid? quod Historicus Dalmata, vir cæteroquin rerum Dalmaticarum scientissimus, utriusque Anastasii nomen & cultum perperam confundit; quippe in notis ad cap. 111. Historiæ Salonitanæ ubi scriptum est: *Eodem tempore Diocletianeæ & Maximianeæ persecutionis, Anastasius Aquilejensis apud Salonam martyrium pro Christi nomine accepit*, ad hunc pertinere censuit elogium Anastasii Corniculariі ex Martyrologio Romano desumptum, quod his verbis confectum est: 21. Augusti: *Salonæ S. Anastasii Corniculariі, qui cum videret D. Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem, & pro confessione Christi, jubente Aureliano Imperatore interemptus martyr migravit ad Dominum*. Suus igitur Spalatensibus, suus item Romanis Anastasius reddatur, alter quidem dictus Fullo, alter vero Cornicularius appellatus. At ne particulam quidem, nedum integrum corpus Anastasii Fullonis, Romæ ostendi indicio satis certo potest; ex quo fit, ut in ea urbe nullus illi honos, cultusque adhibeatur; nam eum idcirco Romæ coli putant, quod falsa opinione decepti sacras ejus exuvias in sacello Lateranensi asservari existimant. Quidquid autem reliquiarum Anastasii nomine inscriptum Romæ extat, sive in ædicula S. Venantii, sive in basilica Hierosolymitana S. Crucis, sive in illo religiosissimo sacrario, quod *Sancta Sanctorum* vulgo dicitur, & quidquid præterea cultus officiique anniversarii in hisce locis Anastasio tribuitur, id omne ad Anastasium Cornicularium, vel ad quempiam alium martyrem ejusdem nominis referri oportet. Cæterum haud negaverim Anastasium nostrum cum cæteris martyribus Dalmaticis promiscue & communiter coli a Clero Lateranensi 111. Id. April.

Utraque apud aliquos confusa.

§. II.

Utrum Capuæ aut Beneventi colatur S. Anastasius Fullo.

AUctor Martyrologii Hieronymiani Lucensis nomen S. Anastasii martyris ad 7. diem Septembris adjunxit, ejusdemque cultum ac martyrium Capuæ adscripsit: VII. *Id. Septembris. Capua civitate Benevento Natalis SS. Sesonti, Januarii, Fisti, Acuti, Desiderii; & passio S. Anastasii martyris*. Equidem vereor, ne in hunc locum mendum irrepserit, & *et Passio* expungi oporteat, substituique adverbium *alibi* hoc modo: *Et alibi* (idest Aquilejæ, ubi ea die colitur) *S. Anastasii martyris*. Cur id suspicer, in promptu est ratio; nam, præterquamquod cultus Anastasio Fulloni a Capuanis, seu Beneventanis adhibiti nulla indicia, nulla vestigia extent, certo constat eum neque Capuæ, neque Beneventi, sed Salonæ martyrio perfunctum esse,

Formula martyr. Hieron.

Digitized by Google

vel mărtirologia, esse, contra quam docet Hieronymiana formula, nisi corrigatur. Nec tamen me pœnitet ejus sententiæ esse, quam Florentinio probari video in Annotationibus, quibus idem Martyrologium illustravit. Is quippe ab Anastasio Fullone distinguendum censet Anastasium eum, de quo mentio facta est in eo loco Martyrologii Hieronymiani, sive quia huic martyri Socii adduntur in apographo Corbejensi; sive quia is appelletur Episcopus in Antuerpiensi exemplari; sive denique quod ejusdem martyrium Capuæ subjiciatur: nihil autem horum congruit cum Anastasio Fullone. Juvat huc transferre, quæ Florentinius in hanc sententiam docte copioseque scripsit: *Passio S. Anastasii. Martyrem tantum, non Episcopum referunt S. Anastasium tam codices nostri, quam M. Corbejense. Episcopum vero profitetur Ms. Antuerpiense. Nihil autem vetat martyrem esse simul, & Episcopum. Quia vero locus non exprimitur, & in aliquibus Martyrologiis Anastasius Aquilejensis martyr recolitur, puta in Romano, in Additionibus ad Usuardum, & apud Ferrarium in Catalogo SS. Italiæ, idque ex Petro de Natalibus lib. 7. cap. 124. sexto, vel septimo Kalendas Septembris, suspicari licet in vetustiori Martyrologio nostro de Anastasio martyre non Episcopo cultum hic renovari. At cum is idem sit, ac Anastasius in urbe Salona Dalmatiæ coronatus, & civis Aquilejensis, cujus memoriam diserte agit idem Martyrologium nostrum ad illam diem, vix credimus eumdem in hodiernis fastis honorari, eo magis, quod M. Corbeiense socios addit, in Actis Anastasii Salonensis, sive Aquilejensis non indicatos, & quia eadem Acta martyrium, quod ille habebat in votis, subjisse quidem narrant, non vero in Episcopali dignitate constitutum fuisse, sed artem Fullonicam exercuisse. De S. Anastasio martyre meminit Menologium Græcorum Canisii ad diem 25. Octobris, a quo licet nec passionis locus, nec dignitas Episcopalis indicetur, attamen dum ad fidem Christianam prædicatione multos convertisse narratur, nec Episcopale prædicationis munus, nec passionis per ensem consummatæ socios excludit.* Hactenus Florentinius, cujus sententiæ favet Philippus Ferrarius in Catal. SS. Italiæ. *Verisimile est*, inquit, *alium esse a nostro Anastasio, qui cultum habet hac die 7. Septembris, cum sic legatur in Martyrologio Florentinii: Capuæ &c.* Sive igitur Anastasium nostrum ab Hieronymiano diversum esse existimes, quemadmodum Florentinius & Ferrarius putant, sic prorsus ut huic atque illi nihil sit commune, præter nomen ac diem anniversarium; sive Hieronymiana illa formula, quemadmodum nos suspicamur, mendo subsit, neque ex hoc Martyrologio, neque aliunde colligi potest Capuæ aut Beneventi cultum ac religionem S. Anastasii Fullonis nunc vigere, aut olim floruisse.

vel ad alia Anastasii referenda.

Capuæ Anastasio nostro nullus cultus adhibitus.

§. III.

An Thessalonicæ cultus S. Anastasii aliquando viguerit?

AUctor est Florus is, qui Bedæ Martyrologium pluribus locis auxit, diem Augusti 26. Anastasii martyrio illustrem ac memorabilem apud Thessalonicenses anniversaria commemoratione celebrari. Extat Flori elogium apud Hagiologos Antuerpienses hisce verbis compositum: *Die 26. Augusti: civitate Thessalonica S. Anastasii. Hic Fullo fuit, sed fidei merito inter numerum martyrum annumeratus est.* Ex quo conjici posset Anastasii cultum ac religionem e Dalmatia in Macedoniam pervasisse. Verum, nisi fallor, vix aut ne vix quidem dubitari potest, quin in eam formulam depravatio irrepserit, idque librariis tribuendum arbitror, quod e Salona primum Salonicam, deinde Thessalonicam effinxerint. Sunt in hanc rem exempla satis multa, quæ a nobis proferri possent, ex quibus liquido constat sæpe apud Martyrologos pro Salona Thessalonicam legi. Huc pertinent, quæ in historia persecutionis Diocletianeæ dicemus de SS. Virginibus ac martyribus Agape, Chionia, & Irene. Cur autem hunc locum depravatum esse putem, ea potissimum causa est, quod cum alii Martyrologi in eum diem B. Anastasii martyrium conjecerint, nemo est, qui Thessalonicæ mentionem faciat; nemo itidem est, quin hujus diei martyrio Anastasiano memorandi anniversariam celebritatem ad Salonitanos pertinere testetur.

Flori Elogium Anastasianum haud merito vocat.

§. IV.

De cultu Aquilejensi S. Anastasii Fullonis.

AQuilejensis ecclesia B. Anastasio Fulloni cultus anniversarii officium persolvit VII. Id. Septemb. isque dies Anastasii commemoratione insignis, ex Kalendario Diœcesis Aquilejensis, sive ex tabulis Divorum Aquilejensium, ut Galesinius docet, relatus est in Martyrologium Romanum, & his verbis descriptus: VII. *Id. Septembris Aquilejæ S. Anastasii martyris.* Sed neque ex Romano Martyrologio, neque ex Aquilejensibus monumentis rationem causamque afferre possumus, cur Aquilejenses hunc diem Anastasii nomine consecraverint. Neque Grevenus in suis ad Usuardum Additionibus prælo editis an. 1568. huic diei certum propriumque titulum subjecit, unde consecrationis causam acceperit: *In Aquileja*, inquit, *S. Anastasii martyris, qui Fullonum compositor fuit.* At Molanus teste Baronio in notis ad martyr. itemque Sollerio in Auctariis ad Usuardum, hunc diem appellat natalem S. Anastasii, propterea quod existimavit VII. Id. Septemb. Anastasium ex hac ad beatam immortalemque vitam migrasse. Illius formula Martyrologica fertur his verbis: VII. *Septembris. Natalis S. Anastasii M. Hic Fullo fuit, sed fidei merito in martyrum numero annumeratus.* Molani sententiæ suam adscripsit Philippus Baucerius: *Palmam martyrii*, inquit, *S. Anastasius apprehenderat* VII. *Idus Septemb. an. 303.* Verum multo pluris, quam istorum opinio, nobis esse debet cum auctoritas Andreæ Danduli, Petri de Natalibus, & aliorum, qui contra sentiunt, tum vero Acta S. Anastasii, & constans ac perpetua traditio ecclesiæ Salonitanæ seu Spalatensis, quæ ad 26. diem Augusti martyrium S. Anastasii revocant. Merito igitur Philippus Ferrarius ab die 7. Septembr. Anastasio sacra titulum martyrii amovendum esse censet, atque huic diei alium titulum aliunde accersendum: *Putamus*, inquit, *hunc diem* VII. *Septembris inventionis, aut translationis, non natalis esse. Nam Petrus Natalis lib. 7. cap. 126.* VII. *Kal. Septembris martyrio coronatum scribit.*

Aquilejæ Anastasius colitur 7. Septembr.

cui dies falso adscribitur ejus martyrii.

Porro cum semel atque iterum inventum sit pariterque translatum corpus S. Anastasii, ex alterutra translatione titulum festi hujus diei repeti oportet. Ac secunda quidem translatio cum eo die non congruit, quippe quæ incidit in die 28. mensis Julii, cum Spalatenses Anastasium Salonitano sepulchro exemptum in urbem novam intulerunt. Restat itaque, ut hujus diei celebritati occasionem titulumque præbuerit prima translatio, quæ contigit intra finem quarti sæculi, cum ejus corpus e prædio Ascle-

in eum diem fortasse incidit prima translatio.

sclepiæ Salonam relatum fuit. Etsi vero neque dies hujus translationis, neque ipsa translatio veterum litteris consignata reperiatur, vel ipsa tamen hujus diei D. Anastasio sacræ dedicatio argumento esse potest, hujusmodi translationem factam fuisse VII. Id. Septembris. Quid quod in apographo Hugenojensi Martyrologii Usuardini apud Sollerium in Auctar. ad Usuard. is dies translationis Anastasianæ titulo insignitur: VII. *Septembris Translatio S. Anastasiæ*. Nihil porro est, cur te commoveat, aut perturbet nominis corruptio, & ex uno in aliud genus commutatio; nam id librariorum inscitiæ, vel incuriæ adscribas licet.

Adde, quod verisimile est, quemadmodum supra diximus, per idem tempus & Salonam corpus S. Anastasii, & Aquilejam lapidem illum molarem advectum fuisse, quem satellites ejusdem trunco alligaverant, quo altius in mari mergeretur. Quid vero si eodem plane die & Salonitani in urbem reliquias S. Anastasii, & Aquilejenses Legati Saxum illud in patriam retulerint? nonne hinc duplex causa extaret, cur Aquilejenses eum diem D. Anastasio consecrarent, atque ad sempiternam posteritatis memoriam suorum Divorum fastis commendarent? Quod si festi hujus diei originem causamque aliunde repetere placeat, eam desumi licet ex dedicatione solemni ejus templi, quod Aquilejenses post lapidem Salona advectum D. Anastasio ædificarunt in eodem loco, in quo ipse, dum viveret, artem suam exercebat. De quo templo in secunda lectione Breviarii Spalatensis hoc scriptum reperies: *Lapidem, qui collo B. Martyris alligatus fuerat, ad Aquilejæ littora, ubi præfatus Dei famulus vestes abluere solebat, deportaverunt, ibique sub ipsius invocatione ecclesiam construxere, in qua hujusce martyris intercessione, & meritis claudi gressum, surdi auditum, & variis languoribus detenti pristinam sanitatem assequuntur*. Hujus templi Aquilejensis ne vestigia quidem extant. An vero lapis ille molaris in sacrario Aquilejensi Divorum reliquiis refertissimo adhuc asservetur, mihi incompertum est.

§. V.

De antiquo S. Anastasii cultu apud Pharienses.

Caput S. Anastasii Salonitani honore apud Pharienses.

QUamdiu Pharienses caput S. Anastasii apud se retinuerunt, dubitari non potest, quin ab indigenis debitus huic martyri honos cultusque haberetur. Argumento est, quod eidem templum exstruxerint, in quo sacrum caput Salona transvectum reconderent. Nec deerant crebra & illustria miracula, cum ægroti undique, cæci, surdi, claudi, ac præsertim energumeni opem postulantes confluerent; defuit autem, qui ea singillatim litteris consignata memoriæ proderet. Id adeo tradit Petrus Equilinus, cui Ferrarius, & Baucerius assentiunt: *Ipsi tamen animosi viri ex Africa* (ideſt Pharia) *urbi caput martyris in patriam suam portaverunt, & ecclesiam in nomine ipsius fecerunt, in qua virtutes fiunt mirabiles in malignis spiritibus effugandis*. Verum sacrosanctis illis reliquiis Spalatum relatis sub initium sæculi XIII. Anastasii cultus apud Pharienses paullatim defloruit. Nunc ne templi quidem, locive, ubi conditum fuerat, memoria extat. In agro adhuc visitur ædicula quædam vetustate magna ex parte collapsa, quam olim Anastasii titulo consecratam ferunt. Id unum superest antiquæ erga B. Anastasium religionis cultusque indicium,

§. VI.

De cultu B. Anastasii Salonitano & Spalatensi.

PRincipio Anastasii veneratio cultusque iisdem finibus se tenuit, quibus suburbanum Asclepiæ prædium terminabatur. Illic siquidem Asclepia lectissima fœmina & Anastasii corpus pie condiderat, & præclaro Christi athletæ sacram ædem majori forte ssis pietate, quam magnificentia exstruxerat, ubi ejus nomini debitus a Christianis honos haberetur. Neque antea loci sanctitas ac celebritas imminui cœpit, quam martyris cultus ac religio una cum ejus venerandis exuviis indidem sublatis in urbem commigravit. Nam Salonitani, ut Basilicæ SS. Cosmæ & Damiani jam perfectæ majorem quamdam venerationem ac civium frequentiam adscisceret, illuc Domnium & Anastasium aliunde advectos intulerunt, & utrumque in subterraneo ejusdem basilicæ sacello deposuerunt. Nullum præterea templum, de quo quidem memoriæ proditum sit, Anastasio nominatim civitas Salonitana decrevit posuitque. Exinde quamdiu stetit Salona, advenæ pariter indigenæque martyris sepulchrum ac sacellum celebrarunt, qua dignum erat frequentia, cultuque. Annus agebatur a Christo nato circiter 640. cum Avares Slavique post Salonam captam sepulchrum SS. Domnii & Anastasii urbis incensæ atque excisæ ruinis obruerunt. Post cladem Salonitanam annis ferme viginti interjectis, Spalatenses utriusque martyris reliquias e subterraneo illo sepulchro effossas in urbem recens ab se conditam transtulerunt, easdemque in eo templo satis magnifico locarunt, quod Diocletianus quidem Jovi dedicaverat, Joannes vero primus Spalatensium Antistes Christiano ritu expiatum, Deiparæ Virginis auspiciis ac nomine consecravit. Ibidem ut Domnio, item Anastasio altare & sepulchrum idem Joannes faciendum curavit. Neque vero a Spalatensibus prætermissum puto, id quod sua illos pietas, & honos huic sanctissimo martyri, & civitatis patrono debitus admonebat, ut scilicet aliquod peculiare templum nominatim Anastasio vel in urbe, vel in agro excitarent, sed de hoc nihil compertum habeo. Cæterum in antiquis monumentis invenio ædem cathedralem, quæ olim a S. Maria, nunc etiam a S. Domnio denominatur, sæpe Domnii & Anastasii titulo decoratam fuisse. Illud satis constat ex antiquis tabulis, ædes Canonicorum Basilicæ adjectas, non aliunde nomen & insignia, nisi ab utroque martyre accepisse, quippe in veterum Diplomatis inscribi solent: *Collegium SS. Domnii, & Anastasii*. Demum utriusque martyris vocabulo subjiciuntur agri, pascua, nemora, & quidquid est frugiferi fundi, unde annui proventus ædi Metropolitanæ vel Mensæ Archiepiscopali suppeditantur. Id docent tabulæ sane vetustæ accepti & expensi; itemque per antiqui codices, in quos donationum, & rerum contractarum rationes referri solent. In his siquidem illa omnia, quæ modo dixi, appellantur *Bona SS. Domnii & Anastasii*.

Anastasius primo cultus in ædo Asclepiana agri Salonitani.

Spalatum translatus, atque in ædo Cathedrali honorifice depositus.

Huc pertinet, quod Clerus populusque Salonitanus D. Anastasium sibi patronum adscivit, eidemque eumdem cultum & eosdem honores decrevit, qui urbium Patronis adhiberi solent. Et Salonitanorum exemplum apud posteros valuit; cæteræque deinceps ætates in ejusdem martyris fide ac tutela manere voluerunt, quam majores sibi pariter ac posteris adoptaverant. Porro cum plurimis maximisque in rebus Spalatensium erga B. Anastasium pietas ac religio elucet, tum in eo præcipue, quod

Anastasius Patronus Spalati.

Digitized by Google

quod iisdem propemodum officiis atque honoribus, quibus S. Domnium ecclesiæ illius conditorem colunt, Anastasium quoque afficiunt; neque ferme ulla in eorum tabulis S. Domnii mentio fit, quin eidem Anastasii nomen adjungatur; certe quidem secundum B. Domnium honoris religiosique cultus officia primaria ac præcipua uni Anastasio deferunt.

§. VII.

De Natali S. Anastasii die.

Natalis S. Anastasii 26. Augusti.

VEtus traditio est, jam usque ab initio quarti sæculi ducta, & Spalatensis ecclesiæ tabulis, & summo veterum & juniorum Hagiologorum consensu firmata, D. Anastasium martyrio functum esse VII. Kal. Septemb. Itaque ecclesia Salonitana decrevit, ut in sacris fastis ad eam diem nomen & martyrium Anastasii adscriberetur. Quamvis autem auctor Martyrologii Romani hodierni nullam Anastasii commemorationem huic diei subjecerit, reliqui tamen Martyrologi fere omnes, atque adeo veterrimi quique & probatissimi ad diem 27. Augusti, vel martyrium, vel certe nomen Anastasii adjiciunt. Inter hos vel auctoritate, vel antiquitate facile eminet auctor Hieronymiani Martyrologii, apud quem Anastasii commemorationem in hæc verba conscriptam invenio: VII. *Kal. Septemb. In civitate Salona S. Anastasii Martyris.* Huic consentiunt duo apographa Hieronymiana Mss. Corbejense, & Antuerpiense, ut videre licet apud Florentinium in notis ad eum diem appositis. Huc adde Martyrologium Flori: VII. *Kal. Septemb. In civitate Thessalonica* (idest Salona) *Natale S. Anastasii*; itemque Martyrologium Maurolyci ex pervetustis Martyrologiis descriptum: VII. *Kal. Septemb. Salonæ in Dalmatia sub Diocletiano S. Anastasii M. in mare demersi.* Ex junioribus Hagiographis neminem invenio, qui contra sentiat, præter Martinum Baucerium, qui cum die 7. Septembris martyrium S. Anastasii conjunxit: *Palmam*, inquit, *martyrii S. Anastasius apprehenderat* VII. *Idus Septembris.* Unde Baucerius huic sententiæ patrocinium adsciscat, nullum habet Martyrologium, nisi Usuardinum illud apographum, quod Molanus suis notis auctum & ornatum in vulgus edidit; quippe in eo hæc leguntur: VII. *Septembris in Aquileja Natalis S. Anastasii Martyris. Hic fulio fuit, sed fidei merito, in Martyrum numero annumeratus est.* Verum non est mihi tanti auctoritas unius vel eximii Martyrologii, ut reliquis sane multis, iisdemque præclarissimis illud præferendum putem; præsertim cum nostræ sententiæ faveant Acta Anastasiana, & Spalatensis ecclesiæ traditio; & a nobis præterea sint Petrus Equilinus, & Philippus Ferrarius, ex quibus elogium S. Anastasii descripsimus, itemque Andreas Dandulus, qui lib. 7. cap. 7. Annal. Venet. de martyrio S. Anastasii hæc scripsit: *Anastasius civis Aquilejensis Fullonicæ artis exercitor sub Diocletiano in Salona Dalmatiæ Metropoli, appositæ mola in collo, pro Christi nomine, die 26. Augusti suffocatus est.* Nec vero Bauceriana opinioni præsidio esse potest Martyrologium Romanum, in quo ad diem 7. Septembris nomen S. Anastasii adscriptum est; cum enim ibi neque natalis, neque passionis titulo is dies notetur, aliunde repeti potest ac debet causa ejusdem diei D. Anastasii commemoratione consecrati.

In die apud Salonitanos ritu solemni colebatur.

Ergo dies 26. mensis Augusti apud Salonitanos religiosissimus ac celeberrimus habebatur; ejusque titulum & consecrationem ex majorum traditione non aliunde, nisi ab Anastasii martyrio repetendam esse censebant. Post Salonam eversam hujus diei sanctitas ac religio pariter cum beatissimi Martyris corpore Spalatum translata est; ubi hodieque singulis annis solemni cæremonia, rituque duplicis secundæ classis instauratur; ejusque commemoratio usque ad octavum diem producitur. Nec solum Spalatenses, sed etiam universæ Diœceseos incolæ ex pia quadam consuetudine ab omni servili opere feriati hunc diem sanctissime concelebrant.

Atque hujus diei celebritas ac religio, quæ tanta fere est, quanta maxime esse potest, Spalatensis Diœceseos finibus continetur; ejus tamen pars aliqua extra Diœcesim jam inde antiquitus emanavit. Nam hunc diem Anastasio sacrum ex veteri consuetudine religiose colunt, *rituque duplicis* concelebrant ecclesiæ quædam, quarum aliquæ etiamnum Spalatensis Metropolitæ imperio subsunt, aliæ olim quidem suberant, sed postea indidem avulsæ in alterius Metropolitæ jus ditionemque concesserunt. Id porro argumento est, nullam olim fuisse ecclesiam Provinciæ Spalatensis, quin VII. Kal. Septembris hunc diem festum Anastasii nomine ageret, & sanctissimo Martyri anniversariæ venerationis officia persolveret.

§. VIII.

De anniversario translationis die.

Dies primæ translationis Anastasianæ.

CORpus S. Anastasii primum Salonam e suburbio, deinde Spalatum e ruderibus eversæ Salonæ translatum fuit. Prima translatio conjici potest in diem VII. Septembris; qua die Aquilejenses ad colendum Anastasium olim popularem suum canonicas preces, ac liturgiam ejus diei referunt. Hæc dies notata est in Romano, aliisque Martyrologiis. Verum non satis constat, an hæc dies a prima ejus translatione, an vero aliunde consecrationis causam acceperit. Cæterum huic translationi nullum in antiquis monumentis diem festum decretum invenio; nisi huc spectat formula illa apographi Hagenojensis Usuardini: VII. *Septemb. Translatio S. Anastasiæ;* de qua §. 4. Non est verisimile, ut Salonitani memoriam ac religionem illius diei prorsus neglexerint. Sed ut alia permulta majorum institute, sic etiam hujus anniversarii diei cultum ac venerationem posterorum oblivio ac desuetudo abolevit.

Dies alterius translationis 28. Julii.

Altera translatio incidit in diem 28. mensis Julii, relataque est in tabulas ecclesiæ Spalatensis, quæ decrevit, ut ejus memoria singulis annis celebretur V. Kal. Augusti. Cum autem postridie, quam Spalatum devectæ sunt reliquiæ S. Anastasii, inventum sit translatumque corpus S. Domnii; utriusque Martyris translatio, altera seorsum ab altera celebrari solet, ac suus cuique anniversarius dies constitutus est. Itaque Spalatenses diem 28. mensis Julii translatione Anastasiana insignem ritu duplici concelebrant; hujus porro diei cultus ac veneratio iisdem terminis circumscribitur, quibus Spalatensis ecclesiæ Diœcesis definitur.

CAPUT X.

De reliquis Actis Petri Episcopi usque ad ejus obitum, & annum Christi 316.

AD Petrum Salonitanum Antistitem, unde jamdudum discessimus, tandem regredimur. Cum Anastasius Salonæ pro Christo egregie decertabat, impio illo bello, quod Diocletianus quinquennio ante

ante adversus Christianos concitaverat, totus Oriens, totumque Illyricum ardebat. Maximinus in Ægypto, & Palæstina, cæterisque partibus Orientis, Galerius in Asia, atque Illyrico, Diocletianus in Dalmatia ferro & igni ecclesias devastabant. At in Occidente omnis persecutio jampridem conquieverat, cum res Christiana in Gallia quidem & Hispania Constantini Magni imperio ac patrocinio subesset, in Italia vero atque Africa, concessa per Maxentium indulgentia, ejusque simulata benignitate adhuc frueretur. Verum ecclesiis Italicis haud diu quietis & pacatis esse licuit; quippe Maxentius compressum ad eam diem in Christianos odium, furoremque palam effudit. Nam post cæsum Severum anno superiori, & Galerium universa Italia excedere coactum, ubi tandem sensit se in firma ac stabili possessione imperii sui constitisse, cum omnes tyrannica crudelitate vexare atque opprimere cœpit, tum vero illam lenitatis erga nos benevolentiæque personam abjecit, quam susceperat ad tempus, ut conciliatis sibi Christianorum animis contra inimicorum suorum arma imperium male partum firmaret. Cum itaque ecclesiæ persequendæ initium fecisset a Marcello Romano Pontifice, bellum adversus Christianos jampridem sopitum redintegravit. Porro dum Maxentius crudeli tyrannide oppressam tenebat Italiam, nihilo segnius in vastationem exitiumque Dalmaticæ atque Illyricæ ecclesiæ incumbebant Diocletianus & Galerius; neque antea in iis regionibus cessatum est a cladibus, quam Galerius ex imperio ac vita decessit.

Galerius edictum pro Christianis tulit.

Ergo princeps ille immanissimi sceleris Galerius, exitiali morbo perculsus, tandem oculos aperuit, ac Deum ultorem sensit, quem seras quidem, justas tamen ac debitas Christiani sanguinis pœnas ab se repetere haud dubie intellexit. Itaque ut divinam ab se indignationem averteret, ratus non aliter tantum malum depulsum iri, nisi ejus causam submoveret, quæ adversus Christianos impie, se potissimum impulsore & auctore, Diocletianus decreverat, sustulit, atque irrita jussit esse; & simul Imperatorio edicto Christianæ religionis profitendæ, & sacrarum ædium reficiendarum potestatem fecit; & diserte cavit, ac sancivit, ne quisquam imposterum Christianis negotium facesseret, neu cuiquam Christum coluisse fraudi foret probrove. Atque ille quidem, cui edictum ejusmodi non tam flagitiorum suorum pœnitentia, quam doloris acerbitas, & mortis metus extorserat, nullam ab irato Deo neque morbi levationem, neque delicti veniam impetravit; & paucis post diebus pestilentissimi ulceris tabifica vi latius serpente periit, a vermibus exesus atque consumptus an. 311., mense Majo. Diocletianus autem vel Galeriani edicti impulsu, vel ejusdem satietate, vel afflictæ perditæque valetudinis curandæ studio, Christianos divexandi finem fecit, & rerum Dalmaticarum cura sepositâ, suisque Præfectis commissa, reliquam vitam otiosam & innoxiam traduxit.

Diocletianus a Christianis persequendis abstinet.

Porro ecclesiam ex edicto interituque Galerii uberrimos pacis fructus percipere ferme ubique cœpit. In communi vero totius fere Christiani orbis gaudio, tanto plus lætitiæ percepit ecclesia Salonitana, quanto gravioribus antea procellis agitata fuerat; quippe in eo rerum ac perturbationum æstu, pax de improviso superveniens præteriti temporis tristitiam discussit, omniumque animos ad spem certæ ac diuturnæ tranquillitatis erexit; quamquam vivo adhuc & spirante Diocletiano, ne in ipsa quidem tranquillitate ac lætitia sine aliquo timore Christiani esse possent. At Petrus urbis Episcopus propitia illa tempestate usus (ut eum Pastoralis officii ratio, & sua pietas admonebat) nihil prius habuit, quam ut conoreditum sibi gregem dispersum ac disjectum colligeret, sacras ædes restitueret, Christianam plebem ad pios conventus celebrandos, ac divina mysteria obeunda convocaret; ac denique omnia, quæ ad disciplinam ac religionem pertinent, in antiquum statum ac pristinam dignitatem restitueret.

Petrus Episcopus ecclesiam suam diligenter excolit.

At ut omnia ubique Christianis læta essent ac prospera, duo adhuc supererant crudelissimi hostes, Maxentius in Italia, Maximinus in Oriente, qui Galerii edicto compulsus aliquid de sua acerbitate remisit; sed brevi ad ingenium rediit. Verum Maxentius anno proximo post interitum Galerii suæ sævitiæ pœnas Deo hominibusque debitas persolvit. Nam Constantinus Magnus Romanorum litteris atque nunciis e Gallia evocatus, ut Maxentii tyrannide Senatum populumque Romanum eximeret, in Italiam cum exercitu venit; & divino admonitu, cœlestique crucis ostento erectus, ad pontem Milvium signa cum hoste contulit, adversas copias primo impetu fudit, Maxentioque in Tiberim prolapso, & gurgitibus hausto, triumphans urbem tyrannide ereptam iniit, anno 312. mense Novembri. Tum Constantinus, ut gratus etiam, non modo pius in Deum ac Superos foret, quibus egregiam illam maximeque memorabilem victoriam ferebat acceptam, Divinum cultum augere, & Christianam religionem tueri atque ornare studuit. Ac primum quidem quo dignum erat honore Melchiadem summum Christianæ religionis Antistitem prosecutus muneribus coluit, eidemque & successoribus ædes Lateranenses in perpetuum donavit. Tum ad Basilicas Christo sanctisque martyribus excitandas animum adjecit; bona & prædia ecclesiastica, quæ interverterant, ad seque transtulerant Ethnici, suis quæque ecclesiis restitui jussit; Clericos divinis ministeriis addictos publicorum onerum immunitate impertiit. Anno proximo, ut Sigonius de Imp. Occid. lib. 3. auctor est, Æmiliam, Liguriam, ac Venetiam lustravit; easque regiones atque urbes superiori bello afflictas & exhaustas, suo adventu recreavit, & intolerabilium vectigalium onere exemit. Istriam quoque addisse antiqua monumenta testantur; & summis maximisque beneficiis rem publicam pariterque Christianam ubique affecit. Nec videtur dubitari posse, quin per idem tempus, vel postea partem aliquam beneficentiæ suæ in Dalmatiam quoque & Salonitanam ecclesiam derivaverit, præsertim cum meminisset Constantium patrem eximia quadam charitate complexum fuisse Dalmatas, apud quos summa totius provinciæ Præfectura perfunctus fuerat. Quare illud quoque credibile est Petrum Salonitanum Antistitem in id sedulo incubuisse saltem post interitum Diocletiani, ut ex ea Constantini propensa in Dalmatas voluntate omnem rei Christianæ amplificandæ occasionem arriperet, ejusque patrocinio, ac beneficentia ad ecclesiæ suæ ornamenta & commoda augenda uteretur.

Constantinus Maxentium vincit.

munificentiam & Christianam amplificat.

Illis optimis pacatisque ecclesiæ Occidentalis & Illyricæ temporibus accessit annus decimus tertius quarti sæculi tum Constantini & Licinii conjunctione, tum vero Diocletiani & Maximini morte insignis, qui Romano imperio, reique Christianæ plurimas maximasque utilitates attulit. Siquidem Constantinus Mediolani cum esset sub initium hujus anni Licinium illuc accersitum, Constantia sorore in matrimonium tradita, duplici affinitatis & amicitiæ vinculo sibi devinxit. Ita inter eos convenit, ut Christianorum incolumitati fortunisque

Constant. & Licinii edictum pro Christianis.

que cautum esset. Itaque edictum, quod communiter compositum fuerat, utriusque nomine vulgatur: caput autem edicti: omnibus Christianæ religionis amplectendæ colendæque potestatem imposterum fore; Præfectis Provinciarum omni opera curandum & providendum esse, ne cuiquam, religionis causa, damnum ullum periculumve crearetur; Christianis loca & bona omnia per vim aut dolum adempta restitui jubebantur. Insuper ut Orientalium quoque ecclesiarum saluti & quieti consultum foret, quæ Maximini ditione atque imperio continebantur, datis ad eum anno superiori litteris graviter monuerunt, severeque denunciarunt, ut vim atque injuriam omnem a Christianis abstineret. Maximinus porro his litteris acceptis, ne in suam perniciem duorum potentissimorum Principum vires atque arma concitaret, metu & necessitate coactus vetuit ille quidem Christianos inquiri palam, supplicii sque excruciari; nullam tamen illis neque templa ædificandi, neque sacros conventus agendi, neque pietatis ac religionis officia publice obeundi potestatem fecit; si quos autem occulte posset, vel in mare demergere, vel alio clandestinæ mortis genere afficere non intermisit; ex quo satis apparebat Maximinum id Christianis indulgentiæ non ex animo, sed simulate ac temporis causa tribuisse; ne quorum potentiam extimescebat, eorum voluntati & gratiæ nihil dedisse videretur.

Mors Diocletiani omni metu exemit eccles. Salonit.

Interea Diocletianus Salonis misere periit an. 313., Junio mense. Ejus mors metu omni ac periculo ecclesiam Salonitanam levavit, quæ deinde tranquillissimis usa temporibus, & Petri Episcopi assiduis curis ac laboribus, saluberrimis præceptis atque institutis exculta tum Neophytorum numero aucta est, tum vero eximia in Deum religione, omnibusque Christianis virtutibus mirifice floruit. Cum igitur ecclesia Dei, Constantino & Licinio faventibus, majorem in modum crescceret, totoque Occidente atque Illyrico longe lateque propagaretur, adhuc tamen in partibus Orientis Christiani magnis & multis incommodis conflictabantur propter improbitatem ac sævitiam Maximini, a quo tamen vel invito clades ingens accepta, & scilicet necessitas extrema plenius, atque uberius, quam quod fecerat superiore anno, pro Christianis decretum extorsit. Nam a Licinio victus, quem fœderis ac sacramenti religione posthabita injusto bello lacessiverat, eoque ad internecionem exercitu fugam arripere coactus, primum quidem rabie ac furore inflammatus ob rem infeliciter gestam ariolos omnes & sacrificulos, qui belli gerendi auctores fuerant, obtruncari jussit; tum ira defervescente, ut saluti consuleret, in angustias Tauri montis se conjecit. Ibi demum pudore ac desperatione adductus mortem sibi conscivit, hausto veneno; cujus vis precordiis infusa, cum hominem atrocissimis doloribus torqueret, Deum justissimum scelerum suorum vindicem agnoscere ac fateri coegit, impulitque, ut amplissimum secundum Christianos decretum conderet, ac promulgari juberet. Ita Maximinus crudelitate in Christianos Galerio avunculo similis, eodem ferme, quo ille, lethi genere miserrime periit anno 313. mense Augusto. Tum enim vero, Tyrannis omnibus extinctis, usquequaque pax ecclesiæ, & otium partum, anno decimo, & sexto fere mense ab indicta Nicomediæ persecutione universali.

Maximinus misere periit.

Pax universalis ecclesiæ.

Sed sub finem anni 314. in Oriente atque Illyricis provinciis turbatum est, auctore Licinio, qui Mediolanensis pacti & conventi immemor Christianos hostilem in modum vexare cœpit. Hermylus & Stratonicus Singidunenses Martyres argumento esse possunt, ecclesias Illyricas ut ditioni, sic crudelitati Licinianæ obnoxias fuisse. An vero tempestas ab Licinio concitata Dalmatiam & Salonam perculerit, incompertum est. Sed Christianos Illyricos persequi & vexare haud diu Licinio per Constantinum licuit. Is quippe injurias cum sibi, tum Christianis illatas ulciscendi studio bellum Licinio intulit anno 315; eumque duplici prælio victum, primo apud Cibalim in Pannonia, altero in Thracia in campo Mardiensi, ad pacem petendam compulit. Pax ita convenit, ut Licinius Thracia, Scythia parva, itemque, ut aliqui volunt, Mæsia inferiori retenta, cæteras Illyrici provincias Constantino traderet. Quæ Liciniano dominatu exemptę cum essent, nullum illis deinde ab Licinio damnum vel periculum imminuit; & cum post aliquot annos redintegrato in Christianos bello totus Oriens, & Asia, & Thracia arderent, ecclesiæ Illyricæ fere omnes sub imperio Constantini quietis pacatisque rebus ac temporibus fruebantur. Quocirca in Dalmatia ac Salonæ res Christiana prosperum sine ulla offensione cursum nacta, mirum in modum crevit extremis hisce temporibus Petri Episcopi, qui in maximis fluctibus cum annos fere duodecim ecclesiam illam gubernasset, pie sancteque ex hac vita ad superos migravit anno quarti seculi decimo sexto.

Petrus Ep. Salonit. moritur.

Synopsis Chronologica Historiæ ecclesiasticæ Salonitanæ ab anno Christi 296. ad ann. 316.

296 THeodorus creatus est Episcopus Salonitanus. Diocletiano in Orientem abeunte, res Christiana, Salonis aliquid tranquillitatis nacta, floret augeturque.

297 Salona cum Dalmatia universa, auctore Demosthene, ab imperio Diocletiani defecit; quam ob causam diu acriterque ab Romanis obsessa cum esset, anno proximo divinitus liberatur; ac demum in Diocletiani fidem ac potestatem rediit. Diocletianus cum in partibus Orientis versaretur, persecutionem adversus Milites Christianos edixit.

298 Diocletianus cum esset in Dalmatia, susceptam in Milites persecutionem urgere instituit, quos militaribus insignibus exutos, in latumias & fodinas conjecit. Neque a cæteris Christianis manus abstinuit, quorum haud paucos religionis causa extremo supplicio affecit. Inter hos annumerari potest Theodorus Episcopus, qui martyrium subjisse videtur hoc anno, die 7. Octobris.

Joannes hoc nomine II. Salonæ Episcopus in locum Theodori suffectus est. Per ea tempora Donatus genere Istriensis, a Præpositis ecclesiarum Istriæ evocatus ad munus Apostolicum, & ab Episcopo Aquilejensi rite Sacerdotio initiatus, tum in civitatibus oppidisque ejus provinciæ, tum in urbe Aquilejæ præclaram Evangelio operam navare instituit.

299 Diocletiano Romam profecto, Salonæ nihilo remissius in Christianos sævitum est. Joannes ut Christiano gregi laboranti opem ac solatium ferret, nullam pastoralis curæ, & sollicitudinis partem præcermisit.

300 Diocletianus & Herculeus Salonam conveniunt, & clandestinis consiliis inter se habitis de imperio abdicando, & universali persecutione toti ecclesiæ indicenda deliberant. Ex horum præsentia acrius exarsit Salonitana in Christianos persecutio, quæ cum alios multos, tum vero, ut probabile est, Joannem Episcopum de medio sustulit. Huic in Episcopatum successit Frontinianus.

Dio-

Digitized by Google

Anno Christi.

Diocletianus per hoſce annos Pannoniam, aliaſque regiones Illyricas peragravit; & quacumque iter fecit, eccleſiis devaſtandis, terrorem ſtragemque late circumtulit. Quæ calamitas, cum e proximis provinciis in Dalmatiam ac Salonam pervaſiſſet, Frontinianum Epiſcopum mire ſollicitum habuit, ejuſque ad ſuum gregem tuendum vigilantiam exercuit.

303 Perſecutio univerſalis promulgata Nicomediæ, & magna ubique facta eſt cædes Chriſtianorum; ac potiſſimum in Epiſcopos verſa eſt Præfectorum crudelitas, qui eos omnium primos ad necem inquirere jubebant. Hujus perſecutionis impetum excepit Frontinianus, qui cum tres fere annos eccleſiam Salonitanam gubernaſſet, hoc anno, ut veriſimile eſt, pro religione interfectus ad ſuperos migravit.

Frontiniano ſublato, Epiſcopus creatur Joannes hujus nominis III.

Cum allatum eſſet Maximiano Herculeo de miraculis, quæ Donatus Aquilejæ divinitus edebat, deque incredibili hominum multitudine per eum ad Chriſtum converſa, delectam Satellitum manum Aquilejam miſit, qui Donatum in vincula conjectum ad ſe perducerent. At ille fuga ſe ſubtraxit, & Salonam recepit.

Hoc anno in finem vergente Diocletianus, cum Romam profectus eſſet, ut de Perſis triumphum ageret, & vicennalia celebraret, ex itinere Salonam adiit, ibique perſecutionis flammam vehementius accendit.

304 Poſt celebratum viceſimum imperii annum, & Perſicum triumphum, Diocletianus Nicomediam cogitans Salonam rediit. In ea urbe valetudinis recuperandæ cauſa cum plures dies extraheret, Donatus Presbyter Aquilejenſis deprehenſus, captuſque ad ejus conſpectum perducitur; qui pro Chriſtiana religione & præclarum teſtimonium coram Diocletiano dixit, & cum Macario ac Theodoro Cubiculariis Imperatoriis, quos ipſe ad Chriſti cultum traduxerat, primum in flammas conjectus, deinde feris objectus, & ab utriſque divinitus incolumis atque illæſus, juſſu admonituque divino cum duobus illis ſociis in Ægyptum navigavit, ac Thmuim ſe contulit; qua in urbe tum Phileas Epiſcopus eccleſiæ illi præerat. At Diocletianus ex illis, qui Donati virtute & conſtantia, oratione ac miraculis permoti Chriſtianam religionem ſuſceperant, quamplurimos interfici juſſit; quibus videtur annumerari poſſe Joannes Epiſcopus Salonitanus, qui hoc ipſo anno, ut probabile eſt, e vivis exceſſit. Porro Diocletianus Sirmium adiit, & limitaneis Pannoniæ ac Mæſiæ urbibus peragratis, demum æger animi corporiſque, Novembri ineunte, Nicomediam pervenit.

Joanni e vivis exempto ſublectus eſt Petrus, qui Salonitanum Pontificatum geſſit, uſque ad annum decimum ſextum quarti ſæculi.

305 Diocletianus poſt Auguſtale imperium Nicomediæ dimiſſum, traditumque Galerio, in patriam ſe contulit, atque in ampliſſimum illum, quod ſibi prope Salonas exſtruxerat, Palatium recepit. Vel in ipſa tamen vita privata & regimen totius Dalmaticæ provinciæ per ſuos Præfectos adminiſtrandæ, & poteſtatem perſequendi Chriſtianos retinuit: id quod ingentem calamitatem attulit eccleſiæ Salonitanæ, & Petrum ejus Epiſcopum multiplici cura & labore diſtentum, & aſſiduis æruminis ac periculis objectum, per plures annos exercuit.

306 Galerius per hæc tempora in Pannonia prope a Dalmatia diverſans, interdum etiam inviſendi ſalutandique Diocletiani cauſa digrediens Salonam, negotii vel plurimum huic eccleſiæ ejuſque Epiſcopo faceſſit. Interea Conſtantinus e cuſtodia Galerii fuga elapſus ad patrem in Britanniam ſe contulit; eique e vivis ſublato ſucceſſit in imperium. Sub idem tempus Romæ Maxentius tyrannidem occupat. Anno Chriſti.

Severus juſſu Galerii, a quo jus nomenque Cæſareum acceperat, Romam contra Maxentium cum exercitu proficiſcitur. Sed proditus a ſuis militibus ac deſtitutus Ravennam confugit; nec multo poſt Herculei dolis circumventus interiit. Galerius cladis neciſque Severo illatæ ulciſcendæ cupidus, Romam cum ingentibus copiis proficiſci maturavit. Sed fidei ſuorum diffiſus, turpem fugam conſcivit; & Italiam ac Dalmatiam depopulationibus, cædibus, incendiis vaſtavit. Carnunti in Pannonia, quo Diocletianus & Herculeus convenerant, Licinium Cæſaris primum, deinde Auguſti nomine atque inſignibus donatum, in locum Severi ſubſtituit. Inter hæc Maxentius favere ſe Chriſtianis ſimulans, in Italia atque Africa pacem eccleſiæ conceſſit. 307

Perſecutio, quæ in Italia & Aquilejæ edicto Maxentii deferbuerat, Salonæ ex præſentia Diocletiani vehementius exardeſcens, Anaſtaſium civem Aquilejenſem, arte & cognomento Fullonem, ſanguinis pro Chriſto profundendi cupidum, Salonam excivit; ubi agnitus a Satellitibus, comprehenſus, raptuſque ad Tribunal Præfecti Salonitani, & Diocletiano in eum ſententiam ferente, in mare demergi juſſus, ſub Petro Salonarum Epiſcopus egregiam martyrii palmam adeptus eſt. Ejus corpus inventum ſublatumque ex aquis Aſclepia fœmina religioſiſſima in ſuo prædio ſuburbano condidit; caput vero in Phariam inſulam atque urbem delatum eſt. Intra finem hujus anni Maxentius depoſita, quam ad tempus ſuſceperat, religionis & clementiæ larva, bellum impium Chriſtianis indixit. 308

Galerius fœdo morbo conſumptus miſerrime periit, cum haud multis ante diebus ſuum in Chriſtianos edictum revocaſſet. Diocletianus ſibi uni, ſuæque curandæ valetudini, quod temporis ſupererat, vivere decrevit, ac deinceps a piorum cœtu abſtinuit. Tum Salonitana eccleſia quamvis a metu Diocletiani haud omnino vacua, reſpirare cœpit, ac Petri Epiſcopi ſtudio & cura mirifice aucta eſt. 311

Conſtantinus Magnus devicto cæſoque Maxentio ad amplificandam Chriſtianam religionem totus incubuit. 312

Conſtantinus Licinium affinitate ſibi junxit, Conſtantia ſorore ſua ei in matrimonium tradita. Uterque ampliſſima pro Chriſtianis edicta condidit. Idem Conſtantinus Italiæ Iſtriæque urbes peragravit cum ingenti rei Chriſtianæ utilitate atque incremento. Multi ex Dalmatia Diocletiani præſentiam ac tyranidem veriti ac peroſi in Iſtriam ſub imperium ditionemque Conſtantini mitiſſimi Principis migrarunt; ab his corpora Theodori & Georgii Salonenſium Antiſtitum Polam translata eſſe, atque recondita in æde Cathedrali veriſimile eſt. 313

Diocletianus Salonæ moritur. Nec multo poſt Maximinus victus a Licinio apud Tarſum Ciliciæ horrenda morte conſumptus eſt. Ita Tyrannis omnibus extinctis uſquequaque pax eccleſiæ & otium partum.

Per ea tempora Aſclepia in ſuo prædio ſuburbano templum D. Anaſtaſio condidit, atque ibidem ejuſdem corpus depoſuit, quod multis deinde miraculis claruit.

Anno Christi.

314 Sub finem hujus anni in Oriente atque Illyricis provinciis turbatum est auctore Licinio, qui Christianos exagitare cœpit. An suam in Dalmatas rabiem furoremque extenderit, incompertum est.

315 Constantinus Christianæ religionis patrocinio suscepto pium bellum impio Licinio intulit; eique semel atque iterum victo pacem ea conditione dedit, ut Thraciam, ac Scythiam parvam cum universo Oriente retineret; Constantino autem Dalmatiam cæterasque Illyricas provincias traderet, quæ sub clementissimo Constantini imperio cum prosperis tranquillisque rebus florerent, Christiana in illis religio mirum in modum aucta est.

316 Petrus Salonitanus Episcopus ecclesiam gravissimis perfunctam periculis, cum annos fere duodecim sanctissime gubernasset, ex hac ad beatam vitam migravit.

APPENDIX CHRONOLOGICA.

389 COrpus S. Anastasii e suburbio in urbem transvectum est, honorificeque depositum cum corpore S. Domnii in Basilica Salonitana SS. Cosmæ & Damiani; cum paullo ante Aquileja Legati venissent ad repetendum corpus S. Anastasii olim civis sui; quos Salonitani ne prorsus vacuos tristesque dimitterent, eisdem tradiderunt saxum illud molare, quod corpori S. Anastasii alligatum fuerat, cum in mare projectum est. Illud Aquilejenses summa cum religione exceptum in templo, quod in honorem S. Anastasii ædificarunt, perhonorifice deposuerunt, ubi deinde divinitus patrata sunt miracula.

660 S. Anastasius cum S. Domnio e ruderibus Salonæ excisæ translatus est Spalatum, & in æde cathedrali Deiparæ Virginis titulo consecrata repositus.

1194 Per hæc tempora templum S. Theodori, cui *ad Fontem* cognomen erat, in agro Polensi jam inde antiquitus conditum, insigni religione, & Cleri populique Polensis illuc supplicationis causa adeuntis frequentia florebat. Huic annexum erat cœnobium Virginum ex præclara D. Benedicti familia, quibus anno 1194. præerat Verameta Pulcheria eximiæ nobilitatis, & singularis prudentiæ ac sanctimoniæ Antiltita.

Anno Christi.

1210 Bernardus Archiepiscopus B. Anastasio novum altare construxit ac dedicavit, vel certe antiquum magnificentius ornavit. Ejusdem caput ex insula Pharia relatum argentea lipsanotheca inclusit; corpus vero S. Anastasii ex inferiori in arcam superiorem transtulit.

1266 Cum Dalmatia & Istria Hungarico bello arderent, Bertucius Civranus, qui per id tempus Præfecturam totius Istriæ gerebat, cœnobium S. Theodori e suburbio in urbem transferri jussit.

1417 Blasius Molinus Episcopus Polensis exuvias SS. Theodori & Georgii, cum aliis quatuor Divorum corporibus vel in novam arcam transtulit; vel iisdem in veterem arcam inclusis, Divorum ibidem conditorum effigies in eadem arca cœlari, & epigraphen incidi jussit.

1487 Michael Ursinus Polensis Antistes, arca patefacta, Theodori aliorumque corpora diligenter lustravit, ac rite recognovit; eaque in sex capsulis cupressinis ad id paratis, alia seorsum ab aliis reposuit; & capsulæ cuique nomen ejus inscripsit, cujus corpus inibi claudebatur. Tum ipsas capsulas Episcopali annulo obsignatas in arcam eamdem inclusit.

1629 Julius Saracenus Episcopus Polensis ædem S. Theodori, nimia vetustate collabentem reficiendam, & ornandam curavit.

1657 Cum Divorum in ea, quam dixi, arca conditorum memoria penitus intercidisset, vulgo dubitari cœptum est, an sepulchrum illud vacuum esset; certe ignorabatur quidnam ibidem conderetur. Sed omnem dubitationem exemit Aloysius Marcellus Episcopus Polæ, qui arca referari jussa, reperit Theodori & cæterorum lipsana, quæ Michael Ursinus in sex capsulas ante annos 170. incluserat. Ita Theodoro cæterisque Divis ibidem repositis, signoque Pontificali obsignatis, pristinum honorem cultumque restituit.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM,
ET VERBORUM MEMORABILIUM.

Prior numerus paginam, alter columnam notat.

A

Abrigatus oppidum in Nantibus. 177. 2
Absorus, sive *Absyrtium*, *Opsara*, *Auxerum*, vulgo *Osserum*, insula describitur. 189. 2
Absorus urbs insulæ cognominis describitur. 189. 2
Absyrtides insulæ, quot? 188. 2. quæ sunt geminæ Brygeidæ Apollonii, *ibid.* ab Absyrto Medeæ fratre dictæ Absyrtides. 189. 1
Absyrtis insula, quam Plinius *Crescam*, vulgo *Cherssum* nominant, describitur. 189. 1
Absyrtus Medeæ frater a Jasone ex insidiis occisus. 189. 1
Achaja Illyrico adnexa, ejusque descriptio. 70. 1. ab Illyrico avulsa. 78. 1
Achridanus Primas, seu Justinianæ primæ in Illyrico. 310. 2
Acrolissus urbs capta a Philippo Macedoniæ rege. 30. 1.
Acta martyrum publice legendi in ecclesiis mos antiquus. 407. 1. 2. & maxime in ecclesia Romana. *ibid. & seq.*
Actiaca victoria navibus Liburnis præcipue ab Augusto relata. 171. 2
Actuarius, qui acta coram Præside, vel judice litteris mandabat. 114. 2
Adamus Parisiensis vitam S. Domnii conscripsit. 406. 1. quando floruerit. *ibid.*
Adjutor, qui vicariam operam alicui Ministro præbebat. 114. 1. præter adjutores peculiares unus erat adjutor communis cæteris omnibus ministris. *ibid.*
Adra Liburniæ civitas. 153. 1. ejus positio. 154. 2.
Adria insula in Adriatico quænam, & ubi posita? 193. 2.
Adria urbs Venetiæ ab Etruscis condita. 9. 1. & 203. 1. an mari Adriatico nomen indiderit? 203. 2.
Adriaticum mare; ejus imperium tenuit Diomedes. 6. 2. a Liburnis dictum Liburnicum. 7. 2. cujus dominium adepti sunt. 8. 1. & post Liburnos, vel cum illis, Etrusci. 9. 1. Adriatici maris dimensio. 201. 2. ejus varia nomina. 202. 1. antiquitus dictum Saturnium & Chronium, & utriusque vocabuli origo. *ibid.* Adriaticum unde appellatum sit Jonium. 202. 2. inter sinum Jonium & mare Adriaticum quid interfit. *ibid.* Adriaticum bifariam divisum. 203. 1. Adriatici vocabuli origo incerta. *ibid.* verisimilius a Dalmatia regione olim Adria appellata. 203. 2. Adriaticum ab Adrio Itali fratre, seu filio, vel ab Ardiis montibus Dalmatiæ appellatum. 204. 1. ab Adria Etrusca huic mari nomen Adriaticum restitutum, quod sub Liburnis exsoleverat. *ib.* sinus Adriaticus a mari Adriatico distinctus. 204. 2. Mediterraneum interdum appellatum Adriaticum. *ibid.* Adriaticum a Liburnis Asiaticis nomen & imperium accepit. *ibid.* Pelasgi ante Liburnos domini maris Adriatici. *ib.* & 205. 1. Diomedes maris Adriatici imperium adipiscitur. *ibid.* Liburni hujus maris imperium sibi vindicant. 205. 2. Etrusci imperii & commercii maritimi societatem cum Liburnis ineunt, & ab Adria urbe mari Adriatici nomen vel imponunt, vel restituunt. 206. 2. Dionysius senior tyrannus Adriatici maris imperium obtinet. 207. 1. Dionysius junior patenti in Adriatici dominium successit. 207. 2. hujus maris dominium a Siculis ad Illyrios devolutum. 208. 1. ab iis dictum mare Illyricum. 209. 1. regno Illyriorum extincto dominium Adriatici ad Romanos devolutum, a quibus Superi maris vocabulo appellari cœptum. 209. 2. mare Superum a Dalmatis nomen Dalmatici accepit. 210. 1. post divisionem imperii Orientalis, & Occidentalis, mare Adriaticum in potestate mansit Imperatorum Occidentalium; & extincto imperio Occidentali, ejusque provinciis ab Justiniano recuperatis, dominium maris ad Imperatores Orientis transiit. 210. 2. a quibus deinde in Venetorum potestatem concessit. *ibid.* & 211. 1. 218. 1. Venetum postea appellatum. 211. 1
Æmilius Paullus Consul in Demetrium Pharium bellum gerit. 28. 1. & 43. 2. Dimalum capit. *ibid.* prælio conserto Illyrios in fugam vertit. 44. 1. Pharum capit, & everrit; *ibid.* septuaginta urbes Gentii confecto bello Macedonico peragrat, & pecuniam omnem in forum conferre jussas, militibus diripiendas dedit. 50. 2.
Ænona, nunc *Nona*, urbs Dalmatiæ; ejus positio. 144. 1. an cognominata civitas Pausini. *ib.*
Æpulo Rex Istrorum sibi ferro pectus trajecit, ne in potestatem Romanorum veniret. 35. 2.
Æquinoctium, vel *æquinoctia*, oppidum Norici. 177. 1.
Æquum oppidum Dalmatiæ; ejus positio. 156. 2.
Æra Christi ab æra vulgari distinguitur. 238. 1.
Æsculapius dictus etiam Asclepius. 490. 2
Æstiones, populi Liburni. 162. 2
Æoli in fugam versi ab Illyriis. 39. 1. socii fœderati Romanorum contra Philippum Macedoniæ regem. 31. 1. pacem cum eodem faciunt. *ib.* 2.
Africa triplex, tertia pars orbis, Asiatica, & Dalmatica. 732. 2. *& seq.*
Agabus martyr Patrensis diversus ab Agabo Propheta. 399. 1
Agapitus quid significet. 607. 1. electus fuit Ep. Salonitanus Aureliano Imp. *ibid.* 2. ejus acta deperdita. 608. 1. de Pontificatu, ætate, martyrio Agapiti Ep. Salon. testimonia ex Diptychis & tabulis ecclesiæ Salonit. & ex Martyrologiis. 609. 1. 2. huic adscribenda Anastasii Cornicularii conversio. 611. 2. Supplicia ei inflicta. 612. 2. cur ejus dies natalis in antiquis Martyrol. desideretur. 613. 1. tempus Pontificatus Agapiti colligi debet ex tempore martyrii Anastasii. 613. 1. quod est imperium Aureliani. *ib.* 2. Agapiti Ep. initia ad an. 270. referri possunt. 614. 1. jubente Aureliano pro Christo cæsus. *ib.* 2. an. 275. mense Augusto. 615. 2. ejus acta deperdita, qua ratione suppleri possint. *ibid. & seqq.* Acta Agapiti Salonitani in Italiam avecta, & post x. sæculum cum actis Agapiti Prænestini permixta. 624. 1. ejus acta restituta. 625. 1. *& seq.* Agapitus olim a Salonitanis

nitanis cultus, e suburbio, ubi mortem obierat, in urbem invectus 4. sæculo, & post Salonam exciſam cum aliis martyribus Dalmaticis Romam translatus. 631. 1. 2. in Lateranensi sacello conditus. 632. 1

Agapitus martyr Prænestinus; ejus acta actis Venantii Camertis inserta. 611. 1. 2. Acta S. Agapiti Prænestini in actis S. Venantii a Papebrochio deprehensa. 617. 2. 618. 2. Agapiti Prænestini nomen celebre, & cultus perantiquus. 618. 2. ejus acta minus sincera, & in ea censuræ. 619. 1. duo per idem tempus Agapiti, Salonitanus, & Prænestinus; & elogium Adonianum Agapiti Prænestini. 620. 1. quomodo uterque Agapitus distinguendus. *ibid.* 2. Acta Prænestina ex actis utriusque Agapiti compositu; & ratio secernendi, quæ ad utrumque Agapitum pertinent. 621. 2

Agraviones populi Illyrici, Omblæ fluminis accolæ. 165. 1

Agron Rex Illyrici. 22. 2. Taulantiis & Epidamno potitus cum aliqua Epiri parte. *ibid.* Regni fines atque ad Carnos produxit. *ibid.* ejus copiæ navales, & maritimus dominatus. 23. 1. cum Illeis pro maris imperio decertavit. *ibid.* ejus uxores binæ. 24. 1. Mydionii auxilia mittit contra Ætolos. *ibid.* & parta victoria moritur. *ibid.* Agron & Teuta primo Illyrico bello causam præbuerunt. 40. 1.

Alta nova, oppidum Pannoniæ. 177. 1

Alaricus Rex Gothorum post Græciam, Epirum, Dalmatiam ferro & igne vastatas Italiam ingreditur. 211. 1. Honorius ei Gallias & Hispanias habitandas concessit. *ibid.* vincit Saulum Ducem Romanorum, Romam capit & diripit. *ib.*

Albanum urbs in Pannonia Savia. 176. 2.

Albiola oppidum littoreum Venetiæ maritimæ. 212. 2

Albius mons Dalmatiæ, dictus *Albanus* a Ptolemæo. 134. 2. ejus descriptio. 135. 1. Alpius ab Albio distinguendus; *ibid.* unde Albius dictus, ejusque dimensio, *ibid.* ab indigenis *Bioca* appellatus, 135. 2.

Albona urbs Japydiæ ad sinum Flanaticum. 142. 1

Albonenses populi Japydiæ in Ortum obversi. 162. 2. jure Italico præditi. *ibid.*

Alexander Macedonum rex Philippum fratrem obsidem Illyriis tradit. 18. 1

Alexander Philippi filius Rex Macedonum, & exercitus Græcorum contra Persas Imperator. 19. 2. ab eo deficiunt Illyrii, Triballi, Thraces. *ib.* ejus interitus. 20. 1

Alexander Papa III. Venetias confugit; a Venetis honorifice receptus, & victa Othonis classe, cum Federico veniam supplici ter petente conciliatus: 229. 2. Ciano Venetorum Duci annulum aureum dedit, quo singulis annis Christi in cœlum ascendentis die, mare sibi, suæque Reipublicæ desponderet. *ibid.*

Alexandra conjux Diocletiani comes martyrii S. Georgii Salonit. 696. 2. cur dicta Regina Persarum. *ibid.* ejus martyrium. 697. 1. ejus dies natalis. *ibid.* ejus famuli. *ibid.* 2.

Alexandrinus Patriarchatus a S. Petro per Marcum suum discipulum fundatus. 291. 1. cur Alexandrina ecclesia Antiochenæ prælata. *ibid.*

Alexius Comnenus Imp. CP. ob rem bene gestam contra Normannos maximis muneribus, & honoribus Venetos ornat. 226. 2. possessionem Dalmatiæ Venetis confirmat. 227. 1

Almissa, sive *Peguntium*, urbs Dalmatiæ ubi sita. 158. 2.

Almissani piratæ sæpius a Venetis cohibiti. 229. 1. insulas Trimitanas eripiunt; Monachos cædunt: pœnæ sacrilegis homicidis, eorumque liberis divinitus inflictæ. 508. 2

Almissum oppidum ad ostium fluminis Cetinæ, statio olim Piratarum. 229. 1

Alnpsi populi Liburni. 162. 2

Amasea Pontica a Petro ex Ninive Romam suscepto edocta. 235. 2

Ambrosius. Locus ex Pseudo-Ambrosio prolatus explicatur. 534. 1

Amianum oppidum insulare Venetiæ maritimæ, 212. 2. aquis deinde absorptum. *ibid.*

Amphitheatrum describitur. 288. 1. Romæ Aria amphitheatra lapidea, ad quorum exemplar exstructum est Salonitanum, & alia extra urbem, *ibid.*

Amyntas Rex Macedonum ab Illyriis regno expulsus. 17. 2. cum regnum recuperasset, annuum vectigal Illyriis pendere coactus, & Philippum filium natu minimum obsidem dare. *ibid.*

Anastasius; plures Anastasii inter se confusi. 610. 1. Cornicularius cum Fullone a Cupero confusus. *ibid.* item a Maurolyco, & Lucio. *ibid.* 2. duo alii Anastasii Cornicularii; alter Prænestinus fortasse binominis, alter Camers. 611. 1. Anastasii Cornicularii conversio Agapito non Prænestino, sed Salonitano adscribenda. *ib.* 2. is eodem loco ad Christum conversus, & martyrium adeptus. 612. 1. martyrium Anastasii cum imperio Aureliani connectitur. 613. 2. & ab. 275. mensi Augusto adscribendum. 614. 2. Martyrii Anastasiani socii. 630. 1. dies martyrii S. Anastasii 21. Augusti olim apud Salonitanos sacer; ejus effigies, & ipsiana in sacello Lateranensi. 632. 1. Colitur apud Lateranum cum cæteris Divis Dalmaticis 11. Aprilis. *ibid.* 2. ejus dies festus in Basilica S. Crucis. *ibid.* An quos codex Camertinus Anastasio suo socios adjunxit ad Salonitanum Anastasium spectent. *ib.* Anastasius a Baronio ad diem 21. Maii cum sociis adscriptus videtur idem esse, atque Anastasius M. Salonitanus, 633. 1

Anastasius Pullo; ejus acta a quibus conscripta, 717. 2. *& seqq.* duo testimonia & elogia. 719. 2. *& seqq.* ejus vita, auctore, ut videtur, Hesychio. 720. 1. *& seqq.* altera ejus vita e Slavonico conversa. 721. 2. *& seq.* tertia auctore incerto. 723. 1. *& seqq.* in Martyrologio Rom. bis commemoratus. 726. 1. an idem sit ac Anastasius cultus apud Græcos? *ibid.* 2. idem est. 727. 1. cur in saltus Græcos relatus. *ibid.* Discrepantia, quæ inter Anastasium Græcorum, & Latinorum esse videtur, tollitur. *ibid.* 2. non fuit Episcopus. 728. 1. cur unius Divi cultus pluribus diebus affixus. 729. 2. quo anno martyrium subierit. 730. 1. *& seqq.* in an. 308. perbelle tacite ejus martyrium. 732. 1. Afri inventores corporis Anastasiani ex Pharia. 733. 1. Corpus S. Anastasii e domo Asclepiæ in templum agri Salonitani illatum. 734. inde in urbem Salonitanam. *ibid. & seq.* anno 389. ut videtur. 735. 2. dorsum Spalatum. 736. 2. *& seq.* ejus caput Phariam primo, deinde Spalatum delatum. 737. 2. quando? 738. 1. descriptio æræ Anastasianæ. 739. 2. ejusque consecratio. 740. 1. S. Anastasio Fulloni nullus cultus Romæ, neque Capuæ, aut Beneventi adhibetur. 741. 2. *& seq.* neque Thessalonicæ. 742. 1. quando colatur Aquilejæ. *ibid.* 2. ejus caput habitum in honore apud Pharienses. 743. 1. Salonæ cultus Anastasius in æde Asclepiana, tum in basilica SS. Cosmæ & Damiani, Spalati vero in æde cathedrali. 743. 2.

Digitized by Google

743. 2. a Spalatensibus in patronum electus. *ib.* natalis dies *Adalfilli* 26. Augusti. 744. 1. dies primæ translationis Anastasiæ. *ibid.* 2. dies alterius translationis. *ibid.*

Anconitani, Venetis onerariis ac navigiis prædandis toto mari discurrentes, sæpius reprimuntur. 223. 1. suæ ecclesiæ initia a B. Petro Apostolorum principe accersunt. 236. 2

Andetium obsidetur, & deditur. 64. 1. varie effertur. 356. 1. ejus positio. *ibid.* 2.

S. *Andreas* an inter Apostolos Illyrici sit numerandus. 254. 2. e locis finitimis Illyricum fortasse adiit evangelii propagandi causa. *ibid.* Epirus nova pars Illyrici hodierni, temporibus Apostolorum pars erat Macedoniæ, in qua Evangelio operam dedisse Andream Crescentius tradit ex Nazianzeno. *ibid.*

S. *Andreas* Ep. Cretensis: ejus oratio de S. Tito. 368. 2. & seqq.

Andronicus a Paullo in Pannoniam missus successit Epæneto. 262. 1. Pannonicum Episcopatum Andronici confirmant graves auctores. 261. 2. Andronicus primus Episcopus Sirmii. *ibid.*

Amicus, idest invictus bellator. 660. 1

Anicius Prætor prospere contra Gentium rem gerit. 35. 2. Illyricum in tres regiones divisit. *ibid.* rem mari prospere gerit; & Scodram capit. 36. 1. 49. 2. Gentium cum uxore, filiis, & fratre Romam mittit. *ibid.* 2. in Epirum profectus urbes Epiri recepit. *ibid.* Scodram reversus ex decreto S. P. Q. R. alios Illyricos liberos, alios etiam immunes esse jubet. *ibid.* & 36. 2.

Anselmus unus e 72. Discipulis cum Ambrosio Diacono Dalmatas in fide eruditisse, ac Ænonæ Episcopus fuisse traditur. 266. 1. SS. Anselmi & Ambrosii corpora in ecclesia cathedrali condita; & Ænonensium religio erga SS. Anselmum, Ambrosium, & Marcellam anniversario & solemni cultu testata. *ibid.* eorum corpora Jaderam deinde translata. *ibid.*

Antibarensis Metropolis quando, & qua occasione instituta. 308. 2. tres Episcopatus e Metropoli Salonitana avulsi eidem subjecti. *ibid.*

Antibarium urbis Dalmatiæ cur sic dicta. 150. 2. ejus positio. *ibid.* gaudet titulo Archiepiscopali, huc e Diocleæ eversa translato. *ibid.*

Antiochena Ecclesia fundata a D. Petro absente, & antequam in eam urbem se conferret. 239. 1. Antiochenus Patriarchatus a S. Petro fundatus. 190. 2

Antipater Macedonum Dux a Græcis victus, & Lamiæ obsessus. 50. Græcis deinde per victis, Athenienses pacis conditiones dedit; & præsidium Macedonum in Munichiam arcem portumque Athenarum invexit. *ibid.*

Antonii tratres tres, Marcus, Cajus, & Lucius. 289. 2. C. Antonius non Salonam obsidere, sed Liburnos Adriatici sepulare jussus a Cæsare. *ibid.* Obsessus a Pompejanis se dedit. 281. 1. M. Antonius civilis discordiæ renovandæ auctor. 281. 2

Anonimus Ep. Salonitanus Justiniano substitutus. 600. 1. sub Gallo Imp. martyrio forte sublatus. 602. 1. vel sub Valeriano. 602. 2.

Antoninus Imp. superstitioni addictus, vetat legi, & retineri libros Sibyllarum. 568. 1. eo auctore Christiani a Magistratibus & populis vexari denuo cœpti. *ibid.* 2. dat rescriptum pro Christianis. 569. 2. 592. 2

Apollinaris discipulus S. Petri cum magistro suo primum anno 42. deinde 49. Dalmatiam & Illyricum evangelio disseminando peragravit. 259. 2. Ravenna in exilium pulsus. *ibid.* ab exilio rediens oram Dalmaticam evangelio excoluit. 260. 1. locum exilii B. Apollinaris constitutum fuisse Illyricum docet Agnellus. *ibid.* Pannoniam quoque & Salonam adiit evangelio ubique circumferendo. *ibid.* martyr Ravennæ obiit sub Vespasiano. *ibid.*

Apollo post Paulli discessum evangelio apud Corinthios operam dat. 380. 2

Apollo, Isicius, & Codratus famuli Alexandræ conjugis Diocletiani. 697. 2. martyrio affecti. 698. 1. in sacros fastos Hispanienses falso relati. *ibid.* eorum martyrium ad Issam insulam Dalmaticam videtur transferendum. *ibid.*

Apollonia obsessa a Glaucia rege Illyriorum irrito conatu. 21. 2. Apollonia a Romanis libertas data. 42. 2

Apolloniata adversus Cassandrum se ac suam libertatem tuentur. 21. 2. se dedunt Romanis. 41. 2

Apostoli: singulis Apostolis bini adjutores dati. 369. 1. nomen Apostoli quid significet? 370. 2. potestas Apostolorum amplissima, & extraordinaria. *ibid.* primi ordinis Apostoli duabus notis insigniti. 371. 1. Apostoli secundi ordinis; secundarii a primariis Apostolis distincti. *ibid.* munus, & nomen Apostoli illis etiam convenit, qui Episcopi non sint. 371. 2. mos Apostolorum epistolas scribendi ad ecclesias, quas primo ante condidissent. 381. 1. cur Apostoli primoribus post Christi mortem & ascensionem annis a publica Gentium conversione abstinerent. 433. 1

Appariores & Viatores cohortalinorum vocabulo comprehensi. 174. 2

Appianus Alexandrinus. Ejus sententia de Illyriorum origine refellitur. 1. 2. locus emendatur. 42. 1. ejus vitiata interpretatio corrigitur. 93. 2. Græca exemplaria castigantur. 198. 2

Appius in Macedonia casus & fugatus. 34. 2

Aproniani pater Dionis Cassii Dalmatiam rexit. 111. 2

Aquileja in Synodo Aquilejensi quarti sæculi Dalmatiæ attributa. 130. 2. Illyrico item a Strabone. 152. 1. terminus Illyriæ dicta ab Herodiano. *ibid.* 2.

Aquilejensis Patriarchatus in Dalmatia supra mare collocatur. 127. 2. alibi in Istria collocatur. 128. 2. provincia omnis Patriarchatus Aquilejensis Istriæ vocabulo subjecta. 129. 1. provincia Aquilejensis Italicæque patens, atque Istria & Dalmatia supra mare. 129. 2. de sede Aquilejensi Gradum translata. 130. 2. ratio cur provincia Aquilejensis dici potuerit Istria. 131. 2. Aquilejensis Arcistes inscribitur Episcopus Illyrici a S. Basilio M. 192. 2. Antistites Aquilejenses in schismate pro tribus Capitulis implicati. 182. 1. & quam pertinaces in eo fovendo extiterint. 183. 1

Arausa urbs olim Dalmatiæ; ejus positio. 144. 2. distinguenda ab Arausona Ptolemæi. *ibid.* forte eadem ac Anausona Ptolemæi. 153. 1.

Arba insula, ejusque positio. 190. 2. an Scarduna Ptolemaica sit Arba Pliniana. *ibid.* alteram ab altera distinguit Cellarius. *ibid.* Arba & Scarduna una eademque insula. 191. 1. ejus descriptio. *ibid.*

Arba urbs insulæ cognominis, ejusque descriptio. 191. 1. Venetis se dedit. 221. 2

Archidiaconus; ejus officia & dignitas. 522. 1. Licet ordine inferior, auctoritate tamen Presbyteris & Archipresbyteris præstat. *ibid.* 2. ad Presbyteratum nec ipse volebat, nec invitus citra injuriam promoveri poterat. *ibid.* Archidiaconi præsertim olim electi Episcopi. 527. 2

Digitized by Google

Archidiaconus, Thomas, Scriptor Historiæ Salonitanæ corrigitur. 280. 1. notatur. 303. 2. auctor fortasse catalogi Salonit. Epp. præfixi suæ Historiæ Ms. in codice de Propaganda. 320. 1. ejus historiæ duo exempla, alterum editum, alterum Ms. & hoc illo copiosius, sed mutilum. *ib.* de utroque exemplo Historici Dalmatæ censura, severior in codicem Ms. quam æquior. 319. 2. Archidiaconi anachronismus notatur. 613. 1. 2. in rebus narrandis verax, in temporibus notandis minus diligens. *ibid.* 2

Archiepiscopi Galli tres ecclesias Noricas Aquilejensibus eripiunt. 73. 2. Archiepiscopi nomine eum voluit intelligi Justinianus, qui pluribus Metropolitis præerat. 75. 2. idem innuit Isidorus in Origin. *ibid.* Archiepiscopo Justinianæ primæ Patriarchæ nomen attributus. *ibid.*

Archiepiscopus; hoc nomen ab Alexandrinis ortum, Africanis displicuit, ac vetitum est in Concilio III. Carthag. 298. 1. hujus tituli vis ac notio. *ibid.* idem titulus in Ephesina Synodo sancitus, attributusque fuit primariis Episcopis, communis deinde omnibus Metropolitis. *ibid.*

Ardetium urbs Japydica. 153. 1

Ardia civitas, totius gentis Ardiæorum caput; ejus positio ignota. 98. 2. regio ab Ardiæis incolis cognominata; ejus descriptio. 98. 2.

Ardiæi & Palarii Romanam provinciam depopulati, veniam deprecantur. 52. 2. ab Autariatis victi post aliquot ætates interjectas iterum dominari cœperunt. 95. 2. varie appellati. 97. 2. victi ab Autariatis prostrati & abjecti diu fuerunt, reflorescere vero cœperunt quarto ante Ch. sæculo. 98. 1. opibus magis magisque aucti post Autariatas a Scordiscis domitos. *ibid.* fines Ardiæorum ultra Drilonem prolati. *ibid.* & usque ad Titium in Occasum. 98. 2. Ardiæi inter montes, & mare. *ibid.* loca ab ipsis denominata. Illyrii & Ardiæi iidem populi appellati. *ibid.* Ardiæi subjecti Regibus Illyriorum. 99. 1. ab Ardiæis maritima navigatio infesta, itemque ora Italica. *ibid.* Issenses ab iis obsessi. *ibid.* Ardiæi impulsu Demetrii Pharii iterum mare infestant. 99. 2. iis venia data. 100. 1. Ardiæi Titium inter & Naronem ab Regibus Illyriorum deficiunt, & Dalmatarum nomen adscisunt. *ibid.* Nomen Ardiæorum obsolevit, qui id nomen retinuerant, victi a Romanis, & in loca montosa compulsi. *ibid.* & ad summam paucitatem redacti. 100. 2. Ardiæi dicti Varalii. 164. 1. scientissimi rei nauticæ. 209. 1

Ardius mons bifariam dividit Dalmatiam. 108. 1. ad antiquam Dalmatiam pertinet. 136. 1. quem aliqui longius in ortum producunt. *ibid.* ab Ardio monte duplex montium series ad mare producta. *ibid.* de vocabulo Ardii, sive Adrii, ex qua multiplex nominum derivatio. *ibid.*

Arduba oppidum a Germanico captum. 64. 1

Arenta, seu Pagania, regio Serblorum in Dalmatia describitur. 157. 2. unde ei nomen. 158. 1

Argonautæ in mare Adriaticum adveniunt, & congrediuntur cum Colchis. 188. 2. de Medea inter utrosque convenit. *ibid.*

Arlapa urbs in Noricis apud Ortelium; cujus meminit Itinerarium. 177. 2

Armistæ populi Illyrici positionis ignotæ. 165. 1

Armoricus tractus in Gallia, nunc Normandia, ac Britannia dicitur. 177. 2

Arrabona urbs Pannoniæ superioris. 177. 2

Arsia Dalmatiæ fluvius, ejusque descriptio. 136. 2. cum Octavianus Augustus Italiæ terminum esse, initiumque Dalmatiæ jussit. *ibid.*

Arthitæ populi Illyrici sedis incertæ. 165. 1

Arucia urbs Japydiæ. 153. 1

Arupini populi Japydiæ inalpinæ a Romanis subacti. 59. 1. 162. 2

Arupinum, seu *Arupium*, vel *Arypium* urbs mediterranea Japydiæ; ejus positio. 152. 2

Ascrivium, nunc *Catarum*, urbs Dalmatiæ describitur. 150. 1

Aseria urbs Liburnica, forte Asisia Ptolemæi; ejus positio. 154. 2

Asisia urbs Ptolemaica an eadem cum Aseria Peutingeriana? 153. 1. Liburniæ, vel Japydiæ adscribenda. *ibid.*

Assesiates populi Japydiæ, ab Asisia urbe nuncupati, ubi siti. 162. 2

Athenagoræ legatio, & Apologia pro Christianis. 594. 2

Attila Hunnorum Rex quo anno in Italiam irruperit. 212. 2. urbes ab eo eversæ, & incensæ. *ibid.*

Auctoritas quorumdam Codicum vindicatur. 118. 2

Avendeatæ populi Japydiæ inalpinæ a Romanis subacti. 59. 1. 162. 2

Avendon, seu *Vendum*, urbs Japydiæ mediterraneæ; ejus positio. 152. 2

Augusta urbs in Dacia. 175. 1

Augustana castra oppidum in Noricis distinguendum ab Augusta Vindelicorum. 177. 2

Aurana lacus Dalmatiæ describitur. 137. 1

Aurana, sive *Urana*, vel *Lauram* urbs ad lacum cognominem describitur. 155. 2

Aurelianus Imp. extinctus an. 276. mense Martio. 614. 1. initio visus Christianis favisse, sed postea eos variis in locis exagitare cœpit. *ibid.* 2. 635. 2. an. 275. in Illyrico degebat. 615. 1. genere Illyricus. 634. 2. ejus victoriæ. 635. 1. de initio Aureliani, ejusque imperii annis inter Auctores discrepantia *ibid.* Ter Illyricum adiit. 635. 2. Marcomannos ad internecionem cædit. *ibid.* Romam adiit, & Primores Romanorum interfecit. 636. 1. exinde Christianis iniquum se præbuit. *ibid.* secundo Illyricum adiit, triplex de Barbaris victoria; novam Daciam citra Danubium condidit; multiplex ejus in Oriente victoria. *ibid.* 2. tertio in Illyricum venit: Anastasium Comiculatium, & Agapitum Salonit. Ep. pro Christiana religione affecit martyrio. 637. 1. nonam persecutionem in Christianos indicit. 638. 1. ejus interitus. *ibid.*

Aureus mons oppidum Mæsiæ. 174. 2

Aurifodina Dalmatica. 166. 2. aurum Dalmaticum celebratur a veteribus Scriptoribus. 167. 1

Ausancalon, seu *Asancali* urbs Japydiæ mediterranea; ejus positio. 153. 1

Autariatæ populi Illyrici. 22. 1. varie apud Scriptores appellati. 95. 1. Ardiæos debellant. 95. 2 Autariatarum regio amplissima cis ultraque montes. 96. 1. Tariotæ Plinianiidem atque Autariatæ. *ibid.* eorum res opesque quando, & quamdiu floruerint. 96. 2. a Scordiscis devicti, ac prorsus subacti. 97. 1. ab Agrianis facile repulsi. *ibid.* socii Gallorum ad Delphicam expeditionem re male gesta domum redeunt. *ibid.* ob pestilentiam solum vertere coacti, diu errabundi in Sarmatica solitudine tandem consistunt. *ibid.* qui superstites in patria remanserunt, proprio nomine amisso, in nomen Dalmatarum migrarunt, & una cum Dalmatis victi a Romanis. 98. 1

Digitized by Google

B

Bacensis civitas in Pannonia Savia eadem forte ac Bassania. 76. 1. an eadem ac Barcensis, de qua Synodus Salonitana sub Honorio II. Ep. Salon. 307. 2
Banduriae, Anselmus, Ragusinus imperium Orientale in lucem edidit. 180. 2
Baphium officina publica eorum opificum, qui vestibus Principum sive laneis, sive sericis purpureo & coccineo succo tingendis operam dabant. 289. 1. huic officinae qui praerat, Procurator Baphiorum dicebatur. *ibid.*
Barbari omnes populi habiti sunt a Romanis, & Graecis. 168. 1. Barbarorum in Italiam irruptiones. 211. 1
Barbarissum oppidum Comagenae, *Barbalissos* Stephanus vocat. 174. 1
Bardyles Rex Illyriorum. 17. 1. Vincitur a Philippo Macedonum rege. 18. 2. inito foedere cum Regibus Paoniae & Thraciae bellum Philippo inferre decrevit, sed in ipso belli apparandi conatu aggressus fuit a Philippo, & victus. 19. 1
Barletius, Marinus, Scodrensis nobilis scriptor historicus. 180. 2
Baronius; ejus error circa initia Claudii Imp. 237. 2. explicatur. 436. 2
Basilica quid sit? 451. 2. Basilicae profanae in ecclesias conversae, *ibid.* unde & cur ecclesiae dictae Basilicae. *ibid.* quae nunc vere dicantur Basilicae. 452. 1.
Basilius Macedo Imp. Dalmatas perpulit, ut se traderent in ditionem Patriarchae Constantinopol. 185. 2.
Bathiatae populi Illyrici, positionis incertae. 58. 2
Bato auctor seditionis Dalmaticae. 62. 1, repulsus ab urbe Salona. 62. 2. in fugam compulsus. 63. 1. Tiberium adiit, & pacem impetrat. *ibid.* Batonem Breucorum ducem interficit. *ibid.* rursus deficit. *ibid.* Anderii obsessus. 63. 2. pacem petit. *ibid.* ad Tiberium in castra veniens iterum pacem impetrat. 64. 1
Bato alter dux Pannonum rebellium. 62. 1. in fugam compulsus. 63. 1. a Batone altero ex insidiis interfectus. *ibid.*
Bebius mons Dalmatiae; ejus initia prope a fontibus Tedanii, terminus ultra fontes Titii; nunc *Velevich* dictus. 135. 2
Belitzim, nunc *Belina*, urbs primaria Zupaniae Ninae. 155. 2
Bellegradum Dalmatiae urbs; ejus positio. 144. 2
Bellum Illyricum primum, quod Romani in Illyrios gesserunt; ejusque descriptio. 40. 1. *& seqq.* secundum. 43. 1. *& seqq.* primum & secundum Istricum. 45. 1. *& seqq.* tertium Illyricum, 47. 2. *& seqq.* quartum Illyricum, & primum Dalmaticum. 50. 2. *& seqq.* quintum bellum Illyricum & secundum Dalmaticum; sextum & septimum Illyricum; octavum & nonum Illyricum, idemque tertium & quartum Dalmaticum. 52. 1. *& seqq.* decimum Illyricum, & quintum Dalmaticum. 54. 1. *& seqq.* de reliquis Romanorum bellis Illyricis. 58. 1. *& seqq.* bellum Japydicum duplex. 59. 1. secundi belli Japydici descriptio. *ibid.* Bellum ex Pannonis & Dalmatis conflatum longe gravissimum. 62. 1
Berosaba oppidum Palaestinae. 173. 2
Bessi Taurisci finitimi quinam? 58. 2
Biacium Dalmatiae oppidum, sedes Ducum, & regum Chrobatiae. 481. 1. alterum a Biacio in Chrobatia. *ibid.*
Bibium, sive *Bilbilis* fueritne oppidum Japydiae Cisalpinae, non liquet. 153. 1.
Bigaftes urbs Mediterranea Dalmatiae; ejus positio. 157. 1
Billubium, *Biludium* Antonini, urbs Mediterranea Dalmatiae. 157. 1
Bisla Dalmatiae fluvius, & ejus positio. 139. 1
Blancovichius Episcopus Maccarschae laudatur. 277. 2.
Blandona vetus Dalmatiae civitas; ejus positio. 144. 2. forte eadem ac *Blanona* Ptolemaei. 153. 1
Balliana, sive *Barbana*, fluvius Dalmatiae. 140. 1. ejus cursus describitur. *ibid.*
Bona fluvius Dalmatiae, & ejus positio. 139. 1
Bononia civitas Daciae Ripensis. 175. 1. altera in Pannonia inferiori. 176. 2
Borianum oppidum insulare Venetiae maritimae. 212. 2.
Branodunum, sive *Dunum*, & *Branogenium* oppida Britanniae. 176. 1
Brattia, nunc *Brazza*, insula Dalmatica; ejus positio, & descriptio. 196. 2. & 197. 1.
Braulio Ep. Caesaraugustanus; additiones ad Chronicon Maximi eidem affictae. 550. 1
Brebera Chrobatorum Zupania, in qua Cori, sive Corinium, nunc Carin. 155. 2. describitur. *ib.*
Brestolazius lacus Dalmatiae describitur. 138. 2
Breuci a Sylvano victi. 63. 1
Breviarium Romanum correctum, ac reformatum, jussumque ab omnibus adhiberi. 408. 1. Breviarii Patavini locus de S. Prosdocimo mendi suspicione notatus. 417. 2. & 437. 1.
Brietius in Parallelis geographicis erroris arguitur. 154. 2. notatur. 155. 1.
Brutus, Marcus, Caesaris interfector; ei decretum Illyricum, & exercitus Vatinii, sed nihil contra Dalmatas gessit. 106. 1. 282. 2. Bruti itinera ac gesta. 283. 1. Cassius victus, Brutus victor, ac deinde victus: uterque mortem sibi consivit. *ibid.*
Brygeides insulae Apollonii eadem ac Absyrtides. 188. 2.
Bubua, sive *Boa*, insula, & ejus positio. 147. 2. describitur. 196. 2. celebris olim, quod illuc relegari solebant facinorosi homines. *ib.* Traguriensis ditionis est; sed in iis, quae spectant ad religionem partim ad Traguriensem Episcopum, partim ad Spalatensem Archiepiscopum pertinet. *ib.* Bubaria, & Barbaria etiam dicta. 542. 2. vetus consuetudo in Buam insulam facinorosos homines & haereticos relegandi. *ibid. & seq.*
Bulgari Justinianam primam capiunt. 77. 1. tota Macedonia expulsi, ultraque Danubium translati. *ib.* Bulgariam citra Danubium recuperant, & Episcopo suo Ternobiensi Patriarchae titulum impetrant. *ibid.*
Bullini, & *Hyllini* gens eadem. 146. 1. unde Bullini dicti. *ibid.*
Burgena Pannoniae Saviae urbs. 176. 2
Burnistae populi Liburniae a Burno urbe dicti. 162. 2
Burnum Liburniae civitas. 153. 1. fortasse Liburna Strabonis; ejus positio. 154. 2
Butua, hodie *Budoa*, nobile Dalmatiae emporium; ejus positio, & descriptio. 150. 2

C

Caecilius discipulus S. Jacobi, ut fingitur, auctor suppositus cujusdam commentarii. 551. 1.
Epigraphe sepulchro S. Caecilii incisa. *ibid.*
Caecilius Metellus Cons. bellum Dalmatis infert ob solam triumphandi libidinem. 53. 1. 2. Dalmatici

Digitized by Google

tici cognomen assumpsit. *ibid.* 2. & 102. 2
Caria Regina Illyriorum ab Cynane filia Philippi in prælio occisa. 21. 2
Cæsar nomen gentilitium etiam post Cæsares creatos usurpatum in familiis. 263. 1. Cæsares creandi, eosque successores designandi consuetudo post Apostolicam ætatem invaluit. 263. 2
Cæsar primus Episcopus Dyrrhachii in hodierno Illyrico. 263. 1. diversus a Cæsare, quem Paullus nominat in epistola ad Philipp. *ibid.* potuit tamen idem esse: *ibid.*
Cæsariensis Exarchatus initia. 294. 1. cui suberat Pontus, & Cappadocia, Bithynia & Armenia. *ibid.* 2. provinciæ undecim diœcesis Ponticæ, seu Cæsariensis, *ibid.*
Cæsarius Ep. Salonitanus subrogatus Paschasio an. Ch. 194. circ. 595. 2. sub eo status ecclesiæ Dalmaticæ florentissimus. 596. 2. ejus cura, ut ecclesiam suam ab omni errore servaret. 597. 1. obiit forte martyr sub Severo. 598. 1
Cajanus Diaconus S. Domnii. 517. 2. adjutor Domnio tradutus fuisse videtur a D. Petro. 518. 2. 530. 2. primus Diaconus, sive Archidiaconus. 521. 2. consecratus Episcopus a S. Clemente. 527. 2. an dicendus sit Chorepiscopus 531. 1. fortasse alicui Dalmatiæ urbi cum jurisdictione Episcopali præpositus. *ibid.* 2. Domnio defuncto in Pontificatu Salonitano successit. 535. 1. ejus martyrium probabile. 537. 2. usque ad an. 115. ecclesiæ Salonitanæ præfuit. 538. 1. ejus nomen relatum in diptycha. *ibid.* 2. & 540. 1. in Martyrologio Hieronymiano quatuor Cajani. 540. 2. ex illis unus esse potest Cajanus Salonitanus. 541. 1. *& seq.* cur Cajanus Episcopus appelletur Diaconus. *ibid.* 2. verosimile est Cajanum in insula Bua seu lenta morte, seu gladio periisse. 543. 1. egregie cultus a Salonitanis, & post excidium Salonæ Romam fortasse translatus. 545. 1
Canalis regio Serblorum in Dalmatia describitur. 161. 1
Canalis Morlachæ, seu Montis describitur. 143. 1
Canalitæ Serbliæ populi; eorum regio describitur. 124. 1
Candianus, Petrus, Dux Venetorum pugna navali cum Narentanis commissa occubuit. 220. 2
Cappadocia propria, & minus propria. 658. 1. 2. fuit etiam in Dalmatia regio quædam dicta Cappadocia. 659. 2. Cappadocia Africana in Dalmatia. *ibid.*
Caprulæ oppidum littoreum Venetiæ maritimæ. 212. 2
Calamota insula Dalmatica; ejus positio. 200.
Cambei populi Illyrici, ignotæ positionis. 58. 2
Camponia, seu *Campona*, urbs Valeriæ. 176. 2
Carinensis Euripus Dalmatiæ describitur. 137. 1. 143. 2
Carinum oppidum Japydiæ; ejus positio. 143. 2
Carmelus Regulus Gallorum Istris opem fert. 46. 2. 47. 2
Carni gens Celtica ab Carnutibus Celtis orlunda. 12. 2. S. Marci, itemque Fortunati prædicatione exculti. 261. 1
Carnia sub Agronis imperio ad Illyricum accessit. 38. 2. pars Carniæ Illyrici finibus comprehensa. 39. 1. cur dicta Venetia. 45. 2. erat Romanæ ditionis ante secundum bellum Istricum. 45. 1. ab Illyrico divulsa. 73. 1. Italiæ attributa ab Augusto. 107. 1. Carnia & Venetia dicta Dalmatia supra mare. 127. 1. item Istria supra mare. 128. 1. Carnia cur appellata Dalmatia supra mare. 130. 1. Carnia & Istria ante Carolum M. Dalmatiæ vocabulo appellatæ. 131. 2. Carnia modo Illyricum, modo Dalmatia promiscue dicta. 132. 2
Carnuntes oppidum Illyricum diversum a Carnunto oppido Pannoniæ. 34. 1
Carnuntum, urbs Pannoniæ superioris. 177. 2
Carnutes primum in Pannonia, deinde cis Alpes inter Tilaventum & Timavum. 12. 2
Carteja distincta a Carcesa ubi sita. 556. 1. alterius Cartejæ positio malo constituta a Bivario. 557. 1
Carus Imp. Propius vero est eum genere fuisse Dalmatam, patria Narbonensem. 641. 1. ejus in ecclesiam Thessalonicensem beneficentia. 643. 1. fautor Christianorum. *ibid.*
Cassander filius Antipatri Athenis potitur, itemque Epiro. 20. 2. Causa belli inter Cassandrum, & Glauciam regem Illyriorum. *ibid.* fœdus cum Glaucia ferit. 21. 1
Cassiodori epistola ad Tribunos Venetiarum. 214. 2
Castrum novum, seu *Conigradum*, oppidum Dalmatiæ; ejus positio, & descriptio. 150. 1
Catalogi Episcoporum e diptychis descripti. 316. 2. catalogorum Episcopalium pars prima e diptychis, his vero deficientibus posterior aliunde transcripta. *ibid.* Catalogi & diptycha, quid inter se differant. 317. 1. Catalogi Episcoporum Salon. quatuor a nobis exhibentur: in quo omnes conveniant, & in quo tres priores a Romano differant. *ibid. & seqq.*
Catarum, olim *Ascrivium*, urbs Dalmatiæ describitur. 150. 1
Catuli Melitenses Callimachi non ex Melita Dalmatica, sed ex Africana arcessendi. 199. 2
Celadussæ insulæ apud Plinium quænam sint? 195. 1
Celtæ in Italiam transgressi. 10. 2. pars Celtarum in Illyrico. 11. 1. ex Illyrico in Italiam progressi. *ibid.* Celtæ in Istria. 13. 1. Illyricum ab Titio usque ad Drilonem occuparunt. *ibid.* Celtæ & Liburni in unam gentem coaliti, dictique Illyrii. *ibid.* stemma genealogicum regum Illyricorum ex genere Celtico. 37. regiones Illyrico adjunctæ sub imperio Regum Celtarum. *ibid. & seqq.* & 72. 2. Celtæ oram Illyricam Liburnis, Italicam Etruscis eripiunt. 207. 1
Centuria ad pedestrem ordinem militarem referebatur. 173. 2
Cepio, seu *Cipicus* Coriolanus, Traguriensis Historicus & Orator. 180. 1
Ceraunii populi Liburniæ. 162. 2. cur sic dicti. *ib.*
Cervinus, Ælius, Ragusiensis Poeta. 180. 1
Cetina lacus Dalmatiæ describitur. 138. 1
Cetina oppidulum Dalmatiæ. 158. 2
Chalcidenses in Siciliam advecti. 91. 2
Chersicrates Phæaciam insulam Liburnis eripit, & Corinthiorum coloniam illuc invehit. 7. 1. & 10. 1
Chersus, Ptolemæo *Crepsa*, urbs insulæ Absyrtis, seu Crescæ insulæ, describitur. 189. 2
Chinna urbs Ptolemaica Illyrici proprii ubi locanda. 160. 1
Chorepiscopi quinam. 531. 1. eorum munia. *ibid.* 2. consecrationis episcopalis expertes. *ibid.* aliquando tamen episcopali charactere insigniti erant. 532. 1
Christiani in Dalmatia vexati a Gothis, ab Avaribus, & præsertim a Slavis. 184. 1. Christiani & Clerici interdum milites appellati. 460. 2
Chrobati, & Serbli Dalmatiam occupant. 122. 2. ad Heraclium confugiunt; agris & sedibus in Dalmatia donantur. *ibid.* Chrobati Slavi Japydiam & Liburniam cum aliqua Dalmatiæ parte adepti xi. Zupanias condiderunt. 153. 2. mare Adriaticum infestant. 219. 2. a Venetis vincuntur, cum quibus fœdus ineunt: 220. 1. ab imperio

Digitized by Google

rio Francorum defciſcunt,& cum Narentanis inita ſocietate Adriaticam navigationem liberam non ſinunt. 221. 1. victi, & pacati. 222. 1. Dalmatiæ infeſti a Venetis repreſſi. 223. 1

Chrobatia: fines & deſcriptio Chrobatiæ Ciſalpinæ. 123. 1. Chrobatia Tranſalpina,& univerſæ Chrobatiæ tripartita diviſio. *ibid.* Ciſalpina bifariam diviſa in albam, & rubeam. 125. 1. Chrobatiæ mediterraneæ pars una Boſna, pars altera Raſcia. *ibid.* Chrobatia alba longiſſime a Dalmatiæ finibus ſejuncta. 126. 1. ſeries Ducum, ac Regum Chrobatiæ. 342. 2

Chronica Hiſpanienſia ex rebus alio pertinentibus conflata. 547. 1. & antiquis Scriptoribus ſuppoſita. *ibid.* 2. initio excepta, & approbata, ſed ab aliquibus in ſuſpicionem adducta. 552. 1. Petrus Ribadeneira, & Joannes Mariana ſuam quiſque hiſtoriam Chronicis illis oppoſuit. *ibid.* 2. Cornelii a Lapide in ea cenſura mitis. *ibid.* item Jo: Bollandi; ſed Bollandi ſucceſſores multo liberius de Chronicis illis ſententiam ſuam dixerunt. 553. 1. Communis Doctorum hominum ad Chronologos illos explodendos conſpiratio, *ibid.*

Chronicon Pontificale Salonitanum & Spalatenſe. 347. 2. Chronicon a Catalogo quid differat. 346. 2. unde ſit deſumptum hoc Chronicon, 347. 1

Ciampini duplex error corrigitur, 581. 2

Cimile quid ſit? 481. 1

Cimambri populi Illyrici, de quorum ſedibus non conſtat. 58. 2

Cirpum, ſeu *Carpum*, oppidum apud Iſtrum in Valeria. 176. 2

Cirul oppidum Dalmatiæ munitiſſimum a Georgio Caſtrioto exſtructum; ejus poſitio. 151. 1

Citelutum arx Dalmatiæ, Turcis *Sdeisla*, ejus ſitus, & deſcriptio. 159. 1. Turcis adempta a Venetis. *ibid.*

Claboca civitas an ad Litzam, vel ad Tzenam Chrobatorum Zupanias pertineat. 153. 2

Clariſſimi quinam dicerentur. 113. 1

Claudius Pulcher Conſ. inauſpicato ab urbe in Iſtros profectus. 46. 2. Neſtium in poteſtatem redigit. 47. 1. Iſtriam ad imperium adjungit. *ibid.*

Claudius Imperator quando imperare cœperit. 237. 2. Judæos, & Chriſtianos Roma expulit. 240. 1. ejus interitus. 241. 1. Veteranos milites in coloniam Salonitanam induxit. 285. 2

Clauſula fluvius Dalmatiæ, quem alii *Drinaſſum*, alii *Chirim* appellant. 140. 1

Clebiana Zupania Chrobatorum ultra Zetinam in editis ad Septemtrionem locis. 157. 2

Clebna, nunc *Hliuno*, civitas primaria Clebianæ Zupaniæ Chrobaticæ. 157. 2

S. Clemens ſocius, & adjutor Petri. 256. 1. Illyricum omne, & Thraciam Evangelica peragratione luſtravit cum Petro, & poſt Petri martyrium tres in Illyrico fundavit eccleſias. *ibid.* Clementis in Dalmatiam adventus quando. 256. 2. 523. 1. de tempore Pontificatus Romani, quem Clemens geſſit, duplex ſententia. *ibid.* Romano Pontificatu ſe abdicat. *ibid.* poſt depoſitum Pontificatum Epiſcopi Apoſtolici partes ſuſcepit. 257. 1. & 523. 1. 525. 1. ſemel atque iterum Pontificatu ceſſit. *ibid.* poſt Pontificatum an. 77. depoſitum eccleſias Illyricas ſæpe luſtravit. 257. 2. adventus Clementis in Dalmatiam in quod tempus conſtituendum. *ibid.* & 526. 2. an Clemens ad Dalmatas ſcripſerit epiſtolam, quæ tempore Heſychii in eccleſiis Dalmatiæ legi ſolebat. 258. 1

Clementium pagus Dalmatiæ ad radices Scardi. 161. 1

Clerici olim domicilii vitæ communis ſocietate conjuncti. 453. 2

Clinicus Rex Illyrici poſt Hyllum. 5. 1. Argonautas, & Idomeneum excepit. *ibid.* & Græcis copias navales ſubſidio miſit adverſus Trojanos, *ibid.* 2.

Cliſſa caſtellum; ejus poſitio & deſcriptio. 156. 2. creditur eſſe vetus Andetrium. *ibid.* bello Cretenſi in Venetorum poteſtatem venit. *ibid.*

Glitus Rex Illyriorum ab Alexandro victus. 19. 2. ejus obitus. 22. 1

Cliunus pagus Dalmatiæ ubi ſitus. 158. 2

Clobuch caſtellum Dalmatiæ ubi ſitum. 161. 1

Clodia oppidum littoreum Venetiæ maritimæ. 212. 2

Codropolis oppidum Carnorum in Illyrico. 39. 2

Cohors propric peditum manus. 178. 2

Cohortales, ſeu *Cohortalini* quinam. 114. 2

Colapius fluvius ex Albio monte oriens. 135. 1

Colchinium, priſcis *Olcinium*, nunc *Dulcignum* urbs Dalmatiæ, ejus poſitio & deſcriptio. 150. 2

Collaſſinium caſtellum Dalmatiæ ubi ſitum. 161. 1

Collegia Clericorum olim in commune viventium ex æde cathedrali, cui proxime adjacebant, nomen ſibi titulumque adſciſcere ſolebant. 453. 2. Collegium cleri Salonitani Spalatum translatum veterem titulum retinuit. 454. 1. quando Spalatenſe collegium Clericorum deſierit. *ibid.* 2

Colomannus Rex Hungariæ adeptus eam partem Dalmatiæ, quæ fuerat Chrobatorum, initio cum Venetis ſocietatem contra Normannos fecit, tum Venetorum urbes occupat in Dalmatia. 225. 1

Coloniæ Romanæ, earumque origo, & utilitas, 284. 2. aliæ Romanæ, aliæ Latinæ. 285. 1

Comaclum a Venetis captum. 220. 2

Comenii populi Dalmatici. 164. 2

Comitatenſes milites quinam. 173. 2

Commentarienſis carceribus præpoſitus, ejuſque munera, 114. 2

Commentarius de SS. Petro & Paulo, cujus auctor incertus, Metaphraſtæ falſo adſcriptus. 236. 1. mendis non caret, & anachroniſmis ſcatet. *ibid.* quid de eo ſenſerit Baronius, quid Henſchenius. *ibid.* quid præcipue huic ſcriptori vitio detur? 236. 2. cenſura in Auctorem commentarii de SS. Apoſtolis. 241. 1

Concilium Gradenſe, in quo ſedis Aquilejenſis translatio auctore Pelagio Pontifice approbatur. 130. 1. vocatur in dubium, ſed lectum eſt in Synodo Mantuana an. 827. neque improbatum, 132. 1

Concilium Spalatenſe Provinciale ſæculi x. ejus fides, & auctoritas probatur. 304. 2. alterum. 305. 1.

Concilium triplex Apoſtolicum de provinciis dividundis. 250. 1. 2.

Concilium Salonitanum anno 530. habitum ab Honorio Salonit. Archiep. 307. 1. alterum an. 532. 307. 2.

Confeſſiones quænam dicerentur. 452. 1. & cur ſic dictæ. 455. 1

Confeſſores quinam? 315. 1. Confeſſorum vocabulo alia olim, alia nunc ſignificatio ſubeſt. *ib.* Confeſſoribus in primæva eccleſia nullus cultus exhibebatur. 447. 1

Conigradum, ſeu *Caſtrum novum*, Dalmatiæ oppidum; ejus poſitio, & deſcriptio. 150. 1

Conſtantia, urbs in Valeria. 176. 2

Conſtantiacum oppidum inſulare Venetiæ maritimæ, aquis deinde abſorptum. 212. 2

Conſtantinopolis; varia hujus urbis dimetiendæ ratio. 276. 1

Conſtantinopolitani Epiſcopi jus Patriarchale in tres Exarchatus, & ſecundum a Romano Pontifice locum in Concilio Chalcedonenſi adepti ſunt, cæteriſque Patriarchis prælati. 295. 1

Conſtantinus Magnus quatuor Præfectos Prætorio inſti-

Digitized by Google

instituit. 68. 2. quas provincias Præfecto Illyrici attribuerit. 69. 1. Mœsiam inferiorem & Thraciam ab Illyrico divulsit. 69. 2. septem vero novis provinciis Illyricum auxit. *ibid.* Mœsiam inferiorem & Scythiam cum Thracia conjunxit. *ib.* videtur etiam instituisse diœcesum distinctionem. 70. 2. Italia, atque Istria potitus. 704. 1. Mediolani edictum pro Christianis edit. *ibid.* 2. de eo Oraculum. 717. 1. cæso Maxentio rem Christianam amplificat. 745. 2.

Constantius Chlorus Dalmatiam rexit, 111. 2

Consulares sæculo v. mediis provinciis præficiebantur. 112. 1

Conventus Illyrici Dalmatiæque tres a Romani statuti Naronianus, Salonitanus. 103. 2. & Scardonitanus. 104. 1. provinciæ in Conventus divisæ, qui dicebantur diœceses. 110. 2. Conventus, seu diœceses Asiaticæ. *ibid.* Hispaniæ septem conventus. *ibid.* conventuum agendorum ratio. *ibid.* viæ ab Augusto munitæ commodo Magistratuum conventus obeuntium. *ib.* cur & qua ratione conventus exsolescere cœperint. 112. 2. post Commodum forma conventuum provincialium desuetudine antiquari cœpit. 113. 1. describuntur tres conventus Dalmatiæ. 122. 1. populi ad conventum Scardonitanum adscripti. 162. 1. populi conventus Salonitani. 163. 2. conventus Naronensis. 164. 1. conventus quid sit? 285. 2. triplex ejus significatio. *ibid.*

Corbavia insignis quondam Dalmatia civitas ubi loci fuerit, & quonam fato interierit, ignoratur. 154. 1. ab ea Comitatus Corbaviensis. *ibid.*

Corcyra. Vide *Phæacia*.

Corcyra urbs ab Illyriis obsessa, & per deditionem capta. 26. 1. ei a Romanis libertas data. 42. 1

Corcyra nigra insula Dalmatica variis appellata vocabulis, & nigra dicta. 198. 2. describitur. 199. 1. a Venetis subacta. 222. 1

Cori, sive *Corinium*, nunc *Carin*, urbs Breberæ Chrobatorum Zupaniæ. 155. 2

Corinthus metropolis Apostolica. 296. 1

Cornacum urbs in Pannonia inferiori. 176. 2

Cornelius Centurio genere Illyrius, & in familiam gentis Corneliæ Romanæ per adoptionem adscitus. 264. 1. Petri socius, idemque adjutor ad rem Christianam variis in provinciis, etiam Illyricis propagandam. *ibid.* ejus elogia. *ibid.* & 2.

Cornelius Dolabella Proprætor Dalmatiæ ex antiquis lapidibus. 110. 1. 112. 2.

Cornelius Scipio Nasica quintum bellum Illyricum, & secundum Dalmaticum conficit eversione Delminii. 52. 1

Cornicularius quinam, ejusque multiplex officium. 114. 1. 609. 2.

Coronata insula Liburnica describitur. 194. 2. cur sic appelletur. *ibid.*

Correctores regionibus Italiæ præpositi. 110. 1. idem Corrector & Saviæ & Pannoniæ Australi citra Savum præpositus. 111. 1. Correctores, seu Consulares mediis provinciis sæculo v. præficiebantur. 112. 1.

Cosconius Proconsul. multam partem Dalmatiæ subigit, & Salonam capit. 53. 1. 2. & 103. 1. captam Romanorum imperio subjecit. 279. 1

Craina regio Dalmatiæ, ubi sita. 159. 1

Crescens D. Paulli discipulus Illyrici Apostolus ex Epiphanio juxta interpretationem Hansizii. 258. 2.

Cresimirus II. Rex Chrobatorum Jaderam per deditionem Venetis eripit. 223. 2.

Creta Illyrico adnexa, ejusque descriptio. 70. 1. ab Illyrico avulsa. 78. 2

Cretæ insulæ apud Plinium quænam? 194. 2

Cribasa, nunc *Corbavia*, Chrobatorum Zupania ubi sita. 153. 2

Cucum castrum non longe a Salona. 277. 1

Culsus inanium Deorum quando usurpari cœptus. 202. 2.

Cuneus in militia quid sit. 174. 2

Cuppa lacus Dalmatiæ, ejusque positio. 139. 1

Cuppe apud Antoninum oppidum Mœsiæ. 174. 2

Curcum urbs Japydiæ. 153. 1

Curetæ populi Dalmatiæ quinam? 281. 1

Curicta insula sinus Flanatici Venetis se dedit. 221. 2

Cusi Antonino Pannoniæ inferioris urbs. 176. 1

Cynane filia Philippi Macedonum regis in prælio vincit & interficit Cæriam Reginam Illyriorum. 21. 2

Czechus & Lechus fratres, alter in Bohemia, alter in Polonia rerum potiti ex Illyrico & Dalmatia illuc profecti. 119. 1

D

Dacia antiqua olim Illyrici provincia. 67. 2. Trajanus Daciam ultra Danubium imperio Romano, & Illyrico adjunxit. 68. 1. sub Gallieno amissa. *ibid.* Dacia nova citra Danubium, ejusque descriptio. 68. 2. Dacia antiqua ab Illyrico divulsa. 73. 1. Dacia vetus Trajani ultra Danubium. 174. 2. nova Aureliani citra Danubium, & hæc duplex. 175. 1

Dæsitiates populi Illyrici; eorum positio ignota. 164. 2.

Dalmatæ unde dicti. 50. 2. 88. 1. socios Romanorum infestant. *ibid.* a Romanis bello petuntur, & vectigales Romanorum facti. 51. 1. exciso Delminio sedem imperii Dalmatici Salonam transferunt, 52. 2. 278. 2. Liburnis Promonam adimunt. 55. 1. 103. 2. missas a Cæsare in eos copias bis cædunt. *ibid.* & 2. post interitum Cæsaris rursus rebellant. 58. 1. 106. 1. Augusto se dedunt, signis, quæ Gabinio abstulerant, restitutis. 60. 2. Dalmaticus tumultus facile compressus. 61. 2. Rursus a Romanis deficiunt Dalmatæ. *ib.* a Tiberio pacati. 62. 1. denuo deficiunt cum Pannoniis. *ibid.* primum victi, deinde victores. 62. 2. pacem petunt, & impetrant, sed mox deficiunt. 63. 1. Respublica Dalmatarum anno ante Christum 180. condita. 88. 2. Dalmatæ libertatem adepti rempublicam ordinant. 100. 2. fines usque ad Titium propagant. 101. 1. infestant Epetium & Tragurium urbes Issensium, itemque Daorseos ditionis Romanæ. 101. 2. M. Figulum Consulem in fugam conjiciunt. *ibid.* a Romanis pacem impetrant. 102. 1. Romanorum sociis iterum infesti, & hinc secundum cum Romanis bellum. *ibid.* pace iterum impetrata imperii Dalmatici sedem transferunt Salonam. *ibid.* bello petuntur a Metello Coss. nulla eorum culpa, quem tamen amice excipiunt. 102. 2. in bello civili Cæsaris & Pompeii neutrius partis, Cæsari tamen infesti. 104. 2. Gabinianas copias cædunt. 105. 1. obsides & tributum a Cæsare imperatum dare abnuunt. 105. 2. a Vatinio victi, & pace donati. 106. 1. Debellatum cum Dalmatis anno Ch. nono. 106. 2. Dalmatæ Germani longe sejuncti ab Dalmatis Illyricis. 118. 1. a quibus oriundi. *ibid.* populi Dalmatæ multiplices, & varietate nominum distincti. 161. 2. indoles, & mores Dalmatarum laudabiles. 167. 1. nullus apud veteres Dalmatas pecuniæ usus. 167. 2. de barbarie, inhospitalitate, sævitia Dalmatarum vulgaris opinio elevatur, ac refellitur. *ibid.* Dalmatæ gens bellicosa. 168. 1. Dalmatæ hodierni

Digitized by Google

gens bene morata, ab omni fraude aliena, otii fugitans, laboris patiens, optimis legibus instructa. 169. 1. hospitalis, & perhumana, laudis appetens, perofficiosa. 169. 2. Dalmatæ bellicis studiis & laudibus clari. *ibid.* Dalmatarum militaris opera Romanis perutilis. 170. 1. Dalmatæ primum ab Othone, deinde a Vespasiano steterunt. *ibid.* in bello Gotthico præclaram operam Claudio Imp. navarunt. 170. 2. militia Dalmatarum pedestris magni habita. 171. 1. Navales Dalmatarum copiæ, & naves Liburnæ. *ib.* milites & equites Dalmatæ in varia utriusque imperii loca ad præsidium contributi. *ibid.* Copia & virtus militum Dalmatarum. 178. 1. hodierni Dalmatæ a bellica majorum virtute non degenerant. 178. 2. eorum in præliis adversus Turcas summa virtus & constantia. 179. 1. ingenium perspicax & subtile. *ibid.* Dalmatarum religio pura & incorrupta. 181. 2. impliciti in schismate ob trium Capitulorum causam exorto. 182. 1. in quo potissimum in hoc schismate peccaverint. *ibid.* 2. errore cognito, depulsoque Schismaticorum principe Frontino, statim resipuerunt. 183. 1. eorum fides & constantia in persecutione Gotthica. 183. 2. Dalmatæ ab omni Albigensium impuritate immunes. 184. 1. egregie pugnarunt adversus Lutheri & Calvini hæreses. *ibid.* Dalmatarum erga sedem Apostolicam fides & observantia. 184. 2. mare Superum a Dalmatis nomen Dalmatici accepit. 210. 1. Dalmatæ ab re bellica maritima alieni. *ibid.* Venetorum opem contra piratas petunt. 221. 2. se ipsis dedunt. 221. 2. justissima causa Dalmatis in Venetorum fidem se tradendi. 222. 2. Dalmatæ novo jurejurando Venetis obstricti. 223. 2. Dalmatarum erga S. Lucam eximia religio. 259. 1

Dalmatia. Initium nominis Dalmatici. 32. 2. Regio & Respublica Dalmatarum. 33. 1. Dalmatiæ fines Occidentales aucti. 50. 2. Dalmatia sæpissime rebellis. 61. 2. pacata. 64. 2. ab jurisdictione Primatis Justinianopolitani exempta. 76. 2. ab Delminio, sive Dalminio Delmatia, & Dalmatia dicta. 87. 1. initia nominis & populi Dalmatici. 88. 1. fines Dalmatiæ primigeniæ inter Naronem & Tilurum. 88. 2. deinde usqiad Titium prolati. *ib.* Dalmatia prima pars Græciæ. 90. 2. 92. 1. 2. etiam Italiæ regio cur dicta. 93. 1. 2. de populis Dalmatiæ antiquæ ante nomen Dalmaticum exortum. 94. 1. *& seqq.* fines Dalmatiæ antiquæ. *ibid.* difficultas ac labor Dalmatiæ subigendæ. 106. 2. provinciæ Dalmaticæ fines usque ad Savum prolati. 107. 2. fines Septemtrionales Dalmatiæ ante & post Augustum a Strabone descripti. *ibid.* fines Dalmatiæ in Ortum producti usque ad Drilonem, in Occasum usque ad Arsiam. 108. 1. Dalmatiæ vocabulo Japydia, Liburnia, Illyricum proprium, & Pannonia citra Savum comprehensæ apud Sex. Rufum. 108. 2. itemque in libro Notitiæ Dignit. imperii. *ibid.* Dalmatia primum provincia Consularis, deinde Prætoria. 110. 1. bifariam divisa, & duobus Prætoribus commendata. 111. 1. inter minores provincias sæculo v. recensebatur, quæ a Præsidibus regebantur. 112. 2. Dalmatiæ Gotthis ereptæ Proconsul præfici cœpit. 115. 1. post Dalmatiam mediterraneam a Slavis occupatam Prætores Constantinopoli ad maritimam regendam Dalmatiam missi. *ibid.* Dalmatia cur plurali nomine *Dalmatiæ* dicta. 115. 2. post Gotthos superatos nomen suum finesque usque ad Danubium propagavit. 116. 1. 2. Procopius fines Dalmatiæ usque ad Dravum protulit. *ibid.* Dalmatiæ regiones ab Illyrico distinctæ. 117. 1. Dalmatia apud Græcos idem atque Illyricum Occidentale. 117. 2. Dalmatia Germanica, ejusque positio. 118. 1. Dalmatia & Chrobatia Synonyma. 119. 2. Dalmatia Germanica usque ad sinum Codanum prolata. 120. 1. Dalmatia ad Danubium usque prolata, 120. 2. post adventum Slavorum ab regionibus Mediterraneis ad maritimam oram fines suos contrahit. *ibid.* deinde regionibus transalpinis partim Hungariæ, partim Slavoniæ, partim Chrobatiæ, Bosnæ, ac Serbliæ relictis, recuperavit quidquid antea inter montes ac mare possidebat. 121. 1. fines Dalmatiæ hodiernæ. *ibid.* Albaniæ nomen citra Drilonem, & Dalmatiæ nomen ultra Drilonem invectum. *ibid.* cur pars prima Dalmatiæ, ab Occasu dicta Chrobatia. *ib.* Dalmatia bifariam dividitur in transalpinam seu mediterraneam, & Cisalpinam seu maritimam. 121. 2. Cisalpina in tres conventus divisa. *ibid.* Dalmatia in tres partes divisa. 122. 1. Japydiæ vocabulo antiquato Dalmatia bifariam divisa. *ibid.* Dalmatia cis ultra montes bipartito divisa, partim Chrobatis, partim Serblis obtigit. 123. 1. Dalmatia contracta post adventum Slavorum sub Imperatoribus CP. ejusque urbes. 124. 2. sub adventum Slavorum tripartita Dalmatiæ divisio. 125. 1. Dalmatia ad mare, & Dalmatia supra mare, & utriusque cognominis explicatio. 127. 1. 2. Dalmatia supra mare & Istria supra mare synonyma. 129. 1. Istriæ nomen in Dalmatiam Illyricam prolatum. *ibid.* Dalmatiæ supra mare, sive Italicæ, pars Dalmatiæ Illyricæ attributa. *ib.* Dalmatia Illyrica ultra Titium dicta Slavonia, atque etiam citra Titium. 129. 2. unde earumdem regionum varia appellatio. *ibid.* fines & descriptio Dalmatiæ supra mare. 130. 1. cur Istria, Carnia, & Venetia appellatæ sint Dalmatia supra mare. *ibid.* Dalmatici nominis in Italia prolati initium non a Carolo M., sed multo altius repetendum. 130. 2. Dalmatiæ hodiernæ multiplex divisio. 132. 2. & 133. 1. divisio civilis Dalmatiæ hodiernæ quadripartita. 133. 2. divisio ecclesiastica item quadripartita. *ibid.* Dalmatiæ hodiernæ definitio. 134. 1. oræ Dalmaticæ longitudo. 141. 2. & descriptio. 142. 1. & 145. 1. Dalmatiæ clima, & dimensio respectu plagarum cœlestium. 165. 1. longitudo, & latitudo. 165. 2. temperies ac salubritas cœli Dalmatici. *ibid.* in locis subalpinis, & campestribus amæna, & fertilis. 166. 1. mercatura quæstuosa, hortorum cultus & fructus, fontes & fluvii. 166. 2. auri ferax. *ibid.* propugnaculum Italiæ. 179. 1. litteratorum hominum ferax. 179. 2. quam fuerit Arianorum insidiis exposita, & Photinianorum, ac Semiarianorum. 183. 2. nihil labis a Photino, Germinio, Macedonio, Nestorio, Eutychete, ac Monothelitis contraxit. 182. 1. Lues Pelagiana aut non irrepsit in Dalmatiam, aut statim depulsa est. *ibid.* Illyrico Orientali ab Romana sede avulso Dalmatia in hujus ditione perpetuo mansit. 185. 2. Dalmatici nominis latior & contractior significatio. 195. 2. Dalmatia antiquitus unde dicta sit Adria. 203. 2. verisimile est nomen mari Adriatico indidisse. *ibid.* mari præterfluenti nomen dedit. 210. 2. Dalmatia Venetis se dedit. 221. 2. ab Hungaris occupata, & a Venetis recuperata. 225. 1. 2. contra Turcas a Venetis defensa. *ibid.* Dalmatiæ possessio ab Alexio Imp. Venetis confirmata. 227. 1. Dalmatia per Asinium Pollionem subacta. 283. 2. Magister militum Dalmatiæ præfectus, deinde etiam Proconsul. 287. 1. Dalmatia ad jus Augustale pertinebat.

Digitized by Google

bat. 441. 1. dicta antiquitus Mauritania. 500. 1. Dalmatia duplex Ripenſis, & Mediterranea. 541. 2. Dalmatia olim a Siculis ibidem rerum potiti dicta fortaſſe Sicilia. 543. 2
Dalmatica Eccleſia nulli Primati præterquam Romano ſubjecta. 76. 2. brevis ejus ab Romano Patriarchatu diſtractio. 185. 1. fundata a diſcipulis Apoſtolorum. 234. 2. 266. 2. vere Apoſtolica. 271. 2. inſtituta ad normam eccleſiarum Græcarum & Orientalium, inter quas multæ erant Metropoles. 300. 1. a Galerio vexata. 716. 2
Dalmatius an ſit adjungendus ſociis S. Domnii? 463. 3.
Dandulus, Andreas; ejus anachroniſmus in Annalibus corrigitur. 223. 2.
Daorſii apud Senatum Rom. queruntur agros ſuos a Dalmatis infeſtos eſſe. 51. 1. & 101. 2. dicuntur etiam *Daorizi*, *Daurſii*, *Daorſei*, *Daoriſii*, *Darſii*, & ubi ſiti. 164. 2
Dardani populi Mæſiam incolentes. 67. 1. gens Illyrica. 255. 1
Daunius poſt Clinicum Rex Illyrici. 5. 2. qui in Italiam profectus eſt & cur. *ibid.*
Decimius legatus Romanorum ad Gentium. 34. 1
Decuni populi Illyrici, eorum poſitio ignota. 163. 2
Delmantia, ſeu *Dalmatia* Germanica, pars Miſniæ. 118. 2.
Delminium a M. Figulo Conſ. comburitur. 51. 2. & 192. 1. a P. Cornelio Scipione Naſica evertitur. 52. 1. & 102. 1. Dalmatiæ nomen indidit. 87. 2. varie appellatum. 87. 2. poſitio Delminii in locis mediterraneis, ubi nunc extat Dumnus. 87. 2. Delminium ab hodierna Almiſſa, & ab antiquo Dimalo diſtinguendum. 88. 1. quæ de Delminio ex antiquis Scriptoribus collegit Cellarius. 156. 2
Demetrius Pharius Corcyram Romanis tradit. 26. 2. quæ pars Illyrici ei a Romanis tradita. 27. 1. Tutor Pinei Illyriorum regis. *ibid.* 3. cum Antigono in Cleomenem fœdus icit. *ibid.* contra leges fœderis Romani mare infeſtat. *ibid.* vincitur a Romanis, & fuga elabitur. 38. 1. 44. 1. ſollicitat Philippum Macedoniæ regem ad bellum Romanis inferendum. 29. 1. a Romanis deficit, Iſtros, & Atintanos ad defectionem impellit. 43. 1. urbes Illyricas Romanorum vaſtat. 43. 2. uxorem duxerat Triteutam viduam Agronis. 44. 1.
Demoſthenes regnum occupat in Dalmatia imperante Diocletiano. 685. 1. obſidetur in urbe Salona, ſed ope S. Georgii liberatur. *ibid.* 2
Derbani populi Illyrici, quorum regio ignota. 61. 1.
Deremiſtæ populi Illyrici poſitionis ignotæ. 164. 2
Deretini populi Illyrici a ſolo Plinio memorati, ubi locandi? 164. 2
Derii populi Liburniæ. 162. 2
Derniſium oppidum Dalmatiæ, ejus poſitio. 158. 1
Derriopes populi Liburniæ. 162. 2
Dexter, Flavius Lucius, Præfectus Prætorio, ſcriptor hiſtoriæ cujuſdam. 548. 1. pro qua deperdita falſa quædam in lucem protruſa. *ibid.* ab aliquibus incaute excepta, & defenſa. *ibid.* 2
Diaconatus caput & fons cæterorum ordinum inferiorum. 517. 2. Diaconi vocabulo cæteros minores Ordines comprehendi. *ibid.* 1. Diaconi dicti interdum Sacerdotes. 518. 1. Epiſcopus ſine Presbyteris eſſe poteſt, non autem ſine Diaconis. 519. 1. Officia Diaconorum. *ibid.* 2. ſeptem in qualibet eccleſia Diaconi electi. 521. 1. e ſeptem Diaconis unus cæteris dignitate præerat. *ibid.* 2. mos antiquus elegendi Epiſcopos e collegio Diaconorum. 527. 2. Diaconos antea Presbyteros, quam Epiſcopos creari oportebat. 528. 1
Ad Dianam locus Dalmatiæ. 148. 1
Didius Julianus ſecundo Ch. ſæculo Dalmatiam regendam ſuſcepit. 111. 2
Diœceſes quid, & a quo inſtitutæ. 70. 2. imperii Orientalis ſeptem diœceſes, quarum duæ Illyricæ. 71. 1. harum deſcriptiones ex Notitia Dignitatum imperii. *ibid.* & 72. 1. Diœceſim Macedonicam Illyrico detraxit Juſtinianus. 74. 1. diœceſes antiquitus pars unius provinciæ, deinde provincia pars unius diœceſis. 396. 1. diœceſeos vocabulum uſurpari cœptum an. 314. in Synodo Arelatenſi. 397. 2. a ſecunda Synodo œcumenica adoptatum. *ibid.* duplex veterum diœceſeon genus; & diœceſis quid nunc ſit. *ibid.*
Dimalus urbs ab Æmilio Conſ. capta. 88. 1
Dindarii populi Liburniæ. 162. 2. & 164. 2.
Dio Caſſius cur enumerans provincias Romanas neque Pannoniam ultra Savum, neque Mæſiam nominet. 108. 1. Dalmatiæ præfuit. 111. 2
Dioclea regio Serblorum in Dalmatia deſcribitur. 161. 1.
Diocletana provincia quos Epiſcopos ſuffraganeos habeat. 134. 1
Diocletani, Serbliæ populi; eorum fines, & oppida. 124. 1.
Diocletianus Salonæ ornandæ augendæque ſtudioſus. 287. 1. Colonias plures Rom. in Dalmatiam invexit. *ibid.* palatium apud Salonas condidit. 287. 2. ejus edictum de conflagrandis eccleſiis Chriſtianorum. 449. 1. 468. 1. ejus palatium in urbem converſum. 488. 1. quando perſecutionem in eccleſiam indixerit. 665. 2. cur dictus Rex Perſarum. 669. 2. *& ſeq.* anno Ch. 305. Nicomediæ imperio ſe abdicat. 716. 2. regimine Dalmatiæ ſibi retento. *ibid.* an. Ch. 313. Junio menſe miſere periit. 746. 1.
Diodorus Siculus; ejus locus de Liſſo urbe Syracuſiorum colonia defenditur. 15. 1. alter locus emendatur. 198. 2
Diomedeæ inſulæ celebres ob cœnobium perilluſtre S. Benedicti. 507. 2. Benedictinis abeuntibus conceſſæ Ciſtercienſibus. 508. 2. Has inſulas Petrus Eremita ſibi traditas ab Jo: de Dominicis Ab. Commendatario donavit Canonicis Lateranenſibus. 508. 1. earum deſcriptio. 509. 1. ab Almiſſanis diripiuntur. 508. 2. Turcæ eas expilare conantur, ſed irrito ſucceſſu. 509. 1
Diomedes; ejus Illyrica peragratio. 6. 1. Diomedis promontorium in ora Illyrica, & templum apud Timavum. *ibid.* Dauno opem tulit contra Meſſapios; & urbes ab eo conditæ. *ibid.* maris Adriatici imperium tenuit. *ib.* 2. Res Græcorum in Italia collabantes ſuſtinuit. *ibid.* Græcos in Dalmatiam invexit. 91. 1. res Pelaſgorum in Italia labentes ſuſtinet, maris, oræque circumjectæ imperium adeptus. 205. 1
Dionyſius Alexandrinus quæ ſcripſerit de inſulis Illyricis. 187. 2
Dionyſius ſenior Syracuſarum tyrannus oram Italicam Græcis adimit, eoque Siculorum colonias invehit. 14. 1. cum Gallis, & cum Celtis Illyriis fœdus init. *ibid.* Pariis ad urbem in Adriatico condendam opem fert. *ibid.* Liſſum & Iſſam duas Syracuſiorum colonias condit. 15. 1. dominus maris Adriatici. 15. 2. ora Italica in poteſtatem Dionyſii. 16. 1. urbes & portus Dionyſii; & pene eumdem integrum Adriatici imperium. *ibid.* 207. 1. Dionyſii Junioris navales copiæ. 16. 2. Syracuſis ac tota Sicilia expulſus. *ib.* uterque Dionyſius annos circ. 50. tyrannidem tenuit. *ib.* ſenior in Dalmatiam Græcas colonias deduxit. 91. 2.

junior parenti in Adriatici dominium ſucceſſit, 207. 2.
Dypticha quid ſint? 312. 2. 538. 1. tria diptychorum eccleſiaſticorum genera. *ibid.* ſumma veterum cautio, ne quis in diptycha referretur, cujus ſanctitas non eſſet plane perſpecta & probata. 313. 1. diptycha eccleſiæ Salonitanæ vetuſtate interciderunt. 313. 2. diptychorum uſus jamdudum exſolevit. 316. 2. diptycha in ſolemni liturgia legebantur. 539. 2. hic uſus uſque ad ſæculum xi. in aliquibus eccleſiis. 540. 1
Ditiones populi Liburniæ. 162. 2
Diviſio Apoſtolica provinciarum apud Græcos prid. Kal. Julias, apud Latinos ipſis Idibus Juliis celebratur. 250. 1. triplex concilium Apoſtolicum de provinciis dividundis. *ibid.* & 2. de anno duodecimo, intra quem prohibiti ſunt Apoſtoli Paleſtina excedere, Hoſychius diſcrepare videtur a Clemente Alexandrino, & Apollonio, ſed cum utroque conciliatur. 251. 1. diſtributio Apoſtolica provinciarum, quando deſignata, ſancita, & ad effectum perducta. *ibid.* 2. cuinam Apoſtolorum proprie ac nominatim Illyrica provincia decreta fuerit. 255. 1
Doclea urbs perantiqua videtur ſtatuenda prope a palude Labeatium. 160. 1. Hac ante undecimum ſæculum everſa, in ejus locum, juſque Metropoliticum Antibaris ſucceſſit. *ibid.*
Docleatæ Illyrici populi inter Naronem & Drilonem. 58. 2. unde dicti. 160. 1
S. Domninus ex 72. diſcipulis cum Domnino Juliacenſi perperam confuſus. 431. 2. an idem ſit ac Domnius Salonæ antiſtes? *ibid.* haud dubie eſt diverſus. 432. 1
S. Domninus cubicularius Maximiani ob fidem capite plexus. 429. 2. & ſepultus apud Juliam Fidentiam cum Domnio Salonitano per errorem confuſus. 430. 1. hujus corpus a Salonitanis ſubreptum, & Salonas translatum. *ibid.* 2. Domnini Juliacenſis martyris a Domnio Salonitano diſtinctio. *ibid.*
S. Domnius a Petro in Dalmatiam miſſus. 143. 1. 305. 2. primus Salonæ Epiſcop. conſtitutus. 270. 1. juriſdictio pontificalis S. Domnii eoſdem fines habuit, quibus Dalmatiam Auguſtus definivit. 271. 2. amplificator eccleſiæ Dalmaticæ, & fundator ſedis Salonitanæ. 306. 1. licet nullam in Dalmatia eccleſiam epiſcopalem condiderit, jure tamen ac poteſtate Metropolitica potiebatur. *ibid.* Acta S. Domnii a multis deſcripta, quorum ſex exempla exhibemus. 404. 1. 2. *& ſeqq.* prima vita S. Domnii unde deſumpta, & quanti ſit facienda. 405. 1. 2. altera S. Domnii vita e Breviario Ms. Slavonico deſumpta: conjecturæ de illius antiquitate. 406. 1. tertia vita deſcripta ab Adamo Pariſienſi ex antiquis hiſtoriis S. Domnii. *ib.* quarta deſumpta ex archivo capitulari Spalatenſi. 406. 2. quinta Slavonice ſcripta, quæ in feſto S. Domnii a tribus Canonicis ſolet quotannis publice recitari. *ibid.* Sexta officio S. Domnii tribus lectionibus inſerta. 408. 1. acta S. Domnii a quodam recentiore oppugnata, cujus impudentia late ſuggillatur. 409. 2. *& ſeqq.* teſtimonia de S. Domnio Ep. Salonit. ex Martyrologiis, & Scriptoribus antiquis & junioribus. 412. 1. 2. Domnii nomen aliter ab aliis ſcribi ſolet. 426. 2. antiquior S. Domnii appellandi ratio. 428. 1. plures ſanctitatis eximiæ viri vocati Domnii, a quibus noſter diſtinguendus. 429. 1. an fuerit unus ex 72. Chriſti diſcipulis. 431. 2. *& ſeq.* natus eſt an. Ch. 32. *ibid.* quando baptizatus. 433. 1. fit Petri diſcipulus. 434. 1. an. 68. creatus Epiſcopus *Illyricum Sacrum*.
Dalmatiæ. 435. Trajano imperante martyrium adeptus eſt. 439. 2. *& ſeq.* quod poteſt conſignari an. 107. ſed non ultra an. 112. differri. 442. 1. ædem B. M. Virgini ſacram Salonæ conſtruxit. 442. 2. *& ſeqq.* Corpus S. Domnii in templum ab eo conditum e ſuburbio illatum. 448. 2. 466. 1. miracula ad ejus ſepulchrum divinitus edita. 449. 1. numerus ſociorum martyrii S. Domnii qualis. 457. 2. *& ſeqq.* ſocii ſepulchri S. Domnii quinam dicendi. 461. 1. ejuſdem ſocii cultus Lateranenſis, *ib.* 2. *& ſeqq.* S. Domnius extra urbem martyrio, & ſepultura affectus. 466. 1. videtur ſepultus fuiſſe ad radices montis Maſſari. *ibid.* quando Salonam primum translatus. *ibid.* 2. deinde in Phariam inſulam 468. 1. ann. circ. 590. ex inſula Pharia Salonam revectum. *ibid.* 2. annus & dies tertiæ translationis, itemque locus, unde S. Domnii corpus revectum eſt Salonas, ex Martyrologio Caudiacenſi per conjecturam elicitur. 469. 1. 2. Salonis exciſis transfertur cum corpore S. Anaſtaſii Spalatum. 471. 1. *& ſeqq.* cur ab aliquibus hæc traditio de translatione S. Domnii vocetur in dubium. 475. 2. effigies Lateranenſis Sancti Domnii non eſt indicium ejuſdem corporis ibidem conditi. 476. 1. auctores, & argumenta pro Spalatenſi ſepulchro S. Domnii. 478. 1. *& ſeqq.* translatio Spalatenſis corporis S. Domnii. 491. 2. *& ſeq.* de ſurrepto corpore S. Domnii dubitatio per Creſcentium Archiep. ſublata eſt inventione, & inſpectione ejuſdem corporis. 492. 2. deſcriptio arcæ, in qua jacet S. Domnii corpus. *ibid. & ſeq,* item deſcriptio altaris, & epitaphii S. Domnii. 493. 2. dies Maji ſeptima Domnii martyrio conſecrata apud Spalatenſes religioſiſſima, & celeberrima. 495. 2. *& ſeqq.* quo die S. Domnii limina etiam Epiſcopi ſuffraganei viſitare tenebantur jurejurando adacti. 497. 1. alter dies feſtus S. Domnii 3. Id. April. 498. 1. cauſa hujus dici feſti unde repetenda. 499. 1. hic dies etiam Romæ in Baſilica Lateranenſi celebratur. 500. 1. quando, & unde orta apud Lateranenſes conſuetudo colendi S. Domnii una cum ejus ſociis die 11. April. 501. 1. 2. tertius dies feſtus S. Domnii 29. Julii, & cur. 501. 2. *& ſeqq.* cultus S. Domnii quomodo translatus in inſulas Diomedæas. 507. 1. 2. Miracula S. Domnii. 511. 1. *& ſeqq.*
Donatus Presbyter Aquilejenſis Salonæ Chriſtum confitetur. 708. 1. ejus acta a Monacho Dalmatico ſcripta exhibentur. *ibid.* 2. In Iſtria natus, Aquilejæ Sacerdotio initiatur. 709. 1. 713. 2. trecentos ad Chriſtum convertit. *ibid.* & plures Judæos. *ibid.* 2. & 714. 1. Maximiani furorem declinans in Dalmatiam ſe recipit. 710. 1. 714. 2. in an. Ch. 267. ejus ortus conferri poteſt. *ibid.* ob ſilentium idolis impoſitum ad Diocletianum ducitur. 711. 1. & coram eo fidei ſuæ rationem reddit. *ibid.* Macarium cubicularium, & ſocium ejus Theodorum baptizat. 712. 1. cum Macario, & Theodoro igni & beſtiis objicitur. *ibid.* 2. 715. 1. a quibus nihil læſi in Ægyptum fugiunt. 713. 1. ubi Donatus Epiſcopus Tmuis creatus. *ibid.* denique ſub Licinio cum ſociis martyrium pertulit. *ibid.* & 715. 1. 2
Donnola, Thaddæus, erroris arguitur. 431. 1. & 741. 2
Dorienſes in Siciliam advecti, 91. 2
Dorotheus Scriptor Synopſis quis fuerit? 162. 1. Criſis in Synopſim Dorotheanam. *ib.* ejus auctoritas quamvis infirma, non tamen ſemper & ubique repudianda, 368. 1
Dorticum urbs antea in Mæſia inferiori, poſtea in

Digitized by Google

Dacia. 175. 1
Dravus terminus Septemtrionalis Dalmatiæ. 116. 2
Drilo fluvius Dalmatiæ diſtinguendus ab aliis fere cognominibus. 140. 2. Drilo Plinianus eſt idem, ac Clauſula fluvius Livianus. 141. 1. Drinus & Drilo a Ptolemæo diſtincti, ſed a pleriſque confuſi. *ibid.* Drilo appellandus fluvius Dalmatiam ſegregans ab Epiro nova, ſive Albania exemplo Strabonis & Ptolemæi. *ib.* deſcriptio Drilonis. 141. 2
Drinaſſus fluvius Dalmatiæ diſtinguendus a Drilone. 141. 2
Drinus fluvius Dalmatiæ diſtinguendus a Drinaſſo, & Drilone. 141. 2
Drivaſtum Dalmatiæ civitas, Livio *Clauſula*, Plinio *Drinum*; ejus ſitus, & deſcriptio. 161. 2
Duare arx Dalmatiæ; ejus ſitus & deſcriptio. 158. 2
Ducatus S. Sabæ ubi poſitus, & cur ſic dictus. 159. 1
Duces apud Venetos creari cœpti. 217. 2. Duces iterum poſt Magiſtros militum recepti, & ſemper deinde retenti. *ibid.*
Duces limitanei quinam dicerentur. 72. 2. præter duos Duces per Ægyptum, alii ſex Duces Orientem tuebantur. 133. 2. Dux Mæſiæ. 174. 2. Dux Daciæ Riparenſis. *ibid.* Dux Pannoniæ ſecundæ. 176. 1. Dux provinciæ Valeriæ. 176. 2. Dux Pannoniæ primæ, & Norici Ripenſis. 177. 1. Dux tractus Armoricani, & Nervicani. 177. 2. Dux Belgicæ ſecundæ. 178. 1. Dux Britanniarum. *ib.*
Dudini populi Liburni; eorum nemo, præter Plinium, mentionem fecit. 162. 1
Dumnus oppidum Dalmatiæ, ubi olim Delminium. 158. 2
Dyſcelados inſula, cujus meminit Apollonius, an fuerit Iſſa, ut putat Voſſius. 198. 2. ab Iſſa diſtinguenda, nunc *Buſi* vocatur. *ibid.*

E

Eccleſia primæva; in eâ fervens religionis propagandæ ſtudium, & Chriſtianis etiam utriuſque ſexus divinitus inditum. 265. 1. primævæ eccleſiæ conſuetudo propagandi fidem per Epiſcopos Regionarios. 267. 1. *& ſeqq.* comparatur cum hodierna fidei propagandæ ratione. 268. 1
Egregii quinam dicerentur, 113. 2
Elaphites inſulæ Plinianæ quænam ſint? 200. 2
Electrides, inſulæ minores ſinus Flanatici, ſic dictæ ab Electro, cujus eas feraces eſſe falſo creditum eſt. 192. 1. Electrides ante oſtia Padi. *ibid.* nomen Electridum a Venedis Sarmaticis ad Venetos Italos, ab his ad inſulas Japydicas translatum, 192. 2
Electrum nuſquam in Italia, ſeu Dalmatia naſcitur, ſed apud Venedos in Germania. 192. 2
Emmanuel Imperator CP. Venetis bellum infert, Dalmatiam occupat, eorum negotiatores, & legatos violat. 228. 1. ejus mors. 228. 2
Emota oppidum Dalmatiæ ad lacum cognominem, 159. 1
Enchelea populi Japydiæ. 162. 1. 165. 1
Enderudini populi Illyrici, Labeatibus finitimi, 160. 1
Enderum Illyrici proprii oppidum vetus ubi locandum. 160. 1. Drivaſtum urbem eamdem ac Enderum aliqui cenſent. *ibid.* extat oppidulum, ſeu pagus, cui nomen Enderum, ad radices montis Scardii. *ibid.*
Epænetus a D. Petro Pannoniæ Epiſcopus conſtitutus. 240. 2. & 261. 2. dimiſſa eccleſia Pannonica translatus ad Carthaginienſem. 262. 1. Epænetus primus Pannoniæ Epiſcopus nulli urbi affixus. 262. 2
Epetini populi Illyrici ab Epetio urbe appellati? 164. 1. cur Plinius Epetinos cum Iſſeis cæteriſque conjunxerit, quos ex inſulis ab Salona jus petere dixit, *ibid.*
Epetium ab Iſſenſibus conditum. 15. 1. infeſtatur a Dalmatis. 101. 2. ejus poſitio. 148. 1. fæc. VII. ab Avaribus exciſum. *ibid.*
Epheſinus Exarchatus a Paullo & Joanne Apoſtolis fundatus. 292. 2. *& ſeq.* e ſeptem provinciis conflatus. 293. 1. novis eccleſiis auctus a Joanne poſt ejus exilium. *ib.* 2. provinciæ Exarchatus Epheſini ſæculo IV. 294. 1. diœceſis & Synodus Aſiana e plurimis Epiſcopis conſtabat tertio ſæculo. *ib.* ſedes Epheſina exempta ditione Patriarchæ Antiocheni. *ibid.* Epheſinus Exarchus ab Aſianis eligi, & Epheſi conſecrari debebat. *ibid.* eccleſia Epheſina autocephala. *ibid.*
Epicaria, urbs olim Illyrici, nunc ejus poſitio ignoratur. 160. 2
Epidaurum Dalmatiæ urbs, & colonia Romanorum; ejus poſitio & deſcriptio. 149. 2. triplex Epidaurum. *ibid.* an ſerpens Epidaurius, Argivone Epidauro, an Dalmatico adſcribendus ſit. *ibid.*
S. Epiphanius; ejus locus hær. 51. explicatur. 258. 1. 2
Epirus vetus, & nova, & utriuſque deſcriptio. 69. 1. Illyrico adjecta, & totius Epiri deſcriptio. 70. 1. Epirus nova disjuncta ab Illyrico. 73. 1. 78. 1. Epirus nova pars Illyrici hodierni temporibus Apoſtolicis pars erat Macedoniæ. 254. 1. fuit olim etiam pars Græciæ. *ibid.* 2
Epiſcopi Apoſtolici, ſeu Evangelici, vel Regionarii qui? 267. 1. 374. 1. vetus & Apoſtolica conſuetudo Epiſcopos nulli urbi afflixos inſtituendi. *ib.* hujuſce conſuetudinis cauſæ, & hujuſmodi Epiſcoporum Apoſtolicæ circuitiones, ratioque provinciæ ſibi traditæ adminiſtrandæ. *ibid.* & 2. duo genera Epiſcoporum; alii Ordinarii; alii Regionarii. 268. 1. Epiſcopi plures olim non urbium, ſed regionum. 269. 1. Cur Epiſcopi, & Metropolitani in urbibus primariis conſtituti? 270. 2. poteſtas novos Epiſcopatus fundandi ab Apoſtolis tradita iis, quos urbium principum Epiſcopos conſtituebant. *ibid.* Epiſcopi olim dicti Presbyteri. *ibid.* Epiſcopi priorum eccleſiæ ſæculorum, præſertim Italiæ, diptychis inſcripti pro Sanctis habiti. 313. 2. eximia ſanctitas veterum Epiſcoporum. 314. 1. qui martyres obierant, ſtatim ab eorum obitu, ut ſancti culti ſunt; cæteris, qui ſumma ſanctitatis laude floruerunt, vita functis, quamvis in diptycha relati fuerint, nullus tamen cultus ante quartum ſæculum adhibitus. *ibid.* & 315. 1. Epiſcopi olim etiam Apoſtoli appellati. 369. 1. conſecratio, & ordinatio Epiſcoporum aliquo modo inter ſe differunt. 369. 2. Epiſcopus delegatus, quis? 373. 1. unus in ſingulis civitatibus Epiſcopus. 529. 2. plures quidem eſſe poterant, ſed juriſdictionis Epiſcopalis expertes. 530. 1. collegium Presbyterorum ex Epiſcopis olim conflatum. *ibid.* Cur Presbyteri iidem & Epiſcopi. *Ibid.* Presbyteri etiam Epiſcopi appellati. 530. 2. Electio Epiſcopi olim pertinebat ad Clerum & populum, quibus invitis Epiſcopum obtrudi non licebat. 533. 1. Epiſcopi non prærogativa antiquitatis, ſed electione creati. *ibid.* 2. de creatione Epiſcopi Alexandrini ſententia Hieronymi. 534. 1. in comitiis Epiſcopalibus quid Epiſcopis, quid populo juris & poteſtatis tributum. *ibid.* 2. unde dicti Epiſcopi. 535. 2. Epiſcopis ineſt poteſtas & juriſdictio. *ibid.* duplex cujuſque Epiſcopi & præcipua poteſtas. 536. 1. olim Epiſcopi ea etiam per ſe ipſi exſequi ſolebant, quæ præſtari poſſunt a Presbyteris. *ibid.* veteres cano-

Digitized by Google

nes omnia Episcopi potestati subjiciunt. *ibid.* 2. Episcopi omnium primi hostium perquisitionibus expositi. 537. 2
Equi Veglienses celebres. 190. 1
Equilum oppidum littoreum Venetiæ maritimæ. 212. 2
Erminacium urbs olim Illyrici proprii, nunc penitus abrasa, & ejus situs ignotus. 160. 2
Etrusci, eorum opes & potentia. 8. 2. Adriam condunt. 9. 1. dominationem maris Adriatici aut post Liburnos, aut cum Liburnis adepti. *ibid.* Apenninum transgressi oram superi maris magna ex parte coloniis occupant, & Umbris adimunt. 206. 1. dominium maris nacti ab Adria eidem Adriatici nomen vel imponunt, vel potius restituunt: imperii & commercii societas inter Liburnos & Etruscos inita. 206. 2
Evangeliorum codex pectori Episcopi, cum sepulturæ mandabatur, de more veterum Christianorum imponebatur; idemque apponi solebat Episcopis, cum in templis eorum imagines collocabantur. 474. 1
Exarchi ecclesiastici tres, & in quo differant a Patriarchis. 292. 2. omnes autocephali. *ibid.* in ordinem redacti, subjectique Patriarchæ Constantinopolitano. 295. 1. 2. in Synodo Chalcedonensi primarii Episcopi appellari cœpti Exarchi. 298. 2
Exceptores quinam, & quodnam eorum officium. 114. 2

F

Faventes se tenue Christianæ fidei lumen accepisse a S. Petro Apostolorum principe gloriantur. 336. 1
Fasiana, oppidum Norici. 177. 2
Ferrarius; ejus lapsus in Catalogo generali Sanctorum. 477. 2
Figulus (C. Marcius) Consul a Dalmatis victus cesusque. 51. 2. 101. 2. urbes aliquot Dalmatis adimit, & Delminium aggreditur. *ib.* & 102. 1.
Ad fines oppidum Japydiæ transalpinæ. 153. 1
Flamines, Protoflamines, Archiflamines quinam? 303. 1. Flamen provincialis. *ibid.* distinctio Protoflaminum & Archiflaminum ex commentitia epistola Clementis ad Jacobum rejicitur. *ibid.*
Flanates populi Japydiæ a Flanona urbe nominati. 142. 1. & 162. 2. ab his vocatus Flanaticus sinus. *ibid.*
Flanaticus sinus Istriæ & Japydiæ litoribus inclusus. 142. 1
Flanona urbs Japydiæ, ejusque positio. 142. 1
Flexum, urbs Pannoniæ primæ secundum ripam Danubii citra. 177. 1
Florentia, oppidum Valeriæ Ripensis. 177. 1
Florus; ejus martyrologii formula Anastasiana mendo subest. 742. 2
Flumen Dalmatiæ fluvius, quem vulgo Rikam, alii Tarsiam vocant; ejus descriptio. 136. 2. Oeneus Ptolemæi censetur. *ibid.*
Fœminæ Apostolicæ nonnullæ recensentur. 365. 2
Formula bene precandi Episcopis in diptycha relatis explicatur. 313. 1
Frontinianus an. 300. sublectus est Joanni II. in Pontificatum Salonit. 707. 1. ejus mors, vel martyrium an. 303. primo persecutionis Dioclet. 708. 1.
Frontinus Ep. Salonitanus præcipuas partes in schismate ob trium Capitulorum defensionem sibi desumpsit, & Ducem se præbuit Schismaticorum, qui ab eo dicti etiam sunt Frontinianistæ. 182. 1.
a Justiniano Imp. e sede expulsus exulatum abiit. 183. 1.
Fulfinium urbs insulæ Veglæ. 190. 1. an sit, quod hodie appellatur Castrum *Muscium*. 190. 2.
Fulvius Consul Corcyra potitur. 40. 2
Furius Camillus primus Prætor. 109. 2. Furius Camillus Scribonius Prætor Dalmatiæ. 111. 2. hujus seditio contra Cladium Imp. & interitus. 237. 1.
Ad Fustienam, Aufustiana Antonini, urbs mediterranea Dalmatiæ. 157. 1

G

Gabinius a Cæsare in Illyricum cum copiis missus magna clade afficitur a Dalmatis, e qua elapsus Salonam se recepit, ubi non diu post morbo interiit. 55. 2. & 56. 2. & 105. 1. 262. 1.
Gallaba oppidum Osrhoenæ non aliunde, quam ex Notitia Imperii notum. 174. 1. 2.
Galli. Duplex expeditio Gallorum ex Liburnia & Japydia. 28. 1. expeditio Delphica. *ibid.* utrum Galli ex Italia in Illyricum, an vero ex Illyrico in Italiam progressi sint. 31. 1
Garsia Loaisa quæ narrat de Roderico Archiep. Tolet. in dubium vocante S. Jacobi in Hispaniam adventum, falsa esse ostenduntur. 253. 1
Gelasius I. Pontifex Rom. scribit semel & iterum ad Honorium Ep. Salonitanum de lue Pelagiana in Dalmatiam irrepente. 182. 1. ejus decretum de libris apocryphis explicatur. 407. 2
Gengius, Ignatius, de naufragio D. Paulli in mari Adriatico scripsit. 180. 2
Gentius in regnum Illyricum succedit Pleurato. 32. 2. magna pars Illyriorum ab eo defecit. *ib.* Romanis infidus. 33. 1. de Gentio querelæ ad Senatum delatæ. 34. 1. 47. 2. cum Perseo fœdus jungit, & Romanis aperte bellum infert. 34. 2. ejus copiæ terrestres & navales. 35. 2. 48. 2. se cum uxore & liberis Anicio Prætori dedit. 36. 1. Bassaniam obsidet. 48. 2. ad Anicium in castra venit. 49. 1. cum uxore, & filiis, & fratre Romam captivus mittitur. *ibid.* 2. Gentii tyrannidis descriptio. 89. 2. tritavus ac parens Gentii nomen Pleurati habuere. 90. 2
Georgius Salonitanus Ep. Joanni I. successit; ejus initia ad an. 285. referenda. 647. 2. ejus acta cum actis Georgii Palæstini confusa videntur. *ibid.* & 648. 1. ejus nomen in antiqua diptycha relatum, & in omnibus catalogis recensetur. 649. 1. de Georgio Salonit. rerum admirabilium effectore vetus traditio. *ibid.* 2. Dalmatarum insignis religio erga Georgium ad Salonit. potius, quam Palæstinum referenda. 650. 1. ex Martyrologio Hieron. eruitur noster Georgius. *ibid.* 2. Salonæ ruina Georgii Salonit. memoria extincta; & cultus vetustate abolitus. 652. 1. Acta Georgii Salonitani in Orientem perlata & permixta cum Actis Georgii Palæstini. *ibid.* 2. & apud Latinos recepta, & variis exemplaribus tradita. 653. 1. Militina, vel Melæna patria Georgii Salonitani. 659. 1. 2. dictus Cappadox, & Anicius ex gente, unde traxit originem. 660. 1. Melitenæ martyrium consummavit. 663. 1. ubi conditus? 664. 1. ejus martyrium an. 296. affigi oportet. 666. 2. supplicia ei inflicta quænam. 667. 2. 677. 1. 2. ingens animus atque imperterritus. 669. 2. Acta Georgiana auctore Jacobo de Voragine propius absunt ab actis sinceris Georgii Salonitani. 675. 1. Pugnam Georgii cum Dracone alii improbant, alii probant. 679. 1. nobis videtur allegorica. 680. 1. 2. ejus interpretatio Baronii. 681. 2. hæc

pugna allegorica ad Georgium Salonit. ſpectat. 682. 1. poſt obitum Georgii pugna illa & victoria accidit. 683. 1. deſcribitur. *ib.* 2. interpretationes variæ hujus pugnæ. 684. 2. noſtra interpretatio. 685. 1. 2. explicatur. 686. 1. 2. *& ſeq.* ante ſæculum 7. Georgii Salonit. cultus apud Occidentales vigebat. 689. 1. Dies 23. Aprilis fortaſſe natalis utriuſque Georgii. *ibid.* 2. dies feſti Georgiani ſolemni cultu celebrandi Spalati, & in aliis Dalmatiæ locis. *ibid.* cultus Georgianus Romæ & in Italia perantiquus. 690. 1. Mediolanenſis. *ib.* in Gallia VII. ſæculo antiquior. *ib.* 2. *& ſeq.* Templa Georgiana in Dalmatia. 691. 1. *in* Occidente extra Dalmatiam. *ibid.* 2. *& ſeq.* Georgius Salonit. ibi ſepultus, ubi martyrium ſubiit; inde Polam translatus, ubi etiamnum colitur. 693. 1. pars aliqua inſignis Georgiani corporis Salonæ reperta. *ibid.* & Romam deinde tranſvecta præter exiguam particulam. *ibid.* 2. ratio ſecernendi reliquias utriuſque Georgii. 694. 1.

Georgius martyr Palæſtinus celeberrimus. 648. 2. fere coætaneus Georgio Salonitano. 651. 1. Acta Georgiana Græca & Latina ex actis plurium martyrum conflata. *ibid.* 2. confuſio Actorum Georgianorum unde orta. *ibid.* Georgii Palæſtini acta ſimplicia. 653. 1. Hiſtoria Georgiana Græca omnium, quæ extant, vetuſtiſſima, non tamen antiquior ſæculo ſeptimo. *ibid.* 2. Epitome Georgianæ hiſtoriæ. *ibid. & ſeq.* hiſtoria Georgiana Metaphraſtis, & Pſeudo-Palicratis. 654. 2. aliæ hiſtoriæ Georgianæ Græce ſcriptæ. 655. 1. 2. Hiſtoriæ Georgianæ Scriptores Latini. *ibid.* 2. & 656. 1. *& ſeqq.* inter Græca & Latina exemplaria quid interſit. 657. 2. quadruplex diſcrepantia in Actis Georgianis. 658. 1. Patria S. Georgii Cappadocia Palæſtinæ. *ibid.* 1. 2. duæ patriæ S. Georgii Militis, altera in Phœnicia, ubi ortus, altera in Palæſtina, ubi educatus. 658. 2. fuit Cappador dictus a regione, unde ortus. 660. 2. qua in urbe martyrium ſubierit. *ibid.* refellitur Nicomedienſe martyrium. 661. 1. item Melitenum. *ibid.* 2. Dioſpolis martyrio Georgii nobilitata. *ib.* at veroſimilius eſt in aliqua Phœniciæ, vel Ægypti urbe Georgium martyrio affectum. 662. 2. ubi conditus? 664. 1. *& ſeq.* ejus martyrium ad initia perſecutionis Diocletianeæ revocandum. 665. 2. quæ ſupplicia pertulerit? 667. 2. refelluntur argumenta, quibus Acta S. Georgii impugnantur. 671. 1. *& ſeq.* Cur e Romano Breviario lectiones de S. Georgio ſublatæ. 673. 1. Cur Acta Georgiana apud aliquos Martyrologos apocrypha dicta. 674. 1. Georgius Palæſtinus in Oriente jam inde a quarto ſæculo cultus. 688. 2. cultus Georgianus in Occidente poſt 7. ſæculum inſtitutus ad Palæſtinum ſpectat. *ib.* ſocii ejus martyrii. 695. 1. *& ſeqq.*

S. Georgii ſcopulus in ſinu Flanatico memorandus illuſtri perveterique Abbatia S. Benedicti. 201. 1

Georgius Spalatenſis Archiep. cæterique Dalmatiæ Epiſcopi ad Conſtantinopolitanum a Romano Patriarcha deficiunt. 185. 1. ſed mox ad priſtinam erga Patriarcham Romanum obſervantiam ſe referunt. 185. 2

Gepides urbes Dalmatiæ inter Savum & Dravum adepti. 116. 1

Girona, ſeu *Proteras*, inſula Dalmatica deſcribitur. 196. 1. Tragurienſi Epiſcopo, ac Præfecto ſubeſt. *ibid.*

Glaucias Rex Illyriorum ab Alexandro victus. 19. 2. cauſa belli inter Caſſandrum Antipatri filium, & Glauciam. 20. 2. ejus fœdus cum Caſſandro. 21. 1. Apolloniam obſidet irrito conatu, & fœdus cum Apolloniatibus icit. 21. 2. Epidamnum recepit. *ibid.* ejus obitus. 22. 1.

Glidenſiones, iidem ac *Glanditiones* Pliniani, populi Illyrici ad tertium Naronæ conventum pertinentes. 58. 2. & 164. 2.

Glinbuſka pagus Dalmatiæ frequentiſſimus ubi ſitus. 159. 1

Glodoum caſtellum ſupra Almiſſam deſcribitur. 158. 2.

Gortyna Metropolis Apoſtolica. 296. 2. Titus, & Philippus ejus Epiſcopi, & totius Cretæ Metropolitæ. *ibid.* & 297. 1.

Gothi duce Theodorico Italia potiuntur. 210. 2. non ante bellum Gothicum, quod Gothico in Italia regno finem attulit, copias navales habuiſſe leguntur. *ibid.* a Venetis bis maritimo prælio victi. 215. 2

Gothica in Dalmatia perſecutio deſcribitur. 183. 2. hæc perſecutio non ſatis certa. 184. 1

Grabei populi Illyrici ſedis incertæ. 165. 1

Gradenſis Patriarchatus in Iſtria ſupra mare. 128. 1. 2. Aquilejenſis ſedes Gradum translata. 130. 2. 216. 2. Gradenſis Patriarcha Primas Dalmatiæ Occidentalis. 212. 1

Gradus oppidum littoreum Venetiæ maritimæ. 213. 2. a Saracenis obſeſſum liberatur. 220. 1

Græca lingua olim in uſu apud Dalmatas. 607. 1

Græci ter victi ab Antipatro. 20. 2

Graveſa portus, quem etiam S. Crucis appellant; ejus poſitio. 149. 1

Gregorius II. P. litteras dat ad Urſum Venetiarum Ducem, eumque hortatur, ut Exarcho opem ferat, & Ravennam a Longobardis captam imperio Orientis reſtituat. 218. 1

Gregorius Ep. Illiberitanus, Nicænæ fidei vindex; ei Martyrologium Hiſpanienſe falſo tribuitur, 550. 1.

Grona urbs Dalmatiæ Germanicæ. 118. 2

Gutka amnis Gutzechæ Chrobatorum Zupaniæ, 153. 2.

Gutzecha Zupania Chrobatorum ubi ſita. 153. 2

Gynecium, ſeu Textrinum, officina publica, cur ſic dicta, & quid in ea conficeretur? 289. 1. huic officinæ qui præerat, Procurator Gynæcii appellabatur. *ibid.*

H

Hadria urbs Piceni an mari Adriatico nomen communicaverit? 203. 2

Haarianus; ejus ſævitia & odium in Chriſtianos. 559. 1. vetuit, quempiam ob eam cauſam in judicium vocari, quod Chriſtum coleret. 560. 1. Edictum Salvianum promulgari juſſit. 560. 2

Haubertus Monachus Bened. Hiſpalenſis, antea ignotus, ſcripſiſſe fingitur hiſtoriam quamdam. 550. 2.

Helena Regina Chrobatorum in veteri Salona exciſa ædes S. Mariæ & S. Stephani conſtruxit, & Monachis donavit. 449. 2. eaſdem Demetrius Svinimir reſtituit Archiep. Spalat. *ibid.* quænam fuerit hæc Helena. *ibid.* & 482.

Hemaſini populi Illyrici ſedis incertæ. 165. 1

Hemiones populi Liburni. 162. 2

Henſchenius, Godefridus; ejus conjectura confundens S. Domninum Chriſti diſcipulum cum S. Domnio Salonit. Epiſcopo refellitur. 431. 2. *& ſeq.* ejus correctio quædam non probatur. 464. 1. ejus error. 464. 2. rurſum bis corrigitur. 475. 1. item. 486. 2.

Heraclea urbs ab Hyllo in Illyrico condita. 4. 2

Digitized by Google

Heracleenſis Exarchatus poſt Apoſtolorum ætatem conditi provinciæ ſex. 294. 1
Heraclia urbs ab Opiterginis *in* Venetis æſtuariis condita. 226. 2. eo convocatum Conciliũm, in quo abrogato Tribunorum imperio Veneti Ducem creant. 217. 1
Ad *Herculem*; viginti nomine Herculis urbes Stephanus recenſet, quarum una in Pannonia ſuperiore, altera in Valeria. 176. 2. 177. 2
Hercules. Non omnia, quæ de Hercule traduntur, fabuloſa. 2. 1. poſt peregrinationem Hiſpanienſem, Gallicam, Italicam, in Epirum novam advenit. 2. 2. Dyrrhacho auxilium tulit. *ibid.* ab eoque regni parte donatur, quem Hercules Hyllo filio donavit. 3. 1
Hermes in Titi locum ad eccleſiam Dalmaticam adminiſtrandam ſubſtitutus. 266. 2. fuit Epiſcopus Regionarius Dalmatiæ. 267. 1. 269. 2. 396. 1. ignotus Latinis, cultus a Græcis. 392. 2. 403. 1. commemoratus a Paullo in Epiſt. ad Romanos. *ibid.* fuit e numero 72. diſcipulorum. *ibid.* ejus ad Chriſtum acceſſus, & prima evangelica miſſio. 393. 1. in cœnaculo cum cæteris Spiritum S. excepit. *ibid.* Judæam peragravit, & poſt Paulli converſionem Hieroſolymam reverſus ſit Paulli comes & diſcipulus. *ibid.* 2. poſt interitum Claudii Imp. Romam venit, & ſit Epiſcopus Dalmatiæ. 394. 1. 2. tempus Dalmatici Epiſcopatus ab Herme ſuſcepti, ac geſti. 395. 1. 2. quæ in Dalmatia præclare geſſerit. 396. 2. ante Petri martyrium Dalmatiæ Pontificatum depoſuit. 397. 2. martyrio coronatus cum ſociis apud Novas Patras. 398. 1. tempus, & occaſio ſubeundi martyrii per conjecturam explicatur. *ibid.* 2. *& ſeqq.* liber Paſtoris an huic Hermi ſit adſcribendus. 399. 1. *& ſeqq.* olim Hermes Sirmii veneratione diemque feſtum habuit, itemque in Dalmatia. 403. 1. ejus ſacræ exuviæ deperditæ, ſepulchrum ignotum. *ibid.* 2. Cœmeterium Hermetis Romæ, & Porta Athenienſis aliunde nomen accepere. 404. 1
Herodes, quo anno interierit. 237. 2. *& ſeq.*
Heruli Italia Dalmatiaque potiuntur. 210. 2. eorum rex victus & occiſus, & regnum extinctum. *ibid.*
Herzegovina Dalmatiæ Mediterraneæ provincia, Ducatus etiam S. Sabæ appellata, deſcribitur. 159. 1. 2
Heſychius unus, & alter poſt Symphorianum immediati Epiſcopi Salonitani. 545. 1. acta Heſychiana deperdita. *ibid.* 2. ſuſpicio eſt aliquid ab altero, vel utroque Salonitano ad Hiſpanum Heſychium eſſe translatum. 554. 2. *& ſeqq.* videtur ab ora maritima Dalmatiæ & Salona ad Carteiam Apoſtolatus Heſychii Salonit. translatus, & Heſychio Hiſpanienſi affictus. 556. 2. item martyrium. 558. 2. & reliquiarum ejuſdem inventio. 559. 1. Heſychii pro ſuo grege ruendo labores ſuſcepti. *ibid.* 2. transfert corpus S. Domnii Salonam in ædem S. Mariæ. 560. 1. Heſychius primus an. circ. 134. moritur. *ibid.* Heſychii II. curæ & labores. *ibid.* moritur an. 140. & fortaſſe martyr. 560. 2. utriuſque Heſychii ſepulchrum ignotum, itemque reliquiæ. 561. 1. utriuſque cultus olim apud Salonitanos viguit, nunc obſoletus, *ibid.* SS. Heſychii plures ex indice Bollandiano. *ibid.* 2.
Heſychius cum ſex aliis Evangelii propagandi cauſa in Hiſpaniam miſſus. 555. 1. civitas Heſychii Epiſcopatu inſignis varie appellata, nuſquam Carteja niſi apud Dextrum. 556. 1
Hierarchia Pontificalis in quatuor gradus diſtincta. 290. 1. ejus origo. *ibid.* 2. Hierarchiæ Pontificalis compendiaria deſcriptio. 298. 2. deſcriptio eccleſiaſticæ hierarchiæ deſcriptioni orbis Romani, & provinciæ eccleſiaſticæ provinciis civilibus aliquo modo reſpondent. 302. 1. hierarchia eccleſiaſtica in ordines varios deſcripta, & variis titulis diſtincta. 370. 1. 2. Antiquitas hierarchiæ eccleſ. ex tribus potiſſimum ordinibus compoſitæ Chriſto auctore. 516. 2
S. Hieronymus, maximus eccleſiæ Doctor, Dalmata. 279. 2
Hieroſtamus Dalmatiæ populi. 146. 1
Hiſpania dicta Spania, & Pannonia. 241. 1
Honoſperius, ſive Honorius I. Ep. Salonitanus Venantio an. 155. ſuffectus. 592. 1. in perſecutione Aureliana probabile eſt mortem pro Chriſto oppetiiſſe. 593. 2
Honorius Ep. Salonitanus reſcribit Gelaſio I. Pontifici de hæreſi Pelagiana in Dalmatiam non invecta. 182. 1
Honorius Imp. ad præſidium urbis ſex millia peditum Dalmatarum adſcivit. 271. 1
Hungari Dalmatiam Venetis eripiunt, ſed ſuſi a Venetis fugatique tota Dalmatia excedere coguntur. 225. 1. Dalmatiam iterum aggrediuntur, & Venetos vincunt. *ibid.* variæ deinceps bellorum inter Venetos & Hungaros viciſſitudines; ſed tandem Dalmatia fere integra in poteſtate Venetorum manſit. 225. 2
Hunni in Italiam effuſi a Venetis cæſi, & ab Italia depulſi. 210. 1
Hydria inſula a Mela memorata; ejus poſitio incomperta. 199. 2
Hyllenis urbs ab Hyllo condita. 4. 2. ejus poſitio congruit cum ſitu Salonæ. 272. 2. eadem ac Salona, 273. 1. temporibus Trojanis æqualis. *ibid.* Græcis ad expeditionem Trojanam 72. triremes ſubſidio miſit. *ibid.* Hyllenis reſtituta, & dicta Salona. 273. 2
Hyllina regio bipartito diviſa. 146. 1
Hyllini & Bullini gens eadem, 146. 1. unde Bullini dicti, *ibid.*
Hyllis peninſula Dalmatiæ deſcribitur. 145. *& ſeqq.* dicta Promontorium Diomedis. *ib.* non eſt Iſtria, neque promontorium Stagni. *ibid.* longe minor eſt Peloponneſo contra quam tradunt Schymnus & Scylax. 145. 2
Hyllus. Duo Hylli Herculis filii. 2. 1. Hyllus Herculis ex Melita filius parens Illyriorum. *ibid.* a patre regni parte a Dyrrhacho accepta donatur. 3. 1. ab eo Hyllini, ab Hyllinis Illyrii. *ibid.* duæ urbes ab eo conditæ, Heraclea, & Hyllenis. 4. 2. jure ac titulo regali præditus. 5. 1. ejus interitus. *ibid.* Hyllus Græcos in Dalmatiam invexit. 92. 1
Hymani, quorum mentio apud Plinium ſolum habetur, populi Liburniæ. 162. 1

I

S. Jacobus Apoſtolus quando martyrium ſubierit. 237. 2. præclarum teſtimonium de Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam profectione ex vita S. Clementis ab Heſychio Salonitano ſcripta. 249. 1. iter Hiſpanienſe D. Jacobi per Illyricum & Dalmatiam. *ibid.* ejuſdem Apoſtoli per Pannoniam tranſitus. 249. 2. argumentum chronologicum contra expeditionem Hiſpanicam D. Jacobi ab Henſchenio refellitur. *ibid.* *& ſeq.* Jacobus ante diviſionem Apoſtolorum divino inſtinctu, & Apoſtolis cæteris conſentientibus in provinciam ſibi decretam profectus eſt. *ibid.* & 252. 1. quatuor annos in Apoſtolatum Hiſpanienſem inſumpſit. 252. 2. qui potiſſimum traditione nititur. *ibid.* de Roderico Archiep. Toletano in dubium revo-

Digitized by Google

cante S. Jacobi adventum in Hiſpaniam quæ narrat Garcia Loaiſa falſa oſtenduntur. 253. 1, an S. Jacobus ex Hiſpania in Palæſtinam regrediens Illyricum attigerit, *ibid.* 2. ex Hieronymi Comment. in Iſaiam argumentum elicitur ad confirmandam expeditionem Hiſpanienſem D. Jacobi, *ibid.*

Jacobus de Voragine ſcripſit hiſtoriam S. Georgii. 657. 2. a multis per injuriam contemptus. 675. 1, ejus cenſura in acta Georgiana. *ibid.* 2. Georgiana cum dracone pugna non ſolum ab Jacobo, ſed etiam ab aliis graviſſimis viris recepta. *ibid.* fortaſſis Jacobus e Slavonico exemplari ſuam de Georgio hiſtoriam deſcripſit, 676. 1

Jacobus Spalatenſis Lutheri aſſecla Dalmatia expulſus. 184. 2

Jader fluvius Dalmatiæ deſcribitur. 137. 2. Salonus dicitur in actis S. Domnii, Salon apud Anonymum Raven. an Salancon Apollonii ſit, dubitat Ortelius. 276. 2. an Salonam præterflueret, vel interflueret? *ibid.* a Jadro rivus Spalatum perductus. *ibid.* pons Jadro prope Salonam impoſitus. 278. 1

Jadera, olim colonia Romanorum, nunc Dalmatiæ caput; ejus deſcriptio. 144. 1. Venetis ſe dedit. 221. 2. Venetorum imperio ſubducta non a Salomone Rege Hungariæ, ſed a Creſimiro II. Rege Chrobatorum. 223. 2. a Venetis recuperata. 224. 1

Jadrenſes mare Adriaticum identidem infeſtantes a Venetis ſæpe compreſſi. 229. 1

Jadrenſis Comitatus ubi poſitus. 155. 2

Jadrenſis eccleſia quos Epiſcopos ſuffraganeos habeat. 133. 2. quando evecta in Metropolim? 308. 2

Janizza inſula Dalmatiæ; ejus poſitio. 150. 2

Japydes: eorum genus ex Illyriis & Celtis. 12. 2. in eos bellum a Romanis geſtum. 53. 1. ab Auguſto illatum. 58. 2. ſe dedunt Cæſari. 59. 2. montis Albii incolæ. 135. 1. S. Marci itemque Fortunati prædicatione exculti. 261. 1

Japidia ſub Agronis imperio ad Illyricum acceſſit. 38. 2. maritima & inalpina. 59. 1. utraque imperio Romanorum acceſſit. *ibid.* ora Japydica, ſeu prima pars Dalmaticæ oræ deſcribitur. 142. 1. Japydia duplex Tranſalpina, & Ciſalpina 152. 1. Ciſalpina itidem duplex, prima & ſecunda; utriuſque deſcriptio. *ibid.* Japydiæ ſecundæ urbes mediterraneæ. 152. 2. populi Japydiæ conventu Scardonitano exempti. 162. 1. quinam eidem conventui adſcripti. *ibid.* S. Epiphanius Galliæ vocabulo Japydiam videtur ſubjeciſſe. 258. 2. ex Japydia copiæ auxiliares ad bellum Trojanum contributæ. 273. 2

S. Ignatius martyr cum vinctus Romam duceretur, aliquam Illyrici partem pedes pertranſiit, & aliquid ſuæ curæ Apoſtolicæ in Illyrios derivavit. 265. 1

Illipula in Hiſpania duplex. 558. 1. utraque longe abeſt ab Illiberi; itemque mons Illipula. *ibid.*

Illuſtres quinam dicerentur. 113. 1

Illyricum; hujus vocabuli forma multiplex & varia. 1. 1. Originem hujus nominis Appianus ab Illyrio Polyphemi filio repetit; ſed refellitur. *ibid.* 2. Stephanus ab Illyrio Cadmi filio, qui pariter improbatur. *ibid.* & 2. 1. ab Hyllo Herculis filio orti, & denominati Illyrii. 2. 1. fines Illyrici primigenii ac proprii. 3. 2. Illyricum primigenium idem ac proprium. 4. 1. Illyrici prima propagatio uſque ad Titium flumen. 4. 2. Illyricum regnum ultra Drilonem uſque ad Ceraunios montes prolatum. 17. 1. Illyrici regni fines contracti. 18. 2. quadripartito diviſum. 27. 1. triplex Illyricum. 33. 1. Illyricum in tres regiones ab Anicio diviſum. 36. 2. regiones Illyrico adjectæ ſub imperio regum Celtarum. 37. 1. Illyrici fines in Venetiam prolati ab Herodoto. 39. 1. fines & regiones Illyrici ſub regno Agronis. *ibid.* 2. fines Illyrici ſub Pelaſgis, Liburnis, & Celtis. 64. 2. latiſſimi ſub Romanis. 65. 1. Deſcriptio Illyrici ex Appiano, Strabone, Svetonio, & Herodiano. *ibid.* 1. 2. Illyricum Quirinale. 66. 1. Illyricum tribus auctum provinciis. 68. 2. Illyrici provinciæ, omnino ſeptemdecim. 70. 1. Illyricum Orientale & Occidentale. 71. 1. regiones ab Illyrico avulſæ. 73. 1. cur aliquot provinciæ Illyrici Occidentalis aut non ſunt nominatæ in Novel. XI. Juſtiniani, aut non ſunt attributæ Præfecto Juſtinianæ primæ. 75. 2. Juſtinianei Illyrici deſcriptio etiamnum ſervanda. 79. 1. Refelluntur ii, qui hodiernum Illyricum Dalmatiæ & Liburniæ finibus circumſcribunt. 79. 2. Illyrici nomen jampridem exſolevit. 80. 1. provinciæ Illyrici hodiernæ. *ibid.* Prima diviſio Illyrici in univerſale, & peculiare, & proprium, & deſcriptio Illyrici univerſalis, 80. 2. deſcriptio Illyrici peculiaris, ejuſque diviſio. *ibid. & ſeq.* deſcriptio Illyrici proprii. 81. 1. cur dictum Illyricum proprium. 81. 2. fines Illyrici proprii. 82. 1. ſecunda diviſio Illyrici in Orientale, & Occidentale. 83. 1. 84. 2. e tribus Illyrici diœceſibus una Occidentali, duæ Orientali Illyrico attributæ. 85. 1. fines utriuſque Illyrici. *ib.* Tertia diviſio Illyrici Maritimi & Mediterranei. 85. 2. quarta diviſio Illyrici antiqui, & hodierni, & utriuſque fines. *ibid.* & 86. 1. diviſio tripartita Illyrici Regii, liberi, tyrannici a Schymno tradita non congruit cum Schymni ætate. 89. 1. ad exordium nominis Dalmatici referenda eſt. 89. 2. extrema pars Illyridis ultra Drilonem ab Græcis habitata, dictaque Illyris Græca. 92. 1. Illyricum Occidentale Præfecto Prætorio Italiæ ſubjectum eſt ſæculo IV. 93. 1. receptum de Barbaris ſæculo VI. Dalmatiæ communi vocabulo appellari cœpit, & Præfecto Juſtinianæ primæ attributum. 93. 2. provincia Illyrica in Occaſum uſque ad Titium prolata, & in duos conventus diviſa. 103. 2. Græci poſt Occidentem amiſſum Illyrici vocabulo Orientale tantum Illyricum ſubjiciunt. 116. 2. receptas provincias Illyrici Occidentalis non Illyrici, ſed Dalmatiæ vocabulo impertiunt. 117. 1. Illyricum & Dalmatia pro Synonymis habita. 131. 2. 132. 1. Illyrici fines ante Auguſtum. 132. 1. Cur pars Illyrici Orientalis ſuperior, Occidentalis inferior dicta. 133. 1. Illyricum maritimum ex Japydia, Liburnia, Dalmatia, Illyrico proprio conſtans. 151. 2. Illyrici ſimpliciter dicti vocabulo intelligi ſolebat apud Græcos Illyricum Orientale, a quo ſejuncta erat Dalmatia. 173. 2. Illyrici eccleſiaſtici fines & provinciæ. 234. 1. & origines Apoſtolicæ. *ibid.* Illyricam eccleſiam conditam eſſe ab Apoſtolis admodum veriſimile. 234. 2. Illyrici vocabulo neque Macedonia, neque Achaja temporibus Apoſtolicis fuberant, ſed Dalmatia, Noricum &c. 245. 2. cuinam Apoſtolorum proprie ac nominatim Illyrica provincia decreta fuerit? 255. 1. Illyrica eccleſia vere Apoſtolica. 271. 2. ex Illyrico copiæ auxiliares ad bellum Trojanum contributæ. 273. 2. in Illyrico tres olim Primates Sirmienſis, Theſſalonicenſis, & Achridanus. 310, 1. 2. poſterioribus ſæculis quartus Illyrici Primas Spalatenſis. *ibid.* 2

Illyrii ab Hyllo, & Hyllinis nomen ſortiti. 3. 1. Illyrii primigenii ac proprii inter Naronem & Dri-

Drilonem. 3. 2. antiquitus finitimi Liburnis. 4. 2. vincunt Molossos. 14. 1. novam Græcorum coloniam oppugnantes a Prætore Dionysii repressi, victique sunt. 14. 2. Dionysio Juniore imperante copiis & opibus maritimis augeri incipiunt. 16. 1. Illyriorum bella cum Macedonibus. 17. 1. eorum pugna cum Molossis. 17. 2. Amyntam regno expellunt. *ibid.* reges Macedones vectigales Illyriis. *ibid.* victoria Illyriorum de Macedonibus relata. 18. 1. victi a Macedonibus, horumque vectigales redditi. 18. 2. copias ad expeditionem Persicam Alexandro M. suppeditant. 20. 1. jugum Macedonum excutiunt. 20. 2. inventores navium Liburnarum. 23. 2. vexant Issenses socios & amicos Romanorum. 24. 2. Illyriorum expeditiones contra Græcos, & Epirotas, & victoriæ. 25. 1. Issam obsident. 25. 2. & Corcyram, quam post navalem victoriam per deditionem capiunt. 26. 1. Dyrrhachienſi urbe propemodum capta excedere coacti. *ibid.* a Romanis subacti. 26. 2. Philippo contra Ætolos auxilia mittunt. 28. 2. Ætolos in fugam avertunt. 29. 1. magna pars Illyriorum a Gentio defecit. 32. 2. Illyriis Anicius dat aliis libertatem, aliis immunitatem. 36. 1. Illyrii Adriaticam navigationem infestam faciunt. 40. 2. vel subacti, vel in amicitiam a Romanis accepti. 41. 1. Illyrii fere omnes a Celtis oriundi. 65. 2. primi transmarinarum gentium in ditionem populi Romani venerunt. *ibid.* Illyrii proprie dicti, iidem ac Dalmatæ. 69. 1. Hyllini, sive Illyrii variis vocabulis inter se distincti. 94. 2. in bello civili Cæsaris & Pompeii Illyrii Cæsaris partes secuti. 104. 2. maris dominium a Siculis ad Illyrios devolutum. 208. 1. Illyrici Celtæ ab Liburnis rei maritimæ scientiam addiscunt. *ibid.* Illyriorum copiæ maritimæ paullatim auctæ. *ibid.* navales opes validissimæ, & expeditiones maritimæ ac victoriæ. 208. 2. Illyricum mare appellatum ab Illyriis ejusdem dominis. 209. 1. res Illyriorum a Romanis diminutæ, ac demum prorsus eversæ. *ibid.* Illyrii vectigales facti Romanorum. 209. 2.

Illyrius Polyphemi filius; alter Cadmi filius; a neutro Illyrii orti. 1. 2

Imota lacus Dalmatiæ describitur. 138. 1. 2

Imperium Romanum divisum in Orientale, & Occidentale; hæc divisio adumbrata sub Diocletiano. 83. 1. post Constantinum imperium trifariam divisum. 83. 2. bipartito divisum inter Valentinianum & Valentem. *ibid.* divisio stabilis imperii Orientalis & Occidentalis Arcadio & Honorio tribuenda. 84. 1. provinciæ, & fines utriusque imperii. 84. 2. Imperium & Illyricum Occidentale a Barbaris vastatum, & discerptum. 85. 1. ab Justiniano magna ex parte recuperatum in unum coaluit. *ibid.* imperii Occidentalis interitus. 213. 2. imperii Orientalis clades. 217. 2. imperii Occidentalis restitutio. 219. 1. imperium Orientis a Græcis ad Latinos translatum. 228. 2

Inaronia oppidum Dalmatiæ, ex sola tabula Peutingeriana notum; ejus positio. 148. 1

Inscriptio Marcianæ Basilicæ affertur, 130. 2. ejus interpretatio, 131. 1

Insulæ Illyrico per Constantinum attributæ. 70. 1. Insularum Dalmatiæ multitudo, opportunitas, & commoditas. 186. 2. earum divisio tripartita in Japydicas, Liburnicas, Dalmaticas. 187. 1. de insulis Illyricis, qui antiqui Geographi, quæque scripserint. *ibid.* insulæ minores sinus Flanatici, Electrides olim dictæ. 192. 1. Mentorides ubi? 193. 1. Liburnides apud Strabonem 60. dictæ videntur fere omnes insulæ Illyricæ. 193. 2. in Strabonis vulgatis exemplaribus 40. solummodo dicuntur. *ibid.* olim a Liburnis incolis & possessoribus omnes insulæ propter littus Illyricum dictæ Liburnides. *ibid.* Liburnides proprie dictæ sunt, quæ adjacent littori Liburnico. *ibid. & seq.* insulæ triplicis nominis apud Plinium, Cretæ, Liburnicæ, Celadussæ, & quænam sint. 195. 1. Elaphitæ Plinianæ quænam? 200. 2. insulæ recessus intimi maris Adriatici quando habitari cœptæ. 211. 2

Intercisa urbs Pannoniæ inferioris ante Valeriam conditam; postea Valeriæ finibus contenta. 176. 2

Interfrurini, gentes Illyricæ, sed positionis incognitæ. 58. 2

Interpretes Apostolici quinam, & eorum officium. 361. 1. 2.

Joannes Apostolus fundator Exarchatus Ephesini, & vere proprieque Exarchus. 293. 1. post exilium novis ecclesiis auxit diœcesim Asianam. *ibid.* 2

Joannes Papa VIII. epistolis ad Dalmatas scriptis eos ad Patriarchalis Romanæ sedis obedientiam reducit. 185. 1. 2

S. Joannes Chrysostomus in sacra diptycha restitutus jussu Innocentii P. 313. 1

Joannes I. Episcopus Salonitanus Agapito successit, 633. 1. 637. 1. ejus Episcopatus cum imperio Aureliani & Pontificatu Romano Felicis compositus, & ad imperium Diocletiani perductus. *ib.* unde ejus Acta sint petenda. 633. 2. Leontium Episcopum consecravit, & præfecit ecclesiæ Epetinæ. 634. 1. Electus Episcopus an. 275. mense Augusto. 640. 1. ejus obitus ad initia Diocletiani referendus. 645. 1. si martyr fuit, quando martyrium passus sit. *ibid.*

Joannes II. Ep. Salonitanus an. 298. Theodoro successit. 706. 2. ejus obitus, vel martyrium. 707. 1.

Joannes III. quando electus Salonitanus Ep. 708. 1. an. Ch. 304. defunctus est, & fortasse martyr. 715. 2.

Joannes Ep. Anconitanus sæculi decimi addendus Catalogis Episcoporum Anconit. ex Concilio Spalatensi. 304. 2

Joannes Archiep. Spalat. transfert Salonis Spalatum corpora SS. Domnii & Anastasii. 471. 1. *& seqq.*

B. Joannes a Fulgineo in Diomedæas insulas se recipit. 507. 1. ibidem templum Deiparæ condit. *ibid.* 2. redit in patriam, & martyrio afficitur. *ibid.* auctor cultus S. Domnii in insulis Diomedæis, cui etiam construxit ædiculam. *ibid.*

Joviani, & Herculiani fuere duæ legiones, e veteranis confectæ a Diocletiano, & Maximiano Impp. 170. 2. unde sic dicti, *ibid.* Imperatorum proxime a tergo præsidii causa sequebantur. *ibid.*

Ippasini, gens Illyrica, Taurisci finitima. 58. 2

Iris Illyrica comparata cum unguento regali Parthorum. 166. 2. optima circa Naronem & Drilonem in Dalmatia. *ib.* unde sit appellata. *ibid.*

Issa civitas a Dionysio Syracusano condita. 14. 1. eoque coloniam Syracusiorum invexit. *ibid.* ab Illyriis obsessa a Romanis liberatur. 26. 2. a Teuta obsessa. 40. 2. 99. 1. a Romanis obsidione exempta. 41. 1. 99. 2. Issa cum Epetio & Tragurio Romanis se dedit. 55. 1. dicta etiam Alexandria. 542. 1

Issa Insula Dalmatica, antiquarum rerum monumentis ac veterum litteris celebris. 197. 2. ejus positio & descriptio. 198. 1. Issa a Lissa, & Lisso distinguenda. *ib.* dicta etiam Isauria. 486. 1. 2

Issenses Syracusiorum colonia. 14. 2. 91. 2. partem oræ Illyricæ occupant, Tragurium, & Epetium ædificant. 15. 1. 91. 2. ab Illyriis vexati a Romanis

manis auxilium petunt. 24. 2. 101. 2. Iſſenſium ſubſidia maritima Romanis ad primum bellum Punicum collata. *ibid.* Romanis operam & auxilia præbent in ſecundo bello contra Philippum Macedoniæ regem. 32. 1. liberi & immunes ab imperio Regum Illyricorum. 39. 2. ab Ardiæis obſeſſi, 99. 1. liberantur. *ibid.* 2. ſe Romanis tradunt, 104. 1. Iſſeorum nomen olim celebre. 197. 2. eorum maritima potentia, 198. 1. Iſſenſes Romanorum ſocii. *ibid.*

Iſthmus Hylliis peninſulæ deſcribitur. 147. 1.

Iſtri a Romanis perdomiti. 28. 1. Italiæ oram depopulantur. 33. 2. Romanorum caſtra capiunt ac diripiunt. *ibid.* & 45. 2. Iſtri victi, & Iſtria Romanis dedita, *ibid.* Iſtri gens Illyrica. 39. 1. deſcriptio primi & ſecundi belli Romanorum in Iſtros. 45. 1. *& ſeqq.* Iſtri a Venetis opem contra piratas petunt. 221. 1. mare Adriaticum infeſtantes repreſſi, 229. 1. S. Marci, itemque Fortunati prædicatione exculti. 261. 1

Iſtria inſula a Scylace memorata ubi poſita, incertum. 193. 1

Iſtria ſub Agronis imperio ad Illyricum acceſſit. 38. 2. confecto ſecundo bello Punico ad imperium Romanum adjuncta eſt. 47. 1. ab Illyrico disjuncta ab Auguſto. 73. 1. & Italiæ attributa. 107. 2. An Iſtria ſit Dalmatia ſupra mare? 128. 1 Venetia & Carnia dicuntur Iſtria ſupra mare. *ib.* Iſtria proprie dicta adjudicata Patriarchæ Aquilejenſi. *ibid.* Iſtria ſupra mare, & Dalmatia ſupra mare ſynonyma. 129. 1. Iſtriæ nomen in Dalmatiam Illyricam prolatum. *ibid.* Cur Iſtria appellata ſit Dalmatia ſupra mare. 130. 1. Iſtria ac Dalmatia idem ſignificant, itemque Venetia. 131. 1. Iſtria & Carnia ante Carolum M. Dalmatiæ vocabulo appellatæ. 131. 2. Iſtria & Carnia quamvis ab Illyrico avulſæ, non tamen Illyrici vocabulo appellari deſierunt. 132. 1. modo Illyricum, modo Dalmatia promiſcue dicta. 132. 2. Iſtria Venetis ſe dedit. 221. 2

Italia non in provincias, ſed in regiones ab Auguſto diviſa. 108. 2. denominata fuit Saturnia amplius duobus ſæculis, antequam Saturnus juxta calculos Euſebianos in Italia poſt Janum rerum potiretur. 202. 1. dicta fuit Saturnia vel ab antiquiore Saturno rege, vel a Saturno Deorum primo. *ibid.* & 2. dicta Italia ab Italo ex Arcadia oriundo, antiquiſſimo rege Italiæ. 204. 1. longe ante bellum Trojanum referta Pelaſgorum coloniis. 204. 2

Itinerarium Antonini non ſolum ad militares expeditiones conficiendas, ſed etiam in commodum Magiſtratuum provincialium fuit deſcriptum. 110. 2. emendatur. 144. 2. quæ ſcripſerit de inſulis Illyricis. 188. 1

Julianus Toletanus qui fuerit? falſo dicitur auctor Chronici Hiſpanienſis. 549. 2

Julius Cæſar; ejus opes, potentia, Magiſtratus, res geſtæ. 54. 1. de more Italiæ conventus peragit, ac deinde in Illyricum proficiſcitur, bellum Piruſtis illaturus, qui metu perterriti imperata faciunt. *ibid.* 2. bellum decimum Illyricum, quintum Dalmaticum per Duces ſuos haud proſpere gerit, *ibid.* bellum civile Cæſarem a bello Dalmatico avertit. 55. 2. ei Illyricum, & Gallia utraque decreta. 103. 2. copiæ Cæſarianæ a Dalmatis cæſæ. 104. 1. confectis bellis civilibus Romæ triumphat. 105. 1. Dalmatis obſides imperat, & tributum imponit. *ibid.* renovator Salonitanæ coloniæ. 285. 1

Julius Toſtbumus Prætor Dalmatiæ ad 9. annum æræ Chriſt. 111. 2

Jus Italicum & provinciale; res Italicæ & provinciales diſtingui ſolebant. 108. 2

Juſtiniana prima a Juſtiniano Imp. condita. 74. 2. in eam translata Præfectura Illyrica & Primatus eccleſiaſticus. *ibid.* plures Juſtinianæ a Juſtiniano conditæ. 75. 2. a Bulgaris capta, & deinde Bulgarorum Metropolis dicta. 77. 1. caput totius Illyrici civilis, & eccleſiaſtici. 78. 2

Juſtinianopolitanus Antiſtes, ejuſque jura ac privilegia. 78. 2. amiſſo Primatis nomine in ordinem Metropolitanorum hodie redactus eſt. 79. 1

Juſtinianus Ep. Salonitanus poſt Juſtinum I. 599. 1. obiit martyr Maximino eccleſiam perſequente. 600. 1

Juſtinianus Imp. Noricum Francis permiſit. 73. 2. diœceſim Macedonicam Illyrico detraxit. 74. 1. ejus patria. *ibid.* patriam ſuam amplificat ornatque. 74. 2. Præfecturam Illyricam, & Primatum eccleſiaſticum tranſtulit ad Juſtinianam primam cum variis Illyrici provinciis. *ibid. & ſeq.* Imperium & Illyricum Occidentale a Barbaris vaſtatum & diſcerptum magna ex parte recuperat. 85. 1. plures Juſtinianæ urbes ab eo conditæ. 75. 2. maris Superi ab Iſtria & Ravenna uſque ad fauces Hydruntinas curam & imperium Juſtinianus recepit. 215. 1

Juſtinus pro Chriſtianis apologiam ad Imp. Antoninum ſcripſit. 569. 1

Juſtinus I. Epiſc. Salonitanus ſubrogatus Cæſario. 598. 2. obiit Alexandro imperante. 599. 1

Juvavia, ſeu caſtrum Juvenſe, urbs Norici, nunc Bavariæ. 177. 2

Juvenalis locus explanatur. 445. 2

K

Kabiack amnis Dalmatiæ deſcribitur. 138. 2

L

Labeatæ populi Illyrici, lacum, quem nunc lacus Zentæ ſeu Scutari dicitur, circumcolebant. 165. 1

Labeatis lacus Dalmatiæ deſcribitur. 140. 1

Lacinienſes populi veteris Japydiæ ubi ſiti, ignoratur. 162. 2

Lacromas, ſeu *S. Marci ſcopulus*; ejus poſitio, & deſcriptio. 200. 2. ibi monaſterium Benedictinum Congregationi non Melitenſi, ſed S. Juſtinæ adſcriptum. *ibid.*

Ladislaus Rex Hungariæ poſt Reges Chrobatorum extinctos, Chrobatiam Ciſalpinam invaſit, ſed regione maritima ac ditione Venetorum intacta, reverſus eſt in Hungariam. 224. 1. Nullus Regum Hungariæ ante Ladislaum arma in Dalmatiam intulit. 223. 2

Lagoſta inſula Dalmatica; ejus varia nomina. 199. 1. natura regionis. *ibid.* ſubeſt Raguſinorum Reipublicæ. 199. 2. a Venetis capta, & urbs diruta. 222. 1

Langobardi Italiam fere omnem occupant. 216. 2. Venetis infeſti. 217. 1. Ravenna potiuntur. 218. 1. a qua a Venetis expulſi, illam iterum adoriuntur & capiunt. 218. 2. Langobardorum in Italia regni interitus. 219. 1

Latarum urbs Phœniciæ. 174. 1

Lazius erroris arguitur. 154. 2

Lembi Illyrici navalibus prœliis apti. 23. 1. in ſecundo bello Macedonico lembi Iſſeorum erant ex genere Liburnarum. 171. 2

Lenigrada Chrobatorum inſula, ea ſorte quam Plinius *Colentum*, nunc *Mortarium* vocant, a Veneti-

Digitized by Google

mris capta. 212. 1

Leo Ep. Prænestinus ſæculi decimi addendus catalogis Epiſcoporum Prænest. ex Concilio Spalatenſi. 304. 2

S. Leonis Papæ locus à duplici mendo purgatus. 642. 1

Levacovichius corrigitur. 136. a

Liberatus Monachus Gerundenſis, ut fingitur, auctor ſuppoſitus cujuſdam hiſtoriæ univerſalis. 550. 2

Liburna genus machinæ militaris ad ſimilitudinem navium Liburnarum. 172. 1

Liburnæ naves unde dictæ. 8. 2. earum deſcriptio. 23. 2. & uſus in prœliis maritimis. 171. 1. earum quinam auctores, *ibid.* in primo bello Punico, & navali prœlio Romani Liburnis egregie uſi. *ibid.* in prœlio Actiaco egregia opera Liburnarum. 171. 2. earum varia forma, magnitudo, & deſcriptio. *ibid.*

Liburni gens Aſiatica longe lateque per Europam diffuſa. 6. 2. poſt captam Trojam in Illyricum atque Italiam effuſi. 7. 1. occupant Illyricum. *ibid.* a Liburnis nomen regioni, & inſulis Illyrici impoſitum. 7. 2. ab iis mare Adriaticum dictum Liburnicum. *ibid.* & Pheacia occupata. *ibid.* & 8. 1. Colchi Liburni in Iſtria & Illyrico. 8. 1. & 204. 2. florent in Illyrico, & Italia, ac maris imperium obtinent. 8. 1. ab iis naves Liburnicæ. 8. 2. dicti etiam Illyrii. 9. 2. eorum opes & potentia. *ibid.* & 205. 2. fœdere ac ſocietate cum Etruſcis conjuncti. *ibid.* & 206. 1. 2. Liburnorum opes aceciſæ a Corinthiis, Celtis, ac Siculis, 10. 1. & 207. 1. 2. Liburni & Celtæ in unam gentem coaliti, dictique Illyrii. 13. 1. Liburnorum Reſpublica. 33. 1. legatos ad Cæſarem opem implorantum contra Dalmatas mittunt. 55. 1. 2. ſeque in fidem Romanorum tradunt. 104. 1

Liburnia ſub Agronis imperio ad Illyricum acceſſit. 38. 2. in poteſtatem Romanorum venit, 55. 1. Liburnia pars Dalmatiæ apud Vegetium. 108. 2. oræ Liburnicæ deſcriptio. 143. 2. Liburniæ in quinque Zupanias diviſio. 155. 2. populi Liburniæ conventu Scardonitano exempti. 162. 1. dicta etiam Libya. 686. 1

Licka Dalmatiæ fluvius, ejuſque deſcriptio. 137. 1

Lieſina urbs & arx in inſula cognomine, ſeu Pharia, deſcribuntur. 197. 2

Lingus urbs & regio a Romanis data Pleurato Illyriorum regi. 32. 2

Linus Romæ a Petro conſecratus, adjutorque regiminis Epiſcopalis Romani adſcitus. 242. 1. Vicarius Petri. *ibid.* deinde poſt martyrium S. Petri verus Pontifex. *ibid.* initia Pontificatus S. Lini ad quem annum referenda. *ibid.* de Lini Pontificatu ſententia Henſchenii. 523. 2

Liſſii, & Daorſii apud Senatum queruntur agros ſuos a Dalmatis infeſtos eſſe. 51. 1

Liſſus, & Iſſa duæ coloniæ Syracuſiorum ab Dionyſio conditæ. 15. 1. 91. 2. Liſſus urbs & portus, in quo claſſis Dionyſiana ad maris præſidium. 16. 1. a Philippo Macedonum rege capta. 30. 1. Liſſi deſcriptio. 151. 1. a Conſtantinopolitanis Scriptoribus Eliſſus vocatur, nunc *Aleſſio* dicitur. 151. 2

Litſa, nunc *Licka*, Zupania Chrobatorum ubi ſita. 153. 2

Littus Britannicum quid ſit? 175. 2. Littus Saxonicum quale? 178. 1,

Livius emendatur. 36. 2

Liunum arx Dalmatiæ; ejus poſitio. 158. 2

Lopſi populi Japydiæ ab Lopſica urbe appellati ad fretum Morlachæ. 162. 2

Loranum oppidum in iſthmo Hyllis peninſulæ, nunc *Laurana* dictum. 147. 2

Lorophagi proxime ab oſtio Titii ante Bullinos oram Dalmaticam incolebant. 146. 1

Lucavius, Jacobus, Raguſinus Annales ſuæ Reipublicæ ſcripſit. 180. 2

S. Lucas Apoſtolus Dalmatiæ. 258. 1. Evangelium ab eo prædicatum in Gallia non tranſalpina, ſed Ciſalpina aliqui tradunt. *ib.* explicatur Epiphan. 258. 2. in Dalmatiam advenit poſt Paullum Romana cuſtodia emiſſum an. 58. vel 61. 259. 1. Dalmatarum erga S. Lucam eximia religio ejus in Dalmatiam adventum confirmat. *ibid.* de corpore S. Lucæ Cpoli in Boſſinam translato Boſſinenſium opinio. *ibid.* quæ ad corpus non Evangeliſtæ, ſed alterius S. Lucæ referenda eſt. 259. 2. Hermi utilem operam præbuit. 396. 1

Lucius Hiſtoricus Dalmata confutatur. 89. 2. erroris arguitur. 95. 2. bellum contra Dalmatas a P. Naſica geſtum imprudens prætermiſit. 102. 1. 2. quæ ſcripſerit. 180. 2. *& ſeq.* ejus error. 610. 2. & 741. 2

Luibus, ſive *Aloep*, inſula Japydica, ejuſque deſcriptio. 193. 1

Luitprandus Ep. Cremonenſis. 549. 1. ejus opera genuina; chronicorum Hiſpanienſium continuatio eidem ſuppoſita. *ibid.*

Luſſonium, Luſſanium Antonino, oppidum olim Pannoniæ inferioris, deinde Valeriæ attributum. 177. 1

Lynceſtæ a Romanis Pleurato dati. 90. 1. nunc Illyrico, nunc Macedoniæ cur attributi. *ibid.* & 2

M

Macarſca, Dalmatiæ civitas; ejus poſitio. 148. 2

Macedonia Illyrico adjuncta, ejuſque deſcriptio. 70. 1. duplex, prima & ſecunda, 77. 2. ſecunda a Hierocle deſcripta non videtur eadem illa, quam Juſtinianus a Theſſalonicenſi Primatu divulſit. *ibid.* ſed diverſa, ideſt Epirus nova. 78. 1. Macedonia ab Illyrico avulſa. 78. 1

Macer Prætor Dalmatiæ apud Martialem. 111. 2

Macrinus Dalmatiæ & Pannoniæ præpoſitus ſæculo quarto, 115. 1

Mœſia; ejus deſcriptio, & diviſio. 67. 1. eam cum Illyrico Tiberius conjunxit. *ib.* Mœſiæ populi. *ib.* Mœſia inferior a Conſtantino ab Illyrico divulſa. 69. 2. 73. 1. Mœſia inferior & Scythia cum Thracia ab eodem conjuncta. *ibid.* Mœſia prima dicebatur, quæ ſuperior, ſecunda, quæ inferior appellabatur. 174. 2

Magiſter militum ſucceſſit Legato. 172. 1. ejus dignitas, ac officium. *ibid.* duo magiſtri Militum inſtituti a Conſtantino, plures a Theodoſio. 172. 2. hi deinde ad pauciores redacti, in Oriente quinque omnino conſtituti; in Occidente tres. *ibid.* ex illis quinque duo appellabantur Præſentales, & cur? *ibid.* Magiſtri Militum tres in Occidente, 175. 1. Magiſter proprius in Dalmatia creatus poſt extinctum imperium Occidentale. 175. 2

Magiſtri Militum pro Ducibus apud Venetos conſtituti. 217. 2

Magnus Epiſcopus Opiterginus, urbe a Langobardis exciſa, in æſtuaria cum populo ſe recipit; & Heracliam condit. 216. 2

Magnus Portus locus Britanniæ ubi ſitus. 178. 1

Majurbium oppidum littoreum Venetiæ Maritimæ. 212. 2

Manii antiqui populi Illyrici; eorum regio. 95. 1

Manipulus Militum dicebatur de peditibus. 178. 1

Marcella pediſſequa S. Marthæ, oriunda ex Pannonia,

Digitized by Google

nia. 165. 2. post obitum S. Marthæ in patriam reversa apud suos populares munere Apostolico functa esse dicitur. *ibid.* SS. Anselmo & Ambrosio ad Christianos instituendos operam navasse traditur. 166. 1

Marcellus, Antonius, Dalmata litteris illustris. 180. 1

S. Marcus Evangelista, vel per se, vel per suos discipulos in Pannoniam & Japydiam Evangelium invexit. 161. 1. SS. Marcus & Lucas fundatores ecclesiæ Laureacensis: *ibid.* Carni, Istri, Japydes, Pannonii S. Marci, itemque Fortunati prædicatione exculti. *ibid.*

Marcus Antonius de Dominis Dalmatarum fidem labefactare frustra conatus in Angliam confugit. 184. 2

Mare Mediterraneum interdum appellatum Adriaticum. 204. 2

S. Mariæ Scopulus in sinu Rhizonico describitur. 201. 1

S. Mariæ de Scalpello alter scopulus in eodem sinu celebris ob thaumaturgicam B. Mariæ imaginem. 201. 1

Marnavitius, Joan. Ep. Bosnensis erroris arguitur. 427. 2

S. Martinus primus omnium Confessorum coli cœptus. 315. 1. 475. 1

Martinus Abbas missus in Dalmatiam a Jo. IV. P. ad redimendos captivos, & corpora SS. Martyrum inde Romam transferenda. 461. 1. quis fuerit. 573. 1. idem fortassis ac Martinus, qui post Theodorum ecclesiam Romanam gubernavit. *ib.*

Martiobarbuli quid? cur sic appellati Milites quidam. 170. 2

Martyres solummodo in primæva ecclesia excitatis monumentis colebantur. 446. 2. eorum sacella memoriæ appellata. 447. 1. interdum Milites appellati. 460. 2. martyrum corpora ex abjectis in amplissima loca transferendi mos antiquissimus. 462. 2. martyrum sepulchris aliqua nota apponi solebat, unde possent dignosci. *ibid.*

Martyrologium Hieronymianum emendatum. 413. 2. & 459. 2. & Bedæ. 413. 2. ut & Usuardi Bruxellense, *ibid.* Martyrologii Caudiacensis formula fœde corrupta restituitur. 469. 2. Martyrologii Hieron. Lucensis vel corrigenda, vel ad alium Anastasium referenda. 741. 2. *& seq.*

Marulus, Marcus, Dalmata, litteris egregie excultus. 180. 2

Massaron Mons Dalmatiæ ubi situs. 158. 2

Mathis, seu *Matias* amnis Dalmatiæ. 151. 1

S. Matthias an inter Apostolos Illyrici annumerandus. 254. 2. Dardanos & Triballos gentes Illyricas Evangelicis præceptis excoluit Æmilio Sanctorio auctore. *ibid.*

Matthias Flaccius Illyricus hæresiarcha Dalmatia expulsus. 184. 2

Maurilius, seu *Marelius* Judex in Actis S. Domnii videtur nomen ex duobus vocabulis conflatum, pro M. Aurelius. 414. 1. ejus præfectura Dalmatiæ extraordinaria. 440. 2. quando contigerit. 441. 2

Maurolyci error. 610. 2. & 741. 2

Maximus Ep. Cæsaraugustanus; ejus opera deperdita: chronicon eidem affictum. 548. 2. Monachus Benedictinus falso dictus, & distinguendus a Marco Maximo Benedictino. 549. 1

Maximus I. Episc. Salonitanus successit Honorio I. 593. 2. verisimile est M. Aurelio Imp. martyrii palmam adeptum fuisse. 594. 2

Maximus II. Episc. Salonitanus suffectus Antonino Valeriano Imp. 602. 2. an. 171. defunctus. 603 2

Mazæi populi Liburniæ. 162. 2

Medea in templo Dianæ deposita. 188. 2. Absyrtum fratrem, a Jasone interfici curavit. 189. 1

Medeon urbs Illyrici a Livio memorata ubi locanda. 160. 2

Media insula Dalmatica; una ex Elaphitis Plinianis, describitur. 200. 2

Medunum oppidulum Dalmatiæ, an Medeon, de quo Livius. 160. 2

Mela quæ scripserit de insulis Illyricis. 188. 1

Melada, seu *Meleta*, aut *Malata*, insula Japydica describitur. 193. 1. ejus urbs itidem Melada. *ibid.*

Melcomani populi Illyrici a solo Plinio memorati, positionis incertæ. 164. 2

Melita insula Dalmatica; ejus multiplex nomen. 199. 2. Melitæi catuli non ex hac insula, sed ex Melita Africana. *ibid.* in Dalmaticam Melitam, non Africanam ejectus e naufragio D. Paullus. *ibid.* descriptio insulæ. *ibid.*

Memoriæ quænam dicerentur. 452. 1. & cur sic dictæ. 455. 1

Mentores Japydiæ populi. 162. 1

Mentorides insulæ Japydicæne sint, an Liburnicæ. 193. 1

Merigne, lacus Dalmatiæ describitur. 137. 2

Merromeni, gens Illyrica, eadem forte ac *Melcomani*, de quibus Plinius. 58. 2

Metellus Consul Salonam aggreditur. 278. 2. Romam reversus triumphat de Dalmatis. 279. 1

Methaumacum oppidum littoreum Venetiæ maritimæ. 212. 2. post Heracliam excisam sedes Ducum Venetorum. 219. 1

Metropoles post conventus sublatos institutæ. 112. 2. Origo Metropoleon, & provinciarum ecclesiasticarum. 271. 1. Metropolis quid sit? 286. 2. Metropoles antiquissimæ & Apostolicæ. 296. 1. in Asia minore, in Græcia, in Macedonia. *ibid.* in Asia propria, in Creta. 296. 2. sunt qui temporibus Apostolicis plures ecclesiasticas Metropoles in Italia & Occidente fuisse existimant. 299. 2. initia Metropoleon Italicarum infra ætatem Apostolicam ostendi solent. 300. 1. de originibus Metropoleon ecclesiasticarum variæ sententiæ, 301. 1. 2. *& seqq.*

Metropolitæ; eorum origo, & institutio Apostolica. 295. 2. a Nicæno, itemque Antiocheno sancita, sed longe antiquior utroque concilio. 296. 1. tribus prioribus sæculis vel nullus in Italia præter Romanum Metropolita, vel duo tantum Romanus & Mediolanensis. 299. 1

Metulum Japodum oppidum ab Augusto captum. 59. 1. princeps erat totius gentis, & maxima civitas ex Dione. 152. 2

Missulus, Benedictus, Dalmata ex insula Pago Astrologiæ, & juris utriusque scientissimus. 180. 1

Modrussa civitas Dalmatiæ, olim Tediastum Ptolemæi; ejus positio. 153. 1

Moentini populi Japydiæ inalpinæ a Romanis subacti. 59. 1. 162. 2

Monetium urbs Japydica; ejus positio. 153. 1

Monogramma quid sit? 583. 2. Monogrammata Lateranensi picturæ sacelli Venantiani inserta quid significent. *ibid.*

Mons Niger pagus Dalmatiæ longe nobilissimus; indigenæ *Cernagoram* vocant, describitur. 161. 1

Montes Dalmatici in Hæmum montem desinunt. 134. 1. divisio montium Dalmatiæ. 134. 2. Geographorum in montibus Dalmaticis nominandis ac definiendis discrepantia. *ibid.* e quatuor montibus præcipuis Dalmatiæ, alii atque alii montes quaquaversum deducti, 136. 2

Moracia fluvius Dalmatiæ oriens e Scardo monte. 139. 2

Digitized by Google

Morlachi hodierni populi Japydiæ; eorum genus, & nomen. 162. 2
Mortarium, seu *Colentum* Plinii, insula Liburnica describitur. 195. 1. distinguendum hoc Colentum insula a Colento urbe Ptolemaica insulæ Scardunæ. *ibid.*
Mostar castellum Dalmatiæ, ejusque positio. 161. 1
Murianum oppidum insulare Venetiæ maritimæ, 212. 2.
Mursiensis in Pannonia ecclesia a S. Clemente D. Petri discipulo fundata, 256. 1
Mysii a Tiberio subacti. 108. 1

N

Ammantia castra, oppidum Valeriæ Ripensis, 177. 1.
Narentani mare Adriaticum infestant. 219. 2. a Venetis victi. 220. 1. compressi. 221. 1. iterum cum Chrobatis piraticam societatem coeunt, *ib.* quadraginta mercatores Narentani a Venetis capiuntur. 221. 2. veniam & pacem orant. 222. 1. quotannis die natali S. Domnii legati Reipublicæ Narentanæ Spalatum veniebant munera S. Domnio oblaturi. 482. 1
Narisii populi Illyrici, Plinio *Naresii*. 58. 2, 164. 2.
Naro fluvius Dalmatiæ describitur. 138. 1. fontes Naronis in montibus Bossinæ. 138. 2. amnes in Naronem defluentes, & paludes ex aquis Naronis utrinque effusis & stagnantibus, 139. 1
Narona urbs Illyrici, & caput conventus Naroniani. 103. 2. ejus positio & rudera. 157. 1. Narbonam Ptolemæus vocat, & recte. *ib.* distinguenda omnino a Narbone Galliæ Narbonensis. *ibid.* Narbona, seu Narona in Dalmatia, 566. 2. 569. 2
Narses Justiniani Imp. adversus Gotthos Dux a Venetis naves ad trajicienda flumina impetrat, & Venetias adit. 216. 1. duas sacras ædes apud Rivaltum vovet. *ibid.* & post Gotthos debellatos exstrui jussit, *ibid.*
Natalis, Petrus, Ep. Equilinus; ejus error de die martyrii S. Domnii. 498. 2. corrigitur. 635. 2
Nedinum Liburniæ civitas. 153. 1. describitur. 154. 1
Nero quando imperare cœperit. 241. 1. initia persecutionis Neronianæ. 242. 2
Nesti antiqui populi Illyrici ubi siti, 94. 1. descriptio regionis eorum, 94. 2
Nestis regio, quam Nesti incolebant, 94. 2
Nestus urbs, & fluvius Illyrici. 94. 2
Nimerius, Antonius, Arbensis Mathematicarum artium peritissimus. 180. 1
Nina Chrobatorum Zupania ubi sita. 155. 2. ejus urbs primaria Belitzima, nunc Belina. *ibid.*
Nona Zupania Chrobatorum ubi sita. 155. 2. sic dicta ab urbe Ænona; in ejus finibus continebatur Diadora, nunc Jadera. *ibid.*
Noricum; ejus descriptio. 66. 2. divulsum ab Illyrico a Gotthis. 73. 1. & translatum ad ditionem Francorum. 73. 2. eisque concessum ab Justiniano Imp. *ibid.* Illyrico exemptum sub finem sæculi v. 74. 1. Noricum Ripense, & Mediterraneum. 177. 1. S. Epiphanius Galliæ vocabulo Noricum videtur subjecisse. 258. 2
Norinum arx Dalmatiæ ubi sita. 159. 1
Normanni a Venetis victi. 225. 1. apud Dyrrhachium iterum a Græcis Venetisque fusi, fugatique. 226. 2. Græcos & Venetos cædunt. *ib.* insigni clade circa Buthrotum a Venetis affecti. *ibid.*
Notitia dignitatum utriusque imperii quando scripta. 70. 2. & 172. 1.
Novæ urbs in Pannonia secunda. 176. 1. duo alia oppida ejusdem nominis. *ibid.*
Ad Novas urbs Dalmatiæ Mediterraneæ. 157. 1
Novatianus Pseudopontifex, ejusque errores. 601. 1. schisma Novatianum. 602. 1
Novatus; ejus schisma. 601. 1. auctor schismatis Novatiani. *ibid.*
Novigradum, castrum Dalmatiæ; ejus positio. 143. 1

O

Obelerius recuperandi Principatus causa turbas ac seditiones movens, apud Curictum insulam obsessus, captusque capitali supplicio afficitur. 219. 2
Obrovacium castellum duplex superius, & inferius; eorumque positio. 155. 2
Octavianus Augustus plures Illyricas gentes iterum ac sæpius subegit. 58. 2. in bello Japydico Augustus vulneratur. 59. 1. Dalmatis Promonam aliasque urbes eripit. 60. 1. Dalmatas in deditionem recipit, *ibid.* & 60, 2. bella Dalmatica Cæsaris Octaviani. 106. 2. de Dalmatis triumphat, & Octavianus, & Augustus appellatur. *ibid.* Carniam & Istriam ab Illyrico divulsas Italiæ attribuit. 107. 1. Italiam non in provincias, sed in regiones divisit. 108. 2. vias munivit commodo Magistratuum conventus obeuntium. 110. 2. postremum bellum Dalmaticum per se gessit, 170. 1. Actiacam victoriam navibus Liburnis præcipue acceptam ferebat, 171. 2. duas classes adornat, locatque alteram apud Misenum ad custodiam inferi maris, alteram apud Ravennam ad præsidium maris Superi. 210. 1. Augusti erga Salonitanos studium & munificentia. 286. 1. viæ Salonitanæ ab Augusto magnifice stratæ. 286. 2
Octavius Pompejanæ classis Præfectus Salonam obsidet, & repellitur. 279. 1. ejus res prosperæ in Illyrico, a quo Salona iterum tentata. 282. 1. navali prælio victus a Vatinio, & toto Illyrico excedere coactus. 282. 2
Odiabo urbs Valeriæ Ripensis, auctoribus Notitia antiquioribus ignota, 176. 2
Odoacer rex Herulorum in Italia a Theodorico rege Gotthorum tribus præliis victus interficitur. 210. 2. 213. 2.
Oenei populi Dalmatici ubi locandi. 164. 2
Officinæ varii generis per provincias ad usum commodumque Reipublicæ constitutæ. 289. 1. Officinæ armorum sex in Illyrico Occidentali. *ibid.*
Officium quid sit. 113. 2
Olciniatæ populi Illyrici, 165. 1
Olii populi Liburni. 162. 2
Olivolus oppidum insulare Venetiæ maritimæ. 212. 2. munitum & præsidiis firmatum. 214. 1
Ombla Dalmatiæ fluvius describitur. 139. 2
Onesimus Timotheo substitutus adjutor, & Vicarius Joannis Ap. in Exarchatu Ephesino. 293. 1
Opitergini; eorum egregium facinus. 281. 2
Opsarus, seu *Auxerum*, sinus Flanatici insula Venetis se dedit. 221. 2
Opus, insula, & arx Dalmatiæ; ejus positio. 148. 2. 159. 1.
Oratoria quænam dicerentur. 452. 1. & cur sic dicta. 455. 1
Orbinus, Mauro, Ragusiensis quæ scripserit. 180. 2
Ordines duo præcipui in ecclesia a Christo instituti, Episcoporum, & Presbyterorum. 368. 1
Ordines militares tres, Palatini, Comitatenses, & Pseudo-Comitatenses, & unde sic appellarentur. 173. 1. equestrium ordinum cognomina varia, & unde desumpta. *ibid.*
Oricum urbs Illyrii capta a Philippo Macedoniæ rege. 30. 1. a Romanis recepta. *ibid.*

Oriens erat una ex quinque diœcesibus imperii Orientalis. 173. 2. Orientis nomen aliud apud Politicos, aliud apud Geographos naturales significat. 440. 1. 2
Oriundus fluvius Dalmatiæ, a solo Livio memoratus, quinam sit. 140. 1. 2. ejus cursus. *ibid.*
Osrhoena erat Mesopotamiæ pars inter Tigrim & Euphratem ab Osrhona urbe nominata. 174. 1
Ostrovitza arx in Comitatu Lickensi. 154. 1
Otho Federici Imp. filius a Venetis prælio navali in Adriatico victus, & captus. 229. 2.
Oves mire fœcundæ in Dalmatia. 166. 1
Ouporum urbs Ptolemaica, Japydicane sit, an Liburna, incertum. 153. 1
Oxyei populi Illyrici, quos in veteri Epiro locat Antoninus, 58. 2

P

Pagani, seu Arentani, populi Serbliæ. 123. 2. eorum urbes. *ibid.*
Pagania Serbliæ pars e tribus Zupaniis constans describitur. 123. 2. dicta a Romanis Arenta. *ibid.*
Pagus dicitur multitudo cœtusque hominum in plures vicos distributi. 161. 1
Pagus insula, *Gissa*, & *Sissa* olim dicta. 191. 2. capta a Cresimiro Rege Chrobatorum, & bifariam secta. *ibid.* unde ei Pagi nomen obvenerit. *ibid.* describitur. *ib.* Chrobatis a Venetis erepta. 221. 2
Palarii populi Illyrici. 165. 1
Palatini milites, quibus custodia palatii commissa erat. 173. 1. hi cæteris militibus honore, ac dignitate præstabant. *ibid.*
Palatium, portus Corcyræ nigræ, cur sic dictum. 199. 2.
Palladius erroris arguitur. 144. 1. item 290. 2.
Pallium apud Latinos fere solis Metropolitis concessum, 304. 1
Pannonia, ejus descriptio. 66. 2. Cissaviana; ejus descriptio. 59. 2. prima Pannoniæ divisio bipartita. 66. 2. secunda tripartita. *ibid.* tertia quadripartita. *ib.* Pannonia secunda eadem ac Savia, 76, 1. prima ab Illyrico divulsa. 79. 1, Pannonia prima, & secunda, utraque primum Proconsularis; deinde secunda in ordinem Consularium redacta; & sæculo v. prima earum provinciarum numerum obtinebat, quæ Præsidibus clarissimis committi solebant. 72. 1. Pannoniæ plures, 176. 1. 177. 1, Pannonia ex Petri prædicatione plurimum utilitatis cepit. 237. 1. Roma discedens Petrus in Pannoniam rediit, ejusque regionis Episcopum Epœnetum constituit. 240. 2. interdum dicta Spannonia, 241. 1
Pannonii a Tiberio victi. 61, 2. rursus in deditionem accepti. 62. 1. denuo deficiunt cum Dalmatis. 62. 1. pacem petunt, & impetrant. 63. 1. rursus deficiunt. *ib.* demum pacantur, 63. 2. S. Marci, itemque Fortunati prædicatione exculti. 261. 1
Pantauchus legatus Persei ad Gentium Illyriorum regem. 48. 2
Papa, nomen post quintum sæculum soli Romano Pontifici reservatum. 298. 2
Parathalassia Zupania Chrobatorum inter Titium & Tilurum; ejusque positio. 157. 2
Parentium Istriæ urbs in Venetorum potestatem se tradit. 221. 2
Parii urbem in Adriatico condunt. 14. 1
Parthenetæ populi Illyrici, iidem fortasse ac Parthini. 58. 2. ubi locandi. 164. 2. horum urbem principem, a quo denominati sunt, Polybius *Parthenium*, Stephanus *Parthum* vocant. *ib.* Cur eos Plinius Macedoniæ populis etiam annumeret? *ib.*
Parthini a Romanis dati Pleurato Illyriorum regi. 32. 2. eorum regio describitur. 90. 1. Parthini a Parthenis apud Plinium distincti. *ibid.*
Paschasius Ep. Salonitanus suffectus est Maximo I. Aurelio Imp. 594. 2. obiit extremis Commodi Imp. temporibus. 595. 2
Pasmania, sic dicta a Pasmano oppido principe, insula Liburnica, describitur. 194. 1
Passaron Romanis Antinoo ac Theodoto acerrime dissuadentibus deditur. 49. 2. urbs Epiri. 175. 2
Passera urbs Syriæ. 175. 2
Pastor liber ecclesiæ primitivæ describitur, & a censura vindicatur, 399. 1, 2. cuinam Hermę sit adscribendus. 400. 1. *& seqq.* alter libellus ejusdem nominis ac tituli, & utriusque distinctio explicatur. 402. 1. 2
Pastrovichiorum vicus; ejus positio. 150. 2
Patræ novæ & veteres unde dictæ, & an eædem, 398. 1. 2.
Patriarcha, titulus, quo in Synodo Chalcedonensi primum Leo Magnus appellari cœptus. 298. 2. deinde etiam dicti Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus &c. *ibid.*
Patriarchæ Constantinopolitani conantur Dalmatiam ab Romano Pontifice disjungere. 185. 1. omnes Illyrici ecclesias paullatim distrahunt. 185. 2.
Patriarchales sedes ut constituantur, non præsentia, sed auctoritas Petri requisita. 239. 2. tres sedes Patriarchales a Petro institutæ. 290. 2. præter Petrum nemo ex Apostolis sedes Patriarchales instituit. 291. 1. descriptio juris, & potestatis patriarchalis. *ibid.* 2. sedium Patriarchalium dignitas ab uno Petri Primatu orta. *ibid.*
S. Paullus e naufragio ejectus non in Melitam Africanam, sed in Dalmaticam, 199. 2. an in Illyrico Christi evangelium divulgaverit. 243. 1. Propositionem *usque* in epistola ad Romanos sic adhibuit, ut intra terminos suæ prædicationis Illyricum includeret, 243. 2. post scriptam ad Romanos epistolam ad Illyrios se conferre potuit. 244. 1. Paulli post Romanam custodiam Apostolicæ peragrationes. 244. 2. in Asiam rediit. 245. 1. auctores gravissimi Illyricum a Paullo evangelica prædicatione excultum affirmant. *ibid.* Paullus Apostolicos suos labores postremos in salutem Illyriorum impendit. 246, 1. locus Paullinæ ad Romanos epistolæ objectus. *ib.* ejusdem Paullini loci variæ explicationes cohærentes cum Illyrica Paulli peragratione Apostolica. 246. 2. *& seq.* neque obest Origeniana explicatio. 247. 2. Illyricæ expeditionis a Paullo susceptæ evangelii causa, Auctores recentiores. 248. 1. Paullus videtur fuisse proprius ac peculiaris Apostolus totius Illyrici. 255. 2. cum Joanne fundavit Exarchatum Ephesinum. 293. 1. Paullus in vinculis Romam abductus an. 58. 376. 2. Romam pervenit an. 59. 377. 1. in Hispaniam cogitans Titum Hispaniensis peregrinationis socium sibi designat, & Cretensem Episcopum. *ib.* 2. quem jubet in Dalmatiam reverti, rebusque Dalmaticis compositis ad se in urbem redire. 378. 1. an. 61. e vinculis exemptus Titum Romam revocat. *ib.* ratio itinerum D. Paulli. 380. 2. quando scripserit primam ad Corinthios epistolam. 381. 1. *& seq.* quando secundam. 382. 2. *& seq.* quando epistolam ad Galatas, 382. 2. *& seq.* quando secundam ad Timotheum. 384. 1. *& seq.* duplex Paulli in Galatiam adventus. 384. 1. de ejus epistola ad Titum, & quando ea scripta sit? 386. 2. *& seq.* Hermen in Episcopatu Dalmatico S. Tito substituit. 395. 2.
Paullutius Anafestus Heraclianus primus Venetorum Dux creatur, 217. 2

Digitized by Google

Pauſinus Plinii urbſne, an fluvius Dalmatiæ? 144. 1
Pedetæ populi Liburniæ. 162. 2
Pelagius Pontifex approbat translationem ſedis Aquilejenſis Gradum. 130. 2. ejus litteræ in dubium revocantur ab aliquibus, ſed lectæ in Synodo Mantuana an. 827. non fuerunt improbatæ. 131. 1
Pelagones populi Liburni. 162. 2
Pelaſgi Italia excedere coacti. 9. 1. quas regiones Illyrico addiderint. 72. 2. ante Liburnos domini maris Adriatici. 204. 2. *& ſeq.* Italia referta coloniis Pelaſgorum tribus quatuorve ante bellum Trojanum ſæculis, *ibid.* Pelaſgorum imperium maritimum, Italicum, & Illyricum. 205. 1. res Pelaſgorum in Italia labentes Diomedes ſuſtinuit, *ibid.*
Peleſtrina oppidum littoreum Venetiæ maritimæ, 212. 2
Pelva oppidum Dalmatiæ; ejus poſitio. 156. 2
Peraſtum oppidulum Dalmatiæ; ejus poſitio. 150. 1
Peregrinationes Apoſtolicæ terreſtri potius itinere, quam maritimo confectæ. 235. 2
Perfectiſſimi quinam dicerentur, 113. 2
Permuda, ſeu *Pamodon* inſula ſinus Planatici. 192. 2
Perſecutiones Ethnicorum in Chriſtianos; earum immanitas in Epiſcopos potiſſimum, & in Dalmatiam incubuit. 314. 2. perſecutio ſub Hadriano. 537. 1. quarta perſecutio Romæ orta. 593. 1. quinta perſecutio ſub Severo. 597. 1. 2. ſexta ſub Maximino. 599. 2. ſeptima ſub Decio. 600. 2. octava ſub Valeriano. 602. 2. nona indicta ab Aureliano, cujus initium cum anno Baroniano 273. congruere nequit. 638. 1. inquiritur in cauſam hujus nonæ perſecutionis. 639. 2. Perſecutio Numeriani nomine inſcripta. 643. 2. *& ſeqq.*
Perſeus Macedoniæ Rex bellum gerit cum Romanis. 34. 2. ejus res proſperæ in Illyrico, *ibid.* legationes Perſei ad Gentium. *ibid.* & 48. 1. perpulit tandem Gentium ad fœdus contra Romanos. 35. 1. ejus dolus. *ibid.* victus Romanis ſe tradidit. 36. 1. Avaritia Perſei. 48. 2
Peſenta, Zupania Chrobatorum ubi ſita. 157. 2
S. Petrus Apoſtolus an Illyricum & Dalmatiam adierit? triplex ejus ad urbem adventus. 235. 1. prima Petri ad Aſianos epiſtola Romæ ſcripta. 235. 2. Amaſeam Ponticam adiit, docuitque ex itinere Romam ſuſcepto. *ibid.* ex Aſia tranſvectus in Thraciam per Illyricas regiones in Italiam contendit. *ibid.* ex Dalmatia in oram adverſam Italicam trajecit. 236. 1. adventus Corinthiacus Petri ad poſtremam Romanam profectionem referendus. 237. 1. bellum civile in Dalmatia divinitus extinctum, non Romanorum ob Petri adventum, ut tradit Oroſius, ſed potius Dalmatarum gratia ob Petri tranſitum. 237. 2. annus, quo Petrus Romam primo profectus eſt, fuit ſecundus Claudii Imp. *ibid.* annus quo Petrus e Palæſtina diſceſſit. 238. 1. annus martyrii S. Petri qui? 238. 2. initium Romanæ Petri cathedræ unde ſit deſumendum. 239. 1. Petrus abſens eccleſiam Romanam, ut etiam Antiochenam, fundavit. *ibid.* anni Pontificatus Romani Petri numerandi ſunt ab anno ſedis Antiochenæ relictæ. *ibid.* a dimiſſa ſede Antiochena Petrus cœpit eſſe Pontifex Romanus. 239. 2. qua ratione cum noſtra ſententia componi poſſint anni 37. quos Petrus vixiſſe dicitur poſt paſſionem Chriſti. *ibid.* Romana Petri commoratio uſque ad ann. 49. quo Claudius Judæos & Chriſtianos Roma expulit. 240. 1. Petrus Roma diſcedens Ravennam ſe contulit. *ibid.* hinc in Dalmatiam trajecit. 240. 2. Pannoniam adiit, & Epanetum ejus regionis Epiſcopum conſtituit. *ibid.* præfuit Concilio Hieroſolymitano, 241. 1. ſublato Claudiano edicto Petrus ſecundo Romam venit. 241. 2. ſalva Lactantii auctoritate potuit Petrus ante imperium Neronis Romam veniſſe. *ibid.* Petrus Romæ Linum conſecrat, adjutoremque regiminis Epiſcopalis ſibi adſciſcit, 242. 1. an Petrus Romam rediens Illyricum attigerit. 242. 2. Petri poſt ſecundum in urbem adventum itinera. *ibid.* tertius Petri in urbem adventus. 243. 1. martyrium SS. Petri & Pauli. *ib.* Domnius a Petro in Dalmatiam miſſus. *ibid.* Petrus ante fundatam eccleſiam Antiochenam Epiſcopi Apoſtolici, ſeu Regionarii partes obiit, 267. 2. tres ſedes Patriarchales inſtituit, Antiochenam per ſe, itemque Romanam, cui œcumenicum totius Chriſtiani orbis principatum affixit, 290. 2. & Alexandrinam per Marcum ſuum diſcipulum, 291. 1
Petrus I. Ep. Salonitanus an. 304. electus. 715. 2. 716. 1. Petri curæ, vigiliæ, ærumnæ. *ibid.* eccleſiam ſuam diligenter excolit. 745. 2. anno Chr. 316. Salonis pie moritur. 746. 2
Petrus Urſeolus cur Dalmatiæ Princeps a S. Damiano appelletur. 127. 2
Petrus Eremita inſulas Trimitanas ſibi traditas ab Joann. de Dominicis Ab. Commend. donavit Canonicis Lateranenſibus. 508. 1.
Petrus Parthenopenſis Scriptor vitæ S. Georgii, 657. 1
Phæaces populi Illyrici, ex Inſula Phæacum in Illyricum deducti. 165. 1
Phæacia ſive *Corcyra* a Liburnis occupata. 7. 2. & 205. 2. amiſſa a Liburnis, & occupata a Cherſicrate. 7. 1. 10. 1. & 207. 1. Venetis donata. 228. 2.
Pharia urbs a Romanis everſa. 28. 1. 44. 2. Græcorum colonia. 197. 1
Pharia inſula apud veteres celebris. 197. 1. hodie *Lieſina* vulgo dicitur, a Slavis *Huar* vocari ſolet. *ibid.* ejus poſitio & deſcriptio. *ibid.* & 197. 2. dicta etiam Apharia, & Africa. 468. 1. 469. 2. 733. 1. cur ſacra dicta. *ibid.* & 470. 1
Philippi Metropolis Apoſtolica. 296. 2
Philippus Macedonum rex Athenienſes & Pæones vicit, 18. 1. bellum Illyriis intulit, eoſque vicit. 18. 2. Illyricum vaſtat. 19. 1. ejus mors. *ibid.*
Philippus Macedoniæ Rex urbes Illyriorum capit. 29. 2. cum Hannibale fœdus facit. *ib.* Oricum capit, & Apolloniam obſidet. 30. 1. item Liſſum & Acroliſſum. *ib.* pacem facit primo cum Ætolis, deinde cum Romanis. 31. 2. alterum Philippi cum Romanis bellum. *ibid.* victus a Romanis pacem petit & impetrat. 32. 1
Phrygia aliquando Africa appellata. 732. 2. *& ſeq.*
Pianura inſula Liburnica; ejus poſitio. 195. 1
Piguntium oppidum ſinus Narentani, deſcribitur, 148. 1. ejus poſitio. *ibid.*
Pincum oppidum Mœſiæ primæ. 174. 2
Pineus rex Illyriorum; confecto bello contra Demetrium Pharium, regnum Illyricum Pineo reſtitutum. 28. 2. moritur. *ibid.*
Pipinus Caroli M. filius Venetos bello aggreditur; ſed a Venetis cæditur, ac repellitur. 219. 1
Piruſtæ Illyricæ provinciæ fines devaſtantes ad officium a Julio Cæſare revocantur. 54. 2. ubi ſtatuendi. 164. 2
Piſani Polam opprimunt. 229. 1. Veneti Piſanas triremes concremant, Polam recipiunt, & apud Methonem Piſanorum claſſem fundunt. *ibid.*
Pityea inſula Dalmatica ubi ſita? 198. 2
Pleba Zupania Chrobatorum ultra montes in Chrobatia tranſalpina. 157. 2
Pleræi, *Pyræi*, *Pyriſſæi* eædem gentes Illyricæ. 164. 1, ubi locandi. *ibid.*

Pleuratus I. rex Illyriorum, 22. 2. pater fuit Agronis regis item Illyriorum. *ibid.*
Pleuratus II. rex Illyriorum, ſocius fœderatus Romanorum contra Philippum Macedoniæ regem, Pinei ſucceſſor, ejuſdem Pinei aut frater, aut filius. 31. 1
Pleuratus Regulus Illyrici. Lingus & Parthini a Romanis ei dati. 32. 2. & 90. 1. Gentiuſne, an Pleuratus imperio tyrannico uterentur, dubitari poteſt. 90. 2
Plinius emendatur. 96. 1. 2. erroris arguitur. 142. 2. iterum emendatur. 146. 1. Plinii locus ſuſpectus. 149. 2. emendatur. 154. 2. & 164. 2. quæ ſcripſerit de inſulis Illyricis. 188. 1. emendatur. 196. 2. & 200. 2.
Pola ſubit dominium Venetorum, 221. 2
Polizza vallis; ejus poſitio, & deſcriptio. 158. 1
Pollio, C. Aſinius, Salonam obſedit, eaque potitus eſt. 283. 2. & univerſam Dalmatiam in poteſtatem Cæſaris redegit. *ibid.* a Salona capta filio C. Aſinio Gallo Salonini cognomen indidit. *ib.*
Polybius emendatur. 51. 2. caſtigatur. 198. 2
Pomi ſcopulus in Adriatico ſinu propemodum medio inſtar pyramidis deſcribitur. 195. 2. celebris ob accipitrum aucupium. *ibid.*
Pontadura inſula Japydica an ſit Portunata Plinii. 193. 1.
Poppæus Sylvanus Prætor. 111. 1
Portus Bucarenſis, & Regius deſcribuntur. 143. 1. S. Michaelis ab inſula ejus nominis ita appellatus. 146. 1. Gravoſæ, ſeu S. Crucis; ejus poſitio, 149. 1. portuum frequentia in inſulis, & ora Dalmatica. 187. 1
Præſentales Magiſtri militum cur ſic appellati, 172. 2
Præſides minoribus provinciis ſæculo v. præficiebantur. 112. 1. Præſidis nomen generale peculiari ſignificatione præpoſitis minorum provinciarum tributum. 113. 1. Præſides dicti *Clariſſimi*, & Præſes Dalmatiæ *Perfectiſſimus*. *ibid.* Præſidis Dalmatiæ inſignia & adminiſtri. 113. 2
Præſidium oppidum Britanniæ. 178. 1
Prætor: Prætoribus tradita adminiſtratio provinciarum. 109. 2. primus Prætor Furius Camillus. *ibid.* Prætori imperium anno a Cæſare. *ibid.* nullo autem ſpatio ab Auguſto definitum. 110. 1. Prætores Dalmatiæ nonnulli referuntur. 111. 1. poſt Dalmatiam mediterraneam a Slavis occupatam Prætores Conſtantinopoli ad maritimam regendam Dalmatiam miſſi ſunt. 115. 1
Prætorium oppidum olim, nunc *Tragurium vetus* appellant; ſuperſunt veſtigia. 146. 2. duplex Prætorium. *ibid.*
Prævalis Illyrico adjecta, ejuſque deſcriptio. 70. 1.
Prævichium ſcopulus ſinus Flanatici, cuniculorum copia memorabilis, 190. 2
Prævichium inſula Liburnica deſcribitur. 195. 1
Presbyter Diocleates anonymus ſcripſit ſæculo XII. librum de regno Slavorum. 125. 1. ejus narratio non cohærens cum iis, quæ ſcripſit Porphyrogenitus. 125. 2. ejuſdem errata. 126. 1. & anachroniſmus vel maximus. 126. 2
Presbyteri; horum ordo præcipuus in eccleſia a Chriſto inſtitutus. 368. 1. Presbyteri adjutores Epiſcoporum. *ibid.*
Primates in Patriarchatu Occidentis erant pariter Vicarii ſedis Apoſtolicæ. 76. 2. Primates iidem & Vicarii, ſeu Legati ſedis Apoſtol. 309. 2. olim dicti Archiepiſcopi. *ibid.* tres olim Primates in Illyrico, Sirmienſis, Theſſalonicenſis, & Achridanus. 310. 1. 2. poſterioribus ſæculis quartus Illyrici Primas Spalatenſis. *ibid.* 2. Primates, ſeu Vicarii Apoſtolici cum plena abſolutaque poteſtate in longinquis remotiſque ab Urbe regionibus conſtituti. 311. 2
Primatia triplex eccleſiaſtica Dalmatiæ. 134. 1
Primoriſe regio Dalmatiæ duplex, inferior, & ſuperior deſcribitur. 158. 2
Proclianus lacus Dalmatiæ deſcribitur. 137. 2
Proconſules provinciis adminiſtrandis præficiebantur. 109. 2. e lege Julii Cæſaris eorum adminiſtratio biennalis; Cæſare occiſo, e Tribunitia lege, ad ſexennium protracta. *ibid.* ex decreto Auguſti, ad annum redacta. 110. 1. Proconſules majoribus provinciis ſæculo v. præerant. 112. 1. Proconſulum imperium annuum, deinde juriſdictio Proconſulibus in quinquennium prorogata, 112. 2. Dalmatiæ Gotthis ereptæ Proconſul præfici cœpit. 115. 1
Procurator rei privatæ quinam diceretur? 289. 2
Promona Liburnis adempta a Dalmatis. 55. 1. ab Auguſto Cæſare capta, 60. 2. ejus poſitio. 103. 2. & 154. 2
Promontorium Diomedis, ſeu Hyllis Peninſula, deſcribitur. 146. 2. nautis infeſtum. 196. 1
Promontorium Nymphæum, nunc caput Rodoni; ejus poſitio. 151. 1
Proprætores & Proconſules regimini provinciarum præpoſiti, 107. 2
Proſdocimus Ep. Patavinus an fuerit creatus an. 20. ætatis ſuæ, 437. 1
Provincia: Illyrica Romanorum ſecus mare uſque ad Liburniam producta. 103. 1. aucta acceſſione Liburniæ. 104. 1. provinciæ ab Auguſto Senatui traditæ. 107. 2. Dalmatica ex Japydia, Liburnia, Dalmatia, Illyrico proprio, & Pannonia citra Savum. 108. 1. Auguſto regnante nulla in Italia provincia. 108. 2. provinciæ etymologia. 109. 1. Sicilia prima omnium provinciarum. 109. 2. Prætoriæ provinciæ. *ibid.* Proconſulares, ſeu Conſulares. *ibid.* diviſio bipartita provinciarum Conſularium & Prætoriarum ab Auguſto retenta. 110. 1. provinciæ in Conventus diviſæ, qui dicebantur diœceſes. *ibid.* tres ordines provinciarum & Magiſtratuum ſæculo v. 112. 1. Præſides minoribus, Conſulares mediis, Proconſules majoribus provinciis præerant. *ibid.*
Pſeudo-Comitatenſes milites quinam dicerentur. 173. 1
Ptolemæus erroris arguitur. 142. 2. quæ ſcripſerit de inſulis Illyricis. 188. 1
Publius hoſpes S. Paulli apud inſulam Melitam, baptizatus a D. Paullo, & aliquot poſt annis conſtitutus Epiſcopus Melitæ. 264. 2. Melitæ, inquam, Illyricęne, an Africanæ? *ibid.*
Pulatium, pagus nobilis Dalmatiæ ad radices montis Scardi. 161. 1. 2
Pyriſſei, populus Illyricus, forte iidem ac *Piruſtæ*, de quibus Ptolemæus, vel *Pyrei*, de quibus Mela, & Plinius. 58. 2
Pyrrhus filius Æacidę apud Glauciam exul, 20. 2. Pyrrhi res geſtæ in Macedonia, Italia, Sicilia. 21. 1. ejus interitus. 21. 2

Q

Quadratum oppidum Japydiæ tranſalpinæ, 153. 1

R

Radagaiſus Gothorum princeps Italiam invadit, ſed a Stilicone opprimitur. 211. 1
Raguſina eccleſiaſtica provincia quos Epiſcopos ſuffraganeos habeat, 134. 1. quando effecta ſit Metropo-

tropolis. 308. 2. tres Episcopi Spalatensi ademptei eidem subjecti. 308. 2
Ragusium urbs Dalmatiæ describitur. 149. 1. Venetis se dedit. 212. 1
Rascia pars Meridiana Serviæ. 124. 2
Rascus tertius genitus Stephani regis Serviæ assumpto Sabæ nomine Monachum induit. 159. 1. ab eo S. Sabæ Ducatus appellatus. *ibid.*
Rataneum, idem forte ac *Oneum* oppidum; ejus positio. 148. 1
Ravenna a Thessalis ædificata. 205. 1. a Langobardis capitur. 218. 1. Veneti illam recuperant, & Orientis imperio restituunt. 218. 2. a Langobardis iterum capitur. *ibid.* a Pipino Galliæ rege Aistulpho erepta, & Romanæ ecclesiæ cum Pentapoli concessa. *ibid.* Petrus fundata sede Romana ex urbe discedens Ravennam se contulit. 240. 1. ejus portus celeberrimus, & statio Romanæ classis ab Augusto ad præsidium maris constitutæ. 240. 2.
Reges Illyrici. 17. 1. *& seqq.* Reges Macedones vectigales Illyricis. *ibid.* 2
Regio inter Drilonem & Acroceraunios Illyrico per Celtas adjecta. 37. 2. hujus regionis urbes & populi, finesque. 38. 1. ejusdem regionis flumina, & via Egnatia. *ibid.* hæc regio postquam Romanorum imperium subiit, Macedonia appellari cepit. 38. 2. mos Romanorum dividendi regiones in duas partes Inferiorem, & superiorem; & quamnam dicerent superiorem, quam vero inferiorem. 133. 1. regio inter Naronem & Tilurum describitur. 158. 1
Rhæmetalces rex Thraciæ pro Romanis cum Batone rem prospere gerit. 62. 2
Rhætia; ejus descriptio. 66. 1. utraque Rhætia ab Illyrico divulsa. 73. 1
Rhætinus oppidum a Germanico captum. 63. 2
Rhittium oppidum Pannoniæ inferioris. 176. 2
Rhizana urbs Illyrici proprii ubi locanda. 160. 1. eadem forte ac Rhizinium. *ibid.*
Rhizinium, nunc *Rhisanus*, urbs perantiqua Dalmatiæ, ejus positio. 150. 1
Rhizinius amnis Dalmatiæ. 139. 2
Rhizunitæ populi circa sinum Rhizonicum. 165. 1
Ribnichius lacus Dalmatiæ, ejusque descriptio. 137. 1
Ricavazius amnis Dalmatiæ. 139. 2
Ripa alta, oppidum Valeriæ Ripensis, quod antea ad Pannoniam pertinebat. 177. 1
Rivaltus oppidum insulare Venetiæ maritimæ, caput & princeps Venetiarum. 212. 2
Rodericus Archiep. Toletanus an dubitaverit de S. Jacobi adventu in Hispaniam? 253. 1
Romani; eorum legatio ad Teutam reginam Illyriorum. 25. 2. Corcyra & Pharia per proditionem potiuntur, Apolloniam capiunt, Dyrrhachium obsidione liberant. 26. 2. Istros domant. 28. 1. vincunt Demetrium Pharium, *ib.* eorum bellum cum Philippo Macedoniæ rege. 30. 1. alterum bellum Romanorum contra Philippum. 31. 2. victo pacem dant. 32. 1. bellum denunciant Perseo Macedoniæ regi. 34. 1. Romanorum copiæ in Illyricum adductæ. 34. 2. milites Romani ab Uscana repulsi. 35. 1. Romani amplificatores nominis Illyrici. 39. 2. post primum bellum Punicum classe Superum mare trajicere incipiunt. 40. 1. eorum prima in Orientem expeditio contra Illyrios. 40. 1. *& seqq.* descriptio secundi belli a Romanis contra Illyrios gesti 43. 1. *& seqq.* descriptio belli primi & secundi Romanorum in Istros. 45. 1. *& seqq.* descriptio tertii belli quod Romani gesserunt in Illyrios. 47. 2. *& seqq.* descriptio belli quarti Illyrici, & primi Dalmatici. 50. 2. *& seqq.* descriptio belli quinti Illyrici, & secundi Dalmatici. 52. 1. *& seqq.* item sexti, & septimi Illyrici; octavi & noni Illyrici, ejusdemque tertii & quarti Dalmatici. 52. 2. *& seqq.* descriptio belli decimi Illyrici & quinti Dalmatici. 54. 1. *& seqq.* de reliquis Romanorum bellis Illyricis. 58. 1. *& seqq.* Romanæ legiones ejus ductoribus ordinum egregie cum Pannonijs pugnant, & victoriam referunt. 62. 2. cur tot provincias Illyrico adjunxerint. 65. 2. sæpe cum Mysiis pugnarunt. 67. 1. quas regiones Illyrico addiderint. 70. 2. quam rationem potissimum in regionibus dividendis in superiorem & inferiorem secuti sint. 133. 1. Adriatici maris curam & custodiam suscipiunt. 209. 2. & Superi maris vocabulo illud afficiunt. *ibid.*
Romanus Patriarchatus a S. Petro fundatus. 290. 2. ecclesia Romana prima omnium Patriarchalium ecclesiarum. 291. 1. cur primatus œcumenicus sedi Romanæ Patriarchali in perpetuum affixus. 292. 1.
Romula oppidum Japydiæ transalpinæ. 53. 1
Rosan, vicus Dalmatiæ; ejus positio. 150. 2

S

Sabaria Metropolis Pannoniæ primæ. 72. 1
Sacellum sepulchro SS. Domnii & Anastasii a Salonitanis exstructum. 454. 2. describitur. 455. 2
Sala, vel *Pisuch* Porphyrogeniti, insula Liburnica describitur. 194. 2. in ea Sala oppidum præcipuum. *ib.*
Salassi; iis bellum ab Augusto illatum. 58. 2
Salona, exciso Delminio sedes imperii Dalmatici constituta. 52. 2. 278. 2. capta a Cn. Gosconio, & in sua potestate retenta a Senatu Romano, præsidio impositio, & colonia deducta. 53. 2. 103. 1. 279. 1. a Barone frustra obsessa. 62. 2. 284. 1. in ea conventus provinciæ constitutus, qui proinde Salonitanus appellatus fuit. 103. 1. Salona metropolis Dalmatiæ, in qua Præses totius provinciæ residebat. 112. 1. Salonæ primus omnium Julius Cæsar meminit; at ante Julium Cæsarem Salona erat civitas celebris, & caput gentis Dalmaticæ. 272. 1. ejus origo antiquissima, videturque dicta initio esse Hyllenis. *ibid.* positio Hyllenidos congruit cum situ Salonæ. 272. 2. Salona eadem atque Hyllenis. 273. 1. Hyllenis restituta, & Salona appellata. 273. 2. Etymon vocabuli Salona unde. 274. 1. varie scribitur, *ibid.* cur Salonæ dictæ? 274. 2. Salonæ gentile nomen *Salonites*, *Salonius*, *Salonitanus*, & *Salonensis*. *ibid.* urbes Salonæ cognomines. *ibid.* Thessalonica, & Salona promiscue usurpatæ. *ibid.* 541. 1. Regio, & situs Salonæ, ac portus Salonitanus. 275. 1. Salonæ circuitus. *ibid.* & 276. 1. Salona dimidio minor, quam Constantinopolis, si suburbia adjiciantur. 275. 2. ejus forma & figura, ac varia latitudo. *ibid.* an Jader urbem præterfluerit, vel interfluerit? 176. 2. ectypon urbis Salonitanæ. 277. 2. aquæductus Salonitani. *ibid.* a Pompejanis obsidetur, sed irrito conatu. 279. 2. 281. 2. Post Cæsaris necem Salona a Cæsarianis ad Pompejanos transiit. 282. 2. a C. Asinio Pollione obsessa, & capta. 283. 2. Romanorum studia in augenda, ornandaque Salona. 284. 1. situs Salonæ Romanis opportunus; urbis magnificentia. *ibid.* navalia, & portus Salonæ, urbis frequentia, & rerum Dalmaticarum summa Salonam redacta. 284. 2. colonia Salonam ex urbe deducta. *ibid.* Salonitana colonia erat Romana, & cur cognominata *Martia & Julia*. 285. 1. item *Claudia Augusta Pia Veteranorum*. 285. 2. Salonitanus Illyrico-

Digitized by Google

rum conventuum præſtantiſſimus. 286. 1. Salona facta eſt Metropolis totius Dalmatiæ. 287. 1. Præſides Salonitani. *ibid.* Salona ornata & aucta a Diocletiano. 287. 1. 2. ædificia, & fabricæ Salonitanæ. *ibid.* amphitheatrum Salonitanum, itemque Navale. 288. 1. templum Jovis Salonitanum, & dedicatio aræ templi Salonitani. 288. 2. Officinæ Salonitanæ; officina armorum, Baphium & Gynæcium, ſeu Textrinum. 289. 1. an Salonæ aliqua fuerit officina monetalis. 289. 2. Theſaurus Salonitanus. *ibid.* Salonæ Judæorum colonia frequentiſſima. 302. 2. Salona dicta etiam Silena. 686. 1

Saloniana urbs Dalmatiæ; ejus ſitus. 157. 1

Salonitana eccleſia & provincia quos Epiſcopos ſuffraganeos habeat. 134. 1. eccleſia, etiamſi nullæ in Italia & Occidente temporibus Apoſtolicis fuerint Metropoles, hac dignitate non privanda. 299. 2. initium Salonitanæ Metropolis repetendum ab inſtitutione Apoſtolica. 300. 2. quod probat Pallium Archiep. S. Domnio appictum in abſide ſacelli Lateranenſis. 303. 2. Concilium Spalatenſe decimo ſæculo habitum idem confirmat. 304. 1. tum aliud non diu poſt celebratum. 305. 1. idem confirmatur ex fragmento epiſtolæ Hadriani IV. & antiqua traditione Spalatenſis eccleſiæ. 305. 2. Petrus & Paullus auctores Primatus Metropolitici Spalatenſis. *ib.* S. Domnius amplificator eccleſiæ Dalmaticæ, & fundator ſedis Salonitanæ. 306. 1. Metropolis Salonitanæ antiquitas, & ejus juriſdictio primum intra Dalmatiæ fines. *ib.* deinde uſque ad Danubium prolata. 306. 2. ſexto ſæculo Salonitanæ Metropoli ſuberant Epiſcopi ſaltem octo concilio Salonitano ſubſcripti. 307. 1. eodem ſæculo Salonitana provincia aucta eſt tribus Epiſcopatibus. *ibid.* 2. juriſdictio Metropolitica Salonit. eccleſiæ, uſque ad Danubium prolata ſæculo quinto & nono. 308. 1. & ſæculo decimo contracta intra Savum vel Dravum. *ibid.* aliæ deinceps epiſcopales eccleſiæ in Dalmatia Ciſalpina inſtitutæ ſubjectæque Metropoli Salonitanæ vel Spalatenſi enumerantur. *ibid.* Metropolis Spalaten. quatuor epiſcopatuum detractione diminuta ſæculo circiter x. cum Antibaris in Metropolim evecta eſt. 308. 2. trium itidem, cum Raguſina Metropolis, & iterum trium, cum Jadrenſis inſtituta fuit. *ibid.* nunc cathedrales omnino undecim ſubſunt Metropolitæ Spalaten. 309. 1. fines parochiæ ſeu diœceſis Spalaten. *ibid.* jura & privilegia Metropolis olim Salonitanæ, nunc Spalaten. *ibid.* Eccleſia S. Mariæ a S. Domnio ædificata, & conſtituta cathedralis. 442. 2. *& ſeqq.* ex edicto Diocletiani conflagravit. 449. ſub Conſtantino M. reſtituta. *ibid.* ædicula S. Mariæ, quæ nunc viſitur, longe diverſa ab antiquo templo Salonitano. 450. 1. nova cathedralis a Salonitanis erecta. 450. 2. nova eccleſia per Salonitanos condita appellata Baſilica, & cur. 451. 1. *& ſeqq.* ejus ædificatio ſæpe interrupta. 452. 2. & nonniſi an. circiter 390. perfecta, & abſoluta. 453. 1. titulus novæ baſilicæ a S. Domnio, & S. Anaſtaſio, itemque a SS. Coſma & Damiano impoſitus. *ibid.* 2. & cur. 454. 2. eccleſiæ Salonitanæ incrementa. 526. 1

Salonitani Epiſcopi diptychis olim ſcripti cur ut Sancti coli non debeant. 314. 1. de cultu adhibito antiquitus Epiſcopis Salonitanis martyrii titulo illuſtribus nulla poteſt eſſe controverſia. *ib.* Epiſcopi Salonitani antiqui fere omnes diptychis inſerti. 315. 2. eorum antiquus cultus Salonæ excidio intermiſſus, ac prorſus demum abolitus, *ib.* an iis titulus Sancti attribuendus. 316. 1. cur a nobis omiſſus ſit. *ibid. & 5*

Salonitanus Metropolita juriſdictionem proferebat uſque ad Danubium. 306. 2. & 308. 1. jura & privilegia Metropolitæ olim Salonitani, nunc Spalatenſis. 309. 1. Metropolita Salonitanus nulli alii præterquam Romano Primati, ſeu Patriarchæ ſubjectus. *ibid.* unde jus Metropoliticum Epiſcopis Salonitanis acquiſitum. 439. 1

Salvia urbs Ptolemaica, ſi eſt Silva Antonini, ad Dalmatiam ſpectat. 153. 1

Saraceni Siciliam, & Calabriam occupant. 219. 2. Adriaticam navigationem infeſtant. *ibid.* claſſem Græcorum & Venetam vincunt. *ibid.* aliquot oppida Dalmatiæ diripiunt, & Venetas naves mercibus onuſtas intercipiunt. *ib.* Gradum obſident, & a Venetis pelluntur. 220. 1. navali prælio ac terreſtri victi. *ibid.* maritimo prælio iterum profligati. 221. 1. Venetorum auxilio Bario expulſi, 223. 1.

Sarcophagus quid ſit. 471. 1

Sardiates, ſeu *Sardiotæ*, vel *Sardiani*, populi Dalmatæ, olim Ardiæi dicti. 163. 2. 164. 1.

Sardicenſis in Dacia eccleſia a S. Clemente D. Petri diſcipulo fundata. 256. 1

Sardicenſis Concilii Canon explanatur. 528. 2

Saſcherus Dalmatiæ lacus, ejuſque poſitio. 139. 1

Saſſæi populi Illyrici ſedis incertæ. 165. 1

Saturnus, ſive Chronus quid ſignificet. 202. 1. plures Saturni. *ibid.* Saturnus non quidem Euſebianus ille Rex Latii ſecundus poſt Janum, ſed alter antiquior Adriatico mari nomen Saturnii dedit. *ibid.* Saturni olim habiti & dicti nobiliſſimarum familiarum reges. *ibid.* Saturnus omnium Deorum antiquiſſimus ac parens. 202. 2

Saxa Cadmi & Harmoniæ qui locus, & ubi poſitus. 149. 2

Scarda, ſeu *Scirda* inſula Japydica prope Ciſſam, ex quibus conflata apud Porphyrogenitum Scirdaciſſa. 193. 1

Scardona caput unius ex tribus Illyricis conventibus, ejuſque poſitio. 155. 1. Scardona nova, ejuſque deſcriptio. *ibid.*

Scardonitanus lacus Dalmatiæ deſcribitur. 137. 2

Scardus mons Dalmatiæ poſtremus, aliis *Scardus*, vel *Scodrus*, vel *Sardonius*; ejus deſcriptio. 136. 1. a Scodro monte Scodra civitas, & Scordiſci populi. *ibid.* Scodrus nunc varie appellatus. 136. 2

Scherdilaidas, & Pleuratus Reguli Illyriorum. 29. 1. an Illyrici parte a Romanis donatus fuerit? 89. 2

Schiſma ob trium Capitulorum cauſam exortum; eo primum impliciti omnes Epiſcopi Occidentales, & Africani. 182. 1. 2. ſed ei pertinaciter inhæſerunt Aquilejenſes, & Illyrici. *ib.* rationes, quibus impulſi ſunt tria capitula defendentes. *ib.*

Schymnus explicatur. 145. 2. quæ ſcripſerit de inſulis Illyricis, 187. 2

Schytæ Mæſiæ inferioris incolæ, 67. 2

Schytia Pontica quænam. 67. 2

Scirtari, ſive *Scirtones*, populi Illyrici; eorum poſitio. 164. 2

Scodra arx Regni Illyrici. 49. 1. 50. 2. urbs primaria Illyrici, eademque ſedes Regum Illyricorum, 160. 1. eo colonia a Romanis deducta. *ib.* ſæculo IV. labente contributa fuit Prævalitanæ provinciæ. *ib.* nunc Scutari dicitur, & deſcribitur. *ib.* 2.

Scodrenſes populi Illyrici. 165. 1

Scordiſci, gens Celtica, Mæſiam incolentes. 67. 2. Autariatas devincunt. 97. 1

Scylax Geographus erroris arguitur. 94. 2. errores aliqui Scylacis in locis mediterraneis deſcribendis. 138. 2. ejus locus explicatur. 145. 2. quæ ſcripſerit de inſulis Illyricis. 187. 2

Sebenicenſis lacus Dalmatiæ deſcribitur. 137. 2
Sebenicum urbs Dalmatiæ; ejus poſitio ac deſcriptio. 158. 1. ab Sico Ptolemaico longe diverſum. *ibid.*
Segeſta civitas ab Auguſto expugnata. 49. 2
Selve, ſeu *Selbon*, inſula ſinus Flanatici deſcribitur. 193. 1
Sempronius Tuditanus Conſul primum male, deinde proſpere cum Japydibus pugnavit. 53. 1
Senatus: abſente Imperatore jus demandandi provincias Imperatorias ad Senatum devolvi ſolebat. 441. 1
Senia Illyrica antiquior Senia Italica. 32. 1. deſcribitur. 143. 2
Senones in Italiam tranſgreſſi. 10. 2. inter Arſiam & Titium ſedes nacti. 12. 1. Senones Illyrici in Italiam tranſgreſſi. 32. 1
S. Septimius unus eſt, qui die 18. Aprilis commemoratur in Martyrologiis, & colitur in Laterano, idemque eſt Diaconus. 465. 1. an fuerit Diaconus S. Domnii. *ibid.*
Serbli agris & ſedibus in Dalmatia donantur. 122. 2. Serblorum regiones quatuor in Dalmatia. 157. 2. & 160. 2
Serblia pars Orientalis Dalmatiæ Ciſalpinæ. 123. 2. ejus partes quatuor. *ibid.* Serblia duplex mediterranea; prior pars citra Drinum dicta eſt Boſnia, altera ab Drino uſque ad Mæſiam inferiorem, ſive Bulgariam, inter Danubium & Hæmum, hodieque Servia dicitur. 124. 2. urbes Serbliæ. *ibid.* Serblia alba longiſſime a Dalmatiæ finibus disjuncta. 126. 1
Seretium oppidum a Germanico captum. 63. 2
Seſtrum, ſive Eſtiunez, inſula Japydiea. 193. 1
Setonia urbs Dalmatica in locis montanis poſita. 61. 1
Sicilia Græcis referta. 91. 2. Chalcidenſes, & Dorienſes Græci in Siciliam advecti. *ibid.* prima omnium provinciarum. 109. 2
Siculi maris Adriatici domini. 10. 2. 13. 2
Siculotæ populi Illyrici, oriundi e coloniis Siculorum, ubi ſtatuendi. 164. 2
Sicum, urbs perantiqua Dalmatiæ; ejus poſitio. 147. 2. a Sebenico diverſum. *ibid.*
Sidraga Chrobatorum Zupania ubi ſita. 155. 2
Sidrona Liburniæ civitas. 153. 1. ejus poſitio. 155. 1. eadem videtur eſſe ac Stridon patria D. Hieronymi. *ibid.*
Silva oppidum Dalmatiæ; ejus poſitio. 156. 2
Singidonenſis in Pannonia eccleſia a S. Clemente fundata. 256. 1
Singum, ſeu *Sfinga*, vulgo *Sign* arx Dalmatiæ deſcribitur. 158. 2
Siniſtra pars præ læva apud veteres Græcos honorificentior. 457. 2. & cur. 580. 2
Sinus Manius, idem ac ſinus Neſtius. 94. 2. ſinus gemini, quos inter jacet iſthmus peninſulæ Hyllis, deſcribuntur. 147. 1. poſitio ſinus Narentani, olim Neſti, ſeu Manſi. 148. 1. Catarenſis, olim Rhizonicus deſcribitur. 150. 1. Illyricus, 151. 1. Flanaticus deſcribitur, 188. 1. nunc dicitur Quarnerum, & cur. *ibid.*
Siparuntum, urbs olim Illyrici, nunc vetuſtate penitus obruta; ejus ſitus ignoratur. 160. 2
Sirmienſis Primas olim in Illyrico. 310. 1
Sirmium caput Illyrici, & ſedes Præfecti Illyrici. 70. 2
Siſcia ab Octaviano oppugnata deditur. 59. 2
Slarium inſula Liburnica deſcribitur. 195. 1. 2
Slavi e Sarmatia in Dalmatiam profecti, & ibidem ſedes nacti. 118. 2. e Dalmatia in Germaniam ad populares ſuos migrarunt, eoque invexerunt e regione, unde diſceſſerant, nomen Dalmatiæ. 119. 1. *& ſeq.* non indigenæ, ſed advenæ in Illyrico. 120. 1. Slavi ob Dalmatarum conſuetudine ad Chriſtianam religionem traducti. 184. 1. Slavis Narentanis cultum Idolorum retinentibus. *ib.*
Slavonia dicta eſt Dalmatia Illyrica ultra Titium, atque etiam citra Titium. 129. 2. dici etiam potuit Bulgaria. 485. 2
Solita, ſive *Olintha*, & *Solentium*, nunc *Solta*, inſula Dalmatica; ejus poſitio, & deſcriptio. 196. 2. Spalato ſubjicitur. *ibid.*
Sorabi populi Dalmatiæ Germanicæ. 118. 2. origine Slavi. *ibid.*
Spalatenſis quartus poſterioribus ſæculis Illyrici Metropolita, idemque Legatus ſedis Apoſtolicæ dictus. 310. 2. Joannes primus Spalatenſis Archiep. fuit Legatus ſedis Apoſtol. an ab hoc repetendus ſit Primatus Apoſtol. Antiſtitum Spalatenſium, non ſatis conſtat; antiquior videtur fuiſſe ſæculo duodecimo. 311. 1. tres eidem Metropolitæ ſuberant Antibarenſis, Raguſinus, Jadrenſis, unus nunc Raguſinus. *ibid.* titulus Primatis Spalatenſi honoris cauſa tributus, ac fere ſine poteſtate huic titulo annexa. *ibid.* cujus rei cauſa redditur. 311. 2. cur dictus etiam Primas Chrobatiæ, 312. 1. Spalatenſis Primas Dalmatiæ Orientalis. *ibid.*
Spalatum ex palatio quondam Diocletiani civitas præclara, a Salonitanis everſa patria exſtructa, deſcribitur. 148. 1. Venetis ſe dedit. 222. 1. e Jovis templo fit cathedralis baſilica Spalatenſis, quæ late deſcribitur. 488. 1. *& ſeqq.*
Spectabiles quinam dicerentur. 113. 1
Stagnum inſula, & urbs Dalmatiæ deſcribitur. 148. 2
Ad *Statuas*, oppidum Valeriæ. 177. 1
Stemma genealogicum Regum Illyriorum ex genere Celtico. 37.
Stephanus Byzantinus; ejus ſententia de Illyriorum origine improbatur. 1. 2
Stlupini populi Japydiæ ab Stlupi urbe prope Tedanium flumen. 162. 2
Stlupos, unde Stulpini Pliniani, urbs Japydiæ. 153. 1
Stradiotarum inſula, olim S. Gabrielis, in ſinu Rhizonico cur ſic dicta. 201. 1
Stratagema, quo uſi ſunt Scordiſci ad debellandos Autariatas. 97. 1. Pompejanorum. 281. 1
Subadjuva dicebatur Adjutor Adjutoris. 114. 2
Subdiaconatus ab Innocentio III. in claſſem Ordinum ſacrorum relatus. 518. 1. e Subdiaconis non eligendi Epiſcopi. *ibid.*
Sveropolis Rex Dalmatiæ, & Slavorum, ejuſque ad fidem converſio. 125. 2. ejus regni quadripartita diviſio. *ibid.*
Supplicatio Mariarum apud Venetos quæ, & cur inſtituta? 318. 1
Supplicationum apud veteres Romanos duplex genus. 57. 2. 105. 2
Surium, ſive *Zurium*, inſula Liburnica deſcribitur. 195. 2
Suturina amnis Dalmatiæ. 139. 2
Sylla, Lucius, cum Dalmatis proſpere bellum geſſit. 103. 1
Symbolum quid ſit? 584. 2. explicantur Symbola picturæ Lateranenſis ſacelli Venantiani, *ibid. & ſeq.*
Symphorianus primum Subdiaconus S. Domnii. 517. 2. deinde Diaconus. 518. 1. adjutor Domnio traditus videtur a D. Petro, *ibid.* 2. conſecratus Epiſcopus a S. Clemente. 527. 2. adjutor S. Domnii. 530. 2. an dicendus ſit Chorepiſcopus. 531. 1. fortaſſe alicui Dalmatiæ civitati cum juriſdictione Epiſcopali præpoſitus. *ibid.* 2. Cajano

no in Pontificatu Salonitano ſucceſſit. 535. 1. ejus ſtudium in tuendis Chriſtianis. 537. 1. ejus martyrium probabile. *ibid.* 2. uſque ad an. 1235. Salonitanæ eccleſiæ præfuit. 538. 1. ejus nomen relatum in diptycha, *ibid.* 2. & 540. 1. An ad noſtrum Symphorianum pertineat formula Mart. Antuerpienſis Hieronymiani? 543. 2. an corpus Symphoriani conditum in æde cathedrali Cremonenſi, noſtri Epiſcopi Salonit. ſit? 544. 1. Symphorianus a Salonitanis cultus, & poſt excidium Salonæ Romam fortaſſe translatus, 545. 1
Synodium igne ſuccenſum. 60. 2
Synodus Illyrica pro tribus capitulis ante horum damnationem coacta. 182. 2. frequens olim in Dalmatia Synodorum cogendarum uſus. 186. 1
Syracuſii oriundi e Græcis in Sicilia profectis. 15. 1. Græcæ e Syracuſiis coloniæ Liſſum & Iſſam frequentant. 91. 2. Syracuſii Iſſenſes conditores Epetii & Tragurii, *ibid.*
Syria triplex. 174. 1. Comagena etiam Auguſtophratenſis, Auguſtophratenſis, & Euphratiſſa dicitur. *ib.* Syria dicta etiam Cappadocia. 658. 2
Syrtis Hylli peninſulæ Dalmatiæ adjacens, 146. 2. & 196. 1

T

Tabula Peutingeriana quæ habeat de inſulis Illyricis. 188. 1
Tabulæ & laminæ plumbeæ in Hiſpania confictæ. 551. 1. Pontificio decreto confixæ. 554. 1
Tabularii dicebantur, qui rationibus ſupputandis præerant. 114. 1
Tariotæ vetuſtiſſimi Illyrici populi, iidem ac Autariatæ, vel Autariæi. 164. 1
Tarquinius Præſes Dalmatiæ nominatur in actis S. Felicis M. 112. 1
Taulantii an Gentio ſubjecti. 36. 2. populi Illyrici infra Dirrhachium ad meridiem. 58. 2. & 165. 1
Taurini iidem ac Tauriſci. 11. 1. Tauriſcis bellum ab Auguſto illatum. 58. 2. ad Noricum pertinent. 58. 2
Tauris inſula Dalmatica inter Phariam & Corcyram eſt vel Trucola, vel Girona. 200. 1
Tedanius Dalmatiæ flumen, ejuſque deſcriptio. 137. 1. olim ab Japydia ſeparabat Liburniam. *ib.* Tedanii oſtia a Ptolemæo & Plinio male locantur. 142. 2. conſtituenda inter Argyruntum & Corinium. *ibid.*
Tediaſtum urbs Japydiæ. 153. 1
Templa religione & miraculis in Dalmatia inclyta. 186. 1. initio eccleſiæ ædes privatæ in templa converti ſolebant. 443. 1. uſus publicorum templorum jam uſque a primis eccleſiæ temporibus repetendus. *ibid.* 2. *& ſeq.* nunquam fere Chriſtiani publicis templis caruerunt, niſi ſi qua ingrueret perſecutio. 445. 1. delubra Ethnicorum in eccleſias converſa. *ibid.* 2. antiqua Chriſtianorum templa fere vulgaris ſtructuræ. 446. 1. an templa conſecrata ſint B. Mariæ V. a primis Chriſtianis adhuc ea vivente, vel non diu poſt quam ad Superos abiit. 446. 2. *& ſeqq.* ſolis martyribus in primæva eccleſia monumenta conſecrabantur. *ibid.* non autem confeſſoribus. 447. 1. templa duplicis generis, minora ac majora. 452. 1
Tenen, ſeu *Tininium*, nunc *Knin*, urbs princeps Zupaniæ Tzenæ. 155. 2
Terbunia Serblorum regio deſcribitur. 124. 1. & 160. 2
Tergeſtini piratæ apud Caprulas a Venetis oppreſſi. 216. 1
Termidava urbs olim Illyrici; nunc nulla ſuperſunt illius veſtigia, & ejus poſitio ignoratur. 160. 2
Ternobienſis Epiſcopus Patriarchæ ſeu Primatis titulo ab Innocentio III. donatus, 77. 1
Terſatica urbs Japydiæ, nunc *Terſattum*, deſcribitur. 143. 1
Teuta Agronis regis Illyriorum uxor. 24. 1. ejus mores. 25. 1. ad eam legatio Romanorum. *ib.* 2. Legari a Teuta violati. *ibid.* & 40. 2. pacem a Romanis petit, impetratque. 26. 2. & 41. 1. quæ pars Illyrii ei & Pineo a Romanis relicta. 27. 1. moritur, *ibid.* 2. Iſſam obſidet. 40. 2. claſſem mittit in Græciam. *ibid.* Rhizonem in urbem munitam ſe recipit. 41. 1. ex Romanorum adventu vel receſſu varie afficitur; nunc deponit, nunc reſumit audaciam. *ibid.* 2. quibus conditionibus pacem impetret a Romanis. 41. 1. 42. 1
Teutoburgium oppidum Pannoniæ inferioris. 176. 1
Theodoricus, vel *Theodebertus* Francorum Reges Gothis Noricum eripuere. 73. 2
Theodoricus rex Gothorum tribus prœliis victo & occiſo Odoacre Gothici in Italia regni fundamenta jacit. 210. 2. 213. 2
Theodorus Salonitanus Ep. Duo Theodori inter cæteros maxime illuſtres. 700. 1. incertum, utri Theodoro, Ducine, an Tyroni, Euchaitæ cognomen inditum. *ibid.* 2. Theodorus Cyrene in Libya martyr ſub Diocletiano dici poſſet Salonitanus Ep. *ibid.* Theodorum M. Polæ inventum Salonitanum Ep. eſſe ſuſpicio eſt. 701. 1. Theodorus apud Adonem frater S. Georgii videtur eſſe Theodorus Salon. Ep. *ib.* 2. Cur Polenſes Theodorum apud ſe conditum 9. Novembris ſolemni officio colant. *ibid.* quando electus Salonitanus Ep. 702. 1. ejus obitus. *ibid.* 2. martyrii ſubeundi ei occaſio oblata. 703. 2. in diptycha relatus, & ejus natalis nonis Octobris affixus in Kalendario Spalaten. *ibid.* quando ejus corpus Polam translatum fuerit. 704. 2. arca, in qua conditus Theodorus cum aliis Divis. *ibid.* ejus inventio prima, & ſecunda. 705. 1. Vetus Polenſium religio ad Theodorum Salon. Ep. ſpectabat, *ibid.* 2. templum, ac cœnobium Polenſe S. Theodori, *ibid.* Albonæ patronus. 706. 1
Theodoſius pater S. Domnii an fuerit inter Judæos Proſelytus. 434. 1
Theſaurus dicebatur ærarium publicum, ſeu locus, in quem pecunia vectigalis totius provinciæ inferebatur. 289. 2. qui theſauro præſidebat, dicebatur Præpoſitus Theſaurorum. *ibid.*
Theſſalia Illyrico adnexa, ejuſque deſcriptio. 70. 1. ab Illyrico avulſa. 78. 1
Theſſalonica Metropolis Apoſtolica. 296. 1
Theſſalonicenſis Antiſtes retinuit nomen Primatis & Vicarii ſedis Apoſtolicæ uſque ad ſæculum octavum. 78. 1. & 310. 1. duabus diœceſibus Illyrici Orientalis Macedoniæ & Daciæ præpoſitus. 310. 1. cujus juriſdictio aucta eſt ex ruina & excidio Sirmienſi. *ibid.*
Thomas Archidiaconus auctor Hiſtoriæ Salonitanæ floruit ſæculo XIII. 404. 2. ejus hiſtoria duplex major, & minor, & diſcrimen utriuſque. *ibid.*
Thracia olim Illyrici provincia, ejuſque deſcriptio. 67. 2. diviſio Thraciæ. 68. 2. ab Illyrico a Conſtantino divulſa, 69. 2. & 73. 1
Thurroczius in Chron. Hungar. corrigitur. 223. 2
Tiberius ab Illyrico revocatus. 63. 1. rediit in Illyricum. *ibid.* Dalmatiæ & Pannoniæ penitus devictæ gloriam ſibi uni potiſſimum Tiberius vindicat. 64. 2. triumphum de Pannoniis & Dalmatis ob cladem Varianam differt. *ibid.* Rhætos, Vindelicos, Noricos, Pannones Illyrico adjecit. 66. 1. item Mæſos. 67. 1. Myſios ſubegit. 108. 2

Ti-

Tilurium urbs Mediterranea Dalmatiæ. 157. 1. Pontem Tiluri vocat Antoninus. *ibid.*
Tilurus, seu *Nestus*, Slavis *Cetina*, fluvius Dalmatiæ describitur. 138. 1. pons Tiluri olim celebris. *ibid.*
Timotheus discipulus D. Paulli quod Dorotheus, & juniores tradunt de Illyrico Apostolatu Timothei, id verisimile esse ostenditur. 260. 2. evangelicos labores Timothei longe lateque protulit Metaphrastes. *ibid.* primus Ephesi Episcopus, seu verius Adjutor & Vicarius Joannis Apostoli vere proprieque Exarchi Ephesini. 293. 1. reprehensio Joannis nihil officit sanctitati eximiæ Timothei. *ibid.* 2
Tininium, Chrobatis *Tenin*, civitas præcipua Tzenæ Zupaniæ, nunc *Knin*, describitur. 158. 1. Turcis a Venetis erepta. *ibid.*
Titius Dalmatiæ fluvius describitur. 137. 1. ejus ostia apud Scardonam. 137. 2. Liburniæ terminus. 144. 2
Tituli varii dignitatum. 113. 1. tituli quinam dicerentur. 452. 1. & cur sic dicti. 455. 1
S. Titus missus a Paullo rem Christianam in Dalmatia amplificavit. 266. 2. Romam adiit Paullum in vinculis excipiendi, visendique causa, ac deinde in Dalmatiam revertitur. *ibid.* & 377. 1. revocatus a Paullo in Hispaniam cum eo proficiscitur, ac deinde in Creta Episcopus constituitur. *ibid.* & 377. 2. fuit Episcopus Regionarius Dalmatiæ. 267. 1. & 269. 1. quam potestatem Paullus Tito Cretensium Episcopo creato contulerit. 270. 2. Episcopus Gortynæ, & Cretæ totius Metropolita. 296. 2. S. Titus Episcopus & Apostolus Dalmatiæ. 354. 1. 372. 1. Præcursor S. Domnii, ejusque elogia. *ib.* Apostolatus Dalmatici per Titum gesti testes plurimi. *ibid.* 2. testimonia & elogia S. Titi ex Martyrologiis. 355, 2. ex D. Paulli epistola 2. ad Corinth. & ex epist. ad Galatas. 356. 1. ex ecclesiasticis Scriptoribus. 357. 1. de Apostolatu S. Titi Dalmatico testimonia ex D. Paullo. 358. 1. ex aliis veteribus scriptoribus. 359. 1. ex recentioribus. 360. Acta S. Titi ex Menæis, & Menologio Græcorum. 362. 2. ex oratione S. Andreæ Cretensis de laudibus B. Titi. 364. 1. ex Petro de Natalibus. 365. 1. Titus patria Corinthius ab aliquibus falso dictus. 366. 1. fuit Cretensis, & diversus ab altero Tito Corinthio. *ibid.* & *seq.* genus Titi præclarum tum paternum, tum maternum. 366. 2. Titus Hierosolymam adiit, fit Christi discipulus, & in cœnaculo Hierosolym. comitiis Apostolicis interfuit, & Spiritum sanctum recepit. 367. 1. Cur Titus Paulli filius appellatus. *ibid.* 1. inter 72. Discipulos annumerari potest. 368. 1. Interpretis officio functus est. *ibid.* Episcopus consecratus, & Paullo socius adjunctus. 369. 1. quadruplex Titi ordinatio. 370. 1. Titus Apostolus secundi ordinis. 371. 1. res eximiæ per Titum in Dalmatia gestæ. 372. 2. non fuit Episcopus delegatus, sed proprius Dalmatiæ, & regionarius. 373. 1. 2. & *seq.* dici potest fundator ecclesiæ Salonitanæ. 374. 2. Dalmaticus Titi Pontificatus inter an. Ch. 45. & 63. interjiciendus; neque ante an. 52. statui potest. 375. 2. neque an. 53. vel 54. sed intra finem an. 55. initus esse videtur. 376. 1. cum ageret annum ætatis 43. *ibid.* 2. & 383. 2. Titus an. 61. dimisit episcopatum Dalmat. 378. 1. an. 62. fit Cretensis Episcopus. *ibid.* 2. sex annos in eruditendis insulis circa Cretam insumpsit. *ibid.* Anno 66. Nicopolim a Paullo accersitur; Romæ an. 68. Paulli martyrio interfuit, & Cretam reversus ibidem obiit an. 106. 379. 1. fuit legatus Paulli ad Corinthios. *ibid.* 2. ex prima legatione Corinthiaca in Macedoniam ad Paullum se contulit. 383. 1. iterum ad Corinthios legatus cum altera Paulli epistola. 383. 2. ad eum jam Cretensem Ep. scribit epistolam D. Paullus. 386. 2. cur vocatus fuit Nicopolim a Paullo? 387. 2. obiit an. Ch. 107. *ibid.* Gortynæ in æde cathedrali sepultus. 388. 1. ejus Caput Venetias translatum. *ibid.* Festi dies S. Titi. *ibid.*
Traballi gens Illyrica. 255. 1
Traditiones veteres, piæque quanti sint faciendæ. 252. 2. & *seq.*
Tragurium ab Issensibus conditum. 15. 1. infestatur a Dalmatis. 101. 2. describitur. 147. 2. antiquis insula visa est. 196. 1. non est insula, sed angustissimo isthmo continenti annectebatur. 147. 2. nunc isthmo perfosso ponte lapideo ad continentem transitum præbet. *ib.* Venetis se dedit. 222. 1
Trajanus Daciam ultra Danubium imperio Rom. & Illyrico adjunxit. 68. 1. clandestinos conventus Christianis interdixit. 439. 2. Trajani expeditiones & res gestæ. 441. 1. 2.
Tralli gens Illyrica in exercitu Philippi Macedonum regis. 31. 2
Tribigne urbs Dalmatiæ; ejus descriptio. 161. 2
Tribulium, seu *Triburium* Plinii ultra Naronem inter urbes Illyrici proprii rejiciendum. 157. 1. eadem urbs forte ac quam tunc Trebignem vocant, olim Terbuniam appellarunt. *ib.* & 160. 2
Tribuni primus Venetorum Magistratus, qui juri dicundo, & civilibus & capitalibus causis dijudicandis præerant. 212. 2. Cassiodori epistola ad Tribunos Venetiarum. 214. 2. Tribunorum imperium cur abrogatum. 217. 1
Tridentum civitas Istriæ appellatur. 129. 1
Triteuta prima Agronis regis Illyriorum conjux ei genuit Pineum regni hæredem. 24. 1. ab Agrone dimissa. *ibid.*
Triumviratus institutus. 283. 1
Tronum, urbs Mediterranea Dalmatiæ. 157. 1
Trucola insula Dalmatica, quam Mela Trucones nominat, describitur. 198. 2
Turcæ insulas Diomedæas expilare conantes, terrore divinitus immisso repulsi re infecta discedunt. 509. 1.
Turma dicebatur de equitibus, quasi ter dena, quia ex 30. equitibus constabat. 173. 2. Turma 30. equitum addi solebat legionibus; turma autem extra legionem, unum militaris ordinis corpus efficiens, multo plures equites continebat; eorum tamen numerus indefinitus erat. *ibid.*
Ad Turres oppidulum antiquum Japydiæ, cujus ne vestigia quidem supersunt. 143. 1
Turricellum oppidum insulare Venetiæ maritimæ. 212. 2.
Tyrones Romani exercitus apud Dalmatas ad bellicam disciplinam informati. 170. 1
Tzena Zupania Chrobatorum ubi sita. 155. 2
Tzentzena Zupania Chrobatorum in locis montanis ad fluvium Tilurum. 157. 2

V

Valeria ab Illyrico sejuncta. 79. 1. duplex Valeria, altera in Italia, altera Pannoniæ. 176. 2. Valeria Pannoniæ cur dicta Ripensis, *ibid.*
Valerius Prætor contra Philippum Macedoniæ regem classem ducere jussus. 30. 1. Oricum recipit & hostes cædit. *ibid.*
Valerius Messalinus Prætor Dalmatiæ anno 6. post Christum natum. 111. 1

Var-

Vardai, Ardæorum reliquiæ. 164. 2. cur populatores quondam Italiæ a Strabone dicti. *ibid.* ubi ſtatuendi. *ibid.*
Varina, ſeu *Variana urbs* in Dacia. 175. 1
Varvaria urbs Japydicane fuerit, an Liburna, incertum. 153. 1
Varvarini populi Japydię, qui Varvariam, & agrum circa urbem incolebant. 162. 2
Vatinius in Dalmatia multa contra Dalmatas præclare gerit, 57. 1, 2. & 105. 2. ejus exercitus cæſus. 58. 1. Vatinii epiſtolæ ad Ciceronem locus dilucidatur. 57. 2. navali prælio Octavium vincit, & toto Illyrico excedere cogit. 282. 2
Veduina arx in Comitatu Corbavienſi, fors Corbavia civitas. 154. 1
Vegla, quam *Curictam* Ptolemæus, *Cyraſticam* Strabo, Porphyrogenitus *Beclam* nominant, inſula ſinus Flanatici deſcribitur. 190. 1
Vegla, vulgo *Vegia*, olim *Guricum* urbs primaria inſulæ Veglæ deſcribitur. 190. 1. 2
Velaſvixius amnis Dalmatiæ. 139. 2
Velcera oppidum Japydiæ. 143. 1
S. Venantius ſextus Salonitanus Ep. varie appellatus. 562. 1. commemoratio S. Venantii quibus in Martyrologiis facta ſit. 563. 1. de Venantio falſo dicto Toletano Epiſcopo. *ibid.* 2. contra Toletanum Epiſcopatum Venantii teſtimonia Auctorum. 564. 1. inter Epiſcopos Toletanos nullus Venantius. *ibid.* 2. inter Salonitanos Epiſcopos numerandus. 565. 1. Venantium, de quo Hiſpanienſes, Auctores graviſſimi inter Epiſcopos Iſtriæ, vel Dalmatiæ annumerant. *ibid.* 2. itemque catalogi Epiſcoporum Salonit. *ibid.* Venantius falſo dictus Epiſcopus Toletanus, vel Palentinus. 566. 1. martyrium Dalmaticum Venantii non cohæret cum ejus Epiſcopatu Toletano. *ibid.* ſed optime congruit cum Salonitano Epiſcopatu Venantii. *ibid.* 2. Initium Pontificatus Venantii. 567. 1. Dalmaticam eccleſiam mirifice auget. 568. 1. cum iter in Pannoniam intenderet, apud Delminium ab Ethnicis interficitur. 570. 1. ejus Acta. *ibid.* ejus corpus Romam translatum. 571. 2. *& ſeq.* cauſa hujus translationis. 572. 2. tempus hujus translationis. 573. 1. & ſocii. *ibid.* 2. unde Venantii & ſociorum corpora Romam translata ſint. 574. 2. deſcriptio ſacelli Lateranenſis, ubi Venantii, & ſociorum corpora depoſita ſunt. 575. 1. *& ſeqq.* ædis Venantianæ tituli quatuor. 577. 2. an fuerit diverſa ab æde S. Stephani. 578. 1. S. Venantius fortaſſe apud Delminium primo ſepultus, deinde Salonam translatus, ac demum Romam. 588. 2. reliquiæ Venantii & ſociorum ab Alexandro VII. approbatæ. 589. 1. reliquiæ S. Venantii Bononiæ in æde S. Jo: in Monte a S. Petronio fortaſſe illuc delatæ. *ibid.* reliquiæ S. Venantii Pragæ in æde Metropoli a Carolo IV. Imp. e ſepulchro Venantiano Lateranenſi decerptæ, & Pragam translatæ. 590. 1
S. Venantius martyr apud Camertinos celebris. 616. 1. ejus acta apocrypha auctoribus Papebrochio, Baronio, & Henſchenio. *ibid* 1. 2. *& ſeq.* prima pars Actorum S. Venantii Camertis deſumpta ex actis S. Agapiti Mart. Præneſtini. 617. 2. 618. 2. poſterior pars actorum S. Venantii vel fabuloſa, vel aliunde ſurrepta judice Papebrochio. 622. 1. Acta utriuſque Agapiti ſæculo XIII. Venantio afficta. 624. 2. quando edita fuit hiſtoria Venantiana actis utriuſque Agapiti aucta. *ibid.*
Veneti cum Dionyſio ſeniore ſocietate juncti. 14. 12. rabiem fugientes Barbarorum Italiam invadentium in inſulas receſſus intimi maris Adriatici ſe recipiunt, & urbem condunt. 211. 2
Veneti ab initio urbis Venetiarum conditę ſui omnino juris, & ab aliena poteſtate immunes. 211. 2. *& ſeq.* cum eorum urbe incœpit etiam eorum dominatus maritimus, initio exiguis finibus circumſcriptus, deinde paullatim propagatus. 212. 1. 2. primus apud Venetos magiſtratus. 212. 2. dum omnia circum ſeditionibus ac bellis arderent, Veneti quieti pacatique res ſuas augent. 213. 1. Venetorum cura augendæ, & firmandæ Reipublicæ. 214. 1. mores & ſtudia. *ib.* ſtium Medoaci adverſus Patavinos communiunt. 214. 2. navigatio & mercatura in primis apud Venetos floret. *ibid.* piſcatui & ſalinis operam impendunt, & ædificia amplificant. *ibid.* maris Adriatici ab Imperatoribus deſtituti tutelam ſuſciplunt. 215. 1. 218. 1. fines juris imperiique maritimi Venetorum. *ibid.* navalia ſubſidia Belliſario adverſus Gothos a Venetis ſubmiſſa. 215. 2. victoria navalis Venetorum de Gothis relata. *ib.* altera Venetorum de Gothis maritima victoria. *Ibid.* inter Venetos & Imperatores Orientales pax & concordia perpetua. 216. 2. Tribunis abrogatis Veneti Duces creant, hiſque ſubſtituunt Magiſtros Militum, demum Duces rurſum inſtituunt, & ſemper retinent. 217. 1, 2. victoriam de piratis Tergeſtinis referunt. 218. 1. Ravennam a Langobardis captam recuperant, & Orientis imperio reſtituunt. 218. 2. claſſis Græcorum poſt amiſſam Ravennam a mari Adriatico deducta Venetis tuendi maris neceſſitatem attulit. 219. 1. auxilia navalia Carolo Deſiderium Ticini obſidenti a Venetis præbita. 219. 1. Veneti utroque imperio exempti. *ibid.* Pipinum Caroli filium cædunt ac repellunt. *ibid.* expeditiones maritimæ Venetorum. 219. 2. triremes 60. Venetorum Græcis auxilio miſſæ contra Saracenos, & apud Crotonem cum Barbaris res male geſta. *ibid.* Saracenos ab obſidione urbis Gradenſis depellunt. 220. 1. fœdus ineunt cum utroque Imp. Orientis & Occidentis contra Saracenos, quos navali prælio vincunt. *ibid.* vincunt Narentanos, a quibus poſtea vincuntur. 220. 2. Hunni in Italiam effuſi a Venetis ceſſi, & ab Italia depulſi. *ibid.* Veneti capiunt Comaclum. *ibid.* Narentanos comprimunt. 221. 1. vincunt Saracenos. *ibid.* Iſtria, & Dalmatia potiuntur. 221. 2. univerſum mare Adriaticum ſub dominatum Venetorum redactum. 222. 2. poſſeſſio & cuſtodia Adriatici neceſſario ad Venetos devoluta, & permiſſu conceſſuque Imperatorum Orientalium approbata. *ib.* juſtiſſima cauſa Venetis Dalmatas in fidem recipiendi. *ibid.* amicitiam inter Venetos & Græcos Dalmatiæ & maris poſſeſſio ab his ad illos translata non diremit, ſed arctius conjunxit. 223. 1. Saraceni auxilio operaque Venetorum Bario expulſi. *ibid.* Chrobati Dalmatiæ infeſti a Venetis repreſſi. 223. 1. Dalmatæ novo jurejurando Venetis obſtricti. 223. 2. Jaderam recuperant. 224. 1. ſocietatem cum Colomano Hungariæ rege ineunt, & Normannos vincunt. 225. 1. Dalmatiam ab Hungaris occupatam recuperant, & inſuper Chrobatiam Ciſalpinam Hungaris eripiunt. *ibid.* commiſſo prælio cum Hungaris apud Jaderam vincuntur, cæſo Ordelapho Duce. *ibid.* inducias cum Hungaris in quinquennium paciſcuntur, parte Dalmatiæ in fide retenta. 225. 2. variæ deinceps bellorum inter Venetos, & Hungaros viciſſitudines; ſed tandem Dalmatia fere integra in poteſtatem Venetorum manſit. 225. 2. Dalmatiam contra Turcas Veneti egregie defendunt. *ib.* pro mari tuendo multum a Venetis laboratum. 226. 1. maritima Venetorum potentia mirifice

Digitized by Google

ſtifice aucta. *ib.* Venetorum claſſis Græcis adverſus Normannos miſſa, & duplex de Normannis victoria. 226. 2. Veneti Græcique a Normannis victi. *ibid.* tertia Venetorum contra Normannos claſſis & victoria. *ib.* Veneti ob rem bene geſtam cont. Normannos ab Alexio Imp. maximis muneribus, & honoribus donati. *ib.* tres Venetorum claſſes ad expeditionem Hieroſolymitanam miſſæ. 227. 1. victoriæ Venetorum de Barbaris relatæ. 227. 2. Veneti ob rem Syriacam bene geſtam egregie remunerati. *ib.* inter Venetos & Græcos diſſidium. *ibid.* & poſt aliquot Græcorum inſulas & urbes a Venetis captas & direptas, pax redintegrata. *ibid.* & 228. 1. egregia Venetorum opera adverſus Rogerium Siciliæ Regem Græcis impenſa. 228. 1. Dalmatiam recuperant a Græcis ereptam, urbeſque & inſulas Græcorum invadunt. *ibid.* Alexium filium Iſaacii in imperium CP. reſtituunt. 228. 2. imperio Orientis ad Latinos translato Veneti inſulis fere omnibus, ac præſertim Corcyra donati. *ibid.* Veneti legitimi poſſeſſores maris Adriatici. 228. 2. Cura aſſidua ad mare tuendum & purgandum a Venetis impenſa contra Jadrenſes, Iſtros, Anconitanos, Piſanos, Almiſſanos, Uſcochos. 229. 1. & Olchinienſes. Victoria navalis Venetorum de Othone Federici Imp. filio in Adriatico relata. 229. 2. bella maritima Venetorum cum Januenſibus, Hungaris, Neapolitanis, Turcis &c. quibus aut victis, aut ſponte cedentibus dominium maris penes Venetos remanſit. 230. 1. Veneti dominium maris obtinent jure occupationis, veterum Dominorum conceſſu, præſcriptione temporis longiſſimi, antiqua & perpetua conſuetudine in eo dominandi. *ibid.* mos antiquus creandi, qui mari tuendo præeſſet. 230. 2. juriſdictio maritima a Venetis perpetuo uſurpata. *ibid.* Facultas naves, ſive bellicas triremes in Adriaticum immittendi tum aliis, tum ipſis Regibus negata. 231. 1. Principibus, Regibus, Imperatoribus copias & commeatus mari Adriatico tranſvehendi poteſtas petentibus data. *ibid.* Venetum maris imperium omnium confeſſione comprobatum. 231. 2. id ſæpe confeſſi ſunt tum Chriſtiani Principes, tum Reges Turcarum, a Venetis poſtulantes, ut ſuum mare ipſi a piratis defenderent. *ib.* eam ob cauſam ad coercendos Uſcochos diu multumque laboratum, & cum Auſtriis bellum ſuſceptum. 232. 1. dominatio maritima Venetorum titulis plurimis & graviſſimis innixa. 232. 2. Nulli ſunt præter Venetos, qui Turcas ab Adriatico Italiaque arcere poſſint. *ibid.* quantum Italia & eccleſia debeat Venetis dominis ac defenſoribus Adriatici, 233. 1

Venetia, & Carnia dicta Dalmatia ſupra mare. 127. 1. item Iſtria ſupra mare. 128. 1. Venetia & Carnia Iſtriæ in actis Synodi, & in epiſtolis Pelagii Papæ attributæ; itemque in epiſtolis Gregorii M. & Reſcripto Mauritii Imp. 128. 2. cur appellata ſit Dalmatia ſupra mare. 130. 1. Venetia, Iſtria, atque Dalmatia idem ſignificant, 131. 1. fines Venetiæ antiquæ mediterraneæ. 212. 1. Venetia maritima quænam, *ibid.*

Venetiæ, urbs condita a populis Venetiæ mediterraneæ Barbarorum in Italiam irrumpentium feritatem fugientibus. 211. 1. ſitus urbis Venetiarum. 211. 2. inſulæ receſſus intimi maris Adriatici frequentari & habitari cœptæ. *ibid.* initia urbis & Reipublicæ Venetæ ad an. Ch. 422. 8. Kal. Apr. quo die prima apud Rivaltum ædes ſacra Deo in honorem S. Jacobi Apoſt. dedicata eſt, referuntur. *ibid.* Venetiæ auctæ ex Attilana irruptione, 212. 2. commercio, & copiis maritimis auctæ. 214. 1. iterum ex Longobardorum in Italiam irruptione auctæ incolarum acceſſione. 216. 2. ex Iſtria & Dalmatia frequentes hominum concurſus ad inſulas & ſtagna Venetorum. 217. 1

Venetus Patriarcha Primas Dalmatiæ Occidentalis. 312. 2

Verantius, Fauſtus, corrigitur. 136. 1

Vergada, ſeu Lumbricatum Porphyrogeniti, inſula Liburnica ubi ſita. 194. 2

Verlica Caſtellum Dalmatiæ; ejus poſitio. 158. 2

Verona civitas Iſtriæ ubi appelletur. 128. 2

Veterani qui? 285. 2

Vetus Salina, Ptolemæo *Salinum*, urbs Pannoniæ inferioris, poſtea attributa Valeriæ. 177. 1

Vexillationes unde dictæ, & quid ſint. 172. 2. vexillatio turma equitum ſub eodem vexillo militantium. *ibid.* vexillationum duplex genus. *ibid.* vexillationes aliæ Palatinæ, aliæ Comitatenſes, aliæ Pſeudo-Comitatenſes, & cur ſic appellatæ, 173. 1

Vexillum quid eſſet. 172. 2. in eo notabatur, quæ turma, ex qua cohorte, & quota eſſet centuria, vel etiam nomen Principis inſcribebatur. *ibid.*

Via Egnatia ab Epiro ad Hebrum uſque ducta. 38. 2. viæ ab Auguſto munitæ commodo Magiſtratuum conventus obeuntium. 110. 2. viæ Salonitanæ ab Auguſto magnifice ſtratæ. 286. 2

Vibius ſequeſter erroris arguitur. 141. 1

Victoricus fuit martyr Salonitanus. 465. 1

Vigilia urbs in æſtuariis Venetorum. 190. 1

Viſechium oppidulum Dalmatiæ ad ripam Tiluri. 158. 2

Viſovazius lacus Dalmatiæ deſcribitur. 37. 1

Vitopolis urbs Japydiæ, dicta Flumen S. Viti; ejus poſitio. 142. 1

Ulianum, olim Liſſa, nunc S. Euphemiæ inſula Liburnica deſcribitur. 194. 1. in ea Abbatia S. Michaelis & Jadrenſium villæ. *ibid.*

Umbri oram Italicam Liburnis, Etruſci Umbris adimunt, 206. 1

Urana, ſive Lauranum, oppidum Japydiæ, ejuſque poſitio. 42. 1

Urſeolus, Petrus, Venetiarum Dux Iſtriam, & Dalmatiam in poteſtatem Venetorum redigit. 221. 2. Chrobatas & Narentanos domat, eiſque pacem impertitur. 222. 1. Raguſium in fidem & clientelam recipit. *ibid.* purgatoque latrociniis mare, triumphans Venetias redit. *ibid.* ei, & ſucceſſoribus titulus Ducis Dalmatiæ decretus. *ibid.*

Urſus Venetiarum Dux ad eum epiſtola Gregorii II. P. 218. 1. Hypati titulo a Leone Iſaurico donatur ob receptam Ravennam, & imperio Orientis reſtitutam, 218. 2

Uſcochi, & illorum genus. 163. 1. quos Ferdinandus Imp. in regionem Morlachorum recepit. *ibid.* Uſcochi ideſt transfugæ. *ib.* Venetis infeſti pariter & Turcis. *ibid.* bellum Uſcochis, & illorum cauſa Auſtriis illatum. 163. 2. Uſcochi Iſtriæ, & Japydiæ finibus expulſi. *ibid.*

Uſque propoſitio localis ambigua; vi ſua & notione locum illum, cui præponitur, alias excipit, alias complectitur, 243. 2

Uſuardi textus explicatur. 500. 1

Ùltejus Præfectus navis Opiterginæ pro Cæſare in bello civili. 289. 2. ejus egregium facinus. 281. 1. 2

Digitized by Google

Z

Zachluma fluvius Dalmatiæ describitur. 139. 1. idem Tribunius, & Ombla dictus. 139. 2. Arion appellatur a Scylace. *ibid.*
Zachlumi, Serbiæ populi; eorum regio Chulmia, seu Zachulmia. 124. 1. eorum urbes. *ibid.*
Zachlumia regio Serblorum in Dalmatia describitur. 160. 2
Zemonicum castellum in Comitatu Jadertino describitur. 155. 2
Zenon jurisconsultus scriptor vitæ S. Titi. 362. 2. fuit Titi æqualis, & amicus. 363. 1
Zenta pagus Dalmatiæ ubi situs. 161. 1. duplex, superior, & inferior. *ibid.*
Zernus fluvius Dalmatiæ. 140. 1
Zetta fluvius Dalmatiæ. 140. 1
Ziza oppidum Arabiæ Petreæ. 74. 1
Zosimus erroris arguitur. 171. 1
Zuonimirus non fuit postremus Rex Chrobatiæ. 224. 1
Zupana insula Dalmatica, una ex Elaphitis Plinianis, describitur. 100. 2. in ea nobile cœnobium Benedictinorum Congregationis Melitensis. *ibid.*
Zupania quid significet. 153. 1.

FINIS.

Digitized by Google